BIBLIA SACRA
VULGATÆ EDITIONIS,
SIXTI V. & CLEMENTIS VIII.

PONTIF. MAX. Auctoritate recognita:
ANNOTATIONIBUS, PROLEGOMENIS,
Tabulis Chronologicis, Historicis, & Geographicis illustrata,

A JO. BAPTISTA DU HAMEL
PRESBYTERO, EXPROFESSORE REGIO, &c.

ACCEDUNT LIBELLI DUO
FRANCISCI LUCÆ BRUGENSIS de ROMANIS CORRECTIONIBUS factis, & quæ fieri possent,
ET
JOSEPHI BLANCHINI
Congregationis Oratorii Presbyteri tres Dissertationes Biblicæ.

EDITIO NOVISSIMA.
PARS ALTERA.

VENETIIS, MDCCLXXIX.
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
Superiorum Permissu.

PRÆFATIO
IN PROPHETARUM
LIBROS.

Hristianæ Religionis veritas non miraculis modo & prodigiis, sed etiam Prophetarum oraculis fidem sibi toto orbe terrarum merito adstruxit: nam ille verus est & genuinus divinitatis character, uno prospectu futura omnia contueri & prædicere. Unde & Deus per Isaiam, cap. 41. hoc ipsum ut divinitatis suæ indubitatum proponit argumentum; *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia diis estis vos*. Ab ipso pene mundi exordio Deus Prophetas misit, qui veræ religioni forent præsidio, corruptos mores instaurarent, homines a cultu Dei deficientes revocarent in viam. Ante diluvium prophetavit Henoc, teste Juda Apostolo. Noemum postea misit Deus, qui diluvium futurum prænuntiaret, & ad pœnitentiam homines hortaretur. Post gentium divisionem misit Abrahamum, qui collapsam pene religionem restitueret; tum Mosem, qui legem Dei scriptam Judæis daret, & futura prædiceret; alios deinceps misit Prophetas, qui Dei cultum adversus impietatem & idololatriam tuerentur, & Christi adventum annuntiarent.

Detecta Prophetas exponendi ratione, non est cur multa hoc loco subjiciamus, cum de multiplici expositione Scripturæ, de variis ejus locutionibus & idiotismis fuse in prolegomenis a nobis fuerit disputatum, perpauca ex viro doctissimo superioris sæculi Francisco Ribera S. J. in præludio primo in minores Prophetas notanda, & ex Synopsi Scripturæ Sacræ, quam Theologiæ Clericorum Seminariis destinatæ subjecimus, hoc loco afferre contenti.

Illud quidem animadvertit Auctor laudatus, duo esse extrema exponendi Prophetas genera: primum est abjectum & humile, quod a Rabbinis invectum est, quodque populorum tantum & regum æstus, bella, servitutes, & captivitates complectitur, de Christi mysteriis ne verbum quidem subjiciunt: vel ad suum Messiam venturum cum magna pompa & potestate terrena, quidquid illud est, referunt: aut in alienum detorquent sensum.

Altera & priori opposita exponendi ratio ea est, qua singula pene verba de Christo explicantur, etiam in sensu historico & litterali. Tertium & optimum est exponendi genus, inter duo extrema medium, quo permulta de Christi Adventu, Doctrina, Passione, Resurrectione, multa de Ecclesiæ mysteriis a Prophetis sensu historico sic prædicta exponuntur, ut sui sæculi vitia reprehendant, captivitates imminentes & supplicia improborum minentur, sed plurima ac pene omnia spiritali & mystico sensu ad Christum & Ecclesiam referantur. Et quidem primum exponendi genus tam absurdum est, & Scripturis adversum, ut refutatione non egeat. Qui enim Christiano nomine censentur, longe a Manichæorum absunt insania, qui negabant ulla esse apud prophetas de Christo testimonia, quos August. lib. 12. contra Faustum copiose refellit. Neque necesse est Christi & Apostolorum in re notissima proferre testimonia. Illud insigne est Christi Domini Joann. 5. effatum: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*: & alio in loco: *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi,*

 & Pro-

& Prophetis, & Psalmis de me. Philippus ex hac nota se Christum agnoscere profitetur: *Quem scripsit Moyses in Lege, & Prophetæ, invenimus filium Joseph a Nazareth.* Paulus Apostolus ad Ephesios scribens, cap. 2. eos esse docet, *cives Sanctorum & domesticos Dei, superædificatos super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Idem Rom. 1. *Segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos.* Idem Act. 28. Romæ venientes ad se Judæos docens, *Suadebat eis de Jesu ex lege Moysi & Prophetis a mane usque ad vesperam.* Notum est omnibus Principis Apostolorum in hanc rem illustre testimonium Epist. 2. cap. 1. uti & Act. 2. & 13. *Deus autem prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum suum:* item Actor. 10. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent.*

Quamobrem Grotius vir ceteroquin doctus nimium favet Socinianis, qui hac in re Manichæorum insaniam imitantur, cum ait Prophetarum vaticinia, *non in vim argumenti proprie adhiberi, sed ad illustrandam, atque confirmandam rem jam creditam:* quasi Prophetiæ ad constituenda fidei fundamenta nihil prosint, sed ornatus tantum, & fovendæ Christianorum pietatis gratia proferantur.

Hinc pertinentes ad Christum prophetias universas proprio & primario sensu ad historiam eorum temporum, allegorico autem & remoto sensu ad Christum referri putat. Utrumque luculentis Scripturæ & SS. PP. testimoniis refellit Illustr. Huetius, prop. 7. Demonstrationis Evangelicæ. Ex Scripturis quædam attulimus loca, quibus complura addi possunt, illud in primis Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo,* quo usus est Christus Dominus Matth. 22. *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo poterat respondere ei verbum.* Ex quo quidem liquet, recentiores Rabbinos veteribus esse nequiores: nam apud Pharisæos pro certo habebatur, de Messia locurum esse Prophetam; & nisi illud certum apud eos extitisset, perfacilis fuisset eorum responsio, non ad Christum, sed ad alium, ut ad Davidem, hoc dictum fuisse; vel ut alii fabulantur, Eliezer servum Abrahæ de domino suo ita loqui a cæde regum revertente.

Et quidem SS. PP. qui Fidem Christianam adversus Ethnicos & Judæos, aut doctrinam Catholicam adversus hæreticos propugnarunt; semper ad Prophetas provocare solent; ut Justinus Martyr in dialogis cum Tryphone; Athenagoras in legatione sua: *Nos autem,* inquit, *eorum quæ novimus & credimus, Prophetas testes habemus.* Irenæus lib. 2. cap. 57. Prophetiarum veritatem non adstruit ex Christi miraculis, quod solum vult fieri Grotius; sed miraculorum Christi veritatem ex Prophetiis confirmat. Tertullianus librum suum adversus Judæos sic concludit: *Hæc autem aut prophetata nega, aut adimpleta, cum leguntur.* Origenes lib. 1. contra Celsum: *Omnium quæ ad adstruendam Christi fidem adhiberi possunt argumentorum maximum hoc est, quod prædictus fuerit a Prophetis, qui apud Judæos fuerunt.* Cyprianus testimonia e libris sacris adversus Judæos colligens in præfatione ad Quirinum scribit profuturas ei Prophetarum prædictiones ad prima fidei lineamenta formanda. Eusebius ex Prophetarum oraculis Christianæ Religionis fundamenta in libris de Evangelica demonstratione adstruxit. Atque ut alios Patres omittam, Augustinus lib. 12. contra Faustum, cap. 46. a vaticiniis Prophetarum oriendam esse fidem ait: & Tract. 35 in Joann. Paganum fidei fundamentis imbuendum adire vult & consulere Prophetas: *Quid est Christus? dicit Paganus: cui respondemus, Quem prænuntiaverunt Prophetæ.* Et lib. 1. de consensu Evangel. cap. 10. *Cui prophetando gens una deputata est, cujus reipsa tota administratio prophetia esset illius Regis venturi, & civitatem cælestem ex omnibus gentibus conditituri.* Et lib. 3. cap. 7. *Omnes sancti Prophetæ uno spiritu locuti mirabili inter se consensione constant, ut hoc multo amplius sit, quam si omnium omnia Prophetarum uno unius hominis ore dicerentur: & ideo indubitanter accipi debent, quæcumque per eos Spiritus Sanctus dixit,*

xit, *& ſingula eſſe omnium*, *& omnia ſingulorum*. Ex quibus illud efficitur, ad fidem Chriſto Jeſu conciliandam non aliunde certiora duci argumenta quam ex oraculis Prophetarum, uti Angelus in Apocal. cap. 19. Joanni declarat ex verbis: *Teſtimonium enim Jeſu eſt Spiritus prophetiæ*. Ac Grotius ipſe in ſuis Annotationibus in cap. 14. prioris ad Cor. Epiſtolæ fatetur Prophetiam ceteris donis ab Apoſtolo præferri: *Quia maximam ea res auctoritatem præſtabat Evangelio, convincebat incredulos, firmabat credentes; divinum enim ab omnibus hominibus creditur eſſe prædictio, dicta ob id divinatio*.

Minus peccant, ſed peccant tamen qui Prophetias omnes de Chriſto & Eccleſia intelligi oportere contendunt, etiam in ſenſu hiſtorico: nam certum eſt Prophetas ut populi Doctores & Magiſtros multa de morum emendatione, de ſuppliciis imminentibus eum docuiſſe, juxta illud Iſaiæ 58. *Clama ne ceſſes*, *&c.* Et Ezechielis 3. *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael*. Itaque permulta ſunt in Prophetis, quæ hiſtorico ſenſu ad Chriſtum non referuntur, ſed ad illorum temporum ſtatum, & ad mores ſpectant. Et quidem Chriſtus Dominus cum diſcipulis euntibus in Emmaus interpretabatur omnia quæ de ipſo erant, non omnia quæ erant in Prophetis, in tam brevi itineris ſpatio interpretatus eſt, ſed quæ de ipſo erant.

Quamobrem multa in Prophetis de Chriſto dicuntur hiſtorice, plura myſtice, & allegorice. Cumque Sancti Patres docent, totam Scripturam plenam eſſe myſteriis Chriſti, hoc de litterali tantummodo ſenſu non eſt intelligendum, nec de ſpiritali ſolo, ſed de utroque. Hinc pulcre Auguſt. lib. 17. de Civit. cap. 3. docet Prophetias *partim ad ancillam pertinere*, *quæ in ſervitute generat*, *id eſt*, *ad terrenam Jeruſalem quæ ſervit cum filiis ſuis*; *partim vero ad liberam civitatem Dei*, *id eſt*, *veram Jeruſalem æternam in cælis cujus filii omnes ſecundum Deum viventes peregrinantur in terris*, *ſed eſſe in eis quædam*, *quæ ad utramque pertinere intelliguntur*, *ad ancillam proprie*, *ad liberam figurate*. Et lib. 12. contra Fauſtum, qui negabat, quicquam a Prophetis de Chriſto eſſe dictum, multa profert ex Lege & Prophetis, quæ partim juxta hiſtoriam, partim juxta myſticam intelligentiam ad eum pertinent. Unde cap. 7. *Omnia quæ illis continentur libris*, *vel de ipſo dicta ſunt*, *vel propter ipſum*, ſeu ut Chriſtum ſignificarent. Et quidem Jonæ Prophetia, ut alios omittamus, nihil habet de Chriſto, ſi litteræ ſolius habeatur ratio; ſi allegoriæ, tota eſt propter Chriſtum.

Deus per Prophetas interim verbis, interim rebus ipſis loquitur. Hinc duplex Prophetiæ genus, unum ſignis adumbratum & figuris, alterum verbis expreſſum: illud in Scripturis eſt uſitatum maxime. Sic Apoſt. 1. Corinth. 10. ait, *Iſraelitas in Moyſe baptizatos eſſe in nube & in mari*: *& omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaſſe*. Quæ verbis exprimuntur, vel ſimplicem habent & apertam ſignificationem, vel obſcuram: Illud enim e majeſtate Dei fuit & ſapientia, ut veritas ipſa ſacris velaminibus tegeretur.

Sic proprius & primarius Prophetiæ ſenſus ſæpe ad hiſtoriam eorum temporum pertinet, remotus & allegoricus ad Chriſtum: contra, perſæpe proprius & genuinus ſenſus ad Chriſtum refertur. Prophetæ quidem inter Judæos vitam agebant, ſed nobis potius quam Judæis ſcripſere, teſte Apoſtolorum Principe: *Quia non ſibimetipſis*, *vobis autem miniſtrabant ea*, *quæ nunc nuntiata ſunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis*. Epiſt. 1. cap. 1. v. 12.

Quare ſenſus ſpiritalis idem verus plerumque & nativus haberi debet, non litteralis, qui a ſpiritali, ſeu allegorico, ſeu morali ſejunctus portio eſt Judæorum. Prophetæ quippe Eccleſiæ in primis, non Synagogæ ſcripſerunt; hujus ruinam, illius vero ſplendorem tum prænuntiant, cum de populi Judaici deſtructione & vocatione Gentium vaticinantur.

Ex iis colligitur multa a Prophetis de Chriſto in ſenſu hiſtorico, multa in ſenſu allegorico, multa demum de aliis rebus ſcripta eſſe, quæ ex eventu ipſo iis fidem conciliabant. Hinc Rupertus Abbas, qui ſe in Prophetis, ut in

omnibus Scripturis, Christum semper quærere profitetur in prologo in 12. Prophetas, idem in prologo in Oseam quærit, qua ratione Prophetarum Libri æqualem cum Mose auctoritatem adepti fuerint apud Hebræos, quibus adeo invisi fuerunt; ac subinde respondet, hanc auctoritatem ex certo rerum quas prædicebant eventu habuisse.

Neque audiendi sunt qui SS. Patres eo nomine reprehendunt, quod adversus Judæos disputantes mystico utantur sensu, qui ad confirmanda fidei dogmata omnino infirmus iis videtur. Nam, ut optime respondet P. Ribera, SS. Patres in Homiliis suis populum erudiunt, plurima sensu mystico, qui eorum aptus est proposito fini, exponunt; quod utique faciunt concionatores, Veterum exemplum secuti. Quin etiam ubi Judæos refellunt, & apud Catholicos agunt, ut Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus, Augustinus, & alii, utroque utuntur sensu spiritali & historico, quod cum benevolis & piis auditoribus agant, qui non solum aperta Scripturæ verba, sed etiam tecta & mysteriis involuta venerantur. Sed ubi cum Judæis tantummodo rem habent, ut Justinus cum Thryphone, tum acrius pugnant, & historicum tantummodo adhibent sensum.

Quod autem Patres tam sæpe allegoricum adhibeant sensum, id potissimum caussæ fuit, quod scirent novum Testamentum in veteri esse, & vetus in novo, quodque in novo clare & aperte exprimitur, in veteri tectum esse & involutum variis figuris & allegoriis. Unde & allegoricum sensum verum esse & a Spiritu sancto intentum potius, quam litteralem noverant, atque in Lege & Prophetis Evangelii mysteria contemplari solebant. Utrumque voluit Scripturarum Auctor Deus, Agni Paschalis ossa non comminui, & Christi Domini in cruce pendentis ossa non frangi, hoc remotius quidem, sed præcipua quadam ratione id volebat. Sic litteralis sensus prior est, & quasi fundamentum; sed spiritalis potior est, cujus caussa adhibetur litteralis.

Quod vero ajunt non valere spiritalem sensum ad confirmanda fidei dogmata, id utique verum est, cum de spiritali sensu non constat, aut per Scripturam ipsam, aut per Ecclesiam, aut per communem Patrum expositionem: secus e spiritali sensu firmum ducitur argumentum: ut si quis colligat Christo non fuisse crura in cruce frangenda, quod scriptum sit de Agno Paschali, *Os non comminuetis ex eo*. Id vero est ex accidenti, quod spiritalis sensus minus interdum valeat ad confirmanda dogmata, quoniam de litterali melius nobis constare potest ex vocum significatione, quam de spiritali, qui ex rerum inter se similitudine eruitur. Sed idem evenit in sensu litterali, cum dubius est & incertus. Unde Apostoli, quibus Spiritus sanctus aperuit Scripturarum sensum, mysticum sæpe adhibent.

Adde ex eodem Auctore rationem non contemnendam, cur Veteres, qui vetus Testamentum plenum esse allegoriis noverant, sæpe eas adhibeant tamquam sibi notas & perspectas, in quibus operam suam posuerunt: unde ex iis Christi mysteria colligunt, interdum per probabiles admodum rationes, quibus sæpe locus est non solum apud SS. Patres, sed etiam apud omnium disciplinarum auctores, cum præsto non semper sint demonstrationes.

Illud quoque ad intelligentiam Prophetarum non inutile est admonere, illos persæpe ab historia transire ad Christum, & a Christo reverti ad historiam, in qua de moribus suorum temporum, aut de malis imminentibus loquuntur. *Ne*, inquit Hieronymus lib. 5. Isaiam, cap. 16. *si ordinem Scriptura conservet, non sit vaticinium, sed narratio*; & in cap. 1. Osee: *Prophetæ sic multa post sæcula de adventu Christi, & vocatione gentium pollicentur, ut præsens tempus non negligant.*

PRO-

PROPHETIA ISAIÆ.

ISAIAS ab anno 25. aut 26. Oziæ Regis Juda ad initium usque Manasses vaticinatus est: diversis adeo temporibus suas edidit Prophetias. Ex stirpe Regum Juda ortus sub Manasse martyrium obiit. In unum volumen collegit vaticinia sub Ozia, Joathan, Achaz, & Ezechia facta. Quinque primis capitibus Prophetiæ regnante Ozia, Visio capite sexto comprehensa sub Joathan; quæ sequuntur usque ad 15. sub Achaz; consequentibus deinde capitibus revelationes sub Ezechia & Manasse factæ continentur. Hujus jussu sectum fuisse, Judæorum traditio est, veterum Patrum auctoritate confirmata. Ac de Isaia illud Epist. ad Hebræos, cap. 11. vers. 37. *interpretantur. ubi de Sanctorum persecutionibus verba facit:* Secti sunt, *ubi plurali numero utitur, pro singulari, more in Scripturis usitato. Librum scripsit de gestis regis Oziæ, cujus fit mentio.* Lib. 2. Paralip. cap. 26. v. 22 *qui excidit Christi Domini, Incarnationem, Nativitatem, Prædicationem, Mortem denique tam dilucide prænuntiat, ut Propheta Evangelicus a Sanctis Patribus merito appelletur.*

CAPUT PRIMUM.

Tempus, quo prophetavit Isaias super Judam & Jerusalem, quæ ob suam ingratitudinem, aliaque scelera, omni pœnarum genere a Deo percussa, non est ad eum reversa: victimæ & solemnitates ipsius rejiciuntur: & quid facere debeat, ut in gratiam a Deo recipiatur.

1. VIsio (a) Isaiæ filii Amos, quam vidit super Judam & Jerusalem in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, & Ezechiæ, regum Juda.

2. Audite (b) cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spreverunt (c) me.

3. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.

4. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.

5. Super

CAPUT I. 1. (a) Hoc est, revelatio Isaiæ facta: visio pro re visa accipitur. Nam Prophetæ res temporibus, ac locis disjunctas & remotissimas, divino Spiritu afflati, quasi coram intueri videntur.

2. (b) Sunt verba Mosis Deuteron. 32. ut declaret venisse tempora a Mose eo loco prævisa & prædicta: Ex quo inquit Hieronymus in hunc locum, *Montani deliramenta conticeant, qui in extasi & cordis amentia Prophetas putat ventura dixisse: neque enim eos id re potuisse quod ignorabant.*

2. (c) Hebr. Ipsi contra me rebellarunt.

5. Super quo percutiam vos ultra (*d*), addentes prævaricationem? omne caput languidum, & omne cor mœrens.

6. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas (*e*): vulnus, & livor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.

* Inf. 5. 6. 7. * Terra vestra deserta (*f*), civitates vestræ succensæ igni: regionem vestram coram vobis alieni devorant, & desolabitur sicut in vastitate hostili.

8. Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut civitas, quæ vastatur.

* Rom. 9. 29. * Gen. 19. 24. 9. * Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen (*g*), * quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.

10. Audite verbum Domini principes (*h*) Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ.

* Jer. 6. 20. Amos 5. 21. 11. * Quo mihi multitudinem victimarum (*i*) vestrarum, dicit Dominus? plenus sum: holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum, nolui.

12. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit (*k*) hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis?

13. Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & sabbatum, & festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri:

14. Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.

* Inf. 59. 3. 15. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: * manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.

* 1. Petr. 3. 11. 16. * Lavamini, (*l*) mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse,

17. Discite benefacere: quærite (*m*) judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam.

18. Et venite, & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.

19. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.

20. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis: gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est.

21. Quomodo (*n*) facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii? justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.

22. Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum (*o*) est aqua.

23. Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. * Pupillo non judicant: & causa viduæ non ingreditur ad illos. * Jer. 5. 28.

24. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Israel: Heu consolabor (*p*) super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.

25. Et convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum.

26. Et restituam judices tuos ut fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus: post hæc vocaberis civitas justi (*q*), urbs fidelis.

27. Sion in judicio redimetur (*r*), & reducent eam in justitia:

28. Et conteret sceleстos, & peccatores simul: & qui dereliquerunt Dominum, consumentur.

29. Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificaverunt: & erubescetis super hortis, quos elegeratis,

30. Cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus absque aqua.

31. Et erit fortitudo (*s*) vestra, ut favilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla: & succendetur utrumque simul, & non erit qui extinguat.

CA-

5. (*d*) Qua plaga vos ultra percutiam, aut in qua parte corporis plagas addam plagis, quas Prophetæ Osee, Joel, & Amos vivis depingunt coloribus, ut Isaias ipse cap. 2. & seq. *Omne caput languidum*: vel omne caput languens, cor ipsum tabescit. Hieron. *Per metaphoram docet, quod a principibus usque ad extremam plebem, a doctoribus usque ad imperitum vulgus, in nullo sit sanitas.*

6. (*e*) De populo Israelitico tamquam de uno homine loquitur. Proceres ipsi, & principes ulceribus scatent.

7. (*f*) Futura est. *Umbraculum*; agris ubique vastatis.

9. (*g*) Quem locum citat Apostol. Rom. 11. Nisi Deus Judaico populo paucas conservasset reliquias, Apostolos nimirum, ac Christi discipulos. *Quasi Sodoma fuissemus*, Deleti omnino essemus. *Reliquiæ*, inquit Apostolus, *secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Ex quo ostenditur*, ait Hieronymus, *superiora, quæ contra Jerusalem & Judam sermo propheticus comminatus est, non ad Babylonicæ captivitatis referenda tempus, sed ad ultimam Romanorum, quando in Apostolis salvæ factæ sunt reliquiæ populi Judæorum, & in toto orbe Evangelium fuit seminatum.* Apostolus his verbis Prophetæ utitur, ut ostendat propter electos Israelem non fuisse in ipsis Ecclesiæ initiis instar Sodomæ consumptum.

10. (*h*) Judæos ob similia flagitia sic compellat.

11. (*i*) Exterior cultus interiori destitutus Deo displicet. *Plenus*: Hieron. *Nulla re indigeo.*

12. (*k*) Sacrificia quidem præcepit Deus Judæis, ut ab Idololatria, in quam proclives admodum erant, eos averteret. Sed purum cor in primis ab iis exigebat, & multo magis a Christianis. *Cum veneritis*, Hieron. legit, *Calcare atrium meum non apponetis*. Ex his colligit, non Babylonicam vastitatem, sed ultimam sub Vespasiano & Tito destructionem templi indicari, cum templum a Zorobabel rursum ædificatum fuerit. Judæi ob exteriorem Dei cultum sibi blandiebantur, quasi essent Deo grati: docet vero hæc esse penitus inutilia, cum deest vera justitia, atque Deo ipsi esse exosa, cum fovendis criminibus & falsæ fiduciæ serviunt.

16. (*l*) In quo sita sit vera pœnitentia, nos docet, ut pravas cogitationes, & pravos affectus exuamus, a malo declinantes, & bono adhærentes. *Lavamini*. Pro victimis, & aliis solemnitatibus baptizamini in sanguine meo per lavacrum regenerationis. *Hieron.*

17. (*m*) Expendite, utrius litigantis justior sit caussa.

21. (*n*) Ex cupiditate & avaritia orta est impietas, violata in fratres charitate.

22. (*o*) Hieron. ad hæreticos & pravos doctores hæc verba refert, qui sic legit: *Caupones tui miscent vino aquam.*

24. (*p*) Deus consolationem suam vocat, impiorum punitionem.

26. (*q*) Christi, cum te sanctificaverit. Hæc Hieron. de Ecclesia, quæ in Dominum credidura est, interpretatur.

27. (*r*) Per Christum, qui Ecclesiam redemit ex stricta justitia. Alii de reditu a captivitate sub Cyro post judicium, aut severam punitionem id exponunt.

31. (*s*) Hebr. Thesaurus, Idola vestra.

CAPUT II.

Ad montem domus Domini fluent omnes gentes, & de Sion exibit lex: domus vero Jacob ob idololatriam, avaritiam & reliqua scelera abjicietur.

1. VErbum, quod vidit Isaias, filius Amos, super Juda & Jerusalem.

* Mich.4.1. 2. * Et erit in novissimis diebus præparatus mons (a) domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.

3. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex (b), & verbum Domini de Jerusalem.

4. Et judicabit Gentes, & arguet populos multos: & conflabunt (c) gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.

5. Domus Jacob (d) venite, & ambulemus in lumine Domini.

6. Projecisti enim populum tuum, domum Jacob: quia repleti sunt ut olim (e), & augures habuerunt ut Philisthiim, & pueris alienis adhæserunt.

7. Repleta est terra argento (f) & auro: & non est finis thesaurorum ejus:

8. Et repleta est terra ejus equis: & innumerabiles quadrigæ ejus. Et repleta est terra ejus idolis: opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum.

9. Et incurvavit (g) se homo, & humiliatus est vir: ne ergo dimittas eis.

10. Ingredere in petram (h), & abscondere in fossa humo a facie timoris Domini, & a gloria majestatis ejus.

11. Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incurvabitur altitudo virorum: exaltabitur (i) autem Dominus solus in die illa.

12. Quia dies (k) Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem: & humiliabitur.

13. Et super omnes cedros (l) Libani sublimes & erectas, & super omnes quercus Basan.

14. Et super omnes montes excelsos, & super omnes colles elevatos.

15. Et super omnem turrim excelsam, & super omnem murum munitum.

16. Et super omnes naves Tharsis, & super omne, quod visu pulchrum est.

17. Et incurvabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & elevabitur Dominus solus in die illa:

18. Et idola penitus conterentur:

19. * Et introibunt in speluncas petrarum, *Osee 10.8.
& in voragines terræ, a facie formidinis Do- Luc. 23. 30.
mini, & a gloria majestatis ejus, cum surrexe- Apoc. 6. 16.
rit percutere terram.

20. In die illa projiciet homo idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat sibi ut adoraret, talpas & vespertiliones.

21. Et ingredietur scissuras petrarum, & in cavernas saxorum, a facie formidinis Domini, & a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram.

22. Quiescite ergo ab homine (m), cujus spiritus in naribus ejus est, quia excelsus reputatus est ipse.

CAPUT III.

Futura Judæorum ob sua peccata gravis afflictio: peccata Principum arguit: item superbiam & curiosam lasciviam filiarum Sion in ignominiam vertendam prædicit.

1. ECce enim dominator (a) Dominus exercituum auferet a Jerusalem, & a Juda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ:

2. Fortem, & virum bellatorem, judicem, & prophetam, & ariolum (b), & senem:

3. Principem super quinquaginta, & honorabilem vultu, & consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem (c) eloquii mystici.

4. Et

CAP. II.

2. (a) Christus ipse, qui e lapide, quo percussa est statua, factus est mons magnus: aut potius mons est Ecclesia, uti ex iis quæ sequuntur, colligitur. Mons ille sic visibilis est, ut non modo ab iis qui in eum pervenerant, sed etiam ab infidelibus dignoscatur; vel montes sunt Apostoli, qui Ecclesiam fundarunt.

3. (b) Quod impletum fuit in die Pentecostes: *Sed & in Jerusalem primum fundata Ecclesia, quæ totius orbis Ecclesias seminavit.* Hieron.

4. (c) Loquitur de spirituali pace, ex Hieronymo, quando omnis duritia cordis nostri Christi vomere frangitur. *Prælium.* Hieron. *Orto jam Domino Salvatore, tunc omnia bella cessaverunt.*

5. (d) Ad populum suum Propheta convertitur, & hortatur eum, ut qui in tenebris versantur erroris, lumen suscipiant veritatis. Cumque hæc locutus fuisset ad populum Judæorum, cernens impœnitens cor eorum, per apostropham Dominum alloquitur: ita Hieronym.

6. (e) Ut populi qui in ea regione habitabant, repleti sunt superstitionibus, *& pueris alienis adhæserunt*, doctrina & instituta alienigenarum iis placuerunt, propterea ii tradentur in servitutem.

7. (f) Luxus ex divitiis; ex luxu, Legis contemptus ortus est.

9. (g) Ut idola adoraret. *Ne ergo dimittas*, id prophetice dicitur. LXX. Non dimittam eis.

10. (h) Hebr. In pulverem. *Abscondere in fossa*, in humo; in fossis latita. Imperativus pro futuro.

11. (i) Cum Jerosolymis solvetur obsidio ab Assyriis facta juxta aliquos interpretes: alii de die judicii hæc intelligunt. Humilitate nostra iram Dei effugimus.

12. (k) Dies judicii, aut captivitatis, aut juxta alios, dies, in quo hostes populi Israelitici debellabit Deus.

13. (l) Syros forte, ut in sequentibus, vicinos principes cum Israelitarum, tum etiam Tyriorum, per quercus Basan & naves Tharsis designat.

22. (m) Hieron. exponit hunc locum de Christo, qui licet fuerit homo mortalis, excelsus tamen erat super omnes principes, isque est scelerum vindex. Quare definite illum vexare. *Cujus spiritus in naribus ejus*, indignatio & vindicta in hostes suos. Hieron. miratur, LXX. Interpretes hanc Prophetiam de Christo omisisse, & in Græcum noluisse vertere. Alii per interrogationem vertunt posteriorem versiculi partem: *In quo enim reputatus est ipse?* & is sensus est Desinite timere hominem mortalem, sed timete Deum omnipotentem. Grotius ita exponit ad litteram: *Quiescite ergo ab homine*; Nolite fiduciam ponere in ullo hominum genere: *Cujus spiritus in naribus ejus est*; Cujus vita pendet ab aere, quo intercluso peribit: *Quia excelsus reputatus est ipse*: in Græco. *Quantilli enim faciendus est ille?* Prior & sublimior, & verior sensus, ex iis quæ sequuntur fit illustrior.

CAP. III.

1. (a) Quæ Judæis imminerent mala, prædicit, & forte excidium Judæorum ob Christum occisum. *Omne robur panis*: Fames ingens sub Tito, aut juxta alios ea describit tempora, de quibus lib. 4. Regum, cap. 24. & 25.

2. (b) Seu conjectorem, quique res occultas investigat: hæc vox in bonam & in malam partem accipitur, nunc pro homine sagaci usurpatur.

3. (c) Efficacem in persuadendo. Theodotio vertit prudentem incantatorem. Hieron. *Videtur mihi esse eruditus, & exercitatus tam in Lege & Prophetis, quam in Evangelio & Apostolis. Eloquii mystici*; Eloquentis hominis.

* Eccl. 10. 16. 4. Et dabo pueros (*d*) principes eorum, * & effeminati dominabuntur eis.

5. Et irruet populus, vir ad virum, & unusquisque ad proximum suum: tumultuabitur (*e*) puer contra senem, & ignobilis contra nobilem.

6. Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui: Vestimentum tibi est, princeps esto noster, ruina (*f*) autem hæc sub manu tua.

7. Respondebit in die illa, dicens: Non sum medicus (*g*), & in domo mea non est panis, neque vestimentum: nolite constituere me principem populi.

8. Ruit enim Jerusalem, & Judas concidit: quia lingua eorum & adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.

9. Agnitio vultus (*h*) eorum respondit eis: & peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt: væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala.

10. Dicite justo quoniam bene, quoniam fructum adinventionum (*i*) suarum comedet.

11. Væ impio in malum: retributio enim manuum ejus fiet ei.

12. Populum meum exactores sui spoliaverunt: & mulieres dominatæ sunt eis. Popu-
*Ezech. 13. 7. le meus, qui te beatum dicunt, * ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant (*k*).

13. Stat ad judicandum Dominus, & stat ad judicandos populos.

14. Dominus ad judicium veniet cum senibus (*l*) populi sui, & principibus ejus: vos enim depasti estis vineam, & rapina pauperis in domo vestra.

15. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis (*m*), dicit Dominus Deus exercituum?

16. Et dixit Dominus: Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant (*n*), ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant:

17. Decalvabit (*o*) Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.

18. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas (*p*),

19. Et torques (*q*) & monilia, & armillas, & mitras,

20. Et discriminalia (*r*) & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures,

21. Et annulos, & gemmas in fronte pendentes,

22. Et mutatoria (*s*), & palliola, & linteamina, & acus,

23. Et specula, & sindones, & vittas, & theristra (*t*).

24. Et erit pro suavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium.

25. Pulcherrimi (*u*) quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio.

26. Et mœrebunt atque lugebunt (*x*) portæ ejus, & desolata in terra sedebit.

CAPUT IV.

Germen Domini exaltabitur, & reliquiæ Israel ablutis earum sordibus salvæ futuræ sunt, magnaque securitate & felicitate fruentur.

1. ET apprehendent (*a*) septem mulieres virum unum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.

2. In die illa erit germen (*b*) Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his, qui salvati fuerint de Israel.

3. Et erit: Omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita (*c*) in Jerusalem.

4. Si abluerit (*d*) Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicii, & spiritu ardoris.

5. Et

4. (*d*) Stultitia & moribus; *Et effeminati dominabuntur eis*: Hebr. Parvuli, Reges nullius consilii. Alii legunt *feminæ*; alii *illusores*: statum ruinæ proximum describit.

5. (*e*) Hæc est dissoluti imperii, & anarchiæ descriptio.

6. (*f*) Rempublicam, quæ exitio suo proxima est, sustenta; Miseria nostra & calamitas tuo sustentetur & protegatur auxilio. *Ruina*, Suppone manum cadenti regno.

7. (*g*) Hebr. *Alligans*, scilicet vulnera: Non is sum qui laboranti reipublicæ mederi possim, non habeo unde populi necessitatibus providеam.

9. (*h*) In fronte eorum fastus & libido se produnt. *Prædicaverunt*, perfricta fronte; Sua recepere peccata; *Væ illis, quia mala sua receperunt*. Hieron.

10. (*i*) Consiliorum, operum: ipsi narrationi eorum, quæ obvenient malis, tribuent bonorum felicitatem. Quantumvis insaniant impii, bonis sua manet merces.

12. (*k*) Te a recta via deducunt, eamque corrumpunt, dum metum omnem pœnæ imminentis adimunt. Hieron. *Ille est ergo doctor ecclesiasticus, qui lacrymas, non risum movet.*

14. (*l*) Contra senes: Hieron. *Inter senes autem & principes hoc fuisse reor in veteri populo, quod nunc est inter Presbyteros & Episcopos.*

15. (*m*) Commolitis. LXX *Confunditis*, Colaphis cæditis.

16. (*n*) Mollis & fracto incessu, vel repudiatione ipsa. Hæc secunda est Judæorum ruinæ caussa, virginum luxus & vanitas.

17. (*o*) Quod in servis fieri solebat.

18. (*p*) Monilia corniculata, de collo pendentia.

19. (*q*) Ex unionibus compositas.

20. (*r*) Fasciæ, quibus capillos in cirros discriminant, & attollunt. *Periscelidas*; Crurum ornamenta; *Murenulas*; Aureas catenulas flexuoso ordine; *Et olfactoriola*. Pyxides odoriferas.

22. (*s*) Vestes pretiosiores, quibus ad pompam induebantur; vel alternis vestes: *Et acus*: vox Hebræa crumenas significat, quæ e sinu pendebant. Vertit Symmachus [illegible]: *Ornamenta sunt extimam mulierum, quibus humeri & pectora proteguntur*. Hieron.

23. (*t*) Palliola, quibus æstate utebantur; vel ex Græco, Strabulas æstivas; unum & viginti enumerat ornamenta vestitus & mundi muliebris: nec propterea reprehendit filias Jerusalem, quod iis uterentur, cum sanctæ mulieres Rebecca, Judith, Esther, iis usæ fuerint: sed quia ad fastum & lasciviam iis abutebantur.

25. (*u*) Hebr. *Adstio pro pulcritudine*. LXX. *Filius tuus pulcherrimus gladio cadet*.

26. (*x*) Quod sint desertæ.

1. (*a*) Tanta futura est virorum cædes in excidio Jerosolymæ sub Nabuchodonosor, aut postea per Romanos, ut multæ mulieres vix unum virum cui nubant, invenire possint, *invocetur nomen tuum super nos*; Ut dicamur tuæ uxores, & nomine tuo appellemur. CAP. IV.

2. (*b*) Christus scilicet, qui per Apostolos tot Ecclesias propagabit, *germen Domini* & fructus terræ appellatur, quod sit Filius Dei & Virginis. Lætis tristia miscentur.

3. (*c*) Qui perseveraverit.

4. (*d*) Cum abluerit: *Sordes*: aqua sordes carnis abluit: *Spiritu ardoris*, igne amoris cor ipsum mundatur. Hieron. *Quod enim leve est, lavatur; quod gravius, exuritur*: unde legit: *In Spiritu combustionis*.

5. Et creabit (*e*) Dominus super omnem locum Montis Sion, & ubi invocatus est, nubem per diem, & fumum & splendorem ignis flammantis in nocte: super omnem enim gloriam protectio.

6. Et tabernaculum (*f*) erit in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem a turbine, & a pluvia.

CAPUT V.

Sub figura vineæ sterilis in direptionem traditæ, prædicat judicium & desertionem Judæorum, ipsorumque peccata describuntur, avaritia in conjungendis possessionibus, ebrietas & contemptus scientiæ Dei; felicitas justorum & væ diversis peccatorum generibus denuntiatur.

1. CAntabo (*a*) dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ. Vinea facta est dilecto * meo in cornu filio olei.

* Jer. 2. 21. Matth. 21. 33.

2. Et sepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit eam electam, & ædificavit turrim in medio ejus, & torcular extruxit in ea: & expectavit ut faceret uvas, & fecit labruscas.

3. Nunc ergo habitatores Jerusalem, & viri Juda, judicate inter me & vineam meam.

4. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectavi (*b*) ut faceret uvas, & fecit labruscas?

5. Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem.

6. Et ponam eam desertam: non putabitur, & non fodietur: & ascendent vepres & spinæ: & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.

7. Vinea enim Domini exercituum, domus Israel est: & vir Juda, germen ejus delectabile: & expectavi ut faceret judicium, & ecce iniquitas: & justitiam, & ecce clamor.

8. Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci (*c*): numquid habitabitis vos soli in medio terræ?

9. In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum. Nisi domus multæ desertæ fuerint, grandes & pulcræ absque habitatore.

10. Decem enim jugera vinearum facient lagunculam (*d*) unam, & triginta modii sementis facient modios tres.

11. Væ quia consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis.

12. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris: & opus Domini non respicitis (*e*), nec opera manuum ejus consideratis. * *Amos 6.6.*

13. Propterea captivus ductus est populus meus, qui non habuit scientiam (*f*), & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus siti exaruit.

14. Propterea dilatavit infernus animam (*g*) suam, & aperuit os suum absque ullo termino: & descendent fortes ejus, & populus ejus, & sublimes, gloriosique ejus ad eum.

15. Et incurvabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi sublimium deprimentur.

16. Et exaltabitur Dominus exercituum in judicio, & Deus sanctus sanctificabitur in justitia.

17. Et pascentur agni juxta ordinem (*h*) suum, & deserta in ubertatem versa advenæ comedent.

18. Væ qui trahitis iniquitatem (*i*) in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.

19. Qui dicitis (*k*): Festinet, & cito veniat opus ejus, ut videamus: & appropiet, & veniat consilium sancti Israel, & sciemus illud.

20. Væ qui dicitis malum (*l*) bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

21. * Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. * Prov. 3. 7. Rom. 12. 16.

22. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.

23. Qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo.

24. Propter hoc, sicut devorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: sic radix eorum quasi favilla erit, & germen eorum ut pulvis ascendet. Abjecerunt (*m*) enim legem Domini exercituum, & eloquium sancti Israel blasphemaverunt.

25. Ideo

5. (*e*) LXX. Et veniet. *Nubem per diem*: Cum Ecclesia idem efficiet, quod olim cum Hebræis. *Protectio*: Supra omnes Sanctos erit protectio divina multo efficacior, quam obumbratio exercitus Israelitici, aut tabernaculi, quæ erant umbræ futurorum. *Abscondit me*, Psalm 26. Ab æstu libidinum, & ab hujus mundi procellis nos tuebitur.

6. (*f*) Ecclesia.

CAP. V. 1. (*a*) Hoc carmen lugubre est, quo populi Judaici, quem vineæ similitudine designat, ingratum animum deflet. *Vineæ suæ*, in dativo casu ex Hebr. & Græc. Christum dilectum suum, & patruelem, seu consanguineum appellat, quod ex eadem stirpe regia uterque & Christus & Isaias esset oriundus. Christus eadem utitur parabola, & idem carmen vineæ suæ, Matth. 23. Luc. 20 commemorat. *In cornu*, in loco sublimi: *Filio olei*, Pagninus vertit post LXX. In colle pingui & fertili: cornu etiam pro robore usurpari solet. *Filio olei*; In colle olivis conserto. Canticum patruelis, Hebr. dilecti.

4. (*b*) Hebr. An quod expectaverim?

8 (*c*) Quousque deficit locus.

10 (*d*) Hebr. *Bath*, mensura liquidorum exigua.

12. (*e*) Non consideratis mala, quæ vobis imminent, & pauperes deseritis.

13. (*f*) Hanc Deus requirit etiam in populo, ut de Deo & Religione ea sentiat, & noverit quæ ad bene vivendum sunt necessaria: *Exaruit*, præ siti.

14. (*g*) Ob turbam morientium, quæ est personæ fictio. *Infernus*, Sepulcrum.

17 (*h*) Hebr. *Juxta caulas suas*; de Christianis id commode intelligitur. Hieronymus LXX. Interpretes arguit, qui transtulerunt, *Pascentur direpti quasi tauri*: pro agnis tauros posuerunt; cum textus Hebræus apertus sit. Agni etiam pauperes intelligi possunt antea oppressi.

18. (*i*) Qui longam iniquitatis seriem & pœnarum ob res vanissimas trahitis.

19. (*k*) Prophetæ: *Festinet*; Deus faciat quæ minatur: Et *veniat consilium sancti Israel*, Dei: *Et sciemus illud*: Videre illud cupimus: ut sciamus an verum sit.

20. (*l*) Qui honesti & inhonesti limites & nomina confunditis. Vertit Aquila juxta Hieronym. Væ qui dicunt malo, bonus es; & bono, malus: difficile hoc malefici. quis carere potest, cum & malis frequenter adulemur propter potentiam, & bonos despiciamus propter inopiam. Hieron.

24 (*m*) Hunc Locum Hieron. de calamitate illata Judæis a Romanis sub Tito interpretatur; *Eloquium Sancti Israel*, Evangelium.

25. Ideo iratus est furor Domini in populum suum, & extendit (*n*) manum suam super eum, & percussit eum: & conturbati sunt montes, & facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum. In his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.

26. Et elevabit signum (*o*) in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ: & ecce festinus velociter veniet.

27. Non est deficiens (*p*), neque laborans in eo: non dormitabit, neque dormiet, neque solvetur cingulum renum ejus, nec rumpetur corrigia calceamenti ejus.

28. Sagittæ ejus acutæ, & omnes arcus ejus extenti. Ungulæ equorum ejus ut silex, & rotæ ejus quasi impetus tempestatis.

29. Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum: & frendet, & tenebit prædam: & amplexabitur, & non erit qui eruat.

30. Et sonabit super eum in die illa sicut sonitus maris: aspiciemus in terram, & ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata est in caligine ejus.

CAPUT VI.

Isaias visa Domini majestate condemnat se quod tacuerit, sed mundatis labiis suis offert se ad prædicandum; prædicitur excæcandus populus usque ad desolationem civitatum Judæ, & ejus quæ derelicta erat futura consolatio.

1. IN anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi (*a*) Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum: & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum.

2. Seraphim stabant super (*b*) illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.

3. Et clamabant (*c*) alter ad alterum, & dicebant *: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Domi- * Apoc. 4. 8.
nus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.

4. Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, & domus repleta est fumo.

5. Et dixi: Væ mihi, quia tacui (*d*), quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & regem Dominum exercituum vidi oculis meis.

6. Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus (*e*), quem forcipe tulerat de altari.

7. Et tetigit os meum, * & dixit: Ecce * Jer. 1. 9.
tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.

8. Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis (*f*)? Et dixi: Ecce ego, mitte me.

9. Et dixit: Vade, & dices populo huic: * *Matth. 13.
Audite audientes (*g*), & nolite intelligere: 14. Marc. 4. 12.
& videte visionem, & nolite cognoscere. Luc 8. 10.

10. Excæca cor populi hujus, & aures ejus Joann. 12.
aggrava (*h*): & oculos ejus claude: ne forte 40. Act. 28. 26.
videat oculis suis, & auribus suis audiat, & Rom. 11. 8.
corde suo intelligat: & convertatur, & sanem eum.

11. Et dixi: Usquequo (*i*) Domine? Et dixit: Donec desolentur civitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra relinquetur deserta.

12. Et longe faciet Dominus homines (*k*), & multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ.

13. Et adhuc in ea decimatio (*l*), & convertetur, & erit in ostensionem sicut terebinthus, & sicut quercus, quæ expandit ramos suos: semen sanctum erit id, quod steterit in ea.

CA-

25. (*n*) Quod ultio divina omni tempore sit permansura. *Morticina eorum*: tum enim teste Josepho plateæ & fossæ cadaveribus repletæ sunt.

26. (*o*) Vexillum eriget, & coget milites contra Judæos: signo vel minimo eos convocabit, seu de Babyloniis, seu de Romanis interpretemur.

27. (*p*) In exercitu hostium; vel potius Nabuchodonosor, aut Titus non fatiscet, paratus semper ad iter.

CAP. VI. 1. (*a*) Tribunal Deo erectum in templo, ut in Dei regia. Erunt. Hebr. *Fimbriæ ejus*, seu oræ vestium; *Replebant templum*, Hebr. *Sanctum*: eam templi partem, quæ dicitur Sanctum: non Sanctum sanctorum; sub specie Judicis Deus videtur.

2. (*b*) Juxta illud. *Faciem ejus*: Vatablus, *Suam*, ut coram majestate divina omnino se absconderent: *Duabus volabant*, parati ad exequenda jussa divina: summa celeritate Angelorum ministeria fiunt. Hieron. *Faciem enim & pedes ejus operiunt, quia & præterita ante mundum, & futura post mundum scire non possumus: sed media tantum, quæ in sex diebus facta sunt, contemplamur.*

3. (*c*) Divino hoc cantico Sanctissima Trinitas in unitate naturæ exprimitur, ex Sanctorum Patrum unanimi consensu.

5. (*d*) Quod populum libere non arguerim; quod cum sim Propheta, non functus fuerim officio meo. *Pollutus*, Non ausus sum celebrare laudes Domini cum Seraphinis. *Medio*: quam periculosum sit cum peccatoribus vitam agere, hinc licet colligere. Hieron. *Et propterea labia habebat immunda, quia cum peccatore populo versabatur.*

6. (*e*) Pruna; qui propius ad Deum accedunt, defectus suos acrius vident.

8. (*f*) Iterum designat Trinitatem. *Ecce*; sed antea mundatus fuerat ab Angelo, & ablata erat ejus iniquitas. LXX. *Quis ibit ad populum istum?* Potest quis cum modestia ad munus pastorale se offerre, modo ante purgatus sit divina gratia ab omni pravo affectu; non ut ditescat, aut præsit, sed ut prosit. Hinc Bern. Epist. 42. *Aliud est ambire dignitatem humano affectu, aliud ardore & desiderio bene merendi de plurimis.* Sic Gregor. de Cura Pastorali: *Laudo quod quæritis, sed prius discite quid quæratis.*

9. (*g*) Ex Hebr. *Audite*, sed non intelligetis, ut videtur Grotio: alii aliter textum Hebraicum exponunt. Imperativum pro futuro usurpato more Prophetico, ut in sequenti versiculo.

10. (*h*) Illi in Scripturis peculiari quadam ratione excæcari, aut obdurari dicuntur, qui proposito sibi divinitus insigni aliquo lumine, aut præsidio salutis, occasione tanti boni fiunt pejores. Itaque effectum prædicationis tuæ in animis Judæorum futurum prædicit, non facit. *Ne forte videat*: hæc & alia Prophetice per futurum tempus sunt exponenda. Matth. 13. *Auditu audietis*, &c. Ex versione LXX. hæc ad verbum desumpta sunt. Textum Hebraicum dubiorem & corruptum multi existimant. *Audite audiendo, & ne intelligatis; videte videndo, & ne cognoscatis*: quod cum bonitate Dei vix conciliari posset, adeo ut versio LXX. quæ Christi temporibus erat usitata, textui Hebraico, qualem nunc habemus, videatur hoc in loco anteponenda: Dic ibi ut excæcentur.

11. (*i*) Insceris? Hieron. *Quærit sollicitus de populo suo: Usquequo Domine hæc sententia permanebit; ut audiens non audiat, videns non videat? Cui respondit Dominus: Tamdiu non audiet, & non videbit, & excæcatum cor habebit, donec civitates Judææ Vespasiano Titoque pugnantibus subvertantur.*

12. (*k*) Eos procul ablegabo: *Et multiplicabitur quæ derelicta fuerat*: Donec intraverit plenitudo gentium, multiplicabitur; sed sub Adriano iterum imminuetur.

13. (*l*) Quod sæpe evenit, idque in primis sub Tito & Adriano; ita ut novem partibus absumptis, vix una remanserit. *Ostensionem*, In direptum: LXX. *In deprædationem*. *Ramos*, demortuos: *Semen*, Sancti Apostoli & primi Christiani. Grotius de vastatione regionis ab exercitu Sennacherib, v. 12. & 13. interpretatur: nam hæc verba, *Et multiplicabitur quæ derelicta fuerat*, ex Hebræo vertit, *Et augebitur vastitas in hac terra*, magis magisque increscet. *Et adhuc in ea decimatio*; Hebr. *decima*; Pars ferme decima, ubi nempe Jerosolyma, immunis erit ab ea vastatione. Quamquam de captivitate Babylonica hæc commode intelligi possunt post 10. Regum sibi succedentium tempora.

CAPUT VII.

Obsessa a Syris & ab Israel Jerusalem, Isaias prophetat fore ut vincantur, datque impio Achaz signum liberationis, Virginem parituram filium, cujus nomen Emmanuel.

4 Reg. 16. 5. 1. ET factum est in diebus Achaz (*a*) filii Joathan, filii Oziæ regis Juda, ascendit Rasin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Israel, in Jerusalem, ad præliandum contra eam: & non potuerunt debellare eam.

2. Et nunciaverunt domui David, dicentes: Requievit (*b*) Syria super Ephraim, & commotum est cor ejus, & cor populi ejus, sicut moventur ligna silvarum a facie venti.

3. Et dixit Dominus ad Isaiam: Egredere in occursum Achaz tu, & qui derelictus est Jasub (*c*) filius tuus, ad extremum aquæductus piscinæ superioris in via Agri fullonis.

4. Et dices ad eum: Vide ut sileas (*d*): noli timere, & cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium istorum in ira furoris Rasin regis Syriæ, & filii Romeliæ:

5. Eo quod consilium inierit contra te Syria in malum Ephraim, & filius Romeliæ, dicentes:

6. Ascendamus ad Judam, & suscitemus (*e*) eum, & avellamus eum ad nos, & ponamus regem in medio ejus filium Tabeel.

7. Hæc dicit Dominus Deus: Non stabit, & non erit istud:

8. Sed caput (*f*) Syriæ Damascus, & caput Damasci Rasin: & adhuc sexaginta & quinque anni, & desinet Ephraim esse populus:

9. Et caput Ephraim Samaria, & caput Samariæ filius Romeliæ. Si non credideritis, non permanebitis (*g*).

10. Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens:

11. Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.

12. Et dicit Achaz: Non petam, & non tentabo (*h*) Dominum.

13. Et dixit: Audite ergo domus David: Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?

14. Propter hoc dabit Dominus ipse vobis
signum. * Ecce Virgo (*i*) concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. * Matth. 1. 23. Luc. 1. 31.

15. Butyrum & mel comedet (*k*), ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.

16 Quia (*l*) antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum suorum.

17. Adducet (*m*) Dominus super te, & super populum tuum, & super domum patris tui, dies qui non venerunt a diebus separationis Ephraim a Juda cum rege Assyriorum:

18. Et erit in die illa: Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ est in terra Assur,

19. Et venient, & requiescent (*n*) omnes in torrentibus vallium, & in cavernis petrarum, & in omnibus fructetis, & in universis foraminibus.

20. In die illa radet (*o*) Dominus in novacula conducta, in his qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput & pilos pedum, & barbam universam.

21. Et

CAP. VII. 1 (*a*) Vide 2. Paralip. 28. Propheta non hic loquitur de priore Judaici populi a Regibus Syriæ & Israelis, sed de posteriore oppugnatione, quando junctis copiis obsederunt Jerusalem; *Et non potuerunt debellare eam*: hæc per prolepsim dicta sunt.

2. (*b*) Conspiravit, Syria cum decem tribubus juncta.

3. (*c*) Voce Prophetica sic dictus: Reliquiæ revertentur: jubet Isaias filium adducere, ut ex nominis fausto omine Achaz in spem erigatur. *In via Agri fullonis*, Prope eam partem ubi fullones habitant, quia ad opificium suum aquis multis indigebant.

4. (*d*) Ut securo sis animo; *Fumigantium*, ira & superbia. Caudas vocat extrema titionum ignita, eo quod in illis finitum sit regnum Syriæ, seu Damasci, & regnum Samariæ. Hieron.

6. (*e*) Bello lacessamus: *Avellamus eum*, Hebr. *Abscindamus eum*.

8. (*f*) Erit caput Syriæ, non Judæ, vel non stabit eorum consilium, non latius imperabit Rex Syriæ quam nunc imperat, vel potius Damascus desinet esse caput Syriæ, & corruet uti Samaria. Impleta est hæc Prophetia 4. Regum 16. 17. & 18. Anni 65 numerantur a Prophetia Amos, anno 26. Oziæ, quam Isaias repetit. Existimat Grotius errorem irrepsisse in textum Hebræum. Nam ab hoc tempore ad deportationem decem tribuum sub Salmanasar sunt anni sex & quinque, seu undecim, ex quibus duo pertinent ad ultima tempora Phaceæ Regis, novem ad tempora Osee itidem Regis decem Tribuum. Hieronymus paulo aliter init hunc calculum: *Duodecimo anno Achaz Filii Joathan in tribu Juda regnavit Osee super Samariam. & nono anno imperii sui captus est. Regnavit autem Achaz super Judam annis sexdecim, post cujus mortem septimo anno imperii sui obsessus, & nono captus est Osee.* Itaque Hebræi a Prophetia Amos facta anno 26. Oziæ hunc numerum annorum 65. computant. Sub Assarhaddon hæc impleta est Prophetia. *Damascus*; Cyrillus supplendum existimat, deficiet; Samaria deficiet, ac demum domus Juda deficiet; nisi credideritis vos a me posse liberari.

9. (*g*) In veritate, aut in regno. LXX. *Non intelligetis*. Grotius sic vertit: an ideo non creditis, *quia non confirmamini*, signo aliquo?

12. (*h*) Responsum sophisticum, cum jubente Domino, & justa ex caussa, ut petat signum insolitum Propheta ab eo postulat; Deo diffisus ambibat opem Regis Assyriorum.

14 (*i*) Hoc loco movent Christianis litem Judæi, quod vox Hebræa, *Alma*, adolescentulam, non virginem significet. Sed eos retundit Hieronymus scribens in hunc locum. Quando dicitur, *Dabit Dominus vobis ipse signum*, novum debet esse atque mirabile. Sin autem juvencula, vel puella, ut Judæi volunt, & non virgo pariat, quale signum poterit appellari? Addit vocem hanc, *Alma*, non solum puellam, vel Virginem, sed cum epitasi Virginem absconditam, quæ parentum diligentia sit custodita, significare. Hoc tamquam omnium miraculorum maximum promittit Deus iratus Isaiæ principi, ut insinuet se missurum Filium, eumque salvaturum homines licet indignos, ex pura sua misericordia. Aquila primus hunc locum male vertit per adolescentulam: & loco futuri temporis, *concipiet*, ut habent LXX. & Matth. vertit, *concipit & parit*, ut faveat Judæis, qui hoc vaticinium de matre Ezechiæ perperam interpretantur. Alii de filio Isaiæ interpretantur, quem genuit ex Prophetissa, cujus nomen reditum Judæorum futurum prophetice designat, & secum eum duxit Isaias ut protectionis divinæ argumentum. Sed is ad summum figura est Christi, qui ex B. Virgine nasciturus erat. Incredulo Regi non datur signum præsens, sed futurum, ut Mosi, Exod. 3. vers. 12. Hæc dicit Isaias anno 4. Achaz, cum Ezechias jam natus esset 9. annos. Itaque parvulus ille non est Ezechias, nedum Jasub, qui jam natus erat.

15. (*k*) Ut alii parvuli: sed divino lumine bonum a malo secernet, quod alii infantes non præstant. *Ut sciat*: Ita ut sciat.

16. (*l*) Hebr. Sane antequam nascatur: *Derelinquetur terra*, duo regum tibi adversantium regna destruentur: *a facie duorum Regum*, terra, quam detestatis propter duos Reges tibi infestos.

17. (*m*) Dies ultionis, quales non venerunt, per Regem Assyriorum: tum quasi muscarum nubes copiæ hostiles irruent. Reliqua ad litteram exponit Hieronymus de iis, quæ evenerunt post excidium Jerosolymæ: per muscas Ægyptios, per apes Assyrios, qui sagittis utebantur, designat. Isaias redit ad Achaz: Nec tu immunis eris a gravi clade; celeritatem advenientium notat.

19. (*n*) Castra ponent in *torrentibus vallium*: Hebr. *In vallibus agri*, ut solent *muscæ*, *& in cavernis petrarum*, ut solent apes, aut vespæ.

20 (*o*) In tanta vastitate vix homo dives vaccam unam habebit, & duas oves, quæ in tanta solitudine sufficient.

21. Et erit in die illa: Nutriet homo vaccam boum, & duas oves,

22. Et præ ubertate lactis comedet butyrum: butyrum enim & mel manducabit omnis qui relictus fuerit in medio terræ.

23. Et erit in die illa: Omnis locus (p) ubi fuerint mille vites, mille argenteis, in spinas & in vepres erunt.

24. Cum sagittis & arcu ingredientur (q) illuc: vepres enim & spinæ erunt in universa terra.

25. Et omnes montes, qui in sarculo sarrientur (r), non veniet illuc terror spinarum & veprium, & erit in pascua bovis, & in conculcatione pecoris.

CAPUT VIII.

Jubetur Isaias in libro scribere nomen pueri nascituri: prædicit regna Israel & Syriæ destruenda; Judæque afflictionem, & futuram a Deo liberationem: jubet ligari testimonium, & legem signari, subjiciens quæ immineant mala recedentibus a lege.

1. ET dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, & scribe (a) in eo stylo hominis: Velociter spolia detrahe, cito prædare.

2. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ:

3. Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere: Festina prædari.

4. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, coram rege Assyriorum.

5. Et adjecit Dominus loqui ad me adhuc, dicens:

6. Pro eo quod abjecit populus iste aquas (b) Siloe, quæ vadunt cum silentio, & assumpsit magis Rasin, & filium Romeliæ:

7. Propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, regem Assyriorum, & omnem gloriam ejus: & ascendet super omnes rivos ejus, & fluet super universas ripas ejus,

8. Et ibit per Judam, inundans, & transiens usque ad collum veniet. Et erit extensio alarum (c) ejus, implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel.

9. Congregamini (d) populi, & vincimini, & audite universæ procul terræ: confortamini, & vincimini, accingite vos & vincimini:

10. Inite consilium, & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet: quia nobiscum (e) Deus.

11. Hæc enim ait Dominus ad me: Sicut in manu forti erudivit (f) me, ne irem in via populi hujus, dicens:

12. Non dicatis, conjuratio (g): omnia enim quæ loquitur populus iste, conjuratio est: & timorem ejus ne timeatis, neque paveatis.

13. Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pavor vester, & ipse terror vester.

14. Et erit vobis in sanctificationem (h). * In * Luc. 2. 34.
lapidem autem offensionis, & in petram scan- Rom.9. 33.
dali, duabus domibus Israel; in laqueum & 1.Petr.2. 8.
in ruinam habitantibus Jerusalem.

15. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.

16. Liga testimonium (i), signa legem in discipulis meis.

17. Et expectabo (k) Dominum, qui abscondit faciem suam a domo Jacob, & præstolabor eum.

18. Ecce ego & pueri (l) mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israel a Domino exercituum, qui habitat in monte Sion.

19. Et

23. (p) Tam vilia erunt vineta, ut una vinea ematur uno siclo: *In spinas & vepres erunt*, ob penuriam colentium.

24. (q) Metu ferarum.

25. (r) Quæ sarculo purgari solebant, cum loca essent fertilissima; sepibus non munientur, sed ibi boves passim vagabuntur, ut in locis incultis.

CAP.VIII. 1. 2. 3. & 4 (a) Majusculis litteris; *Stylo hominis*, charactere usitato: *Detrahe*, Dat nomen filii, quem daturus erat Isaiæ, quod longum erat, vult describi: Hebr. *Festina ad spolia*, Accelera ad prædam: quo quidem nomine significat, se adducturum Regem Assyriorum. *Accelera*; in textu Hebræo sunt propria nomina, quorum sensum expressit Interpres: *Auferetur*, opes Syriæ, & spolia decem Tribuum. Magnis litteris nomen illud conscribitur, quod vertitur, ut interpretatur, ut ab omnibus legi possit. Unde & adhibet duos testes nominis ita expositi, aut matrimonii, quod initurus erat. Uxor ejus concepit, & peperit filium, cui nomen prædictum imposuit. *Fortitudo*, occiso Rege ejus Rasin; *Et spolia Samariæ*, Phacea Rege Israelitico & parte populi translatis Niniven. Quæ strages contigit anno 4. Regis Achaz per Teglathphalasar Regem Assyriæ, ex 4. Reg. 15. Hæc forte per visionem Isaiæ obversabantur, eaque de Christo allegorice & principali sensu intelligi debent, qui forte armatum spoliavit, & antequam vocaret patrem & matrem, vicit dæmones.

6. (b) Fons est, qui ex radice montis Sion, ubi erat domus David, leniter fluens in piscinam Siloe delabitur. Cum duæ tribus defectionem a Rege suo moliebantur, Propheta prædicit, fore ut Rex Assyriorum eos sibi subjiciat, quos magni fluvii, seu Euphratis inundatione exprimit. Per aquas Siloe lente fluentes domum Davidis humanis viribus tenuem, sed Dei præsidio fretam intelligit, ut aquæ fluminis, seu Euphratis, Regem Assyriorum designant. *Assumpsit*, Regis Syriæ præsidium [illegible]

8. (c) Regis Assyriorum super terram Israel & Juda copias suas expandentis. *Terræ*, id est Judææ, in qua tu Christe nasceris, & regnabis. *Veniet*. Sennacherib urbes Jerosolymæ vicinas capiet; quæ est caput regni. Hieron. *Et fit apostrophe ad Emmanuel, hoc est ad præsentem Deum, quod in tantum se erexerit Assyrius, ut etiam terram ipsius Judam conatus sit possidere.*

9. (d) Tyrannos ipsos, qui Judæam vastaturi erant, exscindendos mox prædicit; vel congregamini Syriæ & Ephraim populi, & vincemini.

10. (e) Vim nominis puero dati explicat: Deus adjutor noster.

11. (f) Cum in manu forti me erudisset, hæc mihi dixit.

12. (g) Ne dicatis, conjuremus cum hostibus: ne igitur fiat conjuratio, populum admonet, neve hostium terrore percellatur; sed Deum unum sanctificet & colat per timorem sanctum.

14. (h) Vatablus. *In sanctuarium*, asyli loco: *Lapidem*; hunc lapidem esse Christum ipsum declarat Petrus Apostolus Epist. 1. cap. 2. Quod Christi paupertas atque humilitas eos offenderit: *Duabus domibus Israel*, nempe decem tribuum, & duarum tribuum. Si pietatem sequimini, Deus erit vobis in salutem; si impii esse vultis, erit in ruinam, & in lapidem offensionis duabus domibus Judæ, & Samariæ.

17. (i) Claude hoc testimonium, quod tibi tradidi, o Isaia; cum videam illud contemni a populo Judaico, *Discipulis*; his præfatis, aliis occultes: credent postea sub Emmanuele. Vox Hebræa non ubique legem, sed etiam doctrinam significat.

16. (k) Jam loquitur Isaias, qui spem omnem non abjicit: copula, *&* loco, *tamen*, hic ponitur.

18. (l) Filii mei, qui nomine suo idem portendunt, quod volumen hoc continet, ipsi loquentur. Quæ omnia per allegoriam Christo & Apostolis apprime conveniunt: quæ enim doctrina ab iis est prædicata, Judæis visa est tamquam prodigium. Hieronymus puerorum nomine alios Prophetas intelligit: *Unde, inquit, miror quemdam nostrorum pueros istos duos Isaiæ filios intelligere, quos de Prophetissa genuit.*

19. Et cum dixerint (*m*) ad vos: Quærite a pythonibus, & a divinis, qui strident in incantationibus suis: Numquid non populus a Deo suo requiret, pro vivis a mortuis?

20. Ad legem magis, & ad testimonium. Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina (*n*) lux.

21. Et transibit (*o*) per eam, corruet, & esuriet: & cum esuriet, irascetur, & maledicet regi suo, & Deo suo, & suspiciet sursum.

22. Et ad terram intuebitur (*p*), & ecce tribulatio & tenebræ, dissolutio & angustia, & caligo persequens, & non poterit avolare de angustia sua.

CAPUT IX.

Vaticinium de Christi nativitate, ipsiusque augendo imperio; de liberatione Juda a regibus Israel & Syriæ: quorum regnorum, & præsertim regni Israel ad Deum redire nolentis, gravissimas cædes intestinaque dissidia prædicit.

*Matth. 4. 15. 1. PRimo tempore alleviata * est terra Zabulon (*a*), & terra Nephthali: & novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ Gentium.

2. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

3. Multiplicasti gentem (*b*), non magnificasti lætitiam. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia.

4. Jugum (*c*) enim oneris ejus, & virgam humeri ejus, & sceptrum exactoris ejus superasti, * sicut in die Madian. *Jud. 7. 22.

5. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mistum sanguine (*d*), erit in combustionem, & cibus ignis.

6. PARVULUS (*e*) enim NATUS est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.

7. Multiplicabitur ejus imperium (*f*) & pacis non erit finis: super solium David, & super regnum ejus sedebit: ut confirmet illud, & corroboret in judicio & justitia, amodo & usque in sempiternum: zelus Domini exercituum faciet hoc.

8. Verbum (*g*) misit Dominus in Jacob, & cecidit in Israel.

9. Et sciet omnis populus Ephraim, & habitantes Samariam, in superbia & magnitudine cordis dicentes:

10. Lateres ceciderunt (*h*), sed quadris lapidibus ædificabimus: sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus.

11. Et elevabit Dominus hostes * Rasin (*i*) super eum, & inimicos ejus in tumultum vertet: *4. Reg. 16. 9.

12. Syriam ab Oriente, & Philisthiim ab Occidente: & devorabunt Israel toto ore. In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta:

13. Et populus non est reversus ad percutientem se, & Dominum exercituum non inquisierunt.

14. Et disperdet (*k*) Dominus ab Israel caput & caudam, incurvantem & refrænantem die una.

15. Lon-

19. (*m*) Impii homines, cum ex me & filiis meis Dei voluntatem cognoscere possitis, non est cur ad augures confugiatis *qui strident*. Hebr. Mussitant. An mortui consulendi pro vivis? Voluntas Dei in Lege ipsius quærenda est. Qui secus agunt, *non eis erit*, &c.

20. (*n*) Christi lumine non illustrabuntur. Si vobis persuaserint defectionem, divinis innixi & pythonibus, nolite credere: nam Deus ea consumet: prosperitas lucis nomine, ut adversitas caliginis voce designatur: vel si his non consenserint.

21. (*o*) Per hanc terram; & defectiones molietur: *Sursum;* Frustra Cælum suspicient: nullum iis a Deo auxilium veniet. Textus Latinus de omni populo in singulari numero loquitur, quasi de uno homine.

22. (*p*) Nullum ab hominibus erit præsidium.

CAP. IX. 1. (*a*) Præteritum pro futuro. Hæc enim proprie ad Christum & ad Ecclesiam pertinent, ex Matth. cap. 4. Hieron. testimonium illud posuit juxta textum Hebræum: *Via maris trans Jordanem Galilææ gentium*. LXX. *Hoc primum bibe, velociter fac* &c. Hier. Quia terra Zabulon & terra Nephthali, prima Christi videre meruit miracula, ut prima haberet Fidei portionem, quæ prima viderat Dominum signa facientem. Et juxta Hebraicum textum, primo tempore relevata esse dicitur onere peccatorum: quia in iis regionibus duarum tribuum primum Salvator Evangelium prædicavit. Novissimo autem tempore aggravata est Fides eorum, plerisque Judæis in errore permanentibus. Alii duo hæc mala ab Assyriis illata designari volunt. Primum enim a Theglath-Phalassar levius afflicta est; tum prostrata sub Ezechia, a Salmanasar. *Via maris trans Jordanem*, nempe iis, qui ab Euphrate veniunt *Galilææ Gentium*, seu convenarum, quam pene vacuam indigenis fecit Salmanasar.

3. (*b*) Fidelium: sed *non multiplicasti lætitiam*, Judæorum. *Lætabuntur*, Apostoli, & discipuli Domini. Alii de exercitibus Sennacherib interpretantur ad litteram, qui ingentem exercitum paraverat, sed infelici exitu: hinc Judæi lætati sunt. LXX. *Plurimam partem populi deduxisti in lætitia tua*.

4. (*c*) Jugum Dæmonis & hujus Tyranni sceptrum confregisti; ut tempore Gedeonis, qui teste Gregorio, lib. 30. in Job, cap. 25. expressa Christi figura fuit. Vox enim tubarum, Evangelii prædicationem; vasa fracta, Martyrum corpora discerpta; lampas, fulgorem miraculorum, quibus gentes ad Christum sunt conversæ, adumbrabant. Alii eum locum interpretantur de Assyriis, & Jerosolyma, quæ depulit jugum Assyriorum, eaque ab obsidione gravissima est liberata, uti a solutione tributorum.

5. (*d*) Persecutores Fidelium justo Dei judicio igni æterno erunt pabulo. Hebr. *Omnis pugna bellantium cum strepitu & vestimentis obvolutis sanguine*. Hæc vero erit ut *pabulum ignis ad combustionem*. Aliæ clades solent parari multo sanguine; hæc vero similis erit incendio subito consumenti. Cum sublimiori sensu, non allegorico tantum, sed etiam litterali, totum hoc caput ad Christum pertinet, ut fatetur Grotius. In Christo, inquit, hæc & quæ præcedunt, habent significationem, multo tum angustiorem, ita & planiorem.

6. (*e*) Sex illi is nomina Christum manifesto, & illius dotes exprimunt. *Principatus*, crucem humeris ut principatus sui insigne portavit. Aquila vertit, *Facta est mensura in humero ejus*. *Deus fortis*; is quoque sustulit nomen, Θεὸς, ut Filio Dei divinitatem detraheret.

7. (*f*) Nullus erit ejus imperii finis. Hieron. ait LXX. majestate nominum perterritos, non ausos esse dicere, quod puer iste sit Deus appellandus, & pro his tribus nominibus posuisse, quod in Hebræo non habetur, *Magni consilii Angelus*: tametsi Eusebius lib. 7. demonstrat. Evangel. etiam in LXX. legi nomina, quæ nos legimus, uti & Chrysostom. *Multiplicabitur*. Per universum orbem diffundetur. *Confirmet*, Figura enim tum confirmatur cum impletur; justo judicio roboratur.

8. (*g*) Id omne quod prædicit Isaias, evenit in Israel, terra illorum vastata est ab Assyriis: LXX. verterant *Mortem misit*. Legerunt, *deber*, quod mortem, pro *dabar*, quod verbum significat. Jam Isaias revertitur ad id, quod cœperat, & eversionem Syriæ ac Samariæ prosequitur, ex Hieronymo.

10. (*h*) Superbiam Israelitarum retundit Propheta, quod in se confidentes ad Deum non se recipiant, *Immutabimus*, quasi dicerent Samaritani, Nullius momenti damnum perpessi sumus. Sycomorus, seu ficus Ægyptia fico similis, foliis mori, ut amplissime describitur a Plinio. Fructus edit immaturos, eosque gerit in caudice.

11. (*i*) Hostes Syriæ, nempe Assyrios: *Inimicos ejus*, inimicos Ephraim Hieron. *Ita ut contra Israel Syria ab oriente, Philisthiim, hoc est Palæstina ab occidente moveantur, & simul devorent Israelem*.

14. (*k*) Fortes & debiles; *Incurvantem & refrænantem*, quod de falsis Prophetis ipse interpretatur Hieronymus. Hebr. *Ramum & truncum*, fortem & infimum; hanc cædem variis exprimit metaphoris.

15. Longævus & honorabilis, ipse est caput: & propheta docens mendacium, ipse est cauda.

16. Et erunt, qui beatificant populum istum, seducentes: & qui beatificantur, præcipitati (*l*).

17. Propter hoc super adolescentulis ejus non lætabitur (*m*) Dominus: & pupillorum ejus, & viduarum non miserebitur: quia omnis hypocrita est & nequam, & universum os locutum est stultitiam. In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.

18. Succensa est enim quasi ignis impietas, veprem & spinam vorabit (*n*): & succendetur in densitate saltus, & convolvetur superbia fumi.

19. In ira Domini exercituum conturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis, vir fratri suo non parcet.

20. Et declinabit ad dexteram, & esuriet; & comedet ad sinistram, & non saturabitur: unusquisque carnem brachii sui vorabit (*o*): Manasses Ephraim, & Ephraim Manassen, simul ipsi contra Judam.

21. In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.

CAPUT X.

Væ condentibus leges iniquas in oppressionem pauperum & viduarum: Rex Assur virga furoris Domini: prædicit fore ut frangatur ejus superbia: consolatur Israel ne timeat ab Assur: reliquias ipsius ad Deum convertendas promittit.

1. VÆ qui condunt leges iniquas: & scribentes, injustitiam scripserunt:

2. Ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei: ut essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.

3. Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longe venientis? ad cujus confugietis auxilium? & ubi derelinquetis gloriam vestram,

4. Ne incurvemini sub vinculo (*a*), & cum interfectis cadatis? Super omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.

5. Væ Assur (*b*), virga furoris mei & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea.

6. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum.

7. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor ejus non ita existimabit: sed ad conterendum erit cor ejus, & ad internecionem gentium non paucarum.

8. Dicet enim:

9. Numquid non principes mei simul reges sunt? numquid non ut Charchamis (*c*), sic Calano: & ut Arphad, sic Emath? numquid non ut Damascus, sic Samaria?

10. Quomodo invenit manus mea regna idoli (*d*), sic & simulacra eorum de Jerusalem, & de Samaria.

11. Numquid non sicut feci Samariæ & idolis ejus, sic faciam Jerusalem & simulacris ejus?

12. Et erit: cum impleverit (*e*) Dominus cuncta opera sua in monte Sion, & in Jerusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis * Assur, & super gloriam altitudinis oculorum ejus. *4.Reg. 19. 35.

13. Dixit enim: In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi: & abstuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus sum, & detraxi quasi potens in sublimi residentes.

14. Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum: & sicut colliguntur ova, quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi (*f*): & non fuit qui moveret pennam, & aperiret os, & ganniret.

15. Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, a quo trahitur? quomodo si elevetur virga contra elevantem se, & exaltetur baculus, qui utique lignum est.

16. Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem (*g*): & subtus gloriam ejus succensa ardebit quasi combustio ignis.

17. Et erit lumen Israel in igne (*h*), & Sanctus ejus in flamma: & succendetur & devorabitur spina ejus, & vepres in die una.

18. Et gloria saltus (*i*) ejus, & Carmeli ejus, ab anima usque ad carnem consumetur, & erit terrore profugus.

19. Et reliquiæ ligni saltus ejus præ paucitate numerabuntur, & puer scribet eos.

20. Et

16. (*l*) In mortem, in exitium.

17. (*m*) Odio habebit: *Stultitiam*, Hebr. Verba sceleris plena.

18. (*n*) Quasi incendium late diffundetur, & plebem perdet, postquam doctrina in ipsis populi ducibus corrupta fuit. *Convolvetur*. Hebr. *Elevabunt se secundum elevationem fumi*: Instar fumi evanescent; vepres & saltus, plebs & proceres igne & fumo involventur. *Saltus*, lignorum

20. (*o*) Proximis suis infestus erit. Nam quos Dei capit oblivio, hi propinquos suos facile deserunt.

CAP. X. 4. (*a*) Captivitatis; aliter, *Nisi quis se incurvaverit inter vinctos, aut inter occisos se abjecerit, non evadet*.

5. (*b*) Sennacherib. Hieronym. *Et per illum percutiam gentem fallacissimam, quæ inter me semper & idola claudicavit, & contra populum furoris mei ei præcipiam ut spoliet eum, ut percutiat eum, & non interficiat: ipse autem modum iracundiæ meæ egressus est*.

9. (*c*) Quomodo cepi Charchamas, sic expugnatis Charchamis, urbe Syriæ ad Euphratem. *sic Calano*; Calanas prope Babylonem, postea Ctesiphon dicta, regia Parthorum ex Plinio, Lib. 6. 25. *Et ut Arphad*, prope Damascum: sic *Emath*, Antiochia postea dicta, vel Epiphania. Ad Judam suum convertit sermonem, ut capite nono contra duodecim tribus; simul & minatur Assyriis cladem; idque minatur versu 19. tam parvum fore eorum numerum, ut iniri possit a puero.

10. (*d*) In quibus coluntur idola: Quæ tueri non potuerunt Dii regnorum.

12. (*e*) Propheta obsidionem urbis insinuat. *Fructum magnifici cordis*: Ferocem ejus animum.

14. (*f*) Armis debellavi, & regno meo adjeci.

16. (*g*) In, entes exercitus ad paucos homines redigam: *Ardebit*, Consumam velut subjecto igne gloriam ejus, exercitum quo gloriatur: quæ combustio succensa ardebit quasi ignis; ubi est quædam verborum transpositio, pro quasi combustio *succensa*, quasi rogus ardens, *gloria ejus*, exercitus.

17. (*h*) Deus erit vice ignis *in die una*; eodem tempore de Angelo, qui percussit exercitum Sennacherib, videtur loqui.

18. (*i*) Duces & principes exercitus, quem saltum vocat, quod armatus silvam referat; Carmelus ob commeatus abundantiam. *Ab anima usque ad carnem*. Omnino. Carmelus non semper est nomen proprium, sed interdum significat campos consitos, & feraces.

20. Et erit in die (*k*) illa: non adjiciet residuum Israel, & hi qui fugerint de domo Jacob, inniti super eo, qui percutit eos: sed innitetur super Dominum Sanctum Israel in veritate.

21. Reliquiæ (*l*) convertentur, reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem.

* *Inf.11.11. Rom. 9.27.* 22. * Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo: consummatio abbreviata inundabit (*m*) justitiam.

23. Consummationem (*n*) enim & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.

24. Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus exercituum: Noli timere populus meus habitator Sion, ab Assur: in virga percutiet te, & baculum suum levabit super te in via Ægypti (*o*).

25. Adhuc enim paullulum modicumque, & consummabitur (*p*) indignatio, & furor meus super scelus eorum.

* *Inf.37.36.* * *Jud.7.25.* 26. * Et suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum * juxta plagam Madian in Petra Oreb, & virgam suam super mare (*q*), & levabit eam in via Ægypti.

27. Et erit in die illa: Auferetur onus ejus de humero tuo, & jugum ejus de collo tuo, & computrescet jugum a facie (*r*) olei.

28. Veniet in Ajath (*s*), transibit in Magron: apud Machmas commendabit vasa sua.

29. Transierunt (*t*) cursim, Gaba sedes nostra: obstupuit Rama, Gabaath Saulis fugit.

30. Hinni voce tua filia (*u*) Gallim, attende Laisa, paupercula Anathoth.

31. Migravit Medemena: habitatores Gabim confortamini (*x*).

32. Adhuc dies (*y*) est, ut in Nobe stetur: agitabit manum suam super montem filiæ Sion, collem Jerusalem.

33. Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam (*z*) in terrore, & excelsi statura succidentur, & sublimes humiliabuntur.

34. Et subvertentur condensa saltus ferro: & Libanus cum excelsis cadet.

CAPUT XI.

Vaticinium de Christi nativitate, judicio, exaltatione, conversione populorum & gentium ad Christum, & gloria sepulchri ipsius: item de conversione reliquiarum Israel ad Deum, ac de fide gentium.

1. ET egredietur virga de radice Jesse (*a*), & flos de radice ejus ascendet. *Act.13.23. Infr.53.2.*

2. Et requiescet (*b*) super eum spiritus Domini: spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis,

3. Et replebit eum spiritus timoris (*c*) Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet:

4. Sed judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ: & percutiet terram virga (*d*) oris sui, * & spiritu labiorum suorum interficiet impium. **2.Thess.2.8.*

5. Et erit justitia cingulum lumborum ejus: & fides cinctorium renum ejus.

6. * Habitabit lupus (*e*) cum agno: & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. **Inf.65.25.*

7. Vitulus & ursus pascentur: simul requiescent catuli eorum: & leo quasi bos comedet paleas.

8. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis: & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.

9. Non

20. (*k*) Quod reliquum superevit e populo Israel, & fuga salutem quæsierit, non amplius spem suam in Tyranno, qui eos persequebatur, collocabit; sed innitetur super Dominum Sanctum Israel, veritate promissorum ejus subnixus.

21. (*l*) Apostolus juxta quosdam interpretes hunc locum exponit de paucis Judæis, qui ad Christum conversi Ecclesiæ fundamenta jecerunt. Juxta alios, perpauci qui se Jerosolymam receperant, convertentur, redibunt in agros & in minora oppida. Hieron. *Et quia dixerat reliquias esse salvandas, transit ad posteriora tempora, & plenam salvationem futuram dicit esse sub Christo.* Quod probat ex Apost. Rom 9. *Ubi ergo tanti viri præcedit auctoritas, cesset omnis alia interpretatio*

22. (*m*) Hæc effundent in totum orbem. In unum Deum toti reclinare debemus, non in rationem ipsam ut Philosophi, non in sola opera ut Judæi, sed in fidem & gratiam Christi. Hinc Bernard. *Frustra niteris, quia non intelleres.* Cr. *Rationem conficiens, & contrahens:* Sicut ubi rationes accepti & expensi computantur, sæpe parva est quæ remanet summa, ita & pauci erunt reduces.

23. (*n*) Ad paucos Deus rediget populum suum; vel potius, Deus brevi tempore conversionem eorum perficiet. Consummatio erit abbreviata: sed probabilius videtur hæc de Judæis, qui in extremis temporibus convertentur ad fidem, inte loi oportere. *Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ convertentur:* vel juxta Hieronym. de Sennacherib loquitur revertente ex Ægypto.

24 (*o*) Ut olim Ægyptios tractavi.

25 (*p*) Cessabit indignatio mea.

26. (*q*) Super Assyrium; *Virgam suam super mare,* in mari rubro.

27. (*r*) Hebr. Propter oleum. Hieron. Quod jugum, id est potentia Assyriorum, præ facie olei; id est, Dei misericordia computrescet. Possumus intelligere hoc quod dixit, in virga percutiet te . . . quod ideo eos percusserit, quia non in Deo, sed in Ægypto habuerint fiduciam. *Et facie olei,* sic vertit Vatablus, præ pinguedine laxabitur, & solvetur jugum ejus. Jugum illud, quod Assyrii Judææ imposuerant, computrescet; gratia Christi jugum concupiscentiæ consumit.

28. (*s*) Describit iter Sennacherib venientis ex Ægypto, & nominat urbes, quas expugnaturus erat: quæ quidem urbes varia habent nomina. Ajath est ea Regio ubi oppidum Hai fuerat: *Commendabit;* Sarcinas, sive impedimenta ibi reponet, quo sit expeditior.

29. (*t*) Hebr. *Transierunt* vadum Jordanis: *Gaba sedes nostra;* Ibi primo sub tecto quiescent.

30 (*u*) Oppidum Galim. *Attende Laisa.* Lais.

31. (*x*) Hebr. Congregarunt se ad fugam.

32. (*y*) Ante finem diei; *Decrevit in Nobe stare,* unde conspici poterat Jerusalem. *Agitabit,* Minabitur illis incendium.

33. (*z*) Alludit ad lagunculas Gedeonis. Hebr. *Ramum illum,* Rabsacem, *& excelsæ arbores,* seu principes succidentur.

1. (*a*) Consentiunt Rabbini hæc ad Messiam pertinere. In Christo & virga & flos intelliguntur: virga propter regnum; flos, Hebr. virgultum, seu ramus florens propter sanctitatem; virgam Symmachus & Theodotio vertterunt. Germen; tumque Beatissima Virgo per eam recte intelligitur, ut Christus per florem, qui nascitur per virgam, ex radice, seu ex stirpe David prodeuntem. CAP. XI.

2. (*b*) Septem dona Spiritus Sancti hoc loco continentur, tametsi in Hebr. sunt tantum sex vocabula, sed unum ex his repetitur: apud LXX. & in nostro textu, priori loco spiritus pietatis nominatur, in Hebræo spiritus timoris Domini ponitur ultimo loco.

3. (*c*) Hebr. *Et consolari:* Ipsius solatium in timore Domini in maximis periculis Deo confidet.

4. (*d*) Verbo veritatis inflexibili, quod cupiditates nostras franget; *Interficiet impium,* impietatem destruet.

6 (*e*) Qui ante ut lupi pauperes ut agnos vorabant, post Evangelii lucem cum agnis una futuri sunt, & ipsi in agnos convertentur; feroces homines simul vivent cum mitibus.

9. Non nocebunt, & non occident in universo monte sancto meo: quia repleta est terra scientia (*f*) Domini, sicut aquæ maris operientes.

* Rom. 15. 12. 10. * In die illa, radix Jesse, qui stat in signum (*g*) populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulcrum ejus gloriosum.

11. Et erit in die illa: Adjiciet Dominus secundo (*h*) manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyriis, & ab Ægypto, & a Phetros, & ab Æthiopia, & ab Ælam, & a Sennaar, & ab Emath, & ab insulis maris.

12. Et levabit signum (*i*) in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ.

13. Et auferetur zelus (*k*) Ephraim, & hostes Juda peribunt: Ephraim non æmulabitur Judam, & Judas non pugnabit contra Ephraim.

14. Et volabunt (*l*) in humeros Philisthiim per mare, simul prædabuntur filios Orientis.
4. Reg. 18. 8. Idumæa & Moab præceptum manus eorum, & filii Ammon obedientes erunt.

15. Et desolabit Dominus linguam (*m*) maris Ægypti, & levabit manum suam super flumen, in fortitudine spiritus sui: & percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati.

16. Et erit via residuo (*n*) populo meo, qui relinquetur ab Assyriis: sicut fuit Israeli in die illa, qua ascendit de Terra Ægypti.

CAPUT XII.

Canticum laudis & gratiarum actionis pro liberatione & beneficiis Christi salvatoris.

1. ET dices in die illa: Confitebor (*a*) tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, & consolatus es me.

2. Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo: * quia fortitudo mea, & laus (*b*) mea Dominus, & factus est mihi in salutem. * Exod. 15. 2. Ps. 117. 14.

3. Haurietis (*c*) aquas in gaudio de fontibus salvatoris.

4. Et dicetis in die illa: Confitemini Domino: & invocate nomen ejus: notas facite in populis adinventiones ejus: mementote quoniam excelsum est nomen ejus.

5. Cantate Domino quoniam magnifice fecit: annuntiate hoc in universa terra.

6. Exulta & lauda habitatio (*d*) Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israel.

CAPUT XIII.

Ingens, ac truculenta Babyloniorum vastatio a Medis.

1. ONus (*a*) Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos.

2. Super montem (*b*) caliginosum levate signum, exaltate vocem, levate manum, & ingrediantur portas duces.

3. Ego mandavi sanctificatis (*c*) meis, & vocavi fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea.

4. Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium: vox sonitus regum (*d*), Gentium congregatarum: Dominus exercituum præcepit militiæ belli.

5. Venientibus de terra procul, a summitate cæli: Dominus, & vasa furoris ejus, ut disperdat omnem terram (*e*).

6. Ululate, quia prope (*f*) est dies Domini: quasi vastitas a Domino veniet.

7. Propter hoc, omnes manus dissolventur, & omne cor hominis contabescet,

8. Et conteretur. Torsiones & dolores tenebunt: quasi parturiens, dolebunt: unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum.

9. Ecce

9. (*f*) Doctrina Christi.
10. (*g*) Origenes scribens in cap. 15. Epist. ad Rom. *Sciendum est*, inquit, *quod in omnibus pene Apostolus editionem LXX. Interpretum tenet*; idque ait & occasione hujus loci: *Rursus Isaias ait: Erit radix Jesse, & qui exurget regere gentes in eum gentes sperabunt.* In Hebræo sic legitur: *Et erit in die illa radix Isai, quæ stabit in signum populorum, illam gentes quærent.* Nemo est qui versionem LXX. hoc in loco Apostoli auctoritate firmatam non anteponat textui Hebræo, qualem nunc habemus. Prædicationis Evangelicæ effectus in primis fidelibus antea descripsit, nunc ad gentium conversionem progreditur. Hæ quidem ad gloriosum Crucis vexillum se recipient, a quatuor terræ plagis.
11. (*h*) Prima vocatio fuit per Moysen, secunda per Christum, qui a Diaboli servitute nos liberavit; vel Deus collegit primo dispersum populum sub Cyro, sed Christus ex omnibus terræ regionibus fideles congregabit. *Et a Phetros*. Phaceras est in Æthiopia; *Et ab Ælam*, qui Medis sunt finitimi.
12. (*i*) Signum Crucis: *Et congregabit profugos Israel*, qui Deum & lucem ipsam veritatis fugiebant.
13. (*k*) Odium adversus Judam.
14. (*l*) Apostoli regiones omnes peragrantes prædabuntur animas, ad Christum eas adducent, & dæmonem spoliabunt. *Præceptum*, horum legibus se subjicient.
15. (*m*) Isthmum inter mare Mediterraneum & Oceanum interjectum, vel mare ipsum rubrum instar linguæ porrectum. *Et rivos*, vel Euphratem, vel Nilum intellige. Hieronym. *Sic ipse Dominus, qui in suis Apostolis ista perficit, desolabit non mare juxta LXX sed juxta Hebraos linguam maris Ægypti, quæ prius contra Dominum blasphemabat.*
16. (*n*) Populus meus qui ex idololatriæ inundatione ad me veniet, liber erit a superstitione, ut olim eduxi Patres eorum ab Ægypto.

CAP. XII. 1. (*a*) Gratias ago tibi, quod ante iratus jam placatus mihi, & castigatio in consolationem mutata sit.
2. (*b*) Laudis & carminis argumentum factus.
3. (*c*) Doctrinam & sanctitatem Evangelii: in novo Testamento fideles gratiam ex Sacramentis novæ Legis percipiunt, atque ex eo loco recte colligunt Sacramenta multiplicem gratiam velut vasa, aut fontes continere. Hieron. *Quem supra Emmanuel, deinde spolia detrahe, nunc vocat salvatorem, & e us fontibus aquas prædicat hauriendas*; Omni bonorum genere fruemini.
6. (*d*) Cœtus fidelium, Ecclesia sancta. Solemne erat Hebræis post insignem victoriam epinicium canere: quod fit Salvatori post expositam ejus victoriam.

CAP. XIII. 1. (*a*) Durum & triste vaticinium. Aquila ubique vocem Hebræam vertit visionem. *Verbum Hebraicum*, inquit Hieron. *vel onus, vel pondus intelligi potest, & ubicumque præpositum fuerit, minarum plena sunt quæ dicuntur.* In hoc capite Propheta ultionem de Babylonis per Cyri exercitum futuram describit.
2. (*b*) Mons vocatur Babylon ob superbiam, & magnificentiam ædium, & murium: *caliginosum*, ob nubilum cælum, & solum paludosum. *Levate signum*: militare vexillum.
3. (*c*) Persis & Medis ad hoc bellum destinatis, & quasi consecratis. Hieron. *Ostendit eos non suis viribus, sed Dei ira tam sublimis regni potentiam subvertisse.*
4. (*d*) Darii & Cyri.
5. (*e*) Hieron. *Idioma est enim sanctæ Scripturæ, ut omnem terram illius significet Provinciæ, de qua sermo est. A summitate cæli*; Ab ultimis terræ plagis.
6. (*f*) Iisdem pene verbis extremi judicii diem exprimit Christus Dominus; adeo ut Babylonis excidium conflagrationis mundi velut figura quædam hoc loco adumbrata videatur.

9. Ecce dies Domini veniet, crudelis (*g*), & indignationis plenus, & iræ furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea.

Ezech. 32. 7. Joel 2. 10. & 15. Matth. 24. 29. Marc. 13. 24. Luc. 21. 25. 10. * Quoniam stellæ cæli & splendor earum non expandent (*h*) lumen suum: obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo.

11. Et visitabo super orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quiescere faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo.

12. Pretiosior (*i*) erit vir auro, & homo mundo obrizo.

13. Super hoc cælum turbabo: & movebitur terra de loco suo, propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ furoris ejus.

14. Et erit quasi damula fugiens, & quasi ovis: & non erit qui congreget: unusquisque ad populum suum convertetur (*k*), & singuli ad terram suam fugient.

15. Omnis, qui inventus fuerit, occidetur: & omnis, qui supervenerit, cadet in gladio.

Psal. 136. 9. 16. * Infantes eorum allidentur in oculis eorum: diripientur domus eorum, & uxores eorum violabuntur.

17. Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint:

18. Sed sagittis parvulos (*l*) interficient, & lactantibus uteris non miserebuntur, & super filios non parcet oculus eorum.

Gen. 19. 24. 19. Et erit Babylon (*m*) illa gloriosa in regnis, inclyta superbia Chaldæorum: * sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorrham.

20. Non habitabitur (*n*) usque in finem, & non fundabitur usque ad generationem & generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi.

21. Sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi struthiones, & pilosi (*o*) saltabunt ibi:

22. Et respondebunt ibi ululæ (*p*) in ædibus ejus, & sirenes in delubris voluptatis.

C A P U T XIV.

Quæ hoc capite continentur, de excidio Babylonis ad litteram intelliguntur, & ad reditum populi Judaici spectant.

1. PRope est ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Jacob, & eliget adhuc de Israel, & requiescere eos faciet super humum suam: adjungetur advena ad eos, & adhærebit domui Jacob.

2. Et tenebunt eos populi, & adducent eos in locum suum: & possidebit eos domus Israel super terram Domini in servos & ancillas: & erunt capientes (*a*) eos qui se ceperant, & subjicient exactores suos.

3. Et erit in die illa: cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo, & a concussione tua, & a servitute dura, qua ante servisti:

4. Sumes parabolam istam contra regem Babylonis, & dices: Quomodo cessavit exactor, quievit tributum?

5. Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium,

6. Cædentem populos in indignatione, plaga insanabili, subjicientem in furore Gentes, persequentem crudeliter.

7. Conquievit & siluit omnis terra, gavisa est & exultavit.

8. Abietes (*b*) quoque lætatæ sunt super te, & cedri Libani: ex quo dormisti, non ascendet qui succidat nos.

9. Infernus (*c*) subter conturbatus est in occursum adventus tui, suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum.

10. Universi respondebunt, & dicent tibi: Et tu vulneratus es sicut & nos, nostri similis effectus es.

11. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum: subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.

12. Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas Gentes?

13. Qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo (*d*) in monte testamenti, in lateribus Aquilonis:

14. Ascen-

9. (*g*) Nam impiis videtur sæva Dei justitia: LXX. *Insanabilis*.

10. (*h*) Est hyperbole, qua Prophetæ solent extremas calamitates delineare, quod afflictis ob deliquium animi, & capitis vertiginem, omnia videantur tenebrescere.

12. (*i*) Rarior: nam pene omnes excidentur a Medis: aut certe hi aurum non accipient, ut vitam, vel libertatem non eripiant. *Mundo obrizo*, purissimo.

14. (*k*) De copiis auxiliaribus loquitur, quæ ad suas regiones se recipient.

18. (*l*) Hebr. *Adolescentes*. *Lactantibus*, Lactentibus uteris. Hieron.

19. (*m*). *Audivimus Babylonem; nolumus intelligere quod fuit, & quærimus audire quod non fuit; & hæc dicimus, non quod tropologicam intelligentiam condemnemus, sed quod spiritualis interpretatio sequi debeat ordinem historiæ: quod plerique ignorantes lymphatici in Scripturis vagantur errore*. Hieron.

20. (*n*) Non iterum instaurabitur: haud procul urbs alia fuit ædificata a Seleuco, Seleucia dicta: *Usque ad finem*; nunquam rediit ad pristinum statum; vel usque in finem, usque ad tempus a Deo constitutum.

21. (*o*) Satyris; LXX. *dæmones* vertunt, qui in locis desertis specie hircorum apparebant.

22. (*p*) Alternis canent nocturnæ aves: *Sirenes*; Chald. Dracones; LXX *Ericii*. Hieronym. *Didicimus a quodam fratre Ælamita, qui de illis finibus egrediens Jerosolymis vitam egit monachorum, venationes regis esse in Babylone, & omnes generis bestias murorum ejus tantum ambitu coerceri*.

CAP. XIV.

2. (*a*) Multi Babylonii cum Judæis redierunt, qui se legi divinæ subjecerunt: sic ceperunt eos, a quibus capti fuerant. Sed proprie hæc de Ecclesia intelligi debent.

8. (*b*) Per abietes & cedros Libani, principes gentium intelligit Hieronymus.

9. (*c*) Hieronym. Hæc ὑποκριτικῶς legenda sunt: *Gigantes*; alii vertunt: *Mortui*. *Omnes principes terræ*: est personæ fictio: sed, ut ait Hieronym. *spirituale supra fundamentum ædificium Babylon*, hoc sæculum designat: princeps hujus mundi est rex Babylonis, qui Lucifer appellatur vers. 12. Hebr. filius auroræ; *Super astra exaltabo solium meum*: hæc dæmoni apprime conveniunt; & illud vers. 13. *Sedebo in monte testamenti*: Ecclesiam mihi subjiciam. Si de rege Babylonis placet hæc intelligere, ille ut stella splendebat.

13. (*d*) An rex Babylonis ita loquitur. Sedebo adorandus ut Deus, in templo testamenti Jerosolymis.

14. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.

15. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci:

16. Qui te viderint, ad te inclinabuntur (*e*) teque prospicient: Numquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna,

17. Qui posuit orbem desertum, & urbes ejus destruxit, vinctis ejus non aperuit carcerem?

18. Omnes reges gentium universi dormierunt in gloria, vir in domo (*f*) sua.

19. Tu autem projectus es de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis (*g*) pollutus, & obvolutus cum his, qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci, quasi cadaver putridum.

20. Non habebis consortium, neque cum eis in sepultura: tu enim terram tuam (*h*) disperdidisti, tu populum tuum occidisti: non vocabitur in æternum semen pessimorum.

21. Præparate filios ejus occisioni in iniquitate patrum suorum: non consurgent, nec hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis civitatum.

22. Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum: & perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem, dicit Dominus.

23. Et ponam eam in possessionem ericii, & in paludes aquarum, & scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum.

24. Juravit (*i*) Dominus exercituum, dicens: Si non ut putavi, ita erit: & quomodo mente tractavi,

25. Sic eveniet: ut conteram Assyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum: & auferetur ab eis jugum ejus, & onus illius ab humero eorum tolletur.

26. Hoc consilium, quod cogitavi super omnem terram, & hæc est manus extenta super universas Gentes.

27. Dominus enim exercituum decrevit: & quis poterit infirmare? & manus ejus extenta: & quis avertet eam?

28. In anno, quo mortuus est rex Achaz (*k*), factum est onus istud:

29. Ne læteris Philisthæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui: de radice enim colubri egredietur regulus (*l*), & semen ejus absorbens volucrem.

30. Et pascentur primogeniti pauperum (*m*), & pauperes fiducialiter requiescent: & interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam.

31. Ulula porta, clama civitas: prostrata est Philisthæa omnis: ab Aquilone (*n*) enim fumus veniet, & non est qui effugiet agmen ejus.

32. Et quid respondebitur nuntiis (*o*) gentis? quia Dominus fundavit Sion, & in ipso sperabunt pauperes populi ejus.

CAPUT XV.

Moabitarum ruina prædicitur.

1. Onus (*a*) Moab. Quia nocte vastata est Ar-Moab, conticuit: quia nocte vastatus est murus Moab, conticuit.

2. Ascendit domus (*b*), & Dibon ad excelsa in planctum super Nabo, & super Medaba, Moab ululavit: * in cunctis capitibus ejus calvitium, & omnis barba radetur. *Jer 48.37 Ezech. 7. 18.

3. In triviis ejus accincti sunt sacco: super tecta ejus, & in plateis ejus omnis ululatus descendit in fletum.

4. Clamabit Hesebon, & Eleale, usque Jasa (*c*) audita est vox eorum: super hoc expediti Moab ululabunt, anima ejus ululabit sibi.

5. Cor meum ad Moab clamabit (*d*), vectes ejus usque ad Segor vitulam conternantem: per ascensum enim Luith flens ascendet, & in via Oronaim clamorem contritionis levabunt.

6. Aquæ enim Nemrim (*e*) desertæ erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.

7. Secundum magnitudinem operis, & visitatio (*f*) eorum: ad torrentem salicum ducent eos.

8. Quoniam circuivit clamor terminum Moab, usque ad Gallim ululatus ejus, & usque ad Puteum Elim clamor ejus.

9. Quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine: ponam enim super Dibon additamenta (*g*): his qui fugerint de Moab leonem, & reliquiis terræ.

CA-

16. (*e*) Casus diaboli describitur, & sub hoc velo Baltassaris ruinas.

18. (*f*) Suo quinque tumulo condentur.

19. (*g*) Corpus tuum erit insepultum.

20. (*h*) LXX. Terram meam perdidisti, Judæam. *Pessimorum*, stirpis impiorum; nullus ex semine tuo regnaturus est. *Non vocabitur*, erit in dedecore.

24. (*i*) Ex Hieron. revertitur ad præsentia; vel ad Sennacherib Regem Assyriorum, & longe post futuris vicina consociat, ut imminens auferatur metus.

28. (*k*) Est alia prophetia.

29. (*l*) Hebr. Draco volans: proverbium, quo innuitur minori clad. majorem superventuram. Noli tibi placere ob mortem Oziæ, qui multas ceperat eorum urbes; vel potius Philisthei mortuo Achaz populo Dei insultabant, quod maturo rege perdito, Ezechiæ juveni subjacerent. Cum tamen nullus regum Juda sic percusserit Philisthæos, ut Ezechias.

30 (*m*) Pauperes & humiles populi mei nullius hostis impetum formidabunt

31. (*n*) Ezechiæ exercitus ab Jerusalem veniet; vel potius veniet Sennacherib, & vastabit Philisthæos.

32. (*o*) Sciscitantibus de iis quæ aguntur.

CAP. XV. 1. (*a*) LXX. *Verbum contra Moab*. Ar Metropolis erat Moabitarum, quæ postea Areopolis dicta; alias urbes Moabitarum, seu Arabiæ Petrææ, ab Assyriis destruendas prædicit.

2. (*b*) Ascenderunt familiæ ad idolum Chamos, sed frustra; sic cap. 2. *In cunctis capitibus ejus calvitium*: nam capita & barbam radebant in calamitatibus: Ad *Nabo*; in hac urbe idolum erat Chamos.

4. (*c*) Mari mortuo imminet, ubi est terminus Provinciæ Moabitarum, ex Hieronym. *Ululabunt*; singuli privatum & publicum damnum dolebunt, omnes suæ vitæ pertæsi

5. (*d*) Propter *Moab*, subaudi. *unusquisque dicet*; *Vectes ejus*, fortes milites, *usque ad Segor*, fugent ad extremos usque limites. *Vitulam conternantem*, id est, trimam, sic scripsit interpretes; quæ instar vitulæ trimæ fortis est: vel ut triennis vitulæ clamor. *Luith*. est Ptolemæo Lusa, qua descendebatur Oronaim, quæ est Aurora Ptolemæi, ut videtur Grotio.

6. (*e*) Pascua aquis vicina: hoc oppidum, inquit Hieron. super mare mortuum, & salsis aquis, & propterea sterilibus.

7. (*f*) Punitio futura pro meritis; *Torrentem salicum*; Babylonis flumine intelligit. Hieron.

9 (*g*) Plagas addam plagis: *Dibon*, erat urbs Arabiæ Petrææ, indifferenter Dibon, & Dimon, hoc oppidum dicitur, ex Hieron.

CAPUT XVI.

Orat Deum ut emittat Agnum de Petra deserti: Moab ob arrogantiam & perfidiam punietur, paucis relictis.

1. EMitte (*a*) agnum Domine dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion.

2. Et erit: Sicut avis fugiens (*b*), & pulli de nido avolantes, sicut erunt filiæ Moab in transcensu Arnon.

3. Ini consilium, coge concilium, pone quasi noctem (*c*) umbram tuam in meridie: absconde fugientes, & vagos ne prodas.

4. Habitabunt apud te profugi mei: Moab esto latibulum eorum a facie vastatoris: finitus est enim pulvis (*d*), consummatus est miser: defecit qui conculcabat terram.

5. Et præparabitur (*e*) in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans & quærens judicium, & velociter reddens quod justum est.

*Jer.48.19. 6. * Audivimus (*f*) superbiam Moab, superbus est valde: superbia ejus & arrogantia ejus, & indignatio ejus plusquam fortitudo ejus.

7. Idcirco ululabit Moab ad Moab, universus ululabit: his, qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas.

8. Quoniam suburbana Hesebon deserta sunt, & vineam Sabama Domini Gentium exciderunt: flagella (*g*) ejus usque ad Jazer pervenerunt: erraverunt in deserto, propagines ejus relictæ sunt, transierunt mare.

9. Super hoc plorabo in fletu Jazer vineam Sabama: inebriabo te lacryma mea Hesebon, & Eleale: quoniam super vindemiam tuam, & super messem tuam vox calcantium irruit.

10. Et auferetur lætitia & exultatio de Carmelo, & in vineis non exultabit neque jubilabit: vinum in torculari non calcabit qui calcare consueverat: vocem calcantium abstuli:

11. Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, & viscera mea ad murum cocti lateris (*h*).

12. Et erit: cum apparuerit quod laboravit Moab super excelsis (*i*) suis, ingredietur ad sancta sua ut obsecret, & non valebit.

13. Hoc verbum, quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc (*k*):

14. Et nunc locutus est Dominus, dicens: In tribus (*l*) annis, quasi anni mercenarii auferetur gloria Moab super omni populo multo, & relinquetur parvus & modicus: nequaquam multus.

CAPUT XVII.

Vastatis Damascenis, similiter & Israel vastabitur, quia oblitus est Dei salvatoris sui, ad quem calamitate pressus revertetur; & væ persecutoribus populi Domini denunciatur.

1. ONus (*a*) Damasci. Ecce Damascus desinet esse civitas, & erit sicut acervus lapidum in ruina.

2. Derelictæ civitates Aroer (*b*) gregibus erunt, & requiescent ibi, & non erit qui exterreat.

3. Et cessabit adjutorium ab Ephraim, & regnum a Damasco: & reliquiæ Syriæ sicut gloria filiorum Israel erunt: dicit Dominus exercituum.

4. Et erit in die illa: attenuabitur gloria Jacob, & pinguedo carnis ejus marcescet.

5. Et erit sicut congregans in messe quod restiterit, & brachium ejus spicas leget: & erit sicut quærens spicas in valle Raphaim.

6. Et relinquetur in eo sicut racemus, & sicut excussio oleæ duarum, vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor, aut quinque in cacuminibus ejus fructus ejus: dicit Dominus Deus Israel.

7. In die illa inclinabitur (*c*) homo ad Factorem suum, & oculi ejus ad Sanctum Israel respicient.

8. Et non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus: & quæ operati sunt digiti ejus non respiciet, lucos & delubra.

9. In

CAP. XVI. 1. (*a*) Isaias ut Propheta loquitur, & desolationem Moabitarum describens, huic inserit Christi Domini adventum, qui ex Ruth Moabitide nasciturus erat: nam frequenter Propheta ad Christum digreditur, tum ad institutum sermonem se recipit. Hieron. *Omnis prophetia ænigmatibus involvitur, & præcisis sententiis dum de alio loquitur, transit ad aliud*. Frustra Judæi hoc vaticinium de Rege Ezechia interpretantur, adeo ut Propheta suadeat Moabitis ut 100000. agnorum tributum huic pendant. Non enim regibus Juda, sed regibus Israel subditi aliquando fuerant Moabitæ. Quare de agno qui tollat peccatum mundi, qui toti orbi dominetur. Loquitur Propheta. Petra deserti erat urbs Arabiæ, rupibus & præcipitiis undique vallata, ex Strabone libro 16. Ex ea urbe Ruth avia David erat oriunda. *Habebo solatium hoc*: Egredietur de te agnus immaculatus de Petra deserti, hoc est de Ruth. Hieronym. *Sub litteræ cortice, veri agni adventum postulat Propheta*.

2. (*b*) Per parenthesim de Christo venturo nunc redit ad cladem Moabitarum; fugam eorum indicat. Sensus is videtur Hieronymo: cum p[illegible] iis qui fugerint de Moab, a reliquis terræ Leonem sævissimum, tunc pavidi avolabunt, & *omnes filiæ*, id est, urbis, & villæ Provinciæ Moab, *in transcensu Arnon*, migrabunt, qui est terminus Moabitarum & Amorrhæorum. Quam citissime Moabitæ in Chaldæam sunt deportandi.

3. (*c*) Ut consilium salutis inveniat in aperta fuga populi mei, tu quasi nox suscipe fugientes: æstui meridiano remedium est nox ipsa.

4. (*d*) Vastator terræ instar pulveris cito consumetur, nec timeas impetum vastatoris.

5. (*e*) Firmabitur: Christi adventum aperte promittit. *In veritate*; Nunc est misericordiæ tempus; sed postea sedebit in veritate: *Reddet*, Impios in momento condemnabit. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est*. Apocalypt. cap. ultimo.

6. (*f*) Frustra illis hæc damus monita.

8. (*g*) Plantæ, seu cives fugientes mare mortuum transierunt. *Propagines ejus relictæ sunt*: Hebr. Emissiones ejus extensæ sunt; Longe exulabunt.

11. (*h*) Est nomen proprium civitatis, ut vers. 7. eaque a lateritiis muris nomen habet.

12. (*i*) Frustra Moabitæ deos suos in Excelsis fatigarunt precibus suis.

13. (*k*) Quæ hactenus dixi, jam mihi revelaverat Dominus, sine temporis præfinitione.

14. (*l*) Quod forte per triennium duratura esset eorum calamitas, vel post tres annos a capta Jerosolyma; vel denique nunc etiam tempus mihi revelavit, post tres annos, ex quo postrema hæc revelatio mihi facta est. *Quasi anni mercenarii*, præcise numerati, ut solet fieri in locandis mercenariorum operibus.

CAPUT XVII. 1. (*a*) Excidium imminens Syriæ prædicit. *In ruina*, Post ruinam. Eversa est Damascus ab Assyriis vivente adhuc Achaz; capta fuerat a Theglathphalasar, sed excisa est a Salmanasar.

2. (*b*) Hieron. de myrica interpretatur, vulgo *bruyere*, quæ in solitudine nascitur, & post hæc vastitas demonstratur, inquit Hieron. *Et requiescent*, greges in valle Raphaim, quæ ferax erat frumenti. Tam pauci remanebunt Damasci, quam solent post messores paucæ remanere spicæ in valle Raphaim.

7. (*c*) Ad creatorem suum; idolis relictis convertetur ad Deum: quod factum est sub Ezechia 2. Paralipomen. 30.

9. In die illa erunt civitates fortitudinis ejus derelictæ (*d*) ſicut aratra, & ſegetes quæ derelictæ ſunt a facie filiorum Iſrael, & eris deſerta.

10. Quia oblita es Dei ſalvatoris tui, & fortis adjutoris tui non es recordata: propterea plantabis plantationem (*e*) fidelem, & germen alienum ſeminabis.

11. In die plantationis tuæ labruſca, & mane ſemen tuum florebit: ablata eſt meſſis in die hæreditatis (*f*), & dolebit graviter.

12. Væ multitudini populorum multorum, ut multitudo maris ſonantis, & tumultus turbarum, ſicut ſonitus aquarum multarum.

13. Sonabunt populi ſicut ſonitus aquarum inundantium, & increpabit (*g*) eum, & fugiet procul: & rapietur ſicut pulvis montium a facie venti, & ſicut turbo coram tempeſtate.

14. In tempore veſpere, & ecce turbatio, in matutino, & non ſubſiſtet (*h*): hæc eſt pars eorum qui vaſtaverunt nos, & ſors diripientium nos.

CAPUT XVIII.

Adverſus Ægyptios vaticinatur; additur conſolatio Judæis de reditu ad Jeruſalem.

1. VÆ terræ cymbalo (*a*) alarum, quæ eſt trans flumina Æthiopiæ,

2. Qui mittit in mare legatos (*b*), & in vaſis papyri ſuper aquas. Ite angeli veloces ad gentem convulſam, & dilaceratam: ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius: ad gentem expectantem & conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus.

3. Omnes habitatores orbis, qui moramini in terra, cum elevatum fuerit ſignum in montibus, videbitis, & clangorem tubæ audietis:

4. Quia hæc dicit Dominus ad me: Quieſcam, & conſiderabo in loco meo, ſicut meridiana (*c*) lux clara eſt, & ſicut nubes roris in die meſſis.

5. Ante meſſem enim totus effloruit (*d*), & immatura perfectio germinabit, & præcidentur ramuſculi ejus falcibus: & quæ derelicta fuerint, abſcindentur, & excutientur.

6. Et relinquentur ſimul avibus montium, & beſtiis terræ: & æſtate perpetua erunt ſuper eum volucres, & omnes beſtiæ terræ ſuper illum hiemabunt.

7. In tempore illo deferetur munus (*e*) Domino exercituum a populo divulſo & dilacerato: a populo terribili, poſt quem non fuit alius: a gente expectante, expectante & conculcata, cujus diripuerunt flumina terram ejus; ad locum nominis Domini exercituum, montem Sion.

CAPUT XIX.

Deſcribit plenius Ægyptiorum punitionem; eorum ſalus a Chriſto prædicitur.

1. ONus Ægypti. Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem (*a*) levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulacra Ægypti a facie ejus, & cor Ægypti tabeſcet in medio ejus.

2. Et concurrere faciam Ægyptios adverſus Ægyptios: & pugnabit vir contra fratrem ſuum, & vir contra amicum ſuum, civitas adverſus civitatem, regnum adverſus regnum.

3. Et dirumpetur ſpiritus Ægypti in viſceribus ejus, & conſilium ejus præcipitabo: & interrogabunt ſimulacra ſua, & divinos ſuos, & pythones, & ariolos.

4. Et tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, & rex (*b*) fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum.

5. Et areſcet aqua de mari (*c*), & fluvius deſolabitur, atque ſiccabitur.

6. Et deficient flumina: attenuabuntur, & ſiccabuntur rivi aggerum. Calamus & juncus marceſcet:

7. Nudabitur alveus rivi a fonte ſuo, & omnis ſementis irrigua ſiccabitur, areſcet, & non erit.

8. Et

9. (*d*) Hieronym. Hæc loquitur non contra Damaſcum, ſed contra decem tribus: quarum terra multo tempore manebit deſolata. Aut certe de Syria & Iſraele hæc intelliguntur.

10 (*e*) Hieron. hic agnoſcit ironiam, vel potius, licet plantas fideles ponas, tibi tamen non ferent uberes fructus, ſed hoſtibus.

11. (*f*) Cum tempus meſſis advenerit.

13. (*g*) Compeicet Sennacherib. *Veſpere & mane*, Breviſſimo tempore.

14 (*h*) Fortuna mutabitur.

CAPUT XVIII. 1. (*a*) Videtur alia regio indicari quam Ægyptus, de qua ſequenti capite. *Cymbalo alarum*: Quidam hæc verba exponunt de navibus alatis, ſeu velis inſtructis: ex Hebr. verti poteſt, inumbranti alis; vel potius, *Væ terræ* umbræ alarum, cujus extremæ partes montibus obumbrantur. *Æthiopia*, ultra Ægyptum, quam alluunt flumina, ſeu Nili oſtia: Nilus vero per Æthiopiam delabitur in Ægyptum; vel quæ eſt ad flumina Æthiopiæ: nam vox Hebræa ſæpe, *ad* ſignificat. Hieron.

2. (*b*) Qui Rex Æthiopiæ per mare Arabicum mittit legatos ad bellum indicendum Aſſyriis. Ægyptii cymbas parabant ex papyro, ſeu junco, aut ſcirpo, eæque oblitæ erant pice. Papyrus eſt frutex, aut junci genus. *Expectantem*; in Hebr. vox illa duplicatur, id eſt, anxie expectantem adventum Aſſyriorum. *Alius*, qui ſit in extremis terræ finibus. Alii hæc de Æthiopibus intelligunt, ad quos Ægyptii miſerunt legatos, qui auxilium poſtularent.

4. (*c*) Ut tempus ſerenum poſt imbres valde deſideratur.

5. (*d*) Intempeſtiva luxurie totus effloruit, & fructus non tulit, ut accidit arboribus: ſic propera fuit Æthiopum gloriatio. *Ramuſculi*; Aſſyriorum furor juvenes demetet; ſpes Æthiopum ante eventum conciderunt.

7. (*e*) Pars de præda Aſſyriorum Domino offeretur: ſublimiori ſenſu vaticinium impletum eſt, cum Æthiopes & Ægyptii Chriſti jugum ſubierunt, Pſalm. 77. *Coram illo procident Æthiopes*: a cladibus horum populorum excurrit ad lætiora tempora, cum Chriſto ſacrificia offerent. Hæc utique de Ægypto, non de Æthiopia, interpretatur Hieronymus. Et ſequenti capite Propheta hæc clarius de Ægypto repetit: nam mos eſt Scripturarum, obſcuris manifeſta ſubnectere, & quod prius ſub ænigmate dixerint, aperta voce proferre.

1. & 2. (*a*) Ex Herodoto in Euterpe. Sennacherib coævus fuit Sethon, cui bellum intulit Sennacherib: Sethone mortuo diviſa eſt Ægyptus in Reges duodecim, quorum unus fuit Pſammetichus; is in paludes relegatus, ope Jonum, qui mare infeſtum habebant, alios undecim reges vicit; huic Nechos ſucceſſit, qui bellum Joſiæ intulit. Sublimiori ſenſu, de primo Chriſti adventu SS. Patres hæc verba ſunt interpretati. Nam corpore ſuo, ut nube clara & denſa, nullo peccato gravata, indutus Ægyptum ſic intravit, ut impietatem ejus everterit, fratrem a fratre diviſerit. Quæ ad litteram quoque ſic intelligi poſſunt, ut Aſſyrii Ægyptios ſpoliaverint. *Super nubem levem*; Magna celeritate Ægyptum invadent: diis, quos Ægyptii colunt, nulla vis erit ad tutandam Ægyptum. *Concurrere faciam* in bello Ægyptios; cujus belli mentionem fecimus. *Regnum adverſus regnum*, Præfectura adverſus præfecturam, ex Græco. CAP. XIX

4. (*b*) Pſammetichus aliis debellatis.

5. & 6. (*c*) Nilum maris nomine deſignat, quod Hebræi congregationes aquarum maria appellent, vel Lacum Mæreotidem. *Rivi aggerum*; Rivi fluentes inter aggeres; commercia ceſſabunt ob piratas, & agri ſteriles futuri ſunt.

8. Et mœrebunt piscatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, & expandentes rete super faciem aquarum emarcescent.

9. Confundentur qui operabantur linum, pectentes & texentes subtilia.

10. Et erunt irrigua ejus flaccentia: omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces.

11. Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis, dederunt consilium insipiens. Quomodo dicetis Pharaoni: Filius sapientium ego, filius regum antiquorum?

12. Ubi sunt sapientes tui? annuntient tibi, & indicent quid cogitaverit Dominus exercituum super Ægyptum.

13. Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Ægyptum, angulum (*d*) populorum ejus.

14. Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis: & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens.

15. Et non erit Ægypto opus (*e*), quod faciat caput & caudam, incurvantem & refrænantem.

16. In die illa erit Ægyptus quasi mulieres, & stupebunt, & timebunt a facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipse movebit super eam.

17. Et erit Terra Juda Ægypto in pavorem (*f*): omnis qui illius fuerit recordatus, pavebit a facie consilii Domini exercituum, quod ipse cogitavit super eam.

* Ezech. Cap. 30. 18. * In die illa erunt quinque civitates in Terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan (*g*), & jurantes per Dominum exercituum: Civitas solis vocabitur una.

19. In die illa erit altare (*h*) Domini in medio Terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus,

20. Erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in Terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis salvatorem & propugnatorem, qui liberet eos.

21. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in hostiis & in muneribus: & vota vovebunt Domino, & solvent.

22. Et percutiet Dominus Ægyptum plaga, & sanabit (*i*) eam, & revertentur ad Dominum, & placabitur eis, & sanabit eos.

23. In die illa erit via de Ægypto in Assyrios, & intrabit Assyrius Ægyptum, & Ægyptius in Assyrios, & servient (*k*) Ægyptii Assur.

24. In die illa erit Israel tertius Ægyptio & Assyrio (*l*): benedictio in medio terræ,

25. Cui benedixit Dominus exercituum, dicens: Benedictus (*m*) populus meus Ægypti, & opus manuum mearum Assyrio: hæreditas autem mea Israel.

CAPUT XX.

Quo signo Isaias jubetur nudus & discalceatus incedere: prædicitur Ægyptiorum & Æthiopum captivitas ab Assyriis, Judæis, de illorum afflictione stupentibus.

1. IN anno, quo ingressus est Tharthan (*a*) in Azotum, cum misisset eum Sargon rex Assyriorum, & pugnasset contra Azotum, & cepisset eam:

2. In tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ filii Amos, dicens: Vade, & solve (*b*) saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus, & discalceatus. Zach. 13. 4. Matth. 3. 4.

3. Et dixit Dominus: Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus, & discalceatus, trium annorum signum & portentum erit (*c*) super Ægyptum, & super Æthiopiam,

4. Sic minabit rex (*d*) Assyriorum captivitatem Ægypti, & transmigrationem Æthiopiæ, juvenum & senum, nudam & discalceatam discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.

5. Et

13. (*d*) Firmamentum populorum qui ei subdebantur. Hieronym. Idioma est Scripturarum, ut angulum pro regno ponant.

15. (*e*) Nihil ibi fiet. *Quod faciat*; quod demonstret esse apud Ægyptios. *Caput & caudam*; principem qui sapienter regat, & subditos, qui ut par est, obediant. *Incurvantem*, seu dominum, & refrænantem equos, servum domino obsequentem; vel ex Hieron. incurvum & lascivientem, senem, & puerum; nemo officium suum faciet, non sacerdos, non senex, non juvenis: Nullum erit concilium, quod aut caput habeat, aut finem.

17. (*f*) Tum Judæi non timebunt amplius Ægyptios, sed e diverso Ægyptiis terrori erunt Judæi; postquam audiverint quid acciderit Sennacherib, sibi quoque metuent; vel Ægyptum pavor concutiet, cum secum reputabit, quæ Sennacherib Judæis mala intulerit.

18. (*g*) Hebraica, aut Syriaca lingua tum Judæis familiaris, cum ad fidem Christi convertentur, & inter alias Heliopolis Soli sacra, quæ teste Strabone, Sacerdotum erat civitas, vel numerus urbium certus pro indefinito sumitur.

19. (*h*) De altari, in quo Eucharistia offertur, Propheta aperte loquitur, non de sacrificio Crucis. Nam cap. ultimo de filiis novi Testamenti loquens ait, *Assumam ex iis Sacerdotes & Levitas. Titulus Domini*; Columnæ, in quibus inscriptum erat nomen Domini. Hieron. Respondeant Judæi, Lege præceptum est, ut non fiat altare nisi in loco uno, quem elegerit Dominus Deus, & hostiæ tantum a Sacerdotibus Levitici generis immolentur. Cur Isaias aperte dicet, quod Ægyptii cognoscant Dominum, & colant eum, hostias illi & munera offerant, & vota voveant, & persolvant? Ægyptii Sacerdotium habent, impletur & in illis Pauli testimonium dicentis, *Translato Sacerdotio, necesse est ut Legis translatio fiat.*

22. (*i*) Nam post 40. annos fuit restituta, ut præfixit Ezechiel cap. 29. vel Ægyptios jam Christianos castigabit Deus cum peccaverint.

23. (*k*) Ex Hebr. cum Vatablo verti potest: Colent Dominum Ægyptii una cum Assyriis; omnium gentium in Ecclesia societatem designat.

24. (*l*) Utriusque societatis *benedictio*; a Christo qui in Judæa nasceretur, ejus benedictio in alias nationes manabit: in his postremis versiculis Propheta Ecclesiæ regnum in Ægypti & Syriæ regiones demonstrat: Assyrii & Ægyptii antea populi Dei inimici, cum vero Israele, seu Ecclesia conjuncti, unum efficient populum.

25. (*m*) Hieron. Quando nequaquam Moyse, sed Christo Domino præeunte, infinita hominum millia solitudines repleverunt, tum & opus manuum Domini erit in Assyriis: hæ enim vel maxime gentes Monachorum florent examinibus. Ægyptus & Mesopotamia. *Hæreditas autem Christi Israel est*: hoc est, Nativitatis & Crucis, & Resurrectionis, Ascensionisque, atque ejus loca ad quæ toto orbe concurritur.

CAP. XX. 1. (*a*) Dux Sennacherib. *Cum misisset eum Sargon*, qui & Sennacherib 4. Reg. 18. qui ex Hieron. septem nominibus appellatur.

2. & 3. (*b*) Villosam vestem Propheticam. *Discalceatus*; Prophetæ interdum loquuntur factis. Utrum omnino fuerit nudus juxta hoc præceptum Domini, alii aliter sentiunt: *Ex hoc loco*, inquit Hieron. *discimus Prophetarum obedientiam, quod vir nobilis non erubuerit nudus incedere: sed Dei præceptis nihil honestius judicans deposuerit saccum, quo abjecto nudus fuerit, unicam prius habens tunicam, & ipsam cilicinam.* Videntur Prophetæ pro vestimento habuisse tunicam ex vili materia confectam, ex qua fieri solent sacci: tanquam plangentes pro peccatis populi: nudum tamen sic fuisse probabile est, ut interula, vel linea veste indueretur: solebant enim sic tractari qui captivi abducebantur, detracta veste meliore.

3. (*c*) Quæ tres annos est duratura super Ægyptum & Æthiopiam, vel post triennium futura.

4. (*d*) Assarhaddon; videtur loqui de incursione Sennacherib in Ægyptum, & in Æthiopiam.

5. Et timebunt, & confundentur (*e*) ab Æthiopia spe sua, & ab Ægypto gloria sua.

6. Et dicet habitator insulæ (*f*) hujus in die illa: Ecce hæc erat spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, ut liberarent nos a facie regis Assyriorum: & quomodo effugere poterimus nos?

CAPUT XXI.

Ruina Babylonis per Medos & Persas: onus Idumææ & Arabiæ.

1. ONus deserti (*a*) maris. Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili.

2. Visio dura nuntiata est mihi: qui incredulus (*b*) est, infideliter agit: & qui depopulator est, vastat. Ascende Ælam, obside Mede: omnem gemitum ejus cessare feci.

3. Propterea (*c*) repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me sicut angustia parturientis: corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem.

4. Emarcuit (*d*) cor meum, tenebræ stupefecerunt me: Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum.

5. Pone mensam (*e*), contemplare in specula comedentes & bibentes: surgite principes, arripite clypeum.

6. Hæc enim dixit mihi Dominus: Vade, & pone speculatorem: & quodcumque viderit, annuntiet.

7. Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, & ascensorem (*f*) cameli: & contemplatus est diligenter multo intuitu.

8. Et clamavit leo (*g*): Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem: & * super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. * Hab. 2. 1.

9. Ecce iste venit (*h*) ascensor vir bigæ equitum, & respondit, & dixit: * Cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terram. * Jer. 51. 8. Apoc. 14. 8.

10. Tritura (*i*) mea, & filii areæ meæ, quæ audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis.

11. Onus Duma (*k*) ad me clamat ex Seir: Custos quid de nocte? custos quid de nocte?

12. Dixit custos: Venit mane & nox: si quæritis, quærite (*l*): convertimini, venite.

13. Onus in Arabia. In saltu ad vesperam dormietis (*m*), in semitis Dedanim.

14. Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti.

15. A facie enim gladiorum fugerunt, a facie gladii imminentis, a facie arcus extenti, a facie gravis prælii:

16. Quoniam hæc dicit Dominus ad me: Adhuc in uno anno (*n*), quasi in anno mercenarii, & auferetur omnis gloria Cedar.

17. Et reliquiæ (*o*) numeri sagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur: Dominus enim Deus Israel locutus est.

CAPUT XXII.

Sermo Domini contra Jerusalem, cujus vastationem deflet Propheta, & quod neglecto Deo frustra se muniat ad resistendum Chaldæis; carpuntur quod cum plangere deberent, gulæ indulgeant.

1. ONus vallis (*a*) visionis. Quidnam quoque tibi est, quia ascendisti & tu omnis in tecta?

2. Clamoris plena, urbs frequens, civitas exultans: interfecti tui, non interfecti gladio, nec mortui in bello (*b*).

3. Cun-

5. (*e*) Quod in Ægypto & in Æthiopia spem suam posuerint.

6. (*f*) Oræ maritimæ Philisthinorum, in qua erat Azotus. Oras maritimas Hebræi vocant sæpe insulas. Hieron. Est igitur hic ordo providentiæ Dei omne hominum genus ineffabili judicio dispensantis: contra Dei iram Israel speravit in Damasco, dissipatur civitas quæ adversus illius voluntatem impius præstat auxilium. Judas speravit in Ægyptiis, & Ægyptus destituatur, & ita de reliquis prosequitur.

CAP. XXI. 1. (*a*) Babylonis. Hieron. Potest in Hebræo ita legi: Qui cædis, cædere, qui vastas, vasta, ut ad ipsum Ælamitem & Medum Prophetiæ vaticinium dirigatur, hortantis eum implere quod cœpit. Juxta Babylonem a parte australi magnum erat desertum, vel quia Babylon ob incolarum multitudinem mari comparatur, mox futura eremus magna. Deserto a Media & Perside, inter quas & Babylonem magna interjacent deserta; vel populos ad oram sinus Arabici, & Arabes Babyloni vicinos, qui se Assyriis contra Judæos addiderunt, reprehendit.

2. (*b*) Ex Hebr. verti potest: Perfidus perfidum decipiet, & deprædator deprædatorem spoliabit; vel qui prævaricator est, prævaricator fit, quales audiebant Babylonii fœdifragi. Elimæi Medis contigui ex Strabone, Lib. 16. *Ascende Ælam*. Persæ sunt Ælamitæ, ab Ælam filio Sem dicti. *Cessare*, vel passive, quod tempus non ei fuerit lugendi; vel active gemitum, quo sua tyrannide cogebat alios plangere, gemitum quem excitabat Assyrius.

3. (*c*) Tanta fuit clades, ut Isaiam misericordiæ affectu commoveret. Vel his verbis usuros ait, qui in deserto habitabant. Hieron. *Prophetæ ideo obscuri sunt, quia personæ in his plurimæ commutantur.*

4. (*d*) Propheta inducit Babylonem loquentem: *Babylon dilecta mea*, ob splendorem; *miraculum*, ruinæ & doloris.

5. (*e*) Cum paratur mensa; vel Ælamitis alloquitur, sumite cibum, vos præparate ad ea, quæ ventura sunt; vel o Baltassar adorna convivium, epulare; tumque videtur esse ironia. *Contemplare in specula*. Pone speculatores qui videant quid agatur in castris Cyri. Dum Babylonii ponunt mensam, dum comedunt & bibunt, surgite principes Medi, *arripite clypeum*.

7. (*f*) Illos Persas, hos Medos plerique interpretantur: nam Persæ mulis, Medi camelis utebantur.

8. (*g*) Darius; vel ecce Leo, nempe Darius, aut Cyrus: Græci legunt Urias, seu Sacerdos, positus in specula: aut Propheta clamavit velut Leo.

9. (*h*) Video adventuras Persarum acies. *Vir bigæ equitum*: Uterque Rex in sua biga: venit currus unus & alter, & singulis duo insessores.

10. (*i*) Qui oppressi estis ut palea: gens mea, Judæa, vel hæc referuntur ad Babylonem a Medis triturandam. *Quæ audivi*; hæc sunt verba Uriæ renuntiantis Isaiæ, quæ viderat.

11. (*k*) Pro Idumæa; nam propria vocabula patiuntur aphæresim; sic Jerusalem dicitur Salem. Id existimat Pezronius Abbas in antiquitate temporum vindicata, pag. 449. Judæos Hieronymi temporibus, immo & in posterioribus sæculis, hunc locum corrumpere voluisse, & pro Duma Romam posuisse, eosque in suis Commentariis semper Dumæ vocabulo Romam interpretari. Unde Hieron. in hunc locum, *Semper*, inquit, *Idumæas nomine Romanos existimant demonstrari*. Et scribens in Abdiam. *Et illud quod in Isaia scriptum est, Onus Duma, paullulum litteræ apice commutato pro Daleth posse legi Resch, & sonare Romam*: sed Dumath juxta Hieron. quædam est Idumææ Regio, quæ ad austrum vergit.

12. (*l*) Ut oportet; vel potius frustra me quæritis: venit mane & nox, floruit Babylon, & cecidit. *Convertimini*, Venite ad nos ruendo.

13. (*m*) Noctem sub dio transigetis: an nunc est tempus cessandi? *Onus in Arabia*, Petræa.

16. (*n*) Post breve tempus: *Mercenarii*: Ut mercenario certum tempus præfigitur, aut posteriorum annum ab excisa Jerosolyma; *Auferetur gloria Cedar*, Arabiæ.

17. (*o*) Paucæ Arabum reliquiæ.

1. (*a*) Jerusalem, ex qua tot Prophetæ prodierunt, cumque maxima ex parte vallis erat: aut tribus est Juda montibus cincta. *Ascendisti*: quasi hostis jam instaret portis. CAPUT XXII.

2. (*b*) Sed metu soli exanimati, aut fame.

3. Cuncti principes tui fugerunt (*c*) simul, dureque ligati sunt: omnes qui inventi sunt, vincti sunt pariter, procul fugerunt.

4. Propterea dixi: Recedite a me, amare flebo: nolite incumbere ut consolemini me super vastitate filiæ populi mei.

5. Dies enim interfectionis, & conculcationis, & fletuum, Domino Deo exercituum in valle visionis, scrutans murum (*d*), & magnificus super montem.

6. Et Ælam sumpsit pharetram, currum hominis equitis, & parietem nudavit clypeus (*e*).

7. Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum, & equites ponent sedes suas in porta.

8. Et revelabitur operimentum (*f*) Judæ, & videbis in die illa armamentarium domus saltus.

9. Et scissuras civitatis David videbitis, quia multiplicatæ sunt: & congregastis aquas (*g*) piscinæ inferioris,

10. Et domos Jerusalem numerastis, & destruxistis domos ad muniendum murum.

* 4. Reg. 20. 20. 2. Par. 32. 30. 11. Et lacum fecistis * inter duos muros ad aquam piscinæ veteris: & non suspexistis ad eum (*h*), qui fecerat eam, & operatorem ejus de longe non vidistis.

12. Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, ad calvitium, & ad cingulum sacci:

13. Et ecce gaudium & lætitia (*i*), occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum: * Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur.

* Sap. 2. 6. Inf. 56. 12. 1. Cor. 15. 32.

14. Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum. Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.

15. Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi (*k*), & dices ad eum:

16. Quid tu hic, aut quasi quis (*l*) hic? quia excidisti tibi hic sepulcrum, excidisti in excelso memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi.

17. Ecce Dominus asportari (*m*) te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum sic sublevabit te.

18. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam (*n*) & spatiosam: ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus Domini tui.

19. Et expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te.

20. Et erit in die illa: Vocabo servum meum Eliacim filium Helciæ,

21. Et induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu ejus: & erit quasi pater habitantibus Jerusalem, & domui Juda.

22. * Et dabo clavem (*o*) Domus David super humerum ejus: & * aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat. * Apoc. 3. 7. * Job 12. 14.

23. Et figam illum paxillum in loco fideli (*p*), & erit in solium gloriæ domui patris ejus.

24. Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus, vasorum diversa genera, omne vas parvulum, a vasis craterarum usque ad omne vas musicorum.

25. In die illa dicit Dominus exercituum: Auferetur paxillus (*q*) qui fixus fuerat in loco fideli: & frangetur, & cadet, & peribit quod pependerat in eo, quia Dominus locutus est.

CAPUT XXIII.

Tyri vastitas ad annos septuaginta prædicitur propter ejus superbiam, & postea restituetur.

1. Onus (*a*) Tyri. Ululate naves maris: quia vastata est domus, unde venire consueverant: de terra Cethim revelatum est eis.

2. Tacete qui habitatis in insula (*b*): negotiatores Sidonis transfretantes mare, repleverunt te.

3. In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges ejus, & facta est negotiatio (*c*) gentium.

4. Erubesce Sidon: ait enim mare (*d*): fortitudo maris, dicens: Non parturivi, & non peperi, & non enutrivi juvenes, nec ad incrementum perduxi virgines.

5. Cum

3. (*c*) Simul fugam adornant. *Ab arcu*, metu sagittariorum: *Ligati sunt*, Conjurarunt inter se ut fugam capesserent.

5. (*d*) Deus vindex quasi explorat murum quem dejiciat. *Magnificus super montem*: Hebr. *Clamor ad montem usque perveniet*, vel qui gloriam suam in monte manifestam facit. Hæc verba sunt civitatis, quæ Prophetæ respondit.

6. (*e*) Hebr. Medus eduxit clypeum; vel Persæ.

8. (*f*) Muri destruuntur: *Domus saltus*; domus Regiæ e cedris Libani constructæ, ubi erat armamentarium; vel potius munimenta urbi circumjecta destruentur.

9. (*g*) Instaurandis muris, & diluendæ calci: vel aquas illas in urbem ductas, ne his utatur hostis; vel *congregastis aquas*, ne desint in obsidione.

11. (*h*) Ad Deum ipsum.

13. (*i*) Vos interim non desinetis convivia ut in rebus lætis agitare: lætabuntur instante periculo.

15. (*k*) Hebr. Domus Regiæ. Alii de Summo Sacerdote exponunt.

16. (*l*) Non tam homo, quam hominis simulacrum: forte non erat Pontifex ille Sobna, sed militari custodiæ præerat; aut scriba erat, non is, cujus mentio fit 4. Regum 18 sic Zach. 11. *O Pastor & idolum*.

17. (*m*) Una cum Rege Manasse in Babylonem; Hebr. *Dominus te projiciendo projiciet*, extra urbem, ut leprosum; *Et quasi amictum*; Hebr. *Et obtegendo obteget*, faciem nimirum.

18. (*n*) Assyriam; vel longe extra urbem, ibi morieris.

22. (*o*) Eliacim successurus erat Sobnæ præposito templi, vel domus regiæ, ut aliis placet; erit penes eum rerum administratio, quæ ad Domum David, vel ad templum Dei pertinent. Quæ Apocal. 3 ad Christum allegorice referuntur: nam repudiata lege veteri, & Aaronis Sacerdotio, in Christum utrumque translatum est; *Qui claudit, & nemo aperit*. Clavis illa, inquit Grotius, erat figura clavis, intexta epomidi, seu humerali, unde functio ejus nosceretur; *Et aperiet*; Fungetur suo munere nemine contradicente.

23. (*p*) In statu eximio.

25 (*q*) Sobna peribit, quique ejus fortunæ erant addicti.

1. (*a*) Excidium Tyri a Nabuchodonosore, vel ab Alexandro, lib. 1. Machab. 1. *De terra Cethim*; Ex insulis maris Mediterranei; *Revelatum est eis*, negotiatoribus maris vastatam esse Tyrum. Existimat Grotius hæc omnia vaticinia inter se cohærere, & ad tempora proxima pertinere, ex Josepho lib. 9. Salmanasar Tyriis bellum intulit, & per septem annos obsessi quodammodo fuerunt. Alii ad illud tempus referunt, quo Tyrii ob victoriam de Salmanasar reportatam in Judæos incursionem fecerunt. CAPUT XXIII.

2. (*b*) Tyrus olim erat insula, ex Curtio lib. 4 aut pars illius erat insula.

3. (*c*) Copia frumenti, quam affert inundans Nilus, tum merces Tyrum delatæ.

4. (*d*) Negotiatores Tyrii; *Erubesce*, recusans opem ferre Tyriis, cum Tyrus esset Sidonis colonia; vel quod ei opitulari non potuerit, *Non parturivi*: Utinam numquam mihi fuisset ulla soboles. Hebræi carent optativo modo.

5. Cum auditum fuerit in Ægypto, dolebunt cum audierint de Tyro:

6. Transite (e) maria, ululate qui habitatis in insula:

7. Numquid non vestra hæc est, quæ gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua? ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum.

8. Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cujus negotiatores principes, institores ejus inclyti terræ?

9. Dominus exercituum cogitavit (f) hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, & ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ.

10. Transi terram tuam quasi flumen filia maris, non est cingulum (g) ultra tibi.

11. Manum suam extendit super mare, conturbavit regna: Dominus mandavit adversus Chanaan, ut converteret fortes ejus,

12. Et dixit: Non adjicies ultra ut glorieris, calumniam sustinens virgo (h) filia Sidonis: in Cethim consurgens transfreta, ibi quoque non erit requies tibi.

13. Ecce terra Chaldæorum (i) talis populus non fuit, Assur fundavit eam: in captivitatem traduxerunt robustos ejus, suffoderunt domos ejus, posuerunt eam in ruinam.

14. Ululate naves maris, quia devastata est fortitudo vestra.

15. Et erit in die illa: In oblivione eris, o Tyre, septuaginta annis (k), sicut dies regis unius: post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis.

16. Sume citharam, circui civitatem meretrix (l) oblivioni tradita: bene cane, frequenta canticum ut memoria tui sit.

17. Et erit post septuaginta annos: Visitabit Dominus Tyrum, & reducet eam ad mercedes suas: & rursum fornicabitur (m) cum universis regnis terræ super faciem terræ.

18. Et erunt negotiationes ejus, & mercedes ejus sanctificatæ (n) Domino: non condentur, neque reponentur: quia his, qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem, & vestiantur usque ad vetustatem.

CAPUT XXIV.

Mala, quæ Dominus propter peccata universo orbi facturus est, adjecta interim reliquiarum consolatione: & quam terribilis erit dies divini judicii.

1. Ecce Dominus dissipabit (a) terram, & nudabit eam, & affliget faciem ejus, & disperget habitatores ejus.

2. * Et erit sicut populus, sic sacerdos (b): * Osee 4. 9.
& sicut servus, sic dominus ejus: sicut ancilla, sic domina ejus: sicut emens, sic ille qui vendit: sicut fœnerator, sic is qui mutuum accipit: sicut qui repetit, sic qui debet.

3. Dissipatione dissipabitur terra, & direptione prædabitur. Dominus enim locutus est verbum hoc.

4. Luxit, & defluxit (c) terra, & infirmata est: defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terræ.

5. Et terra infecta (d) est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.

6. Propter hoc maledictio vorabit terram, & peccabunt habitatores ejus: ideoque insanient cultores ejus, & relinquentur homines pauci.

7. Luxit (e) vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui lætabantur corde.

8. Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ.

9. Cum cantico non bibent vinum: amara erit potio bibentibus illam.

10. Attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte.

11. Clamor erit super vino in plateis: deserta est omnis lætitia: translatum est gaudium terræ.

12. Relicta est in urbe solitudo, & calamitas opprimet portas.

13. Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum, quomodo si paucæ olivæ (f), quæ remanserunt, excutiantur ex olea: & racemi, cum fuerit finita vindemia.

14. Hi levabunt vocem (g) suam, atque laudabunt: cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari.

15. Pro-

6. (e) Quærite alias sedes.

9. (f) Hieron. *Quia supra interrogantis more dixerat, quis cogitavit? nunc respondit: non fatorum, ut stulti putant, sic fila deducta sunt, non fortuna cucurrit rota, sed Dei judicio & voluntate perfectum est.*

10. (g) Jam muris cincta non es, vel munimenta urbi circumposita hostis tenet, vel mare non te amplius cinget, cum in continentem transieris. Alexander continenti Tyrum adjunxit; non desunt enim qui hanc prophetiam ad Alexandri tempora referant.

12. (h) Vim passa, & oppressa; vel ex LXX. injuriam facere solita. *In Cethim consurgens*; in Cyprum, ubi est urbs Citium, Phœnicum colonia; vel in Græciam.

13. (i) Si Monarchias deserere novi, urbem non poteto!

15. (k) Ut factum legimus 2. Esdræ; legendum 7. annis existimat Grotius, quod Tyri obsidio tantumdem duraverit.

16. (l) Tyrus ostentatione mercium ad se alliciet mercatores, ut meretrix cantu suo: vel quasi canticum quod meretrici canitur, quæ diu abiit; quod canticum mox sequitur.

17. (m) Hebr. *Negotiabitur*, quæstum undique faciet, ut solent meretrices.

18. (n) Per eleemosynas, & pios usus: Tyriis ad Christum conversis hæc dicuntur: nam suo more propheta ad Christum identidem avolat; conditiones servandas in bonorum usu, quæ Deo sunt consecrata, præscribit. 1. *Non condentur, neque reponentur*, sed erogari debent. 2. in usum eorum qui Deo serviunt impendenda: *Quia his qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus*. 3. in victum & vestitum eorum, non in lusum, *ut manducent in saturitatem, & vestiantur usque ad vetustatem*, usque ad senectutem; vel ad litteram, quæstus ille ad Hebræos perveniet; nam Tyrii pecuniam impendent in frumentum, vinum, & pecora, quibus abundat Judæa.

1. (a) Ab excidio quarundam gentium transit ad extremam totius orbis stragem, ut Christus Matth. 24. 46. ab Jerosolymæ clade ad totius terræ transit excidium, *Et nudabit eam*, habitatoribus, *& affliget faciem ejus*, igne conflagrationis, 2. Petr. 3. vel ad litteram devastationem decem tribuum a Salmanasare factam describit; sed prior sensus potior. CAPUT XXIV.

2. (b) Nulla erit apud Deum acceptio personarum.

4. (c) Hæc videntur ad totius orbis excidium pertinere.

5. (d) Propter peccata.

7. (e) Hieron. *In consummatione mundi præteritarum deliciarum recordatio erit materia cruciatuum.*

13. (f) Tempore Antichristi perpauci stabunt Fideles, constantes in fide; vel idcirco hæc dicit, quia Teglath Phalasar multos ante transtulerat e decem tribubus. Hieron. juxta LXX. *Omnia quæ de Sanctis intelleximus, referri possunt ad impios; quod cum finita fuerit vindemia, tunc illi clament in suppliciis constituti.*

14. (g) Præ lætitia, Lucæ 21. *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Jam propinquum portum cernentes, vocem lætitiæ tollent; vel ad litteram, duæ tribus, quæ Salmanasaris arma evasere, venient de mari.

15. Propter hoc in doctrinis (*h*) glorificate Dominum : in insulis maris nomen Domini Dei Israel.

16. A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi (*i*). Et dixi: Secretum meum mihi, secretum meum mihi, væ mihi: prævaricantes prævaricati sunt, & prævaricatione transgressorum prævaricati sunt.

17. Formido, & fovea, & laqueus super te, qui habitator es terræ.

* Jer. 48. 44. 18. Et erit. * Qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam : & qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo: quia cataractæ (*k*) de excelsis apertæ sunt, & concutientur fundamenta terræ.

19. Confractione (*l*) confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra,

20. Agitatione agitabitur terra sicut ebrius, & auferetur (*m*) quasi tabernaculum unius noctis: & gravabit eam iniquitas sua, & corruet, & non adjiciet ut resurgat.

21. Et erit : In die illa visitabit (*n*) Dominus super militiam cæli in excelso : & super reges terræ, qui sunt super terram.

22. Et congregabuntur in congregatione unius fascis (*o*) in lacum, & claudentur ibi in carcere: & post multos dies visitabuntur.

* Joel. 2. 31. Act. 2. 20. 23. * Et erubescet luna (*p*), & confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, & in Jerusalem, & in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.

CAPUT XXV.

Propheta Deo gratias agit ob beneficia populo ipsius in monte Sion præstanda.

1. DOmine (*a*) Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo : quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen.

2. Quia posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum : ut non sit civitas, & in sempiternum non ædificetur.

3. Super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium (*b*) robustarum timebit te.

4. Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua : spes a turbine, umbraculum ab æstu: spiritus (*c*) enim robustorum quasi turbo impellens parietem.

5. Sicut æstus (*d*) in siti, tumultum alienorum humiliabis : & quasi calore sub nube torrente, propaginem fortium marcescere facies.

6. Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte (*e*) hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.

7. Et præcipitabit in monte isto faciem (*f*) vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est super omnes nationes.

8. Præcipitabit mortem in sempiternum : * & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universa terra: quia Dominus locutus est. * 1. Cor. 15. Apoc. 7. 17. & 21. 4.

9. Et dicet in die illa. Ecce Deus noster iste (*g*), expectavimus eum, & salvabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutari ejus.

10. Quia requiescet (*h*) manus Domini in monte isto: & triturabitur Moab sub eo, sicuti teruntur paleæ in plaustro.

11. Et extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum : & humiliabit gloriam ejus cum allisione manuum ejus.

12. Et munimenta sublimium (*i*) murorum tuorum concident, & humiliabuntur, & detrahentur in terram usque ad pulverem.

CA-

15. (*h*) Viri Apostolici verbum Dei annuntiate Insulis; vox Hebræa etiam valles significat; *In vallibus*.

16. (*i*) Christi Domini : *Secretum meum mihi ;* Hieron. *Non possum cuncta narrare, quæ video: hæret lingua faucibus meis*. Alii vertunt, *Macies mihi* non erit diuturna gaudendi caussa; nam Judæorum peccata magnas inducent clades: reliqua fere extremum judicium nobis ob oculos ponunt, & cum verbis Christi Domini in Evangelio apte conveniunt. *Prævaricantes;* nam refrigescet charitas multorum.

18. (*k*) Malorum inundatio; LXX. vertunt *fenestras Cœli*. *Concutientur*, erunt magni terræ motus.

19. (*l*) Vel universa terra, vel duarum tribuum, quam vastabit exercitus Sennacherib. Nam iis quæ ad extremum judicium pertinent, Propheta multa admiscet, quæ ad Judæos spectant.

20. (*m*) Omnis terrena mansio, omnes incolæ; vel oppida a Sennacherib destructa.

21. (*n*) Judicium exercebit in dæmones; vel in siderum imagines, quas Assyrii habebant in castris.

22. (*o*) Impii quasi uno fasce facto dejicientur in lacum: *Post multos dies*, In æternum punientur, vel dejicientur, ut res inutiles dejici solent: *Et claudentur in carcere*: in castris suis, unde exire non poterunt; si in sensu historico de exercitu Sennacherib sermo habeatur.

23. (*p*) Nam Luna vertetur in sanguinem, confundetur Sol, obscurabitur. Hieron. in hoc LXX. Interpretes reprehendit, quod verterint liquefieri laterem, & cadere murum: & erroris caussam aperit ex vocum affinitate; vel imagines Solis, aut Lunæ, quas circumferebant Assyrii, per metaphoram erubescere dicuntur.

CAPUT XXV. 1. (*a*) Deo gratias agit, quod posuerit civitatem Jerusalem in tumulum, ob mortem Christi, & in illius locum populum fortem, seu Ecclesiam suffecerit : *Cogitationes antiquas fideles, amen*. Chald. consilia æterna opere confirmata; vel potius civitas illa magna est: civitas impiorum, quam civitati Dei opponit Augustinus; vel ad litteram est Samaria; domus alienorum deorum.

3. (*b*) Illis blasphemantibus, te gentium populus timebit. Hieron.

4. (*c*) Dæmones sunt tyranni, qui tempestates commovent, ut dejiciant animam; sed Deus est ejus fortitudo; vel in sensu historico, factus est fortitudo pauperi. Jerosolymæ obsessæ *Spiritus robustorum*, & Assyriorum; vel juxta interpretationem Hieronymi, si ventus impingatur parieti; atque pertranseat; sic turba blasphemantium Judæorum, illi nocere non potuit.

5. (*d*) Torquet homines in locis aridis positos: sic *tumultum alienorum*, nempe dæmonum, aut impiorum humiliabis.

6 (*e*) In monte Sion, vel Olivarum, vel potius in Ecclesia; *Convivium pinguium*, Corporis Dominici; vel allegorice describit delicias Beatorum. Pagninus & Vatablus vertunt convivium defunctorum, non carnale, sed spirituale.

7. (*f*) Concupiscentiam, & calamitatum *telam:* faciem involverit, terrorem scilicet ab Assyriis incussum: Symmachus faciem dominatoris, Aquila faciem tenebrarum.

9. (*g*) Chorus beatorum dicet: *salvabit* nos salute æterna.

10. (*h*) Cessabit montem illum per varias afflictiones probare: *& triturabitur Moab*: reprobi, & populi Dei hostes. *Et extendet*: ad litteram pressus Moab sub onere nihil non tentabit ut evadat, sed frustra. Hieron. Igitur Sermo Propheticus licet de consummatione mundi generaliter texat vaticinium, tamen ne præsentia videatur omittere, nominat Moab, qui fuit inimicus Israel, cujus idolum, seu dæmonem huic præsidentem *detrahet in terram usque ad pulverem*.

12. (*i*) Christus in die judicii omnia evertet, in quibus confidittis.

CAPUT XXVI.

Canticum gratiarum actionis ob exaltationem justorum & reprobationem impiorum, ubi de resurrectione mortuorum.

1. IN die illa cantabitur (*a*) canticum istud in terra Juda: Urbs fortitudinis nostræ Sion salvator, ponetur in ea murus & antemurale.

2. Aperite (*b*) portas, & ingrediatur gens justa, custodiens veritatem.

3. Vetus error abiit (*c*): servabis pacem; pacem, quia in te speravimus.

4. Speraſtis (*d*) in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.

5. Quia incurvabit (*e*) habitantes in excelso, civitatem sublimem humiliabit.

Humiliabit eam usque ad terram, detrahet eam usque ad pulverem.

6. Conculcabit eam pes (*f*), pedes pauperis, gressus egenorum.

7. Semita (*g*) justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.

8. Et in semita judiciorum tuorum Domine sustinuimus te: nomen tuum & memoriale tuum in desiderio (*h*) animæ.

9. Anima (*i*) mea desideravit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.

Cum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis.

10. Misereamur (*k*) impio, & non discet justitiam: in terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.

11. Domine, exaltetur (*l*) manus tua, & non videant: videant, & confundantur zelantes populi: & ignis hostes tuos devoret.

12. Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera (*m*) nostra operatus es nobis.

13. Domine Deus noster, possederunt (*n*) nos domini absque te, tantum in te recordemur nominis tui.

14. Morientes non vivant (*o*), gigantes non resurgant: propterea visitasti & contrivisti eos, & perdidisti omnem memoriam eorum.

15. Indulsisti genti (*p*) Domine, indulsisti genti: numquid glorificatus es? elongasti omnes terminos terræ.

16. Domine in angustia (*q*) requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.

17. Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus a facie tua Domine.

18. Concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum (*r*): salutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terræ.

19. Vivent mortui tui (*s*), interfecti mei resurgent: expergiscimini, & laudate qui habitatis in pulvere: quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.

20. Vade populus meus, intra in cubicula (*t*) tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.

21. * Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum: & revelabit (*u*) terra sanguinem suum, & non operiet ultra interfectos suos. *Mich. 1. 3.

CAPUT XXVII.

Dæmonis punitio: Canticum Ecclesiæ sub titulo vineæ.

1. IN die illa visitabit (*a*) Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti, super Leviathan serpentem vectem, & super Leviathan serpentem tortuosum, & occidet cetum, qui in mari est.

2. In die

CAPUT XXVI.

1. (*a*) Vel cantetur, Canticum supernæ Sion; Christus custos noster, sub ejus tutela securi sumus; interius, exteriusque nos tuetur; murus est & propugnaculum urbis Sion, quam opponit urbi Moab. Hieron. murus bonorum operum, & antemurale rectæ fidei. Quæ dicuntur de Sion, ad Ecclesiam omnino pertinent.

2. (*b*) Reserate Cælum o Angeli; Hieron. Omne hoc Canticum, quod in terra Confessionis & Laudis Sancti cantaturi sunt, mutat repente persona, & quasi per interrogationem & responsionem texitur.

3. (*c*) Quo impii nos insanos judicabant: *Servabis pacem*; omnium bonorum abundantiam, quæ in te posita est.

4. (*d*) In Domino, hoc est confidite in Domino.

5. (*e*) Sublimem Niniven.

6. (*f*) Pedes Christi pauperis & Apostolorum, eam Civitatem superborum, mundum scilicet conculcabunt; vel in sensu litterali, pauperes Jerosolymæ cives Assyrios contemnent.

7. (*g*) Hebr. *Semitam justi*, ad libellam exiges. Hieron. *Et quicumque per eam voluerit ambulare, cursu ambulet inoffenso*.

8. (*h*) Non est quicquam magis in votis, quam ut nomen tuum, & tui memoria celebretur apud omnes.

9. (*i*) Jam sunt Prophetæ verba, non Cantici.

10. (*k*) Hebr. *Etsi misereamur impio, non discet justitiam; In terra*, In Ecclesia ipsa major est ingrati animi labes post tot accepta bona.

11. (*l*) Vel exaltata est manus tua ad eos puniendos, & non vident, sed videbunt: *Zelantes populi*, qui invidia & zelo tabescunt. Quæ dicuntur per correctionem: Percute ne videant gloriam tuam; immo videant eam datam bonis, & confundantur.

12. (*m*) Vox Hebræa omnem eventum significat: possunt etiam intelligi opera nostra, quæ Deus in nobis per gratiam operantem, & prævenientem operatur.

13. (*n*) Verba sunt animæ pœnitentis: Impii per flagella redeunt in viam rectam: *Tantum in te*, spes nostra erit.

14. (*o*) Vel peccata ipsa, vel impii non vivant, Gigantes non resurgant, superbi; Tyranni non redibunt nos vexaturi. Symmachus, Mortui non vivificabuntur, gigantes non suscitabunt.

15. (*p*) Judæorum: *Elongasti*, postquam in omnem terram dispersi fuerint; vel indulsisti, pœnam differendo: amplificasti eorum fines: numquid propterea te glorificaverunt? Hier. *Securitas enim negligentiam, negligentia contemptum parit*.

16. (*q*) Cum affligerentur in *tribulatione*, in gravi calamitate, quæ exprimebat querelas; *doctrina tua in eis*. Post correptionem salutarem ad te confugient malis oppressi.

18. (*r*) Vatabl. Ventum: Nihil ultra bona desideria protulimus; *Salutes non fecimus*: opera salutis, fructus pœnitentiæ; nec pravi habitus extirpati fuerunt, vel hostes nostri, qui terram sanctam incolebant, exterminati non sunt; ex LXX. Præ timore tuo concepimus, & parturivimus spiritum salutis.

19. (*s*) Qui in te, aut propter te moriuntur: *& interfecti mei*, propter justitiam, *resurgent*, ad vitam. *Quia ros lucis, ros tuus*: vox Hebr. lumen & olera significat: ros gratiæ cum animas, tum corpora suscitabit ut herbas: semen tuum fœcundum erit, ut ros matutinus: *Terram gigantum*, impiorum, *detrahes in ruinam*.

20. (*t*) In sepulcra; vel tenete vos intra urbem, donec pertranseat indignatio; donec furor Assyriorum deferbuerit.

21. (*u*) Reddet sanguinem justorum: quin & omnes vita functos reddet: vel ad litteram de Assyriis; Tam multus erit sanguis Assyriorum, ut terra non possit eum absorbere.

CAPUT XXVII.

1. (*a*) Quidam exponunt hoc capitis initium de Rege Assyriorum: *Super Leviathan*, cetum: nam majores Principes sæpe minores opprimunt: non Christiani modo, sed & Hebræi de diabolo hæc interpretantur, qui & Leviathan figurato sermone appellatur, propter potestatis magnitudinem. *Super Leviathan serpentem*, ob fallendi artem, *vectem*, ob potentiam, unde Theodotio vertit *serpentem robustum*.

2. In die illa vinea (*b*) meri cantabit ei.

3. Ego Dominus, qui servo eam, repente (*c*) propinabo ei: ne forte visitetur contra eam, nocte & die servo eam.

4. Indignatio non est mihi: quis dabit (*d*) me spinam & veprem in prælio: gradiar super eam, succendam eam pariter?

5. An potius tenebit (*e*) fortitudinem meam, faciet pacem mihi, pacem faciet mihi?

6. Qui ingrediuntur (*f*) impetu ad Jacob, florebit & germinabit Israel, & implebunt faciem orbis semine.

7. Numquid juxta plagam (*g*) percutientis se percussit eum? aut sicut occidit interfectos ejus, sic occisus est?

8. In mensura contra mensuram, cum abjecta (*h*) fuerit, judicabis eam: meditatus est in spiritu suo duro per diem æstus.

9. Idcirco super hoc dimittetur (*i*) iniquitas domui Jacob: & iste omnis fructus ut auferatur peccatum ejus, cum posuerit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci & delubra.

10. Civitas (*k*) enim munita desolata erit, speciosa relinquetur, & dimittetur quasi desertum: ibi pascetur vitulus, & ibi accubabit, & consumet summitates ejus.

11. In siccitate messes illius conterentur (*l*), mulieres venientes, & docentes eam: non est enim populus sapiens, propterea non miserebitur ejus, qui fecit eum: & qui formavit eum, non parcet ei.

12. Et erit (*m*): In die illa percutiet Dominus ab alveo fluminis usque ad torrentem Ægypti, & vos congregabimini unus & unus filii Israel.

13. Et erit: In die illa clangetur in tuba (*n*) magna, & venient qui perditi fuerant de Terra Assyriorum, & qui ejecti erant in Terra Ægypti, & adorabunt Dominum in monte sancto in Jerusalem.

CAPUT XXVIII.

Superbis & ebriis Israelitis comminatur Dominus, eo quod sacerdotes vacent ebrietati, & principes irrideant verba & comminationes prophetarum, ponentes mendacium spem suam: de lapide angulari in fundamentis Sion ponendo; de pœna illusorum, & consolatione paucorum bonorum.

1. VÆ coronæ superbiæ (*a*), ebriis Ephraim, & flori decidenti, gloriæ exultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguissimæ, errantes a vino.

2. Ecce validus & fortis Dominus, sicut impetus grandinis: turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium, & emissarum super terram spatiosam.

3. Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim.

4. Et erit flos decidens gloriæ exultationis ejus, qui est super verticem vallis pinguium, quasi temporaneum (*b*) ante maturitatem autumni: quod cum aspexerit videns, statim ut manu tenuerit, devorabit illud.

5. In die illa (*c*) erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui:

6. Et spiritus (*d*) judicii sedenti super judicium, & fortitudo revertentibus de bello ad portam.

7. Verum hi (*e*) quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate erraverunt: sacerdos & propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium.

8. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus.

9. Quem docebit (*f*) scientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.

10. Quia manda remanda (*g*), manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.

11. * In

2. (*b*) Ecclesia, quod non labruscas, sed vinum merum protulerit. A iis placet Civitatem Jerusalem esse vineam vini rubentis, seu optimi.

3. (*c*) Hebr. in tempore irrigabo eam.

4. (*d*) Promittit Deus fore ut vineam suam conservet, non sit illi in spinam, non indignetur quasi in spinam, non incendat eam ut spinas. *Indignatio*, vel possum irasci vineæ meæ. & quis obstabit quominus eam igne consumam?

5. (*e*) An potius decore suo devinctam tenebit fortitudinem meam, id precibus suis faciet; quam celerrime me placabit.

6. (*f*) Apostoli, radices Jacob pullulabunt; *Florebit semine*. Venturis temporibus radices aget; hæc tamen & Apostoli replebunt orbem.

7. (*g*) Non ut tyrannus populum suum percutiet, sed ut pater & medicus. Vel castigabit quidem Judæos, sed non ut exercitum Sennacherib, usque ad internecionem.

8. (*h*) Synagoga: moderabitur tum enim iræ suæ Deus, meditabitur: vel ubi propter rebellionem prorsus a te abjecta fuerit, tum pari sceleribus pœnarum mensura plectetur; *In spiritu suo duro*, & inexorabili; *Per diem æstus*, tempore ferventis vindictæ in eam animadvertet per Vespasianum & Titum.

9. (*i*) Contra vero, qui tot cladibus castigati resipuerint ex domo Jacob; *super hoc*, Vatablus, *hoc pacto*: *dimittetur iniquitas domus Jacob*. Cum se ad Christum adjunget. Cum posuerit, quod factum est in excidio Jerosolymæ: *Et delubra*, Gentium. Cum viderint Judæi Templo destructo idola everti gentilium, multi ex iis ad Deum convertentur. Apud Judæos non erunt luci, nec delubra.

10. (*k*) Jerusalem. *summitates*; Hebr. ramos ejus, ut solent feræ in saltu, aut in vinea. Alii civitatem munitam putant esse Babylonem, quæ misere vastanda erat.

11. (*l*) Præ siccitate fames invadet. *Mulieres*, falsi prophetæ & ignavi doctores; vel mulieribus se docendos dabunt: *Sapiens*: meretur regi a mulieribus. Vel mulieres incendent messes; an Medi molles & effeminati?

12. (*m*) Judæi exules confugient ad Christi Ecclesiam; *Percutiet Dominus*, Hebr. Excutiet, *Ab alveo fluminis*, Euphratis: *Usque ad torrentem Ægypti*: *Congregabimini ad unum*, in Ecclesiam Christi.

13. (*n*) Prædicatione Evangelii.

1. (*a*) Redit ad excidium regni Israelitici, ad Samariam in vertice montis positam: comparat gloriam decem tribuum coronæ variis floribus textæ. CAPUT XXVIII.

4. (*b*) Fructum præcocem, qui avide voratur.

5. (*c*) Vastatis decem tribubus, erit *Dominus corona gloriæ residuo populi sui*, tribui Juda & Benjamin.

6. (*d*) Bene judicandi scientia dabitur *sedenti*, Ezechiæ regi.

7. (*e*) Judæi imitantur Samaritas: *Nescierunt videntem*, audire noluerunt prophetas. Excidetur postea Jerusalem Samariæ sceleribus infecta.

9. (*f*) Judæi erant indociles, voluptatibus dediti, irrisores prophetarum, quorum verba minantia futuram calamitatem repetebant. Cum igitur adulti irrideant præcepta Domini, Deus irridendo infantes docebit ablactatos a lacte. Vatablus legendum putat per interrogationem.

10. (*g*) Hebr. Præceptum ad præceptum. Hæc verba prophetæ deridendo sæpius repetebant.

* 1. Cor. 14. 21. 11. * In loquela (*h*) enim labii, & lingua altera loquetur ad populum istum.

12. Cui dixit: Hæc est requies (*i*) mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigerium: & noluerunt audire.

13. Et erit eis verbum (*k*) Domini: Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi: ut vadant, & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur.

14. Propter hoc audite verbum Domini viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Jerusalem.

15. Dixistis enim: Percussimus fœdus cum morte (*l*): & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos: quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.

* Ps. 117. 22. Matth. 21. 42. Act. 4. 11. Rom. 9. 33. 1. Petr. 2. 6. 16. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: * Ecce ego mittam (*m*) in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum: qui crediderit, non festinet.

17. Et ponam in pondere (*n*) judicium, & justitiam in mensura: & subvertet grando spem mendacii: & protectionem aquæ inundabunt.

18. Et delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit: flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem.

19. Quandocumque pertransierit, tollet vos: quoniam mane diluculo pertransibit in die & in nocte, & tantummodo sola (*o*) vexatio intellectum dabit auditui.

20. Coangustatum est enim stratum (*p*), ita ut alter decidat: & pallium breve utrumque operire non potest.

* 2. Reg. 5. 20. 1. Par. 14. 11. * Jos. 10. 10. 21. * Sicut enim in monte divisionum (*q*) stabit Dominus: * sicut in valle, quæ est in Gabaon, irascetur: ut faciat opus suum, alienum opus ejus: ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo.

22. Et nunc nolite illudere (*r*), ne forte constringantur vincula vestra: consummationem enim & abbreviationem audivi a Domino Deo exercituum super universam terram.

23. Auribus percipite, & audite vocem meam, attendite, & audite eloquium meum.

24. Numquid tota die arabit (*s*) arans ut serat, proscindet & sarriet humum suam?

25. Nonne cum adæquaverit (*t*) faciem ejus: seret gith, & cyminum sparget, & ponet triticum per ordinem, & hordeum, & millium, & viciam in finibus suis?

26. Et erudiet illum in judicio: Deus suus docebit illum.

27. Non enim in serris (*u*) triturabitur gith, nec rota plaustri super cyminum circuibit: sed in virga excutietur gith, & cyminum in baculo.

28. Panis (*x*) autem comminuetur: verum non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plaustri, nec ungulis suis comminuet eum.

29. Et hoc a Domino Deo exercituum exivit, ut mirabile faceret consilium, & magnificaret justitiam.

CAPUT XXIX.

Excidium Jerusalem, contritio gentium illam obsidentium: de libro signato, ac cæcitate Judæorum.

1. VÆ Ariel (*a*) Ariel civitas, quam expugnavit David: additus est annus ad annum: solemnitates evolutæ sunt.

2. Et circumvallabo (*b*) Ariel, & erit tristis & mœrens, & erit mihi quasi Ariel.

3. Et circumdabo (*c*) quasi sphæram in circuitu tuo, & jaciam contra te aggerem, & munimenta ponam in obsidionem tuam.

4. Humiliaberis, de terra (*d*) loqueris, & de humo audietur eloquium tuum: & erit quasi pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit.

5. Et erit sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium (*e*) te: & sicut favilla pertransiens multitudo eorum, qui contra te prævaluerunt.

6. Eritque repente confestim. A Domino exercituum visitabitur in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis & tempestatis, & flammæ ignis devorantis.

7. Et

11. (*h*) Loquetur Deus ad hos derisores altera lingua per Chaldæos; Barbarorum opera utetur ad castigandos Judæos.

12. (*i*) Hoc erit gaudium meum, si afflictos sublevetis.

13. (*k*) Hebr. Et factum est eis verbum Domini, præceptum ad præceptum per illusoriam imitationem verborum.

15. (*l*) Ut nos non tangat. Sed Deus ostendet spem illam nitti mendacio, & pactum illud dissolvet. Deo permittente prophetas irridebunt, donec mala quæ prædixere eis eveniant.

16. (*m*) Hæc verba citantur Matth. 21. Paulus Roman. 9. *Omnis qui crediderit in illum, non confundetur*. Increduli festinare solent ex diffidentia, cupientes mox oculis intueri: sed qui firmiter credit, per patientiam expectat, nec confunditur. Hebræus textus hæc quidem habet. *Qui credit, non festinabit*; sed in versione LXX. sic legimus, ut citatur in prima Petri epistola cap. 2. *Qui crediderit in eum, non confundetur*. Quo quidem modo locus ille ad Christum manifeste pertinet: Qui crediderit, non festinet, patienter expectet.

17. (*n*) Redit ad sua tempora: Justo pondere illusores Judæos judicabit: *Subvertet*; punitio per Chaldæos, aut Romanos insinuatur.

19. (*o*) Vexatio intellectum dabit auditui; Judæi afflictionibus eruditi sapient.

20. (*p*) Lectulus non capit duos amatores; Deum ergo aut idola abjiciatis necesse est. Adveniente Christo, lex gratiæ expellet idololatriam.

21. (*q*) Ut Deus per David dejecit Philisthæos; sic stabit adversum vos: *Gabaon*, cum Josue Amorrhæum debellavit. *Alienum opus ejus*; quod invitus facit: vel paululum digressus redit ad Babylonios, qui simili modo percutient Judæos.

22. (*r*) Has minas nolite contemnere, ne durior fiat vestra captivitas; *Abbreviationem*: Extremam cladem brevi futuram, pauci evadent.

24. (*s*) Similitudine ducta ab agricultura ostendit Deum optime nosse tempus & modum, quo homines tractari debeant: est enim tempus arandi & serendi.

25. (*t*) Ubi complanaverit agrum: Nigellæ semen calidum, & nigrum; & vicium, zeam, speltam: *In finibus suis*, in locis suis.

27. (*u*). Dentata tribula non versabitur rota super cyminum: non enim ferre eam posset.

28. (*x*). Triticum, ex quo fit panis.

CAP. XIX. 1. (*a*) Vox illa significat leonem fortem, aut leonem Dei. hoc loco videtur sumi pro Jerosolyma, quæ civitas a Davide fuit expugnata, vocatur Ariel, ob fortitudinem, vel principatum: eadem vox significat altare holocaustorum apud Ezech. cap. 43. *Additus est annus ad annum*; Post aliquot annos illius majestas extinguetur, cessabunt dies festi; vel post biennium Jerosolyma obsidebitur a Sennacherib.

2. (*b*) Per Assyrios, aut Chaldæos; iisdem prope verbis utitur Christus Dominus. *Et erit mihi quasi Ariel*; ut leo circumdatus cadaveribus, vel ut altare plenum victimarum sanguine.

3. (*c*). Te undique cingam obsidione: *Aggerem*: LXX. Vallum tibi circumdabo.

4. (*d*) Prostrata in terram, & eversa; vel metu telorum hostilium occultabunt se cives in locis subterraneis.

5. (*e*) Exagitantium te: Hebr. *Alienorum*: numerum ingentem & celeritatem indicat. *Favilla*, Hebr. Gluma, seu palea levis, qua granum involvitur.

7. Et erit sicut somnium (*f*) visionis nocturnæ multitudo omnium Gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel, & omnes qui militaverunt, & obsederunt, & prævaluerunt adversus eam.

8. Et sicut somniat esuriens, & comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus: & sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima ejus vacua est: sic erit multitudo omnium Gentium, quæ dimicaverunt contra montem Sion.

9. Obstupescite (*g*), & admiramini, fluctuate, & vacillate: inebriamini, & non a vino: movemini, & non ab ebrietate.

10. Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, prophetas & principes vestros, qui vident visiones, operiet (*h*).

11. Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent: Lege istum: & respondebit: Non possum, signatus est enim.

12. Et dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei: Lege: & respondebit: Nescio litteras.

*Matth. 15. 8. Marc. 7. 6. 13. Et dixit Dominus: * Eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor (*i*) autem ejus longe est a me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis:

14. Ideo ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo: * peribit (*k*) enim sapientia a sapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abscondetur. *1. Cor. 1. 19 Abd. 1. 8

15. Væ qui profundi (*l*) estis corde, ut a Domino abscondatis consilium: quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: * Quis videt nos, & quis novit nos? *Eccli. 23. 26.

16. Perversa est hæc vestra cogitatio: quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo: Non fecisti me: & figmentum dicat fictori suo: Non intelligis.

17. Nonne adhuc in modico & in brevi (*m*) convertetur Libanus in charmel, & charmel in saltum reputabitur?

18. Et audient in die illa surdi (*n*) verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt.

19. Et addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt:

20. Quoniam defecit (*o*) qui prævalebat, consummatus est illusor, & succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem.

21. Qui peccare faciebant homines in verbo (*p*), & arguentem in porta supplantabant, & declinaverunt frustra a justo.

22. Propter hoc, hæc dicit Dominus ad domum Jacob, qui redemit (*q*) Abraham: Non modo confundetur Jacob, nec modo vultus ejus erubescet.

23. Sed cum viderit filios (*r*) suos, opera manuum mearum, in medio sui sanctificantes nomen meum, & sanctificabunt sanctum Jacob, & Deum Israel prædicabunt.

24. Et scient errantes (*f*) spiritu intellectum, & mussitatores discent legem.

CAPUT XXX.

Comminatio adversus Judæos, qui Domino inconsulto prementibus Assyriis ad Ægyptios confugiebant: ipsis quoque prophetarum admonitiones audire nolentibus, sed vana præsidia quærentibus, gravem denuntiat afflictionem. Item de die judicii.

1. VÆ filii desertores (*a*), dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum:

2. Qui ambulatis ut descendatis in Ægyptum, & os meum non interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbra Ægypti.

3. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia umbræ Ægypti in ignominiam.

4. Erant enim in Tani principes tui, & nuntii tui usque ad Hanes (*b*) pervenerunt.

5. Omnes confusi sunt super populo, qui eis prodesse non potuit: non fuerunt in auxilium & in aliquam utilitatem, sed in confusionem & in opprobrium.

6. Onus

7. (*f*) Non diu lætabuntur Assyrii.

9. (*g*) Judæi: Imperativus pro futuro: Obstupesceris; vel primores Judæos alloquitur, qui non credebant futura, quæ prædicebat Isaias. Præ stupore incerti quid agatis, instar ebriorum vacillantes.

10. (*g*) Velo ne intelligantur.

13. (*i*) Eum locum citat Dominus Matth. 15. Hæc sententia contra eos valet, qui verbis Deum honorant, factis contemnunt, qui sacras preces recitant, mox ad pocula, aut ad ludum se conferunt. *Mandato*; Coluerunt me non juxta præcepta mea, sed juxta inanes Scribarum traditiones. Hæc ad verbum in versione LXX ut citatur a Domino.

14. (*k*) Nihil proficient versuti illi, qui varia agitant consilia. Hunc locum profert Apostolus; ac de humana sapientia, quæ Evangelii prædicatione stultitiæ damnata est & convicta, interpretatur.

15. (*l*) Qui adeo secreta initis consilia, ut putetis ea Deum latere posse.

17. (*m*) Tempore, post aliquot annos. *Libanus*, terra sterilis in agrum fertilem, & vicissim Charmel in Libanum mutabitur; incultæ gentes ab Apostolis excolentur, & Judæi in saltum sterilem convertentur; vel Assyrii dejicientur: nam Chatmel planitiem sæpe significat. Assyrii deprimentur, Judæi victores futuri.

18. (*n*) Gentiles; *Verba libri* Scripturarum oracula: vel stolidiores ex eventu ipso intelligent quæ dixerim, idque futurum est Ecclesiæ temporibus.

20. (*o*) Cum defecerit Sennacherib, juxta sensum historicum; vel populus Judaicus, qui Prophetas opprimebat, & comminationes irridebat.

21. (*p*) Qui ob verbum homines ut reos puniebant. *Arguentem*: Prophetis, qui publice arguebant scelera, tendebant insidias.

22. (*q*) Ab idololatria & variis periculis.

23. (*r*) Apostolos: *Opera manuum mearum*, quas gratia mea implevi; *Sanctificantes nomen meum*, prædicatione & miraculis.

24. (*f*) Qui prius errabant, & mussitabant contra Deum, redibunt in viam.

1. & 2. (*a*) Propheta Judæos alloquitur, qui ad Pharaonem destructa Jerosolyma contra Dei mandatum sive recepturi erant in Ægyptum tempore Jeremiæ. Existimat Grotius a capite 29. usque ad caput 36. hæc prædicta esse biennio ante adventum Sennacherib, & prophetiam hanc pertinere ad tempus Ezechiæ. *Væ filii desertores*: contra Dei præceptum, Jerem. 42. & 43. fugerunt in Ægyptum: *Ut faceretis consilium*, & *non ex me*, ut voluntati meæ repugnantes; *Ordiremini telam*, & *non per spiritum meum*, profectionem illam suscipientes: *Et os meum non interrogastis*: immo respuistis; unde & desertores vocat, quod consilium Dei deseruerint. *Qui ambulatis*, *ut descendatis in Ægyptum*, missis ante legatis. CAPUT XXX.

4. (*b*) Civitas erat ultima Ægypti prope Æthiopiam, ut Tanis regia Pharaonis; vel ut videtur Grotio, spectabat Arabiam.

6. Onus (c) jumentorum Austri. In terra tribulationis & angustiæ leæna, & leo ex eis, vipera, & regulus volans, portantes super humeros jumentorum divitias suas, & super gibbum camelorum thesauros suos, ad populum, qui eis prodesse non poterit.

Jer. 37. 7. 7. Ægyptus enim frustra & vane auxiliabitur: ideo clamavi super (d) hoc: Superbia tantum est, quiesce.

8. Nunc ergo ingressus (e) scribe ei super buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die novissimo in testimonium usque in æternum.

9. Populus enim ad iracundiam provocans est, & filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei.

10. Qui dicunt videntibus (f): Nolite videre: & aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.

11. Auferte (g) a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra sanctus Israel.

12. Propterea hæc dicit sanctus Israel: Pro eo quod reprobastis verbum hoc, & sperastis in calumnia & in tumultu, & innixi estis super eo:

13. Propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio cadens, & requisita (h) in muro excelso, quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio ejus.

14. Et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida: & non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea.

15. Quia hæc dicit Dominus Deus sanctus Israel: Si revertimini (i) & quiescatis, salvi eritis: in silentio & in spe erit fortitudo vestra. Et noluistis:

16. Et dixistis: Nequaquam, sed ad equos fugiemus: ideo fugietis. Et super veloces ascendemus: ideo velociores erunt qui persequentur vos.

17. Mille homines a facie terroris unius: & a facie terroris quinque fugietis, donec relinquamini quasi malus (k) navis in vertice montis, & quasi signum super collem.

18. Propterea expectat Dominus ut misereatur vestri; & ideo exaltabitur parcens vobis: quia Deus judicii (l) Dominus: beati omnes qui expectant eum.

19. Populus enim Sion (m) habitabit in Jerusalem: plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui: ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi.

20. Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam brevem: & non faciet avolare a te ultra doctorem (n) tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.

21. Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.

22. Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis auri tui, & disperges ea sicut immunditiam menstruatæ. Egredere, dices ei.

23. Et dabitur pluvia semini (o) tuo, ubicumque seminaveris in terra: & panis frugum terræ erit uberrimus, & pinguis: pascetur in possessione tua in die illo agnus spatiose:

24. Et tauri tui, & pulli asinorum, qui operantur terram, commistum migma (p) comedent sicut in area ventilatum est.

25. Et erunt super omnem montem excelsum, & super omnem collem elevatum, rivi (q) currentium aquarum, in die interfectionis multorum cum ceciderint turres.

26. Et erit lux lunæ (r) sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ ejus sanaverit.

27. Ecce nomen (s) Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, & gravis ad portandum: labia ejus repleta sunt indignatione, & lingua ejus quasi ignis devorans.

28. Spiritus (t) ejus velut torrens inundans usque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum, & frænum erroris, quod erat in maxillis populorum.

29. Canticum erit vobis sicut nox (u) sanctificatæ solemnitatis, & lætitia cordis sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini ad fortem Israel.

30. Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, & terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris, & flamma ignis devorantis: allidet in turbine, & in lapide grandinis.

31. A voce

6. (c) Euntium in Ægyptum: mala quæ hos desertores manent, describit; *In terra tribulationis*, per terram angustam; descriptio vide ut Isthmi Arabici.

7. (d) Sic vertit Grotius. Ideo *vocant illam*, gentem Judæorum, *robur eorum est quiescere*: Sola quies illos tuebitur.

8 (e) In cubiculum: *Scribe ei super buxum*, In tabulis buxeis, ut diuturna sit memoria hujus Prophetiæ: *Et erit in die novissimo*: Hebræis est omne tempus quod sequitur.

10. (f) Videte nobis errores, falsa oracula, illusiones: eo tendebant, hæc ipsi volebant.

11. (g) Aliam inite viam; *Cesset*, Nolite illud nomen toties repetere; intimas cogitationes eorum, qui mundo sunt addicti, Spiritus Sanctus hoc loco retegit.

13. (h) Spectata & manifesta, sicut pars discedens a muro, quæ ruinam minatur.

15. (i) Si protectionis in Ægyptum consilium abjicietis

17. (k) Vertice, quem navigantes aspiciant, ut rectum cursum teneant: vestræ calamitatis exemplo multi vitabunt pericula; vel æque eritis imbecilles & inutiles, quam malus in vertice montis, aut scopuli positus.

18. (l) Lepis (?) tuæ [illegible]ax; nam pleraque feliciter eventura prædicit, *Expectat Dominus*, auxilium suum differt, quo misericordia ejus sit illustrior.

19. (m) De Judæis post captivitatem, aut de Ecclesia ipsa loquitur; vel de solutione futuræ obsidionis Jerosolymitanæ verba facit, Jerusalem non desitum iri.

20. (n) Prophetam, aut potius Christum ipsum, qui Ecclesiam non deseris. *Panem angustiæ*: Modico pane utetis in obsidione. *Non faciet avolare*. Hebr. Non amplius avolabit. Christus cum Ecclesia permansurus usque ad consummationem seculi.

23. (o) Pro pane arcto dabit Deus rerum omnium ubertatem, quæ magna fuit sub Ezechia.

24 (p) Grana varii generis in unum permista comedent, vel paleas mistas hordeo ventilato

25. (q) Flumina gratiarum; *In die interfectionis multorum*: necisis fidei hostibus, ut nonnullis videtur, sub Constantino; vel in sensu historico, post stragem Assyriorum: *Cum ceciderint turres*, principes Assyriorum.

26 (r) Futuræ vitæ gloriam his verbis adumbrat: aut de die resurrectionis loquitur: & positus numerus finitus pro indefinito, vel demum lætitiæ magnitudinem innuit.

27. (s) Majestas Dei in die judicii & vindictæ in reprobos: *Venit de longinquo*, inexpectatus.

28. (t) Ira ejus: *Frænum dæmonis*, qui velut fræno peccatores regebat, potestatem perdet, aut frænum principis Assyriorum.

29. (u) Quando egressi estis ex Ægypto; *In montem*, in templum cum muneribus & tibiis.

31. A voce enim Domini pavebit Assur (*x*) virga percussus.

32. Et erit transitus virgæ fundatus (*y*), quam requiescere faciet Dominus super eum in tympanis & citharis: & in bellis præcipuis expugnabit eos.

33. Præparata est enim ab heri Topheth (*z*), a rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta ejus, ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.

CAPUT XXXI.

Judæos, qui fiducia in Deum relicta, ad Ægyptios & humana confugiunt præsidia, prædicit consumendos una cum suis auxiliariis: revertentes vero ad Dominum, virtute divina liberandos.

1. VÆ qui descendunt (*a*) in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt: & super equitibus, quia prævalidi nimis: & non sunt confisi super Sanctum Israel, & Dominum non requisierunt.

2. Ipse (*b*) autem sapiens adduxit malum, & verba sua non abstulit: & consurget contra domum pessimorum, & contra auxilium operantium iniquitatem.

3. Ægyptus, homo (*c*), & non Deus: & equi eorum, caro, & non spiritus: & Dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator, & cadet cui præstatur auxilium, simulque omnes consumentur.

4. Quia hæc dicit Dominus ad me: Quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super prædam suam, & cum occurrerit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit, & a multitudine eorum non pavebit: sic descendet Dominus exercituum ut prælietur super montem (*d*) Sion, & super collem ejus.

5. Sicut aves volantes, sic proteget Dominus exercituum Jerusalem, protegens & liberans, transitus & salvans.

6. Convertimini (*e*) sicut in profundum recesseratis filii Israel.

7. In die enim illa abjiciet vir idola argenti sui, & idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum.

8. Et cadet * Assur in gladio non viri (*f*), & gladius non hominis vorabit eum, & fugiet non a facie gladii: & juvenes ejus vectigales erunt. *Isa. 37. 36. 4 Reg. 19. 35. 2. Par. 32. 21.

9. Et fortitudo ejus a terrore transibit, & pavebunt fugientes principes ejus: dixit Dominus: cujus ignis est in Sion (*g*), & caminus ejus in Jerusalem.

CAPUT XXXII.

De rege ac principibus in justitia regnaturis, & de populi subditi felicitate: stulto autem principi & opulentis mulieribus futura prædicitur calamitas.

1. ECce in justitia regnabit (*a*) rex, & principes in judicio præerunt.

2. Et erit vir sicut qui absconditur (*b*) a vento, & celat se a tempestate, sicut rivi aquarum in siti, & umbra petræ prominentis in terra deserta.

3. Non caligabunt (*c*) oculi videntium, & aures audientium diligenter auscultabunt.

4. Et cor stultorum (*d*) intelliget scientiam, & lingua balborum velociter loquetur & plane.

5. Non vocabitur (*e*) ultra is, qui insipiens est, princeps: neque fraudulentus appellabitur major:

6. Stultus enim fatua loquetur, & cor ejus faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter, & vacuam faciat animam esurientis, & potum sitienti auferat.

7. Fraudulenti (*f*) vasa pessima sunt: ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendaci, cum loqueretur pauper judicium.

8. Prin-

31. (*x*) Sennacherib, vel quivis tyrannus, vel diabolus ipse, & eum eo bonorum persecutores: *Virga percussus*, Hebr. *Virga percutiens*: Qui feriebat, voce Domini conteretur.

32. (*y*) Firmum & stabile flagellum: *Transitus virgæ*, verbo Dei *fundatus*, virga transiens fortis erit, & solide fundata: Deus sine labore Judæorum, & quasi in ludo delebit Assyrios.

33. (*z*) Chald. *Gehennam*. LXX *Vallem profundam* vertunt: *Ab heri*, olim a *Rege præparata*, a Deo. *Flatus Domini*: Vis divina ignem suscitans. Ezechias jam dudum vallem Topheth vacuam fecerat ab omni cultu idolorum, atque id commode evenit, ut locus is esset, qui 101 millia Assyriorum cæsorum contineret: quasi eum locum præparasset Ezechias: *Nutrimenta ejus ignis*: Deus vi sua quasi injecto sulphure ligna ista accendit.

CAPUT XXXI. 1. (*a*) Fertur contra decem tribus vaticinatur, quæ a Salmanasare eversæ, Ægypti, non Dei implorabant auxilium, vel contra Judæos incredulos, qui adveniente Sennacherib in Ægyptum fugiebant; vel denique ad tempora captivitatis Babylonicæ hæc referuntur.

2. (*b*) Chald. In sapientia sua: *Adduxit malum*; Adducet malum, *Et verba sua non abstulit*; Chald. non fecit irrita. Non revocabit quæ interminatus est; rata faciet quæ per prophetas prædixit.

3. (*c*) Sept. interpretes, *Ægyptius*; Frustra in Ægypto spem & fiduciam vestram ponitis

4 (*d*) Pro monte Sion: *Jerosolyma*, quæ auxilio Dei invocato adversus Sennacherib tuta fuit: vel de reditu captivorum loquitur Propheta.

6. (*e*) Conversio vestra offensis respondeat, nec minus sit remedium, quam plaga: convertimini o filii Israel.

8. (*f*) Non enim homo, sed Angelus percussit exercitum Sennacherib: *Et fugiet*, Rex ipse: *Non a facie gladii*; sed exterritus subita clade sui exercitus. *Et juvenes ejus*. Assyrii: *Vectigales erunt*, primo Chaldæis, tum Persis & Medis, Græcis & Romanis; nec pristino splendori restituentur nunquam. Alii vertunt, Dissoluti erunt præ metu.

9 (*g*) Dominus, cui sacrificia offeruntur In Sion, & In Jerusalem, hæc dicit; ignis Dei est In Ecclesia, charitas nempe qua maxime colitur Deus; atque ignis ille e cælo descendit: scintillæ charitatis hujus vitæ in fornacem amoris convertentur in futura vita; *Ibi plane videbimus*; *Ibi plane ardebimus*. Greg. Homil. 21. in Ezech.

CAPUT XXXII. 1. (*a*) Sub figura regni Ezechiæ, regnum Christi adumbrat, & miscet typum cum antitypo. Rex, Christus sub figura Ezechiæ; Et principes, Apostoli.

2 (*b*) Huic stabili petræ innitens anima, nulla tempestate dejicitur; qui sitiunt justitiam, hos divina gratia potat, umbra sua cupiditatis æstus temperat, & *umbra Petræ prominentis in terra deserta*, arboribus vacua.

3 (*c*) Prophetæ multo clariores habebunt revelationes; non erunt qui se prophetas dicant, falsa visa adferentes.

4 (*d*) Simplicium, vel gentilium; *Et lingua balborum*, prophetarum qui obscure loquebantur, Jam plane & aperte mysteria exponent, & Deum laudabunt.

5. (*e*) N erit rerum status, ut boni tantum prudentes nominentur, insipiens non amplius liberalis dicetur, nec avarus dives ex Hebr.

7. (*f*) Hebr. Avari, vel hypocritæ; *Vasa*, instrumenta, arma, ministri; *Pessima sunt*, Doctores Judæorum cum doctoribus legis novæ comparat, Pharisæos cum Apostolis: vel avari, *Vasa pessima*, sunt mensuræ, judicia: *pauper*, afflictus; *cum loqueretur pauper judicium*, cum proponeret caussam justam.

8. Princeps (*g*) vero ea, quæ digna ſunt principe, cogitabit, & ipſe ſuper duces ſtabit.

9. Mulieres (*h*) opulentæ ſurgite, & audite vocem meam: filiæ confidentes percipite auribus eloquium meum.

10. Poſt dies enim & annum (*i*), vos conturbabimini confidentes: conſummata eſt enim vindemia, collectio ultra non veniet.

11. Obſtupeſcite opulentæ, conturbamini confidentes: exuite vos, & confundimini, accingite (*k*) lumbos veſtros.

12. Super ubera (*l*) plangite, ſuper regione deſiderabili, ſuper vinea fertili.

13. Super humum populi mei ſpinæ & vepres aſcendent: quanto magis ſuper omnes domos (*m*) gaudii civitatis exultantis?

14. Domus enim dimiſſa eſt, multitudo urbis relicta eſt, tenebræ (*n*) & palpatio factæ ſunt ſuper ſpeluncas uſque in æternum. Gaudium onagrorum paſcua gregum,

15. Donec effundatur ſuper nos ſpiritus (*o*) de excelſo: & erit deſertum in charmel, & charmel in ſaltum reputabitur.

16. Et habitabit in ſolitudine (*p*) judicium, & juſtitia in charmel ſedebit.

17. Et erit opus (*q*) juſtitiæ pax, & cultus juſtitiæ ſilentium, & ſecuritas uſque in ſempiternum.

18. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.

19. Grando autem in deſcenſione ſaltus (*r*), & humilitate humiliabitur civitas.

20. Beati, qui ſeminatis ſuper omnes aquas (*ſ*), immittentes pedem bovis & aſini.

CAPUT XXXIII.

De regno Ezechiæ, ut typo regni Chriſti. Excidium Jeruſalem ſub Tito. Dominus Rex noſter, Legiſlator noſter.

1. VÆ qui prædaris (*a*), nonne & ipſe prædaberis? & qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? cum conſummaveris deprædationem, deprædaberis: cum fatigatus deſieris contemnere, contemneris.

2. Domine miſerere noſtri: te enim expectavimus: eſto brachium noſtrum in mane, & ſalus noſtra in tempore tribulationis.

3. A voce (*b*) Angeli fugerunt populi, & ab exaltatione tua diſperſæ ſunt gentes.

4. Et congregabuntur ſpolia veſtra ſicut colligitur bruchus, velut cum foſſæ plenæ fuerint de eo.

5. Magnificatus eſt Dominus, quoniam habitavit in excelſo (*c*): implevit Sion judicio & juſtitia.

6. Et erit fides (*d*) in temporibus tuis: divitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia: timor Domini ipſe eſt theſaurus ejus.

7. Ecce videntes (*e*) clamabunt foris, Angeli pacis amare flebunt.

8. Diſſipatæ (*f*) ſunt viæ, ceſſavit tranſiens per ſemitam, irritum factum eſt pactum, projecit civitates, non reputavit homines.

9. Luxit (*g*), & elanguit terra: confuſus eſt Libanus, & obſorduit, & factus eſt Saron ſicut deſertum; & concuſſa eſt Baſan, & Carmelus.

10. Nunc conſurgam, dicit Dominus: nunc exaltabor, nunc ſublevabor.

11. Concipietis ardorem (*h*), parietis ſtipulam: ſpiritus veſter ut ignis vorabit vos.

12. Et erunt populi quaſi de incendio cinis (*i*), ſpinæ congregatæ igni comburentur.

13. Audite qui longe eſtis, quæ fecerim, & cognoſcite vicini fortitudinem meam.

14. Conterriti (*k*) ſunt in Sion peccatores, poſſedit tremor hypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?

15. * Qui ambulat in juſtitiis (*l*), & loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, & excutit manus ſuas ab omni munere, qui obturat aures ſuas ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos ne videat malum. * Pſ. 14. 5.

16. Iſte

8. (*g*) Hebr. Liberalis, beneficus.
9. (*h*) Urbes ampliores mulierum nomine compellat; aut mulieres oppidorum Judææ: *Confidentes*, quæ ſecure vivitis.
10. (*i*) Poſt longum tempus: *Conſummata eſt enim vindemia*, defecit; *collectio* meſſis, *ultra non veniet*.
11. (*k*) Quæ prius otioſæ, nunc ut ancillæ ad ſervile opus lumbos veſtros ſuccingite, & exuite vos pretioſis veſtibus.
12. (*l*) Super filios veſtros præ fame morientes ſub Tito, & adventante rege Aſſyriorum in oppidis Judææ.
13. (*m*) Hoc eſt, relinquetur vobis domus veſtra deſerta.
14. (*n*) Hebr. Turris & caſtellum; Turres & caſtella fient ſpeluncæ ferarum in longum tempus.
15. (*o*) Cum Deus Spiritum Sanctum ſuper diſcipulos effuderit, tum ſpiritualem Judæam florere, non terrena; vel donec benignitas Dei appareat. Eccleſia e gentibus, & deſertum vertetur in charmel, & erit populus Dei.
16. (*p*) In gentibus ad fidem converſis, in renovato charmele.
17. (*q*) Murus juſtitiæ; *Et cultus juſtitiæ ſilentium*, tranquillitas: Deus dabit pacem & tranquillitatem. Hic fructus erit & merces juſtitiæ.
19. (*r*) In deſertam & ſilveſcentem Synagogam grando deſcendet. *Humiliabitur civitas*, Jeruſalem. Alii Babylonem interpretantur.
20. (*ſ*) Beati Apoſtoli, qui ſuper omnes populos ſeminatis Evangelium; *Immittentes pedem bovis & aſini*: Prædicatores & operarii Evangelicæ meſſis. Per bovem populus Judaicus, qui legis jugum tulit; per aſinum populus Gentilis, propter veri Dei ignorationem intelligitur. Apoſtoli quaſi pedicis illaquearunt, & concluſerunt pedes bovis & aſini: vel in ſenſu litterali, beati vos Judæi qui ſementem facietis in locis irriguis, ut jumenta etiam ibi paſcantur.

1. (*a*) Cladem exercitus Sennacherib, & ſub illius figura perſecutorum Eccleſiæ prædicit excidium. CAPUT XXXIII.
3. (*b*) Hebr. *A ſtrepitu Angeli*, cum centum & octoginta quinque hominum millia una nocte interfecit. *Ab exaltatione tua*. A ſublimi potentia.
5. (*c*) Opera ſe digna faciet: *Implevit Sion juſtitia & judicio*: Se juſtum & fidelem eſſe Sioni oſtendit.
6. (*d*) Firmitas temporibus tuis o Ezechia apparebit; fides & veritas promiſſorum Dei; vel fides erit proprie dicta, quod ipſi conveniet Eccleſiæ, quando ipſa fundabitur. *Divitiæ ſalutis*, *ſapientia & ſcientia*; hæc mentem, illam voluntatem ſanctificat.
7. (*e*) Speculatores, *clamabunt foris*. *Angeli pacis*, ſunt legati quos miſerat Ezechias; hi amare flebunt, quod pacem componere non potuerint.
8. (*f*) Deſolatæ, *ſunt viæ*; hæc verba ſunt legatorum; Præcluſi ſunt exitus: *Irritum factum eſt pactum*: Non potuimus cum *Aſſyriis* paciſci, nec pacis poſtremæ cum Ezechia factæ conditiones ſervare volunt: quæ etiam de templi & urbis ſubverſione intelligi commode poſſunt.
9. (*g*) Loca fertilia nominat: Saron eſt in Galilæa regio fertilis, & Carmelus hoc loco eſt nomen proprium: ea loca commemorat, per quæ tranſierat Sennacherib.
11. (*h*) Vos ſtipulæ incendio deſtinatæ, vos Aſſyrii concipietis ardorem, ſed furor veſter in nihilum recidet, ita veſtra vobis erit exitio.
12. (*i*) Hebr. Furno, in quo calx excoquitur.
14. (*k*) Judæi ipſi videntes cladem Aſſyriorum. *Quis poterit habitare*? Si illud graviſſimum videtur vobis de Aſſyriis ſumptum ſupplicium, quid de inferni ardoribus æternis ſentiendum!
15. (*l*) *Juſtitias*: viri juſti mercedem deſignat, qui ex calumnia divitias non auget per injuſtitiam. *Qui obturat aures ſuas*: Qui nec profert, nec audit adverſus proximum malum, nec de illo temere judicat. Hieron. *Omnis iniquitas, & oppreſſio, & injuſtitia judicium ſanguinis eſt*.

16. Iste in excelsis (*m*) habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus: panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt.

17. Regem in decore suo videbunt (*n*) oculi ejus, cernent terram de longe.

* 1. Cor. 1. 20. 18. Cor tuum meditabitur timorem: * ubi est litteratus (*o*)? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum?

19. Populum impudentem non videbis, populum alti sermonis: ita ut non possis intelligere disertitudinem linguæ ejus, in quo nulla est sapientia.

20. Respice (*p*) Sion civitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur clavi ejus in sempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur.

21. Quia solummodo ibi magnificus (*q*) est Dominus noster: locus fluviorum rivi latissimi & patentes: non transibit per eum navis remigum, neque trieris magna transgredietur eum.

22. Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster: ipse salvabit nos.

23. Laxati (*r*) sunt funiculi tui, & non prævalebunt: sic erit malus tuus ut dilatare signum non queas. Tunc dividentur spolia prædarum multarum: claudi diripient rapinam.

24. Nec dicet vicinus: Elangui: populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.

CAPUT XXXIV.

Acerba Dei ultio super omnes gentes: Idumææ quoque contritio & perpetua vastitas prædicitur.

1. Accedite (*a*) Gentes, & audite, & populi attendite: audiat terra, & plenitudo ejus; orbis, & omne germen ejus.

2. Quia indignatio Domini super omnes Gentes, & furor super universam militiam (*b*) eorum: interfecit eos, & dedit eos in occisionem.

3. Interfecti eorum projicientur, & de cadaveribus eorum ascendet fœtor: tabescent montes a sanguine eorum.

4. Et tabescet (*c*) omnis militia cælorum, Apoc 6. 13.
& complicabuntur sicut liber cæli: & omnis & seq.
militia eorum defluet, sicut defluit folium de Ezech. 32.
vinea & de ficu. 7.

5. Quoniam inebriatus est in cælo gladius (*d*) meus: ecce super Idumæam descendet, & super populum interfectionis meæ, ad judicium.

6. Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe, de sanguine agnorum, & hircorum, de sanguine medullatorum arietum: victima enim Domini in Bosra (*e*), & interfectio magna in terra Edom.

7. Et descendent unicornes (*f*) cum eis, & tauri cum potentibus: inebriabitur terra eorum sanguine, & humus eorum adipe pinguium:

8. Quia dies ultionis Domini, annus retributionum (*g*) judicii Sion.

9. Et convertentur (*h*) torrentes ejus in picem, & humus ejus in sulphur: & erit terra ejus in picem ardentem.

10. Nocte & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus: a generatione in generationem desolabitur, in sæcula sæculorum non erit transiens per eam.

11. Et possidebunt illam onocrotalus, & ericius: ibis, & corvus habitabunt in ea, & extendetur super eam mensura (*i*), ut redigatur ad nihilum, & perpendiculum in desolationem.

12. Nobiles ejus non erunt ibi: regem potius invocabunt, & omnes principes ejus erunt in nihilum.

13. Et orientur in domibus ejus spinæ, & urticæ, & paliurus (*k*) in munitionibus ejus: & erit cubile draconum, & pascua struthionum.

14. Et occurrent (*l*) dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia, & invenit sibi requiem.

15. Ibi

16. (*m*) In Ecclesia triumphante, *Aquæ fideles*, quæ numquam deficient. *Munimenta saxorum sublimitas ejus*. LXX. Is habitabit in sublimi spelunca rupis, vitæ æternæ securus, & ab hostium telis tutus. *Aquæ ejus fideles sunt*: Jugiter fluunt.

17. (*n*) Christum in gloria sua. *Cernent terram de longe*, e cælo.

18. (*o*) Apostolus 1. Cor. 10. hæc verba de nascente Ecclesia exponit. *Ubi est litteratus*, qui hæc non intellexit? Populi Barbari hæc Dei oracula susceperunt.

20. (*p*) Statum Beatorum, seu Ecclesiæ triumphantis describit. *Civitatem solemnitatis nostræ*, non mœroris, sed perpetui gaudii: juxta Theodoretum & alios, Ecclesiæ militantis firmitatem delineat sub figura tabernaculi, *cujus non auferentur clavi*, seu doctores, *nec funiculi*, seu divina præcepta, *non rumpentur*.

21. (*q*) Nec penuria laborabit. Nam fluvius gratiæ in ea perpetuo scatebit. Unde *rivi latissimi* Sacramentorum, & charismatum manabunt; nec patebit ab incursu hostili, non transibit per eum *navis remigum*, omnia ibi tranquilla futura sunt, *neque trieris magna*: triremes tribus remis aguntur, trieres ternis remigum ordinibus: triremis, magna amatorum seculi societas.

23. (*r*) Videtur Propheta Judæos alloqui, & eorum infidelitatem prædicere: *Sed non poteris dilatare signum*, seu velum: tunc prædæ eris omnibus vicinis, & *claudi* ac cæci, gentiles, charismata tibi præripient, vel forte ad Assyrios revertitur continuata navis allegoria; rudentes navis soluti sunt, & fracti, & malum navis retinere non valebis: nec in illius summo vela explicare poteris: *Dividentur spolia*, exercitu tuo percusso. Nullus erit qui prohibeat, adeo ut claudi diripiant rapinam: omnes intenti & erecti erunt ut colligant spolia.

CAPUT XXXIV.

1. (*a*) Chald. Omnes populi, ex occasione cladis Assyriorum; excidium orbis in fine temporum describit.

2. (*b*) LXX. Numerum. Orbis universi ruinam, & improborum exitium, Assyriorum figura exprimit.

4. (*c*) Eadem signa futuri judicii, quæ Christus Dominus præbet. Nam sol & luna instar libri involuti, lumen suum subducent, & quasi literæ abscondentur præ atris nubibus. *Et omnis militia eorum defluet*: Matth. 24. *Stellæ cadent de cælo*: lux earum minuetur; stellæ defluent in similitudinem foliorum. *Complicabuntur sicut liber*: ut membranæ convolutæ, in quibus tum literæ exarari solebant.

5. (*d*) Divinæ ultionis. Id exemplo Idumææ ab Æthiopibus vastandæ exprimit; quod partes Assyriorum secuti fuissent, vel a cælestibus ad terrena descendit. *In cælo*: Id S. Greg. de ruina malorum Angelorum interpretatur.

6. (*e*) Metropoli Idumææ: vel ut placet Hier. Moabitarum. Ex Ptolemæo, Bosra est in Arabia Petræa.

7. (*f*) Principes cum plebe.

8. (*g*) Vindictæ, quam Deus exercebit contra hostes Judæorum exitiales.

9. (*h*) Aqua fluminum instar picis & sulphuris ardebit, ut Sodoma. Sic in fine mundi ignis conflagrationis ex sulphure & pice regna omnia consumet.

11. (*i*) Ita ut puniantur pro ratione peccatorum: cum Architecti veteris ædificii partem dejiciunt, prius latitudinem linea metiuntur, tum altitudinem perpendiculo.

13. (*k*) Est rubi genus. Plin. l. 24. 11.

14. (*l*) Passim, dæmonia, & monstra larvata *Lamiæ*, bestiæ silvestres & rapaces. Strix in Vulgata vertitur. *Lamia*. Quidam putant esse quoddam piscis genus. Sic onocentauri apud Isaiam ponuntur pro silvestris terrificis.

15. Ibi habuit foveam ericius, & enutrivit catulos, & circumfodit, & fovit in umbra ejus: illuc congregati sunt milvi, alter ad alterum.

16. Requirite (*m*) diligenter in libro Domini, & legite: unum ex eis non defuit, alter alterum non quæsivit: quia quod ex ore meo procedit, ille mandavit, & spiritus ejus ipse congregavit ea:

17. Et ipse misit eis sortem, & manus ejus divisit eam illis in mensuram: usque in æternum possidebunt eam, in generationem & generationem habitabunt in ea.

CAPUT XXXV.

De futura consolatione, lætitia, securitate, & felicitate perpetua eorum, qui in Christum sunt credituri.

1. LÆtabitur deserta (*a*), & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.

2. Germinans germinabit (*b*), & exultabit lætabunda & laudans: gloria Libani data est ei: decor Carmeli, & Saron, ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri.

3. Confortate (*c*) manus dissolutas, & genua debilia roborate.

4. Dicite pusillanimis: Confortamini, & nolite timere: ecce Deus vester ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, & salvabit vos.

5. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt.

6. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto (*d*) aquæ, & torrentes in solitudine.

7. Et quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. In cubilibus (*e*), in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & junci.

8. Et erit ibi semita & via (*f*), & via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam.

9. Non erit ibi leo (*g*), & mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi: & ambulabunt qui liberati fuerint.

10. Et redempti a Domino convertentur, & venient in Sion cum laude: & lætitia sempiterna super caput (*h*) eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.

CAPUT XXXVI.

Sennacherib captis civitatibus Juda munitis, mittit Rabsacen ad capiendam Jerusalem, qui variis in Ezechiam jactatis convitiis, & blasphemiis in Deum, Jerosolymitas ad deditionem exhortatur.

1. ET factum est in quartodecimo anno re- 4 Reg. 18.
gis Ezechiæ, ascendit Sennacherib rex 13.
Assyriorum super omnes civitates Juda muni- 2. Par. 32. 1.
tas, & cepit eas. Eccli. 48. 20.

2. Et misit rex Assyriorum Rabsacen de Lachis in Jerusalem, ad regem Ezechiam in manu gravi, & stetit in aquæductu piscinæ superioris in via Agri fullonis.

3. Et egressus est ad eum Eliacim filius Helciæ, qui erat super domum, & Sobna (*a*) scriba, & Joahe filius Asaph a commentariis.

4. Et dixit ad eos Rabsaces: Dicite Ezechiæ: Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum: Quæ est ista fiducia, qua confidis?

5. Aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis? super quem habes fiduciam, quia recessisti a me?

6. Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum: cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & perforabit eam: sic Pharao rex Ægypti omnibus, qui confidunt in eo.

7. Quod si responderis mihi: In Domino Deo nostro confidimus: nonne ipse est, cujus abstulit Ezechias excelsa & altaria, & dixit Judæ & Jerusalem: Coram altari isto adorabitis?

8. Et nunc trade te domino meo regi Assyriorum, & dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere ascensores eorum.

9. Et quomodo sustinebis faciem judicis unius loci ex servis domini mei minoribus? Quod si confidis in Ægypto, in quadrigis, & in equitibus.

10. Et nunc numquid sine Domino ascendi ad terram istam, ut disperderem eam? Dominus dixit ad me: Ascende super terram illam, & disperde eam.

11. Et dixit Eliacim, & Sobna, & Joahe ad Rabsacen: Loquere ad servos tuos Syra lingua: intelligimus enim: ne loquaris ad nos Judaice in auribus populi, qui est super murum.

12. Et dixit ad eos Rabsaces: Numquid ad dominum tuum & ad te misit me dominus meus, ut loquerer omnia verba ista, & non potius ad viros, qui sedent in muro, ut comedant stercora sua, & bibant urinam pedum suorum vobiscum?

13. Et

16. 17. (*m*) Cum hæc obvenerint Idumææ, quærite an non conveniant cum his quæ prædicta sunt. & scietis unum ex eis non deesse. *Alter alterum non quæsivit:* Nullum ex iis animalibus desiderabitur; *Et spiritus ejus ipse congregabit ea;* Dei potentia congregabuntur; *Is idem misit sortem,* Terram hanc illis attribuit, dividens illis Idumæam, quasi possessionem hæreditariam; *In æternum,* In longissimum tempus: sed in inferno plagæ erunt æternæ.

CAPUT XXXV. 1. (*a*) *Ecclesia*, cujus bona opponit malis antea prædictis. In sensu historico quidam de Judæa ante deserta, & sub Ezechia reflorescente hæc exponunt: sed quæ sequuntur, ad Ecclesiam nascentem manifesto pertinent, atque ita ut figurate Ezechiæ temporibus nonnulla impleta ex his fuerint, Messiæ temporibus apertissime conveniant, ut fatetur Grotius.

2. (*b*) Multiplici sobole. *Videbunt gloriam Domini.* Christum & ejus miracula; gloria Synagogæ transibit ad Ecclesiam: *Saron*, ager peramœnus.

3. (*c*) Apostoli, Evangelii præcones.

6. (*d*) Desertum gentilium irrigarunt. LXX. *Erupit aqua* salientis in vitam æternam. Ecclesiæ progressus & gloriam his metaphoris pulcre exprimit.

7. (*e*) Ubi dæmones ante habitabant: *Orietur viror calami.* Ager manu Domini excultus evadet.

8. (*f*) Quæ ad Dominum ducit; *Ita ut stulti non errent per eam:* tutos enim & securos simplices efficit. *Non transibit per eam pollutus:* infidelis.

9. (*g*) Superbi Angeli hanc humilitatis vim non infestent. Augustin. *Non jam latrocinantur leo & draco in ista via; vitant enim eam sicut supplicium.* Lib. 7. Confess. cap. 21.

10. (*h*) Super ipsos.

Quæ sequuntur capita usque ad 39. continentur lib. 4. Reg. 18 & 19. eaque sunt explicata in Annotationibus in lib. 4. Regum.

CAPUT XXXVI. 3. (*a*) Alius est ab eo, cujus fit mentio cap. 22.

13. Et stetit Rabsaces, & clamavit voce magna Judaice, & dixit: Audite verba regis magni, regis Assyriorum.

14. Hæc dicit rex: Non seducat vos Ezechias, quia non poterit eruere vos.

15. Et non vobis tribuat fiduciam Ezechias super Domino, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, non dabitur civitas ista in manu regis Assyriorum.

16. Nolite audire Ezechiam: hæc enim dicit rex Assyriorum: Facite mecum benedictionem (*b*), & egredimini ad me, & comedite unusquisque vineam suam, & unusquisque ficum suam: & bibite unusquisque aquam cisternæ suæ.

17. Donec veniam, & tollam vos ad terram, quæ est ut terra vestra, terram frumenti & vini, terram panum & vinearum.

18. Nec conturbet vos Ezechias, dicens: Dominus liberabit nos. Numquid liberaverunt dii gentium unusquisque terram suam de manu regis Assyriorum?

19. Ubi est deus Emath, & Arphad? ubi est deus Sepharvaim? numquid liberaverunt Samariam de manu mea?

20. Quis est ex omnibus diis terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea, ut eruat Dominus Jerusalem de manu mea?

*4. Reg. 18. 36. 21. * Et siluerunt, & non responderunt ei verbum. Mandaverat enim rex, dicens: Ne respondeatis ei.

22. Et ingressus est Eliacim filius Helciæ, qui erat super domum, & Sobna scriba, & Joahe filius Asaph a commentariis, ad Ezechiam scissis vestibus, & nuntiaverunt ei verba Rabsacis.

CAPUT XXXVII.

Quæ evenerint Sennacherib, quæque prædixerat Isaias cæso per Angelum exercitu, hoc capite referuntur, uti & Lib. 4. Regum, c. 18. & 19.

4. Reg. 19. 1. 1. ET factum est, cum audisset rex Ezechias, scidit vestimenta sua, & obvolutus est sacco, & intravit in domum Domini.

2. Et misit Eliacim, qui erat super domum, & Sobnam scribam, & seniores de sacerdotibus, opertos saccis ad Isaiam filium Amos prophetam:

3. Et dixerunt ad eum: Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, & correptionis, & blasphemiæ, dies hæc: quia venerunt filii usque ad partum, & virtus non est pariendi.

4. Si quo modo audiat Dominus Deus tuus verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus ad blasphemandum Deum viventem, & exprobrandum sermonibus, quos audivit Dominus Deus tuus: leva ergo orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt.

5. Et venerunt servi regis Ezechiæ ad Isaiam.

6. Et dixit ad eos Isaias: Hæc dicetis domino vestro: Hæc dicit Dominus: Ne timeas a facie verborum quæ audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me.

7. Ecce ego dabo ei spiritum, & audiet nuntium, & revertetur ad terram suam, & corruere eum faciam gladio in terra sua.

8. Reversus est autem Rabsaces, & invenit regem Assyriorum præliantem adversus Lobnam. * Audierat enim quia profectus esset de *4. Reg. 19. 8.
Lachis,

9. Et audivit de Tharacha rege Æthiopiæ, dicentes: Egressus est ut pugnet contra te. Quod cum audisset, misit nuntios ad Ezechiam, dicens:

10. Hæc dicetis Ezechiæ regi Judæ, loquentes: Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis, dicens: Non dabitur Jerusalem in manu regis Assyriorum.

11. Ecce tu audisti omnia, quæ fecerunt reges Assyriorum omnibus terris, quas subverterunt, & tu poteris liberari?

12. Numquid eruerunt eos dii Gentium, quos subverterunt patres mei, Gozam, & Haram, & Reseph, & filios Eden, qui erant in Thalassar?

13. * Ubi est rex Emath, & rex Arphad, *4. Reg. 18.
& rex urbis Sepharvaim, Ana, & Ava? 34. & 19. 13.

14. Et tulit Ezechias libros de manu nuntiorum, & legit eos, & ascendit in domum Domini, & expandit eos Ezechias coram Domino.

15. Et oravit Ezechias ad Dominum, dicens:

16. Domine exercituum Deus Israel, qui sedes super Cherubim: tu es Deus solus omnium regnorum terræ, tu fecisti cælum & terram.

17. Inclina Domine aurem tuam, & audi: aperi Domine oculos tuos, & vide, & audi omnia verba Sennacherib, quæ misit ad blasphemandum Deum viventem.

18. Vere enim Domine desertas fecerunt reges Assyriorum terras, & regiones earum.

19. Et dederunt deos earum igni: non enim erant dii, sed opera manuum hominum, lignum & lapis: & comminuerunt eos:

20. Et nunc Domine Deus noster salva nos de manu ejus: & cognoscant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus.

21. Et misit Isaias filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Pro quibus rogasti me de Sennacherib rege Assyriorum:

22. Hoc est verbum, quod locutus est Dominus super eum: Despexit te, & subsannavit te virgo filia Sion: post te caput movit filia Jerusalem.

23. Cui exprobrasti, & quem blasphemasti, & super quem exaltasti vocem, & levasti altitudinem oculorum tuorum? Ad sanctum Israel.

24. In manu servorum tuorum exprobrasti Domino: & dixisti: In multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium, juga Libani: & succidam excelsa cedrorum ejus, & electas abietes illius, & introibo altitudinem summitatis ejus, saltum Carmeli ejus.

25. Ego fodi, & bibi aquam, & exsiccavi vestigio pedis mei omnes rivos aggerum.

26. Numquid (*a*) non audisti, quæ olim fecerim ei? ex diebus antiquis ego plasmavi illud: & nunc adduxi: & factum est in eradicationem collium compugnantium, & civitatum munitarum.

27. Habi-

16. (*b*) Hebr. Amicitiam, aut munera mihi date, vel vos mihi subjicite, & erit vobis in benedictionem.

26. (*a*) Deus ipse loquitur ad Sennacherib, & victorias quas jactat Rex Assyriorum, ex divinis decretis profectas docet.

27. Habitatores earum breviata manu contremuerunt, & confusi sunt: facti sunt sicut fœnum agri, & gramen pascuæ, & herba tectorum, quæ exaruit antequam maturesceret.

28. Habitationem tuam, & egressum tuum, & introitum tuum cognovi, & insaniam tuam contra me.

29. Cum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas: ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam venisti.

30. Tibi autem hoc erit signum: Comede hoc anno quæ sponte nascuntur, & in anno secundo pomis vescere: in anno autem tertio seminate, & metite, & plantate vineas, & comedite fructum earum.

31. Et mittet id, quod salvatum fuerit de domo Juda, & quod reliquum est, radicem deorsum, & faciet fructum sursum:

32. Quia de Jerusalem exibunt reliquiæ, & salvatio de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet istud.

33. Propterea hæc dicit Dominus de rege Assyriorum: Non intrabit civitatem hanc, & non jaciet ibi sagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu ejus aggerem.

34. In via, qua venit, per eam revertetur, & civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus:

35. Et protegam civitatem istam, ut salvem eam propter me, & propter David servum meum.

*Sap. 18. 8. 4 Reg. 19. 35. Tob. 1. 21. Eccli. 48. 24. 1. Mach. 7. 41. 2. Mach. 8. 19.

36. * Egressus (*b*) est autem Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Et surrexerunt mane: & ecce omnes, cadavera mortuorum.

37. Et egressus est, & abiit, & reversus est Sennacherib rex Assyriorum, & habitavit in Ninive.

38. Et factum est, cum adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech & Sarasar filii ejus percusserunt eum gladio: fugeruntque in Terram Ararat (*c*) & regnavit Asarhaddon filius ejus pro eo.

CAPUT XXXVIII.

Ezechiæ canticum gratiarum actionis, quod a morte liberatus fuerit.

4. Reg. 20. 1. 2. Par. 32. 24.

1. IN diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem, & introivit ad eum Isaias filius Amos propheta, & dixit ei: Hæc dicit Dominus: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.

2. Et convertit Ezechias faciem suam ad parietem, & oravit ad Dominum,

3. Et dixit: Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et flevit Ezechias fletu magno.

4. Et factum est verbum Domini ad Isaiam, dicens:

5. Vade, & dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos:

6. Et de manu regis Assyriorum eruam te, & civitatem istam, & protegam eam.

7. Hoc autem tibi erit signum a Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus est:

8. * Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz *Eccli. 48. 26.
in sole, retrorsum decem lineis. Et reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat.

9. Scriptura (*a*) Ezechiæ regis Juda, cum ægrotasset, & convaluisset de infirmitate sua.

10. Ego dixi: In dimidio (*b*) dierum meorum vadam ad portas inferi.

Quæsivi residuum annorum meorum.

11. Dixi: Non videbo Dominum Deum in terra viventium.

Non aspiciam hominem ultra, & habitatorem quietis.

12. Generatio (*c*) mea ablata est, & convoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum:

Præcisa est velut a texente, vita mea: dum adhuc ordirer, succidit me: de mane usque ad vesperam finies me,

13. Sperabam usque ad mane (*d*), quasi leo sic contrivit omnia ossa mea:

De mane usque ad vesperam finies me:

14. Sicut pullus hirundinis (*e*) sic clamabo, meditabor ut columba.

Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum.

Domine, vim patior, responde pro me.

15. Quid dicam, aut quid respondebit (*f*) mihi, cum ipse fecerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

16. Domine, si sic vivitur (*g*), & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & vivificabis me.

17. Ecce in pace amaritudo mea amarissima: Tu autem eruisti animam meam ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

18. Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

19. Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam.

20. Domi-

36. (*b*) Hoc miraculum confirmat Hieronym. in comment. auctoritate Berosi, qui Chaldaicam scripsit historiam.

38. (*c*) Armeniæ regiæ, quam Araxes fluvius alluit. Habetur lib. 4 Regum. cap. 20.

CAPUT XXXVIII. 9. (*a*) Carmen eucharisticum Ezechiæ. *Residuum*: Dolui vitam meam jam repente abruptam.

10. (*b*) Natus erat Ezechias anno 39.

12. (*c*) Vel quia nondum habebit qui succederet. Alii vertunt, habitatio; *Dum adhuc ordirer*: cum multa animo designarem.

13. (*d*) Sed non amplius victurum: Adeo excreverant mala, ut mane desperarem me visurum vesperam.

14. (*e*) Patrocinium meum suscipe: *Ut pullus hirundinis*, in nido gemens præ frigore & fame.

15. (*f*) Certo consilio hunc morbum ipse immisit, qui adeo ferendus est, ut Psalm. 38 *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti*. Hebr. *Quid loquar, ipse dixit mihi*, forte ut convalescam, *& ipse fecit*. Ipse se reprimit, & ad pœnitentiam se convertit.

16. (*g*) Si adeo misera est hujus vitæ conditio: *Corripies me*: Castigatum & purgatum a peccatis in vita conservabis. Hebr. *Per ista vivitur*, per promissa tua: *Et in talibus vita spiritus mei*: Per ista respiravi.

20. Domine salvum me fac, & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

21. Et jussit Isaias ut tollerent massam de ficis, & cataplasmarent super vulnus, & sanaretur.

22. Et dixit Ezechias: Quod erit signum quia ascendam in domum Domini?

CAPUT XXXIX.

Ezechias cum missis a rege Babylonis nuntiis suos ostendisset thesauros, fore ut in Babylonem transferrentur, prædicit Isaias.

1. IN tempore illo misit Merodach Baladan, filius Baladan rex Babylonis, libros (a) & munera ad Ezechiam: audierat enim quod ægrotasset, & convaluisset.

2. Lætatus est autem super eis Ezechias, & ostendit eis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & unguenti optimi, & omnes apothecas supellectilis suæ, & universa quæ inventa sunt in thesauris ejus. Non fuit verbum, quod non ostenderet eis Ezechias in domo sua, & in omni potestate sua.

3. Introivit autem Isaias propheta ad Ezechiam regem, & dixit ei: Quid dixerunt viri isti, & unde venerunt ad te? Et dixit Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone.

4. Et dixit: Quid viderunt in domo tua? Et dixit Ezechias: Omnia quæ in domo mea sunt, viderunt: non fuit res, quam non ostenderim eis in thesauris meis.

5. Et dixit Isaias ad Ezechiam: Audi verbum Domini exercituum.

6. Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizaverunt patres tui usque ad diem hanc, in Babylonem: non relinquetur quidquam, dicit Dominus.

7. Et de filiis tuis, qui exibunt de te (b), quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.

8. Et dicit Ezechias ad Isaiam: Bonum verbum Domini, quod locutus est (c). Et dixit: Fiat tantum pax, & veritas in diebus meis.

CAPUT XL.

Consolatio & salus Jerusalem per Christum futura: Joannis Baptistæ prædicatio; Christi adventus.

1. CONsolamini (a), consolamini popule meus, dicit Deus vester.

2. Loquimini (b) ad cor Jerusalem, & advocate eam: quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius: * suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. * Apoc. 18.

3. * Vox (c) clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. * Matth. 3. 3. Marc. 1. 3. Luc. 3. 4. Joann. 1. 23.

4. Omnis vallis exaltabitur (d), & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas.

5. Et revelabitur (e) gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.

6. Vox (f) dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamabo? * Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri. * Eccli. 14. 18. Jac. 1. 10. 1. Pet. 1. 24.

7. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo. Vere fœnum est populus:

8. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos: Verbum (g) autem Domini nostri manet in æternum.

9. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem: exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda: Ecce Deus vester:

10. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur: ecce merces ejus cum eo, & opus (h) illius coram illo.

11. * Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo levabit, fœtas (i) ipse portabit. * Ezech. 34. 23. & 37. 24. Joan. 10. 11.

12. Quis

CAPUT XXXIX. 1. (a) Vox Hebræa libros & Epistolas significat. Hæc historia narratur lib. 4. Reg. cap. 20. Merodach. Hinc colligit Hieronym. aliud tunc fuisse regnum Assyriorum & Babyloniorum.

7. (b) Ex nepotibus tuis erunt eunuchi, qui palatinis ministeriis fungentur; sic dicti sunt, quod matronarum haberent custodiam: Manasses captivus abductus est Babylonem, tum Jechonias.

8. (c) Hebr. *Locutus es*; verba sunt se subjicientis voluntati Domini: *Fiat tantum pax & veritas in diebus meis*: Pax quietem in bono, veritas stabilitatem significat.

CAP. XL. 1. (a) Verum consolatorem Christum in hoc capite, & præcursorem ejus Joannem Baptistam promittit: vel Deus ipse loquitur, ut Chaldæo paraphrastæ videtur, & prophetas alloquitur: Consolamini populum meum.

2. (b) Loqui autem ad cor Jerusalem, idioma est Scripturarum: Qui enim amoenter loquitur, & blandiens consolator est, ad cor loqui dicitur; per totam gratiam ad cor loquitur Deus; *Et advocate eam*: Hebr. *Vocate*, hoc est, annuntiate ei. *Quoniam completa est malitia ejus*: Condonata sunt peccata, finita malitia: Hebr. *Malitia*, seu afflictio, & vita laboriosa. Quo sensu dicitur Matth. 6. 34. *Sufficit diei malitia sua*, seu afflictio. *Suscepit*, si ad pœnas hæc referantur, sensus erit, Jam satis punita est Jerusalem; ut Apoc. 18. de Babylone: *Duplicate ei duplicia secundum opera ejus*: si ad beneficia referantur, sensus erit, Dimissa est ejus iniquitas, & satis est cumulata beneficiis.

3. (c) Quæ ad Joannem Baptistam apertissime spectant, excitantur Matth. 3. *Parate viam Domini*: omnia impedimenta amoveantur, errores & peccata. *Rectas facite semitas*; recta sit & pura intentio: *in solitudine*: ab omni tumultu & turba secedentes, vestræ saluti vacate; *& videbit omnis caro salutare Dei*. Hæc verba in editione LXX. leguntur, non in Hebræa, atque ita citantur, adeo ut Christi temporibus in Synagogis sic legerentur: cum autem in Hebræo hodierno desint, multis videtur ea verba a Judæis erasa fuisse, quod Christianis faverent. Per montes, valles, silvas, per quas Rex incedere debebat, mittebantur qui arbores cæderent, & obstantia quæque revellerent: itaque jubet Deus ut auferantur mali mores, quo regem suum advenientem excipiant.

4. (d) Exaltetur; Omnia complanentur anfractuosa, & quidquid in moribus nostris est asperum, modestia & mansuetudine leniatur.

5. (e) Nam gloriosa Christi humanitas palam fiet hominibus.

6. (f) Intus audio vocem dicentis mihi: *Omnis caro fœnum*; Nullæ sunt in homine vires.

8. (g) Quod carnem assumpsit, æternum est, vel prophetarum vaticinia.

10. (h) Pretium operæ secum affert.

11. (i) Oves, Apostolos & prædicatores, *qui salutem parturiunt plurimorum*; Hebr. *Hos ipse portat, ut aliorum defectus & infirmitates ferant*. Regnum Christi suave futurum prædicit.

12. Quis mensus (*k*) est pugillo aquas, & cælos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in statera?

* Sap 9.13. Rom. 11.34. 1. Cor. 2.16. 13. * Quis adjuvit (*l*) spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit, & ostendit illi?

14. Cum quo iniit consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam justitiæ, & erudivit eum scientiam, & viam prudentiæ ostendit illi?

15. Ecce Gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce insulæ quasi pulvis exiguus.

16. Et Libanus (*m*) non sufficiet ad succendendum, & animalia ejus non sufficient ad holocaustum.

17. Omnes Gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.

* Act. 17. 29. 18. * Cui ergo similem (*n*) fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?

19. Numquid sculptile conflavit faber? aut aurifex auro figuravit illud, & laminis argenteis argentarius?

20. Forte lignum & imputribile elegit: artifex sapiens quærit quomodo statuat simulacrum, quod non moveatur.

21. Numquid non scitis (*o*)? numquid non audistis? numquid non annuntiatum est vobis ab initio? numquid non intellexistis fundamenta terræ?

22. Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores ejus sunt quasi locustæ: qui extendit velut

* Gen. 1. 6. Ps. 14. 2. nihilum (*p*) cælos, & * expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum.

23. Qui dat secretorum scrutatores (*q*) quasi non sint, judices terræ velut inane fecit:

24. Et quidem neque plantatus (*r*), neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum: repente flavit in eos, & aruerunt, & turbo quasi stipulam auferet eos.

25. Et cui assimilastis me, & adæquastis, dicit Sanctus?

26. Levate in excelsum oculos vestros, & videte quis creavit hæc: qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat; præ multitudine fortitudinis & roboris, virtutisque ejus, neque unum (*s*) reliquum fuit.

27. Quare dicis Jacob, & loqueris Israel: Abscondita est via mea a Domino, & a Deo meo judicium meum transivit (*t*)?

28. Numquid nescis, aut non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus.

29. Qui dat lasso virtutem: & his qui non sunt (*u*), fortitudinem & robur multiplicat.

30. Deficient pueri, & laborabunt, & juvenes in infirmitate cadent.

31. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem (*x*), assument * pennas sicut aqui- * Ps. 103 5.
læ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.

CAPUT XLI.

Disceptatio Domini cum idololatris, de idolorum vanitate, & Dei potentia.

1. TAceant ad me insulæ (*a*), & Gentes mutent fortitudinem: accedant, & tunc loquantur, simul ad judicium propinquemus.

2. Quis suscitavit ab Oriente justum (*b*) vocavit eum ut sequeretur se? dabit in conspectu ejus Gentes, & reges obtinebit: dabit quasi pulverem gladio ejus, sicut stipulam vento raptam arcui ejus:

3. Persequetur eos, transibit in pace, semita (*c*) in pedibus ejus non apparebit.

4. Quis hæc operatus est, & fecit, vocans (*d*) generationes ab exordio? Ego Dominus, * primus & novissimus ego sum. * Inf. 44 6. 48. 12. Apoc. 1. 8. 17. 22. 13.

5. Viderunt insulæ, & timuerunt, extrema terræ obstupuerunt, appropinquaverunt, & accesserunt.

6. Unusquisque proximo suo auxiliabitur (*e*), & fratri suo dicet: Confortare.

7. Confortavit faber ærarius percutiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis, dicens: Glutino bonum est: & confortavit eum clavis, ut non moveretur.

8. Et tu Israel serve (*f*) meus, Jacob quem elegi, semen Abraham amici mei:

9. In quo

12. (*k*) Jam sapientiam & potentiam Dei commendat, ut ostendat quam facile ei sit opus incarnationis perficere. Quis præter Deum mensus est aquas velut pugillo, seu manu? loquitur humano more. *Libravit: in statera*, aut in bilance, per metonymiam.

13. (*l*) Hebr. Instruxit. & *ostendit illi*, quid esset agendum. LXX. Quis novit, quis scire fecit, quis docuit?

16. (*m*) Non satis est ad suffimenta; & animalia, quæ in eo pascentur, non sufficient ad holocausta: non sufficerent, si pro dignitate illi essent sacra facienda.

18. (*n*) Frustra hoc loco abutuntur Novatores, nemo Catholicus imaginem colit ut Deum, ipse in imagine Mosi & Prophetis apparere voluit, nec Deus exprimi potest, ut est in seipso.

21. (*o*) Quantum ab his idolis distem. *Fundamenta* ab ipso facta.

22. (*p*) Facillime. Hebr. Ut telam.

23. (*q*) Philosophos & politicos omni scientia & prudentia spoliat: LXX. *Principes*.

24. (*r*) Disjicit principem ab initio, vel antequam radices egerit.

26. (*s*) Ita ut ne unum quidem ex sideribus ab ordine suo & statione discedat.

27. (*t*) Deus caussam meam negligit.

29. (*u*) Fortes; An defatigari potest, qui aliis robur & vires præbet?

31. (*x*) Hebr. Novas vires accipient.

CAP. XLI. 1. (*a*) Hebr. Tacite auscultent verbum meum; in judicium vocat Gentes, quod se relicto omnium rerum conditore, idola coluerint. *Mutent fortitudinem:* Novas induant vires, & mecum disceptent.

2. (*b*) Abraham; *Dabit*, dedit futurum pro præterito. Qua ratione ab initio populum a se electum gubernaverit, ex ordine describit, ut vocaverit Abraham, duxerit e Chaldæa, ut quatuor reges cum 318. hominibus debellaverit. Alii Cyrum ut typum Christi intelligunt; sed de Abrahamo melius hoc intelligitur, quem justum vocat, quique Deum vocantem secutus est.

3. (*c*) Nec vestigium suæ peregrinationis ullum reliquit: in semita non apparuit pes ejus: adeo velociter pertransiit; persecutus est eos, Gen. 14. Hæc de Christo interpretatur Hieronymus. Quis suscitavit ab Oriente justum, id est, justitiam? In hujus conspectu reges & gentes colla submittent, & gladio ejus ac sagittis adversariæ potestates quasi stipulæ subjicientur. *Et transibit in pace*, ad pacem cunctos vocans, ut *reconcilientur Deo*.

4. (*d*) Qui suis temporibus eos vocat, quorum generationes ab initio prævidit, continuata serie ab Abrahamo ad Ezechiam usque. *Primus & novissimus ego sum:* nam is solus, qui est rex sæculorum, res futuras ut præsentes habere potest.

6. (*e*) Omnes homines se se mutuo juverunt, ut magnum hoc opus destruerent; sed Christus ipse suis fidelibus præsidio fuit, eosque sic intus afflatus est.

8. (*f*) Israelem spiritualem alloquitur, qui Domini sui suscepit adventum, ex Hieronymo.

9. In quo apprehendi (*g*) te ab extremis terræ, & a longinquis ejus vocavi te, & dixi tibi: Servus meus es tu, elegi te, & non abjeci te.

10. Ne timeas, quia ego tecum (*h*) sum: ne declines, quia ego Deus tuus: confortavi te, & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera justi mei.

11. Ecce confundentur & erubescent omnes, qui pugnant adversum te: erunt quasi non sint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi.

12. Quæres eos, & non invenies, viros rebelles tuos: erunt quasi non sint: & veluti consumptio, homines bellantes adversum te.

13. Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi: Ne timeas, ego adjuvi te.

14. Noli timere vermis (*i*) Jacob, qui mortui estis ex Israel: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus: & redemptor tuus sanctus Israel.

15. Ego posui te quasi plaustrum (*k*) triturans novum, habens rostra serrantia: triturabis montes, & comminues: & colles quasi pulverem pones.

16. Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo disperget eos: & tu exultabis in Domino, in sancto Israel lætaberis.

17. Egeni (*l*) & pauperes quærunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israel non derelinquam eos.

18. Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna (*m*) aquarum, & terram inviam in rivos aquarum.

19. Dabo in solitudinem cedrum, & spinam (*n*), & myrtum, & lignum olivæ: ponam in deserto abietem, ulmum, & buxum simul:

20. Ut videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc, & sanctus Israel creavit illud.

21. Prope facite judicium (*o*) vestrum, dicit Dominus: afferte, si quid forte habetis, dixit rex Jacob.

22. Accedant, & nuntient nobis quæcumque ventura sunt: priora quæ fuerunt nuntiate: & ponemus (*p*) cor nostrum, & sciemus novissima eorum, & quæ ventura sunt indicate nobis.

23. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos. Bene quoque aut male, si potestis, facite (*q*): & loquamur, & videamus simul.

24. Ecce, vos estis ex nihilo (*r*), & opus vestrum ex eo quod non est: abominatio est qui elegit vos.

25. Suscitavit ab Aquilone (*s*), & veniet ab ortu solis: vocabit nomen meum, & adducet magistratus quasi lutum, & velut plastes conculcans humum.

26. Quis annuntiavit (*t*) ab exordio ut sciamus: & a principio ut dicamus: Justus es? non est neque annuntians, neque prædicens, neque audiens sermones vestros.

27. Primus (*u*) ad Sion dicet: Ecce adsum, & Jerusalem evangelistam dabo.

28. Et vidi, & non erat neque ex istis quisquam qui iniret consilium, & interrogatus responderet verbum.

29. Ecce omnes injusti, & vana opera eorum: ventus & inane simulacra eorum.

CAPUT XLII.

Inducit loquentem Patrem æternum, qui Filii sui Adventum, Virtutes & Opera hominibus annuntiat, idolorum eversionem prædicit.

1. Ecce servus (*a*) meus, suscipiam eum: Matth. 12.
electus meus, complacuit sibi in illo 18.
anima mea: dedi spiritum meum super eum, judicium Gentibus proferet.

2. Non clamabit (*b*), neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris.

3. Calamum (*c*) quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium.

4. Non erit tristis (*d*), neque turbulentus, donec ponat in terra judicium: & legem ejus insulæ expectabunt.

5. Hæc dicit Dominus Deus, creans cælos, & extendens eos: firmans terram, & quæ germinant ex ea: dans flatum populo, qui est super eam, & spiritum calcantibus eam.

6. Ego Dominus vocavi te in justitia, &
apprehendi manum tuam, & servavi te. * Et * Inf. 49. 6.
dedi te in fœdus (*e*) populi, in lucem Gentium:

7. Ut

9. (*g*) Hebr. Tu es, quem apprehendi; *Ab extremis terræ*, ab Ægyptiis te animo concedas.
10. (*h*) Non erres, neque a veritate declines.
14. (*i*) Qui quasi vermis factus es, & quasi mortuus; *Et redemptor*; videris quasi a me derelictus. *Plaustrum*; Sub jugum suum misit, corda durissima contrivit, hæreticos ventilavit, & excussit. Hieron. Quod prædicatio Evangelica conterat adversarias potestates.
15. (*k*) Corda durissima; cor instar plaustri contrivit Ecclesia.
17. (*l*) Exauditi sunt; sitis & fames præsertim in locis æstuosis vehemens omne desiderium significant. Hieronym. de populo gentium hæc intelligit.
18. (*m*) Faciam ut desertum aquis gratiæ divinæ abundet, & inculta gentilitas arbores virtutum germinet.
19. (*n*) Hebr. Sethim, arbor est odorata, spinæ albæ similis.
21. (*o*) Jam vos o gentes proferte in medium rationes, quibus adducti idola colitis, an scientiam habeant eorum quæ fuerunt, vel futura sunt.
22. (*p*) Ut vos audiamus studiose.
23. (*q*) Bene cultoribus vestris, male hostibus.
24. (*r*) Alii vertunt, Minus nihilo; *Abominatio*, Qui vos in deos consecravit, est abominationi.
25. (*s*) Quidem exponunt Nabuchodonosorem a Chaldæa: *Et veniet ab ortu solis*: Cyrus potius e Perside; uterque mihi serviet in expeditionibus, quas jussu meo suscipient. Alii Ecclesiam interpretantur.
26. (*t*) Tertull. Apol. cap. 2. *Idoneum opinor testimonium divinitatis, veritas divinationis.*
27. (*u*) In Hebræo vox dicet, non est, sed subauditur, *dico*, ego Deus primus dico, *Ecce adsunt*, prophetæ. *Et Jerusalem Evangelistam dabo*, seu Evangelistas qui fausta prænuntient, prophetas qui futura, & ea maxime quæ ad Christum spectant annuntiabunt.
1. (*a*) Christus propter assumptam servi formam; *Suscipiam eum*; Hebr. Innitar super eum: *Judicium gentibus proferet*; Legem justitiæ in gentibus constituet. CAPUT XLII.
2. (*b*) Non erit clamosus, nec contentiosus: Christi mansuetudo insinuatur, qui imbecilles in fide non opprimit, sed sustinendo sanat suis verbis, quæ Matth. 14. citantur.
3. (*c*) Debiles in fide & moribus fovebit: *Linum fumigans*, Hieron. *Qui vicini erant extinctioni, Domini clementia servabantur.*
4. (*d*) Morosus, neque turbulentus, aut præceps; *Ponat*, Hieronym. Nullum vultus tristitia deterrebit, nec festinabit ad pœnam, donec veniat tempus & dies judicii; vel Evangelium per Apostolos prædicabit, donec in toto orbe annuntietur.
6. (*e*) In reconciliatorem populo Israel, qui venturum ante promiseram.

7. Ut aperires oculos cæcorum (*f*), & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.

*Inf. 48. 11. 8. * Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.

9. Quæ prima fuerunt (*g*), ecce venerunt: nova quoque ego annuntio: antequam oriantur, audita vobis faciam.

10. Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ: qui descenditis in mare, & plenitudo ejus, insulæ, & habitatores earum.

11. Sublevetur (*h*) desertum, & civitates ejus: in domibus habitabit Cedar: laudate habitatores Petræ, de vertice montium clamabunt.

12. Ponent Domino gloriam, & laudem ejus in insulis nuntiabunt.

13. Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum (*i*): vociferabitur, & clamabit: super inimicos suos confortabitur.

14. Tacui (*k*) semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar: dissipabo, & absorbebo simul.

15. Desertos faciam montes, & colles, & omne gramen eorum exsiccabo: & ponam flumina in insulas, & stagna arefaciam.

16. Et ducam cæcos in viam, quam nesciunt; & in semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta: hæc verba feci eis, & non dereliqui eos.

17. Conversi sunt retrorsum: confundantur confusione qui confidunt in sculptili, qui dicunt conflatili: Vos dii nostri.

18. Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum.

19. Quis cæcus, nisi servus meus? & surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? quis cæcus, nisi qui venundatus (*l*) est? & quis cæcus, nisi servus Domini?

20. Qui vides multa, nonne custodies (*m*)? qui apertas habes aures, nonne audies?

21. Et Dominus voluit ut sanctificaret eum, & magnificaret legem, & extolleret.

22. Ipse autem populus direptus, & vastatus: laqueus (*n*) juvenum omnes, & in domibus carcerum absconditi sunt: facti sunt in rapinam, nec est qui eruat; in direptionem, nec est qui dicat: Redde.

23. Quis est in vobis qui audiat hoc, attendat & auscultet futura?

24. Quis dedit in direptionem Jacob, & Israel vastantibus? Nonne Dominus ipse, cui peccavimus? Et noluerunt in viis ejus ambulare, & non audierunt legem ejus.

25. Et effudit super eum indignationem furoris sui, & forte bellum, & combussit eum in circuitu, & non cognovit: & succendit eum, & non intellexit.

CAPUT XLIII.

Ecclesiam suam consolatur Deus: hanc in tutelam suam suscipit; Judæos increpat; inde redit ad disceptationem cum idololatris.

1. ET nunc hæc dicit Dominus creans te Jacob (*a*), & formans te Israel: Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo: meus es tu.

2. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te:

3. Quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel salvator tuus, dedi propitiationem (*b*) tuam Ægyptum, Æthiopiam & Saba pro te.

4. Ex (*c*) quo honorabilis factus es in oculis meis, & gloriosus: Ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populus pro anima tua.

5. Noli timere, quia ego tecum sum: ab Oriente (*d*) adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te.

6. Dicam Aquiloni: Da; & Austro: Noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.

7. Et omnem (*e*), qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, & feci eum.

8. Educ foras populum cæcum (*f*), & oculos habentem: surdum, & aures ei sunt.

9. Omnes Gentes (*g*) congregatæ sunt simul & collectæ sunt tribus: quis in vobis annuntiet istud, & quæ prima sunt audire nos faciet? dent testes eorum, justificentur, & audiant, & dicant: Vere.

10. Vos

7. (*f*) Qui idola colunt.

9. & 10. (*g*) Hebr. Priora venerunt, quæ prædixeram. Hieronym. Quæ per Moysen prophetasque pollicitus sum, completa sunt; nunc autem annuntio vobis Evangelium, vocationem gentium, passionem Christi; vos Apostoli descenditis in mare, tempestates hujus seculi sustinentes.

11. (*h*) Gentes in deserto degentes se erigant: *Cedar*, Arabes, & aliæ gentes feritate deposita, jam in domibus, & in vicis habitabunt.

13. (*i*) Hæc sumpta sunt de re militari: cum viro fortissimo comparat Christum, qui pugnaturus est contra adversarios suos.

14. (*k*) LXX. *Numquid semper tacebo?* minime, sed pœnas sumam de improbis.

19. (*l*) Tot a Deo accepit dona, ut rependendo non sit par, nisi seipsum Deo addicat: vel potius qui venundatus est peccato.

20. (*m*) Quæ tibi præcepta sunt; Israelitæ cur legem non observatis?

22. (*n*) Fortis qui vehementer illaqueat: vertunt alii, Laqueus in omnibus foraminibus eorum; Ubique iis tenduntur insidiæ. *Laqueus juvenum*, militum.

CAPUT XLIII. 1. (*a*) Judæos Babylone captivos nova spe corroborat, & sub Israelis typo Ecclesiam liberandam a peccatis & a dæmonis tyrannide prædicit. Hieron. Duos esse Jacob & Israeli notat, unum carnalem, alterum spiritualem. *Nomine tuo*; Israelis nomine.

3. (*b*) Vatabl. *Dedi pretium tuum Ægyptum*: Objeci Regi Sennacherib Ægyptum vastandam, cum immineret Israeli; cum Assyriaco extrema tibi minaretur, opposui alium hostem Tharacam Æthiopem; *Propitiationem tuam*, ut te salvarem, ut Assyrios tibi imminentes alio averterem.

4. (*c*) Eo quod: vel ex quo tempore: *Et dabo homines pro te*, Babylonios per Cyrum delendos, ut te liberent.

5. (*d*) Ex omnibus terræ plagis, Deus Ecclesiam collegit.

7. (*e*) LXX. Omnes, qui de meo nomine vocantur, qui se veri Dei cultores profitentur.

8. (*f*) Si hæc prophetia de Judæis accipiatur, erit comminatoria: Produc foras populum qui oculos habet, ut legat Scripturas: & tamen cæcus est, nec intelligit. Melius de fidelibus, aut gentibus conversis antea cæcis exponitur: Educ foras, de tenebris, aut carcere: aut Pater de Filio loquitur, quod eduxerit populum suum e servitute dæmonum.

9. (*g*) Redit Propheta ad disceptationem cum gentibus & eorum idolis. *Justificentur*; si id præstare possint, justa erit eorum caussa, & audiant testes ex parte: *Et dicant vere*; Vera esse quæ dico, fatentur: probent ex eventu se bene vaticinatos: *Et audiant*, Populi hoc testimonium audiant: & dicant, *vere*, hoc verum est: nunc ergo congregentur gentes in unum, & dicant pro idolis, si quid simile habent; divinent futura, si possint; quis in vobis annuntiet istud? Quis est ex gentibus, qui vobis possit dicere, quis, & quo nomine futurus sit, qui populum meum sit liberaturus?

10. Vos testes (*h*) mei, dicit Dominus, & servus meus, quem elegi: ut sciatis, & credatis mihi, & intelligatis quia ego ipse sum. Ante me non est formatus Deus, & post me non erit.

*Osee 13.4. 11. * Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me salvator.

12. Ego annuntiavi (*i*) & salvavi: auditum feci, & non fuit in vobis alienus; vos testes mei, dicit Dominus, & ego Deus.

13. Et ab initio ego ipse, & non est qui de manu mea eruat: operabor, & quis avertet (*k*) illud?

14. Hæc dicit Dominus redemptor vester sanctus Israel: Propter vos misi (*l*) in Babylonem, & detraxi vectes universos, & Chaldæos in navibus suis gloriantes.

15. Ego Dominus sanctus vester, creans Israel rex vester.

16. Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, & in aquis torrentibus semitam.

17. Qui eduxit (*m*) quadrigam & equum, agmen & robustum: simul obdormierunt, nec resurgent: contriti sunt quasi linum, & extincti sunt.

18. Ne memineritis (*n*) priorum, & antiqua ne intueamini.

* 1. Cor. 5. 17. Apoc. 21. 5. 19. * Ecce ego facio nova (*o*), & nunc orientur, utique cognoscetis ea: ponam in deserto viam, & in invio flumina.

20. Glorificabit me bestia (*p*) agri, dracones, & struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo.

21. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.

22. Non me invocasti (*q*) Jacob, nec laborasti in me Israel.

23. Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, & victimis tuis non glorificasti me: non te servire feci in oblatione (*r*), nec laborem tibi præbui in thure.

24. Non emisti mihi argento calamum (*s*), & adipe victimarum tuarum non inebriasti me. Veruntamen servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.

25. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter (*t*) me, & peccatorum tuorum non recordabor.

26. Reduc me in memoriam, & judicemur simul: narra si quid habes ut justificeris.

27. Pater (*u*) tuus primus peccavit, & interpretes tui prævaricati sunt in me.

28. Et contaminavi (*x*) principes sanctos, dedi ad internecionem Jacob, & Israel in blasphemiam.

CAPUT XLIV.

Felix Ecclesiæ status in novo fœdere; Spiritus sancti futura effusio; idolorum vanitas.

1. ET nunc audi Jacob (*a*) serve meus, & Israel quem elegi. Jer. 30.10. & 46. 27.

2. Hæc dicit Dominus faciens & formans te, ab utero auxiliator tuus: noli timere serve meus Jacob, & rectissime, (*b*) quem elegi.

3. Effundam enim aquas (*c*) super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.

4. Et germinabunt inter herbas, quasi salices juxta prætersluentes aquas.

5. Iste dicet (*d*): Domini ego sum: & ille vocabit in nomine Jacob, & hic scribet manu sua: Domino: & in nomine Israel assimilabitur.

6. * Hæc dicit Dominus rex Israel, & redemptor ejus Dominus exercituum: Ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus. * Sup. 41. 4. Infr. 48.12. Apoc. 1. 8. 17. & 22.13.

7. Quis similis mei? vocet, & annuntiet: & ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum: ventura & quæ futura sunt annuntient eis.

8. Nolite timere, neque conturbemini: ex tunc audire te feci, & annuntiavi: vos estis testes mei: numquid est Deus absque me, & formator, quem ego non noverim?

9. Plastæ idoli omnes nihil sunt, & amantissima (*e*) eorum non proderunt eis: ipsi sunt testes eorum, quia non vident, neque intelligunt, ut confundantur.

10. Quis

10. (*h*) Israelitæ, Prophetæ, Isaias in primis; aut potius Christiani: *Servus*, Christus qui verba prophetarum dictis & factis confirmavit.

12. (*i*) Prædixi salutem vestram, *Auditum feci*, & *non fuit in vobis alienus*: Ego effeci, & non aliquis Deus gentium, ut hæc prophetia audiretur antequam eveniret; vel Deus alius a me non fuit.

13. (*k*) Quis prohibebit? Ego hunc populum ab initio elegi.

14. (*l*) Mittam Cyrum, Hebr. Eo redegi Chaldæos, ut non aliud habeant perfugium quam naves.

17. (*m*) Fecit ut exiret ex Ægypto adversus Hebræos: *Obdormierunt*, somno mortis.

18. (*n*) Ad ea quæ videtis miracula, animum advertite. Quæ facturus sum prodigia, divinitatem meam satis superque comprobabunt.

19. (*o*) Veteribus majora. *Ponam in deserto*, gentilitatis, *viam*, quæ ducit ad Christum: *In invio flumina*, quæ ex petra fluent.

20. (*p*) Gentes barbaræ & crudeles.

22. (*q*) Non consulis; idcirco filios Abrahæ formavi mihi e lapidibus: Nec *laborasti in me*: Non laborasti pro me, Vatabl. Quin fatigatus es in me Israel; immo tædio mihi fuisti Israel.

23. (*r*) Non te coegi ut offerres, oblationes tuas ut pollutas habui.

24. (*s*) Aromaticum, forte canellam. *Servire me fecisti in peccatis tuis*; Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis; adeo molesti mihi fuistis, ut justitiæ quasi vim attulerit misericordia, ne vos statim delerem. Quin etiam ut expiarem vestra peccata, Unigenitum meum misi, qui humanam ferret naturam indueret, & vos a morte liberaret.

25. (*t*) Non ob merita vestra, sed propter immensam misericordiam meam. *Deleo iniquitates tuas*: ita ut non sint; nec tantum abscondo eas, ita ut non imputem, sed omnino deleo ut chirographum.

27. (*u*) Adam; fontem nostræ corruptionis in memoriam redigit, quo simus humiliores.

28. (*x*) Ostendit eos indignos, qui intrarent in terram promissam.

CAPUT XLIV.

1. (*a*) „ Hieron. Ubi accusatur populus Judæorum ob in„credulitatem absque ulla nominis dignitate, patris appella„tur vocabulis; ubi autem ad Apostolorum chorum qui ex „Judæis est, sermonem facit, jungantur nominatim privile„gia; Audi Jacob serve meus. ”

2. (*b*) Cum ad normam divinæ voluntatis cor se dirigit, tum cor rectum est, non pravum. Populum Christianum alloquitur, sed ad carnalem Israelem alludit. Vox illa *rectissimus* Israeli tribuitur, Deuter. 33. 5.

3. (*c*) Chaldæorum; *Super sitientem*, Super gentes & super Judæos: nam Ecclesia ex utroque constat populo.

5. (*d*) Populus gentilis; *Domini ego sum*. LXX. *Inscribet manui suæ*. *Dei ego sum*: servi stigma dominorum suorum olim inustum habebant; *Assimilabitur* Israelita, aut potius Christianus cognominabitur. Quæ sequuntur, jam superius sunt exposita.

9. (*e*). Grotius, Amatissima, quæ maxime iis cordi sunt.

10. Quis formavit Deum, & ſculptile conflavit ad nihil utile?

11. Ecce omnes participes ejus confundentur: fabri enim ſunt ex hominibus: convenient omnes, ſtabunt & pavebunt, & confundentur ſimul.

* Sup. 13. 11. 12. * Faber ferrarius lima operatus eſt: in prunis & in malleis formavit illud, & operatus eſt in brachio fortitudinis ſuæ: eſuriet & deficiet, non bibet aquam, & laſſeſcet.

13. Artifex lignarius extendit normam, formavit illud in runcina (f): fecit illud in angularibus, & in circino tornavit illud: & fecit imaginem viri quaſi ſpecioſum hominem habitantem in domo.

14. Succidit cedros, tulit ilicem & quercum, quæ ſteterat inter ligna ſaltus: plantavit pinum, quam pluvia nutrivit.

15. Et facta eſt hominibus in focum: ſumpſit ex eis, & calefactus eſt: & ſuccendit, & coxit panes: de reliquo autem operatus eſt deum, & adoravit: fecit ſculptile, & curvatus eſt ante illud.

16. Medium ejus combuſſit igni, & de medio ejus carnes comedit: coxit pulmentum, & ſaturatus eſt, & calefactus eſt, & dixit: Vah, calefactus ſum, vidi focum.

17. Reliquum autem ejus deum fecit & ſculptile ſibi: curvatur ante illud, & adorat illud, & obſecrat, dicens: Libera me, quia Deus meus es tu.

18. Neſcierunt, neque intellexerunt: obliti (g) enim ſunt ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde ſuo.

19. Non recogitant in mente ſua, neque cognoſcunt, neque ſentiunt, ut dicant: Medietatem ejus combuſſi igni, & coxi ſuper carbones ejus panes: coxi carnes & comedi, & de reliquo ejus idolum faciam? ante truncum ligni procidam?

20. Pars ejus cinis eſt: cor inſipiens adoravit illud, & non liberabit animam ſuam, neque dicet: Forte mendacium (h) eſt in dextera mea.

21. Memento horum Jacob, & Iſrael, quoniam ſervus meus es tu: formavi te, ſervus meus es tu Iſrael, ne obliviſcaris mei.

22. Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua: revertere ad me, quoniam redemi te.

23. Laudate cæli, quoniam miſericordiam fecit Dominus: jubilate extrema terræ, reſonate montes laudationem, ſaltus & omne lignum ejus: quoniam redemit Dominus Jacob, & Iſrael gloriabitur.

24. Hæc dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus ex utero: Ego ſum Dominus, faciens omnia, extendens cælos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum.

25. Irrita (i) faciens ſigna divinorum, & ariolos in furorem vertens. Convertens ſapientes retrorſum: & ſcientiam eorum ſtultam faciens.

26. Suſcitans (k) verbum ſervi ſui, & conſilium nuntiorum ſuorum complens. Qui dico Jeruſalem: Habitaberis; & civitatibus Juda: Ædificabimini, deſerta ejus ſuſcitabo.

27. Qui dico profundo (l): Deſolare, & flumina tua areſaciam.

28. Qui dico Cyro (m): Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jeruſalem: Ædificaberis; & templo: Fundaberis.

CAPUT XLV.

Prophetia de Cyro & victoriis ipſi a Deo concedendis: prædicitur Chriſti Nativitas; & loquitur Propheta permixtim de Judæorum per Cyrum, typum Chriſti, liberatione, ac de ſalute per Chriſtum futura.

1. HÆc dicit Dominus chriſto (a) meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus Gentes, & dorſa regum vertam, & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur.

2. Ego ante te ibo: & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.

3. Et dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana (b) ſecretorum: ut ſcias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Iſrael.

4. Propter ſervum meum Jacob, & Iſrael electum meum: & vocavi te nomine tuo: aſſimilavi te, & non cognoviſti (c) me.

5. Ego Dominus, & non eſt amplius: extra me non eſt Deus: accinxi (d) te, & non cognoviſti me:

6. Ut ſciant hi, qui ab ortu ſolis, & qui ab occidente, quoniam abſque me non eſt. Ego Dominus, & non eſt alter,

7. Formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum (e): ego Dominus faciens omnia hæc.

8. Rorate (f) cæli deſuper, & nubes pluant juſtum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem: & juſtitia oriatur ſimul: ego Dominus creavi eum.

9. Væ

13. (f) Deſignavit illud amuſſim miniata, ſeu norma rubra: vel inſtrumentum deſignat, quo lævigari ſolent tabulæ aſperiores, vulgo rabot.

18. (g) Ne videre poſſint; obliti oculi, ab oblino, non ab obliviſcor.

20. (h) Hebr. Certe mendacium: In dextra mea: Id, in quo laboro.

25. (i) Inania eſſe oſtendens.

26. (k) Qui ratum faciam vaticinium Iſaiæ: Et deſerta ejus ſuſcitabo, Ruinas ejus opplebo.

27. (l) Aſſyriæ; vel Babylonis. Hebr. Siccatori; alludit ad ea quæ fecit Cyrus, ut caperet Babylonem, cum Euphraten exſiccavit.

28. (m) More paſtoris diſperſum populum congregabis, & in Judæam reduces.

CAPUT XLV. 1. (a) Uncto meo; quod inſigne erat apud Hebræos regiæ poteſtatis, & in illius figura, Chriſto Domino: ſicut populus Judaicus neſciens figura fuit populi Chriſtiani, ita Cyrus Chriſti. Et non cognoviſti me; aliud enim eſt typum eſſe, aliud eſſe veritatem; neſcis quam magnæ rei typum geras; in vera Dei religione parum eras inſtitutus.

3. (b) Gemmas & monilia diligenter aſſervata cognovit. An forte animorum immortalitas Cyro nota fuit, ut nonnullis videtur? Nomen tuum; Deus eos nomine vocare dicitur, quos ad quiddam magnum deſtinat.

4. (c) Ex Hebr. Cognominabo te antequam me cognoſceres. Aſſimilavi te. Hebr. Cognominavi te, immo & Chriſtum meum; alio ſcilicet nomine te deſignavi, vel deſcripſi te, & formavi in typum futuræ ſub Chriſto libertatis.

5. (d) Sept. Interpr. Confortavi, armis inſtruxi; Et non cognoviſti me: Arab. Cum nondum me cognoſceres; Deum eſſe mundi opificem nondum cognoverat, ſed poſtea ex Hebræis hæc didicit.

7. (e) Famem, peſtem &c. non peccatum. Proſpera & adverſa providentia mea diſpenſat.

8. (f) Poſtquam de populi Judaici a captivitate Babylonica liberatione diſſeruit, tranſit ad liberationem generis humani per Chriſtum tot votis Sanctorum exoptatam. Hæc verba aliquid majus exprimunt, quam poſſit typo convenire: Creavi eum, ut hominem.

9. Væ qui contradicit fictori suo, testa de
* Jer. 18.6. Rom. 9.20 famiis (g) terræ: * numquid dicet lutum figulo suo: Quid facis, & opus tuum absque manibus est?

10. Væ qui dicit patri: Quid generas? & mulieri: Quid parturis?

11. Hæc dicit Dominus Sanctus Israel, plastes ejus: Ventura interrogate me, super filios meos, & super opus manuum mearum mandate (h) mihi.

12. Ego feci terram, & hominem super eam creavi ego: manus meæ tetenderunt cælos, & omni militiæ eorum mandavi.

13. Ego suscitavi eum (i) ad justitiam, & omnes vias ejus dirigam: ipse ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum.

14. Hæc dicit Dominus: Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt: Post te ambulabunt, vincti manicis pergent: & te adorabunt, teque deprecabuntur: Tantum (k) in te est Deus, & non est absque te Deus.

15. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator.

16. Confusi sunt, & erubuerunt omnes: simul abierunt in confusionem fabricatores errorum.

17. Israel salvatus (l) est in Domino salute æterna: non confundemini, & non erubescetis usque in sæculum sæculi.

18. Quia hæc dicit Dominus creans cælos, ipse Deus formans terram, & faciens eam, ipse plastes ejus: non in vanum creavit eam: ut habitetur, formavit eam: ego Dominus, & non est alius.

19. Non in abscondito locutus sum in loco terræ tenebroso: non dixi semini Jacob: Frustra quærite me: ego Dominus loquens justitiam, annuntians recta.

20. Congregamini, & venite, & accedite simul qui salvati (m) estis ex Gentibus: nescierunt qui levant lignum sculpturæ suæ, & rogant Deum non salvantem.

21. Annuntiate, & venite, & consiliamini simul: quis auditum fecit hoc ab initio (n), ex tunc prædixit illud? numquid non ego Dominus, & non est ultra Deus absque me? Deus justus, & salvans non est præter me.

22. Convertimini ad me, & salvi eritis omnes fines terræ: quia ego Deus, & non est alius.

23. In memetipso juravi, egredietur de ore meo justitiæ verbum, & non revertetur (o),

24. * Quia mihi curvabitur omne genu, & * Rom. 14. 11. Phil. 2. 10.
jurabit omnis lingua.

25. Ergo in Domino (p), dicet, meæ sunt justitiæ & imperium: ad eum venient, & confundentur omnes qui repugnant ei.

26. In Domino justificabitur (q), & laudabitur omne semen Israel.

CAPUT XLVI.

Idolorum vanitas, & destructio futura; Judæi cum reliquiis Israel ad Deum revocantur; gravis eorum reprehensio ob ingratum animum; adhortatur ut ad ipsum, qui solus omnia novit & potest, revertantur, salutem ipsis per Filium promittens.

1. Confractus (a) est Bel, contritus est Nabo: facta sunt simulacra eorum bestiis & jumentis, onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem.

2. Contabuerunt, & contrita sunt simul: non potuerunt salvare portantem, & anima eorum in captivitatem ibit.

3. Audite me domus Jacob, & omne residuum domus Israel, qui portamini a meo utero (b), qui gestamini a mea vulva.

4. Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram: ego portabo, & salvabo.

5. Cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis me, & fecistis similem?

6. Qui confertis aurum de sacculo, & argentum statera ponderatis: conducentes aurificem, ut faciat Deum: & procidunt, & adorant.

7. * Portant illum in humeris gestantes, & * Bar 6.2.
ponentes in loco suo: & stabit, ac de loco suo non movebitur; sed & cum clamaverint ad eum, non audiet: de tribulatione non salvabit eos.

8. Mementote istud, & confundamini: redite prævaricatores ad cor.

9. Recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, & non est ultra Deus, nec est similis mei:

10. Annuntians ab exordio (c) novissimum, & ab initio quæ necdum facta sunt, dicens: Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet:

11. Vocans

9. (g) Hebr. *Testa de testis terræ:* Testa lutea, & vilis.

11. (h) Videtur ironia, an vestrum est mihi mandare, quid facere debeam? impedite si potestis, ne de iis faciam quod volo.

13. (i) Cyrum, ut quæ justa sunt faciat: sed Christus in primis in Cyro adumbratur, qui Ecclesiam ædificavit, ad quam omnes gentes transierunt. *Omnes vias ejus dirigam:* Faciam ut incœpta ejus prosperum habeant exitum.

14. (k) Tecum est Deus, non alius est preter eum; cum de Cyro, qui a Ponto Euxino ad interiorem usque Æthiopiam regiones interjectas victoriis pervasit, verba facit de Christo, seu illius antitypo ea quæ huic uni conveniunt admiscet. Nam in eo, ut in Deo abscondito, Deus operatus est mundi redemptionem: ut in Cyro, Deus occulta quadam ratione operatus est salutem Judæorum.

17. (l) Salvabitur Dei beneficio: *Salute æterna,* quam Deus attulit.

20. (m) Qui Christi fidem induistis. Hieronym. *Per quod ostendit non statim omnes gentes esse credituras; sed paullatim & per partes.*

21. & 22. (n) Quis prædixit Judæos per Cyrum liberandos? quis ex omnibus diis fictitiis ista olim prædixit, ut ego feci? *Et salvi eritis omnes fines terræ;* vos qui ab ultimis terræ oris ad fidem vocati estis.

23. (o) Non erit irritum.

25. (p) Ergo jurando dicet omnis lingua; *In Domino,* Per Dominum: *Meæ sunt justitiæ,* A me stat justitia, non ab idolis, quæ caussa sua ceciderunt; mei solius est imperium & robur omne; *Ad eum venient:* Ad Christum.

26. (q) Per ipsum Christum.

CAPUT XLVI. 1. & 2. (a) Duo sunt idola Babyloniorum quæ evertenda docet Propheta, quæque figuræ fuerunt abolendæ idololatriæ per Christum. Belis nomine sol, ut & Nabonis Aridus celebris colebantur. *Onera;* Vestra simulacra non sunt aliud nisi opera sacerdotum. *In captivitatem;* Ob pretium metallorum, e quibus facta sunt, ducuntur ut captiva, & animam suam, sive portantium, liberare non possunt.

3. (b) Uterus ille est Ecclesiæ, in qua manemus usque ad senectam. „ Hieron. Docuit eos instar puerorum atque lactentium, ita a Deo, quasi matris utero & vulva prægnantis ex Ægypto esse portatos: hoc est, semper eos dilexi, „ & fovi. “

10. (c) A longo tempore quæ ventura sunt.

11. Vocans ab Oriente avem (*d*), & de terra longinqua virum voluntatis meæ: & locutus sum, & adducam illud: creavi, & faciam illud.

12. Audite me duro corde, qui longe estis a justitia.

13. Prope (*e*) feci justitiam meam, non elongabitur, & salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem, & in Israel gloriam meam.

CAPUT XLVII.

Babylonis dejectio ac contritio prædicitur ob ejus superbiam, arrogantiam, & crudelitatem in Judæos captivos: & quia in maleficiis, auguribus, atque incantatoribus spem suam posuit.

1. DEscende (*a*), sede in pulvere virgo filia Babylon, sede in terra: non est solium filiæ Chaldæorum, quia ultra non vocaberis mollis & tenera.

2. Tolle molam (*b*), & mole farinam: denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina.

*Nah. 3. 5. 3. * Revelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum: ultionem capiam, & non resistet mihi homo.

4. Redemptor noster, Dominus exercituum nomen illius, Sanctus Israel.

5. Sede tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorum: quia non vocaberis ultra domina regnorum.

6. Iratus sum super populum meum, contaminavi hæreditatem meam, & dedi eos in manu tua: non posuisti eis misericordias (*c*): super senem aggravasti jugum tuum valde.

7. Et dixisti: In sempiternum ero domina: non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es novissimi tui.

8. Et nunc audi hæc delicata, & habitans
*Apoc. 18. 7. confidenter, quæ dicis in corde tuo: * Ego sum, & non est præter me amplius (*d*): non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem.

*Inf. 51. 19. 9. * Venient tibi duo hæc subito in die una, sterilitas & viduitas: universa venerunt super te, propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiam incantatorum tuorum vehementem.

10. Et fiduciam habuisti in malitia tua, & dixisti: Non est qui videat me: sapientia tua & scientia tua hæc decepit (*e*) te. Et dixisti in corde tuo: Ego sum, & præter me non est altera.

11. Veniet super te malum, & nescies ortum ejus: & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare: veniet super te repente miseria, quam nescies.

12. Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosit tibi, aut si possis fieri fortior.

13. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum: stent & salvent te augures (*f*) cæli, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi.

14. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos: non liberabunt animam suam de manu flammæ: non sunt prunæ (*g*), quibus calefiant; nec focus, ut sedeant ad eum.

15. Sic facta sunt tibi in quibuscumque laboraveras: negotiatores tui ab adolescentia tua, unusquisque in via sua erraverunt: non est qui salvet te.

CAPUT XLVIII.

Increpat Dominus hypocrisim, ingratum animum ac duritiam Judæorum; se, & non idola, annuntiasse futura, & illa complevisse: benigne eos ad se revocat, probans se solum esse verum Deum, omnium conscium, suique populi redemptorem ac gubernatorem.

1. AUdite (*a*) hæc domus Jacob, qui vocamini nomine Israel, & de aquis Juda existis, qui juratis in nomine Domini, & Dei Israel recordamini non in veritate, neque in justitia.

2. De civitate enim sancta vocati sunt, & super Deum Israel constabiliti sunt: Dominus exercituum nomen ejus.

3. Priora ex tunc annuntiavi (*b*), & ex ore meo exierunt, & audita feci ea: repente operatus sum, & venerunt.

4. Scivi enim quia durus es tu, & nervus (*c*) ferreus cervix tua, & frons tua ærea.

5. Prædixi tibi ex tunc (*d*): antequam venirent indicavi tibi: ne forte diceres: Idola mea fecerunt hæc, & sculptilia mea, & conflatilia mandaverunt ista.

6. Quæ audisti, vide omnia: vos autem num annuntiastis? Audita feci tibi nova ex tunc (*e*), & conservata sunt quæ nescis:

7. Nunc

11. (*d*) Cyrum e Perside, cujus vexillum erat aquila expansis alis; vel Cyrus ut avis velociter veniet.

13. (*e*) Ut brevi adsit Cyrus, efficaciam, qui promissa mea & fidem exsolvat: *Gloriam*, Liberationem gloriosam: quæ in primis convenium Christo. Tempus illud nobis longum est, sed Deo breve, & tamquam unus dies.

CAPUT XLVII. 1. (*a*) Prædicit Isaias excidium Babylonis, quam virginem vocat ob cultum & ornatum. Joannes quidem cap. 17. Apocal. meretricem appellat: spirituali sensu Propheta animum in mundo corruptam ad pœnitentiam invitat.

2. (*b*) In pistrino servies: *Turpitudinem*, LXX. Operimentum tuum: Rade capillos tuos, ut fieri solebat in luctu: *Discooperi humerum*: Ad laborem te para, quæ adeo mollis eras ... [illegible]

6. (*c*) Ob tria capita Deus Babyloni minatur excidium, quod erga populum Dei se se immisericorditer gesserit, tum ob ejus superbiam, ac demum præsenti felicitate decepta, futurorum non cogitaverit ... [illegible]

8. (*d*) Nulla est in orbe alia civitas opulentior: deinde propter ariolos & maleficos infelicior.

10. (*e*) Astrologia sua vana, quæ imminebant mala, in astris non videbant, unde non eventura persuasum habebant.

13. (*f*) Qui contemplantur sidera, & ex iis futura augurantur.

14. (*g*). Sic omnia comburentur, ut ne prunæ quidem supersint.

CAPUT XLVIII. 1. (*a*) Judæis cecitatem & duritiem cordis exprobrat. *Audite*, qui gloriamini quod filii e Patre Jacob orti: *Et de aquis Juda existis*, de Juda tanquam e rivo nobilissimo, vel quod e semine Juda orti fueritis; *Et Dei Israel recordamini*; Hebr. Commemoratis, Crebram facitis ejus mentionem: *Non in veritate & justitia*: nam sæpe juratis quod falsum est & nimium.

3. (*b*) Loquitur quasi in ipso tempore captivitatis.

4. (*c*) Dura cervice.

5. (*d*) Longe antea quam ista evenirent. Non justo scientiam, sed ob multitudinem tuam loquor. Hieron. *Quod duritiæ vestræ hoc egeat remedio*.

6. (*e*) Sept. Interpretes, & Chald. Ex nunc; *Et conservata sunt quæ nescis*, reservata. An vos deinceps hæc vaticinia annuntiabitis? neutiquam, non enim meam, sed vestram quæritis gloriam.

7. Nunc creata (*f*) sunt, & non ex tunc: & ante diem, & non audisti ea, ne forte dicas: Ecce ego cognovi ea.

8. Neque audisti, neque cognovisti, neque ex tunc aperta est auris tua: scio (*g*) enim quia prævaricans prævaricaberis, & transgressorem ex utero vocavi te.

9. Propter nomen meum longe faciam furorem meum: & laude mea infrænabo te, ne intereas.

10. Ecce excoxi (*h*) te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis.

11. Propter me, propter me faciam, ut non
* Sap. 42. 8. blasphemer (*i*): * & gloriam meam alteri non dabo.

12. Audi me Jacob, & Israel quem ego vo-
* Sup. 41. 4. & 44. 6. Apoc. 1. 8. 17. & 22. 13. co: * ego ipse, ego primus, & ego novissimus.

13. Manus quoque mea fundavit terram, & dextera mea mensa est cælos: ego vocabo eos, & stabunt simul.

14. Congregamini omnes vos, & audite: quis de eis annuntiavit hæc? Dominus dilexit eum (*k*), faciet voluntatem suam in Babylone, & brachium suum in Chaldæis.

15. Ego, ego locutus sum, & vocavi eum: adduxi eum, & directa (*l*) est via ejus.

16. Accedite ad me, & audite hoc: non a principio in abscondito (*m*) locutus sum: ex tempore antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus ejus.

17. Hæc dicit Dominus redemptor tuus Sanctus Israel: Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas.

18. Utinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua, & justitia tua sicut gurgites maris,

19. Et fuisset quasi arena semen tuum, & stirps uteri tui ut lapilli ejus: non interisset, & non fuisset attritum nomen ejus a facie mea.

* Jer. 51. 6. Apoc. 18. 4. 20. * Egredimini de Babylone, fugite a Chaldæis, in voce exultationis annuntiate: auditum facite hoc, & efferte illud usque ad extrema terræ. Dicite: Redemit Dominus servum suum Jacob.

21. Non sitierunt in deserto, cum educeret eos: * aquam de petra produxit eis, & scidit petram, & fluxerunt aquæ. * Exod. 17. 6. Num. 20. 11.

22. * Non est pax impiis (*n*), dicit Dominus. * Inf. 57. 21.

CAPUT XLIX.

Christus dux Gentium ac Judæorum salvandorum; daturque in fœdus populi ex omni orbis parte vocandi: benigne consolator Sion quæ se a Deo desertam querebatur, promittens eam toto orbe fore gloriosam.

1. Audite insulæ, & attendite populi de longe: Dominus (*a*) ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.

2. * Et posuit os meum quasi gladium (*b*) acutum: in umbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam: in pharetra sua abscondit me. * Inf. 51. 16. Eph. 6. 17. Heb. 4. 12. Apoc. 1. 16.

3. Et dixit mihi: Servus meus es tu Israel (*c*), quia in te gloriabor:

4. Et ego dixi: in vacuum laboravi (*d*), sine causa, & vane fortitudinem meam consumpsi: ergo judicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo.

5. Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, & Israel non congregabitur (*e*): & glorificatus sum in oculis Domini, & Deus meus factus est fortitudo mea.

6. Et dixit: Parum est ut sis mihi servus (*f*) ad suscitandas tribus Jacob, & fæces Israel convertendas. * Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. * Sup. 42. 6. & Act. 13. 47.

7. Hæc dicit Dominus redemptor Israel, sanctus ejus, ad contemptibilem (*g*) animam, ad abominatam gentem, ad servum dominorum: Reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, & sanctum Israel qui elegit te.

8. Hæc

7. (*f*) Nunc a me lata est sententia de Babylonis excidio, quod per Isaiam annuntio. *Et non ex tunc.* LXX. Nunc fiunt, & non olim, & non prioribus diebus *audisti ea*: unde, ex tunc, idem est atque, olim.

8. (*g*) Hæc divinationis meæ signa sæpius inculco, quia scio te ad idola translaturum: etsi hæc prædicta fuerint aperte, numquam eis fidem habuisti.

10. (*h*) Non gravissimis ærumnis, sed levioribus, paupertate & captivitate.

11. (*i*) Quod si vos funditus delerem, gentes mihi deesse vires dicerent.

14. (*k*) Cyrum. *Faciet voluntatem suam in Babylone*; Exequetur decreta Dei. *Brachium suum in Chaldæis*; Brachium Cyri erit contra Chaldæos.

15. (*l*) Ejus via prosperabitur.

16. (*m*) Per ænigmata & mysteria prophetarum. Hieron. *Deus misit me, & Spiritus ejus.* Allegorice Christus homo missus a Patre & Spiritu Sancto, quia homo est: ut Deus, a Patre tantum mittitur ad redemptionem generis humani. Hier. *Brevique versiculo Trinitatis nobis ostenditur Sacramentum.*

„ 22. (*n*) Cicero in paradoxis, Improbo bene esse non „ potest. Hieron. Non est pax incredulis, qui aquam e late„ re Salvatoris fluentem bibere noluerunt; cujus latus lancea „ vulneratum aquam fluxit, & sanguine baptismum nobis & „ martyrium dedicans."

CAPUT XLIX. 1. (*a*) Christus Dominus rationem reddit legationis suæ, ut omnes gentes ad æternam salutem vocet. Quamquam Joanni Baptistæ ea quoque verba optime aptari possunt; nam in utero matris est sanctificatus. *Audite insulæ*; Ecclesias de gentibus congregatas alloquitur Propheta.

2. (*b*) Vitia hominum graviter reprehendit Joannes: sed proprie ad Christum hæc pertinent, cujus verba sunt penetrabiliora omni gladio ancipiti: *Posuit me quasi sagittam electam*, quæ alte penetret: gladius cominus, sagitta eminus ferit, verbum Dei prædicatum est Judæis & Gentibus

3. (*c*) Sic vocatur Christus, qui natus est ex Israel secundum carnem.

4. (*d*) Videtur Propheta Christum inducere conquerentem, quem Pater consolatur ob promissionem conversionis gentium. *Ergo judicium meum cum Domino*: idque ad solamen pastorum, qui e suis laboribus fere uberem fructum se non consequi solent conqueri. *Opus meum*, LXX. *Labor meus cum Deo meo*: Ipse judicet; merces mea a Domino.

5. (*e*) Israel non congregabit se, non revertetur ad Dominum, missus sum ad oves Israel congregandas, sed noluerunt: *Glorificatus* signis, doctrina, factis, datus sum in lucem gentium.

6. (*f*) Hæc manifeste ad Christum pertinent: *Dedi*: Non sufficit mihi ut Hebræis prædices, & reliquias populi converteas

7. (*g*) Contemptam: *Ad abominatam gentem*. Theodotio vertit. Qui despicit animam, seu vitam propriam qui abominationi est genti, qui servus est principum. Quod manifeste Christo convenit, ait Hieron. vel ad gentem Christianorum, quæ Judæis & Ethnicis est abominationi, pertinet; *Ad servum dominorum*; Christum cum suis, qui flagellis cæsus in crucem actus est. *Reges videbunt, & consurgent*: Assurgent tibi supplicaturi, o Christe: *Quia fidelis est*. Quod promisit, opere præstitit.

*1.Cor.6.2. 8. Hæc dicit Dominus: * In tempore placito exaudivi te, & in die salutis (*h*) auxiliatus sum tui: & servavi te, & dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas:

9. Ut diceres his, qui vincti sunt: Exite; & his, qui in tenebris: Revelamini. Super vias pascentur (*i*), & in omnibus planis pascua eorum.

*Apoc.7.16. 10. * Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus & sol: quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit (*k*) eos.

11. Et ponam omnes montes meos in viam, & semitæ meæ exaltabuntur.

12. Ecce isti de longe venient, & ecce illi ab aquilone & mari, & isti de terra australi.

13. Laudate cæli, & exulta terra, jubilate montes laudem: quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur.

14. Et dixit (*l*) Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei.

15. Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.

*Exod.13.9. 16. Ecce in manibus meis descripsi * (*m*) te: muri tui coram oculis meis semper.

17. Venerunt structores (*n*) tui: destruentes te & dissipantes, a te exibunt.

*Inf.60.4. 18. * Leva in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa.

19. Quia deserta (*o*) tua, & solitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ nunc angusta erunt præ habitatoribus, & longe fugabuntur qui absorbebant te.

20. Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ: Angustus (*p*) est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem.

21. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? ego sterilis, & non pariens, transmigrata & captiva: & istos quis enutrivit (*q*)? ego destituta & sola: & isti ubi erant?

22. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce levabo (*r*) ad Gentes manum meam; & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt.

23. Et erunt reges nutricii * (*s*) tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent. Et scies quia ego Dominus, super quo non confundentur qui expectant eum. *Ps.71.9. Inf.40.14.

24. Numquid tolletur a forti præda (*t*)? aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit?

25. Quia hæc dicit Dominus: Equidem, & captivitas a forti tolletur: & quod ablatum fuerit a robusto, salvabitur. Eos vero, qui judicaverunt te, ego judicabo, & filios tuos ego salvabo.

26. Et cibabo (*u*) hostes tuos carnibus suis: & quasi musto, sanguine suo inebriabuntur: & sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te, & redemptor tuus fortis Jacob.

CAPUT L.

Non ex Dei impotentia, sed propter suas iniquitates manet Synagoga repudiata, quia Christum ipsa repudiavit; multa passus est Christus, ut eam lucrifaceret, corpus suum dedit percutientibus.

1. HÆc dicit Dominus: Quis est hic liber repudii (*a*) matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.

2. Quia veni, & non erat vir: vocavi, & non erat (*b*) qui audiret: * numquid abbreviata & parvula facta est manus mea, ut non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberandum? Ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum: computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti. *Inf.59.1.

3. Induam cælos tenebris, & saccum ponam operimentum eorum.

4. Dominus dedit mihi linguam eruditam (*c*), ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo: erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum.

5. Domi-

8. (*h*) In tempore salutis: *Suscitares terram;* Ut homines ad vitam revocares.

9. (*i*) Ubique copia erit cibi, & potus spiritualis. *Revelamini;* In lucem prodeatis: crebræ metaphoræ continuantur.

10. (*k*) Forte portabit, ex Hebræo.

14. (*l*) Judæi ad Deum conversi *Dereliquit me Dominus*, qui paucos ex Hebræis convertit. An potius hæc sunt verba Ecclesiæ vehementer oppressæ, cui Deus, *Numquid oblivisci potest* &c. vel *ecce dixit Sion*, ad Christum.

16. (*m*) Signum apposui, ut solent qui alicujus rei meminisse volunt, signum aliquod in digito ponunt.

17. (*n*) Qui te instauraturi sunt Apostoli. Exibunt, qui ædificationem Ecclesiæ impedire conabantur, LXX. Cito ædificaberis, ab iis qui te destruxerunt.

19. (*o*) Regiones gentilium incultæ. & terra plena ruinis.

20. (*p*) Præ multitudine eorum qui convertuntur. *Angustus est mihi locus in Synagogis*, fac mihi locum in Ecclesiis, ut habitem latius. Hieron.

21. (*q*) Quis hos genuit in Christo, & educavit?

22. (*r*) Ut solent qui aliquem ad se vocant; *Signum*, vexillum crucis.

23. (*s*) Reges enim ditarunt Ecclesiam. Nutritius pro nutritione; *Qui expectant eum*, qui ei confidunt.

24. (*t*) An non a diabolo auferetur gentilitas? & quidem tolletur a forti armato præda ejus. Matth. 12.

„ 26. (*u*) Quæ est catachresis: mutua cæde se conficient,
„ ut Madianitæ Jud. 7. Moabitæ 2. Paral. 20. Hieronym.
„ aliter exponit: Ego Dominus judicans eos, qui oppresse-
„ runt, sive judicans judicium ejus, liberabit filios qui capti
„ fuerant a pugnante, atque salvabit, & adversarias potestates
„ cibabit carnibus suis, & inebriabit quasi musto, ut nequa-
„ quam aliorum nece, sed sua morte saturentur. "

CAP. L. 1. (*a*) Synagogam alloquitur: An ita sævii ut te repudiarem, aut cum solvendo non essem, vos creditori vendidi, ut patres interdum oppressi ære alieno liberos vendunt? *Venditi estis:* Immerito me accusatis, quasi vos deseruerim; vos me deseruistis. Hieronym. Scelera vestra atque peccata vos dæmonibus vendiderunt, ut præsentis sæculi voluptatibus irretiti, & vos parentem, & illa conjugem dereliqueretis.

2. (*b*) Qui me exciperet, Hieronymus: omnes enim viri & hominis imaginem relinquentes, bestiarum & serpentum sumpsere imagines; *Desertum faciam mare*. Illud exsiccabo: id possum efficere, ut in mari rubro factum est.

4. (*c*) LXX. Linguam institutionis, linguam aliis instituendis idoneam. Quæ sequuntur, manifeste ad Christum spectant: *Ut sciam*, opportune loqui iis qui sunt fessi calamitatibus: *Mane;* repetitio ex proprietate Hebraici sermonis hunc habet sensum, quotidie mane: ubi Deus suggerit quæ dicenda sunt, perfecta doctrina est. Hieronym. in hunc locum: *Deus aperuit aures Christi, ut scientiam Patris ad nos usque transmitteret.*

5. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico (*d*): retrorsum non abii.

Matth. 26. 67. 6. * Corpus meum dedi percutientibus (*e*), & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me.

7. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus: ideo posui faciem meam ut petram durissimam, & scio quoniam non confundar.

Rom. 8. 33. 8. * Juxta est qui justificat me, quis contradicet mihi? stemus simul, quis est adversarius meus? accedat ad me.

9. Ecce Dominus Deus auxiliator meus: quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos.

10. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui? qui ambulavit in tenebris (*f*), & non est lumen ei, speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.

11. Ecce vos omnes accendentes (*g*) ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.

CAPUT LI.

Adhortatur Sion exemplo Abrahæ, cui Deus promissa complevit; de lege Evangelica late disserit, & hostium Ecclesiæ dejectione.

1. Audite me qui sequimini (*a*) quod justum est, & quæritis Dominum: attendite ad petram unde excisi estis, & ad cavernam laci, de qua præcisi estis.

2. Attendite ad Abram (*b*) patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos: quia unum vocavi eum, & benedixi ei, & multiplicavi eum.

3. Consolabitur ergo Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas ejus: & ponet desertum ejus quasi delicias, & solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.

4. Attendite ad me popule meus, & tribus mea me audite: * quia lex a me exiet, & judicium meum in lucem populorum requiescet. *Sup. 2. 3.*

5. Prope est justus meus, egressus est salvator (*c*) meus, & brachia mea populos judicabunt: me insulæ expectabunt, & brachium meum sustinebunt.

6. Levate in cælum oculos vestros, & videte sub terra deorsum: quia cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores ejus sicut hæc interibunt: * Salus autem mea in sempiternum erit, & justitia mea non deficiet. *Ps. 36. 39.*

7. Audite me qui scitis justum (*d*), populus meus * lex mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. *Ps. 36. 31.*

8. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: & sicut lanam, sic devorabit eos tinea: Salus autem mea in sempiternum erit, & justitia mea in generationes generationum.

9. Consurge, consurge (*e*), induere fortitudinem brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem?

10. * Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementer: qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati? *Exod. 14. 21.*

11. Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor & gemitus.

12. Ego, ego ipse consolabor vos: quis tu ut timeres ab homine mortali, & a filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet?

13. Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cælos, & fundavit terram: & formidasti jugiter tota die a facie furoris ejus, qui te tribulabat, & paraverat ad perdendum: ubi nunc est furor tribulantis?

14. Cito veniet (*f*) gradiens ad aperiendum, & non interficiet usque ad internecionem, nec deficiet panis ejus.

15. Ego autem sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumescunt fluctus ejus: Dominus exercituum nomen meum.

16. * Posui verba (*g*) mea in ore tuo, & in umbra manus meæ protexi te, ut plantes cælos, & fundes terram: & dicas ad Sion: Populus meus es tu. *Sup. 59. 21.*

17. Elevare, elevare, consurge (*h*) Jerusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus: usque ad fundum calicis soporis bibisti, & potasti usque ad fæces.

18. Non

5. (*d*) Non defugi ministerium. *Aperuit aurem*, Dedit intelligentiam.

6. & 7. (*e*) Hæc impleta sunt in passione Christi, Matthæi 26. *Non sum confusus*, Sustinui opprobrium.

10 (*f*) Si quis ex vobis sit in mediis calamitatibus, ne desinat.

11. (*g*) Flammis addicti *ambulate in lumine ignis*: persecutio vos illustrabit: sentite iram divinam. Hæc quoque de impiis exponi possunt, qui in flammis quas accenderint, versabuntur: volutamini. *Dormietis*: Hebr. Cubabitis, Matth. 25. Discedite a me maledicti. Hieron. Ut in pœnis atque suppliciis discant Dei potentiam, & redeant ad salutem: significat autem populi Judaici vastitatem, qua Romanis traditi sunt, ut captivitatis jugum huc usque sustineant.

CAP. LI. 1. (*a*) Judæis qui Christum sequentur, bona omnia promittit. *Petram*, Hebr. Cisternam, lapidicinam. Christus est petra viva, ex qua Ecclesia extructa fuit. Judæos consolatur, ac vetat ne ob paucitatem fidelium frangantur eorum animi; vel attendite ad parentem generis vestri, aut ad vestram originem.

2. (*b*) Fidem & virtutem Abrahæ imitandam proponit Isaias, uti & Petrus mulieribus Christianis exemplum Saræ; ac potens est Deus suscitare filios Abrahæ e lapidibus, seu e gentibus.

3. (*c*) A me mittendus. Hæc ut alia multa de Cyro per peram exponit Grotius. Brachium, seu potentiam Deus manifestam fecit in cruce Domini, cui totum subjecit orbem. *Insulæ*, Nationes omnes expectabunt potentiæ meæ effectum; *Sustinebunt*, Hebr. In brachio meo confident.

7. (*d*) Qui Christum nostis, aut justitiam colitis. *Opprobrium*, Calumnias: patientia fidei respondit. Hic est patientia & fides Sanctorum, cum Lex Dei cordibus nostris alte insculpta est.

9. (*e*) Hieron. Consurge, sicut in diebus antiquis, & tuam exerce fortitudinem; *Draconem*, Pharaonem ad mare rubrum.

14. (*f*) Christus: *Ad aperiendum*, carceres: Hebr. Festinavit vinctus ut *solvatur* „ gentes ante captivæ sub dæmonis tyrannide. Hieronym. Cito veniet filius meus gradiens „ & conculcans adversarios tuos, ut aperiat tibi viam victoriæ, sive ut inferos reseret: qui non interficiat usque ad „ internecionem, sed velit salvare conversos. "

16. (*g*) Verba Dei Patris ad Christum; *Terram*, Orbem, seu Ecclesiam: LXX. Per quam constitui cælum & fundavi terram. *Et dicas ad Sion*; & ad dicendum Sioni, *Populus meus es tu*.

17. (*h*) Captivos in Babylone alloquitur, & sub eorum typo fideles: nam ad primitivam Ecclesiam, quæ Jerusalem appellatur, hæc proprie pertinent. *Usque ad fundum calicis soporis*: Hebr. tremoris, bibisti.

18. Non est qui sustentet eam ex omnibus filiis, quos genuit: & non est qui apprehendat manum ejus ex omnibus filiis, quos enutrivit.

* Sap. 47. 9. 19. * Duo (*i*) sunt quæ occurrerunt tibi: quis contristabitur super te? vastitas, & contritio, & fames, & gladius: quis consolabitur te?

20. Filii tui projecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx (*k*) illaqueatus: pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui.

21. Idcirco audi hoc paupercula, & ebria non a vino.

22. Hæc dicit dominator tuus Dominus, & Deus tuus, qui pugnabit pro populo suo: Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ, non adjicies ut bibas illum ultra.

23. Et ponam illum in manu eorum, qui te humiliaverunt, & dixerunt animæ tuæ: Incurvare, ut transeamus: & posuisti ut terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus.

CAPUT LII.

Consecratur Sion, hoc est, Christi Ecclesia ob gratuitam sui redemptionem: prædicatores Evangelicæ pacis commendat; excitat omnes ad laudem Dei propter Christum paratum omnibus salvatorem: de ipsius exaltatione simul & humiliatione, & fide gentium disserit.

1. CONsurge, consurge (*a*), induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ Jerusalem, civitas sancti: quia non adjiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus & immundus.

2. Excutere de pulvere, consurge; sede Jerusalem: solve vincula colli tui captiva filia Sion.

3. Quia hæc dicit Dominus: Gratis venundati (*b*) estis, & sine argento redimemini.

* Gen. 46. 6. 4. Quia hæc dicit Dominus Deus: * In Ægyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi: & Assur absque ulla causa calumniatus est eum.

5. Et nunc quid mihi est hic, dicit Dominus, quoniam ablatus est populus meus gratis? Dominatores ejus inique agunt, dicit Dominus, * & jugiter tota die nomen meum blasphematur. * Ezech. 36. 20. Rom. 2. 24.

6. Propter hoc sciet (*c*) populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.

7. * Quam pulcri super montes pedes (*d*) annuntiantis & prædicantis pacem: annuntiantis bonum, & prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus! * Nah. 1. 15. Rom. 10. 15.

8. Vox speculatorum tuorum: levaverunt vocem, simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt (*e*) cum converterit Dominus Sion.

9. Gaudete, & laudate simul deserta Jerusalem: quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem.

10. Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium Gentium: * & videbunt omnes fines terræ salutare (*f*) Dei nostri. * Ps. 97. 3.

11. Recedite, recedite (*g*), exite inde, * pollutum nolite tangere: exite de medio ejus, mundamini qui fertis vasa Domini. * 2. Cor. 6. 17.

12. Quoniam non in tumultu exibitis (*h*), nec in fuga properabitis: præcedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Israel.

13. Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde.

14. Sicut obstupuerunt (*i*) super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum.

15. Iste asperget (*k*) gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum: * quia quibus non est narratum de eo, viderunt: & qui non audierunt, contemplati sunt. * Rom. 15. 21.

CAPUT LIII.

Prophetia de Christi Nativitate, Passione, ac Morte ejus acerba propter peccata nostra: tum de mansuetudine ejus, & voluntaria oblatione; de illius gloria, & credentium multitudine.

1. QUis credidit (*a*) auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est? Rom. 10. 16. Joan. 12. 38.

2. Et

19. (*i*) Vastitas nempe & contritio ad urbem, fames & gladius ad cives referuntur: vel utrumque bis nominat. *Quis contristabitur super te?* Quis tibi indoluit?

20. (*k*) Fera Ægypti truculentissima, Arist. lib. 2. de histor. anim. cap. 17. Illaqueatus oryx per plateas ad spectaculum tractus. LXX. verterunt, *Sicut Beta semicoctus*, alii Rupicapram interpretantur, seu capram silvestrem, un chamois.

CAP. LII. 1. (*a*) Sub typo Jerusalem, Christi Ecclesiam alloquitur, quæ est civitas sancta. Hebr. *Sanctuarium*; propter templum: per eam non transit immundus & incircumcisus, ut fidem ejus & mores pervertant. Quamquam ad captivitatem Babylonicam hæc quoque referri possunt, ut in typo; quæ verba Prophetæ non ad ruinas lapidum, sed ad populum sunt referenda, ex Hieronymo.

3. & 4. (*b*) Cum Chaldæis, tum dæmoni: sine pretio traditi fuistis; nullo suo jure vos in servitutem abduxerunt Chaldæi, aut dæmoni addicti estis etiam: *Redimemini*, sine pretio. Et *Assur absque ulla causa*. Pharao: vox enim Assur iis temporibus communis erat nomen tyrannorum, ut Ezech. 31. Quamquam de Assyriis quoque Theglathphalasar, & Salmanasar id exponi potest: Cyrus vos remittet, & sine vestris meritis a dæmonis tyrannide liberi eritis, sed magno liberatoris vestri pretio empti. Et nunc quid obstat, quominus liberem nunc populum meum ab iis qui me blasphemant?

6. (*c*) Agnoscent me esse, qui reipsa impleo quæ promisi.

7. (*d*) Tum Christi, tum Apostolorum, Rom. 10. Speculatores sunt Apostoli & Prophetæ.

8. (*e*) Christum ipsum.

10. (*f*) Christum agnoscent brachium sanctum Dei.

11. (*g*) O Levitæ, exite Babylone: aut potius, Apostoli exite de infideli & polluta Jerusalem; post Ascensionem Domini ob scelera Jerusalem jussi sunt Apostoli ire ad gentes.

12. (*h*) Apostoli pacate & intrepide.

14. (*i*) Admirantes doctrinam tuam, & miracula: *Sic inglorius erit*; Ita ab iis ignominia afficietur, & crucifigetur.

15. (*k*) Aqua baptismi: præ admiratione. *Quibus non est narratum de eo*; „ Qui eo usque nihil de illo audierant, vi„ derunt gloriam crucis Christi; Hieron. Qui non habuerunt „ legem & prophetas, & quibus de eo non fuerat nuntia„ tum, ipsi videbunt & intelligent. *Continebunt os suum*; „ Obloqui non audebunt tot miraculis convicti. ”

CAP. LIII. 1. (*a*) Hieron. Post verba Patris, quibus filium suum mundo nuntiaverat esse venturum, & ante scandalum crucis, de quo dicturus erat, *Inglorius erit*, gloriam præmiserat resurrectionis. *Exaltabitur*; respondit prophetarum chorus se implesse officium suum, & quantum in se fuit, brachium illius atque virtutem omnibus nuntiasse. Hoc vero in capite totam Christi passionem mentis oculis subjicit Propheta, ut capite superiori gloria ejus fuit exposita. *Auditui*, Prædicationi nostræ. Quæ verba a Joanne Apostolo cap. 12. referuntur. *Brachium*; Quam pauci eximiam Dei potentiam in tanta infirmitate carnis Christi occultatam agnoscent! eamdem mox aperte: raritatem credentium significat ex Judæis.

2. Et ascendet sicut virgultum (*b*) coram eo, & sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum:

* Marc. 9. 11. 3. * Despectum, & novissimum (*c*) virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum.

* Matth. 8. 17. 4. * Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum.

* 1. Cor. 15. 3. 5. * Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina (*d*) pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.

6. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.

7. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, * & non aperiet os suum. * Matth. 26. 63.

* Act. 8. 32. 8. De angustia, & de judicio (*e*) sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum.

9. Et dabit impios pro sepultura (*f*), & divitem pro morte sua: * eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. * 1. Pet. 2. 22. 1. Joan. 3. 5.

10. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate (*g*): si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur.

11. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, & saturabitur (*h*): in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.

12. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, * & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, * & pro transgressoribus (*i*) rogavit. * Marc. 15. 28. Luc. 22. 37. * Luc. 23. 34.

CAPUT LIV.

Ecclesiam invitat ad lætitiam, quod ex Gentibus futura sit longe numerosior quam erat Synagoga: veteris oblita calamitatis, fore ut ex pretiosis ædificetur lapidibus, in justitia fundata: omnesque in ea docti erunt a Deo multitudine pacis fruituri.

1. Lauda (*a*) sterilis quæ non paris: decanta laudem, & hinni quæ non pariebas: quoniam multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum, dicit Dominus. Luc. 23. 29. Gal. 4. 27.

2. Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas (*b*): longos fac funiculos tuos, & clavos tuos consolida.

3. Ad dexteram (*c*) enim, & ad lævam penetrabis: & semen tuum Gentes hæreditabit, & civitates desertas inhabitabit.

4. Noli timere, quia non confunderis, neque erubesces: non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris, & opprobrii viduitatis (*d*) tuæ non recordaberis amplius.

5. Quia dominabitur (*e*) tui qui fecit te, * Dominus exercituum nomen ejus: & redemptor tuus Sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur. * Luc. 1. 32.

6. Quia ut mulierem derelictam & mœrentem spiritu vocavit te Dominus, & uxorem ab adolescentia abjectam, dixit Deus tuus.

7. Ad punctum in modico dereliqui (*f*) te, & in miserationibus magnis congregabo te.

8. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui: dixit redemptor tuus Dominus.

9. * Sicut

2. (*b*) Ramis frondibus nudatum: ut surculus tenellus: *Et sicut radix de terra sitienti*, Aquila interpretatur est, terræ, ut virginitatis privilegium demonstret, ex more cælesti rore fœcundata, & paupertatis: *Non est species ei, neque decor*, qualis in mundi hujus principibus: *Desideravimus eum*, Vatabl. Ita ut eum desideraremus. Hieron. *Despectus erat &* *ignobilis*, quando pendebat in cruce.

3. (*c*) Ad hoc caput ea verba Christi Domini Marci 9. videntur referenda: *Quomodo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur*: Hebr. *Abscondens faciem* a se: ut ii faciunt, quos sui forte pudet. *Unde nec reputavimus eum*, in persona Judæorum loquitur Isaias.

5. (*d*) Christus innoxius passus est, ut nos cum Deo reconciliaret. *Quæ sequuntur*, aperta sunt & clara. *Disciplina*. Hebr. Castigatio: ut pacem cum Deo haberemus. Mors ta nobis salutaria attulit: *Super eum*, apud eum; a culpa & pœna æterna *sanati sumus*.

8. (*e*) Pilati, sublatus est in crucem, post iniquum judicium & tumultuarium Judæorum. *Generationem*; utraque ejus generatio est ineffabilis: *Propter scelus populi mei percussi eum*; hoc in loco vulgatam versionem Hieronymi correxit Ecclesia: nam ex Hebræo textu verterat; *Percussi eos*: Ecclesia vero judicavit textum Hebræum insigniter adulteratum fuisse; ac subinde Judæos hac prophetia designari volunt Rabbini. LXX. sic vertunt: *Propter iniquitates populi mei ductus est ad mortem*: & ita legebat Eunuchus Actor 8. cap. 8 Ita Clemens Romanus in Epist. ad Corinth. Patres omnes, qui proximi fuerunt Apostolorum temporibus, sic legerunt, & contra Judæos hoc usi sunt testimonio, ut Justinus Martyr in dial. Tertul. lib. contra Judæos. Ita Origenes in lib. contra Celsum; atque eo in loco Judæorum sapientes a se confutatos ait, qui populum Dei percussum a Deo contendebant; Sed maxime, inquit, visi sumus eos urgere hoc dicto; Propter peccata populi mei ductus est ad mortem. „ Si enim juxta „ illorum opinionem populus est, de quo prophetatur, quo„ modo propter iniquitates populi Dei hic ad mortem ductus „ est, nisi intelligamus de quopiam alio, quam de Dei po„ pulo? Ex quo palam est tum temporis eum textum non„ dum fuisse corruptum: nam facile excepissent id in textu „ originali reperiri."

9 (*f*) Auctores mortis suæ perdet, vel impios convertet, & eorum conversio mortis Christi pretium erit. Chald. *Tradet in gehennam*, quod inique eum occiderint; *Et quod iniquitatem non fecerit*, nec factis peccaverit, nec verbis Hieronymus.

10 (*g*) Affligendo. *Dirigetur*; Consilium Domini redimendis hominibus per Christum ad felicem exitum perducetur.

11. (*h*) Percipiet fructum tot passionum. *In scientia sua*, In sui cognitione, charitate formata, justificabit multos: valde abscondita est & remota a sensibus humanis hæc schola, in qua docet Pater ut veniatur ad Filium. August. in cap. 6. Joann. Mentem illuminat, & voluntatem accendit.

12. (*i*) Nihil apertius dici potuit, ut mors Christi, quæque in ejus passione acta sunt, ob oculos ponerentur; atque illud omnino absurdum est, vaticinium hoc capite contentum ad Jeremiam referri.

CAP. LIV. 1. (*a*) Sept. Interpr. legunt, Lætare, atque ita hunc locum citat Apost. Galat. 4. Per sterilem, intelligit Ecclesiam novi testamenti, per maritatam, Synagogam. Ecclesia prius sterilis erat, & perpaucos pariebat, post Christum fœcunda est. *Hinni*; vox metaphorica,

2. (*b*) Ne cesses.

3. (*c*) Ad Aquilonem & Austrum.

4. (*d*) Postquam per peccata tua Deum amisisti.

5. (*e*) Hebr. Sponsus tuus fœcundabit te. Negat Hieron. hæc ad Jerusalem, quæ numquam in toto orbe dominata est, sed ad solam Ecclesiam Christi, cujus hæreditas mundi possessio est, pertinere contendit; & merito. *Redemptor*: ita videtur constituendum: Sanctus Israelis, *Deus omnis terræ vocabitur redemptor tuus*.

7. (*f*) Sept. Interpr. *Tempore modico*. Ab Abraham ad Christum usque, quod modicum est tempus cum æternitate comparatum.

*Gen. 9. 15. 9. * Sicut in diebus Noe (*g*) istud mihi est, cui juravi ne inducerem aquas Noe ultra super terram: sic juravi, ut non irascar tibi, & non increpem te.

10. Montes enim commovebuntur (*h*), & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non movebitur: dixit miserator tuus Dominus.

11. Paupercula (*i*), tempestate convulsa, absque ulla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris,

12. Et ponam jaspidem propugnacula tua: & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles (*k*).

*Joann. 6. 45. 13. * Universos filios tuos doctos (*l*) a Domino: & multitudinem pacis filiis tuis.

14. Et in justitia fundaberis: recede procul a calumnia (*m*), quia non timebis: & a pavore, quia non appropinquabit tibi.

15. Ecce accola veniet, qui non erat mecum, advena quondam tuus adjungetur tibi.

16. Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas (*n*) in opus suum, & ego creavi interfectorem ad disperdendum.

17. Omne vas, quod fictum est contra (*o*) te, non dirigetur: & omnem linguam resistentem tibi in judicio, judicabis. Hæc est hæreditas servorum Domini, & justitia eorum apud me, dicit Dominus.

CAPUT LV.

Omnes ad fidem invitat: promittit donorum spiritualium abundantiam; revocantur a peccatis impii, cum Dominus misericors sit & verax in promissis, de progressu prædicationis Evangelii & felicitate credentium agit.

Eccli. 51. 33. Joan. 7. 37. Apoc. 22. 17. 1. OMnes sitientes venite ad aquas (*a*): & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite, venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac:

2. Quare appenditis argentum (*b*) non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra.

3. Inclinate aurem vestram, & venite ad me: audite, & vivet anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum (*c*) * misericordias David fideles. *Act. 13. 34.

4. Ecce testem (*d*) populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus.

5. Ecce (*e*) gentem, quam nesciebas, vocabis: & Gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current propter Dominum Deum tuum, & sanctum Israel, quia glorificavit te.

6. Quærite (*f*) Dominum, dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est.

7. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum: quoniam multus est ad ignoscendum.

8. Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ: neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus.

9. Quia sicut exaltantur cæli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, & cogitationes meæ a cogitationibus vestris.

10. Et quomodo descendit imber & nix de cælo, & illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti:

11. Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum (*g*), sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.

12. Quia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini (*h*): montes & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu.

13. Pro saliunca (*i*) ascendet abies, & pro urtica crescet myrtus: & erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.

C A-

9. (*g*) Tecum idem egi, quod in diebus Noe, cui juravi ne inducerem aquas, nec te penitus deseram.

10. (*h*) Priusquam irritum faciam pactum meum; Ecclesiæ firmitas promittitur: *Prius commovebuntur montes, quam te deseram.*

11. (*i*) Figurato sermone, Ecclesiæ fundamenta & fabricam describit. *In sapphiris*: In Apostolis.

12. (*k*) Sept. Interpr. *Pretiosos.*

13. (*l*) Ponam: non est nuda cognitio, sed conjuncta cum voluntate implendi mandata.

14. (*m*) Vox Hebræa vim significat, vel ab iniquitate. Ex Hieron. Pauperculam & humilem fuerat consolatus, promittens gratias spirituales, nunc docet quid facere debeat.

16. (*n*) Instrumenta bellica: *Et ego creavi interfectorem*, dæmonem, tyrannos: sed vires non habent, nisi permissu meo.

17. (*o*) In tui ruinam; *Non dirigetur*, non suum consequetur finem, non succedet: *Judicabis*, condemnabis ut vas omne contra Ecclesiam fictum, sic conterendum: mox invitat credentes ad aquas purissimas.

CAP. LV. 1. (*a*) Doctrinæ & gratiæ Christi; *Absque argento*: gratis enim datur, & tamen studio & labore opus est. *Vinum & lac*: propter fortitudinem & dulcedinem. *Emite*, in Hebræo, *frangite*; hoc est, panem comedite, idque gratis. *Mirum in modum emunt aquas absque pecunia, & non bibunt eas, sed comedunt; ipse enim & aqua & panis est, qui de cælo descendit.* Hieron.

2. (*b*) Cur tanto studio & pretio hujus mundi opes, eloquentiam, sapientiam sectamini, quæ explere vestram famem non possunt? *Et comedite bonum*, solidum & salutarem cibum: ita ut veritas a mente in cor, inde ad actiones tuas permaneat: *Delectabitur*, sanitas e bono cibo, & gaudium manabit: sicut adipe & pinguedine &c. *Anglecisur vinum & lac*: quod significat innocentiam parvulorum; qui mos, ac typus in Occidentalis Ecclesiis in hunc usque diem servatur, ut renatis in Christo vinum, lacque tribuantur. Ex quo ostenditur eam sectandam esse sapientiam, quæ non est in foliis ac flore verborum, sed in medullis ac fructibus, quæ non aurem prætervolat, sed animam reficit. Hieron.

3. (*c*) Novi testamenti: *Misericordias David fideles*, firmas & stabiles, quas David promisi, idque maxime in Ps. 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo.* LXX *Sancta David fidelia*. Citatur hic locus ab Apost. Act. 13. Alludit Isaias ad hunc Psalmum, 1. in voce, *misericordias*, 2. in voce, *fideles*: *In generatione & generatione annuntiabo veritatem tuam*: veritas & fides in promissionibus idem significant, 3. in voce, *pactum*; *Disposui testamentum electis meis*; denique, 4. in voce *David*; *Si David mentiar.*

4. (*d*) Christum testem divinæ promissionis & fœderis inter Deum & Ecclesiam, qui hujus mediator fuit, & proprio sanguine illud sancivit.

5. (*e*) Christe, *gentem*: *Quam nesciebas*; a te alienam ob idololatriam, nesciebas eam ut tuam.

6. (*f*) Convertimini, dum datur pœnitentiæ locus.

11. (*g*) Irritum non erit; vis promissionis exponitur.

12. (*h*) Ad Christum.

13. (*i*) Est herba humilis, de qua Plinius lib. 21. cap. 7. Saliunca creditur esse lavendula. Vox Hebræa virgultum significat. Symmachus vertit urticam, LXX. κονύζη, amari saporis & odoris teterrimi: Isti in Apostolos repente mutati, facti sunt Cypressus, & Abies, & Myrtus. Hæc admirabilis gentium conversio erit Christo in monimentum gloriæ & victoriæ. His, qui de malo commutati fuerint in bonum, erit Dominus in nomen & in signum æternum, ut ex ipsius nomine appellentur Christiani, & crucis ejus inurantur cauterio. Hieron.

CAPUT LVI.

Omnes cujusvis gentis, aut conditionis hortatur Dominus ad servanda præcepta: domus Dei, domus est orationis: gravis increpatio & comminatio adversus pastores Jerusalem, quos cæcos, & canes mutos, & impudentes appellat.

Sap. 1. 1. Matth. 23. 23. 1. HÆc dicit Dominus: Custodite (a) judicium, & facite justitiam: quia juxta est salus mea ut veniat; & justitia mea ut reveletur.

2. Beatus vir qui facit hoc, & filius hominis qui apprehendet istud: custodiens sabbatum (b) ne polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malum.

3. Et non dicat filius advenæ (c), qui adhæret Domino, dicens: Separatione dividet me Dominus a populo suo: Et non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum.

4. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis (d): Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum:

5. Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.

6. Et filios advenæ, qui adhærent Domino, ut colant eum, & diligant nomen ejus, ut sint ei in servos: omnem custodientem sabbatum ne polluat illud, & tenentem fœdus meum:

7. Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo (e) orationis meæ: holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo: * quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.

* Jer. 7. 11. Matth. 21. 13. Marc. 11. 17. Luc. 19. 46.

8. Ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Israel: Adhuc congregabo ad eum congregatos ejus.

9. Omnes bestiæ agri venite ad devorandum (f), universæ bestiæ saltus.

* Ezech. 3. 17. & 33. 2. 6. 7. 10. * Speculatores (g) ejus cæci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia.

11. Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem (h): ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam: omnes in viam suam declinaverunt, * unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum. * Jer. 6. 13. & 8. 10.

12. Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius.

CAPUT LVII.

Justorum futura felicitas non intelligitur ab impiis, quibuscum Deus hic expostulat super idololatria, aliisque sceleribus; conversis autem pax & consolatio promittitur.

1. JUstus (a) perit, & non est qui recogitet in corde suo: & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat: a facie enim malitiæ collectus est justus.

2. Veniat pax, requiescat (b) in cubili suo qui ambulavit in directione sua.

3. Vos autem accedite huc filii (c) auguratricis: semen adulteri, & fornicariæ.

4. Super (d) quem lusistis? super quem dilatastis os, & ejecistis linguam? numquid non vos filii scelesti, semen mendax?

5. Qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes parvulos in torrentibus (e), subter eminentes petras?

6. In partibus torrentis pars tua, hæc est sors tua: & ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium: numquid super his non indignabor?

7. Super montem excelsum & sublimem posuisti cubile (f) tuum, & illuc ascendisti ut immolares hostias.

8. Et post ostium (g), & retro postem posuisti memoriale tuum: quia juxta me discooperuisti, & suscepisti adulterum: dilatasti cubile tuum, & pepigisti cum eis fœdus: dilexisti stratum eorum manu aperta.

9. Et

CAP. LVI. 1. (a) Omnes invitat ut juste vivendo ad salutem consequendam a Christo se præparent: *Juxta est salus*, per Christum quem mitto; *ut reveletur*, ut appareat justitia, qua justificabo, vel mea fides in iis præstandis quæ promisi.

2. (b) Ab omni opere servili & peccato abstinendo. Hier. Quod sit autem sabbatum quod præcepit observandum, sequens versus ostendit: *Custodiens manus suas*, &c.

3. (c) Gentiles & Eunuchi per legem Moysi a Synagoga arcebantur: Christus utrosque excipit: *Qui adhæret Domino*, qui Christianæ rel gionis factus fuerit. *Et non dicat Eunuchus; Ecce ego lignum aridum*, sterilis: multi enim bona opera perituri.

4. & 5. (d) Hæc promissio ad Eunuchos voluntarios pertinet, quos commendat Dominus Matth. 19. *Dabo eis in domo mea locum, & nomen melius a filiis & filiabus*; quam si filios & filias haberent. Hieron. *Et qui Eunuchus fuerit, ac fecerit universa quæ scripta sunt, habebit in muris ejus locum optimum, ut scilicet turris Domini efficiatur, & in sacerdotali consistat gradu, & pro carnis filiis multos habeat filios spirituales*; LXX. *Dabo eis locum nominatum meliorem filiis & filiabus*, quam si haberent filios & filias. *Qui custodierunt*; dummodo corporis & animæ castitatem servent: castitas est puritas corporis, humilitas est munditia animæ: duo sunt corporis sacrificia, unum vivi corporis, quod Eunuchi voluntarii offerunt; alterum martyribus proprium, qui vitam amittendo corpus suum immolant Deo.

7. (e) Quod etiam de templo materiali interpretatur Christus Dominus Marci 11. Sed allegorico sensu intelligitur de Ecclesia, ad quam ex omnibus gentibus congregantur fideles; & orationis nomine intelliguntur omnia, quæ ad externum Dei cultum pertinent; *Dei templum simul omnes, & singuli templa sumus*, August. lib. 10. de civit. cap. 10.

9. (f) Aliter, ut devoremini: milites Romani & hostes Judæorum ad Judæos vastandes, quod Christum occiderint; vel impios omnes advocari plerique interpretantur; non optat Judæorum infortunium, sed prædicit fore ut a dæmonibus devorentur. Hieron. Congregatis autem per Apostolos reliquiis, & in unum redactis gregem, hi, qui fuerant ante dispersi, omnes bestiæ provocantur ut veniant, & devorent Israel, eos videlicet qui credere noluerunt: *bestiæ agri*, vel Gentiles invitantur, ut agni carne saturentur.

10. (g) Pontifices ejus, nempe Israelis, scribæ. *Cæci omnes nescierunt*, tempus visitationis suæ. Cæcitas primum est eorum vitium, tum ignavia; *Canes muti*, post otium & desidiam, *Dormientes*, tandem ingluvies, avaritia, impudentia, & pertinacia.

11. (h) Insatiabiles. *Omnes in viam suam declinaverunt*, res suas agunt, non Dei. Quæ vitia si pastores invaserint, quid de ovibus expectandum?

CAPUT LVII. 1. (a) De justis omnibus loquitur; *Et non est qui recogitet: Et viri misericordiæ*, misericordes; *colliguntur*, ad patres suos; *a facie*, ut mala hujus sæculi non videant. Hæc prophetia ab aliis de Josia rege exponitur, qui ad majores suos collectus est, ne videret populi captivitatem.

2. (b) In pace; *Qui ambulavit in directione sua*, in vitæ rectitudine. Heb. Coram eo. Deo scilicet

3. (c) *Judæi*, qui divinationibus estis addicti: LXX. *Filii iniquitatis*.

4. (d) De Christo loquitur, quem ludibrio habuerunt: alii Josiam esse putant, quem ob pietatem irriserant; *super quem dilatastis os*, locuti estis quod vobis libitum fuit.

5. (e) Immane illud parvulorum sacrificium fieri solebat in torrente Cedron, in valle Ennon.

7. (f) Altare, vel pernoctabant ibi, ut consequerentur somnia fatuorum præsagia.

8. (g) Idola sua post ostia reponebant, Lares dictos: *Juxta me*, cum prope essem: *Discooperuisti*, vel te, vel lectum; *Dilatasti cubile tuum*, multa admittendo idola; *Manu aperta*, palam & impudenter.

9. Et ornaſti te regi (*h*) unguento, & multiplicaſti pigmenta tua. Miſiſti legatos tuos procul, & humiliata es uſque ad inferos.

10. In multitudine viæ tuæ laboraſti (*i*): non dixiſti: Quieſcam: vitam manus tuæ inveniſti, propterea non rogaſti.

11. Pro quo ſolicita timuiſti (*k*), quia mentita es; & mei non es recordata, neque cogitaſti in corde tuo? quia ego tacens, & quaſi non videns, & mei oblita es.

12. Ego annuntiabo juſtitiam (*l*) tuam, & opera tua non proderunt tibi.

13. Cum clamaveris, liberent te congregati (*m*) tui, & omnes eos auferet ventus, tollet aura: Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, & poſſidebit montem ſanctum meum.

14. Et dicam: * Viam facite, præbete iter, declinate de ſemita, auferte offendicula de via populi mei. *Inf. 62. 10.

15. Quia hæc dicit Excelſus, & ſublimis habitans æternitatem (*n*): & ſanctum nomen ejus in excelſo & in ſancto habitans, & cum contrito & humili ſpiritu: ut vivificet ſpiritum humilium, & vivificet cor contritorum.

16. Non enim in ſempiternum litigabo (*o*), neque uſque ad finem iraſcar: quia ſpiritus a facie mea egredietur, & flatus ego faciam.

17. Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus ſum, & percuſſi eum: abſcondi a te faciem meam, & indignatus ſum: & abiit vagus in via cordis ſui.

18. Vias ejus vidi, & ſanavi eum, & reduxi eum, & reddidi conſolationes ipſi, & lugentibus ejus.

19. Creavi fructum labiorum (*p*) pacem, pacem ei qui longe eſt, & qui prope, dixit Dominus, & ſanavi eum.

20. Impii autem quaſi mare fervens (*q*), quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum.

21. * Non eſt pax impiis, dicit Dominus Deus. * Sup. 48. 22.

CAPUT LVIII.

Reprehendit Judæorum hypocriſim; eorum jejunium non eſſe Deo acceptum declarat, quæque debeant illud comitari: quomodo ſabbatum ſit celebrandum, abnegata propria voluntate.

1. Clama (*a*), ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.

2. Me etenim de die in diem quærunt (*b*), & ſcire vias meas volunt: quaſi gens, quæ juſtitiam fecerit, & judicium Dei ſui non dereliquerit: rogant me judicia juſtitiæ: appropinquare Deo volunt.

3. Quare jejunavimus, & non aſpexiſti? humiliavimus animas noſtras, & neſciſti (*c*)? Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis.

4. Ecce ad lites & contentiones jejunatis (*d*), & percutitis pugno impie. Nolite jejunare ſicut uſque ad hanc diem, ut audiatur in excelſo clamor veſter.

5. * Numquid tale eſt jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? numquid contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum & cinerem ſternere? numquid iſtud vocabis jejunium, & diem (*e*) acceptabilem Domino? * Zach. 7. 5.

6. Nonne hoc eſt magis jejunium, quod elegi? diſſolve colligationes impietatis (*f*), ſolve faſciculos deprimentes: dimitte eos, qui confracti ſunt, liberos, & omne onus dirumpe.

7. * Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris (*g*). * Ezech. 18. 7. 16. Matth. 25. 35.

8. Tunc

9. (*h*) Idolo Moloch, quod Hebraice regem ſignificat. *Miſiſti legatos tuos procul*, ex Aſſyria & Ægypto idola acceſſiſti; *Humiliata es uſque ad inferos*, de idololatria, aut de adulterio loquitur: Ad idola uſque, quæ ſunt dæmonis opera.

10. (*i*) In acceſſendis undique idolis, & colendis. *Non dixiſti, quieſcam*: LXX. Deſinam: *Vitam manus tuæ inveniſti*, idola manu facta, a quibus omnia ſperabas: *Propterea non rogaſti me.* Hieron. *Quia rebus omnibus abundaſti, ideo Dominum neglexiſti.*

11. (*k*) Cum timuiſti idola. Hier. Quia plenis horreis habes fiduciam in divitiis, rogare me noluiſti: *Quia ego tacens*: Hebr. *An quia ego taceo jam pridem*, ideo me non curas? in quo Deus, ut docet Gregorius in paſtorali, *præclarum dat paſtoribus exemplum, nonnulla ſæpe prudenter diſſimulando.*

12. (*l*) Ironice.

13. (*m*) Congreges tui, vel dii nationum quos colitis. Eruant te Synagogæ tuæ. *Auferet ventus*, idola quæ eos liberare non poſſunt, tollet tempeſtas.

15. (*n*) In ſeipſo, qui eſt æternus, ſanctus, habitans in Sanctis: *Et cum contrito & humili ſpiritu*, cum afflicto: quamquam in excelſis habitet, humilibus tamen favet.

16. (*o*) Non iraſcar illis diu. *Quia ſpiritus*, mittam ſpiritum meum qui eos tuebitur, & lenem flatum qui eos conſolabitur.

19. (*p*) Verborum; *Pacem ei, qui longe eſt*, gentibus: *& qui prope*, Judæis.

20. (*q*) Æſtu libidinum. *Redundant fluctus ejus in conculcationem*, in res viles, quas mare ejicit: ſic cupiditas impii in ſcelera erumpit.

CAPUT LVIII. 1. (*a*) Hieron. *Finito priori capitulo, in quo pax juſtis, & nulla impiis requies nuntiatur, præcipit Deus Iſaiæ prophetæ, ut clamet in fortitudinem, & inſtar tubæ exaltet vocem ſuam.* Hæc verba paſtoribus applicat Gregorius Magnus in Paſtor. part. 2. cap. 4. quos Chriſtus ut *præcones ſuos conſtituit. Quam clamoris vocem daturus eſt præco mutus?*

2. (*b*) Simulant ſe quærere me. *Et ſcire vias meas*, me in jus vocant quodammodo; rogant me judicia juſtitiæ: Volumus ſcire, inquiunt, quam juſta ſint Dei judicia. *Appropinquare Deo volunt*, quaſi cum Deo diſputaturi.

3. (*c*) Videris jejunium noſtrum ignoraſſe: quibus reſpondet Deus: *Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra.* Vox Hebræa ſignificat, *id quod libet*; libidinem & concupiſcentiam carnis Legi Dei anteponitis, dum indulgetis cupiditati & avaritiæ; avare & inhumane exigendo ab egenis quæ præ paupertate præſtare non poſſunt. Hieron. *Propterea reſpondit Deus, quod non reprobet jejunia, ſed opera, quæ in jejuniis fiunt: quid enim prodeſt jejuniis ora pallere, & ad lites & ad jurgia jejunare?*

4. (*d*) Totum diem in litibus conſumitis; *Ut audiantur*, contentiones veſtræ & rixæ.

5. (*e*) Exiguo tempore. Hoc loco perperam abutuntur nonnulli, ut perſuadeant jejunia Eccleſiaſtica nihil ad cultum Dei afferre momenti. Nam jejunium eſt Dei cultus, cum refertur ad Deum, ad carnis caſtigationem, & mentis puritatem, atque eo fine ſuſcipitur, ad quem illud ordinat Eccleſia: ſecus eſt jejunium phariſaicum. *Circulum*; alii vertunt: Numquid ut curvet quaſi juncum caput ſuum, capite in lævam deflexo, & ipſo corporis habitu oſtendat jejunium ſuum? quod eſt hypocritarum. Hieron. *Ut inſtar circuli torqueat corpus, & colla ſubmittat, ac triſtis incedat.*

6. (*f*) Obligationes uſurarias & iniquas; vel onera quibus pauperes opprimit. Significat autem chartarum faſciculos, in quibus calumniæ fœneratorum continentur, & opprimuntur pauperes ære alieno. Hieronym. *Dimitte eos, qui confracti ſunt*, hæc verba citantur a Domino Lucæ 4. ut habetur in editione LXX. *Dimittere confractos in remiſſionem.* Qui oppreſſi ſunt ære alieno. Jejunium his remediis ſimile eſt, quæ ſola nihil proſunt, ſed cum aliis conjuncta fiunt ſalubria. *Penſandum eſt*, inquit Gregorius in Paſtor. part. 3. adm. 20. *virtus abſtinentiæ quam parva reſpicitur, quæ nonniſi ex aliis virtutibus commendatur. Scriptura ubique illud commendat: ſed quod juſtum eſt & rectum, juſte faciendum eſt. Solve faſciculos deprimentes*, contractus vi extortos, aut fœneratitios; *Et omne onus dirumpe*, LXX. omnem injuſtam ſyngrapham.

7. (*g*) Nam pauper eſt id ipſum quod ſumus, & eo felicior coram Deo, quod pauper ſit; LXX. *Et domeſticos ſeminis tui ne deſpexeris*: conſanguineos in primis pauperes.

8. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam justitia tua, & gloria (*h*) Domini colliget te.

9. Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adsum; si abstuleris de medio tui catenam (*i*), & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest.

10. Cum effuderis (*k*) esurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies.

11. Et requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit (*l*), & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.

* Inf. 61.4. 12. * Et ædificabuntur in te deserta (*m*) sæculorum: fundamenta generationis & generationis suscitabis: & vocaberis ædificator sepium, avertens semitas in quietem.

13. Si averteris (*n*) a sabbato pedem tuum, facere voluntatem meam in die sancto meo, & vocaveris sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaveris eum dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem:

14. Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Jacob patris tui: os enim Domini locutum est.

CAPUT LIX.

Potens ac benignus est Deus ad salvandum Judæos; sed iniquitates eorum, quas Propheta prosequitur, impediunt ne exaudiantur, ac salventur:

Num. 11. 23. Sup. 50. 2. 1. Ecce non est abbreviata (*a*) manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat:

2. Sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis ne exaudiret.

* Sup. 1. 15. 3. * Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate: labia vestra locuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatem fatur.

4. Non est qui invocet (*b*) justitiam, neque est qui judicet vere: sed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates: * conceperunt laborem, * Job 15. 35.
& pepererunt iniquitatem.

5. Ova (*c*) aspidum ruperunt, * & telas * Job 8. 4.
araneæ texuerunt: qui comederit de ovis eorum, morietur: & quod confotum est, erumpet in regulum.

6. Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.

7. * Pedes eorum ad malum currunt (*d*), * Prov. 1. 16.
& festinant ut effundant sanguinem innocentem: Rom. 3. 15.
cogitationes eorum cogitationes inutiles: vastitas & contritio in viis eorum.

8. Viam pacis nescierunt, & non est judicium in gressibus eorum: semitæ eorum incurvatæ sunt eis: omnis qui calcat (*e*) in eis, ignorat pacem.

9. Propter hoc elongatum (*f*) est judicium a nobis, & non apprehendet nos justitia: expectavimus lucem, & ecce tenebræ: splendorem, & in tenebris ambulavimus.

10. Palpavimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectavimus: impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis (*g*) quasi mortui.

11. Rugiemus quasi ursi (*h*) omnes, & quasi columbæ meditantes gememus: expectavimus judicium, & non est: salutem, & elongata est a nobis.

12. Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te, & peccata nostra responderunt nobis (*i*), quia scelera nostra nobiscum, & iniquitates nostras cognovimus,

13. Peccare & mentiri contra Dominum: & aversi sumus ne iremus post tergum (*k*) Dei nostri, ut loqueremur calumniam & transgressionem: concepimus, & locuti sumus de corde verba mendacii.

14. Et conversum est retrorsum judicium, & justitia longe stetit: quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi.

15. Et

8. (*h*) Gloriosa liberatio; *Colliget te*, proteget te, eripiet a periculis: adversis succedent prospera.

9. (*i*) Hebr. *Jugum*, quo premis pauperes; *Et desieris extendere digitum*, qui gestus est insultantis; vel manum contra proximum minando; *Et loqui quod non prodest*. Hebr. iniquitatem.

10. (*k*) Ostendens viscera misericordiæ.

11. (*l*) Vox Hebræa significat etiam pinguefacere.

12. (*m*) Urbes & domus desertæ; *Fundamenta generationis & generationis*: quæ per multas ætates durabunt: domus jam diu diruta; Synagogam collapsam indicat, ex cujus ruinis excitata est Ecclesia. *Sepium*: Hebr. Vias instaurabis, ut habitetur terra; nullum insidiatoribus aditum relinquet. Hieron. Ut nequaquam de ira desæviat. *Avertens semitas in quietem*, restituentur semitæ securæ ad habitandum.

13. (*n*) Nam die sabbati vetitum erat longum iter suscipere, *Facere voluntatem tuam*, indulgendo gulæ, aut quæstui: *Et vocaveris sabbatum delicatum*; si colueris sabbatum ut diem sanctum, & glorificationi Domini consecratum: Hier. Ne diem sanctum Domini commaculet voluptatibus: *Et non invenitur voluntas tua*, sed Dei. D. Prosper carm. de Ingr.

Ut tua dum in nobis agitur, non nostra voluntas,
Perpetua in sanctis ducamus sabbata festis.

aut forte voluntatis nomine quæstum intelligit; *Ut loquaris sermonem*, legem.

CAP. LIX. 1. (*a*) Pergit Judæorum peccata reprehendere, cum eorum qui Isaiæ ætate extiterunt, tum eorum maxime, qui Christi temporibus erant victuri. Hier. *Poterant quæ nunc facturum esse me dixi, ante complere: neque enim abbreviata est manus mea, ut eam ad liberandum populum meum extendere nequeam; aut surdas aures habeo, ut exaudire non possim.*

4. (*b*) Qui pro justitia libera voce loquatur, vel secundum eam judicet; vel qui alium juste in jus vocet. Hebr. Non est qui vocet in justitia. *Conceperunt*, meditati sunt malum & iniquitatem & mendacium; *Mox pepererunt*, cum pro Christo sui Antichristum repromittunt; vel meditantur quomodo lædant proximum, idque paullo post perficiunt.

5. (*c*) Noxia & plena veneno pararunt. Diabolus qui aspidis nomine designatur; *Telas araneæ*, aniles fabulas mussitantes. Hieron. *Morietur, hoc est, qui consiliis eorum acquieverit, prava consilia, tamquam ova in cordibus impiorum format, quæ postea excluduntur, dum pessima cogitata in actus erumpunt.*

7. (*d*) Verba Apostoli, Rom. 3. ex hoc loco potius videntur desumpta, quam ex Psalm. 13. teste Hieronym. in præfat. in lib. 16. Isaiæ.

8. (*e*) Qui tortuosa eorum consilia sequitur, infelix erit.

9. (*f*) Recessit a nobis vera justitia.

10. (*g*) Hebr. In sepulcris quasi cadavera.

11. (*h*) Cum eripiuntur iis catuli; *Columbæ*, Hier. Absque sensu & intelligentia, scripturarum tantum verba meditantes. *Expectavimus judicium*, salutem; *Et non erit*, quia longe migravit ad gentes.

12. (*i*) Adversus nos testimonia protulerunt; vel nobis adversantur. Hieron. *Reddit caussas quare rugierint.*

13. (*k*) Ne vestigia ejus sequeremur.

15. Et facta est veritas in oblivionem : & qui recessit a malo, prædæ patuit : & vidit Dominus, & malum apparuit in oculis ejus, quia non est judicium.

16. Et vidit quia non est vir (*l*) : & aporiatus est, quia non est qui occurrat: & salvavit sibi brachium suum, & justitia ejus ipsa confirmavit eum.

* Eph. 6, 17. 1. Thess. 5, 8. 17. * Indutus (*m*) est justitia ut lorica & galea salutis in capite ejus : indutus est vestimentis ultionis, & operatus est quasi pallio zeli.

18. Sicut ad vindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, & vicissitudinem inimicis suis: insulis (*n*) vicem reddet.

19. Et timebunt qui ab Occidente, nomen Domini, & qui ab ortu solis, gloriam ejus : cum venerit (*o*) quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit:

* Rom. 11, 26. 20. * Et venerit Sion (*p*) redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus.

21. Hoc fœdus (*q*) meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo & usque in sempiternum.

CAPUT LX.

Magna præmittitur gratulatio de Ecclesiæ fœcunditate & felicitate. In ea pax, justitia & laus Dei invenitur, ablata iniquitate, eritque Dominus ei in lucem sempiternam & gloriam.

1. SUrge (*a*), illuminare Jerusalem : quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est:

2. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos : super te autem orietur Dominus, & gloria (*b*) ejus in te videbitur.

3. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.

* Sup. 49, 18. 4. * Leva (*c*) in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent.

5. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.

6. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian & Epha: omnes de Saba (*d*) venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes.

7. Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabajoth (*e*) ministrabunt tibi: offerentur super placabili altari meo, & domum majestatis meæ glorificabo.

8. Qui sunt isti, qui ut nubes volant (*f*), & quasi columbæ ad fenestras suas?

9. Me enim insulæ expectant, & naves maris in principio (*g*), ut adducam filios tuos de longe : argentum eorum, & aurum eorum cum eis, nomini Domini Dei tui, & Sancto Israel, quia glorificavit te.

10. Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi: in indignatione enim mea percussi te : & in reconciliatione mea misertus sum tui.

11. * Et aperientur portæ tuæ jugiter : die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo Gentium, & reges earum adducantur. * Apoc. 21, 25.

12. Gens enim & regnum, quod non servierit tibi, peribit: & Gentes solitudine vastabuntur.

13. Gloria (*h*) Libani ad te veniet, abies & buxus, & pinus simul, ad ornandum locum sanctificationis meæ; & locum pedum meorum glorificabo.

14. Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te civitatem Domini, Sion Sancti Israel.

15. Pro eo quod fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam sæculorum (*i*), gaudium in generationem & generationem:

16. Et suges lac Gentium, & mamilla regum lactaberis: & scies quia ego Dominus salvans te, & redemptor tuus fortis Jacob.

17. Pro

16. (*l*) Justus in terra; jam Propheta loquitur in propria persona, vel non est qui irato Deo precibus occurrat ad depellenda mala quæ imminent: *Aporiatus est*, perplexus hæsit. Coarctatus: ἀπορία, angustia: loquitur humano more: sed compatiens populo suo ab omnibus deserto, remedium a seipso petiit: *Et salvavit sibi brachium suum*, & salutem immineri quæsivit a potentia sua: *Et justitia ejus confirmavit eum*, justam satisfactionem repetens ex meritis Filii sui incarnati.

17. (*m*) Quæ sequuntur, ad incarnationem Verbi, & Ecclesiæ ædificationem referri commode possunt, sicut ad vindictam, quando eos Romanus cinxit exercitus. Indutus est justitia, ad salvandos homines. *Indutus est* Messias armatus contra diaboli tyrannidem

18. (*n*) Urbes eorum vicosque subvertet.

19. (*o*) Filius Dei, *quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini*, ventus, *cogit*, hujus cursum prohibere nemo poterit.

20. (*p*) Sioni Redemptor. Hieron. *Veniet Christus, qui redimet Sion sanguine suo*

21. (*q*) .. Sunt verba Dei ad Ecclesiam : Hieron. Quod
„ vel ad Isaiam dicitur, ut mihi videtur, vel ad Dominum,
„ ut plerique existimant: igitur ad Isaiam sic ordo connectetur : Hoc est pactum Evangelii sempiternum, ut spiritus
„ meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo,
„ per quæ ventura prædices, de tuo ore non discedant, nec
„ de filiorum tuorum ac nepotum, ut omnis per seriem generatio diminuiretur, quod scilicet gratia prophetarum in
„ Apostolos veniat; & in eos de Israel, qui per Apostolos
„ credituri sunt. Spiritus Dei in Ecclesia usque ad finem sæ-
„ culorum permanebit. „

1. (*a*) Ut quæ cecidit in Synagogis, surgat in Ecclesiis. Ecclesiam alloquitur Propheta. CAP. LX.

2. (*b*) Lux vera non est alibi, quam in Ecclesia.

4. (*c*) Hieron. Dicitur hoc ad Ecclesiam, quæ per Apostolos congregata est in Sion: *De latere surgent*; Hac sugent e mammis tuis, ex Hebræo.

6. (*d*) Plures ex Arabia felice.

7. (*e*) Filius est Ismaelis, qui deserto huic regionis nomen dedit; ex Hieron. conversionem gentium & sacrificia spiritualia designat. *Offerentur*. Hebr. Offerent tibi; proprie intelliguntur qui de gentibus electi in sacerdotium ministri sunt Salvatoris. Hieron. *Cedar*, Saracenorum regio.

8 (*f*) Apostoli & prædicatores Apostolici, qui e terra sublati ut nubes, quocumque feruntur a Spiritu sancto, fertilitatem terris afferunt. *Et quasi columbæ*: Hebr. *Ad fenestras columbaris sui*, revertuntur. Columbæ dicuntur propter celeritatem volatus, & simplicitatem : celeritatem quoque gentium confluentium in Ecclesiam exprimit. Hieronym. Miratur Ecclesia de circumcisionis primum populo congregata volare ad se gentium turbam toto orbe terrarum, & assumptis alis Spiritus sancti festinare.

9. (*g*) In primis præ ceteris, vel in principio fidei, juxta Hieron. *Abies*, Ecclesiæ decorem & stabilitatem iis arboribus designat.

13. (*h*) Alludit ad fabricam templi Salomonis, & ad Arcam Dei.

15 (*i*) Gratiam, potentiam, gloriam, quæ soli Ecclesiæ aptari possunt. *In superbiam*, Hieron. sive in exaltationem & gaudium duarum nationum pro pristinis ramis, aliis insertis de oleastro nationum.

17. Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum: & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum: & ponam visitationem (*k*) tuam pacem, & præpositos tuos justitiam.

18. Non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros (*l*) tuos, & portas tuas laudatio.

* Apoc. 21. 23. & 22. 5. 19. * Non erit tibi amplius sol (*m*) ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.

20. Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur (*n*) dies luctus tui.

21. Populus autem tuus omnes justi, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.

22. Minimus (*o*) erit in mille, & parvulus in gentem fortissimam: ego Dominus in tempore ejus subito faciam istud.

CAPUT LXI.

Christi salvatoris officium, & humani generis reparationem pulcre explicat; prædicatione quoque ministrorum Christi, Gentes ad fidem convertendas.

Luc. 4. 18. 1. SPiritus (*a*) Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem.

2. Ut prædicarem annum placabilem (*b*) Domino, & diem ultionis Deo nostro: * ut consolarer omnes lugentes. * Matth. 5. 5.

3. Ut ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris: & vocabuntur in ea fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.

4. * Et ædificabunt deserta a sæculo (*c*), & ruinas antiquas erigent, & instaurabunt civitates desertas, dissipatas in generationem & generationem. * Sup. 58. 12.

5. Et stabunt (*d*) alieni, & pascent pecora vestra: & filii peregrinorum agricolæ & vinitores vestri erunt.

6. Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini: Ministri Dei nostri, dicetur vobis: Fortitudinem Gentium comedetis, & in gloria earum superbietis (*e*).

7. Pro confusione vestra duplici (*f*) & rubore, laudabunt partem suam: propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis.

8. Quia ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam (*g*) in holocausto: & dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis.

9. Et scient (*h*) in Gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.

10. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis (*i*): & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.

11. Sicut enim terra profert (*k*) germen suum, & sicut hortus semen suum germinat: sic Dominus Deus germinabit justitiam & laudem coram universis Gentibus.

CAPUT LXII.

Redemptio facta per Christum sub figura populi e captivitate Babylonica redeuntis; Ecclesia novo nomine nominabitur, Voluntas mea in illa.

1. PRopter Sion non tacebo (*a*), & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, & salvator ejus ut lampas accendatur.

2. Et

17. (*k*) Paternam pastorum curam: LXX. *Dabo principes tuos in pace*: pacifice regnantes.

18. (*l*) Hebr. *Muros vocabis salutem, & portas tuas laudatio*: summa erit securitas, nullus hostis oppugnabit.

19. (*m*) Ecclesiæ triumphantis statum describit: *Civitas non eget sole*. Apoc. 21.

20. & 21. (*n*) Luctus tui finitis diebus: *Plantationis*, Hebr. Plantatum ejus possessitas; *Opus manus meæ ad glorificandum*; Hebr. Inopis manuum mearum: ob mea beneficia glorietur.

22. (*o*) Hebr. Paucissimus, tarus familiæ numerus, Hieron. Tunc qui parvulus fuit, erit in mille. Ecclesia a parvis initiis in magnam excrevit arborem.

CAP. LXI. 1. (*a*) Præsentia sancti Spiritus primo loco designatur; requievit in Baptismo Christi. 2. Unctio interior, *Eo quod unxerit me*, LXX. Propterea unxit me. 3. Missio Christi, *Ad annuntiandum mansuetis*, LXX. legunt, *Evangelizare pauperibus misit me*: adeo ut iidem sint pauperes spiritu & mansueti. Missio unctionem, hæc Spiritus sancti præsentiam supponit; *Ut mederer contritis corde*, ut vulnera alligarem. Citatur hic locus a Domino, ut habetur in versione LXX. Textus Hebræus quantum ad verba & sensum nonnihil discrepat. In quo quidem versio LXX. a Christo Domino identidem prolata, plurimum commendatur.

2. & 3. (*b*) Reconciliationis, Hieron. Omne prædicationis ejus, quo in carne versatus est, tempus intellige. *Lugentibus*, LXX. Consolari omnes lugentes: *Et darem coronam pro cinere*; gloriam pro abjectione: *Pallium laudis*, Græc. amictum gloriæ, amplum gaudium. *Et fortes justitiæ*, fortes in justitia. *Plantatio Domini*: Hebr. Arbores justitiæ, plantatæ a Domino, ut eum glorificent. Quod præcipue convenit Apostolis & Pastoribus.

4. (*c*) Quæ fuerant deserta.

5. (*d*) Ad nutum præsto erunt ad quævis ministeria.

6. (*e*) Aquila vertit, Purpura vestiemini; ut insigne regii decoris ostenderet. Hieron.

7. (*f*) Multiplici; *Laudabunt partem suam*, qui Deus est: vel laudabitis partem vestram; Gratulabimini vobis ob talem ministerii sortem, quæ vobis obtigit.

8. (*g*) Hieron. Magis Deus diligit paupertatem, quam divitum munera, quæ de rapinis sunt & iniquitate. Hebr. *Odi holocaustum a rapina & furto*. Græc. rapinam ex injustitia. *Et dabo opus eorum in veritate*: opus pro mercede operis: dabo eis mercedem fidelem: Quæ ad Ecclesiam omnino spectant. Hieron. *Ut nequaquam sit in Lege umbra veritatis, sed ipsa sit veritas*.

9. (*h*) Illustre erit etiam apud infideles semen illud spirituale Apostolorum: & omnes futuræ generationes suscipient semen doctrinæ Dei. *Cognoscent*, Hieron. Omnis qui viderit eos, prima fronte cognoscet, quia semen sit, cui benedixerit Dominus. Quis enim ex ordine vitæ cunctisque virtutibus non intelligat populum Dei!

10. (*i*) Ecclesia est Christi corpus & sponsa; ut corpus, ut sponsa ornatur monilibus suis, & donis Spiritus sancti. Quod reliquum est in hoc capite, est velut canticum exultantis Ecclesiæ: *Quasi sponsum decoratum corona nuptiali*.

11. (*k*) Virtus quæ a Deo proficiscitur, paulatim adolescit instar plantæ: *Germinabit*, germinare faciet.

CAPUT LXII. 1. (*a*) De Ecclesia Christi proprie loquitur. In gratiam societatis fidelium non cessabo ab annuntiando Christi adventu, donec egrediatur ut splendor *justus ejus, & salvator ejus ut lampas accendatur*: hæc Christo conveniunt: non Cyro, ut Grotius opinatur. Hieronym. Nunc Prophetæ introducitur persona: diebus ac noctibus ora non claudam, nec mea unquam reticebit oratio: sed tamdiu clamabo, & preces jungam precibus, donec veniat qui promissus est, & splendore suo cunctum orbem illuminet.

2. Et videbunt Gentes justum tuum, ejus, & cuncti reges inclytum tuum: & vocabitur (*b*) tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.

3. Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.

4. Non vocaberis ultra Derelicta: & terra tua non vocabitur amplius Desolata: sed vocaberis Voluntas mea in ea, & terra tua Inhabitata, quia complacuit Domino in te: & terra tua inhabitabitur.

5. Habitabit enim juvenis (*c*) cum virgine, & habitabunt in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus.

6. Super muros tuos Jerusalem constitui custodes (*d*), tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis,

7. Et ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Jerusalem laudem in terra.

8. Juravit Dominus in dextera (*e*) sua, & in brachio fortitudinis suæ: Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis: & si biberint filii alieni vinum tuum, in quo laborasti.

9. Quia qui congregant illud, comedent, & laudabunt Dominum: & qui comportant illud, bibent in atriis (*f*) sanctis meis.

* Sup. 57. 14. 10. Transite, transite per portas, * præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, & elevate signum ad populos (*g*).

11. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, * dicite filiæ Sion: Ecce salvator (*h*) tuus venit: ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo. * Zach. 9. 9. Matt. 21. 5.

12. Et vocabunt eos, Populus sanctus, redempti a Domino. Tu autem vocaberis: Quæsita civitas (*i*), & non Derelicta.

CAPUT LXIII.

Christi ascendentis in cælum & sanguinis hostium aspersi triumphum describit Propheta, & Dei implorat misericordiam.

1. QUis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra (*a*)? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego qui loquor justitiam, & propugnator sum ad salvandum.

2. * Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? * Apoc. 19. 13.

3. Torcular (*b*) calcavi solus, & de Gentibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea: & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi.

4. * Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. * Sup. 34. 8.

5. Circumspexi (*c*), & non erat auxiliator: quæsivi, & non fuit qui adjuvaret: & salvavit mihi brachium meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.

6. Et conculcavi (*d*) populos in furore meo, & inebriavi eos in indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum.

7. Miserationum Domini recordabor, laudem (*e*) Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & super multitudinem bonorum domui Israel, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam, & secundum multitudinem misericordiarum suarum.

8. Et dixit: Verumtamen populus (*f*) meus est, filii non negantes: & factus est eis salvator.

9. In omni tribulatione eorum non est tribulatus (*g*), & Angelus faciei ejus salvavit eos: in dilectione sua, & in indulgentia sua ipse redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos cunctis diebus sæculi.

10. Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt spiritum (*h*) sancti ejus: & conversus est eis in inimicum, & ipse debellavit eos.

11. Et

2. (*b*) Nam fideles Christiani dicti sunt: forte etiam nomen illud ob insignem Ecclesiæ dotem vers. 4 insinuatur, *Voluntas mea in ea*, seu dilecta sponsa: non vocaberis ultra derelicta Hieronymus; *Hoc est autem Hebraicæ consuetudinis, ut ex eventu rebus semper vocabula imponant.*

5. (*c*) Sponsus.

6. & 7. (*d*) Prædicatores. Pastores. *Qui reminiscimini*, qui custodes estis, & quasi mediatores Deum inter & populum. *Ne detis silentium ei*. Domino: clamate ad aures ejus, donec Jerusalem quæ concidit in Judæis, in totius orbis terrarum laude versetur.

8. (*e*) Per dexteram suam.

9. (*f*) Alludit ad decimas & hostias pacificas, quas Judæi comedebant in atrio Domini. Deuter. 14. Triticum quoque, de quo panis cælestis efficitur, illud est, de quo loquitur Dominus, *Caro mea vere est cibus*: turiumque de vino. *Et Sanguis meus vere est potus*.

10. (*g*) Gregor. in lib. 1. Regum cap. 11. Gentibus ad Ecclesiam confluentibus: *Eligite lapides*, colligite, submovete; juxta LXX. projicite de via lapides, qui infideles a credentibus separant: quod ne putarent Judæi de se dici: jungitur, *Elevate signum in Gentes*. Hieron. *Eligit lapides vir Ecclesiasticus, qui omnem emollit de credentium corde duritiem.*

11. (*h*) Non Cyrus nisi in typo, sed Christus qui secum defert coronam & mercedem, quam largiri vult.

12. (*i*) Ad quam multi confluunt, Ecclesia scilicet.

CAPUT LXIII. 1. (*a*) Civitas Moabitarum, quæ vindemiam significat: ut Edom, seu Idumæa, rubedinem: mysterium illud est absconditum, Prophetis tantum & Apostolis revelatum, gentes ad eamdem cum Judæis hæreditatem vocatum iri per Christum, qui aspersione sui sanguinis formavit Ecclesiam. *Sanguis aspersus non deformitatem tribuit, sed decorem.* Hieron. qui hæc addit: *Interrogant Angeli rei novitate perterriti: Quis est iste qui de terra cruentus advenit in stola sua, in veste militari? num triumphum Christi miratur Propheta, aut Ecclesia ipsa? ille respondet, Ego qui loquor &c. cui Pater tradidit omne judicium; ut malis mala, & bonis retribuat bona.*

3. (*b*) Victoriam hanc cruentam solus reportavi.

5. (*c*). Christus unus hominum redemptionem perfecit, & fructus omnis in nos exundavit.

6. (*d*) Non mactando, sed convertendo, expulsis erroribus: *Virtutem eorum*, robur.

7. (*e*) Cantabo: sequitur oratio ad Deum.

8. (*f*) De Hebræis a Deo liberatis per Mosem loquitur humano more: *Filii non negantes*, Chald. *Non mentientes*; fidem non negabunt, quasi nescisset fore ut fidem fallerent. Hieronymus: *Verumtamen quia populus meus sunt, non peribunt in perpetuum, si me spernere & negare desierint.*

9. (*g*) Deus non est fatigatus eos adjuvando: vel tribulationes eos non oppresserunt; in Hebr. In omni angustia eorum ipse indoluit eorum malis: more humano loquitur ut sæpe, quod convenit cum Vulgata, si per interrogationem legitur, aut detrahatur negatio. *Angelus faciei ejus*, qui Dei præsentiam exhibebat, *salvavit eos*, vel Angelus qui coram eo adstabat, cum populus Deum offenderet, ejus tamen curam non abjecit.

10. (*h*) Protectorem, vel Spiritum sanctum. Spiritum Christi, uti & vers. 11. *Ubi est?* Nonne Deus ipse?

11. Et recordatus est dierum sæculi Moysi, & populi sui: * Ubi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? ubi est qui posuit in medio ejus spiritum sancti sui? (* Exod. 14. 19.)

12. Qui eduxit ad dexteram (i) Moysen brachio majestatis suæ, qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum:

13. Qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem (k).

14. Quasi animal (l) in campo descendens, spiritus Domini ductor ejus fuit: sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ.

15. * Attende de cælo, & vide de habitaculo sancto tuo, & gloriæ tuæ: ubi est zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viscerum (m) tuorum, & miserationum tuarum? super me continuerunt se. (* Deut. 26. 15. Baruch. 2. 16.)

16. Tu enim pater noster, & Abraham nescivit (n) nos, & Israel ignoravit nos: tu Domine pater noster, redemptor noster, a sæculo nomen tuum.

17. Quare errare nos fecisti (o) Domine de viis tuis: indurasti cor nostrum ne timeremus te? convertere propter servos tuos, tribus hæreditatis tuæ.

18. Quasi nihilum possederunt (p) populum sanctum tuum: hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam.

19. Facti sumus quasi in principio (q), cum non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos.

CAPUT LXIV.

Petit Propheta ut Deus nomen suum & potentiam inimicis notam faciat; luget populi sui iniquitates, immunditias & exilium, orans pro liberatione.

1. UTinam dirumperes (a) cælos, & descenderes: a facie tua montes defluerent.

2. Sicut exustio ignis tabescerent (b), aquæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis: a facie tua gentes turbarentur.

3. Cum feceris mirabilia, non sustinebimus: descendisti (c), & a facie tua montes defluxerunt.

4. A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: * oculus non vidit (d), Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. (* 1. Cor. 2. 9.)

5. Occurristi (e) lætanti, & facienti justitiam: in viis tuis recordabuntur tui: ecce tu iratus es, & peccavimus: in ipsis fuimus semper, & salvabimur.

6. Et facti sumus ut immundus (f) omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ: & cecidimus quasi folium universi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.

7. Non est qui invocet nomen tuum: qui consurgat, & teneat (g) te: abscondisti faciem tuam a nobis, & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ.

8. Et nunc Domine, pater noster es tu, nos vero lutum: & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos.

9. Ne irascaris Domine satis (h), & ne ultra memineris iniquitatis nostræ: ecce respice, populus tuus omnes nos. (Ps. 78. 8.)

10. Civitas Sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Jerusalem desolata est.

11. Domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.

12. Numquid super his continebis (i) te Domine, tacebis, & affliges nos vehementer?

CAPUT LXV.

Gentium conversio, & Judæorum propter iniquitates suas & idololatriam abjectio, servatis tamen paucis reliquiis; adversa omnia his, qui Dei legem abjecerunt, & prospera ac nova omnia servis Dei nuntiantur.

1. QUæsierunt (a) me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæsierunt me. Dixit: Ecce ego, ecce ego ad Gentem, quæ non invocabat nomen meum. (Rom. 10. 20.)

2. Expan-

11. (i) Qui dexteram ejus apprehendens deduxit.

13. (k) Impingentem: sic duxit populum per maris alveum, ut equum in planitie.

14 (l) Deus leviter eos deduxit, quomodo pecus, quod in vallem descendit, & leniter duci solet. Ut faceres, ut nominis tui gloria celebretur.

15. (m) Benignitas tua: *Super me continuerunt se*, Hebr. In me se effuderunt cum impetu.

16. (n) Quod ejus simus degeneres, non penitus aspernatur

17. (o) Ne sinas nos errare a viis tuis; aufer a nobis errorem & duritiem cordis. Loquitur Propheta in persona populi; Hieron. Non quod Deus erroris caussa sit, & duritiæ; sed quod illius patientia nostram expectantis salutem, dum non corripit delinquentes, caussa erroris duritiæque videatur. *Tribus hæreditatis tuæ*, ex quibus nos ut rami e surculo orti sumus.

18. (p) Hostes, *Populum sanctum tuum*. LXX. *Convertere ad nos*, ut modicum possideamus montis sancti tui.

19. (q) Cum nondum vocaremur, neque diceremur de nomine tuo populus Dei. Hieron. Antequam vocaremur in Abraham, & dum essemus in Ægypto.

CAPUT LXIV. 1. (a) Continuatur oratio: Utinam amoveres omnes obices adventus tui. Chaldæus vocem Hebræam vertit, nosse, & alludit ad ea quæ fecit Deus in monte Sinai: Dirupisti cælos.

2. (b) Ut solent res igne fusæ. August. in Psalm. 96. *Qui sunt montes? Superbi. Aquæ arderent igni:* Alludit iterum ad descensum montis Sinai, ubi fulmina e nubibus disruptis micabant.

3. (c) Video te hominem factum; quasi voti sui compos loquitur Propheta.

4 (d) Hæc verba citat Apostolus, 1. Corinth. 2. Quæ ad mysteria Christianæ religionis referunt plerique interpretes, & ad bona vitæ æternæ. Hæc mysteria & dona ante occultata fuerant in prophetis, tum manifestata per Christum: sed communior est & verior interpretatio de futura beatitudine.

5. (e) Gentilibus cum lætitia excipientibus te: *Peccavimus*, quia peccavimus. *Et salvabimur*, sed per tuam misericordiam conversi salvabimur: sancti homines e Judæis peccata totius populi quasi sua commemorant.

6. (f) Justitia quidem interior inest, quæ renovat interiorem hominem, & opera ejus producit: *in justitia & sanctitate veritatis*, Ephes. 4. sed ubique fere concupiscentia se ingerit. Hinc August. lib. 9. Conf. cap. 13. *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam.* Sed perperam his verbis abutuntur Novatores, ut bona opera justorum condemnent: nam Propheta in persona populi loquitur, cum justitias ex sola legis cognitione majori ex parte ducebitur, non de populo novi testamenti. *Sectatore bonorum operum*, ut loquitur Apost. ad Tit. cap. 2. Justitias vocat ritus & sacrificia Judæorum

7 (g) Ne iram tuam in nos effundas: *Et allisisti nos in manu iniquitatis nostræ:* G. Tradidisti nos propter iniquitatem nostram.

9 (h) Satis, Hebr. Vehementer. Hæc ad Christi tempora refert Hieron.

12. (i) Misericordiam tuam continebis?

CAPUT LXV. 1. (a) Gentiles: querelis Prophetæ, aut populi Judaici respondet Deus, se ab ingratis Judæis contemptum ad Gentes convertisse, quem locum citat Apostolus, Rom. 10.

2. Expandi (*b*) manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.

3. Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem (*c*) meam semper: qui immolant in hortis, & sacrificant super lateres:

4. Qui habitant in sepulcris (*d*), & in delubris idolorum dormiunt: qui comedunt carnem suillam, & jus profanum in vasis eorum.

5. Qui dicunt, (*e*) Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es: isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.

6. Ecce scriptum (*f*) est coram me: non tacebo, sed reddam & retribuam in sinum eorum

7. Iniquitates vestras, & iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus, qui sacrificaverunt super montes, & super colles exprobraverunt mihi, & remetiar opus eorum primum in sinu eorum.

8. Hæc dicit Dominus: Quomodo si inveniatur granum (*g*) in botro, & dicatur: Ne dissipes illud, quoniam benedictio est: sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum.

9. Et educam de Jacob semen, & de Juda possidentem montes (*h*) meos: & hæreditabunt eam electi mei, & servi mei habitabunt ibi.

10. Et erunt campestria (*i*) in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum, populo meo qui requisierunt me.

11. Et vos, qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam (*k*), & libatis super eam:

12. Numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis: * pro eo quod vocavi, & non respondistis: locutus sum, & non audistis: & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis. * Prov. 1. 24. Infr. 66. 4. Jer. 7. 13.

13. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce servi mei comedent, & vos esurietis: ecce servi mei bibent, & vos sitietis:

14. Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini: Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis.

15. Et dimittetis nomen vestrum in juramentum (*l*) electis meis: & interficiet te Dominus Deus, & servos suos vocabit nomine alio.

16. In quo qui benedictus (*m*) est super terram, benedicetur in Deo amen: & qui jurat in terra, jurabit in Deo amen: quia oblivioni traditæ sunt angustiæ priores, & quia absconditæ sunt ab oculis meis.

17. * Ecce enim ego creo cælos novos, & terram novam (*n*): & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor. *Inf. 66. 22. Apoc. 21. 1.

18. Sed gaudebitis & exultabitis usque in sempiternum, in his quæ ego creo: quia ecce ego creo Jerusalem exultationem, & populum ejus gaudium.

19. Et exultabo in Jerusalem, & gaudebo in populo meo: & non audietur in eo ultra vox fletus & vox clamoris.

20. Non erit ibi amplius infans (*o*) dierum, & senex qui non impleat dies suos: quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.

21. Et ædificabunt domos, & habitabunt: & plantabunt vineas, & comedent fructus earum.

22. Non ædificabunt, & alius habitabit: non plantabunt, & alius comedet: secundum enim dies ligni (*p*), erunt dies populi mei, & opera manuum eorum inveterabunt:

23. Electi mei non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbatione (*q*): quia semen benedictorum Domini est, & nepotes eorum cum eis.

24. * Eritque antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam. * Ps. 31. 5.

25. * Lupus & agnus pascentur simul, leo & bos comedent paleas: & serpenti pulvis (*r*) panis ejus: non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus. * Sup. 11. 6.

CA-

2. (*b*) In cruce: *Ad populum incredulum:* Hebr. rebellem, contumacem.

3. (*c*) In templo: *Immolant in hortis*; contra præceptum meum, & contra legem altaria e lateribus extruebant.

4. (*d*) Ut ibi caperent somnia. Hieron. *In delubris idolorum, ut in somniis futura cognoscerent.*

5. (*e*) Aliis, vel Prophetæ, qui eos ad pœnitentiam adhortatur.

6. (*f*) Hæret in memoria hoc peccatum: *Non tacebo*; supplicium eorum non differam.

8. (*g*) Per racemos Judæos fideles comparat Deus cum grano, quod solum est in botro, & in causa est cur non evellatur botrus. *Quoniam benedictio est*: uvæ & fructus nomine benedictionis donabant: hoc loco accipitur pro semine, in quo spes est novæ vitis.

9. (*h*) Apostolos & successores eorum, *Semen de Juda*, sunt iidem Apostoli.

10. (*i*) Omnia tam plana, quam montana, plena erunt gregibus fidelium: *Caulas gregum*: Hieron. *In locis gentilium erunt caulæ ovium*, id est, *Ecclesiæ de toto orbe credentium. Et vallis Achor*: juxta Jericho admodum fertilis.

11. (*k*) Mensam; ex Hieron. in Ægypto ponebant mensam refertam epulis, & poculum mulso mistum, futuri anni fertilitatem inde auspicantes. *Et libatis super eam*: in Hebræo, *Et impletis Meni libamen*, quem Deum colebant Arabes.

15. (*l*) Nomen vestrum erit execratorium: hoc mihi contingat, si mentior, tam sim infelix, quam Judæi. *Et servos suos vocabit nomine alio*, non Israelitas, sed Christianos: *In Deo Amen*, in Deo veritatis, LXX. In Deo vero. Vox Hebræa & juramentum & satietatem significat; erit nomen vestrum in satietatem. Quod de his dici solet, quorum odiosa est recordatio.

16. (*m*) Qui sibi bene precabitur in terra, is sibi bene precabitur a Deo, non ab idolis.

17. (*n*) Novam: Scriptura vocat cælum quidquid supra nos est. Hoc loco Apostolos ut cælos novos, fideles ut terram novam videtur designare. *Non ascendent super cor*: non erit memoria priorum malorum.

20. (*o*) Qui paucos dies vivat: qui enim renascentur, ut viri pleni erunt virtutibus: *Et senex qui non implet dies suos*, virtutis & sanctitatis. Longioris vitæ ratio nulla habetur: cum mortui fuerint infantes in Ecclesia renati, de iis dici non poterit, quod paucos dies vixerint, cum ad meliorem vitam transierint; nec de adultis, quod dies suos non impleverint. *Quoniam puer centum annorum morietur*; qui vitam in peccatis duxerit, erit enim infans centum annorum; & qui morietur peccator centenarius, *maledictus erit*; vel non ignoscetur peccatori, etiamsi is sit centum annos natus.

22. (*p*) Cum morietur, satis vixit, si bene: tamdiu vivent, quamdiu arbor vivat: *Secundum dies ligni*; lignum vitæ, quod in paradiso erat.

23. (*q*) Non liberos procreabunt, qui molestiam iis creent: non generabunt ad execrationem, ad mortem immaturam.

25. (*r*) Qui terrena amant, erunt in pabulum dæmonis: cibus serpentis pulvis erit, non attinget homines justos. Non nocebunt, nulli fiet injuria.

CAPUT LXVI.

De vocatione Gentium, Ecclesiæ prosperitate, & reprobatione Judæorum, inceptum capite superiori prosequitur argumentum; nec non de veteris legis sacrificiis, de Judæorum pervicacia & punitione.

* Act. 7. 49. & 17. 24. 1. HÆc dicit Dominus: * Cælum sedes (a) mea, terra autem scabellum pedum meorum: quæ est ista Domus, quam ædificabitis mihi? & quis est iste locus quietis meæ?

2. Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt universa ista, dicit Dominus: ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum (b) spiritu, & trementem sermones meos?

3. Qui immolat (c) bovem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. Hæc omnia elegerunt in viis suis, & in abominationibus suis anima eorum delectata est.

4. Unde & ego eligam (d) illusiones eorum: & quæ timebant, adducam eis: * quia vocavi, & non erat qui responderet: locutus sum, & non audierunt: feceruntque malum in oculis meis, & quæ nolui elegerunt.

* Prov. 1. 24. Sup. 65. 12. Jer. 7. 13.

5. Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum ejus: dixerunt fratres (e) vestri odientes vos, & abjicientes propter nomen meum: glorificetur Dominus, & videbimus in lætitia vestra: ipsi autem confundentur.

6. Vox (f) populi de civitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis.

7. Antequam parturiret, peperit (g): antequam veniret partus ejus, peperit masculum.

8. Quis audivit unquam tale? & quis vidit huic simile? numquid parturiet terra in die una? aut parietur gens simul (h), quia parturivit, & peperit Sion filios suos?

9. Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? si ego, qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?

10. Lætamini cum Jerusalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio universi, qui lugetis (i) super eam,

11. Ut sugatis, & repleamini ab ubere consolationis ejus: ut mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus.

12. Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam sugetis: ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis.

13. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Jerusalem (k) consolabimini.

14. Videbitis, & gaudebit cor vestrum, * & ossa vestra quasi herba germinabunt (l): & cognoscetur manus Domini servis ejus, & indignabitur inimicis suis. * Ezech. Cap. 37.

15. Quia ecce Dominus in igne (m) veniet, & quasi turbo quadrigæ ejus: reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis:

16. Quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti a Domino,

17. Quia sanctificabantur, & mundos (n) se putabant in hortis post januam intrinsecus, qui comedebant carnem suillam, & abominationem, & murem: simul consumentur, dicit Dominus.

18. Ego autem opera (o) eorum, & cogitationes eorum, venio ut congregem cum omnibus gentibus & linguis: & venient & videbunt gloriam meam.

19. Et ponam in eis signum (p), & mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad Gentes in mare, in Africam & Lydiam tendentes sagittam: In Italiam & Græciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus,

20. Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum (q) Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus, quomodo si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini.

21. Et

CAPUT LXVI.

1. (a) Humano more loquitur: in sensu mystico justi cæli, terreni homines terræ nomine designantur; in illis residet Deus per gratiam suam, ii terrena calcant. *Quæ est ista domus?* Non ea est reprehensio, sed instructio. *Quam ædificabitis mihi*; exiguum quidem est, si cum cælo & terra comparetur. Deus cum sit Spiritus, vult adorari in spiritu & veritate.

2. (b) In eo habitabo, ut in templo vivo, qui modeste & demisse de se sentit.

3. (c) Si absint illæ virtutes, *quasi qui interficiat virum*, ut Moloch immolet; sublato templo & altari, auferentur victimæ Judæorum. Potest autem hic subesse sensus: Post Filium meum qui venit mansuetus & pauper, detestor sacrificia Judæorum. Hieron.

4. (d) Irridebo eos, & in pœnam scelerum capientur ab hostibus; *Illusiones*, adinventiones.

5. (e) Judæi infideles: *Glorificetur Dominus*; gloriam suam ostendat in vobis, ut videamus lætitiam vestram. Hieronym. *Quid nobis humilem introducitis Deum Crucifixum? volumus eum in sua, ut dicitur, majestate conspicere regnantem.*

6. (f) Clamantis propter obsessionem Romanorum. *Vox de Templo*; Angelorum clamantium. Migremus hinc, teste Josepho lib. 7. de bello Judaico, de civitate Jerosolyma de templo ab hostibus capto.

7. (g) Ecclesia per Apostolos tot fideles subito peperit, *Masculum*, viros fortes & Martyres; ad Evangelicam prædicationem statim omnis mundus concepit & parturivit. Hier.

8. (h) Ut existat populus, ubi non erat, idque subito: *Peperit Sion*, Ecclesia.

10. (i) Qui luxistis: nam participia apud Hebræos sunt cujusvis temporis.

13. (k) In Ecclesia.

14. (l) In resurrectione.

15. (m) De secundo Christi adventu loquitur, postquam de Ecclesiæ institutione disseruit. Per currus & quadrigas figuratur majestas victoris. *Reddere in indignatione furorem suum*, effundere indignationem & furorem.

17. (n) Qui sese polluerant, ac deinde lustrarunt se aqua in lucis; *Post januam*, Gr. In vestibulis, vel post januam; *Intrinsecus*, occlusa janua; *Murem*, vox Hebræa significat etiam glirem.

18. (o) Hebr. *Ego autem ero cum operibus eorum*: est enim reticentia.

19 (p) Propheta ad primum redit Christi adventum: signum quo illos munit; qui mittuntur, est Spiritus Sancti charismatum effusio, ut donum linguarum; *Tendentes sagittam*, vel Apostolos mittam in omnes gentes, qui erunt quasi electæ Dei sagittæ, signum etiam illud est Crux ipsa; *In Italiam*, Iberiam Asiaticam quidam esse putant.

20. (q) Vox Hebræa, *Minchs*, oblationem, aut sacrificium significat; alludit forsan ad reditum populi e Babylone, Cyro suppeditante currus & carrucas, vehicula duabus rotis instructa.

21. Et assumam ex eis (*r*) in sacerdotes & levitas, dicit Dominus:

* Apoc. 21. 1. 22. * Quia sicut cæli (*s*) novi, & terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum.

23. Et erit mensis (*t*) ex mense, & sabbatum ex sabbato: veniet omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.

24. Et egredientur (*u*), & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me: * vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt usque ad satietatem visionis omni carni. * Marc. 9. 43.

21. (*r*) Gentibus Hieronymus ostendit vetus sacerdotium prætermissum, quod Tribui Leviticæ debebatur.

22. (*s*) Ut cæli cum terra innovandi in æternum stabunt, *sic semen vestrum*, Apostoli, seu fideles Ecclesiæ aggregati.

23. (*t*) Neomeniæ & festa in alia festa & sabbata mutabuntur: juxta Hebr. Per singulos menses & hebdomadas veniet omnis caro. Hieron. *Ut de carnalibus sabbatis, mensibusque fiant spiritualia sabbata dedicata: qui sabbatismus Dei populo reservatur.*

24. (*u*) Sancti Patres hunc locum de damnatis exponunt, ac citatur a Christo Domino Matth. 22. 9. *Et erunt usque ad satietatem visionis omni carni:* Hebr. *Erunt abominationi omni carni*, seu hominibus. Sancti amore justitiæ animati, ejus admirabilem ordinem mirabuntur; non crudeli hoc spectaculo pascentur, sed eadem volent quæ Deus: una cum Christo judicabunt. *Absorpti sunt juncti petræ judices eorum.* Psalm. 140. Inflexibiles erunt in amore supremæ Christi justitiæ.

PROPHETIA JEREMIÆ.

MISSUS est a Deo Jeremias, qui excidium Jerosolymæ Judæis, captivitatem Babylonicam, reditum e Chaldæa post 70. annos prænuntiaret; ubi multa inserit de adventu Christi, & Gentium conversione. Ab anno 15. Josiæ ad annum quintum post excisam Jerusalem per annos 45. prophetavit.

CAPUT PRIMUM.

Divinam Jeremiæ vocationem ad munus propheticum complectitur.

1. VERBA Jeremiæ (*a*) filii Helciæ, de sacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth, in terra Benjamin.

2. Quod factum est verbum Domini ad eum in diebus Josiæ filii Amon regis Juda, in tertiodecimo anno regni ejus.

3. Et factum est in diebus Joakim filii Josiæ regis Juda, usque ad consummationem undecimi anni Sedeciæ filii Josiæ regis Juda, usque ad transmigrationem Jerusalem, in mense quinto.

4. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

5. Priusquam (*b*) te formarem in utero, novi te: & antequam exires de vulva, sanctificavi te, & prophetam in Gentibus dedi te.

6. Et dixi, A, a, a, Domine Deus: ecce nescio (*c*) loqui, quia puer ego sum.

7. Et dixit Dominus ad me: Noli dicere: Puer sum: quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis: & universa, quæcumque mandavero tibi, loqueris.

8. Ne timeas a facie eorum (*d*): quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus.

9. Et misit (*e*) Dominus manum suam, & tetigit os meum: * & dixit Dominus ad me: * Is. 6. 7.
Ecce dedi verba mea in ore tuo:

10. Ecce

CAPUT I. 1. (*a*) Vox Hebræa, extollentem Deum significat; *In Anathoth*, oppidum erat sacerdotale in tribu Benjamin. Josue 21. 18

5. (*b*) Ex his verbis multi colligunt Jeremiam in utero matris sanctificatum fuisse; quo de re dubitat Aug. Epist. 57. ad Dardanum. Sanctificatus est ab utero secundum prædestinationem, qua propheta fuit consecratus: unde & præmittit Deus, *Priusquam te formarem in utero, novi te*; scilicet notitia prædestinationis & præscientiæ divinæ: sic Roman. 11. *Non repulit Deus plebem suam quam præscivit*, seu prædestinavit. *Sanctificavi te*, segregavi te, ut propheta meus esses: nam rea sanctificatus Deo idem est a profanis segregari. Sed modo communis Doctorum, ac Sacræ Scripturæ interpretum sensus est, Jeremiam in utero fuisse sanctificatum.

6. (*c*) Gregor. in Past. part. 1. utramque Isaiæ & Jeremiæ missionem inter se conferens. Notandum est, inquit, quod qui excusatur, Jeremias scilicet, penitus non resilit, & qui mitti voluit, ante se per altaris calculum purgatum vidit; ne aut non purgatus adire quis sacra ministeria audeat, aut quem Deus elegit, sub humilitatis specie superbe contradicat.

8. (*d*) Ad quos te mittam.

9. (*e*) Extendit manum Angelus a Deo missus ad os Jeremiæ, qui eum initiaret, & doceret quæ prædicturus erat, non sua, sed Dei verba fore.

10. Ecce constitui te hodie super Gentes ,
* Inf. 18. 7. & super regna * ut evellas (f) , & destruas ,
& disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.

11. Et factum est verbum Domini ad me , dicens: Quid tu vides Jeremia? Et dixi: Virgam vigilantem (g) ego video.

12. Et dixit Dominus ad me : Bene vidisti , quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud.

13. Et factum est verbum Domini secundo ad me, dicens: Quid tu vides? Et dixi : Ollam (h) succensam ego video , & faciem ejus a facie Aquilonis.

* Inf. 4. 6. 14. Et dixit Dominus ad me : * Ab Aquilone (i) pandetur malum super omnes habitatores terræ.

15. Quia ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis , ait Dominus : & venient , & ponent unusquisque solium suum in introitu portarum Jerusalem, & super omnes muros ejus in circuitu , & super universas urbes Juda.

16. Et loquar judicia (k) mea cum eis, super omnem malitiam eorum , qui dereliquerunt me, & libaverunt diis alienis , & adoraverunt opus manuum suarum.

17. Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides a facie eorum : nec enim timere te faciam vultum eorum.

* Inf. 6. 27. * 18. * Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream , & in murum æreum , super omnem terram , regibus Juda, principibus ejus, & sacerdotibus, & populo terræ.

19. Et bellabunt adversum te , & non prævalebunt: quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.

CAPUT II.

Graviter expostulat Dominus cum filiis Israel , & Juda , ac potissimum cum pastoribus , & falsis prophetis , quod fonte aquæ vivæ relicto, adoraverint idola.

1. ET factum est verbum Domini ad me , dicens:

2. Vade , & clama in auribus Jerusalem , dicens : Hæc dicit Dominus : Recordatus sum tui , miserans adolescentiam (a) tuam, & charitatem desponsationis tuæ , quando secuta es me in deserto , in terra quæ non seminatur.

3. Sanctus Israel Domino (b) , primitiæ frugum ejus : omnes qui devorant eum , delinquunt : mala venient super eos , dicit Dominus.

4. Audite verbum Domini domus Jacob , & omnes cognationes domus Israel:

5. Hæc dicit Dominus : * Quid invenerunt (c) patres vestri in me iniquitatis , quia * Mich. 6. 3.
elongaverunt a me , & ambulaverunt post vanitatem, & vani facti sunt?

6. Et non dixerunt: Ubi est Dominus , qui ascendere nos fecit de Terra Ægypti: qui traduxit nos per desertum , per terram inhabitabilem & inviam , per terram sitis , & imaginem mortis , per terram , in qua non ambulavit vir, nec habitavit homo?

7. Et induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum ejus , & optima illius : & ingressi contaminastis terram meam, & hæreditatem meam posuistis in abominationem.

8. Sacerdotes non dixerunt : Ubi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me , & pastores prævaricati sunt in me: & prophetæ prophetaverunt in Baal , & idola secuti sunt.

9. Propterea adhuc judicio contendam (d) vobiscum , ait Dominus , & cum filiis vestris disceptabo.

10. Transite ad insulas Cethim (e) , & videte : & in Cedar mittite , & considerate vehementer : & videte si factum est hujuscemodi.

11. Si mutavit gens deos suos, & certe ipsi non sunt dii : populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum.

12. Obstupescite cæli super hoc , & portæ (f) ejus desolamini vehementer, dicit Dominus.

13. Duo enim mala fecit populus meus : Me dereliquerunt (g) fontem aquæ vivæ , & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.

14. Numquid servus est Israel , aut vernaculus? quare ergo factus est in prædam?

15. Super

10. (f) Ut annunties Judæis & Gentibus aliis nationes dissipatum iri , alias erigendas. Vox, *super*, non significat contra gentes , sed materiam huic Prophetiæ subjectam , id est , De gentibus sic prophetabis , ut eis annunties adversa & prospera : si Judæi non resipuerint , fore ut eos evellam & perdam; si resipuerint , ædificabo eos , & non destruam , ut ait cap. 42. 10.

11. (g) *Vigilantem*: sese agitantem ad percutiendum ; alii vertunt ex Hebræo virgam amygdalinam , quod prima inter arbores floreat , & quasi evigilet : LXX. Baculum nuceum, regem videlicet Chaldæorum ad percutiendum paratum. Virga vigilans, seu vigilantis dicitur , ut divinæ justitiæ mandata exequatur.

13. (h) Ollam ignibus plenam , quos evomat in Judæos & vicina regna. Alludit forte ad concham , vel ollam, in qua ignis præferri solebat Chaldæis , Assyriis , Persis , qui ignem ut Deum colebant . Rex Chaldæorum primum virgæ figura adumbratur: sed ob contemptum Judæorum , qui Domini minas aspernatuti erant , jam sub forma ollæ bullientis , seu vasis igniti exprimitur , quo quidem ira Dei designatur : faciem ollæ vocat os , quod Judæam respiciebat.

14. (i) Postquam Chaldæi Syriam expugnarunt , & Niniven, ab Aquilone exercitum suum duxerunt adversus Judæos. *Pandetur* , Erumpet malum super omnes habitantes terræ , Judææ scilicet , quæ interdum universa terra vocitatur.

16 (k) Judæis ostendam eos jure puniri ob impietatem.

CAP. II.

2. (a) Prima populi Israelitici tempora. *Et charitatem desponsationis tuæ* ; comparat se sponso , qui populo Israel sibi despondit in Abraham, Isaac, & Jacob; tum Israelem velut duxit in uxorem , cum illum ex Ægypto eductum arctius sibi copulavit per legem in deserto datam: *Et tremor charitatis*, non populi , sed Dei , qua impulsus Synagogam duxit ; expostulationem suam incipit Deus a prima ætate populi Israelitici ; quantopere illos dilexerit , in memoriam revocet , ut ingratus illorum ostendatur animus.

3. (b) Deo consecratus; *Primitiæ* . Primus a Deo electus, nec licet aliis nationibus eum affligere : de Chaldæis adeo pœnas sumit.

5. (c) Æquo velut jure agit cum populo suo , ne videatur eum percutere per potentiam; quasi cum paribus ratione contendit. *Elongaverunt* , longe recesserunt a me ; *Post vanitatem* ; post idola.

9. (d) Summo jure vobiscum agam.

10. (e) Vel Cyprum ubi erat civitas eo nomine , vel Italiam ex aliis interpretibus : ut sciatis , an quid agatur simile apud gentes remotissimas & barbaras.

12. (f) Ob iram Dei imminentem , vel Angeli Dei.

13. (g) Duo sunt mala. Deum qui est fons vitæ derelinquere , & ad Idola converti . Possunt hæc referri ad hæreticam doctrinam , quæ continere non valet aquas : nam quod boni in ea relictum est , non integrum & incorruptum , sed variis permistum erroribus conservat.

15. Super eum rugierunt leones, & dederunt vocem suam, posuerunt terram ejus in solitudinem: civitates ejus exustæ sunt, & non est qui habitet in eis.

16. Filii quoque Mempheos & Taphnes constupraverunt (h) te usque ad verticem.

17. Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam (i)?

18. Et nunc quid tibi vis in via Ægypti (k) ut bibas aquam turbidam? & quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis?

19. Arguet (l) te malitia tua, & aversio tua increpabit te. Scito, & vide, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum.

20. A sæculo confregisti jugum meum, rupi-
* Inf. 3. 6. sti vincula mea, & dixisti: Non serviam. * In omni enim colle sublimi (m), & sub omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix.

* Isa. 5. 1. 21. * Ego autem plantavi te vineam ele-
Matth. 21. ctam (n), omne semen verum: quomodo ergo
33. conversa es mihi in pravum vinea aliena?

22. Si laveris te nitro (o), & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus.

23. Quomodo dicis: Non sum polluta, post Baalim non ambulavi? vide vias tuas in convalle (p), scito quid feceris: cursor levis explicans vias suas.

24. Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum (q) amoris sui: nullus avertet eam: omnes qui quærunt eam, non deficient: in menstruis ejus invenient eam.

25. Prohibe pedem (r) tuum a nuditate, & guttur tuum a siti. Et dixisti: Desperavi, nequaquam faciam: adamavi quippe alienos, & post eos ambulabo.

26. Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israel, ipsi & reges eorum, principes, & sacerdotes, & prophetæ eorum.

27. Dicentes ligno: Pater meus es tu: & la-
* Inf. 32. 33. pidi: Tu me genuisti. * Verterunt ad me tergum, & non faciem, & in tempore afflictionis suæ dicent: Surge, & libera nos.

28. Ubi sunt dii tui, quos fecisti tibi? surgant & liberent te in tempore afflictionis tuæ: * * Inf. 11. 13.
secundum numerum quippe civitatum tuarum erant dii tui Juda.

29. Quid vultis mecum judicio contendere? omnes dereliquistis me, dicit Dominus.

30. Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt: devoravit (s) gladius vester prophetas vestros, quasi leo vastator

31. Generatio vestra. Videte verbum Domini: Numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? (t) quare ergo dixit populus meus: Recessimus, non veniemus ultra ad te?

32. Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris.

33. Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem (u), quæ insuper & malitias tuas docuisti vias tuas,

34. Et in alis (x) tuis inventus est sanguis animarum pauperum & innocentum? non in fossis inveni eos, sed in omnibus, quæ supra memoravi,

35. Et dixisti: Absque peccato & innocens ego sum: & propterea avertatur furor tuus a me. Ecce ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris: Non peccavi.

36. Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas! & ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur.

37. Nam & ab ista egredieris, & manus tuæ erunt super caput (y) tuum: quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam, & nihil habebis prosperum in ea.

CAPUT III.

Deus admirabili usus clementia populum suum ad se revocat ab idololatria, in qua Juda etiam Israelem superavit: de futura gloria & exaltatione Jerusalem, de gentium vocatione agit; ad pœnitentiam Judæos adhortatur.

1. VUlgo dicitur: Si dimiserit (a) vir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum: numquid revertetur ad eam ultra? numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.

2. Leva

16 (h) Hebr. *Confregerunt te usque ad verticem*; Ægyptii videlicet, ad quos plures Judæi confugerant.

17. (i) Legis tuæ, per planam & facilem viam, noluisti eum sequi.

18. (k) Ut eorum utaris ope, qui plus nocere possunt, quam prodesse.

19. (l) Hebr. *Castigabit te*: hinc disces, quam amarum sit Deum suum derelinquere: sprevistis bona & dulcia, mala & amara elegistis.

20 (m) Hieron. Quasi ad meretricem loquitur, quæ conjugalia fœdera rumpit; *Et dixerit, Non serviam*, Domino, vel marito. Instar meretricis ibas ex una arbore in aliam, ab uno idolo ad aliud.

21. (n) Hebr. *Sorec*; optimam; omne semen verum, cujus sementia, aut plantæ vera erant, non adulterina.

22 (o) Seu nitro, aut soda, vel sale, ut nunc vocant *Alkali*, de quo alibi; *Et multiplicaveris tibi herbam Borith*, quæ saponaria dici solet. Sept. interpretes voce utuntur, quæ herbam fullonum significat, quæque virentibus & humidis in locis nascitur. Quacumque utaris excusatione, iniquitatem tuam dissimulare non poteris.

23. (p) Vestigia tua ibi sunt impressa. *Cursor levis explicans vias suas*. Hebr. Caprea quæ velox fertur ad mares æstu libidinis, sic tu ad idola; *Explicans vias tuas*, Hebr. *Gyrans huc illuc*, ad quærenda idola circuibas.

24. (q) Teste Oppiano, onagri æstu libidinis summa conscendit montium ad captandam auram feminæ. *Onager assuetus*; nomen Hebræum est communis generis: nullus avertit eam, nemo asinam libidine incensam revocare poterit.

25. (r) Pedum nomine sæpe crura & femina designantur: cum admoneris ne corpus nudes ad hoc adulterium patrandum, & ardorem libidinis, ut sitim refrænes, tu respondeas, *Desperavi*: Hebr. *Desperatum est*, nulla spes est ut faciam quod suades: prohibe pedem tuum, ne suscipiat tam longum iter ad quærenda idola, quæ nihil te juvare poterunt; *Et guttur tuum a siti*, quæ viatores cruciat; sed frustra sunt illæ admonitiones.

30. (s) Adeo non quæsistis salutaria monita, ut Prophetas meos occideritis; *Vastator*, jungendum, *Generatio vestra fuit vastata*.

31. (t) Quæ tarde fructus suos profert, nec perducit ad maturitatem.

33. (u) Ut amorem meum tibi concilies; *Insuper*, cum alios doceas mala agere.

34. (x) Tu instar avis quæ ex præda vivit, alas habes plenas sanguine: LXX. In manibus tuis. Non in *fossis* inveni eos, occises Prophetas, sed palam.

37. (y) Mulieres flentes solebant caput manibus tegere; *In ea*, in Ægypto. Hebr. *Et non prosperaberis in eis*, non bene succedent spes tuæ.

1 (a) Hanc maritus non revocat, si dimissa alteri viro nupserit: Deus vero invitat populum Israel, qui fornicatus est, ad pœnitentiam: *Mulier illa?* Hebr. *Terra illa?* uti & Deuteron. 24. terra censetur peccare, cum ejus habitatores gravia admittunt scelera; ac mulier metaphorice appellatur terra.

CAP. IIII

2. Leva oculos tuos in directum (*b*), & vide ubi non prostrata sis: in viis sedebas, expectans eos quasi latro in solitudine: & polluisti terram in fornicationibus tuis, & in malitiis tuis.

3. Quam ob rem prohibitæ (*c*) sunt stillæ pluviarum, & serotinus imber non fuit: frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.

4. Ergo saltem amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis (*d*) meæ tu es:

5. Numquid irasceris in perpetuum, aut perseverabis in finem? Ecce locutus es, & fecisti mala, & potuisti (*e*).

6. Et dixit Dominus ad me in diebus Josiæ regis: * Numquid vidisti quæ fecerit aversatrix (*f*) Israel? abiit sibimet super omnem montem excelsum, & sub omni ligno frondoso, & fornicata est ibi.

* Sup. 2. 20.

7. Et dixi, cum fecisset hæc omnia: Ad me revertere: & non est reversa. Et vidit prævaricatrix soror ejus Juda,

8. Quia pro eo, quod mœchata esset aversatrix Israel, dimisissem eam, & dedissem ei libellum repudii: & non timuit prævaricatrix Juda soror ejus, sed abiit, & fornicata est etiam ipsa.

9. Et facilitate (*g*) fornicationis suæ contaminavit terram, & mœchata est cum lapide & ligno.

10. Et in omnibus his non est reversa ad me prævaricatrix soror ejus Juda in toto corde suo, sed in mendacio, ait Dominus.

11. Et dixit Dominus ad me: Justificavit (*h*) animam suam aversatrix Israel, comparatione prævaricatricis Judæ.

12. Vade, & clama sermones istos contra Aquilonem (*i*), & dices: Revertere aversatrix Israel, ait Dominus, & non avertam faciem meam a vobis: quia sanctus ego sum, dicit Dominus, & non irascar in perpetuum.

13. Verumtamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es: & dispersisti (*k*) vias tuas alienis sub omni ligno frondoso, & vocem meam non audisti, ait Dominus.

14. Convertimini filii revertentes (*l*) dicit Dominus: quia ego vir vester: & assumam vos unum de civitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion,

15. Et dabo vobis pastores (*m*) juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.

16. Cumque multiplicati fueritis, & creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus: non dicent ultra: Arca (*n*) testamenti Domini: neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius; nec visitabitur, nec fiet ultra.

17. In tempore illo vocabunt Jerusalem (*o*) Solium Domini: & congregabuntur ad eam omnes Gentes in nomine Domini in Jerusalem, & non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi.

18. In diebus illis ibit (*p*) domus Juda ad domum Israel, & venient simul de terra Aquilonis ad terram, quam dedi patribus vestris.

19. Ego autem dixi: Quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum Gentium? Et dixi: Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis.

20. Sed quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel, dicit Dominus.

21. Vox in viis audita (*q*) est, ploratus & ululatus filiorum Israel: quoniam iniquam fecerunt viam suam, obliti sunt Domini Dei sui.

22. Convertimini filii revertentes, & sanabo aversiones vestras. Ecce nos venimus ad te: tu enim es Dominus Deus noster.

23. Vere mendaces erant colles (*r*), & multitudo montium: vere in Domino Deo nostro salus Israel.

24. Confusio comedit (*s*) laborem patrum nostrorum ab adolescentia nostra, greges eorum & armenta eorum, filios eorum & filias eorum.

25. Dormiemus (*t*) in confusione nostra, & operiet nos ignominia nostra: quoniam Domino Deo nostro peccavimus nos, & patres nostri, ab adolescentia nostra usque ad diem hanc: & non audivimus vocem Domini Dei nostri.

CAPUT IV.

Ad veram, non fictam pœnitentiam Judæos invitat; tum obsidionem Jerusalem & ejus expugnationem prædicit.

1. SI reverteris Israel, ait Dominus, ad me convertere: si abstuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis (*a*).

2. Et

2. (*b*) Hebr. In colles, in loca excelsa: in directum quam longissime poteris.

3. (*c*) Tuis sceleribus cælum clausisti. *Serotinus imber* vere ineunte lætus esse solet segetibus.

4. (*d*) Qui custodis a prima ætate Synagogam: *Voca me*, habe me pro patre. *Numquid irasceris in perpetuum?* Verba sunt Dei, qui orationem componit, qua eum placemus. *Ecce locuta es*, statim atque locuta fueris.

5. (*e*) Poteris me flectere, si in hanc formam me roges.

6. (*f*) Rebellis; *Abiit sibimet*, suæ libidini permissa.

9. (*g*) Prona ad idololatriam adoravit tamquam deos lapides & ligna.

11. (*h*) Justam præstitit se præ Juda, qui in templo Dei posuit idolum Baal.

12. (*i*) Ad decem tribus, quæ erant in Assyria: *Quia sanctus ego sum*, Hebr. & LXX. Quoniam misericors ego sum. *Et non irascar in perpetuum*, in ira mea non persistam.

13. (*k*) Ad quærendos deos alienos per vias plurimas discurrens ivisti.

14. (*l*) Sept. Interpr. *Revertimini filii rebelles*, *Unum*, etiamsi unus tantum in civitate fuerit, introducam eum in Sion, in Ecclesiam. Usque ad vers. 20. Prophetia est de Christo & Ecclesia.

15. (*m*) Apostolos, Episcopos, presbyteros; *Et pascent vos in scientia & doctrina*; scientia ad mores, doctrina ad fidem videtur pertinere.

16. (*n*) Non jactabunt amplius legis Mosaicæ cæremonias, sublatis his umbris; amplectentur veram arcam divinæ gratiæ, Christum scilicet. *Ascendet*, nemo de ea cogitabit: *Nec visitabitur*, ut responsa a Deo accipiant.

17. (*o*) Ecclesiam, solium Domini, ubi regnat.

18. (*p*) Non erit ulla inter decem Tribus & Tribum Juda dissensio, omnes simul ad Ecclesiam Catholicam venient. Juxta historiam venient simul de Assyria, in qua decem tribus erant dispersæ; v. 19. promittitur æterna hæreditas.

21. (*q*) Judæi variis in locis dispersi suam deflent calamitatem.

23. (*r*) Dii erant mendaces & ficti, quos coluimus in montibus.

24. (*s*) Calamitas quæ confusionem parit, nos docuit, *Adolescentia*, Patribus nostris omnia in pejus ruere experti sumus.

25. (*t*) In miseriis nostris moriemur.

CAP. IV. 1. (*a*) Juxta textum Hebraicum hic est sensus ex Hieron. Si reverteris ad me, non emigrabis; ad me convertere, in gratiam meam redibis, si ad me fueris reversus.

2. Et jurabis: Vivit (*b*) Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia: & benedicent eum Gentes, ipsumque laudabunt.

3. Hæc enim dicit Dominus viro Juda, & Jerusalem: * Novate vobis novale (*c*), & nolite serere super spinas:

* Osee 10. 12.

4. Circumcidimini (*d*) Domino, & auferte præputia cordium vestrorum viri Juda, & habitatores Jerusalem: ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat, propter malitiam cogitationum vestrarum.

5. Annuntiate in Juda, & in Jerusalem auditum facite: loquimini, & canite tuba in terra: clamate fortiter, & dicite: Congregamini, & ingrediamur civitates munitas,

6. Levate signum (*e*) in Sion. Confortamini, nolite stare, * quia malum ego adduco ab Aquilone, & contritionem magnam.

* Sup. 1. 14.

7. Ascendit leo (*f*) de cubili suo, & prædo Gentium se levavit: egressus est de loco suo, ut ponat terram tuam in solitudinem: civitates tuæ vastabuntur, remanentes absque habitatore.

8. Super hoc (*g*) accingite vos ciliciis, plangite & ululate: quia non est aversa ira furoris Domini a nobis.

9. Et erit in die illa, dicit Dominus: Peribit cor regis, & cor principum: & obstupescent sacerdotes, & prophetæ consternabuntur.

10. Et dixi: Heu, heu, heu Domine Deus, ergone (*h*) decepisti populum istum & Jerusalem, dicens: Pax erit vobis: & ecce pervenit gladius usque ad animam?

11. In tempore illo dicetur populo huic & Jerusalem: Ventus urens (*i*) in viis, quæ sunt in deserto viæ filiæ populi mei, non ad ventilandum, & ad purgandum.

12. Spiritus (*k*) plenus ex his veniet mihi: & nunc ego loquar judicia mea cum eis.

13. Ecce quasi nubes ascendet, & quasi tempestas currus ejus: velociores aquilis equi illius: væ nobis quoniam vastati sumus.

14. Lava a malitia cor tuum Jerusalem, ut salva fias: usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?

15. Vox enim annuntiantis a Dan (*l*), & notum facientis idolum de monte Ephraim.

16. Dicite Gentibus: Ecce auditum est in Jerusalem custodes venire de terra longinqua, & dare super civitates Juda vocem suam.

17. Quasi custodes agrorum facti sunt super eam in gyro; quia me ad iracundiam provocavit, dicit Dominus.

18. * Viæ tuæ & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi: ista malitia tua, quia amara (*m*), quia tetigit cor tuum.

* Sup. 2. 3. & 5.

19. Ventrem (*n*) meum, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me: non tacebo, quoniam vocem buccinæ audivit anima mea, clamorem prælii.

20. Contritio (*o*) super contritionem vocata est, & vastata est omnis terra: repente vastata sunt tabernacula mea, subito pelles meæ.

21. Usquequo videbo fugientem, audiam vocem buccinæ?

22. Quia stultus populus meus me non cognovit: filii insipientes sunt, & vecordes: sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.

23. Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihili: & cælos, & non erat lux in eis.

24. Vidi montes, & ecce movebantur: & omnes colles conturbati sunt.

25. Intuitus sum, & non erat homo: & omne volatile cæli recessit.

26. Aspexi, & ecce Carmelus (*p*) desertus: & omnes urbes ejus destructæ sunt a facie Domini, & a facie iræ furoris ejus.

27. Hæc enim dicit Dominus: Deserta erit omnis terra, sed tamen consummationem (*q*) non faciam.

28. Lugebit terra, & mœrebunt cæli desuper: eo quod locutus sum, cogitavi, & non pœnituit me, nec aversus (*r*) sum ab eo.

29. A voce equitis, & mittentis sagittam, fugit omnis civitas: ingressi sunt ardua, & ascenderunt rupes: universæ urbes derelictæ sunt, & non habitat in eis homo.

30. Tu autem vastata quid facies? cum vestieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo, & pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris: contempserunt te amatores tui, animam tuam quærent.

31. Vocem enim quasi parturientis audivi, angustias ut puerperæ: Vox filiæ Sion intermorientis, expandentisque manus suas: væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos (*s*).

CA-

2. (*b*) Forma jurandi usitata in Veteri testamento, cujus hic est sensus; Quam verum est Dominum vivere, tam verum est &c. Veritas requiritur, ne falsum juretur; justitia, ne quid injustum; judicium, ne temere & in vanum; *Et jurabis, Vivit Dominus*: non alium Deum coles quam Dominum: juramentum enim est pars cultus divini.

3. (*c*) Novalia dicuntur quæ de novo teruntur: spirituali sensu, evulsis per pœnitentiam spinis, & præparato cordis solo, verum Dei cultum suscipere. Serere super spinas est, legem Dei suscipere, non subacto prius cordis agro spinarum pleno.

4. (*d*) Non carne, sed corde & animo; *&* *succendatur*, alludit ad spinas, quæ flammam facile concipiunt.

6. (*e*) Nolite stare attoniti & stupentes: mox futurum adventum Nabuchodonosoris describit. Hieron. *Levate crucis signum in sæcula, id est, in sublimitate Ecclesiæ*.

8. (*f*) Rex Chaldæorum, & nationum prædo.

8. (*g*) Propterea.

10. (*h*) Interrogando hoc dicit propheta, ut ostendat vaticinium illud cap. superioris de felicitate Jerusalem aliò pertinere: *Ergone decepisti populum istum*, per falsos prophetas decipi sivisti?

11. (*i*) Repentinus hostis adventus, qui est instar venti urentis, non ad ventilandum, aut purgandum, supple, sed ad perdendum; omnes occidet, aut captivos abducet.

12. (*k*) Spiritus vehemens jussu meo irruet. *Ex his*, e viis, qua iter est Jerusalem, vel spiritus fortior his quibus areæ purgari solent, veniet jussu meo; *Et nunc*, & tunc; *loquar judicia*, item ostendam quam juste eos puniam.

15. (*l*) Interposita inter Jerusalem & Babylonem: *Et notum faciens idolum*, dei Bel in vexillis Chaldæorum: *De monte Ephraim*, qua transituri erant.

18. (*m*) Malitia tua hanc calamitatem induxit.

19. (*n*) Viscera mea: loquitur in persona civitatis, vel Propheta dolorem suum exprimit, quasi tormina patiatur, & jam tubæ clamorem audiisset.

20. (*o*) Calamitas super calamitatem adducta est. Tabernacula e pellibus facta. Propheta ut fortius eos afficiat, cladem ut præsentem commemorat.

26. (*p*) Ager ante fertilis.

27. (*q*) Non penitus terram perdam. Chaldæi aliquos ad eam colendam relinquent. Hieronym. *Mista ira misericordiam Dei*.

28. (*r*) Non desistam a proposito.

31. (*s*) Hebr. Interfectores hostium, vel propter interfectos ob multitudinem interfectorum.

CAPUT V.

Adversus Judæorum scelera, luxuriam in primis & impietatem invehitur, simul & adhortatur ad pœnitentiam.

1. Circuite (a) vias Jerusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem: & propitius ero ei.

2. Quod si etiam, Vivit Dominus, dixerint: & hoc falso jurabunt.

3. Domine, oculi tui respiciunt fidem (b): percussisti eos, & non doluerunt: attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti.

4. Ego autem dixi: Forsitan pauperes (c) sunt & stulti, ignorantes viam Domini, judicium Dei sui.

5. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis, ipsi enim cognoverunt viam Domini, judicium Dei sui, & ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula.

6. Idcirco percussit (d) eos leo de silva, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum: omnis, qui egressus fuerit ex eis, capietur: quia multiplicatæ sunt prævaricationes eorum, confortatæ sunt aversiones eorum.

7. Super quo propitius tibi esse potero? filii tui dereliquerunt me, & jurant in his qui non sunt dii: saturavi eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur.

* Ezech. 22. 11. 8. Equi amatores, & emissarii (e) facti sunt: * Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.

9. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? & in gente tali non ulciscetur anima mea?

10. Ascendite muros ejus, & dissipate, consummationem (f) autem nolite facere: auferte propagines ejus, quia non sunt Domini.

11. Prævaricatione enim prævaricata est in me domus Israel, & domus Juda, ait Dominus.

12. Negaverunt Dominum, & dixerunt: Non est ipse: neque veniet super nos malum: gladium & famem non videbimus.

13. Prophetæ fuerunt in ventum locuti, & responsum non fuit in eis: hæc ergo evenient illis.

14 Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Quia locuti estis verbum istud: ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem (g), & populum istum in ligna, & vorabit eos.

15. Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo domus Israel, ait Dominus: gentem robustam, gentem antiquam, gentem, cujus ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur.

16. Pharetra ejus quasi sepulcrum (h) patens, universi fortes:

17. Et comedet segetes tuas, & panem tuum: devorabit filios tuos, & filias tuas: comedet gregem tuum, & armenta tua: comedet vineam tuam, & ficum tuam: & conteret urbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam, gladio.

18. Verumtamen in diebus illis, ait Dominus, non faciam vos in consummationem.

19. * Quod si dixeritis: Quare fecit nobis Dominus Deus noster hæc omnia? dices ad eos: Sicut dereliquistis (i) me, & servistis deo alieno in terra vestra, sic servietis alienis in terra non vestra. * Inf. 16. 10.

20. Annuntiate hoc domui Jacob, & auditum facite in Juda, dicentes:

21. Audi popule stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos, non videtis: & aures, & non auditis.

22. Me ergo non timebitis, ait Dominus: & a facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit: & commovebuntur, & non poterunt: & intumescent fluctus ejus, & non transibunt illud:

23. Populo autem huic factum est cor incredulum & exasperans, recesserunt & abierunt.

24. Et non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam (k) & serotinam in tempore suo, plenitudinem annuæ messis custodientem nobis.

25. Iniquitates vestræ declinaverunt (l) hæc: & peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis:

26. Quia inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros.

27. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo: ideo magnificati sunt & ditati.

28. Incrassati sunt & impinguati: & præterierunt sermones meos pessime. * Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt (m), & judicium pauperum non judicaverunt. * Isa. 1. 23. Zach. 7. 10.

29. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus: aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea?

30. Stupor & mirabilia (n) facta sunt in terra:

31. Prophetæ prophetabant mendacium (o), & sacerdotes applaudebant manibus suis: & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in novissimo ejus?

C A-

CAP. V. 1. (a) Incredibilem justorum paucitatem in civitate Jerusalem indicat; Et ero ei, seu viro, seu civitati; id enim ambiguum est. LXX. Propitius ero eis; saltem pauci intelliguntur hic, ut propter eos toti civitati possit ignosci.

3. (b) De qua prius dixerat, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem, seu veritatem, ut vertit Symmachus? quæ scilicet justitia est in promissis & factis.

4 (c) Imperita multitudo quæ legem Dei ignorat.

6. (d) Nabuchodonosor: Lupus, Nabuzardan; Lupus ad vesperam, qui noctu prædari solet. Aversiones, vehementer rebellationes contra me: quo jure potero tibi parcere?

8. (e) Libidine ferventes: vulgo Gall. des Etalons.

10 (f) Nolite ita eos delere, ut non reliquiæ salvæ fiant. Auferte propagines ejus, ita ut radices quædam supersint: propagines auferte, seu ramos extensos, & longiora sarmenta, quæ non dissecta in terram demittuntur.

14. (g) Ego faciam, ut quæ per te loquor sint efficacia sicut ignis, in ore Prophetæ.

16. (h) Præ multitudine eorum quos occidet.

19. (i) Deum ut Dominum suum agnoscere noluerunt, æquum fuit ut aliis dominis traderentur. Hebr. Si vos peregrina religio delectat habitare cum talibus; immo servite iis, quorum deos colitis.

14 (k) Post sationem; Serotinam; vernam.

25. (l) Averterunt pluviam, & messem a vobis beneficia mea prohibuerunt.

28. (m) Sept. Interpr. Non judicaverunt judicium pupilli, pupillis jus suum non reddiderunt.

30. (n) Hebr. Stupor & turpitudo; indigna res, quæ credatur ob turpitudinem.

31. (o) Hieron. Alii futura prædicunt, alii ex lege facienda decernunt; quid tandem facitis? pœnas dabitis acerbas. Falsi prophetæ falsa prædicabant, sacerdotes prave exponebant, populus falli amabat.

CAPUT VI.

Chaldæorum celerem adventum prænuntiat, ad pœnitentiam Judæos invitat, his ut reprobis & præfractis extrema quæque minitatur.

1. CONfortamini (*a*) filii Benjamin in medio Jerusalem, & in Thecua clangite buccina, & super Bethacarem levate vexillum: quia malum visum est ab Aquilone, & contritio magna.

2. Speciosæ & delicatæ assimilavi (*b*) filiam Sion.

3. Ad eam venient pastores, & greges eorum: fixerunt in ea tentoria in circuitu: pascet (*c*) unusquisque eos, qui sub manu sua sunt.

4. Sanctificate (*d*) super eam bellum: consurgite, & ascendamus in meridie: væ nobis, quia declinavit dies, quia longiores factæ sunt umbræ vesperi.

5. Surgite, & ascendamus in nocte, & dissipemus domos ejus.

6. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Cædite lignum ejus, & fundite circa Jerusalem aggerem: hæc est civitas visitationis, omnis calumnia in medio ejus.

7. Sicut frigidam fecit (*e*) cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam: iniquitas & vastitas audietur in ea, coram me semper infirmitas & plaga.

8. Erudire Jerusalem, ne forte recedat anima mea a te, ne forte ponam te desertam, terram inhabitabilem.

9. Hæc dicit Dominus exercituum: Usque ad racemum colligent quasi in vinea reliquias Israel: converte manum tuam quasi vindemiator ad cartallum (*f*).

10. Cui loquar? & quem contestabor ut audiat? ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt: ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, & non suscipient illud.

11. Idcirco furore Domini plenus sum, laboravi (*g*) sustinens: effunde super parvulum foris, & super consilium juvenum simul: vir enim cum muliere capietur, senex cum pleno dierum.

12. Et transibunt domus eorum ad alteros, agri & uxores pariter: quia extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus.

13. * A minore quippe usque ad majorem omnes avaritiæ student: & a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.

* Isai. 56. 11. Inf. 8. 10.

14. Et curabant (*h*) contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax: & non erat pax.

15. Confusi (*i*) sunt, quia abominationem fecerunt: quin potius confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt: quam ob rem cadent inter ruentes: in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus.

16. Hæc dicit Dominus: State (*k*) super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: * & invenietis refrigerium animabus vestris. Et dixerunt: Non ambulabimus.

* Matth. 11. 29.

17. Et constitui super vos speculatores. Audite vocem tubæ. Et dixerunt: Non audiemus.

18. Ideo audite Gentes, & cognosce congregatio, quanta ego faciam eis.

19. Audi terra: Ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum ejus: quia verba mea non audierunt, & legem meam projecerunt.

20. * Ut quid mihi thus de Saba affertis, & calamum suave olentem de terra longinqua? holocautomata vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi.

* Isa. 1. 11.

21. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo in populum istum ruinas, & ruent in eis patres & filii simul, vicinus & proximus peribunt.

22. Hæc dicit Dominus: Ecce populus venit de terra Aquilonis, & gens magna consurget a finibus terræ.

23. Sagittam & scutum arripiet: crudelis est, & non miserebitur: vox ejus quasi mare sonabit: & super equos ascendent, præparati quasi vir ad prælium, adversum te filia Sion.

24. Audivimus (*l*) famam ejus: dissolutæ sunt manus nostræ: tribulatio apprehendit nos, dolores ut parturientem.

25. Nolite (*m*) exire ad agros, & in via ne ambuletis: quoniam gladius inimici, pavor in circuitu.

26. Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere: luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repente veniet vastator super nos.

27. Probatorem (*n*) dedi te in populo meo robustum: & scies, & probabis viam eorum.

28. Omnes

CAP. VI. 1. (*a*) Contribules suos alloquitur, ut consurgant ad opem ferendam Jerusalem: *Et in Thecua*, urbs erat in monte posita, ibi Roboam armentarium suum collocarat; urbs illa sex millibus passibus a Bethlehem distabat: *Et super Bethacarem*, vicus erat medius inter Jerusalem & Thecuam positus, sic dictus quasi domus vineæ: *Levate vexillum*: Vatabl. Extollite *ignem & fumum*: ut hoc signo accolæ omnes sciant adesse hostes: ironia hæc videtur adversus Benjaminitas, qui in situ regionum spem suam posuerant.

2. (*b*) Nam summa facilitate ab hostibus capietur.

3. (*c*) Reges; principes vocat pastores.

4. (*d*) Solemni ritu bellum indicite contra Judæos. *Declinavit*, quanto ardore pugnaturi essent Chaldæi, insinuat; se ipsos excitant ad bellum: adeo ut dies illis breviores ad pugnandum videantur.

7. (*e*) Jerusalem scilicet: ut e cisterna effluit aqua frigida, sic malitia e Jerusalem; in Scriptura; quæ bona sunt, calori, quæ mala frigori tribui solent: horum corda nullis Dei beneficiis incalescunt; *Vastitas*, oppressio pauperum semper in ea, & video pauperes ab iis semper affligi.

9. (*f*) Collige: in cartallum, seu in canistrum, vulgo una *botte*, conjice: hoc dicit miles Chaldæus alteri militi: vindemiatores non convertunt manum ad canistrum; *in id enim racemi decidunt*; sed qui racemant, cum racemum invenerint, conversa manu illum in canistrum conjiciunt.

11. (*g*) Præteritum pro præsenti, id est, non possum me continere; *Effunde* verbum Domini, minare, annuntia, ut omnis ætas audiat.

14. (*h*) Falsi prophetæ ut sacerdotes timorem minuebant; *Cum ignominia*, perfunctorie quasi ludus esset.

15. (*i*) Confundentur, cum præter eorum opinionem hæc evenerint.

16 (*k*) Insistite mandatis Dei, considerate antiquas vivendi rationes: viæ illæ antiquæ nobis sunt doctrina orthodoxæ fidei, & sanctæ conversationis, a quibus qui aberrant, ut hæretici, *non invenient refrigerium animabus suis*.

24. (*l*) Propheta sic loquentem populum inducit.

25. (*m*) Judæi alii alios alloquuntur.

27. (*n*) Conflatorem dedi te, o Jeremia; sed nihil invenies, præter æs & ferrum.

28. Omnes isti principes declinantes (*o*), ambulantes fraudulenter, æs & ferrum: universi corrupti sunt.

29. Defecit sufflatorium (*p*), in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator: malitiæ enim eorum non sunt consumptæ.

30. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos.

CAPUT VII.

Non salvabit Judæos templum, cum pessima quæque patrent scelera, & Prophetas audire nolint. Idcirco templum abjiciendum, & terra Juda in solitudinem redigenda.

1. VErbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, dicens:

2. Sta in porta Domus Domini, & prædica ibi verbum istud, & dic: Audite verbum Domini omnis Juda, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum.

3. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel; * Bonas facite vias (*a*) vestras, & studia vestra: & habitabo vobiscum in loco isto. *Inf. 26. 13.

4. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum (*b*) Domini, templum Domini, templum Domini est.

5. Quoniam si bene direxeritis vias vestras, & studia vestra: si feceritis judicium inter virum & proximum ejus,

6. Advenæ, & pupillo, & viduæ non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, & post deos alienos non ambulaveritis in malum vobismetipsis:

7. Habitabo vobiscum in loco isto: in terra quam dedi patribus vestris a sæculo & usque in sæculum.

8. Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis:

9. Furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare Baalim, & ire post deos alienos, quos ignoratis.

10. Et venistis, & stetistis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum, & dixistis: Liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas.

11. * Numquid ergo spelunca (*c*) latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris? ego, ego sum: ego vidi, dicit Dominus. *Matth. 21. 13. Marc. 11. 17. Luc. 19. 46.

12. Ite (*d*) ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio: & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel:

13. Et nunc, quia fecisti omnia opera hæc, dicit Dominus: & locutus sum ad vos mane consurgens, & loquens, & non audistis: * & vocavi vos, & non respondistis: * Prov. 1. 24. Isa 65. 12.

14. * Faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam: & loco, quem dedi vobis & patribus vestris, sicut feci Silo. * 1. Reg. 4. 2. & 10.

15. Et projiciam vos a facie mea, sicut projeci omnes fratres vestros, universum semen Ephraim.

16. * Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas (*e*) mihi: quia non exaudiam te. *Inf. 11. 14. & 14. 11.

17. Nonne vides quid isti faciunt in civitatibus Juda, & in plateis Jerusalem?

18. Filii colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt (*f*) adipem, ut faciant placentas reginæ cæli, & libent diis alienis, & me ad iracundiam provocent.

19. Numquid me ad iracundiam (*g*) provocant, dicit Dominus? nonne semetipsos in confusionem vultus sui?

20. Ideo hæc dicit Dominus Deus: Ecce furor meus & indignatio mea conflatur super locum istum, super viros, & super jumenta, & super lignum regionis, & super fruges terræ, & succendetur, & non extinguetur.

21. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Holocautomata (*h*) vestra addite victimis vestris, & comedite carnes.

22. Quia non sum locutus (*i*) cum patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de Terra Ægypti, de verbo holocautomatum, & victimarum.

23. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis.

24. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam: sed abierunt in voluntatibus, & in pravitate cordis sui mali: factique sunt retrorsum (*k*) & non in ante,

25. A die qua egressi sunt patres eorum de Terra Ægypti, usque ad diem hanc. Et misi ad vos omnes servos meos prophetas per diem consurgens diluculo, & mittens.

26. Et

28. (*o*) Rebelles, & a me deficientes.

29. (*p*) Folles quibus excitatur ignis: clamando fatigatus sum. *Plumbum*: omnia purgationum genera in castigandis & repurgandis Judæi consumpta sunt.

CAP. VII. 3. (*a*) Mores vestros corrigite: ibi liberum hominis arbitrium, quo bona facere potest adjuvante gratia, hoc in loco, multisque in aliis commendatur.

4. (*b*) Eos arguit, qui cum male viverent, sibi tuta omnia promittebant, quod apud eos esset templum Domini. Hieron. *Illud enim est templum Domini, in quo habitat vera fides, sancta conversatio.*

11. (*c*) Hieron. *De hoc loco in Evangelio assumptum puto, Scriptum est, Domus Patris mei, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Sive, ut in alio Evangelio scriptum est, *domum negotiationis*, Joann 2. 12. In oculis vestris, opinione ac judicio vestro, ut in templum, tamquam in speluncam latronum vos recipiatis.

12. (*d*) Considerate quomodo egerim cum Silo, ubi erat tabernaculum meum: nolite confidere in vestro templo: nam ut destruxi Silo, ita & templum propter peccata vestra destruam.

16. (*e*) Ac si Deus impediatur Sanctorum oratione, ne impios puniat. Non vetat Sanctos orare pro nobis, sed pro iis tantum qui sunt obfirmati in peccato, quos Deus scit non redituros in viam.

18. (*f*) Hebr. Ponunt conspersionem farinaceam, aquam, salem, butyrum, vel adipem ad placentas conficiendas reginæ cæli, lunæ scilicet, cui sacrificare solebant.

19. (*g*) Non mihi, sed sibi ipsis nocent.

21. (*h*) Ironice loquitur: cumulate sacrificia, nihil vobis proderunt, nisi mores vestros mutaveritis.

22. (*i*) Mox ab egressu de Ægypto dedit Decalogum; postquam peccaverunt in vituli adoratione, præcepta dedit eis de sacrificiis offerendis, ne deflecterent ad idola: unde hæc quasi secundario addita sunt ex occasione, nec in iis summa pietatis consistit. Jam de agno Paschali ex caussa peculiari præceperat Deus: sed tot cæremonialium præceptorum congeries ex occasione tantum fuit præscripta. Deinde loquitur Deus comparate, ut Osee 6. *Misericordiam volo, non sacrificium*; malo misericordiam, nolo sacrificium sine misericordia.

24. (*k*) Ollas Ægyptiorum magis desiderantes, quam bona a Deo promissa: facti sunt pejores in dies usque ad diem hanc.

26. Et non audierunt me, nec inclinaverunt aurem suam: sed induraverunt cervicem suam:
*Inf. 16. 12. * & pejus operati sunt, quam patres eorum.

27. Et loqueris ad eos omnia verba hæc, & non audient (l) te; & vocabis eos, & non respondebunt tibi.

28. Et dices ad eos: Hæc est gens, quæ non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam: periit fides, & ablata est de ore eorum.

29. Tonde (m) capillum tuum, & projice, & sume in directum planctum: quia projecit Dominus, & reliquit generationem furoris sui,

30. Quia fecerunt filii Juda malum in oculis meis, dicit Dominus. Posuerunt offendicula sua in domo, in qua invocatum est nomen meum, ut pollurerent eam:

31. Et ædificaverunt excelsa Topheth, quæ est in Valle filii Ennom: ut incenderent filios suos & filias suas igni: quæ non præcepi, nec cogitavi in corde meo.

32. Ideo ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicetur amplius, Topheth (n), & vallis filii Ennom: sed Vallis interfectionis: & sepelient in Topheth, eo quod non sit locus.

33. Et erit morticinum populi hujus in cibos volucribus cæli, & bestiis terræ, & non erit qui abigat.

*Ezech. 26. 13. 34. * Et quiescere faciam de urbibus Juda, & de plateis Jerusalem, vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ: in desolationem enim erit terra.

CAPUT VIII.

Quod Reges, Optimates, Sacerdotes, Pseudo-Propheta ac reliquus populus ad idololatriam sint conversi, iique studuerint avaritiæ & idololatriæ, ac Dominum provocantes noluerint resipiscere, acerbiora quoque mala ab hostibus crudelissimis patientur.

1. IN illo tempore, ait Dominus: Ejicient (a) ossa regum Juda, & ossa principum ejus, & ossa sacerdotum, & ossa prophetarum, & ossa eorum qui habitaverunt Jerusalem, de sepulcris suis:

2. Et expandent ea ad solem, & lunam, & omnem militiam cæli, quæ dilexerunt, & quibus servierunt, & post quæ ambulaverunt, & quæ quæsierunt, & adoraverunt: non colligentur, & non sepelientur: in sterquilinium super faciem terræ erunt.

3. Et eligent magis mortem quam vitam omnes qui residui fuerint de cognatione hac pessima in universis locis, quæ derelicta sunt, ad quæ ejeci eos, dicit Dominus exercituum.

4. Hæc dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Numquid qui cadit, non resurget (b)? & qui aversus est, non revertetur?

5. Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem aversione contentiosa? Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti.

6. Attendi, & auscultavi: nemo quod bonum est loquitur, nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? Omnes conversi sunt ad cursum (c) suum, quasi equus impetu vadens ad prælium.

7. Milvus in cælo cognovit tempus (d) suum: turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini.

8. Quomodo dicitis: Sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum (e).

9. Confusi sunt sapientes, perterriti & capti sunt: verbum enim Domini projecerunt, & sapientia nulla est in eis.

10. Propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum hæredibus (f): quia * a minimo *Isa. 56. 11.
usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur: a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium. Sup. 6. 13.

11. Et sanabant (g) contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes: Pax, pax: cum non esset pax.

12. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quinimmo confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt: idcirco cadent inter corruentes, in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus.

13. Congregans congregabo (h) eos, ait Dominus: non est uva in vitibus, & non sunt ficus in ficulnea, folium defluxit: & dedi eis quæ prætergressa sunt.

14. Quare sedemus (i)? convenite, & ingrediamur civitatem munitam, & sileamus ibi: quia Dominus Deus noster silere nos fecit, & potum dedit nobis * aquam fellis: peccavimus *Inf. 9. 15.
enim Domino.

15. * Expectavimus pacem, & non erat bonum: tempus medelæ, & ecce formido. *Inf. 14. 19.

16. A Dan auditus est fremitus equorum ejus, a voce hinnituum pugnatorum ejus commota est omnis terra, & venerunt, & devoraverunt terram, & plenitudinem ejus: urbem & habitatores ejus.

17. Quia ecce ego mittam vobis serpentes (k) regulos, quibus non est incantatio: & mordebunt vos, ait Dominus.

18. Dolor

27. (l) Hieron. *Tantæ erant superbiæ, ut cum vocaveris eos ad audiendum, nullus respondere dignetur.*

29. (m) O Jerusalem, in signum luctus, *sume in directum planctum*, contenta voce clama in altum: *Et reliquit generationem*, contra quam furor ejus incensus est. Deus jubebat interdum Prophetas non solum verbis, sed etiam factis illustribus res futuras exprimere.

32. (n) Nam vox Ennom palcrum significat; *Sed Vallis interfectionis*, quia plurimi ibi occidentur. *Excelsa Topheth*, altaria in excelsis collibus.

CAP. VIII. 1. (a) Chaldæi violabunt, seu ex sævitia, seu ex cupiditate aurum, vel res pretiosas cum cadaveribus sepultas inveniendi: mos enim Judæorum erat, ut reges cum aureis coronis sepelirent.

4. (b) An quisquam est ita perversus, ut ad Deum non se convertat?

6. (c) Ad peccandi consuetudinem.

7. (d) Aeris mutationes; *Populus*, ad ea quæ sunt salutis suæ, obstupescit.

8. (e) Qui legem verbis & factis pervertunt; falluntur ex perversa interpretatione scribarum.

10. (f) Alienis qui eos occupabunt.

11. (g) Hieron. hæc applicat sacerdotibus, qui divitibus prospera omnia promittunt: Estius confessoribus, qui oleum infundunt in vulnera, non vinum; qui peccatoribus manus facile imponunt, nec securim ad radicem ponunt. Hieronymus: *Vox populi respondentis inducitur, & sua vitia confitentis; personarum mutatio, & maxime in Prophetis, difficilem intellectum facit: quod si suis locis, & caussis, temporibusque reddantur, plana fient quæ videbantur obscura.*

13. (h) In Jerusalem ibi obsidendos. Uvas, minatur famem; *Prætergressa sunt*, quæ derelicta sunt a Chaldæis; vel quæ iis dederam, e manibus excident; quæ iis dabo, eos prætergredientur, hæc non comedent, sed hostes: vel vivent ex iis quæ hostes reliquerunt.

14. (i) Desides in locis non munitis.

17. (k) Chaldæi sunt serpentes, qui placari non possunt, aut incantari, adeo sunt crudeles.

18. Dolor (*l*) meus super dolorem, in me cor meum mœrens.

19. Ecce vox clamoris filiæ populi mei de terra longinqua (*m*): Numquid Dominus non est in Sion, aut rex ejus non est in ea? Quare ergo me ad iracundiam concitaverunt in sculptilibus suis, & in vanitatibus alienis?

20. Transiit messis, finita est æstas (*n*), & nos salvati non sumus.

21. Super contritione filiæ populi mei contritus sum, & contristatus, stupor obtinuit me.

22. Numquid resina non est in Galaad (*o*)? aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?

CAPUT IX.

Luget Propheta vicem populi sui; omnes dolose agunt: in solo Deo ejusque cognitione gloriandum, qui puniet tam Gentiles, quam filios Israel incircumcisos corde.

1. QUis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.

2. Quis dabit (*a*) me in solitudine diversorium viatorum, & derelinquam populum meum, & recedam ab eis? quia omnes adulteri sunt, cœtus prævaricatorum.

3. Et extenderunt (*b*) linguam suam quasi arcum mendacii, & non veritatis: confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, & me non cognoverunt, dicit Dominus.

4. Unusquisque se a proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.

5. Et vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquentur: docuerunt enim linguam suam loqui mendacium: ut inique agerent, laboraverunt.

6. Habitatio tua in medio doli (*c*): in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus.

7. Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego conflabo (*d*), & probabo eos: quid enim aliud faciam a facie filiæ populi mei?

* Ps. 27. 3. 8. * Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est: in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occulte ponit ei insidias.

9. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut in Gente hujusmodi non ulciscetur anima mea?

10. Super (*e*) montes assumam fletum ac lamentum, & super speciosa deserti planctum: quoniam incensa sunt, eo quod non sit vir pertransiens: & non audierunt vocem possidentis: a volucre cæli usque ad pecora transmigraverunt & recesserunt.

11. Et dabo Jerusalem in acervos arenæ, & cubilia draconum: & civitates Juda dabo in desolationem, eo quod (*f*) non sit habitator.

12. Quis est vir sapiens, qui intelligat hoc, & ad quem verbum oris Domini fiat ut annunciet istud, quare perierit terra, & exusta sit quasi desertum, eo quod non sit qui pertranseat?

13. Et dixit Dominus: Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, & non audierunt vocem meam, & non ambulaverunt in ea:

14. Et abierunt post pravitatem cordis sui, & post Baalim: quod didicerunt a patribus suis.

15. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: * Ecce ego cibabo populum istum * Inf. 23. 15.
absinthio (*g*), & potum dabo eis aquam fellis.

16. Et dispergam eos in Gentibus, quas non noverunt ipsi & patres eorum: & mittam post eos gladium, donec consumantur (*h*).

17. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Contemplamini, & vocate lamentatrices, & veniant: & ad eas, quæ sapientes sunt, mittite, & properent:

18. Festinent, & assumant super nos lamentum: deducant oculi nostri lacrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis.

19. Quia vox lamentationis audita est de Sion: Quomodo vastati sumus & confusi vehementer? quia dereliquimus terram, quoniam dejecta sunt tabernacula nostra.

20. Audite ergo mulieres verbum Domini: & assumant aures vestræ sermonem oris ejus: & docete filias vestras lamentum, & unaquæque proximam suam planctum:

21. Quia ascendit (*i*) mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras, disperdere parvulos deforis, juvenes de plateis.

22. Loquere: Hæc dicit Dominus: Et cadet morticinum hominis quasi stercus super faciem regionis, & quasi fœnum post tergum metentis, & non est qui colligat.

23. Hæc dicit Dominus: * Non glorietur (*k*) * 1. Cor. 1.
sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis 31.
in fortitudine sua, & non glorietur dives in 2. Cor. 10. 17.
divitiis suis:

24. Sed

18. (*l*) Verba sunt Jeremiæ.

19. (*m*) Hebr. *Propter terram*, metu eorum qui veniunt de terra longinqua; *Numquid Dominus*: Ut autem vox clamoris sit in Jerusalem, & clamor ipse veniat de terra longinqua, caussa manifesta est, quod Dominus non sit in ea, & Rex illius recesserit ab illa. Hieron.

20. (*n*) In qua Ægyptii se nobis opem laturos promiserant: sed nusquam comparent: ridet eos Deus recitans eorum verba: vel juxta Hieronymum, rursus populus loquitur.

22. (*o*) Aromatum feraci: an defuerunt prophetæ & sacerdotes, qui verbis, consiliis, monitis, & orationibus tot malis mederentur? Galaad nominat, quia Elias & alii Prophetæ ibi habitarunt. *Quare igitur non est obducta cicatrix?* Quia populus curari noluit.

CAP. IX. 2. (*a*) Hebr. & LXX Quis det mihi? Id optat Propheta, ne videat populi flagitia.

3. (*b*) Linguam arcui, verba sagittis comparat; *Confortati*, potentes fuerunt pejores facti.

6. (*c*) Verba sunt Dei ad Jeremiam. *In dolo*, negarunt cum dolo se Deum cognoscere. LXX. Usura super usuram, & dolus super dolum.

7. (*d*) Sept. Interpr. Examinabo eos igne, ita ut non consumam eos; *A facie*, in gratiam populi mei, nisi ut castigem eum citra consumptionem; LXX. *Quid faciam a facie filiæ populi mei?*

10. (*e*) Hebr. Propter montes Jerusalem, qui ab hostibus incensi sunt; *Et super speciosa deserti*, propter amœnitates deserti: LXX. Super semitas deserti, quod ita vastatum est, ut neque homines, neque bestiæ per ejus semitas transeant. Loquitur Propheta, & luget fertilem terram in desertum conversam.

11. (*f*) Ut non sit: *In acervos arenæ*, rudentum.

15. (*g*) Voluptates illicitas absinthio diluam, ut populum meum ab iis, qui illum decipiunt, omnino deterream. Primum absinthio, ac tandem eos felle potat, cum punit.

16. (*h*) Non totum genus Judæorum: nam contrarium promisit cap. 5. 10. sed singuli, quos propter peccata puniet usque ad mortem.

21. (*i*) Hostes in nos nec opinantes irruerunt.

23. (*k*) Nec sapientem sapientia, nec fortem fortitudo, sed fides & cultus Dei liberabit.

24. Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & judicium, & justitiam in terra: hæc enim placent mihi, ait Dominus.

25. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & visitabo super omnem, qui circumcisum (*l*) habet præputium,

26. Super Ægyptum (*m*), & super Juda, & super Edom, & super filios Ammon, & super Moab, & super omnes qui attonsi sunt in comam, habitantes in deserto: quia omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde.

CAPUT X.

Non est timenda cælestis constellatio, nec vanissima ac imbecillia idola; sed Dominus qui solus est Deus, creator ac gubernator omnium, qui vastabit peccatores.

1. AUdite verbum, quod locutus est Dominus super vos domus Israel.

2. Hæc dicit Dominus: Juxta vias Gentium nolite discere: & a signis (*a*) cæli nolite metuere, quæ timent Gentes:

3. Quia leges (*b*) populorum vanæ sunt: quia * lignum de saltu præcidit opus manus artificis in ascia. * Sap. 13. 11. & 14. 8.

4. Argento & auro decoravit illud: clavis & malleis compegit, ut non dissolvatur.

5. In similitudinem palmæ (*c*) fabricata sunt, & non loquentur: portata tollentur, quia incedere non valent. Nolite ergo timere ea, quia nec male possunt facere, nec bene.

6. * Non est similis tui Domine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Mich. 7. 18.

7. * Quis non timebit te o rex Gentium? tuum est enim decus: inter cunctos sapientes Gentium, & in universis regnis eorum nullus est similis tui. * Apoc. 15. 4.

8. Pariter insipientes & fatui probabuntur (*d*): doctrina vanitatis eorum lignum est.

9. Argentum involutum (*e*) de Tharsis affertur, & aurum de Ophaz: opus artificis, & manus ærarii: hyacinthus & purpura indumentum eorum: opus artificum universa hæc.

10. Dominus autem Deus verus est: ipse Deus vivens, & rex sempiternus: ab indignatione ejus commovebitur terra: & non sustinebunt Gentes comminationem ejus.

11. Sic ergo dicetis (*f*) eis: Dii, qui cælos & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his quæ sub cælo sunt.

12. * Qui facit (*g*) terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit cælos. * Gen. 1. 1. Isa. 51. 15.

13. Ad vocem (*h*) suam dat multitudinem aquarum in cælo, & elevat nebulas ab extremitatibus terræ: * fulgura in pluviam facit, & educit ventum de thesauris suis. * Ps. 134. 7. Inf. 51. 16.

14. Stultus factus est omnis homo a scientia (*i*), confusus est artifex omnis in sculptili: quoniam falsum est quod conflavit, & non est spiritus in eis.

15. Vana sunt, & opus risu dignum: in tempore visitationis suæ peribunt.

16. Non est his similis pars (*k*) Jacob; qui enim formavit omnia, ipse est: & Israel virga hæreditatis ejus: Dominus exercituum nomen illi.

17. Congrega de terra confusionem (*l*) tuam, quæ habitas in obsidione.

18. Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego longe projiciam habitatores terræ in hac vice: & tribulabo eos ita ut inveniantur (*m*).

19. Væ mihi super contritione (*n*) mea, pessima plaga mea. Ego autem dixi: Plane hæc infirmitas mea est, & portabo illam.

20. Tabernaculum (*o*) meum vastatum est, omnes funiculi mei dirupti sunt, filii mei exierunt a me, & non subsistunt: non est qui extendat ultra tentorium meum, & erigat pelles meas.

21. Quia stulte egerunt pastores, & Dominum non quæsierunt: propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est.

22. Vox auditionis (*p*) ecce venit, & commotio magna de terra Aquilonis, ut ponat civitates Juda solitudinem, & habitaculum draconum.

23. Scio

25. (*l*) Non discernam inter Judæos & Gentiles, quia Judæi sunt incircumcisi corde.

26. (*m*) Inter eos qui circumcisi erant, annumerat Ægyptios, Moabitas &c. quia ex iis multi erant circumcisi. Hieron. Qui Judææ Palæstinæque confines sunt populi, præcipue Ægyptii, & Idumæi, Ammonitæ, & Moabitæ; *Qui attonsi sunt in comam*, ut Arabes teste Hieronym. quod vetitum erat Hebræis, ut ab iis gentibus secernerentur. Quia omnes Gentes habent præputium, præter eas, quas enumeravit, quæque tales sunt intus, quales foris, nec fingunt ut Judæi carne circumcisi, non corde.

CAP. X.

2. (*a*) Qui locus adversus genethliacos permagni est ponderis. Hi quippe omnia vi siderum gubernari putant: quæ facta quidem sunt in signa, seu in dies & annos.

3. (*b*) Quibus præscribunt ritum, quo idola colenda sint.

5. (*c*) Procera, comata, sed intus inania: atque instar palmæ pulcra sunt; sed incedere, aut loqui non possunt.

8. (*d*) Facile est probare eos esse stultos: signum ipsum, ex quo deos suos fabricant, probat eorum vanitatem.

9. (*e*) In laminas deductum & complicatum: *De Tharsis affertur*, Chald. ex Africa; *Et aurum de Ophaz*, de Ophir: de quo fuse diximus in Præfat. lib. 3. Reg. ex Illustrissimo Huetio.

11. (*f*) Versiculus ille Chaldaice scriptus est, ut populum doceat verba, quibus uti debeat, ubi cum Chaldæis loquetur. *Et de his quæ sub cælo sunt*; Chaldaice, *Et de sub cælis istis*.

12. (*g*) Supple. Ille verus est Deus, qui fecit terram.

13. (*h*) Tonitru sequitur pluvia. Psalm. 28. *Vox Domini super aquas*.

14. (*i*) Scientia artificis eum ipsum stultum ostendit, ex arte qua fabricat idolum, stultus factus est. Hebr. Absque scientia.

16. (*k*) Deus noster, qui est hæreditas Jacob; *Et Israel virga*, peculiaris populus ejus, & virga hæreditatis.

17. (*l*) Idola tua: LXX. Substantiam tuam, opes nihil tibi profuturas nisi ad confusionem tuam. *Qui habitas in obsidione*, o Jerusalem, Chald. In munitione, vel mox obsidenda.

18. (*m*) In urbe conclusi, nec possint effugere, & pereant.

19. (*n*) Verba sunt populi: *Plane hæc infirmitas mea est*, digna peccatis patior.

20. (*o*) Jerusalem: jam ædificia urbis ut tabernacula considerat, quæ facile diruuntur. *Funiculi mei*, vicini pagi, quibus civitas quæque sustentatur.

22. (*p*) Vox alta & clara, & commotio magna, magnus belli tumultus.

23. Scio Domine quia non eſt hominis via ejus: nec viri eſt ut ambulet, & dirigat greſſus (q) ſuos.

* Pſ. 6. 1. 24. * Corripe me Domine, verumtamen in judicio (r), & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.

* Pſ. 78. 6. 25. * Effunde indignationem tuam ſuper Gentes, quæ non cognoverunt te; & ſuper provincias, quæ nomen tuum non invocaverunt: quia comederunt Jacob, & devoraverunt eum, & conſumpſerunt illum, & decus ejus diſſipaverunt.

CAPUT XI.

Cum Judæi pactum patribus datum ſervare nolint, & idololatriam abjicere, Deus iis inferet mala, e quibus exire non poterunt; vetat Deus ne Propheta pro iis oret; Jeremias Chriſti typus: Et ego quaſi agnus manſuetus &c.

1. VErbum, quod factum eſt a Domino ad Jeremiam, dicens:

2. Audite verba pacti hujus, & loquimini ad viros Juda, & habitatores Jeruſalem,

3. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Maledictus vir, qui non audierit verba pacti hujus,

4. Quod præcepi patribus veſtris, in die qua eduxi eos de Terra Ægypti, de fornace ferrea (a), dicens: Audite vocem meam, & facite omnia quæ præcipio vobis, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum:

5. Ut ſuſcitem (b) juramentum, quod juravi patribus veſtris daturum me eis terram fluentem lacte & melle, ſicut eſt dies hæc. Et reſpondi, & dixi: Amen Domine.

6. Et dixit Domnus ad me; Vociferare omnia verba hæc in civitatibus Juda, & foris (c) Jeruſalem, dicens: Audite verba pacti hujus, & facite illa:

7. Quia conteſtans conteſtatus ſum patres veſtros, in die qua eduxi eos de Terra Ægypti, uſque ad diem hanc: mane conſurgens conteſtatus ſum, & dixi: Audite vocem meam:

8. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem ſuam: ſed abierunt unuſquiſque in pravitate cordis ſui mali: & induxi ſuper eos omnia verba (d) pacti hujus, quod præcepi ut facerent, & non fecerunt.

9. Et dixit Dominus ad me: Inventa eſt conjuratio (e) in viris Juda, & in habitatoribus Jeruſalem.

10. Reverſi ſunt ad iniquitates patrum ſuorum priores, qui noluerunt audire verba mea: & hi ergo abierunt poſt deos alienos, ut ſervirent eis: irritum fecerunt domus Iſrael & domus Juda pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum.

11. Quam ob rem hæc dicit Dominus: Ecce ego inducam ſuper eos mala, de quibus exire non poterunt: & clamabunt ad me, & non exaudiam eos.

12. Et ibunt civitates Juda, & habitatores Jeruſalem, & clamabunt ad deos, quibus libant, & non ſalvabunt eos in tempore afflictionis eorum.

13. * Secundum numerum enim civitatum tuarum, erant dii tui Juda: & ſecundum numerum viarum (f) Jeruſalem, poſuiſti aras confuſionis, aras ad libandum Baalim. * Sup. 2. 28.

14. * Tu ergo noli orare (g) pro populo hoc, & ne aſſumas pro eis laudem & orationem: quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum. * Sup. 7. 16. Inf. 14. 11.

15. Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? numquid carnes ſanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es?

16. Olivam uberem, pulcram, fructiferam, ſpecioſam, vocavit (h) Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ, grandis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta ejus.

17. Et Dominus exercituum qui plantavit te, locutus eſt ſuper te malum: pro malis domus Iſrael, & domus Juda, quæ fecerunt ſibi ad irritandum me, libantes Baalim.

18. Tu autem Domine demonſtraſti mihi, & cognovi: tunc oſtendiſti mihi ſtudia eorum.

19. Et ego quaſi agnus manſuetus (i), qui portatur ad victimam: & non cognovi quia cogitaverunt ſuper me conſilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.

20. * Tu

23. (q) Non eſt in poteſtate hominis, ut ad effectum perducat cogitationes ſuas: nam multis modis impediri poſſunt; vel ex Auguſt. non eſt in poteſtate hominis, ut ſine divinæ gratiæ adjutorio greſſus ſuos, ſeu actiones dirigat. Hieron. *Erubeſcant novi prædicatores, qui ajunt unumquemque ſuo arbitrio regi:* Pelagianos intelligit.

24. (r) Hoc loco judicium ſumitur pro miſericordia.

CAP. XI. 4. (a) Tamquam de fornace, in qua ferrum funditur.

5. (b) Ut de novo impleam pactum, quod intermortuum videtur; *Et dixi: Amen Domine*, ita faciam ut juſſiſti. Hæc dicam viris Juda.

6. (c) In oppidis vicinis.

8. (d) Omnes maledictiones, quas pacti Deuteron. 28. concepti violatoribus fueram comminatus.

9. (e) Quaſi conjuratione facta defecerunt a me.

13. (f) Vox Hebræa oppidum ſignificat: tot coluiſti deos, quot habuiſti oppida, aut vicos.

14. (g) Rationem affert; *Quia non exaudiam*; fruſtra enim orat qui ſcit non ſe exauditum iri: idque intelligendum eſt de pœna temporali, non item de pœnis æternis: nam tenemur omnibus ſalutem æternam optare, quamdiu nobis non conſtat per revelationem de contraria Dei voluntate. *Et ne aſſumas pro eis laudem*; alii vertunt clamorem.

16. (h) Fecit, ſimilis fuit olivæ virenti: *Ad vocem*, loquente & jubente Deo exarſit furor Chaldæorum; *Et fruteta*, Hebr. Rami ejus altiſſimi, principes ejus occiſi.

19. (i) Chald. Electus; de Jeremia ut de typo, & de Chriſto ut de re figurata hæc dicta ſunt. Unde Hieronym. in hunc locum: *Ut omni interpretationis moleſtia liberemur, illam ſequamur regulam, quod omnes Prophetæ in typum Domini Salvatoris pleraque geſſerunt, & quidquid juxta præſens tempus completum ſit in Jeremia, hoc in futurum de Domino prophetari.* Corruperunt quidam Judæi temporibus Juſtini Martyris hunc locum, adeo ut hanc pericopen reſecuerint in multis exemplaribus, tametſi in aliis reperiretur. *Mittamus lignum in panem ejus*, juxta Eccleſiarum conſenſum, ut ait Hieronym. id intelligendum de Chriſto Domino, qui quaſi agnus ductus ad victimam, non aperuit os ſuum; *Et non cognovit*, intellige peccatum, ex Hieron. vel fuit quaſi non cognoſcens ea quæ contra eum cogitabantur conſilia, cujus inimici dixerunt; *Mittamus lignum in panem ejus*, dum crucem ejus corpori pararunt, qui vere dixit Joann. 6. *Ego ſum panis qui de cælo deſcendi.* Quæ utique obſtant, quominus ad litteram de Jeremia intelligantur. Hebr. *Corrumpamus lignum in panem;* pro cibo paſcamus eum ligno, fuſte, vel cruce. Veteres per panem intelligunt carnem Chriſti. Alia verſio, *Corrumpatur per trabem cibo ejus, & per lignum fortitudo ipſius*. Unde Hieron. in hunc locum; *Judæi judaizantes hæc ex perſona Jeremiæ dici intelligunt, ſed neſcio quomodo poſſint approbare Jeremiam crucifixum fuiſſe, cum hæc Scriptura non memoret.*

*Inf. 17. 10. & 20. 12. 20. * Tu autem Domine Sabaoth, qui judicas juste, & probas renes & corda, videam ultionem (*k*) tuam ex eis: tibi enim revelavi causam meam.

21. Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam, & dicunt: Non prophetabis (*l*) in nomine Domini, & non morieris in manibus nostris.

22. Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego visitabo super eos: juvenes morientur in gladio, filii eorum & filiæ eorum morientur in fame.

23. Et reliquiæ non erunt ex eis: inducam enim malum super viros Anathoth, annum visitationis (*m*) eorum.

CAPUT XII.

Miratur Propheta improborum prosperitatem, qui tamen parantur ad diem occisionis: pastores demoliti sunt vineam Domini, ideo traditur in dissipationem; cujus tamen rursum miserebitur Dominus.

1. JUstus (*a*) quidem tu es Domine, si disputem tecum: verumtamen justa loquar
*Ps. 51. 6. Job 21. 7. Habac. 1. 13. ad te: * Quare via impiorum prosperatur: bene est omnibus, qui prævaricantur, & inique agunt?

2. Plantasti (*b*) eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum: prope es tu ori eorum, & longe a renibus eorum.

3. Et tu Domine nosti me, vidisti me, & probasti cor meum tecum, congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica (*c*) eos in die occisionis.

4. Usquequo lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur propter malitiam habitantium in ea? consumptum est animal, & volucre, quoniam dixerunt: Non videbit (*d*) novissima nostra.

5. Si cum peditibus currens laborasti (*e*): quomodo contendere poteris cum equis? cum autem in terra pacis securus fueris, quid facies in superbia Jordanis?

6. Nam & fratres tui, & domus patris tui, etiam ipsi pugnaverunt adversum te, & clamaverunt post te plena voce: ne credas eis cum locuti fuerint tibi bona.

7. Reliqui domum (*f*) meam, dimisi hæreditatem meam: dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.

8. Facta est mihi hæreditas (*g*) mea quasi leo in silva: dedit contra me vocem, ideo odivi eam.

9. Numquid avis discolor (*h*) hæreditas mea mihi? numquid avis tincta per totum? venite, congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad devorandum.

10. Pastores (*i*) multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam: dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis.

11. Posuerunt eam in dissipationem, luxitque super (*k*) me: desolatione desolata est omnis terra: quia nullus est qui recogitet corde.

12. Super omnes vias deserti venerunt vastatores, quia gladius Domini devorabit ab extremo terræ usque ad extremum ejus: non est pax universæ carni.

13. Seminaverunt triticum, & spinas (*l*) messuerunt: hæreditatem acceperunt, & non eis proderit: confundemini a fructibus vestris, propter iram furoris Domini.

14. Hæc dicit Dominus adversum omnes vicinos meos pessimos, qui tangunt hæreditatem, quam distribui populo meo Israel: Ecce ego evellam eos de terra sua, & domum Juda evellam de medio eorum.

15. Et cum evulsero eos, convertar, & miserebor eorum: & reducam eos, virum ad hæreditatem suam, & virum in terram suam.

16. Et erit: si eruditi didicerint (*m*) vias populi mei, ut jurent in nomine meo, Vivit Dominus, sicut docuerunt populum meum jurare in Baal: ædificabuntur in medio populi mei.

17. Quod si non audierint, evellam gentem illam evulsione & perditione, ait Dominus.

CA-

20. (*k*) Loquitur ut Propheta; quid futurum sit prædicit, non ultionem expetit, seu in propria, seu in Christi persona hæc dicat, de reprobis qui nollent resipiscere, loquitur.

21. (*l*) Noli prophetare, & non morieris.

23. (*m*) Tempus punitionis & excidii per Chaldæos super eos inducam.

CAP. XII. 1. (*a*) Justior es, quam ego tecum disputare debeam. *Prosperatur.* Ista expostulatio est vehemens admiratio hominis nondum intelligentis, quo occulto consilio Deus cuncta impiis prospera evenire permittat; sed responsio mox sequitur, quod impii ad tempus prospere agant, ut postea gravius puniantur vel in hoc seculo, vel in futuro: justi autem ad tempus affliguntur, ut in æternum salvi fiant. *Juxta LXX.* Judicia loquar ad te, proferam rationes meas.

2. (*b*) Velut arbores stabilisti; *Et radicem miserunt;* divitiis abundant, prope es in ore eorum, procul a corde.

3. (*c*) Destina eos ut victimas furoris tui in diem sacrificii; *Congrega eos:* Hebr. evelle eos: LXX. Congrega eos sicut gregem.

4. (*d*) Nec de vita, nec de morte nostra sollicitus est, *Lugebit*, sterilis erit; *Consumptum est*, mortuæ sunt bestiæ.

5. (*e*) Videtur Deus Jeremiæ querelis ita respondere: si cum civibus tuis adeo laborasti, si tam ægre feras eorum calumnias, quomodo contendere poteris *cum equis*, Chaldæis nempe, ubi diripient Jerosolymam? *Cum autem in terra pacis*, in patria tua; *securus fueris*, videbaris secure victurus, & tamen tibi mortem minantur; quid tibi expectandum est Jerosolymæ, si urbis Anathoth civibus tuis resistere non potuisti? Si cum peditibus currens lassitudine defecisti, quid facies, si equis cursum tuum volueris coæquare? *Superbia*, cum plebs Jerosolymitana intumescet ut Jordanis in æstate, vel cum is fluvius erit tibi trajiciendus. Judæos forte alloquitur, qui vicinis populis vix restiterant, quasi peditibus; quomodo igitur resistent Chaldæis?

7. (*f*) Dimisi, reprobavi; *Hæreditatem meam*, Judæam, urbem Jerusalem antea dilectam instar animæ meæ, ob scelera ejus dedi *in manus inimicorum*. Chaldæorum primum, tum Romanorum.

8. (*g*) Inimica & rebellis instar leonis efferati.

9. (*h*) Peregrinis coloribus tincta; *Hæreditas mea*, quæ præda futura est bestiis terræ. Vel dilexi eam ut avem variis pictam coloribus. R. Kimchi ait avem discolorem aliis avibus odio esse. Hieron. Pavonem exponit, cui similis erat populus Judaicus, omnibus rebus abundans: adeo ut alii populi huic inviderent: vel denique Deus iis exprobrat cultum tot deorum.

10. (*i*) An populi, principes & sacerdotes? An principes Chaldæorum?

11. (*k*) Hebr. ad me: pluviam a me postulat: Hieronym. *Luxit super me meo auxilio destituta.*

13. (*l*) Hieron. Dicitur hoc de Ecclesiasticis, qui verba Domini & doctrinam ejus mala conversatione disperdunt, qui cum bene cœperint, non perseverant: idem metaphorice sic exponit, ut cum prospera expectarent, adversa illis acciderint.

16. (*m*) Si Moabitæ, & Ammonitæ, & Chaldæi didicerint fidem & religionem Judæorum; *ædificabuntur in medio populi mei*, prosperabuntur: si relictis idolis ad Deum convertantur, & tanquam oleaster in oleam inserantur.

CAPUT XIII.

Non verbis tantum, sed & rebus, per lumbare & lagenam in hoc capite vaticinatur Jeremias, ænigmatico prophetandi genere utens, ut futuras Judæorum calamitates fortius exprimat.

1. HÆc dicit Dominus ad me: Vade, & posside (*a*) tibi lumbare lineum, & pones illud super lumbos tuos, & in aquam non inferes illud.

2. Et possedi lumbare juxta verbum Domini, & posui circa lumbos meos.

3. Et factus est sermo Domini ad me secundo, dicens:

4. Tolle lumbare, quod possedisti, quod est circa lumbos tuos, & surgens vade ad Euphraten, & absconde ibi illud in foramine petræ.

5. Et abii, & abscondi illud in Euphrate, sicut præceperat mihi Dominus.

6. Et factum est post dies plurimos, dixit Dominus ad me: Surge, vade ad Euphraten: & tolle inde lumbare, quod præcepi tibi ut absconderes illud ibi.

7. Et abii ad Euphraten, & fodi, & tuli lumbare de loco, ubi absconderam illud: & ecce computruerat lumbare, ita ut nulli usui aptum esset.

8. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

9. Hæc dicit Dominus: Sic putrescere faciam superbiam Juda, & superbiam Jerusalem multam.

10. Populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea, & ambulant in pravitate cordis sui: abieruntque post deos alienos ut servirent eis, & adorarent eos: & erunt sicut lumbare istud, quod nulli usui aptum est.

11. Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel, & omnem domum Juda, dicit Dominus: ut essent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam: & non audierunt.

12. Dices ergo ad eos sermonem istum: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Omnis laguncula (*b*) implebitur vino. Et dicent ad te: Numquid ignoramus quia omnis laguncula implebitur vino?

13. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Ecce ego implebo (*c*) omnes habitatores terræ hujus, & reges qui sedent de stirpe David super thronum ejus, & sacerdotes, & prophetas, & omnes habitatores Jerusalem, ebrietate:

14. Et dispergam eos virum a fratre suo, & patres & filios pariter, ait Dominus: non parcam, & non concedam (*d*): neque miserebor ut non disperdam eos.

15. Audite, & auribus percipite. Nolite elevari, quia Dominus locutus est.

16. Date Domino Deo vestro gloriam (*e*) antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos: expectabitis lucem, & ponet eam in umbram mortis, & in caliginem.

17. Quod si hoc non audieritis, in abscondito plorabit anima mea a facie superbiæ (*f*): * plorans plorabit, & deducet oculus meus lacrymam, quia captus est grex Domini. * Thren. 2.

18. Dic regi, & dominatrici (*g*): Humiliamini, sedete: quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ.

19. Civitates Austri (*h*) clausæ sunt, & non est qui aperiat: translata est omnis Juda transmigratione perfecta.

20. Levate oculos vestros, & videte qui venitis (*i*) ab Aquilone: ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum?

21. Quid dices cum visitaverit te? tu enim docuisti eos adversum (*k*) te, & erudisti in caput tuum: numquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem?

22. Quod si dixeris in corde tuo: Quare venerunt mihi hæc? * Propter multitudinem iniquitatis tuæ revelata sunt verecundiora (*l*) tua, pollutæ sunt plantæ tuæ. * Inf. 30. 14.

23. Si mutare potest Æthiops (*m*) pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.

24. Et disseminabo eos quasi stipulam, quæ vento raptatur in deserto.

25. Hæc sors (*n*) tua, parsque mensuræ tuæ a me, dicit Dominus, quia oblita es mei, & confisa es in mendacio.

26. Unde & ego nudavi femora tua contra faciem tuam, & apparuit ignominia tua,

27. Adulteria tua, & hinnitus tuus, scelus fornicationis tuæ: super colles in agro vidi abominationes tuas. Væ tibi Jerusalem, non mundaberis (*o*) post me: usquequo adhuc?

C A-

CAP. XIII.

1. (*a*) Chald. *Erat tibi cingulum*, vel cinctorium, idque ex contextu patet: *Super lumbos*, super nudam carnem: *Et in aquam non inferes illud*, sed rude erit & asperum, non lixivio tersum. Populum Israeliticum designat instar zonæ solutum, sed illotum & sordidum, qui ad ripam Euphratis deportatus computruit, & post aliquot annos eductus est. Hoc genus Prophetiæ ænigmaticum ad persuadendum est efficacius, quam illud quod verbis tantum perficitur. Hoc cingulo lineo populus Judæorum Deo conjunctissimus, propter sua peccata expositus furori Chaldæorum insinuatur. Sive id reipsa actum fuerit, seu in spiritu tantum, ut videtur Hieronymo.

12. (*b*) Ebrietas exitiosa, ita ut principes & sacerdotes instar ebriorum omni consilio destituantur, & tamquam lagunculæ fictiles inter se collisi disrumpantur.

13. (*c*) Dixerant Judæi; An ignoramus omnem lagunculam implendam esse vino? quibus Dominus: *Ecce implebo*, ebrietate, & vino furoris mei.

14. (*d*) Non indulgebo.

16. (*e*) Hortatur populum ad pœnitentiam: gloria Dei est humiliatio nostra. Apocal. 10. *Non egerunt pœnitentiam, ut darent gloriam Deo. Et caliginosos*: ad quos consilii impotes confugeritis.

17. (*f*) Propter superbiam vestram. Hebraismus.

18. (*g*) *Sedeciæ & uxori ejus*; LXX. Potentibus. Alii Jechoniam, & ejus matrem intelligunt.

19. (*h*) Tribus Juda ad Austrum sita erat: *Clausæ sunt*, desertæ; obsidio solvi nequit.

20. (*i*) Compellat peregrinos mercatores; vide ubi sit populus qui captivus ductus est, quique *datus erat tibi*. LXX. Considerate Babylonios venientes; vel juxta Hieronymum præcipitur habitatoribus Jerusalem, ut sublatis oculis videant Chaldæos ab Aquilonis partibus venientes; interrogaturque ipsa civitas, & dicitur ei: Ubi est grex qui datus est tibi?

21. (*k*) Quando amicitiam & negotiationem cum eis iniisti, qui sub occasione amicitiæ tuæ didicerunt, per quod iter ad te venturi essent, vel ab iis auxilium petiisti adversus Ægyptios.

22. (*l*) Hebr. Fimbriæ tuæ: vestes inferiores. *Plantæ tuæ*, de populo ut de honesta muliere sic loquitur. Hebr. Remoti sunt, seu discooperti calcanei tui: alludit ad captivitatem, quando captivæ nudis pedibus duci solent.

23. (*m*) Apud homines id fieri non potest; sed apud Deum omnia sunt possibilia.

25. (*n*) Hæreditas; *Parsque mensuræ tuæ a me*; hanc a me hæreditatem habebis, hoc tibi pro peccatis tuis remetiar.

27. (*o*) Non est tibi curæ, ut te a peccatis corrigas, me & cultum meum sequendo. *Usquequo adhuc*, expectabo te ut resipiscas?

CAPUT XIV.

Futuram prænuntiat in terra Juda famem & ficcitatem; non fuscipit Deus eorum jejunia & victimas.

1. QUod factum eft verbum Domini ad Jeremiam de fermonibus ficcitatis (*a*).

2. Luxit Judæa, & portæ ejus corruerunt, & obfcuratæ funt in terra, & clamor Jerufalem afcendit.

3. Majores (*b*) miferunt minores fuos ad aquam: venerunt ad hauriendum, non invenerunt aquam, reportaverunt vafa fua vacua: confufi funt & afflicti, & operuerunt capita fua.

4. Propter terræ vaftitatem, quia non venit pluvia in terram, confufi funt agricolæ, operuerunt capita fua.

5. Nam & cerva in agro peperit, & reliquit: quia non erat herba.

6. Et onagri fteterunt in rupibus, traxerunt ventum quafi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba.

7. Si iniquitates noftræ refponderint (*c*) nobis: Domine fac propter nomen tuum, quoniam multæ funt averfiones noftræ, tibi peccavimus.

8. Expectatio (*d*) Ifrael, falvator ejus in tempore tribulationis: quare quafi colonus futurus es in terra, & quafi viator declinans ad manendum?

9. Quare futurus es velut vir vagus (*e*), ut fortis qui non poteft falvare? tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum invocatum eft fuper nos, ne derelinquas nos.

10. Hæc dicit Dominus populo huic, qui dilexit (*f*) movere pedes fuos, & non quievit, & Domino non placuit: Nunc recordabitur iniquitatem eorum, & vifitabit peccata eorum.

*Sup. 7. 16. & 11. 14. 11. Et dixit Dominus ad me: * Noli orare pro populo ifto in bonum (*g*).

12. Cum jejunaverint, non exaudiam (*h*) preces eorum: & fi obtulerint holocautomata, & victimas, non fufcipiam ea: quoniam gladio, & fame, & pefte confumam eos.

13. Et dixi (*i*), A, a, a, Domine Deus: *Sup. 3. 12. Inf. 23. 17. Prophetæ dicunt eis: * Non videbitis gladium, & fames non erit in vobis, fed pacem veram dabit vobis in loco ifto.

*Inf. 29. 9. 14. Et dixit Dominus ad me: * Falfo prophetæ vaticinantur in nomine meo: non mifi eos, & non præcepi eis; neque locutus fum ad eos: vifionem mendacem, & divinationem, & fraudulentiam, & feductionem cordis fui prophetant vobis.

15. Idcirco hæc dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non mifi, dicentes: Gladius & fames non erit in terra hac: In gladio & fame confumentur prophetæ illi.

16. Et populi, quibus prophetant, erunt projecti in viis Jerufalem præ fame & gladio, & non erit qui fepeliat eos; ipfi & uxores eorum, filii & filiæ eorum, & effundam fuper eos malum fuum.

17. Et dices ad eos verbum iftud: * Deducant oculi mei lacrymam per noctem & diem, & non taceant (*k*): quoniam contritione magna contrita eft virgo filia populi mei, plaga peffima vehementer. *Thren. 1. 16. & 2. 18.

18. Si egreffus fuero ad agros, ecce occifi gladio: & fi introiero in civitatem, ecce attenuati fame. Propheta quoque & facerdos abjerunt in terram, quam ignorabant.

19. Numquid projiciens abjecifti Judam? aut Sion abominata eft anima tua? quare ergo percuffifti nos, ita ut nulla fit fanitas? * Expectavimus pacem, & non eft bonum: & tempus curationis, & ecce turbatio. *Sup. 8. 15.

20. Cognovimus Domine impietates noftras, iniquitates patrum noftrorum, quia peccavimus tibi.

21. Ne des nos in opprobrium propter nomen tuum, neque facias nobis contumeliam (*l*) folii gloriæ tuæ: recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobifcum.

22. Numquid funt in fculptilibus Gentium qui pluant (*m*)? aut cæli poffunt dare imbres? nonne tu es Dominus Deus nofter, quem expectavimus? tu enim fecifti omnia hæc.

CAPUT XV.

Nec Moyfi, nec Samuelis precibus flectendum fe dicit Dominus, quin populum Jerufalem tradat pefti, gladio, fami, & captivitati, quia caftigatus non eft emendatus: conqueritur Propheta quod fuerit occafio difcordiæ, quodque annuntians verbum Dei paffus fit opprobria. Huic Deus promittit robur & auxilium.

1. ET dixit Dominus ad me: Si fteterint (*a*) Moyfes & Samuel coram me, non eft anima mea ad populum iftum: ejice illos a facie mea, & egrediantur.

2. Quod

CAP. XIV. 1. (*a*) Fames & fterilitas fub Sedecia antevertit obfidionem civitatis.

3. (*b*) Hieron. *Mittuntur juniores, in quibus non funt cani fapientia. & reportant vafa fua vacua: non quod aquæ non fuerint, fed quod illi invenire non potuerint.* Loquitur de junioribus facerdotibus, qui ut par eft plebem inftituere non poffunt.

7. (*c*) Non accufaverint; *Averfiones noftræ*, rebelliones.

8. (*d*) *Salvatoris ejus*; quare tu quafi colonus futurus es in terra, ut mercenarius qui minus diligenter agrum colit non fuum? Noftri vero, inquit Hieron. de futura Chrifti difpenfatione dici putant, quod futurus fit peregrinus in terra, & parvo tempore terræ ufurus hofpitio: huc ufque habitafti in Judæa, ut in terra propria; nunc quare inftar coloni, aut advenæ, non curas, non colis hunc agrum?

9. (*e*) Huc illuc difcurrens: LXX Vir dormiens. Hieron. Similitudinem ponit, & non rei veritatem. *In nobis*, Hebr. in medio noftri es, non ut peregrinus; *Invocatum eft*, ut appellemur Chriftiani.

10. (*f*) Qui voluit magno labore a me recedere, & ad multa idola delabi, aut ab Ægyptiis auxilium petere.

11. (*g*) Ut quid boni a me petas? Hieron. *Jejunia, & preces, & victimæ, & holocaufta tunc proficiunt, cum recedimus a vitiis, & flemus antiqua peccata.*

12. (*h*) Non propterea inutilia funt jejunia, nifi iis qui permanent in peccatis.

13. (*i*) Hebr. eft una dictio *Aha*, quæ heu fignificat. Jeremias excufat populum deceptum a falfis prophetis.

17. (*k*) Hebraifmus. Non ceffent.

21. (*l*) Ne finas vaftari templum tuum: ne folium gloriæ tuæ Sion ignominia afficias.

22. (*m*) Hieron. Poft multos variofque fermones redit ad titulum Prophetiæ: quia dæmonum fimulacra non poffunt pluere: Tu Domine Deus nofter, quem femper expectavimus, tu da pluviam tuam.

CAP. XV. 1. (*a*) Hos enim legimus iræ Domini pro populo Dei reftitiffe. Hinc difcimus Sanctos, & viventes & vita functos, poffe iram Dei per fuas interceffiones avertere: fed aliquando tanta eft peccatorum gravitas, ut Deus declaret orantium preces fe nolle admittere. *Non eft anima mea ad populum iftum*: Humano more loqui folet Deus in Scripturis, cum corpus, anima, & affectus ipfi tribuuntur: Non placabor huic populo.

2. Quod si dixerint ad te: Quo egredie-
* Zach. 11. 9. mur? dices ad eos: Hæc dicit Dominus: *
Qui ad mortem (*b*), ad mortem: & qui ad
gladium, ad gladium: & qui ad famem, ad famem: & qui ad captivitatem, ad captivitatem.
3. Et visitabo (*c*) super eos quatuor species,
dicit Dominus: Gladium ad occisionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cæli & bestias
terræ ad devorandum & dissipandum.
4. Et dabo eos in fervorem (*d*) universis
* 4. Reg. 21. 7. 11. regnis terræ: * propter Manassem filium Ezechiæ regis Juda, super omnibus quæ fecit in
Jerusalem.
5. Quis enim miserebitur tui Jerusalem? aut
quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?
6. Tu reliquisti me, dicit Dominus, retrorsum abiisti: & extendam manum meam super
te, & interficiam te: laboravi (*e*) rogans.
7. Et dispergam eos ventilabro in portis terræ: interfeci & disperdidi populum meum, &
tamen a viis suis non sunt reversi.
8. Multiplicatæ sunt mihi viduæ ejus super
arenam maris: induxi eis super matrem (*f*)
adolescentis vastatorem meridie: misi super civitates repente terrorem.
* 1. Reg. 2. 7. 9. * Infirmata est quæ peperit septem, defe-
* Amos 8. 9. cit anima ejus: * occidit (*g*) ei sol, cum adhuc esset dies: confusa est, & erubuit: & residuos ejus in gladium dabo in conspectu inimicorum eorum, ait Dominus.
10. Væ (*h*) mihi mater mea: quare genuisti me, virum rixæ, virum discordiæ in universa terra? non fœneravi, nec fœneravit mihi quisquam: omnes maledicunt mihi.
11. Dicit Dominus: Si non reliquiæ tuæ
in bonum (*i*), si non occurri tibi in tempore
afflictionis, & in tempore tribulationis adversus inimicum.
12. Numquid fœderabitur (*k*) ferrum ferro
ab Aquilone, & æs.
13. Divitias tuas & thesauros tuos in direptionem dabo gratis, in omnibus peccatis (*l*)
tuis, & in omnibus terminis tuis.
14. Et adducam inimicos tuos de terra,
quam nescis: quia ignis succensus est in furore meo, super vos ardebit.
15. Tu scis Domine, recordare mei, & visita me, & tuere me ab his qui persequuntur
me, noli (*m*) in patientia tua suscipere me:
scito quoniam sustinui propter te opprobrium.
16. Inventi sunt sermones tui, & comedi (*n*) eos, & factum est mihi verbum tuum
in gaudium & in lætitiam cordis mei: quoniam invocatum est nomen tuum super me,
Domine Deus exercituum.
17. * Non sedi in concilio ludentium (*o*), * Ps. 1. 1. & 25. 4.
& gloriatus sum a facie manus tuæ: solus sedebam, quoniam comminatione replesti me.
18. * Quare factus est dolor meus perpe- * Inf. 30. 15.
tuus, & plaga mea desperabilis renuit curari?
facta (*p*) est mihi quasi mendacium aquarum
infidelium.
19. Propter hoc hæc dicit Dominus: Si
converteris (*q*), convertam te, & ante faciem
meam stabis: & si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris: convertentur ipsi ad
te, & tu non converteris ad eos.
20. Et dabo te populo huic in murum æreum,
fortem: & bellabunt adversum te, & non prævalebunt: quia ego tecum sum ut salvem te,
& eruam te, dicit Dominus.
21. Et liberabo te de manu pessimorum, &
redimam te de manu fortium.

CAPUT XVI.

Vetat Dominus ne Propheta uxorem ducat, denuntians ei Judæos vario mortis genere interituros ob derelictam legem Domini: sed postea per piscatores ac venatores reducet eos Dominus in terram suam, in qua ipsi una cum Gentibus confitebuntur Domino peccata sua.

1. ET factum est verbum Domini ad me, dicens:
2. Non accipies uxorem (*a*), & non erunt
tibi filii, & filiæ in loco isto.

3. Quia

2. (*b*) Destinatur, ut moriatur. Alii ad mortem, quæ ex peste; alii ad gladium, qui ab hostibus; alii ad famem erant destinati.

3. (*c*) Hebr. *Præficiam eis quatuor familias*, seu quatuor genera tortorum, gladium, canes, aves, & feras, ut eos dilanient. Hieron. Quatuor plagas, quibus tradi us est populus Judæorum, etiam Ezechielis prophetia demonstrat, gladium, pestilentiam, famem, bestias, seu captivitatem.

4. (*d*) Sept. Interpr. In angustias propter Manassem, & illius scelera, quæ licet per pœnitentiam sint ei remissa, in populo tamen aucta sunt & multiplicata. Unde & populus propter principum peccata interdum punitur, cum iidem, vel aliis peccatis est obnoxius: secuti sunt Manassem peccando, non in pœnitentia.

6. (*e*) Toties eum ad pœnitentiam invitans defessus sum; *Et dispergam*, in extremas terræ regiones. *Interfeci*, temporibus Sennacherib, vel potius præteritum pro futuro; *Dispergam ventilabro*, ut purgem, non ut deleam potius.

8. (*f*) Qui occidat matres; *Vastatorem meridie*, palam & in media luce; *Matrem adolescentis*, adolescentum; Jerusalem quæ est mater florentissimæ juventutis.

9. (*g*) Periit in medio prosperitatis suæ: *Infirmata est*, sterilis facta est, vel orbata liberis; *Quæ peperit septem*, id est, quamplurimos: hoc in loco est hyperbole.

10. (*h*) In hoc Jeremias fuit typus Christi, *qui positus est in ruinam, & in signum cui contradiceretur*, cui omnes maledicebant; Non *fœneravi*, nec mutuum dedi, nec accepi, & tamen rixis involvor, ac si mutuo, & cum fœnore dedissem.

11. (*i*) Si finis tuus non felix fuerit, non habear verax; forma est jurandi.

12. (*k*) Seu cum chalybe; num potest esse societas Judæis cum Chaldæis? debilior a fortiori conteretur; rebellabunt Judæi, & vastabuntur; vel ex Hieron. Ne doleas quod populus inimicus tuus sit, te dura nuntiante; non potest amari qui durus est.

13. (*l*) Propter peccata tua: *Et terminis*, propter idola quæ in omnibus viis erexisti.

15. (*m*) Noli esse adeo patiens contra inimicos meos: jam enim caussa Dei agitur: sciant me Prophetam esse a te missum.

16. (*n*) Symmachus; Fos excepi tamquam cibum, iis nutritus sum. *Nomen*, vocatus sum Propheta tuus.

17. (*o*) In congregatione iocantium, ait deriforum; *A facie manus tuæ*, propter manum tuam: manus Domini apud Prophetas sumitur pro ipsa Prophetia: cujus unius alloquio sum oblectatus. *Quoniam comminatione replesti me*. Prophetia minaci & exosa: alii reperiunt negationem, *Non gloriatus sum malorum non habere consortium*. Hieron.

18. (*p*) Plaga mea est insanabilis; speravi plagam suam curatum iri, & fuit deceptus. An loquitur Jeremias in persona populi, an in sua, ut videtur Hieronymo? nam prævaluerunt, qui illum vocabant.

19. (*q*) Conversus fueris a pusillanimitate ad firmam spem te restituam: *Et si separaveris pretiosum a vili*, verba mea a verbis Judæorum minacibus & infirmis. *Quasi os meum eris*. Propheta meus; *Convertentur ipsi ad te*, ut tibi supplicent: *Non converteris ad eos*, non te iis subjicies. Vel Deus respondet in persona Jeremiæ populo: si te converteris, convertam te; prosequar te omni favore: & si separaveris pretiosum a vili, veros Prophetas a falsis.

CAP. XVI. 2. (*a*) Hinc sequitur continentiam esse possibilem: contra Novatores; immo & Deo gratam, cum quis non præcepto compulsus, sed voto adstrictus uxore caret, Matth. 19. Illud admodum verisimile est Jeremiam cælibem permansisse: neque credibile est eum duxisse uxorem in captivitate. Cum tot immineant mala, non uxorem duces, nec liberos educabis.

3. Quia hæc dicit Dominus super filios & filias, qui generantur in loco isto, & super matres eorum, quæ genuerunt eos: & super patres eorum, de quorum stirpe sunt nati in terra hac:

4. Mortibus ægrotantium morientur: non plangentur, & non sepelientur: in sterquilinium super faciem terræ erunt: & gladio & fame consumentur: & erit cadaver eorum in escam volatilibus cæli, & bestiis terræ.

5. Hæc enim dicit Dominus: Ne ingrediaris domum convivii (*b*), neque vadas ad plangendum, neque consoleris eos: quia abstuli pacem meam a populo isto, dicit Dominus, misericordiam & miserationes.

6. Et morientur grandes, & parvi in terra ista: non sepelientur neque plangentur, & non se incident (*c*), neque calvitium fiet pro eis.

7. Et non frangent super eos lugenti panem ad consolandum super mortuo: & non dabunt eis potum calicis ad consolandum super patre suo & matre.

8. Et domum convivii non ingrediaris, ut sedeas cum eis, & comedas & bibas:

9. Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego auferam de loco isto in oculis vestris, & in diebus vestris vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ.

10. Et cum annuntiaveris populo huic omnia

Sup. 19. 5. verba hæc, & dixerint tibi: * Quare locutus est Dominus super nos omne malum grande istud? quæ iniquitas nostra? & quod peccatum nostrum, quod peccavimus Domino Deo nostro?

11. Dices ad eos: Quia dereliquerunt me patres vestri, ait Dominus: & abierunt post deos alienos, & servierunt eis, & adoraverunt eos: & me dereliquerunt, & legem meam non custodierunt.

* Sup. 7. 26. 12. * Sed & vos pejus operati estis, quam patres vestri: ecce enim ambulat unusquisque post pravitatem cordis sui mali, ut me non audiat.

13. Et ejiciam vos de terra hac in terram, quam ignoratis vos, & patres vestri: & servietis (*d*) ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.

14. Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicetur ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti,

15. Sed, Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de Terra Aquilonis, & de universis terris, ad quas ejeci eos: & reducam eos in terram suam, quam dedi patribus eorum.

16. Ecce ego mittam piscatores (*e*) multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos: & post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum.

17. Quia oculi mei super omnes vias eorum: non sunt absconditæ a facie mea, & non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis.

18. Et reddam primum duplices (*f*) iniquitates & peccata eorum: quia contaminaverunt terram meam in morticinis idolorum suorum, & abominationibus suis impleverunt hæreditatem meam.

19. Domine fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum in die tribulationis: ad te Gentes venient (*g*) ab extremis terræ, & dicent: Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit.

20. Numquid faciet sibi homo deos, & ipsi non sunt dii?

21. Idcirco ecce ego ostendam eis per vicem hanc, ostendam eis manum meam, & virtutem meam: & scient quia nomen mihi Dominus.

CAPUT XVII.

Judæi in peccato obfirmati: maledictus qui confidit in homine, & benedictus qui in Deo confidit; quod variis similitudinibus exponit; solus Deus scrutatur corda, & unicuique reddit juxta viam suam.

1. PEccatum Juda scriptum (*a*) est stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum.

2. Cum recordati (*b*) fuerint filii eorum ararum suarum, & lucorum suorum, lignorumque frondentium, in montibus excelsis,

3. Sacrificantes in agro (*c*): fortitudinem tuam, & omnes thesauros tuos in direptionem dabo, excelsa tua propter peccata in universis finibus tuis.

4. Et

5. (*b*) Funebris: vox Hebr. significat convivium, quod lugentibus super mortuum parari solet. Quo quidem Deus Prophetæ significare voluit tantam fore interfectorum stragem, ut defutura sint qui sepeliant, aut lugentes consolentur.

6. (*c*) More gentilium, qui se incidebant scalpellis, quod vetat Deus Deut. 14. sed Judæi ab iis gentilium ritibus ægre abstinebant. *Neque calvitium fiet*, detonsis, aut evulsis capillis. Tam fore cladem prædicit, ut nulla sint solita convivia, nullus planctus publicus, non laceratæ genæ. Quod sponte facere noluerant, id necessitate facient ob morientium multitudinem.

13. (*d*) Cogent vos Chaldæi servire diis alienis, quos ipsi colueiant.

16. (*e*) Sive ii sint Chaldæi, qui Judæos in Jerusalem, ut pisces in rete ceperunt, & fugientes in montes, tamquam venatores sunt persecuti; sive potius hæc ad Apostolos & viros Apostolicos referantur cum Hieronymo & Aug. serm. 14. de utilitate jejunii. „ Primo, inquit, piscatores misit Deus, „ postea misit venatores. Piscatores erant Apostoli, nemi„ nem coegerunt, neminem impulerunt: quia piscator retia „ mittit in mare, non cogit, sed trahit quod incurrit: ita „ infideles in Ecclesiam congregati sunt: venator autem sil„ vas cingit, dumos excutit; id Ecclesia facit potissimum per „ sæculares potestates, dum pœnis & terroribus cogit eos, „ qui in montibus & collibus, id est, in superbis hæretico„ rum doctrinis vagantur, ut ad gremium matris suæ redeant. „ Quæ ratio Augustini eo tendit, ut hæretici potius quam „ pagani ad fidem Deo prædicandam cogantur."

18. (*f*) Duplices iniquitates, & suas & patrum iniquitates, in morticinis idolorum suorum, in cadaveribus quæ idolis immolabant; vel filiorum suorum. Pœnas luent antequam e captivitate redeant. Augnit. *Nec attendat quam illis sit molestus, sed quam sibi sit dilectus. Qualis piscat, si parcis, & moritur.*

19. (*g*) Conversæ per Apostolos: adest conversio Gentium.

CAPUT XVII. 1. (*a*) Insculptum stylo ferreo. *Ungue adamantino*, quasi in tabella adamantina: per peccatum idololatriam intelligit, per unguem adamantinum gemmam annulo inclusam; unguis ob siccitatem & nitorem dicitur: *Per latitudinem cordis*, laminam a collo ad cor usque demissam, cui idoli imago erat incisa. *Et in cornibus ararum*, ubi nomina idolorum inscribi solebant. Unde illud Act. 17. *Ignoto Deo*; peccatum Juda publicum est, nec obliteratur.

2. (*b*) Cum imitati fuerint peccata parentum.

3. (*c*) Ubi idola colebatis.

4. Et relinqueris sola ab hæreditate tua, quam dedi tibi: & servire te faciam inimicis tuis in terra (*d*), quam ignoras: quoniam ignem succendisti in furore meo, usque in æternum ardebit.

* *Is. 10. 1. & 31. 1. Inf. 47. 7.* 5. Hæc dicit Dominus: * Maledictus homo, qui confidit in homine (*e*), & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor ejus.

* *Inf. 48. 6.* 6. * Erit enim quasi myricæ (*f*) in deserto, & non videbit cum venerit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili.

7. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.

* *Ps. 1. 3.* 8. * Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas: & non timebit cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum.

9. Pravum (*g*) est cor omnium, & inscrutabile: quis cognoscet illud?

* *1 Reg. 16. 7. Ps. 7. 10. Apoc. 2. 23.* 10. Ego Dominus * scrutans (*h*) cor, & probans renes: qui do unicuique juxta viam suam, & juxta fructum adinventionum suarum.

11. Perdix fovit (*i*) quæ non peperit: fecit divitias, & non in judicio: in dimidio dierum suorum derelinquet eas, & in novissimo suo erit insipiens.

12. Solium gloriæ (*k*) altitudinis a principio, locus sanctificationis nostræ:

13. Expectatio Israel Domine: omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes a te, in terra scribentur (*l*): quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum:

14. Sana (*m*) me Domine, & sanabor: salvum me fac, & salvus ero: quoniam laus mea tu es.

15. Ecce ipsi dicunt ad me: Ubi est verbum Domini? veniat.

16. Et ego non sum turbatus (*n*), te pastorem sequens: & diem hominis non desideravi, tu scis. Quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit.

17. Non sis tu mihi formidini (*o*), spes mea tu in die afflictionis.

18. Confundantur qui me persequuntur, & non confundar ego: paveant illi, & non paveam ego; induc super eos (*p*) diem afflictionis, & duplici contritione contere eos.

19. Hæc dicit Dominus ad me: Vade, & sta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur (*q*) reges Juda, & egrediuntur, & in cunctis portis Jerusalem:

20. Et dices ad eos: Audite verbum Domini reges Juda, & omnis Juda, cunctique habitatores Jerusalem, qui ingredimini per portas istas.

21. Hæc dicit Dominus: Custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die sabbati, nec inferatis per portas Jerusalem.

22. Et nolite ejicere onera de domibus vestris in die sabbati, & omne opus non facietis: sanctificate diem sabbati, sicut præcepi patribus vestris.

23. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam: sed induraverunt cervicem suam, ne audirent me, & ne acciperent disciplinam.

24. Et erit: Si audieritis me, dicit Dominus, ut non inferatis onera per portas civitatis hujus in die sabbati: & si sanctificaveritis diem sabbati, ne faciatis in eo omne opus:

25. Ingredientur per portas civitatis hujus reges & principes, sedentes super solium David, & ascendentes in curribus & equis, ipsi & principes eorum, viri Juda, & habitatores Jerusalem: & habitabitur civitas hæc in sempiternum.

26. Et venient de civitatibus Juda, & de circuitu Jerusalem, & de terra Benjamin, & de campestribus, & de montuosis, & ab Austro, portantes holocaustum, & victimam, & sacrificium, & thus, & inferent oblationem in domum Domini.

27. Si autem non audieritis me ut sanctificetis diem sabbati, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Jerusalem in die sabbati: succendam ignem in portis ejus, & devorabit domos Jerusalem, & non extinguetur.

C A P U T XVIII.

Exemplo figuli ostendit Dominus in manu sua esse domum Israel, conspiratio Judæorum adversus Jeremiam; illius quoque ad Deum preces, & pœnarum quæ inimicos manent denunciatio.

1. VErbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, dicens:

2. Surge, & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea.

3. Et descendi in domum figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotam.

4. Et

4. (*d*) Hieronym. Sub Babyloniis, vel ut est verius, sub Romanis.

5. (*e*) Qui spreto Dei auxilio ad hominis opem præcipue se confert. LXX. Benedictus qui confidit in Domino. Qui a Deo expectat auxilium, per ea media, aut rationes, quæ sunt a Deo ordinata. Non ergo sunt maledicti, sed benedicti potius, qui veniam peccatorum per Sanctorum intercessionem expectent, non ab alio quam ab ipso Deo.

6. (*f*) Myrica, vulgo *la bruyere*, nullum fructum profert, & eum significat, qui in homine confidit. Ex omnibus nihil adeo fallax est ac cor hominis. *Et non videbit*, non experietur. *Cum venerit bonum*, pluviæ, aut gratiæ.

9. (*g*) Sept. Inter. Profundum homini; certo & indubitanter homini constare nequit, an opus suum sit Deo acceptum: sed humiliter in Deo confidere debet, si cor ejus non arguat eum.

10. (*h*) Nemo id scrutatur præter me: scit homo quid cogitet, 1. Cor. 2. sed quale illud sit, aut quæ ultima sit intentio, non novit. Deus justo judicio populum rebellem a se condemnari insinuat.

11. (*i*) Ita opes injustæ ab injustis possessoribus ad alios migrant; *In dimidio dierum suorum*, antequam sit perfruatur. *Erit*, apparebit. *Perdix fovit*, intelligenda est particula similitudinis, *sicut*.

12. (*k*) Non tamquam perdix alienis ovis incubamus, sed in uno Deo confidimus, & excelsum ejus solium est spes nostra.

13 (*l*) Peribit eorum memoria, qui a Deo recedunt, sors illorum in terra erit, non in cælo: non pervenient ad veram felicitatem, horum felicitas morte extinguetur.

14. (*m*) Si me sanaveris, vere sanabor: homines salvare non possunt, tu solus potes.

16. (*n*) Quantumvis mihi improperarent; *Et diem hominis non desideravi*, non desideravi iis annunciare diem illum calamitosum captivitatis, vel non quæsivi hominum laudem, aut diuturnam vitam.

17. (*o*) Fac ut in medio inimicorum nihil extimescam.

18. (*p*) Variis afflictionibus.

19. (*q*) Servabit Deus pactum, de quo 2. Reg. 9. reges de stirpe David.

4. Et dissipatum est vas quod ipse faciebat e luto manibus suis : conversusque fecit illud vas alterum , sicut placuerat in oculis ejus ut faceret.

5. Et factum est verbum Domini ad me , dicens :

* Isa. 45. 9. Rom. 9. 20.

6. * Numquid sicut figulus (a) iste , non potero vobis facere, domus Israel , ait Dominus? ecce sicut lutum in manu figuli : sic vos in manu mea, domus Israel.

* Sup. 1. 10.

7. Repente loquar adversum gentem, & adversus regnum , * ut eradicem, & destruam , & disperdam illud.

8. Si pœnitentiam (b) egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei.

9. Et subito loquar de gente & de regno , ut ædificem & plantem illud.

10. Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam : pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum ut facerem ei.

* 4 Reg. 17. 13. Isa. 35. 5. & 35. 15. Jonæ 3. 9.

11. Nunc ergo dic viro Juda, & habitatoribus Jerusalem, dicens : Hæc dicit Dominus : Ecce ego fingo (c) contra vos malum, & cogito contra vos cogitationem : * revertatur unusquisque a via sua mala , & dirigite vias vestras & studia vestra.

12. Qui dixerunt : Desperavimus: post cogitationes enim nostras ibimus , & unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus.

13. Ideo hæc dicit Dominus: Interrogate Gentes: Quis audivit talia horribilia , quæ fecit nimis virgo Israel?

14. Numquid deficiet (d) de petra agri nix Libani? aut evelli possunt aquæ erumpentes frigidæ, & defluentes?

15. Quia oblitus est mei (e) populus meus, frustra libantes, & impingentes in viis suis, in semitis sæculi, ut ambularent per eas in itinere non trito:

* Inf. 19. 8. & 49. 13. & 50. 13.

16. * Ut fieret (f) terra eorum in desolationem , & in sibilum sempiternum: omnis, qui præterierit per eam obstupescet, & movebit caput suum.

17. Sicut ventus urens dispergam eos coram inimico: dorsum, & non faciem ostendam (g) eis in die perditionis eorum.

18. Et dixerunt : Venite, & cogitemus contra Jeremiam cogitationes : non enim peribit (h) lex a sacerdote , neque consilium a sapiente, nec sermo a propheta: venite & percutiamus eum lingua , & non attendamus ad universos sermones ejus.

19. Attende Domine ad me, & audi vocem adversariorum meorum.

20. Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt (i) foveam animæ meæ? Recordare quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum , & averterem indignationem tuam ab eis.

21. Propterea da (k) filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladii: fiant uxores eorum absque liberis, & viduæ: & viri earum interficiantur morte : juvenes eorum confodiantur gladio in prælio.

22. Audiatur clamor de domibus eorum: adduces enim super eos latronem repente : quia foderunt foveam ut caperent me, & laqueos absconderunt pedibus meis.

23. Tu autem Domine scis omne consilium eorum adversum me in mortem : ne propitieris (l) iniquitati eorum , & peccatum eorum a facie tua non deleatur : fiant corruentes in conspectu tuo , in tempore furoris tui abutere eis.

CAPUT XIX.

Jeremias per laguncülam terream , quam fregit , significat sic conterendos esse Judæos a Chaldæis ob idololatriam & contemptum verbi Dei.

1. HÆc dicit Dominus : Vade , & accipe laguncülam figuli testeam a senioribus (a) populi , & a senioribus sacerdotum:

2. Et egredere ad Vallem filii Ennom , quæ est juxta introitum portæ (b) fictilis : & prædicabis ibi verba, quæ ego loquar ad te:

3. Et dices: Audite verbum Domini reges Juda, & habitatores Jerusalem : hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego inducam afflictionem super locum istum , ita ut omnis qui audierit illam , tinniant aures ejus.

4. Eo quod dereliquerint me , & alienum (c) fecerint locum istum : & libaverunt in eo diis alienis, quos nescierunt ipsi, & patres eorum , & reges Juda : & repleverunt locum istum sanguine innocentum.

5. Et

CAPUT XVIII.

6. (a) Hæretici hac loco perperam abutuntur, ut liberum evertant arbitrium, ut mala æque ac bona Deum habere auctorem persuadeant. Nam hæc similitudo affertur a Propheta propter eventus prosperos, vel adversos, adeo ut tam facile possit sententiam retractare suam, qua denuntiavit futuram calamitatem, si gens ipsa pœnitentiam egerit, quam figulus ex luto dissipare possit vas, & ad honestos usus destinatum fingere. Sic Apostolus eadem similitudine utitur, ut electionis divinæ ad gratiam vim ostendat. Hieron. *Ita enim libertas arbitrii reservanda est, ut in omnibus excellat gratia largitoris.*

8. (b) Figurata est locutio ex similitudine affectuum humanorum, quos sæpe tribuit Deo Scriptura sacra. Deus dicitur agere pœnitentiam, quando id facit, quod facere solent homines, qui pœnitentia ducuntur.

11. (c) Alludit ad figulum, cujus initio mentionem fecit.

14. (d) Citius definet nix de rupibus Libani, & exhaurientur aquæ torrentium frigidæ, quam ut populum, qui me colit, deseram.

15. (e) Et tamen oblitus est mei: *Frustra libantes*, idolis sacrificantes, nullo fructu; *Impingentes in viis suis*, aberrant a legibus divinis, quæ patribus eorum & sanctis fuere tritæ, & incedentes per vias novas. Cuncta constitutum a me servant ordinem, Israel solus leges meas perrumpit.

16. (f) Ex quo factum est, ut terra esset in desolationem, & in contemptum: quod plenius & tectius intelligimus esse completum post Domini adventum.

17. (g) Avetsus ero ab illis. Hieron. *Usque hodie sententia Dei permanet in Judæos.*

18. (h) Falsa esse non possunt quæ prophetæ & sacerdotes prædicant. *Percutiamus eum lingua*, texamus contra eum calumniam, deferamus ad judicem; ut falsum prophetam accusemus eum: in quo Jeremias fuit typus Christi Domini. Hieronym. *In typum quidem Salvatoris hæc a populo Judæorum Jeremias universa perpetitur.*

20. (i) Ut venatores foveam dolosam, in quam caderent, effoderent, effoderunt.

21. (k) Dalus. Vel Propheta populi pertinacia convictus divinæ voluntati se subjicit.

23. (l) Servata orationis forma prophetice prædicit quod futurum sit: immo cognita Dei voluntate suam quoque voluntatem divinæ justitiæ conformat. *Abutere eis* : juxta tempus iræ tuæ facies eis.

CAP. XIX.

1. (a) Hebr. & 70. Duc tecum de senioribus.

2. (b) Quod forte per eam efferrentur fragmenta vasorum fictilium, aut quod ibi essent figuli.

4. (c) Profanaverint illum, consecrando idolis.

5. Et ædificaverunt excelſa Baalim, ad comburendos filios ſuos igni in holocauſtum Baalim: quæ non præcepi (*d*), nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum.

6. Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus: & non vocabitur amplius locus iſte, Topheth (*e*), & Vallis filii Ennom: ſed Vallis occiſionis.

7. Et diſſipabo conſilium Juda & Jeruſalem in loco iſto: & ſubvertam eos gladio in conſpectu inimicorum ſuorum, & in manu quærentium animas eorum: & dabo cadavera eorum, eſcam volatilibus cæli, & beſtiis terræ.

* Sup. 18. 16. Inf. 49. 13. & 50. 13. 8. * Et ponam civitatem hanc in ſtuporem, & in ſibilum: omnis qui præterierit per eam, obſtupeſcet, & ſibilabit ſuper univerſa plaga ejus.

9. Et cibabo eos carnibus filiorum ſuorum, & carnibus filiarum ſuarum: & unuſquiſque carnem amici ſui comedet in obſidione, & in anguſtia, in qua concludent eos inimici eorum, & qui quærunt animas eorum.

10. Et conteres lagunculam in oculis virorum, qui ibunt tecum.

11. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Sic conteram populum iſtum, & civitatem iſtam, ſicut conteritur vas figuli, quod non poteſt ultra inſtaurari (*f*): & in Topheth ſepelientur, eo quod non ſit alius locus ad ſepeliendum.

12. Sic faciam loco huic, ait Dominus, & habitatoribus ejus: & ponam civitatem iſtam ſicut Topheth.

13. Et erunt domus Jeruſalem, & domus regum Juda, ſicut locus Topheth, immundæ: omnes domus, in quarum domatibus (*g*) ſacrificaverunt omni militiæ cæli, & libaverunt libamina diis alienis.

14. Venit autem Jeremias de Topheth, quo miſerat eum Dominus ad prophetandum, & ſtetit in atrio domus Domini, & dixit ad omnem populum:

15. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: Ecce ego inducam ſuper civitatem hanc, & ſuper omnes urbes ejus univerſa mala, quæ locutus ſum adverſum eam: quoniam induraverunt cervicem ſuam, ut non audirent ſermones meos.

CAPUT XX.

Percuſſus Jeremias mittitur a Phaſſur in nervum, & ab eodem eductus minatur illi tamquam Pſeudoprophetæ, & omnibus amicis ejus, totique Judæ captivitatem Babylonicam: conqueritur ſe irrideri, opprobria ac perſecutionem pati ob verbum Domini: maledicit diei nativitatis ſuæ.

1. ET audivit Phaſſur filius Emmer ſacerdos (*a*), qui conſtitutus erat princeps in domo Domini, Jeremiam prophetantem ſermones iſtos.

2. Et percuſſit Phaſſur Jeremiam Prophetam, & miſit eum in nervum, quod erat in porta (*b*) Benjamin ſuperiori, in domo Domini.

3. Cumque illuxiſſet in craſtinum, eduxit Phaſſur Jeremiam de nervo: & dixit ad eum Jeremias: Non Phaſſur vocavit Dominus nomen (*c*) tuum, ſed pavorem undique.

4. Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo te in pavorem, te & omnes amicos tuos: & corruent gladio inimicorum ſuorum, & oculi tui videbunt: & omnem Judam dabo in manum regis Babylonis: & traducet eos in Babylonem, & percutiet eos gladio.

5. Et dabo univerſam ſubſtantiam civitatis hujus, & omnem laborem ejus, omneque pretium, & cunctos theſauros regum Juda dabo in manu inimicorum eorum: & diripient eos, & tollent, & ducent in Babylonem.

6. Tu autem Phaſſur, & omnes habitatores domus tuæ ibitis in captivitatem: & in Babylonem venies, & ibi morieris, ibique ſepelieris tu, & omnes amici tui, quibus prophetaſti mendacium.

7. Seduxiſti (*d*) me Domine, & ſeductus ſum: fortior me fuiſti, & invaluiſti: factus ſum in deriſum tota die, omnes ſubſannant me.

8. Quia jam olim loquor, vociferans (*e*) iniquitatem, & vaſtitatem clamito: & factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium, & in deriſum tota die.

9. Et dixi (*f*): Non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius: & factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſuſque in oſſibus meis: & defeci, ferre non ſuſtinens.

10. Audi-

5. (*d*) Immo quæ prohibuit: ſed minus dicitur, & majus quiddam intelligitur: quæ eſt conſueta in Scripturis loquendi formula, ut Eccleſ. 9. *Aſſiduitas mendacii non eſt bona*, immo peſſima: fruſtra hinc colligunt Novatores nihil eſſe faciendum in cultu Dei, quod non præceperit, & diſerte ſcriptum non ſit in ſacris litteris.

6. (*e*) Vocabatur Vallis filii Ennom, vel gehennom: tum Topheth a tympano quod pulſabant, cum pueri comburebantur idolo Moloch, vel Baal: hinc locus damnatorum dictus eſt gehenna, ut alibi dictum eſt. *Sed vallis occiſionis*; nam Judæi in eo loco occidentur a Chaldæis.

11. (*f*) Id utique Judæis evenit, cum a Romanis deleti ſunt, non in captivitate Babylonica: in qua quidem prophetia eſt incepta, ſed in obſidione Titi impleta fuit.

13. (*g*) In tectis complanatis conſpecto cælo ſtellas adorabant.

CAP. XX. 1. (*a*) Unus e præfectis templi. In hoc Jeremias fuit figura Chriſti, quem ſervus Pontificis percuſſit, quod veritati teſtimonium perhibuiſſet.

2. (*b*) Vicina templo, & ducebat in tribum Benjamin: ſuperior dicitur, quod eſſet in monte ſita, juxta portam Benjamin, intra templi ſepta, ſeu in atrio exteriori templi.

3. (*c*) Seu principes; *Sed pavorem undique, quibus prophetaſti mendacium*; promittendo Judæis pacem.

7. (*d*) Hebr. Pellexiſti me ad munus propheticum, cum illud detrectarem: ſed quomodo æterna veritas ſeducere potuit? Seductio dupliciter accidere poteſt; vel vitio promittentis, dum mendacium loquitur, aut ipſe fallitur; vel vitio ejus, cui aliquid dicitur, qui non intellexit quod dictum fuit; promiſerat Deus Jeremiæ ſecuritatem, & libertatem, & victoriam de inimicis, nihil cum ab inimicis paſſurum non promiſerat humano more præ dolore loquitur Jeremias.

8. (*e*) Pœnas iniquitatum illis denuntians.

9. (*f*) Decrevi apud me non amplius divina oracula memoraturum, cum nihil proficiam apud incredulos. Hæc cogitavit veniali puſillanimitate, aut humano affectu, non deliberato conſilio inductus: ſed ſermo Domini factus eſt in corde illius, *quaſi ignis exæſtuans*, ita ut ardorem illius ferre non poſſet, & cogeretur eum foras emittere.

10. Audivi (*g*) enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu: Persequimini, & persequamur eum: ab omnibus viris, qui erant pacifici mei, & custodientes latus meum: si quo modo decipiatur, & prævaleamus adversus eum, & consequamur ultionem ex eo.

11. Dominus autem mecum est quasi bellatos fortis: idcirco qui persequuntur me, cadent, & infirmi erunt: confundentur vehementer, * quia non intellexerunt opprobrium (*h*) sempiternum, quod numquam delebitur.

* Infr. 23. 40.

12. Et tu Domine exercituum * probator (*i*) justi, qui vides renes & cor: videam, quæso, ultionem tuam ex eis: tibi enim revelavi causam meam.

* Supr. 11. 20. & 17. 10.

13. Cantate Domino, laudate Dominum: quia liberavit animam pauperis de manu malorum.

14. * Maledicta (*k*) dies, in qua natus sum: dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta.

* Job 3. 2.

15. Maledictus vir, qui annuntiavit patri meo, dicens: Natus est tibi puer masculus: & quasi gaudio lætificavit eum.

16. Sit homo ille ut sunt civitates: quas subvertit Dominus, & non pœnituit eum: audiat clamorem mane (*l*), & ululatum in tempore meridiano:

17. Qui non me interfecit (*m*) a vulva, ut fieret mihi mater mea sepulcrum, & vulva ejus conceptus æternus.

18. Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem & dolorem, & consumerentur in confusione dies mei?

C A P U T XXI.

Respondet Jeremias nuntiis Sedeciæ regis circa obsidionem urbis, Judam vastandum peste, gladio, fame & captivitate, solosque eos victuros qui ad Chaldæos se receperint: hortatur etiam ut faciant judicium, ne indignatio Domini penitus ipsos consumat.

1. Verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, quando misit ad eum rex Sedecias (*a*) Phassur filium Melchiæ, & Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, dicens:

2. Interroga pro nobis Dominum, quia Nabuchodonosor rex Babylonis præliatur (*b*) adversum nos: si forte faciat Dominus nobiscum secundum omnia mirabilia sua, & recedat a nobis.

3. Et dixit Jeremias ad eos: Sic dicetis Sedeciæ:

4. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego convertam vasa (*c*) belli, quæ in manibus vestris sunt, & quibus vos pugnatis adversum regem Babylonis, & Chaldæos, qui obsident vos in circuitu murorum: & congregabo ea in medio civitatis hujus.

5. Et debellabo ego vos in manu extenta, & in brachio forti, & in furore, & in indignatione, & in ira grandi.

6. Et percutiam habitatores civitatis hujus, homines & bestiæ pestilentia magna morientur.

7. Et post hæc ait Dominus: Dabo Sedeciam regem Juda, & servos ejus, & populum ejus, & qui derelicti sunt in civitate hac a peste, & gladio, & fame, in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, & in manu inimicorum eorum, & in manu quærentium animam eorum, & percutiet eos in ore gladii, & non flectetur, neque parcet, nec miserebitur.

8. Et ad populum hunc dices: Hæc dicit Dominus: Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis.

9. * Qui habitaverit in urbe hac, morietur gladio, & fame, & peste: qui autem egressus fuerit, & transfugerit ad Chaldæos, qui obsident vos, vivet, & erit ei anima sua, quasi spolium (*d*).

* Inf. 38. 2.

10. Posui enim faciem (*e*) meam super civitatem hanc in malum, & non in bonum, ait Dominus: in manu regis Babylonis dabitur, & exuret eam igni.

11. Et domui regis Juda: Audite verbum Domini,

12. Domus David, hæc dicit Dominus: * Judicate mane (*f*) judicium, & eruite vi oppressum de manu calumniantis: ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat, propter malitiam studiorum vestrorum.

* Inf. 22. 3.

13. Ecce ego ad te habitatricem vallis (*g*) solidæ atque campestris, ait Dominus: qui dicitis: Quis percutiet nos? & quis ingredietur domos nostras?

14. Et visitabo super vos juxta fructum studiorum vestrorum, dicit Dominus: & succendam ignem in saltu (*h*) ejus: & devorabit omnia in circuitu ejus.

CA-

10. (*g*) Hieron. *Conceptus animo sermo divinus, nec ore prolatus, ardet in pectore.*

11. (*h*) In quod incurrunt, quod numquam delebitur.

12. (*i*) Sept. Interpr. *Probans justa*, qui uniuscujusque expendis merita.

14. (*k*) Quæ sequuntur, eo modo sunt intelligenda, quo verba Jobi, cap. 3. quibus exprimitur per hyperbolen ingens miseria. Hieronym. *Quod scilicet melius sit non esse, quam vivere in suppliciis*. In his alternantes animi motus, æstus naturæ & gratiæ notari possunt, ut zelus quo ardebat pro salute populorum, & Dei gloria, hic tandem vicit. Modus hic maledicendi Hebræis usitatus exprimit per modum interjectionis, utinam non esset talis dies: adeo ut hæ sint voces naturæ oppressæ: præterquam malum horremus ut naturæ contrarium: utinam non fuisset hic dies secum afferens tot ærumnas.

16. (*l*) In perpetuo periculo versetur.

17. (*m*) Quippe quia Deus non me interfecit.

CAP. XXI. 1. (*a*) Hoc loco narrantur gesta sub Sedecia, cum cap. 24. & seq. quæ acta sunt sub Joakim referantur: unde illæ prophetiæ editæ sunt ante adventum Chaldæorum; hæ illis urbem obsidentibus. Hic Phassur alius est ab eo, cujus facta est mentio capite superiori.

2. (*b*) Alias urbes obsidet, & bellum in nos parat.

4. (*c*) Arma vestra contra vos regeram, ut Chaldæi urbe capta ea vobis eripiant, & in medio civitatis ea colligant.

9. (*d*) Hostibus ereptum lucro futurum est: pro magno ducit, quod vitam suam servaverit, quasi hoc spolium e manibus hostium eripuerit.

10. (*e*) Obfirmavi; ut Levit. 17. 10. *Ego ponam faciem meam*; vertunt LXX. Obfirmabo faciem meam.

12. (*f*) Sedulo, & summo studio: sic enim vox illa *mane* in Scripturis frequenter usurpatur: sic domus David & domus Regis.

13. (*g*) Ad te o Jerusalem majoribus cinctam montibus; quæ simul rupes est solida, & vallis campestris: nam ad radicem montis planities erat, locus munitissimus.

14. (*h*) Saltus dicitur ob frequentiam domorum; vel alludit ad domum a Salomone ædificatam, quæ saltus Libani dicebatur; vel denique saltum vocat vicinas urbes, quæ instar silvæ cingebant Jerusalem.

CAPUT XXII.

Enumerat scelera Jerusalem, urbem versam esse in scoriam, & combustioni idoneam; Joakim filium Josiæ non reversurum, & sepultura cariturum, & filium ejus Jechoniam abducendum esse Babylonem.

1. HÆc dicit Dominus: Descende (*a*) in domum regis Juda, & loqueris ibi verbum hoc,

2. Et dices: Audi verbum Domini rex Juda, qui sedes super solium David: tu & servi tui, & populus tuus, qui ingredimini per portas istas.

* Sup. 21. 12. 3. Hæc dicit Dominus: * Facite judicium & justitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris: & advenam, & pupillum, & viduam nolite contristare, neque opprimatis inique: & sanguinem innocentem ne effundatis in loco (*b*) isto.

4. Si enim facientes feceritis verbum istud: ingredientur per portas domus hujus reges sedentes de genere David super thronum ejus, & ascendentes currus & equos, ipsi & servi, & populus eorum.

5. Quod si non audieritis verba hæc: in memetipso juravi, dicit Dominus, quia in solitudinem erit domus hæc.

6. Quia hæc dicit Dominus super domum regis Juda: Galaad tu mihi caput (*c*) Libani: si non posuero te solitudinem, urbes inhabitabiles.

7. Et sanctificabo (*d*) super te interficientem virum & arma ejus: & succident electas cedros tuas, & præcipitabunt in ignem.

8. Et pertransibunt gentes multæ per civitatem hanc: & dicet unusquisque proximo
* Deut. 29. 24. 3 Reg. 9. 8. suo: * Quare fecit Dominus sic civitati huic grandi?

9. Et respondebunt: Eo quod dereliquerint pactum Domini Dei sui, & adoraverint deos alienos, & servierint eis.

10. Nolite flere mortuum (*e*), neque lugeatis super eum fletu: plangite eum, qui egreditur, quia non revertetur ultra, nec videbit terram nativitatis suæ.

11. Quia hæc dicit Dominus ad Sellum filium Josiæ regem Juda, qui regnavit pro Josia patre suo, qui egressus est de loco isto: Non revertetur huc amplius:

12. Sed in loco ad quem transtuli eum, ibi morietur, & terram istam non videbit amplius.

13. Væ qui ædificat domum suam in injustitia, & cœnacula sua non in judicio: amicum suum opprimet frustra, & mercedem ejus non reddet ei.

14. Qui dicit: Ædificabo mihi domum latam, & cœnacula spatiosa: qui aperit sibi fenestras, & facit laquearia cedrina, pingitque sinopide (*f*).

15. Numquid regnabis, quoniam confers te cedro (*g*)? pater tuus numquid non comedit & bibit, & fecit judicium & justitiam tunc cum bene erat ei?

16. Judicabit causam pauperis & egeni in bonum suum: numquid non ideo quia cognovit (*h*) me, dicit Dominus?

17. Tui vero oculi & cor ad avaritiam, & ad sanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & ad cursum mali operis.

18. Propterea hæc dicit Dominus ad Joakim filium Josiæ regem Juda: Non plangent (*i*) eum: Væ frater, & væ soror: non concrepabunt ei: Væ domine, & væ inclyte.

19. Sepultura asini sepelietur (*k*), putrefactus & projectus * extra portas Jerusalem. * Infr. 36. 30.

20. Ascende (*l*) Libanum, & clama: & in Basan da vocem tuam, & clama ad transeuntes, quia contriti sunt omnes amatores tui.

21. Locutus sum ad te in abundantia (*m*) tua; & dixisti. Non audiam: hæc est via tua ab adolescentia tua, quia non audisti vocem meam.

22. Omnes pastores tuos pascet ventus, & amatores tui in captivitatem ibunt: & tunc confunderis, & erubesces ab omni malitia tua.

23. Quæ sedes in Libano (*n*), & nidificas in cedris, quomodo congemuisti cum venissent tibi dolores, quasi dolores parturientis?

24. Vivo ego, dicit Dominus: quia si fuerit Jechonias filius Joakim regis Juda, annulus (*o*) in manu dextera mea, inde evellam eum.

25. Et dabo te in manu quærentium animam tuam, & in manu quorum tu formidas faciem, & in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, & in manu Chaldæorum.

26. Et

CAPUT XXII.

1. (*a*) Regis Joakim, ut multis videtur, quem Pharao Nechao regem Judææ constituerat, abducto fratre Joachaz in Ægyptum; vel ad Sellum, seu Joachaz Prophetam dimittit, vel ad Sedeciam mittitur; *descendere*, pro ire sumitur.

3. (*b*) In domo regia.

6. (*c*) Tu o domus regia caput es auctoritate & imperio totius Judææ, ut Galaad caput est & principium Libani, ferax resinæ & aromatum; sed verax non sim, si te non *posuero in solitudinem*, & urbes tuas non reddidero desertas, ut olim regionem Galaad; vel regiam domum, quæ saltus Libani dicebatur, ponam in solitudinem sicut urbes inhabitabiles.

7. (*d*) Mittam contra te: Hebr. Vastatores mea auctoritate confirmabo: nam sanctificare interdum significat, publica auctoritate sancire, ut Joel 3. *Sanctificate bellum*. Hos contra te mittam, & armabo; *Et electas cedros*, excelsas domos civitatis, aut principes.

10. (*e*) Josiam, qui mortuus est in bello pugnans pro patria: *Sed plangite eum qui egreditur*, qui abducitur in Ægyptum, Joachaz, seu Sellum filium Josiæ tertio genitum, quem populus in solio patris collocarat. Quod se inscio factum ægre tulit Pharao; ille quidem deterioris est conditionis quam pater mortuus.

14. (*f*) Rubrica, quæ apud Sinopam Ponti urbem optima est ex Strabone lib. 12. vel minio, ut aliis placet.

15. (*g*) Numquid superbia qua tumes, tibi regnum felix & diuturnum faciet? *Pater tuus Josias numquid non comedit & bibit:* Hebraismus; diu vixit & feliciter, quia judicium & justitiam fecit.

16. (*h*) Quia coluit me.

18 (*i*) Nec fratres, nec subditi; illi his verbis: *Væ frater*; hi vero *Væ domine*: non plangent eum vel domestici, vel externi. *Ah decus ejus*, brevi extinctum.

19. (*k*) Cadaver Joakim insepultum manebit; vinctus Babylonem ductus est ob jusjurandum violatum: antequam eo perveniret, trucidatus est ex lib. 2. Paralip. 36. Joakim vinctus Babylonem ductus est ex lib. 4. Reg. 24. Is victus a Nabuchodonosore tribus annis ei subditus fuit; sed cum rebellasset, a latronibus Chaldæis, Syriis, & Moabitis fuit trucidatus. Itaque vinctus Babylonem primum abductus fuerat, sed mox liberatus, & tributarius factus est.

20. (*l*) Hæc ad Jerusalem, *Clama*, quantum voles ex altissimis montibus, nemo tibi opem feret: *Contriti*, Ægyptii a Chaldæis.

21. (*m*) In prosperitate tua. *Hæc est via tua*, consuetudo tua, ex quo educta es ex Ægypto.

23. (*n*) Quæ superba es: Quomodo ingemisces?

24. (*o*) Si esset mihi ut annulus, propter ejus peccata hunc abjicerem: sed hic pessimus est.

26. Et mittam te, & matrem tuam quæ genuit te, in terram alienam, in qua nati non estis, ibique moriemini:

27. Et in terram, ad quam ipsi levant animam suam ut revertantur illuc, non revertentur.

28. Numquid vas fictile atque contritum vir iste Jechonias? numquid vas absque omni voluptate? quare abjecti sunt ipse & semen ejus, & projecti in terram, quam ignoraverunt?

29. Terra, terra, terra, audi sermonem Domini.

30. Hæc dicit Dominus: Scribe virum (*p*) istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine ejus, vir qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda.

CAPUT XXIII.

Parabolam duarum meretricum Oolla seu Samariæ, & Ooliba seu Jerusalem proponit; utriusque supplicia consimilia, lapidationem, gladium, incendium.

Ezech. 13. 3. & 34. 2. 1. VÆ pastoribus, qui disperdunt & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus.

2. Ideo hæc dicit Dominus Deus Israel ad pastores, qui pascunt populum meum: Vos dispersistis gregem meum, & ejecistis eos, & non visitastis eos: ecce ego visitabo (*a*) super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus.

3. Et ego congregabo reliquias (*b*) gregis mei de omnibus terris, ad quas ejecero eos illuc: & convertam eos ad rura sua: & crescent & multiplicabuntur.

4. Et suscitabo (*c*) super eos pastores, & pascent eos: non formidabunt ultra, & non pavebunt: & nullus quæretur ex numero, dicit Dominus.

* Isa. 4. 2. & 40. 11. & 45. 8. Infr. 33. 14. Ezech. 34. 23. 10. 11. Dan. 9. 24. Joann. 1. 45. Deut. 33. 28.

5. * Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo David germen (*d*) justum: & regnabit rex, & sapiens erit: & faciet judicium & justitiam in terra.

6. In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter: & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.

7. Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de Terra Ægypti:

* Sup. 16. 14. 8. Sed: * Vivit Dominus, qui eduxit & adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas ejeceram eos illuc: & habitabunt in Terra sua.

9. Ad prophetas (*e*): Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea: factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo madidus a vino, a facie Domini, & a facie verborum sanctorum ejus.

10. Quia adulteris repleta est terra, quia a facie maledictionis (*f*) luxit terra, arefacta sunt arva deserti: factus est cursus eorum malus, & fortitudo eorum dissimilis.

11. Propheta namque & sacerdos polluti (*g*) sunt: & in domo mea inveni malum eorum, ait Dominus.

12. Idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris: impellentur enim, & corruent in ea: afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum, ait Dominus:

13. Et in prophetis Samariæ vidi fatuitatem: prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Israel.

14. Et in prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacii: & confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque a malitia sua: facti sunt mihi omnes ut Sodoma, & habitatores ejus quasi Gomorrha.

15. Propterea hæc dicit Dominus exercituum ad prophetas: * Ecce ego cibabo eos absinthio, & potabo eos felle: a prophetis enim Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram. * Sup. 9. 15.

16. Hæc dicit Dominus exercituum: * Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. * Inf. 27. 9. & 29. 8.

17. Dicunt his, qui blasphemant me: Locutus est Dominus: * Pax erit vobis: & omni qui ambulat in pravitate cordis sui, dixerunt: Non veniet super vos malum. * Sup. 5. 12. & 14. 13.

18. Quis (*h*) enim affuit in consilio Domini, & vidit & audivit sermonem ejus? quis consideravit verbum illius, & audivit?

19. * Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, & tempestas (*i*) erumpens super caput impiorum veniet. * Infr. 30. 14.

20. Non revertetur (*k*) furor Domini usque dum faciat, & usque dum compleat cogitationem cordis sui: in novissimis diebus intelligetis consilium ejus.

21. * Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. * Infr. 27. 15. & 29. 9.

22. Si

30 (*p*) Jechoniam; *Sterilem*, qui filios quidem habebit, sed in regnum non succedent: non sterilem Symmachus, sed vacuum; Theodotio abdicatum verterunt.

CAPUT XXIII. 2. (*a*) Verbum, *Visitare*, hic sumitur in malam partem, cum priori loco in bonam, pro adjuvare, accipiatur; *Malitiam studiorum vestrorum*, pravos affectus, prava opera.

3. (*b*) De reductione populi e captivitate Babylonis & de vocatione gentium loquitur; vos dispersistis, ego congregabo; *Ad rura sua*, ad Judæam & Ecclesiam.

4. (*c*) Abdicatis antiquis novos constituam; *Non formidabunt*, quia Christus bonus Pastor *vincet mundum*, Joann. 16. & nulla ovis desiderabitur ex grege, Joann. 17. 12.

5. & 6. (*d*) Hieron. *Ut quomodo in Isaia Emmanuel appellatur, hoc est, nobiscum Deus, sic in Jeremia nomen accipiat justitia nostra.* Quæ sequuntur, ad Christi adventum manifeste referuntur. *In diebus illis*, Hebr. & LXX. *illius*, nempe Christi, *salvabitur Juda. Dominus justus noster*, nos justificans. In Hebræo Dominus voce *Jehova* exprimitur.

9. (*e*) Chald. Propter prophetas; transit a Christo ad falsos prophetas: primum enim de malis pastoribus disseruit, tum de bonis, tertio de uno Pastore. Malos pastores in quatuor genera divisit, ex Hieronym. 1. Quidam perdunt oves, cum hæreses docent. 2. Alii lacerant & dissipant, qui faciunt schismata. 3. Nonnulli oves ejiciunt, cum injuste excommunicant. 4. Postremo plerique eas non visitant, qui non pascunt doctrina & exemplo, sed rebus secularibus, aut illicitis implicantur.

10. (*f*) Hebr. A perjuriis, propter perjuria; *Fortitudo eorum dissimilis*, infirma & levis, non ut fortitudo veri prophetæ.

11. (*g*) Hieron. *In propheta doctorem accipe, in sacerdote ministerii dignitatem.*

18. (*h*) Nec falsi prophetæ, quibus Deus locutus non est, possunt vera prædicere.

19. (*i*) Hebr. Turbo se se intorquens, iræ divinæ symbolum.

20. (*k*) Non discedet a vobis.

22. Si ſtetiſſent in conſilio meo, & nota feciſſent verba mea populo meo, avertiſſem (*l*) utique eos a via ſua mala, & a cogitationibus ſuis peſſimis.

23. Putaſne Deus e vicino (*m*) ego ſum, dicit Dominus? & non Deus de longe?

24. Si occultabitur vir in abſconditis: & ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?

25. Audivi quæ dixerunt prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes: Somniavi, ſomniavi.

26. Uſquequo iſtud eſt in corde prophetarum vaticinantium mendacium, & prophetantium ſeductiones cordis ſui?

27. Qui volunt facere ut obliviſcatur populus meus nominis mei propter ſomnia eorum, quæ narrat unuſquiſque ad proximum ſuum: ſicut obliti ſunt patres eorum nominis mei propter Baal.

28. Propheta, qui habet ſomnium (*n*), narret ſomnium: & qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum vere: quid paleis ad triticum, dicit Dominus?

29. Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis (*o*) dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram?

30. Propterea ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui furantur (*p*) verba mea unuſquiſque a proximo ſuo.

31. Ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui aſſumunt (*q*) linguas ſuas, & ajunt: Dicit Dominus.

32. Ecce ego ad prophetas ſomniantes mendacium (*r*), ait Dominus, qui narraverunt ea, & ſeduxerunt populum meum in mendacio ſuo, & in miraculis ſuis: cum ego non miſiſſem eos, nec mandaſſem eis, qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus.

33. Si igitur interrogaverit te populus iſte, vel propheta, aut ſacerdos, dicens: Quod eſt onus (*ſ*) Domini? dices ad eos: Vos eſtis onus: projiciam quippe vos, dicit Dominus.

34. Et propheta, & ſacerdos, & populus qui dicit: Onus Domini: viſitabo ſuper virum illum, & ſuper domum ejus.

35. Hæc dicetis unuſquiſque ad proximum, & ad fratrem ſuum: Quid reſpondit Dominus? & quid locutus eſt Dominus?

36. Et onus Domini ultra non memorabitur: quia onus erit unicuique ſermo (*t*) ſuus & pervertiſtis verba Dei viventis, Domini exercituum Dei noſtri.

37. Hæc dices ad prophetam: Quid reſpondit tibi Dominus? & quid locutus eſt Dominus?

38. Si autem onus Domini dixeritis: propter hoc hæc dicit Dominus: Quia dixiſtis ſermonem iſtum: Onus Domini: & miſi ad vos, dicens: Nolite dicere: Onus Domini:

39. Propterea ecce ego tollam (*u*) vos portans, & derelinquam vos, & civitatem, quam dedi vobis & patribus veſtris, a facie mea.

40. * Et dabo vos in opprobrium ſempiternum, & in ignominiam æternam, quæ numquam oblivione delebitur. * Sup. 20. 11.

CAPUT XXIV.

E duobus calathis ficuum unus deſignat eos, qui captivi Babylonem profecti ſunt, alter eos, qui manſerunt Jeroſolymis, & poſtea in Ægyptum fugerunt.

1. OStendit (*a*) mihi Dominus: & ecce duo calathi pleni ficis, poſiti ante templum Domini, poſtquam tranſtulit Nabuchodonoſor rex Babylonis Jechoniam filium Joakim regem Juda, & principes ejus, & fabrum, & incluſorem de Jeruſalem, & adduxit eos in Babylonem.

2. Calathus unus ficus bonas habebat nimis, ut ſolent ficus eſſe primi temporis: & calathus unus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eo quod eſſent malæ.

3. Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Jeremia? Et dixi: Ficus, ficus bonas, bonas valde; & malas, malas valde, quæ comedi non poſſunt, eo quod ſint malæ.

4. Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens:

5. Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Sicut ficus hæ bonæ: ſic cognoſcam tranſmigrationem Juda, quam emiſi de loco iſto in terram Chaldæorum, in bonum (*b*).

6. Et ponam oculos meos ſuper eos ad placandum, & reducam (*c*) eos in terram hanc: & ædificabo eos, & non deſtruam: & plantabo eos, & non evellam.

7. Et dabo (*d*) eis cor ut ſciant me, quia ego ſum Dominus: * & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum: quia revertentur ad me in toto corde ſuo. * Sup. 7. 23. Inf. 48. 9.

8. * Et

22. (*l*) Hebr. Et converſiſſem, averiiſſem eum a via ſua prava.

23. (*m*) Num ego cognoſco tantum quæ prope ſunt, non item quæ longe, ut ignorem quid vobis eventurum ſit?

28. (*n*) Tamquam ſomnium ſuum, non ut prophetiam. *Quid paleis ad triticum?* Quid falſis prophetis ad verbum Dei?

29. (*o*) Vi & efficacia; *Et quaſi malleus*, firmitate.

30. (*p*) Triplex genus pſeudoprophetarum deſcribit. Primum eorum qui imitantur verba verorum prophetarum, aut ea aſſumunt, & admiſcent ſuis mendaciis, aut falſa interpretatione in rem ſuam detorquent. Quod fieri ſolet ab hæreticis, teſte Hieron. Tum eorum, *qui aſſumunt linguas ſuas*, qui eas ſic moderantur, ut grata populo & placentia annuntient: cum veri prophetæ lingua a Deo dirigatur. Auguſtin. lib. 4. de Doctr. Chriſt. 10. 29. *Ecce dixit Dominus furari verba ſua, qui boni volunt videri loquendo quæ Dei ſunt, cum mali ſint faciendo quæ ſua ſunt.*

31. (*q*) Componunt ad fallendum.

32. (*r*) Falſa confingunt oracula: *Et ſuis miraculis*, non Dei, ac ſtupendis promiſſis decipiunt.

33. (*ſ*) Hoc ſarcaſmo irridebant Jeremiam; *Dices ad eos; Vos eſtis onus;* projiciam quippe vos, excutiam ex hac terra in Chaldæam.

36. (*t*) Ex verbis ſuis condemnabitur: *Et pervertiſtis*, convertiſtis in proverbium & riſum.

39. (*u*) Babylonem vos deportabo.

1. & 2. (*a*) Hi duo calathi duplicem tranſmigrationem deſignant: prior ſub Jechonia levior fuit, eaque per ficus æſtivas & ſapidiores exhibetur; poſterior ſub Sedecia per ficus autumnales exprimitur. *Fabrum & incluſorem:* an gemmarum incluſorem, ex Hieron. an peritum in caſtris muniendis, caſtrorum metatorem, ſeu ingeniarium? Qui paruerunt decreto Dei, & ultro ſe dediderunt, per ficus bonas exprimuntur; alii per ficus amaras. *Calathus*, pro caniſtro accipitur. CAPUT XXIV.

5. (*b*) Tamquam bonam conſervabo.

6. (*c*) Duravit quidem prior captivitas 70 annis, & Jechonias in ea mortuus eſt; ſed prophetia ad populum ipſum, non ad ſingulas perſonas pertinet.

7. (*d*) Hæc prophetia ad Chriſtum & Eccleſiam refertur, & ad liberationem a captivitate dæmonis.

* Infr. 29. 17. 8. * Et ſicut ficus peſſimæ, quæ comedi non poſſunt, eo quod ſint malæ: hæc dicit Dominus, ſic dabo Sedeciam regem Juda, & principes ejus, & reliquos de Jeruſalem, qui remanſerunt in urbe hac, & qui habitant (e) in Terra Ægypti.

9. Et dabo eos in vexationem, afflictionemque omnibus regnis terræ: in opprobrium, & in parabolam, & in proverbium, & in maledictionem in univerſis locis, ad quæ ejeci eos.

10. Et mittam in eis gladium, & famem, & peſtem: donec conſumantur de terra, quam dedi eis, & patribus eorum.

CAPUT XXV.

Prædicit excidium Jeroſolymorum, & captivitatem ſeptuaginta annorum, ac deinde exitium regum qui ipſos tenebant captivos: jubetur Jeremias civitatibus Juda ac ceteris regibus terrarum propinare calicem furoris Domini.

1. VErbum, quod factum eſt ad Jeremiam de omni populo Juda, in anno quarto (a) Joakim filii Joſiæ regis Juda, (ipſe eſt annus primus Nabuchodonoſor regis Babylonis.)

2. Quod locutus eſt Jeremias propheta ad omnem populum Juda, & ad univerſos habitatores Jeruſalem, dicens:

3. A tertiodecimo anno Joſiæ filii Ammon regis Juda uſque ad diem hanc; iſte tertius & vigeſimus annus: factum eſt verbum Domini ad me, & locutus ſum ad vos de nocte conſurgens, & loquens: & non audiſtis.

4. Et miſit Dominus ad vos omnes ſervos ſuos prophetas, conſurgens diluculo (b), mittenſque: & non audiſtis, neque inclinaſtis aures veſtras ut audiretis

*4.Reg.17. 13. Sup.18.11. Inf.35.15. 5. Cum diceret: * Revertimini unuſquiſque a via ſua mala, & a peſſimis cogitationibus veſtris: & habitabitis in terra, quam dedit Dominus vobis, & patribus veſtris, a ſæculo & uſque in ſæculum.

6. Et nolite ire poſt deos alienos, ut ſerviatis eis, adoretiſque eos: neque me ad iracundiam provocetis in operibus manuum veſtrarum, & non affligam vos.

7. Et non audiſtis me, dicit Dominus, ut me ad iracundiam provocaretis in operibus manuum veſtrarum, in malum veſtrum.

8. Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Pro eo quod non audiſtis verba mea:

9. Ecce ego mittam, & aſſumam univerſas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonoſor regem Babylonis ſervum (c) meum: & adducam eos ſuper terram iſtam, & ſuper habitatores ejus, & ſuper omnes nationes, quæ in circuitu illius ſunt: & interficiam eos, & ponam eos in ſtuporem, & in ſibilum, & in ſolitudines ſempiternas.

10. Perdamque ex eis vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ, vocem molæ (d) & lumen lucernæ.

11. * Et erit univerſa terra hæc in ſolitudinem, & in ſtuporem: & ſervient omnes gentes iſtæ regi Babylonis ſeptuaginta annis. *2.Par.36. 22. 1. Eſdr.1.1. Infr.26.6. & 29.10. Dan. 9. 2.

12. Cumque impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo ſuper regem Babylonis, & ſuper gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, & ſuper terram Chaldæorum: & ponam illam in ſolitudines ſempiternas.

13. Et adducam ſuper terram illam, omnia verba mea, quæ locutus ſum contra eam, omne quod ſcriptum eſt in libro iſto, quæcumque prophetavit Jeremias adverſum omnes gentes:

14. Quia ſervierunt eis, cum eſſent gentes multæ, & reges magni: & reddam eis ſecundum opera eorum, & ſecundum facta manuum ſuarum.

15. Quia ſic dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: Sume calicem vini furoris (e) hujus de manu mea: & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te.

16. Et bibent, & turbabuntur, & inſanient a facie gladii, quem ego mittam inter eos.

17. Et accepi (f) calicem de manu Domini, & propinavi cunctis gentibus, ad quas miſit me Dominus:

18. Jeruſalem, & civitatibus Juda, & regibus ejus, & principibus ejus: ut darem eos in ſolitudinem, & in ſtuporem, & in ſibilum, & in maledictionem, ſicut (g) eſt dies iſta:

19. Pharaoni regi Ægypti & ſervis ejus, & principibus ejus, & omni populo ejus,

20. Et univerſis generaliter: cunctis regibus terræ Auſitidis (h), & cunctis regibus terræ Philiſthiim, & Aſcaloni, & Gazæ, & Accaron, & reliquiis Azoti,

21. Et Idumææ, & Moab, & filiis Ammon:

22. Et cunctis regibus Tyri, & univerſis regibus Sidonis: & regibus terræ inſularum, qui ſunt trans mare:

23. Et Dedan (i), & Thema, & Buz, & univerſis qui attonſi ſunt in comam:

24. Et cunctis regibus Arabiæ, & cunctis regibus Occidentis, qui habitant in deſerto:

25. Et cunctis regibus Zambri, & cunctis regibus Elam (k), & cunctis regibus Medorum:

26. Cun-

8. (e) Qui eo confugerunt poſt mortem Godoliæ.

CAPUT XXV. 1. (a) Non ſervat ordinem temporum, ut jam innuimus. Hieron. *Non enim cura erat prophetis tempora conſervare, quæ hiſtoriæ leges deſiderant, ſed ſcribere utcumque audientibus atque lectoribus quod utile noverant.*

4. (b) Diligenter, aſſidue.

9. (c) Ad exequenda Dei conſilia: *In ſolitudines ſempiternas*, diuturnas, more uſitato Scripturarum.

10. (d) Molæ erant domeſticæ, quæ manibus vertebantur. Ad hujuſmodi molas, ait Maldonatus; puellæ ſolebant convenire, & binæ molam agitabant canentes levandi laboris cauſſa. Matthæi 24. 41. *Duæ molentes in mola, una aſſumetur &c.... Et lumen lucernæ*, ſic puellæ nentes ad lucernam cantabant. Hieron. *Vox molæ, ut non conterantur in ea frumenta, & populis veſcenda tribuat.*

15. (e) Uſitata eſt prophetis metaphora, calicem quo ira Dei quaſi propinatur & effunditur, primum populo Dei, tum gentibus; illos ad emendationem caſtigat, infideles minus aliquando punit pœna temporali, ſed æterna iis reſervatur. Sic 1. Petri 4. *Tempus eſt ut incipiat judicium a domo Dei: ſi autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio?*

17. (f) Quæ per imaginariam viſionem acta ſunt.

18. (g) Nam hoc anno cœpit hæc impleri prophetia, & Joakim captus eſt cum ſuis: vel Jeremias de re futura loquitur, quaſi jam eveniſſet.

20. (h) Terræ Hus, Arabiæ & Idumææ vicinæ.

23. (i) Civitates erant Agarenorum. *Attonſi*, In rotundum tonſi.

25. (k) Arabiæ deſertæ, aut Perſidis.

26. Cunctis quoque regibus Aquilonis de prope & de longe, unicuique contra fratrem suum: & omnibus regnis terræ, quæ super faciem ejus sunt: & rex Sesach (*l*) bibet post eos.

27. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Bibite, & inebriamini, & vomite: & cadite, neque surgatis a facie gladii, quem ego mittam inter vos.

28. Cumque noluerint accipere calicem de manu tua ut bibant, di es ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Bibentes bibetis:

* 1. Petr. 4. 17. 29. * Quia ecce in civitate (*m*), in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere, & vos quasi innocentes & immunes eritis? non eritis immunes: gladium enim ego voco super omnes habitatores terræ, dicit Dominus exercituum.

30. Et tu prophetabis ad eos omnia verba
* Joel 3. 16. Amos 1. 2. hæc, & dices ad illos: * Dominus de excelso rugiet, & de habitaculo sancto suo dabit vocem suam: rugiens rugiet super decorem suum: celeuma (*n*) quasi calcantium concinetur adversus omnes habitatores terræ.

31. Pervenit sonitus usque ad extrema terræ: quia judicium (*o*) Domino cum gentibus: judicatur ipse cum omni carne, impios tradidi gladio dicit Dominus.

32. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce afflictio egredietur de gente in gentem: & turbo magnus egredietur a summitatibus (*p*) terræ.

33. Et erunt interfecti (*q*) Domini in die illa a summo terræ usque ad summum ejus: non plangentur, & non colligentur, neque sepelientur: in sterquilinium super faciem terræ jacebunt.

34. Ululate pastores, & clamate: & aspergite vos cinere optimates gregis: quia completi sunt dies (*r*) vestri, ut interficiamini; & dissipationes vestræ, & cadetis quasi vasa pretiosa.

35. Et peribit fuga (*s*) a pastoribus, & salvatio ab optimatibus gregis.

36. Vox clamoris pastorum, & ululatus optimatum gregis: quia vastavit Dominus pascua eorum.

37. Et conticuerunt arva (*t*) pacis a facie iræ furoris Domini.

38. Dereliquit (*u*) quasi leo umbraculum suum, quia facta est terra eorum in desolationem a facie iræ columbæ, & a facie iræ furoris Domini.

CAPUT XXVI.

Jeremias prædicit excidium Jerosolymorum nisi resipiscant: corripiunt eum sacerdotes, sed liberatur a senioribus ne occidatur, prolatis exemplis Michææ & Uriæ prophetarum.

1. IN principio regni Joakim filii Josiæ regis Juda, factum est verbum istud a Domino, dicens:

2. Hæc dicit Dominus: Sta in atrio domus Domini, & loqueris ad omnes civitates Juda, de quibus veniunt ut adorent in domo Domini, universos sermones, quos ego mandavi tibi ut loquaris ad eos: noli subtrahere verbum,

3. Si forte audiant & convertantur unusquisque a via sua mala: & pœniteat me mali, quod cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum.

4. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus: si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea, quam dedi vobis,

5. Ut audiatis sermones servorum meorum Prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens, & dirigens, & non audistis.

6. * Dabo domum istam sicut Silo (*a*), & * 1. Reg. 4.
urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gen- 1. & 10.
tibus terræ. Sup. 7. 12.

7. Et audierunt sacerdotes, & prophetæ, & omnis populus Jeremiam loquentem verba hæc in domo Domini.

8. Cumque complesset Jeremias, loquens omnia quæ preceperat ei Dominus ut loqueretur ad universum populum, apprehenderunt eum sacerdotes, & prophetæ (*b*), & omnis populus, dicens: Morte moriatur.

9. Quare prophetavit in nomine Domini, dicens: Sicut Silo erit domus hæc: & urbs ista desolabitur, eo quod non sit habitator? Et congregatus est omnis populus adversus Jeremiam in domo Domini.

10. Et audierunt principes Juda verba hæc: & ascenderunt de domo regis in domum Domini, & sederunt in introitu portæ (*c*) domus Domini novæ.

11. Et locuti sunt sacerdotes & prophetæ ad principes, & ad omnem populum, dicentes: Judicium mortis est viro huic: quia prophetavit adversus civitatem istam, sicut audistis auribus vestris.

12. Et ait Jeremias ad omnes principes, &
ad universum populum, dicens: * Dominus mi- * Sup. 25. 8.
sit me ut propheratem ad domum istam, & ad civitatem hanc omnia verba quæ audistis.

13. Nunc

26. (*l*) Idest Babylonis: nam mutatis litteris ordine retrogrado alphabeti, inquiunt, in Hebræo ex Babel fit Sesach; quod prudenter factum est a Jeremia, ne iram regis provocaret.

29. (*m*) Si Judæis & Jerusalem calicem iræ meæ propinavi, quomodo vos o gentes hunc furoris mei calicem effugietis?

30. (*n*) Sic Græce appellantur cantus eorum, qui simul laborantes se ipsos cohortantur, ut remiges, & qui in torculari calcant. *Super decorem suum*: Super Sion.

31. (*o*) Ut judicent homines quam juste Deus has pœnas ab ipsis repetat. *Judicatur ipse*: Judicium illi est cum omnibus hominibus.

32. (*p*) Ab extremis terræ.

33. (*q*) Jubente Domino.

34. (*r*) Ut quasi vasa pretiosa de manu mea cadentes confringamini.

35. (*s*) Non poterunt fugere.

37. (*t*) Hebr. Pascua, ubi greges ante pascebantur sine metu hostium: per arva provinciæ, greges populi intelliguntur.

38. (*u*) Quando Deus erat cum Judæis, nulla gens audebat eos provocare, nunc deserti prædæ sunt omnibus. *Umbraculum*, templum, sicut leo vastata silva: *A facie iræ columbæ*, Nabuchodonosoris celeriter advolantis.

6. (*a*) Destruam illam, ut destruxi Silo.

8. (*b*) Seu scribæ, 70. Pseudoprophetæ: *Et omnis populus*, qui postea mutavit sententiam, cum principes civitatis pro Jeremia locuti sunt; nam, ut ait Hieron. *Indoctum vulgus accepta ratione mutat sententiam*; sæpe etiam vox universalis multos significat. CAPUT XXVI.

10. (*c*) Quæ ædificata est a Joatham. 4. Reg. 15. 35. Hieronym. *Principum enim erat officium sedere in porta domus Domini, & ibi seditionis & negotii cognoscere veritatem.*

13. Nunc ergo bonas facite vias (*d*) vestras, * & studia vestra, & audite vocem Domini Dei vestri: & pœnitebit Dominum mali, quod locutus est adversum vos.

* Sup. 7. 3.

14. Ego autem ecce in manibus vestris sum: facite mihi quod bonum & rectum est in oculis vestris:

15. Verumtamen (*e*) scitote & cognoscite, quod si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, & contra civitatem istam, & habitatores ejus: in veritate enim misit me Dominus ad vos, ut loquerer in auribus vestris omnia verba hæc.

16. Et dixerunt principes, & omnis populus ad sacerdotes & ad prophetas: Non est viro huic judicium mortis: quia in nomine Domini Dei nostri locutus est ad nos.

17. Surrexerunt ergo viri de senioribus terræ: & dixerunt ad omnem cœtum populi, loquentes:

18. Michæas de Morasthi (*f*) fuit propheta in diebus Ezechiæ regis Juda, & ait ad omnem populum Juda, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: * Sion quasi ager arabitur: & Jerusalem in acervum lapidum erit: & mons domus in excelsa silvarum.

* Mich. 3. 12.

19. Numquid morte condemnavit eum Ezechias rex Juda, & omnis Juda? numquid non timuerunt Dominum, & deprecati sunt faciem Domini: & pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat adversum eos? Itaque nos facimus malum grande contra animas nostras.

20. Fuit quoque vir prophetans in nomine Domini, Urias filius Semei de Carjathjarim: & prophetavit adversus civitatem istam, & adversus terram hanc, juxta omnia verba Jeremiæ.

21. Et audivit rex Joakim (*g*), & omnes potentes, & principes ejus verba hæc: & quæsivit rex interficere eum. Et audivit Urias, & timuit, fugitque & ingressus est Ægyptum.

22. Et misit rex Joakim viros in Ægyptum, Elnathan filium Achobor, & viros cum eo in Ægyptum.

23. Et eduxerunt Uriam de Ægypto: & adduxerunt eum ad regem Joakim, & percussit eum gladio: & projecit cadaver ejus in sepulcris vulgi ignobilis.

24. Igitur manus Ahicam (*h*) filii Saphan fuit cum Jeremia, ut non traderetur in manus populi, & interficerent eum.

CAPUT XXVII.

Vinculis ad varios reges missis, declarat eis illos, si servire velint regi Babylonis ejusque posteris, permansuros in terra sua; alioqui perituros gladio, fame & peste; tum invehitur in pseudoprophetas; prædicit denique sacra vasa, quæ reliqua sunt, transferenda Babylonem, & tandem referenda Jerosolymam.

1. IN principio (*a*) regni Joakim filii Josiæ regis Juda, factum est verbum istud ad Jeremiam a Domino, dicens:

2. Hæc dicit Dominus ad me: Fac tibi vincula, & catenas: & pones eas in collo tuo.

3. Et mittes eas ad regem Edom, & ad regem Moab, & ad regem filiorum Ammon, & ad regem Tyri, & ad regem Sidonis: in manu nuntiorum, qui venerunt Jerusalem ad Sedeciam regem Juda.

4. Et præcipies eis ut ad dominos suos loquantur: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Hæc dicetis ad dominos vestros:

5. Ego feci terram, & homines, & jumenta, quæ sunt super faciem terræ, in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento: & dedi (*b*) eam ei, qui placuit in oculis meis.

6. Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis servi mei: insuper & bestias agri dedi ei ut serviant illi.

7. Et servient ei omnes gentes, & filio (*c*) ejus, & filio filii ejus: donec veniat tempus terræ ejus & ipsius: & servient ei gentes multæ, & reges magni.

8. Gens autem & regnum, quod non servierit Nabuchodonosor regi Babylonis, & quicumque non curvaverit collum suum sub jugo regis Babylonis: in gladio, & in fame, & in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus, donec consumam eos in manu (*d*) ejus.

9. * Vos ergo nolite audire prophetas vestros, & divinos, & somniatores, & augures, & maleficos, qui dicunt vobis: Non servietis regi Babylonis.

* Sup. 23. 16. Infr. 29. 8.

10. Quia mendacium prophetant vobis: ut longe vos faciant de terra vestra, & ejiciant vos, & pereatis.

11. Porro gens, quæ subjecerit cervicem suam sub jugo regis Babylonis, & servierit ei: dimittam eam in terra sua, dicit Dominus: & colet eam, & habitabit in ea.

12. Et ad Sedeciam regem Juda locutus sum secundum omnia verba hæc, dicens: Subjicite colla vestra sub jugo regis Babylonis, & servite ei, & populo ejus, & vivetis.

13. Quare

13. (*d*) Ex hoc loco & aliis, quæ vulgo citari solent, palam est eas prædictiones fuisse conditionales & comminatorias.

15. (*e*) Ex Hieron. *Prudenter, humiliter & constanter: si quando igitur nobis pro necessitatis angustiis humilitate opus est, sic eam assumamus, ne veritatem & constantiam deseramus.*

18. (*f*) Vicus est in tribu Juda.

21. (*g*) Urias verus Dei propheta prædixerat sub initium regni Joakim, cujus regnum brevis fuit temporis.

24. (*h*) Hic fuit magno in honore apud Josiam. 4. Reg. 22. Cum seniores non potuissent Jeremiam liberare, Ahicam eum manu liberavit.

CAPUT XXVII.

1. & 2. (*a*) Hæc verba, *Fac tibi vincula*, dicta sunt sub initium regni Joakim; sed illa: *Et mittes eas ad regem Edom*, dicta sunt multis post annis; nam inter principium regni Joakim, & inter initium regni Sedeciæ interjecti sunt anni undecim. Tum vero legatos miserant hi reges, quorum fit mentio, ad Sedeciam, ut una vires suas adversus Chaldæos sociarent: versiculus primus cum superiore capite magis cohæret, quam cum hoc capite, ubi de Sedecia vaticinatur propheta.

5. (*b*) Nuda & materiali traditione, vel dabo.

7. (*c*) His tribus servisse Judæos liquet: *Donec veniat tempus terræ ejus*, regni finis.

8. (*d*) Per manum ejus, donec eos tradam in manum ejus.

13. Quare moriemini tu & populus tuus gladio, & fame, & peste, sicut locutus est Dominus ad gentem, quæ servire noluerit regi Babylonis?

14. Nolite audire verba prophetarum dicentium vobis: Non servietis regi Babylonis: quia mendacium ipsi loquuntur vobis.

* Sup. 14. 14. & 23. 21. Infr. 29. 9. 15. * Quia non misi eos, ait Dominus: & ipsi prophetant in nomine meo mendaciter: ut ejiciant vos, & pereatis tam vos, quam prophetæ, qui vaticinantur vobis.

16. Et ad sacerdotes, & ad populum istum locutus sum, dicens: Hæc dicit Dominus: Nolite audire verba prophetarum vestrorum, qui prophetant vobis, dicentes: Ecce vasa Domini revertentur (e) de Babylone nunc cito; mendacium enim prophetant vobis.

17. Nolite ergo audire eos, sed servite regi Babylonis, ut vivatis: quare datur hæc civitas in solitudinem?

18. Et si prophetæ sunt, & est verbum Domini in eis: occurrant (f) Domino exercituum, ut non veniant vasa, quæ derelicta fuerant in domo Domini, & in domo regis Juda, & in Jerusalem, in Babylonem.

* 4. Reg. 25. 13. 19. Quia hæc dicit Dominus exercituum * ad columnas (g), & ad mare, & ad bases, & ad reliqua vasorum, quæ remanserunt in civitate hac:

20. Quæ non tulit Nabuchodonosor rex Babylonis, cum transferret Jechoniam filium Joakim regem Juda de Jerusalem in Babylonem, & omnes optimates Juda & Jerusalem.

21. Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel ad vasa (h), quæ derelicta sunt in domo Domini, & in domo regis Juda & Jerusalem:

22. In Babylonem transferentur, & ibi erunt usque ad diem visitationis suæ, dicit Dominus, & afferri faciam ea, & restitui in loco isto.

CAPUT XXVIII.

Hic duo Prophetæ occurrunt; unus verus, alter falsus; qua ratione ii discerni possint. 1. Ex eventu, ut in hoc capite factum videmus. 2. Quod cultum a Deo præscriptum verus prædicet; ad pœnitentiam & ad justitiæ opera adhortetur; denique ex bono vitæ instituto verus Propheta a malo plerumque secernitur. Sic in Hæreticos omnia conveniunt, quæ falsis Prophetis insunt; certam fidem de salute æterna pollicentur; pœnitentiæ opera, virginitatis studium condemnant, viam latam, non arctam prædicant.

1. ET factum est in anno illo, in principio regni Sedeciæ regis Juda, in anno quarto, in mense quinto, dixit ad me Hananias filius Azur propheta de Gabaon, in domo Domini, coram sacerdotibus, & omni populo, dicens:

2. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Contrivi jugum regis Babylonis.

3. Adhuc duo anni dierum (a), & ego referri faciam ad locum istum omnia vasa domus Domini, quæ tulit Nabuchodonosor rex Babylonis de loco isto, & transtulit ea in Babylonem.

4. Et Jechoniam filium Joakim regem Juda, & omnem transmigrationem Juda, qui ingressi sunt in Babylonem, ego convertam ad locum istum, ait Dominus: conteram enim jugum regis Babylonis.

5. Et dixit Jeremias propheta ad Hananiam prophetam, in oculis sacerdotum, & in oculis omnis populi, qui stabat in domo Domini.

6. Et ait Jeremias propheta: Amen, sic faciat Dominus: suscitet (b) Dominus verba tua, quæ prophetasti: ut referantur vasa in domum Domini, & omnis transmigratio de Babylone ad locum istum.

7. Verumtamen audi verbum hoc, quod ego loquor in auribus tuis, & in auribus universi populi:

8. Prophetæ (c), qui fuerunt ante me & ante te ab initio, & prophetaverunt super terras multas, & super regna magna, de prælio, & de afflictione, & de fame.

9. Propheta, qui vaticinatus est pacem: cum venerit verbum ejus, scietur propheta, quem misit Dominus in veritate.

10. Et tulit Hananias propheta catenam de collo Jeremiæ prophetæ, & confregit eam.

11. Et ait Hananias in conspectu omnis populi, dicens: Hæc dicit Dominus. Sic confringam jugum Nabuchodonosor regis Babylonis post duos annos dierum de collo omnium gentium.

12. Et abiit Jeremias propheta in viam suam. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, postquam confregit Hananias propheta catenam de collo Jeremiæ prophetæ, dicens:

13. Vade, & dices Hananiæ: Hæc dicit Dominus: Catenas ligneas contrivisti: & facies pro eis catenas ferreas.

14. Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Jugum ferreum posui super collum cunctarum Gentium istarum, ut serviant Nabuchodonosor regi Babylonis, & servient ei: insuper & bestias terræ dedi ei.

15. Et dixit Jeremias propheta ad Hananiam prophetam: Audi Hanania: Non misit te Dominus, & tu confidere fecisti populum istum in mendacio.

16. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego mittam te a facie terræ: hoc anno morieris: adversum enim Dominum locutus es.

17. Et mortuus est Hananias Propheta in anno illo, mense septimo.

CA-

16. (e) Qui sub Joakim, seu Jechonia translati fuerant.
18. (f) Orent Dominum, ne illa vasa, quæ remanserunt in templo, Babylonem deportentur. Ita Hieron. Sed ex Theodoreto sensus est. *Occurrant*, seu obstent, si possint, quominus vasa sua Babylonem transferantur.
19. (g) Hebr. De columnis: quod spectat ad columnas; pro quibus ait Hieron. In Hebraico scriptum est; Et ad reliqua vasorum, quæ remanserunt in civitate hac, quæ non tulit Nabuchadonosor.
21. (h) De vasis.

CAPUT XXVIII.

3. (a) Duo anni integri.
6. (b) Faciat ut res ita sint.
8. (c) Nominativus sine verbo; quod frequens est apud Hebræos.

CAPUT XXIX.

Captivos Judæos vaticinatur septuaginta annis in Babylone mansuros, eos vero, qui Jerosolymis remanserunt, gladio, fame & peste perituros: deinde adversus Achab, Sedeciam & Semejam pseudoprophetas, seducentes populum transmigrationis, prædicit futuras calamitates.

1. ET hæc sunt verba libri (*a*), quem misit Jeremias propheta de Jerusalem ad reliquias seniorum transmigrationis, & ad sacerdotes, & ad prophetas, & ad omnem populum, quem traduxerat Nabuchodonosor de Jerusalem in Babylonem:

2. Postquam egressus est Jechonias (*b*) rex, & domina, & eunuchi, & principes Juda, & Jerusalem, & faber, & inclusor de Jerusalem:

3. In manu Elasa (*c*) filii Saphan, & Gamariæ filii Helciæ, quos misit Sedecias rex Juda ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Babylonem, dicens:

4. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel omni transmigrationi, quam transtuli de Jerusalem in Babylonem:

5. Ædificate domos, & habitate: & plantate hortos, & comedite fructum eorum.

6. Accipite uxores, & generate filios & filias: & date filiis vestris uxores, & filias vestras date viris, & pariant filios & filias: & multiplicamini ibi, & nolite esse pauci numero.

7. Et quærite pacem (*d*) civitatis, ad quam transmigrare vos feci: & orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis.

8. Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus
* *Supr.* 14. 14. & 23. 16. & 27. 15. Israel: * Non vos seducant prophetæ vestri, qui sunt in medio vestrum, & divini vestri: & ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis:

9. Quia falso ipsi prophetant vobis in nomine meo: & non misi eos, dicit Dominus.

* *Sup.* 25. 12. 2. *Par.* 36. 21. 1. *Esd* 1. 1. *Dan.* 9. 2.
10. * Quia hæc dicit Dominus: Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos: & suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum.

11. Ego enim scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, & non afflictionis, ut dem vobis finem & patientiam.

12. Et invocabitis me, & ibitis: & orabitis me, & ego exaudiam vos.

13. Quæretis me, & invenietis: cum quæsieritis me in toto corde vestro.

14. Et inveniar a vobis, ait Dominus: & reducam captivitatem vestram, & congregabo vos de universis gentibus, & de cunctis locis, ad quæ expuli vos, dicit Dominus: & reverti vos faciam de loco, ad quem transmigrare vos feci.

15. Quia dixistis: (*e*) Suscitavit nobis Dominus Prophetas in Babylone.

16. Quia hæc dicit Dominus ad regem, qui sedet super solium David, & ad omnem populum habitatorem urbis hujus, ad fratres vestros, qui non sunt egressi vobiscum in transmigrationem.

17. Hæc dicit Dominus exercituum: * Ecce mittam in eos gladium, & famem, & pestem: & ponam eos quasi ficus (*f*) malas, quæ comedi non possunt, eo quod pessimæ sint. * *Sup.* 24. 1. & 10.

18. Et persequar eos in gladio, & in fame, & in pestilentia: & dabo eos in vexationem universis regnis terræ: in maledictionem, & in stuporem, & in sibilum, & in opprobrium cunctis Gentibus, ad quas ego ejeci eos:

19. Eo quod non audierint verba mea, dicit Dominus: quæ misi ad eos per servos meos Prophetas, de nocte consurgens, & mittens: & non audistis, dicit Dominus.

20. Vos ergo audite verbum Domini omnis transmigratio, quam emisi de Jerusalem in Babylonem.

21. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel ad Achab filium Coliæ, & ad Sedeciam filium Maasiæ, qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter: Ecce ego tradam eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis: & percutiet eos in oculis vestris.

22. Et assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Juda, quæ est in Babylone, dicentium: Ponat te Dominus sicut Sedeciam, & sicut Achab, quos frixit (*g*) rex Babylonis in igne:

23. Pro eo quod fecerint stultitiam in Israel, & mœchati sunt in uxores amicorum suorum, & locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandavi eis: ego sum judex & testis, dicit Dominus.

24. Et ad Semejam Nehelamiten dices:

25. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Pro eo quod misisti in nomine tuo libros ad omnem populum, qui est in Jerusalem, & ad Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, & ad universos sacerdotes, dicens:

26. Dominus dedit te sacerdotem pro Jojade (*h*) sacerdote, ut sis dux in domo Domini super omnem virum arreptitium & prophetantem, ut mittas eum in nervum & in carcerem.

27. Et nunc quare non increpasti Jeremiam Anathothiten, qui prophetat vobis?

28. Quia super (*i*) hoc misit in Babylonem ad nos, dicens: Longum est: ædificate domos, & habitate: & plantate hortos, & comedite fructus eorum.

29. Legit ergo Sophonias sacerdos (*k*) librum istum in auribus Jeremiæ prophetæ.

30. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens:

31. Mitte

CAPUT XXIX.

1. (*a*) Verba epistolæ; *Ad reliquias seniorum*, qui nondum mortui fuerant in exilio.
2. (*b*) Rex qui sponte sua se dedit una cum matre.
3. (*c*) Misit per Elasam: hæc verba jungenda sunt cum verbis primi versiculi, quæ misit Jeremias, adeo ut sit longum hyperbaton.
7. (*d*) Hinc liquet eos qui jugo dominationis alicujus premuntur, non debere jugum illud per seditionem excutere; immo pro salute illius reipublicæ orare debent, donec Deo visum fuerit eos eripere.
15. (*e*) Propterea hæc vobis prædixi, ut si aliter vobis falsi prophetæ prædixerint, non credatis.
17. (*f*) Alludit ad duo ficuum canistra, quæ viderat.
22. (*g*) Hebr. Ululare fecit.
26. (*h*) Jojadæ meminit adulando Sophoniæ, quod Jojadas occidisset Mathan sacerdotem Baal, 4. Reg. 11. Cum teneas locum Jojadæ quare non occidis Jeremiam, ut Jojadas Mathan? *Super virum arreptitium*, insanum; *& prophetantem*, qui fingit se esse prophetam.
28. (*i*) Non contentus apud vos vaticinari, misit Babylonem epistolam.
29. (*k*) Secundus a Pontifice.

31. Mitte ad omnem transmigrationem, dicens: Hæc dicit Dominus ad Semejam Nehelamiten: Pro eo quod prophetavit vobis Semejas, & ego non misi eum: & fecit vos confidere in mendacio:

32. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego visitabo super Semejam Nehelamiten, & super semen ejus: non erit ei vir sedens (*l*) in medio populi hujus, & non videbit bonum, quod ego faciam populo meo, ait Dominus: quia prævaricationem locutus est adversus Dominum.

CAPUT XXX.

Promittit Judæis & filiis Israel reditum a gravi captivitate, in qua propter peccata sua detinebantur, ac futurum ut post reditum serviant Domino, & David regi.

1. HOc verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, dicens:

2. Hæc dicit Dominus Deus Israel, dicens: Scribe tibi (*a*) omnia verba, quæ locutus sum ad te, in libro.

3. Ecce enim dies veniunt, dicit Dominus: & convertam conversionem (*b*) populi mei Israel & Juda, ait Dominus: & convertam eos ad terram, quam dedi patribus eorum: & possidebunt eam.

4. Et hæc verba, quæ locutus est Dominus ad Israel & ad Judam:

5. Quoniam hæc dicit Dominus: Vocem terroris audivimus (*c*): formido, & non est pax.

6. Interrogate, & videte (*d*) si generat masculus: quare ergo vidi omnis viri manum super lumbum suum, quasi parturientis, & conversæ sunt universæ facies in auruginem?

* Joel 2. & 11. Amos 5.18 Soph.1.15. 7. * Væ, quia magna dies illa, nec est similis ejus: tempusque tribulationis est Jacob, & ex ipso (*e*) salvabitur.

8. Et erit in die illa, ait Dominus exercituum: conteram jugum ejus de collo tuo, & vinculo ejus dirumpam, & non dominabuntur ei amplius alieni:

9. Sed servient Domino Deo suo, & David regi suo, quem suscitabo eis.

* Isa.41.1. & 44.2. Luc.1.70. 10. * Tu ergo ne timeas, serve meus Jacob, ait Dominus, neque paveas Israel: quia ecce ego salvabo te de terra longinqua, & semen tuum de terra captivitatis eorum: & revertetur Jacob, & quiescet, & cunctis affluet bonis, & non erit quem formidet:

11. Quoniam tecum ego sum, ait Dominus, ut salvem te: faciam enim consummationem in cunctis Gentibus, in quibus dispersi te: te autem non faciam in consummationem: sed castigabo te in judicio, ut non videaris tibi innoxius.

12. Quia hæc dicit Dominus: Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.

13. Non est qui judicet (*f*) judicium tuum ad alligandum: curationum utilitas non est tibi.

14. Omnes amatores tui obliti sunt tui, teque non quærent: * plaga enim inimici percussi te castigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua. * Sup. 29. 19.

15. Quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua feci hæc tibi.

16. Propterea omnes qui comedunt te, devorabuntur: & universi hostes tui in captivitatem ducentur: & qui te vastant, vastabuntur, cunctosque prædatores tuos dabo in prædam.

17. Obducam enim cicatricem tibi, & a vulneribus tuis sanabo te, dicit Dominus. Quia ejectam vocaverunt te Sion: Hæc est, quæ non habebat requirentem (*g*).

18. Hæc dicit Dominus: Ecce ego convertam conversionem tabernaculorum (*h*) Jacob, & tectis ejus miserebor, & ædificabitur civitas in excelso suo, & templum juxta ordinem suum fundabitur.

19. Et egredietur de eis laus, voxque ludentium: & multiplicabo eos, & non minuentur: & glorificabo eos, & non attenuabuntur.

20. Et erunt filii ejus sicut a principio, & cœtus ejus coram me permanebit: & visitabo adversum omnes qui tribulant eum.

21. Et erit dux (*i*) ejus ex eo: & princeps de medio ejus producetur: & applicabo eum, & accedet ad me: quis enim iste est, qui applicet cor suum ut appropinquet mihi, ait Dominus?

22. Et eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.

23. Ecce turbo (*k*) Domini, furor egrediens, procella ruens, in capite impiorum conquiescet.

24. Non avertet iram indignationis Dominus, donec faciat & compleat cogitationem cordis sui: in novissimo dierum intelligetis (*l*) ea.

C A-

32. (*l*) Habitans inter Judæos; vel posteritas ejus odio erit omnibus.

CAPUT XXX. 2. (*a*) Vox *tibi* redundat in Hebr. ut in Latino sæpe: scribe ne illud e memoria excidat.

3. (*b*) Reditum, qui convertendi sunt. Cum Juda multi ex aliis tribubus reversi sunt: unde Christi temporibus legimus quosdam ex aliis tribubus ortos: sejunctum a Juda regnum non occuparunt; sed ex his qui in Assyria dispersi erant, diplomatis Cyri 2. Paral. 36. descripti auctoritate complures redierunt cum Judæis, idque Isaiæ 10. 22. Israeli promissum videtur.

5. (*c*) Chaldæorum invadentium Jerusalem. *Formido, & non est pax*, Hebr. legi potest. Formidinis & non pacis.

6. (*d*) Si pariat ut femina. Quare igitur Judæi quasi parturientes manibus lumbos premunt? Qua metaphora indicat dolorum acerbitatem. *In auruginem*, seu in icterum: vultus flavo colore tinctos habent.

7. & 8 (*e*) Tempore tribulationis & captivitatis. *Jugum ejus*; relativum sine antecedente, jugum ejus, tyranni. Hieron. Non *dubium quin sub typo Nabuchodonosor, de diabolo sentiendum sit: quod videlicet ait, conteram jugum ejus. Et non dominabantur*; quæ intelligenda sunt de liberatione per Christum: nam Persæ postea dominati sunt Judæis, uti & Græci & Romani. Unde addit v. 9 *Sed servient Domino suo, & David regi suo quem suscitabo eis*. Vox illa in Scripturis soli Davidi regi & Messiæ tribuitur; tum more Prophetarum a veritate ad figuram mox transit. *Faciam enim consummationem*, versu undecimo.

13. (*f*) Qui cognoscat plagam tuam, aut sanare valeat; aut qui curet alligare vulnera tua: *Curationum utilitas non est tibi*; qui sanare conati sunt, nihil profecerunt: vel remedia frustra adhibuerunt.

17 (*g*) Qui curam haberet tui. *Qui ejectam vocaverunt te*, repudiatam a Deo: etsi revocaverunt ejectam.

18. (*h*) Reducam tabernacula Jacob, seu familias Judæorum, quæ Babylone habitabant quasi in tabernaculis: *In excelso suo*, in monte Sion, & templum in pristinum statum restituetur.

21. & 22. (*i*) Hebr. Fortis ejus, præpotens dux Messias nomine; Ex eo, ex stirpe David; ex Jacob. *Applicabo eum*, conjungam eum mihi amicitiæ nexu arctissimo. *Quis enim iste est*, ut filius meus dilectus; quis adeo mihi conjunctus? *In populum*; Hieron. *Cernimus opere completum ex parte in Israel, & ex toto in gentium multitudine*.

23. (*k*) Vindicta & ira Dei: *Procella ruens*. Hebr. *Conglobans sese, & agglomerans*; non lædet nisi impios.

24. (*l*) In fine mundi; vel sub Christo.

CAPUT XXXI.

Promittit Deus Dominus se populum Israel e captivitate reducturum, qui in magna bonorum abundantia & securitate serviet Domino; sub typo feminæ, quæ circumdabit virum, Ecclesiam, vel B. Virginem designat; tum de uva acerba, & novo fœdere, quod Dominus feriet cum domo Israel, verba facit.

1. IN tempore illo, dicit Dominus: Ero Deus (*a*) universis cognationibus Israel, & ipsi erunt mihi in populum.

2. Hæc dicit Dominus: Invenit (*b*) gratiam in deserto populus, qui remanserat a gladio: vadet ad requiem suam Israel.

3. Longe Dominus apparuit (*c*) mihi. Et in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans.

4. Rursumque ædificabo te, & ædificaberis virgo Israel: adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium.

5. Adhuc plantabis (*d*) vineas in montibus Samariæ: plantabunt plantantes, & donec tempus veniat, non vindemiabunt:

6. Quia erit dies, in qua clamabunt custodes (*e*) in monte Ephraim: * Surgite, & ascendamus in Sion ad Dominum Deum nostrum.

* Isa. 2. 3. Mich. 4. 2.

7. Quia hæc dicit Dominus: Exultate in lætitia Jacob, & hinnite (*f*) contra caput Gentium: personate, & canite, & dicite: Salva Domine populum tuum, reliquias Israel.

8. Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ: inter quos erunt cæcus (*g*) & claudus, prægnans & pariens simul, cœtus magnus revertentium huc.

9. In fletu venient, & in misericordia reducam eos: & adducam (*h*) eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent in ea: quia factus sum Israeli pater, & Ephraim primogenitus meus est.

10. Audite (*i*) verbum Domini Gentes, & annuntiate in insulis, quæ procul sunt, & dicite: Qui dispersit Israel, congregabit eum: & custodiet eum sicut pastor gregem suum.

11. Redemit enim Dominus Jacob, & liberavit eum de manu potentioris (*k*).

12. Et venient, & laudabunt in monte Sion (*l*): & confluent ad bona Domini, super frumento, & vino, & oleo, & fœtu pecorum, & armentorum: eritque anima eorum quasi hortus irriguus, & ultra non esurient.

13. Tunc lætabitur virgo in choro, juvenes & senes simul: & convertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & lætificabo a dolore suo.

14. Et inebriabo animam sacerdotum pinguedine (*m*): & populus meus bonis meis adimplebitur, ait Dominus.

15. Hæc dicit Dominus: * Vox in excelso (*n*) audita est lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt. * Matth. 2. 18.

16. Hæc dicit Dominus: Quiescat vox tua a ploratu, & oculi tui a lacrymis: quia est merces (*o*) operi tuo, ait Dominus: & revertentur de terra inimici.

17. Et est spes novissimis (*p*) tuis, ait Dominus: & revertentur filii ad terminos suos.

18. Audiens audivi Ephraim transmigrantem: Castigasti me, & eruditus sum, quasi juvenculus (*q*) indomitus: converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus.

19. Post-

CAPUT XXXI.

1. (*a*) Cum a me recesserint, non sum illis Deus; sed quando revertentur ad me omnes familiæ Israel, & sub earum figura omnes gentes, tum ero illis in Deum, & Samaritanis in primis, quorum plurimi conversi sunt in ipsis Ecclesiæ primordiis. *In tempore illo*, cum Juda revertetur a captivitate.

2. (*b*) Ut intraret in requiem suam, seu in terram promissam, multo magis invenient gratiam coram Deo, liberati a tyrannis, ut duce Christo vadant ad requiem æternam; cui respondet synagoga se a longo tempore expertam esse Deum sibi beneficum. *Qui remanserat a gladio*; qui gladio Ægyptiorum & aliarum gentium non occisus est; vel populus, qui gladio Chaldæorum non periit.

3. (*c*) Queritur Synagoga nunc se esse desertam e Deo; hoc a Deo responsum accipit, numquam a se desertam; *Ideo attraxi te, miserans*, idque variis modis, nunc blandiendo, nunc flagellando. More usitato in Scripturis vocatur a Deo virgo Israel, tametsi hæc verba ad Ecclesiam proprie pertinent: *Longe Dominus apparuit mihi*; video Christum longe abesse, sed is salutem mihi afferet.

5. (*d*) Quod ad litteram impletum fuit post reditum e captivitate; tum allegorice: nam plures Ecclesiæ in iis regionibus fundatæ sunt. *Non vindemiabunt*, sicut ante faciebant metu hostium; vel loquitur de quarto anno, quod tempus a lege præscribitur Levit. 19. idque ad litteram. Allegorice vero Apostoli post multos labores fructus optatos percipient ex agro Samaritano: montes Samariæ vitibus erant consiti.

6. (*e*) Custodes Apostoli & doctores clamabunt: Ex infidelitate ad fidem & ad Ecclesiam transite.

7. (*f*) Voces lætitiæ sub oculis gentium emittite; *Salva Domine*, illud est Hosanna, quod Christo triumphatori acclamarunt Judæi, Matth. 21. Hebr. *Super capita gentium*; nam Samaritani ante omnes gentes ad fidem conversi sunt. Hieron. *Quem populum utique reliquias Israel, quæ secundum electionem salvæ factæ sunt. In fletu venient*, LXX. *egredientur*.

8. (*g*) Ex omni conditione revertentur.

9. (*h*) Superatis omnibus itineris difficultatibus. Adducam & Ephraim: ita eum amovit primogenitum. Hieron. *Ephraim autem in typo esse populi de gentibus congregati Scriptura testatur. Fuit enim posterior filius Joseph, & surripuit primogenita Manasse, qui natura primogenitus erat; sed in mysterio e ucis, decussatis manibus.*

10. (*i*) Hieron. *Perspicue vocatio gentium demonstratur. Quid annuntiant insulis quæ procul sitæ sunt? Quod Dominus qui dispersit Israel, congregabit eum.*

11. (*k*) Babylonis.

12. (*l*) In Ecclesia genitum, & affluentem Dei beneficiis.

14. (*m*) Pinguioribus victimis saturabo sacerdotes novi testamenti, quam veteris, corpore nimirum & sanguine Domini, aut donis Spiritus Sancti.

15. (*n*) Sed & in urbe Rama, quæ excelsum locum significat. Hic locus ad litteram de infanticidio Herodis Matth. cap. 2. intelligitur: nam toto hoc capite Propheta agit de Ecclesia Christi, & variis ejus temporibus. Rachel sepulta est prope Bethlehem. Hieronym. *Ex quo perspicuum est Evangelistas & Apostolos nequaquam ex Hebræo interpretationem alicujus secutos; sed quasi Hebræos ex Hebræis, quod legebant Hebraice, suis sermonibus expressisse.* Hinc fletus matrum, quæ figura fuit infanticidii ab Herode in Bethlehem & ejus agro patrati, cum Ecclesia, cujus mentionem facit Propheta in hoc capite, ædificari cœpit. Hebræi hunc locum intelligunt de abductione duarum tribuum in captivitatem: nam Rachel fuit mater Benjamin: neque id Evangelistæ repugnat. Quod enim in veteri testamento de una re historice dictum fuit, de alia interdum allegorice interpretantur Evangelistæ. Scripturæ quoque mos est, ut rem fieri, aut impleri dicat, cum perficitur. *In Rama*; usque ad Rama, prope Gabaon in terra Benjamin. *Quia non sunt*, quia omnes sunt trucidati.

16. (*o*) Quia servitutem tuam omni bonorum copia pensabo. Hieronym. *Melius autem de parvulis intelligimus, quod mercedem habeant effusi sanguinis pro Christo, & pro terra Herodis interrei teneant regnum cælorum.*

17. (*p*) Qua spe justi adipiscentur vitam beatam: spes tua tandem implebitur. Alludit forte ad captivitatem Babylonicam, sed præcipue spectat ad tempus Christi, per Rachel omnes matronas Bethlehemiticas intelligit.

18. (*q*) Juveni indomito eram similis; decem tribuum captivitas mihi fuit inutilis, ut tauro indomito.

19. Postquam enim convertisti (r) me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.

20. Si (ſ) filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus: quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor ejus. Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor ejus, ait Dominus.

21. Statue tibi speculam (t), pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti: revertere virgo Israel, revertere ad civitates tuas istas.

22. Usquequo deliciis dissolveris filia vaga? quia creavit Dominus novum super terram: FEMINA CIRCUMDABIT (u) VIRUM.

23. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Adhuc dicent verbum istud in terra Juda, & in urbibus ejus, cum convertero captivitatem eorum: Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ (x), mons sanctus:

24. Et habitabunt (y) in eo Judas, & omnes civitates ejus simul, agricolæ & minantes greges.

25. Quia inebriavi animam lassam, & omnem animam esurientem saturavi.

26. Ideo quasi de somno suscitatus (z) sum: & vidi, & somnus meus dulcis mihi.

27. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & seminabo domum Israel & domum Juda semine hominum, & semine jumentorum.

28. Et sicut vigilavi super eos ut evellerem, & demolirer, & dissiparem, & disperderem, & affligerem: sic vigilabo super eos ut ædificem, & plantem, ait Dominus.

* Ezech.18. 2. 29. In diebus illis non dicent (a) ultra: * Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.

30. Sed unusquisque in iniquitate sua morietur: omnis homo, qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus.

* Hebr.8.8. 31. * Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Israel & domui Juda fœdus novum (b):

32. Non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de Terra Ægypti: pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus (c) sum eorum, dicit Dominus.

33. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: * Dabo legem (d) meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. * Hebr. 10. 16.

34. Et non docebit (e) ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus: * quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius. * Act.10.43.

35. Hæc dicit Dominus, qui dat solem (f) in lumine diei, ordinem lunæ & stellarum in lumine noctis: qui turbat mare, & sonant fluctus ejus, Dominus exercituum nomen illi.

36. Si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus: tunc & semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus.

37. Hæc dicit Dominus: Si mensurari potuerint cæli sursum, & investigari fundamenta terræ deorsum: & ego abjiciam universum semen Israel, propter (g) omnia quæ fecerunt, dicit Dominus.

38. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ædificabitur civitas Domino, a turre Hananeel (h) usque ad portam anguli.

39. Et exibit (i) ultra norma mensuræ in conspectu ejus super collem Gareb: & circuibit Goatha,

40. Et omnem vallem cadaverum, & cineris, & universam regionem mortis, usque ad torrentem Cedron, & usque ad angulum portæ equorum Orientalis, Sanctum (k) Domini: non evelletur, & non destruetur ultra in perpetuum.

CA-

19. (r) Postquam castigando me converteris, tum convertar ad te; quod sine tua gratia præveniente & adjuvante fieri nequit; *Percussi femur meum*, obstupui præ dolore.

20 (ſ) Particula, *si*, speciem præ se fert interrogantis, sed vim habet asseverantis; *Si puer delicatus*, Hebr. Ipse mihi est puer deliciarum. Nonne Ephraim puer est amore & honore dignus, cum a me castigatus pœnitentiam egerit?

21. (t) Vigila: Hieron. Statue tibi speculatores, qui tibi prænuntient advenire tantam rerum omnium felicitatem; *Depone amaritudinem*, vel pone in via signa, quibus eam viam recognoscas; nota labores itineris, vel doloris monimenta: *Dirige cor tuum*, animadverte; *In viam rectam*, Hebr. in viam lapidibus stratam.

22. (u) Christum corpore parvum, sapientia perfectum formavit Deus in utero B. Virginis; hoc enim novum est, & mirabile.

23 (x) Hebr. Habitaculum pulcrum justitiæ. *Mons sanctus*, Hebr. Mons sanctitatis, gratiæ, & virtutum. *Adhuc dicent*, sicut ante captivitatem dicere solebant.

24. (y) In Ecclesia.

26. (z) Videntur esse verba Jeremiæ, qui cum in somniis hanc prophetiam de Christo accepisset, magna est affectus voluptate.

29. (a) Pro peccatis Manasse, & majorum, satis pœnarum dederunt in captivitate; pro his amplius non punientur.

31. (b) Paulus Hebr. 8. interpretatur de gratia novi testamenti, nam lex vetus est antiquata.

32. (c) Punivi eos jure meo ut Dominus.

33. (d) Quæ menti inscribetur: lex nova data est a Christo per traditionem, non per solam scripturam; est enim spiritalis, & animo insculpta. De Evangelicæ legis temporibus apertissime loquitur.

34. (e) Omnes erunt instructi in fide; sed non est omnium intelligentia: lex nova præcipue respicit doctorem interiorem, qui infundit dona cælestia.

35. & 36. (f) Ut luceat per diem. Qui præcepit ut certa lege stellæ moverentur; *Ut non sit gens coram me*, desinet esse populus meus.

37. (g) Propter peccata præterita, Ecclesiam non deseram.

38. (h) Hujus mentio fit 2. Esdræ 3. inde enim Jerusalem cœpit reædificari: per civitatem Ecclesia intelligitur; *Quæ ædificatur ut civitas*. Psalm. 121. Porta anguli erat porta Benjamin in angulo urbis posita.

39. (i) Extendetur funis mensuræ; *In conspectu ejus*, ante portam Benjamin; *Super collem Gareb*, ultra antiquos terminos urbs amplificabitur: multo amplior futura est Ecclesia, quam fuit Synagoga. Gareb est collis prope Jerusalem, Aquilonem versus.

40. (k) Vocabitur; hæc omnia loca sancta erunt; ut *Goatha*, seu Golgotha, ubi crucifixus est Christus; *vallem cadaverum*, quæ est inter montem Calvariæ, & Jerusalem sita; *regionem mortis*, Golgotha, & loca vicina supplicio reorum destinata impleant. *Et non destruetur ultra in perpetuum*; quod de Ecclesia tantummodo potest intelligi.

CAPUT XXXII.

Obsidente Nabuchodonosor Jerusalem, Jeremias in atrio carceris positus agrum in Anathoth jussu Domini emit a suo patruele; jubetque servari librum emptionis, ut hoc signo spem certam faciat ituris Babylonem fore ut redirent; novum fœdus percutiet Deus cum populo suo.

1. VErbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, in anno (*a*) decimo Sedeciæ regis Juda: ipse est annus decimus octavus Nabuchodonosor.

2. Tunc exercitus regis Babylonis obsidebat Jerusalem: & Jeremias propheta erat clausus in atrio carceris, qui erat in domo regis Juda.

3. Clauserat (*b*) enim eum Sedecias rex Juda, dicens: Quare vaticinaris, dicens: Hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo civitatem istam in manus regis Babylonis, & capiet eam?

4. Et Sedecias rex Juda non effugiet de manu Chaldæorum: sed tradetur in manus regis Babylonis: & loquetur os ejus cum ore illius, & oculi ejus oculos illius videbunt.

5. Et in Babylonem ducet Sedeciam: & ibi erit donec visitem (*c*) eum, ait Dominus: si autem dimicaveritis adversum Chaldæos, nihil prosperum habebitis,

6. Et dixit Jeremias: Factum est verbum Domini ad me, dicens:

7. Ecce Hanameel filius Sellum patruelis tuus veniet ad te, dicens: Eme (*d*) tibi agrum meum, qui est in Anathoth: tibi enim competit ex propinquitate ut emas.

8. Et venit ad me Hanameel filius patrui mei secundum (*e*) verbum Domini ad vestibulum carceris, & ait ad me: Posside agrum meum, qui est in Anathoth in terra Benjamin: quia tibi competit hæreditas, & tu propinquus es ut possideas. Intellexi autem quod verbum Domini esset.

9. Et emi agrum ab Hanameel filio patrui mei, qui est in Anathoth: & appendi ei argentum septem stateres, & decem argenteos.

10. Et scripsi in libro, & signavi, & adhibui testes: & appendi argentum in statera.

11. Et accepi librum possessionis signatum, & stipulationes, & rata, & signa forinsecus.

12. Et dedi librum possessionis Baruch filio Neri filii Maasiæ in oculis Hanameel patruelis mei, in oculis testium, qui scripti erant in libro emptionis, & in oculis omnium Judæorum, qui sedebant in atrio carceris.

13. Et præcepi Baruch coram eis, dicens:

14. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Sume libros istos, librum emptionis hunc signatum (*f*), & librum hunc, qui apertus est: & pone illos in vase fictili, ut permanere possint diebus multis.

15. Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus Israel: Adhuc possidebuntur domus, & agri, & vineæ in terra ista.

16. Et oravi ad Dominum, postquam tradidi librum possessionis Baruch filio Neri, dicens:

17. Heu, heu, heu, Domine Deus: ecce tu fecisti cælum & terram in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum:

18. * Qui facis misericordiam in millibus, & reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum post eos: Fortissime, Magne, & Potens, Dominus exercituum nomen tibi: * Exod. 34. 7.

19. Magnus consilio, & incomprehensibilis (*g*) cogitatu: cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas, & secundum fructum adinventionum ejus.

20. Qui posuisti signa & portenta in Terra Ægypti usque ad diem hanc, & in Israel, & in hominibus, & fecisti tibi nomen sicut est dies (*h*) hæc.

21. Et eduxisti populum tuum Israel de Terra Ægypti, in signis, & in portentis, & in manu robusta, & in brachio extento, & in terrore magno.

22. Et dedisti eis terram hanc, quam jurasti patribus eorum ut dares eis terram fluentem lacte & melle.

23. Et ingressi sunt, & possidebunt eam: & non obedierunt voci tuæ, & in lege tua non ambulaverunt: omnia quæ mandasti eis ut facerent, non fecerunt: & evenerunt eis omnia mala hæc.

24. Ecce munitiones exstructæ sunt adversum civitatem ut capiatur: & urbs data est in manus Chaldæorum, qui præliantur adversus eam, a facie gladii, & famis, & pestilentiæ: & quæcumque locutus es acciderunt, ut tu ipse cernis.

25. Et tu dicis (*i*) mihi Domine Deus: Eme agrum argento, & adhibe testes: cum urbs data sit in manus Chaldæorum.

26. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens:

27. Ecce ego Dominus Deus universæ carnis: numquid mihi difficile erit omne verbum?

28. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam civitatem istam in manus Chaldæorum, & in manus regis Babylonis, & capient eam.

29. Et venient Chaldæi præliantes adversum urbem hanc, & succendent eam igni, & comburent eam, & domos, in quarum domatibus sacrificabant Baal, & libabant diis alienis libamina ad irritandum me.

30. Erant enim filii Israel, & filii Juda, jugiter facientes malum in oculis meis ab adolescentia sua: filii Israel qui usque nunc exacerbant me in opere manuum suarum, dicit Dominus.

31. Quia

CAPUT XXXII.

1. (*a*) Cum jam ab anno obsideretur Jerusalem. a vers. 2. ad sextum legendi sunt versus interjecti per parenthesim. *In atrio carceris*, pro in carcere atrii.

3. (*b*) Est parenthesis usque ad versiculum 6.

5. (*c*) Hieron. *Prudenter sententiam temperavit, quæ ad bonam & malam partem referri potest.*

7. (*d*) Suburbanum nempe ad alenda pecora, isque vili pretio emebatur, nempe 17. siclis, quod nulli emptores invenirentur.

8. (*e*) Ut mihi dixerat Dominus. *Et stipulationes, & rata*, instrumento publico confirmatum; *Et signa forinsecus*, sigillo extrinsecus adhibito.

14. (*f*) Ex R. Salomone duo erant instrumenta, unum clausum & publico sigillo obsignatum ad faciendam fidem: alterum apertum, ut ab omnibus legeretur.

19. (*g*) Sept. Interpr. Potens operibus; quod sit incomprehensibile in consiliis & in operibus.

20. (*h*) Quod etiam hodierno die celebratur.

25. (*i*) Non obmurmurat, aut cum Deo expostulat Propheta; sed in gratiam eorum qui aderant, orat Deum, ut hoc mysterium aperiat.

31. Quia in furore, & in indignatione mea facta est mihi civitas hæc, a die qua ædificaverunt eam, usque ad diem istam, qua auferetur de conspectu meo.

32. Propter malitiam filiorum Israel, & filiorum Juda, quam fecerunt ad iracundiam me provocantes, ipsi & reges eorum, principes eorum, & sacerdotes eorum, & prophetæ eorum: viri Juda & habitatores Jerusalem,

33. Et verterunt ad me terga & non facies: cum docerem eos diluculo, & erudirem, & nollent audire ut acciperent disciplinam.

*4.Reg.21. 4. 34. * Et posuerunt idola sua in domo (*k*), in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent eam.

35. Et ædificaverunt excelsa Baal, quæ sunt in valle filii Ennom, ut initiarent filios suos & filias suas Moloch: quod non mandavi eis, nec ascendit in cor meum, ut facerent abominationem hanc, & in peccatum deducerent Judam.

36. Et nunc propter ista, hæc dicit Dominus Deus Israel ad civitatem hanc, de qua vos dicitis quod tradetur in manus regis Babylonis in gladio, & in fame, & in peste.

37. Ecce ego congregabo (*l*) eos de universis terris, ad quas ejeci eos in furore meo, & in ira mea, & in indignatione grandi: & reducam eos ad locum istum, & habitare eos faciam confidenter.

38. Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum.

* Ezech 11. 19. 39. * Et dabo eis cor unum, & viam unam, ut timeant me universis diebus: & bene sit eis, & filiis eorum post eos.

40. Et feriam eis pactum sempiternum, (*m*) & non desinam eis benefacere: & timorem meum dabo in corde eorum ut non recedant a me.

41. Et lætabor super eis, cum bene eis fecero: & plantabo eos in terra ista in veritate, in toto corde meo & in tota anima mea.

42. Quia hæc dicit Dominus: Sicut adduxi super populum istum omne malum hoc grande: sic adducam super eos omne bonum, quod ego loquor ad eos.

43. Et possidebuntur agri in terra ista: de qua vos dicitis quod deserta sit, eo quod non remanserit homo & jumentum, & data sit in manus Chaldæorum.

44. Agri ementur pecunia, & scribentur in libro, & imprimetur signum, & testis adhibebitur: in Terra Benjamin, & in circuitu Jerusalem, in civitatibus Juda, & in civitatibus montanis, & in civitatibus campestribus, & in civitatibus quæ ad Austrum sunt: quia convertam captivitatem eorum, ait Dominus.

CAPUT XXXIII.

Promittit Dominus se dimissurum peccata populi sui, & a captivitate reducturum, multis beneficiis subsequentibus: germinabit David germen justitiæ faciens justitiam & judicium in terra; & firmissimum est pactum Domini cum David & semine Jacob vehementer multiplicando.

1. ET factum est verbum Domini ad Jeremiam secundo (*a*), cum adhuc clausus esset in atrio carceris, dicens:

2. Hæc dicit Dominus (*b*) qui facturus est, & formaturus illud, & paraturus, Dominus nomen ejus.

3. Clama ad me, & exaudiam te: & annuntiabo tibi grandia & firma quæ nescis (*c*).

4. Quia hæc dicit Dominus Deus Israel ad domos urbis hujus, & ad domos regis Juda, quæ destructæ (*d*) sunt, & ad munitiones, & ad gladium

5. Venientium (*e*) ut dimicent cum Chaldæis, & impleant eas cadaveribus hominum, quos percussi in furore meo & in indignatione mea, abscondens faciem meam a civitate hac, propter omnem malitiam eorum.

6. Ecce ego obducam eis cicatricem & sanitatem, & curabo eos: & revelabo (*f*) illis deprecationem pacis & veritatis.

7. Et convertam (*g*) conversionem Juda, & conversionem Jerusalem: & ædificabo eos sicut a principio.

8. Et emundabo (*h*) illos ab omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi: & propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, & spreverunt me.

9. Et erit mihi in nomen, & in gaudium, & in laudem, & in exultationem cunctis gentibus terræ, quæ audierint omnia bona, quæ ego facturus sum eis: & pavebunt, & turbabuntur in universis bonis, & in omni pace, quam ego faciam eis.

10. Hæc dicit Dominus: Adhuc audietur in loco isto (quem vos dicitis esse desertum, eo quod non sit homo nec jumentum: in civitatibus Juda, & foris Jerusalem, quæ desolatæ sunt absque homine, & absque habitatore, & absque pecore)

11. Vox

34. (*k*) Quod factum fuit a Manasse; 4. Reg. 21.

37. (*l*) Liberatio a captivitate simul & a legis veteris jugo ad libertatem legis novæ: ratio in iis quæ sequuntur, aperte continetur.

40. & 41. (*m*) Evangelium scilicet; *In virtute*, LXX. In fide, vere & sincere.

CAPUT XXXIII. 1. (*a*) De hac re iterum: *In atrio carceris*, in carcere atrii ex R. Kimhi.

2. (*b*) Magnum quiddam annuntiaturus est, redemptionem scilicet generis humani, ad quam lectorem præparat.

3. (*c*) Res difficiles.

4. (*d*) Quæ mox destruentur; *Ad munitiones*, de munitionibus.

5. (*e*) Qui venturi sunt; *Et impleant*, ut impleant; *Eas*, domos.

6. (*f*) Hebr. Et aperiam eis thesaurum pacis & veritatis: in pace intelligitur reconciliatio cum Deo, in veritate fides promissorum. Atque hæc promissio ad gratiam novi testamenti sub figura reductionis a captivitate Babylonica omnino pertinet: sensus est, revelabo eis pacem & veritatem, pro qua patres eorum me deprecati sunt; quod patribus promisi, id filiis præstabo; *Deprecationem pacis*, pacem quam postulant; vel docebo eos quomodo pacem deprecentur; præmiserat, *Obducam ei cicatricem*, Hebr. ei, nempe civitati; sanabo ejus vulnera.

7 (*g*) Reducam a captivitate; *Sicut a principio*, cum eduxi eos ex Ægypto.

8. (*h*) Hanc sequitur utramque justificationis partem, obedientiam legi, & remissionem peccatorum, ad gratiam novi testamenti pertinere, & neutram obtineri sine Sanguine Christi. Nam ex Apostolo in Epist. ad Hebræos 9. 22. & 10. 4. *Sine sanguinis effusione non fit remissio: item Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata*; ergo peccata non delentur nisi sanguine agni immaculati.

11. Vox gaudii & vox lætitiæ, vox sponsi & vox sponsæ, vox dicentium: Confitemini (*i*) Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in æternum misericordia ejus: & portantium vota in domum Domini: reducam enim conversionem terræ sicut a principio, dicit Dominus.

12. Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc erit in loco isto deserto absque homine, & absque jumento, & in cunctis civitatibus ejus, habitaculum pastorum accubantium gregum.

13. In civitatibus montuosis, & in civitatibus campestribus, & in civitatibus, quæ ad Austrum sunt: & in terra Benjamin, & in circuitu Jerusalem, & in civitatibus Juda, adhuc transibunt greges ad manum numerantis (*k*), ait Dominus.

14. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo verbum bonum, quod locutus sum ad domum Israel, & ad domum Juda.

15. In diebus illis, & in tempore illo germinare (*l*) faciam David germen justitiæ: & faciet judicium & justitiam in terra.

16. In diebus illis salvabitur Juda, & Jerusalem habitabit confidenter: & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.

17. Quia hæc dicit Dominus: Non interibit (*m*) de David vir, qui sedeat super thronum domus Israel.

18. Et de Sacerdotibus & de Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocautomata, & incendat sacrificium, & cædat victimas omnibus (*n*) diebus.

19. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens:

20. Hæc dicit Dominus: Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo:

21. Et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus, & Levitæ & Sacerdotes ministri mei.

22. Sicuti enumerari non possunt stellæ cæli, & metiri arena maris: sic multiplicabo semen David (*o*) servi mei, & Levitas ministros meos.

23. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens:

24. Numquid non vidisti quid populus hic locutus sit, dicens: Duæ cognationes (*p*), quas elegerat Dominus, abjectæ sunt: & populum meum despexerunt, eo quod non sit ultra gens coram eis?

25. Hæc dicit Dominus: Si pactum meum inter diem & noctem, & leges cælo & terræ non posui:

26. Equidem & semen Jacob & David servi mei projiciam, ut non assumam de semine ejus principes seminis Abraham, Isaac, & Jacob: reducam enim conversionem eorum, & miserebor eis.

CAPUT XXXIV.

Prædicit Dominus se traditurum regem Sedeciam in manus regis Babylonis una cum Jerusalem, quam igni succendet, quod pactum coram Domino sancitum de liberis, quos ex Hebræis sibi in servitutem subjecerant, dimittendis, non servaverint.

1. VErbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, quando Nabuchodonosor rex Babylonis, & omnis exercitus ejus, universaque regna terræ, quæ erant sub potestate manus ejus, & omnes populi bellabant contra Jerusalem, & contra omnes urbes ejus, dicens:

2. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Vade, & loquere ad Sedeciam regem Juda: & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam civitatem hanc in manus regis Babylonis, & succendet eam igni.

3. Et tu non effugies de manu ejus: sed comprehensione capieris, & in manu ejus traderis: & oculi tui oculos regis Babylonis videbunt, & os ejus cum ore tuo loquetur, & Babylonem introibis.

4. Attamen audi verbum Domini Sedecia rex Juda: Hæc dicit Dominus ad te: Non morieris in gladio,

5. Sed in pace morieris, & secundum combustiones patrum tuorum regum priorum qui fuerunt ante te, sic comburent (*a*) te: & væ, domine, plangent te: quia verbum ego locutus sum, dicit Dominus.

6. Et locutus est Jeremias propheta ad Sedeciam regem Juda universa verba hæc in Jerusalem.

7. Et exercitus regis Babylonis pugnabat contra Jerusalem, & contra omnes civitates Juda, quæ reliquæ erant contra Lachis, & contra Azecha: hæ enim supererant de civitatibus Juda, urbes munitæ.

8. Verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, postquam percussit rex Sedecias fœdus cum omni populo in Jerusalem, prædicans:

9. Ut dimitteret unusquisque servum suum, & unusquisque ancillam suam, Hebræum & Hebræam liberos: & nequaquam dominarentur eis, id est in Judæo & fratre suo.

10. Audierunt ergo omnes principes & universus populus, qui inierant pactum ut dimitteret unusquisque servum suum, & unusquisque ancillam suam liberos, & ultra non dominarentur eis; audierunt igitur, & dimiserunt.

11. Et conversi (*b*) sunt deinceps: & retraxerunt servos & ancillas suas, quos dimiserant liberos, & subjugaverunt in famulos & famulas.

12. Et

11. (*i*) Psalm. 135. quæ Judæi reduces e captivitate cantabant, lib. 1. Esdræ 3. 11.
13. (*k*) Christus est ille pastor: numerare oves, est eas recognoscere, & earum curam habere.
15. (*l*) Ut Christum Dominum justum & justitiæ fontem.
17. (*m*) Ut regnum, sic sacerdotium Christi erit perpetuum, uti & Eucharistiæ sacrificium. Quæ prophetia non in temporali, sed in spirituali regno et sacerdotio Christi impleta est. Non interibit, Hebr. non deerit.

18. (*n*) Omnibus; quod de Christo tantummodo intelligi potest.
22. (*o*) Christi, cujus filii sunt Christiani.
24. (*p*) Cognationes, Davidis & Aaron.
5. (*a*) Aromata & odores in tuo funere, & eodem ritu quo fieri solet in regibus; *Et væ domine, plangent te*; privatis hominibus plangendo dicebant, væ frater; regibus, *væ domine*.
21. (*b*) Mutarunt voluntatem.

CAPUT XXXIV.

12. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam a Domino, dicens:

13. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego percussi fœdus cum patribus vestris, in die qua eduxi eos de Terra Ægypti, de domo servitutis dicens:

* Exod. 21. 2. Deut. 15. 12. 14. * Cum completi fuerint septem anni, dimittat unusquisque fratrem suum Hebræum, qui venditus est ei, & serviet tibi sex annis: & dimittes eum a te liberum: & non audierunt patres vestri me, nec inclinaverunt aurem suam.

15. Et conversi estis vos hodie, & fecistis quod rectum est in oculis meis, ut prædicaretis libertatem (c) unusquisque ad amicum suum: & inistis pactum in conspectu meo, in domo, in qua invocatum est nomen meum super eam.

16. Et reversi estis, & commaculastis nomen meum: & reduxistis unusquisque servum suum, & unusquisque ancillam suam, quos dimiseratis ut essent liberi & suæ potestatis: & subjugastis eos ut sint vobis servi & ancillæ.

17. Propterea hæc dicit Dominus: Vos non audistis me, ut prædicaretis libertatem unusquisque fratri suo, & unusquisque amico suo: ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem, & ad famem: & dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ.

18. Et dabo viros, qui prævaricantur fœdus meum, & non observaverunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum

* Gen. 15. 10. quem conciderunt (d) in duas partes, & * transierunt inter divisiones ejus:

19. Principes Juda & principes Jerusalem, eunuchi & sacerdotes, & omnis populus terræ, qui transierunt inter divisiones vituli:

20. Et dabo (e) eos in manus inimicorum suorum, & in manus quærentium animam eorum: & erit morticinum eorum in escam volatilibus cæli, & bestiis terræ.

21. Et Sedeciam regem Juda, & principes ejus dabo in manus inimicorum suorum, & in manus quærentium animas eorum, & in manus exercituum regis Babylonis, qui recesserunt (f) a vobis.

22. Ecce ego præcipio, dicit Dominus, & reducam eos in civitatem hanc, & præliabuntur adversus eam, & capient eam, & incendent igni: & civitates Juda dabo in solitudinem, eo quod non sit habitator.

CAPUT XXXV.

Exemplo obedientiæ Rechabitarum, præcepta patris sui licet dura servantium, expostulat Dominus de pertinaci Judæorum inobedientia adversus ipsius præcepta: quapropter his pronuntiat Dominus mala, illis autem bona.

1. VErbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino in diebus Joakim (a) filii Josiæ regis Juda, dicens:

2. Vade ad domum (b) Rechabitarum: & loquere eis, & introduces eos in domum Domini, in unam exedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum.

3. Et assumpsi Jezoniam filium Jeremiæ filii Habsaniæ, & fratres ejus, & omnes filios ejus, & universam domum Rechabitarum:

4. Et introduxi eos in domum Domini ad gazophylacium filiorum Hanan, filii Jegedeliæ hominis Dei, quod erat juxta gazophylacium principum, super thesaurum Maasiæ filii Sellum, qui erat custos vestibuli.

5. Et posui coram filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices: & dixi ad eos: Bibite vinum.

6. Qui responderunt: Non bibemus (c) vinum: quia Jonadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filii vestri, usque in sempiternum:

7. Et domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini (d).

8. Obedivimus ergo voci Jonadab filii Rechab, patris nostri, in omnibus quæ præcepit nobis, ita ut non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos, & mulieres nostræ, filii, & filiæ nostræ:

9. Et non ædificaremus domos ad habitandum: & vineam, & agrum, & sementem non habuimus:

10. Sed habitavimus in tabernaculis, & obedientes fuimus, juxta omnia quæ præcepit nobis Jonadab pater noster.

11. Cum autem ascendisset Nabuchodonosor rex Babylonis ad terram nostram, diximus: Venite, & ingrediamur (e) Jerusalem a facie exercitus Chaldæorum, & a facie exercitus Syriæ: & mansimus in Jerusalem.

12. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens:

13. Hæc

15. (c) Seu missionem a mea servitute, ita ut non amplius vos protegam, sed hostes vestri pro libitu in vos grassentur: *In commotionem cunctis regnis*, in Hebr. & apud LXX. In dispersionem.

18. (d) Id est, pactum cum principibus sancitum, quodque occisione vituli confirmarunt, eum in duas partes dissecando, ac per medium transeundo, similem sibi mortem imprecantes, si fœdus violaverint; *Dabo viros vitulum*; sicut vitulum, itque per varia regna dividentur.

20. (e) Repetit verbum, propter interjectam parenthesim.

21. (f) Qui ad tempus videntur recessisse, cum audiissent regem Ægypti in auxilium Judæorum venisse, tumque Judæi se liberatos putantes, servos, quos manu miserant, servituti subjecerunt.

CAPUT XXXV. 1. (a) Quæ hic narrantur, prius evenerunt, quam ea quæ superius tradita sunt: unde ordo temporum in hoc libro non servatur, ut sæpe diximus.

2. (b) Seu hospitium; *Rechabitarum*: hi erant posteri Jonadab origine Madianitæ. Cinæi olim dicti ab Jethro socero Moysi, qui & Cinæus dictus est, quod de stirpe Cin esset oriundus. Rechab in ea familia fuit clarissimus, de quo 1. Paralip. 2. 55

6. (c) Ex hoc loco obedientia, quæ Prælatis Ecclesiæ debetur, bene colligitur, uti & abstinentia a certis cibis in Ecclesia usitata; nec tam præceptum erat, quam vivendi regula, aut consilium. Nam in re tam ardua parentes liberis præceptum imponere non possunt: Sed consilium erat sanctum & religiosum.

7. (d) Non enim erant ex stirpe Jacob.

11. (e) Cur in urbem se receperint, causam afferunt.

13. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Vade, & dic viris Juda, & habitatoribus Jerusalem: Numquid non recipietis disciplinam ut obediatis verbis meis, dicit Dominus?

14. Prævaluerunt sermones Jonadab filii Rechab, quos præcepit filiis suis ut non biberent vinum: & non biberunt usque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui: ego autem locutus sum ad vos, de mane consurgens & loquens, & non obedistis mihi.

15. Misique ad vos omnes servos meos prophetas, consurgens diluculo, mittensque & dicens: * Convertimini unusquisque a via sua pessima, & bona facite studia vestra: & nolite sequi deos alienos, neque colatis eos: & habitabitis in terra, quam dedi vobis & patribus vestris: & non inclinastis aurem vestram, neque audistis me.

* Sup. 18. 11. & 25. 5.

16. Firmaverunt igitur filii Jonadab filii Rechab præceptum patris sui, quod præceperat eis: populus autem iste non obedivit mihi.

17. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego adducam super Juda, & super omnes habitatores Jerusalem universam afflictionem, quam locutus sum adversum illos, eo quod locutus sum ad illos, & non audierunt: vocavi illos, & non responderunt mihi.

18. Domui autem Rechabitarum dixit Jeremias: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Pro eo quod obedistis præcepto Jonadab patris vestri, & custodistis omnia mandata ejus, & fecistis universa quæ præcepit vobis:

19. Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Non deficiet (f) vir de stirpe Jonadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.

CAPUT XXXVI.

Jussu Domini mittit Jeremias per Baruch librum comminationum, quem legat coram omni populo, ut resipiscant: porro rex Joakim librum in ignem conjicit; jubet Jeremiam & Baruch, qui absconditi erant, apprehendi. Jeremias jubet ut Baruch alium scribat librum; Joakim ac semen ejus una cum Jerusalem perituros prædicit.

1. ET factum est in anno quarto Joakim (a) filii Josiæ regis Juda: factum est verbum hoc ad Jeremiam a Domino, dicens:

2. Tolle volumen libri, & scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi adversum Israel & Judam, & adversum omnes gentes: a die qua locutus sum ad te, ex diebus Josiæ (b) usque ad diem hanc:

3. Si forte audiente domo Juda universa mala, quæ ego cogito facere eis, revertatur unusquisque a via sua pessima: & propitius ero iniquitati, & peccato eorum.

4. Vocavit ergo Jeremias Baruch filium Neriæ: & scripsit Baruch ex ore Jeremiæ omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum in volumine libri:

5. Et præcepit Jeremias Baruch, dicens: Ego clausus (c) sum, nec valeo ingredi domum Domini.

6. Ingredere ergo tu, & lege de volumine, in quo scripsisti ex ore meo verba Domini, audiente populo in domo Domini, in die jejunii (d): insuper & audiente universo Juda, qui veniunt de civitatibus suis, leges eis:

7. Si forte cadat oratio (e) eorum in conspectu Domini, & revertatur unusquisque a via sua pessima: quoniam magnus furor & indignatio est, quam locutus est Dominus adversus populum hunc.

8. Et fecit Baruch filius Neriæ juxta omnia, quæ præceperat ei Jeremias propheta, legens ex volumine sermones Domini in domo Domini.

9. Factum est autem in anno quinto Joakim filii Josiæ regis Juda, in mense nono: prædicaverunt jejunium in conspectu (f) Domini omni populo in Jerusalem, & universæ multitudini, quæ confluxerat de civitatibus Juda in Jerusalem.

10. Legitque Baruch ex volumine sermones Jeremiæ in domo Domini in gazophylacio (g) Gamariæ filii Saphan scribæ, in vestibulo superiori, in introitu portæ novæ domus Domini, audiente omni populo.

11. Cumque audisset Michæas filius Gamariæ filii Saphan omnes sermones Domini ex libro:

12. Descendit in domum regis ad gazophylacium scribæ: & ecce ibi omnes principes sedebant: Elisama scriba, & Dalajas filius Semejæ, & Elnathan filius Achobor, & Gamarias filius Saphan, & Sedecias filius Hananiæ, & universi principes:

13. Et nuntiavit eis Michæas omnia verba, quæ audivit legente Baruch ex volumine in auribus populi.

14. Miserunt itaque omnes principes ad Baruch, Judi filium Nathaniæ filii Selemiæ, filii Chusi, dicentes: Volumen, ex quo legisti audiente populo, sume in manu tua, & veni. Tulit ergo Baruch filius Neriæ volumen in manu sua, & venit ad eos.

15. Et dixerunt ad eum: Sede, & lege hæc in auribus nostris. Et legit Baruch in auribus eorum.

16. Igitur cum audissent omnia verba, obstupuerunt unusquisque ad proximum suum, & dixerunt ad Baruch: Nuntiare debemus regi omnes sermones istos.

17. Et interrogaverunt eum, dicentes: Indica nobis quomodo scripsisti omnes sermones istos ex ore ejus.

18. Dixit

19. (f) Probabile est Rechabitas fuisse electos ad aliquod ministerium templi, v. gr. ut essent cantores; vel non deficiet eis, si minus generatione, saltem imitatione.

CAPUT XXXVI. 1. (a) Postquam Joakim re composita cum Nabuchodonosore, Babyloni sedictas.

2. (b) Ab anno 13. regni ejus.

5. (c) Domi me continens propter sævitiam Joakim; neque egredi possum sine periculo.

6. (d) Quod extraordinarie indictum fuerat ad avertendas alias clades, nempe mense nono.

7. (e) Si forte Deo accepta fiat oratio populi pœnitentiam agentis.

9. (f) In templo.

10. (g) E fenestra legit, quæ erat in vestibulo.

18. Dixit autem eis Baruch: Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos, & ego scribebam in volumine atramento (*h*).

19. Et dixerunt principes ad Baruch: Vade, & abscondere tu & Jeremias, & nemo sciat ubi sitis.

20. Et ingressi sunt ad regem in atrium: porro volumen commendaverunt in gazophylacio Elisamæ scribæ: & nuntiaverunt audiente rege omnes sermones.

21. Misitque rex Judi ut sumeret volumen: qui tollens illud de gazophylacio Elisamæ scribæ, legit audiente rege, & universis principibus, qui stabant circa regem.

22. Rex autem sedebat in domo hiemali in mense nono: & posita erat arula (*i*) coram eo plena prunis.

23. Cumque legisset Judi tres pagellas vel quatuor, scidit illud scalpello scribæ, & projecit in ignem, qui erat super arulam, donec consumeretur omne volumen igni, qui erat in arula.

24. Et non timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua, rex & omnes servi ejus, qui audierunt universos sermones istos.

25. Verumtamen Elnathan, & Dalajas, & Gamarias contradixerunt regi ne combureret librum: & non audivit eos.

26. Et præcepit rex Jeremiel filio Amelech, & Sarajæ filio Ezriel, & Selemiæ filio Abdeel, ut comprehenderent Baruch scribam, & Jeremiam prophetam: abscondit autem eos Dominus.

27. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam, postquam combusserat rex volumen & sermones, quos scripserat Baruch ex ore Jeremiæ, dicens:

28. Rursum tolle volumen aliud: & scribe in eo omnes sermones priores, qui erant in primo volumine, quod combussit Joakim rex Juda.

29. Et ad Joakim regem Juda, dices: Hæc dicit Dominus: Tu combussisti volumen illud, dicens: Quare scripsisti in eo annuntians: Festinus veniet rex Babylonis, & vastabit terram hanc, & cessare faciet ex illa hominem, & jumentum?

30. Propterea hæc dicit Dominus contra Joakim regem Juda: Non erit ex eo qui sedeat (*k*) super solium David: & cadaver ejus projicietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem.

31. Et visitabo contra eum, & contra semen ejus, & contra servos ejus iniquitates suas; & adducam super eos, & super habitatores Jerusalem, & super viros Juda, omne malum, quod locutus sum ad eos, & non audierunt.

32. Jeremias autem tulit volumen aliud, & dedit illud Baruch filio Neriæ scribæ: qui scripsit in eo ex ore Jeremiæ omnes sermones libri, quem combusserat Joakim rex Juda igni: & insuper additi sunt sermones multo plures, quam antea fuerant.

18. (*h*) Qui scribendi modus est perantiquus.
22. (*i*) Instrumentum prunis, seu carbonibus plenum; prunarium.
30. (*k*) Joakin illius filius per tres menses tentavit hoc solium conscendere: sed abductus fuit Babylonem: posteri non fuerunt reges, sed duces.

CAPUT XXXVII.

Sedecia infausta omnia prædicit Jeremias, redituros Chaldæos & Jerusalem expugnaturos; Jeremias cæsus in carcerem truditur, qui a Sedecia eductus in vestibulo carceris asservatur.

1. ET regnavit rex * Sedecias filius Josiæ pro Jechonia filio Joakim: quem constituit regem Nabuchodonosor rex Babylonis in terra Juda. * 4. Reg. 24. 17. Inf. 52. 1. 2. Par. 36. 10.

2. Et non obedivit ipse, & servi ejus, & populus terræ verbis Domini, quæ locutus est in manu Jeremiæ prophetæ.

3. Et misit rex Sedecias Juchal filium Selemiæ, & Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem ad Jeremiam prophetam dicens: Ora pro nobis Dominum Deum nostrum.

4. Jeremias autem libere ambulabat in medio populi: non enim miserant eum in custodiam carceris. Igitur exercitus Pharaonis egressus est de Ægypto: & audientes Chaldæi, qui obsidebant Jerusalem, hujuscemodi nuntium, recesserunt ab Jerusalem.

5. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam, dicens:

6. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Sic dicetis regi Juda, qui misit vos ad me interrogandum: Ecce exercitus Pharaonis, qui egressus est vobis in auxilium, revertetur in terram suam in Ægyptum.

7. Et redient Chaldæi, & bellabunt contra civitatem hanc: & capient eam, & succendent eam igni.

8. Hæc dicit Dominus: Nolite decipere animas vestras, dicentes: Euntes abibunt, & recedent a nobis Chaldæi, quia non abibunt.

9. Sed & si percusseritis omnem exercitum Chaldæorum, qui præliantur adversum vos, & derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati; singuli de tentorio suo consurgent, & incendent civitatem hanc igni.

10. Ergo cum recessisset exercitus Chaldæorum ab Jerusalem propter exercitum Pharaonis,

11. Egressus est Jeremias de Jerusalem ut iret in terram Benjamin, & divideret ibi possessionem (*a*) in conspectu civium.

12. Cumque pervenisset ad portam Benjamin, erat ibi custos portæ per vices, nomine Jerias, filius Selemiæ filii Hananiæ, & apprehendit Jeremiam prophetam, dicens: Ad Chaldæos profugis.

13. Et respondit Jeremias: Falsum est, non fugio ad Chaldæos. Et non audivit eum: sed comprehendit Jerias Jeremiam, & adduxit eum ad principes.

14. Quam ob rem irati principes contra Jeremiam, cæsum eum miserunt in carcerem, qui erat in domo Jonathan scribæ: ipse enim præpositus erat super carcerem.

15. Itaque ingressus est Jeremias in domum laci (*b*) & in ergastulum: & sedit ibi Jeremias diebus multis.

16. Mit-

11. (*a*) Cum fratribus suis, aut propinquis; de possessione quæ illi obvenerat, forsitan loquitur; vel ut secessum quæreret adversus populum tumultuantem. Id enim ex textu Hebræo potest intelligi.
15. (*b*) Domus laci est carcer ipse; ergastulum est officina ubi opera faciebant.

CAPUT XXXVII.

16. Mittens autem Sedecias rex tulit eum: & interrogavit eum in domo sua abscondite, & dixit: Putasne est sermo a Domino? Et dixit Jeremias: Est, & ait: In manu regis Babylonis traderis.

17. Et dixit Jeremias ad regem Sedeciam: Quid peccavi tibi, & servis tuis, & populo tuo, quia misisti me in domum carceris?

18. Ubi sunt prophetæ vestri, qui prophetabant vobis, & dicebant: Non veniet rex Babylonis super vos, & super terram hanc?

19. Nunc ergo audi, obsecro domine mi rex: Valeat deprecatio mea in conspectu tuo: & ne me remittas in domum Jonathan scribæ, ne moriar ibi.

20. Præcepit ergo rex Sedecias ut traderetur Jeremias in vestibulo carceris, & daretur ei torta panis quotidie, excepto pulmento, donec consumerentur omnes panes de civitate: & mansit Jeremias in vestibulo carceris.

CAPUT XXXVIII.

Jeremias principibus a Rege traditus mittitur in lacum, unde jussu Regis per Abdemelech educitur, & in vestibulo carceris custoditur: suadet Regi ut egrediatur ad Chaldæos, alioqui nec ipse eos effugiet, & civitas igne succendetur.

1. AUdivit autem Saphatias filius Mathan, & Gedelias filius Phassur, & Juchal filius Selemiæ, & Phassur filius Melchiæ, sermones, quos Jeremias loquebatur ad omnem populum, dicens:

* Sup. 21. 9. 2. Hæc dicit Dominus: * Quicumque manserit in civitate hac, morietur gladio, & fame, & peste: qui autem profugerit ad Chaldæos, vivet, & erit anima ejus sospes & vivens.

3. Hæc dicit Dominus: Tradendo tradetur civitas hæc in manu exercitus regis Babylonis, & capiet eam.

4. Et dixerunt principes Regi: Rogamus ut occidatur homo iste: de industria enim dissolvit manus virorum bellantium, qui remanserunt in civitate hac, & manus universi populi, loquens ad eos juxta verba hæc: siquidem homo iste non quærit pacem populo huic, sed malum.

5. Et dixit rex Sedecias: Ecce ipse in manibus vestris est: nec enim fas est regem vobis quidquam negare (*a*).

6. Tulerunt ergo Jeremiam, & projecerunt eum in lacum Melchiæ filii Amelech, qui erat in vestibulo carceris: & submiserunt Jeremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum: descendit itaque Jeremias in cœnum.

7. Audivit autem Abdemelech Æthiops vir eunuchus, qui erat in domo regis, quod misissent Jeremiam in lacum: porro rex sedebat in porta Benjamin.

8. Et egressus est Abdemelech de domo regis, & locutus est ad regem, dicens:

9. Domine mi rex, male fecerunt viri isti omnia quæcumque perpetrarunt contra Jeremiam prophetam, mittentes eum in lacum ut moriatur ibi fame, non sunt enim panes ultra in civitate.

10. Præcepit itaque rex Abdemelech Æthiopi, dicens: Tolle tecum hinc triginta viros, & leva Jeremiam prophetam de lacu antequam moriatur.

11. Assumptis ergo Abdemelech secum viris, ingressus est domum regis, quæ erat sub cellario: & tulit inde veteres pannos, & antiqua quæ computruerant, & submisit ea ad Jeremiam in lacum per funiculos.

12. Dixitque Abdemelech Æthiops ad Jeremiam: Pone veteres pannos (*b*), & hæc scissa & putrida sub cubito manuum tuarum, & super funes: fecit enim Jeremias sic.

13. Et extraxerunt Jeremiam funibus, & eduxerunt eum de lacu: mansit autem Jeremias in vestibulo carceris.

14. Et misit rex Sedecias, & tulit ad se Jeremiam prophetam ad ostium tertium (*c*), quod erat in domo Domini: & dixit rex ad Jeremiam: Interrogo ego te sermonem, ne abscondas a me aliquid.

15. Dixit autem Jeremias ad Sedeciam: Si annuntiavero (*d*) tibi, numquid non interficies me? & si consilium dedero tibi, non me audies.

16. Juravit ergo rex Sedecias Jeremiæ clam, dicens: Vivit Dominus, qui fecit nobis animam (*e*) hanc, si occidero te, & si tradidero te in manus virorum istorum, qui quærunt animam tuam.

17. Et dixit Jeremias ad Sedeciam: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, vivet anima tua, & civitas hæc non succendetur igni: & salvus eris tu, & domus tua.

18. Si autem non exieris ad principes regis Babylonis, tradetur civitas hæc in manus Chaldæorum, & succendent eam igni: & tu non effugies de manu eorum.

19. Et dixit rex Sedecias ad Jeremiam: Sollicitus sum propter Judæos, qui transfugerunt (*f*) ad Chaldæos: ne forte tradar in manus eorum, & illudant mihi.

20. Respondit autem Jeremias: Non te tradent: audi quæso vocem Domini, quam ego loquor ad te, & bene tibi erit, & vivet anima tua.

21. Quod si nolueris egredi: iste est sermo, quem ostendit mihi Dominus:

22. Ecce omnes mulieres, quæ remanserunt in domo regis Juda, educentur ad principes regis Babylonis: & ipsæ dicent: Seduxerunt te, & prævaluerunt adversum te viri pacifici (*g*) tui, demerserunt in cœno, & in lubrico pedes tuos, & recesserunt a te.

23. Et

CAPUT XXXVIII.

5. (*a*) Sept. Interpret. Quia rex non poterat eis resistere. Magnam Sedeciæ levitatem & inconstantiam toto hoc capite cernere est.

12. (*b*) Ne funes nudum, aut seminudum læderent.

14. (*c*) Ad portam tertiam Templi, qua Rex e regia domo in Templum intrabat. Una Templi porta portæ regiæ respondebat, eaque tertia dicitur porta, forsitan a porta orientali numerando.

15. (*d*) Hinc liquet prophetias non edi eo impetu, quem prudentia non regat: nam licet Propheta haberet a Deo revelationem, in ejus tamen erat arbitrio eam manifestare, aut silentio premere: *Nam spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt*, 1. Cor. 14

16. (*e*) Qui nobis vitalem dedit spiritum.

19. (*f*) Qui juxta consilium Jeremiæ ad Chaldæos se receperunt, aut quos Sedecias offenderat. Futilis excusatio Sedeciæ, ne Dei voluntati obtemperaret.

22. (*g*) Familiares, aut pseudoprophetæ, qui tibi pacem & prospera omnia promittebant. *Demerserunt in cœno*, conjecerunt in periculum, & deserent te.

23. Et omnes uxores tuæ, & filii tui educentur ad Chaldæos: & non effugies manus eorum, sed in manu regis Babylonis capieris: & civitatem hanc comburet igni.

24. Dixit ergo Sedecias ad Jeremiam: Nullus (*h*) sciat verba hæc, & non morieris.

25. Si autem audierint principes quia locutus sum tecum, & venerint ad te, & dixerint tibi: Indica nobis quid locutus sis cum rege, ne celes nos, & non te interficiemus: & quid locutus est tecum rex:

26. Dices ad eos: Prostravi ego preces meas coram rege, ne me reduci juberet in domum Jonathan, & ibi morer.

27. Venerunt ergo omnes principes ad Jeremiam, & interrogaverunt eum: & locutus (*i*) est eis juxta omnia verba quæ præceperat ei rex, & cessaverunt ab eo: nihil enim fuerat auditum.

28. Mansit vero Jeremias in vestibulo carceris usque ad diem, quo capta est Jerusalem: & factum est ut caperetur Jerusalem.

CAPUT XXXIX.

Jerusalem a rege Babylonis capta, rex Sedecias fugiens capitur una cum principibus; hujus filii in conspectu ipsius trucidantur; confixis oculis vinctus Babylonem abducitur; subverso muro Jerusalem, & palatio, aliisque domibus igne succensis, pars vulgi transfertur Babylonem, & pars Jerosolymis relinquitur; Jeremias vero e carceris vestibulo liber educitur.

4. Reg. 25. 1. 1. ANno nono Sedeciæ regis Juda, mense decimo, venit Nabuchodonosor rex Ba-
Infr. 52. 4. bylonis, & omnis exercitus ejus ad Jerusalem, & obsidebant eam.

2. Undecimo autem anno Sedeciæ, mense quarto, quinta (*a*) mensis aperta est civitas.

3. Et ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, & sederunt in porta media (*b*): Neregel, Sereser, Semegarnabu, Sarsachim, Rabsares, Neregel, Sereser, Rebmag, & omnes reliqui principes regis Babylonis.

4. Cumque vidisset eos Sedecias rex Juda, & omnes viri bellatores, fugerunt (*c*): & egressi sunt nocte de civitate per viam horti regis, & per portam, quæ erat inter duos muros, & egressi sunt ad viam deserti.

5. Persecutus est autem eos exercitus Chaldæorum: & comprehenderunt Sedeciam in campo solitudinis Jerichontinæ, & captum adduxerunt ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Reblatha, quæ est in Terra Emath: & locutus est ad eum judicia (*d*).

6. Et occidit rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha, in oculis ejus: & omnes nobiles Juda occidit rex Babylonis.

7. Oculos quoque Sedeciæ eruit: & vinxit eum compedibus ut duceretur in Babylonem.

8. Domum quoque regis, & domum vulgi (*e*) succenderunt Chaldæi igni, & murum Jerusalem subverterunt.

9. Et reliquias populi, qui remanserant in civitate, & perfugas, qui transfugerant ad eum, & superfluos (*f*) vulgi, qui remanserant, transtulit Nabuzardan magister militum in Babylonem.

10. Et de plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardan magister militum in Terra Juda: & dedit eis vineas & cisternas (*g*) in die illa.

11. Præceperat autem Nabuchodonosor rex Babylonis de Jeremia Nabuzardan magistro militum, dicens:

12. Tolle illum, & pone super eum oculos tuos, nihilque ei mali facias: sed, ut voluerit, sic facias ei.

13. Misit ergo Nabuzardan princeps militiæ, & Nabusezban, & Rabsares, & Neregel, & Sereser, & Rebmag, & omnes optimates regis Babylonis,

14. Miserunt, & tulerunt Jeremiam de vestibulo carceris, & tradiderunt eum Godoliæ filio Ahicam filii Saphan, ut intraret in domum, & habitaret in populo.

15. Ad Jeremiam autem factus fuerat sermo Domini, cum clausus esset in vestibulo carceris, dicens:

16. Vade, & dic Abdemelech Æthiopi, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego inducam sermones meos super civitatem hanc in malum, & non in bonum, & erunt in conspectu (*h*) tuo in die illa.

17. Et liberabo te in die illa, ait Dominus: & non traderis in manus virorum, quos tu formidas:

18. Sed eruens liberabo te, & gladio non cades: sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus.

CA-

24. (*h*) Aliud est celare veritatem, quod licitum est; aliud mentiri: de causa deductionis faciendæ prudenter tacuit Jeremias; ut Samuel 1. Reg. cum veniret uncturus David in Bethlehem, se venisse ut sacrificaret, dixit. De re duplici & vera interrogatus, unam protulit, alteram reticet.

27. (*i*) Non dubium est, quin Jeremias rogaverit regem, ne mitteretur in carcerem.

CAPUT XXXIX. 2. (*a*) Lib. 4. Reg. 25. & cap. 52. Jerem legitur nona mensis; ideo plerique censent in notis numeralibus mendum facile irrepere potuisse, aut certe quod videtur Tostato, die 5. exterior, die 9. interior murus dirutus est. Hebr & LXX. habent nona mensis, non quinta; lib. 4. Reg. 25. Legimus mense quinto urbem incensam fuisse a Nabuzardan: nam prius capta est, tum post unum mensem incensa.

3. (*b*) Quæ erat inter portam muri extimi urbis, & portam muri intimi; vel quæ erat inter portam muri orientalem, & inter portam templi.

4. (*c*) Per loca subterranea, ut verisimile est.

5. (*d*) Arguens eum de infidelitate & perjurio: phrasi Hebraica, loqui judicia cum aliquo, est cum eo agere summo jure; sententiam adversus eum pronuntiavit.

8. (*e*) Domum publicam, ubi celebrantur ludi publici, nuptiæ, &c.

9. (*f*) Opifices qui superstites cladi remanserant; *Reliquiæ populi*, ex honestioribus populi reliqui.

10. (*g*) Hebr. Agros qui e cisternis rigari poterant.

16. (*h*) Oculis tuis videbis.

C A P U T XL.

Jeremiæ permittitur libere habitare ubicumque voluerit: qui una cum dispersis Judæis venit ad Godoliam præfectum reliquiis Judæorum: qui Godolias audire noluit Johanan, qui eum de insidiis Ismahelis admonebat.

1. SErmo (*a*), qui factus est ad Jeremiam a Domino, postquam dimissus est a Nabuzardan magistro militiæ de Rama, quando tulit eum vinctum catenis in medio omnium, qui migrabant de Jerusalem & Juda, & ducebantur in Babylonem.

2. Tollens ergo princeps militiæ Jeremiam, dixit ad eum: Dominus Deus tuus locutus est malum hoc super locum istum,

3. Et adduxit: & fecit Dominus sicut locutus est, quia peccastis Domino, & non audistis vocem eius, & factus (*b*) est vobis sermo hic.

4. Nunc ergo ecce solvi te hodie de catenis, quæ sunt in manibus tuis: si placet tibi ut venias (*c*) mecum in Babylonem, veni: & ponam oculos meos super te: si autem displicet tibi venire mecum in Babylonem, reside: ecce omnis terra in conspectu tuo est: quod elegeris, & quo placuerit tibi ut vadas, illuc perge.

5. Et mecum noli venire: sed habita apud Godoliam filium Ahicam filii Saphan, quem præposuit rex Babylonis civitatibus Juda: habita ergo cum eo in medio populi: vel quocumque placuerit tibi ut vadas, vade. Dedit quoque ei magister militiæ cibaria, & munuscula, & dimisit eum.

6. Venit autem Jeremias ad Godoliam filium Ahicam in Masphath, & habitavit cum eo in medio populi, qui relictus fuerat in terra.

7. Cumque audissent omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant per regiones, ipsi & socii eorum, quod præfecisset rex Babylonis Godoliam filium Ahicam terræ, & quod commendasset ei viros, & mulieres, & parvulos, & de pauperibus terræ, qui non fuerant translati in Babylonem:

8. Venerunt ad Godoliam in Masphath: & Ismahel (*d*) filius Nathaniæ, & Johanan, & Jonathan filii Caree, & Sareas filius Thanehumeth, & filii Ophi, qui erant de Netophathi, & Jezonias filius Maachathi, ipsi & viri eorum.

* 4. Reg. 25. 24. 9. * Et juravit eis Godolias filius Ahicam filii Saphan, & comitibus eorum, dicens: Nolite timere servire Chaldæis, habitate in terra, & servite regi Babylonis, & bene erit vobis.

10. Ecce ego habito in Masphath, ut respondeam præcepto Chaldæorum, qui mittuntur ad nos: vos autem colligite vindemiam, & messem, & oleum, & condite in vasis vestris, & manete in urbibus vestris, quas tenetis.

11. Sed & omnes Judæi, qui erant in Moab, & in filiis Ammon, & in Idumæa, & in universis regionibus, audito quod dedisset rex Babylonis reliquias in Judæa, & quod proposuisset super eos Godoliam filium Ahicam filii Saphan:

12. Reversi sunt, inquam, omnes Judæi de universis locis, ad quæ profugerant, & venerunt in Terram Juda ad Godoliam in Masphath: & collegerunt vinum, & messem multam nimis.

13. Johanan autem filius Caree, & omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant in regionibus, venerunt ad Godoliam in Masphath.

14. Et dixerunt ei: Scito quod Baalis rex filiorum Ammon misit Ismahel filium Nathaniæ percutere animam tuam. Et non credidit eis Godolias filius Ahicam.

15. Johanan autem filius Caree dixit ad Godoliam seorsum in Masphath, loquens: Ibo, & percutiam Ismahel filium Nathaliæ nullo sciente, ne interficiat animam tuam, & dissipentur omnes Judæi, qui congregati sunt ad te, & peribunt reliquiæ Juda.

16. Et ait Godolias filius Ahicam ad Johanan filium Caree: Noli facere verbum hoc: falsum enim tu loqueris de Ismahel.

C A P U T XLI.

Hoc capite necem Godoliæ, quæque secuta sunt enarrat Propheta. Quæ autem vers. 4. & 5. de viris Sichem, qui venerant ut offerrent munera in domo Domini, nullo adhuc sciente: non existimandum est eos ignorasse excidium Jerosolymæ ante duos menses peractum, sed nesciebant necem Godoliæ; oblaturi venerant munera in eo loco Jerusalem, ubi Godolias altare erexerat inter templi rudera, uti colligitur ex cap. 1. Baruch.

1. ET factum est in mense septimo, venit Ismahel filius Nathaniæ, filii Elisama de semine regali, & optimates regis, & decem (*a*) viri cum eo, ad Godoliam filium Ahicam in Masphath: & comederunt ibi panes simul in Masphath.

2. Surrexit autem Ismael filius Nathaniæ, & decem viri qui cum eo erant, & percusserunt Godoliam filium Ahicam filii Saphan gladio, & interfecerunt eum, quem præfecerat rex Babylonis terræ.

3. Omnes quoque Judæos, qui erant cum Godolia in Masphath, & Chaldæos, qui reperti sunt ibi, & viros bellatores percussit Ismahel.

4. Secundo autem die postquam occiderat Godoliam, nullo adhuc sciente (*b*).

5. Venerunt viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria octoginta viri, rasi barba, & scissis vestibus, & squallentes: & munera & thus habebant in manu, ut offerrent in domo Domini.

6. Egres-

CAP. XL. 1. (*a*) Est quasi titulus novi libri, qui omnia continet quæ vaticinatus est post captivitatem. Hoc capite & sequenti nullum fit verbum Jeremiæ a Deo, sed tantum cap. 42. Quæ iam prius interponit de liberatione sua & morte Godoliæ; idque factum est post interiectum mensem, ex lib. 4 Reg. 25. Longa sequitur parenthesis ad versiculum usque 5. cap. 42. continuata.

3. (*b*) Evenit vobis quod Deus per me locutus est.

4. (*c*) Maluit Jeremias remanere cum reliquiis in Juda, cum iisdem iturus in Ægyptum, quibus utilis futurus erat.

8. (*d*) Scilicet Ismahel.

1. (*a*) Viri decem sicarii. Optimates regis Ammonitarum, qui specie honoris venerunt ad Godoliam. CAP. XLI.

4. (*b*) Extra urbem.

6. Egressus ergo Ismahel filius Nathaniæ in occursum eorum de Masphath, incedens & plorans ibat: cum autem occurrisset eis, dixit ad eos: Venite ad Godoliam filium Ahicam.

7. Qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos Ismahel filius Nathaniæ circa medium laci, ipse & viri qui erant cum eo.

8. Decem autem viri reperti sunt inter eos, qui dixerunt ad Ismahel: Noli occidere nos: quia habemus thesauros in agro, frumenti, & hordei, & olei, & mellis. Et cessavit, & non interfecit eos cum fratribus suis.

9. Lacus autem, in quem projecerat Ismahel omnia cadavera virorum, quos percussit propter Godoliam, ipse est, quem fecit rex Asa propter Baasa regem Israel: ipsum replevit Ismahel filius Nathaniæ occisis.

10. Et captivas duxit Ismahel omnes reliquias populi, qui erant in Masphath: filias Regis, & universum populum, qui remanserat in Masphath: quos commendaverat Nabuzardan princeps militiæ Godoliæ filio Ahicam. Et cepit eos Ismahel filius Nathaniæ, & abiit ut transiret ad filios Ammon.

11. Audivit autem Johanan filius Caree, & omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, omne malum, quod fecerat Ismahel filius Nathaniæ.

12. Et assumptis universis viris, profecti sunt ut bellarent adversum Ismahel filium Nathaniæ, & invenerunt eum ad aquas multas (c), quæ sunt in Gabaon.

13. Cumque vidisset omnis populus, qui erat cum Ismahel, Johanan filium Caree, & universos principes bellatorum qui erant cum eo, lætati sunt.

14. Et reversus est omnis populus, quem ceperat Ismahel, in Masphath: reversusque abiit ad Johanan filium Caree.

15. Ismahel autem filius Nathaniæ fugit cum octo viris a facie Johanan, & abiit ad filios Ammon.

16. Tulit ergo Johanan filius Caree, & omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, universas reliquias vulgi, quas reduxerat ab Ismahel filio Nathaniæ de Masphat (d), postquam percussit Godoliam filium Ahicam: fortes viros ad prælium, & mulieres, & pueros, & eunuchos, quos reduxerat de Gabaon:

17. Et abierunt, & sederunt (e) peregrinantes in Chamaam, quæ est juxta Bethlehem, ut pergerent, & introirent Ægyptum.

18. A facie Chaldæorum: timebant enim eos, quia percusserat Ismahel filius Nathaniæ Godoliam filium Ahicam, quem præposuerat rex Babylonis in Terra Juda.

CAPUT XLII.

Reliquiæ Judæorum consulunt Deum per Jeremiam quid facturi sint: vetat Deus ne in Ægyptum proficiscantur.

1. ET accesserunt omnes principes bellatorum, & Johanan filius Caree, & Jezonias filius Osajæ, & reliquum vulgus a parvo usque ad magnum:

2. Dixeruntque ad Jeremiam prophetam: Cadat oratio (a) nostra in conspectu tuo: & ora pro nobis ad Dominum Deum tuum, pro universis reliquiis istis: quia derelicti sumus pauci de pluribus, sicut oculi tui nos intuentur:

3. Et annuntiet nobis Dominus Deus tuus viam, per quam pergamus, & verbum quod faciamus.

4. Dixit autem ad eos Jeremias propheta: Audivi: ecce ego oro ad Dominum Deum vestrum secundum verba vestra: omne verbum, quodcumque responderit mihi, indicabo vobis, nec celabo vos quidquam.

5. Et illi dixerunt ad Jeremiam: Sit Dominus inter nos testis (b) veritatis & fidei, si non juxta omne verbum, in quo miserit te Dominus Deus tuus ad nos, sic faciemus:

6. Sive bonum est, sive malum, voci Domini Dei nostri, ad quem mittimus te, obediemus: ut bene sit nobis cum audierimus vocem Domini Dei nostri.

7. Cum autem completi essent decem dies, factum est verbum Domini ad Jeremiam.

8. Vocavitque Johanan filium Caree, & omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, & universum populum a minimo usque ad magnum.

9. Et dixit ad eos: Hæc dicit Dominus Deus Israel, ad quem misistis me, ut prosternerem preces vestras in conspectu ejus:

10. Si quiescentes manseritis in terra hac, ædificabo vos, & non destruam; plantabo, & non evellam: jam enim placatus sum super malo quod feci vobis.

11. Nolite timere a facie regis Babylonis, quem vos pavidi formidatis: nolite metuere eum, dicit Dominus: quia vobiscum sum ego, ut salvos vos faciam, & eruam de manu ejus.

12. Et dabo vobis misericordias, & miserebor vestri, & habitare vos faciam in terra vestra:

13. Si autem dixeritis vos: Non habitabimus in terra ista, nec audiemus vocem Domini Dei nostri,

14. Dicentes: Nequaquam, sed ad Terram Ægypti pergemus: ubi non videbimus bellum, & clangorem tubæ non audiemus, & famem non sustinebimus: & ibi habitabimus.

15. Propter hoc nunc audite verbum Domini reliquiæ Juda: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Si posueritis faciem (c) vestram ut ingrediamini Ægyptum, & intraveritis ut ibi habitetis:

16. Gla-

12. (c) Juxta loca palustria inter Masphath & Ammonitidem.
16. (d) Quas Ismahel duxerat de Masphath.
17. (e) Habitarunt in terra, in qua peregrinatus est Chamaam. Vel per regionem, quam David Chamaam filio Berzelai dederat, 2. Reg. 19. transierunt.

CAPUT XLII.
2. (a) Placeat tibi.
5. (b) Quod verum est juramentum, & expressium magis, quam ubi juratur per Deum. Nam ratio juramenti affertur, quæ in hoc posita est, quod Deus ut testis adhibeatur ad confirmandum id, quod dicitur. *Sic faciemus*: ita more Hebr. supplendum; Et male nobiscum agatur, si non faciamus juxta omne verbum tuum.
15. (c) Si obfirmato consilio Ægyptum ingrediamini: Hebraismus.

16. Gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in Terra Ægypti: & fames, pro qua estis solliciti, adhærebit vobis in Ægypto, & ibi moriemini.

17. Omnesque viri, qui posuerunt faciem suam ut ingrediantur Ægyptum, ut habitent ibi, morientur gladio, & fame, & peste: nullus de eis remanebit, nec effugiet a facie mali, quod ego afferam super eos.

18. Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Sicut conflatus est furor meus, & indignatio mea super habitatores Jerusalem: sic conflabitur (*d*) indignatio mea super vos, cum ingressi fueritis Ægyptum, & eritis in jusjurandum, & in stuporem, & in maledictum, & in opprobrium: & nequaquam ultra videbitis locum istum.

19. Verbum Domini super vos reliquiæ Juda: nolite intrare Ægyptum: scientes scietis quia obtestatus sum vos hodie,

20. Quia decepistis animas vestras: vos enim misistis me ad Dominum Deum nostrum, dicentes: Ora pro nobis ad Dominum Deum nostrum, & juxta omnia quæcumque dixerit tibi Dominus Deus noster, sic annuntia nobis, & faciemus.

21. Et annuntiavi vobis hodie, & non audistis vocem Domini Dei vestri, super universis, pro quibus misit me ad vos.

22. Nunc ergo scientes scietis quia gladio, & fame, & peste moriemini in loco, ad quem voluistis intrare ut habitaretis ibi.

CAPUT XLIII.

Reliquiæ Judæorum non audientes Domini præceptum, una cum Jeremia & Baruch proficiscuntur in Ægyptum: ubi Jeremias prædicit regem Babylonis vastaturum terram Ægypti cum idolis suis, eique dominaturum.

1. FActum est autem, cum complesset Jeremias loquens ad populum universos sermones Domini Dei eorum, pro quibus miserat eum Dominus Deus eorum ad illos, omnia verba hæc:

2. Dixit Azarias filius Osajæ, & Johanan filius Caree, & omnes viri superbi, dicentes ad Jeremiam: Mendacium tuum loqueris: non misit te Dominus Deus noster, dicens: Ne ingrediamini Ægyptum ut habitetis illic.

3. Sed Baruch filius Neriæ incitat te adversum nos, ut tradat nos in manus Chaldæorum, ut interficiat nos, & traduci faciat in Babylonem.

4. Et non audivit Johanan filius Caree, & omnes principes bellatorum, & universus populus vocem Domini, ut manerent in Terra Juda.

5. Sed tollens (*a*) Johanan filius Caree, & universi principes bellatorum universos reliquiarum Juda, qui reversi fuerant de cunctis Gentibus, ad quas fuerant ante dispersi, ut habitarent in terra Juda:

6. Viros, & mulieres, & parvulos, & filias regis, & omnem animam, quam reliquerat Nabuzardan princeps militiæ cum Godolia filio Ahicam filii Saphan, & Jeremiam prophetam, & Baruch filium Neriæ.

7. Et ingressi sunt Terram Ægypti, quia non obedierunt voci Domini: & venerunt usque ad Taphnis (*b*).

8. Et factus est sermo Domini ad Jeremiam in Taphnis, dicens:

9. Sume lapides grandes in manu tua, & abscondes eos in crypta (*c*), quæ est sub muro latericio in porta domus Pharaonis in Taphnis, cernentibus viris Judæis.

10. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego mittam (*d*), & assumam Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum: & ponam thronum ejus super lapides istos, quos abscondi, & statuet solium suum super eos.

11. Veniensque percutiet Terram Ægypti: quos in mortem, in mortem: & quos in captivitatem, in captivitatem: & quos in gladium, in gladium.

12. Et succendet ignem in delubris deorum Ægypti, & comburet ea, & captivos ducet illos: & amicietur Terra Ægypti, sicut amicitur (*e*) pastor pallio suo: & egredietur inde in pace.

13. Et conteret (*f*) statuas domus Solis, quæ sunt in Terra Ægypti: & delubra deorum Ægypti comburet igni.

CAPUT XLIV.

Judæi in Ægypto reprehensi a Jeremia ob idololatriam, obstinate respondent una cum multitudine mulierum, se permansuros in idololatria inveterata; hos Jeremias prædicit universos gladio & fame consumendos, regemque Ægypti tradendum in manus inimicorum suorum, ac terram Ægypti prorsus vastandam.

1. VErbum, quod factum est per Jeremiam ad omnes Judæos, qui habitabant in Terra Ægypti, habitantes in Magdalo (*a*), & in Taphnis, & in Memphis, & in Terra Phatures, dicens:

2. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Vos vidistis omne malum istud, quod adduxi super Jerusalem, & super omnes urbes Juda: & ecce desertæ sunt hodie, & non est in eis habitator:

3. Propter malitiam, quam fecerunt ut me ad iracundiam provocarent, & irent ut sacrificarent, & colerent deos alienos, quos nesciebant & illi, & vos, & patres vestri.

4. Et

18. (*d*) Effundetur ira mea in vos: metaphora ducta a metallis dum conflantur, & liquata erumpunt magno impetu. *Et eritis in jusjurandum*, execratorium, cum quis volet alios execrari.

CAPUT XLIII. 5. (*a*) Præceptum illud Domini ad principes & populum in genere datum est, quos Jeremias & Baruch comitati sunt, ut iis voluntatem Domini annuntiarent.

7. (*b*) Quæ metropolis erat Ægypti, alias Taphnis.

9. (*c*) Quasi fabricans ex iis solium: abscondes sub terra, quasi fundamenta jaceres alicujus ædificii: non verbis solum, sed & rebus futuram calamitatem iis annuntiat. *In crypta*, in specu; *In porta*, e regione portæ regiæ Pharaonis.

11. (*d*) Nuntios: veniendi cogitationem & consilium ei injiciam; *Servum meum*, cujus ministerio utor ad punienda aliorum flagitia.

12. (*e*) Terra Ægypti, spoliis Ægypti; *Et egredietur inde in pace*, sine ulla molestia.

13. (*f*) Sept. Interpret. statuas Heliopoleos, aut templum, in quo Solem adorabant.

1. (*a*) Prope Pelusium. *Et in terra Phatures*, urbs erat Ægypti, quæ & Phatros dicta est. CAPUT XLIV.

4. Et misit ad vos omnes servos meos prophetas de nocte consurgens, mittensque & dicens: Nolite facere verbum abominationis hujuscemodi, quam odivi.

5. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam ut converterentur a malis suis, & non sacrificarent diis alienis.

6. Et conflata est indignatio mea & furor meus, & succensa est in civitatibus Juda, & in plateis Jerusalem: & versæ sunt in solitudinem & vastitatem secundum diem hanc.

7. Et nunc hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Quare vos facitis malum grande hoc contra animas vestras, ut intereat ex vobis vir & mulier, parvulus & lactens de medio Judæ, nec relinquatur vobis quidquam residuum:

8. Provocantes me in operibus manuum vestrarum, sacrificando diis alienis in Terra Ægypti, in quam ingressi estis ut habitetis ibi: & dispereatis, & sitis in maledictionem, & in opprobrium cunctis gentibus terræ?

9. Numquid obliti estis mala patrum vestrorum, & mala regum Juda, & mala uxorum ejus, & mala vestra, & mala uxorum vestrarum, quæ fecerunt in Terra Juda, & in regionibus Jerusalem?

10. Non sunt mundati (b) usque ad diem hanc: & non timuerunt, & non ambulaverunt in lege Domini, & in præceptis meis, quæ dedi coram vobis, & coram patribus vestris.

11. Ideo hæc dicit Dominus exercituum Deus
*Amos 9.4. Israel: * Ecce ego ponam faciem meam in vobis in malum: & disperdam omnem Judam.

12. Et assumam reliquias Judæ, qui posuerunt facies suas ut ingrederentur Terram Ægypti, & habitarent ibi: & consumentur omnes in Terra Ægypti: cadent in gladio & in fame: & consumentur a minimo usque ad maximum, in gladio & in fame morientur: & erunt in jusjurandum, & in miraculum, & in maledictionem, & in opprobrium.

13. Et visitabo super habitatores Terræ Ægypti, sicut visitavi super Jerusalem, in gladio, & fame, & peste.

14. Et non erit qui effugiat, & sit residuus de reliquiis Judæorum, qui vadunt ut peregrinentur in Terra Ægypti: & revertantur in Terram Juda, ad quam ipsi elevant animas suas ut revertantur, & habitent ibi: non revertentur nisi qui fugerint.

15. Responderunt autem Jeremiæ omnes viri, scientes quod sacrificarent uxores eorum diis alienis: & universæ mulieres, quarum stabat multitudo grandis, & omnis populus habitantium in Terra Ægypti & in Phatures, dicentes:

16. Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te:

17. Sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus reginæ (c) cæli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos, & patres nostri, reges nostri, & principes nostri in urbibus Juda, & in plateis Jerusalem, & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus.

18. Ex eo autem tempore, quo cessavimus sacrificare reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame consumpti sumus.

19. Quod si nos sacrificamus reginæ cæli, & libamus ei libamina: numquid sine viris nostris fecimus ei placentas ad colendum eam, & libandum ei libamina?

20. Et dixit Jeremias ad omnem populum adversum viros, & adversum mulieres, & adversum universam plebem, qui responderant ei verbum, dicens:

21. Numquid non sacrificium, quod sacrificastis in civitatibus Juda, & in plateis Jerusalem vos & patres vestri, reges vestri, & Principes vestri, & populus terræ, horum recordatus est Dominus, & ascendit (d) super cor ejus?

22. Et non poterat Dominus ultra portare propter malitiam studiorum vestrorum, & propter abominationes, quas fecistis: & facta est terra vestra in desolationem, & in stuporem, & in maledictum, eo quod non sit habitator, sicut est dies hæc.

23. Propterea quod sacrificaveritis idolis, & peccaveritis Domino, & non audieritis vocem Domini, & in lege, & in præceptis, & in testimoniis ejus non ambulaveritis: idcirco evenerunt vobis mala hæc, sicut est dies hæc.

24. Dixit autem Jeremias ad omnem populum, & ad universas mulieres: Audite verbum Domini omnis Juda, qui estis in Terra Ægypti:

25. Hæc inquit Dominus exercituum Deus Israel, dicens: Vos, & uxores vestræ, locuti estis ore vestro, & manibus vestris implestis, dicentes: Faciamus vota nostra, quæ vovimus, ut sacrificemus reginæ cæli, & libemus ei libamina: implestis vota vestra, & opere perpetrastis ea.

26. Ideo audite verbum Domini omnis Juda, qui habitatis in Terra Ægypti: Ecce ego juravi in nomine meo magno (e), ait Dominus: quia nequaquam ultra vocabitur nomen meum ex ore omnis viri Judæi, dicentis: Vivit Dominus Deus in omni Terra Ægypti.

27. Ecce ego vigilabo super eos in malum, & non in bonum: & consumentur omnes viri Juda, qui sunt in Terra Ægypti, gladio & fame, donec penitus consumantur.

28. Et qui fugerint gladium (f), revertentur de Terra Ægypti in Terram Juda viri pauci: & scient omnes reliquiæ Juda ingredientium Terram Ægypti, ut habitent ibi, cujus sermo compleatur, meus, an illorum.

29. Et hoc vobis signum, ait Dominus, quod visitem ego super vos in loco isto: ut sciatis quia vere complebuntur sermones mei contra vos in malum.

30. Hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam Pharaonem Ephree (g) regem Ægypti in manu inimicorum ejus, & in manu quærentium animam illius: sicut tradidi Sedeciam regem Juda in manu Nabuchodonosor regis Babylonis inimici sui, & quærentis animam ejus.

10. (b) Non sunt meliores effecti, postquam puniti sunt.

17. (c) Seu Lunæ, seu militiæ cæli, universo nempe siderum ordini; seu denique Soli ipsi, qui tum in magna veneratione erat apud Ægyptios: vox enim Hebræa est feminini generis.

21. & 22. (d) In mentem illius venit; *Sicut est dies hæc*, ut nunc res se habet.

26 (e) Per nomen meum ineffabile.

28 (f) Antequam venerit.

30. (g) Ultimus fuit Pharaonum. LXX. Pharaonem Vafrem.

CAPUT XLV.

Deus per Jeremiam arguit Baruch, quod quereretur se in continuis versari doloribus; cui tamen in ceterorum vastatione pollicetur securitatem.

1. VErbum (*a*), quod locutus est Jeremias propheta ad Baruch filium Neriæ, cum scripsisset verba hæc in libro ex ore Jeremiæ, anno quarto Joakim filii Josiæ regis Juda, dicens:

2. Hæc dicit Dominus Deus Israel ad te Baruch:

3. Dixisti: Væ misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo: laboravi in gemitu meo, & requiem non inveni.

4. Hæc dicit Dominus: Sic dices ad eum: Ecce quos ædificavi, ego destruo: & quos plantavi, ego evello, & universam terram hanc.

5. Et tu quæris tibi grandia (*b*)? noli quærere: quia ecce ego adducam malum super omnem carnem, ait Dominus: & dabo tibi animam tuam in salutem in omnibus locis, ad quæcumque perrexeris.

CAPUT XLVI.

Dominus per Jeremiam Pharaoni & Ægypto prænuntiat desolationem, quam inducet Nabuchodonosor; Judæis autem & filiis Israel consolationem tandem ac liberationem: universis vero gentibus, ad quas Deus illos ejecerat, excidium & ruinam.

1. QUod factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam contra Gentes (*a*).

2. Ad Ægyptum, adversum exercitum Pharaonis Nechao regis Ægypti, qui erat juxta fluvium Euphratem in Charcamis (*b*), quem percussit Nabuchodonosor rex Babylonis, in quarto anno Joakim filii Josiæ regis Juda.

3. Præparate scutum, & clypeum, & procedite ad bellum.

4. Jungite equos, & ascendite equites: state in galeis, polite lanceas, induite vos loricis.

5. Quid igitur? vidi ipsos pavidos, & terga vertentes, fortes eorum cæsos: fugerunt conciti, nec respexerunt: terror undique, ait Dominus.

6. Non fugiat velox, nec salvari se putet fortis: Ad Aquilonem juxta flumen Euphraten victi sunt, & ruerunt.

7. Quis est iste (*c*), qui quasi flumen ascendit: & veluti fluviorum, intumescunt gurgites ejus?

8. Ægyptus, fluminis instar ascendit, & velut flumina movebuntur fluctus ejus, & dicet: Ascendens operiam terram: perdam civitatem, & habitatores ejus.

9. Ascendite equos, & exultate in curribus, & procedant fortes, Æthiopia, & Libyes tenentes scutum, & Lydii (*d*) arripientes, & jacientes sagittas.

10. Dies (*e*) autem ille Domini Dei exercituum, dies ultionis, ut sumat vindictam de inimicis suis: devorabit gladius, & saturabitur, & inebriabitur sanguine eorum: victima enim Domini Dei exercituum in terra Aquilonis juxta flumen Euphraten.

11. Ascende (*f*) in Galaad, & tolle resinam, virgo filia Ægypti: frustra multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi.

12. Audierunt Gentes ignominiam tuam, & ululatus tuus replevit terram: quia fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt.

13. Verbum quod locutus est Dominus ad Jeremiam prophetam, super eo quod venturus esset Nabuchodonosor rex Babylonis, & percussurus (*g*) Terram Ægypti.

14. Annuntiate Ægypto, & auditum facite in Magdalo, & resonet in Memphis, & in Taphnis, dicite: Sta, & præpara te: quia devorabit gladius ea, quæ per circuitum tuum sunt.

15. Quare computruit fortis tuus? non stetit: quoniam Dominus subvertit eum.

16. Multiplicavit ruentes, ceciditque vir ad proximum suum, & dicent, Surge, & revertamur ad populum nostrum, & ad terram nativitatis nostræ, a facie gladii columbæ (*h*).

17. Vocate nomen Pharaonis regis Ægypti, tumultum (*i*) adduxit tempus.

18. Vivo ego (inquit Rex, Dominus exercituum nomen ejus) quoniam sicut Thabor (*k*) in montibus, & sicut Carmelus in mari, veniet.

19. Vasa (*l*) transmigrationis fac tibi habitatrix filia Ægypti: quia Memphis in solitudinem erit, & deseretur, & inhabitabilis erit.

20. Vitula (*m*) elegans atque formosa Ægyptus: stimulator ab Aquilone veniet ei.

21. Merce-

CAPUT XLV. 1. (*a*) Quæ continentur hoc capite, sunt dictata anno decimo octavo ante excidium Jerusalem, de quo cap. 36. Incertum est, an is sit sensus, verbum quod locutus est Jeremias propheta anno quarto Joakim, an verbum quod locutus est, postquam anno quarto Baruch scripsisset verba hæc ex ore Jeremiæ.

5. (*b*) Quantumcumque tibi innocens videaris, malum commune est, & patienter ferri debet, an tu solus quietem quæris? *Et dabo tibi animam tuam in salutem*: LXX. in lucrum: vita erit incolumis.

CAPUT XLVI. 1. (*a*) Usque ad finem libri vaticinatur.

2. (*b*) Urbs erat juxta Euphraten, quam obsedit Pharao Nechao, & victus est a Nabuchodonosore.

7. (*c*) Interrogat ut doceat; non ut discat. *Quasi flumen*, Pharaonis ferociam cum intumescente fluvio comparat.

9. (*d*) Qui videntur fuisse Asiatici, & Ægyptiis fœderati. *Ascendite*, est ironia.

10. (*e*) Sic dicitur in quo Deus potentiam suam ostendit, aut in quo judicium aliquod insigne exercet.

11. (*f*) Sarcasmus est, aut irrisio. *Surge, & revertamur*: ita loquuntur Ægyptii longius remoti, vel copiæ auxiliares; *Virgo filia Ægypti*: Hebræi civitatem nimis exultantem per metaphoram vocant virginem.

13. (*g*) Hoc est alterum vaticinium postea implendum.

16. (*h*) Nabuchodonosor, qui instar columbæ advolabit. *Surge*, Regis auxiliares copias inducit loquentes.

17. (*i*) Est genus prophetiæ, quod constat nominum impositione, qua scilicet id quod venturum est, declaratur: Hebr. *Vocate Saon*, seu conturbationem; quam *adduxit tempus*, quam Ægyptio superinduxit tempus infelicis conflictus, & excidii, quod sibi arcessivit Pharao Chaldæos irritando.

18. (*k*) Eminere. Et *sicut Carmelum in mari*, juxta mare procurrere verum est, ita clades insignis Ægypto est obventura.

19. (*l*) Res ad transmigrationem necessaria.

20. (*m*) Vitulam appellat, quod dives esset, deliciis abundans, & instar vitulæ pinguis lasciviret. Alludit ad Apim deum Ægyptiorum; *Stimulator*, hactenus indomita fuit, & stimulum non sensit.

21. Mercenarii (*n*) quoque ejus, qui versabantur in medio ejus, quasi vituli saginati versi sunt, & fugerunt simul, nec stare potuerunt: quia dies interfectionis eorum venit super eos, tempus visitationis eorum.

22. Vox ejus quasi æris (*o*) sonabit: quoniam cum exercitu properabunt, & cum securibus venient ei, quasi cædentes ligna.

23. Succiderunt (*p*) saltum ejus, ait Dominus, qui supputari non potest: multiplicati sunt super locustas, & non est eis numerus.

24. Confusa est filia Ægypti, & tradita in manu populi Aquilonis.

25. Dixit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego visitabo (*q*) super tumultum Alexandriæ, & super Pharaonem, & super Ægyptum, & super deos ejus, & super reges ejus, & super Pharaonem, & super eos qui confidunt in eo.

26. Et dabo eos in manus quærentium animam eorum, & in manus Nabuchodonosor regis Babylonis, & in manus servorum ejus: & post hæc habitabitur (*r*) sicut diebus pristinis, ait Dominus.

* Isai. 43. 1. & 44. 2. 27. * Et tu ne timeas serve meus Jacob, & ne paveas Israel: quia ecce ego salvum te faciam de longinquo, & semen tuum de terra captivitatis tuæ: & revertetur Jacob, & requiescet, & prosperabitur: & non erit qui exterreat eum.

28. Et tu noli timere serve meus Jacob, ait Dominus: quia tecum ego sum, quia ego consumam cunctas gentes, ad quas ejeci te: te vero non consumam, sed castigabo te in judicio (*s*) nec quasi innocenti parcam tibi.

CAPUT XLVII.

Excidium prædicitur Palæsthinorum, Tyri, Sidonis, Gazæ, & Ascalonis.

1. QUod factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam contra Palæsthinos, antequam percuteret Pharao Gazam (*a*):

2. Hæc dicit Dominus: Ecce aquæ ascendunt ab Aquilone, & erunt quasi torrens inundans, & operient terram, & plenitudinem ejus, urbem & habitatores ejus: clamabunt homines, & ululabunt omnes habitatores terræ,

3. A strepitu pompæ (*b*) armorum, & bellatorum ejus, a commotione quadrigarum ejus, & multitudine rotarum illius. Non respexerunt patres filios manibus dissolutis

4. Pro adventu (*c*) diei, in quo vastabuntur omnes Philisthiim, & dissipabitur Tyrus & Sidon cum omnibus reliquis auxiliis suis: depopulatus est enim Dominus Palæsthinos, reliquias insulæ Cappadociæ.

5. Venit calvitium (*d*) super Gazam: conticuit Ascalon, & reliquiæ vallis earum: usquequo concideris?

6. O mucro (*e*) Domini, usquequo non quiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile.

7. Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei adversus Ascalonem, & adversus maritimas ejus regiones, ibique condixerit illi?

CAPUT XLVIII.

Prædicit Dominus vastationem Moab & omnium urbium ejus, sed in novissimis diebus captivitatem eorum relaxandam: maledictus dicitur faciens opus Domini fraudulenter.

1. AD Moab hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Væ super Nabo (*a*), quoniam vastata est, & confusa: capta est Carjathaim: confusa est fortis, & tremuit.

2. Non est ultra exultatio in Moab contra Hesebon (*b*): cogitaverunt malum. Venite, & disperdamus eam de gente: ergo silens conticesces, sequeturque te gladius.

3. Vox clamoris de Oronaim: vastitas & contritio magna.

4. Contrita est Moab: annuntiate clamorem parvulis ejus.

5. Per ascensum (*c*) enim Luith plorans ascendet in fletu: quoniam in descensu Oronaim hostes ululatum contritionis audierunt:

6. Fugite, salvate animas vestras: & eritis * quasi myricæ (*d*) in deserto. * Sup. 17. 6.

7. Pro eo enim quod habuisti fiduciam in munitionibus (*e*) tuis, & in thesauris tuis, tu quoque capieris: & ibit Chamos in transmigrationem, sacerdotes ejus & principes ejus simul.

8. Et veniet prædo ad omnem urbem, & urbs nulla salvabitur: & peribunt valles, & dissipabuntur campestria: quoniam dixit Dominus:

9. Date

21. (*n*) Milites mercede conducti.
22. (*o*) Magnum & querulum sonum edet.
23. (*p*) Succident Ægyptum, seu habitatores ejus alignam silvam.
25. (*q*) Puniam. *Super tumultum*, turbam magnam; *Alexandriæ*, Hebr. *Ammon no*, urbem, quæ vocatur multa, seu multi populi; commune est nomen Ammon, quod determinatur e propheta ad no. Sic ab Ezechiele vocatur imperium Ægypti, quod postea ab Alexandro vocatum est Alexandria.
15. (*r*) Post 40. annos Ezech. 29.
28. (*s*) Clementer ut filium: judicium enim hic opponitur iræ & furori: castigabo ut pater, non ut hostis; justo quidem judicio, sed cum misericordia conjuncto.

CAPUT XLVII. 1. (*a*) Anno 9 Sedeciæ; vel ut alii volunt anno 4. Joakim: quæ clades ab Austro veniens non suffecit expiandis sceleribus vestris: longe gravior vobis imminet ab Aquilone, a Chaldæis, unde copiæ militares ascendunt instar torrentium.
3. (*b*) Propter strepitum bellici apparatus. *Non respexerunt*, de seipsis soliciti, quasi paralysi affecti.
4. (*c*) Propter tempus calamitosum: *Reliquias insulæ Cappadociæ*: forte Cyprum, aut novam Tyrum intelligit. Vox Hebræa eadem est quæ Genes. 10. 14. Hanc quidam verterunt Cappadoces, qui maris litora a Gaza Ægyptum usque incolebant. *Insulæ Cappadociæ*: an Nili insulæ? *Reliquias*, populus quis Hevæos expugnarunt, & Palæstini dicti sunt, nonnulli intelligunt. Adrichomius Cappadociam urbem ponit juxta Libanum prope Tyrum.
5. (*d*) Expilatio rerum omnium. *Usquequo concideris*, amare lugens, & more gentium discindes vultum, & manus. Conticuit *Ascalon*, prorsus excisa est, & eversa.
6. (*e*) An forte gladius Regis Babylonis, cujus ministerio utebatur Deus? *Usquequo non quiesces*? Satis sævisti, quiesce: sed mox sibimet respondet propheta. *Quomodo quiescet*? Decretum Domini est, ut gladius sæviat usque ad internecionem. Gladius etiam recte intelligitur vindicta Dei punientis.

CAPUT XLVIII. 1. (*a*) Moabitarum civitatem.
2. (*b*) Ambæ æmulæ & eversæ.
5. (*c*) Hoc desumptum est ex cap. 15. Isaiæ: urbs erat situ ipso munitior, vel ut aliis placet, mons, in quem Moabitæ fugientes se receperunt.
6. (*d*) Humiles, steriles, & solitarii, myricæ, vulgo, *de la bruiere*.
7. (*e*) In divitiis tuis.

9. Date florem (*f*) Moab, quia florens egredietur: & civitates ejus desertæ erunt, & inhabitabiles.

10. Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter (*g*): & maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine.

11. Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requievit (*h*) in fæcibus suis: nec transfusus est de vase in vas, & in transmigrationem non abiit: idcirco permansit gustus ejus in eo, & odor ejus non est immutatus.

12. Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus: & mittam ei ordinatores (*i*), & stratores laguncularum, & sternent eum, & vasa ejus exhaurient, & lagunculas eorum collident.

13. Et confundentur Moab a Chamos (*k*),
* 3. Reg. 12. 29. * sicut confusa est domus Israel a Bethel, in qua habebat fiduciam.

* Is. 16. 6 14. Quomodo dicitis: * Fortes sumus, & viri robusti ad præliandum?

15. Vastata est Moab, & civitates illius succiderunt (*l*): & electi juvenes ejus descenderunt in occisionem: ait rex, Dominus exercituum nomen ejus.

16. Prope est interitus Moab ut veniat: & malum ejus velociter accurret nimis.

17. Consolamini eum omnes, qui estis in circuitu ejus: & universi qui scitis nomen ejus, dicite: Quomodo confracta est virga (*m*) fortis, baculus gloriosus?

18. Descende de gloria, & sede in siti, habitatio filiæ Dibon (*n*): quoniam vastator Moab ascendit ad te, dissipavit munitiones tuas.

19. In via sta, & prospice habitatio Aroer (*o*): interroga fugientem: & ei qui evasit, dic: Quid accidit?

20. Confusus est Moab, quoniam victus est: ululate, & clamate, annuntiate in Arnon, quoniam vastata est Moab.

21. Et judicium venit ad terram campestrem: super Helon, & super Jasa, & super Mephaath,

22. Et super Dibon, & super Nabo, & super domum Deblathaim,

23. Et super Carjathaim, & super Bethgamul, & super Bethmaon,

24. Et super Carioth, & super Bosra, & super omnes civitates terræ Moab, quæ longe, & quæ prope sunt.

25. Abscissum est cornu Moab, & brachium ejus contritum est, ait Dominus.

26. Inebriate (*p*) eum, quoniam contra Dominum erectus est: & allidet manum Moab in vomitu suo, & erit in derisum etiam ipse.

27. Fuit enim in derisum (*q*) tibi Israel, quasi inter fures reperisses eum: propter verba ergo tua, quæ adversum illum locutus es, captivus duceris.

28. Relinquite civitates, & habitate in petra (*r*) habitatores Moab, & estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.

29. * Audivimus superbiam Moab, super- * Is. 16. 6.
bus est valde: sublimitatem ejus, & arrogantiam, & superbiam, & altitudinem cordis ejus.

30. Ego scio, ait Dominus, jactantiam ejus: & quod non sit juxta eam (*s*) virtus ejus, nec juxta quod non poterat conata sit facere.

31. Ideo super Moab ejulabo, & ad Moab universam clamabo, ad viros (*t*) muri fictilis lamentantes.

32. De planctu Jazer (*u*) plorabo tibi vinea Sabama: propagines tuæ transierunt mare, usque ad mare Jazer pervenerunt: super messem tuam & vindemiam tuam prædo irruit.

33. * Ablata est lætitia (*x*) & exultatio de * Isa. 16. 10.
Carmelo, & de Terra Moab, & vinum de torcularibus sustuli: nequaquam calcator uvæ solitum celeuma cantabit.

34. De clamore Hesebon usque Eleale, & Jasa, dederunt vocem suam: a Segor usque ad Oronaim vitula conternante (*y*): aquæ quoque Nemrim pessimæ erunt.

35. Et auferam de Moab, ait Dominus, offerentem in excelsis, & sacrificantem diis ejus.

36. Propterea cor meum ad Moab (*z*) quasi tibiæ resonabit: & cor meum ad viros muri fictilis dabit sonitum tibiarum: quia plus fecit, quam potuit, idcirco perierunt.

37. * Omne enim caput calvitium, & omnis * Isa. 15. 2.
barba rasa erit: in cunctis manibus (*a*) colliga- Ezech. 7. 18.
tio, & super omne dorsum cilicium.

38. Super omnia tecta Moab, & in plateis ejus omnis planctus: quoniam contrivi Moab sicut vas inutile, ait Dominus.

39. Quo-

9. (*f*) Floribus coronate vos quantum libuerit; sed civitates vestræ erunt *desertæ*, finite florere Moab. Vatablus, *Date alam Moab, quia volans volabit*, in Chaldæam.

10. (*g*) Non bona fide. LXX. negligenter. Decretum est Dei ut regiones Moab vastentur: quare omnis miles strenue vindictam illam perficiat. Quæ sententia aptari solet Clericis, qui Officium ecclesiasticum cursim legunt, aut decantant.

11. (*h*) Pravos suos mores retinuit, ut vasa, quibus vina diutius retinentur. *Idcirco permansit gustus in eo*; idem sapor, eadem superbia. Moab vino castro & recenti similis requievit in suis fæcibus, saporem suum fæculentum & austeram retinet; *Et non abiit in transmigrationem*, numquam in exilium abductus est, quo defæcari potuisset instar vini, cum e vase in vas transfunditur: in sua prosperitate mansit, atque ut vinum vim suam conservavit.

12. (*i*) Qui lagunculas & dolia humi sternant, & vinum ex uno vase in aliud transferant; deinde *lagunculas collidant*, urbes evertant.

13. (*k*) Fiducia quam in Chamos, seu in idolo posuerat, eum fallet: unde & pudore suffundetur. *Sicut confusa est*: Bethel locus erat sacer, profanatus ab idolis: vocatus est Bethavea, id est, domus idoli.

15. (*l*) Plebs imbellis ducetur in captivitatem, milites occidentur.

17. (*m*) Regnum tam potens: nam virga & baculus regnum significant.

18. (*n*) Id est, fluentis: popule Dibon, qui antea de aquarum & aliarum rerum copia gloriabaris: *Sed in siti, & inopia*.

19. (*o*) Civitas Ammonitarum.

26. (*p*) Vino furoris Dei, ut quasi ebrius ubique impinget, manus allidet ad terram, & præ ebrietate vomet: *Et erit in derisum etiam ipse*, sicut derisit Israel, cum ab hostibus vallaretur.

27. (*q*) Cum in captivitatem abducta es. *Quasi inter fures reperisses eum*: nam fures deprehensi irridentur, & conviciis afficiuntur ab omnibus.

28. (*r*) In rupibus montium.

30. (*s*) Superbiam: *Virtus ejus*, quæ jactantiæ respondeat: *Nec juxta quod poterat, conata sit facere*, quod non contuluerit vires suas.

31. (*t*) Propter viros, qui muris latericiis muniuntur.

32. (*u*) Duæ erant civitates Jazer & Sabama vicinæ, de quibus Isaiæ 16. 9. *Propter fletum Jazer plorabo*, *tibi vinea Sabama*. LXX. Juxta fletum Jazer plangam te vinea Sabama, urbs Sabama: *Propagines tuæ transierunt mare*, multitudo civium tuorum usque ad mare excurrebat, nimis fertilis eras, amputari sarmenta oportuit.

33. (*x*) Qua messores & vindemiatores solent exultare; *De Carmelo*, vox illa appellative pro monte fertili sumitur.

34. (*y*) Triennem; vitula triennis dicitur, fortis, exultans: conternare est tertium annum agere; ut Isaiæ 15. *Pessimæ erunt*, præ multitudine hostium eas calcantium.

36. (*z*) Propter Moab; *Quasi tibia resonabit*, gemet ut tibia carmen lugubre resonans.

37. (*a*) Hebr. Incisus ex more eorum.

39. Quomodo victa est, & ululaverunt? quomodo dejecit cervicem Moab, & confusus est? Eritque Moab in derisum, & in exemplum omnibus in circuitu suo.

40. Hæc dicit Dominus: Ecce quasi aquila (*b*) volabit, & extendet alas suas ad Moab.

41. Capta est Carioth, & munitiones comprehensæ sunt: & erit cor fortium Moab in die illa, sicut cor mulieris parturientis.

42. Et cessabit Moab esse populus: quoniam contra Dominum gloriatus est.

43. Pavor (*c*), & fovea, & laqueus super te, o habitator Moab, dicit Dominus.

*Isa 24. 18. 44. * Qui fugerit a facie pavoris, cadet in foveam: & qui conscenderit de fovea, capietur laqueo: adducam enim super Moab annum visitationis eorum, ait Dominus.

45. In umbra Hesebon steterunt de laqueo fugientes: quia ignis egressus est de Hesebon, & flamma de medio Seon, & devorabit partem Moab, & verticem (*d*) filiorum tumultus.

46. Væ tibi Moab, periisti popule Chamos: quia comprehensi sunt filii tui, & filiæ tuæ in captivitatem:

47. Et convertam (*e*) captivitatem Moab in novissimis diebus, ait Dominus. Hucusque judicia Moab.

C A P U T XLIX.

Desolatio Ammon, Idumææ, Damasci, Cedar, regnorumque Asor & Ælam prænuntiatur; captivitas autem filiorum Ammon & Ælam tandem solvenda.

Sup 27. & Ezech. 25. 1. AD filios Ammon. Hæc dicit Dominus: Numquid non filii sunt Israel (*a*)? aut hæres non est ei? Cur igitur hæreditate possedit Melchom, Gad: & populus ejus in urbibus ejus habitavit?

2. Ideo ecce dies veniunt, dicit Dominus: & auditum faciam super Rabbath (*b*) filiorum Ammon fremitum prælii, & erit in tumultum dissipata, filiæque ejus igne succendentur: & possidebit Israel possessores suos, ait Dominus.

3. Ulula Hesebon, quoniam vastata est Hai: clamate filii Rabbath, accingite vos ciliciis: plangite & circuite (*c*) per sepes: quoniam Melchom in transmigrationem ducetur, sacerdotes ejus, & principes ejus simul.

4. Quid gloriaris in vallibus (*d*)? defluxit vallis tua, filia delicata, quæ confidebas in thesauris tuis, & dicebas: Quis veniet ad me?

5. Ecce ego inducam super te terrorem, ait Dominus Deus exercituum, ab omnibus qui sunt in circuitu tuo: & dispergemini singuli a conspectu vestro, nec erit qui congreget fugientes.

6. Et post (*e*) hæc reverti faciam captivos filiorum Ammon, ait Dominus.

7. Ad Idumæam. Hæc dicit Dominus exercituum: Numquid non ultra est sapientia in Theman? Periit consilium a filiis (*f*), inutilis facta est sapientia eorum.

8. Fugite & terga vertite, descendite in voraginem habitatores Dedan (*g*): quoniam perditionem Esau adduxi super eum, tempus visitationis ejus.

9. Si vindemiatores venissent super te, non reliquissent racemum: si fures in nocte, rapuissent quod sufficeret sibi.

10. Ego vero discooperui Esau (*h*), revelavi abscondita ejus, & celari non poterit: vastatum est semen ejus, & fratres ejus, & vicini ejus, & non erit.

11. Relinque pupillos (*i*) tuos: ego faciam eos vivere: & viduæ tuæ in me sperabunt.

12. Quia hæc dicit Dominus: Ecce quibus non erat judicium ut biberent calicem (*k*), bibentes bibent: & tu quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, sed bibens bibes.

13. Quia per memetipsum juravi, dicit Dominus, quod in solitudinem, & in opprobrium, & in desertum, & in maledictionem erit Bosra (*l*): & omnes civitates ejus erunt in solitudines sempiternas.

14. * Auditum audivi a Domino, & legatus (*m*) ad Gentes missus est: Congregamini, * Abd. 1. 1.
& venite contra eam, & consurgamus in prælium.

15. Ecce enim parvulum dedi te in Gentibus, contemptibilem inter homines.

16. Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui: qui habitas in cavernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis. * Cum * Abd. 1. 4.
exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.

17. Et erit Idumæa deserta: omnis qui transibit per eam, stupebit: & sibilabit super omnes plagas ejus.

18. * Sicut subversa est Sodoma, & Gomorrha, & vicinæ ejus, ait Dominus: non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis. * Gen. 19. 24.

19. * Ecce

40. (*b*) Hostis: *Et extendet alas suas*, exercitus ad Moab.

43. (*c*) Hostilis gladius: *& fovea*, casus improvisus; *& laqueus*, insidiæ: per hæc tria, cetera calamitatum genera intelliguntur. Ita Isaias 24. 17.

45. (*d*) Nobiliorem partem tumultuantium Moabitarum, vel duces & principes. *Hesebon*, qui hostium insidias effugient, se in fidem Hesebon tradent. *Et flamma de medio Seon*, urbs erat Moabitarum: videtur alludere ad rem præteritam. Numeror. 21. 26.

47. (*e*) Cum Cyrus eos dimittet, vel cum Christus eos a captivitate dæmonis liberabit.

CAPUT XLIX. 1. (*a*) Israeli, quod vos Ammonitæ captivorum bona & possessiones invaseritis. *Melchom*, idolum Ammonitarum, vel regem significat, ut 1. Paralipom. 20 *Tulit David coronam Melchom, seu regis*; ex 2. Reg. 12. Tribus Gad vicina erat Ammonitarum, qui eam invaserant regionem.

2. (*b*) Urbs erat Arabiæ metropolis Ammonitarum, quæ postea dicta est Philadelphia. *Auditum faciam*, efficiam ut audiatur. Hoc impletum est a Juda Machabæo, lib. 1. Machab. 5.

3. (*c*) Quærentes latebras.

4. (*d*) In locis fertilibus; *Defluxit vallis tua*, vastata est.

6. (*e*) In novissimis diebus. *Inutilis facta est*, corrupta,

7. (*f*) Sept. Interpr. A sapientibus.

8. (*g*) Dedan nepos Abrahæ & Ceturæ. Gen. 25.

10 (*h*) Idumæam. Fures non possunt furari omnia; nam multa sunt ita abscondita, ut ab iis inveniri non possint; ego vero sic nudabo Idumæam, ut omnia vastentur ab hostibus.

11. (*i*) Sed nulli erunt, vel a me solo servari poterunt; nihil vobis proderunt speluncæ, & latebræ.

12. (*k*) Judæi, quos comparatione vestri non erat æquum tam severe puniri, vel quibus per ætatem non erat judicium, quo bonum a malo secernerent.

13. (*l*) Civitas Idumææ princeps.

14. (*m*) A Nabuchodonosore ad gentes sibi subjectas.

*Inf. 50. 44. 19. * Ecce quasi leo (n) ascendet de superbia Jordanis ad pulcritudinem robustam: quia subito currere faciam eum ad illam: & quis erit electus, quem præponam ei? quis enim
*Job 41. 1. similis mei? & quis sustinebit me? * & quis est iste pastor, qui resistat vultui meo?

20. Propterea audite (o) consilium Domini, quod iniit de Edom: & cogitationes ejus, quas cogitavit de habitatoribus Theman: Si non dejecerint eos parvuli gregis, nisi dissipaverint cum eis habitaculum eorum.

21. A voce ruinæ eorum commota est terra: clamor in Mari rubro auditus est vocis ejus.

22. Ecce quasi aquila ascendet, & avolabit: & expandet alas suas super Bosran: & erit cor fortium Idumææ in die illa, quasi cor mulieris parturientis.

23. Ad Damascum (p): Confusa est Emath, & Arphad: quia auditum pessimum audierunt, turbati sunt in mari: præ sollicitudine quiescere non potuit.

24. Dissoluta est Damascus, versa est in fugam, tremor apprehendit eam: angustia & dolores tenuerunt eam quasi parturientem.

25. Quomodo dereliquerunt civitatem laudabilem, urbem lætitiæ?

26. Ideo cadent juvenes ejus in plateis ejus: & omnes viri prælii conticescent in die illa, ait Dominus exercituum.

27. Et succendam ignem in muro Damasci, & devorabit mœnia Benadad.

28. Ad Cedar (q), & ad regna Asor, quæ percussit Nabuchodonosor rex Babylonis. Hæc dicit Dominus: Surgite, & ascendite ad Cedar, & vastate filios Orientis.

29. Tabernacula eorum, & greges eorum capient: pelles eorum, & omnia vasa eorum, & camelos eorum tollent sibi: & vocabunt super eos formidinem in circuitu.

30. Fugite, abite vehementer, in voraginibus sedete, qui habitatis Asor, ait Dominus: iniit enim contra vos Nabuchodonosor rex Babylonis consilium, & cogitavit adversum vos cogitationes.

31. Consurgite, & ascendite ad gentem quietam (r), & habitantem confidenter, ait Dominus: non hostia, nec vectes eis: soli habitant.

32. Et erunt cameli eorum in direptionem, & multitudo jumentorum in prædam: & dispergam eos in omnem ventum, qui sunt attonsi (f) in comam: & ex omni confinio eorum adducam interitum super eos, ait Dominus.

33. Et erit Asor in habitaculum draconum, deserta usque in æternum: non manebit ibi vir, nec incolet eam filius hominis.

34. Quod factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam adversus Ælam, in principio regni Sedeciæ regis Juda, dicens:

35. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego confringam arcum Ælam, & summam (t) fortitudinem eorum.

36. Et inducam super Ælam (u) quatuor ventos a quatuor plagis cæli: & ventilabo eos in omnes ventos istos: & non erit gens, ad quam non perveniant profugi Ælam.

37. Et pavere faciam Ælam coram inimicis suis, & in conspectu quærentium animam eorum: & adducam super eos malum, iram furoris mei, dicit Dominus: & mittam post eos gladium donec consumam eos.

38. Et ponam solium meum in Ælam, & perdam inde reges & principes, ait Dominus.

39. In novissimis autem diebus reverti faciam captivos Ælam, dicit Dominus.

CAPUT L.

Babylon, quæ in captivitate affligit filios Israel, penitus diripienda a regibus Aquilonis.

1. VErbum, quod locutus est Dominus de Babylone, & de terra Chaldæorum in manu Jeremiæ prophetæ.

2. Annuntiate in Gentibus, & auditum facite: levate signum, prædicate, & nolite celare: dicite: Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach (a), confusa sunt sculptilia ejus, superata sunt idola eorum.

3. Quoniam ascendit contra eam gens ab Aquilone (b), quæ ponet terram ejus in solitudinem: & non erit qui habitet in ea, ab homine usque ad pecus: & moti sunt, & abierunt.

4. In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus: venient (c) filii Israel, ipsi & filii Juda simul: ambulantes & flentes properabunt, & Dominum Deum suum quærent.

5. In Sion interrogabunt viam (d), huc facies eorum. Venient, & apponentur ad Dominum fœdere sempiterno, quod nulla oblivione delebitur.

6. Grex perditus (e) factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus: de monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui.

7. Omnes,

19. (n) Chaldæus; *Ascendet de superbia Jordanis*, transmisso Jordane mediis tempore, cum intumescit, *Ad pulchritudinem robustam*, ad expugnandas arces tuas & urbes, pulcras & robustas. *Et quis erit electus*, quem præponam ei, seu præficiam Idumææ ad resistendum? *Quis est iste pastor*, seu rex? Vel *quasi leo*, quem intumescentes Jordanis aquæ e spelunca exire cogunt.

20. (o) Quod Dominus decreverit. *Si non dejecerint*, forma jurantis usitata: Si vilissimi Chaldæorum eos non vicerint, nolo mihi in posterum credatis.

23. (p) Ponit Damascum pro Syria. *Turbati sunt in mare*, tamquam in mari: nam in Hebræo sæpe subauditur nota similitudinis.

28. (q) Urbs est Arabiæ desertæ. Asor & Cedar, Agarenorum duæ metropoles.

31. (r) Pace abundantem, sine ostiis, aut vectibus, quæ extra urbes habitat. Est apostrophe ad Chaldæos, quos adhortatur ut veniant contra Agarenos.

32. (f) Qui secundum aures comam tondebant.

35. (t) Forte, summam fortitudinis ejus.

36. (u) Elamitæ a plerisque Persæ intelliguntur; aut forte Ælam est Persidis pars quædam.

CAP. L. 2. (a) Evilmerodach, aut Baltassar. Nam a primo Chaldæorum rege sic alii dici possunt: alii idolum Chaldæorum designari putant.

3. (b) Unde copiæ auxiliares Darii & Cyri prodierunt ex Armenia, Hircania &c.

4. (c) Decem tribus, ac duæ Juda & Benjamin. *Ambulantes & flentes properabunt*; alii gaudebant de reditu, alii plorabant, quod viderent urbem destructam: templum excisum. *Et Dominum suum quærent*; quod ad tempus Christi magis pertinet.

5. (d) Ad Ecclesiam; *Apponentur ad Dominum*, adjungentur Christo: *Fœdere sempiterno*, Evangelico.

6. (e) Populus meus gregi erranti similis hactenus fuit; *Comederunt eos*, his prædæ fuerunt.

7. Omnes qui invenerunt, comederunt eos: & hostes eorum dixerunt: Non peccavimus: pro eo quod peccaverunt Domino decori justitiæ, & expectationi patrum eorum Domino.

8. Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini: & estote quasi hœdi ante gregem.

9. Quoniam ecce ego suscito, & adducam in Babylonem congregationem Gentium magnarum de terra Aquilonis: & præparabuntur adversus eam, & inde capietur: sagittæ ejus quasi viri fortis interfectoris, non revertetur vacua.

10. Et erit Chaldæa in prædam: omnes vastantes eam replebuntur, ait Dominus.

11. Quoniam exultatis, & magna loquimini, diripientes hæreditatem meam: quoniam effusi estis sicut vituli super herbam, & mugistis sicut tauri.

12. Confusa est mater (*f*) vestra nimis, & adæquata pulveri, quæ genuit vos: ecce novissima erit in Gentibus, deserta, invia, & arens.

13. Ab ira Domini non habitabitur, sed redigetur tota in solitudinem: omnis qui transibit per Babylonem, stupebit, & sibilabit super universis plagis ejus.

14. Præparamini (*g*) contra Babylonem per circuitum omnes qui tenditis arcum; debellate eam, non parcatis jaculis: quia Domino peccavit.

15. Clamate adversus eam, ubique dedit manum (*h*), ceciderunt fundamenta ejus, destructi sunt muri ejus, quoniam ultio Domini est: ultionem accipite de ea; sicut fecit, facite ei.

16. Disperdite satorem de Babylone, & tenentem falcem in tempore messis: a facie gladii columbæ (*i*) unusquisque ad populum suum convertetur, & singuli ad terram suam fugient.

17. Grex dispersus Israel, leones ejecerunt eum: primus comedit eum rex Assur (*k*): iste novissimus exossavit eum Nabuchodonosor rex Babylonis.

18. Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego visitabo regem Babylonis, & terram ejus, sicut visitavi regem Assur.

19. Et reducam Israel ad habitaculum suum: & pascetur Carmelum (*l*) & Basan, & in monte Ephraim & Galaad saturabitur anima ejus.

20. In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus, quæretur (*m*) iniquitas Israel, & non erit: & peccatum Juda, & non invenietur, quoniam propitius ero eis, quos reliquero.

21. Super terram dominantium ascende, & super habitatores ejus visita, dissipa, & interfice quæ post eos sunt, ait Dominus: & fac juxta omnia quæ præcepi tibi.

22. Vox belli in terra, & contritio magna.

23. Quomodo confractus est, & contritus malleus universæ terræ? quomodo versa est in desertum Babylon in Gentibus?

24. Illaqueavi te, & capta es Babylon, & nesciebas: inventa es & apprehensa: quoniam Dominum provocasti.

25. Aperuit Dominus thesaurum (*n*) suum, & protulit vasa iræ suæ: quoniam opus est Domino Deo exercituum in terra Chaldæorum.

26. Venite ad eam abextremis finibus, aperite ut exeant qui conculcent eam: tollite de via lapides, & redigite in acervos, & interficite eam: nec sit quidquam reliquum.

27. Dissipate universos fortes ejus, descendant in occisionem: væ eis, quia venit dies eorum, tempus visitationis eorum.

28. Vox fugientium (*o*), & eorum qui evaserunt de terra Babylonis, ut annuntient in Sion ultionem Domini Dei nostri, ultionem templi ejus.

29. Annuntiate in Babylonem plurimis, omnibus qui tendunt arcum: consistite adversus eam per gyrum, & nullus evadat: reddite ei secundum opus suum: * juxta omnia quæ fecit, facite illi: quia contra Dominum erecta est, adversum sanctum Israel. *Inf. 51. 49.

30. Idcirco cadent juvenes ejus in plateis ejus: & omnes viri bellatores ejus conticescent in die illa, ait Dominus.

31. Ecce ego ad te superbe, dicit Dominus Deus exercituum: quia venit dies tuus, tempus visitationis tuæ.

32. Et cadet superbus, & corruet, & non erit qui suscitet eum: & succendam ignem in urbibus ejus, & devorabit omnia in circuitu ejus.

33. Hæc dicit Dominus exercituum: Calumniam sustinent filii Israel, & filii Juda simul: omnes qui ceperunt eos, tenent, nolunt dimittere eos.

34. Redemptor eorum fortis, Dominus exercituum nomen ejus, judicio defendet causam eorum, ut exterreat terram, & commoveat habitatores Babylonis.

35. Gladius ad Chaldæos, ait Dominus, & ad habitatores Babylonis, & ad principes, & ad sapientes ejus.

36. Gladius ad divinos ejus, qui stulti erunt: gladius ad fortes illius, qui timebunt.

37. Gladius ad equos ejus, & ad currus ejus, & ad omne vulgus, quod est in medio ejus: & erunt quasi mulieres: gladius ad thesauros ejus, qui diripientur.

38. Siccitas (*p*) super aquas ejus erit, & arescent: quia terra sculptilium est, & in portentis gloriantur.

39. Pro-

12. (*f*) Babylon.
14. (*g*) Oppugnate; instruite aciem contra Babylonem: *Quia Domino peccavit*; aut sæviendo nimis, aut vasa sacra profanantes.
15. (*h*) Victa est; vel solutæ sunt manus ejus & perterritæ.
16. (*i*) Aut Darii, aut Cyri, justitiæ Dei ministri.
17. (*k*) Cum decem tribus adduxit, sed Chaldæus ossa ejus, duas tribus comminuit; *Iste novissimus exossavit eum*, fortitudinem ejus & robur contrivit, & templum evertit.
19. (*l*) In Carmelo.
20. (*m*) Hæc ad Christum pertinent: eo spectat hæc prophetia.
25 (*n*) Ubi sunt arma iræ suæ, armamentarium suum.
28 (*o*) Judæorum, cum obsideretur Babylon.
38. (*p*) Derivatione Euphratis per fossas aditus patuit militibus, Xenophon lib. 1. Nam Cyrus Euphraten derivavit in alia loca per apertas fossas, eumque exsiccavit.

39. Propterea habitabunt dracones cum faunis ficariis (*q*): & habitabunt in ea struthiones: & non inhabitabitur ultra usque in sempiternum, nec extruetur usque ad generationem & generationem.

* Gen. 19. 24.
40. * Sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorrham, & vicinas ejus, ait Dominus: non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis.

41. Ecce populus venit ab Aquilone, & gens magna, & reges multi consurgent a finibus terræ.

42. Arcum & scutum apprehendent: crudeles sunt & immisericordes: vox eorum quasi mare sonabit: & super equos ascendent, sicut vir paratus ad prælium contra te filia Babylon.

43. Audivit rex Babylonis famam eorum, & dissolutæ sunt manus ejus: angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientem.

* Sup. 49. 19.
44. * Ecce quasi leo ascendet de superbia Jordanis ad pulcritudinem robustam: quia subito currere faciam eum ad illam: & quis erit electus, quem præponam ei? quis est enim similis mei? & quis sustinebit me? * & quis est iste pastor, qui resistat vultui meo? * Job 41. 1.

45. Propterea audite consilium Domini, quod mente concepit adversum Babylonem: & cogitationes ejus, quas cogitavit super terram Chaldæorum: Nisi detraxerint eos parvuli gregum, nisi dissipatum fuerit cum ipsis habitaculum eorum.

46. A voce captivitatis Babylonis commota est terra, & clamor inter Gentes auditus est.

CAPUT LI.

Mala, quæ a regibus Medorum Babyloni impendent, prædicuntur.

1. HÆc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo (*a*) super Babylonem & super habitatores ejus, qui cor suum levaverunt contra me, quasi ventum pestilentem.

2. Et mittam in Babylonem ventilatores (*b*), & ventilabunt eam, & demolientur terram ejus: quoniam venerunt super eam undique in die afflictionis ejus.

3. Non tendat (*c*) qui tendit arcum suum, & non ascendat loricatus, nolite parcere juvenibus ejus, interficite omnem militiam ejus.

4. Et cadent interfecti in terra Chaldæorum, & vulnerati in regionibus ejus.

5. Quoniam non fuit viduatus (*d*) Israel & Juda a Deo suo Domino exercituum: terra autem eorum repleta est delicto a sancto Israel.

6. Fugite (*e*) de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam: nolite tacere super iniquitatem ejus: quoniam tempus ultionis est a Domino, vicissitudinem ipse retribuet ei.

7. Calix (*f*) aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino ejus biberunt Gentes, & ideo commotæ sunt.

8. * Subito cecidit (*g*) Babylon, & contrita est: ululate super eam, tollite resinam ad dolorem ejus, si forte sanetur. * Isa. 21. 9. Apoc. 14. 8.

9. Curavimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam, & eamus unusquisque in terram suam: quoniam pervenit usque ad cælos judicium ejus, & elevatum est usque ad nubes.

10. Protulit (*h*) Dominus justitias nostras: venite, & narremus in Sion opus Domini Dei nostri.

11. Acuite sagittas, implete pharetras: suscitavit Dominus spiritum regum Medorum: & contra Babylonem mens ejus est ut perdat eam, quoniam ultio Domini est, ultio templi sui.

12. Super muros Babylonis levate signum, augete custodiam: levate custodes, præparate insidias: quia cogitavit Dominus, & fecit quæcumque locutus est contra habitatores Babylonis.

13. Quæ habitas super aquas multas, locuples in thesauris, venit (*i*) finis tuus pedalis præcisionis tuæ.

14. * Juravit Dominus exercituum per animam suam: Quoniam replebo te hominibus quasi brucho (*k*), & super te celeuma cantabitur. * Amos 6. 8.

15. * Qui fecit terram in fortitudine sua, præparavit orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit cælos. * Gen. 1. 1.

16. Dante eo vocem, multiplicantur aquæ in cælo: qui levat nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit: & produxit ventum de thesauris suis.

17. Stultus factus est omnis homo a scientia: confusus est omnis conflator in sculptili, quia mendax est conflatio eorum, nec est spiritus in eis.

18. Vana sunt opera, & risu digna, in tempore visitationis suæ peribunt.

19. Non

39. (*q*) Dæmonibus, qui se ostendunt hominibus forma partim caprina, partim humana, & finguntur se capripedes, seu ficis silvestribus ali: Hebr. Cum nocluis & felibus silvestribus. Babylonii in idolis monstruosis spem omnem suam reponebant. *Non habitabitur ultra;* hæc prophetia non simul, sed successive impleta est; capta primum a Cyro Babylone, tum mœnibus nudata a Dario Hystaspis filio, deinde a Seleuco civibus & opibus suis spoliata.

CAP. LI. 1. (*a*) Adurentem segetes & homines, bellicum turbinem per Medos & Persas: Babylonem cum area comparat, quæ flante aquilone ventilatur.

2. (*b*) Darium & Cyrum; *Qui demolientur terram ejus*, Hebr. *Qui evacuabunt eam;* pergit in allegoria ventilatorum & areæ.

3. (*c*) Nihil opus est, ut sagittarius intendat arcum; dabo enim Chaldæos in manus vestras vino & epulis onustos. Sic ligabo manus & pedes Chaldæorum, ut nec sagittarii arcum tendere, nec loricati se movere possint.

5. (*d*) Non fuit Juda instar viduæ destitutæ marito suo; sed Deus vindicabit injurias a Chaldæis illatas; *Eorum terra repleta est delicto*, omni genere scelerum; *a Sancto Israel*, in Sanctum Israel; LXX *a Sancto Israel*, contra filios Israel Deo sanctificatos.

6. (*e*) Mox exscindendæ. *Nolite tacere*: Hebr. Nolite diutius quiescere in iniquitate ejus, aut manere in urbe jam perversa. *Nolite tacere super iniquitatem ejus*, hostes Chaldæorum alloquitur; iniquitas pro pœna iniquitati debita sumitur, ut sæpe in scripturis.

7. (*f*) Fuit regnum dives, quo usus est Dominus quasi flagello aliarum gentium: absynthio amarior est calix iste propter calamitates, quas propinavit gentibus.

8. (*g*) Projecit Deus calicem in terram, & confractus est.

10. (*h*) In lucem; *Justitias nostras*, caussæ nostræ justitiam; justi catenus fuerunt Judæi; quod cum nullam Chaldæis intulissent injuriam, crudeliter ab iis tractati sunt: a Deus juste eos puniebat, Chaldæi injuste.

13. (*i*) Brevem imperii tui mensuram implevisti: præcisio est interitus, mensura opum pedalis est & perexigua. Ut pes, aut truncus arboris exciderís.

14. (*k*) Babylonem vineæ. Medos locustis comparat, immo & vindemiatoribus, qui se ad laborem mutuo excitant.

19. Non ſicut hæc, pars Jacob: quia qui fecit omnia, ipſe eſt, & Iſrael ſceptrum hæreditatis ejus: Dominus exercituum nomen ejus.

20. Collidis (*l*) tu mihi vaſa belli, & ego collidam in te Gentes, & diſperdam in te regna:

21. Et collidam in te equum & equitem ejus, & collidam in te currum & aſcenſorem ejus:

22. Et collidam in te virum & mulierem: & collidam in te ſenem & puerum: & collidam in te juvenem & virginem:

23. Et collidam in te paſtorem & gregem ejus: & collidam in te agricolam & jugales ejus: & collidam in te duces & magiſtratus.

24. Et reddam (*m*) Babyloni, & cunctis habitatoribus Chaldææ omne malum ſuum, quod fecerunt in Sion, in oculis veſtris, ait Dominus.

25. Ecce ego ad te mons peſtifer (*n*), ait Dominus, qui corrumpis univerſam terram: & extendam manum meam ſuper te, & evolvam te de petris, & dabo te in montem combuſtionis.

26. Et non tollent de te lapidem in angulum, & lapidem in fundamenta, ſed perditus in æternum eris, ait Dominus.

27. Levate ſignum in terra (*o*): clangite buccina in Gentibus, ſanctificate ſuper eam Gentes, annuntiate contra illam regibus Ararat, Menni, & Aſcenez: numerate contra eam Taphſar, adducite equum quaſi bruchum aculeatum.

28. Sanctificate contra eam Gentes, reges Mediæ, duces ejus, & univerſos magiſtratus ejus, cunctamque terram poteſtatis ejus.

29. Et commovebitur terra, & conturbabitur: quia evigilabit contra Babylonem cogitatio Domini, ut ponat terram Babylonis deſertam & inhabitabilem.

30. Ceſſaverunt fortes Babylonis a prælio, habitaverunt in præſidiis: devoratum eſt robur eorum, & facti ſunt quaſi mulieres: incenſa ſunt tabernacula ejus, contriti ſunt vectes ejus.

31. Currens obviam currenti veniet (*p*): & nuntius obvius nuntianti: ut annuntiet regi Babylonis, quia capta eſt civitas ejus a ſummo uſque ad ſummum:

32. Et vada (*q*) præoccupata ſunt, & paludes incenſæ ſunt igni, & viri bellatores conturbati ſunt.

33. Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael: Filia Babylonis quaſi area, tempus trituræ (*r*) ejus: adhuc modicum, & veniet tempus meſſionis ejus.

34. Comedit me, devoravit me Nabuchodonoſor rex Babylonis: reddidit me quaſi vas inane, abſorbuit me quaſi draco, replevit ventrem (*ſ*) ſuum teneritudine mea, & ejecit me.

35. Iniquitas (*t*) adverſum me, & caro mea ſuper Babylonem, dicit habitatio Sion: & ſanguis meus ſuper habitatores Chaldææ, dicit Jeruſalem.

36. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego judicabo cauſam tuam, & ulciſcar ultionem tuam, & deſertum faciam mare (*u*) ejus, & ſiccabo venam ejus.

37. Et erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, ſtupor, & ſibilus, eo quod non ſit habitator. *Sup. 50 38.*

38. Simul ut leones rugient, excutient comas veluti catuli leonum:

39. In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, (*x*) ut ſopiantur, * & dormiant ſomnum ſempiternum, & non conſurgant, dicit Dominus. * *Inf. v. 57.*

40. Deducam eos quaſi agnos ad victimam, & quaſi arietes cum hœdis.

41. Quomodo capta eſt Seſach (*y*), & comprehenſa eſt inclyta univerſæ terræ? quomodo facta eſt in ſtuporem Babylon inter Gentes?

42. Aſcendit ſuper Babylonem mare (*z*), multitudine fluctuum ejus operta eſt.

43. Factæ ſunt civitates ejus in ſtuporem, terra inhabitabilis & deſerta, terra in qua nullus habitet, nec tranſeat per eam filius hominis.

44. Et viſitabo ſuper Bel in Babylone, & ejiciam (*aa*) quod abſorbuerat de ore ejus, & non confluent ad eum ultra Gentes, ſiquidem & murus Babylonis corruet.

45. Egredimini de medio ejus populus meus: ut ſalvet unuſquiſque animam ſuam ab ira furoris Domini.

46. Et ne forte molleſcat cor veſtrum, & timeatis auditum, qui audietur in terra: & veniet in anno auditio (*bb*), & poſt hunc annum auditio: & iniquitas in terra, & dominator ſuper dominatorem.

47. Propterea ecce dies veniunt, & viſitabo ſuper ſculptilia Babylonis: & omnis terra ejus confundetur, & univerſi interfecti ejus cadent in medio ejus.

48. Et

20. (*l*) Tu mihi inſtar mallei fuiſti hactenus ad colligendas gentes deſtinati: futurum pro præterito.

24. (*m*) Poſtquam uſus ea fuero ut malleo ad contundendas gentes.

25. (*n*) Hebr. *Vaſtans*, mons ob ſiſtum imperii, & murorum altitudinem. *Et evolvam te de petris*, ejiciam te e tuis mœnibus, & propugnaculis. *Et dabo te in montem combuſtionis*, quæ ſpirituali Babyloni potius, quam materiali videntur convenire, niſi forte poſt multas ætates: aut certe de excidio monarchiæ Babylonicæ intelligi debent: nam de hominibus, non de lapidibus, quæ ſequuntur, licet interpretari.

27. (*o*) In tota terra: *Sanctificate*, indicite bellum. *Non tollent*, nam Imperium Babylonicum omnino deletum fuit. Ararat eſt major Armenia. *Et Menni, & Aſcenez*, vicini populi Armeniæ montoſæ. *Numerate*, contra eos conſcribite milites. *Adducite equum*, criſpatis pilis, quales fuiſſe Perſarum equos teſtantur nonnulli.

31. (*p*) Qui regi nuntient captam eſſe urbem. *A ſummo uſque ad ſummum*: Hebr. Ab extremo; urbis partem extremam captam eſſe nuntiabunt.

32. (*q*) Euphratis; *Præoccupata ſunt*, a Perſis: *& paludes*, Hebr. arundines, quæ in locis paluſtribus naſcuntur; *incenſæ ſunt igni*, exſiccatæ ſunt paludes quæ urbem inacceſſam hoſtibus faciebant.

33. (*r*) Afflictionis: *Et veniet tempus meſſionis ejus*, ſpoliationis rerum omnium.

34. (*ſ*) Ærarium, *replevit teneritudine mea*, opibus meis, *& ejecit me*: extra domum.

35. (*t*) Quia ira eſt in me Babylon: *Et caro mea ſuper Babylonem*, cives mei a Babyloniis interfecti contra Babylonios clamant.

36. (*u*) Exſiccabo Euphraten, rerum omnium copia abundantem: vectigalia, negotiatorem.

39. (*x*) Efficiam, ut vino incaleſcant: *Ut ſopiantur*, ſopore ſempiterno, poſtquam inebriati fuerint, *vel inebriabo eos*, vino iræ meæ.

41. (*y*) Babylon, quæ ut nonnullis videtur, deam Seſach colebat: vel Seſach eſt Babylon ipſa, per tranſmutationem litterarum Alphabeti Hebraici ordine retrogrado.

42. (*z*) Hoſtium & malorum inundatio.

44. (*aa*) Faciam, ut evomat quidquid comedit.

46. (*bb*) Primo anno apparatus belli contra Babylonem, altero anno major acceſſio, tertio demum excidium deſignatur; *Et dominator ſuper dominatorem*, Cyrus contra Balthaſſar.

48. Et laudabunt super Babylonem cæli & terra, & omnia quæ in eis sunt: quia ab Aquilone venient ei prædones, ait Dominus.

49. Et quomodo fecit Babylon ut caderent occisi in Israel: sic de Babylone cadent occisi in universa terra.

50. Qui fugistis (*cc*) gladium, venite, nolite stare: recordamini procul Domini, & Jerusalem ascendat super cor vestrum.

51. Confusi (*dd*) sumus, quoniam audivimus opprobrium, operuit ignominia facies nostras: quia venerunt alieni super sanctificationem domus Domini.

52. Propterea ecce dies veniunt, ait Dominus: & visitabo super sculptilia ejus, & in omni terra ejus mugiet vulneratus.

53. Si ascenderit Babylon in cælum, & firmaverit in excelso robur suum: a me venient vastatores ejus, ait Dominus.

54. Vox clamoris de Babylone, & contritio magna de Terra Chaldæorum:

55. Quoniam vastavit Dominus Babylonem, & perdidit (*ee*) ex ea vocem magnam: & sonabunt fluctus eorum quasi aquæ multæ: dedit sonitum vox eorum:

56. Quia venit super eam, id est, super Babylonem, prædo, & apprehensi sunt fortes ejus, & emarcuit arcus eorum, quia fortis ultor Dominus reddens retribuet.

57. Et inebriabo principes ejus, & sapientes ejus, & duces ejus, & magistratus ejus, & fortes ejus: & dormient somnum sempiternum, & non expergiscentur, ait Rex, Dominus exercituum nomen ejus.

58. Hæc dicit Dominus exercituum: Murus Babylonis ille latissimus suffossione suffodietur, & portæ ejus excelsæ igni comburentur, & labores populorum ad nihilum, & gentium in ignem erunt, & disperibunt.

59. Verbum, quod præcepit Jeremias propheta, Sarajæ filio Neriæ filii Maasiæ, cum pergeret cum Sedecia (*ff*) rege in Babylonem, in anno quarto regni ejus: Sarajas autem erat princeps prophetiæ.

60. Et scripsit Jeremias omne malum, quod venturum erat super Babylonem in libro uno: omnia verba hæc, quæ scripta sunt contra Babylonem.

61. Et dixit Jeremias ad Sarajam: Cum veneris in Babylonem, & videris, & legeris omnia verba hæc,

62. Dices: Domine tu locutus es contra locum istum ut disperderes eum: ne sit qui in eo habitet ab homine usque ad pecus, & ut sit perpetua solitudo,

63. Cumque compleveris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem, & projicies illum in medium Euphraten:

64. Et dices: Sic submergetur Babylon, & non consurget a facie afflictionis, quam ego adduco super eam, & dissolvetur. Hucusque verba Jeremiæ.

CAPUT LII.

Quæ scripta sunt cap. 39. & 4. Regum 24. & 25. in summam contrahuntur; libertas Jechoniæ, qui dictus Joakim.

1. FIlius (*a*) viginti & unius anni erat Sedecias cum regnare cœpisset: & undecim annis regnavit in Jerusalem, & nomen matris ejus Amital, filia Jeremiæ de Lobna. 4. Reg. 24. 18 2. Par. 36. 11.

2. Et fecit malum in oculis Domini, juxta omnia quæ fecerat Joakim.

3. Quoniam furor Domini erat in Jerusalem & in Juda usquequo projiceret eos a facie sua: & recessit Sedecias a Rege Babylonis.

4. * Factum est autem in anno nono regni ejus, in mense decimo, decima mensis: Venit Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse & omnis exercitus ejus adversus Jerusalem, & obsederunt eam, & ædificaverunt contra eam munitiones in circuitu. *4. Reg. 25. 1. Sup. 39. 1.

5. Et fuit civitas obsessa usque ad undecimum annum regis Sedeciæ.

6. Mense autem quarto, nona mensis obtinuit fames civitatem: & non erant alimenta populo terræ.

7. Et dirupta est civitas, & omnes viri bellatores ejus fugerunt, exieruntque de civitate nocte, per viam portæ, quæ est inter duos muros, & ducit ad hortum regis (Chaldæis obsidentibus urbem in gyro) & abierunt per viam, quæ ducit in eremum.

8. Persecutus est autem Chaldæorum exercitus regem: & apprehenderunt Sedeciam in deserto, quod est juxta Jericho: & omnis comitatus ejus diffugit ab eo.

9. Cumque comprehendissent regem, adduxerunt eum ad regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Emath: (*b*) & locutus est ad eum judicia.

10. Et jugulavit rex Babylonis filios Sedeciæ in oculis ejus: sed & omnes principes Juda occidit in Reblatha.

11. Et oculos Sedeciæ eruit, & vinxit eum compedibus, & adduxit eum rex Babylonis in Babylonem, & posuit eum in domo carceris usque ad diem mortis ejus.

12. In mense autem quinto, decima (*c*) mensis, ipse est annus nonus decimus Nabuchodonosor regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps militiæ, qui stabat coram rege Babylonis in Jerusalem.

13. Et incendit domum Domini, & domum regis, & omnes domos Jerusalem, & omnem domum magnam ibi combussit.

14. Et totum murum Jerusalem per circuitum destruxit, cunctus exercitus Chaldæorum, qui erat cum magistro militiæ.

15. De

50. (*cc*) Vos o Judæi qui Babylonem captivi estis deportati; *Recordamini procul Domini*, septuaginta annos. *Et Jerusalem*, oculis vestris obvertetur.

51. (*dd*) Respondent Judæi se erubescere, cum Chaldæi iis exprobrant Urbis suæ & Templi excidium.

55. (*ee*) Magna erit solitudo, cessabit strepitus tantæ multitudinis.

59 (*ff*) A Sept. Interpr. A Sedecia missus; *Erat princeps prophetiæ*, dux legationis, vel primus inter Levitas, qui psalmos canere solebant, aut præfectus cantus; eum fuisse fratrem Baruch liquet ex iisdem utriusque parentibus. *Cum pergeret cum Sedecia*, Chald. Cum in legationem pro Sedecia missus esset. LXX. Cum proficisceretur a Sedecia.

1. (*a*) Hebraismus; natus erat 21. annos.

9. (*b*) In tribu Nepthali, aut forte in Syria. Nam Reblatha postea dicta est Antiochia.

12. (*c*) 4. Reg. 25. dicitur Nabuzardan venisse die septimo: nam die 7. e Reblatha discessit, & tertio post die venit Jerusalem.

15. De pauperibus autem populi, & de reliquo vulgo, quod remanserat in civitate, & de perfugis, qui transfugerant ad regem Babylonis, & ceteros de multitudine, transtulit Nabuzardan princeps militiæ.

16. De pauperibus vero terræ reliquit Nabuzardan princeps militiæ vinitores & agricolas.

17. Columnas quoque æreas, quæ erant in domo Domini, & bases, & mare æneum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, & tulerunt omne æs eorum in Babylonem.

18. Et lebetes, & creagras (*d*), & psalteria, & phialas, & mortariola, & omnia vasa ærea, quæ in ministerio fuerant, tulerunt:

19. Et hydrias, & thymiamateria, & urceos, & pelves, & candelabra, & mortaria, & cyathos: quotquot aurea, aurea: & quotquot argentea, argentea, tulit magister militiæ.

20. Et columnas duas, & mare unum, & vitulos duodecim æreos, qui erant sub basibus, quas fecerat rex Salomon in domo Domini: non erat pondus æris omnium horum vasorum.

21. De columnis autem, decem & octo cubiti altitudinis erant in columna una, & funiculus duodecim cubitorum circuibat eam; porro grossitudo ejus quatuor digitorum, & intrinsecus cava erat.

22. Et capitella super utramque ærea: altitudo capitelli unius quinque cubitorum: & retiacula, & malogranata super coronam in circuitu, omnia ærea. Similiter columnæ secundæ, & malogranatæ.

23. Et fuerunt malogranata nonaginta sex dependentia: & omnia malogranata centum, retiaculis circumdabantur.

24. Et tulit magister militiæ Sarajam sacerdotem primum, & Sophoniam sacerdotem secundum, & tres custodes vestibuli.

25. Et de civitate tulit eunuchum unum, qui erat præpositus super viros bellatores: & septem viros de his, qui videbant faciem regis, qui inventi sunt in civitate; & scribam principem militum, qui probabat tyrones: & sexaginta viros de populo terræ, qui inventi sunt in medio civitatis.

26. Tulit autem eos Nabuzardan magister militiæ, & duxit eos ad regem Babylonis in Reblatha.

27. Et percussit eos rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha in terra Emath: & translatus est Juda de terra sua.

28. Iste est populus, quem transtulit Nabuchodonosor: In anno septimo (*e*), Judæos tria millia & viginti tres:

29. In anno (*f*) octavodecimo Nabuchodonosor, de Jerusalem animas octingentas triginta duas:

30. In anno (*g*) vigesimotertio Nabuchodonosor, transtulit Nabuzardan magister militiæ animas Judæorum septingentas quadragintaquinque: omnes ergo animæ, quatuor millia sexcentæ.

31. Et factum est in trigesimo septimo anno transmigrationis Joachin regis Juda, duodecimo mense, vigesima quinta mensis, elevavit Evilmerodach rex Babylonis ipso anno regni sui, caput Joachin regis Juda, & eduxit eum de domo carceris.

32. Et locutus est cum eo bona, & posuit thronum ejus super thronos regum, qui erant post se in Babylone.

33. Et mutavit vestimenta carceris ejus, & comedebat panem coram eo semper cunctis diebus vitæ suæ.

34. Et cibaria ejus, cibaria perpetua dabantur ei a rege Babylonis, statuta per singulos dies, usque ad diem mortis suæ, cunctis diebus vitæ ejus.

18. (*d*) Sed fuscinula, quibus carnes e lebete extrahebantur, vel sartagines.

28. (*e*) Sub finem anni septimi, & initium octavi, ut dicitur 4. Reg. 24. ut decem millia numerantur: hoc loco recensentur ii tantummodo, qui erant de tribu Juda; in libro 4 Reg. captivi recensentur ex universa regione, ubi multi erant ex aliis tribubus.

29. (*f*) Illustriores tantum recensentur, ut liquet ex citato loco Regum; *Transtulit Nabuchodonosor omnem Jerusalem, & universos principes, & omnes fortes exercitus, decem millia in captivitatem*: ubi decem millia ad fortes & illustres referuntur.

30. (*g*) Annus ille designatur, quo Nabuchodonosor vicina quæque regna occupavit, & Judæos, qui partim eo confugerant, partim in vicinis Judææ locis hæserant, Babylonem abduxit, idque post necem Godoliæ, & Ægyptum debellatam. Nonnulli existimant hoc caput additum esse a Baruch, & idem est cum capite ultimo lib. 4. Regum. Addit Baruch exaltationem Jechoniæ, quæ contigit post mortem Jeremiæ & Nabuchodonosor.



THRENI,

ID EST

LAMENTATIONES

JEREMIÆ PROPHETÆ.

HIERONYMUS has Lamentationes ante alias Prophetias editas esse in obitu Josiæ existimat : carmine scriptus est Liber ; non certis numeris pedum, & temporum, ut Græce & Latine, sed certo numero syllabarum & ordine Alphabeti servato, ut in Psalmo 118. *& in aliis quibusdam factum est. Argumentum est urbis & templi eversio & Josiæ obitus, & utriusque planctus.* Ex Lib. 2. Paralip. 35.

* Hæc verba leguntur in Græca versione lxx. interpretum, non in Hebraicis fontibus.

ET FACTUM * est, postquam in captivitatem redactus est Israel, & Jerusalem deserta est, sedit Jeremias propheta flens, & planxit lamentatione hac in Jerusalem, & amaro animo suspirans, & ejulans dixit:

CAPUT PRIMUM.

ALEPH. 1. QUOMODO sedet sola (a) civitas plena populo : facta est quasi vidua domina Gentium : princeps provinciarum facta est sub tributo?

BETH. 2. * Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus : non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus : omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt ei inimici.

* Jer. 13. 17.

GHIMEL. 3. Migravit (b) Judas propter afflictionem, & multitudinem servitutis : habitavit inter gentes, nec invenit requiem : omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias.

DALETH 4. Viæ Sion lugent (c) eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem : omnes portæ ejus destructæ : sacerdotes ejus gementes : virgines ejus squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine.

HE. 5. Facti sunt hostes ejus in capite (d), inimici ejus locupletati sunt : quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum ejus : parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis.

VAU. 6. Et egressus (e) est a filia Sion omnis decor ejus : facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua : & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.

ZAIN. 7. Recordata est Jerusalem dierum afflictionis (f) suæ, & prævaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat a diebus antiquis, cum caderet populus ejus in manu hostili, & non esset auxiliator: viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata ejus.

HETH. 8. Peccatum peccavit (g) Jerusalem, propterea instabilis facta est : omnes, qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus : ipsa autem gemens conversa est retrorsum.

TETH. 9. Sordes (h) ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui : deposita est vehementer, non habens consolatorem : vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.

JOD. 10. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus : quia vidit Gentes ingressas sanctuarium (i) suum, de quibus præceperas ne intrarent in ecclesiam tuam.

CAPH. 11. Omnis populus ejus gemens, & quærens panem: dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam : vide Domine & considera, quoniam facta sum vilis:

LAMED. 12. O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiavit me ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui.

MEM. 13. De excelso misit ignem (k) in ossibus meis, & erudivit me : expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum : posuit me desolatam, tota die mœrore confectam.

14. Vi-

CAPUT I. 1. (a) Deserta a civibus ; jacet prostrata ; *Domina Gentium*, hoc ipsum est quod plena populo, quæ orbata est civibus, quæque Moabitis & Ammonitis imperabat.

3. (b) De iis loquitur qui fugerunt in Ægyptum, & ad alias gentes. *Et multitudinem servitutis*, ob nimiam ejus servitutem. *Habitavit inter gentes*, apud Ægyptios. *Inter angustias*, nam fugere non poterant.

4. (c) Non frequentantur.

5. (d) Facti sunt superiores, phrasi Hebraica, facti sunt in caput. Hostibus suis serviunt ; quod est acerbissimum.

6. (e) Ablatus est, dominati sunt Chaldæi. Rex & principes in captivitatem abierunt, velut arietes huc illuc errantes, & debiles.

7. (f) Seu cladis, quam jam acceperat a Chaldæis : *Omnium desiderabilium*, ornamentorum templi, urbis, quibus jam nudata est. In diebus afflictionis suæ recordata est prosperitatis antiquæ ; *Et prævaricationis*, peccatorum suorum ; sed conversionem suam ad Deum nimis distulit.

8 (g) Graviter, assidue & perseveranter peccavit, ut expectans expectavi ; *Propterea instabilis facta est*, nullam certam sedem habens, instar honestæ matronæ : *Conversio est retrorsum*, præ pudore.

9. (h) Loquitur de Jerusalem, ut de muliere menstruata, vel impudica, quæ ignominiam suam non absconderat ; *Finis sui*, adeo luctuosi, & tristis ; *Deposita est vehementer*, Hebr. & LXX. Descendit mirabiliter, cecidit gravissima ruina. *Vide Domine* ; apostrophe ad Deum ; *Quoniam erectus est*, effert se insolenter hostis.

10. (i) Ut profanarent illud, quod Ezechiel exprobrat c. 44.

13. (k) Quo urbem & templum incenderunt hostes. *Erudivit me* ; *Expandit rete*, ut nullum mihi pateret effugium : *Convertit me retrorsum*, e fuga reduxit me.

NUN. 14. Vigilavit jugum (*l*) iniquitatum mearum: in manu ejus convolutæ ſunt, & impoſitæ collo meo: infirmata eſt virtus mea: dedit me Dominus in manu, de qua non potero ſurgere.

SAMECH. 15. Abſtulit omnes magnificos (*m*) meos Dominus de medio mei: vocavit adverſum me tempus, ut contereret electos meos: torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda.

AIN. 16. * Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia longe factus eſt a me conſolator, convertens (*n*) animam meam: facti ſunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus.

*Jer. 14. 17.

PHE. 17. Expandit Sion manus ſuas, non eſt qui conſoletur eam: mandavit Dominus adverſum Jacob in circuitu ejus hoſtes ejus: facta eſt Jeruſalem quaſi polluta (*o*) menſtruis inter eos.

SADE. 18. Juſtus eſt Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi: audite obſecro univerſi populi, & videte dolorem meum: virgines meæ & juvenes mei abierunt in captivitatem.

COPH. 19. Vocavi amicos meos, & ipſi deceperunt me: ſacerdotes mei & ſenes mei in urbe conſumpti ſunt: quia quæſierunt cibum ſibi ut refocillarent animam ſuam.

RES. 20. Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus eſt venter meus: ſubverſum eſt cor meum in memetipſa, quoniam amaritudine plena ſum: foris interficit gladius, & domi (*p*) mors ſimilis eſt.

SIN. 21. Audierunt quia ingemiſco ego, & non eſt qui conſoletur me: omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati ſunt, quoniam tu feciſti: adduxiſti (*q*) diem conſolationis, & fient ſimiles mei.

THAU. 22. Ingrediatur omne malum eorum coram te: & vindemia (*r*) eos, ſicut vindemiaſti me propter omnes iniquitates meas: multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens.

CAPUT II.

ALEPH. 1. QUomodo (*a*) obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion: projecit de cælo in terram inclytam Iſrael, & non eſt recordatus ſcabelli pedum ſuorum in die furoris ſui.

BETH. 2. Præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia ſpecioſa Jacob: deſtruxit in furore ſuo munitiones virginis Juda, & dejecit in terram: polluit (*b*) regnum, & principes ejus.

GHIMEL. 3. Confregit in ira furoris ſui omne cornu Iſrael: avertit (*c*) retrorſum dexteram ſuam a facie inimici: & ſuccendit in Jacob quaſi ignem flammæ devorantis in gyro.

DALETH 4. Tetendit arcum ſuum quaſi inimicus, firmavit dexteram ſuam quaſi hoſtis: & occidit omne quod pulcrum erat viſu in tabernaculo filiæ Sion, effudit quaſi ignem indignationem ſuam.

HE. 5. Factus eſt Dominus velut inimicus: præcipitavit Iſrael, præcipitavit omnia mœnia ejus: diſſipavit munitiones ejus, & replevit in filia Juda humiliatum & humiliatam (*d*).

VAU. 6. Et diſſipavit quaſi hortum (*e*) tentorium ſuum, demolitus eſt tabernaculum ſuum: oblivioni tradidit Dominus in Sion feſtivitatem, & ſabbatum: & in opprobrium, & in indignationem furoris ſui regem & ſacerdotem.

ZAIN. 7. Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ: tradidit in manu inimici muros turrium ejus: vocem (*f*) dederunt in domo Domini, ſicut in die ſolemni.

HETH. 8. Cogitavit Dominus diſſipare murum filiæ Sion: tetendit (*g*) funiculum ſuum, & non avertit manum ſuam a perditione: luxitque antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt.

TETH. 9. Defixæ ſunt in terra portæ ejus: perdidit, & contrivit vectes ejus: regem ejus & principes ejus in Gentibus: non eſt lex, & prophetæ ejus non invenerunt viſionem a Domino.

JOD. 10. Sederunt in terra, conticuerunt ſenes filiæ Sion: conſperſerunt cinere capita ſua, accincti ſunt ciliciis, abjecerunt in terram capita ſua virgines Jeruſalem.

CAPH. 11. Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata ſunt viſcera mea: effuſum (*h*) eſt in terra jecur meum ſuper contritione filiæ populi mei, cum deficeret parvulus & lactens in plateis oppidi.

LAMED. 12. Matribus ſuis dixerunt: Ubi eſt triticum & vinum? cum deficerent quaſi vulnerati in plateis civitatis: cum exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum.

MEM. 13. Cui comparabo te? vel cui aſſimilabo te, filia Jeruſalem? cui exæquabo te, & conſolabor te virgo filia Sion? magna eſt enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui?

NUN. 14. Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent: viderunt autem tibi aſſumptiones (*i*) falſas, & ejectiones.

SAMECH. 15. Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per viam: ſibilaverunt, & moverunt caput ſuum ſuper filiam Jeruſalem: Hæccine eſt urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium univerſæ terræ?

16. Ape-

14. (*l*) Acceleratum eſt jugum iniquitatum mearum, pondus ſupplicii mei. *In manus ejus*, Dei, *convolutæ ſunt*, pœnæ iniquitatum, catena contexta eſt, & impoſita collo meo.

15. (*m*) Quaſi racemos principes meos: *Vocavit adverſus me tempus*, a ſe præſtitutum punitioni meæ: *Torcular*, in torculari divinæ vindictæ pœnas peccatis noſtris debitas expreſſit, ut vinum amariſſimum.

16. (*n*) Reducens animam meam, & ſuſtentans, vel quaſi abeuntem revocans.

17. (*o*) Omnibus horrori fuit.

20. (*p*) Fames obſeſſos magna ex parte abſumpſit.

21. (*q*) Cum tempus conſolationis venerit, tum mei ſimiles futuri ſunt.

22. (*r*) Abducas e patrio ſolo in captivitatem: prophetice loquitur, & quid futurum ſit, ut juſtam ultionem exerceat Deus. *Percute*, percutiet.

CAP. II. 1. (*a*) Quomodo Deus ſplendorem Sion obduxit? *Scabelli pedum ſuorum*, arcæ fœderis: nam propter arcam ſæpius pepercerat populo, nec amplius ex ea edentur reſponſa: tametſi ex 2. Mach. 2. juſſu Deus eam transferri in montem ſanctum: ſed Deus ejus non eſt recordatus, niſi ut eam occultaret in monte Nebo.

2. (*b*) Abjecit ut rem profanam: tradidit gentibus profanis polluendum quod erat ſanctum.

3. (*c*) Subduxit auxilium ſuum.

5. (*d*) Omnes ſine diſcrimine.

6. (*e*) Ubi in terram frugiferam convertitur? tum enim plantæ & flores evelluntur; vel ubi hortus eſt omnibus expoſitus. *Tentorium ſuum*, Jeruſalem; *Oblivioni tradidit*, fecit ut homines obliviſcerentur feſtivitatis.

7. (*f*) Vocem lætitiæ dederunt in templo inimici.

8. (*g*) Deſignavit demolitionem ejus; *Luxit antemurale*, ſolo æquatum eſt.

11. (*h*) Spem omnem deſpondi.

14. (*i*) Prophetias falſas: *Ejectiones*, vel hoſtes propulſatos.

PHE. 16. Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: Devorabimus: en ista est dies, quam expectabamus: invenimus, vidimus.

AIN. * Lev. 26. 17. Deut. 28. 15. 17. * Fecit Dominus quæ cogitavit, complevit sermonem suum, quem præceperat (k) a diebus antiquis: destruxit, & non pepercit, & lætificavit super te inimicum, & exaltavit cornu hostium tuorum.

SADE. * Jer. 14. 17 Sup. 1. 16. 18. Clamavit cor eorum (l) ad Dominum super muros filiæ Sion: * Deduc quasi torrentem lacrymas, per diem & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

COPH. 19. Consurge, lauda (m) in nocte, in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.

RES. 20. Vide Domine, & considera quem vindemiaveris ita: ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ (n)? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos, & propheta?

SIN. 21. Jacuerunt in terra foris puer & senex: virgines meæ & juvenes mei ceciderunt in gladio: interfecisti in die furoris tui: percussisti, nec misertus es.

THAU. 22. Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrerent me de circuitu, & non fuit in die furoris Domini qui effugeret, & relinqueretur: quos educavi, & enutrivi, inimicus meus consumpsit eos.

CAPUT III.

ALEPH. 1. EGo vir videns (a) paupertatem meam in virga indignationis ejus.

ALEPH. 2. Me minavit (b), & adduxit in tenebras, & non in lucem.

ALEPH. 3. Tantum in me vertit (c), & convertit manum suam tota die.

BETH. 4. Vetustam (d) fecit pellem meam, & carnem meam, contrivit ossa mea.

BETH. 5. Ædificavit in gyro (e) meo, & circumdedit me felle & labore.

BETH. 6. In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.

GHIMEL. 7. Circumædificavit adversum me, ut non egrediar: aggravavit compedem meum.

GHIMEL. 8. Sed & cum clamavero (f), & rogavero, exclusit orationem meam.

GHIMEL. 9. Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit (g).

DALETH 10. Ursus insidians factus est mihi: leo in absconditis.

DALETH 11. Semitas meas subvertit, & confregit me: posuit me desolatam (h).

DALETH 12. Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.

HE. 13. Misit in renibus meis filias pharetræ (i) suæ.

HE. 14. Factus sum in derisum omni populo (k) meo, canticum eorum tota die.

HE. 15. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.

VAU. 16. Et fregit ad numerum (l) dentes meos, cibavit me cinere.

VAU. 17. Et repulsa (m) est a pace anima mea, oblitus sum bonorum.

VAU. 18. Et dixi: Periit finis (n) meus, & spes mea a Domino.

ZAIN. 19. Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absynthii, & fellis.

ZAIN. 20. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.

ZAIN. 21. Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo (o).

HETH. 22. Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes ejus.

HETH. 23. Novi (p) diluculo, multa est fides tua.

HETH. 24. Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum.

TETH. 25. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.

TETH. 26. Bonum est præstolari (q) cum silentio salutare Dei.

TETH. 27. Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua.

JOD. 28. Sedebit solitarius, & tacebit (r) quia levavit super se.

JOD. 29. Ponet in pulvere (s) os suum, si forte sit spes.

JOD. 30. Dabit percutienti (t) se maxillam, saturabitur opprobriis.

CAPH 31. Quia non repellet in sempiternum Dominus.

32. Quia

17. (k) Prophetis ut annuntiarent; aut quem comminatus fuerat cum obsiderentur.

18. (l) Judæorum; *Deduc*, Propheta Jerusalem alloquitur.

19. (m) Clama, preces funde.

20. (n) Palmaris magnitudinis, & recens natos.

CAP. III. 1. (a) Videntem; *Paupertatem meam*, Hebr. Afflictionem: cui tristia tantummodo & sæva prædicandi onus datur. Videtur loqui in hoc capite de seipso, coram aspicio urbis calamitatem, non ut futuram prospicio.

2. (b) Hebr. Deduxit in tenebras, in carcerem: vel tenebras dicit res adversas.

3. (c) Ut faber vertit ferrum in omnem partem, sic ex una calamitate in aliam revolvit.

4. (d) Rugosam, aut lividam.

5. (e) Ædificavit mihi murum carceris circum me: vel conclusit me laboribus.

8. (f) Cum clamavi.

9. (g) Omnem spem evadendi præcipuit.

11. (h) Vel animam meam, vel Jerusalem.

13. (i) Sagittas.

14. (k) Hinc colligunt nonnulli Jeremiam de se ipso loqui.

16. (l) Ordine & singillatim dentes meos confregit, dum tempore obsidionis & captivitatis panem lapidosum & subcinericium edere coactus sum: vel metaphorice pro magno dolore hæc verba usurpat.

17. (m) Ab animi tranquillitate procul absfui.

18. (n) Nullus erit mihi finis miseriarum, nulla mihi superest spes.

21. (o) Forte ut flectam Deum ad misericordiam, cum me eripuerit e carcere.

23. (p) Solicite nos prævenies, immensa est veritas tua in promissis complendis. Novi *diluculo*; plena novi, vel novæ miserationes tuæ, crescunt in dies misericordiæ tuæ: novi pro novæ.

26. (q) Ambros. in Psalm. 118 oct. 9. *Quis enim sustinet Dominum nisi studio charitatis? Quis est qui sperat, nisi qui optat ut diligat? Cum silentio*, in patientia.

28. (r) Reputans secum misericordiam & justitiam Dei: *Quia levavit super se*, jugum Domini, & paratum se præbet ad illud perferendum; *Tacebit*, quia patienter expectabit.

29. (s) Usque ad pulverem dejiciet se, ad terram usque prostratus.

30. (t) Quod speciali modo de Christo est intelligendum.

CAPH. 32. Quia si abjecit (*u*), & miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum.

CAPH. 33. Non enim humiliavit (*x*) ex corde suo, & abjecit filios hominum,

LAMED. 34. Ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ.

LAMED. 35. Ut declinaret (*y*) judicium viri in conspectu vultus Altissimi.

LAMED. 36. Ut perverteret (*z*) hominem in judicio suo, Dominus ignoravit.

MEM. 37. * Quis (*aa*) est iste, qui dixit ut fieret, Domino non jubente?
* Amos 3.6.

MEM. 38. Ex ore Altissimi non egredientur nec mala nec bona?

MEM. 39. Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis?

NUN. 40. Scrutemur (*bb*) vias nostras, & quæramus, & revertamur ad Dominum.

NUN. 41. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos.

NUN. 42. Nos inique egimus, & ad iracundiam provocavimus: idcirco tu inexorabilis es.

SAMECH. 43. Operuisti (*cc*) in furore, & percussisti nos: occidisti, nec pepercisti.

SAMECH. 44. Opposuisti nubem (*dd*) tibi, ne transeat oratio.

SAMECH. 45. Eradicationem (*ee*) & abjectionem posuisti me in medio populorum.

PHE. 46. Aperuerunt super nos os suum omnes inimici.

PHE. 47. Formido & laqueus facta est nobis vaticinatio (*ff*), & contritio.

PHE. 48. Divisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiæ populi mei.

AIN. 49. Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies,

AIN. 50. Donec respiceret & videret Dominus de cælis.

AIN. 51. Oculus (*gg*) meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.

SADE. 52. Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis.

SADE. 53. Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.

SADE. 54. Inundaverunt aquæ super caput meum: dixi: Perii.

55. Invocavi nomen tuum Domine de lacu novissimo (*hh*). COPH.

56. Vocem meam audisti: ne avertas aurem tuam a singultu meo, & clamoribus. COPH.

57. Appropinquasti in die, quando invocavi te: dixisti: Ne timeas. COPH.

58. Judicasti Domine causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ. RES.

59. Vidisti Domine iniquitatem illorum adversum me: judica judicium meum. RES.

60. Vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me. RES.

61. Audisti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes eorum adversum me. SIN.

62. Labia insurgentium mihi, & meditationes eorum adversum me tota die. SIN.

63. Sessionem (*ii*) eorum, & resurrectionem eorum vide: ego sum psalmus eorum. SIN.

64. Reddes eis vicem Domine juxta opera manuum suarum. THAU.

65. Dabis eis scutum (*kk*) cordis laborem tuum. THAU.

66. Persequeris in furore, & conteres eos sub cælis Domine. THAU.

CAPUT IV.

1. QUomodo obscuratum est aurum (*a*) mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum? ALEPH.

2. Filii (*b*) Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? BETH.

3. Sed & lamiæ (*c*) nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. GHIMEL.

4. Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti: parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. DALETH.

5. Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis (*d*), amplexati sunt stercora. HE.

6. Et major effecta est iniquitas (*e*) filiæ populi mei peccato Sodomorum *, quæ subversa est in momento, & non ceperunt in ea manus. VAU.
* Gen. 19. 24.

7. Candi-

32. (*u*) Etiamsi Deus hominem videatur abjecisse, tandem illius miserebitur.

33. (*x*) Non ultro Deus affligit homines. Ambros. in Psalm. 118. oct. 12. Dominus non frangit nos humilitate usque ad desperationem, sed usque ad correptionem. Ut contereret, supplendum est verbum, ignoravit Dominus, quod est in 36. versiculo; non visum est bonum ei nos conterere. Non humiliavit vinctos terræ, seu homines, ut eos perderet.

35. (*y*) Ut justa lance non ponderaret merita.

36. (*z*) Occasionem accusandi illum quæreret: *Dominus ignoravit*, id Deus facere non novit.

37. (*aa*) Quis audeat dicere quicquam fieri Domino non jubente, aut ex nutu divinæ voluntatis non evenire hominibus bona & mala? Quæ cum interrogatione, non affirmative, legenda sunt, ut liquet ex iis quæ sequuntur.

40. (*bb*) Agnoscamus peccata nostra, & agamus pœnitentiam: Deus has plagas a nobis auferet: cuncta aguntur divina providentia. Non est cur homo obmurmuret, cum pro suis peccatis castigatur a Deo.

43. (*cc*) Item quasi velum obtendisti tibi, ne quemquam agnosceres; vultum tuum abscondisti; armasti te furore, & percussisti nos.

44. (*dd*) Peccata populi.

45. (*ee*) Tradidisti populum tuum, ut e solo patrio eradicaretur. In persona populi loquitur Propheta.

47. (*ff*) Quemadmodum prophetæ prædixerunt; forte pro vastatione posita est vaticinatio; vel terrorem notat, qui percussi sunt, cum hostis instaret.

51. (*gg*) Jugi suo fletu: *Deprædatus est animam*, seu vitam meam: *In cunctis filiabus urbis meæ*; propter cives meos, tantus fuit fletus, ut vitæ periculum adirem. *Filiabus*, Jerusalem, aut oppidis, quæ Jerosolymæ ut matri subjacebant.

55. (*hh*) Ab imo lacu: alludit fortassis ad lacum, in quem projectus fuit, cap. 38.

63. (*ii*) Omnes inimicorum actiones & motus perpende.

65. (*kk*) Cingulum & angorem. Quæ allegorice Christi passioni & cruci conveniunt.

CAP. IV.

1. (*a*) Quo templi parietes ante obducti nitebant, nunc incensi & obscurati apparent; vel auri nomine principes, ut per lapides, sacerdotes intelliguntur.

2. (*b*) Cives Jerusalem antea speciosi ut aurum, reputati sunt viles ut vasa testacea.

3. (*c*) Feris truculentis non desunt materna viscera, quæ deficiunt matribus Jerosolymitanis. Solet Latinus interpres ad fabulas gentilium alludere, ut sensum textus sacri magis exprimat: LXX. pro lamiis verrunt dracones. Feræ lactant catulos suos, sed matres Jerusalem iis crudeliores vagantur in deserto, & quasi struthiones curam ovorum & pullorum abjiciunt.

5. (*d*) Induti vestibus croceis: *Amplexati sunt stercora*, pro deliciis habent sterquilinium nancisci, in quo fessi recumbant, aut sordidis utuntur vestibus.

6. (*e*) Major afflictio & productior: nam Sodomitæ in momento consumpti sunt: *Et non ceperunt in ea manus*, Hebr. *Et non adhibitæ ei manus*: non sunt afflicti longa obsidione, & in servitutem abducti.

ZAIN. 7. Candidiores (*f*) Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.

HETH. 8. Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est quasi lignum.

TETH. 9. Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame: quoniam isti extabuerunt consumpti a sterilitate terræ.

JOD. 10. Manus mulierum (*g*) misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum, in contritione filiæ populi mei.

CAPH. 11. Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ: & succendit ignem Sion, & devoravit fundamenta ejus.

LAMED. 12. Non crediderunt (*h*) reges terræ, & universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis & inimicus per portas Jerusalem:

MEM. 13. Propter peccata prophetarum ejus, & iniquitates sacerdotum ejus, qui effuderunt in medio ejus sanguinem justorum.

NUN. 14. Erraverunt cæci (*i*) in plateis, polluti sunt in sanguine: cumque non possent, tenuerunt lacinias suas.

SAMECH. 15. Recedite polluti, clamaverunt eis: recedite, abite, nolite tangere: jurgati quippe sunt, & commoti dixerunt inter Gentes: Non addet ultra ut habitet (*k*) in eis.

PHE. 16. Facies (*l*) Domini divisit eos, non addet ut respiciat eos: facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt.

AIN. 17. Cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cum respiceremus attenti ad gentem, quæ salvare non poterat.

SADE. 18. Lubricaverunt (*m*) vestigia nostra in itinere platearum nostrarum, appropinquavit finis noster: completi sunt dies nostri, quia venit finis noster.

COPH. 19. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli: super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis.

RES. 20. Spiritus oris nostri Christus Dominus (*n*) captus est in peccatis nostris: cui diximus: In umbra tua vivemus in Gentibus.

SIN. 21. Gaude & lætare (*o*) filia Edom, quæ habitas in Terra Hus: ad te quoque perveniet calix, inebriaberis, atque nudaberis.

THAU. 22. Completa est iniquitas tua filia Sion, non addet ultra ut transmigret (*p*) te: visitavit iniquitatem tuam filia Edom, discooperuit peccata tua.

ORATIO

JEREMIÆ PROPHETÆ.

CAPUT V.

1. Recordare Domine quid acciderit nobis: intuere, & respice opprobrium nostrum.

2. Hæreditas nostra versa est ad alienos: domus nostræ ad extraneos.

3. Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ.

4. Aquam (*a*) nostram pecunia bibimus: ligna nostra pretio comparavimus.

5. Cervicibus nostris minabamur (*b*) lassis non dabatur requies.

7. Ægypto dedimus manum, & Assyriis (*c*) ut saturaremur pane.

7. Patres (*d*) nostri peccaverunt, & non sunt: & nos iniquitates eorum portavimus.

8. Servi dominati sunt nostri: non fuit qui redimeret de manu eorum.

9. In animabus (*e*) nostris afferebamus panem nobis, a facie gladii in deserto.

10. Pellis nostra, quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis (*f*).

11. Mulieres in Sion humiliaverunt, & virgines in civitatibus Juda.

12. Principes manu suspensi sunt: facies senum non erubuerunt.

13. Adolescentibus impudice abusi sunt: & pueri in ligno corruerunt (*g*).

14. Senes defecerunt de portis, juvenes de choro psallentium.

15. Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster.

16. Cecidit corona (*h*) capitis nostri: væ nobis, quia peccavimus.

17. Propterea mœstum factum est cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri.

18. Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo.

19. Tu autem Domine in æternum permanebis, solium tuum in generationem & generationem.

20. Quare in perpetuum oblivisceris nostri? derelinques nos in longitudine dierum?

21. Converte nos Domine ad te, & convertemur: innova dies nostros, sicut a principio.

22. Sed projiciens repulisti (*i*) nos, iratus es contra nos vehementer.

7. (*f*) Præ fame non sunt cogniti in plateis: *Rubicundiores ebore*, quod veteres minio inficiebant, idque cum vetustate nitorem perdiderat.

10. (*g*) Quæ natura sunt ad misericordiam pronæ.

12. (*h*) Credere non potuissent ob protectionem Dei.

14. (*i*) Obscurata oculorum acie. *Tenuerunt lacinias suas*, vestium extrema colligentes, ne sanguine fœdarentur.

15 (*k*) Hebr. Non *addent ultra ad habitandum*, non revertentur ultra in terram suam. *Dixerunt inter Gentes*, qui eos dispersos videbant, recedite polluti.

16. (*l*) Ira Domini: *Facies sacerdotum*, qui Judæis impietatem exprobrabant.

18. (*m*) Hebr. *Insidiati sunt*, non poteramus in plateis tuto ambulare, a Deo deserti, stabiles & firmi esse non potuimus.

20. (*n*) Captus est in peccatis nostris; juxta versionem nostram, non potest hic versiculus alteri applicari, quam Christo Domino, cum vox, *Dominus*, in Hebræo per nomen Dei tetragrammaton scribatur: Hebraice tamen legi potest Christus Domini, & Sedecias in captivitatem abductus intelligi utcumque potest: vel ut aliis placet, Josias, qui occisus fuit ab Ægyptiis.

21. (*o*) Ironia est.

22. (*p*) Nam sub Tito non fuit transmigratio; sed excidium.

CAP. V.

4. (*a*) Scilicet ad nos pertinebant; ligna quoque nostra e silvis nostris cæsa, pretio ab hostibus comparavimus. Propheta inducit captivos, qui dure tractabantur, aut eos qui in Judæa remanserant.

5. (*b*) Captivi vinculis collo injectis agebamur; vel hostes extremum periculum cervicibus nostris minabantur.

6. (*c*) Complures in Assyriam sunt abducti.

7. (*d*) Parentum iniquitas est occasio punitionis posterorum, qui tamen propter propria peccata affliguntur: deplorat Jeremias præsentem afflictionem, quæ incidit in sua tempora, propter iniquitatem parentum continuatam in posteris. Propheta Dei misericordiam implorat.

9. (*e*) Cum magno vitæ periculo; *Afferebamus panem nobis, a facie gladii*; metu gladii, tempore obsidionis, aut post urbem expugnatam quique in Judæa restiterant.

10. (*f*) Ob famem vehementem.

13. (*g*) Virgis percussi, corruerunt fœde lacerati.

16. (*h*) Defecerunt dies illi, cum in conviviis coronas capitibus imponebamus.

22. (*i*) Sept. Interpr. *Quia satis nos repulisti*; hic versiculus videtur vers. 20. jungendus.

PRO-

PROPHETIA BARUCH.

HIC Liber, qui Jeremiæ epistolam complectitur, Hebraice, aut Chaldaice scriptus fuit: tum enim ignota erat lingua Græca in Asia & Judæa: nec versio Græca a Christianis est fabricata, sed a Synagoga ad Christianos manavit. Quare textus primitivus negligentia Judæorum excidit, sed ab Ecclesia Liber iste inter canonicos habetur, cum a Jeremiæ scriba fuerit exscriptus, isque Hebraismis refertus est. Quod igitur scriptum fuit ab Hieronymo in præfatione ad Jeremiam: Libellum Baruch, qui vulgo editioni Septuaginta copulatur, nec habetur apud Hebræos, & ψευδεπίγραφον, item Epistolam Jeremiæ, nequaquam censui differendum; ex ipsius Hieronymi Apol. 2. in Ruffinum benigne est exponendum, Hieronymum non tam quid sibi, quam quid Hebræis videretur, scripsisse. Ut ut sit, Ecclesia spiritu veritatis & discretionis animata libros ut canonicos habuit, qui a temporibus Apostolorum lecti sunt, sive textus Hebraicus adhuc perstaret, seu versiones tantum authenticæ haberentur. Plerique ex veteribus, Baruch audita a Jeremia litteris consignasse volunt, adeo ut ejus prophetias nomine Jeremiæ citent. Alii ut authenticum & ipsius Baruch genuinum laudant, ut Clemens Alexandrinus, lib. 2. Pædag. cap. 3. Nazianzenus, orat. 4. de Theologia, Cyrillus, lib. 10. contra Julianum.

CAPUT PRIMUM.

Judæi Babylone mittunt ad eos, qui erant in Jerusalem, Librum Baruch una cum collectis pecuniis, ut oblatis holocaustis orent pro ipsis, & pro Nabuchodonosor, filioque ejus Balthassar; ac confiteantur peccata sua.

1. ET hæc verba Libri, quæ scripsit Baruch filius Neriæ, filii Maasiæ, filii Sedeciæ, filii Sedei, filii Helciæ, in Babylonia,

2. In anno quinto, in septimo die mensis (a), in tempore quo ceperunt Chaldæi Jerusalem, & succenderunt eam igni.

3. Et legit Baruch verba Libri hujus ad aures Jechoniæ filii Joackim regis Juda, & ad aures universi populi venientis ad Librum,

4. Et ad aures potentium filiorum regum (b), & ad aures presbyterorum, & ad aures populi, a minimo usque ad maximum eorum omnium habitantium in Babylonia, ad flumen Sodi.

5. Qui audientes plorabant, & jejunabant, & orabant in conspectu Domini.

6. Et collegerunt pecuniam secundum quod potuit uniuscujusque manus,

7. Et miserunt in Jerusalem ad Joakim filium Helciæ filii Salom sacerdotem, & ad Sacerdotes, & ad omnem populum, qui inventi sunt cum eo in Jerusalem:

8. Cum acciperet (c) vasa templi Domini, quæ ablata fuerant de templo, revocare in Terram Juda decima die mensis Sivan, vasa argentea, quæ fecit Sedecias filius Josiæ rex Juda,

9. Postaquam cepisset (d) Nabuchodonosor rex Babylonis Jechoniam, & principes, & cunctos potentes, & populum terræ, ab Jerusalem, & duxit eos vinctos in Babylonem.

10. Et

CAPUT I. 2. & 3. (a) Quinti scilicet, post evolutum quinquennium ab incendio Jerosolymæ, saltem ut multis videtur. Alii tamen annos numerant ex eo tempore, quo Jechonias ductus est captivus; *Et hæc verba*, particula *&*, in Scripturis sæpe apud Hebræos non est copulativa, sed inchoativa, ut initio Libri Ezechielis, & alibi passim: adeo ut vel hinc colligi possit, Hebraice fuisse conscriptum hunc Librum.

4. (b) Principes regii sanguinis indicat; *Ad flumen Sodi*, Euphratem, vox hebræa superbum significat. Baruch legit librum omnibus, non simul, sed diversis temporibus.

8. (c) Nabuchodonosor vasa templi diripuerat, cum Jechoniam abduxit; sed Sedecias quædam argentea & minoris pretii facienda curaverat.

9. (d) Gr. Emigrare fecisset; *Et cunctos potentes*, Gr. Et vinctos.

10. Et dixerunt: Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocautomata, & thus, & facite manna (*e*), & offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri:

11. Et orate (*f*) pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, & pro vita Balthassar filii ejus, ut sint dies eorum sicut dies cæli super terram:

12. Et ut det Dominus virtutem nobis, & illuminet (*g*) oculos nostros, ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor regis Babylonis, & sub umbra Balthassar filii ejus, & serviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam in conspectu eorum.

13. Et pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum: quia peccavimus Domino Deo nostro, & non est aversus furor ejus a nobis usque in hunc diem.

14. Et legite librum istum, quem misimus ad vos recitari in templo (*h*) Domini, in die solemni, & in die opportuno:

* Inf. 2. 6. 15. Et dicetis: * Domino Deo nostro justitia, (*i*) nobis autem confusio faciei nostræ, sicut est dies hæc omni Juda, & habitantibus in Jerusalem,

16. Regibus nostris, & principibus nostris, & sacerdotibus nostris, & prophetis nostris, & patribus nostris.

* Dan. 9. 5. 17. * Peccavimus ante Dominum Deum nostrum, & non credidimus diffidentes (*k*) in eum:

18. Et non fuimus subjectibiles illi, & non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in mandatis ejus, quæ dedit nobis.

19. A die, qua eduxit patres nostros de Terra Ægypti usque ad diem hanc, eramus incredibiles ad Dominum Deum nostrum: & dissipati recessimus, ne audiremus vocem ipsius.

* Deut. 28. 15. 20. * Et adhæserunt nobis multa mala, & maledictiones, quæ constituit Dominus Moysi servo suo: qui eduxit patres nostros de Terra Ægypti, dare nobis terram fluentem lac & mel, sicut hodierna die.

21. Et non audivimus vocem Domini Dei nostri secundum omnia verba prophetarum, quos misit ad nos.

22. Et abivimus unusquisque in sensum cordis nostri maligni, operari diis alienis, facientes mala ante oculos Domini Dei nostri.

CAPUT II.

Judæi in captivitate confitentur ob peccata sua contigisse sibi mala, quæ Deus per prophetas suos fuerat comminatus: fusis ergo precibus petunt misericordiam, quam per Moysen fuerat pollicitus se resipiscentibus daturum.

1. PRopter quod statuit (*a*) Dominus Deus noster verbum suum, quod locutus est ad nos, & ad judices nostros, qui judicaverunt Israel, & ad reges nostros, & ad principes nostros, & ad omnem Israel, & Juda:

2. Ut adduceret Dominus super nos mala magna, quæ non sunt facta sub cælo, quemadmodum facta sunt in Jerusalem, * secundum quæ scripta sunt in lege Moysi, * Deut. 28. 53.

3. Ut manducaret homo carnes filii sui, & carnes filiæ suæ.

4. Et dedit eos sub manu regum omnium, qui sunt in circuitu nostro in improperium, & in desolationem in omnibus populis, in quibus nos dispersit Dominus:

5. Et facti sumus subtus, & non supra: quia peccavimus Domino Deo nostro, non obaudiendo voci ipsius.

6. * Domino Deo nostro justitia: nobis autem & patribus nostris confusio faciei, sicut est dies hæc. * Sup. 1. 15.

7. Quia locutus est Dominus super nos omnia mala hæc, quæ venerunt super nos.

8. Et non sumus deprecati faciem Domini Dei nostri, ut reverteremur unusquisque nostrum a viis nostris pessimis,

9. Et vigilavit Dominus in malis, & adduxit ea super nos: quia justus est Dominus in omnibus operibus suis, quæ mandavit nobis:

10. Et non audivimus vocem ipsius ut iremus in præceptis Domini, quæ dedit ante faciem nostram.

11. * Et nunc Domine Deus Israel, qui eduxisti populum tuum de Terra Ægypti in manu valida, & in signis, & in prodigiis, & in virtute tua magna, & in brachio excelso, & fecisti tibi nomen sicut est dies iste: * Dan. 9. 15.

12. Peccavimus (*b*), impie egimus, inique gessimus, Domine Deus noster, in omnibus justitiis tuis.

13. Avertatur ira tua a nobis: quia derelicti sumus pauci inter gentes, ubi dispersisti nos.

14. Exaudi Domine preces nostras, & orationes nostras, & educ nos propter te: & da nobis invenire gratiam ante faciem eorum, qui nos abduxerunt:

15. Ut sciat omnis terra quia tu es Dominus Deus noster, & quia nomen (*c*) tuum invocatum est super Israel, & super genus ipsius.

16. * Res-

10. (*e*) Manna intelligitur, quod dicitur in Hebr. *Mincha*, aut *Mencha*, seu libamen, cujus frequens est mentio in lege. Templum quidem aliquis erat dirutum: sed in eo loco exstructa erat ara ad offerenda sacrificia; juxta aliorum sententiam templum nondum erat eversum.

11. (*f*) Ex hoc loco & aliis discimus orandum esse pro principibus infidelibus, sub quorum imperio fideles vivunt, idque maxime cum per eos licet veram religionem colere; *Sicut dies cæli*, est hyperbole. Et pro vita *Balthassar*: Evilmerodach, qui 4. Reg. 25. Nabuchodonosori successit: sed forte idem Balthassar nominatur: vel Nabuchodonosor alium filium habuit Balthassaris nomine, qui mortuus est ante patrem.

12. (*g*) Majorem nobis tribuat prosperitatem.

14. (*h*) In loco, qui vice templi erat.

15. (*i*) Hinc incipit oratio Baruch.

17. (*k*) Hæc Græce non leguntur.

1. (*a*) Ipso eventu confirmavit.

12. (*b*) Hebræi hæc tria solent conjungere, cum peccata sua confitentur, peccare, injuste agere, iniquitatem facere, ut Judith 7. 19. & alibi. *In omnibus*, contra omnia mandata tua.

15. (*c*) De nomine tuo vocatus est populus Dei: vel ab Israele invocatum est.

* Deut. 26. 15. Isa. 63. 15. 16. * Respice Domine de domo (*d*) sancta tua in nos, & inclina aurem tuam, & exaudi nos.

* Is. 37. 17. & 64. 9. * Ps. 113. 17. 17. * Aperi oculos tuos, & vide: * quia non mortui, qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est a visceribus suis, dabunt honorem (*e*) & justificationem Domino:

18. Sed anima, quæ tristis est super magnitudine mali, & incedit curva & infirma, & oculi deficientes, & anima esuriens dat tibi gloriam & justitiam Domino.

19. Quia non secundum justitias patrum nostrorum nos fundimus preces, & petimus misericordiam ante conspectum tuum Domine Deus noster:

20. Sed quia misisti iram tuam & furorem tuum super nos, sicut locutus es in manu puerorum tuorum prophetarum, dicens:

21. Sic dicit Dominus: Inclinate humerum vestrum, & cervicem vestram, & opera facite regi Babylonis: & sedebitis in terra, quam dedi patribus vestris.

22. Quod si non audieritis vocem Domini Dei vestri operari regi Babyloniæ: defectionem vestram faciam de civitatibus Juda, & a foris Jerusalem:

23. Et auferam a vobis vocem jucunditatis, & vocem gaudii, & vocem sponsi, & vocem sponsæ, & erit omnis terra sine vestigio ab inhabitantibus eam.

24. Et non audierunt vocem tuam, ut operarentur regi Babylonis: & statuisti verba (*f*) tua, quæ locutus es in manibus puerorum tuorum prophetarum, ut transferrentur ossa regum nostrorum, & ossa patrum nostrorum de loco suo:

25. Et ecce projecta sunt in calore solis, & in gelu noctis: & mortui sunt in doloribus pessimis, in fame & in gladio, & in emissione (*g*).

26. Et posuisti templum, in quo invocatum est nomen tuum in ipso, sicut hæc dies propter iniquitatem domus Israel, & domus Juda.

27. Et fecisti in nobis Domine Deus noster secundum omnem bonitatem (*h*) tuam, & secundum omnem miserationem tuam illam magnam:

28. Sicut locutus es in manu pueri tui Moysi in die, qua præcepisti ei scribere legem tuam coram filiis Israel,

* Lev. 26. Deuter. 28. 15. 29. Dicens: * Si non audieritis vocem meam, multitudo hæc magna convertetur in minimam inter Gentes, quo ego eos dispergam:

30. Quia scio (*i*) quod me non audiet populus: populus est enim dura cervice: & convertetur ad cor suum in terra captivitatis suæ:

31. Et scient quia ego sum Dominus Deus eorum, & dabo eis cor, & intelligent; aures, & audient.

32. Et laudabunt me in terra captivitatis suæ, & memores erunt nominis mei.

33. Et avertent se a dorso suo duro, & a malignitatibus suis: quia reminiscentur viam patrum suorum, qui peccaverunt in me.

34. Et revocabo illos in terram, quam juravi patribus eorum, Abraham, Isaac, & Jacob, & dominabuntur eis: & multiplicabo eos, & non minorabuntur.

35. Et statuam illis testamentum alterum sempiternum (*k*), ut sim illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: & non movebo amplius populum meum, filios Israel, a terra quam dedi illis.

CAPUT III.

Israel in captivitatem ductus est, eo quod dereliquerit viam sapientiæ, quæ non invenitur a potentibus, divitibus, aut gigantibus, sed populo Israel tradita fuerat a Deo, cui omnes creaturæ obediunt: additurque de Christi adventu in carnem.

1. ET nunc Domine omnipotens, Deus Israel, anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te:

2. Audi Domine, & miserere, quia Deus es misericors, & miserere nostri: quia peccavimus (*a*) ante te.

3. Quia tu sedes (*b*) in sempiternum, & nos peribimus in ævum?

4. Domine omnipotens, Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum (*c*) Israel, & filiorum ipsorum, qui peccaverunt ante te, & non audierunt vocem Domini Dei sui, & agglutinata sunt nobis mala.

5. Noli meminisse iniquitatum patrum nostrorum, sed memento manus tuæ, & nominis tui in tempore isto:

6. Quia tu es Dominus Deus noster, & laudabimus te Domine:

7. Quia propter hoc dedisti timorem tuum (*d*) in cordibus nostris, & ut invocemus nomen tuum, & laudemus te in captivitate nostra, quia convertimur ab iniquitate patrum nostrorum, qui peccaverunt ante te.

8. Et ecce nos in captivitate nostra sumus hodie, qua nos dispersisti in improperium, & in maledictum, & in peccatum (*e*), secundum omnes iniquitates patrum nostrorum, qui recesserunt a te Domine Deus noster.

9. Audi Israel mandata vitæ: auribus percipe, ut scias prudentiam.

10. Quid est Israel, quod in terra inimicorum es?

11. Inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum descendentibus in infernum.

12. Dereliquisti fontem sapientiæ.

13. Nam

16 (*d*) De cælo, vel de loco templi.

17. (*e*) Non prædicabunt gloriam & justitiam divinam ore suo & lingua. Inferni nomine loca subterranea sepulcri, inferni, purgatorii designantur.

24 (*f*) Eventu ipso comprobasti quæ prophetæ sunt comminati. Ut transferrentur, ut non sepelirentur in sepulcris patrum suorum. Jerem. 8. 1. & 2.

25 (*g*) In exilio, in dispersione. Jerem. 34. 17.

27. (*h*) Græce ἐπιείκειαν, benigne ac remisse: si summo jure egisses, nos penitus abolevisses: atque hæc captivitas occasio futura est conversionis ad te.

30. (*i*) Non hæc quidem, sed verba similia leguntur apud Mosem & alios prophetas.

35. (*k*) Cum Ecclesia per legem novam.

CAP. III. 2. (*a*) Quia peccatum nostrum confitemur; vel contra te, vel coram te.

3. (*b*) Permanes; *Et nos peribimus in ævum?* ad hujus vitæ officia non reverturi; vel potius cum interrogatione; an permittes nos in æternum perire?

4. (*c*) Captivorum qui ad mortis statum rediguntur.

7. (*d*) Perterruisti nos: quia convertimur.

8. (*e*) In pœnam peccati.

13. Nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace (*f*) sempiterna.

14. Disce (*g*) ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus: ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ & victus, ubi sit lumen oculorum, & pax.

15. Quis invenit locum ejus (*h*)? & quis intravit in thesauros ejus?

16. Ubi sunt principes Gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram?

17. Qui in avibus cæli ludunt (*i*),

18. Qui argentum thesaurizant & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum? qui argentum fabricant (*k*) & solliciti sunt, nec est inventio operum illorum?

19. Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alii loco eorum surrexerunt.

20. Juvenes viderunt lumen (*l*) & habitaverunt super terram: viam autem disciplinæ ignoraverunt.

21. Neque intellexerunt semitas ejus, neque filii eorum susceperunt eam, a facie ipsorum longe facta est.

22. Non est audita in Terra Chanaan, neque visa est in Theman (*m*).

23. Filii (*n*) quoque Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est, negotiatores Merrhæ, & Theman, & fabulatores, & exquisitores prudentiæ & intelligentiæ: viam autem sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas ejus.

24. O Israel, quam magna est domus (*o*) Dei, & ingens locus possessionis ejus!

25. Magnus est, & non habet finem: excelsus & immensus.

26. Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum.

27. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ invenerunt: propterea perierunt.

28. Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.

29. Quis ascendit in (*p*) cælum, & accepit eam, & eduxit eam de nubibus?

30. Quis transfretavit mare, & invenit illam? & attulit illam super aurum electum?

31. Non est qui possit scire vias ejus, neque qui exquirat semitas ejus:

32. Sed qui scit universa, novit eam, & adinvenit eam prudentia sua: qui præparavit terram in æterno tempore, & replevit eam pecudibus & quadrupedibus:

33. Qui emittit lumen, & vadit: & vocavit illud, & obedit illi in tremore.

34. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis (*q*) suis, & lætatæ sunt:

35. Vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus: & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.

36. Hic est Deus (*r*) noster, & non æstimabitur alius adversus eum.

37. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo.

38. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.

CAPUT IV.

Jerusalem suam luget desolationem, hortaturque filios suos ut forti sint animo: nam sicut ob sua peccata Deus eos tradidit adversariis, ita iis liberatis puniet hostes eorum.

1. HIc liber (*a*) mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum: omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem.

2. Convertere Jacob, & apprehende eam, ambula per viam ad splendorem ejus contra lumen (*b*) ejus.

3. Ne tradas alteri gloriam (*c*) tuam, & dignitatem tuam genti alienæ.

4. Beati sumus Israel: quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis.

5. Animæquior esto populus Dei, memorabilis (*d*) Israel:

6. Venumdati estis Gentibus non in perditionem: sed propter quod in ira ad iracundiam provocastis Deum, traditi estis adversariis.

7. Exacerbastis enim eum, qui fecit vos, Deum æternum, immolantes dæmoniis, & non Deo.

8. Obliti enim estis Deum, qui nutrivit vos, & contristastis nutricem (*e*) vestram Jerusalem.

9. Vidit (*f*) enim iracundiam a Deo venientem vobis, & dixit: Audite confines Sion, adduxit enim mihi Deus luctum magnum:

10. Vidit

13. (*f*) Gr. in pace, in æternum.

14. (*g*) Ex his saltem parellis disce, o Juda, quam imprudentes extiteris, ubi sit, & unde hauriend fit prudentia in rebus agendis, ubi sit virtus: Gr. robur, ad resistendum hostibus; pax, seu felicitas, *intellectus*, æstimatio rerum ut in se sunt; *lumen oculorum*, mentis illuminatio, vel prosperitas; *longiturnitas vitæ, & victus*, seu rerum necessariarum copia.

15. (*h*) Sapientia in Deo ut in proprio fonte quærenda est.

17. (*i*) Gr. Illudunt, faciunt ut aucupes. *Ludere*, est aliquid sine difficultate efficere.

18. (*k*) Qui inveniendæ pecuniæ subtiles rationes excogitant. *Nec est inventio operum illorum*; vix animo consequi possumus, quanta sint eorum opera, quam artificiose fiant, nec tamen per illa veram sapientiam acquirunt, aut pereunt illorum opera, nec amplius inveniuntur, aut demum nihil lucri percipiunt ex iis operibus.

20. (*l*) In magna prosperitate.

22. (*m*) Neque nota est inter Chananæos viros solertes; neque inter incolas Theman, qui inter Idumæos habentur sapientissimi. Non enim e terra, sed e cælo venit, & descendit a Patre luminum.

23. (*n*) Ismaelitæ, magni negotiatores hanc ignoraverunt; *Negotiatores Merrhæ*. Gr. Merrhan, quæ forte est Mara Sidoniorum, de qua Josue 13. unde Tyrii prodierunt; *Fabulatores*, in fabulis & parabolis exponendis periti, qui morales fabulas ad informandam hominum vitam componebant; politicas artes didicerunt, non veram sapientiam.

24. (*o*) Hoc Universum.

29. (*p*) Difficultatem sapientiæ consequendæ proponit, quæ sine Dei gratia haberi nequit.

34. (*q*) In stationibus & locis designatis; *Et lætatæ sunt*, promptæ ad obediendum.

36. (*r*) Quæ sequuntur, ad Deum referuntur; sed vaticinium de Christo continent. Verbum Dei post umbraticam populi veteris sapientiam, hominem factum, & cum hominibus conversatum, & veram sapientiam docuisse, cum sit ipse Dei sapientia.

CAP. IV.

1. (*a*) Sapientia, quam adeo commendavi, continetur libro mandatorum Dei; *Quæ est in æternum*, in se ipsa, quoad præcepta moralia, & in antitypo suo, quoad cæremonialia. *Et omnes qui tenent eam*, & observant, pervenient ad vitam æternam.

2. (*b*) Eam sequere ut facem prælucentem.

3. (*c*) Si deos alienos colas, servus eris.

5. (*d*) Gr. Monimentum Israelis, reliquiæ tuæ Deo gratæ sunt.

8. (*e*) Jerusalem, Synagogam, seu Ecclesiam Dei, quæ illos in cultu Dei, & in lege divina educaverat. Hujus caput & nobilissima membra erant in Jerusalem.

9. (*f*) Iracundiam divinam.

10. Vidit enim captivitatem populi mei, filiorum meorum, & filiarum, quam superduxit illis Æternus.

11. Nutrivi enim illos cum jucunditate: dimisi autem illos cum fletu & luctu.

12. Nemo gaudeat (*g*) super me viduam, & desolatam: a multis derelicta sum propter peccata filiorum meorum, quia declinaverunt a lege Dei.

13. Justitias autem ipsius nescierunt, nec ambulaverunt per vias mandatorum Dei, neque per semitas veritatis ejus cum justitia ingressi sunt.

14. Veniant confines Sion, & memorentur captivitatem filiorum, & filiarum mearum, quam superduxit illis Æternus.

15. Adduxit enim super illos gentem de longinquo, gentem improbam, & alterius linguæ:

16. Qui non sunt reveriti senem, neque puerorum miserti sunt, & abduxerunt dilectos (*h*) viduæ, & a filiis unicam desolaverunt:

17. Ego autem quid possum adjuvare vos?

18. Qui enim adduxit super vos mala, ipse vos eripiet de manibus inimicorum vestrorum.

19. Ambulate (*i*) filii, ambulate: ego enim derelicta sum sola.

20. Exui me stola (*k*) pacis, indui autem me sacco obsecrationis, & clamabo ad Altissimum in diebus meis.

21. Animæquiores estote filii, clamate ad Dominum, & eripiet vos de manu principum inimicorum.

22. Ego enim speravi in æternum (*l*) salutem vestram: & venit mihi gaudium a sancto super misericordia, quæ veniet vobis ab æterno salutari nostro.

23. Emisi enim vos cum luctu & ploratu: reducet autem vos mihi Dominus cum gaudio & jucunditate in sempiternum.

24. Sicut enim viderunt vicinæ Sion captivitatem vestram a Deo, sic videbunt & in celeritate salutem vestram a Deo, quæ superveniet vobis cum honore magno, & splendore æterno.

25. Filii patienter sustinete iram, quæ supervenit vobis: persecutus est enim te inimicus tuus, sed cito videbis perditionem ipsius: & super cervices ipsius ascendes.

26. Delicati (*m*) mei ambulaverunt vias asperas: ducti sunt enim ut grex direptus ab inimicis.

27. Animæquiores estote filii, & proclamate ad Dominum: erit enim memoria vestra ab eo, qui duxit vos.

28. Sicut enim fuit sensus (*n*) vester ut erraretis a Deo: decies tantum iterum convertentes requiretis eum.

29. Qui enim induxit vobis mala, ipse rursum adducet vobis sempiternam jucunditatem cum salute vestra.

30. Animæquior esto Jerusalem, exhortatur (*o*) enim te, qui te nominavit.

31. Nocentes peribunt, qui te vexaverunt: & qui gratulati sunt in tua ruina, punientur.

32. Civitates, quibus servierunt filii tui, punientur; & quæ accepit filios tuos.

33. Sicut enim gavisa est in tua ruina, & lætata est in casu tuo, sic contristabitur in sua desolatione.

34. Et amputabitur exultatio multitudinis ejus, & gaudimonium (*p*) ejus erit in luctum.

35. Ignis enim superveniet ei ab æterno in longiturnis diebus, & habitabitur a dæmoniis (*q*) in multitudine temporis.

36. * Circumspice Jerusalem ad Orientem, & vide jucunditatem a Deo tibi venientem. * *Inf. 5. 5.*

37. Ecce enim veniunt filii tui, quos dimisisti dispersos, veniunt collecti ab Oriente usque ad Occidentem, in verbo sancti (*r*) gaudentes in honorem Dei.

CAPUT V.

Jubetur Jerusalem luctum exuere, eo quod filii ejus cum ignominia ducti in captivitatem, cum gloria sint in patriam reducendi.

1. EXue te Jerusalem stola luctus & vexationis tuæ: & indue te decore & honore ejus, quæ a Deo tibi est, sempiternæ gloriæ.

2. Circumdabit te Deus diploide (*a*) justitiæ, & imponet mitram capiti honoris æterni.

3. Deus enim ostendet splendorem suum in te, omni qui sub cælo (*b*) est.

4. Nominabitur (*c*) enim tibi nomen tuum a Deo in sempiternum: Pax justitiæ, & honor pietatis.

5. Exurge Jerusalem, & sta in excelso, * & circumspice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente sole usque ad Occidentem, in verbo sancti gaudentes Dei memoria. * *Sup. 4. 36.*

6. Exierunt enim abs te pedibus (*d*) ducti ab inimicis: adducet autem illos Dominus ad te portatos in honore sicut filios regni.

7. Constituit (*e*) enim Deus humiliare omnem montem excelsum, & rupes perennes, & convalles replere in æqualitatem terræ: ut ambulet Israel diligenter in honorem Dei.

8. Obumbraverunt (*f*) autem & silvæ, & omne lignum suavitatis Israel ex mandato Dei.

9. Addu-

12. (*g*) Nemo mihi insultet.
16. (*h*) Filios meos, quæ vidua sum; *A filiis*, filiis orbatam & desertam.
19. (*i*) Redite ad me ex captivitate.
20. (*k*) Veste qua induebar in prosperitate mea.
22. (*l*) Gr. In æterno, scilicet in Deo: *A sancto*, a Deo.
26. (*m*) Quos præ ceteris amaveram.
28. (*n*) Gr. Cogitatio vestra, ad errandum a Deo, decuplate conversi quærite eum: quod referri debet ad Israel secundum spiritum, non secundum carnem: *Decies tantum*, decuplo majori studio quærite eum.
30 (*o*) Gr. *Consolabitur te*. *Qui te nominavit*, qui te de suo nomine vocavit, & urbem sanctam appellavit.
34 (*p*) Gr. Superbia, qua te insolenter effert.
35 (*q*) A satyris: quæ videtur hyperbole.
37. (*r*) Juxta promissum Dei: quæ verius impleta sunt sub Messia, cum fideles ex omni parte Orbis ad ipsum & ejus Ecclesiam confluxerunt.

CAP. V.
2. (*a*) Diplois est tunica talaris muliebris: *Honoris æterni*, id est, Dei, ex Græco: hæc prophetia ad Ecclesiam proprie pertinet, & ad urbem Jerusalem vix applicari potest. *Et impone mitram capiti tuo*: Mitra est ornamentum capitis mulieris, ut stola vestis muliebris; loquitur de Ecclesia tamquam de muliere.
4. (*b*) Gr. *Omni qui sub cælo est*, terræ nimirum: efficiet ut toto orbe terrarum sis clarissima.
4 (*c*) Civitas, in qua pax abundat & justitia: vocari idem est ac esse: quæ prophetia manifeste pertinet ad Ecclesiam: per nomen significatur specialis nota: nam pax justitiæ est Ecclesiæ propria, & non auferetur ab ea: Isai. 9. *Multiplicabitur ejus imperium: & pacis non erit finis.*
6. (*d*) Cum captivi sunt abducti: *Portatos in honore*, equis & curribus honorifice vectos. Ut miseri abierunt, sed honorifice redierunt.
7 (*e*) Facilem iis præbebit reditum.
8. (*f*) Præteritum pro futuro: *Lignum suavitatis*: Gr. Suave olens: silvæ iis erunt umbraculo.

9. Adducet enim Deus Iſrael cum jucunditate in lumine (*g*) majeſtatis ſuæ, cum miſericordia & juſtitia, quæ eſt ex ipſo.

CAPUT VI.

Judæos Babylone captivos vaticinatur Jeremias poſt ſeptem generationes liberandos: hortaturque, ut ſibi caveant ab illorum idololatria, oſtendens imbecillia eſſe idola, penituſque ſenſu carentia, ac vaniſſima.

EXemplar epiſtolæ, quam miſit Jeremias ad abducendos captivos in Babyloniam a rege Babyloniorum, ut annuntiaret illis ſecundum quod præceptum eſt illi a Deo.

* Jer. 25. 9. 1. * PROPTER peccata, quæ peccaſtis ante Deum, abducemini in Babyloniam captivi a Nabuchodonoſor rege Babyloniorum.

2. Ingreſſi itaque in Babylonem, eritis ibi annis plurimis, & temporibus longis, uſque ad generationes (*a*) ſeptem: poſt hoc autem educam vos inde cum pace.

* Iſa. 44. 10. 3. * Nunc autem videbitis in Babylonia deos aureos (*b*), & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari, oſtentantes metum Gentibus.

4. Videte ergo ne & vos ſimiles efficiamini factis alienis, & metuatis, & metus vos capiat in ipſis.

5. Viſa (*c*) itaque turba de retro, & ab ante, & adorantes, dicite in cordibus veſtris: Te oportet adorari Domine.

6. Angelus enim meus vobiſcum eſt: ipſe autem exquiram (*d*) animas veſtras.

7. Nam lingua ipſorum polita a fabro, ipſa etiam inaurata & inargentata, falſa ſunt, & non poſſunt loqui.

8. Et ſicut (*e*) virgini amanti ornamenta: ita accepto auro fabricati ſunt.

9. Coronas certe aureas habent ſuper capita ſua dii illorum: unde ſubtrahunt ſacerdotes ab eis aurum & argentum, & erogant illud in ſemetipſos.

10. Dant autem & ex ipſo proſtitutis, & meretrices ornant: & iterum cum receperint illud a meretricibus, ornant deos ſuos.

11. Hi autem non liberantur ab ærugine & tinea.

12. Opertis autem illis veſte purpurea, extergunt faciem ipſorum propter pulverem domus, qui eſt plurimus inter eos.

13. Sceptrum autem habet ut homo, ſicut judex regionis, qui in ſe peccantem non interficit.

14. Habet etiam in manu gladium & ſecurim; ſe autem de bello, & a latronibus non liberat: unde vobis notum ſit quia non ſunt dii.

15. Non ergo timueritis eos. Sicut enim vas hominis confractum inutile efficitur, tales ſunt & dii illorum.

16. Conſtitutis illis in domo, oculi eorum pleni ſunt pulvere a pedibus introeuntium.

17. Et ſicut alicui, qui regem offendit, circumſeptæ ſunt januæ: aut ſicut ad ſepulcrum adductum mortuum, ita tutantur ſacerdotes oſtia clauſuris & ſeris, ne a latronibus expolientur.

18. Lucernas accendunt illis: & quidem multas, ex quibus nullam videri poſſunt: ſunt autem ſicut trabes in domo.

19. Corda (*f*) vero eorum dicunt elingere ſerpentes, qui de terra ſunt, dum comedunt eos, & veſtimentum ipſorum, & non ſentiunt.

20. Nigræ fiunt facies eorum a fumo, qui in domo fit.

21. Supra corpus eorum, & ſupra caput eorum volant noctuæ, & hirundines, & aves etiam, ſimiliter & cattæ.

22. Unde ſciatis quia non ſunt dii. Ne ergo timueritis eos.

23. Aurum etiam quod habent, ad ſpeciem eſt. Niſi aliquis exterſerit æruginem, non fulgebunt: neque enim dum conflarentur, ſentiebant.

24. Ex omni pretio empta ſunt, in quibus ſpiritus non ineſt ipſis.

25. * Sine pedibus in humeris portantur, oſtentantes ignobilitatem ſuam hominibus. Confundantur etiam qui colunt ea. * Iſ. 46. 7.

26. Propterea ſi ceciderint in terram, a ſemetipſis non conſurgunt: neque ſi quis eum ſtatuerit rectum, per ſemetipſum ſtabit, ſed ſicut mortuis munera eorum illis apponentur.

27. Hoſtias illorum vendunt ſacerdotes ipſorum, & abutuntur: ſimiliter & mulieres eorum decerpentes, neque infirmo, neque mendicanti aliquid impertiunt;

28. De ſacrificiis eorum fœtæ, & menſtruatæ contingunt. Scientes itaque ex his quia non ſunt dii, ne timeatis eos.

29. Unde enim vocantur dii? Quia mulieres apponunt diis argenteis, & aureis, & ligneis:

30. Et in domibus eorum ſacerdotes ſedent, habentes tunicas ſciſſas, & capita, & barbam raſam, quorum capita nuda ſunt.

31. Rugiunt autem clamantes contra deos ſuos, ſicut in cœna mortui.

32. Veſtimenta eorum auferunt ſacerdotes, & veſtiunt uxores ſuas, & filios ſuos.

33. Neque

9. (*g*) Divina virtute factum: alludit ad columnam ignis in deſerto.

CAP. VI. 2. (*a*) Vox Græca ſpatium ſignificat decem annorum, vel ſeptem juxta alios: ſic medici veteres vetant incidi venam pueris ante duas generationes, ſeu ante 14. annos: ſi priori modo generatio accipiatur, videntur numerandæ ab anno 13. Regis Joſiæ, ut putat Tirinus: ſi poſteriori modo, ab anno 4. Joachin: alii aliter 70. annos computant. Inſignem & notabilem annorum numerum Hebræi vocant generationem.

3. (*b*) Foſtra hæc verba Catholicis objiciunt Calviniani: non enim aliud docet Propheta, quam ſimulacra gentium non eſſe deos: quod ſæpe concludit his verbis: *Unde vobis notum ſit, quia non ſunt dii, ne ergo timueritis eos*: idque libenter concedimus de noſtris imaginibus: ſed hinc non ſequitur nullam iis deberi venerationem, cum ad ſua prototypa referuntur. Nam ut pronunciantes ſanctiſſimum nomen Jeſu, non ſonum vocis honoramus caput aperiendo, ſed ipſum Filium Dei; ſic ubi procumbimus ante Crucifixi imaginem, non ipſam imaginem proprie adoramus, ſed eum, cujus eſt imago. Atque ex hac epiſtola refellitur Calvinus, cum negat ſtatuas a gentibus fuiſſe adoratas, ſed in iis ut in imaginibus verum Deum; nam ſingulis pene verſibus Propheta Babylonios perſtringit, quod ligna & lapides pro diis colerent, & ob eam rationem SS. Patres irrident Ethnicos.

5. (*c*) Non quaſi ore & opere contraria liceat exhibere a ſed quando nulla urget profitendæ fidei neceſſitas, tum in corde ſolo veritatem fidei retinendam eſſe docet.

6. (*d*) Veſter ero vindex.

8. (*e*) Sic ea veſtiunt, quaſi ornarent virginem.

19. (*f*) Seu medullam ligni corrodunt ſerpentes, aut vermes.

33. Neque si quid mali patiuntur ab aliquo, neque si quid boni, poterunt retribuere: neque regem constituere possunt, neque auferre.

34. Similiter neque dare divitias possunt, neque malum retribuere. Si quis illis votum voverit, & non reddiderit; neque hoc requirunt.

35. Hominem a morte non liberant, neque infirmum a potentiori eripiunt.

36. Hominem cæcum ad visum non restituunt, de necessitate hominem non liberabunt.

37. Viduæ non miserebuntur, neque orphanis benefacient.

38. Lapidibus de monte similes sunt dii illorum, lignei, & lapidei, & aurei, & argentei. Qui autem colunt ea, confundentur.

39. Quomodo ergo æstimandum est, aut dicendum, illos esse deos?

40. Adhuc enim ipsis Chaldæis non honorantibus ea: qui cum audierint (*g*) mutum non posse loqui, offerunt illud ad Bel, postulantes ab eo loqui:

41. Quasi possint sentire qui non habent motum, & ipsi cum intellexerint, relinquent ea: sensum enim non habent ipsi dii illorum.

42. Mulieres autem circumdatæ funibus in viis (*h*) sedent, succendentes ossa olivarum.

43. Cum autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte dormierit cum eo, proximæ, suæ exprobrat quod ea non sit digna habita, sicut ipsa, neque funis ejus diruptus sit.

44. Omnia autem quæ illis fiunt, falsa sunt. Quomodo æstimandum, aut dicendum est, illos esse deos?

45. A fabris autem, & ab aurificibus facta sunt. Nihil aliud erunt, nisi id quod volunt esse sacerdotes.

46. Artifices etiam ipsi, qui ea faciunt, non sunt multi temporis. Numquid ergo possunt ea quæ fabricata sunt ab ipsis esse dii?

47. Reliquerunt autem falsa, & opprobrium postea futuris.

48. Nam cum supervenerit illis prælium, & mala: cogitant sacerdotes apud se, ubi se abscondant cum illis.

49. Quomodo ergo sentiri debeant quoniam dii sunt, qui nec de bello se liberant, neque de malis se eripiunt?

50. Nam cum sint lignea, inaurata, & inargentata, scietur postea quia falsa sunt ab universis Gentibus, & regibus: quæ manifesta sunt quia non sunt dii, sed opera manuum hominum, & nullum Dei opus cum illis.

51. Unde ergo notum est, quia non sunt dii, sed opera manuum hominum, & nullum Dei opus in ipsis est?

52. Regem regioni non suscitant, neque pluviam hominibus dabunt.

53. Judicium quoque non discernent, neque regiones liberabunt ab injuria: quia nihil possunt, sicut corniculæ inter medium cæli & terræ.

54. Etenim cum inciderit ignis in domum deorum ligneorum, argenteorum, & aureorum, sacerdotes quidem ipsorum fugient, & liberabuntur: ipsi vero sicut trabes in medio comburentur.

55. Regi autem, & bello non resistent. Quomodo ergo æstimandum est, aut recipiendum quia dii sunt?

56. Non a furibus, neque a latronibus se liberabunt dii lignei, & lapidei, & inaurati, & inargentati, quibus (*i*) hi qui fortiores sunt,

57. Aurum, & argentum, & vestimentum, quo operti sunt, auferent illis, & abibunt, nec sibi auxilium ferent.

58. Itaque melius est esse regem ostentantem virtutem suam: aut vas in domo utile, in quo gloriabitur qui possidet illud: vel ostium in domo, quod custodit quæ in ipsa sunt, quam falsi dii.

59. Sol quidem, & luna (*k*), ac sidera, cum sint splendida, & emissa ad utilitates, obaudiunt.

60. Similiter & fulgur cum apparuerit, perspicuum est: idipsum autem & spiritus in omni regione spirat.

61. Et nubes, quibus cum imperatum fuerit a Deo perambulare universum orbem, perficiunt quod imperatum est eis.

62. Ignis etiam missus desuper ut consumat montes, & silvas, facit quod præceptum est ei. Hæc autem neque speciebus, neque virtutibus uni eorum similia sunt.

63. Unde neque existimandum est, neque dicendum, illos esse deos, quando non possunt neque judicium judicare, neque quidquam facere hominibus.

64. Scientes itaque quia non sunt dii, ne ergo timueritis eos.

65. Neque enim regibus maledicent, neque benedicent.

66. Signa etiam in cælo Gentibus non ostendunt, neque ut sol lucebunt, neque illuminabunt ut luna.

67. Bestiæ meliores sunt illis, quæ possunt fugere sub tectum, ac prodesse sibi.

68. Nullo itaque modo nobis est manifestum quia sunt dii: propter quod ne timeatis eos.

69. Nam sicut in cucumerario formido (*l*) nihil custodit: ita sunt dii illorum lignei, & argentei, & inaurati.

70. Eodem modo & in horto spina alba, supra quam omnis avis sedet. Similiter & mortuo projecto in tenebris similes sunt dii illorum lignei, & inaurati, & inargentati.

71. A purpura (*m*) quoque & murice, quæ supra illos tineant, scietis itaque quia non sunt dii. Ipsi etiam postremo comeduntur, & erunt opprobrium in regione.

72. Melior (*n*) est homo justus, qui non habet simulacra: nam erit longe ab opprobriis.

40. (*g*) Petunt ab idolo ut mutus loqui possit, cum idolum ipsum non loquatur.

42. (*h*) In viis templi exponunt pudicitiam suam, zona circumdatæ, quasi virginali, & Veneri sacræ, & primo cuique obvio copiam sui faciunt. Interim ossa, seu nucleos olivarum succendebant, quos ritus a Babyloniis Græcos accepisse ex Herodoto, Strabone, & aliis probant Cornelius a Lapide, Petertus & alii.

56. (*i*) Biblia Lovaniensia legunt, *utique*, pro *hi qui*.

59. & 60. (*k*) Sunt idolis meliora, utilitatem hominibus afferunt, & Dei præcepto obediunt, uti fulgura & venti.

69. (*l*) Terricula, quæ in cucumerariis poni solent ad terrendas aves: natura sua non custodiunt, cum non sint nisi hominum simulacra: sic idola opinione tantum superstitiosorum aliquid efficiunt, non natura sua.

71. (*m*) Existimat Maldonatus interpretem vertisse a purpura, a murice, quæ supra illos tineant, seu tineis exeduntur: scietis utique quia non sunt dii. *Et erunt in opprobrium*: erit omnibus irrisionis materia.

72. (*n*) Propheta plus significat, quam verbis exprimat. Justus enim gloriam inveniet æternam.

PRO-

PROPHETIA EZECHIELIS.

EZECHIEL filius Buzi e Tribu Levi, & Sacerdos, abductus fuit sub initium secundæ captivitatis, & post annos quinque suæ deportationis, qui fuit Sedeciæ annus quintus, cœpit prophetare. Nabuchodonosoris 13. prophetavit per annos 22. Ubique cum Jeremia consentit, & idem fere est utriusque Libri argumentum.

CAPUT PRIMUM.

Tempus & locus quibus Ezechieli ostensæ sunt visiones Dei.

1. T factum est in trigesimo (*a*) anno, in quarto, in quinta mensis, cum essem in medio captivorum * juxta fluvium Chobar, aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei.

* Inf. 3. 23. & 10. 20. & 43. 3.

2. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Joachin,

3. Factum (*b*) est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem in terra Chaldæorum, secus flumen Chobar: & facta est super eum ibi manus Domini,

4. Et vidi, & ecce ventus (*c*) turbinis veniebat ab Aquilone; & nubes magna, & ignis involvens, & splendor in circuitu ejus: & de medio ejus quasi species electri, id est de medio ignis:

5. Et in medio ejus similitudo (*d*) quatuor animalium: & hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis.

6. Quatuor (*e*) facies uni, & quatuor pennæ uni.

7. Pedes eorum pedes recti, (*f*) & planta pedis eorum quasi planta pedis vituli, & scintillæ quasi aspectus æris candentis.

8. Et manus (*g*) hominis sub pennis eorum in quatuor partibus: & facies & pennas per quatuor partes habebant.

9. Junctæque (*h*) erant pennæ eorum alterius ad alterum; non revertebantur cum incederent: sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur.

10. Similitudo (*i*) autem vultus eorum: facies hominis & facies leonis a dextris ipsorum quatuor; facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.

11. Facies (*k*) eorum & pennæ eorum extentæ desuper: duæ pennæ singulorum jungebantur, & duæ tegebant corpora eorum.

12. Et

CAPUT I. 1. (*a*) Sive hic annus computetur ab inventione libri legis, regnante Josia, sive ab anno Jubilæi, sive a captivitate Babylonica, & a capto Joachin, seu denique ab initio regni Nabopolassar patris Nabuchodonosoris, unde Babylonii numerabant annos. *In quarto*, id est mense. *Aperti sunt cæli*, vel fulgura emicuerunt, vel ut ait Hieron. *Apertos cælos, non divisione firmamenti, sed fide credentis intellige, eo quod cælestia sint illi reserata mysteria.* Credibilius est hos 30. annos a captivitate numerari; non enim de Jubilæo, aut de inventione libri legis, sed de captivitate agebat Propheta. Theodoretus ab anno 18. Josiæ, quo sententia captivitatis fuit pronuntiata, eos annos enumerat: ut 400. anni Gen. 15. ab eo anno, quo Deus Abrahamo peregrinationem Ægyptiorum & captivitatem prædixit, sint computandi.

3. (*b*) Divina virtus, ventus, turbo, ignis, calamitatem Judæis imminentem designant. Currus Dei, divinæ majestatis & providentiæ est symbolum. Adstant illi Cherubim, & exercitus Angelorum ad jussa Dei facienda expediti; currus Dei, seu providentiæ ministri sunt Cherubim. Quatuor habet facies divina providentia, fortis est ut leo, velox ut aquila, amabilis ut homo, patiens ut bos; *In medio rotæ*, caussarum seriem & connexionem insinuat.

4. (*c*) Turbines excitans: *Ab Aquilone*, respectu Judææ, a Babylone nempe. *Et ignis involvens*: LXX. Ignis fulgurans. Hæc visio obscura gloriam Domini adumbrabat, ut Ezechiel ipse initio cap. 2. testatur: quæ in cælo primum, quod instar sapphiri lumine circumfusæ describit: tum in ministris divini imperii, & in ordine providentiæ, qui & alis instructi celeritatem in exequendis Dei mandatis exprimunt. Turbo ille ab Aquilone Nabuchodonosorem satis apte exhibet; sic enim ab aliis Prophetis designatur, ut Jerem. 23. *Ecce turbo dominicæ indignationis*. *Et splendor in circuitu ejus*: nubis, adeo ut circa nubem totum illud spatium colluceret, & de medio ejus, ignis nimirum. *Species electri*, an succini, an potius præstantissimi, & coloris aurei. Metallum illud populum Israel exprimit, quem tot calamitates absumere non potuerunt.

5. (*d*) Non erant animalia, sed eorum similitudinem præ se ferebant spiritus cælestes: *Similitudo*, forma eorum erat similis formæ humanæ.

6. (*e*) Unicuique eorum erant quatuor facies, humana anterior, leonina dextera; &c. unicuique faciei quatuor erant alæ, duæ ad tegendam illam corporis partem, quæ illis respondebat, duæ ad volandum versus eam partem, in quam facies spectabat.

7. (*f*) Sept. Interpr. *Crura recta*, ut in homine. *Quasi planta pedis vituli*. Aquila vertit, quasi planta pedis rotundi; ut facile in omnes partes moverentur; *Et scintillæ*. Hebr. *Scintillantes*, nempe eorum pedes, aut crura.

8. (*g*) Brachia humanis similia: *Sub pennis eorum in quatuor partibus*, animalium, quæ quatuor faciebus respondebant: *Habebant*, ut in omnem partem aspicere & ambulare possent. In singulis quaternæ erant facies, quaterna brachia: sub qualibet penna, vel ala, erat una manus.

9. (*h*) Ut æquali celeritate in eam partem volare possent: vel ex Hebr. conjunctæ erant alæ unius faciei alis alterius faciei in eodem animali. *Non revertebantur*: non vertebant se ut cetera animalia, cum in contrariam partem volebant ire, quia faciem habebant & alas in omnem partem.

10. (*i*) Hoc loco videtur punctum interponendum: omnia faciem hominis habebant: *a dextris*, ex Hebr. facies leonis erat ad dexteram faciei humanæ: *Et desuper*: vox illa, *desuper*, neque in Hebræo, neque apud LXX. occurrit: nec cerneretur, nisi a tergo fuisset, ait Maldonatus: aut certe hoc loco vox *desuper*, significat præterea: unicuique animali quatuor inerant facies, non una tantum.

11. (*k*) Singulis animalibus 16. erant alæ, ex iis octo erant extensæ ad volandum in omnes partes Universi, aliæ octo corpus animalis tegebant: ala unius faciei alæ alterius faciei ejusdem animalis juncta erat: quod omnium consensum exprimebat.

12. Et unumquodque eorum coram facie sua ambulabat (*l*) : ubi erat impetus spiritus , illuc gradiebantur , nec revertebantur cum ambularent.

13. Et similitudo animalium , aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium , & quasi aspectus lampadarum . Hæc erat visio discurrens (*m*) in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens.

14. Et animalia ibant, & revertebantur (*n*), in similitudinem fulguris coruscantis.

15. Cumque aspicerem animalia , apparuit rota (*o*) una super terram juxta animalia , habens quatuor facies.

16. Et aspectus rotarum , & opus earum , quasi visio maris : & una similitudo ipsarum quatuor: & aspectus (*p*) earum & opera, quasi sit rota in medio rotæ.

17. Per quatuor (*q*) partes earum euntes ibant, & non revertebantur cum ambularent.

18. Statura (*r*) quoque erat rotis, & altitu-
*Inf. 10. 12. do , & horribilis aspectus: & * totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quatuor.

19. Cumque ambularent animalia , ambulabant pariter & rotæ juxta ea : & cum elevarentur animalia de terra , elevabantur simul & rotæ,

20. Quocumque ibat spiritus , (*s*) illuc eunte spiritu, & rotæ pariter elevabantur , sequentes eum . Spiritus enim vitæ erat in rotis.

21. Cum euntibus ibant , & cum stantibus stabant : & cum elevatis a terra , pariter elevabantur & rotæ, sequentes ea : quia spiritus vitæ erat in rotis.

22. Et similitudo super capita animalium (*t*) firmamenti , quasi aspectus crystalli horribilis, & extenti super capita eorum desuper.

23. Sub firmamento autem pennæ eorum rectæ (*u*) alterius ad alterum : unumquodque duabus alis velabat corpus suum , & alterum similiter velabatur.

24. Et audiebam sonum (*x*) alarum , quasi sonum aquarum multarum , quasi sonum sublimis Dei : cum ambularent quasi sonus erat multitudinis ut sonus castrorum : cumque starent, demittebantur pennæ eorum.

25. Nam cum fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant, & submittebant (*y*) alas suas.

26. Et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum , quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni (*z*) : & super similitudinem throni , similitudo quasi aspectus hominis desuper.

27. Et vidi quasi speciem electri , velut aspectum ignis, intrinsecus ejus per circuitum: a lumbis ejus & desuper , & a lumbis ejus usque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu.

28. Velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluviæ : hic erat aspectus splendoris per gyrum.

CAPUT II.

Roboratur Propheta exterritus , ut intrepide arguat rebelles Israel.

1. HÆc visio similitudinis gloriæ Domini : & vidi , & cecidi in faciem meam , & audivi vocem loquentis . Et dixit ad me : Fili hominis sta super pedes tuos , & loquar tecum.

2. Et ingressus est in me spiritus postquam locutus est mihi , & statuit me supra pedes meos, & audivi loquentem ad me,

3. Et dicentem : Fili hominis , mitto ego te ad filios Israel , ad Gentes apostatrices , quæ recesserunt a me : ipsi & patres eorum prævaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc.

4. Et filii dura facie , & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te : & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus:

5. Si forte vel ipsi audiant (*a*) , & si forte quiescant , quoniam domus exasperans est : & scient quia propheta fuerit in medio eorum.

6. Tu

12. (*l*) Unumquodque recta ibat: nam versus partes omnes faciem habebat obversam.

13. (*m*) Videbatur in medio animalium ignis discurrere, & de igne fulgur egredi.

14. (*n*) In contrariam partem ambulabant. Contrarium videtur dixisse Propheta vers. 9. & 12. animalia scilicet non reverti. Sed ut bene advertit Martianæus in nupero opere *de Triplici Syntaxi* , habenda ratio circumstantiarum , ubi videtur in sententiis aliqua subesse contradictio . Addit Propheta ea reverti instar fulgurum, Hebr. *Bezec*, בזק. Nam ut fulgura in ictu oculi micant, & progrediuntur in momento temporis, neque ab aere, aut a se ipsis separantur; ita hæc animalia prorsum volabant . At si quem offendissent obicem, priora non relegebant vestigia , atque , ut ait Hieronymus, non tam revertuntur, quam contrahunt se. extincta rursum, & præbitura lumen quod parumper absconderant.

15. (*o*) Una juxta unum animal: singulæ rotæ juxta singula animalia; quæ quatuor rotæ aliæ aliis comprehensæ unam velut rotam , aut sphæram efficiebant : a 4. animalibus sic pendebant, ut horum motu agerentur ; eæque mundum aspectabilem in perpetuo motu positum designabant, res inferiores Dei ministris subjici, ut juxta divinæ providentiæ nutum moveantur. *Rota una super terram* : quæ in cælo infima quadrigam apparebat , non super veram terram . *Rota una juxta animalia*: singulæ rotæ juxta singula animalia, quæ non erant in curru, sed tamquam stipatores singulas rotas comitabantur. *Habens quatuor facies*: erat quadripartita: adeo ut unaquæque rota aliam transversim secaret, & quatuor semicirculi velut coluri in sphæra apparerent. Cuilibet rotæ insculpta erat facies hominis, leonis, bovis & aquilæ.

16. (*p*) Forma, species; *Quasi visio maris*, cærulei coloris: *Et una*: singularum consimilis figura; *Aspectus earum & opera*; figura & compositio. *Quasi rota in medio rotæ*: integra rota sphæræ cujusdam instar formata. *Et similitudo* : An forte octo erant rotæ? sed quatuor tantum erant locis separatæ; nam binæ erant mutuo implicatæ.

17. (*q*) Versus quatuor sua latera citra ullam conversionem, aut flexionem rotari poterant.

18. (*r*) Hebr. *Dorsum*: extimus circulus erat prodigiosæ magnitudinis: *Horribilis*. *Totum corpus*: Hebr. dorsum; *Oculis plenum* , ocellis, quales in cauda pavonis , quod motus omnes sint ordinati.

20. (*s*) Scilicet animalium . Quocumque spiritus animalium hæc impellebat , eo quoque spiritus rotarum eas promovebat, cum idem spiritus utraque regeret.

22. (*t*) Et super capita animalium erat *similitudo firmamenti*, *horribilis*, propter divinitatem, quam præ se ferebat.

23. (*u*) Extentæ; *Alterius ad alteram*: unaquæque alteri sibi vicinæ , dextera sinistræ unius faciei in eodem animali conjuncta erat; *Unumquodque*: unaquæque facies ejusdem animalis; *Velabat*, præ reverentia.

24. (*x*) Sicut tonitruum : *Demittebantur pennæ eorum* : non concutiebant alas; ad volandum tamen erant paratæ.

25. (*y*) Hieronym. *Vocem enim Dei omnipotentis resonantem in cælestibus ferre non poterant, sed stabant & mirabantur, & silentio suo Dei potestatem demonstrabant.*

26 & 27. (*z*) Verba sic ordinanda : & super firmamentum, quod eorum capitibus imminebat, erat similitudo throni, & quasi ex sapphiro fabricati . *Aspectum* : figuram ignis intra speciem electri.

5. (*a*) *Audiant* , obtemperent ; Et *quiescant* , cessent a peccatis : More humano loquitur : sic enim loqui solemus , cum alios admonemus . Hieron. *Loquitur autem hæc Deus ambigentis affectu, ut liberum hominis monstret arbitrium.* CAP. II.

6. Tu ergo fili hominis ne timeas eos, neque sermones eorum metuas: quoniam increduli & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas: verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est.

7. Loqueris ergo verba mea ad eos, si forte audiant, & quiescant: quoniam irritatores sunt.

8. Tu autem fili hominis audi quæcumque loquor ad te, & noli esse exasperans (*b*) sicut domus exasperatrix est: aperi os tuum & comede quæcumque ego do tibi.

9. Et vidi, & ecce manus missa (*c*) ad me, in qua erat involutus liber: & expandit illum
* Apoc. 5. 1. coram me, * qui erat scriptus intus & foris: & scriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & væ.

CAPUT III.

Comesto libro datur prophetæ facies adamantina, ut intrepide arguat rebelles.

1. ET dixit ad me: Fili hominis quodcumque inveneris comede (*a*): comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israel.

2. Et aperui os meum, & cibavit (*b*) me volumine illo:

3. Et dixit ad me: Fili hominis venter (*c*) tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi. * Et comedi
* Apoc. 10. 9. 10. illud: & factum est in ore meo sicut mel dulce.

4. Et dixit ad me: Fili hominis vade ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos.

5. Non enim ad populum profundi sermonis (*d*), & ignotæ linguæ tu mitteris, ad domum Israel:

6. Neque ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones: & si ad illos mitteteris, ipsi audirent te.

7. Domus autem Israel nolunt audire te: quia nolunt audire me: omnis quippe domus Israel attrita fronte est, & duro corde.

8. Ecce dedi (*e*) faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.

9. Ut adamantem, & ut silicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neque metuas a facie eorum: quia domus exasperans est.

10. Et dixit ad me: Fili hominis omnes sermones meos, quos ego loquor ad te, assume in corde tuo, & auribus tuis audi:

11. Et vade: ingredere ad transmigrationem, ad filios populi tui, & loqueris ad eos, & dices eis: Hæc dicit Dominus Deus: si forte audiant, & quiescant.

12. Et assumpsit me spiritus, & audivi post me vocem commotionis (*f*) magnæ: Benedicta gloria Domini de loco suo:

13. Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram, & vocem rotarum sequentium animalia, & vocem commotionis magnæ.

14. Spiritus quoque levavit me, & assumpsit me: & abii amarus (*g*) in indignatione spiritus mei: manus enim Domini erat mecum, confortans me.

15. Et veni ad transmigrationem, ad acervum novarum frugum, ad eos qui habitabant juxta flumen Chobar, & sedi ubi illi sedebant: & mansi (*h*) ibi septem diebus mœrens in medio eorum.

16. Cum autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me, dicens:

17. * Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel: & audies de ore meo verbum, & * Inf. 33. 7.
annuntiabis eis ex me.

18. Si dicente me ad impium: Morte morieris: non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur a via sua impia, & vivat: ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem ejus de manu tua requiram.

19. Si autem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & a via sua impia: ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti (*i*)

20. Sed & si conversus justus a justitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem: ponam offendiculum (*k*) coram eo, ipse morietur, quia non annuntiasti ei: in peccato suo morietur, & non erunt in memoria justitiæ ejus, quas fecit sanguinem vero ejus de manu tua requiram.

21. Si

8. (*b*) Ne mihi resistas: *Comede*, verba mea meditare intus; serva & commenda memoriæ.

9. (*c*) Sept. interpr. Extenta ad me: *In qua erat involutus liber*: Hebr. *Volumen libri*: membrana convoluta; *Intus & foris*; in facie, & a tergo. *Lamentationes*, calamitates: Hebr. *Ante & retro*: præterita & futura, utrumque Testamenti scriptura: vel in facie & in tergo, ex utraque parte, ut totum volumen scripta implerent. Hieron. *Vel certe foris in historiæ littera, intus intelligentia spiritualis.*

CAP. III. 1. (*a*) Gregor. *Comede, & pasce; satiare, & eructa; accipe, & sparge; confortare, & labora; ede quæ jussit, os ejus aperuit*: Ex versione LXX. Item Gregor. *Sed tamen hoc ipsum sumere, nostrarum virium non est nisi ipse cibaverit, qui ut comedatur jussit. Quodcumque inveneris in narratione mea: quæcumque tibi revelavero; dic omnia, nihil dissimula.*

2. (*b*) Ingessit mihi in os, & fecit ut devorarem, non reipsa, sed instinctu prophetico docuit me omnia.

3. (*c*) Metaphora exponitur vers. 10. Multi legendo, vel audiendo comedunt, sed non satiantur. Gregor. *Comedit, & non satiatur, bibit, & non inebriatur, qui verba Dei audiens, lucra & gloriam concupiscit.*

5. & 6. (*d*) Obscuri & difficilis, vel barbari sermonis. *Audirent*: hoc loco vocatio gentium & reprobatio Judæorum aperte designantur: id ipsum est quod ait Christus Matth. 11. *Si in Tyro & Sydone, &c.*

7. (*e*) Hieron. *Ex quo discimus interdum gratia Dei esse impudentiæ resistere, frontem fronte concutere*: ea quippe constantia opus est, ut obstinata corda emolliantur.

12. (*f*) Venti procellosi, & Angelorum clamantium. *Benedicta*: gloriam præd[illegible] Deum in excelsis, & ejus justitiam adversus Jerusalem. Hieron. *Locus autem Domini est omnis in quo hospitium invenit. Et assumpsit me spiritus*: visus sum tolli a Spiritu Sancto, vel ab Angelo.

14. (*g*) Præ zelo, qui præcordia incendebat: *Erat mecum*: Dei virtus me roborabat, ut parerem ei: sed & tristis erat ob imminentem populo calamitatem.

15. (*h*) Hieron. *Septemque diebus prius versatur inter eos ardens quæ cordis gerebant, ut postea sciret quæ corriperet.* Doctorem & prophetam quasi in specula te constitui, ut quæ sunt futura prædiceres. *Et audies*: verbum Dei in Evangelio audimus, in epistolis Apostolorum tamquam in prima Evangelii expositione, in Conciliis, in SS. Patribus, quorum scripta traditionem Ecclesiæ continent. *Requiram*: in te ulciscar sanguinem ejus.

19. (*i*) In ipso opere salvasti animam tuam. Hinc Apost. 1. Cor. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*: non dicit secundum fructum laboris.

20. (*k*) Variis pœnis eum afficiam, quibus pugnatur: vel permittam huic poni offendiculum ob culpam præcedentem. *Notandum*, inquit Hieron. *quod possit justus cadere, & si habuerit malitiam, ad meliora converti.* Hebr. *Ponam offendiculum*, sic interpretantur, patefaciam occulta ejus peccata.

21. Si autem tu annuntiaveris justo, ut non peccet justus, & ille non peccaverit: vivens vivet, quia annuntiasti ei, & tu animam tuam liberasti.

22. Et facta est super me manus Domini, & dixit ad me: Surgens egredere in campum, & ibi loquar tecum.

23. Et surgens egressus sum in campum: & ecce ibi gloria Domini stabat quasi gloria, quam vidi * juxta fluvium Chobar, & cecidi in faciem meam. *Sup. c. 3.

24. Et ingressus est in me spiritus, & statuit me super pedes meos: & locutus est mihi, & dixit ad me: Ingredere, & includere (*l*) in medio domus tuæ.

25. Et tu fili hominis, ecce data sunt super te vincula (*m*), & ligabunt te in eis: & non egredieris de medio eorum.

26. Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir objurgans: quia domus exasperans est.

27. Cum autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Qui audit, audiat (*n*): & qui quiescit, quiescat: quia domus exasperans est.

CAPUT IV.

Jubetur propheta delineare obsidionem Jerusalem, ac dormire super latus sinistrum 390. diebus, super dextrum vero 40. ac vilem sibi parare cibum.

1. ET tu fili hominis sume tibi laterem (*a*), & pones eum coram te: & describes in eo civitatem Jerusalem.

2. Et ordinabis adversus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra; & pones arietes in gyro.

3. Et tu sume tibi sartaginem (*b*) ferream, & pones eam in murum ferreum inter te, & inter civitatem: & obfirmabis faciem tuam ad eam, & erit in obsidionem, & circumdabis eam: signum est domui Israel.

4. Et tu dormies (*c*) super latus tuum sinistrum, & pones iniquitates domus Israel super eo, numero dierum quibus dormies super illud, & assumes iniquitatem eorum.

5. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos & nonaginta dies: & portabis iniquitatem domus Israel.

6. Et cum compleveris hæc, dormies super latus tuum dexterum secundo: & * assumes iniquitatem domus Juda quadraginta diebus: diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. * *Num. 14. 34. *Jer. 52. 30.

7. Et ad obsidionem Jerusalem convertes faciem tuam, & brachium tuum erit extentum: & prophetabis adversus eam.

8. Ecce circumdedi (*d*) te vinculis: & non te convertes a latere tuo in latus aliud, donec compleas dies obsidionis tuæ.

9. Et tu sume (*e*) tibi frumentum, & hordeum, & fabam, & lentem, & millium, & viciam: & mittes ea in vas unum, & facies tibi panes numero dierum, quibus dormies super latus tuum: trecentis & nonaginta diebus comedes illud.

10. Cibus autem tuus, quo vesceris, erit in pondere (*f*) viginti stateres in die: a tempore usque ad tempus comedes illud.

11. Et aquam in mensura bibes, sextam partem hin: a tempore usque ad tempus bibes illud.

12. Et quasi subcinericium (*g*) hordeaceum comedes illud: & stercore, quod egreditur de homine, operies illud in oculis eorum.

13. Et dixit Dominus: Sic comedent filii Israel * panem suum pollutum inter Gentes, ad quas ejiciam eos. * Osee 9. 3.

14. Et dixi: A, a, a, Domine Deus, ecce anima mea non est polluta: (*h*) & morticinum & laceratum a bestiis non comedi ab infantia mea usque nunc, & non est ingressa in os meum omnis caro immunda.

15. Et dixit ad me: Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis: & facies panem tuum in eo.

16. Et

24. (*l*) Quia nihil proficies admonere eos, vel abde te in domum, ut prius audies ex Deo quæ dicturus es. Jerosolymæ obsidionem hoc signo indicat.

25. (*m*) Injecta sunt per visionem Prophetæ.

27. (*n*) Dices iis quæ audisti ac vidisti: Qui voluerit audire, audiat; qui noluerit, non audiat: quia scio plerosque non audituros, cum sit gens pervicax. LXX. Qui audit, audiat; & qui incredulus est, incredulus sit.

CAP. IV. 1. (*a*) Nondum igne coctum: in eo jubetur describere obsidionem civitatis Jerusalem: sic factis vaticinari jubetur Propheta. Hieron. *Urbs quam putabant esse firmam, & inexpugnabilem, fragilissimo lateri comparatur.* Et Hieron. Symmachus vertit [illegible], *laterculum, seu abacum, in cujus pulvere solent Geometræ lineas radiosque describere.*

3. (*b*) Hieron. *Sartago ferrea, quæ instar muri inter Prophetam & urbem ponitur, grandem iram demonstrat Dei, quæ nullis precibus frangatur, nec flectitur ad misericordiam:* Ea quoque tartago igne comburendam civitatem, & obsessos graviter cruciandos significat. *Ad eam*, contra eam: vultu implacabili aspicies obsessos: *Signum est domus Israel*: hæc significant urbem brevi obsidendam.

4. & 5. (*c*) Hebr. *Decumbes*: quod est animi anxii, & admodum molesti: totidem dies obsidionis Jerusalem, 40 dies in latere dextro designant 40. dies, quibus Chaldæi captam urbem diripuerunt. *Super eo latere*, pones debitam peccatis eorum pœnam: ita ut tot diebus te affligas, quot urbs ipsa arctiori obsidione cingetur, per tres menses, his omissis, quibus Chaldæi obsidionem intermiserunt, ut obviam irent Ægyptiis. *Dedi tibi*, numero dierum 390. Et portabis, in figura & imagine. Cumque per 390 annos ab anno 37. Salomonis in scelus idololatriæ prolapsi fuerit, ab eo anno 13. Josiæ ad ultimum Sedeciæ annum sceleratiores facti fuerint, ut ex Prophetia Jeremiæ liquet, 40. diebus gravissime puniuntur: Propheta gerit personam civitatis & civium, qui mox obsidendi & vinciendi erant. Alii 40 annos numerant a tempore hujus prophetiæ ad primum Cyri annum: alii demum ut Gordonus ab anno 13. Josiæ, cum mala invaluerunt, ad undecimum usque annum Sedeciæ.

8. (*d*) Hoc loco Propheta gerit personam civitatis, ut versiculo præcedenti gerebat personam hostis: vincula sunt captivitatis signa.

9. (*e*) Hæc quoque famem venturam obsessis designant: mensuram panis & aquæ tam arctam præscribit, *qua inhibitur magis anima, quam sustentatur, nec vires tribuit, sed mortem prohibet*, Hieron. vel captivitatem cum fame conjunctam decem tribuum per 390. annos describit.

10. (*f*) Non quantum voles, sed decem tantum uncias panis singulis diebus; *A tempore*, quo cubare cœperis in sinistrum latus usque ad tempus, quo cubare desines: vel ex Hieron. a vespere usque ad vesperam.

12. (*g*) Illum non coques in clibano, sed sub cinere, ut solent rustici. Jubetur panem suum operire, Hebr. *Coques sub cinere stercoris humani*. Quo indicat in obsidione non defutura modo ligna, sed & stercora boum, & equorum, quibus siccatis uterentur igni alendo. Coram filiis Israel comedes, ut hinc discant, quis futurus sit eorum status in obsidione.

14. (*h*) Numquam immundo cibo me contaminavi. Ad votum Prophetæ Deus mutat sententiam suam. In hoc Propheta Christi personam adumbrat, qui iniquitates nostras portavit. Hieron. *Nos autem terrena contemnimus, sed comedimus panem qui de cælo descendit, & fruimur illo cibo, de quo Psalmista decantat. Panem Angelorum comedit homo, nequaquam Ægyptii carnibus, sed mannæ tenuitate vivimus.*

I 2

* Inf. 5. 16. & 14. 13. 16. Et dixit ad me: Fili hominis: * Ecce ego conteram baculum (*i*) panis in Jerusalem: & comedent panem in pondere, & in solicitudine: & aquam in mensura, & in angustia bibent:

17. Ut deficientibus pane & aqua, corruat unusquisque ad fratrem suum: & contabescant in iniquitatibus suis.

CAPUT V.

Jubetur Propheta barbam & pilos capitis radere, & eos varie consumere. Quo quidem cives Jerusalem variis mortis generibus perituros designatur.

1. ET tu fili hominis sume (*a*) tibi gladium acutum, radentem pilos: & assumes eum, & duces per caput tuum, & per barbam tuam: & assumes tibi stateram ponderis, & divides eos.

2. Tertiam (*b*) partem igni combures in medio civitatis, juxta completionem dierum obsidionis: & assumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu ejus: tertiam vero aliam disperges in ventum, & gladium nudabo post eos.

3. Et sumes inde (*c*) parvum numerum: & ligabis eos in summitate pallii tui.

4. Et ex eis rursum tolles, & projicies (*d*) eos in medio ignis, & combures eos igni: & ex eo egredietur ignis in omnem domum Israel.

5. Hæc dicit Dominus Deus: Ista est Jerusalem, in medio Gentium posui (*e*) eam, & in circuitu ejus terras.

6. Et contempsit judicia mea, ut plus esset impia quam Gentes: & præcepta mea, ultra quam terræ, quæ in circuitu ejus sunt; judicia enim mea projecerunt, & in præceptis meis non ambulaverunt.

7. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Quia superastis (*f*) Gentes, quæ in circuitu vestro sunt, & in præceptis meis non ambulastis, & judicia mea non fecistis, & juxta judicia Gentium, quæ in circuitu vestro sunt, non estis operati;

8. Ideo hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, & ipse ego faciam in medio tui judicia (*g*) in oculis Gentium.

9. Et faciam in te quod non feci, & quibus similia ultra (*h*) non faciam, propter omnes abominationes tuas.

10. Ideo patres comedent filios in medio tui: & filii comedent patres suos, & faciam in te judicia, & ventilabo universas reliquias tuas in omnem ventum.

11. Idcirco vivo ego, dicit Dominus Deus: nisi pro eo quod sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis: ego quoque confringam, & non parcet oculus meus, & non miserebor.

12. Tertia pars tui peste morietur, & fame consumetur in medio tui: & tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo: tertiam vero partem tuam in omnem ventum dispergam, & gladium evaginabo post eos.

13. Et complebo (*i*) furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor: & scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cum implevero indignationem meam in eis. Zach. 8. 8.

14. Et dabo te in desertum, & in opprobrium Gentibus, quæ in circuitu tuo sunt, in conspectu omnis prætereuntis.

15. Et eris opprobrium & blasphemia (*k*), exemplum & stupor in Gentibus, quæ in circuitu tuo sunt, cum fecero in te judicia in furore, & in indignatione, & in increpationibus iræ.

16. Ego Dominus locutus sum: Quando misero sagittas famis pessimas in eos: quæ erunt mortiferæ, & quas mittam ut disperdam vos: & famem congregabo super vos, & * conteram in vobis baculum panis, * Sup. 4. 16. Inf. 14. 13.

17. Et immittam in vos famem, & bestias pessimas usque ad internecionem: & pestilentia & sanguis transibunt per te, & gladium inducam super te: ego Dominus locutus sum.

CAPUT VI.

Propter multiplicem idololatriam filiorum Israel, in varias orbis plagas dispergendos prædicitur.

1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis pone faciem tuam ad montes (*a*) Israel, & prophetabis ad eos.

3. Et dices: * Montes Israel audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus montibus & collibus, rupibus, & vallibus: Ecce ego inducam super vos gladium, & disperdam excelsa vestra, * Inf. 36. 2.

4. Et

16. (*i*) Eripiam panem qui corpus humanum sustentat. De utraque captivitate Israelis & Jerusalem ænigma proposuit, sed brevitatis caussa in propositione Jerusalem, in conclusione Israelem prætermisit.

CAP. V. 1. (*a*) Hoc emblemate Deus urbis Jerusalem imminentem calamitatem exprimit, & vers. 5. ipse exponit: *gladius* enim acutus, seu novacula iram Dei, statera judicium & providentiam divinam, ignis pestem & famem, pili capitis & barbæ cives Jerusalem designant.

2. (*b*) Civium: *In medio civitatis*, quam in latere delineasti: *Dierum obsidionis*: aliquos pilos quotidie combures, donec dies obsidionis compleantur. *Disperges in ventum*, quo dispersio Judæorum exprimitur. *Et gladium*; nam Chaldæi Judæos in Ægyptum fugientes sunt insecuti.

3. (*c*) Ex tertia parte, *parvum numerum*, capillorum; *Et ligabis eos*: qui se sponte Regi Babylonis dediderunt servabis, ut res, quæ ne amittantur, ligari solent in ora vestimenti.

4. (*d*) Quidam intelligunt falsos prophetas, qui igni traditi sunt, Jerem. 29. 22.

5. (*e*) In confinio Asiæ, Africæ, & Europæ, ut gentes in circuitu positæ fidem illius & exempla vitæ imitarentur.

7. (*f*) Peccando: *Et juxta judicia gentium*: nam gentes deos suos non mutaverunt, vos autem Deum vestrum dereliquistis, Jerem. 2. 10. 11.

8. (*g*) Hieron. *Idcirco non per Angelos, neque per alios ministros, sed ipse ego faciam judicia mea videntibus cunctis*: de te pœnas sumam in conspectu gentium.

9. (*h*) Vox *ultra*, non stricte sumenda, sed non nisi post longum tempus: ut Isaiæ 2. *Et non exercebuntur ultra ad prælium*. Item 1. Reg. 7. de Philisthæis, *Nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Israel*.

13. (*i*) Hieronym. *Humanis Deus loquitur affectibus, non quod ipse irascatur, sed quod nos per pœnas atque cruciatus Deum sentiamus iratum*.

15. 16. & 17. (*k*) Hebr. Et convicium. *Sagittas*, grandinem. *Pestilentia*, pestis ad bellum.

CAP. VI. 2. (*a*) Est personæ fictio, qua sermo convertitur ad res inanimatas, quia in montibus erecta fuerant altaria: Hieron. *Non auribus, sed imperio ac potentia conditoris suum audiunt & intelligunt creatorem. Pone faciem tuam*; obfirma vultum tuum, libere loquere.

4. Et demoliar aras vestras, & confringentur simulacra vestra: & dejiciam interfectos vestros ante idola vestra.

5. Et dabo cadavera filiorum Israel ante faciem simulacrorum vestrorum: & dispergam ossa vestra circum aras vestras,

6. In omnibus habitationibus vestris. Urbes desertæ erunt, & excelsa demolientur, & dissipabuntur: & interibunt aræ vestræ, & confringentur: & cessabunt idola vestra, & conterentur delubra vestra, & delebuntur opera vestra.

7. Et cadet interfectus in medio vestri: & scietis quia ego sum Dominus.

8. Et relinquam (*b*) in vobis eos, qui fugerint gladium in Gentibus, cum dispersero vos in terris.

9. Et recordabuntur mei liberati vestri in Gentibus, ad quas captivi ducti sunt: quia contrivi cor eorum fornicans, & recedens a me: & oculos eorum fornicantes post idola sua: & displicebunt sibimet super malis quæ fecerunt in universis abominationibus suis.

10. Et scient quia ego Dominus non frustra locutus sum, ut facerem eis malum hoc.

11. Hæc dicit Dominus Deus: Percute manum tuam, & allide pedem tuum, & dic: Heu, ad omnes abominationes malorum domus Israel: quia gladio, fame, & peste ruituri sunt.

12. Qui longe est, peste morietur (*c*): qui autem prope, gladio corruet: & qui relictus fuerit, & obsessus, fame morietur: & complebo indignationem meam in eis.

13. Et scietis quia ego Dominus, cum fuerint interfecti vestri in medio idolorum vestrorum, in circuitu ararum vestrarum, in omni colle excelso, & in cunctis summitatibus montium, & subtus omne lignum nemorosum, & subtus universam quercum frondosam, locum ubi accenderunt thura redolentia universis idolis suis.

14. Et extendam (*d*) manum meam super eos: & faciam terram desolatam & destitutam, a deserto Deblatha, in omnibus habitationibus eorum: & scient quia ego Dominus.

CAPUT VII.

Denuntiat Propheta totius terræ Judæ extremam & inevitabilem vastationem proxime imminere, propter eorum scelera.

1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens:

2. Et tu fili hominis, hæc dicit Dominus Deus Terræ Israel: Finis venit, venit finis super quatuor plagas Terræ.

3. Nunc finis super te, & immittam furorem meum in te: & judicabo te juxta vias tuas: & ponam contra te omnes abominationes tuas.

4. Et non parcet oculus meus super te, & non miserebor: sed vias (*a*) tuas ponam super te, & abominationes tuæ in medio tui erunt: & scietis quia ego Dominus.

5. Hæc dicit Dominus Deus: Afflictio una, afflictio (*b*) ecce venit.

6. Finis venit, venit finis: evigilavit adversum te: ecce venit.

7. Venit contritio super te, qui habitas in terra: venit tempus, prope est dies occisionis, & non gloriæ montium (*c*).

8. Nunc de propinquo effundam iram meam super te, & complebo furorem meum in te: & judicabo te juxta vias tuas, & imponam tibi omnia scelera tua:

9. Et non parcet oculus meus, nec miserebor, sed vias tuas imponam tibi, & abominationes tuæ in medio tui erunt: & scietis quia ego sum Dominus percutiens.

10. Ecce dies, ecce venit: egressa est contritio, floruit (*d*) virga, germinavit superbia.

11. Iniquitas surrexit (*e*) in virga impietatis; non ex eis, & non ex populo, neque ex sonitu eorum: & non erit requies in eis.

12. Venit tempus, appropinquavit dies: qui emit, non lætetur: & qui vendit, non lugeat: quia ira super omnem populum ejus (*f*).

13. Quia qui vendit, ad id, quod vendidit, non revertetur, & adhuc in viventibus vita eorum: visio enim ad omnem multitudinem ejus non regredietur: & vir in iniquitate vitæ suæ non confortabitur.

14. Canite (*g*) tuba, præparentur omnes, & non est qui vadat ad prælium: ira enim mea super universum populum ejus.

15. Gla-

8. & 9. (*b*) Non omnes gladio interibunt, sed aliquos relinquam. *Liberati*; qui ex vobis erunt superstites.

12. (*c*) Juxta spiritalem sensum, ex Hier. *Hæresis est velut quædam pestis, qua moriuntur qui ab Ecclesia recedunt. Qui sciolus sibi videtur, nisi caverit, gladio inimici ferietur, quia propius accedit ad scrutanda mysteria. Qui simplici contentus fide, versatur in Ecclesia, & in nullo bono opere se exercet, ille fame morietur, torpet per ignaviam, & non pascitur verbo Dei.*

14 (*d*) Percutiam eos. *A deserto Deblatha*; Hebr. A deserto usque Deblatha: alii legunt *Reblatha*, in terra Emath, quæ postea dicta est Sephama Syriæ, ubi residebat Nabuchodonosor, cum Sedecias excæcatus est. Itaque prædicit fore ut Judæa ab hoc loco usque Jerosolymam tota vastetur.

CAP. VII. 4. (*a*) Pœnas peccatorum tuorum: *In medio*, in conspectu omnium. *Abominationes tuæ*, abominationum supplicia.

5. & 6. (*b*) Singularis & extrema. *Venit*; desolatio venit, & mature quasi summo mane: *Venit finis*, excidium.

7. (*c*) Non sicut clamores læti colligentium uvas in montibus, vel in cultu idolorum jubilantium. *Venit contritio*, Jerosolymæ obsidio. Theodotio vertit [illegible], ordinem contextumque malorum.

10. (*d*) Cito aderunt amari fructus. Hieronym. *Floruit virga, quæ multo vobis tempore minabatur, & de flore fructum plagarum parturit; superbia vestra germinavit quod merebamini.* Per virgam potest intelligi Nabuchodonosor. Isaiæ 10. *Væ Assur virga furoris mei.*

11. (*e*) Hebr. *In virgam excrevit*, in virgam qua punietur & castigabitur iniquitas: ea fuit caussa flagelli, quo percutientur impii: e radice iniquitatis eorum nata est virga, qua verberentur; comparat iniquitatem radici, pœnam virgæ: *Et non ex populo*, quisquam residuus erit: *Non ex eis*; Vatabl. Non remanebit residuum ex eis. *Neque ex sonitu eorum*, peribit superbia & fastus eorum sonorus; *Non erit requies*, a malis; non ex Chaldæis, aut ex populo innumerabili, aut ex strepitu armorum, sed ex vestra iniquitate. Vel *non erit requies in eis*: non cessabunt donec pro meritis vos flagellaverint.

12. & 13. (*f*) Regionis, opes omnes diripientur. *Non revertetur*, uti lex jubet anno Jubilæi: *Vita eorum*: vivent quidem, sed ad bona vendita non redibunt: *Non regredietur*: prophetia non erit inanis & falsa, ita Isai. 5.

14. (*g*) Hieron. *Nihil prodest impetrasse, cum non sit in populo, qui audeat ad bella procedere.* Ideirco autem enervatus est populus, quia omnis ira Dei super omnem multitudinem ejus.

15. Gladius foris ; & pestis & fames intrinsecus : qui in agro est , gladio morietur : & qui in civitate , pestilentia & fame devorabuntur.

16. Et salvabuntur qui fugerint ex eis : & erunt in montibus quasi columbæ convallium omnes trepidi, unusquisque in iniquitate sua.

17. Omnes manus dissolventur , & omnia genua fluent (*h*) aquis.

* Isa. 10. 2. Jer. 48. 37. 18. * Et accingent se ciliciis , & operiet eos formido , & in omni facie confusio , & in universis capitibus eorum calvitium.

19. Argentum eorum foras projicietur , & aurum eorum in sterquilinium erit . * Argentum eorum , & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini . Animam suam non saturabunt , & ventres eorum non implebuntur : quia scandalum iniquitatis eorum factum est.

* Prov. 11. 4. Sophon. 1. 18. Eccl. 5. 10.

20. Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt , & imagines abominationum suarum , & simulacrorum fecerunt ex eo: propter hoc dedi eis illud in immunditiam:

21. Et dabo illud in manus alienorum ad diripiendum (*i*), & impiis terræ in prædam , & contaminabunt illud.

22. Et avertam faciem meam ab eis , & violabunt arcanum (*k*) meum : & introibunt in illud emissarii, & contaminabunt illud.

23. Fac conclusionem (*l*) : quoniam terra plena est judicio sanguinum , & civitas plena iniquitate.

24. Et adducam pessimos de Gentibus , & possidebunt domos eorum : & quiescere faciam superbiam potentium , & possidebunt sanctuaria eorum.

25. Angustia superveniente , requirent pacem , & non erit.

26. Conturbatio super conturbationem veniet, & auditus super auditum: & quærent visionem de propheta , & lex peribit a sacerdote , & consilium a senioribus.

27. Rex lugebit , & princeps induetur mœrore , & manus populi terræ conturbabuntur. Secundum viam eorum faciam eis , & secundum judicia eorum judicabo eos : & scient (*m*) quia ego Dominus.

CAPUT VIII.

Ezechiel , post visam Dei similitudinem , spiritu raptus in Jerusalem , videt pessimas Judæorum idololatrias sub variis figuris ; quare negat Dominus se eis parciturum , aut orationes eorum exauditurum.

1. ET factum est in anno sexto (*a*), in sexto mense , in quinto mensis : ego sedebam in domo mea , & senes Juda sedebant coram me, & cecidit ibi super me manus Domini Dei.

2. Et vidi , & ecce similitudo quasi aspectus ignis : ab aspectu lumborum ejus , & deorsum, ignis: & a lumbis ejus, & sursum , quasi aspectus splendoris, ut visio electri.

3. * Et emissa similitudo (*b*) manus apprehendit me in cincinno capitis mei : & elevavit me spiritus inter terram & cælum : & adduxit me in Jerusalem in visione Dei , juxta ostium interius , quod respiciebat ad Aquilonem, ubi erat statutum idolum zeli ad provocandam æmulationem. * Dan. 14. 35.

4. Et ecce ibi gloria Dei Israel , secundum visionem, quam videram in campo.

5. Et dixit ad me: Fili hominis, leva oculos tuos ad viam Aquilonis . Et levavi oculos meos ad viam Aquilonis : & ecce ad Aquilone portæ (*c*) altaris, idolum zeli in ipso introitu.

6. Et dixit ad me : Fili hominis, putasne, vides tu quid isti faciant , abominationes magnas, quas domus Israel facit hic , ut procul recedam a sanctuario meo? & adhuc conversus videbis abominationes majores.

7. Et introduxit me ad ostium atrii (*d*) : & vidi, & ecce foramen unum in pariete.

8. Et dixit ad me : Fili hominis fode parietem . Et cum fodissem parietem , apparuit ostium unum.

9. Et dixit ad me: Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic.

10. Et ingressus vidi , & ecce omnis similitudo reptilium , & animalium , abominatio , & universa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum.

11. Et septuaginta viri de senioribus domus Israel , & Jezonias filius Saphan stabat in medio eorum , stantium ante picturas : & unusquisque habebat thuribulum in manu sua : & vapor nebulæ de thure consurgebat.

12. Et

17. (*h*) Infirma erunt : vel urina defluet præ pavore , vel genua dissolventur , & quasi liquescent præ timore.

19. 20. & 21. (*i*) Diripientur eorum opes a pollutis gentibus. *Scandalum* : cum idola colueruni : vel avaritia erit eis in scandalum ; aliena rapuerunt , perdent sua. *In superbiam* : Hier. *Quæ ego dederam illis , verterant in superbiam : ut de quibus poterant per eleemosynas & bona opera animam suam liberare , ex illis habuerunt arrogantiæ materiam , & mea munera in deorum simulacra verterunt.* *Inimmunditiam* : in contemptum.

22. (*k*) Adyta templi & sanctuarium : *Emissarii* , latrones , prædatores.

23. (*l*) Finem impone eorum judicio & condemnationi. Hebr. Fac catenam insignem captivitatis.

27. (*m*) Hieron. *Ut quem non intelligebant per beneficia , per tormenta cognoscant.*

CAP. VIII. 1. (*a*) A prima visione ad hanc usque 144. menses sunt interjecti , quæ quidem acta sunt , ut ipse ait vers. 3. *in visione Dei* , spiritu , non corpore , ex Hieron. in anno 6. captivitatis Joachin . *Manus Domini* : manus autem efficaciam significat , id est opera , ut visionis possent sacramenta cognoscere.

3. (*b*) Hieron. *Similitudo , non ipsa manus extenditur :* videatque manus , ut membrum humani corporis , atque confusi , nequaquam terreat eum qui assumitur , ubi erat idolum , olim positum a Manasse . Hieronym. *Paltregar appellatur idolum zeli , quia ad æmulationem & zelum Dominum provocat.* Idolum erat Baal ex eodem Hieronymo. Unde hæc visio ad universum tempus , ex quo populus Juda ad idololatriam cœperat deflectere , videtur pertinere . *Et emissa similitudo* : homo ille , quem initio videram , misit similitudinem manus , visus est mihi per crines me apprehendere . *Juxta ostium interius* , atrii anterioris , seu sacerdotum.

5. (*c*) Quæ vicina erat altari æneo Salomonis , quod Achaz e medio atrii sacerdotum transtulerat ad angulum altaris aquilonaris. Hebr. *Ab aquilone ad portam* , juxta portam atrii interioris , ubi erat altare.

7. (*d*) *Exterioris* : circum erant exhedræ sacerdotum , & gazophylacia : prius eum adduxerat juxta ostium atrii interioris , sed adhuc erat in atrio exteriori ; nunc adducit eum in ipsum ostium atrii interioris : aut ostium illud est gazophylacii , non templi.

12. Et dixit ad me: Certe vides fili hominis quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubiculi sui; dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.

13. Et dixit ad me: Adhuc conversus videbis abominationes majores, quas isti faciunt.

14. Et introduxit me per ostium portæ (e) domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem: & ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.

15. Et dixit ad me: Certe vidisti fili hominis: adhuc conversus videbis abominationes majores his.

16. Et introduxit me in atrium domus Domini interius: & ecce in ostio templi Domini inter vestibulum & altare, quasi vigintiquinque viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem: (f) & adorabant ad ortum Solis.

17. Et dixit ad me: Certe vidisti fili hominis: numquid leve est hoc domui Juda, ut facerent abominationes istas, quas fecerunt hic: quia replentes terram iniquitate conversi sunt ad irritandum me? & ecce applicant ramum (g) ad nares suas.

18. Ergo & ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec miserebor: & cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam (h) eos.

CAPUT IX.

Cædes in urbe facienda Prophetæ per visum ostenditur: ab iis liberantur qui signati sunt ab Angelo littera Thau.

1. ET clamavit in auribus meis voce magna, dicens: Appropinquaverunt visitationes urbis, & unusquisque vas interfectionis habet in manu sua.

2. Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem: & uniuscujusque vas interitus in manu ejus: vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis, & atramentarium scriptoris ad renes ejus: & ingressi sunt, & steterunt juxta altare æreum:

3. Et gloria (a) Domini Israel assumpta est de Cherub, quæ erat super eum ad limen domus: & vocavit virum, qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis.

4. Et dixit Dominus ad eum: Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem: * & signa thau (b) super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus. * Exod. 12. 7. Apoc. 7. 3.

5. Et illis (c) dixit, audiente me: Transite per civitatem sequentes eum: & percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini.

6. Senem, adolescentulum, & virginem, parvulum, & mulieres interficite usque ad internecionem: omnem autem, super quem videritis thau, ne occidatis, & a sanctuario meo incipite. Cœperunt ergo a viris senioribus, qui erant ante faciem domus.

7. Et dixit ad eos: Contaminate domum: & implete atria interfectis: egredimini. Et egressi sunt, & percutiebant eos, qui erant in civitate.

8. Et cæde completa, remansi ego: ruique super faciem meam, & clamans ajo: Heu, heu, heu Domine Deus: ergone disperdes omnes reliquias Israel, effundens furorem tuum super Jerusalem?

9. Et dixit ad me: Iniquitas domus Israel, & Juda, magna est nimis valde, & repleta est terra sanguinibus, & civitas repleta est aversione: dixerunt enim: Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt.

10. Igitur & meus non parcet oculus, neque miserebor: viam eorum super caput eorum reddam.

11. Et ecce vir, qui erat indutus lineis, qui habebat atramentarium in dorso suo, respondit verbum, dicens: Feci sicut præcepisti mihi.

CAPUT X.

Jubetur vir lineis vestitus accipere prunas ignis de medio rotarum, quæ sunt subtus Cherubim, & super civitatem eas effundere. Quod futuri mox incendii signum erit.

1. ET vidi, & ecce in firmamento, quod erat super caput Cherubim, quasi lapis sapphirus, quasi species similitudinis (a) solii, apparuit super ea.

2. Et dixit ad virum (b), qui indutus erat lineis, & ait: Ingredere in medio rotarum, quæ sunt subtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim, & effunde super civitatem. Ingressusque est in conspectu meo:

3. Cherubim autem stabant a dextris (c) domus cum ingrederetur vir, & nubes implevit atrium interius.

4. Et

14. (e) Ad portam atrii exterioris, ibi erant laici & mulieres.

16. (f) Apud Ethnicos altaria versus orientem sita erant, apud Judæos versus occasum: quia lex Judæorum erat umbra futurorum, per Christum umbra transiit in lucem.

17. (g) Oliva, quæ Minervæ, ut myrti Veneri, lauri Apollini consecratæ, quasi eos adorantes, sicut manus ori admoveri solet, in signum honoris, aut forte derisionis caussa id faciebant, juxta Græc. versionem: *Et ecce ipsi quasi subsannantes*, ὡς μυκτηρίζοντες

18. (h) Hieron. *Qui enim non intelligunt quid sibi prosit, & orant frequenter contraria, expedit eis ut non exaudiantur a Domino*

CAP. IX. 3. (a) Discessit a propitiatorio, & stetit in limine sanctuarii Hieron. *Fuit ad limen atrii domus, atque vestibuli quod nequaquam tecto premitur*; vel Ezechiel hæret in visione capitis primi; ab illo solio gloriæ Domini vocat septimum illum virum.

4 (b) Signum est Dominicæ crucis, quia littera T, apud Hebræos ante captivitatem exprimebat figuram crucis, ut apud Græcos & Latinos; unde & titulus crucis non sine Dei consilio tribus his linguis fuit conscriptus. Atque hoc signum vitale fuit apud Hebræos, & apud Gentiles. Angelus vestitus lineis, qui figura est Christi, signo T; salvandos signabat in fronte.

5 & 6. (c) Sex viris, de quibus vers. 2. *Sanctuario*: ab impiis sacerdotibus, & populo præfectis. Hier n. *Et qui fuerunt in populis caussa peccati, primi meruere supplicium.*

CAP. X. 1. (a) Unde paullo ante descenderat Deus: *In firmamento*; cujus figura, cap. 1. vers. 26. descripta est.

2. (b) Dixit qui sedebat super thronum sapphirinum. Duplex adventus Domini designatur, prior, cum signo Thau signati sunt gementes; posterior hoc in loco, ubi venit cum igne. *Imple manum tuam prunis*, quæ erant per urbem dispersæ in signum incendii.

3 & 4. (c) Sanctuarii, aut templi; nam a sinistris, seu ab Aquilone erant idola. Interea nubes implevit atrium interius: atrium vero exterius repletum est splendore gloriæ Domini, qui a nube splendida manabat. *Et elevata est*: cum exiret e sanctuario, implevit splendore totum templum.

4. Et elevata est gloria Domini desuper Cherub ad limen domus: & repleta est domus nube, & atrium repletum est splendore gloriæ Domini.

5. Et sonitus alarum Cherubim audiebatur usque ad atrium exterius, quasi vox (*d*) Dei omnipotentis loquentis.

6. Cumque præcepisset viro, qui indutus erat lineis, dicens: Sume ignem de medio rotarum, quæ sunt inter Cherubim: ingressus ille stetit juxta rotam.

7. Et extendit Cherub manum de medio Cherubim ad ignem, qui erat inter Cherubim: & sumpsit, & dedit in manus ejus, qui indutus erat lineis: qui accipiens egressus est.

8. Et apparuit in Cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum.

9. Et vidi, & ecce quatuor rotæ juxta Cherubim: rota una juxta Cherub unum, & rota alia juxta Cherub unum: species autem rotarum erat quasi visio lapidis chrysolithi.

10. Et aspectus earum similitudo una (*e*) quatuor: quasi sit rota in medio rotæ.

11. Cumque ambularent, in quatuor partes (*f*) gradiebantur: & non revertebantur ambulantes, sed ad locum, ad quem ire declinabat quæ prima erat, sequebantur & ceteræ, nec convertebantur.

12. Et omne corpus (*g*) earum, & colla, & manus, & pennæ, & circuli plena erant oculis, in circuitu quatuor rotarum.

13. Et rotas istas vocavit volubiles, audiente me.

14. Quatuor autem facies habebat unum: facies una, facies Cherub (*h*): & facies secunda, facies hominis: & in tertio facies leonis: & in quarto facies aquilæ.

15. Et elevata sunt Cherubim: ipsum est animal (*i*), quod videram juxta fluvium Chobar.

16. Cumque ambularent Cherubim, ibant pariter & rotæ juxta ea: & cum elevarent Cherubim alas suas, ut exaltarentur de terra, non residebant rotæ, sed & ipsæ juxta erant.

17. Stantibus illis, stabant: & cum elevatis elevabantur: spiritus enim vitæ erat in eis.

18. Et egressa est gloria Domini a limine templi: & stetit super Cherubim.

19. Et elevantia Cherubim alas suas, exaltata sunt a terra coram me: & illis egredientibus, rotæ quoque subsecutæ sunt: & stetit in introitu portæ domus Domini Orientalis: & gloria Dei Israel erat super ea.

20. Ipsum est animal, quod vidi subter (*k*) Deum Israel * juxta fluvium Chobar: & intellexi quia Cherubim essent. * *Sup. 1. 1. & 3.*

21. Quatuor vultus uni, & quatuor alæ uni: & similitudo manus hominis sub alis eorum.

22. Et similitudo vultuum eorum, ipsi vultus quos videram juxta fluvium Chobar, & intuitus (*l*) eorum, & impetus singulorum ante faciem suam ingredi.

CAPUT XI.

Adversus Jezoniam & Pheltiam, qui pessimum tractabant consilium, vaticinatur, illos & quotquot nolunt resipiscere puniendos; tum agit de reditu in patriam.

1. ET elevavit me spiritus, & introduxit (*a*) me ad portam domus Domini Orientalem, quæ respicit ad solis ortum: & ecce in introitu portæ vigintiquinque viri: & vidi in medio eorum Jezoniam filium Azur, & Pheltiam filium Banajæ, principes populi.

2. Dixitque ad me: Fili hominis, hi sunt viri, qui cogitant iniquitatem, & tractant consilium pessimum in urbe ista,

3. Dicentes: Nonne dudum (*b*) ædificatæ sunt domus? hæc est lebes, nos autem carnes.

4. Idcirco vaticinare de eis, vaticinare fili hominis.

5. Et irruit in me spiritus Domini, & dixit ad me: Loquere: Hæc dicit Dominus: Sic locuti estis domus Israel, & cogitationes cordis vestri ego novi.

6. Plurimos occidistis in urbe hac, & implestis vias ejus interfectis.

7. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Interfecti vestri, quos posuistis in medio ejus, hi sunt carnes (*c*), & hæc est lebes: & educam vos de medio ejus.

8. Gladium metuistis, & gladium inducam super vos, ait Dominus Deus.

9. Et

5. & 7. (*d*) Theodotio. Quasi tonitrui Dei. *Cherub*, Hebraismus; unus e quatuor Cherubim.

10. (*e*) Ex illis quatuor videbatur una quadripartita rota constare.

11. (*f*) In omnem partem eadem facilitate volvebantur: *Sed ad locum:* sic rotæ erant connexæ, ut quocumque prima rota moveretur, eo omnes sequerentur.

12. (*g*) Theodoretus id refert ad Cherubim: Hieron. ad rotas, quibus cap. 1. vers. 18. oculi tribuuntur. Reliqua, ut caro, colla, manus iis per metaphoram tribuuntur. *Et circuli:* Hieron. *Circulos autem rotarum canthos ferreos appellavit, quibus lignorum rotunditas ardiatur & firmatur.*

14. (*h*) Ex Hebr. *facies vituli*. Hieron. *Hæc*, inquit, *quatuor Evangelia multo ante prædicta. Ezechielis quoque volumen probat, in quo prima visio contexitur. Item, Evangelium autem si quis totam cursumque consideres, in brevi tempore vidébis mundum esse complexum sermone Apostolico.* Alii existimant per quatuor illa animalia designari quatuor Monarchias; per faciem leonis regnum Babylonis propter ferocitatem; per faciem hominis regnum Persarum, quod mitius fuit respectu Judæorum; per faciem vituli regnum Græcorum propter lasciviam; per faciem aquilæ regnum Romanorum ceteris excelsius. Hinc videntur colligi omnia animalia habuisse formam humanam; sed alia bovinam quodammodo, alia leoninam referebant.

15. & 16. (*i*) Singulare pro plurali. *Residebant*: Hebr. *Non recedebant*, non ab iis discedebant.

20. (*k*) Sub imagine electrina, quæ capitibus Cherubim imminebat, ex cap. 1. vers. 26.

22. (*l*) Ipsi suo impetu satis declarabant se ad anteriora procedere, nec umquam regredi: constans decretum Dei deserendi Synagogam, & verum cultum transferendi ad gentes indicabant.

CAP. XI. 1. (*a*) Jam Ezechiel erat in templo: nam ex cap. 10. vers. 6. in atrio sacerdotum vidit cædem illorum: itaque videtur ex illo atrio translatus ad portam orientalem atrii exterioris.

3. (*b*) Eæque manent, postquam Jeremias urbem evertendam prædixit. Ex Hebr. *Non est prope ædificanda domus:* Quod prophetæ prædicant brevi futurum, non implebitur; sic mecum populo eximebant. *Hæc est lebes, nos autem carnes:* Non abducentur alio captivi, quamdiu vixerimus, sicut carnes non eximuntur ex olla prius quam plane coctæ sint. Aliter Hieron. *Desperantes salutem, & scelerum conscientia paratos ad interitum, nec volentes per pœnitentiam peccata corrigere. Hæc lebes est: volumus obsidione cingi, & mori, ut carnes in olla subjecto igne absumuntur.* Jeremias vilam a se Jerosolymam ut ollam igne succensam dixerat: ita reponunt per ironiam: sit ita sane, ut dicis, urbs hæc lebes, seu olla, & nos quasi carnes in ea coquamur, malumus igne cremari, quam nos Chaldæis dedere: nonne dudum ædificabant domos, & urbs est munitissima? quid metuimus?

7. & 10. (*c*) Vos mactatis ut victimas. *In finibus*, in Reblatha.

9. Et ejiciam vos de medio ejus, daboque vos in manu hostium, & faciam in vobis judicia.

10. Gladio cadetis: In finibus Israel judicabo vos, & scietis quia ego Dominus.

11. Hæc non erit vobis in lebetem, & vos non eritis in medio ejus in carnes: in finibus Israel judicabo vos.

12. Et scietis quia ego Dominus: quia in præceptis meis non ambulastis, & judicia mea non fecistis, sed juxta judicia Gentium, quæ in circuitu vestro sunt, estis operati.

13. Et factum est, cum prophetarem, Pheltias filius Banajæ mortuus est: & cecidi in faciem meam clamans voce magna, & dixi: Heu, heu, heu Dominus Deus: consummationem tu facis reliquiarum Israel?

14. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

15. Fili hominis, fratres tui, fratres tui, viri propinqui tui, & omnis domus Israel, universi, quibus dixerunt habitatores Jerusalem: Longe recedite a Domino, nobis data est terra in possessionem.

16. Propterea hæc dicit Dominus Deus, quia longe feci eos in Gentibus, & quia dispersi eos in terris: ero eis in sanctificationem (d) modicam in terris, ad quas venerunt.

17. Propterea loquere: Hæc dicit Dominus Deus: Congregabo (e) vos de populis, & adunabo de terris, in quibus dispersi estis, daboque vobis humum Israel.

18. Et ingredientur illuc, & auferent omnes offensiones, cunctasque abominationes ejus de illa.

*Jer. 31.33. Inf. 36.26. 19. * Et dabo eis cor (f) unum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum: & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum,

20. Ut in præceptis meis ambulent, & judicia mea custodiant, faciantque ea: & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum.

21. Quorum cor post offendicula & abominationes suas ambulat, horum viam in capite (g) suo ponam, dicit Dominus Deus.

22. Et elevaverunt Cherubim alas suas, & rotæ cum eis: & gloria Dei Israel erat super ea.

23. Et ascendit gloria Domini de medio civitatis, stetitque super montem (h), qui est ad Orientem urbis.

24. Et spiritus levavit me, adduxitque in Chaldæam ad transmigrationem, in visione, in spiritu Dei: & sublata est a me visio, quam videram.

25. Et locutus sum ad transmigrationem omnia verba (i) Domini, quæ ostenderat mihi.

CAPUT XII.

Ezechiel factis ipsis portendit futuram civium & regis ipsius captivitatem, reliquis gladio, peste & fame in urbe consumptis.

1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis in medio domus exasperantis tu habitas: qui oculos (a) habent ad videndum, & non vident: & aures ad audiendum, & non audiunt: quia domus exasperans est.

3. Tu ergo fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis (b), & transmigrabis per diem coram eis: transmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum, in conspectu eorum, si forte aspiciant: quia domus exasperans est.

4. Et efferes foras vasa tua quasi vasa transmigrantis per diem in conspectu eorum: tu autem egredieris vespere coram eis, sicut egreditur migrans.

5. Ante oculos eorum perfode tibi parietem, & egredieris (c) per eum.

6. In conspectu eorum in humeris portaberis (d), in caligine effereris: faciem tuam velabis, & non videbis terram: quia portentum dedi te domui Israel.

7. Feci ergo sicut præceperat mihi Dominus: vasa mea protuli quasi vasa transmigrantis per diem: & vespere perfodi mihi parietem manu: & in caligine egressus sum, in humeris portatus in conspectu eorum.

8. Et factus est sermo Domini mane ad me, dicens:

9. Fili hominis, numquid non dixerunt ad te domus Israel, domus exasperans: Quid tu facis?

10. Dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Super ducem (e) onus istud, qui est in Jerusalem, & super omnem domum Israel, quæ est in medio eorum.

11. Dic: Ego portentum vestrum: quomodo feci, sic fiet illis: in transmigrationem, & in captivitatem ibunt.

12. Et

16. (d) Hebr. *In sanctuarium*: ero ipsis qui se dederunt ultro Chaldæis, quique erant quasi reliquiæ & seminarium gentis, in templum spirituale; protegam eos.

17. (e) Hæc historice de Jerusalem, quæ ad Ecclesiam spectant.

19. (f) Hæc inchoata sunt in Judæis reductis in patria, consummata vero in Ecclesia Christi. Hieronym. *Idcirco autem datur cor molle, & aufertur cor durum, ut in præceptis meis ambulent, judiciaque custodiant, & sint in populum Dei: Dominusque qui prius fuerat adversarius, sit eis in Deum.* LXX vertunt cor alterum, seu novum.

21. (g) Eos pro meritis puniam; Hebraismus, ut c. 9. 10.

23. (h) Montem Olivarum ex Hebræis ipsis. Hieronym. *Mirumque in modum usque in præsentem diem gloria Domini quæ deseruit domum, stat super montem Oliveti, & in crucis signo rutilans spectat templum Judaicum in favillas & cineres dissolutum.* Dicitur ascendisse; seu a templo & ab urbe discessisse.

25. (i) Hieronym. *Verba autem in Scripturis sanctis pro rebus dici sæpe admonuimus.*

CAP. XII.

2. (a) Vident quæ agenda sint, sed non agunt.

3. (b) Collige sarcinas, ut fieri solet ab iis, qui ab uno loco in alium migrant; idque in signum eorum quæ ventura erant.

5. (c) Et per rupturas egredieris, ut ostendas principibus Chaldæos muro perfosso irrupturos in urbem, & Sedeciam per hortum regium exiturum. Jerem. 39.

6. (d) Sedeciam excæcandum prædicit: *Et non videbis terram*: quæ singula vers. 10. 11. 12. & 13. exponuntur. *Quia portentum*; non solum dictis, sed factis quæ ventura sint portendes. Posui te urbi quasi imaginem migrationis & captivitatis, uti & Jeremiam: ambo hi prophetabant, hic Jerosolymæ, Ezechiel Babylone. Hieron. *Ut unius in diversis regionibus Dei providentia probaretur, & intelligerent audientes, quæcumque accidebant populo, nequaquam idolorum potestate, sed Domini jussione contigere.*

10. & 11. (e) Sedeciæ hæc calamitas annuntiatur. *In transmigrationem*; transmigratio ad eos spectat, qui sponte dediti sunt, captivitas ad eos qui vi capti sunt: Jechoniæ fuit transmigratio, Sedeciæ captivitas.

12. Et dux (*f*), qui est in medio eorum, in humeris portabitur, in caligine egredietur: parietem perfodient ut educant eum: facies ejus operietur ut non videat oculo terram.

*Inf.17.20. 13. * Et extendam rete meum super eum, & capietur in sagena mea: & adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum: & ipsam non videbit, ibique morietur.

14. Et omnes, qui circa eum sunt, præsidium ejus, & agmina ejus dispergam in omnem ventum: & gladium evaginabo post eos.

15. Et scient quia ego Dominus, quando dispersero illos in Gentibus, & disseminavero eos in terris.

16. Et relinquam ex eis viros paucos a gladio, & fame, & pestilentia: ut enarrent omnia scelera eorum in Gentibus, ad quas ingredientur: & scient quia ego Dominus.

17. Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

18. Fili hominis, panem tuum in conturbatione (*g*) comede: sed & aquam tuam in festinatione & mœrore bibe.

19. Et dices ad populum terræ: Hæc dicit Dominus Deus ad eos, qui habitant in Ierusalem in terra Israel: Panem suum in sollicitudine comedent, & aquam suam in desolatione bibent: ut desoletur terra a multitudine sua, propter iniquitatem omnium, qui habitant in ea.

20. Et civitates, quæ nunc habitantur, desolatæ erunt, terraque deserta: & scietis quia ego Dominus.

21. Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

22. Fili hominis, quod est proverbium istud vobis in terra Israel, dicentium: In longum differentur dies, & peribit omnis visio?

23. Ideo dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Quiescere faciam proverbium istud, neque vulgo dicetur ultra in Israel: & loquere ad eos quod appropinquaverint dies, & sermo omnis visionis.

24. Non enim erit ultra omnis visio cassa: neque divinatio ambigua in medio filiorum Israel.

25. Quia ego Dominus loquar: & quodcumque locutus fuero verbum, fiet, & non prolongabitur amplius: sed in diebus vestris domus exasperans loquar verbum, & faciam illud, dicit Dominus Deus.

26. Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

27. Fili hominis, ecce domus Israel dicentium: Visio, quam hic videt, in dies multos: & in tempora longa iste prophetat.

28. Propterea dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Non prolongabitur ultra omnis sermo meus: verbum, quod locutus fuero, complebitur, dicit Dominus Deus.

CAPUT XIII.

Minatur Dominus Pseudo-prophetis populum seducentibus, falsam promittendo pacem, & parietem luto absque paleis liniendo.

1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis, vaticinare ad prophetas Israel, qui prophetant: & dices prophetantibus de corde suo: Audite verbum Domini:

3. Hæc dicit Dominus Deus: * Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. *Jer.23.1. Inf.14.9. & 34.2.

4. Quasi vulpes (*a*) in desertis, prophetæ tui Israel erant.

5. Non ascendistis ex adverso (*b*), neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini.

6. Vident vana, & divinant mendacium, dicentes: Ait Dominus: cum Dominus non miserit eos: & perseveraverunt confirmare sermonem.

7. Numquid non visionem cassam vidistis, & divinationem mendacem locuti estis? & dicitis, Ait Dominus; cum ego non sim locutus.

8. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia locuti estis vana, & vidistis mendacium: ideo ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus:

9. Et erit manus mea super prophetas, qui vident vana, & divinant mendacium: in concilio (*c*) populi mei non erunt, & in scriptura domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur: & scietis quia ego Dominus Deus:

10. Eo quod deceperint populum meum, dicentes: Pax, & non est pax: & ipse ædificabat (*d*) parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis.

11. Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit: erit enim imber inundans (*e*), & dabo lapides prægrandes desuper irruentes, & ventum procellæ dissipantem.

12. Siquidem ecce cecidit paries: numquid non dicetur vobis: Ubi est litura, quam linistis?

13. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Et erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione mea, & imber inundans in furore meo erit: & lapides grandes in ira in consumptionem.

14. Et destruam parietem, quem linistis absque temperamento: & adæquabo eum terræ, & revelabitur fundamentum ejus: & cadet, & consumetur in medio ejus: & scietis quia ego sum Dominus.

15. Et

12. & 13. (*f*) Sedecias, qui securus vivit: *Ut non videat*, oculis effodientur. *Et extendam*: nam Sedecias captus est fugiens [illegible] feræ.

18. 19. & 20. (*g*) Hebr. In tremore; vel ad mensuram comede. *Longum*: prophetia de excidio brevi futuro. *Ambigua*, nemo poterit dubitare, cum prophetia fuerit impleta.

CAP. XIII. 4. (*a*) Pseudoprophetæ similes sunt, & in speluncis delitescunt, non se opponunt hostibus.

5. (*b*) Officio vel militia defungi; primum ascendere ex adverso, hoc est, in eo fide populi peccata increpare; alterum, objicere se ut murum pro populo, precibus & sacrificiis. *Ut staretis in prælio*; hostibus cum visibilibus, ut hæreticis, tum invisibilibus pugnando resistere: vel prælium vocat per metaphoram res omnes adversas: *In die Domini*: in die iræ.

9. (*c*) In cœtu populi redeuntis e captivitate; *Et non scribentur*, in catalogo Israelitarum redeuntium.

10. (*d*) Populus sibi promittebat securitatem. *Absque paleis*, confirmabant falsam populi securitatem infirmis rationibus.

11. (*e*) Exercitus Chaldæorum; *Et ventum procellæ*, regem Babylonis, quem cap. 1. vidit ab Aquilone venientem.

15. Et complebo indignationem meam in pariete, & in his qui liniunt eum absque temperamento, dicamque vobis: Non est paries, & non sunt qui liniunt eum.

16. Prophetæ Israel, qui prophetant ad Jerusalem, & vident ei visionem pacis: & non est pax, ait Dominus Deus.

17. Et tu fili hominis, pone faciem tuam contra filias (f) populi tui, quæ prophetant de corde suo: & vaticinare super eas,

18. Et dic: Hæc dicit Dominus Deus: Væ quæ consuunt (g) pulvillos sub omni cubito manus: & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas: & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum.

19. Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.

20. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad pulvillos vestros, quibus vos capitis animas volantes: & dirumpam eos de brachiis vestris: & dimittam animas, quas vos capitis, animas ad volandum.

21. Et dirumpam cervicalia vestra, & liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt ultra in manibus vestris ad prædandum: & scietis quia ego Dominus.

22. Pro eo quod mœrere fecistis cor justi mendaciter, quem ego non contristavi: & confortastis manus impii, ut non reverteretur a via sua mala, & viveret;

23. Propterea vana non videbitis, & divinationes non divinabitis amplius, & eruam populum meum de manu vestra: & scietis quia ego Dominus.

CAPUT XIV.

Hypocritis & idololatris, qui Dei responsa per prophetas requirebant, exitium minatur; ac subinde addit, etiamsi Noe, Job, & Daniel orent pro Judæis, eos non exauditum iri.

1. ET venerunt ad me viri seniorum (a) Israel, & sederunt coram me.

2. Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

3. Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis, & scandalum iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam: numquid interrogatus respondebo eis?

4. Propter hoc loquere eis, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Homo homo de domo Israel, qui posuerit immunditias suas in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, & venerit ad prophetam interrogans per eum me: ego Dominus respondebo (b) ei in multitudine immunditiarum suarum:

5. Ut capiatur (c) domus Israel in corde suo, quo recesserunt a me in cunctis idolis suis.

6. Propterea dic ad domum Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Convertimini, & recedite ab idolis vestris, & ab universis contaminationibus vestris avertite facies vestras.

7. Quia homo homo de domo Israel, & de proselytis quicumque advena fuerit in Israel, si alienatus fuerit a me, & posuerit idola sua in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, & venerit ad prophetam ut interroget per eum me: ego Dominus respondebo (d) ei per me.

8. Et ponam faciem meam super hominem illum, & faciam eum in exemplum, & in proverbium, & disperdam eum de medio populi mei: & scietis quia ego Dominus.

9. * Et propheta cum erraverit, & locutus * Sup. 13. 3.
fuerit verbum: ego Dominus decepi (e) prophetam illum: & extendam manum meam super illum, & delebo eum de medio populi mei Israel.

10. Et portabunt iniquitatem suam: juxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas prophetæ erit:

11. Ut non erret ultra domus Israel a me, neque polluatur in universis prævaricationibus suis: sed sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum, ait Dominus exercituum.

12. Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

13. Fili hominis, terra cum peccaverit mihi, ut prævaricetur prævaricans, extendam manum meam super eam, & * conteram virgam panis ejus; & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem, & jumentum. * Sup. 4. 16. & 5. 16.

14. Et si fuerint (f) tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, & Job: ipsi Justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum.

15. Quod si & bestias pessimas induxero super terram ut vastem eam: & fuerit invia, eo quod non sit pertransiens propter bestias:

16. Tres viri isti si fuerint in ea, vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt: sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur.

17. Vel

17. (f) Audacter loquere contra mulieres, quæ se prophetissas & fatidicas venditant.

18. & 19. (g) Hebr. hoi litamperot, חוי לתמפרות, væ consuentibus. *Violabant*: oraculis meis fictum detrahebant: *ut interficerent*, justos condemnantes, impios absolventes.

CAP. XIV. 1. (a) Hebraismus, primates, vel nonnulli e senioribus.

4. (b) Hieron. *Ut juxta quod vult & credit, ita & audiat: non enim meretur correctionem, qui non discendi, sed tentandi animo interrogat.*

5. (c) Ipsi sibi laqueos in corde posuerunt, quibus capientur ipsi.

7. (d) Decipiam illum secus respondens quam sperabat: vel per me ipsum sententiam adversus eum pronuntiabo.

9. (e) Falsum nempe prophetam, non verum: illum Dominus decipit exigente malitia populi veros prophetas audire recusantis, objicit illis falsum prophetam, qui loquitur ea quæ placent; atque sibi mutuo sunt in laqueum, falsus Propheta & populus. Hinc Paulus 2. Thessal. 2. 10. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent: ideo mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio.* Vide Lib. 3. Reg. cap. 22. *Ego Dominus decepi*, permisi ut deciperetur in pœnam peccatorum populi increduli; vel decepi: nam contra evenit, quam falsus Propheta prædixerat.

14. (f) Non quod precibus & meritis justorum non aliquando parcat Deus impiis, sed ita completam esse malitiam civitatis declarat, ut omnino decreverit sui contemptum vindicare. Tres hos viros forte nominat Propheta, quod initio felices, tum adversa usi fortuna, postremo pristinam felicitatem recuperarint; ita & de Judæis si pœnitentiam agerent. Hieron. *Notandum, quod non his parcat, qui in sceleribus perseverant, sed qui agunt pœnitudinem, ut merita patrum, filiorum adjuvet conversio.* Tres etiam illos nominat viros sanctitate insignes, qui sua ætate alios liberare non potuerunt: non enim Noe homines a diluvio, nec Job filios suos a morte, nec Daniel populum a captivitate liberavit: licet Noe a diluvio, Job a morte, Daniel a leonibus fuerint liberati.

17. Vel si gladium induxero super terram illam, & dixero gladio: Transi per terram: & interfecero de ea hominem, & jumentum:

18. Et tres viri isti fuerint in medio ejus: vivo ego, dicit Dominus Deus, non liberabunt filios, neque filias: sed ipsi soli liberabuntur.

19. Si autem & pestilentiam immisero super terram illam, & effudero indignationem meam super eam in sanguine (*g*), ut auferam ex ea hominem, & jumentum:

20. Et Noe, & Daniel, & Job fuerint in medio ejus: vivo ego, dicit Dominus Deus, quia filium & filiam non liberabunt: sed ipsi justitia sua liberabunt animas suas.

21. Quoniam hæc dicit Dominus Deus: Quod & si quatuor judicia mea pessima, gladium, & famem, ac bestias malas, & pestilentiam immisero in Jerusalem, ut interficiam de ea hominem, & pecus:

22. Tamen relinquetur in ea salvatio educentium filios & filias: ecce ipsi ingredientur ad vos, & videbitis viam eorum, & adinventiones eorum, & consolabimini super malo, quod induxi in Jerusalem, in omnibus quæ importavi super eam.

23. Et consolabuntur vos, cum videritis viam eorum, & adinventiones eorum: & cognoscetis quod non frustra fecerim omnia, quæ feci in ea, ait Dominus Deus.

CAPUT XV.

Ut lignum de vite præcisum destinatur igni, ita Judæos, ob inveterata peccata cum urbe sua prædicit igne absumendos.

1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis, quid fiet de ligno vitis (*a*), ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna silvarum?

3. Numquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcumque vas?

4. Ecce igni datum est in escam: utramque partem ejus consumpsit ignis, & medietas ejus redacta est in favillam: numquid utile erit ad opus?

5. Etiam cum esset integrum, non erat aptum ad opus: quanto magis cum illud ignis devoraverit, & combusserit, nihil ex eo fiet operis?

6. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quomodo lignum vitis inter ligna silvarum, quod dedi igni ad devorandum, sic tradam habitatores Jerusalem.

7. Et ponam (*b*) faciem meam in eos: de igne egredientur, & ignis consumet eos: & scietis quia ego Dominus, cum posuero faciem meam in eos,

8. Et dedero terram inviam, & desolatam: eo quod prævaricatores extiterint, dicit Dominus Deus.

CAPUT XVI.

Synagogæ ortum, educationem, nuptias, adulterium, repudium describit; tum pœnitentiam & reconciliationem prædicit.

1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis notas fac Jerusalem abominationes suas:

3. Et dices: Hæc dicit Dominus Deus Jerusalem: Radix (*a*) tua, & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.

4. Et quando nata es in die ortus tui non est præcisus umbilicus (*b*) tuus, & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis.

5. Non pepercit (*c*) super te oculus ut faceret tibi unum de his, misertus tui: sed projecta es super faciem terræ in abjectione animæ tuæ, in die qua nata es.

6. Transiens (*d*) autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo: & dixi tibi cum esses in sanguine tuo: Vive: dixi, inquam, tibi: In sanguine tuo vive.

7. Multiplicatam (*e*) quasi germen agri dedi te: & multiplicata es, & grandis effecta, & ingressa es, & pervenisti ad mundum muliebrem: ubera tua intumuerunt: & pilus tuus germinavit: & eras nuda, & confusione plena.

8. Et transivi per te, & vidi te: & ecce tempus tuum, tempus amantium: & expandi amictum (*f*) meum super te, & operui ignominiam tuam. Et juravi tibi, & ingressus sum pactum tecum (ait Dominus Deus) & facta es mihi.

9. Et lavi te aqua, & emundavi sanguinem tuum ex te: & unxi te oleo.

10. Et vestivi te discoloribus, & calceavi (*g*) te janthino: & cinxi te bysso, & indui te subtilibus.

11. Et

19. 21. & 22. (*g*) Hebr. In sanguinem, ad fundendum sanguinem. *Quatuor*: quatuor pœnarum genera, & acerba supplicia. *Salvatio*: quidam evadent superstites.

CAP. XV. 2. (*a*) Hieron. *Cum silvatico præponatur sarmentum manens in vite, quia sarmentum dat fructum: præciso tamen sarmento de vite si comparetur lignum silvaticum intelligitur esse melius*. Atque aptissime hac comparatione ostenditur, quam gravis damnatio eis maneat, qui plus acceperunt a Deo, & iis quæ acceperunt, non bene utuntur.

7. (*b*) Inimice tractabo eos: Ignem vocat afflictiones; si e flamma egressi fuerint, iterum eos conjiciam in ignem, ut consumantur: ex una calamitate in aliam incurrent.

CAP. XVI. 3. (*a*) Non generatione, sed morum similitudine; unde infra v. 44. subdit: *Sicut mater, ita & filia ejus*, ubi de morum imitatione loquitur; *sic pater tuus Amorrhæus & mater tua Cethæa*, seu Hethæa, eodem modo intelligitur. Jerosolymam exhibet sub persona adulteræ. Hieron. *Sed quia impii erant Amorrhæi & Hethæi, Judæi autem imitati sunt impietatem illam, invenerunt sibi parentes, non de quibus nascerentur, sed quorum mores sectando pariter damnarentur*.

4. (*b*) Neglecta es omnino, & abjecta instar abortivi: non sordes nativitatis ablutæ.

5. (*c*) Vatabl. Non est misertus tui oculus hominis: *Sed projecta es*, quasi exposita, ut morereris.

6. (*d*) Ubi in Ægypto in populum formari cœpisti; vidi te incultam & barbaram: *In sanguine tuo vivet*, LXX. De sanguine tuo vita: licet volutaris in sanguine tuo, vives tamen: ego tibi obstetricans curam tui egi ab ipsa infantia; vidi te contaminatam sanguine tuo.

7. (*e*) In immensum multiplicata, adolevisti, & nubilis facta es. *Et eras nuda*, cum ea ætate esses quæ ornari amat.

8. & 9. (*f*) Hebr. *Alam meam*, id est, oram vestimenti mei; desponsavi te mihi more Judæorum. Ruth 3. Erat is matrimonii ritus, ut vir feminam pallio suo tegeret. *Lavi*, videtur alludere ad mandatum Dei Exodi, 19. 10.

10. (*g*) Calceis violacei coloris. *Et indui te subtilibus vestibus*, ut panno serico.

11. Et ornavi te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum.

12. Et dedi inaurem super os (*h*) tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo.

13. Et ornata es auro, & argento, & vestita es bysso, & polymito, & multicoloribus: similam (*i*) & mel, & oleum comedisti, & decora facta es vehementer nimis: & profecisti in regnum.

14. Et egressum est nomen (*k*) tuum in Gentes propter speciem tuam: quia perfecta eras in decore meo, quem posueram super te, dicit Dominus Deus.

15. Et habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es in nomine (*l*) tuo: & exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut ejus fieres.

16. Et sumens de vestimentis tuis, fecisti tibi excelsa (*m*) hinc inde consuta: & fornicata es super eis, sicut non est factum, neque futurum est.

17. Et tulisti vasa decoris tui de auro meo, atque argento meo, quæ dedi tibi: & fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis.

18. Et sumpsisti vestimenta tua multicoloria, & operuisti illas: & oleum meum & thymiama meum posuisti coram eis.

19. Et panem meum, quem dedi tibi, similam, & oleum, & mel, quibus enutrivi te, posuisti in conspectu eorum in odorem suavitatis, & factum est, ait Dominus Deus.

20. Et tulisti filios tuos, & filias tuas, quas generasti mihi: & immolasti eis ad devorandum. Numquid parva est fornicatio tua?

21. Immolasti filios meos, & dedisti, illos consecrans, eis.

22. Et post omnes abominationes tuas & fornicationes, non es recordata dierum adolescentiæ tuæ, quando eras nuda, & confusione plena, conculcata in sanguine tuo.

23. Et accidit post omnem malitiam tuam (væ, væ tibi, ait Dominus Deus)

24. Et ædificasti tibi lupanar, & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis.

25. Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ: & abominabilem fecisti decorem tuum: & divisisti (*n*) pedes tuos omni transeunti, & multiplicasti fornicationes tuas.

26. Et fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis magnarum carnium: & multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me.

27. Ecce ego extendam manum meam super te, & auferam justificationem (*o*) tuam: & dabo te in animas odientium te filiarum Palæstinarum, quæ erubescunt in via tua scelerata.

28. Et fornicata es in filiis (*p*) Assyriorum, eo quod necdum fueris expleta: & postquam fornicata es, nec sic es satiata.

29. Et multiplicasti fornicationem tuam in Terra Chanaan cum Chaldæis: & nec sic satiata es.

30. In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus; cum facias omnia hæc opera mulieris meretricis, & procacis?

31. Quia fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ, & excelsum tuum fecisti in omni platea: nec facta es quasi meretrix fastidio augens pretium,

32. Sed quasi mulier adultera, quæ super virum suum inducit alienos.

33. Omnibus meretricibus dantur mercedes: tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, & dona donabas eis, ut intrarent ad te undique ad fornicandum tecum.

34. Factumque est in te contra consuetudinem mulierum in fornicationibus tuis, & post te non erit fornicatio (*q*): in eo enim quod dedisti mercedes, & mercedes non accepisti, factum est in te contrarium.

35. Propterea meretrix audi verbum Domini.

36. Hæc dicit Dominus Deus: Quia effusum est æs tuum, & revelata est ignominia tua in fornicationibus tuis super amatores tuos, & super idola abominationum tuarum in sanguine filiorum tuorum, quos dedisti eis:

37. Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commista es; & omnes quos dilexisti cum universis, quos oderas: & congregabo eos super te undique, & nudabo ignominiam tuam coram eis, & * videbunt omnem turpitudinem tuam. *Inf. 23. 10.

38. Et judicabo te judiciis adulterarum, & effundentium sanguinem: & dabo te in sanguinem furoris & zeli.

39. Et dabo te in manus eorum, & destruent lupanar (*r*) tuum: & demolientur prostibulum tuum: & denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui: & derelinquent te nudam, plenamque ignominia:

40. Et adducent super te multitudinem, & lapidabunt te lapidibus, & trucidabunt te gladiis suis.

41. * Et comburent domos tuas igni, & facient in te judicia in oculis mulierum plurimarum: & desines fornicari, & mercedes ultra non dabis. *4 Reg. 25. 9.

42. Et requiescet (*s*) indignatio mea in te: & auferetur zelus meus a te, & quiescam, nec irascar amplius.

43. Eo

12. (*h*) Hebr. *al apeca*: על־אפך, *Super nares tuas*: monile in fronte super nares pendulum; vel inaures vocat, quas mox *circulos* appellat; *Coronam decoris*, pulcherrimam; solebant sponsæ coronari.
13. (*i*) Non cepas Ægypti, sed delicatum cibum: *Et in regnum*, regina facta es.
14. (*k*) Fama tua ad omnes gentes perlata est.
15. (*l*) Quasi tui juris esses. *Fiducia*: nimia levitas ad idololatriam te incitavit, & nomen tuum contaminasti: peccata ejus describuntur sub specie meretricis.
16 & 17. (*m*) Idola ornasti ex vestibus tuis, aut opibus. *Decoris*, magnifica; vel instrumenta decoris tui; quibus idola ornasti, aut fabricata es. Armillas & inaures, vocat vasa, seu instrumenta decoris, aut gloriæ. *Et factum est*, id negare non potes.
25. & 26. (*n*) Honesto verbo rem turpem significat. *Ægypti*, Ægyptiorum pinguia corpora, & ad libidinem prona.
27. (*o*) Sanctificationem tuam, jus tuum, & dona quibus te dotavi & ornavi ut sponsam. Vel auferam favorem meum, & puniam te. *Et dabo*, in desideria prava. *Filiarum Palæstinarum*, tibi iniquarum: *Quæ erubescunt*, quod sint te justiores, vel potius te oderunt.
28. (*p*) Cum filiis, quorum idola coluisti.
34. (*q*) Post te non erit fornicatio similis tuæ.
39. 40. & 41. (*r*) Templum quod in prostibulum convertisti. *Et lapidabunt*; alludit ad pœnam adulterarum. *Mulierum*, nationum, quæ per mulieres hoc loco describuntur.
42. (*s*) Satiabo indignationem meam. *Nec irascar amplius*, cum te dimisero; non enim te amplius ut sponsam diligam.

43. Eo quod non fueris recordata dierum adolescentiæ tuæ, & provocasti me in omnibus his: quapropter & ego vias tuas in capite (t) tuo dedi, ait Dominus Deus, & non feci juxta scelera tua in omnibus abominationibus tuis.

44. Ecce omnis, qui dicit vulgo proverbium, in te assumet illud, dicens: Sicut mater (u), ita & filia ejus.

45. Filia matris tuæ es tu, quæ projecit virum suum, & filios suos: & soror sororum tuarum es tu, quæ projecerunt viros suos, & filios suos: mater vestra Cethæa, & pater vester Amorrhæus.

46. Et soror tua major, Samaria, ipsa & filiæ ejus, quæ habitant ad sinistram tuam: soror autem tua minor te, quæ habitat a dextris tuis, Sodoma, & filiæ ejus.

47. Sed nec in viis earum ambulasti (x), neque secundum scelera earum fecisti pauxillum minus: pene sceleratiora fecisti illis in omnibus viis tuis.

48. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma soror tua ipsa, & filiæ ejus, sicut fecisti (y) tu, & filiæ tuæ.

* Gen. 19. 24. 49. * Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus: & manum egeno & pauperi non porrigebant.

50. Et elevatæ sunt, & fecerunt abominationes coram me: & abstuli eas sicut vidisti.

51. Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit: sed vicisti eas sceleribus tuis, & justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.

52. Ergo & tu porta confusionem tuam, quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratius agens ab eis: justificatæ sunt enim a te: ergo & tu confundere, & porta ignominiam tuam, quæ justificasti sorores tuas.

53. Et convertam (z) restituens eas conversione Sodomorum cum filiabus suis, & conversione Samariæ, & filiarum ejus: & convertam reversionem tuam in medio earum,

54. Ut portes ignominiam tuam, & confundaris in omnibus, quæ fecisti consolans eas.

55. Et soror tua Sodoma, & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam: & Samaria, & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam: & tu, & filiæ tuæ revertemini ad antiquitatem vestram.

56. Non fuit autem Sodoma soror tua audita in ore tuo, in die superbiæ tuæ,

57. Antequam revelaretur (aa) malitia tua: sicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriæ, & cunctarum in circuitu tuo filiarum Palæstinarum, quæ ambiunt te per gyrum.

58. Scelus tuum & ignominiam tuam tu portasti, ait Dominus Deus.

59. Quia hæc dicit Dominus Deus: Et faciam tibi, sicut despexisti juramentum, ut irritum faceres pactum:

60. Et recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiæ tuæ: & suscitabo tibi pactum sempiternum (bb).

61. Et recordaberis viarum tuarum, & confunderis: cum receperis (cc) sorores tuas te majores cum minoribus tuis: & dabo eas tibi in filias, sed non ex pacto tuo.

62. Et suscitabo ego pactum meum tecum: & scies quia ego Dominus,

63. Ut recorderis, & confundaris, & non sit tibi ultra aperire os præ confusione tua, cum placatus tibi fuero in omnibus, quæ fecisti, ait Dominus Deus.

CAPUT XVII.

Proposita parabola de duabus aquilis inter se pugnantibus, prædicit fore ut Sedecias tradatur in manus Nabuchodonosoris.

1. ET factum est verbum Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis propone ænigma (a), & narra parabolam ad domum Israel.

3. Et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.

4. Summitatem frondium ejus avulsit: & transportavit eam in Terram Chanaan (b), in urbe negotiatorum posuit illam.

5. Et

43. (t) In caput tuum redundabunt, & non feci juxta libidinem: Scelera tua majora supplicia merebantur.

44. & 45. (u) Non est emendata suppliciis. Samaria, quæ erat metropolis regni Israel, ut Jerusalem regni Juda. Major dicitur soror, quia decem tribus erant. Sodomam a dextris esse dicit propter locorum situm: Orientem spectantibus in Jerusalem, Samaria est ad sinistram. Soror tua major. LXX. tibi sanguine conjuncta.

47. (x) Non es contenta earum sceleribus: Pauxillum minus non satis habuisti paullo minora scelera admittere, sed multo majora perpetrasti.

48. & 49. (y) Cum Baal in templo coluisti. Iniquitas: non commemorat gravissimum peccatum, propter quod everti sunt Sodomitæ; sed caussas & occasiones tantæ iniquitatis. Superbia, fastus animorum; Saturitas panis, omnium rerum affluentia; Et otium ipsius, & filiarum ejus, urbium ei subjectarum; Non porrigebant, præ eminentiam ab iis præcipuum peccatorum remedium.

53. (z) Deducam te e captivitate. Sodoma quidem jam absumpta erat, sed forte populi ex ea prognati, ut Moabitæ & Ammonitæ adhuc remanserant: pejus erat peccatum Judæorum, qui Baal in templo colebant, quique Dei notitia erant imbuti. Moabitæ vero, & Ammonitæ, Samaritani e captivitate diaboli liberati ad Christum convertentur. Hic locus de vocatione gentium optime intelligitur, quia Gentiles ad Ecclesiam Christi tamquam in patriam suam revertentur: ponit unam civitatem Gentilium loco omnium. In medio earum: una cum illis.

57. (aa) Tot suppliciis de te sumptis. Hinc colligit Gotdonus non totam Pentapolim fuisse subversam: adeo ut urbs Segor & vicini pagi evaserint.

60. (bb) Legis novæ; nam a figura subito ad veritatem transit. Hieronym. Sic nobis videtur lectionis ordo reddendus: In diebus superbiæ tuæ, quando peccabas, non es recordata exceptionis Sodomæ sororis tuæ, ante quam pateret malitia tua, quæ hoc tempore revelata est, in tantum, ut cunctis urbibus Syriæ & Palæstinæ, quæ in circuitu tuo sunt, fieres opprobrium: nunc autem quia revelata est ignominia tua, Dei audi ultimam sententiam: vel porta, juxta LXX. scelus & ignominiam tuam, ut postquam pœnas pro sacrilegio sustinueris, veniam non ex pacto tuo, sed ex mea clementia consequaris.

61. & 63. (cc) Ita ut ex gentibus & Judæis conversis una coalescat Ecclesia: Sed non ex pacto tuo, quod ex te procedat, non ex merito tuo, sed ex misericordia mea magna. Vel non ex pacto tuo, non propter illud vetus pactum, sed propter novum. Aperire: nullam habebis occasionem querendi de me.

2. (a) Hoc ipsum postea Deus exponit, vers. 12. Aquila grandis est Nabuchodonosor: Magnarum alarum, qui magno exercitui & variis nationibus imperabat: Venit ad Libanum, Judæam, vel Jerusalem, vel ad templum e cedris Libani constructum: Et tulit medullam cedri, Joachin & principes. CAPUT XVII.

4. (b) Vox illa vim habet nominis appellativi, non proprii, & significat negotiationem, quod mox explicat. In urbe negotiatorum, Babylone. Itaque Babylonem translulit Joachin, & principes.

5. Et tulit de semine (*c*) terræ, & posuit illud in terra pro semine, ut firmaret radicem super aquas multas: in superficie posuit illud.

6. Cumque germinasset, crevit in vineam latiorem (*d*) humili statura, respicientibus ramis ejus ad eam: & radices ejus sub illa erant: facta est ergo vinea, & fructificavit in palmites, & emisit propagines.

7. Et facta est aquila (*e*) altera grandis, magnis alis, multisque plumis: & ecce vinea ista quasi mittens radices suas ad eam, palmites suos extendit ad illam, ut irrigaret eam de areolis germinis sui.

8. In terra bona super aquas multas plantata est: ut faciat frondes, & portet fructum, ut sit in vineam grandem.

9. Dic: Hæc dicit Dominus Deus: Ergone prosperabitur (*f*)? nonne radices ejus evellet, & fructus ejus distringet, & siccabit omnes palmites germinis ejus, & arescet: & non in brachio grandi, neque in populo multo, ut evelleret eam radicitus?

10. Ecce plantata est: ergone prosperabitur? nonne cum tetigerit eam ventus urens siccabitur, & in areis germinis sui arescet (*g*)?

11. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

12. Dic (*h*) ad domum exasperantem: Nescitis quid ista significent? Dic: Ecce venit rex Babylonis in Jerusalem: & assumet regem, & principes ejus, & adducet eos ad semetipsum in Babylonem.

13. Et tollet de semine regni, ferietque cum eo fœdus: & ab eo accipiet jusjurandum: sed & fortes terræ tollet,

14. Ut sit regnum humile, & non elevetur, sed custodiat pactum ejus, & servet illud.

15. Qui recedens ab eo misit nuntios ad Ægyptum, ut daret sibi equos, & populum multum. Numquid prosperabitur, vel consequetur salutem qui fecit hæc? & qui dissolvit pactum, numquid effugiet?

16. Vivo ego, dicit Dominus Deus: quoniam in loco regis qui constituit eum regem, cujus fecit irritum juramentum, & solvit pactum, quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur.

17. Et non in exercitu grandi, neque in populo multo faciet contra eum Pharao prælium: in jactu aggeris, & in extructione vallorum, ut interficiat animas multas.

18. Spreverat enim juramentum ut solveret fœdus, & ecce dedit manum (*i*) suam: & cum omnia hæc fecerit, non effugiet.

19. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Vivo ego, quoniam juramentum quod sprevit, & fœdus quod prævaricatus est, ponam in caput ejus.

20. * Et expandam super eum rete meum, & comprehendetur in sagena mea: & adducam eum in Babylonem, & judicabo eum ibi, in prævaricatione, qua despexit me. * *Sup.* 12. 13. *Inf.* 32. 3.

21. Et omnes profugi ejus cum universo agmine suo, gladio cadent: residui autem in omnem ventum dispergentur: & scietis quia ego Dominus locutus sum.

22. Hæc dicit Dominus Deus: Et sumam ego de medulla (*k*) cedri sublimis, & ponam: de vertice ramorum ejus tenerum distringam, & plantabo super montem excelsum & eminentem.

23. In monte sublimi Israel plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in cedrum magnam: & habitabunt sub ea omnes volucres, & universum volatile sub umbra frondium ejus nidificabit.

24. Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime, & exaltavi lignum humile, & siccavi lignum viride, & frondere feci lignum aridum. Ego Dominus locutus sum, & feci.

CAPUT XVIII.

Deus, rejecto veteri proverbio Judæorum, contrarium inducit: Anima quæ peccaverit, ipsa morietur, nec filius portabit iniquitatem patris, ad pœnitentiam eos invitat.

1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens:

2. Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel, dicentes: * Patres comederunt uvam acerbam, *Jer. 31. 29.
& dentes filiorum obstupescunt?

3. Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Israel.

4. Ecce omnes animæ, meæ sunt: ut anima patris, ita & anima filii mea est: anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.

5. Et vir si fuerit justus, & fecerit judicium (*a*) & justitiam,

6. In

5. (*c*) Sedeciam, postquam Jechoniam & principes ejus abduxit: *Et posuit illud in terra*: Hebr. *In terra seminis*, id est, fertili: *Pro semine*: ut in Judæa maneret stirps regia: *Et super aquas*, super Populos: *In superficie*: sic tamen ut altas in terram non ageret radices, sed facile avelli posset, nec potestatem ejus alta imperii radice firmavit.

6. (*d*) Jam cum vinea eum comparat, quæ in latum crescit, non in altum, ut arboribus opacata: *Humili statura*; regnum enim quod ante altum erat instar cedri, factum est humile instar vineæ; *Ad eam*, nempe ad aquilam. Hieron. *Ut præesset quidem populis Judæorum, sed respiceret ad Babylonis jubentis imperium*: vel ad eam, scilicet vitem: nam rami cum in altum tendere non possunt, incurvantur, & arborem respiciunt.

7. (*e*) Rex Ægypti. *Et ecce vinea ista*, Sedecias, mittens legatos ut auxilium peteret: *Ut irrigaret eam*; Ægyptus aquis abundat; eoque alludit.

9. (*f*) Aquila illa prior regni Judæorum robur omne, & filios Sedeciæ ut fructus, & principes ut palmites evellet: *Non in brachio grandi*, non opus erit multo milite, ut evellat hos radicitus; *Distringet*, opes ejus diripiet.

10. (*g*) In ipsa Judæa, in loco ubi adolevit, in Jerichuntino agro captus est Sedecias.

12. (*h*) Edissere nobis parabolam: hanc sigillatim Deus exponit. *Tollet*, Sedeciam, eumque pro Joachin constituet regem.

18. & 19. (*i*) Sedecias fœdus iniit cum Pharaone. *Caput*, ulciscar eum illius periculo. *Quod sprevit*, &c. ex hoc loco discimus fidem datam infidelibus & hæreticis servari oportere, dummodo pacta non sint cum impietate conjuncta. Hieron. *Ex quo discimus etiam inter hostes servandam fidem, & non considerandum, cui, sed per quem juraveris.*

22. (*k*) Hæc & sequentia ad Messiam Hebræis non reclamantibus pertinent: tametsi in hoc fallantur, quod de temporali regno Christi interpretantur; per volucres cæli potentes & sublimes hujus sæculi designat, qui sub Christi protectione conquiescunt. Hieron. *Ille erupit in germen, & fecit fructum, & cedros omnes sua sublimitate superavit.*

5. (*a*) *Judicium*, cum neminem afficit injuria: *Justitiam*, cum benignus est in proximum: Judicium fit a judice, cum reos punit; injustitia cum absolvit: vel justitiæ nomine benignitas, aut liberalitas intelligitur. CAPUT XVIII.

6. In montibus non comederit (*b*), & oculos suos non levaverit ad idola domus Israel: & uxorem proximi sui non violaverit, & ad mulierem menstruatam non accesserit:

7. Et hominem non contristaverit: pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit: * panem suum (*c*) esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento:

* *Is. 58. 7. Matth. 25. 35.*

8. Ad usuram (*d*) non commodaverit, & amplius non acceperit: ab iniquitate averterit manum suam, & judicium verum fecerit inter virum & virum:

9. In præceptis meis ambulaverit, & judicia mea custodierit ut faciat veritatem: hic justus est, vita vivet, ait Dominus Deus.

10. Quod si genuerit filium latronem effundentem sanguinem, & fecerit unum de istis:

11. Et hæc quidem omnia non facientem, sed in montibus comedentem, & uxorem proximi sui polluentem:

12. Egenum & pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, & ad idola levantem oculos suos, abominationem facientem:

13. Ad usuram dantem, & amplius accipientem: numquid vivet? non vivet: cum universa hæc detestanda fecerit, morte morietur, sanguis ejus in ipso erit.

14. Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui, quæ fecit, timuerit, & non fecerit simile eis:

15. Super montes non comederit, & oculos suos non levaverit ad idola domus Israel, & uxorem proximi sui non violaverit:

16. Et virum non contristaverit, pignus non retinuerit, & rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento.

17. A pauperis injuria averterit manum suam, usuram & superabundantiam non acceperit, judicia mea fecerit, in præceptis meis ambulaverit: hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet.

18. Pater ejus quia calumniatus est, & vim fecit fratri: & malum operatus est in medio populi sui, ecce mortuus est in iniquitate sua.

19. Et dicitis: Quare non portavit filius iniquitatem patris? Videlicet, quia filius judicium & justitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit, & fecit illa, vivet vita.

20. * Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris (*e*), & pater non portabit iniquitatem filii: justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum.

* *Deut. 24. 16. 4. Reg. 14. 6. 2. Par. 25. 4.*

21. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam: vita vivet, & non morietur.

22. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor (*f*): in justitia sua, quam operatus est, vivet.

23. * Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat?

* *Inf. 33. & 33. 11. 2. Pet. 3. 9.*

24. Si autem averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione, qua prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.

25. Et dixistis: * Non est æqua via Domini. Audite ergo domus Israel: Numquid via mea non est æqua, & non magis viæ vestræ pravæ sunt?

* *Inf. 33. 20.*

26. Cum enim averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in injustitia, quam operatus est, morietur.

27. Et cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium & justitiam: ipse animam suam vivificabit.

28. Considerans enim, & avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita vivet, & non morietur.

29. Et dicunt filii Israel: Non est æqua via Domini. Numquid viæ meæ non sunt æquæ, domus Israel, & non magis viæ vestræ pravæ?

30. Idcirco unumquemque juxta vias suas judicabo domus Israel, ait Dominus Deus. * Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas.

* *Matth. 3. 2. Luc. 3. 3.*

31. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum: & quare moriemini domus Israel?

32. * Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, & vivite.

* *Sup. 18. Inf. 33. 11. 2. Pet. 3. 9.*

CAPUT XIX.

Sub allegoria miserandam sortem filiorum Josiæ deplorat.

1. ET tu assume planctum (*a*) super principes Israel,

2. Et dices: Quare mater tua leæna (*b*) inter leones cubavit, in medio leunculorum enutrivit catulos suos?

3. Et

6. (*b*) Idolothytа: *Et oculos suos non levaverit*, adorandi caussa, aut invocandi deos alienos.

7. (*c*) Esurienti & indigenti, suum dederit, non alienum.

8. (*d*) Ex Hieron. Catalogum virtutum texit, quæ illi videntur in decem & septem partes dividi. *Sed vide profectum*, ait Hieron. *in principio legis a fratribus tantum fœnus tollitur, in propheta ab omnibus usura prohibetur, dicente Ezechiele: Pecuniam suam non dedit ad usuram. Porro in Evangelio, virtutis augmentum est, præcipiente Domino: Fœneramini his a quibus non speratis recipere. Et amplius non acceperit.* Hieron. *Putant quidam usuram tantum esse in pecunia, quod prævidens Scriptura divina omnis rei aufert superabundantiam; ut plus non recipias quam dedisti: v. gr. ut hiemis tempore demus decem modios, & in messe recipiamus quindecim, hoc est amplius partem mediam.*

10. (*e*) Neque id pugnat cum verbis Exod 20 *Ego Deus Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios*, cum ii sunt patrum æmulatores: mox enim additur ex Hebr. juxta Hieron. *His qui oderunt me.*

22. & 27. (*f*) August. serm. 58. de Verb. Dom. *Hac voce audita, a desperatione impii recreantur, & ab illa altissima & profunda voragine, qua submersi fuerant, emergunt.* Et in Psalm. 101. *Hoc pacto proposito deponit vela iniquitatis, convertit proram, vela dirigit ad justitiam, & sperans vitam non negligit medicinam. Non recordabor*, nisi ut parens & medicus. *Vivificabit*, diram mortem vitabit.

CAP. XIX.

1. (*a*) Luge calamitatem principum Israel. Hieron. *Planctus igitur super principes est, omnes videlicet qui de Josiæ stirpe generati sunt.*

2. & 4. (*b*) Duorum leonum fit mentio, quorum prior est Joachaz filius Josiæ; de quo dicitur: *Et adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti*; alter est Sedecias. Hieronym Jechoniam designari putat filium Joachin: sed alii Sedeciam interpretantur. *Enutrivit*, Hebr. *Ribbeta* רבתה *multiplicavit*. Jerusalem est leæna, quæ inter breve tempus multos genuit reges, & amisit. Aliis videtur per leones finitimos principes designari, quorum mores & superstitiones Judæi induerunt.

3. Et eduxit unum de leunculis suis, & leo factus est: & didicit capere prædam, hominemque comedere.

4. Et audierunt de eo Gentes, & non absque vulneribus suis ceperunt eum: & adduxerunt eum in catenis in Terram Ægypti.

5. Quæ cum vidisset (c) quoniam infirmata est, & periit expectatio ejus: tulit unum de leunculis suis, leonem constituit eum.

6. Qui incedebat inter leones, & factus est leo: & didicit prædam capere, & homines devorare.

7. Didicit viduas facere, & civitates eorum in desertum adducere: & desolata est terra, & plenitudo ejus a voce rugitus illius.

8. Et convenerunt adversus eum Gentes undique de provinciis, & expanderunt super eum rete suum, in vulneribus earum captus est.

9. Et miserunt eum in caveam, in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis: miseruntque eum in carcerem, ne audiretur vox ejus ultra super montes Israel.

10. Mater tua quasi vinea (d) in sanguine tuo super aquam plantata est: fructus ejus & frondes ejus creverunt ex aquis multis.

11. Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra (e) dominantium, & exaltata est statura ejus inter frondes: & vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum.

12. Et evulsa est in ira, in terramque projecta, * & ventus urens siccavit fructum ejus: marcuerunt, & arefactæ sunt virgæ roboris (f) ejus: ignis comedit eam. * Osee 13. 15.

13. Et nunc transplantata est in desertum, in terra invia & sitienti.

14. Et egressus est ignis de virga ramorum (g) ejus, qui fructum ejus comedit: & non fuit in ea virga fortis, sceptrum dominantium. Planctus est, & erit in planctum.

CAPUT XX.

Seniores Prophetam consulunt de exitu belli Judaici; negat Ezechiel se iis responsurum: sed loco responsi, eorum scelera exprobrat.

1. ET factum est in anno septimo (a), in quinto, in decima mensis: venerunt viri de senioribus Israel, ut interrogarent Dominum, & sederunt coram me.

2. Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

3. Fili hominis, loquere senioribus Israel, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Numquid ad interrogandum me vos venistis? vivo ego quia non respondebo vobis, ait Dominus Deus.

4. Si judicas (b) eos, si judicas fili hominis, abominationes patrum eorum ostende eis.

5. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: In die, qua elegi Israel, & levavi manum meam pro stirpe domus Jacob, & apparui eis in Terra Ægypti, & levavi manum meam pro eis, dicens: Ego Dominus Deus vester:

6. In die illa levavi manum meam pro eis, ut educerem eos de Terra Ægypti, in Terram, quam provideram eis, fluentem lacte & melle: quæ est egregia inter omnes terras.

7. Et dixi ad eos: Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat, & in idolis Ægypti nolite pollui: ego Dominus Deus vester.

8. Et irritaverunt me, nolueruntque me audire: unusquisque abominationes oculorum suorum non projecit, nec idola Ægypti (c) reliquerunt: & dixi ut effunderem indignationem meam super eos, & implerem iram meam in eis, in medio Terræ Ægypti.

9. Et feci propter nomen (d) meum, ut non violaretur coram Gentibus, in quarum medio erant, & inter quas apparui eis, ut educerem eos de Terra Ægypti.

10. Ejeci ergo eos de Terra Ægypti, eduxi eos in desertum.

11. * Et dedi eis præcepta (e) mea, & judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo, vivet in eis. * Lev. 8. 5. Rom. 10. 5.

12. * Insuper & sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me & eos: & scirent quia ego Dominus sanctificans eos (f). * Exod. 20. 8. & 31. 13. Deut. 5. 12.

13. Et irritaverunt me domus Israel in deserto, in præceptis meis non ambulaverunt, & judicia mea projecerunt, quæ faciens homo vivet in eis: & sabbata mea violaverunt vehementer: dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos in deserto, & consumerem eos.

14. Et feci propter nomen meum, ne violaretur coram Gentibus, de quibus ejeci eos in conspectu earum.

15. Ego igitur levavi manum meam super eos in deserto, ne inducerem eos in Terram, quam dedi eis, fluentem lacte & melle, præcipuam terrarum omnium:

16. Quia

5. & 6. (c) Mater ejus se filio & rege orbari. *Deo*, Hier. de Jechonia, aut Sedecia interpretatur.

10. (d) Jerusalem ante cum leæna, nunc cum vinea comparat: *In sanguine tuo*: per nobilissimam stirpem tuam regio sanguine fœcundam, ut vers. 2 *Enutrivit*, seu multiplicavit catulos suos, & mirum in modum est elata.

11. (e) Ita ut ex illis sceptra fieri, ac multi ex regio sanguine reges esse possent. *Altitudinem suam*, videndo superbiret.

12. (f) Solide: *Ignis comedit eam*, Jerusalem ignis ut vineam absumpsit.

14. (g) Vel Ismael, qui Godoliam interfecit, vel Sedecias ipse, qui caussa fuit excidii Jerusalem. *Sceptrum dominantium*; nisi post exactos complures annos, iique sub principe potentiori, ut duces populum rexerunt. Unde Gen 49. Non negatur quin rex ab eis auferatur; sed dux, quod est nomen inferioris potestatis.

CAP. XX. 1 (a) Captivitatis Jechoniæ; revelationes cœperunt anno quinto, tum quievit in latus sinistrum 390. dies, in dextrum 40. seu 430. quo tempore non vaticinatus est: post annum sextum & mensem sextum vaticinari cœpit, & Judæorum scelera prophetico spiritu videre: post undecim menses acciderunt, quæ hoc capite recensentur.

4. (b) An non judicabis eos? Ita Maldonatus ex Hebr. an non condemnabis & coargues eos? non respondebo ad eorum interrogata, sed adversus eos sententiam proferam. *Abominationes*. Hieron. *Hæc videlicet caussa est ut ostendantur similia parentibus agere, & hæreditario malo longissimum funem trahere peccatorum, ut quorum imitantur vitia, eorum supplicia pertimescant.*

8 (c) Hieronym. *Ex quo ostenditur necdum eos fuisse egressos de Ægypto, quando voluit effundere indignationem suam.*

9 (d) Non quæ cogitaveram; sed eos a servitute Ægyptiorum liberavi.

11. (e) Per præcepta Decalogus; per judicia reliqua mandata intelligi possunt. *Vivet in eis*, non punietur.

12. (f) Ut intelligerent me unum esse, qui eos sanctificarem. Hieron. *Ergo sabbatum & circumcisio in signum data sunt veri sabbati, & veræ circumcisionis.*

16. Quia judicia mea projecerunt, & in præceptis meis non ambulaverunt, & sabbata mea violaverunt: post idola enim cor eorum gradiebatur.

17. Et pepercit (g) oculus meus super eos, ut non interficerem eos: nec consumpsi eos in deserto.

18. Dixi autem ad filios eorum in solitudine: In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec judicia eorum custodiatis, nec in idolis eorum polluamini:

19. Ego Dominus Deus vester: in præceptis meis ambulate, judicia mea custodite, & facite ea:

20. Et sabbata mea sanctificate, ut sint signum inter me & vos, & sciatis quia ego sum Dominus Deus vester.

21. Et exacerbaverunt me filii, in præceptis meis non ambulaverunt: & judicia mea non custodierunt ut facerent ea: quæ cum fecerit homo, vivet in eis: & sabbata mea violaverunt: & comminatus sum ut effunderem furorem meum super eos, & implerem iram meam in eis in deserto.

22. Averti autem manum meam, & feci propter nomen meum, ut non violaretur coram Gentibus, de quibus ejeci eos in oculis earum.

23. Iterum levavi manum meam in eos in solitudine, ut dispergerem illos in nationes, & ventilarem in terras:

24. Eo quod judicia mea non fecissent, & præcepta mea reprobassent, & sabbata mea violassent, & post idola patrum suorum fuissent oculi eorum.

25. Ergo & ego dedi eis præcepta (h) non bona, & judicia, in quibus non vivent.

26. Et pollui (i) eos in muneribus suis, cum offerrent omne quod aperit vulvam, propter delicta sua: & scient quia ego Dominus.

27. Quamobrem loquere ad domum Israel, fili hominis: & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Adhuc (k) & in hoc blasphemaverunt me patres vestri, cum sprevissent me contemnentes.

28. Et induxissem eos in Terram, super quam levavi manum meam ut darem eis: viderunt omnem collem excelsum, & omne lignum nemorosum, & immolaverunt ibi victimas suas: & dederunt ibi irritationem (l) oblationis suæ, & posuerunt ibi odorem suavitatis suæ, & libaverunt libationes suas.

29. Et dixi ad eos: Quid est excelsum, ad quod vos ingredimini? & vocatum est nomen ejus Excelsum (m) usque ad hanc diem.

30. Propterea dic ad domum Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Certe in via patrum vestrorum vos polluimini, & post offendicula eorum vos fornicamini:

31. Et in oblatione donorum vestrorum, cum traducitis filios vestros per ignem, vos polluimini in omnibus idolis vestris usque hodie: & ego respondebo vobis domus Israel: Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non respondebo vobis.

32. Neque cogitatio mentis vestræ fiet, dicentium: Erimus sicut gentes (n), & sicut cognationes terræ, ut colamus ligna & lapides.

33. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti (o), & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos.

34. Et educam (p) vos de populis: & congregabo vos de terris, in quibus dispersi estis, in manu valida, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos.

35. Et adducam vos in desertum (q) populorum, & judicabor vobiscum ibi facie ad faciem.

36. Sicut judicio contendi adversum patres vestros in deserto Terræ Ægypti (r), sic judicabo vos, dicit Dominus Deus.

37. Et subjiciam vos sceptro meo, & inducam vos in vinculis fœderis (f).

38. Et eligam de vobis transgressores, & impios, & de terra incolatus eorum educam eos, & in terram Israel non ingredientur: & scietis quia ego Dominus.

39. Et vos domus Israel, hæc dicit Dominus Deus: Singuli post idola vestra ambulate (t), & servite eis. Quod si & in hoc non audieritis me, & nomen meum sanctum pollueritis ultra in muneribus vestris, & in idolis vestris:

40. In monte (u) sancto meo, in monte excelso Israel, ait Dominus Deus, ibi serviet mihi omnis domus Israel: omnes, inquam, in terra, in qua placebunt mihi, & ibi quæram primitias vestras, & initium decimarum vestrarum in omnibus sanctificationibus vestris.

41. In odorem suavitatis suscipiam vos, cum eduxero vos de populis, & congregavero vos de terris, in quas dispersi estis, & sanctificabor in vobis in oculis nationum.

42. Et

17. (g) Hieronym. *Possumus & hoc dicere, quod non deleverit eos, neque consumpserit cum stirpe sua, atque progenie.*

25. (h) Præcepta, quæ sunt natura sua bona, sed facta sunt populo non bona; vel præcepta imperfecta, cæremonias quæ a cultu deorum eos deterrerent. Nam initio Decalogum tantummodo iis dederat; vel alia Deo permittente sunt eis imposita præcepta, quæ dicuntur non bona per miosin, quod non sint perfecta ut novæ legis præcepta.

26. (i) Permisi ut pollueretur in sacrificiis profanis: *Propter delicta sua*, immolantes liberos, ut de se darent supplicium.

27. (k) Non contenti iis, quæ fecerant in Ægypto, & in deserto, majora fecerunt cum introducti sunt in terram Juda.

28. (l) Posuerunt oblationes quæ me irritarent.

29. (m) Quid sibi vult hoc nomen ex idololatria natum? Hebr. במה Bama, *usque in hanc diem*, ita ut istiusmodi loca appellentur Bama. Unde Græci Interpretes Hebræam vocem Ἀβαμά, retinuerant.

32. (n) Quas non videbant puniri a Deo propter idololatriam; aut optabant esse sine vero Deo, a quo se male tractari existimabant.

33. (o) Velitis, nolitis, regnabo super vos, regam vos in virga furoris mei.

34. (p) Inter quos dispersi estis, Chaldæos fugientes: retraham vos a fuga.

35. (q) Ubi non sunt populi: *Et judicabor vobiscum*. Hebr. *Disceptabo vobiscum*, ultionem de vobis sumam; *Facie ad faciem*, solus cum solis.

36. (r) In deserto Arabiæ, cum exierunt ex Ægypto.

37. (f) Percutiam vobiscum novum fœdus, quod ad novam legem refertur: vel subjiciam vos legibus meis.

39. (t) Ironia est. Hieron. *Nomen autem meum nolite ultra polluere per munera vestra, atque simulacra.* Idola vestra, aiam colite, quæ tantopere amatis, nec vos jactetis in populum meum.

40. (u) Veniet tempus, quo veri Israelitæ me colent in Ecclesia. Hebr. *Quia in monte sancto meo*: nam ad vocationem gentium tendit prophetia.

42. Et scietis quia ego Dominus, cum induxero vos ad terram Israel, in Terram, pro qua levavi manum meam, ut darem eam patribus vestris.

43. Et recordabimini ibi viarum vestrarum, & omnium scelerum vestrorum, quibus polluti estis in eis: & displicebitis vobis in conspectu vestro in omnibus malitiis vestris, quas fecistis.

44. Et scietis quia ego Dominus, cum benefecero vobis propter nomen meum, & non secundum vias vestras malas, neque secundum scelera vestra pessima domus Israel, ait Dominus Deus.

45. Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

46. Fili hominis, pone faciem tuam contra viam Austri (*x*), & stilla ad Africum, & propheta ad saltum agri meridiani.

47. Et dices saltui meridiano: Audi verbum Domini: hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego succendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride, & omne (*y*) lignum aridum: non extinguetur flamma succensionis: & comburetur in ea omnis facies ab Austro usque ad Aquilonem.

48. Et videbit universa caro, quia ego Dominus succendi eam, nec extinguetur.

49. Et dixi: A, a, a, Domine Deus: ipsi dicunt de me: Numquid non per parabolas loquitur iste?

CAPUT XXI.

Prædicit horrendum ac multiplicem gladium venturum super Jerusalem, & super filios Ammon, a rege Babylonis; qui tandem in terra sua judicandus est.

1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis pone faciem tuam ad Jerusalem, & stilla (*a*) ad sanctuaria, & propheta contra humum Israel:

3. Et dices terræ Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, & ejiciam gladium meum de vagina sua, & occidam (*b*) in te justum, & impium.

4. Pro eo autem quod occidi (*c*) in te justum, & impium, idcirco egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab Austro usque ad Aquilonem:

5. Ut sciat omnis caro quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem.

6. Et tu fili hominis ingemisce in contritione (*d*) lumborum, & in amaritudinibus ingemisce coram eis.

7. Cumque dixerint ad te: Quare tu gemis? dices: Pro auditu (*e*): quia venit, & tabescet omne cor, & dissolventur universæ manus, & infirmabitur omnis spiritus, & per cuncta genua fluent aquæ: ecce venit, & fiet, ait Dominus Deus.

8. Et factus est sermo Domini ad me, dicens.

9. Fili hominis propheta, & dices: Hæc dicit Dominus Deus: Loquere: Gladius (*f*), gladius exacutus est, & limatus.

10. Ut cædat victimas, exacutus est: ut splendeat, limatus est: qui moves sceptrum (*g*) filii mei, succidisti omne lignum.

11. Et dedi eum ad lævigandum, ut teneatur manu: iste exacutus est gladius, & iste limatus est, ut sit in manu interficientis.

12. Clama, & ulula fili hominis, quia hic factus (*h*) est in populo meo, hic in cunctis ducibus Israel, qui fugerant: gladio traditi sunt cum populo meo, idcirco plaude super femur,

13. Quia probatus est: & hoc, cum sceptrum subverterit: & non erit, dicit Dominus Deus.

14. Tu ergo fili hominis propheta, & percute manu ad manum (*i*), & duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum: hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere eos facit,

15. Et corde tabescere, & multiplicat ruinas. In omnibus portis eorum dedi conturbationem gladii acuti, & limati ad fulgendum, amicti (*k*) ad cædem.

16. Exacuere, vade ad dexteram, sive ad sinistram, quocumque faciei tuæ est appetitus.

17. Quin & ego plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam, ego Dominus locutus sum.

18. Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

19. Et

46. (*x*) Obfirma vultum tuum contra Jerusalem: *Ad saltum*, silvam ad meridiem positam, terram Israel montosam & nemorosam. *Et stilla ad Africum*, continenter & fluenter oratione loquere. Jerusalem cum saltu, cives cum arboribus comparat.

47. (*y*) Bonos & malos cives: pergit in metaphora, qua Jerusalem silvam appellavit: *Omnes facies*, omnes homines, qui metu & fame extenuati ut combusti apparebunt. *Ab Austro usque ad Aquilonem*. Hieron. Ab Jerusalem usque ad Babylonem, fame, pestilentia suorum complectitur: *Per parabolas*; apertius loquere, non intelligimus per parabolam quid loquaris. Hieron.

CAP. XXI. 2. (*a*) Vaticinare: nam sermo prophetarum cum pluvia comparatur, quia de cælo venit. Aperte jam loquitur, quæque per ænigmata protulerat, in hoc capite dilucide exponit: seniores illi, quos alloquebatur, cum eo ad expostulabant, quod parabolas loqueretur: nunc saltum Austri Jerusalem, ignem qui silvam succenderet, gladium esse Nabuchodonosoris, lignum viride & aridum, justum & impium aperte declarat.

3. (*b*) Neque id pugnat cum verbis Abraham Genes. 18. *Absit a te ut hanc rem facias, & occidas justum cum impio*. In publica calamitate sæpe Deus justos cum impiis involvit, cumque pœna sit temporalis, illos purgat, hos punit: ideo alia est ratio pœnæ æternæ; mors justis non pœna est, sed gloriam. *Educam gladium*: stringam, educam Nabuchodonosorem.

4. & 5. (*c*) Occidere decrevi. *Ab austro*; a Bersabee Dan usque. *Irrevocabilem*: quem nemo impedire possit.

6. (*d*) Jubet Prophetam non solum verbis, sed etiam actionibus vaticinari. *Contritio lumborum*, gemitus vehementes.

8. (*e*) Ob ea quæ audivi ex Deo. *Fluent aquis*, sudore præ metu. Vatablus.

9. (*f*) Præ dolore ingeminat: gladius est divina justitia in manu Nabuchodonosoris.

10. (*g*) Regnum Judæ subvertis o gladie! apostrophe ad gladium Nabuchodonosoris.

11. & 12. (*h*) Gladius. *Qui fugerant*: In Sedecia & principibus. *Probatus*, politus, aptus ut occidat; vel mihi probatus est.

14. (*i*) Ego plaudam manu, quasi fautor tuus. *Triplicetur*; ex Hieron. triplex Nabuchodonosoris adventus insinuatur; in primo subjecit sibi Joakimum, 4. Reg. 24. in secundo Jeconiam, qui & Joachimus dictus est, captivum abduxit; in tertio Sedeciam erutis oculis.

15. & 16. (*k*) Limati, vel parati ad cædem. *Vado*: Deus dat gladio Nabuchodonosoris optionem, ut eat quocumque voluerit. *Faciei tuæ*, aciei tuæ.

19. Et tu, fili hominis, pone (*l*) tibi duas vias, ut veniat gladius regis Babylonis: de terra una egredientur ambæ: & manu capiet conjecturam, in capite viæ civitatis conjiciet.

20. Viam pones ut veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon, & ad Judam in Jerusalem, munitissimam.

21. Stetit enim rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiscens (*m*) sagittas: interrogavit idola, exta consuluit.

22. Ad dexteram (*n*) ejus facta est divinatio super Jerusalem ut ponat arietes, ut aperiat os in cæde, ut elevet vocem in ululatu, ut ponat arietes contra portas, ut comportet aggerem, ut ædificet munitiones.

23. Eritque quasi consulens frustra (*o*) oraculum in oculis eorum, & sabbatorum otium imitans: ipse autem recordabitur iniquitatis ad capiendum.

24. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod recordati (*p*) estis iniquitatis vestræ, & revelastis prævaricationes vestras, & apparuerunt peccata vestra in omnibus cogitationibus vestris: pro eo, inquam, quod recordati estis, manu capiemini.

25. Tu autem profane (*q*), impie dux Israel, cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita:

26. Hæc dicit Dominus Deus: Aufer cidarim (*r*), tolle coronam: nonne hæc est, quæ humilem sublevavit, & sublimem humiliavit?

27. Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam: & hoc non factum est, donec veniret (*s*) cujus est judicium, & tradam ei.

28. Et tu fili hominis propheta, & dic: Hæc dicit Dominus Deus ad filios Ammon, & ad opprobrium (*t*) eorum, & dices: Mucro, mucro, evagina te ad occidendum, lima te ut interficias, & fulgeas,

29. Cum tibi viderentur vana, & divinarentur mendacia: ut dares super colla vulneratorum impiorum, quorum venit dies in tempore iniquitatis præfinita.

30. Revertere (*u*) ad vaginam tuam in loco, in quo creatus es, in terra nativitatis tuæ judicabo te.

31. Et effundam super te indignationem meam: in igne furoris mei sufflabo (*x*) in te, dabo que te in manus hominum insipientium, & fabricantium interitum.

32. Igni eris cibus, sanguis tuus erit in medio terræ, oblivioni traderis: quia ego Dominus locutus sum.

CAPUT XXII.

Enumerat scelera Jerosolymis perpetrata, tandem in scoriam versam esse, & combustioni proximam.

1. ET factum est verbum Domini ad me, dicens:

2. Et tu fili hominis, nonne judicas (*a*), nonne judicas civitatem sanguinum?

3. Et ostendes ei omnes abominationes suas, & dices: Hæc dicit Dominus Deus: Civitas effundens sanguinem in medio sui ut veniat tempus ejus: & quæ fecit idola contra semetipsam ut pollueretur.

4. In sanguine (*b*) tuo, qui a te effusus est, deliquisti, & in idolis tuis, quæ fecisti, polluta es: & appropinquare fecisti dies tuos, & adduxisti tempus annorum tuorum: propterea dedi te opprobrium Gentibus, & irrisionem universis terris.

5. Quæ juxta sunt, & quæ procul a te, triumphabunt de te: sordida, nobilis, grandis interitu.

6. Ecce principes Israel singuli (*c*) in brachio suo fuerunt in te, ad effundendum sanguinem.

7. Patrem & matrem contumeliis affecerunt in te, advenam calumniati sunt in medio tui, pupillum & viduam contristaverunt apud te.

8. Sanctuaria mea sprevisti, & sabbata mea polluisti.

9. Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem, & super montes comederunt in te, scelus operati sunt in medio tui.

10. Verecundiora (*d*) patris discooperuerunt in te, immunditiam menstruatæ humiliaverunt in te:

11. * Et unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem, & socer nurum suam polluit nefarie, frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te. * *Jer.* 5. 8.

12. Mu-

19 (*l*) Mente concipe; vel describe in tabula urbem Babylonem, & duas vias ex ea: *Conjecturam*, utram viam initurus sit: modum sortitionis exponit.

21. (*m*) In quibus nomina Jerusalem & Rabbath scripta erant: *Interrogavit idola, & consuluit exta*. quæ tria divinationis genera inter se contenserunt, ita Deo permittente & sortes moderante.

22. (*n*) Super Jerusalem sors cecidit; *Ut ponat arietes*, instrumenta bellica.

23. (*o*) Videbitur Judæis Nabuchodonosor frustra idola consuluisse, cum Deus sortes sic moderatus fuerit, ut Jerosolymæ obsidionem semper sortiretur: *Et sabbatorum*, videbitur illis nihil agere, & quasi operam perdere: *Recordabitur iniquitatis*, violati juramenti a Sedecia.

24. (*p*) Vatabl. ex Hebr. Eo quod in memoriam reduxistis iniquitatem vestram, jactastis iniquitates vestras.

25. (*q*) Hebr. *Polluto*, Sedecia nimirum. *In tempore iniquitatis*, cum iniquitas tua finem tibi regni afferet.

26. (*r*) *Cidaris* est insigne pontificis, corona, seu diadema regis: Hieron. *Hæc est cidaris, hæc corona, quæ nihil fecit judicio; sed quod volebat, exultabat*.

27. (*s*) Non enim plane extinctum est regnum, & sacerdotium Judæorum, donec veniret Christus: ad eum pertinet judicium. Hieron. *Ille est cui repositum est imperium, & sacerdotium sempiternum*. *Iniquitatem*, pœnam iniquitatis; *Et hoc non factum est*, non omnino delebitur hæc corona.

28. & 29. (*t*) Insultabant Ammonitæ Chaldæis, quod non ausi essent eos bello incessere, & Judæis, quod Deus eorum esset imbellis: sed utrumque opprobrium brevi præcidendum mucrone Chaldæorum prædicit. *Cum tibi viderentur vana*: divini tui responderunt gladium ad te non venturum: *Ut dareris*, ut traderent te gladio.

30. (*u*) O Rex Babylonis in terram tuam redi, ibi puniam te: *In terra nativitatis tuæ*, in qua nati estis, moriemini.

31. (*x*) O mucro in fornace accensa sufflabo in te: *Insipientium*, vestro quidem judicio, vel barbarorum, nempe Medorum & Persarum: *Fabricantium interitum*, crudelium.

2. (*a*) An cessas judicare & condemnare? Non quod muneri suo deesset Propheta; sed ut acrius reprehendat, & minetur, Deus urget. Tum ministros suos admonet, ut severe se gerant erga peccatores, priusquam a Deo puniantur: vel etiam: an forte caussam ages Jerusalem urbis sanguinum? ut cap. 20. CAPUT XXII.

4. & 5 (*b*) Propter humanum sanguinem, quem effudisti. *Interitu*: quæ multiplici genere mortis, gladio, fame, peste peribis; vel quæ cædibus es nobilitata

6. & 9. (*c*) Pro suis quique viribus. *Super montes*, ubi immolabant idolis.

10. (*d*) Filii cum matribus, aut novercis suis concubuerunt; sic honesta periphrasi incestus abominabilis exprimitur.

12. Munera acceperunt (*e*) apud te ad effundendum sanguinem: usuram & superabundantiam accepisti, & avare proximos tuos calumniabaris: meique oblita es, ait Dominus Deus.

13. Ecce complosi (*f*) manus meas super avaritiam tuam, quam fecisti; & super sanguinem, qui effusus est in medio tui.

14. Numquid sustinebit cor tuum, aut praevalebunt manus tuae, in diebus quos ego faciam tibi? ego Dominus locutus sum, & faciam.

15. Et dispergam te in nationes, & ventilabo te in terras, & deficere faciam immunditiam tuam a te.

16. Et possidebo (*g*) te in conspectu Gentium: & scies quia ego Dominus.

17. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

18. Fili hominis, versa est mihi domus Israel in scoriam: omnes isti aes, & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis: scoria argenti facti sunt.

19. Propterea haec dicit Dominus Deus: Eo quod versi estis omnes in scoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Jerusalem,

20. Congregatione argenti, & aeris, & stanni, & ferri, & plumbi in medio fornacis: ut succendam in ea ignem ad conflandum: sic congregabo in furore meo, & in ira mea, & requiescam: & conflabo (*h*) vos.

21. Et congregabo vos, & succendam vos in igne furoris mei, & conflabimini in medio ejus.

22. Ut conflatur argentum in medio fornacis, sic eritis in medio ejus: & scietis (*i*) quia ego Dominus, cum effuderim indignationem meam super vos.

23. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

24. Fili hominis, dic ei: Tu es terra immunda (*k*), & non compluta in die furoris.

25. Conjuratio prophetarum in medio ejus, sicut leo rugiens, rapiensque praedam, animas devoraverunt, opes & pretium acceperunt, viduas ejus multiplicaverunt in medio illius:

26. Sacerdotes ejus contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea: inter sanctum & profanum non habuerunt distantiam; & inter pollutum (*l*) & mundum non intellexerunt: & a sabbatis meis averterunt oculos suos, & coinquinabar in medio eorum.

27. * Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes praedam ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & avare ad sectanda lucra. * Mich. 3. 11. Sophon. 3. 3.

28. Prophetae autem ejus liniebant eos absque temperamento, videntes vana, & divinantes eis mendacium, dicentes: Haec dicit Dominus Deus, cum Dominus non sit locutus.

29. Populi terrae calumniabantur calumniam, & rapiebant violenter: egenum & pauperem affligebant, & advenam opprimebant calumnia absque judicio.

30. Et quaesivi (*m*) de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam: & non inveni:

31. Et effudi super eos indignationem meam, in igne irae meae consumpsi eos: viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus.

CAPUT XXIII.

Sub typo duarum meretricum Oollae & Oolibae, ac punitionis earum, ostendit Dominus quanta fuerit idololatria Samariae & Jerusalem.

1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis, duae mulieres (*a*) filiae matris unius fuerunt,

3. Et fornicatae sunt in Aegypto, in adolescentia sua fornicatae sunt: ibi subacta sunt ubera earum, & fractae sunt mammae pubertatis earum.

4. Nomina (*b*) autem earum, Oolla major, & Ooliba soror ejus minor: & habui eas, & pepererunt filios & filias. Porro earum nomina, Samaria Oolla, & Jerusalem Ooliba.

5. Fornicata est igitur super (*c*) me Oolla, & insanivit in amatores suos, in Assyrios propinquantes,

6. Vestitos hyacintho, principes, & magistratus juvenes cupidinis (*d*), universos equites, ascensores equorum.

7. Et dedit fornicationes suas super eos electos, filios Assyriorum universos: & in omnibus, in quos insanivit, in immunditiis eorum polluta est.

8. Insuper & fornicationes suas, quas habuerat in Aegypto (*e*), non reliquit: nam & illi dormierunt cum ea in adolescentia ejus, & illi confregerunt ubera pubertatis ejus, & effuderunt fornicationem suam super eam.

9. Pro-

12. (*e*) Judices, ut innocentem condemnarent. *Usuram*: Hieron. *Necessitatem pauperum vertere in lucrum.*

13. & 14. (*f*) Olim vel. Hieron. *Habitum irascentis assumpsi*: admiratus sum & dolui propter avaritiam tuam, & propter homicidia. *Sustinebit*; iram meam, ait seipsum ferre poterit?

16. (*g*) Deum vestrum & Dominum me esse ostendam; vel te mundatum e captivitate reducam.

20. (*h*) Ordo verborum inversus: Conflabo vos, tum requiescam. Cum ante purum argentum essetis, versi estis in scoriam: conjiciam vos in fornacem, ut purgemini.

22. (*i*) Hieron. *Et hoc totum faciam, ut postquam effudero indignationem meam super vos, finis vestri cruciatus, mei notitia sit.* Haec summa religionis vis, ut supremum Dei dominium in nos & creaturas agnoscentes, eum prae omnibus amemus & veneremur: cum cetera amari non debeant nisi in ordine ad Deum.

24. (*k*) Nondum suppliciis purgata. *Non compluta*, in quam Deus iratus pluviam non mittet.

26. (*l*) Inter sanctum & profanum. Quanto magis cavendum nobis est, ne similem sententiam audiamus, nos quibus non umbratica, sed vera sancta commissa sunt, corpus & sanguis Domini, discretio & judicium inter animam pollutam & non pollutam?

30 (*m*) Nempe de sacerdotibus, prophetis & principibus, contra quos loquitur Propheta: *Et non inveni*, qui exemplo suo aliis praeiret, & in viam reduceret.

CAPUT XXIII.

2. & 3. (*a*) Duo populi Juda, & Israel: quasi ex una matre duae natae sunt filiae, duo populi ex uno. *Ubera*: virginitatem perdiderunt.

4. (*b*) Samaria Oolla, seu tabernaculum idolorum. *Et Jerusalem Ooliba*, seu tabernaculum meum in ea: Samaria dicitur soror major ob multitudinem populi: nam regnum Samariae decem tribubus complectebatur, & quia prior fuit in fornicatione, seu in idololatria; in Samaria erat tabernaculum, non Dei, sed idolorum; in Jerusalem erat tabernaculum veri Dei.

5. (*c*) Contra me: *Et insanivit in amatores suos, in Assyrios propinquantes*: confoederatos; horum idola coluit.

6. & 7. (*d*) Venustos, aut electos. *Insanivit*: in idolis omnium populorum, quos adamavit, polluta est.

8. (*e*) Idololatriam, quam acceperat ex Aegypto, non dimisit: *Confregerunt ubera*, virginitatem: nam laxa & tacta signum sunt corruptionis. LXX. Subacta ubera, seu collapsa,

9. Propterea tradidi eam in manus amatorum suorum, in manus filiorum Assur, super quorum insanivit libidine.

* Sup. 16. 38. 10. * Ipsi discooperuerunt ignominiam ejus, filios & filias ejus tulerunt, & ipsam occiderunt gladio: & factæ sunt famosæ mulieres, & judicia perpetraverunt in ea.

11. Quod cum vidisset soror ejus Ooliba, plusquam illa insanivit libidine: & fornicationem suam super fornicationem sororis suæ.

12. Ad filios Assyriorum (f) præbuit impudenter, ducibus & magistratibus ad se venientibus, indutis veste varia, equitibus qui vectabantur equis, & adolescentibus forma cunctis egregia.

13. Et vidi quod polluta esset via una ambarum.

14. Et auxit fornicationes suas: cumque vidisset viros depictos (g) in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus,

15. Et accinctos balteis renes, & tiaras tinctas in capitibus eorum, formam ducum omnium, similitudinem filiorum Babylonis, terræque Chaldæorum, in qua orti sunt.

16. Insanivit super eos concupiscentia oculorum suorum, & misit nuntios ad eos in Chaldæam.

17. Cumque venissent ad eam filii Babylonis ad cubile mammarum (h), polluerunt eam stupris suis, & polluta est ab eis, & saturata est anima ejus ab illis.

18. Denudavit quoque fornicationes suas, & discooperuit ignominiam suam: & recessit anima mea ab ea, sicut recesserat anima mea a sorore ejus.

19. Multiplicavit enim fornicationes suas, recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in Terra Ægypti.

20. Et insanivit libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt ut carnes asinorum: & sicut fluxus equorum fluxus eorum.

21. Et visitasti (i) scelus adolescentiæ tuæ, quando subacta sunt in Ægypto ubera tua, & confractæ sunt mammæ pubertatis tuæ.

22. Propterea Ooliba, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te, de quibus satiata est anima tua: & congregabo eos adversum te in circuitu;

23. Filios Babylonis, & universos Chaldæos, nobiles tyrannosque & principes, omnes filios Assyriorum, juvenes forma egregia, duces & magistratus universos, principes principum, & nominatos ascensores equorum:

24. Et venient super te instructi curru & rota, multitudo populorum: lorica, & clypeo, & galea armabuntur contra te undique: & dabo coram eis judicium, & judicabunt te judiciis suis.

25. Et ponam zelum (k) meum in te, quem exercent tecum in furore: nasum tuum & aures tuas præcident: & quæ remanserint, gladio concident: ipsi filios tuos & filias tuas capient; & novissimum tuum devorabitur igni.

26. Et denudabunt te vestimentis tuis, & tollent vasa gloriæ tuæ.

27. Et requiescere faciam scelus tuum de te, & fornicationem tuam de Terra Ægypti: nec levabis oculos tuos ad eos, & Ægypti non recordaberis amplius.

28. Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego tradam te in manus eorum, quos odisti; in manus, de quibus satiata est anima tua.

29. Et agent tecum in odio, & tollent omnes labores tuos, & dimittent te nudam, & ignominia plenam, & revelabitur ignominia fornicationum tuarum, scelus tuum, & fornicationes tuæ.

30. Fecerunt hæc tibi, quia fornicata es post Gentes, inter quas polluta es in idolis earum.

31. In via sororis tuæ ambulasti, & dabo calicem ejus in manu tua.

32. Hæc dicit Dominus Deus: Calicem sororis tuæ bibes profundum (l), & latum: eris in derisum, & in subsannationem, quæ est capacissima.

33. Ebrietate & dolore repleberis: calice mœroris & tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ.

34. Et bibes illum, & epotabis usque ad fæces, & fragmenta (m) ejus devorabis, & ubera tua lacerabis: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.

35. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia oblita es mei, & projecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum, & fornicationes tuas.

36. Et ait Dominus ad me, dicens: Fili hominis, numquid judicas (n) Oollam, & Oolibam, & annuntias eis scelera earum?

37. Quia adulteratæ sunt, & sanguis in manibus earum, & cum idolis suis fornicatæ sunt: insuper & filios suos, quos genuerunt mihi obtulerunt eis ad devorandum.

38. Sed & hoc fecerunt mihi: Polluerunt sanctuarium (o) meum in die illa, & sabbata mea profanaverunt.

39. Cumque immolarent filios suos idolis suis, & ingrederentur sanctuarium meum in die illa, ut pollurent illud: etiam hæc fecerunt in medio domus meæ.

40. Miserunt ad viros venientes de longe, ad quos nuntium miserant: itaque ecce venerunt: quibus te lavisti, & circumlinisti stibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri.

41. Sedisti

12. & 13 (f) Hebr. Filios Assur adamavit. Una, similes utriusque mores.

14. (g) Nam lascivæ imagines animum provocant ad lasciviam: contra piæ imagines & pudicæ ad precationem & pudicitiam invitant. Unde in Ecclesiis arcendæ sunt imagines, in quibus Sancti, aut Sanctæ depinguntur amatorio habitu, & a cubiculis ipsis sunt amovendæ.

17. (h) Hebr. Amorum: templa infamia, quæ idolis constraverant; vel ad cubiculum amatorum: sic vocat delubra, ubi Judæi idolis immolabant.

21. (i) Renovasti veterem in Ægypto idololatriam tuam: vel fecisti ut visitarem, ut punirem.

25. 27. & 31. (k) Punitionem ex zelotypia ortam. *Levabis*, non amplius coles idola: quæ prophetia in Ecclesia impleta est. *Et calicem*, calix pro supplicio.

32. (l) *Profundum*, pœnarum magnitudine; *Latum*, diuturnitate captivitatis. *Quæ es capacissima*, quæ nunc frequentissime habitaris, jam eris in *derisum*: vel calix iste erit in derisum, quia multum vini capiet, & te inebriabit; vel ad calicem refertur, qui in Hebræo est feminini generis; idque secuntur interpres, ut sæpe alias.

34. (m) Ut ebrii, vel lambes & guttulas exhausto calice.

36. & 37 (n) Cum non judicas. *Genuerunt*, qui mei esse debuerunt; vel cruentas adhuc manus habent ex nece prophetarum & justorum.

38 (o) Cum idolum Baal in templo posuerunt.

41. Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te: thymiama meum, & unguentum meum posuisti super eam.

42. Et vox multitudinis exultantis erat in ea: & in viris, qui de multitudine hominum adducebantur, & veniebant de deserto, posuerunt armillas in manibus eorum (*p*), & coronas speciosas in capitibus eorum.

43. Et dixi ei, quæ attrita est in adulteriis: Nunc fornicabitur in fornicatione sua etiam hæc.

44. Et ingressi sunt ad eam quasi ad mulierem meretricem: sic ingrediebantur ad Oollam & Oolibam mulieres nefarias.

45. Viri ergo justi sunt: hi judicabunt eas judicio adulterarum, & judicio effundentium sanguinem: quia adulteræ sunt, & sanguis in manibus earum.

46. Hæc enim dicit Dominus Deus: Adduc ad eas multitudinem, & trade eas in tumultum, & in rapinam.

47. Et lapidentur lapidibus populorum, & confodiantur gladiis eorum: filios & filias earum interficient, & domos earum igne succendent.

48. Et auferam scelus de terra, & discent omnes mulieres ne faciant secundum scelus earum.

49. Et dabunt scelus vestrum super (*q*) vos, & peccata idolorum vestrorum portabitis: & scietis quia ego Dominus Deus.

CAPUT XXIV.

Obsidionem Jerusalem prædicit Ezechiel sub typo lebetis pleni carnibus igne consumendis. Interim moritur ejus uxor, quam vetat Deus plangere in signum futuri excidii.

1. ET factum est verbum Domini ad me, in anno nono (*a*), in mense decimo, decima die mensis, dicens:

2. Fili hominis scribe (*b*) tibi nomen diei hujus, in qua confirmatus est rex Babylonis adversum Jerusalem hodie.

3. Et dices per proverbium ad domum irritatricem parabolam, & loqueris ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Pone ollam (*c*): pone, inquam, & mitte in eam aquam.

4. Congere (*d*) frusta ejus in eam, omnem partem bonam, femur & armum, electa & ossibus plena.

5. Pinguissimum pecus assume, compone quoque strues ossium sub (*e*) ea: efferbuit coctio ejus, & discocta sunt ossa illius in medio ejus.

6. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Væ civitati sanguinum, ollæ, cujus rubigo (*f*) in ea est, & rubigo ejus non exivit de ea: per partes & per partes suas ejice eam, non cecidit super eam sors.

7. Sanguis enim ejus in medio ejus est, super limpidissimam petram (*g*) effudit illum: non effudit illum super terram ut possit operiri pulvere.

8. Ut superinducerem indignationem meam: & vindicta ulciscerer: dedi sanguinem ejus super petram limpidissimam, ne operiretur.

9. Propterea hæc dicit Dominus Deus: * Væ civitati sanguinum, cujus ego grandem faciam pyram. * Nah. 3. 1. Hab. 2. 12.

10. Congere ossa, quæ igne succendam: consumentur carnes, & coquetur universa compositio, & ossa tabescent.

11. Pone (*h*) quoque eam super prunas vacuam, ut incalescat, & liquefiat æs ejus: & confletur in medio ejus inquinamentum ejus, & consumatur rubigo ejus:

12. Multo labore sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem.

13. Immunditia tua execrabilis (*i*): quia mundare te volui, & non es mundata a sordibus tuis: sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te.

14. Ego Dominus locutus sum: Veniet, & faciam: non transeam, nec parcam, nec placabor: juxta vias tuas, & juxta adinventiones tuas judicabo te, dicit Dominus.

15. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

16. Fili hominis, ecce ego tollo a te desiderabile (*k*) oculorum tuorum in plaga: & non planges, neque plorabis, neque fluent lacrymæ tuæ.

17. Ingemisce tacens (*l*), mortuorum luctum non facies: corona tua circumligata sit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes.

18. Locutus sum ego ad populum mane, & mortua est uxor mea vespere: fecique mane sicut præceperat mihi.

19. Et dixit ad me populus: Quare non indicas nobis, quid ista significent, quæ tu facis?

20. Et dixi ad eos: Sermo Domini factus est ad me, dicens:

21. Lo-

42. & 45. (*p*) Hebr. Eorum, nempe Ooliæ, & Oolibæ, justi, ministri justitiæ meæ; vel justi videbuntur, si cum Judæis conferantur.

49. (*q*) Pœnas idololatriæ vestræ debitas de vobis sument.

CAPUT XXIV. 1. (*a*) Captivitatis Jechoniæ: aliis videtur esse annum 9. Sedeciæ, biennio ante captam Jerusalem.

2. (*b*) Nota hunc diem, quo Nabuchodonosor obsidebit Jerusalem. Tum erat Ezechiel Babylone; jubet Deus notari ipsummet diem.

3. (*c*) Parabolam hanc Propheta jubetur proponere, verbis & factis vaticinari, qua Jerusalem incendendam, cives frustatim concidendos & concremandos declarat: quæ vers. 6. & 10 exprimuntur.

4. (*d*) Quæ in eam conjici debent; lectissimum quemque civem in urbe trucidandum.

5. (*e*) In fundo ollæ pone principes. *Efferbuit*. Hebr. ebullire fac; *Discocta sunt ossa*: vim obsidionis insinuat, qua fortissimi quique erant consumendi.

6. (*f*) Olla, seu lebes Jerusalem repræsentat; quæ non potest nisi igne purgari: *Per partes & partes*, cives omnes ejecti: *Non cecidit super eam sors*, ut fieri solet, cum aliqui salvandi sunt: non sortito occidendi, aut ejiciendi, sed sine discrimine: Et *cunctis*, communis venit interitus.

7. & 10. (*g*) Non occulta, sed publica fuerunt homicidia. *Congere*: Hebr. *Multiplica ligna*, succende ignem.

11. (*h*) Seu civitatem, quæ incendio consumetur, postquam lebetis rubigo, quæ sordes & iniquitatem civium significat, consumpta fuerit.

13. (*i*) Adhuc hæret in te macula sceleris. *Volui*, voluntate signi & conditionata, non absoluta. *Indignationem*, donec exsaturavero iram meam.

16. (*k*) Uxorem: *In plaga*, subito interitu; *Non planges*, ne plangas.

17. (*l*) Ut nemo te audiat: *Corona tua*, fasciam intelligit, qua sacerdotes tiaram sacerdotalem ligabant; vel cæsariem ne tondeat, prohibetur. *Nec amictu ora velabis*; nec veste teges, ut pullati homines faciunt: hæc est alia parabola, qua significat tantam omnium fore perturbationem, ut nec suæ uxoris quisquam interitum lugeat.

21. Loquere domui Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperii vestri, & desiderabile oculorum vestrorum, & super quo pavet anima vestra: filii vestri & filiæ vestræ, quas reliquistis, gladio cadent.

22. Et facietis sicut feci: Ora amictu non velabitis, & cibos lugentium non comedetis.

23. Coronas habebitis in capitibus vestris, & calceamenta in pedibus: non plangetis, neque flebitis, sed tabescetis in iniquitatibus vestris, & unusquisque gemet ad fratrem suum.

24. Eritque Ezechiel vobis in portentum (*m*): juxta omnia quæ fecit, facietis cum venerit istud: & scietis quia ego Dominus Deus.

25. Et tu fili hominis, ecce in die, qua tollam ab eis fortitudinem eorum, & gaudium dignitatis, & desiderium oculorum eorum, super quo requiescunt animæ eorum, filios & filias eorum:

26. In die illa cum venerit fugiens ad te, ut annunciet tibi:

27. In die, inquam, illa aperietur os tuum cum eo qui fugit: & loqueris, & non silebis ultra: erisque eis in portentum, & scietis quia ego Dominus.

CAPUT XXV.

Regionibus Ammon, Moab, Idumææ, & Palæstinæ minatur Dominus exitium, quod filios Israel afflixerint, & de eorum calamitate læti fuerint.

1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis, pone faciem tuam contra filios Ammon, & prophetabis de eis.

* Jer. 27.3. & 48. 49. 3. * Et dices filiis Ammon: Audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod dixisti: Euge (*a*), euge super sanctuarium meum, quia pollutum est, & super terram Israel, quoniam desolata est: & super domum Juda, quoniam ducti sunt in captivitatem:

4. Idcirco ego tradam te filiis Orientalibus (*b*) in hæreditatem, & collocabunt caulas suas in te, & ponent in te tentoria sua: ipsi comedent fruges tuas: & ipsi bibent lac tuum.

5. Daboque Rabbath (*c*) in habitaculum camelorum, & filios Ammon in cubile pecorum: & scietis quia ego Dominus.

6. Quia hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gavisa es ex toto affectu super terram Israel:

7. Idcirco ecce ego extendam manum meam super te, & tradam te in direptionem Gentium, & interficiam te de populis, & perdam de terris, & conteram: & scies quia ego Dominus.

8. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod dixerunt Moab, & Seir: Ecce sicut omnes Gentes, domus Juda:

9. Idcirco ecce ego aperiam (*d*) humerum Moab de civitatibus, de civitatibus, inquam, ejus, & de finibus ejus inclytas terræ Bethjesimoth & Beelmon & Carjathaim,

10. Filiis Orientis cum filiis Ammon, & dabo eam in hæreditatem: ut non sit ultra memoria filiorum Ammon in Gentibus.

11. Et in Moab faciam judicia: & scient quia ego Dominus.

12. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod fecit Idumæa ultionem (*e*) ut se vindicaret de filiis Juda, peccavitque delinquens, & vindictam expetivit de eis:

13. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Extendam manum meam super Idumæam, & auferam de ea hominem, & jumentum, & faciam eam desertam ab Austro (*f*): & qui sunt in Dedan, gladio cadent.

14. Et dabo ultionem meam super Idumæam per manum populi mei Israel: & facient in Edom juxta iram meam, & furorem meum: & scient vindictam meam, dicit Dominus Deus.

15. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod fecerunt Palæstini vindictam, & ulti se sunt toto animo, interficientes, & implentes inimicitias veteres:

16. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego extendam manum meam super Palæstinos, & interficiam interfectores, & perdam reliquias maritimæ regionis.

17. Faciamque in eis ultiones magnas arguens in furore: & scient quia ego Dominus, cum dedero vindictam meam super eos.

CAPUT XXVI.

Tyri inclytæ urbis prædicit Dominus eversionem, quod super vastatione Jerusalem exultaverit.

1. ET factum est in undecimo anno, prima mensis, factus est sermo Domini ad me, dicens

2. Fili hominis, pro eo quod dixit Tyrus de Jerusalem: Euge confractæ sunt portæ populorum (*a*), conversa est ad me: implebor, deserta est.

3. Pro-

24. (*m*) Adeo ingens futura est clades, urbis incendium & templi, ut ad ea quæ sibi sunt propriora, homines animum non attendant.

CAPUT XXV. 3. (*a*) Hinc liquet quam grave sit peccatum lætari de malis alienis, vel ex vindictæ cupiditate, vel ex malevolentia: cum vero in Scriptura dicitur *justus lætari cum viderit vindictam*, commendatur ordo divinæ justitiæ, quæ non patitur ut impietas maneat impunita.

4. (*b*) Vel Chaldæis, vel Arabibus, qui greges suos & camelos secum agebant.

5. (*c*) Quæ postea Philadelphia est nuncupata a rege Ægypti Ptolemæo Philadelpho.

9. (*d*) Aditum faciam ad munitiora loca, ut hostibus pateant.

12. (*e*) Nam Idumæi fugientes Judæos occidebant, ex Abdia propheta.

13. & 14. (*f*) Hebr. *Theman*, eadem vox *Austrum* significat; a Theman, quæ est in Idumæa ad Austrum, usque ad Dedan; sic tota Idumæa vastanda. *Manum*, an per Machabæos?

CAPUT XXVI. 2. & 3. (*a*) Populos vocat cives Jerosolymæ. *Conversa est*, ejus opibus implebor. *Propterea*; præter literalem, allegoricum etiam sensum de civitate diaboli destruenda intelligere debemus, cum in perpetuum destruendam Tyrum dicat, quæ postea tamen est reædificata, cum Isaiæ, c. 23. 15. de ea dictum sit, *In oblivione eris, o Tyre, septuaginta annis*. Iisdem verbis utitur Joannes in Apocalypsi adversus Babylonem spiritualem; ac postremo quæ in sequentibus adversus principem Tyri subjiciuntur, proprie ad principem tenebrarum pertinent. Sed juxta *Hieronym.* licet civitas ipsa iterum ædificata fuerit, summo tamen imperio omnino excidit: nam Chaldæis, Græcis, & Romanis subjecta fuit.

3. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego super te Tyre, & ascendere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans.

4. Et dissipabunt muros Tyri, & destruent turres ejus: & radam pulverem (*b*) ejus de ea, & dabo eam in limpidissimam petram.

5. Siccatio sagenarum erit in medio maris, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus: & erit in direptionem Gentibus.

6. Filiæ quoque ejus, quæ sunt in agro, gladio interficientur: & scient quia ego Dominus.

7. Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab Aquilone, regem regum, cum equis, & curribus, & equitibus, & cœtu, populoque magno.

8. Filias tuas, quæ sunt in agro, gladio interficiet: & circumdabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro: & elevabit contra te clypeum.

9. Et vineas & arietes temperabit in muros tuos, & turres tuas destruet in armatura sua.

10. Inundatione equorum ejus operiet te pulvis eorum: a sonitu equitum, & rotarum, & curruum movebuntur muri tui, cum ingressus fuerit portas tuas quasi per introitum urbis dissipatæ.

11. Ungulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas: populum tuum gladio cædet, & statuæ tuæ nobiles in terram corruent.

12. Vastabunt opes tuas, diripient negotiationes tuas: & destruent muros tuos, & domos tuas præclaras subvertent: & lapides tuos, & ligna tua, & pulverem tuum in medio aquarum ponent.

* Jer. 7. 34. 13. * Et quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum, & sonitus cithararum tuarum non audietur amplius.

14. Et dabo te in limpidissimam petram, siccatio sagenarum eris, nec ædificaberis (*c*) ultra: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.

15. Hæc dicit Dominus Deus Tyro: Numquid non a sonitu ruinæ tuæ, & gemitu interfectorum tuorum, cum occisi fuerint in medio tui, commovebuntur insulæ?

16. Et descendent de sedibus suis omnes principes maris: & auferent exuvias suas, & vestimenta sua varia abjicient, & induentur stupore: in terra sedebunt, & attoniti super repentino casu tuo admirabuntur.

17. Et assumentes super te lamentum, dicent tibi: Quomodo periisti, quæ habitas in mari, urbs inclyta, quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis, quos formidabant universi?

18. Nunc stupebunt naves in die pavoris tui: & turbabuntur insulæ in mari, eo quod nullus egrediatur ex te.

19. Quia hæc dicit Dominus Deus: Cum dedero te urbem desolatam, sicut civitates, quæ non habitantur: & adduxero super te abyssum (*d*), & operuerint te aquæ multæ:

20. Et detraxero te cum his, qui descendunt in lacum ad populum sempiternum (*e*), & collocavero te in terra novissima sicut solitudines veteres, cum his qui deducuntur in lacum, ut non habiteris, porro cum dedero gloriam in terra viventium,

21. In nihilum redigam te, & non eris, & requisita non invenieris ultra in sempiternum, dicit Dominus Deus.

CAPUT XXVII.

Tyri urbis maritimæ ac opulentissimæ ruina defletur, enarratis mercibus, quæ undequaque ad eam deferri solent.

1. ET factum est verbum Domini ad me, dicens:

2. Tu ergo fili hominis assume super Tyrum lamentum:

3. Et dices (*a*) Tyro, quæ habitat in introitu maris, negotiationi populorum ad insulas multas: Hæc dicit Dominus Deus: O Tyre, tu dixisti: Perfecti decoris ego sum,

4. Et in corde maris sita. Finitimi tui, qui te ædificaverunt, impleverunt decorem tuum.

5. Abietibus de Sanir (*b*) extruxerunt te cum omnibus tabulatis maris: cedrum de Libano tulerunt ut facerent tibi malum.

6. Quercus de Basan (*c*) dolaverunt in remos tuos: & transtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico, & prætoriola de Insulis Italiæ.

7. Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum ut poneretur in malo: hyacinthus & purpura de insulis Elisa (*d*) facta sunt operimentum tuum.

8. Habitatores Sidonis & Aradii (*e*) fuerunt remiges tui: sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui.

9. Senes Giblii (*f*), & prudentes ejus habuerunt nautas ad ministerium variæ supellectilis tuæ: omnes naves maris, & nautæ earum fuerunt in populo negotiationis tuæ.

10. Per-

4. 5. & 6. (*b*) Hyperbole. *Sagenarum*, piscatores in ea retia siccabunt. *Filiæ*, oppida ei subjecta.

14. (*c*) Potest intelligi, nisi post longum temporis spatium, nec forte eodem in loco. Vox Hebræa *Hod*, עד uti & Græca, ex Hieronymo unum significat seculum, αἰών, id est, humanæ tempus ætatis.

CAPUT XXVII. 19. (*d*) Hebr. voraginem, seu Chaldæorum copias innumerabiles.

20 (*e*) Ad eos qui mortui sunt a multis seculis in perpetuum, seu ad extremum mundi finem: *In terra novissima*, in sepulcro: *In terra viventium*: cum gloriam meam restituero in Judæa, ubi Deus verus colitur.

CAPUT XXVIII. 3. & 4. (*a*) Notat superbiam Tyri: *Ad insulas multas*, quæ cum populis negotiatur usque ad insulas remotissimas. Hieronym. Habitat igitur Tyrus in introitu maris; vel quod prius insula fuit, vel quod portu tutissimo de alto venientes recipit naves. *Maris*, quo ex omni loco maris appellitur.

5. (*b*) Seu Hermon: sub figura navis Tyrum describit: *Cum omnibus tabulatis maris*: Hebr. *Omnes tuas tabulas* s utrumque ordinem tabulatum, ut fit in navibus, omnes domorum tuarum tabulæ erant ex abiete. *Ut facerent tibi malum*: Hieron. Loquitur quasi ad navem τροπικῶς, urbis significans pulcritudinem, & rerum omnium abundantiam.

6. (*c*) Regio erat in tribu Manasse. *Prætoriola*, cellulæ navis. LXX. *domos silvestres* vertunt: *De insulis Italiæ*, de transmarinis regionibus agere videtur.

7. (*d*) Græcia, alii Italiam vertunt. Hieron. Jonii maris sic appellant insulas. *Texta est tibi in velum*, aulæa.

8. (*e*) Aradus insula Tyri vicina. Sidonii & Aradii olim tibi pares, jam tui remiges sunt & servi. Sic dicta est a nono filio Chanaan.

9. 11. & 12. (*f*) Gr. Biblii, incolæ Gebal, urbs erat Phœniciæ: hujus incolæ erant periti fabri lignarii. *Pygmæi*, LXX. custodes. *Carthaginenses*: Hebr. *Tharsis* negotiatrix tua. *A multitudine*, piæ multitudine divitiarum.

10. Persæ, & Lydii, & Lybes erant in exercitu tuo viri bellatores tui: clypeum & galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo.

11. Filii Aradii cum exercitu tuo erant super muros tuos in circuitu: sed & Pigmei, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum: ipsi compleverunt pulcritudinem tuam.

12. Carthaginenses negotiatores tui, a multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, stanno, plumboque repleverunt nundinas tuas.

13. Græcia (*g*), Thubal, & Mosoch, ipsi institores tui, mancipia, & vasa ærea advexerunt populo tuo.

14. De domo Thogorma (*h*), equos, & equites, & mulos adduxerunt ad forum tuum.

15. Filii Dedan (*i*) negotiatores tui: insulæ multæ negotiatio manus tuæ: dentes eburneos & hebeninos commutaverunt in pretio tuo.

16. Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum (*k*) tuorum, gemmam, & purpuram, & scutulata, & byssum, & sericum, & chodchod proposuerunt in mercatu tuo.

17. Juda & terra Israel ipsi institores tui in frumento (*l*) primo, balsamum, & mel, & oleum, & resinam proposuerunt in nundinis tuis.

18. Damascenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diversarum opum, in vino pingui, in lanis coloris optimi.

19. Dan, & Græcia, & Mosel (*m*), in nundinis tuis proposuerunt ferrum fabrefactum: stacte & calamus in negotiatione tua.

20. Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum (*n*).

21. Arabia, & universi principes Cedar, ipsi negotiatores manus tuæ: cum agnis, & arietibus, & hœdis venerunt ad te negotiatores tui.

22. Venditores Saba & Reema, ipsi negotiatores tui: cum universis primis aromatibus, & lapide pretioso, & auro quod proposuerunt in mercatu tuo.

23. Haran (*o*), & Chene, & Eden negotiatores tui; Saba, Assur, & Chelmad venditores tui.

24. Ipsi negotiatores tui multifariam involucris hyacinthi, & polimitorum, gazarumque pretiosarum, quæ obvolutæ & astrictæ erant funibus: cedros quoque habebant in negotiationibus tuis.

25. Naves maris (*p*), principes tui in negotiatione tua: & repleta es, & glorificata nimis in corde maris.

26. In aquis multis adduxerunt te remiges tui: ventus auster contrivit (*q*) te in corde maris.

27. Divitiæ tuæ, & thesauri tui, & multiplex instrumentum tuum, nautæ tui, & gubernatores tui, qui tenebant supellectilem tuam, & populo tuo præerant: viri quoque bellatores tui, qui erant in te, cum universa multitudine tua, quæ est in medio tui: cadent in corde maris in die ruinæ tuæ.

28. A sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes:

29. Et descendent de navibus suis omnes, qui tenebant remum: nautæ & universi gubernatores maris in terra stabunt:

30. Et ejulabunt super te voce magna, & clamabunt amare: & superjacient pulverem capitibus suis, & cinere conspergentur.

31. Et radent super te calvitium, & accingentur ciliciis: & plorabunt te in amaritudine animæ ploratu amarissimo.

32. Et assument super te carmen lugubre, & plangent te: Quæ est ut Tyrus, quæ obmutuit in medio maris?

33. Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari (*r*) implesti populos multos: in multitudine divitiarum tuarum, & populorum tuorum ditasti reges terræ.

34. Nunc contrita es a mari, in profundis aquarum opes tuæ, & omnis multitudo tua, quæ erat in medio tui, ceciderunt.

35. Universi habitatores insularum obstupuerunt super te: & reges earum omnes tempestate perculsi mutaverunt vultus.

36. Negotiatores populorum sibilaverunt super te: ad nihilum deducta es, & non eris usque in perpetuum.

CAPUT XXVIII.

Excidium Tyri, & vastatio Sidonis, ac reditus filiorum Israel in terram suam, vastatis eorum inimicis prænuntiantur.

1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis, dic principi Tyri: Hæc dicit Dominus Deus: Eo quod elevatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris: cum sis homo, & non Deus, & dedisti cor tuum quasi cor Dei:

3. Ecce sapientior es tu Daniele (*a*): omne secretum non est absconditum a te.

4. In

13. (*g*) Hebr. *Javan*, יון, seu Jonia: *Thubal*, Hispani; *Mosoch*. Cappadocum metropolis ab *Augusto* Cæsarea dicta; Hieron. *Quæ usque hodie Mazaca dicitur*, a filio Japheth, uti & Thubal.

14 (*h*) Vatabl. Germanos, alii ut Hieron. Phrygiam interpretantur.

15. (*i*) Idumæi, ex cap. superiori: *Dentes hebeninos*, frustra ligni pretiosi, quale est hebenum.

16. (*k*) Ut emerent quæ apud te fiebant. *Scutulata*, vestes acu pictas: *Chodchod*, כדכד, vestes sunt quælibet pretiosæ. Hieron. alibi jaspidem vertit.

17. (*l*) Frumenta exposuerunt in nundinis tuis. Hebraismus.

19. (*m*) Urbs in finibus Israel ad Aquilonem, uti & Dan: *Ferrum fabrefactum*, in laminas ductum, vel chalybem.

20. & 22. (*n*) Chald. ad ornandos equos. *Saba*, in Arabia Felici.

23. (*o*) Charæ Parthorum: *Chelmad*, Medorum provincia. *Eden*, in Babylonia, ad confluentem Tygris & Euphratis, ubi paradisus terrestris juxta Hieronymum.

25. (*p*) Hebr. Tharsis: *Principes*, seu præcipui. Hieron. *Primum est crimen Tyri, si quid videtur habere boni, non Dei putare, sed suum, & omnem pulcritudinem, quæ illi de diversis venit regionibus, propria æstimare diligentiæ & virtutis*. Et infra: *Nihil tibi defuit, quod ad divitias pertinet insularum. Quæ tamen glorificatio fuit aggravatio possidentis, dum non potes moderate ferre divitias.*

26. (*q*) Conteret te. Hebr. Ventus orientalis, qui omnia exurit.

33. & 36. (*r*) Vectigalibus: *Perpetuum*, in pristinum splendorem non restitueris. Nam ex Isaia post LXX. annos erat instauranda.

3. (*a*) Sept. Interpr. Numquid tu es sapientior Daniele? ex quo liquet sapientiam Danielis jam tum fuisse celebratam in Chaldæa; vel etiam si esses sapientior Daniele. *Omne secretum*, an nosti omne secretum? CAPUT XXVIII.

4. In sapientia & prudentia tua fecisti tibi fortitudinem: & acquisisti aurum & argentum in thesauris tuis.

5. In multitudine sapientiæ tuæ, & in negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem: & elevatum est cor tuum in robore tuo.

6. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Eo quod elevatum est cor tuum quasi cor Dei:

7. Idcirco ecce ego adducam super te alienos, robustissimos Gentium: & nudabunt gladios suos super pulcritudinem sapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum.

8. Interficient & detrahent te: & morieris in interitu occisorum in corde maris.

9. Numquid dicens loqueris: Deus ego sum, coram interficientibus te: cum sis homo, & non Deus, in manu occidentium te?

10. Morte (*b*) incircumcisorum morieris in manu alienorum: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.

11. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, leva planctum super regem Tyri:

12. Et dices ei: Hæc dicit Dominus Deus: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore,

13. In deliciis paradisi (*c*) Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, & jaspis, chrysolithus, & onyx, & berillus, sapphirus, & carbunculus, & smaragdus: aurum opus decoris tui: & foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt.

14. Tu Cherub (*d*) extentus, & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti.

15. Perfectus (*e*) in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.

16. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti: & ejeci te de monte Dei, & perdidi te, o Cherub protegens, de medio lapidum ignitorum.

17. Et elevatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram projeci te: ante faciem regum dedi te ut cernerent te.

18. In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuæ, polluisti sanctificationem (*f*) tuam: producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, & dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te.

19. Omnes, qui viderint te in Gentibus, obstupescent super te: nihil factus es, & non eris in perpetuum.

20. Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

21. Fili hominis, pone faciem tuam contra Sidonem: & prophetabis de ea,

22. Et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Sidon, & glorificabor in medio tui: & scient quia ego Dominus, cum fecero in ea judicia, & sanctificatus (*g*) fuero in ea.

23. Et immittam ei pestilentiam, & sanguinem in plateis ejus: & corruent interfecti in medio ejus gladio per circuitum: & scient quia ego Dominus.

24. Et non erit ultra domui Israel offendiculum amaritudinis, & spina (*h*) dolorem inferens undique per circuitum eorum, qui adversantur eis: & scient quia ego Dominus Deus.

25. Hæc dicit Dominus Deus: Quando congregavero domum Israel de populis, in quibus dispersi sunt, sanctificabor in eis coram Gentibus: & habitabunt in terra sua, quam dedi servo meo Jacob.

26. Et habitabunt in ea securi: & ædificabunt domos, & plantabunt vineas, & habitabunt confidenter, cum fecero judicia in omnibus, qui adversantur eis per circuitum: & scient quia ego Dominus Deus eorum.

CAPUT XXIX.

Adversus regem Ægypti vaticinantur, regnum ejus in solitudinem redigendum, post quadraginta tamen annos revocandum.

1. IN anno decimo, decimo mense, undecima die mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis pone faciem tuam contra Pharaonem regem Ægypti, & prophetabis de eo, & de Ægypto universa:

3. Loquere, & dices: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: Meus (*a*) est fluvius, & ego feci memetipsum.

4. Et ponam frænum (*b*) in maxillis tuis: & agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis: & extraham te de medio fluminum tuorum, & universi pisces tui squamis tuis adhærebunt.

5. Et

10. & 12. (*b*) Crudeli morte a barbaris illata. *Signaculum*; in te divinæ potentiæ & gloriæ quasi sigillo expressa est imago.

13. (*c*) Hebr. *In horto Eden*, seu in loco amœnissimo. *Et foramina tua*; Hebr. *Opus tympanorum tuorum, & tibiarum præparatum est, in die quo natus es*. Hieron. aurum tympanum vocat, in quo infixi sunt lapides, seu gemmæ.

14. (*d*) In fine terræ Chanaan, ut populos tibi subditos quasi Cherub protegeres. Quæ quidem ad principem tenebrarum allegorico sensu & præcipue intento referuntur, qui conditus est donis naturæ & gratiæ ornatus: *In medio lapidum ignitorum*, inter gemmas, quæ instar ignis collucent.

15. (*e*) Tertull. lib. 2. contra Marcionem cap. 10. *Quæ ad sugillationem, Angeli, non illius principis, proprie pertinere manifestum est*: cui concinit Hieronym. *Quo sermone demonstrant nequaquam hominem, de quo scribitur; sed contrariam fortitudinem, quæ quondam in paradiso Dei commorata sit. Quid habuerit, ostendit, quidve perdiderit*. De calamitate ventura loquitur, post tantam gloriam. Ex iis colligi videtur prævaricatores Angelos aliquamdiu in justitia stetisse. *In deliciis paradisi*, quæ deliciæ sine justitia esse non possunt: *Perfectus in viis tuis*, ergo ab initio injustitia in eo non fuit: nam justitia & iniquitas ordinem temporis exigunt.

18. (*f*) Hieron. *Quem habuerat, quando habitabat in monte, & conversabatur in medio ignitorum lapidum*.

22. (*g*) Hebr. *Cum sanctificavero me*, id est, cum me sanctum & justum judicem ostendero, Hieron. *Sanctificatio autem Dei est pœna peccantium*.

24. & 25. (*h*) Rex Sidonis regi Juda plerumque adversabatur. *Congregavero*, post solutam Israelis captivitatem.

3. (*a*) Per synecdochen, mea est Ægyptus, & mea prudentia hanc acquisivi: *Et ego feci memetipsum*, regem: Hebr. *Et ego feci mihi*, nimpe flumen illud; si Ægyptum totam draconem vocat, seu crocodilum in Nilo sequentem, & draconi similem; vel quia antiqui serpentis, seu dæmonis figuram exhibet. *Qui cubas*: unde inaccessum regnum suum putabat. Hinc Pharao cognomento *Apries* persuasum habebat, *quod nullus hominum, vel deorum posset sibi regnum adimere, quod ita stabilivisset*, ait Herodotus lib. 2. Draconem etiam vocat Pharaonem, quia vicinas gentes devorabat. *Memetipsum*: mihi feci rivulos ad irrigandam Ægyptum. CAPUT XXIX.

4. & 6. (*b*) Hebr. *Chachim*, חחים, hamos: *In maxillis tuis*, regem Chaldæorum. *Et agglutinabo*, una cum subditis sibi adstrictis extrahet ex aquis principes tuos, & cives tuos. *Arundineus*, vana spe lactasti populum Israel.

5. Et projiciam te in desertum, & omnes pisces fluminis tui: super faciem terræ cades, non colligeris, neque congregaberis: bestiis terræ & volatilibus cæli dedi te ad devorandum:

6. Et scient omnes habitatores Ægypti quia
* Isa. 36. 6. ego Dominus: * pro eo quod fuisti baculus arundineus domui Israel.

7. Quando apprehenderunt te manu, & confractus es, & lacerasti omnem humerum eorum: & innitentibus eis super te, comminutus es, & dissolvisti omnes renes eorum.

8. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam super te gladium: & interficiam de te hominem, & jumentum.

9. Et erit Terra Ægypti in desertum, & in solitudinem: & scient quia ego Dominus: pro eo quod dixeris: Fluvius meus est: & ego feci eum.

10. Idcirco ecce ego ad te, & ad flumina tua: daboque Terram Ægypti in solitudines, gladio dissipatam, a turre Syenes (c), usque ad terminos Æthiopiæ.

11. Non pertransibit eam pes hominis, neque pes jumenti gradietur in ea: & non habitabitur quadraginta annis.

12. Daboque Terram Ægypti desertam (d) in medio terrarum desertarum, & civitates ejus in medio urbium subversarum, & erunt desolatæ quadraginta annis: & dispergam Ægyptios in nationes, & ventilabo eos in terras.

13. Quia hæc dicit Dominus Deus: Post finem quadraginta annorum congregabo Ægyptum de populis, in quibus dispersi fuerant.

14. Et reducam captivitatem Ægypti, & collocabo eos in terra Phatures (e), in terra nativitatis suæ: & erunt ibi in regnum humile:

15. Inter cetera regna erit humillima, & non elevabitur ultra super nationes, & imminuam eos ne imperent Gentibus.

16. Neque erunt ultra domui Israel in confidentia, docentes iniquitatem, ut fugiant, & sequantur eos: & scient quia ego Dominus Deus.

17. Et factum (f) est in vigesimo & septimo anno, in primo, in una mensis: factum est verbum Domini ad me, dicens:

18. Fili hominis: Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum: omne caput decalvatum, & omnis humerus depilatus est: & merces non est reddita ei, neque exercitui ejus, de Tyro pro servitute qua servivit mihi adversus eam (g).

19. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in Terra Ægypti: * & accipiet multitudinem * Jer. 46. 2.
ejus, & deprædabitur manubias ejus, & diripiet spolia ejus: & erit merces exercitui illius.

20. Et operi, quo servivit adversus eam: dedi ei Terram Ægypti, pro eo quod laboraverit (h) mihi, ait Dominus Deus.

21. In die illo pullulabit cornu (i) domui Israel, & tibi dabo apertum os in medio eorum: & scient quia ego Dominus.

CAPUT XXX.

Omnes Ægypti urbes a rege Babylonis diripientur.

1. ET factum est verbum Domini ad me, dicens: Jer. 43. & 44. & 46.

2. Fili hominis propheta, & dic: dicit Dominus Deus: Ululate, væ, væ diei:

3. Quia juxta est dies, & appropinquat dies Domini: dies nubis, tempus Gentium erit.

4. Et veniet gladius in Ægyptum: & erit pavor in Æthiopia, cum ceciderint vulnerati in Ægypto, & ablata fuerit multitudo illius, & destructa fundamenta ejus.

5. Æthiopia, & Lybia, & Lydi (a), & omne reliquum vulgus, & Chub, & filii terræ fœderis, cum eis gladio cadent.

6. Hæc dicit Dominus Deus: Et corruent fulcientes Ægyptum, & destruetur superbia imperii ejus: a turre Syenes gladio cadent in ea, ait Dominus Deus exercituum.

7. Et dissipabuntur in medio terrarum desolatarum, & urbes ejus in medio civitatum desertarum erunt.

8. Et scient quia ego Dominus: cum dedero ignem in Ægypto, & attriti fuerint omnes auxiliatores ejus.

9. In die illa egredientur nuntii (b) a facie mea in trieribus, ad conterendam Æthiopiæ confidentiam: & erit pavor in eis in die Ægypti, quia absque dubio veniet.

10. Hæc dicit Dominus Deus: Cessare faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonosor regis Babylonis.

11. Ipse & populus ejus cum eo, fortissimi Gentium adducentur ad disperdendam terram: & evaginabunt gladios suos super Ægyptum: & implebunt terram interfectis.

12. Et

10. (c) Inter mare rubrum & Nilum, usque ad Æthiopiam, ab initio ad finem usque. Hieron. *Turris autem Syene usque hodie permanet, castrum ditioni Romanæ subditum, ubi sunt Nili cataractæ, & usque ad quem locum de nostro mari Nilus navigabilis est.*

12. (d) Similem aliis terris desertis, 40 *annis*. Quæ ut multa alia per anxesim, seu exaggerationem videntur intelligenda. Post 30 annos certum est Ægyptum refloruisse.

14. (e) In parte meridionali Ægypti, seu in Thebaide, longissime a Chaldæis.

17. (f) Transit Propheta a decimo anno ad 27. Nabuchodonosoris, quod hæc ad idem regnum pertineant: vel ut aliis placet, ad vigesimum septimum annum a captivitate Jechoniæ, aut Joachin, qui annus est tricesimus septimus Nabuchodonosoris, tum Ægyptus vastata, & Monarchia Nabuchodonosoris incipit, & post biennium Danielis prophetia.

18. (g) Adversus Tyrum. *Depilatus est*, exercitus Nabuchodonosoris valde defatigatus est in expugnatione Tyri.

20. (h) Nabuchodonosor cum diu oppugnasset Tyrum, & continua onerum gestatione, quidquid erat inter urbem & continentem, oppleisset lapidibus, adeo ut militibus tot onerum gestatione, *omnis humerus depilatus esset*, & attritus; Tyrii desperata salute conscensis navibus pretiosiora quæque Carthaginem & ad insulas Jonii maris comportarunt, domos regi Chaldæorum, & inanem urbem pro spoliis relinquentes: sed hoc damnum Deus spoliis Ægypti resarcivit: Hieron. ex antiquis historiis Assyriorum.

21. (i) Hieron. Vaticinium tuum nequaquam ex dubia promissione pendebit, sed cernetur opere perpetratum. *Cornu*, robur & regnum designat.

CAPUT XXX.

5. & 7. (a) Urbs Lyda in Palæstina, vicina Ægypto, ubi Petrus Æneam paralyticum sanavit. *Et Chub*, Chubit in Mareotide apud Ptolomæum. *Et filii terræ fœderis*, Judæi, qui in Ægyptum se receperant, vel omnes, qui cum Ægypto erant confœderati. *In medio*, ut aliæ terræ desertæ.

9. (b) Qui per Nilum in navibus vecti nuntient Æthiopiæ Ægypto subjectæ cladem, eique terrorem injiciant. *In trieribus*: vox Græca τριήρης, triremem significat.

12. Et faciam (*c*) alveos fluminum aridos, & tradam terram in manus pessimorum: & dissipabo terram, & plenitudinem ejus manu alienorum, ego Dominus locutus sum.

* Zach. 13. 2. 13. * Hæc dicit Dominus Deus: & disperdam simulacra (*d*), & cessare faciam idola de Memphis: & dux de Terra Ægypti non erit amplius: & dabo terrorem in Terra Ægypti.

14. Et disperdam terram Phathures, & dabo ignem in Taphnis, & faciam judicia in Alexandria (*e*).

15. Et effundam indignationem meam super Pelusium robur Ægypti, & interficiam multitudinem Alexandriæ,

16. Et dabo ignem in Ægypto: quasi parturiens dolebit Pelusium, & Alexandria erit dissipata, & in Memphis angustiæ quotidianæ.

17. Juvenes Heliopoleos, & Bubasti (*f*) gladio cadent, & ipsæ captivæ ducentur.

18. Et in Taphnis nigrescet dies, cum contrivero ibi sceptra Ægypti, & defecerit in ea superbia potentiæ ejus: ipsam nubes operiet: filiæ autem ejus in captivitatem ducentur.

19. Et judicia faciam in Ægypto: & scient quia ego Dominus.

20. Et factum est in undecimo (*g*) anno, in primo mense, in septima mensis, factum est verbum Domini ad me dicens:

21. Fili hominis brachium Pharaonis regis Ægypti confregi: & ecce non est obvolutum ut restitueretur ei sanitas, ut ligaretur pannis, & fasciaretur linteolis, ut recepto robore posset tenere gladium.

22. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad Pharaonem regem Ægypti, & comminuam brachium ejus forte, sed confractum, & dejiciam gladium de manu ejus:

23. Et dispergam Ægyptum in Gentibus, & ventilabo eos in terris.

24. Et confortabo brachia regis Babylonis, daboque gladium meum in manu ejus: & confringam brachia Pharaonis, & gement gemitibus interfecti coram facie ejus.

25. Et confortabo brachia regis Babylonis, & brachia Pharaonis concident: & scient quia ego Dominus, cum dedero gladium meum in manu regis Babylonis, & extenderit eum super Terram Ægypti.

26. Et dispergam Ægyptum in nationes, & ventilabo eos in terras, & scient quia ego Dominus.

CAPUT XXXI.

Utriusque regis Assyriorum & Ægyptiorum varii status sub Cedri parabola describuntur.

1. ET factum est in anno undecimo, tertio mense, una mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis dic Pharaoni regi Ægypti, & populo ejus: Cui similis factus es in magnitudine tua?

3. Ecce Assur quasi cedrus (*a*) in Libano, pulcher ramis, & frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, & inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus.

4. Aquæ nutrierunt illum, abyssus (*b*) exaltavit illum: flumina ejus manabant in circuitu radicum ejus, & rivos suos emisit ad universa ligna regionis.

5. Propterea elevata est altitudo ejus super omnia ligna regionis: & multiplicata sunt arbusta ejus, & elevati sunt rami ejus præ aquis multis.

6. Cumque extendisset umbram suam, in ramis ejus fecerunt nidos omnia volatilia cæli, & sub frondibus ejus genuerunt omnes bestiæ saltuum, & sub umbraculo illius habitabat cœtus Gentium plurimarum.

7. Eratque pulcherrimus in magnitudine sua, & in dilatatione arbustorum suorum: erat enim radix illius juxta aquas multas.

8. Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquaverunt summitatem ejus, & platani non fuerunt æquæ frondibus illius: omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, & pulcritudini ejus.

9. Quoniam speciosum feci eum, & multis condensisque frondibus: & æmulata (*c*) sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiso Dei.

10. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod sublimatus est in altitudine, & dedit summitatem (*d*) suam virentem atque condensam, & elevatum est cor ejus in altitudine sua:

11. Tradidi eum in manu fortissimi (*e*) Gentium, faciens faciet ei: juxta impietatem ejus ejeci eum.

12. Et succident eum alieni, & crudelissimi nationum, & projicient eum super montes, & in cunctis convallibus corruent rami ejus, & confringentur arbusta ejus in universis rupibus terræ: & recedent de umbraculo ejus omnes populi terræ, & relinquent eum.

13. In

12. (*c*) Tam expeditæ erunt hostibus viæ, ac si nullis rivis essent intercisæ: vel exsiccato fluvios, adeo ut sterilis fiat Ægyptus: *Alveos fluminum*, canalus, per quos Nilus derivari solebat in agros vicinos.

13. (*d*) Hæc diversis temporibus impletur. Primum Nabuchodonosor omnia evertit templa Ægypti: deinde cum Christus infans in Ægyptum fugit, valde probabilis est opinio tum corruisse simulacra Ægypti juxta vaticinium Isaiæ. c. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem*, in carne immaculata, *& ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus coruscante.* 3 Evangelio suscepto per Ægyptum, non modo e templis, sed e cordibus Ægyptiorum sublata sunt idola. *Memphis*, ad Nili ostia, nunc Cairus. *Non eris amplius*, ad longum tempus.

14. (*e*) Hebr. hæc civitas dicitur No, U. quæ ab Alexandro instaurata & aucta, dicta est Alexandria: LXX. Diospolim vocant.

17. (*f*) Prope Pelusium ad ostium orientale primum Nili, nunc *Suez*.

20. (*g*) *Jechoniæ captivi*, quæ est solita Ezechielis epocha: hæc prior prophetia a posteriore confirmata.

CAPUT XXXI. 3. (*a*) Comparat Pharaonem cum rege Assyriorum, qui ut cedrus alias arbores, sic alios reges magnitudine imperii vincebat. Hic tamen a Babylonis regibus dejectus est. Ac forte Pharaonem ipsum Assur appellat Scriptura, magnos reges præcelsis arboribus, principes ramis, populum foliis conferre solet.

4. (*b*) Abundantia aquarum. Vatabl. Aquas vocat divitias, quæ affluebant.

9. (*c*) Huic *invidebant* principes, qui tum florebant.

10. (*d*) Vatabl. Posuit ex superbia fastigium suum. *Inter condensa.* Stipatus rerum multitudine. *Et elevatum est cor ejus*, præ superbia.

11. (*e*) Chaldæorum. Hieronym. *Non mireris si a Babylonis sis vincendus, atque periturus.* Pharaonem alloquitur. *Cum Assur multo te fortior eodem Chaldæo superante deletus sit.*

13. In ruina ejus habitaverunt omnia volatilia cæli, & in ramis ejus fuerunt universæ bestiæ regionis.

14. Quam ob rem non elevabuntur in altitudine sua omnia ligna aquarum, nec ponent sublimitatem suam inter nemorosa atque frondosa, nec stabunt in sublimitate sua omnia, quæ irrigantur aquis: quia omnes traditi sunt in mortem ad terram ultimam (*f*), in medio filiorum hominum, ad eos qui descendunt in lacum.

15. Hæc dicit Dominus Deus: In die quando descendit ad inferos, induxi luctum (*g*), operui eum abysso: & prohibui flumina ejus, & coercui aquas multas: contristatus est super eum Libanus, & omnia ligna agri concussa sunt.

16. A sonitu (*h*) ruinæ ejus commovi Gentes, cum deducerem eum ad infernum cum his, qui descendebant in lacum: & consolata sunt in terra infima omnia ligna voluptatis egregia, atque præclara in Libano, universa quæ irrigabantur aquis.

17. Nam & ipsi cum eo descendent (*i*) in infernum ad interfectos gladio: & brachium uniuscujusque sedebit sub umbraculo ejus in medio nationum.

18. Cui assimilatus (*k*) es o inclyte atque sublimis inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam: in medio incircumcisorum dormies, cum eis, qui interfecti sunt gladio: ipse est Pharao, & omnis multitudo ejus, dicit Dominus Deus.

CAPUT XXXII.

Pharao, quantumvis gloria sublimis, conterendus est a rege Babylonis: multæ nationes cum eo in abyssum detrahentur.

1. ET factum est: duodecimo anno, in mense duodecimo, in una (*a*) mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis assume lamentum supra Pharaonem regem Ægypti, & dices ad eum: Leoni Gentium assimilatus es, & draconi qui est in mari: & ventilabas cornu in fluminibus tuis, & conturbabas aquas pedibus tuis, & conculcabas flumina eorum.

*Sap. 12. 13 & 17. 20. 3. Propterea hæc dicit Dominus Deus: * Expandam super te rete meum in multitudine populorum multorum, & extraham te in sagena mea.

4. Et projiciam te in terram, super faciem agri abjiciam te: & habitare faciam super te omnia volatilia cæli, & saturabo (*b*) de te bestias universæ terræ.

5. Et dabo carnes (*c*) tuas super montes, & implebo colles tuos sanie tua.

6. Et irrigabo terram fœtore sanguinis tui super montes, & valles implebuntur ex te.

7. * Et operiam (*d*), cum extinctus fueris, cælum, & nigrescere faciam stellas ejus: solem nube regam, & luna non dabit lumen suum. *Isa. 13. 10. Joel 2. 10. & 3. 15. Matth. 24. 29.

8. Omnia luminaria cæli mœrere faciam super te, & dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus, cum ceciderint vulnerati tui in medio terræ, ait Dominus Deus.

9. Et irritabo (*e*) cor populorum multorum, cum induxero contritionem tuam in Gentibus super terras, quas nescis.

10. Et stupescere faciam super te populos multos: & reges eorum horrore nimio formidabunt super te, cum volare cœperit gladius meus super facies eorum: & obstupescent repente singuli pro anima sua in die ruinæ tuæ.

11. Quia hæc dicit Dominus Deus: Gladius regis Babylonis veniet tibi,

12. In gladiis fortium dejiciam multitudinem tuam: inexpugnabiles omnes Gentes hæ: & vastabunt superbiam Ægypti, & dissipabitur multitudo ejus.

13. Et perdam omnia jumenta ejus, quæ erant super aquas (*f*) plurimas: & non conturbabit eas pes hominis ultra, neque ungula jumentorum turbabit eas.

14. Tunc purissimas reddam aquas eorum, & flumina (*g*) eorum quasi oleum adducam, ait Dominus Deus:

15. Cum dedero Terram Ægypti desolatam: deseretur autem terra a plenitudine sua, quando percussero omnes habitatores ejus: & scient quia ego Dominus.

16. Planctus est, & plangent eum: filiæ Gentium plangent eum: super Ægyptum, & super multitudinem ejus plangent eum, ait Dominus Deus.

17. Et factum est in duodecimo anno, in quintadecima mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens:

18. Fili hominis cane lugubre super multitudinem Ægypti: & detrahe (*h*) eam ipsam, & filias Gentium robustarum, ad terram ultimam, cum his qui descendunt in lacum.

19. Quo pulchrior (*i*) es? descende, & dormi cum incircumcisis.

20. In

14. (*f*) Infimam, ad sepulcrum: *In medio filiorum hominum*, instar aliorum hominum.

15. (*g*) Fors est ut commemoret cladem Sennacherib, qui occisus est a liberis suis: a figura ad rem figuratam transit. *Et prohibui*, omni præsidio nationum eum nudavi. Hieronym. *Et omnia flumina, & omnes nationes ultra eum rigare cessaverunt*. Libanus regnum, in quo erat cedrus illa altissima.

16. (*h*) Propter fragorem illius ruinæ. *Ligna voluptatis*, paradisi, seu horti voluptatis.

17. (*i*) Sept. Interpr. Descenderunt. *In medio eorum*, qui singuli se subdiderunt ejus potentiæ, & in ejus clientelam se tradiderant.

18. (*k*) Regi Assyriorum similis factus es o Pharao, cujus potentiam consequi voluisti: sed idem te manet exitus.

CAPUT XXXII. 1. & 2. (*a*) In prima mensis. *Assimilatus*; quod est leo inter bestias, & cete inter pisces, ita es inter gentes. *Conturbabas aquas*; bellis omnia miscebas. Hieron. *Leoni comparatur Pharao, non unius gentis, sed multarum gentium, sive draconi in mari, ut terras aquasque possideat.*

4. (*b*) Homines rapaces Ægyptum invadent, & deprædabuntur: alludit ad pisces, qui capti in terram projiciuntur.

5. (*c*) Populi tui: *Super montes*, quos fugerunt: *Sanie tua*, sanguine tuo.

7. (*d*) Hæc sensu mystico de prima diaboli dejectione, vel de postrema illius ruina in fine sæculorum ab Hieronymo intelliguntur: vel per hyperbolen more prophetico de magnitudine luctus Ægypti dicuntur, adeo ut cælum ipsum tantam ruinam lugere videretur. Figurato sermone cladem Ægypti exprimit.

9. (*e*) Metu concutiam, cum fama exitii tui sparsa fuerit.

13. (*f*) In pratis juxta aquas pascebantur. Tum abducentur, aut occidentur cuncta pecora, nec amplius conturbabunt aquas.

14. (*g*) Nilo per ea transeunte, nec fluenta eorum turbante.

18. (*h*) Prædicito Ægyptiorum ruinam. *Ad terram ultimam*, infernum. *In lacum*, in sepulcrum.

19. (*i*) In qua præstas aliis, ut merearis in montem evadere. *Cum incircumcisis*: descendes & morieris cum peccatoribus.

20. In medio interfectorum gladio cadent: gladius datus est, attraxerunt (*k*) eam, & omnes populos ejus.

21. Loquentur ei potentissimi robustorum de medio inferni, qui cum auxiliatoribus ejus descenderunt, & dormierunt incircumcisi, interfecti gladio.

22. Ibi Assur (*l*), & omnis multitudo ejus: in circuitu illius sepulcra ejus: omnes interfecti, & qui ceciderunt gladio.

23. Quorum data sunt sepulcra in novissimis laci: & facta est multitudo ejus per gyrum sepulcri ejus: universi interfecti, cadentesque gladio, qui dederant quondam formidinem in terra viventium.

24. Ibi Ælam, & omnis multitudo ejus per gyrum sepulcri sui: omnes hi interfecti, ruentesque gladio: qui descenderunt incircumcisi ad terram ultimam: qui posuerant terrorem suum in terra viventium, & portaverunt ignominiam suam cum his, qui descendunt in lacum.

25. In medio interfectorum posuerunt cubile (*m*) ejus in universis populi ejus: in circuitu ejus sepulcrum illius: omnes hi incircumcisi, interfectique gladio: dederunt enim terrorem suum in terra viventium, & portaverunt ignominiam suam cum his, qui descendunt in lacum: in medio interfectorum positi sunt.

26. Ibi Mosoch, & Thubal, & omnis multitudo ejus: in circuitu ejus sepulcra illius: omnes hi incircumcisi, interfectique & cadentes gladio: quia dederunt formidinem suam in terra viventium.

27. Et non dormient cum fortibus, cadentibusque (*n*) & incircumcisis, qui descenderunt ad infernum cum armis suis, & posuerunt gladios suos sub capitibus suis, & fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum: quia terror fortium facti sunt in terra viventium.

28. Et tu ergo in medio incircumcisorum contereris, & dormies cum interfectis gladio.

29. Ibi Idumæa, & reges ejus, & omnes duces ejus, qui dati sunt cum exercitu suo cum interfectis gladio: & qui cum incircumcisis dormierunt, & cum his qui descendunt in lacum.

30. Ibi principes Aquilonis omnes, & universi venatores (*o*): qui deducti sunt cum interfectis, paventes, & in sua fortitudine confusi: qui dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio, & portaverunt confusionem suam cum his qui descendunt in lacum.

31. Vidit eos Pharao, & consolatus est super universa multitudine sua, quæ interfecta est gladio; Pharao, & omnis exercitus ejus, ait Dominus Deus:

32. Quia dedi terrorem meum in terra viventium, & dormivit in medio incircumcisorum cum interfectis gladio; Pharao, & omnis multitudo ejus; ait Dominus Deus.

CAPUT XXXIII.

Populares suos ad pœnitentiam adhortatur; in Babylone manens captam esse Jerusalem denuntiat.

1. ET factum est verbum Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis loquere ad filios populi tui, & dices ad eos: Terra cum induxero super eam gladium, & tulerit populus terræ virum unum de novissimis (*a*) suis, & constituerit eum super se speculatorem:

3. Et ille viderit gladium venientem super terram, & cecinerit buccina, & annuntiaverit populo:

4. Audiens autem, quisquis ille est, sonitum buccinæ, & non se observaverit, veneritque gladius, & tulerit eum: sanguis ipsius super caput ejus erit.

5. Sonum buccinæ audivit, & non se observavit, sanguis ejus in ipso erit: si autem se custodierit, animam suam salvabit.

6. Quod si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina: & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.

7. * Et tu fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel: audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. * Sup. 3. 17.

8. Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris: non fueris locutus ut se custodiat impius a via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.

9. Si autem annuntiante te ad impium ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua: ipse in iniquitate sua morietur: porro tu animam tuam liberasti.

10. Tu ergo fili hominis dic ad domum Israel: Sic locuti estis, dicentes: Iniquitates nostræ, & peccata nostra super (*b*) nos sunt, & in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo vivere poterimus?

11. * Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo (*c*) mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis: & quare moriemini domus Israel? * Sup. 18. 23.

12. Tu

20. & 21. (*k*) In os gladii: ut in mortem. *Potentissimi*; his, aut similibus verbis Isaias, cap. 14. utitur, Et tu vulneratus o Pharao, sicut & nos descendisti ad nos: sic insultantes sibi, quod mors potentiorum sortem æquet cum infimis.

22. 23. & 24. (*l*) Rex Assyriorum victus a Nabuchodonosore. *Sepulcra*, posita sunt sepulcra in parte infima inferni; *In novissimis laci*. *Ælam*, Persæ, aut Medi, ad quos Assyriorum transiit imperium.

25. & 26. (*m*) Arcam sepulcralem. *Mosoch*, Cappadoces; *& Thubal*, Iberi, ut nonnullis placet.

27. (*n*) Qui gloriose ceciderunt, non melioris erunt conditionis: *Cum armis suis*, qui in honorem virtutis cum armis sepeliebantur: *Et fuerunt iniquitates eorum*: gladio confixi pœnas scelerum dederunt.

30. & 31. (*o*) Prædones & tyranni. *Consolatus est*, quod tam multos haberet pœnarum socios.

CAPUT XXXIII. 1. (*a*) Hieron. *Cavendum nobis est, ne munere nostro negligenter fungentes, non ut ministerium, sed ut honorem æstimemus: & quod pejus est, deliciis ventrique & otio servientes honorem nos accepisse putemus, non ministerium; nec statim respondeamus: Quid prodest docere, si nolit auditor facere quod docueris? unusquisque enim ex suo animo atque officio judicatur; tu si locutus non fueris, ille si audire contempserit.* Pergit Propheta: *Terra autem*: cum furor terram aliquam induxero gladium: Nullum bellum fit sine Dei providentia: *De novissimis suis*; si speculatori etiam vilissimo credere debet, quanto magis prophetæ, quem Deus ipse constituit?

10. (*b*) His opprimimur: quæ videntur dicta esse desperatione quadam, quos statim erigit.

11. (*c*) Cap. 18. similibus verbis allocutus est eos, qui pœnitentiam agere nolebant: in hoc capite eos erigit, qui de salute sua desperabant. Hier. *Quibus omnibus demonstratur nec peccatorem salutem desperare debere, si agat pœnitentiam; nec justum in sua confidere justitia, si perdiderit negligenter quod magno labore acquisierat.*

12. Tu itaque fili hominis dic ad filios populi tui: Justitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit: & impietas (*d*) impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua: & justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit.

13. Etiam si dixero justo quod vita vivat, & confisus in justitia sua fecerit iniquitatem: omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur.

14. Si autem dixero impio: Morte morieris: & egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium & justitiam,

15. Et pignus (*e*) restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum: vita vivet, & non morietur.

16. Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei: judicium & justitiam fecit, vita vivet.

17. Et dixerunt filii populi tui: Non est æqui ponderis (*f*) via Domini: & ipsorum via injusta est.

18. Cum enim recesserit justus a justitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis.

19. Et cum recesserit impius ab impietate sua, feceritque judicium & justitiam, vivet in eis.

* Sup. 18. 25. 20. * Et dicitis: Non est recta via Domini. Unumquemque (*g*) juxta vias suas judicabo de vobis, domus Israel.

21. Et factum est in duodecimo (*h*) anno, in decimo mense, in quinta mensis transmigrationis nostræ, venit ad me qui fugerat de Jerusalem, dicens: Vastata est civitas.

22. Manus autem Domini facta fuerat ad me vespere, antequam veniret qui fugerat: aperuitque os meum donec veniret ad me mane, & aperto ore meo non silui amplius.

23. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

24. Fili hominis, qui habitant in ruinosis (*i*) his super humum Israel, loquentes ajunt: Unus erat Abraham, & hæreditate possedit terram: nos autem multi sumus, nobis data est terra in possessionem.

25. Idcirco dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Qui in sanguine comeditis (*k*), & oculos vestros levatis ad immunditias vestras, & sanguinem funditis: numquid terram hæreditate possidebitis?

26. Stetistis in gladiis (*l*) vestris, fecistis abominationes, & unusquisque uxorem proximi sui polluit: & terram hæreditate possidebitis?

27. Hæc dices ad eos: Sic dicit Dominus Deus: Vivo ego, quia qui in ruinosis habitant, gladio cadent: & qui in agro est, bestiis tradetur ad devorandum: qui autem in præsidiis, & speluncis sunt, peste morientur.

28. Et dabo terram in solitudinem, & in desertum, & deficiet superba fortitudo ejus: & desolabuntur montes Israel, eo quod nullus sit qui per eos transeat.

29. Et scient quia ego Dominus, cum dedero terram eorum desolatam & desertam, propter universas abominationes suas, quas operati sunt.

30. Et tu fili hominis: filii populi tui, qui loquuntur de te juxta muros, & in ostiis domorum, & dicunt unus ad alterum, vir ad proximum suum loquentes: Venite, & audiamus quis sit sermo egrediens a Domino.

31. Et veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus, & sedent coram te populus meus: & audiunt sermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum (*m*) oris sui vertunt illos, & avaritiam suam sequitur cor eorum.

32. Et es eis quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur: & audiunt verba tua, & non faciunt ea.

33. Et cum venerit quod prædictum est (ecce enim venit) tunc scient quod prophetes fuerit inter eos.

CAPUT XXXIV.

Invehitur in pastores, qui seipsos, non gregem pascunt: sed Deus missurus est pastorem servum suum David, qui gregem colligat, pascat, & salvet.

1. ET factum est verbum Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis propheta de pastoribus Israel: propheta, & dices pastoribus: Hæc dicit Dominus Deus: * Væ pastoribus (*a*) Israel, * Jer. 23. 1. Sup. 13. 3.
qui pascebant semetipsos: nonne greges a pastoribus pascuntur?

3. Lac (*b*) comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis.

4. Quod

12. (*d*) Non negat Propheta Deum a peccatore converso pœnas exigere temporales: sed loquitur de imputatione ad mortem æternam: *Vivere*, salvari ob priorem justitiam.

15. (*e*) Ponit duo justitiæ opera, ex quibus cetera intelliguntur.

17. (*f*) Non injuste nobiscum agit Deus: cum potius eorum injusta sit vitæ ratio. Lex justa est, ut unusquisque judicetur juxta ea, quæ egit.

20. (*g*) Jungendum cum iis vocibus *De vobis*, non judicabo vos ex viis vestris præteritis, sed ex præsentibus.

21. & 22. (*h*) Hinc liquet annos a Jechoniæ captivitate numerari. *Silui*; non in parabolis, sed aperte locutus sum.

24 (*i*) Judæi, qui remanserant in ruinis Jerusalem & Judææ, quique lætabantur, quia futurum putabant ut possiderent Judæam, quod filii essent Abrahæ, qui solus eam possederat. Hieron. *Non quod ipse possederit, sed quod semen ejus terram repromissionis acceperit*.

25. (*k*) Carnes cum sanguine comeditis contra legem Levit. 19. *Immunditias*, adulteria, idololatriam.

26. (*l*) Cum gladiis: vi & armis omnia geritis; statis more eorum qui parati sunt fundere sanguinem: vel confiditis in armis vestris.

31. & 32. (*m*) Ut irrideant. Hieron. *Quæ operibus neglexerunt, postquam advenisse cognoverint (necesse enim est venire, quod Propheta Dei sermone pronuntiat) tunc incipient approbare & nosse quod cuncta quæ audierant, non fuerint hominis verba, sed Domini*. *Audiamus*, sola curiositate ducti. *Carmen*: tu illis es ludibrio.

CAPUT XXXIV. 2. (*a*) Distinguit Dominus inter verum pastorem & falsum, & Christi veri pastoris adventum prædicit. *Qui pascebant semetipsos*, quæ sua sunt, non quæ Dei sectantes.

3 (*b*) August. de past. c. 1. *Accipiant sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Domino; non expectent illi mercedem, nisi, & unde isti salutem*. Subdit Propheta: *Quod crassum erat, occidebatis*. (Augustin.) *Fortes & pingues necant male vivendo, malum exemplum præbendo. Qui aberraverint a via reducendi: qui gravi vulnere sauciantur, spiritalibus fomentis curandi sunt, & alliganda sunt vulnera; populi considerantes vulnera infirmi, & terrena sapientes, ad cœlestia erigendi: pingues & fortes in mandatis ambulantes sine offensione diligenti custodia conservandi.*

4. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abjectum (*c*) est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.

5. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor: & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt.

6. Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & in universo colle excelso: & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret.

7. Propterea pastores audite verbum Domini:

8. Vivo ego, dicit Dominus Deus: quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor: neque enim quæsierunt pastores mei gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant:

9. Propterea pastores audite verbum Domini:

10. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos: & liberabo gregem meum de ore (*d*) eorum, & non erit ultra eis in escam.

11. Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas.

12. Sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum: sic visitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis (*e*), & caliginis.

13. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam: & pascam eas in montibus Israel, in rivis, & in cunctis sedibus terræ.

14. In pascuis (*f*) uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel.

15. Ego pascam oves meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus.

16. Quod perierat requiram, & quod abjectum erat reducam, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat consolidabo, & quod pingue & forte custodiam: & pascam illas in judicio.

17. Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego judico inter pecus & pecus (*g*), arietum, & hircorum.

18. Nonne satis vobis erat pascua bona depasci? insuper & reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris: & cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis.

19. Et oves meæ his, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur: & quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant.

20. Propterea hæc dicit Dominus Deus ad vos: Ecce ego ipse judico inter pecus pingue (*h*), & macilentum:

21. Pro eo quod lateribus & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras:

22. Salvabo gregem meum, & non erit ultra in rapinam, & judicabo inter pecus & pecus.

23. * ET SUSCITABO SUPER EAS PASTOREM UNUM, qui pascat eas, servum meum David (*i*): ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem. — * *Isai.* 40. 11. *Osee* 3. 5. *Joan.* 9. 45. & 10. 11. 14.

24. Ego autem Dominus ero eis in Deum: & servus meus David princeps in medio eorum: ego Dominus locutus sum.

25. Et faciam cum eis pactum (*k*) pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra: & qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus.

26. Et ponam (*l*) eos in circuitu collis mei benedictionem: & deducam imbrem in tempore suo: pluviæ benedictionis erunt.

27. Et dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum, & erunt in terra sua absque timore: & scient quia ego Dominus, cum contrivero catenas jugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi.

28. Et non erunt ultra in rapinam in Gentibus, neque bestiæ terræ devorabunt eos: sed habitabunt confidenter absque ullo terrore.

29. Et suscitabo eis germen nominatum (*m*): & non erunt ultra imminuti fame in terra, nec portabunt ultra opprobrium Gentium.

30. Et scient quia ego Dominus Deus eorum cum eis, & ipsi populus meus domus Israel: ait Dominus Deus.

31. * Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ homines estis: & ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus. — * *Joann.* 10. 11.

CA-

4. (*c*) Sept. Interpr. Quod errabat, non reduxistis. Hieron. Permittentes eos ab hæreticis decipi. *Cum austeritate*, LXX. Quod forte erat, afflixistis labore.

10. & 11. (*d*) Ex eorum vi, qua gregem devorant, cum pascere tenentur. *Requiram*: Christus ipse loquitur, & se venturum promittit. August. c. 13. l. de past. *Invenio omnes pastores bonos in uno pastore: utique si sunt boni oves, sunt & boni pastores; in uno sunt: unum sunt; illi pascunt, Christus pascit.* Ecce ego ipse venio: Christus loquitur, se venturum promittit.

12. & 13. (*e*) In die calamitatis. *In terram suam*, In Ecclesiam: ad vocationem omnium gentium respicit. *Inducam*, reducam a captivitate, idque maxime sub Christo, ut ex sequentibus liquet.

14 (*f*) In verbis Scripturæ, in Sacramentis, in donis Spiritus sancti

17. & 18. (*g*) Inter agnos & hœdos: a pastoribus ad populum transit. *Depasci*, divites alloquitur, qui pauperes vexabant: *Conculcastis pedibus*: quod aliis poterat alimento esse, conculcastis, & perdere maluistis, quam pauperibus elargiri.

20. & 21. (*h*) Inter beneficos & avaros, ut hos puniam, illos ulciscar. *Impingebatis*, pulsabatis alias oves, donec extra pascua ejiceretis.

23. (*i*) Qui locus de solo Christo intelligi potest. Quod si ad Abraham, aut ad Mosem dixisset Deus ipse, de filio Jesse id accipiendum foret: sed post mortem Davidis Christo, cujus David erat figura, id omnino convenit. Ipsi Hebræi, ut R. David Kimchi hunc locum intelligunt de Messia.

25. (*k*) Novum testamentum. *Bestias pessimas*, dæmones: hæc prophetia Christo nato impleri cœpta est, in cælesti Jerusalem perficietur.

26. (*l*) Efficiam ut omnes gentes, quæ in circuitu sunt Jerusalem, sint felices.

29. (*m*) Celebre: LXX. Plantam pacis, germen illud totam Judæorum gentem illustrabit. Hic est vitis vera.

CAPUT XXXV.

Montis Seir sive Idumæorum futura vastatio, quod populum Dei afflixerint. Idem est argumentum Abdiæ prophetæ.

1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis, pone faciem tuam adversus montem Seir, & prophetabis de eo, & dices illi:

3. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te mons Seir, & extendam manum meam super te, & dabo te desolatum atque desertum.

4. Urbes tuas demoliar, & tu desertus eris: & scies quia ego Dominus.

5. Eo quod fueris inimicus sempiternus, & concluseris filios Israel in manus gladii in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremæ.

6. Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus: quoniam sanguini (*a*) tradam te, & sanguis te persequetur: & cum sanguinem oderis, sanguis persequetur te.

7. Et dabo montem Seir desolatum atque desertum: & auferam de eo euntem, & redeuntem.

8. Et implebo montes ejus occisorum suorum: in collibus tuis, & in vallibus tuis, atque in torrentibus interfecti gladio cadent.

9. In solitudines sempiternas tradam te, & civitates tuæ non habitabuntur: & scietis quia ego Dominus Deus.

10. Eo quod dixeris: Duæ gentes, & duæ terræ meæ erunt, & hæreditate possidebo eas (*b*): cum Dominus esset ibi:

11. Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus, quia faciam juxta iram tuam, & secundum zelum tuum, quem fecisti odio habens eos: & notus efficiar per eos cum te judicavero.

12. Et scies quia ego Dominus audivi universa opprobria tua, quæ locutus es de montibus Israel, dicens: Deserti (*c*), nobis ad devorandum dati sunt.

13. Et insurrexistis super me ore vestro, & derogastis adversum me verba vestra: ego audivi.

14. Hæc dicit Dominus Deus: Lætante universa terra, in solitudinem te redigam.

15. Sicuti gavisus es super hæreditatem domus Israel, eo quod fuerit dissipata, sic faciam tibi: dissipatus eris mons Seir, & Idumæa omnis: & scient quia ego Dominus.

CAPUT XXXVI.

Deus promittit se populum suum e captivitate educturum, eique spiritum novum & vitam novam per Christum daturum.

1. TU autem fili hominis propheta super montes Israel, & dices: * Montes Israel audite verbum Domini: * Sup. 6. 1.

2. Hæc dicit Dominus Deus: eo quod dixerit inimicus de vobis: Euge, altitudines sempiternæ (*a*) in hæreditatem datæ sunt nobis:

3. Propterea vaticinare, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod desolati estis, & conculcati per circuitum, & facti in hæreditatem reliquis Gentibus, & ascendistis (*b*) super labium linguæ, & opprobrium populi:

4. Propterea montes Israel audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus montibus, & collibus, torrentibus, vallibusque & desertis, parietinis, & urbibus derelictis, quæ depopulatæ sunt, & subsannatæ a reliquis Gentibus per circuitum.

5. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quoniam (*c*) in igne zeli mei locutus sum de reliquis Gentibus, & de Idumæa universa, quæ dederunt terram meam sibi in hæreditatem cum gaudio, & toto corde, & ex animo: & ejecerunt eam ut vastarent:

6. Idcirco vaticinare (*d*) super humum Israel, & dices montibus, & collibus, jugis & vallibus: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego in zelo meo, & in furore meo locutus sum, eo quod confusionem gentium sustinueritis.

7. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Ego levavi manum meam, ut Gentes, quæ in circuitu vestro sunt, ipsæ confusionem suam portent.

8. Vos autem montes Israel ramos vestros germinetis, & fructum vestrum afferatis populo meo Israel: prope (*e*) enim est ut veniat.

9. Quia ecce ego ad vos, & convertar ad vos, & arabimini, & accipietis sementem.

10. Et multiplicabo in vobis homines, omnemque domum Israel, & habitabuntur civitates, & ruinosa instaurabuntur.

11. Et replebo vos hominibus, & jumentis: & multiplicabuntur, & crescent: & habitare vos faciam sicut a principio, bonisque donabo majoribus, quam habuistis ab initio: & scietis quia ego Dominus.

12. Et adducam super vos homines, populum meum Israel, & hæreditate possidebunt te: & eris eis in hæreditatem, & non addes ultra ut absque eis sis.

13. Hæc

CAPUT XXXV. 6. (*a*) Vel Judæis consanguineis; vel in gladium tradam te.

10. (*b*) Idumæam & Judæam: *Cum Dominus esset ibi*: de Judæis, apud quos erat templum. Irruitur. *Duæ gentes*, Juda & Israel: ductis in captivitatem Judæis, vicinæ gentes in eorum terras irruerunt, ut in vacuam hæreditatem. Jer. 49. 1. *Cum Dominus esset ibi*; quod terra esset sancta.

12. & 13. (*c*) Montes Judææ. *Super me*, contra me locuti estis superbe. *Derogastis*, detraxistis.

CAPUT XXXVI. 2. (*a*) Montes antiqui terræ Israel, qui semper in eodem statu permanent.

3. & 4. (*b*) Facti estis in proverbium & in fabulam. *Parietinis*, parietum ruinis.

5. (*c*) Vox, *quoniam*, non est caussalis, sed explicativa, & significat Deus se id facturum quod prædixit. *Ejecerunt eam*, terram pro habitatoribus terræ.

6. (*d*) Quod perpauci homines relicti fuerint: ad montes & colles sermonem convertit. *Sustinueritis*: quia contumeliis ab iis affecti estis.

8. (*e*) Cito venient ex captivitate. Quæ quidem omnia de Ecclesia post persecutionum tempora interpretatur Hieronymus cum Judæis ipsis vix aptari possint.

13. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod dicunt de vobis: Devoratrix (*f*) hominum es, & suffocans gentem tuam:

14. Propterea homines non comedes amplius, & Gentem tuam non necabis ultra, ait Dominus Deus:

15. Nec auditam faciam in te amplius confusionem gentium, & opprobrium populorum nequaquam portabis, & gentem tuam non amittes amplius, ait Dominus Deus.

16. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

17. Fili hominis, domus Israel habitaverunt in humo sua, & polluerunt eam in viis suis, & in studiis suis: juxta immunditiam menstruatæ facta est via eorum coram me.

18. Et effudi indignationem meam super eos pro sanguine, quem fuderunt super terram, & in idolis suis polluerunt eam.

19. Et dispersi eos in Gentes, & ventilati sunt in terras: juxta vias eorum, & adinventiones eorum judicavi eos.

20. Et ingressi sunt ad Gentes, ad quas introierunt, & * polluerunt (*g*) nomen sanctum meum, cum diceretur de eis: Populus Domini iste est, & de terra ejus egressi sunt.

* Isa. 52.5. Rom. 2. 24.

21. Et peperci (*h*) nomini sancto meo, quod polluerat domus Israel in Gentibus, ad quas ingressi sunt.

22. Idcirco dices domui Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in Gentibus, ad quas intrastis.

23. Et sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est inter Gentes, quod polluistis in medio earum: ut sciant Gentes quia ego Dominus, ait Dominus exercituum, cum sanctificatus (*i*) fuero in vobis coram eis.

24. Tollam quippe vos de Gentibus, & congregabo vos de universis terris, & adducam vos in terram vestram.

25. Et effundam (*k*) super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos.

26. * Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.

* Sup. 11. 19.

27. Et spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.

28. Et habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris: & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.

29. Et salvabo vos ex universis inquinamentis vestris: & vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non imponam vobis famem.

30. Et multiplicabo fructum ligni, & genimina agri, ut non portetis ultra opprobrium famis in gentibus.

31. Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum, studiorumque non bonorum: & displicebunt vobis iniquitates vestræ, & scelera vestra.

32. Non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus, notum sit vobis: confundimini, & erubescite super viis vestris, domus Israel.

33. Hæc dicit Dominus Deus: In die, qua mundavero vos ex omnibus iniquitatibus vestris, & inhabitari fecero urbes, & instauravero ruinosa,

34. Et terra deserta fuerit exculta, quæ quondam erat desolata in oculis omnis viatoris,

35. Dicent: Terra illa inculta, facta est ut hortus voluptatis: & civitates desertæ, & destitutæ atque suffossæ, munitæ sederunt.

36. Et scient Gentes quæcumque derelictæ fuerint in circuitu vestro, quia ego Dominus ædificavi dissipata, plantavique inculta, ego Dominus locutus sim, & fecerim.

37. Hæc dicit Dominus Deus: Adhuc in hoc invenient me domus Israel, ut faciam eis: Multiplicabo eos sicut gregem hominum,

38. Ut gregem (*l*) sanctum, ut gregem Jerusalem in solemnitatibus ejus: Sic erunt civitates desertæ, plenæ gregibus hominum: & scient quia ego Dominus.

CAPUT XXXVII.

Sub parabola aridorum ossium reviviscentium, designat filios Israel, qui de omni prosperitate desperantes, reducendi sunt in terram suam sub uno rege ac pastore David, seu Christo.

1. FActa est super me manus (*a*) Domini: & eduxit me in spiritu Domini: & dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus:

2. Et

13. (*f*) *Devoratrix hominum es*: hæc dicebant olim exploratores missi a Mose Numerorum 9. Quasi hæc natura esset terræ, ut incolas suas exterminaret, vel gladio hostili, vel morsibus bestiarum. Quod tribuendum erat justitiæ Dei vindicanti, id genio terræ superstitiose adscribebant. Quæ in hoc capite continentur, proprie conveniunt humani generis redemptioni, cujus imago fuit reditus Judæorum e captivitate Babylonica.

20 (*g*) Quasi Deus non potuisset eos tueri: id quoque polluerunt Judæi suis sceleribus.

21. & 22. (*h*) Rationem habui nominis mei: *Propter nomen*; in hoc & in his qui sequuntur versiculis gradus omnes justificationis complectitur. Prima ejus origo hic insinuatur: *Non propter vos*, præveniens gratia: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos; sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit*. Tit. 3. Secundus est fides, quam vers. 28. designat: *Eritis mihi in populum*. Tertius est propriæ infirmitatis cognitio, vers. 31. *Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum*; quam sequitur dolor sincerus: *Et displicebunt vobis iniquitates vestræ*. Quartus est Sacramentum, quo inducimur in Ecclesiam, de quo vers. 28.

23. (*i*) Deus sanctificat nomen suum, cum illud ab opprobriis hominum vindicat.

25. (*k*) Cujus effectum mox subjicit, *Et mundabimini*: R. David de remissione peccatorum agi putat, neque aliam aquam quæ mundaret, in Judæos umquam effudit. *Mundabimini*: ergo delentur peccata, & mundatur anima. Baptismum excipit Confirmatio, cujus effectum vers. 26. exprimit his verbis: *Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum in medio vestri*, in corde vestro. Quod ut præstet Deus, aufert cor lapideum, *De carne vestra*, & dat nobis carneum, & flexibile: nec corporis Christi participationem omisit, v. 29. *Et vocabo frumentum, & multiplicabo illud*. Hieronym. *Multiplicabitur eis frumentum, de quo efficitur cælestis panis*. Postremo progressum in operibus bonis exprimit, v. 27. *Et faciam ut in præceptis meis ambuletis*. Quæ omnia vix ad Judæos, sed ad fideles Christianos omnino referuntur.

38 (*l*) Ut Jerusalem tribus anni solemnibus festis plena est gregibus quæ ad immolandum adducuntur: sic erunt omnes urbes plenæ hominibus.

1. (*a*) Quæ ipsum apprehendit; visus Propheta sibi quasi manu injecta rapi, & in campum deduci: *In spiritu Domini*, prophetico, non reipsa. CAPUT XXXVII.

2. Et circumduxit me per ea in gyro: erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer.

3. Et dixit ad me: Fili hominis putasne vivent ossa (*b*) ista? Et dixi: Dominus Deus, tu nosti.

4. Et dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis, & dices eis: Ossa arida audite verbum Domini.

5. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis.

6. Et dabo super vos nervos: & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem: & dabo vobis spiritum, & vivetis, & scietis quia ego Dominus.

7. Et prophetavi sicut præceperat mihi: factus est autem sonitus, prophetante me, & ecce commotio: & accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam.

8. Et vidi, & ecce super ea nervi, & carnes ascenderunt: & extenta est in eis cutis desuper, & spiritum non habebant.

9. Et dixit ad me: Vaticinare ad spiritum, vaticinare fili hominis, & dices ad spiritum: Hæc dicit Dominus Deus: A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscant.

10. Et prophetavi sicut præceperat mihi: & ingressus est in ea spiritus, & vixerunt: steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde.

11. Et dixit ad me: Fili hominis, ossa hæc universa, domus Israel est: ipsi dicunt: Aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra, & abscissi (*c*) sumus.

12. Propterea vaticinare, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulcris vestris, populus meus: & inducam vos in terram Israel.

13. Et scietis quia ego Dominus, cum aperuero sepulcra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris, popule meus:

14. Et dedero spiritum meum in vobis, & vixeritis, & requiescere vos faciam super humum vestram: & scietis quia ego Dominus locutus sum, & feci, ait Dominus Deus.

15. Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

16. Et tu fili hominis sume tibi lignum (*d*) unum: & scribe super illud: Judæ, & filiorum Israel sociorum ejus: & tolle lignum alterum, & scribe super illud: Joseph ligno Ephraim, & cunctæ domui Israel, sociorumque ejus.

17. Et adjunge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum: & erunt in unionem in manu tua.

18. Cum autem dixerint ad te filii populi tui loquentes: Nonne indicas nobis quid in his tibi velis?

19. Loqueris ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam lignum Joseph, quod est in manu Ephraim, & tribus Israel, quæ sunt ei adjunctæ: & dabo eas pariter cum ligno (*e*) Juda, & faciam eas in lignum unum: & erunt unum in manu ejus.

20. Erunt autem ligna, super quæ scripseris in manu tua, in oculis eorum.

21. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum (*f*), ad quas abierunt: & congregabo eos undique, & adducam eos ad humum suam.

22. * Et faciam eos in gentem unam in terra in montibus Israel, & rex unus erit omnibus imperans: & non erunt ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna. *Joan. 10. 16.*

23. Neque polluentur (*g*) ultra in idolis suis, & abominationibus suis, & cunctis iniquitatibus suis: & salvos eos faciam de universis sedibus, in quibus peccaverunt, & emundabo eos: & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus.

24. * Et servus meus David rex super eos, & pastor (*h*) unus erit omnium eorum: in judiciis meis ambulabunt, & mandata mea custodient, & facient ea. *Isa. 40. 11. Jer. 23. 5. Sup. 34. 23. Dan. 9. 24. Joann. 1. 45.*

25. Et habitabunt super terram (*i*), quam dedi servo meo Jacob, in qua habitaverunt patres vestri: & habitabunt super eam ipsi, & filii eorum, & filii filiorum eorum, usque in sempiternum: & David servus meus princeps eorum in perpetuum.

26. * Et percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis: & fundabo eos, & multiplicabo, & dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. *Ps. 109. 4. & 116. 2. Joann. 12. 34.*

27. Et erit tabernaculum meum in eis: & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus.

28. Et scient Gentes quia ego Dominus sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.

C A-

3. (*b*) Quæ de ossibus aridis hoc capite continentur, ad reditum populi Israelitici pertinent juxta litteralem sensum, qui & Dei omnipotentiam vivis coloribus exprimit; sed in spiritali & in sublimiori sensu, cum Ecclesia ex omnibus gentibus, quasi ex ossibus aridis congregata, tum resurrectio universalis in die judicii piÆcre nobis exhibeatur. Ante Incarnationem corporis mystici confirmatio impossibilis videbatur; Christus verbo & miraculis congregare cœpit ossa dissipata; sed post ejus mortem Spiritus vitam iis impertiit, postquam Filius hominis, quem Propheta exhibet, Spiritum e cælo in Ecclesiam effudit: sed & in resurrectione corporum a quattuor ventis, seu a quatuor mundi partibus immisso spiritu vitam recipient. *Putasne vivent ossa ista?* non interrogat Prophetam, an ossa illa in extrema resurrectione victura sint: non enim Propheta ea de re dubitabat; sed utrum tunc victura essent.

11. & 14. (*c*) Hebr. Separati ab invicem, in captivitate. *Spiritum*, Christus in ossa, seu in gentes dispersa, Spiritum suum effudit, qui vitam gratiæ iis impertiit, & pacem.

16. (*d*) Hæc parabola utriusque regni Judæ & Israelis in unam coadunationem exprimit; vel *Juda & filiorum Israel*, Hebr. Judæ & filiis Israel sociis ejus: tribuum scilicet Juda cum tribu Levi & Benjamin.

19. (*e*) Cum virga Juda: *Et erunt unum in manu mea*; quod ad tempus Christi est referendum. Tum enim sublata est vetus discordia inter tribum Juda, & decem tribus, quæ a tribu Ephraim sunt nominatæ.

21. (*f*) Osee decem tribus sine spe reditus ablegandas dicit: unde hunc locum de Israele spiritali multi interpretantur, de quo mox dicitur, *Pastor unus erit omnium eorum*, *in judiciis meis ambulabunt*: a figura repente transit ad rem figuratam.

23. (*g*) Populorum sub Christo societatem insinuat.

24. (*h*) Hieronym. *Tantæque erit clementiæ, ut non solum rex, sed pastor appelletur: eo quod superbum nomen imperii, pastoris vocabulo mitiget.* Quæ sequuntur, ad unum Christum omnino pertinent. Et *David*, Christus filius David.

25. 26. & 27. (*i*) Super Ecclesiam. *Sanctificationem*, Hebr. *Sanctuarium meum in perpetuum*. Fœdus pacis est novum Testamentum: *Tabernaculum*: nos sumus templum Dei. 1. Cor. 3.

CAPUT XXXVIII.

Prophetia de Gog, & Magog.

Inf. 39. 1. Apoc. 20. 7. 1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog (*a*), terram Magog, principem capitis Mosoch, & Thubal, & vaticinare de eo,

3. Et dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Gog principem capitis Mosoch, & Thubal,

4. Et circumagam te, & ponam frænum in maxillis tuis, & educam te, & omnem exercitum tuum, equos & equites vestitos loricis universos, multitudinem magnam, hastam & clypeum arripientium & gladium.

5. Persæ, Æthiopes, & Libyes cum eis, omnes scutati & galeati.

6. Gomer (*b*), & universa agmina ejus, domus Thogorma, latera Aquilonis, & totum robur ejus, populique multi tecum.

7. Præpara, & instrue te, & omnem multitudinem tuam, quæ coacervata est ad te: & esto eis in præceptum (*c*).

8. Post dies multos visitaberis: in novissimo annorum venies ad terram, quæ reversa est a gladio, & congregata est de populis multis ad montes Israel, qui fuerunt deserti jugiter: hæc de populis educta est, & habitabunt in ea confidenter universi.

9. Ascendens autem quasi tempestas venies, & quasi nubes, ut operias terram tu, & omnia agmina tua, & populi multi tecum.

10. Hæc dicit Dominus Deus: In die illa ascendent sermones super cor tuum, & cogitabis cogitationem pessimam:

11. Et dices: Ascendam ad terram absque muro: veniam ad quiescentes, habitantesque secure: hi omnes habitant sine muro, vectes, & portæ non sunt eis:

12. Ut diripias spolia, & invadas prædam, ut inferas manum tuam super eos qui deserti fuerant, & postea restituti, & super populum, qui est congregatus ex Gentibus, qui possidere cœpit, & esse habitator umbilici terræ.

13. Saba (*d*), & Dedan, & negotiatores Tharsis, & omnes leones ejus dicent tibi: Numquid ad sumenda spolia tu venis? ecce ad diripiendam prædam congregasti multitudinem tuam, ut tollas argentum, & aurum, & auferas supellectilem, atque substantiam, & diripias manubias infinitas.

14. Propterea vaticinare fili hominis, & dices ad Gog: Hæc dicit Dominus Deus: Numquid non in die illo, cum habitaverit populus meus Israel confidenter, scies?

15. Et venies de loco tuo a lateribus Aquilonis (*e*) tu, & populi multi tecum, ascensores equorum universi, cœtus magnus, & exercitus vehemens.

16. Et ascendes super populum meum Israel quasi nubes, ut operias terram. In novissimis diebus eris, & adducam te super terram meam: ut sciant Gentes me, cum sanctificatus fuero in te in oculis eorum, o Gog.

17. Hæc dicit Dominus Deus: Tu ergo ille es, de quo locutus (*f*) sum in diebus antiquis, in manu servorum meorum prophetarum Israel, qui prophetaverunt in diebus illorum temporum: ut adducerem te super eos.

18. Et erit in die illa, in die adventus Gog super terram Israel, ait Dominus Deus, ascendet indignatio mea in furore meo.

19. Et in zelo meo, in igne iræ meæ locutus sum. Quia in die illa erit commotio (*g*) magna super terram Israel:

20. Et * commovebuntur a facie mea pisces maris, & volucres cæli, & bestiæ agri, & omne reptile, quod movetur super humum, cunctique homines, qui sunt super faciem terræ: & subvertentur montes, & cadent sepes, & omnis murus corruet in terram. *Matt. 24. 29. Luc. 21. 25.

21. Et convocabo adversus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus, gladius uniuscujusque in fratrem suum dirigetur.

22. Et judicabo eum peste, & sanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immensis: ignem, & sulphur pluam super eum, & super exercitum ejus, & super populos multos, qui sunt cum eo.

23. Et magnificabor, & sanctificabor: & notus ero in oculis multarum gentium, & scient quia ego Dominus.

C A-

CAPUT XXXVIII.

2. (*a*) Populi qui in hoc capite recensentur. Gog & Magog, gentes esse Scythicas Hebræi existimant: alii varias nationes, quæ in exercitu Antiochi pugnabant, ut Persas, & Cappadoces, designari volunt. Mentio fit Gog & Magog, Apoc. 20.

6. (*b*) Galatas interpretantur. Thogormar Armenot, aut Phriges, quos Appianus in Antiochi exercitu stipendia meruisse ait. Magog esse urbem Syriæ a Græcis ob multitudinem templorum Hierapolim dictam ex Plinio lib. 5. cap. 23. nonnulli colligunt. Alii ex Josepho & Hieronym. Scythas esse prope mare Caspium, & ad Indiam usque protensos arbitrantur. Mystice hæc de Antichristo prænuntiantur. Amos c. 7. meminit Gog regis in capite locustarum. Sic enim legunt LXX. *Et ecce bruchus unus Gog rex*. Hunc multitudo locustarum designabant, uti & Joel cap. 2. *Super montes populus multus: Et eum qui ab Aquilone est, procul faciam a vobis*. Maldonatus existimat eamdem esse Ezechielis & Joannis Apoc. 20. Prophetam, & Joannem alludere ad Ezechielis Prophetiam, quæ forte nondum completa est. Nam Prophetiæ licet de sola Jerusalem, aut Judæa agere videantur, longius tamen ad Ecclesiam spectant, & ad finem usque mundi protenduntur. Sic Ezechiel superius de liberatione a captivitate diaboli, ac de Ecclesiæ constitutione est vaticinatus; nunc de Ecclesiæ tyrannis, ac præcipue de Antichristi temporibus agit. Tyrannos vocat nomine Gog, ut terram eorum Magog, principem capitis Mosoch, seu principem summum, aut primarium.

7. & 8. (*c*) Ero illis dux & imperator. *Visitaberis*: illius punitionem prædicit, & terram Judæorum designat. *Ad terram*, in Judæam.

13. (*d*) Arabes: Et *Dedan*, Idumæi: Et *Tharsis*, Tyrii & Sidonii; *Et omnes leones*, prædones; qui & ex præda volebant ditescere.

15. (*e*) E Scythia: In ea est opinione Petronius Abbas, ut putet Scythas, qui ex Aquilone venturi sunt, ter excurrisse in Palæstinam, primum anno 26. Oziæ, cujus incursionis meminerunt Joel, Amos & Isaias; deinde anno 10. Josiæ, cujus irruptionis mentionem facit Sophonias; ut tertiam Ezechiel & Zacharias commemorant, eam, ut factam post captivitatem putat. Callinus vetustissimus Poeta primæ incursionis in Asiam meminit ex Strabone lib. 14. secundæ Herodotus lib. 6. eosque in Ægyptum penetrasse ait. Julius Africanus eos Palæstinam populatos docet, & Bethsan occupasse, quæ Scythopolis dicta est, prope lacum Genesareth.

17. (*f*) Numerorum 24. juxta LXX Joel & Amos videntur ab Ezechiele indicari, qua de re alibi. Scytharum incursio, cujus meminit Ezechiel videtur Petronio accidisse post reditum e captivitate. Pœni sunt multi, inquit Gordonus, in hanc sententiam, fore ut portenta hæc fint ab Aquilone, Scythis, & Tartaris, Europæis, Svecis, ex quibus conflatus fit exercitus Magog.

19. & 22. (*g*) Videtur nonnullis finem mundi sub Antichristo describere. *Judicabo*; Antiochum plaga lethali percussit Deus.

CAPUT XXXIX.

Adducet Dominus Gog contra Israel, sed ipsum cum toto ejus exercitu ibi interficiet: Dominus filios Israel propter peccata eorum tradidit in captivitatem, sed reducet eos in terram eorum ad nominis sui gloriam.

1. TU autem fili hominis vaticinare adversum Gog, & dices: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego super te Gog principem capitis Mosoch & Thubal:

2. Et circumagam te, & educam te, & ascendere te faciam de lateribus Aquilonis: & adducam te super montes Israel.

3. Et percutiam arcum (*a*) tuum in manu sinistra tua, & sagittas tuas de manu dextera tua dejiciam.

4. Super montes Israel cades tu, & omnia agmina tua, & populi tui, qui sunt tecum: feris, avibus, omnique volatili, & bestiis terræ dedi te ad devorandum.

5. Super faciem agri cades: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.

6. Et immittam ignem in Magog (*b*), & in his qui habitant in insulis confidenter: & scient quia ego Dominus.

7. Et nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israel, & non polluam (*c*) nomen sanctum meum amplius: & scient Gentes quia ego Dominus Sanctus Israel.

8. Ecce venit, & factum (*d*) est, ait Dominus Deus: hæc est dies, de qua locutus sum.

9. Et egredientur habitatores de civitatibus Israel, & succendent, & comburent arma, clypeum, & hastas, arcum, & sagittas, & baculos manuum, & contos: & succendent ea igni septem annis.

10. Et non portabunt ligna de regionibus, neque succident de saltibus: quoniam arma succendent igni, & deprædabuntur eos, quibus prædæ fuerant, & diripient vastatores suos, ait Dominus Deus.

11. Et erit in die illa: Dabo Gog locum nominatum sepulcrum in Israel: vallem viatorum ad Orientem maris (*e*), quæ obstupescere faciet prætereuntes: & sepelient ibi Gog, & omnem multitudinem ejus, & vocabitur vallis multitudinis Gog.

12. Et sepelient eos domus Israel, ut mundent terram septem mensibus.

13. Sepeliet autem eum omnis populus terræ, & erit eis nominata dies, in qua glorificatus sum, ait Dominus Deus.

14. Et viros jugiter constituent lustrantes terram, qui sepeliant, & requirant eos, qui remanserunt super faciem terræ, ut emundent eam: post menses autem septem (*f*) quærere incipient.

15. Et circuibunt peragrantes terram: cumque viderint os hominis, statuent juxta illud titulum (*g*), donec sepeliant illud pollinctores in valle multitudinis Gog.

16. Nomen autem civitatis Amona (*h*), & mundabunt terram.

17. Tu ergo fili hominis: hæc dicit Dominus Deus: Dic omni volucri, & universis avibus, cunctisque bestiis agri: Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israel: ut comedatis carnem, & bibatis sanguinem.

18. Carnes fortium comedetis, & sanguinem principum terræ bibetis: arietum, & agnorum (*i*), & hircorum, taurorumque & altilium, & pinguium omnium.

19. Et comedetis adipem in saturitatem, & bibetis sanguinem in ebrietatem, de victima, quam ego immolabo vobis:

20. Et saturabimini super mensam (*k*) meam de equo, & equite forti, & de universis viris bellatoribus, ait Dominus Deus.

21. Et ponam gloriam meam in Gentibus: & videbunt omnes Gentes judicium meum, quod fecerim: & manum meam, quam posuerim super eos.

22. Et scient domus Israel, quia ego Dominus Deus eorum, a die illa, & deinceps.

23. Et scient Gentes quoniam in iniquitate sua capta sit domus Israel, eo quod dereliquerint me, & absconderim faciem meam ab eis: & tradiderim eos in manus hostium, & ceciderint in gladio universi.

24. Juxta immunditiam eorum, & scelus feci eis, & abscondi faciem meam ab illis.

25. Propterea hæc dicit Dominus Deus, Nunc reducam captivitatem Jacob, & miserebor omnis domus Israel: & assumam zelum (*l*) pro nomine sancto meo.

26. Et portabunt (*m*) confusionem suam, & omnem prævaricationem, qua prævaricati sunt in me, cum habitaverint in terra sua confidenter neminem formidantes:

27. Et reduxero eos de populis, & congregavero de terris inimicorum suorum, & sanctificatus fuero in eis, in oculis gentium plurimarum.

28. * Et

CAPUT XXXIX.

3. & 4. (*a*) Arcum de manibus tuis dejiciam. *Cades tu*: quæ de Antiocho exponi nequeunt, cum e Perside rediens interierit, nisi de ducibus ejus & exercitu: commodius forsitan ista Scythis aptantur, ut alibi ex Abbate Pezronio innuimus. *Ad devorandum*, cadavera occisorum.

6. (*b*) In regionem regis Gog. *In insulis* & in eos qui sunt maris finitimi.

7. (*c*) Non sinam pollui nomen sanctum meum.

8. & 9. (*d*) Prope est ut fiat quod prædixi. *Et septem*: numerus certus pro incerto ponitur, ut apud Hebræos fieri solet; tametsi ea quoque est hyperbole. De Machabæis hæc commode exponuntur.

11. & 12. (*e*) Tiberiadis: *Et vocabitur*, & erit: multi Interpretes hæc referunt ad Machabæos, alii denique ad Scythas: *Mundent*, ne polluantur

14. (*f*) Vox Hebræa, Kețe, קצה, finem significare potest; itaque verti potest, *Initio septem mensium Viros jugiter, assiduas*, qui inquirant & sepeliant cadavera: *Post menses septem*, multos.

15. (*g*) Ut notum sit esse os humanum. *Pollinctores* dicuntur, qui curant funera, & sepeliunt cadavera.

16. (*h*) Sept. Intepr. πολυάνδριον, cœmeterium; locus ubi multa sunt sepulcra, vel hominum mortuorum corpora. Hebraice *Hamona*, המונה, ex Hieronymo in Comment. est *multitudo*: ita urbs vocabitur.

18. (*i*) Varii hominum ordines, principum, ducum, & militum per hæc animalia, quæ in sacrificiis immolari solebant, designantur.

20. & 23. (*k*) Sic vocat vallem illam multitudinis Gog plenam cadaveribus. *Absconderim*, favere illis desierim.

25. (*l*) Vindicabo ab injuriis gentium nomen meum. Qui de Antichristo ista interpretantur, hæc verba, *Reducam captivitatem Jacob*, de conversione Judæorum intelligunt.

26. (*m*) Peccatorum suorum confusionem, tum eos pœnitebit, liberationis beneficio provocatos.

* Sup. 36. 23. 28. * Et scient quia ego Dominus Deus eorum, eo quod transtulerim eos in nationes, & congregaverim eos super terram suam, & non dereliquerim quemquam ex eis (*n*) ibi.

29. Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus.

CAPUT XL.

Instauratio civitatis & templi, & sub utriusque figura ædificatio Ecclesiæ adumbratur.

1. IN vigesimoquinto anno transmigrationis nostræ, in exordio anni, decima mensis, quartodecimo anno postquam percussa est civitas: in ipsa hac die facta est super me manus Domini, & adduxit me illuc.

2. In visionibus Dei adduxit me in terram Israel, & dimisit me super montem excelsum nimis: super quem erat quasi ædificium (*a*) civitatis vergentis ad Austrum.

3. Et introduxit me illuc: & ecce vir, cujus erat species quasi species æris (*b*), & funiculus lineus in manu ejus, & calamus mensuræ in manu ejus: stabat autem in porta.

4. Et locutus est ad me idem vir: Fili hominis vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia quæ ego ostendam tibi: quia ut ostendantur tibi adductus es huc: annuntia omnia quæ tu vides, domui Israel.

5. Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique, & in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum, & palmo (*c*): & mensus est latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno.

6. Et venit ad portam, quæ respiciebat viam Orientalem, & ascendit per gradus (*d*) ejus: & mensus est limen portæ calamo uno latitudinem, id est, limen unum calamo uno in latitudine:

7. Et thalamum uno calamo in longum, & uno calamo in latum: & inter thalamos, quinque cubitos:

8. Et limen portæ juxta vestibulum portæ intrinsecus, calamo uno.

9. Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, & frontem ejus duobus cubitis: vestibulum autem portæ erat intrinsecus.

10. Porro thalami portæ ad viam Orientalem, tres hinc & tres inde: mensura una trium, & mensura una frontium ex utraque parte.

11. Et mensus est latitudinem liminis portæ, decem cubitorum: & longitudinem portæ, tredecim cubitorum.

12. Et marginem ante thalamos cubiti unius: & cubitus unus finis utrimque: thalami autem, sex cubitorum erant hinc & inde.

13. Et mensus est portam a tecto thalami, usque ad tectum ejus, latitudinem viginti quinque cubitorum: ostium contra ostium.

14. Et fecit frontes per sexaginta cubitos: & ad frontem atrium portæ undique per circuitum.

15. Et ante faciem portæ, quæ pertingebat usque ad faciem vestibuli portæ interioris, quinquaginta cubitos.

16. Et fenestras obliquas in thalamis, & in frontibus eorum, quæ erant intra portam undique per circuitum: similiter autem erant & in vestibulis fenestræ per gyrum intrinsecus, & ante frontes pictura palmarum.

17. Et eduxit me ad atrium exterius, & ecce gazophylacia, & pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum: triginta gazophylacia in circuitu pavimenti.

18. Et pavimentum in fronte portarum, secundum longitudinem portarum erat inferius.

19. Et mensus est latitudinem a facie portæ inferioris usque ad frontem atrii interioris extrinsecus, centum cubitos ad Orientem, & ad Aquilonem.

20. Portam quoque, quæ respiciebat viam Aquilonis atrii exterioris, mensus est tam in longitudine, quam in latitudine.

21. Et thalamos ejus tres hinc, & tres inde: & frontem ejus, & vestibulum ejus secundum mensuram portæ prioris, quinquaginta cubitorum longitudinem ejus, & latitudinem viginti quinque cubitorum.

22. Fenestræ autem ejus, & vestibulum, & sculpturæ secundum mensuram portæ, quæ respiciebat ad Orientem: & septem graduum erat ascensus ejus, & vestibulum ante eam.

23. Et porta atrii interioris contra portam Aquilonis, & Orientalem: & mensus est a porta usque ad portam centum cubitos.

24. Et

28. & 29. (*n*) De prædestinatis loquitur juxta Maldonatum. *Ab eis*, ab Ecclesia: *Eo quod effuderim spiritum meum*, quod effusissime eum diffuderim.

CAP. XL. 2. (*a*) Templi atria, & fabricæ moles, quasi speciem civitatis referebant. Quod describit, templum ipsum videtur Salomonis, ut ad illius instaurationem Judæi excitarentur, & ejus extaret forma quædam, juxta quam novum extruerent templum, quantum eorum facultates ferre possent. Hier. *Templum mysticum nos ad Christi Ecclesiam referimus, & quotidie in ejus Sanctis ædificari cernimus*. Nam ut ante animadverti, hoc templum quod nunc describitur, & ordo sacerdotii, terræque divisio & fertilitas, multo augustius est, quam quod Salomon extruxerat. Aliis tamen probabile videtur templi Hierosolymitani ionnem describi, augustiorem quidem, quod typum cum antitypo misceat, seu cum Ecclesia more Prophetarum: proponit vero formam templi Salomonis, ut ad templi instaurationem Judæorum spem erigat. Sed quorumdam Interpretum probabilis videtur sententia, hoc vaticinium etiam juxta litteralem sensum ad Ecclesiam solam & cœlestem Jerusalem pertinere. Ita præter cæteros Alcasar, & in Apoc. c. 3. ita ut templum Ezechielis sit spirituale & mysticum, sic censet D. Bossuet Episcopus Meldensis scribens in Apocal.

3. (*b*) Erat totus fulgidus & splendidus: Christum exhibet novi templi architectum: *Et calamus mensuræ*, seu mensoriu, quod partes omnes hujus templi ad normam veritatis & charitatis exigi deberent. *Murus*, extimus, qui totum ambiebat templum, seu peribolus.

5. (*c*) Cubitus sacer profanum excedebat uno palmo: sex cubitorum, & sex palmorum: Hebraismus: visus sum mihi videre domum, & murum extra illam per circuitum, templum scilicet: *Calamo uno*, posuit signum ad altitudinem unius cannæ.

6. (*d*) Hieron. Non per unum, *sed per plures gradus, quorum siletur numerus, ut ascensionis appareat difficultas, & quoscumque gradus tibi proposueris, scias minus esse ab eo, quod dubium relinquitur*. Prudenter iis subjicit: *Hæc breviter divinantis magis, quam explanantis animo diximus, volentes juxta litteram obscuram, & pene non apparentem picturam adumbrare*. Quamobrem cum singula persequi quæ ad structuram hujus templi, quod ab Ezechiele delineatur, difficillimum sit, ac plerique videatur describi templum Salomonis, quod instaurandum erat, de quo actum fuit in Annotationibus ad lib. 3. Regum: cumque satis verisimile sit hoc vaticinium de Ecclesia Dei sola, & cœlesti Jerusalem intelligi oportere etiam in litterali sensu, ut visum est nonnullis Interpretibus, quos citat Cornelius a Lapide scribens in hoc caput Ezechielis, adeo ut hoc templum sit omnino mysticum & spirituale, nihil necesse est facti textus verba singulatim exponere, ac licet nobis Annotationes prætermittere in alios hujus capitis versiculos, ad caput usque 43.

24. Et eduxit me ad viam Australem, & ecce porta, quæ respiciebat ad Austrum: & mensus est frontem ejus, & vestibulum ejus, juxta mensuras superiores.

25. Et fenestras ejus, & vestibula in circuitu, sicut fenestras ceteras: quinquaginta cubitorum longitudine, & latitudine vigintiquinque cubitorum.

26. Et in gradibus septem ascendebatur ad eam: & vestibulum ante fores ejus: & cælatæ palmæ erant, una hinc, & altera inde in fronte ejus.

27. Et porta atrii interioris in via Australi: & mensus est a porta usque ad portam in via Australi, centum cubitos.

28. Et introduxit me in atrium interius ad portam Australem: & mensus est portam juxta mensuras superiores.

29. Thalamum ejus, & frontem ejus, & vestibulum ejus eisdem mensuris: & fenestras ejus, & vestibulum ejus in circuitu quinquaginta cubitos longitudinis, & latitudinis vigintiquinque cubitos.

30. Et vestibulum per gyrum longitudine vigintiquinque cubitorum, & latitudine quinque cubitorum.

31. Et vestibulum ejus ad atrium exterius, & palmas ejus in fronte: & octo gradus erant, quibus ascendebatur per eam.

32. Et introduxit me in atrium interius per viam Orientalem: & mensus est portam secundum mensuras superiores.

33. Thalamum ejus, & frontem ejus, & vestibulum ejus, sicut supra: & fenestras ejus, & vestibula ejus in circuitu, longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine vigintiquinque cubitorum.

34. Et vestibulum ejus, id est atrii exterioris: & palmæ cælatæ in fronte ejus hinc & inde: & in octo gradibus ascensus ejus.

35. Et introduxit me ad portam, quæ respiciebat ad Aquilonem: & mensus est secundum mensuras superiores.

36. Thalamum ejus, & frontem ejus, & vestibulum ejus, & fenestras ejus per circuitum, longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine vigintiquinque cubitorum.

37. Et vestibulum ejus respiciebat ad atrium exterius: & cælaturam palmarum in fronte ejus hinc & inde: & in octo gradibus ascensus ejus.

38. Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum: ibi lavabant holocaustum.

39. Et in vestibulo portæ, duæ mensæ hinc & duæ mensæ inde: ut immoletur super eas holocaustum, & pro peccato, & pro delicto.

40. Et ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portæ, quæ pergit ad Aquilonem, duæ mensæ: & ad latus alterum ante vestibulum portæ, duæ mensæ.

41. Quatuor mensæ hinc, & quatuor mensæ inde: per latera portæ octo mensæ erant, super quas immolabant.

42. Quatuor autem mensæ ad holocaustum, de lapidibus quadris extructæ: longitudine cubiti unius & dimidii: & latitudine cubiti unius & dimidii: & altitudine cubiti unius: super quas ponant vasa, in quibus immolatur holocaustum, & victima.

43. Et labia earum palmi unius, reflexa intrinsecus per circuitum: super mensas autem carnes oblationis.

44. Et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ respicientis ad Aquilonem: & facies eorum contra viam Australem, una ex latere portæ Orientalis, quæ respiciebat ad viam Aquilonis.

45. Et dixit ad me: hoc est gazophylacium, quod respicit viam Meridianam, sacerdotum erit, qui excubant in custodiis templi.

46. Porro gazophylacium, quod respicit ad viam Aquilonis, sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium altaris: isti sunt filii Sadoc, qui accedunt de filiis Levi ad Dominum ut ministrent ei.

47. Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum, & latitudine centum cubitorum per quadrum: & altare ante faciem templi.

48. Et introduxit me in vestibulum templi: & mensus est vestibulum quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde: & latitudinem portæ trium cubitorum hinc, & trium cubitorum inde.

49. Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum, & latitudinem undecim cubitorum, & octo gradibus ascendebatur ad eam. Et columnæ erant in frontibus: una hinc, & altera inde.

CAPUT XLI.

Dispositio reædificandi Templi juxta partes singulas.

1. ET introduxit me in Templum, & mensus est frontes, sex cubitos latitudinis hinc, & sex cubitos inde, latitudinem tabernaculi.

2. Et latitudo portæ, decem cubitorum erat: & latera portæ, quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde: & mensus est longitudinem ejus quadraginta cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum.

3. Et introgressus intrinsecus mensus est in fronte portæ duos cubitos, & portam, sex cubitorum: & latitudinem portæ, septem cubitorum.

4. Et mensus est longitudinem ejus viginti cubitorum, & latitudinem ejus viginti cubitorum, ante faciem templi: & dixit ad me: Hoc est sanctum sanctorum.

5. Et mensus est parietem domus sex cubitorum: & latitudinem lateris quatuor cubitorum undique per circuitum domus.

6. Latera autem, latus ad latus, bis triginta tria: & erant eminentia, quæ ingrederentur per parietem domus, in lateribus per circuitum, ut continerent, & non attingerent parietem templi.

7. Et platea erat in rotundum: ascendens sursum per cochleam, & in cœnaculum templi deferebat per gyrum: idcirco latius erat templum in superioribus: & sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium.

8. Et vidi in domo altitudinem per circuitum, fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio:

9. Et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum: & erat interior domus in lateribus domus.

10. Et

10. Et inter gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus undique.

11. Et ostium lateris ad orationem: ostium unum ad viam Aquilonis, & ostium unum ad viam Australem: & latitudinem loci ad orationem, quinque cubitorum in circuitu.

12. Et ædificium, quod erat separatum, versumque ad viam respicientem ad mare, latitudinis septuaginta cubitorum: paries autem ædificii, quinque cubitorum latitudinis per circuitum: & longitudo ejus nonaginta cubitorum.

13. Et mensus est domus longitudinem, centum cubitorum: & quod separatum erat ædificium, & parietes ejus, longitudinis centum cubitorum.

14. Latitudo autem ante faciem domus, & ejus quod erat separatum contra Orientem, centum cubitorum.

15. Et mensus est longitudinem ædificii contra faciem ejus, quod erat separatum ad dorsum: ethecas ex utraque parte centum cubitorum: & templum interius, & vestibula atrii.

16. Limina, & fenestras obliquas, & ethecas in circuitu per tres partes, contra uniuscujusque limen, stratumque ligno per gyrum in circuitu: terra autem usque ad fenestras, & fenestræ clausæ super ostia.

17. Et usque ad domum interiorem, & forinsecus per omnem parietem in circuitu intrinsecus, & forinsecus, ad mensuram.

18. Et fabrefacta Cherubim & palmæ: & palma inter Cherub & Cherub, duasque facies habebat Cherub.

19. Faciem hominis juxta palmam ex hac parte, & faciem leonis juxta palmam ex alia parte, expressam per omnem domum in circuitu.

20. De terra usque ad superiora portæ, Cherubim, & palmæ cælatæ erant in pariete templi.

21. Limen quadrangulum, & facies Sanctuarii, aspectus contra aspectum.

22. Altaris lignei trium cubitorum altitudo, & longitudo ejus duorum cubitorum: & anguli ejus, & longitudo ejus, & parietes ejus lignei. Et locutus est ad me: Hæc est mensa coram Domino.

23. Et duo ostia erant in templo, & in sanctuario.

24. Et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola, quæ in se invicem plicabantur: bina enim ostia erant ex utraque parte ostiorum.

25. Et cælata erant in ipsis ostiis templi Cherubim, & sculpturæ palmarum, sicut in parietibus quoque expressæ erant: quam ob rem & grossiora erant ligna in vestibuli fronte forinsecus.

26. Super quæ fenestræ obliquæ, & similitudo palmarum hinc atque inde in humerulis vestibuli: secundum latera domus, latitudinemque parietum.

CAPUT XLII.

De gazophylaciis, ceterisque quæ ad sacrorum usum pertinent reædificandis.

1. ET eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad Aquilonem, & introduxit me in gazophylacium, quod erat contra separatum ædificium, & contra ædem vergentem ad Aquilonem.

2. In facie longitudinis, centum cubitos ostii Aquilonis: & latitudinis quinquaginta cubitos,

3. Contra viginti cubitos atrii interioris, & contra pavimentum stratum lapide atrii exterioris, ubi erat porticus juncta porticui triplici.

4. Et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis, ad interiora respiciens viæ cubiti unius. Et ostia eorum ad Aquilonem:

5. Ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora: quia supportabant porticus, quæ ex illis eminebant de inferioribus, & de mediis ædificii.

6. Tristega enim erant, & non habebant columnas, sicut erant columnæ atriorum: propterea eminebant de inferioribus, & de mediis a terra cubitis quinquaginta.

7. Et peribolus exterior secundum gazophylacia, quæ erant in via atrii exterioris ante gazophylacia: longitudo ejus quinquaginta cubitorum.

8. Quia longitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris, quinquaginta cubitorum: & longitudo ante faciem templi, centum cubitorum.

9. Et erat subter gazophylacia hæc introitus ab Oriente ingredientium in ea de atrio exteriori.

10. In latitudine periboli atrii, quod erat contra viam Orientalem, in faciem ædificii separati, & erant ante ædificium gazophylacia.

11. Et via ante faciem eorum, juxta similitudinem gazophylaciorum, quæ erant in via Aquilonis: secundum longitudinem eorum, sic & latitudo eorum: & omnis introitus eorum, & similitudines, & ostia eorum.

12. Secundum ostia gazophylaciorum, quæ erant in via respiciente ad Notum: ostium in capite viæ: quæ via erat ante vestibulum separatum per viam Orientalem ingredientibus.

13. Et dixit ad me: Gazophylacia Aquilonis, & gazophylacia Austri, quæ sunt ante ædificium separatum: hæc sunt gazophylacia sancta: in quibus vescuntur sacerdotes qui appropinquant ad Dominum in sancta sanctorum: ibi ponent sancta sanctorum, & oblationem pro peccato, & pro delicto: locus enim sanctus est.

14. Cum autem ingressi fuerint sacerdotes, non egredientur de sanctis in atrium exterius: & ibi reponent vestimenta sua, in quibus ministrant, quia sancta sunt: vestienturque vestimentis aliis, & sic procedent ad populum.

15. Cumque complesset mensuras domus interioris, eduxit me per viam portæ, quæ respiciebat ad viam Orientalem: & mensus est eam undique per circuitum.

16. Men-

16. Mensus est autem contra ventum Orientalem calamo mensuræ, quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum.

17. Et mensus est contra ventum Aquilonis quingentos calamos in calamo mensuræ per gyrum.

18. Et ad ventum Australem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum.

19. Et ad ventum Occidentalem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ.

20. Per quatuor ventos mensus est murum ejus undique per circuitum, longitudinem quingentorum cubitorum, & latitudinem quingentorum cubitorum, dividentem inter sanctuarium & vulgi locum.

C A P U T XLIII.

De gloria Domini, de altari, & sacrificiis.

1. ET duxit me ad portam, quæ respiciebat ad viam Orientalem.

2. Et ecce gloria (*a*) Dei Israel ingrediebatur per viam Orientalem: & vox erat ei quasi vox aquarum multarum, & terra splendebat a majestate ejus.

*Sup. 9. 1. 3. * Et vidi visionem secundum speciem, quam videram, quando venit ut disperderet
*Sup. 1. 1. civitatem: & species secundum aspectum, * quem videram juxta fluvium Chobar: & cecidi super faciem meam.

4. Et majestas Domini ingressa est templum per viam portæ, quæ respiciebat ad Orientem.

5. Et elevavit me spiritus, & introduxit me in atrium interius: & ecce repleta erat gloria Domini domus.

6. Et audivi loquentem ad me de domo, & vir qui stabat juxta me,

7. Dixit ad me: Fili hominis, locus solii (*b*) mei, & locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in æternum: & non polluent ultra domus Israel nomen sanctum meum, ipsi & reges eorum in fornicationibus suis, & in ruinis regum suorum, & in excelsis.

8. Qui fabricati sunt limen suum juxta limen meum, & postes suos juxta postes meos: & murus erat inter me & eos: & polluerunt (*c*) nomen sanctum meum in abominationibus, quas fecerunt: propter quod consumpsi eos in ira mea.

9. Nunc ergo repellant procul fornicationem suam, & ruinas regum suorum a me: & habitabo in medio eorum semper.

10. Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam:

11. Et erubescant ex omnibus, quæ fecerunt: Figuram domus, & fabricæ ejus exitus (*d*), & introitus, & omnem descriptionem ejus, & universa præcepta ejus, cunctumque ordinem ejus, & omnes leges ejus ostende eis, & scribes in oculis eorum: ut custodiant omnes descriptiones ejus, & præcepta illius, & faciant ea.

12. Ista est lex domus in summitate montis: Omnis finis ejus in circuitu, sanctum sanctorum est: hæc est ergo lex domus.

13. Istæ autem mensuræ altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum, & palmum: in sinu (*e*) ejus erat cubitus, & cubitus in latitudine, & definitio ejus usque ad labium ejus, & in circuitu, palmus unus: hæc quoque erat fossa altaris.

14. Et de sinu terræ usque ad crepidinem (*f*) novissimam duo cubiti, & latitudo cubiti unius: & a crepidine minore usque ad crepidinem majorem quatuor cubiti, & latitudo cubiti unius.

15. Ipse autem Ariel (*g*) quatuor cubitorum: & ab Ariel usque ad sursum, cornua quatuor.

16. Et Ariel duodecim cubitorum (*h*) in longitudine per duodecim cubitos latitudinis: quadrangulatum æquis lateribus.

17. Et crepido (*i*) quatuordecim cubitorum longitudinis, per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor angulis ejus: & corona in circuitu ejus dimidii cubiti, & sinus ejus unius cubiti per circuitum: gradus autem ejus versi ad Orientem.

18. Et dixit ad me: Fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Hi sunt ritus (*k*) altaris, in quacumque die fuerit fabricatum: ut offeratur super illud holocaustum, & effundatur sanguis.

19. Et dabis Sacerdotibus, & Levitis, qui sunt de semine Sadoc, qui accedunt ad me, ait Dominus Deus, ut offerant mihi vitulum de armento pro peccato.

20. Et

CAPUT XLIII. 2. (*a*) Figura gloriam Dei referens, quam viderat cap. 1. *Aquarum multarum*, vox Dei; Hieron. *Omnium scilicet in toto orbe populorum: Et terra splendebat; Quod in adventu Christi factum est: Portæ*, quæ exterat: Quod erat populi Israelitici cum Deo reconciliati argumentum.

7. (*b*) Quod ad Ecclesiam proprie pertinet. Hieron. *Vir autem*, inquit, *qui stabat juxta Prophetam, dixit ad eum, quem perspicue Dominum intelligimus.*

8. (*c*) Non omnis qui peccat, dicitur polluere nomen Dei: non enim id dicitur de gentibus, sed de iis qui fidem veram profitentur, nec vivunt tamen, ut fides ac religio præscribit. Præcipue autem ii polluunt, quorum professio sanctior est, ut sacerdotes. *Et in ruinis regum suorum*, in cadaveribus regum, ut Amon, & Manasses, qui sepulti sunt prope templum, idque profanarant. *Et non polluent*, quæ non ad templum Jerusalem, sed ad cælestis Jerusalem templum pertinent.

11 & 12. (*d*) Hebr. Rationem & ordinem fabricæ: *Lex; hæc* est templi descriptio, totus ille peribolus: itaque vel ad præterita pertinet, vel ad ea quæ dicenda sunt postea.

13. (*e*) In cavitate, quæ pavimento marmoreo incisa erat, quæque altare cingebat, in quam fundebatur sanguis victimarum, qui per subterraneos meatus decurrebat in torrentem. *Et definitio ejus*, margo extremorum. *Hæc quoque erat fossa altaris*; altare vocat quidquid super fundamentum erat superstructum.

14. (*f*) Inferiorem: hanc minorem appellat, quod haberet tantum duos cubitos altitudinis; duæ erant crepidines, seu margines, in quibus sacerdotes poterant altare circumire.

15 (*g*) Suprema pars altaris: Hebr. *Harel*, aut *Ariel*, אריאל, quibusdam *mons Dei*, si per *he* scribatur loco *aleph*: alii *Leonem Dei* interpretantur, quod devoraret victimas. Ex mensura liquet *Ariel* esse crepidinem superiorem altaris.

16. (*h*) Ariel quadratum, latus unum quoque erat 12. cubitorum.

17. (*i*) Crepido inferior: totius altaris altitudo erat septem cubitorum: nam basis altitudo erat cubiti unius, crepido inferior duorum, Ariel quatuor: & corona in circuitu dimidii cubiti; *Et sinus ejus cubiti unius*, basis, seu fundamentum, adeo ut sit repetitio versiculi 13.

18. 21. 26. & 27. (*k*) Quos e Levitico repete: vel hæc est forma, aut mensura altaris. *Extra sanctuarium*; est enim publica altaris profanati expiatio. *Implebunt*, consecrabunt: vel superficiem altaris oblationibus suis implebunt. *Facient*, efficient.

20. Et assumens de sanguine ejus, pones super quatuor cornua ejus, & super quatuor angulos crepidinis, & super coronam in circuitu: & mundabis illud, & expiabis.

21. Et tolles vitulum, qui oblatus fuerit pro peccato: & combures eum in separato loco domus extra sanctuarium.

22. Et in die secunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato: & expiabunt altare, sicut expiaverunt in vitulo.

23. Cumque compleveris expians illud, offeres vitulum de armento immaculatum, & arietem de grege immaculatum.

24. Et offeres eos in conspectu Domini: & mittent sacerdotes super eos sal, & offerent eos holocaustum Domino.

25. Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie: & vitulum de armento, & arietem de pecoribus, immaculatos offerent.

26. Septem diebus expiabunt altare, & mundabunt illud, & implebunt manum ejus.

27. Expletis autem diebus, in die octava & ultra, facient sacerdotes super altare holocausta vestra, & quæ pro pace offerunt: & placatus ero vobis, ait Dominus Deus.

CAPUT XLIV.

De porta sanctuarii clausa leges sacerdotibus imposita.

1. ET convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad Orientem: & erat clausa (*a*).

2. Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa (*b*) erit: non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa

3. Principi. Princeps (*c*) ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino: per viam portæ vestibuli ingredietur, & per viam ejus egredietur.

4. Et adduxit me per viam portæ Aquilonis in conspectu domus: & vidi, & ecce implevit gloria Domini domum Domini: & cecidi in faciem meam.

5. Et dixit ad me Dominus: Fili hominis pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te de universis cæremoniis domus Domini, & de cunctis legibus ejus: & pones cor tuum in viis templi per omnes exitus sanctuarii.

6. Et dices ad exasperantem me domum Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Sufficiant vobis omnia scelera vestra domus Israel:

7. Eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde, & incircumcisos carne, ut sint in sanctuario meo, & polluant domum meam: & offertis panes (*d*) meos, adipem, & sanguinem: & dissolvitis pactum meum in omnibus sceleribus vestris.

8. Et non servastis præcepta sanctuarii mei: & posuistis custodes observationum mearum in sanctuario meo vobismetipsis.

9. Hæc dicit Dominus Deus: Omnis alienigena incircumcisus corde, & incircumcisus carne, non ingredietur sanctuarium meum, omnis filius alienus qui est in medio filiorum Israel.

10. Sed & Levitæ (*e*), qui longe recesserunt a me in errore filiorum Israel, & erraverunt a me post idola sua, & portaverunt iniquitatem suam:

11. Erunt in sanctuario meo æditui, & janitores (*f*) portarum domus, & ministri domus: ipsi mactabunt holocausta & victimas populi: & ipsi stabunt in conspectu eorum, ut ministrent eis.

12. Pro eo quod ministraverunt (*g*) illis in conspectu idolorum suorum, & facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis: idcirco levavi manum meam super eos, ait Dominus Deus, & portabunt iniquitatem suam:

13. Et non appropinquabunt ad me, ut sacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne sanctuarium meum juxta sancta sanctorum: sed portabunt confusionem suam, & scelera sua quæ fecerunt.

14. Et dabo eos janitores domus in omni ministerio ejus, & in universis, quæ fient in ea.

15. Sacerdotes autem & Levitæ filii Sadoc, qui custodierunt cæremonias sanctuarii mei, cum errarent filii Israel a me, ipsi accedent ad me ut ministrent mihi: & stabunt in conspectu meo ut offerant mihi adipem & sanguinem, ait Dominus Deus.

16. Ipsi ingredientur sanctuarium meum, & ipsi accedent ad mensam meam, ut ministrent mihi, & custodiant cæremonias meas.

17. Cumque ingredientur portas atrii interioris, vestibus lineis induentur: nec ascendet super eos quidquam laneum, quando ministrant in portis atrii interioris & intrinsecus.

18. Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum, & feminalia linea erunt in lumbis eorum, & non accingentur in sudore (*h*).

19. Cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis suis, in quibus ministraverant, & reponent ea in gazophylacio sanctuarii, & vestient se vestimentis aliis: & non sanctificabunt populum in vestibus suis.

20. Caput

CAPUT XLIV. 1. (*a*) Sanctuarium illud exterius erat vestibulum; dicitur *sanctuarium*, quod pars esset domus Domini: cum gloria Domini per eam portam intrasset, clausa est porta, populo scilicet: nam sacerdotes per illam transire poterant.

2. (*b*) In usum principis futura est, non ut ingrediatur per eam, sed ut in limine ejus sedeat, & spectet sacrificia, cum sacris interfuerit: nam soli sacerdotes per eam intrabant. Allegorice uterum virginalem supremo Principi apertam designat. Hieron. *Pulcre quidam portam clausam, per quam solus Dominus Israel ingreditur, Mariam virginem intelligunt.* Incarnatio per gloriam Domini figuratur.

3. (*c*) Ibique edet, partes victimarum duas offeret. *Vestibuli;* atrii orientalis.

7. (*d*) Panes & victimas, quæ ab alienigenis accepistis, quod vetitum erat Levit. 22. *Vobismetipsis*, nutu vestro, non ex mea voluntate.

10. (*e*) Non ad solos Levitas, sed & ad Sacerdotes quoque hæc spectant, uti ex sequentibus liquet.

11. (*f*) Hieron. *Pro sacerdotali enim officio redigentur in ultimum gradum, & erunt janitores in ignominiam sempiternam:* & infra; *Symmachus ordinem Lectionis sensumque considerans, melius interpretatus est, dicens: Posuerunt enim eos custodes januarum domus, ut non ad eos pertineat qui futuri sunt in templo, sed ad eos qui fuerunt.*

12. (*g*) Populo in idololatriis servieturi.

18. & 19. (*h*) Adstricte nimis, ut ad ministeria sint expediti. Non *sanctificabunt*: ne populus vestes sanctas tangat, & noxam contrahat.

20. Caput autem suum non radent (*i*), neque comam nutrient: sed tondentes attondent capita sua.

21. Et vinum non bibet omnis sacerdos quando ingressurus est atrium interius.

* Lev. 21. 14. 22. * Et viduam, & repudiatam non accipient uxores, sed virgines de semine domus Israel: sed & viduam, quæ fuerit vidua a sacerdote, accipient.

23. Et populum meum docebunt quid sit inter sanctum & pollutum, & inter mundum & immundum ostendent eis.

24. Et cum fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, & judicabunt: leges meas, & præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient, & sabbata mea sanctificabunt.

25. Et ad mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur, nisi ad patrem & matrem, & filium & filiam, & fratrem & sororem, quæ alterum virum non habuerit: in quibus contaminabuntur.

26. Et postquam fuerit emundatus, septem dies numerabuntur ei.

27. Et in die introitus sui in sanctuarium ad atrium interius, ut ministret mihi in sanctuario, offeret pro peccato suo, ait Dominus Deus.

* Num. 18 20. Deut. 18. 1. 28. * Non erit autem eis hæreditas, ego hæreditas eorum: & possessionem non dabitis eis in Israel; ego enim possessio eorum.

29. Victimam & pro peccato & pro delicto ipsi comedent: & omne votum in Israel ipsorum erit.

* Exod 22. 29. 30. * Et primitiva (*k*) omnium primogenitorum, & omnia libamenta ex omnibus quæ offeruntur, sacerdotum erunt: & primitiva ciborum vestrorum dabitis sacerdoti, ut reponat benedictionem domui tuæ.

* Lev. 22. 8. 31. * Omne morticinium, & captum a bestia de avibus & de pecoribus non comedent Sacerdotes.

CAPUT XLV.

In quatuor partes Jerosolymam secat, ut nonnullis videtur, primam templo & sacerdotibus, secundam Levitis, tertiam civibus, quartam principi destinat.

1. Cumque cœperitis terram dividere sorti- to (*a*), separate primitias Domino, sanctificatum de terra, longitudine vigintiquinque millia, & latitudine decem millia: sanctificatum erit in omni termino ejus per circuitum.

2. Et erit ex omni parte sanctificatum quingentos per quingentos, quadrifariam per circuitum: & quinquaginta cubitis in suburbana ejus per gyrum.

3. Et a mensura ista mensurabis longitudinem vigintiquinque millium, & latitudinem decem millium, & in ipso erit templum, sanctumque sanctorum.

4. Sanctificatum de terra erit sacerdotibus ministris sanctuarii, qui accedunt ad ministerium Domini: & erit eis locus in domos, & in sanctuarium sanctitatis.

5. Vigintiquinque autem millia longitudinis, & decem millia latitudinis erunt Levitis, qui ministrant domui: ipsi possidebunt viginti gazophylacia.

6. Et possessionem civitatis dabitis quinque millia latitudinis, & longitudinis vigintiquinque millia, secundum separationem sanctuarii, omni domui Israel.

7. Principi quoque hinc & inde in separationem sanctuarii, & in possessionem civitatis, contra faciem separationis sanctuarii, & contra faciem possessionis urbis: a latere Maris usque ad Mare, & a latere Orientis usque ad Orientem: Longitudinis autem juxta unamquamque partem a termino Occidentali usque ad terminum Orientalem.

8. De terra erit ei possessio in Israel: & non depopulabuntur ultra principes populum meum: sed terram dabunt domui Israel secundum tribus eorum.

9. Hæc dicit Dominus Deus: Sufficiat vobis principes Israel: iniquitatem & rapinas intermittite, & judicium & justitiam facite, separate confinia vestra a populo meo, ait Dominus Deus.

10. Statera justa, & ephi justum, & batus justum erit vobis.

11. Ephi & batus æqualia, & unius mensuræ erunt: ut capiat decimam partem cori batus, & decimam partem cori ephi: juxta mensuram cori erit æqua libratio eorum.

12. * Siclus autem viginti obolos habet. * Exod 30. 13.
Porro viginti sicli, & vigintiquinque sicli, & Lev. 27. 25.
quindecim sicli, mnam faciunt. Num. 3. 47.

13. Et hæ sunt primitiæ, quas tolletis: sextam partem ephi de coro frumenti, & sextam partem ephi de coro hordei:

14. Mensura quoque olei, batus olei, decima pars cori est: & decem bati corum faciunt: quia decem bati implent corum.

15. Et arietem unum de grege ducentorum de his, quæ nutriunt Israel in sacrificium, & in holocaustum, & in pacifica, ad expiandum pro eis, ait Dominus Deus.

16. Omnis populus terræ tenebitur primitiis his principi in Israel.

17. Et

20. (*i*) Concilium Carthaginense V. *Clerici neque comam nutriant, neque barbam* Concil. Tolet. IV. formam tonsuræ Clericalis præscribit. Quæ in comment. ait Hieron. vel quisquis alius: *Nec rasis capitibus, sicut cultores & Sacerdotes Isidis atque Serapis; nec comam demittere nos debere*, quod barbarorum est: consuetudine Ecclesiasticæ non adversatur; sed contra eos disserit, qui vana superstitione instar gentilium se radebant, aut muliebri mollitie barbam omnem penitus vellicantes comam instar mulierum nutriebant: in Ecclesiastica radendi consuetudine honestati consulitur, & spineæ coronæ significatio manet.

30. (*k*) Hieron. *Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina eorum si peccant; lætemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum; non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimioribus corruisse.* Primogenitorum, utrumque consulari solet, primitiæ & primogenita, quidquid aut animal, aut terra primum gignit. *Libamenta*, decimas, quas Levitæ ex oblatis dabant sacerdotibus.

1 (*a*) Ex Dei arbitrio: sed quia vocaverat hæreditatem, quæ sortito dividi solet, hac utitur voce; quæ divisio facta non est, seu Judæi ab hostibus circumiectis prohibiti fuerint, seu illa figurate tantum præscripta sint a Deo, & impleta in Ecclesia. Quod quidem verisimilius est: nam templi, & urbis fabrica mystice est intelligenda, uti ex c. 21. & 22. Apoc. colligit Illustriss. Meldensis Episcopus. Nam Apoc. 21. 15. verba ipsa Ezechiel cap. 40 Joannes Apostolus usurpat, & cap. 22. de fluvio aquæ vitæ loquitur; in Ezechiele, c. 47. v. 1. uterque æternam felicitatem his aquis exprimit, adeo ut non aliud videatur esse templum Prophetæ præter illud ipsum, quod in Apocalypsi designatur, qua de re supra egimus. CAP. XLV.

17. Et super principem erunt holocausta, & sacrificium, & libamina in solemnitatibus, & in Calendis, & in Sabbatis, & in universis solemnitatibus domus Israel: ipse faciet pro peccato sacrificium, & holocaustum, & pacifica ad expiandum pro domo Israel.

18. Hæc dicit Dominus Deus: In primo mense, una mensis, sumes vitulum de armento immaculatum, & expiabis sanctuarium.

19. Et tollet sacerdos de sanguine quod erit pro peccato: & ponet in postibus domus, & in quatuor angulis crepidinis altaris, & in postibus portæ atrii interioris.

20. Et sic facies in septima mensis, pro unoquoque qui ignoravit, & errore deceptus est, & expiabis pro domo.

21. In primo mense, quartadecima die mensis, erit vobis Paschæ solemnitas: septem diebus azyma comedentur.

22. Et faciet princeps in die illa pro se, & pro universo populo terræ, vitulum pro peccato.

23. Et in septem dierum solemnitate faciet holocaustum Domino septem vitulos, & septem arietes immaculatos quotidie septem diebus: & pro peccato hircum caprarum quotidie.

24. Et sacrificium ephi per vitulum, & ephi per arietem faciet: & olei hin per singula ephi.

25. Septimo mense, quintadecima die mensis in solemnitate, faciet sicut supra dicta sunt per septem dies; tam pro peccato, quam pro holocausto, & in sacrificio, & in oleo.

CAPUT XLVI.

Porta tantum Sabbatis & Calendis aperienda: de sacrificiis a principe offerendis.

1. HÆc dicit Dominus Deus: Porta atrii interioris (*a*), quæ respicit ad Orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus fit: die autem sabbati aperietur, sed & in die Calendarum aperietur.

2. Et intrabit princeps per viam vestibuli (*b*) portæ deforis, & stabit in limine portæ, & facient sacerdotes holocaustum ejus, & pacifica ejus: & adorabit super limen portæ, & egredietur: porta autem non claudetur usque ad vesperam.

3. Et adorabit populus terræ ad ostium portæ illius in sabbatis, & in Calendis coram Domino.

4. Holocaustum autem hoc offeret princeps Domino: in die sabbati sex agnos immaculatos, & arietem immaculatum.

5. Et sacrificium ephi per arietem (*c*): in agnis autem sacrificium quod dederit manus ejus: & olei hin per singula ephi.

6. In die autem Calendarum vitulum de armento immaculatum: & sex agni, & arietes immaculati erunt.

7. Et ephi per vitulum, ephi quoque per arietem faciet sacrificium: de agnis autem, sicut invenerit manus ejus: & olei hin per singula ephi.

8. Cumque ingressurus est princeps, per viam vestibuli portæ (*d*) ingrediatur, & per eamdem viam exeat.

9. Et cum intrabit populus terræ in conspectu Domini in solemnitatibus: qui ingreditur per portam Aquilonis, ut adoret, egrediatur per viam portæ Meridianæ: porro qui ingreditur per viam portæ Meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis: non revertetur per viam portæ, per quam ingressus est, sed e regione illius egredietur.

10. Princeps (*e*) autem in medio eorum cum ingredientibus ingredietur, & cum egredientibus egredietur.

11. Et in nundinis (*f*), & in solemnitatibus erit sacrificium ephi per vitulum, & ephi per arietem: agnis autem erit sacrificium, sicut invenerit manus ejus: & olei hin per singula ephi.

12. Cum autem fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino: aperietur ei porta, quæ respicit ad Orientem, & faciet holocaustum suum, & pacifica sua, sicut fieri solet in die sabbati: & egredietur, claudeturque porta postquam exierit.

13. Et agnum ejusdem anni immaculatum faciet holocaustum quotidie Domino: semper mane faciet illud.

14. Et faciet sacrificium super eo cata mane mane (*g*) sextam partem ephi, & de oleo tertiam partem hin, ut misceatur similæ: sacrificium Domino legitimum, juge atque perpetuum.

15. Faciet agnum, & sacrificium, & oleum cata mane mane: holocaustum sempiternum.

16. Hæc dicit Dominus Deus: si dederit princeps donum alicui de filiis suis: hæreditas ejus, filiorum suorum erit, possidebunt eam hæreditarie.

17. Si autem dederit legatum de hæreditate sua uni servorum suorum, erit illius usque ad annum remissionis, & revertetur ad principem: hæreditas autem ejus, filiis ejus erit.

18. Et non accipiet (*h*) princeps de hæreditate populi per violentiam, & de possessione eorum: sed de possessione sua hæreditatem dabit filiis suis: ut non dispergatur populus meus unusquisque a possessione sua.

19. Et

CAPUT XLVI.

1. (*a*) Seu atrii Sacerdotum: *Clausa erit sex diebus*, sabbato aperta, quo major esset in locum sacrum reverentia.

2. (*b*) Per portam orientalem atrii exterioris. *Et facient*, immolabunt pro eo: privilegium autem erat principis ut per portam Orientis atrii exterioris ingrederetur, populus per portam meridionalem & septentrionalem. Verum nomine principis *Messias*, seu Christus recte intelligitur. Post hæc enim fuerunt tantum duces, non reges Judæ. Princeps itaque Christus, qui nec proficit, nec deficit, sive ad nos descendat, sive in cælum conscendat, eadem majestatis suæ utitur libertate.

5. (*c*) Hebr. *Minha epha*. מנחה איפה. *Oblatio epha*: in singulos arietes similæ mensura præscribitur.

8. & 9. (*d*) Portam vestibuli supra nominatam. *Ingredietur*, ut in tanta populi turba expeditior esset transitus.

10. (*e*) Quicumque regnaverit, ingredietur per portam orientalem, quæ media est inter meridionalem & septentrionalem: eodem tempore cum aliis ingredietur & egredietur, sed non per eamdem portam orientalem.

11. & 14. (*f*) In festis. *Mane*, id est, singulis temporibus

14 & 17. (*g*) Singulis diebus mane. *Servorum*, Subditorum; revertetur ad principem anno remissionis, seu Jubileo.

18 (*h*) Quod itaque, 1. Reg. 8. a Samuele exponente jus regis dictum fuit, *Agros quoque, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis*, per hunc hæc his locum exponitur, ubi quid liceat principi ex jure naturali & divino præscribitur: lib. 1. Reg. non quid liceat, sed quantum sibi per vim usurparent reges nationum, exprimitur: nam ipsi postulantes regem dixerant. *Sicut habent cateræ nationes*. Id vero ad sacerdotes novæ legis extendit Hieron. *Qui dittor est sacerdos, quam cum venit ad sacerdotium, quidquid plus habuerit, non filiis debet dare, sed pauperibus, & sanctis fratribus, & domesticis fidei, qui vincunt merita liberorum.*

19. Et introduxit me per ingressum, qui erat ex latere portæ, in gazophylacia sanctuarii ad sacerdotes, quæ respiciebant ad Aquilonem: & erat ibi locus vergens ad Occidentem.

20. Et dixit ad me: Iste est locus ubi coquent sacerdotes pro peccato, & pro delicto: ubi coquent sacrificium, ut non efferant in atrium exterius, & sanctificetur (*i*) populus.

21. Et eduxit me in atrium exterius, & circumduxit me per quatuor angulos atrii: & ecce atriolum (*k*) erat in angulo atrii, atriola singula per angulos atrii.

22. In quatuor angulis atrii atriola disposita, quadraginta cubitorum per longum, & triginta per latum: mensuræ unius quatuor erant.

23. Et paries per circuitum ambiens quatuor atriola: & culinæ fabricatæ erant subter porticus per gyrum.

24. Et dixit ad me: Hæc est domus culinarum, in qua coquent ministri domus Domini victimas populi.

CAPUT XLVII.

Aquæ subter limen domus egredientes torrentem efficiunt, qui sanat omnia quæ tetigerit.

1. ET convertit me ad portam domus, & ecce aquæ (*a*) egrediebantur subter limen domus ad Orientem: facies enim domus respiciebat ad Orientem: aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad Meridiem altaris.

2. Et eduxit me per viam portæ Aquilonis, & convertit (*b*) me ad viam foras portam exteriorem, viam quæ respiciebat ad Orientem: & ecce aquæ redundantes a latere dextro:

3. Cum egrederetur vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu sua, & mensus est mille cubitos: & traduxit me per aquam usque ad talos.

4. Rursumque mensus est mille, & traduxit me per aquam usque ad genua:

5. Et mensus est mille, & traduxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille, torrentem, quem non potui pertransire: quoniam intumuerant (*c*) aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari.

6. Et dixit ad me: Certe vidisti (*d*) fili hominis. Et eduxit me, & convertit ad ripam torrentis.

7. Cumque me convertissem, ecce in ripa torrentis ligna (*e*) multa nimis ex utraque parte.

8. Et ait ad me: Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad tumulos sabuli (*f*) Orientalis, & descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, & exibunt, & sanabuntur aquæ.

9. Et omnis anima vivens, quæ serpit (*g*), quocumque venerit torrens, vivet: & erunt pisces multi satis postquam venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur, & vivent omnia, ad quæ venerit torrens.

10. Et stabunt super illas piscatores, ab Engaddi (*h*) usque ad Engallim siccatio sagenarum erit: plurimæ species erunt piscium ejus, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ:

11. In littoribus autem ejus, & in palustribus non sanabuntur, quia in salinas (*i*) dabuntur.

12. Et super torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum (*k*): non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus ejus: per singulos menses afferet primitiva, quia aquæ ejus de sanctuario egredientur: & erunt fructus ejus in cibum, & folia ejus ad medicinam.

13. Hæc

10. (*i*) Et non sanctificetur, ubi & cap. 44. v. 19. de vestibus Sacerdotum, quas reponere tenebantur in gazophylacio Sanctuarii: *Et non sanctificabunt populum in vestibus suis*. Quod enim res sacras contingebat, id erat sanctificatum, & quasi consecratum, Exod. 30.

21. (*k*) In quatuor angulis erant quatuor atriola coquendis carnibus sacrificiorum destinata. Sub his porticibus culinæ erant, in quibus Levitæ coquebant eas victimarum populi partes, quæ ex altari ad offerentes pertinebant, quas etiam in iisdem atriolis comedebant: hæc atriola erant in quatuor angulis atrii exterioris, seu Israelitici.

CAPUT XLVII. 1. (*a*) Ad portam templi orientalem. Aquæ illæ per subterraneos ductus subter templum decurrentes, quæ victimas alluebant, & atrium expurgabant, salutares Baptismi aquas & Ecclesiæ doctrinam significant. Exeunt e templo ad sanationem gentium, magis & magis redundant propter multitudinem gentium, quæ ad Baptismum veniunt; vitam præbent omni animali, sed in locis palustribus sunt insalubres; nam qui lacunas sequuntur perversorum dogmatum, non vitam, sed mortem inveniunt. De his aquis Christus Dominus cum Samaritana verba faciebat. Item Joann. 7. *Si quis sitit, veniat ad me*. De his loquitur ipse Ezechiel, cap. 36. & Joannes in Apoc. cap. 21.

2. (*b*) Vatabl. Et *circuire me fecit* in viam foras ducentem ad portam exteriorem septentrionalem, in viam, quæ tendit in Orientem. *Per portam aquilonarem atrii*; nam in templo non erat porta aquilonaris, aut meridionalis: *Per viam portæ*, per portam.

5. (*c*) Hoc aquarum incrementum significat Ecclesiam, & Evangelicam legem, ex parvis initiis per totum orbem propagandam. Nam in Scripturis aquarum abundantia rerum omnium copia designatur. Quod habetur in Hebræo non potest converti. *Qui non potest transvadari*. Hieronym. *Quis enim hominum glorıari potest castum se habere cor, vel ad cujus mentem per oculorum fenestras mors concupiscentiæ non introibit. Et ad torum descendit, animi stillavit?*

6. (*d*) Hebr. *An vidisti?* An diligenter observasti hunc torrentem, quidve significet?

7. (*e*) Ligna ad ripam torrentis, seu Jordanis, qui impetu fluit in mare mortuum, fideles exprimunt.

8. (*f*) Hebr. *el hagelila*, אל הגלילה, LXX. vertunt, *ad Galilæam orientalem*: vox enim Hebræa potest esse & nomen proprium hujusce regionis, & alia etiam significare. Dicit enim Hieronymus: Aquila interpretatus est θῖνας, quod *tumulos arenarum* significat: Symmachus μεθόριον, quod possumus transferre *confinium*. Aquilam sequitur Hieronymus. Aquæ cursu suo multas arenas secum trahunt: descendunt in planitiem deserti, ubi subeunt mare mortuum, ita ut hujus maris aquæ amaræ & insalubres fluminis ingressu dulciores fiant & salubriores, ac pisces, qui prius præ salsedine moriebantur, in illa aqua vivant. Sed ex Hieron. Baptismi aquas nobis exhibent: *Quæ si egrediantur de limine templi Domini, & Apostolicam teneant disciplinam, tumulos sabuli steriles prius & infertiles faciunt esse frugiferos .... in tantum, ut ubi prius sterilitas fuerit & mors, ibi esset ubertas & vita .... mirumque in modum aquis Evangelicis aquæ sanantur mortuæ, quæ ab eo quod nihil vitale habeant, nomen mortis sortitæ sunt*.

9. (*g*) Pisces omnes: nam de iis tantum agitur. *Vivet, & erunt pisces multi*: nam aqua Baptismi a latere Christi vim habet vivificandi.

10. (*h*) *Engaddi* est civitas in finibus maris mortui: *Engallim* vicus ad initium hujus maris: erit exsiccatio sagenarum per totum illum tractum, & captura piscium *super illis*, Hebr. *super illum*, nempe torrentem in duos rivos divisum. Torrens ille est Ecclesia, mare mundus, Apostoli piscatores.

11. (*i*) Littora quæ hoc torrente medium maris penetrante non alluuntur, & palustres sinus non sanabuntur, sed relinquentur in salsugine, & sterilitate sua, ut punitione sua aliis sint exemplo, qui prudentiores fiant. Hieron. *Illud latenter ostendit, quod qui in arca Noe non fuerit, pereat, regnante diluvio; & quos iste fluvius non attigerit, non suscipiant sanitatem*.

12. (*k*) His similia vidit Joannes Apocal. cap. 22. Atque arbores omnes, quas vidit Ezechiel, lignum vitæ, seu sapientiam ipsam ex cap. 3. Proverbiorum efficiunt. Novorum fructum ferant illæ arbores: *quia aquæ ejus de sanctuario egredientur*: *Neque enim qui plantat, est aliquid*, &c. Apud hereticos & philosophos omnia sunt sterilia: nam aquis e sanctuario manantibus non irrigantur, & Scripturis non utuntur juxta Ecclesiæ sensum expositis. Hæc ad Scripturam sacram accommodat Hieronymus; cujus historicus sensus in cibum est, spiritualis in medicinam: nam mores corrigit.

13. Hæc dicit Dominus Deus: Hic est terminus (*l*), in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israel: quia Joseph duplicem funiculum habet.

14. Possidebitis autem eam singuli æque ut frater suus: super quam levavi manum meam ut darem patribus vestris: & cadet terra hæc vobis in possessionem.

15. Hic est autem terminus terræ: ad plagam Septentrionalem, a mari magno via Hethalon (*m*) venientibus Sedada,

16. Emath, Berotha, Sabarim, quæ est inter terminum Damasci & confinium Emath, domus Tichon (*n*), quæ est juxta terminum Auran.

17. Et erit terminus (*o*) a Mari usque ad atrium Enon terminus Damasci, & ab Aquilone ad Aquilonem: terminus Emath plaga Septentrionalis.

18. Porro plaga Orientalis de medio Auran (*p*), & de medio Damasci, & de medio Galaad, & de medio terræ Israel, Jordanis disterminans ad Mare Orientale, metiemini etiam plagam Orientalem.

19. Plaga autem australis meridiana a Thamar (*q*) usque ad aquas contradictionis Cades: & torrens usque ad mare magnum: & hæc est plaga ad Meridiem australis.

20. Et plaga Maris, mare magnum a confinio per directum (*r*), donec venias Emath: hæc est plaga Maris.

21. Et dividetis terram istam vobis per tribus Israel:

22. Et mittetis eam in hæreditatem vobis, & advenis (*s*), qui accesserint ad vos, qui genuerint filios in medio vestrum: & erunt vobis sicut indigenæ inter filios Israel: vobiscum divident possessionem in medio tribuum Israel.

23. In tribu autem quacumque fuerit advena, ibi dabitis possessionem illi, ait Dominus Deus.

C A P U T XLVIII.

Dividitur terra sancta in duodecim tribus: mensura civitatis, duodecim portæ civitatis.

1. ET hæc nomina (*a*) tribuum a finibus Aquilonis juxta viam Hethalon pergentibus Emath, atrium Enan terminus Damasci ad Aquilonem juxta viam Emath. Et erit ei plaga Orientalis Mare, Dan una.

2. Et super terminum Dan, a plaga Orientali usque ad plagam Maris, Aser una.

3. Et super terminum Aser, a plaga Orientali usque ad plagam Maris, Nephthali una.

4. Et super terminum Nephthali, a plaga Orientali usque ad plagam Maris, Manasse una.

5. Et super terminum Manasse, a plaga Orientali usque ad plagam maris, Ephraim una.

6. Et super terminum Ephraim, a plaga Orientali usque ad plagam Maris, Ruben una.

7. Et super terminum Ruben, a plaga Orientali usque ad plagam Maris, Juda una.

8. Et super terminum Juda, a plaga Orientali usque ad plagam Maris, erunt primitiæ (*b*) quas separabitis, vigintiquinque millibus latitudinis & longitudinis, sicuti singulæ partes a plaga Orientali usque ad plagam Maris: & erit sanctuarium in medio ejus.

9. Primitiæ, quas separabitis Domino; longitudo vigintiquinque millibus, & latitudo decem millibus.

10. Hæ autem erunt primitiæ sanctuarii sacerdotum: ad Aquilonem longitudinis vigintiquinque millia, & ad Mare latitudinis decem millia, sed & ad Orientem latitudinis decem millia, & ad Meridiem longitudinis vigintiquinque millia: & erit sanctuarium Domini in medio ejus.

11. Sacerdotibus (*c*) sanctuarium erit de filiis Sadoc, qui custodierunt cæremonias meas, & non erraverunt cum errarent filii Israel, sicut erraverunt & Levitæ.

12. Et erunt eis primitiæ (*d*) de primitiis terræ sanctum sanctorum, juxta terminum Levitarum.

13. Sed & Levitis similiter juxta fines sacerdotum vigintiquinque millia longitudinis, & latitudinis decem millia. Omnis longitudo viginti & quinque millium, & latitudo decem millium.

14. Et non venundabunt ex eo, neque mutabunt, neque transferentur primitiæ terræ, quia sanctificatæ sunt Domino.

15. Quinque millia autem quæ supersunt (*e*) in latitudine per vigintiquinque millia, profana erunt urbis in habitaculum, & in suburbana: & erit civitas in medio ejus.

16. Et

13. (*l*) Limites terræ sanctæ describit: hæc est mensura & ratio dividendi terram. Quæ divisio effectum non habuit, nisi spirituali sensu, cum e decem tribubus pauci una cum tribu Juda & Benjamin redierint.

15. (*m*) Cum venitur a mari magno per Hethalon in Sedada: utraque urbs est in finibus tribus Juda. Describit prius universam terram, & fines ejus. *A mari magno*, ab ea parte, quæ versus Septentrionem vergebat.

16. (*n*) Habitatio *Tichon*, quæ non alibi venitur.

17. (*o*) Mensura plagæ septentrionalis, atrium erit a mari mediterraneo usque ad atrium, seu ad vicum Enon, quod est nomen loci ad radices Antilibani: *Ab Aquilone ad Aquilonem*, a parte aquilonari maris mediterranei usque ad partem aquilonarem Syriæ.

18. (*p*) Hebraismus, plaga orientalis erit ea quæ continetur inter Auran, Damascum, Galaad, & terram Israel: *Ad mare orientale*, ad mare Genesareth. *Auran*, ex Hieronym. erat in Deserto Damasci.

19. (*q*) Seu Jericho urbe palmarum usque ad aquas contradictionis. *Cades, usque ad desertum* Sin; & torrens Ægypti, qui in mare influit. Vel juxta Hieronym. *Thamar* est *Palmira: Torrens*, qui in mare desinit prope Rhinocoruram.

20. (*r*) A mari mediterraneo, quod terminus est occidentalis versus Emath, recta via.

22. (*s*) Sunt Proselytis, qui se ad populum Dei aggregare volunt; quod intelligi debet de Ecclesia: nam Proselytos Israeliticæ hereditatis non fecerunt participes Nehemias & Esdras.

CAPUT XLVIII.

1. (*a*) Unicuique tribui partem assignat.

8. (*b*) Portio illa, quam primitiarum ritu Deo offeretis: pars sacerdotum habebat decem millia latitudinis, tantumdem Levitæ; civitatis pars quinque millia cubitorum: hæc juncta vigintiquinque millia efficiunt: adeo ut tres illæ portiones sactæ simul compactæ quadratum efficerent, cujus singula latera erant 25000 cubitorum; *Sicut singulæ partes*: Longitudo singularum partium, ut simul junctarum, erit 25000. quod postea sigillatim explicat.

11. (*c*) Totum hoc spatium, vers. 10 expressum, sacerdotibus erit addictum, seu sanctificatum.

12. (*d*) Dabitur illis pars sanctissima, ubi templum erit.

15. (*e*) Ad perfectum quadratum 25000. cubitorum conflandum. *Profana*, comparata cum portione Sacerdotum & Levitarum. *Et erit civitas in medio ejus*, in medio hujus spatii 25000. longitudinis, & 5000. latitudinis.

16. Et hæ mensuræ ejus: ad plagam Septentrionalem quingenta (*f*) & quatuor millia: & ad plagam Meridianam, quingenta & quatuor millia: & ad plagam Orientalem, quingenta & quatuor millia: & ad plagam Occidentalem, quingenta & quatuor millia.

17. Erunt autem suburbana civitatis ad Aquilonem ducenta quinquaginta, & ad Meridiem ducenta quinquaginta, & ad Orientem ducenta quinquaginta, & ad Mare ducenta quinquaginta.

18. Quod autem reliquum fuerit in longitudine secundum primitias sanctuarii (*g*), decem millia in Orientem, & decem millia in Occidentem, erunt sicut primitiæ sanctuarii: & erunt fruges ejus in panes his, qui serviunt civitati.

19. Servientes autem civitati, operabuntur ex omnibus tribubus Israel.

20. Omnes primitiæ (*h*), vigintiquinque millium, per vigintiquinque millia in quadrum, separabuntur in primitias sanctuarii, & in possessionem civitatis.

21. Quod autem reliquum (*i*) fuerit, principis erit ex omni parte primitiarum sanctuarii, & possessionis civitatis e regione vigintiquinque millium primitiarum usque ad terminum Orientalem: sed & ad Mare e regione vigintiquinque millium usque ad terminum maris, similiter in partibus principis erit: & erunt primitiæ sanctuarii, & sanctuarium templi in medio ejus.

22. De possessione autem Levitarum, & de possessione civitatis in medio partium principis: erit inter terminum Juda, & inter terminum Benjamin, & ad principem pertinebit.

23. Et reliquis tribubus: A plaga Orientali usque ad plagam Occidentalem, Benjamin una.

24. Et contra terminum Benjamin, a plaga Orientali usque ad plagam Occidentalem, Simeon una.

25. Et super terminum Simeonis, a plaga Orientali usque ad plagam Occidentalem, Issachar una.

26. Et super terminum Issachar, a plaga Orientali usque ad plagam Occidentalem, Zabulon una.

27. Et super terminum Zabulon, a plaga Orientali usque ad plagam Maris, Gad una.

28. Et super terminum Gad, ad plagam Austri in meridie: & erit finis de Thamar usque ad aquas contradictionis Cades, hæreditas contra mare magnum.

29. Hæc est terra, quam mittetis in sortem tribubus Israel: & hæ partitiones earum, ait Dominus Deus:

30. Et hi egressus civitatis: A plaga Septentrionali quingentos & quatuor millia mensurabis.

31. Et portæ civitatis ex nominibus tribuum Israel, portæ tres a Septentrione, porta Ruben una, porta Juda una, porta Levi una.

32. Et ad plagam Orientalem, quingentos & quatuor millia: & portæ tres, porta Joseph una, porta Benjamin una, porta Dan una.

33. Et ad plagam Meridianam, quingentos & quatuor millia metieris: & portæ tres, porta Simeonis una, porta Issachar una, porta Zabulon una.

34. Et ad plagam Occidentalem, quingentos & quatuor millia: & portæ eorum tres, porta Gad una, porta Aser una, porta Nephthali una.

35. Per circuitum, decem & octo millia: & nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem (*k*).

16. (*f*) Cubitorum, qua mensura utitur: unicuique lateri ea mensura tribuitur: & quatuor erant suburbana, quorum singula habebant 250 calamos latitudinis; eaque erant vacua, ut in iis cives obambularent: hujus generis unum erat suburbanum inter templum & sacerdotum habitationem, eratque ambitus urbis 18000. cubitorum.

18. (*g*) Juxta Levitarum portionem. *Erunt fruges ejus in panes*; inde ministri urbis publicis officiis addicti alebantur. Illud spatium adjacens spatio sacerdotum serviet pro habitatione promiscui vulgi.

20. (*h*) Hebr. *Universæ oblationes*: Vocat totum illud spatium *primitias*, vel *oblationem sanctam*, quod universa civitas cum reliqua terra Israel comparata sancta esset. Hæc tria spatia Sacerdotum, Levitarum, & civium, quæ continent 25000. cubitos in quadrum, non deservient aliorum usibus quam ministrorum templi, & civium.

21. (*i*) Usque ad Jordanem ex una parte orientis, aut ad mare usque, ex parte occidentis futurum erat principis: ita ut separatio illa Sacerdotum, Levitarum, & urbis, esset in medio possessionis principis, ut ipse muniret & tueretur ministros templi & cives.

35. (*k*) In qua Dominus perpetuo habitabit. Quod typice & exiguo tempore convenit terrenæ Jerosolymæ, proprie Ecclesiæ Christi, quæ in quadro est posita ut firmissima; in hoc Emmanuel perpetuo manebit, *Dominus ibidem*, vel *cum illa*, quod nomen soli Ecclesiæ convenire potest.



PRO-

PROPHETIA DANIELIS.

DANIEL e stirpe regia oriundus, anno quarto Joakim Babylonem captivus ductus est a Nabuchodonosore. Puer duodecim annorum, ut Ignatio martyri visum est, solemne illud judicium Susannæ adversus duos senes impudicos tulit. Quæ historia cap. 13. fuse enarratur. Judæi hanc Susannæ historiam, quæque cap. 13. & 14. referuntur, inter canonicas scripturas non habent, quod in Hebræo textu desiderentur. Sed ii vel ex negligentia, vel forte de industria hæc sustulerunt, cum Ecclesia universa ab Apostolorum temporibus, Susannæ & Danielis historiam, uti & canticum trium puerorum, in sacrum canonem receperint, nec aliunde Apostoli & viri Apostolici, quam a veteri Synagoga, hæc acceperint. Unde Origenes in Epistola ad Julium Africanum, qui de genuitate & auctoritate hujus historiæ dubitabat, quod in textu Hebræo desideraretur, ad communem Ecclesiæ consensum provocat: Scias itaque ad hæc quid nobis agendum, non solum de his quæ de Susannæ historia per totam Christi Ecclesiam circumferuntur: quæ tamen in Hebræo non habentur. *Negat historiam ab Apostolis & sanctis Patribus receptam rejici oportere. Quin etiam Theodotio secundo sæculo hanc historiam ex Hebræa in Græcam linguam transtulit, magno quidem argumento eam Hebraice scriptam fuisse. Unde cum Africanus opponeret eam in libris Hebraicis non reperiri, huic respondit Origenes:* Non igitur mirum si veram hanc de Susanna historiam, illi qui non procul abierunt simili proposito seniorum illorum, suffurati sint & abstulerint a Scripturis. *Doctores scilicet Judæorum illa detraxerunt, quæ sibi apud populum odio esse poterant.*

Idem homil. 1. in Levit. Tempus est, *inquit*, non adversus improbos presbyteros uti Susannæ vocibus: quas illi quidem repudiantes historiam Susannæ de catalogo divinorum voluminum detraxerunt: nos autem & suscipimus, & opportune contra ipsos proferimus.

Visus est S. Hieronymus Susannæ historiam in dubium revocare ob eamdem rationem, quæ Julium Africanum moverat, quod in Hebræis codicibus deesset. Hinc Ruffinus invehitur in Hieronymum: Quis ergo, *inquit*, in ista eruditorum virorum copia ausus est instrumentum divinum, quod Apostoli Ecclesiis tradiderunt, & depositum Spiritus sancti compilare? An non est compilare, cum quædam quidem immutantur, & error dicitur corrigi? Nam omnis illa historia de Susanna, quæ castitatis exemplum præbebat Ecclesiis Dei, ab isto abscissa est & abjecta, atque posthabita.

Sed respondet Hieronymus non aliud a se factum, quam Hebræorum sententiam retulisse, ut ipse testatur Apol. 2. adversus Ruffinum: Quod autem refero quid adversus Susannæ historiam, & trium puerorum, & Bellis draconisque fabulas, quæ in volumine Hebraico non habentur, Hebræi soleant dicere; qui me criminatur, stultum se sycophantem probat: non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicavi.

Quod si aliud quiddam aliquando senserit Hieronymus textui Hebraico favens, illius hac in re sententiam Ecclesia secuta non est. Unde & Latina Ecclesia Hieronymi versionem tantum post ducentos annos amplexa est, re diligentius expensa, & multis in locis ea versione correcta, usum & traditionem Patrum secuta.

CAPUT PRIMUM.

Daniel sub initium captivitatis, & una cum eo Azarias, Ananias, & Misael electi sunt ut adstarent Regi.

1. Nno tertio (*a*) regni Joakim regis Juda, venit Nabuchodonosor rex Babylonis in Jerusalem, & obsedit eam:

2. Et tradidit Dominus in manu ejus Joakim regem Juda, & partem vasorum domus Dei: & asportavit ea in terram Sennaar in domum dei sui, & vasa intulit in domum thesauri dei sui.

3. Et ait rex Asphenez præposito eunuchorum, ut introduceret de filiis Israel, & de semine regio, & tyrannorum,

4. Pueros (*b*) in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina, & qui possent stare in palatio regis, ut doceret eos litteras, & linguam Chaldæorum.

5. Et constituit eis rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino unde bibebat ipse, ut enutriti tribus annis, postea starent in conspectu regis.

6. Fuerunt ergo inter eos de filiis Juda, Daniel, Ananias, Misael, & Azarias.

7. Et imposuit eis præpositus eunuchorum nomina: Danieli, Baltassar: Ananiæ, Sidrach: Misaeli, Misach: & Azariæ, Abdenago.

8. Proposuit (*c*) autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus ejus: & rogavit eunuchorum præpositum ne contaminaretur.

9. Dedit autem Deus Danieli gratiam & misericordiam in conspectu principis eunuchorum.

10. Et ait princeps eunuchorum ad Danielem: Timeo ego dominum meum regem, qui constituit vobis cibum & potum: qui si viderit vultus vestros macilentiores præ ceteris adolescentibus coævis vestris, condemnabitis caput meum regi.

11. Et dixit Daniel ad Malasar, quem constituerat princeps eunuchorum super Danielem, Ananiam, Misaelem, & Azariam:

12. Tenta nos obsecro servos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum:

13. Et contemplare vultus nostros, & vultus puerorum, qui vescuntur cibo regio: & sicut videris, facies cum servis tuis.

14. Qui, audito sermone hujuscemodi, tentavit eos diebus decem.

15. Post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio.

16. Porro Malasar tollebat cibaria, & vinum potus eorum: dabatque eis legumina.

17. Pueris autem his dedit Deus scientiam & disciplinam, in omni libro & sapientia (*d*): Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum.

18. Completis itaque diebus, post quos dixerat rex ut introducerentur: introduxit eos præpositus eunuchorum in conspectu Nabuchodonosor.

19. Cumque eis locutus fuisset rex, non sunt inventi tales de universis, ut Daniel, Ananias, Misael, & Azarias: & steterunt in conspectu regis.

20. Et omne verbum (*e*) sapientiæ & intellectus, quod sciscitatus est ab eis rex, invenit in eis decuplum, super cunctos ariolos & magos, qui erant in universo regno ejus.

21. * Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri (*f*) regis. * *Inf. 6. 28.*

CA-

CAPUT I. 1. & 2. (*a*) Exeunte anno tertio Joakim inchoatum est regnum Nabuchodonosoris. Unde quæ gessit Nabuchodonosor anno primo, dicuntur gesta anno tertio, vel anno quarto Joakim. Paravit expeditionem suam anno tertio, perfecit anno quarto, ex Josepho, lib. 10. Ant. Nabuchodonosor anno uno antequam rex esset, paravit expeditionem in Syriam & in Judæam, 2. Paralip. 36. Regem Juda abductum fuisse Babylonem legimus: sed ex lib. 4. Reg. cap. 24. Nabuchodonosorem mutasse consilium liquet. Hic Joakim, est ipse *Jechonias*, cujus fit mentio in genealogia Christi apud Matthæum: *Josias genuit Jechoniam & fratres ejus in transmigratione Babylonis*. Sed posterior Jechonias, de quo mox subditur: *Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel*, is fuit prioris filius, ut videtur Pererio, lib. 1. in Danielem post Hieronymum; alioqui essent tantum 41. non 42. generationes in genealogia Christi.

4. (*b*) Vox illa, *pueri*, apud Hebræos sæpe est conditionis nomen, non ætatis. Vix enim illi pueruli ætate poterant esse omni sapientia eruditi. Nabuchodonosor voluit eos ut ministros haberet prudentes & eruditos, qui se coram variis de rebus disputare possent. *Litteras & linguam*, artem scribendi & loquendi.

8. (*c*) Vel quod certis essent cæremoniis consecrati, vel quia pars aliqua erat immolatitia. Quod autem Apostol. 1. Cor. 8. ait, *Scimus quia nihil est idolum in mundo*: Etsi talis consecratio reipsa nulla esset, æstimari tamen debebat ex opinione tum gentium, quæ tali consecratione utebantur, tum Judæorum, ne scandalum pateretur, si Daniel & socii ejus eadem mensa cum gentilibus uterentur, nec ciborum discrimen ullum haberent. Idem alii fecerunt; sed Daniel hujus consilii auctor fuit.

17. (*d*) Ita ut & legere & intelligere & scribere possent omnes characteres Chaldæica potissimum lingua; immo & omnes artes liberales, quæ cum grammatica intelligi possunt. *Visionum*; Visiones hoc loco dicuntur, quæ vigilantibus certa quadam ratione contingunt: cujusmodi fuit manus illa scribens in pariete visa Baltassari. *Somniorum*: facultas interpretandi somnia divinitus missa, non fortuita & inania, quæ nulla observatione digna sunt.

20. (*e*) Quidquid difficile & arduum iis proponeretur a rege, multo aliis omnibus doctiores & acutiores in eo videbantur. Hieron. *Discant ergo ea mente doctrinam Chaldæorum, qua & Moyses omnem sapientiam Ægyptiorum didicerat: non ut sequantur, sed ut judicent, atque convincant idololatras.*

21. (*f*) Fuit in honore apud reges Chaldæorum, ut toto captivitatis tempore Judæos auctoritate sua & vaticiniis juvaret. Ita Hieron. in cap. 6. Usque ad primum annum Cyri, qui Chaldæorum destruxit imperium, Daniel potens fuit in Chaldæa.

CAPUT II.

Nabuchodonosoris somnium Chaldæi cum non possent conjectari, propterea interimi jubentur; solus Daniel illud est interpretatus. Hinc honoratus fuit a Rege.

1. IN anno secundo (a) regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium, & conterritus est spiritus ejus, & somnium ejus fugit ab eo.

2. Præcepit autem rex, ut convocarentur arioli (b), & magi, & malefici, & Chaldæi, ut indicarent regi somnia sua: qui cum venissent, steterunt coram rege.

3. Et dixit ad eos rex: Vidi somnium; & mente confusus ignoro quid viderim.

4. Responderuntque Chaldæi regi Syriace (c): Rex in sempiternum vive: dic somnium servis tuis, & interpretationem ejus indicabimus.

5. Et respondens rex, ait Chaldæis: Sermo recessit (d) a me, nisi indicaveritis mihi somnium, & conjecturam ejus, peribitis vos, & domus vestræ publicabuntur.

6. Si autem somnium, & conjecturam ejus narraveritis, præmia, & dona, & honorem multum accipietis a me: somnium igitur, & interpretationem ejus indicate mihi.

7. Responderunt secundo, atque dixerunt: Rex somnium dicat servis suis, & interpretationem illius indicabimus.

8. Respondit rex, & ait: Certe novi quod tempus redimitis (e), scientes quod recesserit a me sermo.

9. Si ergo somnium non indicaveritis mihi, una est de vobis sententia (f), quod interpretationem quoque fallacem & deceptione plenam composueritis, ut loquamini mihi donec tempus pertranseat. Somnium itaque dicite mihi, ut sciam quod interpretationem quoque ejus veram loquamini.

10. Respondentes ergo Chaldæi coram rege, dixerunt: Non est homo super terram, qui sermonem tuum, rex, possit implere: sed neque regum quisquam magnus & potens verbum hujuscemodi sciscitatur ab omni ariolo, & mago, & Chaldæo.

11. Sermo enim, quem tu quæris, rex, gravis est: nec reperietur quisquam, qui indicet illum in conspectu regis, exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio.

12. Quo audito, rex in furore, & in ira magna præcepit ut perirent omnes sapientes Babylonis.

13. Et egressa sententia, sapientes interficiebantur: quærebanturque Daniel & socii ejus, ut perirent.

14. Tunc Daniel requisivit de lege, atque sententia ab Arioch principe militiæ regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis.

15. Et interrogavit eum, qui a rege potestatem acceperat, quam ob causam tam crudelis sententia a facie regis esset egressa. Cum ergo rem indicasset Arioch Danieli,

16. Daniel ingressus rogavit regem ut tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi.

17. Et ingressus est domum suam, Ananiæque & Misaeli & Azariæ sociis suis indicavit negotium:

18. Ut quærerent misericordiam a facie Dei cæli super sacramento isto, & non perirent Daniel & socii ejus cum ceteris sapientibus Babylonis.

19. Tunc Danieli mysterium per visionem nocte revelatum est: & benedixit Daniel Deum cæli,

20. Et locutus ait: Sit nomen Domini benedictum a sæculo & usque in sæculum: quia sapientia & fortitudo ejus sunt.

21. Et ipse mutat tempora, & ætates: transfert regna, atque constituit: dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam:

22. Ipse revelat profunda & abscondita, & novit in tenebris constituta: & lux cum eo est. * *1. Cor. 4. 5. 1. Joan. 1. 6. Joann. 1. 19. & 8. 12.

23. Tibi Deus patrum nostrorum confiteor, teque laudo: quia sapientiam & fortitudinem dedisti mihi: & nunc ostendisti mihi quæ rogavimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis.

24. Post hæc Daniel ingressus ad Arioch, quem constituerat rex ut perderet sapientes Babylonis, sic ei locutus est: Sapientes Babylonis ne perdas: introduc me in conspectu regis, & solutionem regi narrabo.

25. Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad regem, & dixit ei: Inveni hominem de filiis transmigrationis Juda, qui solutionem regi annuntiet.

26. Respondit rex, & dixit Danieli, cujus nomen erat Baltassar: Putasne vere potes mihi indicare somnium quod vidi, & interpretationem ejus?

27. Et respondens Daniel coram rege, ait: Mysterium, quod rex interrogat, sapientes, magi, arioli, & aruspices nequeunt indicare regi.

28. Sed est Deus in cælo revelans mysteria, qui indicavit tibi rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in novissimis temporibus. Somnium tuum, & visiones capitis tui in cubili tuo hujuscemodi sunt:

29. Tu

CAP. II. 1. (a) Videtur alius fuisse ab eo, cujus fit mentio cap. 1. quod ex hoc loco nonnulli interpretes colligunt. Alii censent annum secundum fuisse non regni, sed monarchiæ, multis devictis nationibus; vel anno secundo a morte patris, cum solus regnare cœpit. Josephus scribit lib. 10. Antiq. cap. 1. id accidisse post secundum annum Ægyptiacæ vastitatis. Pererius & alii annum fuisse 23. regni opinantur. Sic anni Augusti quidam numerant ab eo tempore, quo imperare cœpit, ac dicitur imperasse 56. annos: alii ab Actiaca victoria, cum solus imperavit; quo quidem modo 44. tantum annos imperavit.

2. (b) Illi verbis, hi rebus agunt. *Chaldæi*: Hieron. Puto significari Genethliacos. *Malefici*, qui ex cadaveribus & cæsis animalium manes invocant, vel præstigiatores, qui incantationibus suis species rerum naturalium mutant.

4 (c) Lingua Chaldæa: id Daniel monet, quod eorum verba usque ad vers. 8 referat Chaldaice.

5. (d) Rei quam somniavi oblitus sum, ita ut umbra tantum illius remaneret. *Indicaveritis*; quod si enim non poterant scire præteritum, qui fieri ut res futuras, quarum caussæ erant indeterminatæ, scire possent?

8. (e) Moras nectitis; tempus vitæ vestræ verbis producitis.

9. & 13 (f) Stat firma de vobis perdendis sententia. *Quærebanturque*, quod vulgus eos propter excellentem doctrinam cum Magis confunderet.

29. Tu rex cogitare (g) cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc: & qui revelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt.

30. Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me (h) plus quam in cunctis viventibus, sacramentum hoc revelatum est: sed ut interpretatio regi manifesta fieret, & cogitationes mentis tuæ scires.

31. Tu rex videbas, & ecce quasi statua una grandis: statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te, & intuitus ejus erat terribilis.

32. Hujus statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porro venter, & femora ex ære:

33. Tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea (i), quædam autem fictilis.

34. Videbas ita, donec abscissus est lapis (k) de monte sine manibus: & percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.

35. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento: nullusque locus inventus est eis: lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram.

36. Hoc est somnium: Interpretationem quoque ejus dicemus coram te, rex.

37. Tu rex regum es: & Deus cæli, regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi.

38. Et omnia in quibus habitant filii hominum, & bestiæ agri: volucres quoque cæli dedit in manu tua, & sub ditione tua universa constituit: tu es ergo caput aureum (l).

39. Et post te consurget regnum aliud minus (m) te argenteum: & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit universæ terræ.

40. Et regnum quartum (n) erit velut ferrum: quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic comminuet, & conteret omnia hæc.

41. Porro quia vidisti pedum, & digitorum partem testæ figuli, & partem ferream: regnum divisum (o) erit, quod tamen de plantario ferri orietur, secundum quod vidisti ferrum mistum testæ ex luto.

42. Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum, & ex parte contritum.

43. Quod autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebuntur (p) quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ.

44. In diebus (q) autem regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet universa regna hæc: & ipsum stabit in æternum.

45. Secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus (r), & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Deus magnus ostendit regi quæ ventura sunt postea; & verum est somnium, & fidelis interpretatio ejus.

46. Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adoravit (s), & hostias, & incensum præcepit ut sacrificarent ei.

47. Loquens ergo rex, ait Danieli: Vere Deus vester Deus deorum est, & Dominus regum, & revelans mysteria: quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum.

48. Tunc rex Danielem in sublime extulit, & munera multa & magna dedit ei: & constituit eum principem super omnes provincias Babylonis, & præfectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis.

49. Daniel autem postulavit a rege: & constituit super opera provinciæ Babylonis, Sidrach, Misach, & Abdenago: Ipse autem Daniel (t) erat in foribus regis.

CA-

29. (g) Greg. Homil. v. in Ezech. *Qui ergo ipsam, ut ita dicam, radicem somnii protulit, profecto ex præteritis probavit, quod vera essent quæ de futuris diceret.*

30. (h) Quod studio, labore, aut magna ingenii vi hanc acquisisset sapientiam, ut videbatur Regi. Negat sibi hoc mysterium humana sapientia, sed afflatu tantum divino sibi patefactum: vult animum regis ad unius Dei cognitionem adducere, simul & interpretationi suæ ut divinæ, non ut humanæ auctoritatem conciliare.

33. (i) Pedes erant conflati ex ferro una cum terra mixto, uti vers. 43. exponitur.

34. (k) Christus scilicet, qui confregit regna idolorum: itaque regnum illud est Ecclesia catholica, quæ universam replevit terram.

38. (l) Non tam Regi, quam imperii magnificentiæ & splendori id nominis tribuit: deinde regnum Nabuchodonosoris caput vocat, quia primum erat, & illius successores designat.

39. (m) Regnum Medorum & Persarum, quod coaluerat in unum, ut brachia cum pectore. Hoc Persarum regnum argenteum dicitur, quod tamdiu non duraverit, quam primum Assyriorum & Chaldæorum, atque a primo multum degeneravit, ut tertium a secundo: unde & cum ventre hoc comparatur: æreum est quod alia regna vi armorum contriverit. *Æreum*. Macedonum imperium, *quod imperabit universæ terræ*. Itaque fuit amplissimum. *Est*, inquit Hieron. *æs clarissimum & sonantissimum, edit sonum magnum & clarum*

40. (n) Romanorum, quod omnia antea regna perdomuit; aut forte de Alexandri successoribus hoc regnum in partes divisum intelligi potest. In textu Chald. *Et regnum quartum erit forte sicut ferrum*: quod Imperio Romano ante convenit.

41. & 42. (o) Cum ob factiones, tum etiam ob subditorum rebelliones, qui proprios sibi reges constituent. Quæ divisio orietur a *plantario ferri*, e radice pedis ferrei, ex ipso robore pedum, ex nimiis opibus. *Ex parte regnum erit solidum*, quando aristocratice regebatur. *Ex parte contritum*, fragile & discors ob bella civilia.

43. (p) Junctis inter diffidentes connubiis: *Sed non adhærebunt sibi*: fortior erit ambitio, quam cognatio & affinitas. Quæ etiam de regno Seleucidarum & Ptolemæorum ab aliis intelliguntur ob inutiles affinitates & tyrannidem principum.

44. (q) Post evolutas regnorum ætates, stante adhuc Romanorum imperio: *Suscitabit Deus cæli regnum*, Christi & Ecclesiæ; per fidem in terra constitutum ad cælum usque perveniet. *In diebus regnorum*; de regnis, non de regibus hactenus locutus fuerat. *Quod in æternum non dissipabitur*, neque in aliam gentem transferetur, ut alia regna. *Comminuet*; per humilitatem primi adventus, & terrorem secundi; ille ad hominum salutem; hic ad gloriam & majestatem Christi: ille ad misericordiam & gratiam, hic ad justitiam & ultionem pertinet. Divina providentia ita disponente, illa regna mutata sunt, ut venturo Christo via muniretur.

45. (r) Conceptus e virgine Christus idololatriam contrivit: sola Dei non hominum potentia regnum illud est constitutum, in ipsis initiis parvum. Fatentur Hebræi, Christum esse hunc lapidem nondum abscissum, sed abscindendum putant.

46. (s) Veneratus corporis inclinatione: *Ut sacrificarent ei*, ut munera & odores afferrent; aut si præcepit verum sacrificium, scriptum non est ita factum fuisse. Immo Danielem id prohibuisse hinc colligitur, quod inducat regem sic loquentem; *Vere Deus vester Deus deorum est, & Dominus regum*; nec Danielem, sed Danielis Deum adoravit.

49. (t) Erat regi familiaris.

CAPUT III.

Nabuchodonosor statuam erigit auream, quam jubet eo coli honore, qui uni Deo debetur; id facere recusant Ananias, Azarias, & Misael; propterea conjiciuntur in fornacem ardentem, ubi Dei laudes celebrant, & Canticum canunt: illæsi educuntur.

1. NAbuchodonosor rex fecit (*a*) statuam auream, altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex, & statuit eam in campo Dura provinciæ Babylonis.

2. Itaque Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus, & judices, duces, & tyrannos, & præfectos, omnesque principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex.

3. Tunc congregati sunt satrapæ, magistratus, & judices, duces, & tyranni, & optimates, qui erant in potestatibus constituti, & universi principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex: stabant autem in conspectu statuæ, quam posuerat Nabuchodonosor rex:

4. Et præco clamabat valenter: Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis:

5. In hora, qua audieritis sonitum tubæ, & fistulæ, & citharæ, sambucæ (*b*), & psalterii, & symphoniæ, & universi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor rex.

6. Si quis autem non prostratus adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis.

7. Post hæc igitur statim ut audierunt omnes populi sonitum tubæ, fistulæ, & citharæ, sambucæ, & psalterii, & symphoniæ, & omnis generis musicorum: cadentes omnes populi, tribus, & linguæ adoraverunt statuam auream, quam constituerat Nabuchodonosor rex.

8. Statimque in ipso tempore accedentes viri Chaldæi accusaverunt Judæos:

9. Dixeruntque Nabuchodonosor regi: Rex in æternum vive:

10. Tu rex posuisti decretum, ut omnis homo, qui audierit sonitum tubæ, fistulæ, & citharæ, sambucæ, & psalterii, & symphoniæ, & universi generis musicorum, prosternat se, & adoret statuam auream.

11. Si quis autem non procidens adoraverit, mittatur in fornacem ignis ardentis.

12. Sunt ergo viri (*c*) Judæi, quos constituisti super opera regionis Babylonis, Sidrach, Misach, & Abdenago, viri isti contempserunt, rex, decretum tuum: deos tuos non colunt, & statuam auream, quam erexisti, non adorant.

13. Tunc Nabuchodonosor in furore & in ira præcepit ut adducerentur Sidrach, Misach, & Abdenago: qui confestim adducti sunt in conspectu regis.

14. Pronuntiansque Nabuchodonosor rex, ait eis: Verene Sidrach, Misach, & Abdenago deos meos non colitis, & statuam auream, quam constitui, non adoratis?

15. Nunc ergo si estis parati (*d*), quacumque hora audieritis sonitum tubæ, fistulæ, citharæ, sambucæ, & psalterii, & symphoniæ, omnisque generis musicorum, prosternite vos, & adorate statuam, quam feci: quod si non adoraveritis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis: & quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?

16. Respondentes Sidrach, Misach, & Abdenago: dixerunt regi Nabuchodonosor: Non oportet nos de hac re respondere (*e*) tibi.

17. Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, o rex, liberare.

18. Quod si noluerit (*f*), notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus.

19. Tunc Nabuchodonosor repletus est furore: & aspectus faciei illius immutatus est super Sidrach, Misach, & Abdenago: & præcepit ut succenderetur fornax septuplum quam succendi consueverat.

20. Et viris fortissimis de exercitu suo jussit, ut ligatis pedibus Sidrach, Misach, & Abdenago, mitterent eos in fornacem ignis ardentis.

21. Et confestim viri illi vincti, cum bracis suis, & tiaris, & calceamentis, & vestibus, missi sunt in medium fornacis ignis ardentis.

22. Nam jussio regis urgebat: fornax autem succensa erat nimis. Porro viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago, interfecit flamma (*g*) ignis.

23. Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, & Abdenago, ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati.

Qua

CAP. III. 1. (*a*) Multis post annis; utrum ea fuerit statua Regis, an dei Chaldæorum, dubium est. Accusatores trium puerorum videntur innuere statuam dei Chaldæorum fuisse, cum ajunt, *Deos tuos non colunt, & statuam quam erexisti, non adorant*: neque enim dicunt, *Te non colunt*. Sic Nabuchodonosor ad pueros; *Verene deos meos non colitis, & statuam?* Hæc tamen distinguit Hieron. Cum respondent pueri, *Deos tuos non colimus*: nec deos tuos colimus, nec statuam tuam, in qua adorari voluisti, adoramus. Forte erecta est statua suadentibus Chaldæorum sacerdotibus, ut objecto crimine Danielem & socios perderent. *Aurea* dicitur, non quod omni ex parte aurum esset, sed induta auro fuit & lignea. Statuam ingentem in somnis viderat ex variis metallis conflatam, aliam jussit erigi auream, forte ut prædictiones de monarchiis eluderet, & omnibus persuaderet, fore ut Chaldæorum regnum sic perstaret, ut numquam everteretur; vel ut stuporem videntibus crearet. Hieron. *Velox oblivio veritatis, ut qui dudum servum Dei quasi Deum adoraverat; nunc statuam sibi fieri jubeat, ut ipse adoretur in statua.*

5. (*b*) Chald. *Sabbeca*, סבכא, Græc. σαμβύκης, Lat. *Sambyx*; genus erant instrumenti musici, leviori carminum generi adhiberi solitum: unde illud adagium. *Sambucam aptare cothurno*, id est, levia gravibus admiscere, tetrachordum erat, susti & acuti soni.

12. (*c*) Valde pueri detonat habita ratione ætatis, qui illi abducti sunt Babylonem, aut Scripturæ consuetudine; sed cur Danielis nulla fit mentio? An forte longius aberat?

15. (*d*) Si addas, *Veneris*, oratio quæ nunc est vacua ob aposiopesim, plena erit.

16. (*e*) In re facili & certa non opus est deliberatione: nam rex videbatur spatium illis ad respondendum dare.

18. (*f*) Non dicitur: *Eripiet* nos, sed, *Potest eripere nos de camino ignis*: nec certam habent hæ eventum persuasionem, quia sperare se impetraturos quidquid a Deo expectant.

22. (*g*) Quod non pugnat cum v. 46. *Et non cessabant qui miserant eos, ministri regis succendere fornacem*: præter. nam enim hæc in Hebræo desiderantur, atque ex editione Theodotionis videntur huc translata, id prius refertur breviter per hysterosim, ac postea plenius narratur, & quomodo factum sit explicatur.

Quæ sequuntur in Hebrais voluminibus non reperi.

24. Et ambulabant (*h*) in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino.

25. Stans autem Azarias oravit sic, aperiensque os suum in medio ignis, ait:

26. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & gloriosum nomen tuum in sæcula:

27. Quia justus es in omnibus, quæ fecisti nobis, & universa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia judicia tua vera.

28. Judicia enim vera fecisti, juxta omnia quæ induxisti super nos, & super civitatem sanctam patrum nostrorum Jerusalem: quia in veritate, & in judicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra.

29. Peccavimus (*i*) enim, & inique egimus recedentes a te: & deliquimus in omnibus:

30. Et præcepta tua non audivimus, nec observavimus, nec fecimus sicut præceperas nobis, ut bene nobis esset.

31. Omnia ergo, quæ induxisti super nos, & universa, quæ fecisti nobis, in vero judicio fecisti:

32. Et tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum, & pessimorum, prævaricatorumque, & regi injusto & pessimo ultra omnem terram.

33. Et nunc non possumus aperire os: confusio & opprobrium facti sumus servis tuis, & his qui colunt te.

34. Ne, quæsumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne dissipes testamentum tuum:

35. Neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum:

36. Quibus locutus es pollicens quod multiplicares semen eorum sicut stellas cæli, & sicut arenam, quæ est in littore maris:

37. Quia Domine imminuti sumus plus quam omnes gentes, sumusque humiles in universa terra hodie propter peccata nostra.

38. Et non est in tempore hoc princeps, & dux, & propheta (*k*), neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te,

39. Ut possimus invenire misericordiam tuam: sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur.

40. Sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium (*l*) nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te.

41. Et nunc sequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam.

42. Ne confundas nos: sed fac nobiscum juxta mansuetudinem tuam, & secundum multitudinem misericordiæ tuæ.

43. Et erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo Domine.

44. Et confundantur omnes, qui ostendunt servis tuis mala, confundantur in omni potentia tua, & robur eorum conteratur:

45. Et sciant quia tu es Dominus Deus solus, & gloriosus super orbem terrarum.

46. Et non cessabant qui miserant eos ministri regis succendere fornacem, naphta, & stuppa, & pice, & malleolis (*m*),

47. Et effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem:

48. Et erupit, & incendit quos reperit juxta fornacem de Chaldæis.

49. Angelus autem Domini descendit cum Azaria & sociis ejus in fornacem: & excussit flammam ignis de fornace,

50. Et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.

51. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace, dicentes:

52. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum: & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula: & benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum: & laudabile, & superexaltatum in omnibus sæculis.

53. Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ: & superlaudabilis, & supergloriosus in sæcula.

54. Benedictus es in throno regni tui: & superlaudabilis, & superexaltatus in sæcula.

55. Benedictus es, qui intueris abyssos, & sedes super Cherubim: & laudabilis & superexaltatus in sæcula.

56. Benedictus es in firmamento cæli: & laudabilis & gloriosus in sæcula.

57. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

58. Benedicite Angeli Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

59. * Benedicite cæli Domino: laudate & * *Ps.* 148. 4.
superexaltate eum in sæcula.

60. Benedicite aquæ (*n*) omnes, quæ super cælos sunt Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

61. Benedicite omnes virtutes Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

62. Benedicite sol & luna Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

63. Benedicite stellæ cæli Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

64. Benedicite omnis imber & ros Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

65. Bene-

24. (*h*) Hieron. *Grande miraculum! ardent vincula quibus ligati sunt, & vinctorum corpora timens flamma non tangit. Laudantes Deum*: Hinc admodum est probabile, carmen illud quod sequitur a Daniele Hebraice scriptum esse, sed negligentia Hebræorum intercidisse.

29. (*i*) Chrysost. *Operantur ut justi, loquuntur ut peccatores.*

38. (*k*) Nempe in Judæa jam a Chaldæis vastata: Daniel vero forsan longius aberat, neque illi, ut Ezechieli liberum erat prophetarum obire munera, monere publice, erudire, corripere.

40. (*l*) Sacrificium hoc laudis & martyrii. Sic Deus in persona trium puerorum adumbrabat cultum spiritalem novæ legis.

46. (*m*) Aut vitis sarmenta erant, aut manipuli sparsei pice obliti: *Naphtha*, est flos bituminis, ex Plinio l. 2. c. 105.

60 (*n*) Pererius cæli nomine hunc aera, per aquas nubes in excelso aere generatas vult intelligi: nam *cælum* pro aere in Scriptura passim accipitur; vox hebræa caret singulari.

65. Benedicite omnes spiritus (*o*) Dei Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

66. Benedicite ignis & æstus Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

67. Benedicite frigus & æstus Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula:

68. Benedicite rores & pruina Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula:

69. Benedicite gelu & frigus Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

70. Benedicite glacies & nives Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

71. Benedicite noctes & dies Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

72. Benedicite lux & tenebræ Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

73. Benedicite fulgura & nubes Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

74. Benedicat terra Dominum: laudet & superexaltet eum in sæcula.

75. Benedicite montes & colles Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

76. Benedicite universa germinantia in terra Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

77. Benedicite fontes Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

78. Benedicite maria & flumina Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

79. Benedicite cete, & omnia quæ moventur in aquis, Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

80. Benedicite omnes volucres cæli Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

81. Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

82. Benedicite filii hominum Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

83. Benedicat Israel Dominum: laudet & superexaltet eum in sæcula.

84. Benedicite sacerdotes Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

85. Benedicite servi Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

86. Benedicite spiritus & animæ (*p*) justorum Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

87. Benedicite sancti & humiles corde Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

88. Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

Quia eruit nos de inferno, & salvos fecit de manu mortis, & liberavit nos de medio ardentis flammæ, & de medio ignis eruit nos.

89. Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in sæculum misericordia ejus.

90. Benedicite omnes religiosi Domino Deo deorum: laudate & confitemini ei, quia in omnia sæcula misericordia ejus.

Hucusque in Hebræo non habetur: & quæ posuimus, de Theodotionis editione translata sunt.

91. Nunc Nabuchodonosor rex obstupuit, & surrexit propere, & ait optimatibus suis: Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Qui respondentes regi, dixerunt: Vere rex.

92. Respondit, & ait: Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei.

93. Tunc accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ignis ardentis, & ait: Sidrach, Misach, & Abdenago servi Dei excelsi, egredimini, & venite. Statimque egressi sunt Sidrach, Misach, & Abdenago de medio ignis.

94. Et congregati satrapæ, & magistratus, & judices, & potentes regis contemplabantur viros illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitis * eorum non esset adustus, & sarabala eorum non fuissent immutata, & odor ignis non transisset per eos. ** Luc. 12. 7. & 21. 18.*

95. Et erumpens Nabuchodonosor, ait: Benedictus Deus eorum, Sidrach videlicet, Misach, & Abdenago, qui misit Angelum suum, & eruit servos suos, qui crediderunt in eum: & verbum regis immutaverunt (*q*), & tradiderunt corpora sua ne servirent, & ne adorarent omnem deum, excepto Deo suo.

96. A me ergo positum est hoc decretum, ut omnis populus, tribus, & lingua, quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, dispereat, & domus ejus vastetur: neque enim est alius Deus, qui possit ita salvare.

97. Tunc rex promovit Sidrach, Misach, & Abdenago in provincia Babylonis.

98. NABUCHODONOSOR REX, omnibus populis (*r*), gentibus, & linguis, qui habitant in universa terra, pax vobis multiplicetur.

99. Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare

100. Signa ejus, quia magna sunt: & mirabilia ejus, quia fortia: & regnum ejus regnum sempiternum, & * potestas ejus in generationem & generationem. ** Inf. 4. 31. & 7. 14.*

C A-

65. (*o*) Venti vehementes; nam immediate præcedit: *Benedicite omnis imber & ros Domino;* invitant omnes creaturas ad laudandum Deum ob suam pulcritudinem & utilitatem, estque velut poetica ethopœja ad affectus excitandos, Hieron. *Omnis creatura non voce, sed opere laudat Dominum, quia ex creaturis consequenter Creator intelligitur. & in singulis operibus Dei magnificentia demonstratur.*

86. 92. & 94. (*p*) Quæ in sinu Abrahæ sunt. *Filio.* Angelo, ut vertunt LXX. Interpretes. *Sarabala*, Chald. *Sarbalim*, סרבלים, sunt clamydes, pallia, aut femoralia.

95. (*q*) Contra impium regis imperium fortiter egerunt. Vatabl.

98. (*r*) Est titulus epistolæ, quæ capite proximo refertur: unde hæc verba ad caput quartum videntur pertinere. Quare Nabuchodonosor duo posuit decreta, unum propter miraculum in fornace factum, cujus verba propheta non recitat; alterum propter interpretationem somnii, de quo capite sequenti.

CAPUT IV.

Nabuchodonosor narrat somnium de arbore succisa ab Angelis, quod somnium solus Daniel interpretatur de ejus ejectione e regno, & mutatione in bestiam.

1. EGo Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo:

2. Somnium vidi, quod perterruit me: & cogitationes meæ in strato meo, & visiones capitis mei conturbaverunt me.

3. Et per me propositum est decretum ut introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis, & ut solutionem somnii indicarent mihi.

4. Tunc ingrediebantur arioli, magi, Chaldæi, & aruspices, & somnium narravi in conspectu eorum: & solutionem ejus non indicaverunt mihi:

5. Donec collega (a) ingressus est in conspectu meo Daniel, cui nomen Baltassar secundum nomen Dei mei, qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso: & somnium coram ipso locutus sum.

6. Baltassar princeps ariolorum (b) quoniam ego scio quod spiritum sanctorum deorum habeas in te: & omne sacramentum non est impossibile tibi: visiones somniorum meorum, quas vidi, & solutionem earum narra.

7. Visio capitis mei in cubili meo: Videbam (c), & ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia.

8. Magna arbor & fortis: & proceritas ejus contingens cælum: aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ.

9. Folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius: & esca universorum in ea, subter eam
Sup 2. 38. habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres cæli: & ex ea vescebatur omnis caro.

10. Videbam in visione capitis mei super stratum meum, & ecce vigil (d) & sanctus de cælo descendit.

11. Clamavit fortiter, & sic ait: Succidite arborem (e), & præcidite ramos ejus: excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus: fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis ejus.

12. Verumtamen germen (f) radicum ejus in terra sinite, & alligetur vinculo ferreo & æreo, in herbis quæ foris sunt, & rore cæli tingatur, & cum feris pars ejus in herba terræ.

13. Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur (g) ei: & septem tempora mutentur super eum.

14. In sententia (h) vigilum decretum est, & sermo sanctorum, & petitio: donec cognoscant viventes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum; & cuicumque voluerit, dabit illud, & humillimum * hominem constituet super eum. * 1. Reg. 8. & 16. 11. & seq.

15. Hoc somnium vidi ego Nabuchodonosor rex: tu ergo Baltassar interpretationem narra festinus: quia omnes sapientes regni mei non queunt solutionem edicere mihi: tu autem potes, quia spiritus deorum sanctorum in te est.

16. Tunc Daniel, cujus nomen Baltassar, cœpit intra semetipsum tacitus cogitare quasi una hora: & cogitationes ejus conturbabant eum. Respondens autem rex ait: Baltassar, somnium & interpretatio ejus non conturbent te. Respondit Baltassar, & dixit: Domine mi, somnium his qui te oderunt, & interpretatio ejus hostibus tuis sit.

17. Arborem, quam vidisti sublimem, atque robustam, cujus altitudo pertingit ad cælum, & aspectus illius in omnem terram:

18. Et rami ejus pulcherrimi, & fructus ejus nimius, & esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiæ agri, & in ramis ejus commorantes aves cæli:

19. Tu es rex, qui magnificatus es, & invaluisti, & magnitudo tua crevit, & pervenit usque ad cælum, & potestas tua in terminos universæ terræ.

20. Quod autem vidit rex vigilem & sanctum descendere de cælo, & dicere: Succidite arborem, & dissipate illam, attamen germen radicum ejus in terra dimittite, & vinciatur ferro & ære in herbis foris, & rore cæli conspergatur, & cum feris sit pabulum ejus, donec septem tempora mutentur super eum:

21. Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ pervenit super dominum meum regem:

22. Ejicient te ab hominibus, & cum bestiis (i) ferisque erit habitatio tua, & * fœnum ut bos comedes, & rore cæli infunderis: * Inf. 5. 21.
septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud.

23. Quod autem præcepit ut relinqueretur germen radicum ejus, id est arboris: regnum tuum tibi manebit, postquam cognoveris potestatem esse cælestem.

24. Quam ob rem rex consilium *meum placeat tibi, * & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis. * Eccli 3. 33. Jer. 18. 8. 4 Reg. 20. Jon. 3. 10. Act. 8. 22.

25. Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor regem.

26. Post

CAP. IV. 5. (a) Quod cum fecisset participem administrationis regni: *Secundum nomen Dei mei.* *Beli*; unde nomen ei indiderat *Baltassaris*. Hieron. Nec mirum si erret *Nabuchodonosor, & quidquid super se cernit, non Deum, sed Deos arbitretur*. Quamquam id proprium est linguæ Hebraicæ & Chaldaicæ, ut nomen Dei in plurali numero proferatur.

6. (b) Loquitur ut idololatra; vel quia super sapientes eum constituerat, ac nomen arioli, ut magi in bonam partem accipit. *Spiritum Sanctorum Deorum*, id est, Spiritum Sanctum, quod ex Daniele didicerat.

7. 8 & 9. (c) Hæc hypotyposice dicuntur. *Folia* ornatum & pompam regiam. *Fructus*, tributa, quæ undique afferebantur.

10 (d) Angelus qui caret corpore: Hieronym. *Significat Angelos, quod semper vigilent, & ad Dei imperium sint parati.*

11. (e) Regem e throno dejicite, & ejus principes ut ramos, *præcidite*.

12 (f) Stirpem ei relinquite: *Et alligetur vinculo ferreo*, Nabuchodonosor. *In herbis*, in pratis: tamquam insanus & furibundus vinculis constringitur, quibus solutus per deserta loca more ferarum vagabatur.

13. (g) Usu rationis privetur; fiat insanus, & similis bestiis.

14. (h) Ab Angelis juxta mandatum divinum. *Et sermo sanctorum*; petitio hæc est petitio sanctorum Angelorum.

22 (i) Inter bestias ages, ferarum more vives. Quod ait vers. 33. *Et figura mea reversa est*, quæ recesserat per tantam unguium & capillorum deformitatem: videtur etiam quasi lycantropia quadam laborasse.

26. Post finem mensium duodecim, in aula (*k*) Babylonis deambulabat.

27. Respondit que rex, & ait: Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?

28. Cumque sermo adhuc esset in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor rex: Regnum tuum transibit a te,

29. Et ab hominibus ejicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum, & quicumque voluerit, det illud.

30. Eadem hora sermo completus (*l*) est super Nabuchodonosor: & ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit, & rore cæli corpus ejus infectum est: donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues ejus quasi avium.

31. Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum levavi, & sensus meus redditus est mihi: & Altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudavi,
* Sup. 3. 100. & glorificavi: * quia potestas ejus potestas sempiterna, & regnum ejus in generationem & generationem.

32. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt: juxta voluntatem enim
*Jer. 23. 23. Ps. 115. 3. suam facit * tam in virtutibus cæli quam in habitatoribus terræ: & non est qui resistat manui ejus, & dicat ei: Quare fecisti?

33. In ipso tempore sensus (*m*) meus reversus est ad me, & ad honorem regni mei: decoremque perveni, & figura mea reversa est ad me: & optimates mei, & magistratus mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum: & magnificentia amplior addita est mihi.

34. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico regem cæli: quia omnia opera ejus vera, & viæ ejus judicia, & gradientes in superbia potest humiliare.

CAPUT V.

Baltassar dum vasa templi profanat, & temulentus laudat idola sua, videt digitos in pariete scribentes. Hanc scripturam solus Daniel legere potuit & interpretari.

1. BAltassar rex fecit grande convivium optimatibus suis mille: & unusquisque secundum suam bibebat (*a*) ætatem.

2. Præcepit ergo jam temulentus, ut afferrentur vasa aurea & argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus de templo, quod fuit in Jerusalem, ut biberent in eis rex, & optimates ejus, uxoresque ejus, & concubinæ.

3. Tunc allata sunt vasa aurea & argentea, quæ asportaverat de templo, quod fuerat in Jerusalem: & biberunt in eis rex, & optimates ejus, uxores, & concubinæ illius.

4. Bibebant vinum, * & laudabant deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneosque & lapideos. *Jer. 51. 39. & 57.

5. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ: & rex aspiciebat articulos manus scribentis.

6. Tunc facies regis commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum: & compages (*b*) renum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur.

7. Exclamavit itaque rex fortiter, ut introducerent magos, Chaldæos, & aruspices. Et proloquens rex ait sapientibus Babylonis: Quicumque legerit scripturam hanc, & interpretationem ejus manifestam mihi fecerit, purpura vestietur, & torquem auream habebit in collo, & tertius in regno meo erit.

8. Tunc ingressi omnes sapientes regis non potuerunt nec scripturam legere, nec interpretationem indicare regi.

9. Unde rex Baltassar satis conturbatus est, & vultus illius immutatus est: sed & optimates ejus turbabantur.

10. Regi-

26. & 27. (*k*) Unde prospectus patebat in totam urbem. *Ædificavi*, triplici muro cinxi regiam, templum construxi.

30. (*l*) Hieronymus negat eum reipsa in bestiam mutatum; cum id Scriptura non dicat, & v. 31. rex subjiciat sibi sensum redditum, facile intelligimus eum non humanam formam, sed sensum mutasse: deinde ait Daniel corpus ejus infectum esse rore cæli, donec capilli in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues ejus quasi avium; neque de aliis corporis partibus asserit quod mutatæ fuerint præter capillos & ungues, qui nisi resecentur, facile crescunt: verisimile est eum bestiarum more nudum fuisse. Quod ait vers. 33. *Et figura mea reversa est ad me*, id de pulcritudine corporis, non de figura ipsa commode intelligitur. Itaque, ut videtur S. Thomæ lib. 2. de regimine principum, opinione sua, & imaginatione in bestiam mutatus est. Ferinum temperamentum datum est illi, & privatus membrorum humanorum officio, adeo ut curvato corpore incederet, rationis usu orbatus, pedibus & manibus repens, fugiens congressum hominum.

33. (*m*) Hieronym. *Quando dicit sensum sibi redditum, ostendit non formam se amisisse, sed mentem.* De tempore, quo sensu & regno privatus est, an septem mensibus, an septem annis, variæ sunt interpretum sententiæ: communior ea est sententia, per septem annos extra hominum consortium vixisse instar feræ.

CAP. V. 1. (*a*) Hebr. *Et coram mille vinum bibebat*; Baltassar ipse, seu is fuerit *Evilmerodach*, seu frater ejus minor natu, aut filius ejus, quod probabilius videtur; ac forte in mensa eadem, aut separata coram optimatibus bibebat, & unusquisque poculum prius, aut posterius sumebat pro ratione ætatis; prius seniores, postea juniores. Rex munitione urbis, & recondito in plures annos commeatu securus, luxu diffluens & deliciis, in ipsa urbis obsidione intemperanter vivebat, atque huic convivio mille principes interfuerunt. Videtur Pererio & aliis hoc caput præter ordinem historiæ positum: nam septimo & octavo cap. narrantur quæ primo & tertio anno Regis Baltassaris gesta sunt; in quinto autem capite quæ ultimo & decimo septimo Baltassaris anno contigerunt, nempe ut Daniel omnem simul texeret historiam, quæ ad Reges Chaldæorum pertinet: cum septimum & octavum capita unius Danielis visiones complectantur. Variis autem nominibus Baltassar designatur. Nam Jerem. 50. *Merodach* appellatur; Herodotus hunc Labynitum vocat lib. 1. Berosus & Alexander Polyhistor apud Josephum lib. 10. Antiq. hunc vocant Nabonidum. Idque sæpe evenit, ut iidem reges variis signentur nominibus, non solum apud sacros Auctores, sed etiam apud profanos. Hujus convivii meminit Xenophon lib. 7 Cyropædiæ: Isaiæ cap. 21. idem prædictum.

6. & 8. (*b*) Ut fit in vehementi timore. *Legere*, nam initiales tantummodo litteræ scriptæ erant. Berosus, quem sequitur Josephus, successorem Nabuchodonosoris censet fuisse Evilmerodach, quem Neglissar, tum Labasordach, tandem Baltassar ex ordine exceperunt. Evilmerodach occisum fuisse a Neglissar sororis marito tradunt Auctores, quos citat Josephus lib. priori contra Apionem: ac probabile est Baltassar ab amicis patris neci subductum fuisse, quoad patris hostes regnaverunt.

10. Regina (c) autem, pro re quæ acciderat regi, & optimatibus ejus, domum convivii ingressa est: & proloquens ait: Rex in æternum vive: non te conturbent cogitationes tuæ, neque facies tua immutetur.

11. Est vir in regno tuo, qui spiritum deorum sanctorum habet in se: & in diebus patris tui scientia & sapientia inventæ sunt in eo: nam & rex Nabuchodonosor pater (d) tuus, principem magorum, incantatorum, Chaldæorum, & aruspicum constituit eum, pater, inquam, tuus, o rex:

12. Quia spiritus amplior, & prudentia, intelligentiaque & interpretatio somniorum, & ostensio secretorum, ac solutio ligatorum inventæ sunt in eo, hoc est in Daniele: cui rex posuit nomen Baltassar: nunc itaque Daniel vocetur, & interpretationem narrabit.

13. Igitur introductus est Daniel coram rege. Ad quem præfatus rex ait: Tu es Daniel de filiis captivitatis Judæ, quem adduxit pater meus rex de Judæa?

14. Audivi de te, quoniam spiritum deorum habeas: & scientia, intelligentiaque ac sapientia ampliores inventæ sunt in te.

15. Et nunc introgressi sunt in conspectu meo sapientes magi, ut scripturam hanc legerent, & interpretationem ejus indicarent mihi: & nequiverunt sensum hujus sermonis edicere.

16. Porro ego audivi de te, quod possis obscura interpretari, & ligata dissolvere: si ergo vales scripturam legere, & interpretationem ejus indicare mihi, purpura vestieris, & torquem auream circa collum tuum habebis, & tertius in regno meo princeps eris.

Gen. 14. 23. & 4. Reg. 5. 16. 17. Ad quæ respondens Daniel, ait coram rege: Munera tua sint tibi, & dona (e) domus tuæ alteri da: scripturam autem legam tibi, rex, & interpretationem ejus ostendam tibi.

18. O rex, Deus Altissimus regnum & magnificentiam, gloriam & honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo.

19. Et propter magnificentiam, quam dederat ei, universi populi, tribus, & linguæ tremebant & metuebant eum: quos volebat, interficiebat: & quos volebat, percutiebat: & quos volebat, exaltabat: & quos volebat, humiliabat.

20. Quando autem elevatum est cor ejus,
* Sup. 2. 27. * & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria ejus ablata est:

* Sup. 4. 22. 21. * Et a filiis hominum ejectus est, sed & cor ejus cum bestiis positum est, & cum onagris erat habitatio ejus: fœnum quoque ut bos comedebat, & rore cæli corpus ejus infectum est, donec cognosceret quod potestatem haberet Altissimus in regno hominum: & quemcumque voluerit, suscitabit super illud.

22. Tu quoque filius ejus Baltassar, non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia:

23. Sed adversum Dominatorem cæli elevatus es: & vasa domus ejus allata sunt coram te: & tu, & optimates tui, & uxores tuæ, & concubinæ tuæ vinum bibistis in eis: deos quoque argenteos, & aureos, & æreos, ferreos, ligneosque & lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt, laudasti: porro Deum, qui habet flatum (f) tuum in manu sua, & omnes vias tuas, non glorificasti.

24. Idcirco ab eo missus est articulus manus, quæ scripsit hoc, quod exaratum est.

25. Hæc est autem scriptura, quæ digesta est. Mane (g), Thecel, Phares.

26. Et hæc est interpretatio sermonis. Mane: numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud.

27. Thecel: appensus es in statera, & inventus es minus (h) habens.

28. Phares: divisum (i) est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis.

29. Tunc jubente rege indutus est Daniel purpura, & circumdata est torques aurea collo ejus: & prædicatum est de eo quod haberet potestatem tertius in regno suo.

30. Eadem (k) nocte interfectus est Baltassar rex Chaldæus.

31. Et Darius Medus successit in regnum annos natus sexaginta duos.

CAPUT VI.

Daniel inter principes constitutus, accusatur, quod regis edicto non paruerit, missus est in lacum leonum, unde exiit illæsus, immissis in lacum accusatoribus, qui subito a leonibus sunt dilaniati.

1. Placuit (a) Dario, & constituit super regnum satrapas centum viginti, ut essent in toto regno suo.

2. Et super eos principes tres, ex quibus Daniel unus erat: ut satrapæ illis redderent rationem, & rex non sustineret molestiam.

3. Igitur Daniel superabat omnes principes, & satrapas: quia spiritus Dei amplior erat in illo.

4. Por-

10. (c) Mater, vel avia Baltassaris Nitocris nomine.

11. (d) Avus, more apud Hebræos usitato: idque colligitur ex cap. 27. Jeremiæ.

17. (e) Quod impium sit rem sacram vendere.

23. (f) Qui mortificat & vivificat, qui habet vitam tuam in sua potestate.

24. & 25. (g) Manus cum suis articulis. Mane, tria verba in pariete descripta scriptura designabat; primum numerum, secundum pondus, tertium divisionem significabant.

27. (h) Minus habens dierum, quam ætas & natura postulabat, adeo ut morte violenta & præcipiti morituris: ita Hieronymus hæc verba interpretatur.

28. (i) Inter Persas & Medos. Cyrus bellum gerebat nomine Darii Medi avunculi sui; mortuo sine liberis Dario Cyrus utrumque regnum possedit.

30. (k) Xenophon lib. 7. tradit, illo eodem die, quo Babylonii diem festum agentes ludis & conviviis vacabant, urbem esse captam, & regem neci datum. Nam Cyrus multas & altas fossas secerat, in quas deductum Euphraten transmeavit. Xenophon Cyaxarem, seu Darium Cyri avunculum hujus belli auctorem fuisse tradit, & Syrum accivisse. *Quod autem*, inquit Hieron. *vivente Cyro rege Persarum & Dario rege Medorum solus Darius successit in regnum, ordo ætatis, & propinquitatis, & regni servatus est.* Darius enim tum fuit sexaginta duobus annis natus, & majus erat regnum Medorum, quam Persarum; idem Cyri avunculus fuit. Excidium autem & eversio Babylonis, quam Isaias cap. 13. & 14. Jerem. cap. 50. prædicunt, non simul, sed paulatim contigit, amissa primum imperio, tum sub Dario Hystaspis filio, qui eam expugnavit, postea a Seleuco habitatoribus fuit exhausta. Cyrus tria regna Babylonis, Mediæ, & Persidis in unum conjunxerat.

1. (a) Id visum est Dario ut 120. Satrapæ regno præessent. Præcipua auctoritas erat penes Danielem.

CAP. VI.

4. Porro rex cogitabat conſtituere eum ſuper omne regnum: unde principes & ſatrapæ quærebant occaſionem ut invenirent Danieli ex latere (*b*) regis: nullamque cauſam & ſuſpicionem reperire potuerunt, eo quod fidelis eſſet, & omnis culpa & ſuſpicio non inveniretur in eo.

5. Dixerunt ergo viri illi: Non inveniemus Danieli huic aliquam occaſionem, niſi forte in lege Dei ſui.

6. Tunc principes & ſatrapæ ſurripuerunt regi, & ſic locuti ſunt ei: Dari rex in æternum vive:

7. Conſilium inierunt omnes principes regni tui, magiſtratus, & ſatrapæ, ſenatores, & judices, ut decretum imperatorium exeat, & edictum: Ut omnis, qui petierit aliquam petitionem a quocumque deo & homine, uſque ad triginta dies, niſi a te rex, mittatur in lacum leonum.

8. Nunc itaque rex confirma ſententiam, & ſcribe decretum: ut non immutetur quod ſta-
Eſter 1.19. tutum eſt a Medis & Perſis (*c*), nec prævaricari cuiquam liceat.

9. Porro rex Darius propoſuit edictum, (*d*) & ſtatuit.

10. Quod cum Daniel comperiſſet, id eſt, conſtitutam legem, ingreſſus eſt domum ſuam: & feneſtris apertis (*e*) in cœnaculo ſuo contra
*3.Reg.8.48. Jeruſalem * tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebaturque coram Deo ſuo, ſicut & ante facere conſueverat.

11. Viri ergo illi curioſius inquirentes, invenerunt Danielem orantem, & obſecrantem Deum ſuum.

12. Et accedentes locuti ſunt regi ſuper edicto: Rex, numquid non conſtituiſti, ut omnis homo, qui rogaret quemquam de diis & hominibus, uſque ad dies triginta, niſi te, rex, mitteretur in lacum leonum? Ad quos reſpondens rex, ait: Verus eſt ſermo juxta decretum Medorum atque Perſarum, quod prævaricari non licet.

13. Tunc reſpondentes dixerunt coram rege: Daniel de filiis captivitatis Juda, non curavit de lege tua, & de edicto, quod conſtituiſti: ſed tribus temporibus per diem orat obſecratione ſua.

14. Quod verbum cum audiſſet rex, ſatis contriſtatus eſt: & pro Daniele poſuit cor ut liberaret eum, & uſque ad occaſum ſolis laborabat ut erueret illum.

15. Viri autem illi intelligentes regem, dixerunt ei: Scito rex, quia lex Medorum atque Perſarum eſt, ut omne decretum, quod conſtituerit rex, non liceat immutari.

16. Tunc rex præcepit: & adduxerunt Danielem, & miſerunt eum in lacum leonum. Dixitque rex Danieli: Deus tuus, quem colis ſemper, ipſe liberabit te.

17. Allatuſque eſt lapis unus, & poſitus eſt ſuper os laci: quem obſignavit (*f*) rex annulo ſuo, & annulo optimatum ſuorum, ne quid fieret contra Danielem.

18. Et abiit rex in domum ſuam, & dormivit incœnatus, cibique non ſunt allati coram eo, inſuper & ſomnus receſſit ab eo.

19. Tunc rex primo diluculo conſurgens, feſtinus ad lacum leonum perrexit:

20. Appropinquanſque lacui, Danielem voce lacrymabili inclamavit, & affatus eſt eum: Daniel ſerve Dei viventis, Deus tuus, cui tu ſervis ſemper, putaſne valuit (*g*) te liberare a leonibus?

21. Et Daniel regi reſpondens ait: Rex in æternum vive:

22. * Deus meus miſit Angelum ſuum, & *1.Mach.1.60
concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi: Heb.11.33.
quia coram eo juſtitia (*h*) inventa eſt in me: ſed & coram te, rex, delictum non feci.

23. Tunc vehementer rex gaviſus eſt ſuper eo, & Danielem præcepit educi de lacu: eductuſque eſt Daniel de lacu, & nulla læſio inventa eſt in eo, quia credidit (*i*) Deo ſuo.

24. Jubente autem rege, adducti ſunt viri illi, qui accuſaverant Danielem, & in lacum leonum miſſi ſunt, ipſi, & filii, & uxores eorum: & non pervenerunt uſque ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia oſſa eorum comminuerunt.

25. Tunc Darius rex ſcripſit univerſis populis, * tribubus, & linguis (*k*), habitantibus *Sup.3.98.
in univerſa terra: PAX vobis multiplicetur.

26. A me conſtitutum eſt decretum, ut in univerſo imperio & regno meo tremiſcant & paveant Deum Danielis. Ipſe eſt enim Deus vivens, & æternus in ſæcula: & regnum ejus non diſſipabitur, & poteſtas ejus uſque in æternum.

27. Ipſe liberator, atque ſalvator, faciens
ſigna, & mirabilia in cælo, & in terra: * qui *Sup.3.
liberavit Danielem de lacu leonum. 100.

28. * Porro Daniel perſeveravit uſque ad re- *Sup.1.21.
gnum Darii, regnumque Cyri Perſæ.

CA-

4. (*b*) Pagninus, ex parte regni, in negotiis Regis: ut invenirent aliquid quod circa regni adminiſtrationem Danieli poſſent objicere.

8. (*c*) Hieron. *Perſpicuum eſt unum fuiſſe regnum ſub Dario & Cyro Medorum atque Perſarum.*

9. (*d*) Hoc uſi ſunt prætextu, ut novi Regis imperium omnes agnoſcerent.

10. (*e*) *Ergo* cæremoniarum uſus non eſt indifferens, ſecus imprudenter egiſſet Daniel. Nihil de orandi ritu quo ante utebatur edicti metu mutare voluit. Hieron. *Tria autem eſſe tempora quibus Deo flectenda ſunt genua, tertiam horam, ſextam, & nonam. Eccleſiaſtica intelligit traditio.*

17. (*f*) Hieronym. Et qui de Leonibus ſecurus eſt, de hominibus pertimeſcit; ne principes ſi viderent Danielem a Leonibus non interfici, ipſi eum occiderent. Hæc figurabant ea quæ in Chriſto ventura erant.

20. (*g*) Id eſt, Voluit me te liberare. Theodoretus.

22. (*h*) Cum ait ſe coram rege juſtum fuiſſe, de particulari juſtitia eſt intelligendum: accuſatus enim fuerat, quod in regem deliquiſſet: cum ait ſe coram Deo juſtum eſſe, de generali loquitur Juſtitia: non quod negaret ſe aliquando peccare in Deum, ſed peccata ſua eſſe remiſſa, nec fuiſſe mortifera inſinuat.

23. (*i*) Fide per charitatem formata. Ad hunc locum alludit Paulus Hebr. 11. verſ. 33. cum ait, *Sanctos per fidem obturaſſe ora leonum*; nam fides prima ſalutis eſt cauſſa.

25. 26. & 27. (*k*) Nationibus, phraſi Chaldaica. *Tremiſcant*, ut omnino abſtinerent ab omni adverſus Deum irreverentia & contumelia, ut cap. 3. Nebuchodonoſor edicto caverat. *Uſque*, quamdiu Darius & Cyrus regnaverunt.

CAPUT VII.

Visio Danielis de quatuor bestiis, quæ quatuor Monarchias designant, necnon de Christi regno æterno.

1\. ANno primo (*a*) Baltassar regis Babylonis, Daniel somnium vidit: visio autem capitis ejus in cubili suo: & somnium scribens, brevi sermone comprehendit: summatimque perstringens, ait:

2\. Videbam in visione mea, nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno (*b*).

3\. Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se.

4\. Prima quasi leæna (*c*), & alas habebat aquilæ: aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.

5\. Et ecce bestia (*d*) alia similis urso in parte stetit: & tres ordines erant in ore ejus, & in dentibus ejus, & sic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas.

6\. Post hæc aspiciebam, & ecce alia quasi pardus (*e*), & alas habebat quasi avis, quatuor super se, & quatuor capita erant in bestia, & potestas data est ei.

7\. Post hæc aspiciebam in visione noctis, & ecce bestia quarta (*f*) terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans: dissimilis autem erat ceteris bestiis, quas videram ante eam, & habebat cornua decem.

8\. Considerabam cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum (*g*) est de medio eorum: & tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus: & ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.

9\. Aspiciebam (*h*) donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum ejus candidum quasi nix, & capilli capitis ejus quasi lana munda: thronus ejus flammæ ignis: rotæ ejus ignis accensus.

10\. Fluvius (*i*) igneus, rapidusque egrediebatur a facie ejus: * millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assi- * Apoc. 5. 11.
stebant ei: judicium sedit, & libri aperti sunt.

11\. Aspi-

CAP. VII. 1. (*a*) In Prophetis non servatur ordo temporum: quæ enim hoc capite narrantur, ante multos annis evenerunt, quam ea quæ superiori capite. Quæ in hoc libro sub figura ternorum adumbrantur, ad imperium Christi sunt referenda, quod omnia terræ imperia destruxit, per justitiæ severitatem, aut misericordiam infinitam. Id observat Maldonatus, solitos fuisse Prophetas singula vaticinia separatim scribere, prout se unumquodque offerebat, & populis postea proponere non servato ordine temporum, in unum volumen esse collecta, ut in Psalmis factum cernimus. Potest tamen hujus mutati ordinis aliqua afferri ratio, quod hactenus Daniel quæ ad Prophetiam quasi viam muniunt, sex primis capitibus & historiam magis scripserit, quam prophetiam, nunc sua vaticinia contexat.

2\. (*b*) Sic appellabant mare Mediterraneum: Quatuor venti, quatuor regna, eorum commotiones & bella indicant, uti & quatuor bestiæ feroces vim & sævitiam in his regnis constituendis, & servandis exhibent. Hieron. per quatuor ventos quatuor angelicas potestates, quibus principalia regna commissa sunt, intelligit. Theodoretus similitudine quatuor ventorum inter se pugnantium adumbratos putat tumultus maximos, qui in exortu cujusque Monarchiæ exstiterunt.

4\. (*c*) Prima Monarchia Chaldæorum, *Alas habebat aquilæ*, ob celeritatem in bellis conficiendis: hinc Jerem. 4. *Velociores aquilis equi ejus. Aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus*, Nabuchodonosoris, qui & regno & rationis usu privatus instar bovis, fuit incurvatus: sed hæc bestia cum Deum cæli agnovit, *sublata est de terra, super pedes quasi homo stetit*, & erecta fuit; vel potius de futura regni translatione sub persona Nabuchodonosoris vaticinatur: duæ illius alæ sunt Evilmerodach, & Baltassar, quibus sublatis regnum esse desiit Babylonis.

5\. (*d*) Monarchia Persarum & Medorum. *In parte stetit*, Symm. *Ad unum latus stetit*, in Babylonios scilicet. Hieron. Primum erexit se, & invasit partem sibi viciniorum, seu regnum Chaldæorum, quo devicto facile ei fuit cetera jugo suo subjicere. *Similis urso*; nam ut catuli ursorum, sic Persæ viles & informes a Cyro ad bellum formati sunt, & ad imperii fastigium evecti. *Et tres ordines*, Chald. & Septuaginta *Inter dentes ejus*: tria nempe regna Persarum, Medorum & Babylonicum, quæ Cyrus in unum conjunxit. *Surge, comede carnes plurimas*, Deo permittente aut impellente. Cyrum multas gentes domiturum significat.

6\. (*e*) Alexander: *Et alas habebat quasi avis*, ob victoriarum incredibilem celeritatem. *Et quatuor capita erant in bestia*, quatuor Alexandri præcipuos duces, quibus imperium postea divisum est: Philippo Macedonia & Græcia, Antigono Asia minor, Seleuco Syria & Babylonia, Ptolemæo Ægyptus. Theodoretus per quatuor alas, omnes orbis terrarum partes intelligit; vel quatuor præcipua regna, Babylonicum, Medorum, Persarum, Græcorum, cum Maldonato licet interpretari.

7\. (*f*) Monstrum erat ex plurium commistione conflatum, Romanorum scilicet imperium; *Dentes*, ingentes exercitus. *Et habebat cornua decem*, reges potentes a populo Romano debellatos videtur innuere, quicumque illi sint. *In visione noctis*, per somnium nocturnum. Quarta bestia Romanum imperium post primum Christi adventum, & ante secundum adventum videtur designare. Nam ea de re Daniel hoc in loco, & Joannes in Apoc. cap. 17. videntur loqui. Joannes vero aperte Romam designat vers. 9. Quod autem Daniel cap. 2. Romanum imperium a Christo comminutum iri ait, de victoria spirituali, non de temporali agit. Ceterum Romani imperii nullam exprimit formam, ut in aliis imperiis, quibus unus rex dominabatur: sed varia fuit hujus imperii forma: unde hæc bestia non nominatur a Daniele. *Reliqua pedibus suis conculcans*: tributis subjiciens quos non occidebat. Decem illi reges forte adhuc futuri sunt, aut si jam exstiterunt, ii quærendi sunt ex interpretatione, cap. 13. & 17. Apocal. Quatuor illæ bestiæ e mari prodeunt, apud Danielem in mari, seu in mundo tot procellis agitato pugnant, ut in Apoc. cap. 13. quarta bestia Romanum videlicet imperium de mari ascendit, & maris nomine mundum ipsum intelligit, ex c. 21. mare non amplius futurum ait: *Et vidi cælum novum, & mare jam non est: Et habebat cornua decem*: Porphyrius juxta Hieronymum duas posteriores bestias Macedonum & Romanorum in uno Macedonum regno ponit & dividit, pardum volens intelligi Alexandrum; bestiam autem dissimilem ceteris bestiis quatuor Alexandri successores, & deinde usque ad Antiochum Epiphanem decem reges enumerat, qui fuerunt sævissimi.

8\. (*g*) Patres nonnulli intelligunt Antichristum, qui decem illos reges subiget: *Os loquens ingentia*. Porphyrius de Antiocho hæc interpretatur. Alii in quarta bestia regnum Seleucidarum & Lagidarum adumbratum putant: ex iis decem reges Judæos fuisse perseLequutos. Cornu illud parvulum ortum in medio eorum putant esse Antiochum illustrem: tria cornua ab eo evulsa, tres reges ab eo devictos, Ptolemæum qui Philometor dictus est, Ptolemæum Evergetem, & Demetrium cujus regnum invasit. Verum longe probabilius est, quartam illam bestiam terribilem Romanum imperium designari. Hoc in loco Porphyrii commentum refellit Hieronymus. Nam tertia & quarta bestia non unum, sed duo regna designant ex Daniele, præterquam Antiochus Ptolemæum Evergetem non devicit, Philometora quidem vicit, sed jussu Romanorum ex Ægypto discedere coactus est.

9\. (*h*) Me adhuc aspiciente judicium factum est de Antichristo, ut plerisque videtur, vel ut alii conjiciunt, de auferendis, dandisque regnis agebatur. *Et antiquus dierum sedit*, unus & trinus Deus æternus ante omnia tempora; vel Pater æternus de subjiciendis Christo hostibus judex sedit. Consimile Dei tribunal describitur Apocal. 4. ubi agitur de judicio adversus Judæos & Romanos Ecclesiæ persecutores pronuntiando: ante omnia Joanni Judex & ejus assessores, & consessus omnis exhibentur. Per thronum flammeum splendor judicii divini; per rotas igneas judicis providentia ubique præsens exprimitur. An de Antiochi ipsius judicio, ut nonnullis placet, aut de alio in extremis temporibus futuro judicio agitur, quo Pater æternus omnes inimicos filio subjecturus est, & Antichristum in primis?

10\. (*i*) Sententia, quam pronuntiat, efficacissima est, & celerrima. Quæ nonnulli applicant Christo, qui vivos & mortuos in extremo die judicabit. Hoc loco de subjiciendis Christo hostibus, qui ejus regno bellum inferebant, uti Psalm. 109. scriptum est, omnino agi videtur. *Judicium sedit*, judices sederunt, Deus & illius consiliarii: *Et libri aperti sunt*, accusationes & defensiones, expositæ utrimque rationes.

11. Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur: & vidi quoniam interfecta esset bestia (*k*), & periisset corpus ejus, & traditum esset ad comburendum igni:

12. Aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas (*l*), & tempora vitæ constituta essent eis usque ad tempus, & tempus.

13. Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius (*m*) hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit: & in conspectu ejus obtulerunt eum.

14. Et dedit ei potestatem (*n*), & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient: * potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum ejus, quod non corrumpetur.

[* Sup. 3. 100. & 4. 31. Mich. 4. 7. Luc. 1. 32.]

15. Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum in his, & visiones capitis mei conturbaverunt me.

16. Accessi ad unum de assistentibus, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem sermonum, & docuit me:

17. Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra.

18. Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi: & obtinebunt regnum usque in sæculum, & sæculum sæculorum.

19. Post hoc volui diligenter discere de bestia quarta, quæ erat dissimilis valde ab omnibus, & terribilis nimis: dentes & ungues ejus ferrei: comedebat, & comminuebat, & reliqua pedibus suis conculcabat:

20. Et de cornibus decem, quæ habebat in capite: & de alio, quod ortum fuerat, ante quod ceciderant tria cornua: & de cornu illo, quod habebat oculos, & os loquens grandia, & majus erat ceteris.

21. Aspiciebam, & ecce cornu (*o*) illud faciebat bellum adversus sanctos, * & prævalebat eis,

[* Apoc. 11. 7.]

22. Donec venit antiquus (*p*) dierum, & judicium dedit sanctis Excelsi, * & tempus advenit, & regnum obtinuerunt sancti.

[* Ezech. 18. 19. & seq. & 19. 3. & seq.]

23. Et sic ait: Bestia quarta, regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus regnis, & devorabit universam terram, & conculcabit, & comminuet eam.

24. Porro cornua decem ipsius regni, decem reges erunt: & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit.

25. Et sermones contra Excelsum loquetur (*q*), & sanctos Altissimi conteret: & putabit quod possit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.

26. Et judicium sedebit, ut auferatur potentia, & conteratur, & dispereat usque in finem.

27. Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi: cujus regnum, regnum sempiternum est, & omnes reges servient ei, & obedient.

28. Hucusque finis verbi. Ego Daniel multum cogitationibus meis conturbabar, & facies mea mutata est in me: verbum autem in corde meo conservavi.

CAPUT VIII.

Quæ futura sint in secunda & tertia Monarchia: Gabriel Angelus visionem interpretatur.

1. ANno tertio regni Baltassar regis, visio apparuit mihi. Ego Daniel, post id quod videram in principio,

2. Vidi in visione mea, cum essem in Susis (*a*) castro, quod est in Ælam regione: vidi autem in visione esse me super portam Ulai.

3. Et levavi oculos meos, & vidi: & ecce aries (*b*) unus stabat ante paludem, habens cornua excelsa, & unum excelsius altero atque succrescens. Postea

4. Vidi

11. (*k*) Romanum imperium prorsus oblitum, quæ est judicii conclusio. Vel si ea bestia Antiochum designet, is judicio Dei percussus interiit.

12. (*l*) Aliorum priorum regnorum: *Usque ad tempus & tempus*, vidit ceteras bestias tempore a Deo constituto periisse.

13. (*m*) Christus Dominus, qui dicitur quasi filius hominis. Quo quidem nomine eum esse plusquam hominem innuitur. Hujus regnum post hæc terrena imperia cœpit per Incarnationem, idque per mortem, resurrectionem & ascensionem fuit obsignatum. *Usque ad antiquum dierum pervenit*, huic data est omnis potestas in cælo & in terra: secundus quoque ejus adventus designatus.

14. (*n*) Judicandi & regnandi, pacificam de victis hostibus potestatem adipiscitur. *Et omnes populi*. Hieron. *Hoc cui possit hominum convenire, respondeat Porphyrius, aut quis iste tam potens sit?*

21. (*o*) Regnum forte est Antichristi, alii de Antiocho intelligunt.

22. (*p*) Donec Deus tribunal suum conscendit, & se præsentem esse per potentiam ostendit. *Et judicium dedit Sanctis*, qui cum Christo judicabunt, vel sententiam protulit secundum Sanctos, regnum cæleste adjudicavit Sanctis.

25. (*q*) De Antichristo hæc interpretari solent, eum regnaturum tres annos & sex menses: *Tempus*, annum videlicet; *& tempora*, duos annos, *& dimidium temporis*, seu dimidium anni. Sic Apoc. 11. *Et calcabunt civitatem sanctam mensibus quadraginta duobus*, *&c.* Eumdem numerum regni Antichristi innit Daniel cap. 12 vers. 11. cum vers. 7 eadem verba in eumdem sensum retulisset; & Joannes Apoc. cap. 12. ait mulierem, id est, Ecclesiam fugisse in solitudinem per dies mille sexaginta. Numerus hic est mysticus. Nec forte necesse est eum numerum præcise & definite sumere, seu de Antichristo, seu de Antiocho intelligamus: est enim numerus Ecclesiæ persecutionibus consecratus, qualis fuit Antiochi persecutio; atque Ecclesiæ acerbissimas persecutiones eo fere temporis spatio terminari Deus voluit, ut per intervalla temporum respiraret. Sic Daniel. 9. dimidium hebdomadis totidem menses continet. Hæc tamen nonnulli de Antiocho intelligunt, qui urbem Jerusalem occupavit & profanavit tribus annis cum dimidio, ex Josepho lib. 12. Antiq. cap. 10. sed illud vix explicari potest quod sequitur v. 27. *Regnum autem & potestas quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi*, nisi de Ecclesiæ regno id intelligatur suo tempore constituendo. Et quidem Antiochus fuit typus non solius Antichristi, sed persecutorum Ecclesiæ, quorum idem pene fuit exitus, ac magni illi eventus sunt alii aliorum typi.

CAP. VIII.

2. (*a*) Vatabl. *Et in visione circumspiciens visus sum mihi esse in Susis*, in regia Persarum, mœnibus & turribus inter arcis munitissima. Alii vertunt, in Susis regia Elamitidis, seu Persidis, tametsi Susa in confinio Babyloniæ & Persidis sita ex Strabone, lib. 15. tumque ditionis Chaldæorum esse potuit, eaque facta est regia Persarum a Cyro, ut testatur Strabo. *In Susis castro*, in arce ipsa; *Super portam Ulai*. Vatabl. Super fluvium Eulæum. Id Scripturæ solemne est, ut res easdem sub diversis figuris exprimat. Alia quidem est visio a superiore, sed quoad sententiam pars illius est. Nam in priori parte tantum tertiæ interpretationem ab Angelo petierat, quia mirabilior erat; in hac visione trium aliarum significationem sibi demonstratam exhibet, quod his verbis vers. 1. indicavit: *Post id quod videram in principio*; post primam visionem superiori capite enarratam. Nec forte reipsa Susis fuit, si urbs ea fuit Persarum, qui Chaldæorum erant hostes; sed visus est sibi Susis degere, ut Ezechiel c. 11. dicit se spiritu raptum esse Jerusalem.

3. (*b*) Rex Medorum & Persarum, ut Angelus postea explicat. *Cornua excelsa*: vox Hebræa est numeri dualis: ut duo regna Medorum & Persarum. *Unum excelsius altero*, nempe regnum Persarum paullatim auctum, atque succrescens significet: Hebr. *Ascendens sub finem*. Cyrus sub finem regni sui major fuit Dario rege Medorum. Atque hi forsan sunt duo cornua arietis.

4. Vidi arietem cornibus ventilantem (*c*) contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem, & omnes bestiæ non poterant resistere ei, neque liberari de manu ejus: fecitque secundum voluntatem suam, & magnificatus est.

5. Et ego intelligebam: ecce autem hircus (*d*) caprarum veniebat ab Occidente super faciem totius terræ, & non tangebat terram: porro hircus habebat cornu insigne inter oculos suos.

6. Et venit usque ad arietem illum cornutum, quem videram stantem ante portam, & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ.

7. Cumque appropinquasset prope arietem, efferatus est in eum, & percussit arietem, & comminuit duo cornua ejus, & non poterat aries resistere ei: cumque eum misisset in terram, conculcavit, & nemo quibat liberare arietem de manu ejus.

8. Hircus autem caprarum magnus (*e*) factus est nimis: cumque crevisset, fractum est cornu magnum, & orta sunt quatuor cornua subter illud per quatuor ventos cæli.

Inf. 11. 17 Sup. 7. 8. 9. De uno autem ex eis egressum (*f*) est cornu unum modicum: & factum est grande contra Meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem.

10. Et magnificatum est usque ad fortitudinem (*g*) cæli: & dejecit de fortitudine, & de stellis, & conculcavit eas.

11. Et usque ad principem (*h*) fortitudinis magnificatum est: & ab eo tulit juge sacrificium, & dejecit locum sanctificationis ejus.

12. Robur autem datum est ei contra juge sacrificium propter peccata: & prosternetur veritas (*i*) in terra, & faciet, & prosperabitur.

13. Et audivi unum de sanctis loquentem: & dixit unus sanctus alteri nescio cui loquenti: Usquequo visio (*k*), & juge sacrificium, & peccatum desolationis, quæ facta est: & sanctuarium, & fortitudo conculcabitur.

14. Et dixit ei: Usque (*l*) ad vesperam & mane, dies duo millia trecenti: & mundabitur sanctuarium.

15. Factum est autem cum viderem ego Daniel visionem, & quærerem intelligentiam: ecce stetit in conspectu meo quasi species viri.

16. Et audivi vocem viri inter Ulai: & clamavit, & ait: Gabriel, fac intelligere istam visionem.

17. Et venit, & stetit juxta ubi ego stabam: cumque venisset, pavens corrui in faciem meam, & ait ad me: Intellige fili hominis, quoniam in tempore (*m*) finis complebitur visio.

18. Cumque loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram: & * tetigit me, & statuit me in gradu meo, * Apoc. 22. 9.

19. Dixitque mihi: Ego ostendam tibi quæ futura sunt in novissimo maledictionis: quoniam habet tempus finem suum.

20. Aries, quem vidisti habere cornua, rex Medorum est atque Persarum.

21. Porro hircus caprarum, rex Græcorum est, & cornu grande, quod erat inter oculos ejus, ipse est rex primus.

22. Quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo: quatuor reges de gente ejus consurgent, sed non in fortitudine ejus.

23. Et post regnum eorum, cum creverint iniquitates (*n*), consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones.

24. Et roborabitur fortitudo ejus, sed non in viribus (*o*) suis: & supra quam credi potest, universa vastabit, & prosperabitur, & faciet. Et interficiet robustos, & populum sanctorum.

25. Secun-

4. (*c*) Nam Cyrus & ejus successores in his regionibus magna gesserunt bella. *Contra Occidentem*; omnes partes mundi præter Orientem nominat, quod regnum eius ad Orientem esset respectu aliarum regionum, in quibus bella gessit. *Et omnes bestiæ*: sic reges alios vocat, ut in metaphora incepta perstet; *Et magnificatus est*, ex parvis initiis in regem potentissimum evasit. Hieron. *Cornu autem unum excelsius altero atque succrescens, ipsum Cyrum significat, qui post Astyagem avum maternum cum avunculo Dario, quem Græci Cyaxarem vocant, Medis imperavit & Persis*.

5. & 7 (*d*) Alexander Macedo, qui juvenis regnare cœpit: vel potius hirci nomine designat regem Græcorum generatim, per cornu Alexandrum. *Et non tangebat terram*: præ celeritate in conficiendis bellis. Hircum caprarum vocat, qui capris præire solet ceteris robustior. Quod præmisit. *Et ego intelligebam*: intento animo considerabam, vel confusa quadam & generali cognitione intelligebam regnorum mutationem significari. *Duo cornua*, Persas & Babylonios.

8. (*e*) Alexandri, qui magnus est appellatus. *Et orta sunt quatuor cornua*, quatuor reges, de quibus superiori capite. Plures quidem fuerunt, sed ex iis quatuor principes erant, ad quos ceteri se adjunxerunt.

9. (*f*) E Seleuco ortus est Antiochus illustris. *Contra Meridiem*, devicto Ptolemæo Ægypti rege. *Contra Orientem*, debellato rege Armeniæ omnem vim suam vertit. *Contra fortitudinem*, Judæam: vox eadem vers. 45. vertitur terra inclyta. Dicitur Judæa terra fortitudinis, quia divino præsidio fortis erat: vox Hebræa exercitum quoque significat, & ita multi accipiunt.

10. (*g*) Ad exercitum cæli, Judæos qui Deo duce bella gerebant: *De fortitudine*, Hebr. de exercitu multos prostravit Judæos; *Et dejecit de stellis*: illustribus viris, petulanter insurgens: stellæ militia Dei dici solent, duas metaphoras in unam confundit.

11. (*h*) Majestatem divinam sibi vindicans, lib. 1. Mach. 9. *Et ab eo tulit juge sacrificium*: verum Deo sacrificari agnum, qui quotidie immolabatur in templo, quod dejecit, non diruit: cessavit enim juge sacrificium per tres annos & amplius, constituto in templo Dei, Jovis Olympii simulacro; vel sex anni numerantur ab anno 143 imperii Græcorum ad 148. tamdiu enim duravit Judæorum calamitas, & per triennium templi profanatio. Hæc quoque possunt ad Antichristum referri, qui juge sacrificium non penitus tollet, sed solemnem ejus ritum & publicum, ut apud hæreticos. 2300. dies sex annos, quatuor menses & viginti dies continent: adeo ut profanatio templi ante id tempus inceperit. Atque hæc desolatio templi persecutionem Christianorum tribus primis sæculis adumbrat, uti & Antichristi persecutionem. Hieronym. *Hunc locum plerique nostrorum ad Antichristum referunt, & quod sub Antiocho in typo factum est, sub illo in veritate dicunt esse complendum*. Quod autem infert, *Mundabitur sanctuarium*, Judæ Machabæi significat tempora.

12. (*i*) Lex divina; ita Deo permittente ob peccata populi, legem pene totam abolevit, immo & verum Dei cultum.

13. (*k*) Jugis sacrificii ablatio durabit. *Et peccatum desolationis*, & desolatio propter peccatum facta: *Et sanctuarium, & fortitudo*; Hebr. Exercitus: Usquequo & templum & populus conculcabitur.

14. (*l*) Totidem dies naturales, quos a vespera Judæi numerabant. Hieron. *Per annos vastitatis Jerusalem sex, contaminationis autem templi tres*. Theodoretus per vesperam initium calamitatis, per mane, finem. Lovanienses in Annotationibus censent hanc vocem; *dies*, abundare a Deo.

17. (*m*) In tempore definito.

23. (*n*) Judæorum; *Consurget*, non proxime; sed post 100. annos & amplius. *Rex impudens facie*, Antiochus impius. *Intelligens propositiones*, Hebr. ænigmata, versutias; astutus, & callidus.

24. (*o*) Non suis viribus, sed Dei permissu roborabitur.

1. Mach. 1. 52. 25. Secundum voluntatem (*p*) suam, & dirigetur dolus in manu ejus: & cor suum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet
2. Mach. 6. & seq. 1. Mach. 6. 8. plurimos: & contra principem principum consurget, & sine manu conteretur.

Et 2. Mach. 9. 5. 26. Et visio vespere & mane, quæ dicta est, vera est: tu ergo visionem signa, quia post
Jer. 32. 14. Apoc. 22. 10. multos (*q*) dies erit.

27. Et ego Daniel langui, & ægrotavi per dies: cumque surrexissem, faciebam opera regis, & stupebam ad visionem, & non erat qui interpretaretur (*r*).

CAPUT IX.

Orat Daniel pro libertate populi: mittitur Gabriel, qui libertatem & Christi adventum post septuaginta hebdomadas annorum promittit.

1. IN anno primo Darii filii Assueri (*a*) de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum:

2. Anno uno regni ejus, ego Daniel intel-
* Jer. 25. 11. & 29. 10. lexi (*b*) in libris * numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni.

3. Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in jejuniis, sacco, & cinere.

4. Et oravi (*c*) Dominum Deum meum,
* 2. Esdr. 1. 5. & confessus sum, & dixi: * Obsecro Domine Deus magne & terribilis, custodiens pactum & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua.

* Bar. 1. 17. 5. * Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, & recessimus, & declinavimus a mandatis tuis, ac judiciis.

6. Non obedivimus servis tuis prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo regibus nostris, principibus nostris, patribus nostris, omnique populo terræ.

7. Tibi Domine justitia (*d*): nobis autem confusio faciei, sicut est hodie viro Juda, & habitatoribus Jerusalem, & omni Israel, his qui prope sunt, & his qui procul, in universis terris, ad quas ejecisti eos propter iniquitates eorum, in quibus peccaverunt in te.

8. Domine nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, & patribus nostris qui peccaverunt.

9. Tibi autem Domino Deo nostro misericordia, & propitiatio, quia recessimus a te:

10. Et non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in lege ejus, quam posuit nobis per servos suos prophetas.

11. Et omnis Israel prævaricati sunt legem tuam, & declinaverunt ne audirent vocem tuam, & stillavit super nos maledictio, * & * Neh. 1. 6.
detestatio, quæ scripta est in libro Moysi * * Jer. 7. 15. Levit. 25. Deut. 28.
servi Dei, quia peccavimus ei:

12. Et statuit (*e*) sermones suos, quos locutus est super nos, & super principes nostros, qui judicaverunt nos, ut superinduceret in nos magnum malum, quale numquam fuit sub omni cælo, secundum quod factum est in Jerusalem.

13. * Sicut scriptum est in lege Moysi, om- * Deut. 27. 14.
ne malum hoc venit super nos: & non rogavimus faciem tuam, Domine Deus noster, ut reverteremur ab iniquitatibus nostris, & cogitaremus veritatem tuam.

14. Et vigilavit (*f*) Dominus super malitiam, & adduxit eam super nos: justus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis, quæ fecit: non enim audivimus vocem ejus.

15. * Et nunc Domine Deus noster, * qui * Baruch. 1. 11.
eduxisti populum tuum de Terra Ægypti in * Exod. 14. 22.
manu forti, & fecisti tibi nomen secundum diem hanc: peccavimus, iniquitatem fecimus,

16. Domine in omnem justitiam (*g*) tuam: avertatur obsecro ira tua, & furor tuus a civitate tua Jerusalem, & monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra, & iniquitates patrum nostrorum, Jerusalem & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum.

17. Nunc ergo exaudi Deus noster orationem servi tui, & preces ejus: & ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est, propter temetipsum.

18. Incli-

25. (*p*) Pro arbitrio. *Dirigetur dolus*: quæ cogitaverit, perficiet. *Et sine manu conteretur*, non ab hominibus, sed a Deo. Urbs illa, in qua Antiochus mortuus est, videtur fuisse Susa in Elymaide, ubi erat templum Dianæ augustissimum; Persepolis lib. 2. Mach. dicitur, quod esset urbs Persidis insignis: non urbs Persepolis proprie dicta. Intelligitur ab Alexandro lib. 1. Machab. cap. 6. Elymæ, quod olim essent Provinciæ Elymaidis. Quod autem in lib. 2. c. 9. Antiochus dicitur percussus, cum templum Naneæ vellet diripere, non occisus dicitur, sed percussus lapidibus, & qui cum eo erant, occisi.

26. (*q*) Post 2300. dies, ut dictum est, restituetur juge sacrificium vespere & mane: vel potius, & visio vespere & mane, visio illa 2300. dierum vera est. Tempus in priori lib. Machab. determinatum ab anno 143. ad annum 148. longius esse nequit sex annis integris. Sed 2300. dies continent sex annos, 4. menses, & 20 dies. An forte dicendum est cum Pererio, hic in loco Danielis terminum non constitui in purgatione templi, sed in morte Antiochi, quæ accidit anno 149. tamdiu enim duravit persecutio. *Tu ergo visionem signa*, apud te serva, de illa ne dubites propter eventus dilationem, vel manda posteritati. *Quia post multos dies erit*; respectu vitæ humanæ longum est tempus.

27. (*r*) Angelus quidem visionem huic exposuerat; sed quibus hæc futura essent temporibus, non aperuit, nec regum nomina. Hebr. *Et non erat qui intelligeret*, atque ita vertit Theodotio; vel nemo caussam morbi, aut stuporis mei intelligebat.

CAP. IX. 1. (*a*) Assuerus idem multis videtur qui Astyages: vox Hebræa magnum principem significat, idque fuit agnomen commune, quod illustribus Medorum regibus tributum fuit.

2. (*b*) Unde initium annorum 70. captivitatis sumendum videatur, utrum a primo anno Nabuchodonosoris, seu ab anno Joachin tertio, quæ prima fuit captivitas, ut videtur Sulpitio Severo lib. 2. an a transmigratione Jechoniæ, ut placet Scaligero; an demum ab undecimo anno Sedeciæ, cum solitudo, vastitas & desolatio prædicta a Jeremia, cap. 25. facta est, quæ Josephi, Eusebii & aliorum est sententia; magna est inter eruditos controversia, de qua alibi diximus, ut c. 25. Jeremiæ item cap. 29. & quidem Jeremias, cap. 25. prædicit LXX. captivitatis annos tum finiendos, cum Babylonis imperium esset destructum. Hoc ipsum ex postremis verbis lib. 2. Paralipom. & ex initio Esdræ manifestum est. Quin & cap. 44. & 45. Isaiæ id perspicue prædictum fuit.

4. (*c*) Duæ sunt hujus orationis partes, confessio, & petitio: confessio duplex, peccatorum accusatio, & divinæ justitiæ, misericordiæque laudatio, vers. 5. & sequentibus se & populum accusat.

7. (*d*) Juste quidem plectimur, & confundimur.

12. (*e*) Hebr. Suscitavit sermones suos, fecit ut evenirent quæ comminatus fuerat.

14. (*f*) Opponit Judæis in peccatis suis dormientibus, Dei ad puniendum vigilantiam.

16. (*g*) Hebr. secundum omnes justitias tuas, id est, pro multiplici justitia tua; justitiæ vocem usurpat pro benignitate & misericordia. Alii id conjungunt cum his verbis vers. 15. Iniquitatem fecimus: justitia intelligendum, aut veritas pro Lege sumitur.

18. Inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram, & civitatem, super quam invocatum est nomen (*h*) tuum: neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.

Jer. 25. 29. Ps. 48. 2 9. & 101 8.

19. Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac: ne moreris propter temetipsum Deus meus: quia nomen tuum invocatum est super civitatem, & super populum tuum.

20. Cumque adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Israel, & prosternerem preces meas in conspectu Dei mei, pro monte sancto Dei mei.

21. Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel (*i*), quem videram in visione a principio, * cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini.

* Sup. 8. 16.

22. Et docuit me, & locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, & intelligeres.

23. Ab exordio precum tuarum egressus (*k*) est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadverte sermonem, & intellige visionem.

24. Septuaginta hebdomades abbreviatæ (*l*) sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.

25. Scito ergo, & animadverte: Ab exitu (*m*) sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexagintaduæ erunt: & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum.

26. Et post hebdomades (*n*) sexaginta duas occidetur Christus; & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio.

27. Confirmabit autem pactum multis hebdomada (*o*) una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & * erit in templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.

*Matth. 24. 15.

C A-

18. & 19. (*h*) Quæ Civitas Dei vocatur. *Ne moreris*; ne protrahes captivitatis nostræ tempus, etsi peccata nostra id mereantur.

21. (*i*) Sub specie hominis, cum 4. Monarchiæ essent velut præambula ad mysterium Incarnationis, idem Archangelus Gabriel, quem fortitudinem Dei interpretantur, ad hæc nuntianda missus est, quæ ad Messiæ adventum pertinent. *Quem videram in visione*: in prima visione qua vidi quatuor bestias, quas ille mihi exposuit: tametsi non dixerat quis ille fuerit, sed nunc indicat fuisse Gabrielem.

23. (*k*) Decreta est a Deo legatio, ut ad te venirem, & tempus Messiæ venturi te edocerem. *Quia vir desideriorum es*; Symmachus vertit, vir es amabilis; vel active, quia tu ardes desiderio tuæ & tuorum salutis; non solum temporis, quo a captivitate Babylonica liberentur, sed etiam a captivitate diaboli libertatem designat; quod fieri nequit nisi per Messiam, cujus adventum tibi annuntio.

24. (*l*) Pauce a Deo sunt definitæ annorum hebdomades, nempe 490. anni sunt usque ad Christum, quod tempus potuisset diutius protelari, sed Sanctorum precibus fuit contractum. Sic Matth. 24. dies persecutionis Antichristi dicuntur breviati, seu breves a Deo facti. Quin & voces cum Græcæ, tum Hebrææ significant constitutas esse, aut definitas septuaginta hebdomadas. Aut certe dicuntur abbreviatæ, si cum annis præteritis a promissione Messiæ conferantur. Aut denique juxta Julium Africanum anni illi lunares fuerunt breviores solaribus 11. diebus. *Ut consummetur prævaricatio*, Hebr. ut finiatur, & peccatum totius mundi deleatur. *Et adducatur justitia sempiterna*. Hebr. justitia sæculorum, id est, Christus Dominus: *Et impleatur visio & prophetia*, omnium Prophetarum; *Et ungatur Sanctus Sanctorum*, Christus Dominus. Unde autem inchoandæ sint septuaginta hebdomades annorum, mox exponit Angelus. Sic Danielem docet septuaginta annos captivitatis typum esse universæ generis humani liberationis: *Ut consummetur prævaricatio*, ut finiatur, vel ad cumulum prævaricatio perveniat. Quatuor hic memorantur, quæ nulli nisi Messiæ conveniunt. 1. Ut deleatur iniquitas. 2. Ut adducatur justitia sempiterna. 3. Ut impleantur Dei promissa, & vaticinia Prophetarum. 4. Ut ungatur Sanctus Sanctorum. *Et finem accipiat peccatum*: Gr. ut signetur peccatum; sic legit Tertull. in Lib. adversus Judæos: finitum autem peccatum dicitur, quod Christus pro peccato cumulate satisfecerit: vel peccatum idololatriæ intelligitur, quod in Scripturis peccatum simpliciter dici solet. Quin & potentiam diaboli fregit Christus per gratiam suam, quæ præsentia expellit peccata, Deo satisfacit pro præteritis, adversus imminentia nos munit, ut optime Pererius. *Et impleatur visio*, Græc. signetur: *Ipse enim fuit signaculum omnium Prophetarum, adimplens omnia, quæ retro de eo Prophetæ nuntiaverant*. Tertullian. loco citato.

25. (*m*) Seu ab edicto Artaxerxis, vel septimo, vel vigesimo anno ejus regni, de reficienda Jerusalem. *Et rursum ædificabitur platea*, forum publicum; *Et muri*, intertexto illo tempore: post edictum Regis, non post septuaginta hebdomadas. *In angustia temporum*, brevi temporis spatio, intra 52. dies mœnia absolventur; vel Judæi tum ab invidis hostibus prementur. Intra brevissimum tempus muri sunt instaurati: nam millia hominum multa laborabant, nec mœnia omni ex parte a fundamentis fuit excitata, sed cum multis in locis essent interrupta, ea sunt continuata; id colligitur ex cap. 4. Nehemiæ.

26. (*n*) Hebraismus est, post septem hebdomadas & 62. quæ est repetitio præcedentium: *Occidetur Christus*, in crucem actus, Hebr. unctus, non unctio, ut vertunt LXX. *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est*: Hebr. Non erit ei, non stabit pro eo populus, ab omnibus deseretur. Hæc verba nunc desunt in Hebræo & in Græco: sed teste Hieronymo ita legebantur. *Non erit illius imperium*. Regnum Judæorum abjiciet: Judæi non erunt amplius regnum Dei. Hebdomadæ 69. ad Baptismum usque Christi bene referuntur. Quo tempore, verbo & exemplo cœpit populum regere, ac 69. Hebdomadæ in annum decimum quintum Tiberii definiunt. Cum Daniel 69. hebdomadas in duas partes divisisset in septem & sexaginta duas, & dixisset quod memorabile in septem prioribus esset eventurum, nempe ut muri in angustia temporum ædificarentur, post hæc declarat quid post alias sexaginta duas futurum sit, quod nimirum Christus sit occidendus. Hoc igitur Gabriel prædicit fore, ut post septem & sexaginta duas hebdomadas Messias occidatur. Ita Pererius: Tum vero populus Hebræus erit abjiciendus. Deinde alterum Judæis malum evenit: *Et civitatem & sanctuarium populus dissipabit cum duce venturo*; populus Romanus duce Tito, & desolatio erit in perpetuum. *Et finis*. Vatabl. Cum inundatione Romanorum. *Et post finem belli statuta desolatio*: Judæis omnibus occisis, vel expulsis. *Et non erit ejus populus*, ab eo abjicietur.

27. (*o*) Novum testamentum, *Hebdomada una*, quæ prima subsequetur 69. prædictas firmabitur, cujus pacti leges explicans tribus primis annis cum dimidio; prædicando, & missionem suam omni genere miraculorum confirmando: *Et in dimidio hebdomadis*, septuagesimæ, *hostia & sacrificium*, Mosaicum; veritate illucescente cessabant figuræ; deficiet sacrificium: nam sacrificia Deo accepta esse deficiunt, mortua quidem, etsi nondum mortifera. *Desolationis*. Hebr. *Ad alam*, seu ad extremum templi, *erunt abominationes desolantes*, res fœdæ, seu profanationes a zelotis & sicariis, qui, templo instar arcis communito, cædes patrabunt, aut exercitus ipse Romanorum. Multis & variis argumentis, testimoniis, ac Prophetarum vaticiniis, miraculis, vita & moribus, morte sua & resurrectione, Christi ipsius prædictionibus, quas & eventus comprobarunt, pactum confirmabit. Scaliger edictum illud, cujus mentionem facit Archangelus Gabriel Danielis c. 9. statuit in anno secundo Darii Nothi, & confundit edictum de reædificando templo cum edicto de reædificanda urbe. Qua in re plurimum a vero aberrat. Ex Hebræo textu Ludovicus Capellus hoc vaticinium paullo aliter exponit in Chronologia sacra: vers. 23. *Exiit verbum*, id est, mandatum de me ad te mittendum. *Quia vir desideriorum es*, homo Deo gratus. Vers. 24. *Decisæ sunt*, decretæ a Deo, *septuaginta hebdomades*. Reliqua apud Auctorem videri possunt. Quod etiam ait Angelus vers. 25. *Ab exitu verbi Dei* designat edictum quoddam de reædificanda Jerosolyma, quod habetur Esdræ 6. quodque ab Artaxerxe Longimano datum est in Judæorum gratiam: in quo quidem non sit mentio instaurationis murorum: ea tamen facile intelligitur; cur enim eam non concessisset, cum adeo esset liberalis & benignus in Judæos? ea quidem non est cœpta ab Esdra, qui rebus sacris intentus erat, sed post aliquot annos a Nehemia incepta fuit anno 20.

Arta-

CAPUT X.

Daniel discit ab Angelo, preces suas exauditas fuisse. Pugna inter Angelum Persarum & hunc Angelum.

1. ANno tertio Cyri regis Persarum, verbum revelatum est Danieli cognomento Baltassar, & verbum verum (*a*), & fortitudo magna: intellexitque sermonem: intelligentia enim est opus in visione.

2. In diebus illis ego Daniel lugebam (*b*) trium hebdomadarum diebus,

3. Panem (*c*) desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, sed neque unguento unctus sum: donec complerentur trium hebdomadarum dies.

4. Die autem vigesima & quarta mensis primi eram juxta fluvium magnum, qui est Tigris.

5. Et levavi oculos meos, & vidi: & ecce
vir (*d*) unus vestitus lineis, & renes ejus ac- *Apoc.* 1. 13.
cincti auro obrizo: *Matth.* 28. 3.

6. Et corpus ejus quasi chrysolithus, & fa-
cies ejus velut species fulguris, & oculi ejus
ut lampas ardens: & brachia ejus, & quæ *Ezech.* 1. 7.
deorsum sunt usque ad pedes, quasi species *Ezec.* 1. 24.
æris candentis: & vox sermonum ejus ut vox
multitudinis.

7. Vidi autem ego Daniel solus visionem: *Luc.* 24. 16
porro viri, qui erant mecum, non viderunt: *Act.* 9. 7.
sed terror nimius irruit super eos, & fugerunt
in absconditum.

8. Ego autem relictus solus vidi visionem
grandem hanc: & non remansit in me for- *Sup.* 8. 17.
titudo, sed & species mea immutata est in
me, & emarcui, nec habui quidquam virium.

9. Et audivi vocem sermonum ejus: & audiens jacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ.

10. Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum.

11. Et

Artaxerxis, qui prius edictum confirmavit, cum instauratio ab hostibus Judæorum esset impedita, quod prius edictum de muris specialiter non loqueretur. Atque ut Cyrus edicto suo potestatem fecit templi reædificandi, quæ ostium accusatione est impedita usque ad Darium Hystaspis filium: sic ab Artaxerxe anno septem regni sui potestas data est Judæis instaurandæ urbis, quæ a Nehemia tantummodo executioni mandata est. Unde initium septuaginta hebdomadum ab anno septimo Artaxerxis existimat Capellus esse repetendum, ex quo ad resurrectionem Christi sunt 490 anni. A vigesimo anno Artaxerxis Mnemonis ad mortem Christi sunt tantum 416. anni, neque adeo illud est initium septuaginta hebdomadum: In medio ultimæ hebdomadæ cœpit Christi prædicatio post ejus Baptismum. *In medio septimanæ*, seu in media septimana cessare fecit sacrificia legis. Vel juxta alios 70. hebdomades non totos 490. annos, sed tantum 487. complectuntur, adeo ut in medio ultimæ hebdomadis per mortem Christi sacrificia legalia cessare incœperint: tum enim venit *hora*, *in qua qui Deum adorant, adoraturi sunt in spiritu & veritate*: sed trium, aut quatuor annorum differentia non est magni momenti: discrimen enim illud omne pendet a calculo annorum Regum Persarum, Macedonum, & Assamonæorum ab Artaxerxe ad Christum usque.

Hæc verba Angeli *Usque ad Messiam*, non sunt accipienda de Christi nativitate, sed potius de ejus Baptismo, cum officium mediatoris proprie exercens constitutus est in munere suo.

Quod autem ait, *Reædificabitur platea, & fossa*; ita est intelligendum, quod in complexu 69. hebdomadum sit reædificanda Jerosolyma, cui reædificationi opponit eversionem per populum ducis venturi, vers. 26. *Post septimanas* 62. *excindetur Christus*; subaudiendæ sunt septem septimanæ, de quibus ante dixit, *Ab exitu verbi usque ad Messiam septimanæ sunt 7. & 62.* post septimanas 7. & 62. excindetur Christus, cui excisioni subjicit Angelus eversionem urbis, ut quid consecutum, non ut conclusum eo spatio 69 hebdomadum. Alii autem abominabilis juxta textum Hebræum videtur esse factio zelotarum: qui ob pertinaciam suam in caussa fuerunt eversionis templi & Jerosolymæ. Nec minus tamen est probabile, abominationis voce exercitum Romanorum Jerosolymam obsidentium intelligi. Juxta hunc annorum calculum ab anno quarto, vel quinto Joachin ad annum primum Cyri numerantur 70. anni. Interea tamen cultus divinus non omnino desiit, nisi post annos undecim, cum extremo Sedeciæ anno templum eversum est. Sic a Cyri anno primo, quo edictum publicatum fuit de reædificando templo, ad Darii Hystaspis annum secundum, undecim anni interjacent, quot sunt a prima captivitate ad templi destructionem, quod per annos 70. jacuit eversum. Nam ut status populi Judaici concussus & pene prostratus fuit per undecim annos ante templi eversionem, sic status libertatis per totidem annos a soluta captivitate stetit ante templi instaurationem, & sacra vasa tum fuerunt restituta. Sic etiam a Christi nativitate ad templi typici eversionem, & novi templi, seu Ecclesiæ ædificationem, Judæorum ritibus abolitis, 70. anni numerantur. Nam antea exiguæ velut gentium primitiæ fuerant Deo consecratæ: nec multum refert, utrum initium 70. hebdomadarum ducatur ab anno 7. Artaxerxis, quo edictum in gratiam Judæorum emanavit, an ab anno ejus vigesimo, quo Judæis civitatem muris cingendi potestas data est, cum in tribus primis edictis nihil expresse de instaurandis muris continetur. Sed neque id prohibitum fuit, immo jam a Cyro facultas ædificandi Jerosolymam data fuerat, uti ab Isaia ducentis pene annis ante prædictum fuerat cap. 44. *Qui dico Cyro, Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis; qui dico Jerusalem, Ædificaberis; & Templo, fundaberis.* Ex Eusebii, Hieronymi, & Drusii Chronologia suum calculum comprobat Capellus. Sed & tempora cum edicto Artaxerxis anno 20. regni dato convenire ostendit Meldensis Episcopus in sua dissertatione de Historia generali. Siquidem 70. annorum hebdomades (nullæ autem in Scripturis sunt aliæ quam dierum vel annorum) summam efficiunt 490. annorum: id vero numerari ab anno 20. Artaxerxis ad annum quintum, aut quartum post mortem Christi hinc liquet, quod extremo anno Olympiadis 76. Themistocles ejectus e patria Artaxersi scripserit, mortuo jam Xerxe, ut testatur Thucydides pene coætaneus. Itaque annus vigesimus Artaxerxis incidit sub finem Olympiadis 81. Unde ad Christi nativitatem sunt anni 453. Quibus adde annos 30. usque ad initium prædicationis Christi, seu ad annum 15. Tiberii, anni 483. prodibunt, seu 69. hebdomades. Circa ultimæ hebdomadis annum quartum incidit mors Christi, idque est medium ultimæ illius hebdomadæ, quam ab aliis secernit Angelus apud Danielem, ut mysteriis plenam. Atque utut supputationum varietas ad paucos annos excurrat, non tanti illa est, quæ rem adeo perspicuam obscuret. Non enim fidei nostræ probationes ex limata Chronologia pendent. Eventus ipse cum tam illustri vaticinio mirum in modum consentit, excidium nimirum Jerosolymæ, & abominanda desolatio, post 62. hebdomadas cum septem aliis conjunctas: prædicit Angelus fore ut occidatur Christus, tum civitas & sanctuarium destruantur, deficiant sacrificia, & abominanda desolatio consequatur, quæ ad finem usque mundi sit duratura. Dionysius Carthusianus per dimidium hebdomadæ non quartum annum, sed dimidium aut posteriorem medietatem ultimæ hebdomadæ interpretatur, in qua Christus prædicavit Evangelium, & passus est. Frustra respondent Rabbini recentiores 70. hebdomades ad constructionem templi referri, vel ad Antiochum illustrem, cum templum violatum fuit, & postea repurgatum. Neque enim tempora conveniunt, nec præcipuæ vaticinii partes; nec demum Antiochi temporibus peccatum finem accepit, aut adducta est justitia sempiterna, aut Christus est occisus.

CAP. X.

1. (*a*) Visio non ficta, nec in somniis, sed in veritate: *Et fortitudo magna*, Hebr. Exercitus magnus, nempe Angelorum, qui comitabantur Gabrielem: aut potius visum illud verum fuit, & forte, seu terribile: verbum etiam pro re magna sumi potest. *Intellexitque sermonem*, rem visam interprete Angelo: *Intelligentia enim opus est*, quod res sit involuta. Pagninus: Et intellexit verbum, & intellexit sibi in visione.

2. (*b*) Quod templi instauratio, ut Cyrus jusserat, esset impedita Cyro absente; vel etiam quod tam pauci Judæi in Judæam redissent, & alii pene innumerabiles captivitatem & exilium libertati & patriæ anteponerent.

3. (*c*) Cibum aliquem delicatum, contentus pane vulgari: *Caro & vinum non introierunt in os meum*: non est ergo quod Novatores ciborum delectum tam acriter reprehendant: *Sed neque unguento*; Hieron. *Qui mos apud Persas & Indos hodie quoque servatur, ut pro balneis utantur unguentis.*

5. (*d*) Alii vertunt, quasi vir; Angelus humana specie, isque ut verisimile est, Gabriel ipse. *Quasi chrysolithus*, Heb. Tharsis, LXX. vocem illam Tharsis, mare interpretantur. Quæ vox in Scripturis valde est homonyma: interdum pro lapide pretioso usurpatur, seu pro chrysolitho.

11. Et dixit ad me: Daniel vir desideriorum, intellige verba, quæ ego loquor ad te, & sta in gradu tuo: nunc enim sum missus ad te. Cumque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens.

12. Et ait ad me: Noli metuere Daniel: quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua: & ego veni propter sermones tuos.

13. Princeps (e) autem regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus: & ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum, & ego remansi ibi juxta regem Persarum.

14. Veni autem ut docerem te quæ ventura sunt populo tuo in novissimis (f) diebus, quoniam adhuc visio in dies.

15. Cumque loqueretur mihi hujuscemodi verbis, dejeci vultum meum ad terram, & tacui.

Isa. 6. 7. 16. Et ecce quasi similitudo filii hominis tetigit labia mea: & aperiens os meum locutus sum, & dixi ad eum, qui stabat contra me:
Gen. 18. 3. & 21. 25. 24. 27. & 47. 3. 4. & alibi. Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium.

17. Et quomodo poterit servus Domini mei loqui cum Domino meo? nihil enim in me remansit virium, sed & halitus meus intercluditur.

18. Rursum ergo tetigit (g) me quasi visio hominis, & confortavit me,

19. Et dixit: Noli timere vir desideriorum: pax tibi, confortare, & esto robustus. Cumque loqueretur mecum, convalui, & dixi: Loquere Domine mi, quia confortasti me.

20. Et ait: Numquid scis quare venerim ad te? & nunc revertar ut prælier (h) adversum principem Persarum: cum ego egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens.

21. Verumtamen annuntiabo tibi quod expressum est in Scriptura (i) veritatis: & nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester. Apoc. 12. 7.

CAPUT XI.

Narrat Angelus prælia Seleucidarum & regum Ægypti, ac de Antiocho illustri multa.

1. EGo autem ab anno primo (a) Darii Medi stabam ut confortaretur, & roboraretur.

2. Et nunc veritatem annuntiabo tibi. Ecce adhuc tres reges (b) stabunt in Perside, & quartus ditabitur opibus nimiis super omnes: & cum invaluerit divitiis suis, concitabit omnes adversum regnum Græciæ.

3. Surget (c) vero rex fortis, & dominabitur potestate multa: & faciet quod placuerit ei.

4. Et cum steterit (d), conteretur regnum ejus, & dividetur in quatuor ventos cæli: sed non in posteros ejus, neque secundum potentiam illius, qua dominatus est: lacerabitur enim regnum ejus etiam in externos, exceptis his.

5. Et confortabitur rex Austri (e): & de principibus ejus prævalebit super eum, & dominabitur ditione: multa enim dominatio ejus.

6. Et post finem annorum fœderabuntur (f): filiaque regis Austri veniet ad regem Aquilonis facere amicitiam, & non obtinebit fortitudinem brachii, nec stabit semen ejus: & tradetur ipsa, & qui adduxerunt eam, adolescentes ejus, & qui confortabant eam in temporibus.

7. Et stabit (g) de germine radicum ejus plantatio: & veniet cum exercitu, & ingredietur provinciam regis Aquilonis: & abutetur eis, & obtinebit.

8. Insu-

13. (e) Regnis & Provinciis præpositi sunt a Deo Angeli custodes: figurata locutione innuitur, quemlibet Angelum summo studio agere pro homine, vel regno suæ curæ commisso. Quidam tamen, principis Persarum nomine malum Angelum intelligunt, qui Cyro in bello adversus Scythas occupato Cambysem Cyri filium, cui rerum administratio credita erat, alienabat a Judæis.

14. (f) Post adventum Christi: *Quoniam adhuc visio in dies*, post multum temporis implenda.

18. (g) Varios describit gradus, quibus anima coram Deo dejecta erigitur: primo efficaci voce clamat: *Sta in gradu tuo*, tum per operationem sancti Spiritus tangit labia, linguam solvit & roborat, ac deperditum vigorem restituit.

20. (h) Ut ratione decertem, vel ut malum Angelum expugnem. *Princeps Græcorum*, qui ex Hieronymo ideirco venit, ut transferretur imperium a Persis ad Græcos. Theodor. Præliari dixit pro disserere, aut persuadere.

21. (i) In decreto divino, quod instar legis scriptæ ratum est, & fixum, neque oblivione delebitur. Hieron. *Juxta editionem vulgatam usque ad finem libri una putatur visio, quæ anno tertio Regis Persarum apparuit Danieli. Porro juxta Hebraicam veritatem, separata sunt quæ sequuntur, & sic ipsa ordine præpostero: non enim sub anno Cyri tertio, sed sub Darii anno primo ista narrantur facta.*

CAP. XI. 1. (a) Sunt verba Angeli: hoc caput cum superiori connexum est, & pro hujus decreti eventu & confirmatione, se precatum esse ait quod Judæis faveat. Existimat Hieronym. hanc visionem a priori esse diversam.

2. (b) Cyrus, Cambyses filius Cyri, & Darius Hystaspis filius. *Et quartus ditabitur opibus nimiis*, Xerxes nimirum. Hieronymus censet, Danielem ipsum, non Angelum, hæc verba proferre, *Stabam ut confortaretur, &c.* ut regnum ejus roboraretur: consuetudinis autem prophetarum est repente personas inducere sine ulla præfatione verborum. *Ecce tres adhuc reges:* Hieron. *Et notandum quod quatuor post Cyrum regibus Persarum enumeratis novem præterierit, & transierit ad Alexandrum; non enim cura fuit Spiritui prophetanti historiæ ordinem sequi, sed præclara quæque perstringere.* De quarto rege post Cyrum loquens sic ait: *Concitabit omnes adversum regnum Græciæ*, Xerxes nimirum; alios reges Persarum non commemorat, neque eorum historiam pertexere suscepit Angelus, sed primos tantum, sub quibus res Judæorum vicissitudines aliquas experirentur: uti sub Alexandro res Judæorum in discrimen venerunt.

3. (c) Alexander Magnus, qui devicto Dario Codomano Asiæ regno potitur.

4. (d) Et confirmatum fuerit, per sexennium fere: *Dividetur in quatuor ventos cæli*, in quatuor partes præcipuas comminuetur instar vasis: *Sed non in posteros ejus*, non enim filii ejus regnaverunt post eum, sed 12. duces, e quibus quatuor præcipui rem omnem ad se traxerunt. *Non in posteros ejus*, Theodot. legit, non in novissimos eius: nullus exæquavit potentiam ejus. *Lacerabitur enim regnum ejus* in quatuor partes: *Exceptis his*, præter eos, qui aliquas imperii partes tenuerunt, ut Eumenes, Perdiccas, Lysimachus, &c. vel exceptis filiis ejus, aut fratre ejus Aridæo.

5. (e) Ptolemæus Lagi primus post Alexandrum Ægypti rex. Gabriel omissis aliis, de regibus Ægypti & Syriæ loquitur, quod Judæa inter eos interjecta, utriusque illorum foret particeps, sed quantumvis potens futurus sit Rex Austri, Antiochus hoc suscitabit bellum adversus Philadelphum. *Prævalebit adversus eum*, sed Philadelphus icto cum Antiocho fœdere filiam Berenicem cum ampla dote illi in uxorem dabit: hoc est quod mox subjicit.

6. (f) Berenice ad Antiochum: *Facere amicitiam, & non obtinebit fortitudinem brachii sui*, seu regnum Asiæ, quod sperabat se adepturum: *Nec stabit semen ejus*: nam prior Antiochi uxor Laodice illam cum amicis & filio, immo & Antiochum ipsum veneno sustulit.

7. (g) In regio Ægypti throno: *De germine radicum ejus plantatio*; frater Philadelphi Evergetes, qui injuriam fratri & fratris filiæ illatam ultus est. *Ingredietur provinciam Regis Aquilonis*, Seleuci Callinici: *Et abutetur eis & obtinebit*, thesauros diripiet, Laodicem interficiet.

8. Insuper & deos eorum, & sculptilia, vasa quoque pretiosa argenti & auri, captiva ducet in Ægyptum: ipse prævalebit adversus regem Aquilonis.

9. Et intrabit in regnum rex Austri, & revertetur (*h*) ad terram suam.

10. Filii autem ejus provocabuntur, & congregabunt multitudinem exercituum plurimorum: & veniet properans, & inundans: & revertetur, & concitabitur, & congredietur cum robore ejus.

11. Et provocatus rex Austri, (*i*) egredietur, & pugnabit adversus regem Aquilonis, & præparabit multitudinem nimiam, & dabitur multitudo in manu ejus.

12. Et capiet multitudinem, & exaltabitur cor ejus, & dejiciet multa millia, sed non prævalebit (*k*).

13. Convertetur (*l*) enim rex Aquilonis, & præparabit multitudinem multo majorem quam prius: & in fine temporum, annorumque veniet properans cum exercitu magno, & opibus nimiis.

Isa. 19.16. 14. * Et in temporibus illis multi consurgent adversus regem Austri: filii quoque prævaricatorum populi tui extollentur, ut impleant visionem, & corruent.

15. Et veniet rex Aquilonis (*m*), & comportabit aggerem, & capiet urbes munitissimas: & brachia Austri non sustinebunt, & consurgent electi ejus ad resistendum, & non erit fortitudo.

16. Et faciet veniens (*n*) super eum juxta placitum suum, & non erit qui stet contra faciem ejus: & stabit in terra inclyta, & consumetur in manu ejus.

17. Et ponet (*o*) faciem suam ut veniat ad tenendum universum regnum ejus, & recta faciet cum eo: & filiam feminarum dabit ei, ut evertat illud: & non stabit, nec illius erit.

18. Et convertet faciem suam ad insulas (*p*), & capiet multas: & cessare faciet principem opprobrii sui, & opprobrium ejus convertetur in eum.

19. Et convertet faciem suam ad imperium terræ suæ, & impinget, & corruet (*q*), & non invenietur.

20. Et stabit in loco ejus vilissimus (*r*), & indignus decore regio: & in paucis diebus conteretur, non in furore, nec in prælio.

21. Et stabit in loco ejus despectus, & non tribuetur ei honor regius (*s*): & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia.

22. Et brachia (*t*) pugnantis expugnabuntur a facie ejus, & conterentur: insuper & dux fœderis.

23. Et post amicitias (*u*), cum eo faciet dolum: & ascendet, & superabit in modico populo.

24. Et abundantes, & uberes urbes ingredietur: & faciet quæ non fecerunt patres ejus, & patres patrum ejus: rapinas, & prædam, & divitias eorum dissipabit, & contra firmissimas cogitationes inibit: & hoc usque ad tempus.

25. Et concitabitur fortitudo ejus (*x*), & cor ejus adversum regem Austri in exercitu magno: & rex Austri provocabitur ad bellum multis auxiliis, & fortibus nimis: & non stabunt, quia inibunt adversus eum consilia.

26. Et

9 & 10. (*h*) Rebus in regno suo turbatis. *Ejus*, Seleuci Callinici, qui pugnans interierat, teste Justino lib. 29. Polybio lib. 5. Seleucus Ceraunus & Antiochus magnus *provocabuntur* ad arma capienda; *Et veniet properans & inundans*; Antiochus magnus, fratre a suis interfecto per dolum, Syriam brevi recuperabit, mox Ægyptum invasurus: *Et revertetur*, Theodotio vertit, *Et sedebit*, id est, obsidebit.

11. (*i*) Ptolemæus Philopator, Evergetis filius *egredietur*, obviam ibit Antiocho: *Et pugnabit adversus regem Aquilonis*, satis feliciter apud Raphiam urbem in confiniis Ægypti ex lib. 3. Machab. cap. 1. & Hieronym. *Et dabitur multitudo*, tradetur multitudo exercitus Antiochi in manus Ptolemæi.

12. (*k*) Antiochum non exuet omni regno, neque eum capiet, qui cognita Philopatoris ignavia, fœdere cum eo sancito.

13. & 14. (*l*) Bellum instaurabit contra Ægyptios: *Et in fine temporum*, post multos dies mortuo Philopatore filium ejus Epiphanem adhuc infantem & quadrimum aggredietur; *Et veniet properans cum exercitu magno*, atque in auxilium Antiochi: *Adversus regem Austri multi consurgent; filii quoque prævaricatorum populi tui*, Judæi, *extollentur, ut impleant visionem, & corruent*. Ex iis multi cum Onia filio Oniæ tertii pontificis in Ægyptum dilapsi, & superbia elati, novum templum Onion dictum, templi Hierosolymitani æmulum exstruent, eo prætextu, ut implerent visionem Isaiæ 19. ubi loquens de altaribus & Ecclesiis Christianorum ait futurum *altare Domini in medio Ægypti*: Addit Angelus. *Et corruent*; nam hoc templum sub Vespasiano destructum fuit.

15. (*m*) Versus Ægyptum: *Et comportabit aggerem*, obsidebit: *Et brachia Austri*, duces & exercitus Ptolemæi: *Non sustinebunt*, impetum Antiochi: tametsi *consurgent electi ejus*, duces Ptolemæi ex Ægypto immissi in Syriam, ut Scopas, Eropas & alii: *Sed non erit fortitudo ad resistendum*, Antiocho.

16. (*n*) Contra Ægypti regem & ejus duces faciet *juxta placitum suum*; recipiet totam Syriam. *Et stabit in terra inclyta*, in Judæa: *Et consumetur in manu ejus*, Judæis ultro se dedentibus, teste Josepho lib. 12.

17. (*o*) Animum huc intendet, ut veniat *ad tenendum universum regnum ejus*, Ptolemæi; *Recta faciet cum eo*, fœdus inibit æquis conditionibus, vel bona fide se agere simulabit; *Filiam Feminarum dabit*, pulcherrimam filiam, Phrasi Hebraica, Cleopatram in uxorem dabit: *Ut evertat illud*, ut regnum Ægypti invadat: *Non stabit*; nam Cleopatra mariti partes fovit, nec dolus exitum habuit, quem sperabat Antiochus.

18. (*p*) Cepit Rhodum, Samum & alias insulas. *Et cessare faciet principem opprobrii sui*; vel Lucium Scipionem, a quo victus est; vel populi Romani minas intentantis opprobrium cessare fecit, cum magnam Græciæ partem subegit: *Et opprobrium ejus convertetur in eum*, cum cæsus secundo a Lucio Scipione, summo probro coactus est Asia cedere, Syria sola sibi retenta, sumptus belli solvere, obsides Romam mittere, & tributum pendere, lib. 1. Machab. cap. 8. Justinus, lib. 31. Livius Decade 4. lib. 7. vel Africanus rejiciet a se, convertetque in Antiochum opprobrium, quo prius Romanos afficerat, cum Romanam legationem contumeliose sprevit. Vatablus sic legit: *Et principi compescet ejus probra, retorquens in eum sine omni suo dedecore*; Lucius Africanus coget eum ab incœpto desistere, in dedecus Antiochi.

19. (*q*) Cum adversus Elimæos bello decertavit; aut occisus est ab accolis, cum Jovis Dodonæi templum spoliare vellet, Just. lib. 32. Strabo lib. 16.

20. (*r*) Seleucus Philopator Antiochi magni filius, qui 12. annos regnavit inglorius & avarus. *Et in paucis diebus conteretur*, ab Heliodoro quo usus fuerat, ut templum Jerosolymæ diriperet, ab eo veneno sublatus creditur.

21. (*s*) Ab hoc loco usque ad finem prophetia est de Antiocho Epiphane ad litteram, de Antichristo ut antitypo Antiochi, qui fratris regnum invasit fraudato fratris filio, quem Syri in regem asciverant. *Et veniet clam*, Antiochus qui Romæ erat obses. *Et obtinebit regnum in fraudulentia*, simulans se fratris filii tutelam velle suscipere.

22. (*t*) Brachia vocat vires eorum, qui pro regni hærede pugnaverunt. *Insuper & dux fœderis*, Ptolemæus Philometor, qui ex Antiochi sorore natus erat, & quasi vinculum erat fœderis cum Antiocho magno initi a Ptolemæo Epiphane, qui & forsan etiam fœdus cum Antiocho illustri inierat. Alii Tryphonem intelligunt, qui ex Appiano fuit auctor fœderis: sed Antiochus.

23. & 24. (*u*) Acceptas: *Cum eo faciet dolum*, inhians regno Ægypti: *Et superabit*, non magno exercitu occupabit Ægyptum: *Et faciet quæ non fecerunt patres ejus*, cum exactionibus, tum largitionibus: *Patres patrum ejus*, reges Asiæ licet hostes essent. *Et contra firmissimas* quas expugnare non poterat, urbes, *cogitationes inibit*, qua ratione, aut vi, aut dolo eas expugnaret: *Et hoc usque ad tempus*, dissimulato consilio, donec ad exitum perducat.

25. (*x*) Antiochi: *Et cor ejus*, studium omne & cogitatio: *Adversus regem Austri*, coget exercitum: *Et non stabunt*, promissis, & donis Antiochi corrupti in partes ejus ibunt: primum mercatorias & opulentas urbes cepit, tum munitas aggressus, tandem in apertum bellum erupit.

26. Et comedentes (*y*) panem cum eo, conterent illum, exercitusque ejus opprimetur: & cadent interfecti plurimi.

27. Duorum quoque regum cor erit ut malefaciant (*z*), & ad mensam unam mendacium loquentur, & non proficient: quia adhuc finis in aliud tempus.

28. Et revertetur (*aa*) in terram suam cum opibus multis: & cor ejus adversum testamentum sanctum, & faciet, & revertetur in terram suam.

29. Statuto tempore (*bb*) revertetur, & veniet ad Austrum: & non erit priori simile novissimum.

30. Et venient super eum Trieres (*cc*), & Romani: & percutietur, & revertetur, & indignabitur contra testamentum sanctuarii, & faciet: reverteturque, & cogitabit adversum eos, qui dereliquerunt testamentum sanctuarii.

31. Et brachia (*dd*) ex eo stabunt, & polluent sanctuarium fortitudinis, & auferent juge sacrificium: & dabunt abominationem in desolationem.

32. Et impii in testamentum (*ee*) simulabunt fraudulenter: populus autem sciens Deum suum, obtinebit, & faciet.

33. Et docti in populo docebunt (*ff*) plurimos: & ruent in gladio, & in flamma, & in captivitate, & in rapina dierum.

34. Cumque corruerint (*gg*), sublevabuntur auxilio parvulo: & applicabuntur eis plurimi fraudulenter.

35. Et de eruditis (*hh*) ruent, ut conflentur, & eligantur, & dealbentur usque ad tempus præfinitum: quia adhuc aliud tempus erit.

36. * Et faciet juxta voluntatem (*ii*) suam rex, & elevabitur, & magnificabitur adversus omnem deum: & adversus Deum deorum loquetur magnifica, & dirigetur, donec compleatur iracundia: perpetrata quippe est definitio. * Sup. 8. 4. & 11. 3.

37. Et Deum patrum suorum non reputabit (*kk*): & erit in concupiscentiis feminarum, nec quemquam deorum curabit: quia adversum universa consurget.

38. Deum autem Maozim in loco (*ll*) suo venerabitur: & deum, quem ignoraverunt patres ejus, colet auro, & argento, & lapide pretioso, rebusque pretiosis.

39. Et faciet ut muniat Maozim (*mm*) cum deo alieno, quem cognovit, & multiplicabit gloriam, & dabit eis potestatem in multis, & terram dividet gratuito.

40. Et in tempore præfinito prælíabitur (*nn*) adversus eum rex Austri, & quasi tempestas veniet contra illum rex Aquilonis, in curribus, & in equitibus, & in classe magna, & ingredietur terras, & conteret, & pertransiet.

41. Et introibit in terram gloriosam (*oo*), & multæ corruent: hæ autem solæ salvabuntur de manu ejus, Edom, & Moab, & principium filiorum Ammon.

42. Et mittet (*pp*) manum suam in terras, & terra Ægypti non effugiet.

43. Et dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti: per Lybiam quoque, & Æthiopiam transibit.

44. Et

26. (*y*) Hebr. *Comedentes bucellam cibi ejus*: famuli conterent illum, prodent eum.

27. (*z*) Ficte & simulate: *Ad mensam unam*, convenient ambo ut sibi mutuo noceant. *Et non proficient*: forte ea loquendi forma, magna familiaritas insinuatur. *Quia adhuc finis*, utriusque regis finis in aliud tempus a Deo constitutum protelatur: *Et non proficient*, neutri suus succedet dolus.

28 (*aa*) Antiochus, *In terram suam*, in Syriam Ægypto spoliata. *Cum opibus multis: & cor ejus adversum testamentum sanctum*, cogitans de vastanda Judæa & templo. *Et revertetur*. Quod animo conceperat: primum pacifice ingressus Jerusalem, 2. Mach. 4. cum paucis post annis eam expilavit: 2. Mach. 5. Itaque faciet juxta voluntatem suam, & spoliato templo revertetur in Syriam.

29 (*bb*) Hebr. *Ad tempus*, post aliquod tempus. *Veniet ad Austrum*, in Ægyptum: *Et non erit priori simile novissimum*, non erit hæc expeditio priori similis: non succedet Antiocho secunda expeditio, quam fusius narrant Justinus lib. 34 & Livius lib. 45.

30. (*cc*) Trieres, & in iis *Romani*: Publius Popilius Læna Alexandriam cum ingenti classe advectus mandavit Antiocho ut ex Ægypto excederet: invitus paruit, ira plenus hanc effudit in Judæos. *Et indignabitur*, contra Jerosolymam. *Cogitabit adversum eos*. Hebr. *Observabit eos qui dereliquerunt testamentum sanctuarii*; desertores legis, quorum opera utetur. Simonis nempe, Jasonis, Menelai, de quibus lib. 2. Machab. 4. Eos tandem perdet, Jasonem in primis Antiocho & Judæis invisum.

31. (*dd*) Potentiores, qui perfidi Judæi: *Sanctuarium fortitudinis*, profanabunt templum Dei fortissimi. *Et dabunt desolationem & abominationem*; Hebr. *Ponent in templo abominationem desolationis*, desolationes abominabiles, profanos milites cum simulacro Jovis Olympii.

32. (*ee*) Desertores; *Simulabunt fraudulenter*, prodent religionem & patriam, simulantes se communi bono velle consulere. *Populus autem sciens Deum suum*; cultui divino adhærens: *Obtinebit*, Hebr. *Corroborabit cor suum*: *Et faciet*, viriliter aget.

33. (*ff*) Quis sit verus Dei cultus: *Et in rapina dierum*, bonorum deprædatione, quæ multos dies durabit. Sic docebunt plurimos exemplis magis, quam verbis, moriendum esse pro vera religione.

34. (*gg*) Corruere videbuntur: *Sublevabuntur auxilio parvulo*, non magnis copiis, per Judam Machabæum & fratres ejus: *Fraudulenter*, proditorio animo, ut Alcimus & alii.

35. (*hh*) Scribis: *Ruent*, plurimi non peccando, sed moriendo, aut patiendo: *Ut conflentur*; quasi igne probentur: *Eligantur*. Hebr. *Purgentur & dealbentur*; nitescant & splendidiores fiant: *Quia adhuc aliud tempus erit*, nimirum prosperitatis & pacis: post luctuosum tempus aliud erit lætissimum, quo per Christum electi liberabuntur.

36. (*ii*) Ut libuerit: *Et adversus Deum deorum*, verum & unum Deum: *Loquetur magnifica*, hæc conveniunt cum cap. 8. *Et dirigetur*, Hebr. *Et prosperabitur*: *Donec compleatur iracundia*, donec expleat Deus indignationem suam: *Perpetrata quippe est definitio*; certum enim tempus a Deo est constitutum, ultra quod ejus ira non progredietur.

37. (*kk*) In his quæ sequuntur, de Antiocho ut typo Antichristi disserit; nullum deorum curabit, neque adeo patrum suorum Deum. Quamquam majores Antiochi Dei veri templum donis suis coluerunt, etsi idem sua idola retinuerent, sed sumptus ad sacrificia facienda suppeditarent, lib. 2. Mach. 3. nullum quidem Deum curavit, qui unum & verum Deum sprevit: *Feminarum*, nam publice scortis miscebatur.

38. (*ll*) In templo, personæ suæ tamquam fortitudinis idolum ponet; aut Jovem Olympium, ex falsa Græcorum opinione ut Deum fortitudinum, sicut habet textus Hebræus, loco veri Dei colet.

39. (*mm*) Præsidiis muniet loca, in quibus erit simulacrum novi idoli quod invenit, & ab omnibus coli jussit; eorum qui illud colerent, opes multiplicabit. Quæ de Antichristo etiam intelligi possunt, qui ex Apost. 2. Thess. 2. in templo coletur ut Deus. Maozim est nomen appellativum, quod munitionem aut fortitudinem significat. Jovem Olympium Deum alienum vocat, scilicet Judæis, qui eum ante non noverant.

40. (*nn*) Hebr. *Arietabit adversus eum Rex Austri*, Ptolemæus Philometor, nisi forte de Antichristo loquatur: neque abhorret a verisimili conjectura Maldonati, secundam Antiochi in Ægyptum expeditionem, de qua vers. 25. Angelus locutus fuerat, hoc loco repeti.

41. (*oo*) Judæam: nec quisquam effugiet illius tyrannidem præter Ammonitas & Idumæos. Tertiæ; expeditionis Antiochi in Ægyptum non meminit Scriptura, quæ sub finem vitæ ejus potuit accidere; vel de Antichristo hæc sunt intelligenda, nisi ea repetat quæ dicta sunt vers. 28. Neque id novum est, ut prophetæ aliis verbis, & alio modo repetant, quæ prius dixerant. Hieronymus ex aliorum sententia hæc verba exponit: *Hæ autem solæ salvabuntur: Antiochus*, *ajunt*, *festinans contra Ptolemæum regem Austri*, *Idumæos*, *& Moabitas*, *& Ammonitas*, *qui ex latere Judææ erant*, *non tetigit; ne occupatus alio prælio Ptolemæum redderet fortiorem*.

42. & 43. (*pp*) Invadet varias terras ex cap. 8. 9. & lib. 1. Machab. cap. 1. 17. *Transibit*, excurret prædandi caussa.

44. Et fama turbabit eum ab Oriente & ab Aquilone (*qq*): & veniet in multitudine magna, ut conterat & interficiat plurimos.

45. Et figet tabernaculum (*rr*) suum Apadno inter maria, super montem inclytum & sanctum: & veniet usque ad summitatem ejus, & nemo auxiliabitur ei.

CAPUT XII.

Postquam de Antiocho Epiphane multa disseruit Angelus, de illius antitypo Antichristo, ut multis videtur, & de resurrectione mortuorum agit in hoc capite.

Apoc.12. 7. 1. IN tempore (*a*) autem illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui: & veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud. Et in tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro.

*Matth.25. 46. Joann.5.29. 2. Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt (*b*), * alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant semper.

*Sap.3. 7. 3. Qui autem docti fuerint, * fulgebunt (*c*) quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

4. Tu autem Daniel claude sermones, & signa (*d*) librum, usque ad tempus statutum: plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.

5. Et vidi ego Daniel, & ecce quasi duo alii stabant: unus hinc super ripam fluminis, & alius inde ex altera ripa fluminis.

6. Et dixi viro, qui erat indutus lineis, qui stabat super aquas fluminis: Usquequo finis (*e*) horum mirabilium?

7. Et audivi virum, qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, * cum elevasset dexteram & sinistram suam in cælum, & jurasset per viventem in æternum: quia in tempus (*f*), & tempora, & dimidium temporis. Et cum completa fuerit dispersio manus populi sancti, complebuntur universa hæc. *Apoc.10. 5.

8. Et ego audivi, & non intellexi (*g*). Et dixi: Domine mi, quid erit post hæc?

9. Et ait: Vade Daniel, quia clausi (*h*) sunt, signatique sermones, usque ad præfinitum tempus.

10. Eligentur, & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi: & impie agent impii, neque intelligent omnes impii, porro docti intelligent.

11. Et a tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium (*i*), & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.

12. Beatus, qui expectat, & pervenit usque ad dies mille (*k*) trecentos triginta quinque.

13. Tu autem vade ad præfinitum (*l*): & requiesces, & stabis in sorte tua in finem dierum.

Hujus-

44. (*qq*) A Judæa; cum ad Præsidem venerit, & victorias Judæ Machabæi acceperit: hæc & sequentia ad Antiochum videntur omnino pertinere.

45. (*rr*) Vox Hebr. tentorium, aut tabernaculum significat, urbem Jerosolymam capiet. *Inter duo maria*, mare Mediterraneum, & mare Mortuum. Judææ universæ ab uno mari ad alterum dominabitur: *Super montem inclytum & sanctum*, super montem Sion, quem nec Deo, nec hominibus defendentibus capiet. Vatablus vertit: *Cum venerit finis ejus*, impetus nempe, nemo auxiliabitur ei.

CAP. XII. 1. (*a*) Antichristi temporibus: nam de illo Angelus videtur loqui in hoc capite. *Michael princeps magnus*, cælestis militiæ. *Qui stat*, olim Synagogæ, nunc Ecclesiæ præpositus. Cum autem mox agat de resurrectione, palam est de Antiocho Angelum non loqui. *Et veniet tempus*. Hebræus textus addit, *Afflictionis*. *Salvabitur populus tuus*, nempe in tempore illo salvabuntur Judæi, cum viderint Antichristum a Christo Domino profligatum: *Scriptus in libro vitæ*, prædestinatus: non omnis populus, vel Ecclesia salvanda dicitur, sed qui sunt prædestinati: ergo Ecclesia non ex solis constat prædestinatis.

2. (*b*) Omnes quidem resurgent, sed non omnes evigilabunt, ut videant lucem æternam. Quidam legunt, *Alii in opprobrium, ut videant semper*, melius ut videant opprobrium suum; vox, multi, sæpe in Scriptura pro omnibus sumitur, ut Roman. 5. 19.

3. (*c*) Mox additur: *Qui ad justitiam erudiunt multos*; non item qui docti fuerint, & alios non erudiunt ad rectam fidem & probos mores. Docti vero hoc loco active sumuntur, pro doctoribus, qui alios ad viam salutis ducunt.

4. (*d*) Quod prophetia longo post tempore sit implenda, eaque sit obscura. *Plurimi pertransibunt*, percurrent has prophetias; *Multiplex erit scientia*; earum interpretatio: non nisi post longum tempus hæc evenient, sed signa apud te, & quasi depositum serva hanc prophetiam: nam cuncta evenient. Deinde obscuritatem illius insinuat, ut liber Apocal. cap. 5. postremo veritas prophetiæ innuitur: at cap. 8. 26. cum hæc a Daniele scripta sunt, nemo fere intelligebat; post Antiochi tempora cœperunt intelligi, quæ ad illius persecutionem pertinebant. Quæ de Antichristo dicta sunt, homines tum intelligent, cum signa ejus adventus a Christo prædicta venerint. Irenæus lib 4. cap. 43. Omnis prophetia priusquam impleatur, ænigma est; cum autem impleta est, manifestam habet expositionem & intelligentiam. *Ad tempus statutum*: ad tempus legis Evangelicæ referri potest, cum per illuminationem Spiritus Sancti mysteria Scripturarum sunt referenda, Theodor. His enim omnibus signis, & figuris, divini Spiritus gratia post nostri Salvatoris adventum ablatis, quæ prius obscura erant, credentibus fecit manifesta.

6. (*e*) *Quando hæc erunt?* Matth. 24. Ne Daniel curiosius interrogaret, quando hæc sint futura, ne Angelo quidem id roganti aperte revelatur, ut videtur Maldonato.

7. (*f*) Audivi Angelum hæc dicentem, in annum & duos annos, & anni dimidium: per tres annos cum semisse durabit Antichristi persecutio. *Et cum completa fuerit dispersio*, populi Christiani, tunc hæc evenient; *Dispersio manus*, exercitus populi sancti, seu Ecclesiæ: cum enim de bello ageret, usus est voce militari.

8. (*g*) Quæ Angelus alteri Angelo responderat. *Quid erit post hæc? quis harum rerum finis?* ut vertit Theodotio.

9. & 10. (*h*) Hoc est, Non est nunc tempus nosse tempora. *Eligentur*, in cælum assumentur; id bonis facio fidet, quod velut igne probentur. *Intelligent*, sapientes Christiani.

11. (*i*) Missæ usus publicus: vox Græca significat continuationem, nimirum divini cultus: *In desolationem*, ut Antichristus omnia bona perdat: *Dies mille ducenti nonaginta*, tres anni cum dimidio, seu 42. menses, ex Apoc. cap. 11.

12. (*k*) Dies dabitur 45. dierum, & lapsis dabitur tempus resipiscendi: non hinc sequitur a morte Antichristi 45. dies ad extremum judicium futuros: nihil enim simile ait Angelus. Tam exiguum temporis spatium non sufficeret convertendis tot hominum millibus per Antichristum seductis. *De die autem illa nemo scit*: Matth. 24. *A tempore, cum ablatum fuerit juge sacrificium*, & cultus veri Dei: *Et posita fuerit abominatio*, abominandum idolum Antichristi in templo Jerusalem, ut multis videtur; sed potius in Ecclesia usque ad finem persecutionis erunt 1290 dies: hæc abominatio primum ab Antiocho posita est in templo, secundo sub Tito, tertio sub Antichristo.

13. (*l*) Omnibus hominibus locum, ad Limbum Patrum: noli amplius quærere quæ sciri non possunt: *Ibi requiesces*, expectans Messiæ mortem: *Et postea stabis in sorte tua*, in loco beatitudinis tibi destinato: *In finem dierum*, LXX. Interpretes, *In consummationem dierum*, usque ad finem mundi, dum resurgas.

Hucusque Danielem in Hebræo volumine legimus. Quæ sequuntur usque ad finem libri, de Theodotionis editione translata sunt.

CAPUT XIII.

Susannæ accusatio & absolutio.

1. ET erat vir (*a*) habitans in Babylone, & nomen ejus Joakim:

2. Et accepit uxorem nomine Susannam, filiam Helciæ pulcram nimis, & timentem Deum:

3. Parentes enim illius, cum essent justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi.

4. Erat autem Joakim dives valde, & erat ei pomarium vicinum domui suæ: & ad ipsum confluebant Judæi, eo quod esset honorabilior omnium.

5. Et constituti (*b*) sunt de populo duo senes judices in illo anno: de quibus locutus est Dominus: Quia egressa est iniquitas de Babylone a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum.

6. Isti frequentabant domum Joakim, & veniebant ad eos omnes, qui habebant judicia.

7. Cum autem populus revertisset per meridiem, ingrediebatur Susanna, & deambulabat in pomario viri sui.

8. Et videbant eam senes quotidie ingredientem, & deambulantem: & exarserunt in concupiscentiam ejus:

9. Et everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum justorum.

10. Erant ergo ambo vulnerati amore ejus, nec indicaverunt sibi vicissim dolorem suum:

11. Erubescebant enim indicare sibi concupiscentiam suam, volentes concumbere cum ea.

12. Et observabant quotidie sollicitius videre eam. Dixitque alter ad alterum:

13. Eamus domum, quia hora prandii est. Et egressi recesserunt a se.

14. Cumque revertissent, venerunt in unum: & sciscitantes ab invicem causam, confessi sunt concupiscentiam suam: & tunc in communi statuerunt tempus, quando eam possent invenire solam.

15. Factum est autem, cum observarent diem aptum, ingressa est aliquando sicut heri & nudiustertius, cum duabus solis puellis, voluitque lavari in pomario: æstus quippe erat:

16. Et non erat ibi quisquam, præter duos senes absconditos, & contemplantes eam.

17. Dixit ergo puellis: Afferte mihi oleum, & smigmata (*c*), & ostia pomarii claudite, ut laver.

18. Et fecerunt sicut præceperat: clauseruntque ostia pomarii, & egressæ sunt per posticum, ut afferrent quæ jusserat, nesciebantque senes intus esse absconditos.

19. Cum autem egressæ essent puellæ, surrexerunt duo senes, & accurrerunt ad eam, & dixerunt:

20. Ecce ostia pomarii clausa sunt, & nemo nos videt, & nos in concupiscentia tui sumus: quam ob rem assentire nobis, & commiscere nobiscum.

21. Quod si nolueris, dicemus contra te testimonium, quod fuerit tecum juvenis, & ob hanc causam emiseris puellas a te.

22. Ingemuit Susanna, & ait: Angustiæ sunt mihi undique: si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras.

23. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.

24. Et exclamavit voce magna Susanna: exclamaverunt autem & senes adversus eam.

25. Et cucurrit unus ad ostia pomarii, & aperuit.

26. Cum ergo audissent clamorem famuli domus in pomario, irruerunt per posticum, ut viderent quidnam esset.

27. Postquam autem senes locuti sunt, erubuerunt servi vehementer: quia numquam dictus fuerat sermo hujuscemodi de Susanna: Et facta est dies crastina.

28. Cumque venisset populus ad Joakim virum ejus, venerunt & duo presbyteri pleni iniqua cogitatione adversus Susannam, ut interficerent eam.

29. Et dixerunt coram populo: Mittite ad Susannam filiam Helciæ uxorem Joakim. Et statim miserunt.

30. Et venit cum parentibus, & filiis, & universis cognatis suis:

31. Porro Susanna erat delicata nimis, & pulcra specie.

32. At iniqui illi jusserunt ut discooperiretur (erat enim cooperta) ut vel sic satiarentur decore ejus.

33. Flebant igitur sui, & omnes qui noverant eam.

34. Consurgentes autem duo presbyteri in medio populi, posuerunt manus suas super caput ejus.

35. Quæ flens suspexit ad cælum: erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino:

36. Et

CAP. XIII. 1. (*a*) Historia Susannæ continetur hoc capite, quod loco suo emotum eruditis pene omnibus videtur. Nam adhuc puero Daniele hæc evenit historia: & tamen ipse erat Babylone, atque ex hoc facto jam magnus a populo haberi cœpit: unde primo capiti proxime subjiciendum videtur. Et quidem Daniel historias omnes propheriis subjecit, ut ad eas viam muniret. Hanc quidem historiam Judæi ut fabulam rejiciunt, quod Hebraice scripta non fuerit, uti nec quæ sequitur Beli historia, nec canticum trium puerorum: quibus Eusebius, Apollinaris, immo & Hieronymus videntur adstipulari: sed vetustas ipsa, veterum pene omnium consensus, & Ecclesiæ approbatio huic auctoritatem omnino conciliant. Nec dubium est, quin Hebraice hæc scripta sit historia, tametsi textus Hebræus Judæorum negligentia, aut malitia exciderit: unde enim LXX. Interpretes, Aquila, Symmachus & Theodotio, nisi ex Hebræo eam transtulissent? Ignatius in Epist. ad Magnesianos hujus meminit: Cyprianus, Epist. 40. in oratione Dominica, & alibi, Origenes in Epistola ad Africanum, & homil. 1. in Leviticum; ut omittam Ambrosium, lib. 1. offic. cap. 18. & alibi passim, Augustinum, lib. 2. de serm. Domini in monte, & multis aliis in locis. Chrysostomum, homil. de Susanna, ut alios omittam plurimos. Seu a Daniele ipso, quod omnino certum est ex tacito Ecclesiæ judicio, seu ab alio de Daniele scripta hæc fuerit historia Hebraice, de auctoritate illius canonica dubitare non licet.

5. (*b*) Indulgentia Regis permittentis, ut quæ ad legem pertinebant, a Judæis judicarentur. *De quibus locutus est Dominus*, per Jeremiam, c. 29 nec tamen verba ipsa eo loco referuntur, sed sensus, vel illius loci, vel alterius, ut Jer. 23. 14. *In prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacii. Qui videbantur regere populum*, quod tantæ essent apud populum existimationis, ut populum regere viderentur.

17. (*c*) Smigma est unguentum vim habens abstergendi, quo mulieres ad eluendas oris maculas utebantur.

36. Et dixerunt presbyteri : Cum deambularemus in pomario soli , ingressa est hæc cum duabus puellis: & clausit ostia pomarii, & dimisit a se puellas.

37. Venitque ad eam adolescens , qui erat absconditus, & concubuit cum ea.

38. Porro nos cum essemus in angulo pomarii, videntes iniquitatem , cucurrimus ad eos, & vidimus eos pariter commisceri.

39. Et illum quidem non quivimus comprehendere , quia fortior nobis erat , & apertis ostiis exilivit.

40. Hanc autem cum apprehendissemus , interrogavimus, quisnam esset adolescens, & noluit indicare nobis: hujus rei testes sumus.

41. Credidit eis multitudo , quasi senibus & judicibus populi , & condemnaverunt (*d*) eam ad mortem.

42. Exclamavit autem voce magna Susanna , & dixit : Deus æterne , qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant,

43. Tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me : & ecce morior , cum nihil horum fecerim , quæ isti malitiose composuerunt adversum me.

44. Exaudivit autem Dominus vocem ejus.

45. Cumque duceretur ad mortem , suscitavit (*e*) Dominus spiritum sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel:

46. Et exclamavit voce magna: Mundus ego sum a sanguine hujus.

47. Et conversus omnis populus ad eum : dixit : Quis est iste sermo , quem tu locutus es?

48. Qui cum staret in medio eorum , ait : Sic fatui filii Israel , non judicantes , neque quod verum est cognoscentes , condemnastis filiam Israel?

49. Revertimini ad judicium , quia falsum testimonium locuti sunt adversus eam.

50. Reversus est ergo populus cum festinatione, & dixerunt ei senes: Veni , & sede in medio nostrum , & indica nobis : quia tibi Deus dedit honorem senectutis.

51. Et dixit ad eos Daniel : Separate illos ab invicem procul, & dijudicabo eos.

52. Cum ergo divisi essent alter ab altero , vocavit unum de eis , & dixit ad eum: Inveterate dierum malorum , nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris prius:

53. Judicans judicia injusta , innocentes opprimens, & dimittens noxios , dicente Domino: * Innocentem & justum non interficies. * Exod. 23. 7.

54. Nunc ergo si vidisti eam , dic sub qua arbore (*f*) videris eos colloquentes sibi . Qui ait: Sub schino.

55. Dixit autem Daniel : Recte mentitus es in caput tuum : Ecce enim Angelus Dei accepta sententia ab eo, scindet te medium.

56. Et , amoto eo , jussit venire alium , & dixit ei : Semen Chanaan , & non Juda , species decepit te , & concupiscentia subvertit cor tuum:

57. Sic faciebatis filiabus Israel , & illæ timentes loquebantur vobis : sed filia Juda non sustinuit iniquitatem vestram.

58. Nunc ergo dic mihi , sub qua arbore comprehenderis eos loquentes sibi . Qui ait : Sub prino.

59. Dixit autem ei Daniel : Recte mentitus es & tu in caput tuum : manet enim Angelus Domini, gladium habens, ut secet te medium, & interficiat vos.

60. Exclamavit itaque omnis cœtus voce magna, & benedixerunt Deum, qui salvat sperantes in se.

61. Et consurrexerunt adversus duos presbyteros (convicerat enim eos Daniel ex ore suo falsum dixisse testimonium ,) feceruntque eis sicut male egerant adversus proximum,

62. * Ut facerent secundum legem Moysi : * Deut. 19. 18. & 19.
& interfecerunt eos , & salvatus est sanguis innoxius in die illa.

63. Helcias autem & uxor ejus laudaverunt Deum pro filia sua Susanna , cum Joakim marito ejus , & cognatis omnibus, quia non esset inventa in ea res turpis.

64. Daniel autem factus est magnus in conspectu populi, a die illa, & deinceps.

65. Et rex Astyages (*g*) appositus est ad patres suos , & suscepit Cyrus Perses regnum ejus.

CAPUT XIV.

Historia Belis & Draconis in hoc capite continetur.

1. ERat autem Daniel conviva regis (*a*), & honoratus super omnes amicos ejus.

2. Erat quoque idolum apud Babylonios nomine Bel : & impendebantur in eo per dies singulos similæ artabæ (*b*) duodecim , & oves quadraginta, vinique amphoræ sex.

3. Rex quoque colebat eum , & ibat per singulos dies adorare eum : porro Daniel adorabat Deum suum . Dixitque ei rex : Quare non adoras Bel?

4. Qui respondens , ait ei : Quia non colo idola manufacta , sed viventem Deum , qui creavit cælum & terram , & habet potestatem omnis carnis.

5. Et

41. (*d*) Privata quisque tacitaque sententia , quod adultera esset, ex cap. 20. Levitici sit capitis damnanda. postea a judicibus juridice damnata est.

43. (*e*) Spiritum Sanctum, qui erat in Daniele adolescente , ex Græco textu.

54. (*f*) *Qui ait : Sub schino*, & alter vers 59 *Sub prino* ; illud lentiscum , quoddam ilicis genus significat : allusio nominum , seu paronomasia fundatur in vocibus Græcis : neque id auctoritatem historiæ elevat., nam , ut ait Estius , nec necesse est ad veritatem historiæ, ut res eadem referatur iisdem vocibus : sufficit enim ut voces idem significent ; præterquam paucas habemus voces Hebraicas , & forte longe plures erant , cum hæc scribebantur Quin etiam potuit Græcus interpres ejusmodi paronomasiam in Græcis vocibus invenire , ut invenit Latinus inter schinum , & scindere , σχίζειν scindere significat , ut πρίζειν cædere.

65. (*g*) Caput sequens ab his verbis incipere multi existimant : tum enim Daniel admodum senex erat, sed hoc loco hæc verba apte sunt posita in hanc sententiam. *Daniel autem factus est magnus in conspectu populi : & rex Astyages* , seu Darius, *appositus est ad patres suos:* id est, usque ad mortem Astyagis, & regnum Cyri, adeo ut sit Hebraismus : particula. *&*, pro, *usque*, posita : ita Maldonatus. Ac videtur hic locus ex fine cap 9. huc translatus, ut videtur Peterio.

CAP.XIV. 1. (*a*) Evilmerodach, aut Beltassaris, ut plures opinantur: alii Cyri , propter extrema verba superioris capitis, quæ conjungunt cum hac historia ; aut ipsius Nabuchodonosoris : adeo ut hoc caput sit ordine tertium . *Erat conviva regis* , vivebat ex mensa regis : *Et honoratus* , ut cap. 2. vers. 48. legimus.

2. & 12. (*b*) Artaba erat mensura frumentaria Persarum. *Contemnebant*, periculum.

5. Et dixit rex ad eum : Non videtur tibi esse Bel vivens Deus? an non vides quanta comedat, & bibat quotidie?

6. Et ait Daniel arridens : Ne erres rex. Iste enim intrinsecus luteus est, & forinsecus æreus, neque comedit aliquando.

7. Et iratus rex vocavit sacerdotes ejus, & ait eis: Nisi dixeritis mihi, quis est qui comedat impensas has, moriemini.

8. Si autem ostenderitis, quoniam Bel comedat hæc, morietur Daniel, quia blasphemavit in Bel. Et dixit Daniel regi : Fiat juxta verbum tuum.

9. Erant autem sacerdotes Bel septuaginta, exceptis uxoribus, & parvulis, & filiis. Et venit rex cum Daniele in templum Bel.

10. Et dixerunt sacerdotes Bel : Ecce nos egredimur foras : & tu rex pone escas, & vinum misce, & claude ostium, & signa annulo tuo:

11. Et cum ingressus fueris mane, nisi inveneris omnia comesta a Bel, morte moriemur, vel Daniel qui mentitus est adversum nos.

12. Contemnebant autem, quia fecerant sub mensa absconditum introitum, & per illum ingrediebantur semper, & devorabant ea.

13. Factum est igitur postquam egressi sunt illi, rex posuit cibos ante Bel : præcepit Daniel pueris suis, & attulerunt cinerem, & cribravit per totum templum coram rege : & egressi clauserunt ostium : & signantes annulo regis abierunt.

14. Sacerdotes autem ingressi sunt nocte juxta consuetudinem suam, & uxores, & filii eorum: & comederunt omnia, & biberunt.

15. Surrexit autem rex primo diluculo, & Daniel cum eo.

16. Et ait rex : Salvane sunt signacula, Daniel? Qui respondit: Salva rex.

17. Statimque cum aperuisset ostium, intuitus rex mensam, exclamavit voce magna : Magnus es Bel, & non est apud te dolus quisquam.

18. Et risit Daniel : & tenuit regem ne ingrederetur intro: & dixit: Ecce pavimentum, animadverte cujus vestigia sint hæc.

19. Et dixit rex : Video vestigia virorum, & mulierum, & infantium. Et iratus est rex.

20. Tunc apprehendit sacerdotes, & uxores, & filios eorum : & ostenderunt ei abscondita ostiola, per quæ ingrediebantur, & consumebant quæ erant super mensam.

21. Occidit ergo illos rex, & tradidit Bel in potestatem Danielis : qui subvertit eum, & templum ejus.

22. Et erat draco (c) magnus in loco illo, & colebant eum Babylonii.

23. Et dixit rex Danieli : Ecce nunc non potes dicere quia iste non sit Deus vivens : adora ergo eum.

24. Dixitque Daniel : Dominum Deum meum adoro : quia ipse est Deus vivens : iste autem non est Deus vivens.

25. Tu autem rex da mihi potestatem, & interficiam draconem absque gladio, & fuste. Et ait rex: Do tibi.

26. Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter : fecitque massas, & dedit in os draconis, & diruptus est draco. Et dixit: Ecce quem colebatis.

27. Quod cum audissent Babylonii, indignati sunt vehementer : & congregati adversum regem, dixerunt: Judæus factus est rex : Bel destruxit, draconem interfecit, & sacerdotes occidit.

28. Et dixerunt cum venissent ad regem : Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam.

29. Vidit ergo rex quod irruerent in eum vehementer : & necessitate compulsus tradidit eis Danielem,

30. Qui miserunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus sex.

31. Porro in lacu erant leones septem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oves : & tunc non data sunt eis, ut devorarent Danielem.

32. Erat autem Habacuc (d) propheta in Judæa, & ipse coxerat pulmentum, & intriverat panes in alveolo : & ibat in campum ut ferret messoribus.

33. Dixitque Angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum.

34. Et dixit Habacuc: Domine, Babylonem non vidi, & lacum nescio.

35. * Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui. * Ezech. 8. 3.

36. Et clamavit Habacuc, dicens : Daniel serve Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus.

37. Et ait Daniel : Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te.

38. Surgensque Daniel comedit. Porro Angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo.

39. Venit ergo rex die septimo ut lugeret Danielem: & venit ad lacum, & introspexit, & ecce Daniel sedens in medio leonum.

40. Et exclamavit voce magna rex, dicens: Magnus es Domine Deus Danielis. Et extraxit eum de lacu leonum.

41. Porro illos, qui perditionis ejus causa fuerant, intromisit in lacum, & devorati sunt in momento coram eo.

42. Tunc rex ait: Paveant omnes habitantes in universa terra Deum Danielis : quia ipse est salvator, faciens signa & mirabilia in terra : qui liberavit Danielem de lacu leonum.

22. (c) Gaudet diabolus ad primi facti Hevæ memoriam commendandam forma serpentum, ait Augustin. lib. 11. de Genesi ad litt. sic teste Valer. Max. Romani ad pestem eliminandam serpentem Epidaurium Romam invenerunt, & coluerunt quasi urbis Æsculapium.

32. (d) Hieron. Epiphanius, & alii plerique e veteribus putant eumdem fuisse, qui inter minores prophetas numeratur. *Intriverat panes*, Græc. comminuerat, offam fecerat.

IN

IN PROPHETAS MINORES.

ROPTEREA, inquit Augustinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 29. *dicuntur minores, quia sermones eorum sunt breves in eorum comparatione, qui majores ideo vocantur, quia prolixa volumina condiderunt*. Neque eodem ordine apud Hebræos 12. Prophetæ disponuntur, quo apud Græcos, ut Hieronym. in Prologo animadvertit: sed apud Hebræos ita sunt dispositi, ut in Vulgata nostra editione. Gregor. Nazianz. in carmine de veris & genuinis Scripturæ libris eumdem servat ordinem, quem Hebræi, si Jonam Prophetam exceperis, quem Abdiæ præponit.

Hos esse Auctores Prophetiarum, quibus eæ tribuuntur, iisdem rationibus evincitur, quibus jam sæpe usi sumus, quod plerique omnes in ipso limine cujusque Prophetiæ se illius auctores profiteantur; quod multas ex iis sententias posteriores sint mutuati; quod denique canoni Hebræorum inscribantur, ac Syracides Prophetas duodecim laudibus celebret, ac plures ex iis in novo citentur Testamento.

PROPHETIA OSEE.

PROPHETA *Hoseas, aut Osee, eodem tempore, quo Isaias vaticinatus est, ut ex primis ejus verbis liquet*, In diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ regum Juda, & in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel. *Isaias sub iisdem regibus Juda se vaticinatum esse declarat, sed Jeroboam regis Israel non meminit; unde primus Osee vaticinari cœpit Jeroboami secundi temporibus, ac diutissime is vixit: vox Osee*, salvavit, *significat. Stylus ejus est concisus & patheticus; Synagogæ reprobationem, gentium revocationem prædicit.*

CAPUT PRIMUM.

Oseas jubetur uxorem ducere fornicariam in signum Synagogæ fornicantis post idola: tum vocatio gentium insinuatur.

1. VERBUM Domini, quod factum est ad Osee filium Beeri, in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ regum Juda, & in diebus Jeroboam (*a*) filii Joas regis Israel.

2. Principium loquendi Domino in Osee: & dixit Dominus ad Osee: Vade, sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur terra a Domino.

3. Et abiit, & accepit Gomer filiam Debelaim: & concepit, & peperit ei filium.

4. Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen ejus Jezrahel: quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Jezrahel super domum Jehu, & quiescere (*b*) faciam regnum domus Israel.

5. Et in illa die conteram arcum Israel in valle Jezrahel (*c*).

6. Et concepit adhuc, & peperit filiam. Et dixit ei: Voca nomen ejus Absque misericordia: quia non addam ultra misereri (*d*) domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum.

7. Et domui Juda miserebor, & salvabo eos in Domino Deo suo: & non salvabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.

8. Et ablactavit (*e*) eam, quæ erat Absque misericordia. Et concepit, & peperit filium.

9. Et dixit: Voca nomen ejus, Non populus meus: quia vos non populus meus, & ego non ero vester (*f*).

10. Et erit numerus filiorum Israel quasi arena (*g*) maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur. * Et erit in loco ubi dice- * Rom. 9. 26.
tur eis: Non populus meus vos: dicetur eis: Filii Dei viventis.

11. Et congregabuntur (*h*) filii Juda, & filii Israel pariter: & ponent sibimet caput unum, & ascendent de terra: quia magnus dies Jezrahel.

CA-

CAPUT I. 1. (*a*) Primis nempe temporibus Oziæ, ante annum ejus decimum quartum. Quo tempore etiam prophetarunt Amos & Jonas. *Principium loquendi*, an forte quod inter Prophetas illius temporis primum Osee locutus sit Dominus? LXX. *Initium sermonis Domini ad Osee*. *Sume tibi*; genitivo substantivi pro adjectivo uti solent Hebræi, in plurali numero superlativi vicem obit, ut Isaiæ 53. *Virum dolorum*, id est, plenum dolorum; unde Hieron. *Ut quanto illa sordidior est, tanto sit Propheta patientior, qui talem uxorem duxerit*. Sic jubet Deus ut ex meretrice faciat castam conjugem. *Et fac tibi*; vox illa, *Fac*, neque in textu Hebræo, neque apud LXX. invenitur, unde ex Hieronymo subaudiendum est, *Sume*, ut adducat in domum suam, quos ex fornicatione mulier susceperat. Sed ob ea quæ sequuntur verba: *Et concepit & peperit*. Propheta innuere videtur imperatum sibi fuisse, ut filios ex ea gigneret; qui filii fornicationum dicuntur, quod futurum esset ut ad idololatriam propensi admodum forent. Nam in Scriptura fornicationis nomine Idololatria designari solet. Cur ita jusserit Deus, statim caussam aperit. *Quia fornicans*, id est, quia filii hujus Synagogæ, quam olim duxi, adhuc vehementer fornicabuntur per idolorum cultum. Ita hunc difficilem locum exponit Fr. Ribera S. J. ac suam expositionem confirmat ex cap. 2. ubi Deus sic ait: *Et filiorum ejus non miserebor, quoniam filii fornicationum sunt*. Quod Theodotus apud Theodoretum ita exponit: *Ipsi enim similia atque mater eorum commisit, fecerant*. Vetus est & magna quæstio utrum hæc revera gesta fuerint, an tantummodo in visione prophetica, ut Paraphrastes Chaldæus vertit; & Hier. in proœmio commentarii sui in hunc Prophetam contendit hunc Prophetæ locum ita intelligi oportere: idque ex aliis Prophetarum locis, ut Ezech. 4. Isaiæ 20. Jerem. 27. multa dici facta a Prophetis, quæ facta non sunt, vel quia non potuerunt fieri, vel quia non decuit, & necessario in spiritu gesta conficiendum est. Sed revera id gestum esse, pro certo habent Irenæus lib. 4. cap. 37. August. lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 12. & lib. 22. contra Faustum cap. 80. Theodoretus hanc affert rationem, quod cum Judæi viderent Prophetas nova quædam & inaudita facere, caussas inquirerent, & sic docerentur, ut tenacius quæ didicerant memoria retinerent. Unde Hieron. in cap. 9. Jeremiæ vult in Scriptura divina non solum auribus doceri populum, sed & oculis: magis enim retinetur quod visu, quam quod auditu ad animum pervenit. Cum Prophetæ aliquid facere jubentur, & non faciunt, statim id ostendunt, ut Basil. in cap. 8. Isaiæ observat; id videre est in cap. 4 Ezech. eumque in spiritu res fiunt, id ipsum Prophetæ solent explicare, ut Ezech. 40. & quidem Propheta nihil Dei præceptis honestius judicavit. *Nec culpandus*, inquit Hieron. *Propheta interim, ut sequamur historiam, si meretricem converterit ad pudicitiam, sed potius laudandus, quod ex mala bonam fecerit*. Quod si, ut probabile est, Gomer post nuptias ad pristinam rediit vitæ turpitudinem, in hoc etiam Synagogam magis exprimi.

4. (*b*) Rufinus existimat vindicari sanguinem Achab, quoniam postea Jehu in eadem scelera inciderant, adeo ut justum fuerit eadem pœna illos affici, a quibus Achab & posteri ejus deleti sunt, vel per Jezrahel intelligitur Israel, ut quidam habent codices. Atque hæc expositio confirmatur ex fine cap. 2. adeo ut Jezrahelis nomine populus Dei intelligatur; unde & hoc in loco Jezrahel ponitur cum articulo masculino a LXX. interpretibus, non item quando urbem significat. Quod si ad Jehu hæc verba referantur, hic erit sensus: Puniam te, o domus Jehu, juxta punitionem, quæ sumpta est de domo Achab, fuso ejus sanguine in Jezrahel, cum eamdem foveas impietatem. *Quiescere*; evertam regnum Israel, vel regnum transferam ad Sellum in valle Jezrahel.

5. (*c*) Ex hoc loco colligit Hieron. dimicatum fuisse cum Assyriis in valle Jezrahel, ubi fusus est sanguis Achab & Jezabel. Hujus vallis fit mentio Josue 17. & Judic. 6. Erat hæc vallis longissima, & fere ad Samariam usque protensa.

6. (*d*) Vocatur Absque misericordia: sic enim captus est Israel ab Assyriis, ut non amplius in patriam esset reversurus.

8. (*e*) Israel in captivitatem ductus projicietur a Deo, non aletur verbo Dei, ut qui ablactatur infans, jam non vescitur parentis lacte, sed alimentis sustentatur externis.

9 (*f*) Vestri curam penitus abjiciam: non eritis amplius populus Dei, sed Assyriorum servi.

10 (*g*) Transit ad vocationem gentium, a tristibus ad læta, more Prophetarum. Apostolus Roman. 9. de vocatione gentium, & eorum fide, qui ex Judæis credere voluerant, omnem nobis difficultatem interpretationis abscidit, asserens Christi temporibus esse completum, ait Hieron. Sic eumdem locum Petrus cap. 2. prioris Epist. citat in eamdem sententiam. Neque de filiis Israel, cum redierunt e captivitate Babylonica, juxta historicum sensum hæc intelligi possunt; nam exiguus erat Israelitarum e Babylone redeuntium numerus, nec decem tribus redierunt, aut certe ii perpauci fuerunt. Itaque Propheta alludit ad promissionem Abrahæ factam Genes. c. 13. & 15. Atque in hac promissione non dicuntur semen Abrahæ, qui ex eo originem trahunt, licet sint etiam innumerabiles, sed qui ejus fidem & pietatem imitantur, ex Apostol. Rom. 4. *Ideo ex fide ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed & ei qui est ex fide Abrahæ, qui est pater omnium nostrum*: & ad Gal. 3. *Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ*. Unde ex Apostolo duplex est Israel: de incredulis 1. Corinth. 10. hæc habet: *Videte Israel secundum carnem*; de credentibus autem Galat. 6. *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia & super Israel Dei*. *Et erit in loco*; in ipsis locis, in quibus obliti erant Dei, & idola coluerant, jam filii Dei vocentur.

11. (*h*) Non in eamdem civitatem, aut provinciam, sed in eamdem Ecclesiam. Filios Israel vocat eos, qui conversi sunt ex gentibus, filios Juda, qui conversi sunt e Judæis. *Caput unum*, Christum videlicet. *Et ascendent de terra*: an de terra ascendere idem est ac crescere & multiplicari? in omnes partes se effundent filii Juda & Israel. *Quia magnus est dies Jezrahel*: mirabile quiddam & inusitatum faciet Deus, cum semen Dei in unum congregatum, per totum orbem diffundetur post adventum Christi, cum ipsam fundabit Ecclesiam. Jezrahel interpretatur semen Dei.

CAPUT II.

In hoc capite Deus cum Synagoga expostulat, quod fidem violaverit; pœnitentibus fausta promittit; de vocatione gentium, & de fœdere sempiterno.

1. DIcite (*a*) fratribus vestris: Populus meus: & sorori vestræ, Misericordiam consecuta.

2. Judicate (*b*) matrem vestram, judicate: quoniam ipsa non uxor mea, & ego non vir ejus: auferat fornicationes suas a facie sua, & adulteria sua de medio uberum suorum.

3. Ne forte expoliem eam nudam, & statuam (*c*) eam secundum diem nativitatis suæ: & ponam eam quasi solitudinem, & statuam eam velut terram inviam, & interficiam eam siti.

4. Et filiorum illius non miserebor: quoniam filii fornicationum sunt.

5. Quia fornicata est mater eorum, confusa est quæ concepit eos: quia dixit: Vadam post amatores (*d*) meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum.

6. Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inveniet.

7. Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos, & quæret eos, & non inveniet, & dicet: Vadam, & revertar ad virum meum priorem: quia bene mihi erat tunc magis quam nunc.

8. Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.

9. Idcirco convertar (*e*), & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam & linum meum, quæ operiebant ignominiam ejus.

10. Et nunc revelabo (*f*) stultitiam ejus in oculis amatorum ejus: & vir non eruet eam de manu mea:

11. Et cessare faciam omne gaudium ejus, solemnitatem ejus, neomeniam ejus, sabbatum ejus, & omnia festa tempora ejus.

12. Et corrumpam vineam ejus, & ficum ejus: de quibus dixit: Mercedes hæ, meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei: & ponam eam in saltum, & comedet eam bestia agri.

13. Et visitabo super eam dies Baalim (*g*), quibus accendebat incensum, & ornabatur inaure sua, & monili suo, & ibat post amatores suos, & mei obliviscebatur, dicit Dominus.

14. Propter hoc, ecce ego lactabo (*h*) eam, & ducam eam in solitudinem: & loquar ad cor ejus.

15. Et dabo ei vinitores (*i*) ejus ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam spem: & canet ibi juxta dies juventutis suæ, & juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti.

16. Et erit in die illa, ait Dominus: vocabit me: Vir meus: & non vocabit me ultra, Baali.

17. Et auferam nomina Baalim de ore ejus, & non recordabitur ultra nominis eorum.

18. Et percutiam (*k*) cum eis fœdus in die illa, cum bestia agri, & cum volucre cæli, & cum reptili terræ: & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra: & dormire eos faciam fiducialiter.

19. Et sponsabo (*l*) te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in justitia & judicio, & in misericordia & in miserationibus.

20. Et sponsabo te mihi in fide (*m*): & scies quia ego Dominus.

21. Et erit in die illa: Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos (*n*), & illi exaudient terram.

22. Et

CAP. II.

1. (*a*) Iidem sunt ex Apost. Roman. 9 qui vocabuntur filii Dei vivi, & quos vocari jubet populum suum, & misericordiam consecutum. *Quos & vocavit non solum ex Judæis sed etiam ex gentibus*, sicut in Osee dicit, *Vocabo non plebem meam, &c.*

2. (*b*) Historico sensu Propheta justos, qui tum erant, alloquitur, Synagogam duarum tribuum matrem appellat. Prophetæ ab historia ad Christum transire solent, non ex abrupto, sed arrepta occasione. Dixerat, *Quia vos non populus meus*: sed ne quis putaret, Deum non præstiturum Abrahæ quod ei promiserat, hinc transit ad Christum, & prædicit tantam fore credentium multitudinem, ut numerari non possit. Mox redit ad historiam: interim matrem vestram increpate, quæ de meretrice uxor facta, rursus fornicata est cum amatoribus suis. Quoniam non se gerit ut uxorem, sed ut adulteram, fornicata est, inquit Hieron. quæ cum pluribus copulatur, adultera, quæ unum virum deserens alteri jungitur. Synagoga utramque malitiam conjunxit: nam & virum deseruit, & multos deos coluit, idque aperte & impudenter.

3. & 4. (*c*) In eodem statu, in quo erat antequam eam ab idololatria eximeret: *Non miserebor*, quia matris fornicationes sunt imitati.

5. (*d*) Post Assyrios & alias nationes, quæ idola colebant, vel etiam idola intelliguntur, quorum caussa Deum verum reliquit. Allegorice Apostolis & Judæis fidelibus dicitur ut matrem suam Synagogam judicent & arguant, quæ exspoliata est, & posita quasi solitudo post mortem Christi.

9. (*e*) Auferam ei omnia, quæ se ab amatoribus suis accepisse dicebat, ut reipsa experiatur hæc mea esse. *Et liberabo lanam meam*, quam possidebat.

10. (*f*) Ipsi ejus amatores stultissimi fatebuntur, quod Deum tam beneficum offenderet. Hæc omnia post passionem Christi Judæa perpessa est, quod bonorum suorum auctorem Christum non agnoverit. Venerunt Romani, & tulerunt gentem eorum & locum; cessaverunt ritus omnes.

13. (*g*) Ulciscar me de iis, quos idolis consecravit, diebus.

14. (*h*) Nunc bona recenset, quæ ex Dei misericordia per Christum erat consecutura: *Lactabo eam*, alliciam; nam lactare hoc loco decipere significat; & ita vertunt LXX. *In solitudinem*; segregabo illam ab amatoribus suis, a consuetudine peccatorum & idololatrarum propter hoc; vox Hebræa etiam significat, tamen, sine dubio. Quod de Judæis vix intelligi potest; unde quæ sequuntur ad Ecclesiam pertinent.

15. & 16. (*i*) Apostolos, Chald. Gubernatores ejus, *Ex eodem loco*, Ex eadem gente: *Et vallem Achor*, ut olim post turbationem illam, de qua Josue 7. secuta sunt prospera punito Acham in valle Achor: ita hic fet, post adversa dabo spem magnam bonorum. Josue fuit typus Christi, Acham Judæorum incredulorum: punientur Judæi sacrilegi, & veri Israelitæ spem magnam concipient. *Ad aperiendam spem*, viam aperiam ad omne decus: LXX. Ad aperiendam intelligentiam: per adversa eruditur anima. *Et auferam nomina Baalim*, ita ut ne idola quidem nominentur. Baali maritum meum significat.

18. (*k*) Ex Hebr. & LXX. Percutiam eis fœdus, faciam ut inter homines & bestias sit fœdus. Isaiæ 11. *Habitabit lupus cum agno*; quæ omnia de populo gentium intelliguntur, Act. 10.

19 (*l*) Justificando te; & tui curam geram, ne quis te lædat injuste: *Juxta dies ascensionis Ægypti*; alludit ad Canticum Moysi demerso Pharaone. *Et sponsabo te mihi*, verba sunt Dei ad Ecclesiam, quæ est sponsa Christi, quam desponsdit ut sit justa & omni virtutum genere ornata; idque fœdere sempiterno.

20. (*m*) Fideliter præstabo quæ promitto, ut sponsa mea sis per fidem, non per legis opera.

21. (*n*) Tropica locutio: Deus exaudit cælum, sc. terra, imbres in eo colligens: cæli exaudiunt terram sitientem, quam aquis irrigant, terra ex se uberes fructus promit. Ingentem gratiæ copiam & donorum se daturum Jezrahel, id est semini Dei significat.

22. Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum: & hæc exaudient Jezrahel (*o*).

23. Et seminabo (*p*) eam mihi in terra, & miserebor ejus, quæ fuit Absque misericordia.

* Rom. 9. 25. 1. Petr. 2. 10.

24. * Et dicam non populo meo: Populus meus es tu: & ipse dicet: Deus meus es tu.

CAPUT III.

Jubet Deus ut Propheta alteram sumat, eamque adulteram, sed ea conditione ut diu maneat domi cælebs, neque ad virum suum redeat; ex quo insinuat fore ut Israel diu maneat sine rege, sine lege, sine Deo, & tamen postea revertatur ad Deum.

1. ET dixit Dominus ad me: Adhuc vade (*a*), & dilige mulierem dilectam amico & adulteram: sicut diligit Dominus filios Israel, & ipsi respiciunt ad deos alienos, & diligunt vinacia uvarum.

2. Et fodi (*b*) eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei.

3. Et dixi ad eam: Dies multos expectabis me: non fornicaberis, & non eris viro (*c*): sed & ego expectabo te.

4. Quia dies multos sedebunt (*d*) filii Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim.

* Ezech. 34. 23.

5. * Et post hæc revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum: & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus, in novissimum dierum.

CAPUT IV.

Israeli extrema minatur mala propter ea quæ commisit scelera: sacerdotum ignorantiam & libidinem reprehendit.

1. AUdire verbum Domini filii Israel, quia judicium (*a*) Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.

2. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis (*b*) sanguinem tetigit.

3. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cæli: sed & pisces maris congregabuntur (*c*).

4. Verumtamen unusquisque non judicet: & non arguatur (*d*) vir: populus enim tuus sicut hi, qui contradicunt sacerdoti.

5. Et corrues (*e*) hodie, & corruet etiam propheta tecum: nocte tacere feci matrem tuam.

6. Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: & oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum & ego.

7. Secundum multitudinem (*f*) eorum sic peccaverunt mihi: gloriam eorum in ignominiam commutabo.

8. Peccata (*g*) populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum.

9. * Et erit sicut populus, sic sacerdos (*h*): & visitabo super eum vias ejus, & cogitationes ejus reddam ei. * Isa. 24. 2.

10. Et comedent, & non saturabuntur: fornicati sunt, & non cessaverunt: quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo.

11. Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.

12. Populus meus in ligno (*i*) suo interrogavit, & baculus ejus annuntiavit ei: spiritus enim fornicationum decepit eos, & fornicati sunt a Deo suo.

13. Super

22. (*o*) Facient quod vult populus Dei, semen Dei; implebunt eum bonis.

23. (*p*) Ecclesiam propagabo per Apostolos.

CAP. II. 1. (*a*) Non satis est duxisse uxorem Gomer, nisi diligas eam licet adulteram; ut Deus diligit Synagogam. Hanc duces & amabis, licet non sit amabilis, sed erit symbolum amoris, quo prosequor Synagogam licet adulterio pollutam. *Diligunt vinacia uvarum*, folliculos qui remanent vino expresso, in quibus nihil succi est: Hebr. *Lagenas*, aut vasa vino plena. An de eadem muliere quam duxit Osee, quæque est fornicaria, an de alia uxore soluta vinculo matrimonii, quæque cum viveret maritus, erat infamis, dubitatur.

2. (*b*) Ex Hebr. Possedi, vel emi eam dote 15. argenteorum: non ut LXX. innuere videntur, de meretricia conductione loquitur: nuptiæ fiebant coemptione. Gene. 29. 1. Reg. 18. item Gen. c. 34.

3. (*c*) Alteri, quæ sunt circumstantiæ legitimi conjugii. Christus expectabit usque ad finem sæculi.

4. (*d*) Judaicum populum multis sæculis futurum sine templo & sacrificiis innuit, sedere in Scriptura est lugentium. *Surgite postquam sederitis*, Psalm. 126. *Et theraphim*: sine idolis gentium, aut simulacris. *Revertentur*, in fine sæculi revertentur ad Christum. *Et pavebunt ad Dominum*: magna reverentia eum colent: *Et ad bonum ejus*, ad magna beneficia, quæ ab eo accipient. Alii hæc exponunt de captivitate Babylonica; sed ii non fuerunt sine Deo, sine lege, sine sacerdote: nunc quidem sunt sine lege: nam lex Mosis, lex non est, & neminem obligat: quique Evangelicam legem non habent, ii proprie sunt sine lege, qua omnes obligantur; semper, aut regem, aut principem habuerunt usque ad Christum, nunc serviunt omnibus regibus. Nusquam Zorobabel dictus est David, aut quivis alius præter Christum; nec proprie rex fuit, ex cap. 22. Jerem. Quamobrem verba Osee captivitati Babylonicæ aptari non possunt.

CAP. III. 1. (*a*) Vult Deus vobiscum judicio contendere: *Non est enim veritas*: alter alterum decipit. *Non est scientia Dei*: quæ opera cum cognitione conjungit. 1. Joann. 2. *Qui dicit se nosse Deum, &c. Habitatoribus terræ*, decem tribuum.

2. (*b*) Peccata peccatis, homicidia homicidiis cumularunt. Sanguis in Scripturis significat id omne, quod committitur per sanguinis effusionem, & ad omnem oppressionem patet; sanguis etiam in Scriptura pro peccato sumi solet: is erat Judæis execrabilis.

3. (*c*) Congregari in Scripturis significat mori: qui enim moriuntur, ad multitudinem congregantur.

4. (*d*) Ludit operam, qui eos reprehendit, cum ipsis Sacerdotibus resistant.

5. (*e*) In summam calamitatem brevi incurres. *Nocte*, in magna calamitate: *Tacere feci matrem tuam*, Synagogam confusam & convictam: vel regnum vestrum in noctem calamitatum & malorum præcipitia dedi.

7. (*f*) Quo plures fuerunt, hoc gravius peccaverunt: vel populum multiplicavi; quot in ea nati sunt, tot fere sunt inimici mei.

8. (*g*) Sacrificia pro peccatis edunt Sacerdotes; & tamen iniquitatem eorum fovebunt, non objurgando, sed laudando, ne oblationes amittant. Bernardus Serm. 77. in Cantica. *Peccatorum pretia exigunt, & peccantibus debitam sollicitudinem non impendunt. Et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas suas*; Expectabunt avide peccata populi, quasi ex iis quæstum habentes.

9. (*h*) Utrosque puniam; & easdem ab iis pœnas repetam ob pravas machinationes: *Et visitabo super eum*, populum; *Vias ejus*, opera ejus, & vitæ rationem.

12. (*i*) Per lignum, seu idolum; & divinare voluit per baculos, aut sagittas, ritu Chaldæorum, Ezech. 21.

13. Super capita montium sacrificabant, & super colles accendebant thymiama: subtus quercum, & populum, & terebinthum, quia bona erat umbra ejus: ideo fornicabuntur filiæ vestræ, & sponsæ vestræ adulteræ erunt.

14. Non visitabo (*k*) super filias vestras cum fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras cum adulteraverint: quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur, & cum effeminatis sacrificabant, & populus non intelligens vapulabit.

15. Si fornicaris tu Israel, non delinquat saltem Juda: & nolite ingredi in Galgala (*l*), & ne ascenderitis in Bethaven, neque juraveritis: Vivit Dominus.

16. Quoniam sicut vacca (*m*) lasciviens declinavit Israel: nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine.

17. Particeps idolorum Ephraim, dimitte (*n*) eum.

18. Separatum (*o*) est convivium eorum, fornicatione fornicati sunt: dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus.

19. Ligavit eum spiritus (*p*) in alis suis, & confundentur a sacrificiis suis.

CAPUT V.

Sacerdotes in judicium vocat, quod populo sint in laqueum; excidium iis minatur, & Judæ, qui Israelem secutus est.

1. AUdite hoc sacerdotes (*a*), & attendite domus Israel, & domus regis auscultate: quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor.

2. Et victimas declinastis (*b*) in profundum: & ego eruditor omnium eorum.

3. Ego scio (*c*) Ephraim, & Israel non est absconditus a me: quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel.

4. Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum: quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt.

5. Et respondebit (*d*) arrogantia Israel in facie ejus: & Israel & Ephraim ruent in iniquitate sua, ruet etiam Judas cum eis.

6. In gregibus suis, & in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, & non invenient: ablatus est ab eis.

7. In Dominum prævaricati sunt, quia filios alienos (*e*) genuerunt: nunc devorabit eos mensis cum partibus suis.

8. Clangite buccina in Gabaa (*f*), tuba in Rama: ululate in Bethaven, post tergum tuum Benjamin.

9. Ephraim in desolatione erit in die correptionis (*g*): in tribubus Israel ostendi fidem.

10. Facti sunt principes Juda quasi assumentes (*h*) terminum: super eos effundam quasi aquam iram meam.

11. Calumniam patiens est Ephraim, fractus judicio (*i*): quoniam cœpit abire post sordes.

12. Et ego quasi tinea (*k*) Ephraim: & quasi putredo domui Juda.

13. Et vidit Ephraim languorem (*l*) suum, & Juda vinculum suum: & abiit Ephraim ad Assur, & misit ad regem ultorem: & ipse non poterit sanare vos, nec solvere poterit a vobis vinculum.

14. Quoniam ego quasi leæna Ephraim, & quasi catulus leonis domui Juda: ego capiam, & vadam: tollam, & non est qui eruat.

15. Vadens revertar (*m*) ad locum meum: donec deficiatis, & quæratis faciem meam.

CAPUT VI.

Promittit Christum salvatorem; tum Ephraim increpat, & invehitur in Galaaditas, qui euntes in Jerusalem occiderunt.

1. IN tribulatione sua mane consurgent ad me: Venite, & revertamur ad Dominum:

2. Quia ipse cepit (*a*), & sanabit nos: percutiet, & curabit nos.

3. * Vivi-

14. (*k*) Non cohibebo, nec puniam eas æque graviter ac vos ipsos. *Conversabantur*, quia vos pravis exemplis eas in peccatum induxistis. Hieronym. *Grandis offensa est, postquam peccaveris, non mereri iram Dei: nam qui amatur, corripitur.* Juda; a correptione communi universæ Israel venis ad privatam duarum tribuum.

15. (*l*) Ut colatis idola; neque juraveritis per vitam idolorum; vel cum idola colatis, cur me in testimonium adducitis?

16. (*m*) Ne imitemini Israelem, qui instar vaccæ œstro percitæ, excusso jugo fugit: id est, brevi vos instar agni mactandi pascet Deus in loco spatioso Assyriorum, qui vos spoliabunt.

17. (*n*) O Juda dimitte decem tribus, neque iis te adjungas.

18. (*o*) Hebr. Vinum eorum corruptum est: Israel longe est a Dei cultu. *Dilexerunt*, LXX. Dilexerunt ignominiam.

19. (*p*) Ventus, seu turbo mox eos in Assyriam, ut paleas ventus, transfert. *Confundentur a sacrificiis suis*, ob sacrificia idolis facta.

CAP. V. 1. (*a*) Qui vos pro sacerdotibus geritis in Israel: vel sacerdotes Juda. *Quoniam laqueus facti estis*, seu scandalum iis, qui vestræ curæ sunt commissi, & similes reti expanso super montem excelsum; qualis est Thabor in Galilæa, quo aves, aut feræ capiuntur.

2. (*b*) Avertistis a Deo, ejus cultum deserentes, in profundum idololatriæ demersi. *Et ego eruditor eorum*; etsi eos sæpe docuerim per Prophetas.

3. & 4. (*c*) Novi ejus opera: Ita sunt addicti idololatriæ, ut ab idolorum cultu non abstineant. *Quia spiritus*, impetu quodam idololatriæ aguntur.

5. & 6. (*d*) Pœnæ respondebant criminibus. *In facie ejus*; vel ipso cernente, palam. *Ruet etiam Judas cum eis*: qui postea ducetur in captivitatem, quod Israelis idololatriam secutus fuerit. Frustra per victimas quærent Deum.

7. (*e*) Alienos a Dei cultu. Vel genuerunt e mulieribus extraneis. *Nunc devorabit eos mensis*: hostis per singulos menses irruet in eos. *Cum partibus suis*, LXX. sortibus, cum possessionibus suis.

8. (*f*) LXX. Super colles: video hostes jam irruentes. *Tuba in Rama*, LXX. *Resonate in excelsis*: Rama excelsum, Gabaa *collem* significat. Nunciate adesse Assyrios: urbes illæ erant in tribu Benjamin, cui etiam imminebat incendium; parate vos ad prælium. *Ululate in Bethaven*, jam desperantes.

9. (*g*) Punitionis: Ostendam me vera prædixisse, minas meas non esse inanes.

10. (*h*) Sept. Transferentes, & partem vicini agri sibi vindicantes; legis transgressionem significat: Ita ut nihil ejus remaneat, ut in aqua effusa.

11. (*i*) Dei justo judicio. Assyriorum injusto, ut peregrinis captivis solet evenire. *Quoniam cœpit abire post sordes*, idola.

12. (*k*) Seu caries; *Domui Juda*, paullatim eos consumant.

13. & 14. (*l*) Afflictionem: *Et Juda vinculum suum*, vulnus fasciis involutum. *Et misit ad regem ultorem*, vindicem, defensorem, ut se juvaret; Osee ad Phul & Salmanasar, Achaz, ad Teglat-Phalasar miserunt Legatos, sed frustra. *Quia ego ipse*, vos sternam.

15. (*m*) Ut solent leones satiati sanguine. *Donec*, multis afflicti malis.

2. (*a*) Captivos fecit: vel incidit & sanavit nos; vel sanabit nos, per Filium suum quem mittet Salvatorem. CAP. VI.

* 1. Cor. 15. 4.

3. * Vivificabit nos post duos (b) dies : in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum : quasi diluculum præparatus est egressus ejus, & veniet quasi imber nobis temporaneus, & serotinus terræ.

4. Quid faciam tibi Ephraim ? quid faciam tibi Juda ? misericordia vestra quasi nubes matutina (c), & quasi ros mane pertransiens.

5. Propter hoc dolavi in prophetis, occidi eos in verbis oris mei : & judicia tua quasi lux egredientur.

* 1. Reg. 15. 22. Eccl. 4. 17. Matth. 9. 13 & 12. 7.

6. * Quia misericordiam volui, & non sacrificium (d): & scientiam Dei plusquam holocausta.

7. Ipsi autem sicut Adam (e) transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me.

8. Galaad (f) civitas operantium idolum, supplantata sanguine.

9. Et quasi fauces virorum latronum, particeps (g) sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem : quia scelus operati sunt.

10. In domo Israel vidi horrendum : ibi fornicationes Ephraim : contaminatus (h) est Israel.

11. Sed & Juda pone messem tibi, cum convertero captivitatem populi mei.

CAPUT VII.

Variis similitudinibus Israelitarum pravitatem oculis subjicit; Regum suorum impietati consentientes in idololatriam exarserunt.

1. CUm sanare vellem Israel, revelata (a) est iniquitas Ephraim : & malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium : & fur ingressus est spolians, latrunculus foris.

2. Et ne forte dicant (b) in cordibus suis, omnem malitiam eorum me recordatum : nunc circumdederunt eos adinventiones suæ, coram facie mea factæ sunt.

3. In malitia sua lætificaverunt regem (c) : & in mendaciis suis principes.

4. Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente : quievit paullulum civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum.

5. Dies (d) regis nostri : cœperunt principes furere a vino : extendit manum suam cum illusoribus.

6. Quia applicuerunt quasi clibanum cor (e) suum, cum insidiaretur eis : tota nocte dormivit coquens eos, mane ipse succensus quasi ignis flammæ.

7. Omnes calefacti sunt quasi clibanus, & devoraverunt judices suos : omnes reges eorum ceciderunt : non est qui clamet in eis ad me.

8. Ephraim in populis (f) ipse commiscebatur : Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reversatur.

9. Comederunt alieni robur ejus, & ipse nescivit : sed & cani (g) effusi sunt in eo, & ipse ignoravit.

10. Et humiliabitur superbia Israel in facie ejus : nec reversi sunt ad Dominum Deum suum, & non quæsierunt eum in omnibus his.

11. Et factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor : Ægyptum invocabant, ad Assyrios abierunt.

12. Et cum profecti fuerint, expandam (h) super eos rete meum : quasi volucrem cæli detraham eos, cædam eos secundum auditionem cœtus eorum.

13. Væ

3. (b) Christi resurrectionem & tempus designat; a littera transit ad Christum : ab ærumnis nos intra breve tempus liberabit. *Vivemus*. Curam nostri habebit : Sciemus Deum fide & operibus : Christi ortus instar aurora est præparatus, ut peccati & ignorantiæ tenebras disjiciat. Vox Hebræa rem non utrumque paratam, sed firmam significat. Psalm. 9 *Parata sedes tua ex tunc*, Firmum solium tuum, quod dimoveri non poterit.

4. & 5. (c) Cito evanuit beneficentia vestra in fratres vestros; vel ipsi non finitis Dei misericordiam longius progredi, quæ magna vobis bona afferret. *Propter hoc dolavi in Prophetis* : Admonui vos per Prophetas : cum autem non addat, *meis*, forte de pseudoprophetis, quos Deus per Eliam igne consumpsit, hoc intelligi potest. *Judicia mea* : Judicia in te mea : *Quasi lux egredientur*, aperte te puniam.

6 (d) Impiorum neminem sacrificium rejicit, juxta illud Eccles. 4 *Multo melior est obedientia, quam stultorum victimæ* : cum enim duo inter se comparantur, unum sine altero spectari debet, ut si doctum cum pio conferas, intelliges pium ineruditum, & doctum pietate destitutum, hominem pium docto antepones : non solum externum, sed magis internum cultum exigo. *Et scientiam Dei*, Legis divinæ observationem.

7. (e) Imitati sunt Adami inobedientiam; vel Adam est vox appellativa : unde Vatablus : *Ipsi autem transgressi sunt fœdus meum sicut hominis* : Quasi fœdus istum cum homine, qui specie exteriori decipitur : *Ibi prævaricati sunt*, offerendo victimas extra templum.

8. (f) Civitas sacerdotalis facta est metropolis idololatriæ : *Supplantata sanguine*; Hebr. a sanguine, & dejicienda propter effusum innoxium sanguinem. Vox civitatis sæpe pro regione ipsa accipitur : non enim est urbs eo nomine signata, nisi forte est una Ramot-Galaad.

9. (g) Consilium sacerdotum Bethel, qui se sceleribus devoverant. Societas & conspiratio sacerdotum, sitiens sanguinem & cædes : adjuvans consilium sacerdotum Bethel, qui euntes in Jerusalem latronibus in via positis trucidabant, ex Hieron.

10. & 11. (h) Idololatria : *Sed & Juda pone messem tibi* : Paras, o Juda, te quiete victurum, & messem collecturum tuam, id facies; *cum convertero captivitatem populi mei* : cum te reduxero e captivitate Babylonica, non prius; vel, fructus quidem terræ recipies post reditum tuum. *Pone messem tibi*, Te quoque expilabunt Assyrii, ab iis meteris : *Sed & Judas contaminatus est*, ex Sept. Interpr.

CAP. VII.

1. (a) Factus est deterior Israel, quo peccatis eorum plura adhibere volui remedia; velut instauratis viribus manifesta & publica facta est ejus iniquitas. Volebat Deus sanare Israelem per Jehu; Regis consiliarii ei persuaserunt, ut idololatriam non everteret, ne forte decem tribus rediire ad domum David cogitarent : unde idololatria ante repressa acrior emersit. *Et operati sunt mendacium*, tam in factis, quam in verbis. Veritas dicitur cum quis id facit quod debet pro statu suo, mendacium contra. Idcirco domus Israel tam a domesticis, quam ab externis, vexata est & eversa.

2. (b) Me veterum peccatorum meminisse. *Adinventiones suæ*, Quæ impie fecerunt, eos circumstant, & ultionem exigunt.

3. & 4. (c) Illius impietati consentientes. *Adulterantes*, deserentes Deo : *Quasi clibanus succensus*, ardens libidine colendi idola. *Quievit paullulum civitas*, in principio regni Jehu. *A commistione fermenti*, dum totum idololatriæ permisit, & hoc fermento paullatim omnis populus corruptus est.

5. (d) Dies festus regis nostri : vox populi jam decepti. *Illusoribus*. Rex ipse junxit se cum Dei illusoribus, quasi a populo coactus. *Extendit manum suam*. Cœpit idola colere; vel libenter facere cœpit quod ipsi faciebant.

6. & 7. (e) Promptos se præbuerunt ad augendam idololatriam. *Tota nocte dormivit*, jam securus. *Mane ipse succensus*, in eumdem furorem insaniens. Vox, *quasi*, ornatus tantum causa ponitur, ut sæpe alias. *Omnes calefacti sunt quasi clibanus*, populi insanientis falsa securitate animati. *Devoraverunt*. In ejus sceleris societatem rapuerunt. Qui consecuti sunt reges, exemplum Jehu secuti sunt, omnes hoc pulsi in igne arserunt.

8. (f) Cum gentibus commiscebatur. *Qui non reversatur*, non volvitur, ac propterea aduritur, & consumitur ab Assyriis populus. Vel non *reversatur*, non agit pœnitentiam, non mutatur.

9. & 11. (g) Adventus illius finis, ut senectus. *Et ipse ignoravit*, nec sensit excidium imminens. *Non habens cor*, intelligentiam, stultus plane.

12. (h) Cum profecti fuerint ad Ægyptios, adducam Assyrios qui eos capient. Ita factum legimus 4. Reg. 17. Sed cum hæc quæsierint auxilia. *Cædam eos*, ut minatus sum per Moysen & Prophetas.

13. Væ eis, quoniam recesserunt a me: vastabuntur, quia prævaricati sunt in me: & ego redemi eos: & ipsi locuti sunt contra me mendacia.

14. Et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant (*i*) in cubilibus suis: super triticum & vinum ruminabant, recesserunt a me.

15. Et ego erudivi (*k*) eos, & confortavi brachia eorum: & in me cogitaverunt malitiam:

16. Reversi (*l*) sunt ut essent absque jugo: facti sunt quasi arcus dolosus: cadent in gladio principes eorum, a furore linguæ suæ. Ista subsannatio eorum in Terra Ægypti.

C A P U T VIII.

Samaria cum vitulo suo aureo destruetur, propter idololatriam: horum victimas Deus non suscipiet.

1. IN gutture tuo sit tuba (*a*) quasi aquila super domum Domini: pro eo quod transgressi sunt fœdus meum, & legem meam prævaricati sunt.

2. Me invocabunt: Deus meus cognovimus te Israel.

3. Projecit Israel bonum, inimicus persequetur eum.

4. Ipsi regnaverunt (*b*), & non ex me: principes extiterunt, & non cognovi: argentum suum & aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent.

5. Projectus est vitulus (*c*) tuus Samaria, iratus est furor meus in eos: usquequo non poterunt emundari?

6. Quia ex Israel & ipse (*d*) est: artifex fecit illum, & non est deus: quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ.

7. Quia ventum (*e*) seminabunt, & turbinem metent: culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam: quod & si fecerit, alieni comedent eam.

8. Devoratus (*f*) est Israel: nunc factus est in nationibus quasi vas immundum.

9. Quia ipsi ascenderunt ad Assur (*g*), onager solitarius sibi: Ephraim munera dederunt amatoribus.

10. Sed & cum mercede conduxerint nationes, nunc congregabo eos: & quiescent paulisper ab onere regis, & principum (*h*).

11. Quia multiplicavit (*i*) Ephraim altaria ad peccandum: factæ sunt ei aræ in delictum.

12. Scribam (*k*) ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ sunt.

13. Hostias offerent, immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non suscipiet eas: nunc recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit peccata eorum: ipsi in Ægyptum convertentur (*l*).

14. Et oblitus est Israel factoris sui, & ædificavit delubra: & Judas multiplicavit (*m*) urbes munitas: & mittam ignem in civitates ejus, & devorabit ædes illius.

C A P U T IX.

Inediam in captivitate, & miseriam minatur Deus, quod mittentur cultores Beelphegor. L. Num. cap. 25.

1. NOli (*a*) lætari Israel, noli exultare sicut populi: quia fornicatus es a Deo tuo, dilexisti mercedem super omnes areas tritici.

2. Area & torcular non pascet eos, & vinum mentietur eis.

3. Non habitabunt in terra Domini: reversus est Ephraim in Ægyptum, & in Assyriis pollutum comedit.

4. Non

14. (*i*) Cum essent in miseriis, non clamabant ad me, sed tristes in cubilibus suis ejulabant. De cibis tantum soliciti, vel ex Hieronym. præ ubertate tritici & vini quæ collegerant, rebellaverunt.

15. (*k*) Seu castigaverim eos, seu defenderim; in sua pravitate sunt obstinati.

16. (*l*) Hieronym. Reversi sunt in pristinum statum, ut in præcipitia ruerent, quasi legem non haberent. *Facti sunt quasi arcus dolosus*, qui alio sagittam emittit, quam in destinatum scopum. Erant Ægyptiis in derisum: vel idipsum faciebant, cum erant in Ægypto, idolis honorem mihi debitum tribuebant. *Principes*, Principes qui populum deceperunt. LXX. *Propter imperitiam linguæ suæ*, quod vitulos aureos deos suos appellaverint.

CAP. VIII. 1. (*a*) Proclama, imminet Assyrius, quasi aquila ad prædam advolans. *Super domum Domini*; ad Judam vaticinatur, ut ad Israelem, mox ad Israelem reversurus.

4. (*b*) In principe legitimo duo sunt, potestas, & usus potestatis; illa a Deo est: *Non est enim potestas nisi a Deo*, Rom. 13. *Si bonus sit usus potestatis*, erit itidem a Deo: secus, si malus fuerit: Vel me inconsulto a domo Davidis recesserunt. Ahias Propheta missus quidem est ad Jeroboam, sed non ad populum: scindi regnum non tam voluit Deus, quam permisit. *Regnaverunt*, pro regnare cœperunt; vel etiam Jeroboam & Jehu regnaverunt jussu Dei, sed non secundum ejus voluntatem; & ex ambitione populus his paruit rebellionis spiritu actus. *Principes extiterunt, & non cognovi*; eos reprobavi, quia me ut Deum suum non agnoverunt: idque adhuc clarius est de principibus, qui tempore Osee, ut Sellum, Manahem, Phacee, solium Israelis invaserunt. *Et ego non cognovi*: Non approbavi invasionem Sellum, Manahem, Phacee, qui Osee ætate regnum usurparunt.

5. (*c*) Samaria, te & idola tua projecit Deus. *Iratus est furor meus in eis*, in eos; *Usquequo*? Quamdiu erunt in sordibus suis!

6. (*d*) Inventus ab Israelitis vitulus: sic dissolvetur ut aranearum telæ.

7. (*e*) Ventum plana dejicit. *Et turbinem metent*. In tempestate metent. Inani labore se exercent, turbinem, seu calamitatem colligent.

8. (*f*) Qui erat vas gloriæ, *Nunc factus est quasi vas immundum*, quasi matula, absorptus est Israel mistus idolis, & proprium Israelis nomen amisit.

9. (*g*) Manahem mille talenta solvit in tributum Regi Assyriorum 4. Reg. 15. *Ascendebant ad Assur*; ascendere captivi. Onager, qui jugum legis divinæ pridem excussit, solus derelictus est.

10. (*h*) Per aliquod temporis spatium cessabunt tributum solvere; aut potius captivi ducentur in Assyriam. Primam vos ad tempus tributis, quæ regibus vestris solvitis: nam in captivitatem vos mittam.

11. (*i*) Apud Assyrios aras multas offendent, quibus immolare compellentur.

12. (*k*) Per Prophetas terrendo, quæ leges velut alienæ, & nihil ad eos spectantes, computatæ sunt ab Israelitis.

13. (*l*) Multi e decem tribubus in Ægyptum confugerunt ex Ionia.

14. (*m*) In his spem suam posuit, non in Deo. *Et mittam ignem in civitates ejus*, quod factum est a Sennacherib, sola Jerusalem salva. Vel *in civitates ejus*. Israelis, *& devorabit ædes illius*, Judæ. Nam in Hebr. *Israel* in masculino, *Judas* in feminino pro terra Judæ poni solet. *Civitates ejus*, masculino usus est pronomine, feminino, *ædes illius*.

CAP. IX. 1. & 2. (*a*) Non enim amplius populus es, sed mancipium: Ubicumque erat spes lucri, colebas idola aliarum nationum; ad omnes areas frumenti copiam te habiturum pro mercede idololatriæ sperabas. *Dilexisti mercedem*, meretriciam ab idolis. *Area & torcular non pascet eos*, Maxima erit sterilitas. Frustra sperasti fore ut prostitutio tua idolis, magna tritici copia muneraretur.

4. Non libabunt Domino vinum (*b*), & non placebunt ei: sacrificia eorum, quasi panis lugentium: omnes qui comedent eum, contaminabuntur: quia panis eorum animæ ipsorum, non intrabit in domum Domini.

5. Quid facietis in die solemni, in die festivitatis Domini?

6. Ecce enim profecti sunt a vastitate: Ægyptus congregabit (*c*) eos, Memphis sepeliet eos: desiderabile argentum eorum urtica hæreditabit, lappa in tabernaculis eorum.

7. Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis: scitote Israel stultum prophetam, insanum (*d*) virum spiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ.

8. Speculator (*e*) Ephraim cum Deo meo, propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus, insania in domo Dei ejus.

* Jud. 19. 25. 9. * Profunde (*f*) peccaverunt, sicut in diebus Gabaa: recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit peccata eorum.

10. Quasi uvas in (*g*) deserto, inveni Israel: quasi prima poma ficulneæ in cacumine ejus, vidi patres eorum: ipsi autem intraverunt ad Beelphegor, & abalienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.

11. Ephraim quasi avis avolavit, gloria eorum a partu (*h*), & ab utero, & a conceptu.

12. Quod & si enutrierint (*i*) filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus: sed & væ eis cum recessero ab eis.

13. Ephraim, ut vidi, Tyrus (*k*) erat fundata in pulcritudine: & Ephraim educet ad interfectorem filios suos.

14. Da (*l*) eis Domine. Quid dabis eis? Da eis vulvam sine liberis, & ubera arentia.

* 1. Reg. 8. 5. 15. * Omnes nequitiæ eorum in Galgal (*m*), quia ibi exosos habui eos: propter malitiam adinventionum eorum, de domo mea ejiciam eos: non addam ut diligam eos, omnes principes eorum recedentes.

16. Percussus est Ephraim, radix eorum exsiccata est: fructum nequaquam facient. Quod & si genuerint, interficiam amantissima uteri eorum.

17. Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum: & erunt vagi in nationibus.

CAPUT X.

Israel citra ullum fructum servit idolo suo, vitulo aureo, quem Assyrius auferet. Perstat in metaphora, ac jubet præparari novale cordis ad justitiam, quam afferet Christus.

1. Vitis (*a*) frondosa Israel, fructus adæquatus est ei: secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria, juxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulacris.

2. Divisum (*b*) est cor eorum, nunc interibunt: ipse confringet simulacra eorum, depopulabitur aras eorum.

3. Quia nunc dicent (*c*): Non est rex nobis: non enim timemus Dominum: & rex quid faciet nobis?

4. Loquimini verba visionis (*d*) inutilis, & ferietis fœdus: & germinabit quasi amaritudo judicium super sulcos agri.

5. Vaccas (*e*) Bethaven coluerunt habitatores Samariæ: quia luxit super eum populus ejus, & æditui ejus super eum exultaverunt in gloria ejus, quia migravit ab eo.

6. Siquidem & ipse in Assur (*f*) delatus est, munus regi ultori: confusio Ephraim capiet, & confundetur Israel in voluntate sua.

7. Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ.

8. Et disperdentur excelsa idoli, peccatum (*g*) Israel: lappa, & tribulus ascendet super aras eorum: & dicent montibus: * Operite nos: & collibus: Cadite super nos. * Isa. 2. 19. Luc. 23. 30. Apoc. 6. 16.

9. * Ex diebus Gabaa (*h*), peccavit Israel, ibi steterunt: non comprehendet eos in Gabaa prælium super filios iniquitatis. * Jud. 20. 2.

10. Juxta desiderium meum corripiam eos: congregabuntur super eos populi, cum corripientur propter duas iniquitates (*i*) suas.

11. Ephraim

4. & 5. (*b*) Tanta erit sterilitas, ut ne vinum quidem habeant, quod in sacrificiis litent. *Lugentium*, qui comedi solet & in exequiis; vix enim sustentandæ vitæ sufficit. *Contaminabantur*; In quacumque domo erat cadaver, polluebantur qui in ea domo erant. *In die solemni*; In die Paschatis.

6. (*c*) Sepeliet. *Hæreditabit*, in dirutis ædibus antea splendidis. *Lappa*, herbæ aculeatæ, LXX. *Spinæ*. Lappa est planta, quæ vestibus tenaciter adhæret.

7. (*d*) Insani prophetæ vestri, vel insano spiritu acti: cognoscent omnes Israel fuisse stultum prophetam, qui sibi prospera semper pollicebatur.

8. (*e*) Debuerat secundum Deum prophetare. *Dei ejus*, quod vitulum colant, quo nihil stultius.

9. (*f*) Ex intima malitia: *Sicut in diebus Gabaa*, cum Levitæ uxorem violarunt, vel ex Hieronym. cum Regem postularunt.

10. (*g*) Quæ sunt gratissima: at filii eorum Beelphegor coluerunt, ut turpissima idola ab iis amata.

11. (*h*) Verborum transpositio sic disponenda: Gloria Ephraim, seu multitudo hominum, quasi avis avolavit a nido; eum deseruit, ubi in lucem editi sunt filii. *Et a conceptu*: Antequam in utero formarentur, propter sterilitatem.

12. (*i*) Si forte omnes ejus filii non statim ab ortu extincti fuerint, in flore ætatis eos occidam inter homines: LXX. & Theodotio. *Caro mea ex eis*: adeo ut Hebraici codices variaverint: Væ eis cum eos omnino deseruero, & in acerbam tradidero captivitatem.

13. (*k*) Sic meo vallatus auxilio, ut Tyrus mari, vel rebus omnibus abundabat.

14. (*l*) Dabis eis, prophetice: Mulieres non concipient: quod si conceperint, infantes lactis inopia morientur: *Da eis vulvam sine liberis*; Mulieres fac potius steriles, quam ut liberorum necem suis aspiciant oculis.

15. (*m*) Ibi regem Saulem confirmarunt; ibi Saul primum peccavit, cum Samuelem, ut jussus erat, non exspectavit: ibi Israelitæ cultu idolorum impietatem suam professi sunt: antiquissima est eorum impietas.

CAP. X. 1. (*a*) Hebr. *Vitis vacua Israel, fructum ponet sibi*, tota se in frondes effundens. *Fructus*, nullum verum solidum tulit. *Secundum multitudinem fructus sui*; quanto magis populis & opibus abundavit. *Multiplicavit altaria*, idolorum.

2. (*b*) Alii alia idola colunt; vel a me est omnino separatum.

3. (*c*) Ab hostibus cincti dicent, a Deo sumus destituti; quomodo rex opitulari potest?

4. (*d*) Falsas prophetarum visiones; secus eveniet, quam ipsi vaticinati sunt. *Et germinabit*: Sic in Israel supplicia germinabunt, & mores ad malum compositi, tamquam sulci herbas inutiles proferent.

5. (*e*) Vitulos, vaccas vocat per irrisionem: *Bethaven*, id est, locus iniquitatis. *Luxit super eum*, super vitulum, qui ab Assyriis abduceretur. Luxerunt custodes, seu æditui, qui antea exultabant, cum vitulus ab omnibus coleretur.

6. (*f*) Hunc vitulum aureum rex Israel miserat ad Phul regem Assyriorum. *Regi ultori*, cujus protectionem ambiebat, vel quo utetur Deus in ultionem.

8. (*g*) Excelsa loca, in quibus peccabat.

9. (*h*) Peccare non desiit. *Prælium*; Non ejusmodi prælium futurum est, quale olim fuit Judicum temporibus in Gabaa: cives prius vicerunt, quam vincerentur: sed Assyriis nullo modo resistent.

10. (*i*) Propter vitulos aureos in duobus locis constitutos, aut propter idololatriam cum morum corruptione conjunctam.

11. Ephraim vitula (*k*) docta diligere trituram, & ego transivi super pulcritudinem colli ejus: ascendam super Ephraim, arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob.

*Jer. 4. 3. 12. * Seminate vobis in (*l*) justitia, & metite in ore misericordiæ, innovate vobis novale: tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos justitiam.

13. Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem (*m*) mendacii: quia confisus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum.

14. Consurget tumultus (*n*) in populo tuo: & omnes munitiones tuæ vastabuntur, sicut vastatus est *Salmana a domo ejus, qui judicavit Baal in die prælii, matre super filios allisa. *Jud.8.12.

15. Sic fecit vobis Bethel, a facie malitiæ nequitiarum vestrarum.

CAPUT XI.

Israelem a se diligi ostendit Deus ex beneficiis in eum collatis: sed tot beneficiorum immemores traditi sunt Assyriis.

1. SIcut mane transiit (*a*), pertransiit rex Israel. Quia puer Israel, & dilexi eum: & * ex Ægypto vocavi filium meum. *Matth.2. 15.

2. Vocaverunt eos, sic abierunt a facie eorum: Baalim immolabant, & simulacris sacrificabant.

3. Et ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis: & nescierunt quod curarem eos.

4. In funiculis Adam (*b*) traham eos, in vinculis charitatis: & ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum: & declinavi ad eum ut vesceretur,

5. Non revertetur (*c*) in Terram Ægypti, & Assur ipse rex ejus: quoniam noluerunt converti.

6. Cœpit (*d*) gladius in civitatibus ejus, & consumet electos ejus, & comedet capita eorum.

7. Et populus meus pendebit (*e*) ad reditum meum: jugum autem imponetur eis simul, quod non auferetur.

8. Quomodo dabo te Ephraim, protegam (*f*) te Israel? * quomodo dabo te sicut Adama, ponam te ut Seboim? Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea. *Gen. 19. 24.

9. Non faciam (*g*) furorem iræ meæ: non convertar ut disperdam Ephraim: quoniam Deus ego, & non homo: in medio tui sanctus, & non ingrediar civitatem.

10. Post Dominum ambulabunt (*h*), quasi leo rugiet: quia ipse rugiet, & formidabunt filii maris.

11. Et avolabunt (*i*) quasi avis ex Ægypto, & quasi columba de Terra Assyriorum: & collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus.

12. Circumdedit (*k*) me in negatione Ephraim, & in dolo domus Israel: Judas autem testis descendit cum Deo, & cum sanctis fidelis.

CA-

11. (*k*) Vitulæ alliciuntur ad trituræ laborem præ pabulo, quod triturantes spicas vellant. Sic Israelitæ ultro colunt idola, quod inde sperent ditari posse. *Transivi*, Jugo pressi robustum collum ejus, superbum domui, LXX. *Damato*: Hier. *Transilo*, quæ vox semper plagas & adversa significat. *Arabit Judas*, qui captivitatem Israelis videns ad me convertetur: trituram vocat cultum idolorum ob præsentem quæstum. Regnante Ezechia, duæ tribus idola reliquerunt. *Confringet*; multi ex Israele hortante Ezechia venerunt Jerusalem. 2. Paralipomenon 30 & 31. Glebas sulcorum comminuet, ut terra emollita recipiat sementem.

12. (*l*) Ad justitiam. *In ore misericordiæ*, id est, largissime, seu in misericordia: Hebraismus. *Novale*, Spinis evulsis, & fractis glebis: novale est ager nunc primum proscissus. *Tempus*, Donec venerit Christus Dominus, ne semen divinum in terra petrosa, & in duro corde recipiatis. Vox illa, *tempus*, & Hebraice & Græce apud LXX. semper significat opportunitatem. Videte ne occasionem illam elabi sinatis. Transit a præsentibus ad futura, nempe ad Christum more Prophetarum: *In ore misericordiæ*, In misericordia, Hebraismus.

13. (*m*) Frugem mendacium: Mentitæ sunt vobis fruges.

14. & 15. (*n*) Hostilis exercitus. *Salmana*. Rex Madianitarum a Gedeone, qui destruxit Baal. Recentiores aliter vertunt ex Hebr. secundum quod vallavit Salmana domum Arbel; seu is Salmana aut Salmanasar, seu quis alius Prophetæ temporibus notissimus, qui Arbel locum munitissimum expugnavit. Versio tamen LXX. non aliena est a nostra: sicut princeps Salmana de domo Jerobaal in diebus belli matrem super filios allisit: cum scilicet Israelitæ idola colerent; vel potius Salmana hæc passus est Gedeone vincente: nam versio nostra habet, Sicut vastatus est Salmana. *A facie malitiæ*; Propter malitiam vestram

CAP. XI. 1. (*a*) Osee ultimus Israelis rex, quem Salmanasar statim abducet in Assyriam. Quare hoc de regibus decem tribuum dicitur, qui regnum amittere meruerunt. *Quia puer Israel*; cum adhuc exiguus esset populus Israel, quando descendit in Ægyptum, tum dilexi eum, & tamquam filium vocavi ex Ægypto. Particula, *quia*, plerumque ornatus caussa ponitur ab Hebræis, nec est caussalis. Quod gestum fuerat in typo, adhuc implendum erat in rei significatæ manifestatione. Unde Matth. cap. 2. citat hunc locum tamquam vaticinium fugæ Christi in Ægyptum, & reversionis ejus: ac frustra calumniatur hunc locum Julianus Imperator: nam quæ præcesserant in aliis secundum historiam, implentur in Christo & in Ecclesia secundum allegoriam. Igitur is est allegoricus sensus, quem non proxime efficiunt verba, sed res illæ, quas verba significant. Eductio populi Israel ex Ægypto significabat puerum Jesum ex Ægypto revocandum. Allegoricum sensum præcipue quærebat Spiritus Sanctus ut in iis verbis: *Os ejus non confringetis*. Unde hæc Prophetia omnino est impleta, cum Christus redit ex Ægypto. Populus Israel Filius Dei primogenitus appellatur Exod. 4. & figura est veri Filii Dei sub ea ratione.

4. (*b*) Vox *Adam* est communis, non propria. *Funiculis*; omnibus beneficiis, quibus alliciuntur homines; præteritum pro futuro. *Et ero quasi exaltans jugum*: quod maxillas lædebat: humeris jugo imposito, & non per funem illigato, qui funis detrahebatur cum boves pascebantur. *Et declinavi*; Inclinavi me & demisi ut pascerentur.

5. (*c*) Non serviet iterum Ægyptiis, sed Assyriis.

6. (*d*) Incipiet bellum, vel gladius hostilis non subjiciet. *Et consumet electos ejus*, prudentiores & primates. Vel de bellis civilibus loquitur.

7. (*e*) Hærebit an rediturus sit, Prophetis adhortantibus. Expectabit ut eos liberem: sero aget pœnitentiam.

8 (*f*) Videtur quasi justitia mea vindex pugnare cum ejus amore & misericordia; protegamne te adeo rebellem? Non sinunt tam horrenda tua crimina. *An dabo te sicut Adamam & Seboim*, Urbes Pentapoleos? Paternus amor obstat. *Conversum est in me cor meum*, & immutatum, & quasi pœnitens conturbor: mutabo sententiam, si mores mutaveris; vel etiam, an mutabo sententiam more hominum, cum eos pœnitet?

9. (*g*) Non disperdam. *Et non homo*, qui iræ furore abripitur. *Civitatem*, Samariæ, ut eam destruam. Homo punit ut perdat, Deus autem percutit ut emendet. Hieron. Vel non omnino delebo. Non perdam vos ut decreveram.

10 (*h*) Nonnulli ex iis; vel potius veram iis pollicetur libertatem per Evangelii prædicationem. *Quasi leo rugiet*; Propheticus & genuinus is videtur sensus: Christus patietur ut agnus, resurget ut leo, rugitu suo orbem terrarum per Apostolos, & Spiritus sui ignem perterruit. *Et formidabunt filii maris*: Qui remotissimas insulas habitant, ad hos Evangelium perveniet; itque sagena Domini conclusi convertentur ad fidem

11. (*i*) Israelitæ e terris gentilium advolabunt in Ecclesiam.

12. (*k*) Israel voluit me seducere falsis promissis. *Descendit cum Deo*, Quod fidelis Deo adhæreat, adhuc regnabit, & veritatem ipse sub Ezechia rege, testimonio & fide sua confirmabit. *Testis descendit*, Parcam Judæ, ut adhuc dominetur; sic vertunt ex Hebræo Chaldæus & Pagninus.

CAPUT XII.

Frustra Israel in Ægypto confidit, ut liberetur ab Assyrio: tam Ephraim, quam Juda reddet Dominus juxta eorum merita: Juda reprehenditur, quod sibi non consuluerit videns Israelis excidium.

1. EPhraim pascit ventum (*a*), & sequitur æstum: tota die mendacium & vastitatem multiplicat: & fœdus cum Assyriis iniit, & oleum in Ægyptum ferebat.

2. Judicium (*b*) ergo Domini cum Juda, & visitatio super Jacob: juxta vias ejus, & juxta adinventiones ejus reddet ei.

* Gen. 25. 25. & 32. 24. 3. * In utero supplantavit (*c*) fratrem suum: & in fortitudine sua directus est cum Angelo.

4. Et invaluit ad Angelum, & confortatus est: flevit, & rogavit eum: in Bethel invenit eum, & ibi locutus est nobiscum (*d*).

5. Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale ejus (*e*).

6. Et tu ad Deum tuum converteris: misericordiam & judicium custodi, & spera in Deo tuo semper.

7. Chanaan (*f*), in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit.

8. Et dixit Ephraim: Verumtamen dives effectus sum, inveni idolum mihi: omnes labores (*g*) mei non invenient mihi iniquitatem, quam peccavi.

9. Et ego Dominus Deus tuus ex Terra Ægypti, adhuc sedere te faciam (*h*) in tabernaculis, sicut in diebus festivitatis.

10. Et locutus sum super (*i*) prophetas, & ego visionem multiplicavi, & in manu prophetarum assimilatus sum.

11. Si Galaad (*k*) idolum, ergo frustra erant in Galgal bobus immolantes: nam & altaria eorum quasi acervi super sulcos agri:

* Gen. 28. 5. 12. * Fugit (*l*) Jacob in regionem Syriæ, & servivit Israel in uxorem, & in uxorem servavit.

* Exod. 14. 21. & 22. 13. * In propheta autem (*m*) eduxit Dominus Israel de Ægypto: & in propheta servatus est.

14. Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis, & sanguis ejus super eum veniet, & opprobrium ejus restituet ei Dominus suus.

CAPUT XIII.

Israel ob nefandas abominationes exciditur. Hinc transit ad Christum, qui unus tot malis medebitur morte sua & resurrectione gloriosa.

1. LOquente (*a*) Ephraim, horror invasit Israel, & deliquit in Baal, & mortuus est.

2. Et nunc addiderunt (*b*) ad peccandum: feceruntque sibi conflatile de argento suo quasi similitudinem idolorum, factura artificum totum est: his ipsi dicunt: Immolate homines vitulos adorantes.

3. Idcirco erunt quasi nubes matutina (*c*), & sicut ros matutinus præteriens, sicut pulvis turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario.

4. * Ego autem Dominus Deus tuus ex Terra Ægypti: & Deum absque me nescies, & salvator non est præter me. * Isai. 43. 11.

5. Ego cognovi te in deserto, in terra solitudinis.

6. Juxta (*d*) pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt: & levaverunt cor suum, & obliti sunt mei.

7. Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum.

8. Occurram eis quasi ursa raptis catulis, & dirumpam interiora jecoris eorum: & consumam eos ibi quasi leo: bestia agri scindet eos.

9. Perditio (*e*) tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum.

10. Ubi est rex tuus? maxime nunc salvet te in omnibus urbibus tuis: & judices tui, de quibus dixisti: * Da mihi regem, & * 1. Reg. 8. 5.
principes.

11. Dabo tibi regem in furore (*f*) meo, & auferam in indignatione mea.

12. Col-

CAP. XII. 1. (*a*) Vanas spes alit. *Et sequitur æstum:* Multum laborat, & labore suo in varias incidet calamitates. Vox Hebræa ventum urentem & noxium significat. *Tota die.* Semper. *Mendacium*, idola, *& vastitatem multiplicat*, infortunia aliis aliis accumulat. *Oleum in Ægyptum ferebat*, quo abundabat Samaria: Ægyptiis mittebant munera.

2. (*b*) Disceptatio. *Et visitatio*, certa punitio. Contra decem tribus.

3. (*c*) Tenendo plantam pedis. *Directus est cum Angelo;* Superavit Angelum, vel prospere ei cesserunt omnia.

4. (*d*) Ibi me ut Deum agnovit, vel præcepit domui suæ, ut idola abjicerent, & unum Deum colerent. Jacob bis perrexit Bethel, Gen. 28. & 35.

5. & 6. (*e*) Ex Jacobi animo non excidit Deus. *Converteris:* Convertere, parentem tuum Jacob imitare, deos alienos abjice.

7. (*f*) Israel Chananæus factus est; proximum circumvenit. Ezechielis 16. 3.

8. (*g*) Sic loqui solent omnes usurarii præ cæcitate mentis.

9. (*h*) *Sedere te feci:* Non idololatri has opes tibi præbuerunt, sed ego ipse. Vel tempus pœnitentiæ tibi relinquit. Eduxi te de Ægypto, & venisti in terram promissionis. Festum tabernaculorum celebrasti, post tot peccata adhuc hoc festum exilii, differam captivitatem tuam.

10. (*i*) Ad Prophetas, ut Lucæ 3. *Factum est verbum Domini super Joannem*, id est, ad Joannem: sub variis formis, ut terrorem injicerem, aut eos spe firma roborarem.

11. (*k*) Et tamen vastata est ab Assyriis: plura erant in Galaaditide idola, cum ea invasit Theglath Phalasar, neque eam a vastatione servarunt. Quare operam perdunt qui in Galgalis immolant. *Altaria eorum, quæ erexerunt, quasi acervi super sulcos agri:* Sunt similes acervis lapidum juxta agros cultos conjectis.

12. (*l*) Revertitur ad beneficia Jacob & posteris ejus præstita. *In uxore*, Propter uxorem.

13 & 14. (*m*) Per Moysen. *Restituet;* Supplicium huic opprobrio, quo Ephraim Deum affecit, rependet.

CAP XIII. 1. (*a*) Cum olim tribus Ephraim tantum loqueretur, horror invadebat reliquas tribus Israel: sed ubi deliquit mortem sibi consciuit. Vel per Ephraim Jeroboam intelligit, qui ubi de vitulis aureis locutus est, universus Israel præ timore regis, ea superstitione, quæ mortem iis attulit, fuit infectus. *Et deliquit in Baal:* Quem postea adoravit.

2. (*b*) Peccata peccatis cumulantes. *Quasi similitudinem idolorum*, LXX. Secundum similitudinem. *His ipsi dicunt*, Hebr. & LXX. *Ipsi ipsis dicunt:* alii aliis, Sacerdotes populo, si vultis placere diis vestris. *Immolate homines;* Immolantes homines adorabant vitulos.

3. (*c*) Cito transibit eorum felicitas. *De fumario*, Hebr. *De fenestra*, per quam exit fumus.

6. (*d*) Secundum pascua sua; juxta abundantiam pascuorum quæ dedi eis.

9. (*e*) Tu tibi ipsi es caussa malorum; per mala tua opera provocasti Deum ad sumendam de peccatis vindictam.

11. (*f*) Futurum loco præteriti. Reges pessimos aliquando dedi tibi: *Auferam*, Extinxi illos propter scelera.

12. Colligata (*g*) est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus.

13. Dolores parturientis venient ei: ipse filius (*h*) non sapiens: nunc enim non stabit in contritione filiorum.

14. De manu mortis liberabo (*i*) eos, de
* 1 Cor. 15. morte redimam eos: * ero mors tua o mors:
55. morsus tuus ero inferne: consolatio abscondita
Hab. 2. 14. est ab oculis meis.

* Ezech. 19. 15. Quia ipse inter fratres dividet (*k*): *
12. adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem: & siccabit venas ejus, & desolabit fontem ejus, & ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.

CAPUT XIV.

Prædicit futurum Samariæ excidium; hortatur tamen eos ad pœnitentiam, tum de Christo venturo agit.

1. PEreat (*a*) Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum: in gladio pereant, parvuli eorum elidantur, & fœtæ ejus discindantur.

2. Convertere Israel ad Dominum Deum tuum: quoniam corruisti in iniquitate tua.

3. Tollite (*b*) vobiscum verba, & convertimini ad Dominum: & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum nostrorum.

4. Assur non salvabit nos, super equum non ascendemus ( ), nec dicemus ultra, Dii nostri opera manuum nostrarum: quia ejus, qui in te est, misereberis pupilli.

5. Sanabo contritiones (*d*) eorum, diligam eos spontanee: quia aversus est furor meus ab eis.

6. Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium, & erumpet radix ejus ut Libani.

7. Ibunt rami ejus, & erit quasi oliva gloria ejus: & odor ejus ut Libani (*e*).

8. Convertentur (*f*) sedentes in umbra ejus: vivent tritico, & germinabunt quasi vinea: memoriale ejus sicut vinum Libani.

9. Ephraim (*g*) quid mihi ultra idola? ego exaudiam, & dirigam eum ego ut abietem virentem: ex me fructus tuus inventus est.

10. Quis sapiens (*h*), & intelliget ista? intelligens, & sciet hæc? quia rectæ viæ Domini, & justi ambulabunt in eis: prævaricatores vero corruent in eis.

12 (*g*) Putat me oblitum suorum criminum, sed in justitiæ meæ absconditæ manent sepulta: sumpta est metaphora ab iis, quæ accurate ligantur, & absconduntur ne excidant.

13 (*h*) Quando populus contereretur, non poterit resistere. Pagninus sic vertit; Filius insipiens est, & est velut fœtus, qui non egreditur ex uteri materni angustiis, & diu manet in illo dolore.

14 (*i*) Propheta ad Christum evolat. *De morte redimam eos, ero mors tua o mors:* Principem & auctorem mortis morte sua destruxit; resurrectione sua fecit, ut mors instar fumi requiescat: *Morsus tuus ero inferne;* Partem ejus abstulit, Patres scilicet qui e Limbis surrexerunt. *Consolatio abscondita est ab oculis meis:* Nunc quod meum dolorem consoletur, non video, nisi cum Christum cogito. Post longam comminationem eos consolatur ob Christi resurrectionem, & nostram, quæ in resurrectione Christi inchoata est. 1. Corinth. 15 *De manu mortis*, LXX. *De manu inferni:* mors & infernus sæpe in Scriptura promiscue usurpantur, & unum pro altero sumitur. Verba autem illa; *Absorpta est mors in victoria*, videntur eadem esse cum verbis Isaiæ cap. 25. *Præcipitavit mortem in sempiternum:* Græc. devoravit, seu absorpsit. Quod legimus 1 Corinth. 15. *In victoria*. Græc. habemus. *In victoriam*. Quod habent LXX. *Ubi est mors caussa tua?* δίκη, qua contra homines in Dei judicio certabat, & superior erat; aut ubi est sententia tua, quam in omnes homines pronuntiabas; aut jus quod habebas in genus humanum? mutatione unius literæ, νίκη, non mutavit sensum; *Ubi est victoria tua?* LXX. In eumdem sensum vertunt; *Ubi est victoria tua o mors? morsus tuus ero inferne.* Eadem vox Hebræa morsum, vel aculeum, quo quis confoditur, exprimit; quod cœptum est in resurrectione Christi, & complebitur in universali resurrectione.

15. (*k*) Ipse, vel Christus in infernum descendens; vel Deus crudeli cæde fratrem a fratre dividet. *Adducet urentem ventum*, Assyriæ.

1. (*a*) Peribit, quoniam irritavit Deum suum, qui benignitate paterna eam fovebat. CAP. XIV.

3. (*b*) Humilitatis verba afferte. *Accipe bonum;* Vel in bonum quod tibi offerimus; vel audite verba Domini, in cordibus custodite, factis declarate gratiarum actiones, labiorum sacrificia: per vitulos sacrificium universum intelligitur, LXX verterunt; *Reddemus ut fructum labiorum nostrorum*. Atque ad hunc locum videtur alludere Apost. Hebr. 13. *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo*, id est, fructum labiorum. *Et accipe bonum*; Hieronym. *Nisi tuleris mala nostra, bonum quod offeramus, habere non possumus.*

4. (*c*) Salutem nostram non ex Assyriis, neque ex velocitate equorum expectabimus. *Pupilli*, Populi cui Israel, qui apud te est, vel qui tuæ curæ est derelictus.

5. (*d*) Vulnera; *Spontanee*. Ex mera liberalitate mea. Cum Israel convertetur ad me, tum sanabo eos, seu in fine sæculi, seu in adventu Christi. Hæc quippe de Christi temporibus interpretantur Hieronymus, Cyrillus & alii.

7. (*e*) Vox Hebræa *thus* etiam significat. Libanus plenus erat cedris odoratis: Sancti sunt velut odor Christi, qui verbis & factis eum hominibus ostendunt.

8. (*f*) Sub tutela Christi. *Vivent tritico:* Rerum omnium abundantia redundabunt, fruentur Eucharistiæ cibo sub specie panis, LXX *Confirmabuntur tritico:* Quonam enim inter tot bona spiritualia triticum promittitur? *Memoriale ejus:* Memoria ejus populi gratissima erit omnibus, ut vinum Libani, quod est præstantissimum. *Germinabunt quasi vinea:* Ecclesia late suos palmites expandet.

9. (*g*) Fiet conversus ad Christum: *Quid mihi ultra idola?* Quid ad nos attinet ultra servire idolis?

10. (*h*) Si quis est sapiens, hæc intelliget: pauci intelligent. *Corruent in eis:* Incredulis occasio ruinæ id erit quod aliis vitæ caussa futurum est.



PROPHETIA JOEL.

JOEL iisdem fere temporibus sub Ezechia & Manasse prophetavit. Unde non decem tribus, ut Osee, nisi aliquando ex occasione, sed duas tantum alloquitur.

CAPUT PRIMUM.

Judæ exitium per Chaldæos, proposita erucæ, bruchi, & rubiginis similitudine, prædicit.

1\. VERBUM Domini, quod factum est ad Joel filium Phatuel.

2\. Audite hoc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ: si factum est illud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum?

3\. Super hoc filiis vestris narrate, & filii vestri filiis suis, & filii eorum generationi alteræ.

4\. Residuum erucæ comedit locusta (*a*), & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.

5\. Expergescimini ebrii (*b*), & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam periit ab ore vestro.

6\. Gens enim ascendit super terram meam, fortis & innumerabilis: dentes ejus ut dentes leonis: & molares ejus ut catuli leonis.

7\. Posuit vineam (*c*) meam in desertum, & ficum meam decorticavit: nudans spoliavit eam, & projecit: albi facti sunt rami ejus.

8\. Plange quasi virgo accincta sacco (*d*) super virum pubertatis suæ.

9\. Periit sacrificium & libatio de domo Domini: luxerunt sacerdotes ministri Domini:

10\. Depopulata est regio, luxit humus: quoniam devastatum est triticum, confusum (*e*) est vinum, elanguit oleum.

11\. Confusi sunt agricolæ, ululaverunt vinitores super frumento & hordeo, quia periit messis agri.

12\. Vinea confusa est, & ficus elanguit: malogranatum, & palma, & malum, & omnia ligna agri aruerunt: quia confusum est gaudium a filiis hominum.

13\. Accingite vos, & plangite sacerdotes, ululate ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei: quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium & libatio.

14\. * Sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate senes omnes habitatores terræ in domum Dei vestri, & clamate ad Dominum: * Inf. 2. 15.

15\. A, a, a, diei: quia prope est dies Domini, & quasi vastitas a potente veniet.

16\. Numquid non coram oculis vestris alimenta perierunt de domo Dei nostri, lætitia & exultatio?

17\. Computruerunt jumenta in stercore suo, demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ: quoniam confusum est triticum.

18\. Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? Quia non est pascua eis: sed & greges pecorum disperierunt.

19\. Ad te Domine clamabo: quia ignis comedit speciosa deserti, & flamma succendit omnia ligna regionis.

20\. Sed & bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te: quoniam exsiccati sunt fontes aquarum, & ignis devoravit speciosa deserti.

CA-

CAPUT I. 4. (*a*) Quatuor frugum pestes describit, quæ totidem Chaldæorum incursiones designant, erucam, locustam, bruchum, & rubiginem segetum. Bruchus Græce & Latine a βρύκω, *Comedo*, est locustæ partus, is quoque *Attelabus* vocatur. Hæc mala revera evenisse, & per aliquos annos Palæstinam vastasse, non figurate tantum intelligenda ex ipso contextu, & ex cap. 4. Prophetæ Amos colligit Pezronius, cum Amos eisdem plagas commemoret.

5\. & 6. (*b*) Qui nihil aliud præter voluptates cogitatis. Gent enim: talem Scriptura de ejusmodi bestiolis fit loqui, ac si homines essent: ut Proverb. 30. *Formicæ populus infirmus*. Item, *Locusta regem non habent*, pergit Propheta similitudine catuli leonis jam grandioris uti, cui dentes molares sunt validi.

7\. (*c*) Populum meum. *Decorticavit*. Principes inter populum opibus spoliavit. Unde & aruerunt quasi cortice detracto, cuncta hæc sub metaphora.

8\. & 9. (*d*) Qui habitus est lugentium. *Pubertatis suæ*, Cui in virginitate sua nupsit. Quoniam vir primus Synagogæ fuit Deus ipse, qui eam sibi desponderat: sed illa ad idola, quasi ad secundas nuptias transierat. *Quasi virgo*; vox Hebræa juniorem feminam, seu virgo sit, seu nupta, significat.

10\. (*e*) Quod expectationi non respondit.

CAPUT II.

Hostium sævitiam subjicit oculis; Judæos ad pœnitentiam adhortatur: Deus effundet Spiritum suum super omnem carnem.

1. CAnite (*a*) tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ: Quia venit dies Domini: quia prope est.

2. Dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis: quasi mane (*b*) expansum super montes populus multus & fortis: similis ei non fuit a principio, & post eum non erit usque in annos generationis & generationis.

3. Ante faciem ejus ignis vorans (*c*), & post eum exurens flamma: quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum.

4. Quasi aspectus equorum, aspectus (*d*) eorum: & quasi equites sic current.

5. Sicut sonitus quadrigarum super capita montium exilient, sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam, velut populus fortis præparatus ad prælium.

6. A facie ejus cruciabuntur populi: omnes vultus redigentur in ollam.

7. Sicut fortes current: quasi viri bellatores ascendent murum: viri in viis suis gradientur, & non declinabunt a semitis suis.

8. Unusquisque (*e*) fratrem suum non coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt: sed & per fenestras cadent, & non demolientur.

9. Urbem ingredientur, in muro current: domos conscendent, per fenestras intrabunt quasi fur.

10. A facie ejus contremuit (*f*) terra, moti
* *Is.* 13. 10. sunt cæli: * sol & luna obtenebrati sunt, &
Ezech. 32. 7. stellæ retraxerunt splendorem suum.
Inf. 3. 15. 11. Et Dominus dedit vocem suam ante fa-
& 31. ciem exercitus (*g*) sui: quia multa sunt nimis
Matth. 24. 29. castra ejus, quia fortia & facientia verbum
Marc. 13. 24. ejus: * magnus enim dies Domini & terribilis
Luc. 21. 25. valde: & quis sustinebit eum?
* *Jer.* 30. 7. 12. Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & *Amos* 5. 18.
in fletu, & in planctu. *Sophon.* 1. 15.

13. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum
Deum vestrum: * quia benignus & misericors * *Ps.* 85. 5.
est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis (*h*) super malitia. *Joann.* 4. 2.

14. * Quis scit (*i*) si convertatur, & igno- * *Joan.* 3. 9.
scat, & relinquat post se benedictionem, sacrificium & libamen Domino Deo vestro?

15. Canite tuba in Sion, * sanctificate jeju- * *Sup.* 1. 14.
nium, vocate cœtum,

16. Congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos & sugentes ubera: egrediatur (*k*) sponsus de cubili suo & sponsa de thalamo suo.

17. Inter vestibulum (*l*) & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes: quare dicunt in populis: Ubi est Deus eorum?

18. Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit (*m*) populo suo:

19. Et respondit Dominus, & dixit populo suo: Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini eis: & non dabo vos ultra (*n*) opprobrium in Gentibus.

20. Et eum, qui ab Aquilone est, procul faciam a vobis: & expellam eum in terram inviam & desertam: faciem ejus contra mare Orientale, & extremum ejus ad mare novissimum: & ascendet fœtor ejus, & ascendet putredo ejus, quia superbe egit.

21. Noli timere terra, exulta & lætare: quoniam magnificavit (*o*) Dominus ut faceret.

22. Nolite timere animalia regionis: quia germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus & vinea dederunt virtutem suam.

23. Et filii Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem (*p*) justitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum, sicut in principio.

24. Et

CAP. II. 1. (*a*) Existimat Abbas Pezronius in suis tentaminibus Prophetas, quinto, aut sexto anno post superioris capitis vaticinium, scilicet circa annum Oziæ 24. & Jeroboami secundi itidem 25. hoc caput scriptum a Joele fuisse. Primum quidem in urbe Jerosolyma editum fuisse, & 12. tribuum calamitates ibi prædictas, atque ea evenisse mala ex insectis & ærugine, quæ Amos, cap. 4. commemorat, tametsi clades ab Assyriis brevi consecutæ, per has plagas sunt adumbratæ. Hoc capite novas plagas & calamitates ab hostibus producturas prænuntiat. Jam enim locustarum plaga præcesserat, ut & ingens terræ motus, cujus Amos meminit initio suæ prophetiæ, quem Zacharias, c. 14. v. 5. non obscure designat. *Et fugietis*; Ex ipso hujus capitis initio palam est novum aliquod imminere bellum, non locustarum, sed ingentem hostium exercitum describit.

2. (*b*) Hebr. Quasi aurora expansa super montes; *Populus multus & fortis*, ut lux solis statim diffunditur: Incredibilem hostium multitudinem & celeritatem ob oculos ponit. *Usque in annos*, Usque ad multas generationes. Nomen quippe geminatum apud Hebræos magnam multitudinem significat.

3. (*c*) Hieron. Quidquid attinget quasi vorax flamma consumet. *Quasi hortus*; antequam hostis veniret, fertilis erat terra & amœna: sed postea omni decore suo spoliata est.

4. (*d*) Ferox eorum aspectus, vel Assyriorum, vel Scytharum, ut existimat Pezronius, qui e plagis Aquilonis in Palæstinam irruperunt, ut diximus ad cap. 38. Ezechielis; atque eorum videtur meminisse Amos, cap. 7. sub figura locustarum, & a Joele hoc in loco citra ullam figuram describuntur. Quæ sequuntur usque ad vers. 13. hujus nationis impetum & rapacitatem exprimunt.

8. (*e*) Alter alterum non premet, suum servabunt ordinem. *Et non demolientur*: Et non consumentur: portis clausis per fenestras irrumpent.

10. (*f*) Præteritum pro futuro more Prophetarum. *Obtenebrati sunt*. Præ multitudine equorum & pulveris ab iis sublati: vel præ terrore cælum tenebris obduci & terra tremere iis videbitur.

11. (*g*) Quem ipse ducet. Terra ante movebitur, quam hæc Barbarorum inundatio Palæstinam infestet. Vox etiam Domini, tonitrui fragor intelligi potest, ut Psalm. 27.

13. (*h*) Hebr. Pœnitens de malo, quod comminatus fuerat: malitia sæpe pro afflictione sumitur: Matth. 6. *Sufficit diei malitia sua*: Deus dives est in misericordia.

14. (*i*) Voces illæ, *Quis scit*, ad condonationem pœnarum temporalium referuntur: non enim Deus semper pœnitentibus indulget. *Benedictionem*. Bonorum abundantiam, ex qua sacrificia, & libamina Deo offerantur.

16. (*k*) Pœnitentiæ temporibus etiam a licitis voluptatibus abstinendum.

17. (*l*) Inter porticum templi & altare holocaustorum plorent sacerdotes. *Quare*. Ne dicant populi gentiles: Ubi est Deus eorum, qui illos non potuit defendere?

18. (*m*) Postquam plebs Jerosolymæ his verbis excitata redut in viam; tum Propheta eam est consolatus.

19. & 20. (*n*) Per longum tempus. *Aquilone*; ista in locustas non cadunt, neque ab Aquilone, sed ab Austro, vel ab Oriente hæ nubes insectorum procedunt; & satis commode ad Scythas referri videntur.

21. (*o*) Totum magnifice aget: quæ ad Ecclesiam magis, quam ad Judæam videntur referri posse.

23. (*p*) Christus Dominus non solum est doctor veritatis, ut Moses, & Prophetæ, sed etiam est doctor justitiæ, qui pluviam voluntariam segregat hæreditati suæ. De Christo & Ecclesia quod reliquum est in hoc capite, vaticinium intelligi debet.

24. Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo.

25. Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca: fortitudo mea magna, quam misi in vos.

26. Et comedetis vescentes, & saturabimini: & laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum: & non confundetur populus meus in sempiternum.

27. Et scietis quia in medio Israel ego sum: & ego Dominus Deus vester, & non est amplius: & non confundetur populus meus in æternum.

* Isa. 44. 3. Act. 2. 17. 28. Et erit post hæc: * Effundam (q) spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt.

29. Sed & super servos meos & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.

30. Et dabo prodigia (r) in cælo, & in terra, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.

* Sup. 2. 10. Matth. 24. 29. Luc. 21. 25. Act. 2. 20. 31. * Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem: antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.

* Rom. 10. 13. 32. Et erit: * omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus (f) erit: quia in monte Sion & in Jerusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus, & in residuis quos Dominus vocaverit.

CAPUT III.

An de extremi judicii die, de gloria electorum, & de reproborum pœnis; aut de judicio Gentium in valle Josaphat futuro vaticinatur Propheta? Fons jugis de domo egredietur.

1. Quia ecce in diebus (a) illis, & in tempore illo, cum convertero captivitatem Juda & Jerusalem:

2. Congregabo omnes Gentes, & deducam eas in vallem Josaphat: & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hæreditate mea Israel, quos dispersérunt in nationibus, & terram meam diviserunt.

3. Et super populum meum miserunt sortem (b): & posuerunt puerum in prostibulo, & puellam vendiderunt pro vino, ut biberent.

4. Verum quid mihi & vobis Tyrus ( ) & Sidon, & omnis terminus Palæstinorum? numquid ultionem vos reddetis mihi? & si ulciscimini vos contra me, cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum.

5. Argentum enim meum, & aurum tulistis: & desiderabilia mea, & pulcherrima intulistis in delubra vestra.

6. Et filios Juda, & filios Jerusalem vendidistis filiis Græcorum; ut longe faceretis eos de finibus suis.

7. Ecce ego suscitabo eos de loco, in quo vendidistis eos: & convertam retributionem vestram in caput vestrum.

8. Et vendam filios vestros, & filias vestras in manibus filiorum Juda, & venumdabunt eos Sabæis genti longinquæ, quia Dominus locutus est.

9. Clamate hoc in Gentibus, sanctificate bellum, suscitate robustos: accedant, ascendant omnes viri bellatores.

10. Con-

28. (q) Impleta est hæc Prophetia tempore novi Testamenti, cum fidei mysteria sunt revelata. Nascentis Ecclesiæ primordia velut oculis subjicit, cum Spiritus Sancti dona, non ut antea in perpaucos homines, & raro, sed in omnes sine discrimine sexus, aut conditionis effudit. *Somnia*, divina scilicet somnia, qualia utrique Joseph immisit Deus, & cælestes visiones vigilantibus, cum rerum futurarum species sensibiles vi imaginatrici Deus imprimit, ut Ezechieli, & Joanni Apostolo. Utroque enim modo Deus arcana sua & futuros eventus Sanctis revelavit. Duo autem ista Prophetiarum genera ex cap. 12. Numerorum colliguntur. R. David hanc Prophetiam ad Messiam refert. Ambr. Lib. 1. de Spiritu Sancto c. 7. hinc probat divinitatem Spiritus Sancti: *Quoniam non dicitur effundi nisi quod participabile est; nec dixit Deus, effundam de Angelo meo, sicut ait, effundam de Spiritu meo, quia Angelus non est participabilis. Non spiritum meum, sed de Spiritu: neque enim nos capere possumus plenitudinem Spiritus Sancti.*

30. (r) Hæc itaque vel ad primum, vel ad secundum Christi adventum videntur pertinere. Nam in passione Christi sanguis ex ejus latere lancea perfosso manavit, & Spiritus Sanctus suo lumine & ardore fidelium corda complevit, cum Judæorum mentes vapor & teter obduxit fumus.

32. (f) Non aliter judicium Dei quis potest effugere, nisi credendo in Christum. *Salvatio*, Hebr. *Evasio*: nempe in Ecclesia Christi, extra quam nulla est salus. *Vocaverit*, in iis qui ex Judæis ad Christum convertentur, ceteris propter incredulitatem pereuntibus. *Sicut dixit Dominus*, Ut mihi revelavit. Vir doctus a nobis identidem laudatus postremos hos versus de invasione Scytharum post captivitatem Babylonicam Xerxis temporibus juxta historicum sensum post Theodoretum exponit, de qua incursione loqui Ezechielem c. 38. existimat. *Et erit in illa die adventus Gog super terram Israel*, &c. Theodoretus in hunc locum Joelis: *Post spiritualium vero donorum prædictionem in aliam sententiam transfert Prophetiam, prædicens de Gog & Magog, de quibus divinus Ezechiel vaticinatus est: quemadmodum post reditum e captivitate maximis copiis bellum inferrent contra Jerusalem, nimirum, ut verisimile est, gentibus Israeli vicinis eos ad hanc rem sollicitantibus. Quod si res ita sit, caput tertium non aliud fere erit quam hujus prophetiæ de duplici Scytharum incursione continuatio, juxta historicum sensum.*

1. (a) Initium hujus capitis connexum est cum extremis verbis superioris, ex sententia Auctoris identidem a nobis laudati: ex prima hostium incursionis occasione secundam insinuat, cum Scythæ in terram sanctam populabundi impetum fecerunt, & in seipsos mutuis cædibus ruentes, magna ex parte perierunt in valle Josaphat. Quod Cyrillus scribens in hunc locum, non de Scythis, ut Theodoretus, sed de finitimis nationibus ex continuata & constanti traditione acceptum refert. *Hoc ad nos*, inquit, *traditione pervenit*. Quin & locum conflictus, aut potius ultionis divinæ, a Propheta designari ait. Meretur quoque fidem Propheta, qui ipsum nobis conflictus locum nominat. *Cum convertero*, Post reditum e Babylone, ait Theodoretus, *congregabo*, id est, congregari permittam, & primum eorum impetum non prohibebo. *Et deducam eas in vallem Josaphat*; De historico sensu diximus: sed nihil obstat, quominus in sensu spirituali, & præcipue a Spiritu Sancto intento, de extremo mundi judicio ista accipiantur. Nam *Josaphat* vocabulum *judicium Dei* significat. Alii ad primum Christi adventum hæc referunt: nam ista ad Ecclesiam omnino videntur pertinere; utroque modo Propheta de judicio loquitur, quo populus a diaboli captivitate liberatus in veram Dei libertatem asseretur. CAP. III.

3. (b) Ut victores solent, qui captivos inter se partiuntur. Quæ nonnulli ad captivitatem Babylonicam, aut ad eventus, qui sunt consecuti, referenda putant.

4. & 6. (c) Qui in priori incursione, ut videtur Auctori laudato, complures Judæos a Scythis emptos aliis nationibus vendiderant, & urbes Palæstinæ diripuerant. Ulturum se has injurias populo suo illatas Deus per Prophetam declarat; quod circa quadragesimum Oziæ annum impletum est. Nam his devictis ab Ozia, Judæi complures e Tyriis, Sidoniis, & aliis Palæstinis bello captos Sabæis vendiderunt. Nisi forte de captivitatis Babylonicæ temporibus hæc intelligantur, cum Tyrii & Sidonii se Chaldæis adjungentes Judæorum bona diripuerunt, *Græcorum*, Gentilium.

10. Concidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat: Quia fortis ego sum.

11. Erumpite, & venite omnes gentes de circuitu, & congregamini: ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos.

12. Consurgant, & ascendant Gentes in vallem Josaphat (*d*): quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu.

* Apoc. 14. 15. 13. * Mittite falces (*e*), quoniam maturavit messis: venite, & descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia: quia multiplicata est malitia eorum.

14. Populi populi in valle concisionis (*f*): quia juxta est dies Domini in valle concisionis.

* Sup. 2.10. & 31. 15. * Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.

* Jer. 25. 30. Amos 1. 2. 16. * Et Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam: & movebuntur cæli & terra: & Dominus spes populi sui, & fortitudo filiorum Israel.

17. Et scietis quia ego Dominus Deus vester, habitans in Sion monte sancto meo: & erit Jerusalem sancta, & alieni non transibunt per eam amplius.

18. Et erit in die (*g*) illa: * Stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte: & per omnes rivos Juda ibunt aquæ: & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum. * Amos 9. 13.

19. Ægyptus (*h*) in desolationem erit, & Idumæa in desertum perditionis: pro eo quod inique egerint in filios Juda, & effuderint sanguinem innocentem in terra sua.

20. Et Judæa in æternum habitabitur & Jerusalem in generationem & generationem.

21. Et mundabo (*i*) sanguinem eorum, quem non mundaveram: & Dominus commorabitur in Sion.

12. (*d*) A Tyro rursum ad Scythas prophetiam convertit, inquit Theodoretus: nam vocat in judicium finitimos in circuitu, quod barbaris juncti Judæos opprimere conati sunt.

13. (*e*) Cædem hostium cum vindemia & uberi messe comparat. Angelos divinæ voluntatis administros compellat: eodem plane modo Angelus in Apocal. cap. 14. & 15. loquitur, ubi Joannes extremum judicium sub figura torcularis exhibet.

14. 15. 16. & 17. (*f*) Cædis nempe & stragis populorum. *Obtenebrati sunt*: hæc in sensu historico exponit Theodoretus, ac docet futurum ut Dominus tonitrubus suis circumstrepens, & terram motibus concutiens, plagisque cælitus immissis eos omnino perdat. Soli quoque & lunæ fuisse tenebræ, Matth 24. ut signa ultimi judicii designantur a Domino; quæque hoc loco Propheta describit: *Et movebuntur cæli & terra*, Lucæ 21. ad extremum sæculi diem, vel quæ sequuntur ad Ecclesiam ipsam aperte referuntur: *Et erit Jerusalem sancta*.

18. (*g*) Judæos in spem erigit, aut potius fideles Christianos; pacem & rerum omnium copiam iis pollicetur, fore ut fontes qui sæpe in Judæa exsiccantur, uberrim fluant. *Et irrigabit torrentem spinarum*: Hebr. *Vallem Sethim*, quæ ultra Jordanem sita est, ubi cedri abundant. Postea Ægypti & Idumææ prædicit exitium.

19. (*h*) Judæi complures in Ægyptum, & in Idumæam confugerunt, qui ab iis sunt occisi.

21. (*i*) Ulciscar sanguinem fidelium. *In Sion*, in Ecclesia. Deus Spiritu suo & gratia fidelium animas mundavit, quæ antea per sacrificia tantum in figura mundabantur.

PROPHETIA AMOS.

AMOS armentarius fuit, & vixit in deserto de Thecue; contra decem tribus vaticinatur.

CAPUT PRIMUM.

Invehitur adversus multas nationes, quæ patientia Dei abutentes, a suis non abstinebant sceleribus.

1. VErba Amos, qui fuit in pastoribus de Thecue (*a*): quæ vidit super Israel in diebus Oziæ regis Juda, & in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel, * ante duos annos terræmotus.

* Zach. 14. 5.

2. Et dixit: * Dominus de Sion rugiet (*b*) & de Jerusalem dabit vocem suam: & luxerunt speciosa pastorum, & exsiccatus est vertex Carmeli.

* Jer. 25. 30. Joel 3. 16.

3. Hæc dicit Dominus: Super (*c*) tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum: eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad.

4. Et mittam ignem in domum Azael, & devorabit domos Benadad.

5. Et conteram vectem (*d*) Damasci: & disperdam habitatorem de campo idoli, & tenentem sceptrum de domo voluptatis: & transferetur populus Syriæ Cyrenen, dicit Dominus.

6. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor non convertam eum: eo quod transtulerint captivitatem perfectam (*e*), ut concluderent eam in Idumæa.

7. Et mittam ignem in murum Gazæ, & devorabit ædes ejus.

8. Et disperdam habitatorem de Azoto, & tenentem sceptrum de Ascalone: & convertam manum meam super Accaron, & peribunt reliqui Philisthinorum, dicit Dominus Deus.

9. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Tyri, & super quatuor non convertam eum: eo quod concluserint captivitatem perfectam in Idumæa, & non sint recordati fœderis fratrum (*f*).

10. Et mittam ignem in murum Tyri, & devorabit ædes ejus.

11. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non convertam eum: eo quod persecutus sit in gladio fratrem (*g*) suum, & violaverit misericordiam ejus, & tenuerit ultra furorem suum, & indignationem suam servaverit usque in finem.

12. Mittam ignem in Theman, & devorabit ædes Bosræ.

13. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quatuor non convertam eum: eo quod dissecuerit prægnantes (*h*) Galaad ad dilatandum terminum suum.

14. Et succendam ignem in muro Rabba: & devorabit ædes ejus in ululatu in die belli & in turbine in die commotionis.

15. Et ibit Melchom in captivitatem, ipse & principes ejus simul, dicit Dominus.

CA-

CAPUT I. 1. (*a*) Thecua urbs erat, unde missa est a Joab ad Davidem mulier, quæ veniam impetraret Absaloni, 2. Reg. 14. Hæc a Roboamo postea fuit instaurata, 2. Paralip. 11. Josephi temporibus vicus erat 12. milliaribus Ierosolyma distans. *Ante duos annos terræmotus*: Hujus terræmotus meminit Zacharias cap. 14. Existimat Franc. Ribera hunc terræmotum factum esse circa annum decimum quartum Oziæ, non vicesimo quinto, ut volunt Judæi.

2. (*b*) Voce pastorali utitur, ut vocem Dei terribilem exprimat. Hieronym. *Naturale est ut omnes artifices suæ artis loquantur exemplis, & unusquisque in quo studio trivit ætatem, illius similitudinem proferat*. Deus qui colitur in Jerusalem, vestras urbes conteret, o Israel. *Speciosa pastorum*, vocat læta pascua. *Vertex Carmeli*, vox illa generatim pro loco fertili sumitur.

3. (*c*) Septuag.: *Et super quatuor*, Non convertam me ad eum, aut sententiam contra eum latam non mutabo. Quasi dicat: Quatuor sunt & plura scelera Damasci, propterea non parcam: numerus est definitus pro indefinito. Sunt plura Damasci scelera, quæ puniam, illud in primis quod sub Azael Rege Syriæ trituraverint in plaustris Galaaditas. Plaustra illa ferreis & dentatis rotis instructa erant, quibus paleas comminuere solebant ob fœni penuriam.

5. (*d*) Robur ejus & munimen, *De campo idoli*. locum designat, in quo idolorum cultus vigebat; De planitie Damasci transferetur Syriæ populus Cyrenen, in superiorem Asiam. In confinio Armeniæ & Mediæ, quæ a Cyro fluvio sic dicta est. Ptolemæus urbem *Curnam* ponit in Media: Regnante Achaz hoc vaticinium impletum fuit.

6. (*e*) Quod Judæos qui ad se confugerant, nullo excepto conclusos tradiderint in Idumæam transferendos.

9. (*f*) Salomonis & Hiram Regis Tyri, qui se fratres appellabant.

11. (*g*) Israelem. *Misericordiam ejus*, Fecit contra misericordiam fratri debitam.

13. & 15 (*h*) Ut regionem illam invaderent. Paulus Burgensis sic vertit, eo quod dissecuerint montana Galaad; quod dissipaverint montes Galaaditarum terræ suæ finitimos, ut terræ suæ terminos dilatarent. *Ibit Melchom*, Idolum Ammonitarum.

CAPUT II.

Moabitis & Israelitis minatur in aeternum.

1. HÆc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Moab, & super quatuor non convertam eum: eo quod incenderit ossa (*a*) regis Idumææ usque ad cinerem.

2. Et mittam ignem in Moab, & devorabit ædes Carioth: & morietur in sonitu Moab, in clangore tubæ:

3. Et disperdam judicem (*b*) de medio ejus, & omnes principes ejus interficiam cum eo, dicit Dominus.

4. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Juda, & super quatuor non convertam eum: eo quod abjecerit legem Domini, & mandata ejus non custodierit: deceperunt enim eos idola sua, post quæ abierant patres eorum.

5. Et mittam ignem in Juda, & devorabit ædes Jerusalem.

6. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non convertam eum: pro eo quod vendiderit pro argento justum, & pauperem pro calceamentis (*c*).

7. Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, & viam humilium declinant: & filius ac pater ejus ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum.

8. Et super vestimentis pigneratis (*d*) accubuerunt juxta omne altare: & vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui.

* Num. 21. 21. Deuter. 2. 24.
9. * Ego autem exterminavi Amorrhæum a facie eorum: cujus altitudo, cedrorum (*e*) altitudo ejus, & fortis ipse quasi quercus: & contrivi fructum ejus desuper, & radices ejus subter.

* Exod. 14. 21. Deut. 8. 2.
10. * Ego sum, qui ascendere vos feci de Terra Ægypti, & duxi vos in deserto quadraginta annis, ut possideretis Terram Amorrhæi.

11. Et suscitavi (*f*) de filiis vestris in prophetas, & de juvenibus vestris nazaræos: numquid non ita est filii Israel, dicit Dominus?

12. Et propinabitis nazaræis vinum: & prophetis mandabitis, dicentes: Ne prophetetis.

13. Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno.

14. Et peribit (*g*) fuga a veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non salvabit animam suam:

15. Et tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non salvabitur: & ascensor equi non salvabit animam suam:

16. Et robustus corde inter fortes nudus fugiet in illa die, dicit Dominus.

CAPUT III.

Populum Israeliticum olim a Deo electum, acerbas daturum pœnas ob admissa scelera prædicit.

1. AUdite verbum, quod locutus est Dominus super (*a*) vos, filii Israel: super omnem cogitationem, quam eduxi de Terra Ægypti, dicens:

2. Tantummodo vos cognovi (*b*) ex omnibus cognationibus terræ: idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.

3. Numquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis?

4. Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? Numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit (*c*)?

5. Numquid cadet avis in laqueum terræ absque aucupe? numquid auferetur laqueus de terra antequam quid ceperit?

6. Si clanget tuba in civitate, & populus non expavescet? si erit malum (*d*) in civitate, quod Dominus non fecerit?

7. Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit (*e*) secretum suum ad servos suos prophetas.

8. Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?

9. Auditum (*f*) facite in ædibus Azoti & in ædibus Terræ Ægypti: & dicite: Congregamini super montes Samariæ, & videte insanias multas in medio ejus, & calumniam patientes in penetralibus ejus.

10. Et nescierunt facere rectum, dicit Dominus, thesaurizantes iniquitatem & rapinas in ædibus suis.

11. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Tribulabitur (*g*) & circuietur terra: & detrahetur ex te fortitudo tua, & diripientur ædes tuæ.

12. Hæc

CAP. II. 1. (*a*) Moabitæ, in Idumæos devictos ita sunt grassati, ut in mortuos, aut in eorum monumenta sævierint. Hieronym. ex veterum Hebræorum sententia tradit Moabitas ardentes odio & cupidine vindictæ, regis Idumææ, qui cum Josaphat rege Juda, & Joram rege Israel ascenderat contra Moab, ossa e sepulcro effossa in cineres redegisse. Hanc injuriam vindicat Deus, ut ostendat se omnium esse creatorem, & judicem omnium.

3. (*b*) Regem. *Et devorabit ædes Carioth*, urbis primariæ Moabitarum, *& morietur in sonitu*, in crudeli bello.

6. & 7. (*c*) Vili pretio. *Qui conterunt*, Ad terram eos dejiciunt, & terunt pedibus. *Declinant*, Declinare faciunt, vel deorsum inclinant & deprimunt. *Et filius, ac pater.* Uterque cum nupta, vel meretrice habent consuetudinem.

8. (*d*) Quibus uti non licet depositario, uti nec aliis rebus, quæ usu consumuntur. *Juxta omne altare*, idolorum. *Damnatorum*. LXX. Vinum de calumniis bibebant, ex oppressione pauperum.

9. (*e*) Sermo hyperbolicus, quo non proprie significatur quod dicitur, sed improprie, rei nimirum communis excessus: ut Num. 13. Amorrhæos fuisse excelsæ staturæ hac hyperbole insinuatur.

11. & 13. (*f*) Filios vestros feci Prophetas: *Stridebo*: Quoniam pastor erat Amos, e medio rure petit similitudines.

14. (*g*) Frustra fugam capesset; *Virtutem suam*, Nihil ei proderit.

CAP. III. 1. (*a*) Ad omnes tribus loquitur Deus, quas eduxit ex Ægypto.

2. & 3. (*b*) Amavi, fovi. *Nisi convenerit*. Non convenit mihi vobiscum, quia legem meam violatis, & fœdus vobiscum initum: ideo rejiciam vos.

4. (*c*) Hebr. Apprehensurus sit. Atque ut leo rugit cum prædæ suæ imminet, sic & vos existimate scelerum pœnas daturos. Postquam Prophetæ eas vobis annuntiaverint: non diu differentur supplicia.

6. (*d*) Punitio, malum pœnæ: hinc admonemur in afflictione, ut cogitationem nostram magis ad Deum, qui nos castigat, quam ad homines, qui hæc nobis infligunt mala referamus: talis enim cogitatio ad divinæ misericordiæ opem implorandam, non ad ultionem sumendam nos excitat.

7. & 8. (*e*) Loquitur de malis publicis: sic Dominus facere solet, ut supplicia quæ hominibus parat, prius cum Prophetis communicet. *Quis non timebit?* Cum miserit eum Dominus.

9. (*f*) Vult Deus vicinas nationes convocari. Quoniam illæ testes fuerunt quæ & quanta in Israelem beneficia contulerit; & spectatores eos adhibet, qui de Israelis calamitatibus lætentur.

11. (*g*) Vos Assyrii pedibus suis triturabunt, ut boves triticum, & terram vestram vastabunt, vos qui in luxu & voluptate vitam agitis.

12. Hæc dicit Dominus: Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: sic eruentur filii Israel, qui habitant in Samaria in plaga (*h*) lectuli, & in Damasci grabato.

13. Audite & contestamini (*i*) in domo Jacob, dicit Dominus Deus exercituum:

14. Quia in die cum visitare cœpero prævaricationes Israel, super eum visitabo, & super altaria Bethel: & amputabuntur cornua altaris, & cadent in terram.

15. Et percutiam domum hiemalem (*k*) cum domo æstiva: & peribunt domus eburneæ, & dissipabuntur ædes multæ, dicit Dominus.

CAPUT IV.

Sub typo pinguium vaccarum in optimates Samariæ invehitur, tametsi variis afflicti sunt plagis.

1. AUdite verbum hoc vaccæ (*a*) pingues, quæ estis in monte Samariæ: quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes: quæ dicitis dominis vestris: Afferte & bibemus.

2. Juravit Dominus Deus in sancto (*b*) suo: quia ecce dies venient super vos, & levabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis ferventibus.

3. Et per aperturas exibitis altera contra alteram, & projiciemini in Armon (*c*), dicit Dominus.

4. Venite ad Bethel (*d*), & impie agite: ad Galgalam, & multiplicate prævaricationem: & afferte mane victimas vestras, tribus diebus decimas vestras.

5. Et sacrificate de fermentato laudem, & vocate (*e*) voluntarias oblationes, & annuntiate: sic enim voluistis filii Israel, dicit Dominus Deus.

6. Unde & ego dedi vobis stuporem (*f*) dentium in cunctis urbibus vestris, & indigentiam panum in omnibus locis vestris: & non estis reversi ad me, dicit Dominus.

7. Ego quoque prohibui a vobis imbrem, cum adhuc tres menses superessent usque ad messem: & plui super unam civitatem, & super alteram civitatem non plui: pars una compluta est: & pars, super quam non plui, aruit.

8. Et venerunt duæ & tres civitates ad unam civitatem ut biberent aquam, & non sunt satiatæ: & non redistis ad me, dicit Dominus.

9. * Percussi vos in vento urente, & in aurugine, multitudinem hortorum vestrorum, * Agg. 2. 18.
& vinearum vestrarum: oliveta vestra, & ficeta vestra comedit eruca: & non redistis ad me, dicit Dominus.

10. Misi in vos mortem in via Ægypti (*g*), percussi in gladio juvenes vestros, usque ad captivitatem equorum vestrorum: & ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras: & non redistis ad me, dicit Dominus.

11. Subverti vos, * sicut subvertit Deus Sodomam & Gomorrham, & facti estis quasi * Gen. 19.
torris (*h*) raptus ab incendio: & non redistis 24.
ad me, dicit Dominus.

12. Quapropter hæc faciam tibi Israel: postquam (*i*) autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui Israel.

13. Quia ecce formans montes, & creans ventum, & annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, & gradiens super excelsa terræ: Dominus Deus exercituum nomen ejus.

CAPUT V.

Luget vastitatem Samariæ; tum hortatur eos ad pœnitentiam; horum victimas odit Deus.

1. AUdite verbum istud, quod ego levo super vos planctum (*a*): Domus Israel cecidit, & non adjiciet ut resurgat.

2. Virgo Israel projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam.

3. Quia hæc dicit Dominus Deus: Urbs, de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum: & de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Israel.

4. Quia hæc dicit Dominus domui Israel: Quærite me, & vivetis.

5. Et nolite quærere Bethel, & in Galgalam nolite intrare, & in Bersabee non transibitis: quia Galgala captiva ducetur, & Bethel erit inutilis (*b*).

6. Quæ-

12. (*h*) In parte lectuli. *Et in Damasci grabato*: In deliciis. Damascum expugnaverat Jeroboam secundus, & mollem vitam vivere ex Damascenis didicerant.

13. (*i*) Jubet Deus, ut omnes qui hæc audierint, decem tribubus annuntient.

15. (*k*) Palatia hiemi & æstati aptata: Magnates diversas diversis anni temporibus domos habebant, cum voluptatibus suis indulgebant.

CAP. IV. 1. (*a*) Non mulieres tantum luxu diffluentes, sed & viros alloquitur, ex Hieronymo.

2. (*b*) Per nomen sanctum suum, aut per se ipsum: *Et reliquias vestras*, liberos vestros: metaphoram inceptam prosequitur, & quos vaccas pingues vocaverat, eorum carnes in contis, aut capita in hastis portanda, ut fit a victoribus, minatur.

3. (*c*) In Armeniam, aut alium in locum minus notum: *Et per aperturas exibitis*: Ruptis muris, & perforatis ab Assyriis muris educentur, alter in conspectu alterius.

4. (*d*) Verba deferentis Dei: estque locutio ironica, quia eorum studia declarat, ut Apocal. 22. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*. Idolorum vanitatem iis exprobrat, quæ eos ab imminenti strage salvare non poterant.

5. (*e*) Fas publicate: *Sic enim voluistis facere*; tametsi hostiæ illæ nihil habent cur spontaneæ vocentur, cum eas offeratis contra legem.

6. 7. 8. (*f*) Fame eos afflixerat, & cruentis bellis. *Tres menses*; cum imber maxime necessarius esset ut herba surgeret: nam arescit prorsus, si desit imber. *Et venerunt*, ut e cisternis haurirent aquas.

10. (*g*) Ut olim Ægyptios percussi: aut locus iste ex c. 7. Oseæ exponi potest, Ægyptum invocabant. Qui in Ægyptum profecti fuerunt, in via perierunt, vel ex morbo, vel hostili gladio, vel denique cum Jeroboam ab Idumæis prælio victus est ultra Gazam, in via, quæ a Palæstina ducit in Ægyptum, ut videtur viro peneruditio. *Et ascendere feci*; nempe in prælio illo infelici cum Idumæis: aut forte cum Syri totam illam vastarunt regionem, & multas urbes succenderunt. Unde alia potest esse historia 4. Reg. 13. cum Joachaz cæsus est a Rege Syriæ in Samaria. Quod optime convenit verbis Prophetæ: *Percussi in gladio juvenes vestros, &c.*

11. (*h*) Qui totus absumeretur, nisi inde ereptus esset.

12. & 13. (*i*) Monet decem tribus, ut captæ ab Assyriis non despondeant animum. *Præparare in occursum Dei tui Israel*: ut Christum agnoscant, cum prædicatum iis fuerit Evangelium per Apostolos. Tum enim omnipotentiam suam, & bonitatem ostendet. *Et annuntians*, Non dedignatur homines docere salutaria, & ortam Christi autem nebula tegere.

CAP. V. 1. (*a*) Carmen lugubre: *Et non adjiciet ut resurgat*; loquitur de captivitate Assyriorum.

5. & 6. (*b*) Hebr. ad nihilum redigetur. *Comburatur*, Ne forte ignis invadat domum Joseph, & in cineres redigat Bethel.

6. Quærite Dominum, & vivite: ne forte comburatur ut ignis domus Joseph, & devorabit, & non erit qui extinguat Bethel.

7. Qui convertitis (c) in absinthium judicium, & justitiam in terra relinquitis.

8. Facientem Arcturum, & Orionem, & convertentem in mane tenebras, & diem in
* Isa. 9. 6. noctem mutantem: * qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ: Dominus nomen est ejus.

9. Qui subridet (d) vastitatem super robustum, & depopulationem super potentem affert.

10. Odio habuerunt corripientem in porta (e): & loquentem perfecte abominati sunt.

11. Idcirco, pro eo quod diripiebatis pau-
*Sophon. 1. 13. perem, & prædam electam tollebatis ab eo: * domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantissimas, & non bibetis vinum earum.

12. Quia cognovi multa scelera vestra, & fortia peccata vestra: hostes (f) justi accipientes munus, & pauperes deprimentes in porta:

13. Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.

14. Quærite bonum, & non malum: ut vivatis; & erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis (g).

Ps. 96. 10. Rom. 12. 8. 15. Odite malum, & diligite bonum, & constituite in porta judicium: si forte misereatur (h) Dominus Deus exercituum reliquis Joseph.

16. Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator: In omnibus plateis planctus: & in cunctis, quæ foris sunt, dicetur: Væ væ: & vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos, qui sciunt plangere (i).

17. Et in omnibus vineis erit planctus: quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus.

*Jer. 30. 7. Joel 2. 11. Soph. 1. 15. 18. * Væ desiderantibus (k) diem Domini: ad quid eam vobis? dies Domini ista, tenebræ, & non lux.

19. Quomodo si fugiat (l) vir a facie leonis, & occurrat ei ursus: & ingrediatur domum, & innitatur manus sua super parietem, & mordeat eum coluber.

20. Numquid non tenebræ dies Domini, & non lux: & caligo, & non splendor in ea?

21. * Odi, & projeci festivitates vestras: & non capiam odorem (m) cœtuum vestrorum. * Is. 1. 11. Jer. 6. 20. Malach. 1. 12.

22. Quod si obtuleritis mihi holocautomata, & munera vestra, non suscipiam: & vota pinguium vestrorum non respiciam.

23. Aufer a me tumultum (n) carminum tuorum: & cantica lyræ tuæ non audiam.

24. Et revelabitur quasi aqua judicium, & justitia quasi torrens fortis.

25. * Numquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel? * Act. 7. 42.

26. Et portastis tabernaculum Moloch (o) vestrum, & imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis.

27. Et migrare vos faciam trans Damascum, dicit Dominus: Deus exercituum nomen ejus.

CAPUT VI.

In hoc capite superbis, opulentis & libidinosis Israelitis calamitates mox futuras prædicit.

1. VÆ qui opulenti (a) estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel. Luc. 6. 24.

2. Transite in Chalane (b), & videte, & ite inde in Emath magnam: & descendite in Geth Palæstinorum, & ad optima quæque regna horum: si latior terminus eorum termino vestro est.

3. Qui separati (c) estis in diem malum: & appropinquatis solio iniquitatis.

4. Qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti.

5. Qui canitis ad vocem psalterii: sicut David putaverunt se habere vasa (d) cantici.

6. Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Joseph.

7. Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium: & auferetur factio lascivientium.

8. * Ju-

7. (c) Injusta eorum judicia adversus pauperes commemorat. Qui ex judicio consolationem in malis suis exspectabant, mœrorem invenerunt. *Relinquitis*, Illam jacere sinitis.

9. (d) Omnipotentiam Dei & justitiam simul & misericordiam ponit ob oculos. Qui fortibus magna minatur mala, & perdit eum vult, quasi subridendo comminatur.

10. (e) In cœtu: *Loquentem perfecte*, verba perfecta. LXX. Sermonem sanctum Prophetarum, odio habuerunt Prophetam corripientem.

12. & 13. (f) Sept. Conculcantes justum. *Tacebit*, Persuadebunt sibi justi Deum decrevisse nos tradere in hostium potestatem. *Tacebit*, Prudens, cum prodesse nemini possit, & sibi tantum noceat.

14. (g) Id erat frequens in ore filiorum Israel: Sit Dominus vobiscum.

15. (h) Dubitantis more loquitur, ut rei difficultatem significet.

16. (i) Mos illius provinciæ fuit, ut ait Hieron lamentatores & lamentatrices habere, & pretio conducere ad lugendum, vel immaturam mortem, vel aliam calamitatem, ut qui aderant, ad lacrymas excitarentur.

18. (k) In eos invehitur, qui irridentes Prophetas dicebant: Ubi est dies Domini toties a vobis decantatus?

19. (l) Theglath-Phalasar erit instar *leonis*, Salmanasar instar *ursi*, Sennacherib instar *colubri*; dum unius vim effugient, in alterum incurrent.

21. (m) Non placebit mihi odor thymiamatum vestrorum.

23. (n) Confusum sonitum laudum, quas idolis etiam offerre consuevistis: veniet supplicium more aquæ inundantis.

26. (o) Cum essent in terra Moab, Numer. 25. Quod ait Propheta versu 25. eos non obtulisse sacrificia Deo in deserto quadraginta annis: scilicet postquam vitulum aureum coluerunt, ubi tulit occasio, semper corde reversi sunt in Ægyptum, atque in hanc sententiam hunc locum citat S. Stephanus Act. 7. Hunc locum sic interpretatur Grotius: Nonne per quadraginta annos in deserto mihi sacrificium obtulistis? & tamen patres vestri toti perierunt quod obmurmuraverint: quanto magis vos ipsi, qui falsos deos colitis?

CAP. VI. 1. (a) Quæ verba videntur legenda cum disjunctione; *Væ vobis qui opulenti estis in Sion; væ vobis qui confiditis*: Sic enim tribum Juda & decem tribus alloquitur, non solam tribum Juda, quæ non confidebat in monte Samariæ: LXX. *Væ despicientibus Sion*: Hebr. *Væ insolescentibus contra Sion*: nam ut bene advertit Pezronius, Propheta, qui Bethel venerat jussu Dei, Israelem solum compellat, qui adversus Judam insolenter se gerebat, quod nuper fines suos longe lateque promulsisset Jeroboam.

2. (b) Urbem Chaldæorum in Babylonia sitam, quæ postea a Seleuco Nicanore dicta est *Seleucia*. *Ite inde in Emath*, Antiochiam: an illæ urbes ditiores sunt regione, quam vobis concessi? & tamen me deserentes ad idola confugistis.

3. (c) Servati in diem captivitatis. *Et appropinquatis*; Qui quantum potestis ad oppressionem vestram festinatis, impio & barbaro regi mox subjiciendi, cujus irruptionem peccata vestra accelerant.

5. & 7. (d) Instrumenta musica, *Lascivientium*. Turba eorum qui una consentiunt in voluptatibus capiendis.

*Jer. 51. 14. 8. * Juravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum: Detestor ego superbiam Jacob, & domos ejus odi, & tradam civitatem cum habitatoribus suis.

9. Quod si reliqui fuerint decem viri in domo una, & ipsi morientur.

10. Et tollet eum propinquus suus, & comburet (*e*) eum, ut efferat ossa de domo: & dicet ei, qui in penetralibus domus est: Numquid adhuc est penes te?

11. Et respondebit: Finis est. Et dicet ei: Tace, & non recorderis nominis Domini.

12. Quia ecce Dominus mandabit, & percutiet domum majorem (*f*) ruinis, & domum minorem scissionibus.

13. Numquid currere queunt in petris equi (*g*), aut arari potest in bubalis, quoniam convertistis in amaritudinem judicium, & fructum justitiæ in absinthium?

14. Qui lætamini in nihilo, qui dicitis: Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?

15. Ecce enim suscitabo super vos domus Israel, dicit Dominus Deus exercituum, gentem: & conteret vos ab introitu Emath, usque ad torrentem deserti.

CAPUT VII.

Amos deprecatur pœnas, quæ Israeli imminent; Amasias sacerdos eum accusat.

1. HÆc ostendit mihi Dominus Deus: & ecce fictor locustæ in principio germinantium serotini imbris, & ecce serotinus post tonsionem (*a*) regis.

2. Et factum est: cum consummasset comedere herbam terræ, dixi: Domine Deus propitius esto, obsecro: quis suscitabit Jacob, quia parvulus est?

3. Misertus (*b*) est Dominus super hoc: Non erit, dixit Dominus.

4. Hæc ostendit mihi Dominus Deus: & ecce vocabat judicium ad ignem Dominus Deus: & devoravit abyssum (*c*) multam, & comedit simul partem.

5. Et dixi: Domine Deus quiesce, obsecro: quis suscitabit Jacob, quia parvulus est?

6. Misertus est Dominus super hoc: Sed & istud non erit, dicit Dominus Deus.

7. Hæc ostendit mihi Dominus: & ecce Dominus stans super murum litum: & in manu ejus trulla cæmentarii.

8. Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Amos? Et dixi: Trullam cæmentarii. Et dixit Dominus: Ecce ego ponam trullam (*d*) in medio populi mei Israel: non adjiciam ultra superinducere eum.

9. Et demolientur excelsa idoli, & sanctificationes Israel desolabuntur: & consurgam (*e*) super domum Jeroboam in gladio.

10. Et misit Amasias sacerdos Bethel ad Jeroboam regem Israel, dicens: Rebellavit contra te Amos in medio domus Israel: non poterit terra sustinere universos sermones ejus.

11. Hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Jeroboam, & Israel captivus migrabit de terra sua.

12. Et dixit Amasias ad Amos: Qui vides, gradere, fuge in terram Juda: & comede ibi panem, & prophetabis ibi.

13. Et in Bethel non adjicies ultra ut prophetes: quia sanctificatio (*f*) regis est, & domus regni est.

14. Responditque Amos, & dixit ad Amasiam: non sum propheta, & non sum filius prophetæ; sed armentarius ego sum vellicans sycomoros.

15. Et tulit me Dominus cum sequerer gregem: & dixit Dominus ad me: Vade, propheta ad populum meum Israel.

16. Et nunc audi verbum Domini: Tu dicis: Non prophetabis super Israel, & non stillabis super domum idoli (*g*).

17. Propter hoc hæc dicit Dominus: Uxor tua in civitate fornicabitur: & filii tui & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur: & tu in terra polluta morieris & Israel captivus migrabit de terra sua.

C A-

10. & 11. (*e*) Non solito more sepeliet, aut balsamo unget. *Recorderis*, præ desperatione, quasi Deus penitus vos abjecerit; aut verba sunt indignantis.

12. (*f*) Decem tribus: *Et domum minorem*, domum Juda. *scissionibus*, muros scindet.

13. & 14. (*g*) Viam mandatorum Domini insistere non potestis, quamdiu cor lapideum geritis. Et convertitis in amaritudinem judicium; vel. numquid possunt immutari rerum naturæ, ut equi currant per petras? Pro justitiæ fructu tulistis absinthium; quæ Deo dulcia sunt, vertistis in amara. *In nihilo*. In idolis.

CAP. VII. 1. (*a*) Hæc Prophetia ab Abbate Pezronio sic exponitur: Postquam Benadad rex Syriæ regnum Israel vastavit, & optima quæque diripuit, herbas succisas vidit Propheta verno tempore revirescere, cum Jeroboam regnum Israel restituit. Sed postea nubes locustarum herbam, quæ germinaverat, exedit. Nam Phul rex Assyriorum aut alii hostes populi Israelitici a Deo mittendi erant. Orante Amos, Deus populi sui misertus est: nam Israel pecunia se redemit. Tum alia secuta est visio Regis Theglath-Phalasar, qui cum exercitu instar ignis irruit in populum Israel, & partem ejus abduxit in Assyriam. *Fictor*; visionem primam de Scytharum invasione exponit Auctor mox laudatus, nec vertendum putat *fictor locustarum*, sed *fictura locustarum*, ut verterunt LXX. Sic verba illa: *Et ecce serotinus post tonsionem regis*, cum LXX. *Et ecce bruchus unus Gog rex*, nempe in fronte exercitus, aut locustarum, qui regem Scytharum figurabat. Quod autem rex Scytharum his verbis, *Et ecce bruchus unus Gog rex*, designetur, probat ex cap. 38. Ezechielis. vers. 2. *Fili hominis*, *pone faciem tuam contra Gog & terram Magog principem Ros, Mosoch, & Thubal*. Ita Hebræus textus, & LXX Item vers. 16. *Ascendes super populum meum Israel quasi nubes, ut operias terram*: quæ verba jam protulimus. *Et ecce fictor locustæ*; cum terra priori gramine resecto novum germinabat, imbre verno perfusa jam præcisa fuerat herba. *Post tonsionem regis*, a Rege Syriæ, qui agros vastaverat: herba illa recens regni Israelitici sub Jeroboamo secundo splendorem aliquem indicabat; sed ingens locustarum multitudo eam depasta, Phul Assyriorum regem, aut alium hostem mala futurorum portendit.

3. (*b*) Nam Israelitæ magna pecuniæ vi se rediment.

4. & 6. (*c*) Nationes impias. Non erit, Ea plaga non adveniet. Theglath Phalasar partem tantummodo abducet.

8. (*d*) Deponam, ut vetus murus gypso, aut calce inductus perstet adhuc aliquot annis: sic Deus a ruina populum servaverat. Sed nunc declarat tempus miserationis exhausisse ob eorum peccata. Eventus ipse in Salmanasar contingit.

9. (*e*) Quod factum est cum Sellum occidit Zachariam filium Jeroboam.

13. (*f*) Templum regis & domus regia est in hac urbe. *Propheta*. Hebr. *Non Propheta ego*, *neque filius Prophetæ ego*, supple *eram*, ut vertunt LXX. *Vellicans sycomoros*: ficus hujus arboris edi non possunt, nisi ante incisi ad solem excoquantur. Fructus similes sunt ficui, folia moro, ex Plinio Lib. 13. cap. 17. qui eam vocat ficum Ægyptiam. *Sed armentarius ego sum*: Aquila & Symmachus vertunt, *armenti pastorem*.

16. & 17. (*g*) Hebr. *Super domum Isaac*; qui sensus est aptior: non enim verisimile est Amasiam *Bethel* appellasse *domum idoli*. Contra domum idoli, LXX. *Super domum Jacob*. *Et humus tua*, Agri quos possides, aliis tribuentur. *Et tu in polluta terra morieris*, in terra Assyriorum. Cum autem minus sit probabile eventum hujus vaticinii usque ad Salmanasar productum fuisse, credibile putat Pezronius, paucis post annis a Scythis impletam esse hanc Prophetiam, quæ ad Amasiam spectabat, quique vituli aurei sacerdos erat, & lucri cupidus. Sic terrere voluit Prophetam. Is vero se non vaticinari ait quæstus faciendi caussa, cum fructibus ficus agrestis vesci soleret.

CAPUT VIII.

Propheta sub similitudine uncini pomorum prædicit regni Israel imminens exitium: causam affert, pauperum oppressionem, & dolosas venditiones.

1. HÆc ostendit mihi Dominus Deus: & ecce uncinus (a) pomorum.

2. Et dixit: Quid tu vides Amos? Et dixi: Uncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me: Venit finis super populum meum Israel: non adjiciam ultra ut pertranseam eum.

3. Et stridebunt (b) cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus: multi morientur: in omni loco projicietur silentium.

4. Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ,

5. Dicentes: Quando transibit mensis, (c) & venumdabimus merces: & sabbatum, & aperiemus frumentum: ut imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas,

6. Ut possideamus (d) in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus?

7. Juravit Dominus in superbiam Jacob: Si oblitus fuero usque ad finem (e) omnia opera eorum.

8. Numquid super isto non commovebitur terra, & lugebit omnis habitator ejus: & ascendet quasi fluvius universus, & ejicietur, & defluet quasi rivus Ægypti?

9. Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: Occidet (f) sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis:

* Tob. 2. 6. 1. Mach. 1. 41. 10. * Et convertam festivitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum: & inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput calvitium: & ponam eam quasi luctum unigeniti, & novissima ejus quasi diem amarum.

11. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & mittam famem (g) in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.

12. Et commovebuntur a Mari usque ad Mare, & ab Aquilone usque ad Orientem: circuibunt quærentes verbum Domini, & non invenient.

13. In die illa deficient virgines pulcræ, & adolescentes in siti.

14. Qui jurant in delicto (h) Samariæ, & dicunt: Vivit Deus tuus Dan, & vivit via Bersabee, & cadent, & non resurgent ultra.

CAPUT IX.

Visio Dei stantis super altare, quod percuti jubet ab Angelo; sed promittit fore ut suscitet tabernaculum David, & instauret omnia per Christum.

1. VIdi Dominum stantem super altare (a), & dixit: Percute cardinem, & commoveantur superliminaria: avaritia enim in capite omnium, & novissimum eorum in gladio interficiam: non erit fuga eis. Fugient, & non salvabitur ex eis qui fugerit.

2. * Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos: & si ascenderint usque in cælum, inde detraham eos. * Ps. 138. 8.

3. Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos: & si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti (b), & mordebit eos.

4. Et si abierint in captivitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, & occidet eos: & * ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum. * Jer. 44. 11.

5. Et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, & tabescet: & lugebunt omnes habitantes in ea: & ascendet sicut rivus (c) omnis, & defluet sicut fluvius Ægypti.

6. Qui ædificat in cælo ascensionem suam, & fasciculum (d) suum super terram fundavit: * qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen ejus. * Sup. 5. 8.

7. Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israel, ait Dominus? numquid non Israel ascendere feci de Terra Ægypti: * & Palæstinos de Cappadocia (e), & Syros de Cyrene? * Deut. 2. 23. Jer. 47. 4.

8. Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, & conteram illud a facie terræ: Verumtamen conterens non conteram domum Jacob, dicit Dominus.

9. Ecce

CAP. VIII. 1. & 2. (a) Quidam ex Hebr. vertunt canistrum pomorum, in quem conjiciuntur fructus æstivi: ex Hebr. alii vertunt *fustem hamatum*, quo specula Assyriorum designatur; LXX. caveam aucupis, capiendis scilicet avibus, quod futurum esset, ut Israelitæ nec opinantes opprimerentur. *Ut pertranseam*, Ut eorum flagitia relinquam impunita.

3. (b) Non læti amplius cantus audientur, sed horrendi strepitus: Hebr. *Laquearia templi*. Vel templi Bethel, quo velut in asylum frustra confugient: nam decem tribus alloquitur. *Silentium*, Ubique erit silentium præ multitudine morientium.

5. (c) Calendæ nimirum, & sabbata, ut possent frumenta vendere. *Mensuram*, Ut minorem in vendendis mercibus mensuram faciamus, & majora pondera in accipiendis. Ex siclonymo *Siclus* nomen est monetæ & ponderis: moneta appendi solebat: unde addit, *Supponamus stateras dolosas*.

6. (d) Ut nummis collectis egenos nobis servire cogamus, vel pretio minimo, quale est duorum calceorum.

7. & 8. (e) In omne tempus. *Universus*; Ex Hebr. vox *Universus*, ad terram Israel refertur, quam mala instar Nili exundantis evertent: divitiæ ejus & habitatores instar spumæ ad littora ejectæ in alias regiones ejicientur.

9. (f) Eorum prosperitas magnis calamitatibus obscurabitur.

11. (g) Hæc ad statum Judæorum præsentem maxime pertinent. *Non famem panis*: hanc quidem non negat se missurum, sed famem verbi Dei potissimum intelligit. Judæi tenent verba, sed carent intelligentia. Hanc tamen nunc Judæi patiuntur.

14. (h) Per cultum Samariæ: *Sic vivit via Bersabee*; cultus vituli aurei in Dan & Bersabee solemnis.

CAP. IX. 1. (a) Alia visione exitium Israelis confirmat Propheta: altare illud est in Bethel juxta plerosque interpretes. Hieron. existimat prophetiam contra duas tribus, & de altari templi, cum venerunt Romani, eum vaticinari, qui quidem variis temporibus & prophetavit & scripsit. Deus vero aut Prophetam ipsum, aut Angelum alloquitur, cum ait, *Percute cardinem*: Hebr. superiorem portæ partem, quæ pomorum & florum sculpturis distincta erat: Sic percute, ut cardines ipsi commoveantur.

3. (b) Monstro marino; quo reges sævissimi intelliguntur.

5. (c) Ut calamitatum fluvius; vel intumescent & defluent instar Nili, quod prosperitas impiorum sit fluxa, & cito efflat.

6. (d) Populum Israeliticum, aut Ecclesiam, aut hominum societatem. Qui hæc mala denuntiat, is ipse est qui posuit in cælo thronum suum: qui promissis suis firmitatem tribuit.

7. (e) Hebr. Caphthor: Et Syros de Cyrene: quæ regio est in Asia, ut ideo eidem diximus.

9. Ecce enim mandabo ego, & concutiam (*f*) in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro: & non cadet lapillus super terram.

10. In gladio (*g*) morientur omnes peccatores populi mei: qui dicunt: Non appropinquabit, & non veniet super nos malum.

*Act.15.16. 11. In die illa * suscitabo (*h*) tabernaculum David, quod cecidit: & reædificabo aperturas murorum ejus, & ea, quæ corruerant, instaurabo: & reædificabo illud sicut in diebus antiquis.

12. Ut possideant reliquias Idumææ, & omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eos: dicit Dominus faciens hæc.

13. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & comprehendet arator messorem, & calcator uvæ mittentem semen: & * stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. *Joel 3.18.

14. Et convertam captivitatem populi mei Israel: & ædificabunt civitates desertas, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & bibent vinum earum: & facient hortos, & comedent fructus eorum.

15. Et plantabo eos super humum suam: & non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.

9. (*f*) Laboribus exercebo, & calamitatibus, ita ut nullo loco consistere videantur.

10. (*g*) Transit a metaphora ad rem significatam, ad ultimum Jerosolymæ excidium, cum peccatores qui Christum occiderunt, interfecti sunt.

11. (*h*) Hæc verba interpretatus est Jacobus Apost. Act. 15. in Concil. Jerosolymitano: Post multas ætates domum David excitabo. *Ejus*, Novæ domus, nempe Ecclesiæ, de qua sequentes versus omnino sunt intelligendi. Suscitatum est tabernaculum, seu domus David, Apostolis prædicantibus, & aliis e populo credentibus: sed aperturæ murorum suppletæ sunt e gentilibus, quasi e vivis lapidibus.

PROPHETIA ABDIÆ.

ABDIAM servum Dei interpretamur, cum hæc Prophetia in canone Hebræorum quarto loco posita sit, nec tempus ipsum indicetur, probabile admodum est eodem tempore, quo superiores Prophetas, eum vaticinatum esse, nimirum Oziæ temporibus.

CAPUT UNICUM.

Vaticinatur exitium adversus Idumæos, qui affligebant ac subsannabant filios Israel: qui tamen reducti, dominium accipient in eos, qui ipsos afflixerant.

*Jer.49.14. 1. VISIO Abdiæ. Hæc dicit Dominus Deus ad Edom (*a*): * Auditum audivimus a Domino, & legatum ad gentes misit: Surgite, & consurgamus adversus eum in prælium.

2. Ecce parvulum (*b*) dedi te in Gentibus: contemptibilis tu es valde.

3. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium (*c*) tuum: qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram?

4. Si exaltatus fueris ut aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus.

5. Si fures introissent (*d*) ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? nonne furati essent sufficientia sibi? si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi?

6. Quo-

CAPUT UNICUM. 1. (*a*) Contra Idumæos, qui se barbaris adjunxerant, ut Judæos opprimerent: *Audivimus*, ipse & alii Prophetæ ejusdem [illegible] adversus Edom prophetarunt. *Et legatum*, [illegible] [illegible] qui gentes [illegible] Idumæos [illegible] sed illud per metaphoram [illegible] est intelligendum [illegible] ad bellum [illegible] de Cyro & [illegible] *Ecce ego* [illegible] omnes commotiones [illegible] *Surgite*, [illegible] gentium [illegible] [illegible] usque [illegible] [illegible] *Pro eo quod inique egisti in filios Juda*. [illegible] Nabuchodonosore Jeremias cap. 49. & iisdem utitur verbis, quibus Abdias: *Auditum audivimus a Domino; auditum procedit*: Item: *Et legatum ad gentes misit*.

2. (*b*) [illegible] parvulum [illegible] nomen præstas; vel ut Christus [illegible] ecce infirmum [illegible] in [illegible].

3. (*c*) [illegible] Habitaculum, quod inaccessum hostibus jactas: [illegible] vel [illegible].

5. (*d*) [illegible] sed tamen quædam [illegible]. Quomodo conticuisses? Silentium non [illegible]: an non illi [illegible] præ timore mortis? aliquid tamen tibi reliquissent: non item [illegible].

6. Quomodo scrutati sunt Esau, investigaverunt abscondita ejus?

7. Usque ad terminum emiserunt te: omnes viri fœderis (e) tui illuserunt tibi: invaluerunt adversum te viri pacis tuæ: qui comedunt tecum, ponent insidias subter te: non est prudentia in eo.

*Isa. 29. 14. 1. Cor. 1. 19. 8. * Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Esau?

9. Et timebunt fortes tui a Meridie (f) ut intereat vir de monte Esau.

* Gen. 27. 42. 10. * Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob, operiet te confusio, & peribis in æternum (g).

11. In die cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum ejus, & extranei ingrediebantur portas ejus, & super Jerusalem mittebant sortem: tu quoque eras quasi unus ex eis.

12. Et non despicies (h) in die fratris tui, in die peregrinationis ejus: & non lætaberis super filios Juda in die perditionis eorum: & non magnificabis os tuum in die angustiæ.

13. Neque ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum: neque despicies & tu in malis ejus in die vastitatis illius: & non emitteris adversus exercitum ejus in die vastitatis illius.

14. Neque stabis in exitibus (i) ut interficias eos qui fugerint: & non concludes reliquos ejus in die tribulationis.

15. Quoniam juxta est dies Domini super omnes gentes (k): sicut fecisti, fiet tibi: retributionem tuam convertet in caput tuum.

16. Quomodo enim bibistis super montem (l) sanctum meum, bibent omnes Gentes jugiter: & bibent, & absorbebunt, & erunt quasi non sint.

17. Et in monte Sion erit salvatio, & erit sanctus: & possidebit domus Jacob eos, qui se possederant (m).

18. Et erit domus Jacob ignis, & domus Joseph flamma (n), & domus Esau stipula: & succendentur in eis, & devorabunt eos: & non erunt reliquiæ domus Esau, quia Dominus locutus est.

19. Et hæreditabunt (o) hi, qui ad Austrum sunt, montem Esau, & qui in campestribus Philisthiim: & possidebunt regionem Ephraim & regiones Samariæ: & Benjamin possidebit Galaad.

20. Et transmigratio exercitus (p) hujus filiorum Israel, omnia loca Chananæorum usque ad Sareptam: & transmigratio Jerusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit civitates Austri.

21. Et ascendent salvatores (q) in montem Sion judicare montem Esau: & erit Domino regnum.

7. (e) Nationes, quæ fœdus tecum inierant, se Chaldæis adjungent, & te insequentur usque ad terminos regionis tuæ, & in hostilem regionem te mittent. *Non est prudentia in eo;* quam prudentiam putat, vera est stultitia.

9. (f) Qui sunt ad regionem Idumææ australem, longius a Chaldæis dissiti.

10. & 11. (g) In longissimum tempus. *Propter interfectionem;* in posteriori parte causas aperit desolationis Idumæorum, quas usque ad vers. 17. prosequitur. *Exercitum ejus;* cum exercitum jam victum in captivitatem abducebant.

12. (h) Ne despicias in die fratris tui: quoniam prope est dies Domini, ne sicut fecisti, fiet tibi: LXX. *Ne inspexeris:* induratos Idumæos leniter admonet Deus, ne scelera committant, quæ gravissimis suppliciis luent. Non videbis cum gaudio calamitatem fratris tui. *In die peregrinationis ejus,* Cum captivus abducetur in alienas terras. *Os tuum,* Non insultes verbis irrisione plenis. In die *vastitatis illius,* Ne ejus ruina sit vobis occasio prædæ.

14. (i) In triviis & compitis, quo plures viæ desinunt, ut vitæ eorum [illegible] insidias.

15. (k) Hierosolymæ vicinas, ejus excidio & spoliis imminentes.

16. (l) Super montem Sion [illegible] convivia fecistis. *Bibent,* super vis, cum subversi fuerint & spoliati. *Omnes gentes.* Chaldæorum milites, & auxiliares copiæ, ut Judæi ipsi Idumæorum victores, ut Judas Machabæus, lib. 1. Machab. 5. & Lib. 2. Machab. cap. 10. in [illegible] Jerosolymæ Idumæi cum aliis gentibus vasa [illegible] profanarunt.

17. (m) Hæc sane ad Christum & Ecclesiam omnino pertinent, quæ in monte Sion fundata est, cum Spiritus Sanctus in Apostolos & in fideles illapsus, in universum orbem postea effusus est. Hic mons sanctus, nempe Ecclesia, hæc domus Jacob sibi subjecit eos qui Ecclesiam persecuti fuerant, instar ignis stipulam gentilium assumpsit, atque in suum corpus redegit. Quamquam Ribera & alii complures hæc & quæ sequuntur [illegible] sensu ad ea, quæ captivi a [illegible] Babylonicam sunt consecuta, allegorico & spirituali sensu ad Christum & Ecclesiam referunt. Vix enim credibile putant [illegible] non ita hominum & locorum figurate tantum accipi oportere, [illegible] sit Esau, neque Ephraim, aut Philisthiim, aut Benjamin sint Ephraim, Philisthiim & Benjamin. Unde Hieron. Cyrillus, Theodoretus, historicum sensum eum esse putant, quem verba proprie accepta reddunt. Itaque cum antea dixerit Propheta Idumæos æternum perituros, ut suos consolaretur, subjecit ea quæ attulimus. *Erit salvatio,* id est, liberatio; redibunt Judæi e captivitate. *Et erit Sanctus,* Hebr. *Sanctitas:* erit in ea templum. *Eos qui se possederant,* Palæstinos, quibus Judæi servierant, hos Judæi subegerunt Machabæorum temporibus: alii ad tempora Sennacherib hæc verba referunt, cum domus Jacob suam recepit hæreditatem. *In monte Sion:* id est, in Ecclesia Catholica erit salvatio, quia extra illam non est salus, ut August. exponit, Lib. 18. de Civ. cap. 31. *Sed ut omnes qui non erant in arca Noe, diluvio inundante perierunt; ita qui non sunt in Ecclesia, diluvio altero non aquæ, sed ignis peribunt. In hac habitat Sanctus, id est, Dominus Jesus Christus: in hac est verum templum, in quo Deo Patri salutaris hostia immolatur corpore & sanguinis Filii sui.*

18. (n) Domus Jacob sunt duæ tribus, domus Joseph sunt ii qui ex decem tribubus se tribui Judæ adjunxerunt Roboami & Ezechiæ temporibus, quique una redierunt e captivitate. Erit igitur, ob celeritatem & efficacitatem victoriæ, ut Lib. 1. Machab. 5. de Idumæis legimus victis a Juda Machabæo, & de iisdem subactis a Joanne Hircano filio Simonis scribit Josephus alter: Et quidem Josephus Lib. 13. Antiq. cap. [illegible] confirmat, eaque prædicta sunt ab Ezechiele cap. 25. *Reliquiæ,* Pauci relinquentur ex tanta multitudine; qui loquendi Scripturæ mos est usitatus, ut 4. Reg. 10. de domo Achab percussa a Jehu.

19. (o) Qua de re jam diximus. De Palæstinis, Azoto & Gaza, legimus 1. Machab. 5. & Lib. 2. cap. 10. de regione Ephraim, seu Samaria, eam subactam fuisse ab Alexandro Josephus tradit Lib. 13. cap. [illegible] & 18. Terram Galaad recuperatam a Juda Machabæo scriptum est Lib. 1. Machab. 5. & apud Josephum Lib. 13. cap. 21. de Palæstinis urbibus 2. Machab. 12. de Tyro & Sidone expugnatis ab Aristobulo Simonis nepote, & filio Hircani, scribit Josephus Lib. 3. cap. 22. *Ad Austrum;* in vicimiora quæque loca [illegible] Unde qui Judææ australem plagam incolebant, Idumæam possederunt; qui campestrem tenebant regionem, ii Palæstinorum urbes occuparunt. Benjaminitis data est Galaadites regio.

20. (p) Exercitus filiorum Israel, qui captivus ducetur Babylonem, possidebit oram illam maritimam Chananæorum usque ad Sareptam, quæ urbs erat Sidoniorum. Hunc versiculum aliter interpretatur vir magnæ eruditionis Pererius. & ad Oziæ refert tempora, eumque de prima Scytharum invasione exponit. Nam [illegible] urbes Israelitarum depopulantur, multos secum abduxerant captivos ex [illegible] Judæi; Idumæi una cum [illegible] juncti illa in Judæos admiserant facinora, quæ a vers. 10. ad vers. 17. recensentur. Sed Ozias brevi post tempore Idumæos & vicinas nationes attrivit; & acceptas ab iis injurias ultus est. *Possidebit;* hæc ad captivos, qui a Scythis abducti fuerant, refert Auctor citatus. Nam Abdias superioribus verbis consolatus fuerat domum Jacob, & captivos in Bosphorum Cimmerium deportatos, fed mox restitutos, ac decem tribus Chananæorum regionem usque Sareptam possessuros prædicit, itaque [illegible] ut filii Juda habitarent in civitatibus ad Austrum positis. [illegible] de Bosphoro Thracio, non de Cimmerio, hunc locum interpretatur, in quem pars Judæorum translata fuerat. & inde, in urbes suas, quæ ad Austrum positæ sunt, eam restituendam prædicit Propheta: sed non minus est probabile Cimmerium Bosphorum intelligi; vox enim *Sepharad* terminum significat, quod esset in extremis Babylonici regni partibus. Quia ergo lingua Assyriorum, ait Hieron. terminus dicitur Sepharad, hunc sensum esse conjicio: Transmigratio Jerusalem, quæ in cunctis terminis regionibusque divisa est; urbes Austri, id est, tribus suas recipiet. Stephanus urbem Lydiæ docet esse Bosphorum.

21. (q) Semper Deus mittet duces, qui populum liberent, & Idumæorum audaciam reprimant. *Judicare montem Esau:* judicare autem est imperantis. Salvatores [illegible] a Deo liberatores. *Et erit Domino regnum:* Regnabit Deus in hoc seculo & ab eo coletur. Quæ sane plenius in Ecclesia per Apostolorum prædicationem impleta sunt: nam prosperitas Judæorum sub Machabæis umbra tantum fuit Christianæ Religionis in universum orbem diffusæ.

PRO-

PROPHETIA JONÆ.

JONAS, *qui nomen habet* columbæ, *iisdem prophetavit temporibus, quibus præcedentes Prophetæ, nempe Jeroboamo secundo regnante in Samaria. Idem enim est Propheta, cujus sit mentio Lib. 4. Regum cap. 14. & qui hanc scripsit Prophetiam, cujus Pater Amathi utrobique nominatur, ut Josephus Lib. 9. Antiquit. cap. 11. & Patres omnes consentiunt. In nuda & simplici historia sublimis latet intelligentia mortis & resurrectionis Salvatoris, ipso Salvatore demonstrante Matth. 12. 40. Historia magis quam Prophetia, prima fronte apparet: sed Prophetæ non solum verbis, verum etiam factis vaticinantur. Historicus sensus ex verbis, mysticus ex rebus, quas verba significant, eruitur. In sensu historico vocum notio ita nos coercet, ut in quamcumque intelligentiam non evagemur, sed ex consuetudine Scripturæ & Patrum sententiis, & peritia linguarum verba ambigua interpretemur: sic in sensu mystico, quod cum historia convenit, & apte cum præcedentibus & consequentibus cohæret, omnino sequi necesse est. Solus e Prophetis ad Gentes missus est Jonas, qui Christi typus est, & resurrectionis ejus.*

CAPUT PRIMUM.

Jonas a Deo mittitur Niniven, qui pœnitentiam iis prædicet: fugit in Tharsis; tempestas excitatur; jactis sortibus in mare projicitur; cessat tempestas.

1. T factum est verbum Domini ad Jonam filium Amathi, dicens.

2. Surge, & vade in Niniven civitatem grandem, & prædica in ea: quia ascendit (*a*) malitia ejus coram me.

3. Et surrexit (*b*) Jonas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini, & descendit in Joppen, & invenit navem euntem in Tharsis: & dedit naulum ejus, & descendit in eam ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini.

4. Dominus autem misit ventum magnum in mare: & facta est tempestas magna in mari, & navis periclitabatur conteri.

5. Et timuerunt nautæ, & clamaverunt viri ad deum suum: & miserunt vasa, quæ erant in navi, in mare, ut alleviaretur ab eis: & Jonas descendit ad interiora navis, & dormiebat sopore gravi.

6. Et accessit ad eum gubernator, & dixit ei: Quid tu sopore deprimeris? surge, invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis, & non pereamus.

7. Et dixit vir ad collegam suum: Venite, & mittamus sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes: & cecidit sors super Jonam.

8. Et dixerunt ad eum: Indica nobis cujus causa malum illud sit nobis: quod est opus tuum? quæ terra tua, & quo vadis? vel ex quo populo es tu?

9. Et dixit ad eos: Hebræus ego sum, & Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare & aridam.

10. Et timuerunt viri timore magno, & dixerunt ad eum: Quid hoc fecisti? (cognoverunt enim viri quod a facie Domini fugeret, quia indicaverat eis.)

11. Et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi, & cessabit mare a nobis? quia mare ibat, & intumescebat.

12. Et dixit ad eos: Tollite me, & mittite (*c*) in mare, & cessabit mare a vobis: scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.

13. Et

CAPUT I. 2. (*a*) Hanc dissimulare non possum, & celerem vindictam expo[s]cit.

3. (*b*) Causam fugæ aperit cap. 4. ne mendax videretur, quod sciret Deum clementem esse, nec dubitaret quin placatus urbem conservaret. Quid sit autem Tharsis, diximus in cap. 9. Lib. 3. Regum. Hieron. mare ipsum esse putat. Et quidem mare Mediterraneum, atque illud maxime quod Africæ littora alluit, eo nomine signari multi opinantur: Nomen non Ciliciæ modo, & vicinarum Provinciarum a Tharsis nepote Japheth ductum ad mare quodvis magnarum navium patiens, esse translatum; solent enim Hebræi nomina propria, propter aliquam similitudinem in appellativa vertere. Unde Paral. Lib. 2. cap. 20 de Josaphat dicitur, quod classem instruxerit in Asiongaber, quæ iret in Tharsim. *A facie Domini*, cupiebat Jonas procul fugere, ut Niniven mitti non posset: unde metaphorice dicitur fugere a facie Domini: hinc versus occasum festinabat.

12. & 14. (*c*) Quod divino afflatu dixit. *Et ne des*, Ne punias nos, quod hominem qui in nulla te nos læsit, projiciamus in mare.

13. Et remigabant viri, ut reverterentur ad aridam, & non valebant: quia mare ibat, & intumescebat super eos.

14. Et clamaverunt ad Dominum, & dixerunt: Quæsumus Domine, ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu Domine, sicut voluisti, fecisti.

15. Et tulerunt Jonam, & miserunt in mare: & stetit mare a fervore suo.

16. Et timuerunt viri timore magno Dominum, & immolaverunt hostias Domino, & voverunt vota.

CAPUT II.

Jonas in ventre ceti orat Deum, & postquam in eo tribus diebus & tribus noctibus fuit conclusus, jubente Deo ejicitur in terram.

1. ET præparavit (a) Dominus piscem grandem ut deglutiret Jonam: & * erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus.

*Matth.12.40. & 16.4. Luc.11.30. 1.Cor.15.4.

2. Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis.

3. Et dixit: * Clamavi (b) de tribulatione mea ad Dominum, & exaudivit me: de ventre inferi clamavi, & exaudisti vocem meam.

*Ps.119.1.

4. Et projecisti me in profundum in corde maris, & flumen (c) circumdedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt.

5. Et ego dixi (d): Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.

6. * Circumdederunt me aquæ usque ad animam: abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum.

*Ps.68.2.

7. Ad extrema montium descendi (e): terræ vectes concluserunt me in æternum: & sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.

8. Cum angustiaretur (f) in me anima mea, Domini recordatus sum: ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.

9. Qui custodiunt vanitates (g) frustra, misericordiam suam derelinquunt.

10. Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque vovi, reddam pro salute Domino.

11. Et dixit (h) Dominus pisci: & evomuit Jonam in aridam.

CAPUT III.

Jonas iterum jubetur ire ad Ninivitas; prædicit subversionem civitatis post quadraginta dies. Conversis Ninivitis, Deus parcit civitati.

1. ET factum est verbum Domini ad Jonam secundo, dicens:

2. Surge, & vade in Niniven civitatem magnam: & prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te.

3. Et surrexit Jonas, & abiit in Niniven juxta verbum Domini: & Ninive erat civitas magna itinere trium dierum (a).

4. Et cœpit Jonas introire in civitatem itinere diei unius (b): & clamavit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur:

5. * Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum: & prædicaverunt (c) jejunium, & vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem.

*Matth.12.41. Luc.11.32.

6. Et pervenit verbum ad regem Ninive: & surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum a se, & indutus est sacco, & sedit in cinere.

7. Et clamavit, & dixit in Ninive ex ore regis & principum ejus, dicens: Homines, & jumenta, & boves, & pecora non gustent quidquam: nec pascantur, & aquam non bibant.

8. Et operiantur saccis homines, & jumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & convertatur vir a via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum.

9. * Quis scit si convertatur, & ignoscat Deus: & revertatur a furore iræ suæ, & non peribimus?

*Jer.18.11. Joel 2.14.

10. Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit.

C A-

CAP. II. 1. (a) Fecit ut cito adesset ingens piscis, quicumque ille fuerit: nam Ceti nomen generis est, non speciei. Et quidem balænæ fauces sunt angustiores, quam ut hominem deglutire possint: sed tamen Deo ita volente dilatari potuerunt: nec desunt ingentes in mari pisces, ut Charcaria & alia, quorum fauces satis amplæ sunt, ut hominem integrum vorent; *Lamiam* alii vocant. *Tribus diebus, & tribus noctibus*: non forte integris, ut figura sit veritati similior.

3. (b) Cum e navi in mare projiceret. *Et exaudivit me*, cetum mittendo; quæ verba sunt gratias agentis. *De ventre inferi clamavi*: De ventre profundo & obscuro ceti; clamavit etiam cordis affectu, cum se intra belluæ ventrem esse sensit.

4. (c) *Septuag. Flumina*, Fluctus concitati. Hæc Jonæ verba ex Psalm. 41. sunt desumpta: *Omnia excelsa tua & fluctus tui super me transierunt*

5. (d) Putavi me abjectum esse a te, ubi me vidi in tantis periculis constitutum: vel fateor me commeritum esse, ut omnino desereret.

7. (e) Ad supium antra, quibus eram conclusus. *Descendi in terram, cujus vectes retinacula sempiterna*: e quibus exire non licet nisi per miraculum. *Et sublevabis*; Ex Hebræo, Tolles me vivum e fossa, Deus meus.

8. (f) Cum de salute desperarem. *Domini recordatus sum*: Domini recordatio mihi saluti fuit; & te, Domine, qui habitas in templo Jerusalem, oravi.

9. (g) Qui Idolis, aut pravis affectibus serviunt. *Derelinquunt*: Hebr. Derelinquent; ipsi se privant Dei misericordia.

11. (h) Jussit. *Et evomuit Jonam in aridam*. In quod littus Jonas appulerit, dicere non possumus: id sane constat fuisse ad Mare Mediterraneum, seu ad Pontum Euxinum, ut videtur Josepho Lib. 9. cap. 11. seu prope Seleuciam, ubi minor est a Ninive distantia. Allegorice piscis ille ingens est Limbus, in quem descendit anima Christi in triduo mortis usque ad resurrectionem suam.

3. (a) Diodorus Siculus hujus urbis magnitudinem sic describit, ut ambitus murorum esset 480. stadiorum, seu sexaginta milliarium. Hieronymus tanti ambitus eam fuisse ait, ut vix trium dierum posset itinere circumiri. Vel certe trium dierum spatio opus erat, ut Jonas in viis pene omnibus pœnitentiam prædicaret. CAP. III.

4. (b) Adeo ut in tertia parte urbis prædicaverit, sed ejus prædicatio totam urbem statim impleverit. *Adhuc quadraginta dies*: Post quadraginta dies. Apud Septuag. legimus, *Adhuc tres dies*: sed scribæ error irrepsit. Justinus Martyr legit: *Tres & quadraginta dies*. Græci ipsi, qui LXX. sequuntur, legunt ut in Hebræo, *Quadraginta dies*. Neque eam sententiam protulit Deus ut irrevocabilem; sed erat ejusmodi, ut mutatis rebus posset revocari. Tunc non impleta est Prophetia quantum ad tempus, quod pœnitentia eorum effectum prohibuerit: sed sublato obice Ninive subversa est, ut discimus ex cap. 14. Tobiæ: *Non enim excidit verbum Domini*; scilicet quoad substantiam non excidit Prophetia.

5. (c) Hoc videtur dictum per anticipationem: nam illud verisimilius est prius pervenisse verbum ad regem, & ejus auctoritate prædicatum esse jejunium.

CAPUT IV.

Jonas affligitur, quod eventus prædicti oraculi non succederet: reprehenditur a Domino, & eruditur per hederam, & vermem.

1. ET afflictus est Jonas afflictione magna, & iratus (*a*) est:
2. Et oravit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine, numquid non hoc est verbum (*b*) meum, cum adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis: * scio enim quia tu Deus clemens & misericors es, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.

* Ps. 85. 5. Joel 2. 13.

3. Et nunc Domine tolle, quæso, animam meam a me: quia melior est mihi mors quam vita.
4. Et dixit Dominus: Putasne bene irasceris tu?
5. Et egressus est Jonas de civitate, & sedit contra Orientem civitatis: & fecit sibimet umbraculum ibi, & sedebat (*c*) subter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati.
6. Et præparavit Dominus Deus hederam (*d*), & ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, & protegeret eum (laboraverat enim) & lætatus est Jonas super hedera, lætitia magna.
7. Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum: & percussit hederam, & exaruit.
8. Et cum ortus fuisset sol, præcepit (*e*) Dominus vento calido & urenti: & percussit sol super caput Jonæ, & æstuabat: & petivit animæ suæ ut moreretur, & dixit: Melius est mihi mori, quam vivere.
9. Et dixit Dominus ad Jonam: Putasne bene irasceris tu super hedera? Et dixit: Bene irascor ego usque ad mortem.
10. Et dixit Dominus: Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret: quæ sub una nocte nata est, & sub una nocte periit.
11. Et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plus quam centum viginti millia hominum, qui nesciunt (*f*) quid sit inter dexteram & sinistram suam, & jumenta multa?

CAP. IV.

1. (*a*) Septuag. Interp. *Et confusus est*: timuit enim, ne vanus & mendax Propheta haberetur, cum videret Ninivitas subito ad pœnitentiam conversos, & clementiam Dei haberet perspectam.

2. (*b*) Non me fefellit divinatio mea; cur me prophetare vis, quod facturus non es? Non dolebat de aliorum salute, sed dolebat pro gloria Dei, ne Prophetia, quæ illius donum est, gentilibus vilesceret.

5. (*c*) Expectans an saltem Deus insigni aliqua plaga urbem percuteret.

6. (*d*) Sic vocem Hebræam veteres, ut Aquila & Symmachus, verterunt, eosque secutus est Hieronymus, LXX. verterunt: *Cucurbitam*; vox Hebræa Kikajon, קִיקָיוֹן, forte utrumque significat.

8. (*e*) Voluit Deus hoc exemplo docere Jonam quam immerito irasceretur, quod tam magnam urbem non subvertisset, cum ipse de erosa hedera, aut cucurbita adeo doleret. *Et æstuabat*, Hebr. Deficiebat præ calore, & mori cupiebat.

11. (*f*) Proverbium Hebr. quod pueros qui nondum nacti sunt usum rationis, significat. Et si pœnitentia Ninivitarum non me ad ignoscendum hortaretur, tot innocentium conditio hanc a me indulgentiam extorqueret. *Et jumenta multa*; nihil enim odit Deus eorum quæ fecit, Sapient. 11.



PRO-

PROPHETIA MICHÆÆ.

QUO tempore vaticinatus fuerit Michaas, in limine ipso, uti & patriam suam indicat, vicum nempe dictum Morasthi *prope Eleutheropolim. Hanc esse* Maresam *urbem non ignobilem, cujus sit mentio Josue, cap.* 15. *existimat Masius, unde Chaldæus vertit* Ad Michæam de Maresa, *quæ etiam est vicina Eleutheropoli.*

CAPUT PRIMUM.

Michaas Samariæ & Judæ prædicit excidium, ob utriusque idololatriam.

1. VERBUM Domini, quod factum est ad Michæam Morasthiten, in diebus Joathan, Achaz, & Ezechiæ, regum Juda: quod vidit super Samariam (*a*), & Jerusalem.

* Deut. 32. 1. Isa. 1. 2.

2. * Audite populi omnes, & attendat terra, & plenitudo (*b*) ejus: & sit Dominus Deus vobis in testem, Dominus de templo sancto suo.

* Isa. 26. 21.

3. * Quia ecce Dominus egredietur (*c*) de loco suo: & descendet, & calcabit super excelsa terræ.

4. Et consumentur montes subtus eum: & valles scindentur sicut cera a facie ignis, & sicut aquæ, quæ decurrunt in præceps.

5. In scelere (*d*) Jacob omne istud, & in peccatis domus Israel: quod scelus Jacob? nonne Samaria? & quæ excelsa Judæ? nonne Jerusalem?

6. Et ponam (*e*) Samariam quasi acervum lapidum in agro cum plantatur vinea: & detraham in vallem lapides ejus, & fundamenta ejus revelabo.

7. Et omnia sculptilia ejus concidentur, & omnes mercedes ejus comburentur igne, & omnia idola ejus ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata (*f*) sunt, & usque ad mercedem meretricis revertentur.

8. Super hoc plangam, & ululabo (*g*): vadam spoliatus, & nudus: faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum.

9. Quia desperata est plaga ejus, quia venit usque ad Judam, tetigit portam populi mei usque ad Jerusalem.

10. In Geth nolite annuntiare, lacrymis ne ploretis, in domo Pulveris pulvere vos conspergite.

11. Et transite (*h*) vobis habitatio Pulcra, confusa ignominia: non est egressa quæ habitat in exitu: planctum Domus vicina accipiet ex vobis, quæ stetit sibimet.

12. Quia infirmata est in bonum (*i*), quæ habitat in amaritudinibus? quia descendit malum a Domino in portam Jerusalem.

13. Tumultus quadrigæ stuporis habitanti Lachis: principium (*k*) peccati est filiæ Sion, quia in te inventa sunt scelera Israel.

14. Propterea dabit emissarios super hæreditatem Geth: domus mendacii in deceptionem regibus Israel.

15. Adhuc hæredem (*l*) adducam tibi quæ habitas in Maresa: usque ad Odollam veniet gloria Israel.

16. Decalvare, & tondere super filios deliciarum tuarum: dilata calvitium tuum sicut aquila, quoniam captivi ducti sunt ex te.

C A-

CAPUT I. 1. (*a*) Decem tribus. *Et Jerusalem*, Et adversus duas tribus.

2. (*b*) Septuag. Inter. *Terra, & omnes qui in ea sunt*. *In testem*, Deus mihi contra vos si testis, nihil me reticere eorum quæ ex ipso audivi contra vos, adeo ut sitis omnino inexcusabiles, si eum per me loquentem non audieritis.

3. (*c*) Exeret potentiam suam. *Et descendet*, Hieron. *Descensio Dei est majestatis ejus ad inferiora decursus: cum in mundi regimine majestatem suam manifestat: *Et calcabit*, Potentissimos quosque conculcabit, & conteret.

5. (*d*) Omnia hæc mala, quæ prænuntio, venient ob impietatem Jacob Nonne *Samaria?* Idololatria Samariæ; Nonne *Jerusalem?* Quæ plena est altaribus idolorum.

6. (*e*) Per Assyrios subvertetur, nec quicquam ex ea remanebit præter acervum lapidum; ædificia ejus solo æquabo, & ruinam lapidum in vallem projiciam.

7. (*f*) Idolorum cultrix Samaria, & divitiæ ex amicitia gentium, quarum idola colebat. *Revertentur*, Transibunt ad Niniven usque, quæ a Nahum vocatur meretrix speciosa, quæ ignem evaserit: divitiæ Samariæ ad Niniven ibunt.

8. & 10. (*g*) Propheta loquitur. *Pulveris*, In urbe plena pulvere ob ruinas.

11. (*h*) Transi in captivitatem. *Urbis*; Ornatus gratia addi solet, uti a Latinis: sic Cicero in Pisonem. Is mihi etiam gloriabitur. *Non est egressa*, Samaria non est egressa, sed abducta.

12. (*i*) Infirmior est quam ut vos juvet. *In amaritudinibus*, plena peccatis.

13. & 14. (*k*) Lachis prima idololatriam Regum excepit. *Emissarios*: Lachis mittet in Geth ad opem postulandam, sed frustra.

15. (*l*) Hostes qui te possideant; Maresa hæreditatem significat, urbs erat in tribu Juda.

CAPUT II.

Propheta pauperum oppressionem cum Israelitis tum Judæis exprobrat, & iis minatur exitium.

1. VÆ qui cogitatis (*a*) inutile, & operamini malum in cubilibus vestris: in luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum.

2. Et concupierunt agros, & violenter tulerunt, & rapuerunt domos: & calumniabantur virum, & domum ejus; virum, & hæreditatem ejus.

3. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito super familiam istam malum: unde non auferetis (*b*) colla vestra, & non ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est.

4. In die illa sumetur super vos parabola, & cantabitur canticum cum suavitate, dicentium: Depopulatione vastati sumus: pars (*c*) populi mei commutata est: quomodo recedet a me, cum revertatur, qui regiones nostras dividat?

5. Propter hoc non erit tibi mittens funiculum (*d*) sortis in cœtu Domini.

6. Ne loquamini loquentes (*e*): Non stillabit super istos, non comprehendet confusio.

7. Dicit domus Jacob: Numquid abbreviatus (*f*) est spiritus Domini, aut tales sunt cogitationes ejus? Nonne verba mea bona sunt cum eo, qui recte graditur?

8. Et e contrario (*g*) populus meus in adversarium consurrexit: desuper tunica pallium sustulistis: & eos, qui transibant simpliciter, convertistis in bellum.

9. Mulieres populi mei ejecistis de domo deliciarum suarum: a parvulis earum tulistis laudem meam in perpetuum.

10. Surgite, & ite, quia non habetis hic requiem: propter immunditiam ejus corrumpetur putredine pessima.

11. Utinam (*h*) non essem vir habens spiritum, & mendacium potius loquerer: stillabo tibi in vinum, & in ebrietatem: & erit super quem stillatur populus iste.

12. Congregatione congregabo (*i*) Jacob totum te: in unum conducam reliquias Israel, pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum, tumultuabuntur a multitudine hominum.

13. Ascendet enim pandens (*k*) iter ante eos: divident, & transibunt portam, & ingredientur per eam: & transibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.

CAPUT III.

Propheta idem prosequitur argumentum adversus tribus omnes, quod jura omnia pervertant.

1. ET dixi: Audite principes Jacob, & duces domus Israel: Numquid (*a*) non vestrum est scire judicium,

2. Qui odio habetis bonum, & diligitis malum: qui violenter tollitis pelles (*b*) eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum?

3. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriaverunt: & ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebete, & quasi carnem in medio ollæ.

4. Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos: & abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis.

5. Hæc dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum: qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem: & si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium.

6. Propterea nox nobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro divinatione: & occumbet sol super prophetas, & obtenebrabitur super eos dies.

7. Et confundentur qui vident visiones, & confundentur divini: & operient omnes vultus suos, quia non est responsum Dei.

8. Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, judicio, & virtute: ut annuntiem Jacob scelus suum, & Israel peccatum suum.

9. Audite hoc principes domus Jacob, & judices domus Israel: qui abominamini judicium, & omnia recta pervertitis.

10. Qui ædificatis (*c*) Sion in sanguinibus, & Jerusalem in iniquitate.

11. * Prin-

CAP. II.

1. (*a*) Chald. Væ cogitantibus ad rapinam; figura utitur interdum Scriptura, quæ diminutio dicitur, cum verba videntur parum significare, etsi multum significent. *Est manus eorum*; per manum, non tam opera, quam consilium & industria intelligi possunt.

3. (*b*) Gravissimum onus imponam vobis, quod excutere non poteritis.

4. (*c*) Hæreditas populi mei data est alienis. *Quomodo*; non reversurum Assyrium putabant, & tamen redire, ut regiones Israelitarum suis distribueret. Hæc verba Israelis Assyrii cum irrisione imitabantur. Sub Theglath-Phalasar hostes recesserant, sed redierunt sub Salmanasar.

5. (*d*) Non habitabis in terra patribus tuis promissa. Canticum illud, in vetus Hieron. est carmen lugubre, quod cantabitur cum suavitate, id est, cum molli & tracta voce, ut vox Hebræa significat; aut certe Assyrius id cantabit lætus.

6. (*e*) In persona Dei loquitur Propheta, qui optimates increpat quod Prophetas irriderent, cui toties inculcabant mortem, & captivitatem. *Non stillabit super istos*, Nihil tale patietur populus, non stillabit ira Domini.

7. (*f*) Ita ne Deus peccatis nostris opprimetur, & quasi suffocabitur, ut populum suum prorsus delere velit? Respondet Deus: Non abbreviatus est Spiritus meus, neque sponte mea punio; sed misericordiam meam experientur, qui recte ambulant.

8. (*g*) Vos ita agitis ut adversarii mei, nullum misericordiæ meæ locum relinquitis. *Qui transibant simpliciter*, Qui securi erant & innocentes, ut in bello captos, sic eos spoliastis.

11. (*h*) Alii vertunt: Si vir essem spiritum sequens, & mendacium concinnans, & prophetarem tibi de vino, tum essem Propheta gratus populo: vulgato more mendacium vocat, quidquid aliter evenit, quam prædictum est: non utique optat mentiri.

12. (*i*) Hi duo versiculi ad Ecclesiam omnino videntur pertinere. *Tumultuabuntur*: ubi cum Ecclesiæ dilatatione futuram confusionem, & vitam sæcularem multorum indicat. Solent Prophetæ terroribus & minis futuræ redemptionis spem subjicere, & multa prædicere, quæ non simul, sed per longa temporis spatia implentur. *Quasi gregem in ovili*: Plene congregabo omnes fideles intra Ecclesiam.

13. (*k*) Præibit Christus verbo & exemplo, *Eit*, Ascendet in cælum, & eos secum tollet.

CAP. III.

1. (*a*) Nam optimatum est scire quid juxta legem Dei sit faciendum.

2. (*b*) Populum non tondetis, sed deglutitis. Eorum crudelitatem describit sub metaphora pastorum, qui ovium pelles detrahunt.

10. & 11. (*c*) Qui sumptuosas domos in pauperum sanguine ædificatis, Ex vers. 11. & 12. liquet hoc caput ad Judam pertinere. *Requiescebant*, quia templum Domini habebant.

* Ezech. 22. 27. Sophon. 3. 3. 11. * Principes ejus in muneribus judicabant, & sacerdotes ejus in mercede docebant, & prophetæ ejus in pecunia divinabant: & super Dominum requiescebant, dicentes: Numquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala.

* Jer. 26. 18. 12. Propter hoc, causa vestri, * Sion quasi ager arabitur, & Jerusalem quasi acervus lapidum erit, & mons templi in excelsa silvarum.

CAPUT IV.

Hoc capite idem vaticinium, quod Isaia cap. 2. continetur; montis Sion restitutio.

* Isa. 2. 2. 1. ET erit: * In novissimo (*a*) dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles: & fluent ad eum populi.

2. Et properabunt gentes multæ, & dicent: Venite, ascendamus (*b*) ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob: & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis ejus: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Jerusalem.

3. Et judicabit (*c*) inter populos multos, & corripiet gentes fortes usque in longinquum: & concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones: non sumet gens adversus gentes gladium: & non discent ultra belligerare.

4. Et sedebit vir subtus vitem suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat: quia os Domini exercituum locutum est.

5. Quia omnes populi ambulabunt (*d*) unusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in æternum & ultra.

6. In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem (*e*): & eam, quam ejeceram, colligam, & quam afflixeram:

7. * Et ponam claudicantem in reliquias: & eam, quæ laboraverat, in gentem robustam: * & regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc nunc & usque in æternum. * Sop. 3. 19. * Dan. 7. 14. Luc. 1. 32.

8. Et tu turris (*f*) gregis nebulosa filiæ Sion usque ad te veniet: & veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem.

9. Nunc quare mœrore contraheris? numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit; quia comprehendit te dolor sicut parturientem?

10. Dole, & satage filia Sion quasi parturiens: quia nunc egredieris de civitate, & habitabis in regione, & venies usque ad Babylonem: ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.

11. Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ, quæ dicunt: Lapidetur (*g*) & aspiciat in Sion oculus noster.

12. Ipsi autem non cognoverunt (*h*) cogitationes Domini, & non intellexerunt consilium ejus: quia congregavit eos quasi fœnum areæ.

13. Surge, & tritura filia Sion: quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas: & comminues populos multos, & interficies Domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum Domino universæ terræ.

CAPUT V.

Christus nasciturus in Bethlehem, quæ allaturus sit bona; idololatria destruenda.

1. NUnc vastaberis filia (*a*) latronis: obsidionem posuerunt super nos, in virga percutient maxillam judicis Israel:

2. * ET TU BETHLEHEM Ephrata (*b*) parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis. * Matth. 2. 6. Joann. 7. 42.

3. Pro-

CAP. IV. 1. (*a*) Hæc prophetia ab Isaia, cap. 2. & a Michæa eodem tempore emissa, manifesto ad Messiam & Ecclesiam pertinet: atque, ut alibi diximus, veræ Ecclesiæ notæ hac Prophetia continentur. 1. Ad unum montem omnes confluent, qui est in vertice montium. 2. Sanctitas est in divinæ legis observatione: *Ibimus in semitis ejus*; nam, ut ait Isaias, ad eam fluent omnes gentes. 3. Apostolico de sinu egredietur lex, ubi cœpit Apostolica prædicatio. Postquam eos perterruit, more suo & aliorum Prophetarum, ad Christi adventum venit. Novissimum dierum appellat tempus novi Testamenti. Ea est Scripturæ loquendi usitata ratio, ut novissimos dies appellet magis comparate, quam superlative: sive sit ante tempus Messiæ, sive post illud tempus; idque ex iis quæ sequuntur & præcedunt, est definiendum: adeo ut in novissimis diebus idem sit persæpe, ac post hæc, ut Danielis 2. tametsi ibi multa sunt de regno Christi.

2. (*b*) Impleta est hæc Prophetia, & quotidie impletur, cum gentes ad Deum convertuntur, quem Judæi adoraverunt. *De viis*, vias suas, quid agere debeamus. *Quia de Sion exibit lex*: sunt verba Prophetæ caussam afferentis cur gentes venturæ essent ad Ecclesiam, quoniam lex nova dabitur in Jerusalem, unde exibit in universum orbem.

3. (*c*) Christi & Ecclesiæ imperium designat. *Et concident*; quæ quidem de pace temporali sub adventum Christi, & concordia gentium omnium confluentium ad Ecclesiam, cumulate intelliguntur. Hæc igitur accipi possunt ut signa temporis, quo ista implebuntur: nam summa pax erat, cum Christus natus est: quamquam pax illa diu non stetit: itaque Propheta loquitur de vera pace animorum inter eos, qui crediderint futura. Ita Irenæus Lib. 4. cap. 67. Origenes Lib. 5. contra Celsum, Justinus Apol. 2. Tertull. initio libri contra Judæos. Lex Evangelica est pacis conservatrix, & evellit radices bellorum, avaritiam, ambitionem, iniquitatem.

5. (*d*) Hebr. *Ambulant*; ambulare in nomine Domini est Deum colere. *Et ultra*; hac voce utitur Propheta, ut æternitatis quidem imaginem exprimat.

6. (*e*) Synagogam: *Et eam quam ejeceram*; gentes nonnulli interpretantur: sed videtur Propheta de conversione Judæorum loqui: claudicantem vocat Synagogam variis afflictam calamitatibus:

8. (*f*) De templo, aut urbe Jerusalem videtur loqui.

11. (*g*) Hebr. Ut profana habeatur. *Oculus noster*. Oculi nostri ejus calamitate pascantur.

12. (*h*) Non intelligent hostes, quid Dominus de te cogitaverit. *Sicut fœnum areæ*, quod congregatur, ut trituretur.

CAP. V. 1. (*a*) Jerusalem latrociniis dedita: *Nunc*, ad tempus proximum refertur, scilicet ad captivitatem Babylonicam, de qua ante dixerat: *Et venies usque ad Babylonem*. De excidio illius a Romanis nihil prætulerat, neque adeo de illius urbis ruina videtur loqui. Tum Bethlehem opponit Jerusalem, quod in ea nasciturus esset Christus.

2. (*b*) Quæ vocaris Ephrata: sic ab alia ejus nominis in tribu Zabulon Josue cap. 19. distinguitur. Etsi parvula es, tu tamen inter præcipuas urbes celebris futura es: *In millibus Juda*. Inter urbes, quæ mille armatos homines habent. Apud Matthæum Messiæ nativitatem Judæi ipsi his verbis apertissime expressam agnoverunt, ubi humanam & divinam Christi generationem indicant. Evangelistæ non verba e Prophetis ansie reddunt, sed sententias: LXX. *Et tu Bethlehem domus Ephrata parvula es, ut sis in millibus Juda*: Parvula es, o Bethlehem, si murorum ambitum & numerum civium consideres: sed revera magna es, quia ex te egredietur qui sit dominator in Israel: caussam enim aperit superioris sententiæ. Ideo non minima es, sed maxima, ut Evangelista exponit. Vel Prophetæ verba legi possunt cum interrogatione; Parvulusne es, ut sis in millibus Juda? Non sane: ex te enim mihi egredietur, &c. Multa sunt in Scripturis, quæ nisi pronuntiatione & gestu adjuventur, intelligi vix possunt, ut quæ ironice dicuntur. Sic Genes. 3. *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis*; Ribera, cui hic posterior sensus magis probatur, veteres codices LXX. citat, in quibus ita legitur: *Et tu Bethlehem domus Ephrata nequaquam minima es*. Ita hæc verba citant Eusebius Lib. 6. de Demonstr. cap. 13. Origenes Lib. 1. contra Celsum, August. Epistol. 1. & Lib. 18. de Civit. cap. 30. *Et egressus ejus*; quæ verba divinitatem Christi comprobant. Prius dixerat de humana nativitate, jam de divinitate illius id addendum fuit, ne purus homo Christus haberetur. In Hebræo *egressus*, in plurali legimus; solent enim Hebræi in rebus maximis uti plurali numero pro singulari. Hæc verba *Ab initio, & a diebus æternitatis*, separatim sumpta non æternitatem, sed longissimum tempus significarent: sed juncta, omnino illam designant; nam voces repetitæ augent significationem, ut in sæculum sæculi; ab initio antequam quidquam faceret.

3. Propter hoc dabit (c) eos usque ad tempus, in quo parturiens pariet: & reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel.

4. Et stabit (d), & pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui: & convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ.

5. Et erit iste pax: cum venerit Assyrius in terram nostram, & quando calcaverit in domibus nostris: & suscitabimus super eum septem pastores & octo primates hominés.

6. Et pascent terram Assur in gladio (e), & terram Nemrod in lanceis ejus: & liberabit ab Assur cum venerit in terram nostram, & cum calcaverit in finibus nostris.

7. Et erunt reliquiæ Jacob in medio populorum multorum quasi ros a Domino, & quasi stillæ super herbam, quæ non expectat virum, & non præstolatur filios hominum.

8. Et erunt reliquiæ (f) Jacob in gentibus in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis silvarum, & quasi catulus leonis in gregibus pecorum: qui cum transierit, & conculcaverit, & ceperit, non est qui eruat.

9. Exaltabitur manus tua super hostes tuos, & omnes inimici tui interibunt (g).

10. Et erit in die illa, dicit Dominus: Auferam equos tuos de medio tui, & disperdam quadrigas tuas.

11. Et perdam civitates terræ tuæ, & destruam omnes munitiones tuas, & auferam maleficia de manu tua, & divinationes non erunt in te.

12. Et perire faciam sculptilia tua & statuas tuas de medio tui: & non adorabis ultra opera manuum tuarum.

13. Et evellam lucos tuos de medio tui: & conteram civitates tuas.

14. Et faciam in furore (h) & in indignatione ultionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt.

CAPUT VI.

Michæas ad res suorum temporum regreditur, cum Judæis graviter expostulat.

1. Audite quæ Dominus loquitur: Surge, contende judicio adversus montes, & audiant colles vocem tuam.

2. Audiant montes (a) judicium Domini, & fortia fundamenta terræ: quia judicium Domini cum populo suo, & cum Israel dijudicabitur.

3. * Popule (b) meus quid feci tibi, aut * Jer. 2. 5.
quid molestus fui tibi? responde mihi.

4. Quia eduxi te de Terra Ægypti, & de domo servientium liberavi te: & misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam?

5. * Popule meus memento quæso quid co- * Num. 22.
gitaverit Balach rex Moab, & quid responderit 23.
ei Balaam filius Beor, de Setim usque ad Galgalam, ut cognosceres justitias Domini.

6. Quid dignum offeram (c) Domino? curvabo genu Deo excelso? numquid offeram ei holocautomata & vitulos anniculos?

7. Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?

8. Indicabo tibi o homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te: * Utique face- * Zach. 7.
re (d) judicium, & diligere misericordiam, 9.
& sollicitum ambulare cum Deo tuo. Matth. 23.
23.
9. Vox Domini ad civitatem clamat, & sa- Deut. 6. 2.
lus erit timentibus nomen tuum: Audite (e) & 16. 16.
tribus, & quis approbabit illud?

10. Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena.

11. Numquid justificabo stateram impiam & saccelli pondera dolosa?

12. In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum.

13. Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis.

14. Tu

3. (c) Sinet Judæos in servitutem redigi, donec virgo pariat Messiam, qui suam formabit Ecclesiam. *Et reliquiæ fratrum ejus*, quos vocabit: *Convertentur ad filios Israel*; ad Apostolos & ad primos discipulos. Id quoque in mundi fine futurum. Quæ sequuntur, ad Ecclesiam referuntur.

4. & 5. (d) In maxima fortitudine. Stabit ut iis auxilietur. *Iste pax*; Qui nos cum Deo reconciliabit: per Assyrios, dæmones & persecutores intelligi possunt. Ex Hebr. *Conterent terram*; Assur & Nemrod ex duobus regnis Assyriorum & Chaldæorum unum efficient. Verum ista non possunt rite intelligi nisi de rebus novi Testamenti, uti ex iis quæ præcedunt & sequuntur manifestum est. Tunc ergo erit pax, cum tot gentes ad Evangelium confluent. Per Assur non Assyrii, qui quando Christus natus est, nihil Judæos lædebant; sed hostes & tyranni cum visibiles tum invisibiles designantur, qui Michææ temporibus erant maxime formidandi. Ecclesiam vero Christus etiam in mediis persecutionibus est consolatus. *Septem pastores*, id est, multos; Propheta adjunxit se populo novi Testamenti.

6. & 7. (e) Cum potestate imperabunt, & hostes ante infensos sibi subjicient. *Et liberabit ab Assur*; Christus per Apostolos liberabit: *Quasi stillæ super herbam*, quæ non humana industria, sed divina virtute crescit.

8. (f) Apostoli, Episcopi & prædicatores Evangelii: *Quasi leo*, Omnes sibi subjicient.

9. & 10. (g) Infideles esse desinent. *Auferam equos tuos*; Post captivitatem Babylonicam Judæi idola non coluerunt; unde hæc Prophetia impleta quidem fuit tempore Evangelii, sed impleri cœpit mox a captivitate. Hæc & quæ sequuntur, de Israele secundum spiritum dicuntur, seu de Ecclesia Catholica: non de conversis modo, sed etiam de convertendis tum Judæis, tum gentilibus. *Disperdam* omnia belli instrumenta & munitiones. Sensu historico Babyloniorum ruinam, aut Judæorum liberationem, qui equis non indigebunt, prædicit.

14. (h) Quæ civitates post prædicatum Evangelium credere noluerint, pœnas mihi dabunt acerbas.

CAP. VI.

2. (a) Primates populi. *Montes* vocat, quod præ aliis eminerent, atque in iis plebs spem suam poneret. *Et cum Israel dijudicabitur*: Hebr. *Reprehendet se*; Patietur reprehendi ab Israele, si eum injuria affecerit.

3. (b) Quæ in eum populum beneficia contulerit, in memoriam revocat.

6. & 7. (c) Populus videtur exprobranti Deo respondere, quid ei offerre possit quod acceptum sit. *Numquid dabo*, Numquid immolabo?

8. (d) Propheta ab iis exigit, ut juste agant & cum charitate erga proximos. *Et sollicitum*. Hebr. *Cum humilitate*: ne securi nimis de salute nostra simus. Ambulare cum Deo, est illi placere, illi adhærere; neque ut segnes nos ambulare jubet, sed cum sollicitudine.

9. & 10. (e) Hebr. *Audite virgam minantem*. *Et quis approbabit illud?* Quis humiliter excipiet verbum Domini? Perpauci erunt. *Et mensura minor*: Habent mensuras minores justo, quibus decipiant. *Ignis*, Adhuc retinent aliena injuste parta, quæ ignis absumet: ex Hebr. Thesauri iniquitatis adhuc in domo impii.

14. Tu comedes, & non saturaberis: & humiliatio tua in medio tui: & apprehendes, & non salvabis (f): & quos salvaveris, in gladium dabo.

* Deut. 28. 38. Agg. 1. 6. 15. * Tu seminabis, & non metes: tu calcabis olivam, & non ungeris oleo: & mustum, & non bibes vinum.

16. Et custodisti præcepta Amri, & omne opus domus Achab: & ambulasti in voluntatibus eorum, ut darem te in perditionem, & habitantes in ea in sibilum, & opprobrium populi mei portabitis.

CAPUT VII.

Propheta hoc in capite Judæorum mores depravatos describit. In Deo solo confidendum docet.

1. VÆ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non est botrus ad comedendum, præcoquas (a) ficus desideravit anima mea.

2. Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est: omnes in sanguine (b) insidiantur. vir fratrem suum ad mortem venatur.

3. Malum manuum suarum dicunt bonum: princeps (c) postulat, & judex in reddendo est: & magnus locutus est desiderium animæ suæ, & conturbaverunt eam.

4. Qui optimus in eis est, quasi paliurus (d): & qui rectus, quasi spina de sepe. Dies speculationis tuæ, visitatio tua venit: nunc erit vastitas eorum.

5. Nolite (e) credere amico: & nolite confidere in duce: ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.

*Matth. 10. 21. * Matt 10. 36. 6. * Quia filius contumeliam facit patri, & filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam: * & inimici hominis domestici ejus.

7. Ego autem ad Dominum aspiciam (f), expectabo Deum salvatorem meum: audiet me Deus meus:

8. Ne læteris inimica (g) mea super me, quia cecidi: consurgam, cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.

9. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, & faciat judicium meum: educet me in lucem, videbo justitiam ejus.

10. Et aspiciet inimica mea, & operietur confusione, quæ dicit ad me: Ubi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam: nunc erit in conculcationem ut lutum platearum.

11. Dies, ut ædificentur maceriæ (h) tuæ: in die illa longe fiet lex.

12. In die illa & usque ad te veniet de Assur, & usque ad civitates munitas: & a civitatibus munitis usque ad flumen, & ad mare de mari, & ad montem de monte.

13. Et terra (i) erit in desolationem propter habitatores suos, & propter fructum cogitationum eorum.

14. Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu, in medio Carmeli: pascentur Basan & Galaad juxta dies antiquos.

15. Secundum dies egressionis tuæ de Terra Ægypti ostendam ei mirabilia.

16. Videbunt gentes, & confundentur super omni fortitudine sua: ponent manum super os, aures eorum surdæ (k) erunt.

17. Lingent pulverem sicut serpentes, velut reptilia terræ perturbabuntur in ædibus suis: Dominum Deum nostrum formidabunt, & timebunt te.

18. * Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis (l) peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. * Jer. 10. 6. Act. 10. 43.

19. Revertetur, & miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.

20. Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham, quæ jurasti patribus nostris a diebus antiquis.

14. (f) Filios tuos cupies liberare in hac vastatione, & non poteris. Si qui forte evaserint, in gladium hostilem tradam.

CAP. VII. 1. (a) Maturas; cum nullum racemum in vinea reperisset post vindemiam, nullum, aut perpaucos prophetarum vocibus vere conversos invenit, ut ficus maturas.

2. (b) In sanguinem; Omnes parant insidias, ut effundant sanguinem.

3. (c) Paratus est judex magnatibus quæ exigant, adjudicare. *Desiderium animæ suæ:* ut aliis detrimentum afferat, & servientes hujus libidini invenit. *Et conturbaverunt eam,* animam, vel terram, de qua dixerat; Periit sanctus de terra: vel magnatem in pravo proposito confirmant.

4. (d) Est spinæ genus, ex Plin. Lib 24 cap. 13. Quidquid attigerit, pungit. *Dies speculationis tuæ;* Venit dies, quam tui Prophetæ prædicebant, cum omnia tibi prospera promitterent. Quæ dicit irridendo.

5. (e) Qui a Deo recesserunt, justo judicio inter se discordant. *In duce tuo:* alii vertunt *In marito*. Quæ sequuntur, Israelis adversus Babylonios querelas, & Dei ultionem in hostes populi, liberationem Judæorum & reditum complectuntur: quæ cum fuerint infra pristinum splendorem sub Davide & Salomone, in Ecclesia proprie sunt impleta. Hic locus Matthæi 10. integer habetur. Chrysost. Homil. 36. in Matthæum, Prophetiæ mentionem fecit, quæ quamvis ad hoc propositum dicta non sit, hoc ipsum tamen signanter expressit. Idem nihilominus utrobique dicitur, non historico, sed allegorico sensu, quo nonnulla a Domino & Apostolis a Prophetis desumuntur. Excidium urbis per Chaldæos typus fuit excidii a Romanis futuri, & prædicantibus Apostolis propinqui credentium jura sanguinis & necessitudinis violabant.

7. (f) Loquitur propheta in persona fidelium, qui spem suam in Domino collocaverant, a quo erant liberandi. *Expectabo Deum salvatorem meum.* Christum scilicet salvatorem.

8. & 9. (g) O Babylon, ne læteris de ruina mea. *Portabo,* Patienter feram afflictionem a Deo immissam.

11. (h) Tunc reædificaberis o Jerusalem. *In die illa,* restaurationis Jerusalem, captivi tui sparsi per Assyriam & Persidem ad te redibunt. *Ad montem de monte,* A Libano usque ad montes Idumææ. *Usque ad civitates munitas,* quas olim possederat Israel; vel in civitatibus munitis, in quibus servabantur Judæi.

13. & 14. (i) Chaldæorum erit. *In desolationem. In virga tua.* In pastorali baculo: *Habitantes solos in saltu,* Destitutos omni præsidio, ut greges sine pastore. *In medio Carmeli,* Pasce eos, & guberna in solo fertili ut olim.

16. (k) Ne audiant vestram felicitatem, obturabunt aures suas. Quæ proprie ad Ecclesiam pertinent; nam status eorum post captivitatem nunquam ita floruit ut Davidis & Salomonis temporibus.

18. (l) Condonat peccatum, *Reliquiarum,* Eorum qui ex captivitate servati sunt.

PROPHETIA NAHUM.

De excidio Ninivitarum vaticinatur; idque post decem tribus abductas.

CAPUT PRIMUM.

Ninivitis, qui post pœnitentiam Jona prædicante factam in pristina sunt relapsi scelera, minatur excidium.

1. ONUS Ninive: Liber visionis Nahum Elcesæi (*a*).

2. Deus æmulator, & ulciscens Dominus: ulciscens Dominus, & habens furorem: ulciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis.

3. Dominus patiens (*b*), & magnus fortitudine, & mundans non faciet innocentem. Dominus in tempestate & turbine viæ ejus, & nebulæ pulvis pedum ejus.

4. Increpans mare, & exsiccans illud: & omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est Basan, & Carmelus: & flos Libani elanguit.

5. Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt: & contremuit terra a facie ejus, & orbis, & omnes habitantes in eo.

6. Ante faciem indignationis ejus quis stabit? & quis resistet in ira furoris ejus? indignatio ejus effusa est ut ignis: & petræ dissolutæ sunt ab eo.

7. Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis: & sciens (*c*) sperantes in se. 2. Tim. 11. 9.

8. Et in diluvio prætereunte, consummationem faciet loci ejus (*d*): & inimicos ejus persequentur tenebræ.

9. Quid cogitatis contra Dominum? consummationem ipse faciet: non consurget duplex (*e*) tribulatio.

10. Quia sicut spinæ (*f*) se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium: consumentur quasi stipula ariditate plena.

11. Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam: mente pertractans prævaricationem.

12. Hæc dicit Dominus: Si perfecti (*g*) fuerint, & ita plures sic quoque attondentur, & pertransibit: afflixi te, & non affligam te ultra.

13. Et nunc conteram virgam ejus de dorso tuo, & vincula tua disrumpam.

14. Et præcipiet (*h*) super te Dominus, non seminabitur ex nomine tuo amplius: de domo Dei tui interficiam sculptile, & conflatile, ponam sepulcrum tuum, quia inhonoratus es.

15. * Ecce super montes pedes evangelizantis, & annuntiantis (*i*) pacem, celebra Juda festivitates tuas, & redde vota tua: quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial: universus interiit. * Is. 52. 7. Rom. 10. 15.

CAPUT I. 1. & 2. (*a*) Elcese erat oppidum Galilææ. *Æmulator*; Zelus, seu æmulatio est ira, quæ ex ardenti amore proficiscitur.

3. (*b*) Patiens quidem est, sed tamen potens ad ulciscendum. *Mandans*, Hebr. Mundando non mundabit: videtur num: reos pro mundis & innoxiis habere, eos tandem puniet ut nocentes; non aget vobiscum quasi cum innocentibus.

7. (*c*) Has tuetur: nunc Judæos consolatur, de expeditione Sennacherib deinceps verba facturus.

8 (*d*) Niniven, vel ut aliis videtur, populi Judaici quem castigat pœna transitoria, ut diluvio quodam. *Persequentur tenebræ*, pœnæ æternæ: Alii de exercitu Medorum & Chaldæorum hæc intelligunt, qui instar diluvii Niniven devastarunt; vel denique cladem a Sennacherib acceptam innuit: hinc instar diluvii Judæam inundantis cito pertransiit. De re eadem Isaias cap. 8. & eadem usus similitudine locutus est: *Ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, regem Assyriorum, &c.* Quod ait, *Consummationem faciet loci illius*, Phrasi Hebraica locum perire dicit, cum res ipsa, quæ in loco erat, perit: ut Danielis 2. *Tunc contrita sunt, nullusque locus inventus est.* *Ejus*, nempe Dei, de quo loquebatur. *Bonus Dominus*: tenebræ persequentur Assyrios, mors inopinata.

9. (*e*) Uno ictu & semel conteret: vel Deus afflixit decem tribus per Salmanasar, non item affliget duas quæ supersunt tribus per Sennacherib.

10. (*f*) Impii una confortantur, ut male agant, & instar fasciculi spinarum una comburentur. Sic Assyrii in obsidione Jerusalem indulgentes vino ab Angelo interficientur.

12. (*g*) Assyrios alloquitur; cladem Sennacherib prænuntiat. Quæ Prophetia postea impleta est. *Si perfecti fuerint*: Licet robusti & magno numero: *Sic quoque attondentur*; usitata Prophetis metaphora, qua stragem hominum, quæ fit nullo negotio, tonsionem vocant, ut Isaiæ 7. *In illa die radet Dominus in novacula, &c.* *Et pertransibit*, rex Assyriorum Sennacherib. *Afflixi te*, cum multas urbes cepit. *Et non affligam te*, ultra non perpetuam securitatem pollicetur, sed illorum temporum hominibus.

14. (*h*) Statuit contra te, o Sennacherib, pœnas. *Non seminabitur*, Nullum deinceps generabis filium: nam brevi post tempore interfectus fuit a duobus filiis. *Sculptile*; nam victores deos suos in locum priorum collocabant; vel de domo, id est, in domo, nempe in templo dei sui occisus, unde prosperitatem sperabat: at forte cadaver ejus diu fuit relictum insepultum.

15. (*i*) Cladem Sennacherib annuntiantis. *Quia non adjiciet ultra*, Non vallabit amplius urbes tuas. Qui locus sensu allegorico ad Ecclesiæ fundationem pertinet, ex Paulo Apost. Rom. 10. *Celebra Juda festivitates tuas*: jam secure poteritis festivitates vestras celebrare.

CAPUT II.

De Ninives excidio per Chaldæos, & quod superbe egerit contra populum Dei.

1. Ascendit (*a*) qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem: contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde.

2. Quia reddidit Dominus superbiam Jacob (*b*), sicut superbiam Israel, quia vastatores dissipaverunt eos, & propagines eorum corruperunt.

3. Clypeus fortium ejus ignitus (*c*), viri exercitus in coccineis: igneæ habenæ currus in die præparationis ejus, & agitatores consopiti sunt.

4. In itineribus conturbati (*d*) sunt: quadrigæ collisæ sunt in plateis: aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia.

5. Recordabitur (*e*) fortium suorum, ruent in itineribus suis: velociter ascendent muros ejus, & præparabitur umbraculum.

6. Portæ (*f*) fluviorum apertæ sunt, & templum ad solum dirutum.

7. Et miles captivus abductus est: & ancillæ ejus minabantur (*g*) gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus suis.

8. Et Ninive quasi piscina aquarum aquæ ejus: ipsi vero fugerunt: state, state, & non est qui revertatur.

9. Diripite argentum, diripite aurum: & non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus.

10. Dissipata est, & scissa, & dilacerata, & cor tabescens, & dissolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus: & facies omnium eorum sicut nigredo ollæ.

11. Ubi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum, ad quam ivit leo ut ingrederetur illuc, catulus leonis, & non est qui exterreat?

12. Leo cepit sufficienter catulis suis, & necavit leænis suis: & implevit præda speluncas suas, & cubile suum rapina.

13. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & succendam (*h*) usque ad fumum
Mich. 7. 11. quadrigas tuas, & leunculos tuos comedet gladius: & exterminabo de terra prædam tuam, & non audietur ultra vox nuntiorum tuorum.

CAPUT III.

Ninive, quæ civitas sanguinum appellatur & adultera, vastabitur, & gloria ejus evanescet.

1. VÆ civitas sanguinum, universa menda- Ezech. 24.
cii (*a*) dilaceratione plena, non rece- Hab. 2. 12.
det a te rapina.

2. Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ ferventis, & equitis ascendentis:

3. Et micantis gladii, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ, & gravis ruinæ: nec est finis cadaverum, & corruent in corporibus suis.

4. Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus (*b*) suis, & familias in maleficiis suis:

5. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & * revelabo pudenda tua in facie tua, *Is. 47. 3.
& ostendam Gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.

6. Et projiciam super te abominationes, & contumeliis te afficiam, & ponam te in exemplum.

7. Et erit: omnis qui viderit te, resiliet a te, & dicet: Vastata est Ninive: quis commovebit (*c*) super te caput? unde quæram consolatorem tibi?

8. Numquid melior es Alexandria (*d*) populorum, quæ habitat in fluminibus? aquæ in circuitu ejus: cujus divitiæ, mare: aquæ, muri ejus.

9. Æthiopia fortitudo ejus, & Ægyptus, & non est finis (*e*): Africa & Libyes fuerunt in auxilio tuo.

10. Sed & ipsa in transmigrationem ducta est in captivitatem: parvuli ejus elisi sunt in capite omnium viarum, & super inclytos ejus miserunt sortem, & omnes optimates ejus confixi sunt in compedibus.

11. Et tu ergo inebriaberis, & eris despecta: & tu quæres auxilium ab inimico.

12. Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis: si concussæ fuerint, cadent in os comedentis.

13. Ecce populus tuus mulieres in medio tui: inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ, devorabit ignis vectes tuos.

14. Aquam

CAP. II. 1. (*a*) Niniven compellat: Brevi ascendet contra te hostis Chaldæus, te vidente, nec valente prohibere. *Contemplare viam*; Videbis magnam hostium multitudinem.

2. (*b*) Superbiam Assyriorum in Jacob. Alii per superbiam, magnificentiam & dignitatem pristinam intelligunt: *Superbiam Jacob*: non qua superbiit Jacob, sed qua superbierunt Assyrii adversus Jacob, seu adversus duas tribus. *Quia vastatores*, Assyrii quorum vis per multas gentes grassabatur: *Et propagines eorum corruperunt*; Minores urbes, aut liberos destruxerant.

3. (*c*) Aureos ad solis radios refulgens: *Viri exercitus in coccineis*; Nobiles purpureis vestibus induti: *Et agitatores consopiti*: vox Hebr. quasi crapulam, aut ebrietatem significat. In pugnando feroces quasi agitatores curruum, vel equorum, nihil timent; vel de Assyriis loquitur, qui timore torpebunt attoniti, & exanimati.

4. (*d*) Mutuo sese impedient in itinere præ multitudine, Chaldæi scilicet: nam mutatio personarum frequens est apud Prophetas.

5. (*e*) Assur recordabitur fortium, qui in itinere corruerunt, & ascendet velociter muros Ninive; vel mirabitur suis deesse pristinam multitudinem; e muris hostes arcere conabuntur, sed obsidio tam diuturna erit, ut Assyrii umbracula adversus aeris injurias in muris parare cogantur.

6. (*f*) Tigris inundatione muri dejecti sunt, teste Herodoto post biennii obsidionem.

7. & 8. (*g*) Ducebantur ut oves. Hieron. per ancillas intelligit minores urbes. *Piscina aquarum*; præ multitudine civium.

13. (*h*) Donec omnino absumantur quadrigæ tuæ, & omnes belli apparatus.

CAP. III. 1. & 2. (*a*) Mendax, plena rapto & dolis. *Vox flagelli*, quo auriga equos ad cursum incitat: exercitus ad prælium se præparantis pictura. *Et corruent*, in cadaveribus interfectorum.

4. (*b*) Quæ docuit alias gentes idololatriam & maleficia. *Speciosæ & gratæ*, in oculis hominum.

7. (*c*) Hebr. Quis dejecto capite tibi compatietur? quis vicem tuam dolebit? LXX. *Quis gemet eam?*

8. (*d*) Hebr. *Numquid melior es præ No Ammon?* Hieron. more aliorum scriptorum usus est nomine suis temporibus usurpato, ut Jerem. cap. 46. *Quæ habitat in fluminibus*; situm ejus describit, & munitiones.

9. (*e*) Copiarum ejus, Alexandriæ. Habet ex omni parte auxilia; *Africa & Lybies*: Afri reliqui, sed & Libyi maxime.

14. Aquam propter obsidionem hauri (*f*) tibi, extrue munitiones tuas: intra in lutum, & calca, subigens tene laterem.

15. Ibi comedet te ignis: peribis gladio, devorabit te ut bruchus, congregare (*g*) ut bruchus: multiplicare ut locusta.

16. Plures fecisti negotiationes (*h*) tuas quam stellæ sint cæli: bruchus expansus est, & avolavit.

17. Custodes tui quasi locustæ: & parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ consident in sepibus in die frigoris: sol ortus est, & avolaverunt, & non est cognitus locus earum ubi fuerint.

18. Dormitaverunt pastores tui, rex Assur: sepelientur principes tui: latitavit populus tuus in montibus, & non est qui congreget.

19. Non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua: omnes qui audierunt auditionem (*i*) tuam, compresserunt manum super te: quia super quem non transiit malitia tua semper?

14. (*f*) Quod diuturna futura sit obsidio: refice in muris quidquid corruerat.
15. (*g*) Collige milites quantum poteris: hæc irridendo dicit.
16. & 17. (*h*) Innumeras artes congerendi pecunias invenisti, sed avolarunt ut bruchus. Alii vertunt, *Negotiatores*, idem est sensus. *Locustarum*, Vermes, aut genimina locustarum.
19. (*i*) Hebr. Qui audierunt famam cladis tuæ. *Compresserunt*, Plauserunt manibus præ gaudio.

PROPHETIA HABACUC.

Q*UOD Habacuc ante captivitatem Babylonicam vaticinatus fuerit, vel ex hoc ipso liquet, quod eam prædicit futuram primi capitis v.* 6. Quia ego suscitabo Chaldæos, &c. *alioquin historicum, non prophetam ageret. Itaque non is videtur esse Habacuc, cujus fit mentio Danielis ultimo. Atque ut duo sunt Prophetæ, Michææ nomine, ut duo sunt Abdiæ nomine; ita nihil probibet, quominus duo sint ejusdem nominis Habacuc.*

CAPUT PRIMUM.

De Judæorum injustitia queritur Propheta, sed eos puniendos respondet Deus.

1. ONus (*a*), quod vidit Habacuc propheta.

2. Usquequo (*b*) Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non salvabis?

3. Quare ostendisti mihi iniquitatem & laborem, videre (*c*) prædam & injustitiam contra me? & factum est judicium & contradictio potentior.

4. Propter hoc lacerata (*d*) est lex, & non pervenit usque ad finem judicium: quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.

5. * Aspicite (*e*) in gentibus, & videte: admiramini, & obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur. *Act. 13. 41.

6. Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua.

7. Horri-

CAPUT I. 1. (*a*) Adversus plurimas nationes vaticinatur. Non exprimit cujus sit onus, uti Nahum adversus Niniven: sic Isaiæ 13. *Onus Babylonis*.
2. (*b*) Personam infirmorum induit Propheta: sed paullo post Dei providentiam in Judæorum oppressione, & impiorum prosperitate commendat: non ex errore circa divinam providentiam, sed cum exaggeratione aliqua petit ut de impiis sumatur supplicium. *Usquequo*: ostenderat Dominus Prophetæ vastitatem Jerusalem futuram, quod maxima eum affecit tristitia, videns rem esse a Domino decretam, quantumvis ille oraret Deum pro populo suo.
3. (*c*) Me vidente. *Judicium*, Judicium inter Judæos & Chaldæos pronuntiasti, atque hi evadunt potentiores. Vel potius, ubi de jure contenditur, vis & potentia superior est: vel ex Hebræo, Lites sunt, nusquam justitia.
4. (*d*) Cum videant superiores esse qui potentiores, contra legem judicant, idque sibi licitum putant; atque ita semper egreditur judicium perversum.
5. (*e*) Impunita impiorum crimina mox punitum iri insinuat. Quæ in alios populos judicia exercuerint, considerate. Hunc locum citat Apostolus Actor. 13. juxta sensum allegoricum, *Opus factum est*, Ubi loquitur de excæcatione Judæorum, qui numquam sibi persuadere potuerunt se a Deo ita deserendos, ut urbs & templum vastarentur, & Judæa in solitudinem redigeretur. *Opus factum est*, fieri incipiet: Hebr. *Opus operor*: Deus videtur respondere prophetæ conquerenti, quod non exaudiatur. Respondet, inquam, Deus, & caussam affert, quod Prophetis non credant: *Aspicite in gentibus*: Videtis alias nationes a Chaldæis devictas, ita & vos vastandos quoque arbitremini: LXX. habent. *Videte contemptores*: sic Paulus & Lucas legunt: Contemptores verbi mei.

7. Horribilis & terribilis est: ex semetipsa judicium (*f*) & onus ejus egredietur.

8. Leviores pardis equi ejus, & velociores lupis vespertinis, & diffundentur equites ejus: equites namque ejus de longe venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum.

9. Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus urens, & congregabit quasi arenam, captivitatem.

10. Et ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi ejus erunt: ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.

11. Tunc mutabitur spiritus, & pertransibit, & corruet (*g*): hæc est fortitudo ejus dei sui.

12. Numquid (*h*) non tu a principio Domine Deus meus, sancte meus, & non moriemur? Domine in judicium posuisti eum: & fortem, ut corriperes, fundasti eum.

13. Mundi (*i*) sunt oculi tui, ne videas malum: & respicere ad iniquitatem non poteris: quare respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se?

14. Et facies homines quasi pisces (*k*) maris, & quasi reptile non habens principem.

15. Totum in hamo (*l*) sublevavit, traxit illud a sagena sua, & congregavit in rete suum. Super hoc lætabitur & exultabit.

16. Propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo: quia in ipsis incrassata (*m*) est pars ejus, & cibus ejus electus.

17. Propter hoc ergo expandit (*n*) sagenam suam, & semper interficere Gentes non parcet.

CAPUT II.

Jubetur Propheta visionem describere, & illius eventum patienter expectare.

1. SUper custodiam meam stabo (*a*), & figam gradum super munitionem: & contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me.

2. Et respondit mihi Dominus, & dixit: Scribe visum, & explana (*b*) eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum.

3. Quia adhuc visus procul (*c*), & apparebit in finem, & non mentietur: si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.

4. Ecce qui incredulus (*d*) est, non erit recta anima ejus in semetipso: * justus autem * *Joan.* 3.
in fide sua vivet. 36.
Rom. 1. 17.
5. Et quomodo vinum potantem decipit (*e*): *Gal.* 3. 11.
sic erit vir superbus, & non decorabitur: qui *Heb.* 10. 38.
dilatavit quasi infernus animam suam: & ipse quasi mors, & non adimpletur: & congregabit ad se omnes gentes, & coacervabit ad se omnes populos.

6. Numquid non omnes isti super eum parabolam (*f*) sument, & loquelam ænigmatum ejus: & dicetur: Væ ei, qui multiplicat non sua? usquequo & aggravat contra se densum lutum?

7. Numquid non repente consurgent qui mordeant te: & suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis?

8. Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis, & iniquitatem terræ civitatis, & omnium habitantium in ea.

9. Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, & liberari se putat de manu mali.

10. Cogitasti confusionem domui tuæ, concidisti populos multos, & peccavit anima tua.

11. Quia lapis de pariete clamabit (*g*): & lignum, quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit.

12. * Væ qui ædificat civitatem in sangui- *Ezech. 24.
nibus, & præparat urbem in iniquitate. 9.
13. Numquid non hæc sunt a Domino (*h*) *Nah.* 3. 1.
exercituum? Laborabunt enim populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient.

14. Quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare.

15. Væ

---

7. & 10. (*f*) Faciet quidquid libuerit. *Triumphabit*, Nabuchodonosor. *Ridiculi ejus erunt*: Eos habebit irrisui & ludibrio.

11. (*g*) Ultra humanam sortem se extollet, & infra homines abjectus instar bestiæ vivet per 7 annos. *Et corruet*, mente captus instar feræ. *Hæc est fortitudo ejus*, qui se ut Deum coli volebat: aut forte de toto a gente Chaldæorum loquitur, idque suadent quæ præcedunt.

12. (*h*) Populi nomine Deum interpellat, ut meminerit fœderis cum Israelitis sanciti: Nonne tu Deus noster & protector tu es? *In judicium posuisti eum*: Chaldæorum regem, ut per eum punias inobedientes.

13. (*i*) An nos in manus Nabuchodonosoris trades? *Quare respicis?* negatio olim legebatur: *Quare non respicis?* Sed idem subest sensus. Quare tamen vides inique agentes, & taces? videris eorum facta approbare: sed capite sequenti ipse respondet; *Si moram fecerit, expecta eum.*

14. (*k*) Videris homines contemnere, ut piscator pisces, qui ducem non habent, aut protectorem.

15. (*l*) *Traxit illud in sagena sua*, Chaldæus: Victorias adversus gentes reportatas sibi tribuet.

16. (*m*) Imperium ejus dilatatum. Victorias tribuit fortitudini suæ; industriam militarem, & arma sagenam vocat: Videt se armis pulcherrima quæque regna ditioni suæ subjecisse: Quasi piscator partem meliorem sibi reservat.

17. (*n*) Chaldæus mittet exercitus suos, ut cuncta absumat. Cum videt nihil sibi adversi contingere, novas quotidie nationes bello invadit.

CAP. II. 1. (*a*) Attente expectabo responsionem Domini: sumpta metaphora ab iis, qui arces custodiunt: LXX. *Et quid respondeam ad arguentem?* ad eos qui a me rationem quæsierunt, quasi providentiam Dei arguentes.

2. (*b*) Verbis apertis, & grandioribus litteris, ut omnes legere possint & intelligere.

3. (*c*) Res visa non cito implebitur. *Et apparebit in finem*, tempore constituto: liberationem populi a captivitate Babylonica, & a captivitate dæmonis per Christum. Deus Prophetæ ut futuram post multa tempora ostendit, ut patienter expectetur, & interim justus ex fide vivat: Paulus ad Gal. 3. de fide in Christum ea verba interpretatur. *Justus* propter fidem & spem futurorum bonorum quæ credit, perseverat in justitia, & in bonis operibus. *Et non tardabit*: Christus veniet tempore præstituto: non tardavit, qui tempore constituto venit. Cum in Scripturis venturus, aut expectatus dicitur, & nihil additur, Christus intelligitur, ut Genesis 49. *Donec veniat qui mittendus est*: sic respondet querelis eorum, qui divinam providentiam accusabant.

4. (*d*) Qui non crediderit, non erit justus coram me, Hebr. 10. *Quod si subtraxerit se*, per incredulitatem, *non placebit animæ meæ*: ita LXX loco horum verborum: *Non erit anima ejus recta in semetipso*, in eumdem sensum. Nemo enim Deo placere potest, nisi justus sit & rectus.

5. (*e*) Ita Rex Babylonis victoriarum dulcedine inebriatus cito transibit. *Non decorabitur*. Summa afficietur ignominia.

6. (*f*) Erit in proverbium & derisionem. Nihil auri & argenti acervi proderunt, non magis quam lutum densatum. Particula, *&*, hic, ut sæpe alias, redundat. Greg. in Pastor. admon. 21. *Avaro quippe contra se densum lutum aggravare, est terrena lucra cum pondere peccati cumulare*. Aggravat, seu multiplicat, in re vilissima laborat.

11. (*g*) Lapides ædificiorum vindictam a Deo exposcent. *Et lignum*, idem loquetur, & clamabit contra te.

13. & 14. (*h*) Quæ dicturus sum, audivi a Domino. *Laborabunt*. Incendentur populi a Medis & Persis, & Chaldæi frustra in eo extinguendo laborabunt. *Replebitur terra*, a Medis & Persis.

15. Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum (*i*), & inebrians ut aspiciat nuditatem ejus.

16. Repletus es ignominia (*k*) pro gloria: bibe tu quoque, & consopire: circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ super gloriam tuam.

17. Quia iniquitas Libani (*l*) operiet te, & vastitas animalium deterrebit eos de sanguinibus hominum, & iniquitate terræ, & civitatis, & omnium habitantium in ea.

18. Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, & imaginem falsam? quia speravit in figmento fictor ejus, ut faceret simulacra muta.

19. Væ qui dicit ligno: Expergiscere: Surge, lapidi tacenti: numquid ipse docere poterit? Ecce iste coopertus est auro & argento: & omnis spiritus non est in visceribus ejus.

* *Ps. 10. 5.* 20. * Dominus autem in templo sancto suo: sileat a facie ejus omnis terra.

CAPUT III.

Oratio prophetæ pro liberatione populi & redemptione humani generis per Christum.

1. ORATIO HABACUC PROPHETÆ PRO IGNORANTIIS (*a*).

2. DOmine audivi auditionem tuam (*b*), & timui.

Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud.

In medio annorum notum facies: cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

3. Deus ab Austro veniet (*c*), & sanctus de monte Pharan:

Operuit cælos gloria ejus: & laudis ejus plena est terra.

4. Splendor (*d*) ejus ut lux erit: cornua in manibus ejus.

Ibi abscondita est fortitudo ejus:

5. Ante faciem ejus ibit mors (*e*).

Et egredietur diabolus ante pedes ejus:

6. Stetit, & mensus (*f*) est terram.

Aspexit, & dissolvit Gentes: & contriti sunt montes sæculi.

Incurvati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus.

7. Pro iniquitate (*g*) vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.

8. Numquid in fluminibus (*h*) iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua?

Qui ascendes super equos tuos: & quadrigæ tuæ salvatio.

9. Suscitans suscitabis (*i*) arcum tuum, juramenta tribubus quæ locutus es.

Fluvios scindes terræ:

10. Viderunt te, & doluerunt montes (*k*): gurges aquarum transiit.

Dedit abyssus vocem suam: altitudo manus suas levavit.

11. Sol & luna steterunt (*l*) in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.

12. In fremitu (*m*) conculcabis terram: in furore obstupefacies Gentes:

13. Egressus (*n*) es in salutem populi tui: in salutem cum Christo tuo.

Percussisti caput de domo impii: denudasti fundamentum ejus usque ad collum.

14. Male-

15 (*i*) Perfidiam Regum Babylonis notat, qui post fœdus initum cum vicinis, eos spoliabant.

16. (*k*) Perstat in metaphora ebriorum. *Circumdabit te*, Hebr. *Vertet super te*: Totum exhauries.

17. (*l*) Pœnæ tibi debitæ ob templi direptionem instar aquarum operient te. Templum Libanus dicitur, quod totum fere e Cedris Libani constructum esset. *De sanguinibus hominum*: Propter sanguinem Judæorum, quem effuderant.

CAP. III. 1. (*a*) Pro peccatis populi. Orat Deum ut impleat quod promisit, nec propter peccata Judæorum tantum bonum differri sinat.

2. (*b*) Quod me audire fecisti: Opus tuum perfice in medio temporum, liberationem a captivitate & a peccato per adventum Filii tui, quem mihi revelatione cognitum fecisti. Audivi quod dixisti, *Quia veniens veniet*; audivi opus magnum, quod pro salute hominum facturus es: non sinas dexteræ tuæ opus quasi extingui, sed vivifica illud. *In medio annorum*. Cum venerit plenitudo temporis, intra annos a te constitutos. In medio alicujus rei dicitur, quod intra illam est, ut Psalm. 100. Non *habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam*, id est, intra domum meam. *Misericordiæ*: Licet peccatis hominum iratus, misericordiam tuam non subtrahes: *Notum facies*, opus tuum.

3. (*c*) Futurum pro præterito. Legem suam dedit in monte Sina, qui ad Austrum situs est: sed toto Orbe gloriam suam diffundit, non in nube, ut olim. Post hæc verba in Hebræo ponitur *Sela*, LXX. illius loco ponunt *Diapsalma*; Aquila vertit, *Semper*, nec ponitur nisi ubi insigne illud est quod dicitur, aut valde optabile, idque tantum in Psalterio, & in hoc Cantico, ubi ter ponitur, idque est optantis: nec dubium est, quin in iis locis fieret aliqua cantus mutatio: adeo ut cantores paullulum quiescerent. *Operuit*, Cuncta implebit claritate & majestate sua.

4. (*d*) Pura corda penetrabit. *Fortitudo ejus*, in manibus cruci affixis. August. *Quid fortius manu hac, quæ mundum vicit, non ferro armata, sed ferro transfixa?* Hebr. *Manus radios vibrans*.

5. (*e*) Hebr. *Sagittæ ignitæ*. Mors & diabolus ut divinæ justitiæ executores præibant, cum lex data est: sed mors ipsa morte Christi victa, & diabolus in triumpham actus, præibunt ante faciem ejus.

6. (*f*) Victores terram armis partam metiuntur: Sic Josue divisit terram promissionis 12. tribubus. *Aspexit & dissolvit gentes*, velut in ictu oculi. Sed ea verba ad Christum in primis referuntur, qui sedens ad dexteram Patris, terram Apostolis suis divisit, ut Evangelii luce eam complerent. *Montes sæculi*; conditi ab initio, vel principes sæculi, sub egressu Dei æterni depressi sunt propter Dei æterni adventum.

7. (*g*) Adversus iniquitatem Israelitarum erecta. Loquitur etiam de judicio adversus eos, qui Christo non obedierint, atque eos Æthiopum nomine designat, ob morum deformitatem, ut Amos 9 *Numquid non ut Filii Æthiopum vos estis mihi Filii Israel? Pelles*, Tabernacula Madian concutientur & dissipabuntur.

8. (*h*) Cum Jordanis retrorsum actus est? An potius ut populum tuum salvares, hæc fecisti prodigia? Alludit ad mare rubrum & Jordanem; sed multo magis ad signa quæ finem sæculi præcedent, & ad superiorem sententiam adpertinet; Hebr. *Qui ascendes super equos tuos*, & super currus bellicos, ut salves servos tuos.

9. (*i*) Corripies arcum, qui quodam modo jacebat, *Juramenta tribubus*: Suscitabis juramenta quæ tribubus Israel, seu electis tuis præstitisti. *Fluvios scindes*, Potentiam impiorum subvertes; vel fluvii e terra erumpent, ut populo tuo potum præbeant.

10. (*k*) Potestates hujus sæculi tempestates adversus servos tuos excitarunt: sed omnis eorum impetus transiit. *Dedit abyssus vocem suam*; infernus; quæ est prosopopeia; *Dare vocem suam*, est acclamare & approbare. *Altitudo*, Cæli, aut Angeli sunt gratulati.

11. (*l*) Josue temporibus; vel sol & luna prius obtenebrata, conversa in tenebras & sanguinem, Joelis 2. lumen suum receperunt. *In luce*; redit ad illud vers. 10. *Viderunt te*: Impii territi sagittis tuis igneis, quæ sunt fulgura & coruscationes: Apocal. 16 *Fulgurantis hastæ tuæ*, fulminum.

12. (*m*) Furore plenus nationes omnes perterrefacies.

13. (*n*) Ut salvares populum tuum cum Christo tuo; cum illo eris. *Caput*, dæmonem ipsum, vel Antichristum. Vel de populi liberatione, & exitu ab Ægypto, hoc loco agit Propheta.

14. Maledixisti sceptris ejus, capiti (*o*) bellatorum ejus, venientibus ut turbo ad dispergendum me.

Exultatio eorum, sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito.

15. Viam (*p*) fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.

16. Audivi, & conturbatus (*q*) est venter meus: a voce contremuerunt labia mea.

Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat.

Ut requiescam in die tribulationis: ut ascendam ad populum accinctum nostrum.

17. Ficus (*r*) enim non florebit: & non erit germen in vineis.

Mentietur opus olivæ: & arva non afferent cibum.

Abscindetur de ovili pecus: & non erit armentum in præsepibus.

18. Ego autem in Domino gaudebo (*s*): & exultabo in Deo Jesu meo.

19. Deus Dominus fortitudo mea: & ponet pedes meos quasi cervorum.

Et super excelsa mea deducet (*t*) me victor in psalmis canentem.

14. (*o*) Caput eorum contudisti, tyrannicam dæmonis potentiam evertisti, simul perdidisti duces & bellatores ejus. *Exultatio eorum:* putabant impii nos confusum iri, & perditum; & exultabant, ut dives solet cum vult spoliare pauperem in abscondito: Aut de Pharaone pergit dicere.

15. (*p*) Quamvis justi aquis calamitatum obruantur, ut fortis bellator eos erues. In sensu historico exercitus Pharaonis cladem commemorat.

16. (*q*) Postquam ostendisti mihi, quam gravia de inimicis tuis sumas supplicia. *A voce*, Audita voce tua. *Ingrediatur putredo;* Veniant in me omnia mala, & ossa mea putredine impleantur, dum in die judicii securus sim. *Ut ascendam;* sic nonnulli exponunt; Adversus populum meum hostes insurrexerunt; eo terrore sic percussus sum, ut in eum venerim statum, in quo homo ad intima usque consumi se sentit: hanc Chaldæorum crudelitatem sine summo dolore videre non potui. Vel secundum Vulgatam hic sensus esse potest; cum audivi mala, quibus Deus populum suum percussurus est, optavi me dolore consumi, ac morerer, antequam ea evenirent mala. *Accingere;* apud Hebræos est parare se ad prælium. Hieron. vertit, *Ad populum accinctum nostrum;* & exponit ad populum fortem, bellatorem & pugnacem, qui scilicet cum Antichristo & ejus sectatoribus pugnet. Sic Lib. 2. contra Pelag. *Computrescant* ossa mea, & super me vermes scateant, tantum ut requiescam in die angustiæ, & ascendam ad populum fortem meum, ut me illi adjungam, cum hostes adversus eum incurrent.

17. (*r*) Magna tum erit virtutum sterilitas. *Non afferent cibum*, fructum; fames in proximo erit.

18. (*s*) Propter bona mihi ab eo data: *Et exultabo in Deo Jesu meo:* nomen Jesu scriptum est per abbreviationem litterarum: LXX. *In Deo salvatore meo.*

19. (*t*) Dabit corpori meo agilitatem, ut in cælum cum Domino meo ascendam. Hieronym. Canam victoriam ejus, triumphum, & trophæum crucis. Unde psalmi qui hunc habent titulum, canuntur Christo victori, & liberatori nostro.

15. Væ qui potum dat amico ſuo mittens fel ſuum (*i*), & inebrians ut aſpiciat nuditatem ejus.

16. Repletus es ignominia (*k*) pro gloria: bibe tu quoque, & conſopire: circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.

17. Quia iniquitas Libani (*l*) operiet te, & vaſtitas animalium deterrebit eos de ſanguinibus hominum, & iniquitate terræ, & civitatis, & omnium habitantium in ea.

18. Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus, conflatile, & imaginem falſam? quia ſperavit in figmento fictor ejus, ut faceret ſimulacra muta.

19. Væ qui dicit ligno: Expergiſcere: Surge, lapidi tacenti: numquid ipſe docere poterit? Ecce iſte coopertus eſt auro & argento: & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus ejus.

* Pſ. 10. 5. 20. * Dominus autem in templo ſancto ſuo: ſileat a facie ejus omnis terra.

C A P U T III.

Oratio prophetæ pro liberatione populi & redemptione humani generis per Christum.

1. ORATIO HABACUC PROPHETÆ PRO IGNORANTIIS (*a*).

2. DOmine audivi auditionem tuam (*b*), & timui.

Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud.

In medio annorum notum facies: cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.

3. Deus ab Auſtro veniet (*c*), & ſanctus de monte Pharan:

Operuit cælos gloria ejus: & laudis ejus plena eſt terra.

4. Splendor (*d*) ejus ut lux erit: cornua in manibus ejus.

Ibi abſcondita eſt fortitudo ejus:

5. Ante faciem ejus ibit mors (*e*).

Et egredietur diabolus ante pedes ejus:

6. Stetit, & menſus (*f*) eſt terram.

Aſpexit, & diſſolvit Gentes: & contriti ſunt montes ſæculi.

Incurvati ſunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus.

7. Pro iniquitate (*g*) vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.

8. Numquid in fluminibus (*h*) iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua?

Qui aſcendes ſuper equos tuos: & quadrigæ tuæ ſalvatio.

9. Suſcitans ſuſcitabis (*i*) arcum tuum, juramenta tribubus quæ locutus es.

Fluvios ſcindes terræ:

10. Viderunt te, & doluerunt montes (*k*): gurges aquarum tranſiit.

Dedit abyſſus vocem ſuam: altitudo manus ſuas levavit.

11. Sol & luna ſteterunt (*l*) in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum, ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.

12. In fremitu (*m*) conculcabis terram: in furore obſtupefacies Gentes:

13. Egreſſus (*n*) es in ſalutem populi tui: in ſalutem cum Chriſto tuo.

Percuſſiſti caput de domo impii: denudaſti fundamentum ejus uſque ad collum.

14. Male-

15. (*i*) Perfidiam Regum Babylonis notat, qui poſt fœdus initum cum vicinis, eos ſpoliabant.

16. (*k*) Perſtat in metaphora ebriorum. *Circumdabit te*, Hebr. *Vertet ſuper te*: Totum exhauries.

17. (*l*) Pœnæ tibi debitæ ob templi direptionem inſtar aquarum operient te. Templum Libanus dicitur, quod totum fere e cedris Libani conſtructum eſſet. *De ſanguinibus hominum*: Propter ſanguinem Judæorum, quem effuderant.

CAP. II. 1. (*a*) Pro peccatis populi. Orat Deum ut impleat quod promiſit, nec propter peccata Judæorum tantum bonum differri ſinat.

2. (*b*) Quod me audire feciſti: Opus tuum perfice in medio temporum, liberationem a captivitate & a peccato per adventum Filii tui, quem mihi revelatione cognitum feciſti. Audivi quod dixiſti, *Quia veniens veniet*; audivi opus magnum, quod pro ſalute hominum facturus es: non ſinas dexteræ tuæ opus quaſi extingui, ſed vivifica illud. *In medio annorum*. Cum venerit plenitudo temporis, intra annos a te conſtitutos. In medio alicujus rei dicitur, quod intra illam eſt, ut Pſalm. 100. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam*, id eſt, intra domum meam. *Miſericordiæ*: Licet peccatis hominum iratus, miſericordiam tuam non ſubtrahes: *Notum facies*, opus tuum

3. (*c*) Futurum pro præterito. Legem ſuam dedit in monte Sina, qui ad Auſtrum ſitus eſt: ſed toto Orbe gloriam ſuam diffundit, non in nube, ut olim. Poſt hæc verba in Hebræo ponitur *Sela*, LXX. illius loco ponunt *Diapſalma*: Aquila vertit, *Semper*, nec ponitur niſi ubi inſigne illud eſt quod dicitur, aut valde optabile, idque tantum in Pſalterio, & in hoc Cantico, ubi ter ponitur, idque eſt optantis: nec dubium eſt, quin in iis locis fieret aliqua cantus mutatio: adeo ut cantores paullulum quieſcerent. *Operuit*, Cuncta implebit claritate & majeſtate ſua.

4. (*d*) Pura corda penetrabit. *Fortitudo ejus*, in manibus cruci affixis. Auguſt. *Quid fortius manu hac, quæ mundum vicit, non ferro armata, ſed ferro transfixa?* Hebr. *Manus radios vibrans*.

5. (*e*) Hebr. *Sagittæ ignitæ*. Mors & diabolus ut divinæ juſtitiæ executores præibant, cum lex data eſt: ſed mors ipſa morte Chriſti victa, & diabolus in triumphum actus, præibunt ante faciem ejus.

6. (*f*) Victores terram armis partam metiuntur: Sic Joſue diviſit terram promiſſionis 12. tribubus. *Aſpexit & diſſolvit gentes*, velut in ictu oculi. Sed ea verba ad Chriſtum in primis referuntur, qui ſedens ad dexteram Patris, terram Apoſtolis ſuis diviſit, ut Evangelii luce eam complerent. *Montes ſæculi*: conditi ab initio, vel principes ſæculi, ſub egreſſu Dei æterni depreſſi ſunt propter Dei æterni adventum.

7. (*g*) Adverſus iniquitatem Iſraelitarum erecta. Loquitur etiam de judicio adverſus eos, qui Chriſto non obediunt, atque eos Æthiopum nomine deſignat, ob morum deformitatem, ut Amos 9. *Numquid non ut Filii Æthiopum vos eſtis mihi Filii Iſrael? Pelles*, Tabernacula Madian concutientur & diſſipabuntur.

8. (*h*) Cum Jordanis retrorſum actus eſt? An potius ut populum tuum ſalvares, hæc feciſti prodigia? Alludit ad mare rubrum & Jordanem; ſed multo magis ad ſigna quæ finem ſæculi præcedent, & ad ſuperiorem ſententiam adpertinet; Hebr. *Qui aſcendes ſuper equos tuos*, & ſuper currus bellicos, ut ſalves ſervos tuos

9. (*i*) Corripies arcum, qui quodam modo jacebat. *Juramenta tribubus*: Suſcitabis juramenta quæ tribubus Iſrael, ſeu electis tuis præſtitiſti. *Fluvios ſcindes*, Potentiam impiorum ſubvertes; vel fluvii e terra erumpent, ut populo tuo potum præbeant.

10. (*k*) Poteſtates hujus ſæculi tempeſtates adverſus ſervos tuos excitarunt: ſed omnis eorum impetus tranſiit. *Dedit abyſſus vocem ſuam*; infernus; quæ eſt proſopopeia; *Dare vocem ſuam*, eſt acclamare & approbare. *Altitudo*, Cæli, aut Angeli ſunt gratulati.

11. (*l*) Joſue temporibus; vel ſol & luna prius obtenebrata, converſa in tenebras & ſanguinem, Joelis 2. lumen ſuum receperunt. *In luce*; redit ad illud verſ. 10. *Viderunt te*: Impii territi ſagittis tuis igneis, quæ ſunt fulgura & coruſcationes: Apocal. 16. *Fulgurantis haſtæ tuæ*, fulminum.

12. (*m*) Furore plenus nationes omnes perterrefacies.

13. (*n*) Ut ſalvares populum tuum cum Chriſto tuo; cum illo eris. *Caput*, dæmonem ipſum, vel Antichriſtum. Vel de populi liberatione, & exitu ab Ægypto, hoc loco agit Propheta.

14. Maledixisti sceptris ejus, capiti (*o*) bellatorum ejus, venientibus ut turbo ad dispergendum me.

Exultatio eorum, sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito.

15. Viam (*p*) fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.

16. Audivi, & conturbatus (*q*) est venter meus: a voce contremuerunt labia mea.

Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat.

Ut requiescam in die tribulationis: ut ascendam ad populum accinctum nostrum.

17. Ficus (*r*) enim non florebit: & non erit germen in vineis.

Mentietur opus olivæ: & arva non afferent cibum.

Abscindetur de ovili pecus: & non erit armentum in præsepibus.

18. Ego autem in Domino gaudebo (*s*): & exultabo in Deo Jesu meo.

19. Deus Dominus fortitudo mea: & ponet pedes meos quasi cervorum.

Et super excelsa mea deducet (*t*) me victor in psalmis canentem.

14. (*o*) Caput eorum contudisti, tyrannicam dæmonis potentiam evertisti, simul perdidisti duces & bellatores ejus. *Exultatio eorum:* putabant impii nos confusum iri, & perditum; & exultabant, ut dives solet cum vult spoliare pauperem in abscondito: Aut de Pharaone pergit dicere.

15. (*p*) Quamvis justi aquis calamitatum obruantur, ut fortis bellator eos erues. In sensu historico exercitus Pharaonis cladem commemorat.

16. (*q*) Postquam ostendisti mihi, quam gravia de inimicis tuis sumas supplicia. *A voce*, Audita voce tua. *Ingrediatur putredo;* Veniant in me omnia mala, & ossa mea putredine impleantur, dum in die judicii securus sim. *Ut ascendam;* sic nonnulli exponunt; Adversus populum meum hostes insurrexerunt; eo terrore sic percussus sum, ut in eum venerim statum, in quo homo ad intima usque consumi se sentit: hanc Chaldæorum crudelitatem sine summo dolore videre non potui. Vel secundum Vulgatam hic sensus esse potest; cum audivi mala, quibus Deus populum suum percussurus est, optavi me dolore consumi, ut morerer, antequam ea evenirent mala. *Accingere;* apud Hebræos est parare se ad prælium. Hieron. vertit, *Ad populum accinctum nostrum;* & exponit ad populum fortem, bellatorem & pugnacem, qui scilicet cum Antichristo & ejus sectatoribus pugnet. Sic Lib. 2. contra Pelag. *Computrescant* ossa mea, & super me vermes scateant, tantum ut requiescam in die angustiæ. & ascendam ad populum fortem meum, ut me illi adjungam, cum hostes adversus eum incurrent.

17. (*r*) Magna tum erit virtutum sterilitas. *Non afferent cibum*, fructum; fames in proximo erit.

18. (*s*) Propter bona mihi ab eo data: *Et exultabo in Deo Jesu meo:* nomen Jesu scriptum est per abbreviationem litterarum: LXX. *In Deo salvatore meo.*

19. (*t*) Dabit corpori meo agilitatem, ut in cælum cum Domino meo ascendam. Hieronym. Canam victoriam ejus, triumphum, & trophæum crucis. Unde psalmi qui hunc habent titulum, canuntur Christo victori, & liberatori nostro.

PRO-

PROPHETIA SOPHONIÆ.

PAUCIS ante captivitatem annis sub Josia vaticinatus est: duas tribus ad pœnitentiam invitat.

CAPUT PRIMUM.

Excidium Jerosolymæ prædicit, & quam amara futura sit dies ultionis declarat.

1. VERBUM Domini, quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filii Godoliæ, filii Amariæ, filii Ezeciæ, (*a*) in diebus Josiæ filii Amon regis Judæ.

2. Congregans (*b*) congregabo omnia a facie terræ, dicit Dominus.

3. Congregans hominem, & pecus, congregans volatilia cæli, & pisces maris: & ruinæ impiorum erunt: & dispergam homines a facie terræ, dicit Dominus.

4. Et extendam manum meam super Judam, & super omnes habitantes Jerusalem: & dispergam de loco hoc reliquias Baal, & nomina æditüorum cum sacerdotibus:

5. Et eos, qui adorant super tecta militiam cæli, & adorant, & jurant in Domino, & jurant in Melchom (*c*).

6. Et qui avertuntur de post tergum Domini (*d*), & qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum.

7. Silete (*e*) a facie Domini Dei: quia juxta est dies Domini, quia præparavit Dominus hostiam, sanctificavit vocatos suos.

8. Et erit: in die hostiæ Domini visitabo (*f*) super principes, & super filios regis, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina:

9. Et visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen (*g*) in die illa: qui complent domum Domini Dei sui iniquitate, & dolo.

10. Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris a porta piscium (*h*), & ululatus a Secunda, & contritio magna a collibus.

11. Ululate habitatores Pilæ (*i*): conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt omnes involuti argento.

12. Et erit in tempore illo: scrutabor Jerusalem in lucernis (*k*): & visitabo super viros defixos in fæcibus suis: qui dicunt in cordibus suis: Non faciet bene Dominus, & non faciet male.

13. Et erit fortitudo eorum in direptionem, & domus eorum in desertum: & * ædificabunt domos, & non habitabunt, & plantabunt vineas, & non bibent vinum earum. * Amos 5. 11.

14. Juxta est dies Domini magnus, juxta est & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis.

15. * Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis. * Jer. 30. 7. Joel 2. 11. Amos 5. 18.

16. Dies tubæ & clangoris (*l*) super civitates munitas, & super angulos excelsos.

17. Et tribulabo homines, & ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt: & effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora.

18. * Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini: * in igne zeli (*m*) ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. * Ezech. 7. 19. * Inf. 3. 8.

CA-

CAPUT I. 1. (*a*) Non utique regis; neque enim alius Ezechiæ Filius in Lib. Reg. & Paralip. præter Manassem recensetur: hic fuit Jeremiæ coætaneus.

2. (*b*) Hebr. *Delens delebo*, Congregabo ut perdam.

5. (*c*) Idolo Ammonitarum, qui eodem ore jurant per Deum verum & falsum.

6. (*d*) Qui licet idola non colant, Dominum tamen non sequuntur. *Nec investigaverunt eum;* Nec prius, nec postea quæsierant: geminatione verbi idem significantis, eorum pertinaciam in peccando indicat.

7. (*e*) Timore perculsi: silere in Scriptura sæpe cessationem ab omni opere significat. *Sanctificavit*. Chald. Convocavit. Chaldæos, ut per eorum gladios occiderentur Judæi tamquam victimæ. Sanctificare jejunium, est jejunium indicere.

8. (*f*) Decernam supplicium. *Veste peregrina*, Qui cum vestibus mores & ritus peregrinos induerunt.

9 (*g*) Templi. *Iniquitate;* Vel idolis, impiis sacrificiis.

10. (*h*) Quæ ducebat Diospolim, per quam forte irruperant Chaldæi.

11. (*i*) Contundendi in mortem: hoc nomine designat vallem Siloe inter duos colles interjectam. *Populus Chanaan;* sic vocat Judæos.

12. (*k*) Cum a Chaldæis diripietur qui abditissima quæque loca penetrant: typice extremum judicium indicat. *Non faciet bene Dominus*. Non reddet justis præmia: non *faciet male*, nec supplicia impiis. *In fæcibus suis*. Qui divinæ providentiæ cogitationem omnem abjiciunt.

16 (*l*) Tubæ personabunt ubique. *Et super angulos excelsos*, turres & propugnacula, quæ in murorum angulis posita erant.

18. (*m*) Zelum vocat vindictam, quod Synagogam ut uxorem habeat, in similitudinem mariti, peccatum ulciscentur uxoris.

CAPUT II.

Invitat Judæos ad pœnitentiam, ne cum aliis nationibus clade imminente involvantur.

1. Convenite, congregamini (*a*) gens non amabilis:
2. Priusquam pariat jussio (*b*) quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini, antequam veniat super vos dies indignationis Domini.
3. Quærite Dominum omnes mansueti (*c*) terræ, qui judicium ejus estis operati: quærite justum, quærite mansuetum: si quomodo abscondimini in die furoris Domini.
4. Quia Gaza (*d*) destructa erit, & Ascalon in desertum, Azotum in meridie ejicient, & Accaron eradicabitur.
5. Væ qui habitatis funiculum (*e*) maris, gens perditorum: verbum Domini super vos Chanaan terra Philisthinorum, & disperdam te, ita ut non sit inhabitator.
6. Et erit funiculus (*f*) maris requies pastorum, & caulæ pecorum:
7. Et erit funiculus ejus, qui remanserit de domo Juda: ibi pascentur, in domibus Ascalonis (*g*) ad vesperam requiescent: quia visitabit eos Dominus Deus eorum, & avertet captivitatem eorum.
8. Audivi opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Ammon: quia exprobraverunt populo meo, & magnificati (*h*) sunt super terminos eorum.
9. Propterea vivo ego, dicit Dominus exercituum Deus Israel, quia Moab ut Sodoma erit, & filii Amon quasi Gomorrha, siccitas spinarum, & acervi salis, & desertum usque in æternum: reliquiæ populi mei diripient eos, & residui gentis meæ possidebunt illos.
10. Hoc eis eveniet pro superbia sua: quia blasphemaverunt, & magnificati sunt super populum Domini exercituum.
11. Horribilis Dominus super eos, & attenuabit omnes deos terræ: & adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ (*i*) Gentium.
12. Sed & vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis.
13. Et extendet manum suam super Aquilonem (*k*), & perdet Assur: & ponet speciosam in solitudinem, & in invium, & quasi desertum.
14. * Et accubabunt in medio ejus greges, omnes bestiæ Gentium: & onocrotalus, & ericius in liminibus ejus morabuntur: vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari, quoniam attenuabo robur ejus. * *Isai.* 34. 11. 5.
15. Hæc est civitas gloriosa habitans in confidentia: quæ dicebat in corde suo: Ego sum, & extra me non est alia amplius: quomodo facta est in desertum cubile bestiæ? omnis, qui transit per eam, sibilabit, & movebit manum suam.

CAPUT III.

Primi versiculi ad captivitatem Babylonicam, posteriores ad Christum videntur pertinere.

1. Væ provocatrix (*a*), & redempta civitas, columba.
2. Non audivit vocem, & non suscepit disciplinam: in Domino non est confisa, ad Deum suum non appropinquavit.
3. * Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes: judices ejus lupi vespere, non relinquebant in mane. * *Ezec.* 22. 27. *Mich.* 3. 11.
4. Prophetæ ejus vesani, viri infideles: sacerdotes ejus polluerunt sanctum, injuste egerunt contra legem:
5. Dominus justus in medio ejus non faciet (*b*) iniquitatem: mane mane judicium suum dabit in lucem, & non abscondetur: nescivit autem iniquus confusionem.
6. Disperdidi Gentes, & dissipati sunt anguli (*c*) earum: desertas feci vias eorum, dum non est qui transeat: desolatæ sunt civitates eorum, non remanente viro, neque ullo habitatore.
7. Dixi (*d*): Attamen timebis me, suscipies disciplinam: & non peribit habitaculum ejus, propter omnia in quibus visitavi eam: verumtamen diluculo surgentes corruperunt omnes cogitationes suas.

8. Qua-

CAP. II. 1. (*a*) Ipse ad pœnitentiam vocat, ne faciat quod minatus est. *Gens non amabilis*, sine affectione, LXX. *Sine disciplina*; vel quæ Dei amore indigna est.

2. (*b*) Priusquam Dei mandatum diem efficiat velut pulverem cum impetu venientem: ex Hebr. Diem in quo instar paleæ disjiciemini: antequam Deus jussu suo pariat diem excidii Jerusalem, qui dies veniet subito, ut pulvis qui a vento rapitur, & transit.

3. (*c*) Humiles inter malos relicti. *Quærite justum*: Hebr. Justitiam. *Si quomodo abscondamini*: dubitantis more loquitur, ut innuat tot & tanta fore supplicia, ut vix justi liberentur.

4. (*d*) Tantus erit Chaldæorum furor, ut non Judæam modo, sed etiam terram Palæstinorum, & urbes vastent munitissimas.

5. (*e*) Palæstinam, quæ longa erat & angusta. *Gens perditorum*. Regio Philisthinorum ad Austrum posita, ut quidam opinantur; aut potius gens tota Palæstinorum; vos qui alios perdere solebatis.

6. (*f*) Littus maris: requies pastorum: prædicit fore, ut post captivitatem in Judæorum ditionem veniat Palæstina.

7. (*g*) Post reditum a captivitate in rudetibus Ascalonis requiescent pastores Judæi.

8. & 9. (*h*) Dilatati; aut superbe, & cum irrisione locuti sunt contra Judæorum terminos. Vacui sunt, eos occupabimus. *Possidebunt*, quod impletum fuit Machabæorum temporibus.

11. (*i*) Hebr. Omnes gentium regiones transmarinæ. *Et adorabunt eum*; Diversarum nationum homines Deum verum adorabunt, non in solo templo Jerusalem, sed quisque in sua regione; non in sola Judæa, sed ubique erunt templa. Hæc impleta sunt in lege nova. *Attenuati sunt*, Christus per incarnationem falsos deos in nihilum redegit.

13. & 14. (*k*) Exitium Ninives prædicit paullo post futurum, ut alibi ostendimus. *Speciosam*, Urbis pulchritudinem designat. *Onocrotalus*, Pelicanus.

CAP. III. 1. (*a*) Civitas, toties liberata, quæ Deum provocat ad iracundiam. Hebr. *Polluta*, & stolida, ut columba sine intellectu. *Non audivit vocem Domini*, per Prophetas sermonem convertit ad Jerusalem.

5. (*b*) Non favebit iniquitati. *Mane, mane*. Citissime, vel quotidie. De illa sumet supplicium manifestum. *Confusionem*; Qui sunt in Jerusalem iniqui, numquam confusi sunt, nec pœnitentiam egerunt.

6. (*c*) Turres in murorum angulis constitutæ, vel principes populi Hebræi: sed probabilius videtur de aliis gentibus vastatis eum loqui.

7. (*d*) Cum hæc fecissem, dixi per Prophetas. *Habitaculum ejus*, Habitaculum tuum. *Visitavi eam*, Contentus ero pœnis levioribus, quas hactenus dederunt, nec vastaberis, si in posterum timeas.

8. Quapropter expecta (*e*) me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia judicium meum ut congregem Gentes, & colligam regna: & effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei: * in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra.

*Sup. 1. 18.

9. Quia tunc reddam populis labium (*f*) electum ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno.

10. Ultra flumina Æthiopiæ (*g*), inde supplices mei, filii dispersorum meorum deferent munus mihi.

11. In die illa non confunderis (*h*) super cunctis adinventionibus tuis, quibus prævaricata es in me: quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ, & non adjicies exaltari amplius in monte sancto meo.

12. Et derelinquam in medio tui populum pauperem (*i*) & egenum: & sperabunt in nomine Domini.

13. Reliquiæ (*k*) Israel non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, & non invenietur in ore eorum lingua dolosa: quoniam ipsi pascentur, & accubabunt, & non erit qui exterreat.

14. Lauda (*l*) filia Sion: jubila Israel; lætare, & exulta in omni corde filia Jerusalem.

15. Abstulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos: rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra.

16. In die illa dicetur Jerusalem: Noli timere: Sion, non dissolvantur manus tuæ.

17. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit: gaudebit super te in lætitia, silebit (*m*) in dilectione sua, exultabit super te in laude.

18. Nugas (*n*), qui a lege recesserant congregabo, quia ex te erant: ut non ultra habeas super eis opprobrium.

19. Ecce ego interficiam omnes, qui afflixerunt te in tempore (*o*) illo: & salvabo claudicantem: & eam, quæ ejecta fuerat, congregabo: & ponam eos in laudem, & in nomen, in omni terra confusionis eorum.

20. In tempore illo, quo adducam (*p*) vos: & in tempore, quo congregabo vos: dabo enim vos in nomen, & in laudem omnibus populis terræ, cum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus.

8. (*e*) Hæc verba ex Hebræo & Vulgata ad Christum omnino referuntur. *Ut congregem gentes*, Id stium ut in extremo judicio ignis devoret terram. Cum Apostoli missi sunt a Deo ut Ecclesiam fundarent, Christum ut salvatorem & judicem mundi prædicarunt, ut Paulus Apostol. Actor. 17 ubi finem extremi judicii cum resurrectione Christi conjungit; idque ex contextu totius capitis manifestum est. *Et effundam super eos*, Judæos, *omnem iram furoris mei*.

9. (*f*) Et jam plures deos non nominabunt, sed unum agnoscent. *Et serviant ei humero uno*; Ut eodem spiritu jugum ejus ferant, una mente, eodem spiritu ei serviant.

10. (*g*) Æthiopes & remotiores Afri ex gentes Evangelium excipient. De his loquitur Isaias, cap. 18. *Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ. Qui mittit in mare legatos, & in vasis papyri*: papyrus autem nascitur in paludibus Ægypti, & quiescentibus Nili aquis.

11 (*h*) Synagogam alloquitur, & filios ejus, qui ad fidem Christi convertentur. *Magniloquos*, Qui verbis magnificis superbiam tuam fovebant, magistros elatos, Scribas & Pharisæos, de quibus superbiebas. *In monte sancto meo*; in hoc Judæi valde gloriabantur, quod soli haberent templum veri Dei.

12. (*i*) *Sept. Mitem & humilem*: quæ Ecclesiæ omnino conveniunt. Nam pro Scribis & Pharisæis dabo tibi Apostolos & discipulos pauperes, mansuetos & humiles.

13 (*k*) Judæi in exordio nascentis Ecclesiæ pauci quidem fuerunt. Sic Isaiæ vaticinium exponit Paulus. Roman. 9. *Mendacium*, pro noxio & gravi mendacio sumitur, ut observat Melchior Canus, Lib. 4. cap. ultimo. *Et accubabunt*, in Ecclesia, in loco tutissimo.

14 & 15. (*l*) Præ lætitia in laudes prorumpe, o Ecclesia. *Abstulit*. Delevit sententiam condemnationis; peccata tua sustulit.

17. (*m*) Præ amore tui peccata tua condonabit. *Exultabit*: Exultare te faciet.

18 (*n*) Homines nugaces, vel liberos vestros congregabo. Hieron. in hunc locum: *Id, inquit, quod diximus, nugas, sciamus in Hebræo ipsum Latinum esse sermonem, & propterea a nobis, ita ut in Hebræo erat, positum, ut nosse possimus linguam Hebraicam omnium linguarum esse matricem. Significat etiam abjectum & contemptum. Hinc Propheta vocat nugaces & mendaces eos, qui a lege recesserunt, Christum rejiciendo, quem servare promiserant; quos tamen congregandos ait, ac loquitur de conversis ex Judaismo. De iis autem qui postea sunt convertendi, mox ait; Et salvabo claudicantem*, &c.

19 (*o*) Eodem ipso tempore quo hæc fient, per Romanos interficiam Judæos, qui te, o Ecclesia mea, sunt persecuti. *Et salvabo claudicantem*, Synagogam, quæ Deum verum adorat, Jesum ejus filium rejicit. *Ejectam*, cui libellum repudii dedi. Osee 2. *Colligam eam quam ejeceram*. Vel *claudicantem*, afflictam, & oppressam, ex LXX. interpretibus.

20. (*p*) Ubique prædicato Evangelio, & conversis omnibus prædestinatis, ex omnibus nationibus vos adducam.

PROPHETIA AGGÆI.

CAPUT PRIMUM.

Judæos adhortatur ad Templi fabricam; hanc esse Dei voluntatem docet.

1.Esdr.6.1. 1. N anno secundo Darii regis, in mense sexto (*a*), in die una mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Juda, & ad Jesum filium Josedech, sacerdotem magnum, dicens:

2. Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.

3. Et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens:

4. Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta?

5. Et nunc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras.

* Deut. 28. 6. Seminastis * multum, & intulistis parum:
13. comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non
Mich. 6 15. estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.

7. Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite (*b*) corda vestra super vias vestras:

8. Ascendite in montem (*c*), portate ligna, & ædificate domum: & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus.

9. Respexistis (*d*) ad amplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domum, & exsufflavi illud: quam ob causam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea deserta est, & vos festinatis unusquisque in domum suam.

10. Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen suum:

11. Et vocavi siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quæcumque profert humus, & super homines, & super jumenta, & super omnem laborem manuum.

12. Et audivit Zorobabel filius Salathiel, & Jesus filius Josedech sacerdos magnus, & omnes reliquiæ (*e*) populi vocem Domini Dei sui, & verba Aggæi prophetæ, sicut misit eum Dominus Deus eorum ad eos: & timuit populus a facie Domini.

13. Et dixit Aggæus nuntius Domini de nuntiis Domini, populo dicens: Ego vobiscum sum, dicit Dominus.

14. Et suscitabit Dominus spiritum Zorobabel filii Salathiel, ducis Juda, & spiritum Jesu filii Josedech sacerdotis magni, & spiritum reliquorum de omni populo: & ingressi sunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui.

CAPUT II.

Ad substructionem templi Judæos excitat, ac de hujus templi gloria propter Christi præscientiam vaticinatur.

1. IN die vigesima & quarta mensis (*a*), in sexto mense, in anno secundo Darii regis,

2. In septimo mense, vigesima & prima mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens:

3. Loquere ad Zorobabel filium Salathiel ducem Juda, & ad Jesum filium Josedech sacerdotem magnum, & ad reliquos populi, dicens:

4. Quis in vobis est derelictus (*b*), qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?

5. Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus: & confortare Jesu fili Josedech sacerdos magne, & confortare omnis populus terræ (*c*), dicit Dominus exercituum: & facite (quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum)

6. Ver-

CAPUT I. 1. (*a*) Augusto mense, cum fruges in horrea intulissent parcissimas, opportune Propheta caussam sterilitatis affert. *Ad Zorobabel filium Salathiel*, filii Jechoniæ; & distinguitur ab alio Zorobabel filio Phadaiæ, filii ejusdem Jechoniæ & fratre ejusdem Salathiel ex Lib. 1. Paralipom. cap. 3. In genealogia Matthæi & Lucæ alter est Zorobabel pater Abiud, alter pater est Booz, & utriusque pater vocabatur Salathiel.

7 (*b*) Advertite animum ad statum rerum vestrarum, & videbitis vos ipsos calamitatis vestræ auctores esse.

8. (*c*) Ut ligna afferatis ad structuram templi. *Et acceptabilis mihi erit*, Domus quam ædificabitis mihi, grata erit. *Et glorificabor*, Laudabor ab hominibus.

9 (*d*) Hieron. *Cum jam canescerent segetes, & messium tempus instaret. Messuistis vacuos culmos, & inanes stipulas sine spicarum frugibus congregastis.*

12 & 13 (*e*) Qui ex magna populi multitudine Babylonem deportata redierunt in Judæam. *Nuntius*, Unus e Prophetis Domini.

CAP. II. 1. (*a*) Hæc verba multis videntur ad finem capitis superioris pertinere; tumque cœpisse materiam templo exstruendo præparari.

4. (*b*) Cur hoc dicat, intelligimus ex c. 3. Esdræ. *Et quid vos videtis?* Nullius pretii, comparatione prioris, vobis videtur.

5 & 6 (*c*) Non propterea despondeas animum. *Verbum*, Hieron. *Ego enim sum vobiscum, & sermo meus quem pepigi: non deero vobis, recordabor verbi mei, promissorum. Et spiritus meus*, Spiritus Sanctus qui vos tuebitur.

6. Verbum quod pepigi vobiscum cum egrederemini de Terra Ægypti : & spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere.

* Heb. 12. 26. 7. Quia hæc dicit Dominus exercituum : * Adhuc unum modicum (d) est, & ego commovebo cælum, & terram, & mare, & aridam.

8. Et movebo omnes Gentes : Et veniet desideratus cunctis Gentibus : & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.

9. Meum (e) est argentum , & meum est aurum, dicit Dominus exercituum.

10. Magna (f) erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum : & in loco isto dabo pacem , dicit Dominus exercituum.

11. In vigesima & quarta noni mensis , in anno secundo Darii regis , factum est verbum Domini ad Aggæum prophetam, dicens :

12. Hæc dicit Dominus exercituum : Interroga sacerdotes legem, dicens :

13. Si tulerit homo carnem sanctificatam in ore vestimenti sui , & tetigerit de summitate ejus panem (g) , aut pulmentum, aut vinum , aut oleum , aut omnem cibum : numquid sanctificabitur ? Respondentes autem sacerdotes , dixerunt : Non.

14. Et dixit Aggæus : Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his , numquid contaminabitur ? Et responderunt sacerdotes , & dixerunt, Contaminabitur.

15. Et respondit Aggæus, & dixit : Sic populus iste, & sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, & sic omne opus manuum eorum : & omnia quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt.

16. Et nunc ponite corda vestra a die hac & supra, antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini.

17. Cum accederetis ad acervum viginti modiorum, & fierent decem, & intraretis ad torcular , ut exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti.

18. * Percussi vos vento urente , & aurugine , & grandine omnia opera manuum vestrarum : & non fuit in vobis , qui reverteretur ad me , dicit Dominus. * Amos 4. 9.

19. Ponite corda vestra ex die ista , & in futurum , a die vigesima & quarta noni mensis : a die , qua fundamenta jacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum.

20. Numquid jam semen in germine est : & adhuc vinea , & ficus , & malogranatum , & lignum olivæ non floruit ? ex die ista benedicam.

21. Et factum est verbum Domini secundo ad Aggæum in vigesima & quarta mensis , dicens :

22. Loquere ad Zorobabel ducem Juda , dicens : Ego movebo (h) cælum pariter & terram.

23. Et subvertam (i) solium regnorum , & conteram fortitudinem regni Gentium : & subvertam quadrigam , & ascensorem ejus : & descendent equi , & ascensores eorum : vir in gladio fratris sui.

24. In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam (k) te, * Zorobabel fili Salathiel serve meus , dicit Dominus : & ponam te quasi signaculum , quia te elegi , dicit Dominus exercituum. * Eccli 49. 13.

7. (d) Apertum est vaticinium de Christo post breve tempus venturo. Apost. Hebr. 12. hunc locum citans docet Deum antea movisse terram semel, nimirum in monte Sinai , nunc autem promittere fore ut non solum terram , sed & cælum commoveat : nam Christus suo sanguine non solum terrestria , sed & cælestia instauravit, ac terrenos homines per suam gratiam in spirituales convertit . Moveri autem, aut commoveri dicuntur ea, in quibus res novæ fiunt & admirabiles.

9. (e) Si alius vobis id promitteret , merito dubitaretis : sed me hoc promittente , quæ potest esse dubitandi caussa ? Neque aurum vestrum , vel argentum posco : hæc enim mea sunt.

10. (f) Quod non solum allegorico sensu & potissimum a Spiritu Sancto intento de Ecclesia , sed etiam in sensu historico de templo ab Herode instaurato & præsentia Domini illustrato verum est. Vos ædificate domum, hanc ego a parvis initiis ad magnam gloriam proveham : sed prius cælum & terram commovebo , & veniet desideratus cunctis gentibus . *Et in loco isto dabo pacem* : historico sensu de pace Judæis data loquitur Deus , ut templum reædificare possent ; allegorico genuino sensu de pace Ecclesiæ futura.

13. (g) Levit. 6. Caro hostiæ Deo oblatæ id sanctificabat quod tangebat , ut vestem : sed vestis ipsa hanc sanctitatem aliis rebus non tribuebat : cum legalis immunditia , ut corporis mortui contactus, immundum efficeret quidquid attigerat. Sic erratis, cum hostias, quas mihi affertis, vos sanctificare arbitramini, quamdiu templum mihi ædificare negligitis : sed homo immundus, quales estis negligentia vestra, quidquid attigerit, immundum facit . Sic opera vestra & victimæ vos immundos faciunt, quamdiu cessatis, & præ socordia templum mihi non extruitis . Judæi etiam si templum non haberent, altare tamen extruxerant, in quo hostias immolarent. **Esd. 3.** Similitudo e sacrificiis petitur , & ex legali **munditia & immunditia**, de vera animæ sanctitate sermo est.

22. (h) Tempus adventus Christi designat : cum Filius meus veniet , multa regna destruentur.

23. (i) Regnum Romanorum bellis civilibus extenuabitur. *Regni gentium* : Quod sibi alia regna subjecerat , postea subvertetur. Et *descendent*, Ellipsis, in mortem. Deus revera Persarum Monarchiam per Græcos evertit, ut Græcorum imperium per Romanos.

24. (k) Cadentibus aliis regnis & Romanorum imperio , regnum Christi divina providentia servabitur : atque utut ad Zorobabel hoc vaticinium referatur, solet Scriptura quibusdam ea promittere, quæ in eorum posteris implentur : ut Gen. 12. *In te benedicentur universæ cognationes terræ.*

PROPHETIA ZACHARIÆ.

ZACHARIAS in eodem verſatur argumento; quod Aggæus brevi ſermone perſtrinxit: Judæos ad templi conſtructionem adhortatur, ſed multa prophetico ſtylo de Chriſto vaticinatur; ſymbolis utitur ſubobſcuris, ut quadrigis, oculis, volumine, candelabro, quæ eventus ipſe in Chriſto, & Apoſtolis illuſtrat. Prophetavit anno ſecundo Darii Hyſtaſpis.

CAPUT PRIMUM.

Prioribus verſiculis deterret Judæos ab idololatria, & ab aliis ſceleribus, tum per equos varii coloris deſcribit Judæorum ſtatum.

1. IN menſe octavo, in anno ſecundo Darii regis, factum eſt verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiæ (*a*) filii Addo, prophetam, dicens:

2. Iratus eſt Dominus ſuper patres veſtros iracundia:

3. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: * Convertimini (*b*) ad me, ait Dominus exercituum: & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.

* *Iſai.* 21. 12. & 31. 6. & 45. 22. *Jer.* 3. 12. *Ezech.* 18. 30. & 33. 11. *Oſee* 14. 2. *Joel* 2. 12. *Malach.* 3. 7.

4. Ne ſitis ſicut patres veſtri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes: Hæc dicit Dominus exercituum: Convertimini de viis veſtris malis, & de cogitationibus veſtris peſſimis: & non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus.

5. Patres veſtri ubi ſunt? & prophetæ (*c*) numquid in ſempiternum vivent?

6. Veruntamen verba mea, & legitima mea, quæ mandavi ſervis meis prophetis, numquid non comprehenderunt patres veſtros, & converſi (*d*) ſunt, & dixerunt: Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis ſecundum vias noſtras, & ſecundum adinventiones noſtras, fecit nobis?

7. In die vigeſima & quarta undecimi menſis Sabath, in anno ſecundo Darii, factum eſt verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filii Addo, prophetam, dicens:

8. Vidi per noctem, & ecce vir (*e*) aſcendens ſuper equum rufum, & ipſe ſtabat inter myrteta, quæ erant in profundo: & poſt eum equi rufi, varii, & albi.

9. Et dixi: Quid ſunt iſti, Domine mi? & dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me: Ego oſtendam tibi quid ſint hæc.

10. Et reſpondit vir, qui ſtabat inter myrteta, & dixit: Iſti ſunt, quos miſit Dominus ut perambulent terram.

11. Et reſponderunt Angelo Domini, qui ſtabat inter myrteta, & dixerunt: Perambulavimus (*f*) terram, & ecce omnis terra habitatur, & quieſcit.

12. Et reſpondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum, uſquequo tu non miſereberis Jeruſalem, & urbium Juda, quibus iratus es: Iſte jam ſeptuageſimus (*g*) annus eſt.

13. Et reſpondit (*h*) Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba conſolatoria.

14. Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me: Clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: * Zelatus (*i*) ſum Jeruſalem, & Sion zelo magno. * *Inf.* 8. 2.

15. Et

CAPUT I.

1. (*a*) Multi opinantur eum eſſe, cujus fit mentio Matth. 23. nam Lucæ 11. de morte Prophetarum loquitur Dominus.

3. (*b*) Concil. Trident. Seſſ. 6. cap. 5. *Cum dicitur in ſacris litteris, Convertimini ad me, & ego convertar ad vos; libertatis noſtræ admonemur; cum reſpondemus, Converte nos ad te, & convertemur; Dei nos gratia præveniri confitemur.*

5. (*c*) Sive de Pſeudoprophetis id intelligamus cum Hieronymo; idque per irrſionem dictum, cum illi partim in bello, partim in captivitate perierint, tametſi omnia proſpera pollicerentur; ſeu de veris Prophetis, qui conditione erant mortali, cum verba Prophetarum viva ſint & efficacia, nec pereant umquam. Tum is ſenſus futurus eſt: Non ſemper vobiſcum erunt veri Prophetæ, qui vos ad virtutem adhortentur.

6. (*d*) Multi ex patribus veſtris perſuaſi a Prophetis converſi ſunt ad me per pœnitentiam, cum tot malis premerentur.

8. (*e*) Vir ille Chriſtum Dominum adumbrabat, ut in Apocal. ubi veſtimento ſanguine tincto indutus apparet, ob paſſionem: milites quoque ejus ſuper equos aut rufos aut Martyres, aut albos ut Virgines & Innocentes, aut varios, ob diverſa ſpiritus dona aſcenderant. Hebræi Michaelem Archangelum fuiſſe opinantur, qui erat cuſtos Judæorum. *Inter myrteta*, quæ animas in Eccleſia exultas adumbrant: *Quæ erant in profundo*: Angelus erat in lacu, aut fluvio, in cujus ripa erant myrti; *Et poſt eum equi rufi*, equorum ſeſſores, Angeli cuſtodes.

11. (*f*) Miniſtri Eccleſiæ a Deo miſſi, ad Dominum ſæpe redeunt. *Et quieſcit*; ineunte Darii imperio, cuncta in pace erant, in ſenſu hiſtorico.

12. (*g*) Septuaginta anni Jeremiæ, cap 25. & 29. ab anno quarto Joakim cœpti, in annum primum Cyri deſinunt; 70. anni Zechariæ, ab undecimo anno Sedeciæ, cum templum incendio abſumptum eſt, in anno ſecundo Darii finiuntur: de his diximus alibi fuſius; ac præter ceteros hoc argumentum copioſe tractat Fr. Ribera in hunc locum.

13. (*h*) Dominus Angelum qui in me loquebatur affatus, bona verba locutus eſt & conſolationis plena.

14. (*i*) Zelus eſt cum male eos tractari videmus, quos valde amamus; eſtque dolor ira & amore mixtus.

15. Et ita magna ego irafcor fuper gentes opulentas : quia ego iratus fum parum (*k*), ipfi vero adjuverunt in malum.

16. Propterea hæc dicit Dominus : Revertar ad Jerufalem in mifericordiis : & domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum : & perpendiculum extendetur fuper Jerufalem.

17. Adhuc clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc affluent civitates meæ bonis : & confolabitur adhuc Dominus Sion, & eliget adhuc Jerufalem.

18. Et levavi oculos meos, & vidi : & ecce quatuor cornua (*l*).

19. Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me : Quid funt hæc ? & dixit ad me, Hæc funt cornua, quæ ventilaverunt Judam, & Ifrael, & Jerufalem.

20. Et oftendit mihi Dominus quatuor fabros (*m*).

21. Et dixi : Quid ifti veniunt facere? Qui ait, dicens: Hæc funt cornua, quæ ventilaverunt Judam per fingulos viros, & nemo eorum levavit caput fuum : & venerunt ifti deterrere ea, ut dejiciant cornua gentium, quæ levaverunt cornu fuper terram Juda, ut difpergerent eam.

CAPUT II.

Inftaurationem templi & urbis promittit Deus. Senfus allegoricus eft de Ecclefia Chrifti.

1. ET levavi oculos meos, & vidi : & ecce vir, & in manu ejus funiculus menforum (*a*).

2. Et dixi : Quo tu vadis? Et dixit ad me : Ut metiar Jerufalem, & videam quanta fit latitudo ejus, & quanta longitudo ejus.

3. Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur (*b*), & Angelus alius egrediebatur in occurfum ejus.

4. Et dixit ad eum : Curre, loquere ad puerum iftum, dicens: Abfque muro habitabitur Jerufalem præ multitudine hominum, & jumentorum in medio ejus.

5. Et ego ero ei, ait Dominus, murus (*c*) ignis in circuitu : & in gloria ero in medio ejus.

6. O, o fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus : quoniam in quatuor ventos (*d*) cæli difperfi vos, dicit Dominus.

7. O Sion, fuge quæ habitas apud filiam Babylonis.

8. Quia hæc dicit Dominus exercituum : Poft gloriam mifit me ad gentes (*e*), quæ fpoliaverunt vos : qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.

9. Quia ecce ego levo manum meam fuper eos, & erunt prædæ his, qui ferviebant fibi : & cognofcetis quia Dominus exercituum mifit me.

10. Lauda & lætare filia Sion : quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus.

11. Et applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui : & fcies (*f*) quia Dominus exercituum mifit me ad te.

12. Et poffidebit Dominus Judam partem fuam in terra fanctificata : & eliget adhuc Jerufalem.

13. Sileat omnis caro a facie Domini : quia confurrexit de habitaculo fancto fuo.

CAPUT III.

Jefus filius Jofedech depofitis captivitatis veftimentis jubetur ftare coram Domino, & caput tegere cidari munda : multa de Chrifto fubjicit.

1. ET oftendit mihi Dominus Jefum (*a*) facerdotem magnum ftantem coram Angelo Domini : & fatan ftabat a dextris ejus ut adverfaretur ei.

2. Et dixit Dominus ad fatan : Increpet (*b*) Dominus in te fatan : & increpet Dominus in te, qui elegit Jerufalem : numquid non ifte torris eft erutus de igne?

3. Et Jefus erat indutus veftibus fordidis (*c*) : & ftabat ante faciem Angeli.

4. Qui

15. (*k*) Puniri volebam & emendari populum meum : fed Chaldæi modum fæviendo excefferunt. *In malum*, Immaniter afflixerunt.

18. (*l*) Theodoretus per cornua quatuor orbis partes, unde gentes adverfus Judam & Ifraelem prodiere, interpretatur. Ab Occidente Palæftini, a Meridie Ægyptii & Idumæi, ab Oriente Moabitæ, a Septentrione Affyrii, forfan & Scythæ.

20. (*m*) Variis munitos inftrumentis, ut deterrerent cornua, eaque a Judæis abigerent : utque ita evenit. Nam Judæi poft reditum fuum vicinas nationes fubegerunt. Itaque quatuor fabri forte funt quatuor Angeli qui Judæos erigentes, eorum hoftes debellarunt.

CAP. II. 1. (*a*) Cum ea quæ funt in hoc capite fcripta, majora fint quam ut in urbe Jerufalem facta dici queant, neceffe eft ut illa etiam in hiftorico fenfu de Ecclefiæ felicitate interpretemur poft adventum Domini noftri Jefu Chrifti. Unde & Judæi ipfi ad futura fui Meffiæ tempora hæc referunt. *Funiculus menforum*; quo quidem defignabat civitatem in monte ædificandam, ad quam omnes confluerent gentes.

3. (*b*) Ut novam mihi afferret revelationem.

5. (*c*) Qui hoftes terreat, ne cœptum opus interrumpant. *Et in gloria ero*, in gloriam; gloriofum reddam : Septuag. Interpret. *Ero illi in gloriam*. Hæc referentur verficulus 8 qui in proprio & genuino fenfu ad Chriftum & Ecclefiam fpectat, uti & fequentes.

6. (*d*) Fugite de omnibus mundi partibus, in quas vos difperfi, o electi mei : Eos alloquitur, qui Babylone remanferant. *Mifit me*; nonnulli hæc tribuunt Michaeli Archangelo.

8. (*e*) Vox eft Salvatoris, ex Hieronym. Poftquam gloriam meam in terris oftendero, poft miraculofam refurrectionem meam; qui verficulus cum quinto conferri poteft, & ad eum referri.

11. 12. & 13. (*f*) Loquitur Angelus, vel propheta, *Sanctificata*, In Judæa. *Habitaculo*: e cælo ad nos venit.

CAP. III. 1. (*a*) Deus Zachariæ oftendit in vifione Jefum magnum facerdotem a fe electum, ut una cum Zorobabel populum fuum regeret. Sed hic figura erat Jefu Chrifti Domini noftri ut eft caput Ecclefiæ. Unde quæ hoc capite continentur, Chrifto conveniunt, partim ut capiti, partim ut ejus corpori, quod eft Ecclefia : ut illud verf. 4. *Auferte veftimenta fordida ab eo*, &c. Chriftus formam fervi accipiens, in fimilitudinem carnis peccati, in refurrectione fua veftem pretiofam indutus, & in perfona Ecclefiæ quam per Baptifmum a fervitute diaboli exemit. Cyrillus ne allegorico quidem fenfu hæc Chrifto convenire exiftimat : Angelum Chrifti typum, Jefum facerdotem populi Judaici figuram effe docet : nam quædam in Jefum filium Jofedech optime conveniunt, nullo modo in Chriftum; ut illud : *Ecce abftuli a te iniquitatem*; *Stantem coram Angelo Domini*, qui eum defendebat accufante diabolo. Sed iniquitates noftras ipfe portavit.

2. (*b*) Dominus loquitur de fe ipfo, quafi de alio, ut fæpe alias in Scripturis; ut Genef. 19. Num. 12. & alibi. *Increpet*, id eft, reprimat te Deus increpatione fua, furorem tuum. *Increpet in te*, Hebraifmus, pro increpet : *Numquid non ifte torris?* Ceu torris eft femiuftus & erutus ex incendio.

3. 6. & 7. (*c*) Quibus peccata fignificantur, vel inftar hominis accufati. *Et conteftabatur*, Palam admonebat. *Et cuftodiam*. LXX. præcepta mea : Dabo tibi ex his qui nunc adftant Angelis, aliquos qui te fecurum efficient.

4. Qui respondit, & ait ad eos qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum:

Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis.

5. Et dixit: Ponite cidarim mundam super caput ejus. Et posuerunt cidarim mundam super caput ejus, & induerunt eum vestibus: & Angelus Domini stabat.

6. Et contestabatur Angelus Domini Jesum, dicens:

7. Hæc dicit Dominus exercituum: Si in viis meis ambulaveris, & custodiam meam custodieris: tu quoque judicabis domum meam, & custodies atria mea, & dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic assistunt.

8. Audi Jesu sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portentes (*d*) sunt: ecce enim ego * ADDUCAM SERVUM MEUM ORIENTEM.

*Luc. 1. 78.

9. Quia ecce lapis (*e*), quem dedi coram Jesu: super lapidem unum septem oculi sunt: ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum: & auferam iniquitatem terræ illius in die una.

10. In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit (*f*) vir amicum suum subter vitem, & subter ficum.

CAPUT IV.

Hæc visio ad Zorobabel, ut præcedens ad magnum sacerdotem spectat; allegorice Ecclesiæ ædificatio designatur.

1. ET reversus est Angelus, qui loquebatur in me, & suscitavit me, quasi virum, qui suscitatur de somno suo.

2. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas (*a*) ejus super caput ipsius, & septem lucernæ ejus super illud: & septem infusoria lucernis, quæ erant super caput ejus.

3. Et duæ olivæ super illud: una a dextris lampadis, & una a sinistris ejus.

4. Et respondi, & ajo ad Angelum, qui loquebatur in me, dicens: Quid sunt hæc, domine mi?

5. Et respondit Angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me: Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi: Non, domine mi.

6. Et respondit, & ait ad me, dicens: Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens: Non in exercitu (*b*), nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum.

7. Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum (*c*): & educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ ejus.

8. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

9. Manus (*d*) Zorobabel fundaverunt domum istam, & manus ejus perficient eam: & scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos.

10. Quis enim despexit (*e*) dies parvos? & lætabuntur, & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram.

11. Et respondi, & dixi ad eum: Quid sunt duæ olivæ istæ, ad dexteram candelabri, & ad sinistram ejus?

12. Et respondi secundo, & dixi ad eum: Quid sunt duæ spicæ olivarum, quæ sunt juxta duo rostra (*f*) aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro?

13. Et ait ad me, dicens: Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi: Non, domine mi.

14. Et dixit: Isti sunt duo filii (*g*) olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.

CA-

8. (*d*) Huic muneri sunt destinati, ut quæ futura sunt verbis & factis portendant: LXX. *Portentorum spectatores*, quod Deus iis res futuras aperiat: Hebr. *Quoniam viri portenti*: Viri futura prænuntiantes; quia tu & amici tui facti estis futura prænuntiantes. Qui templum ædificatis, & Ecclesiæ ædificationem portenditis. *Servum meum Orientem*: obscurius antea Christum adumbravit Propheta, nunc clare eum exprimit voce Hebræa, quæ aut *germen*, aut *surculum*, qui ex se succrescit, significat, atque unum est ex nominibus, quæ Christo tribuuntur.

9. (*e*) Angularem Ecclesiæ lapidem nobis exhibet. *Septem oculi sunt*, Septem dona Spiritus Sancti, ut in Apocalypsi scriptum est. *Ecce ego cælabo sculpturam ejus*: Corpus Christi in utero virginis a Deo ipso formatum fuit, atque ipse vivos lapides hujus ædificii cælat, & incidit. *Et auferam iniquitatem terræ*, sui sanguinis effusione. Quem prius vocavit Orientem, aut germen, nunc vocat lapidem. *Quem dedi coram Jesu*; quem illi ostendi, cum dixi: *Ecce adducam servum meum Orientem*, qui futurus est Ecclesiæ fundamentum. Vel septem oculi hoc in loco, ut in Apocal. sunt septem Angeli, quibus potissimum Deus demandavit hominum curam, de quibus cap. 4 *Septem sunt illi oculi Domini, qui discurrunt in universam terram*. De his loquitur Raphael Angelus Tobiæ, cap. 12. atque in Apocal. cap. 5. *Habentem septem oculos, qui sunt septem spiritus Dei*.

10. (*f*) Cum fides cor unum & animam unam efficiet, & fideles magna tranquillitate patientur. Quæ metaphora ex iis ducitur, qui cum amicis sub vinea sua aut ficu suaviter epulantur.

CAP. IV. 2. (*a*) Vox Hebræa *globum*, cui oleum infunditur, significat. Ex hoc velut pomo aureo in suprema candelabri parte posito, septem rami, aut tubi exibant, per quos oleum defluebat in globum; inter duas olivas virides, quæ oleum suppeditabant, positum erat candelabrum, quod in sensu litterali templum, in spirituali Ecclesiam adumbrabat, & illius progressum. Lampas in summo stipite, vel hastili candelabri, Christum Ecclesiæ caput designat. Sunt qui per duas olivas summum sacerdotem & Zorobabel intelligant, qui omni cura & studio necessaria templi constructioni suppeditabant.

6 (*b*) Tanta populi in fine sæculi conversio non humana potentia, sed virtute Spiritus mei fiet: ita Cyrillus.

7. (*c*) Obices omnes Deus amovebit: *Et educet lapidem primarium*, Qui templi fundamenta posuit, ille supremam imponet manum; ita nonnulli interpretes. *Et exæquabit*. Tam feliciter opus perficiet, quam incœpit. Frustra diabole consurges contra hunc populum: licet te opponas instar montis magni, nihil proficies; in planum dejicieris. Cyrillus Zorobabelem Christum interpretatur: nam sæpe in Scriptura res figurata nomen figuræ induit. Christus etiam est lapis primarius, qui locum in Ecclesia principem tenet. LXX. vertunt *Lapidem hæreditatis*, seu Christum, cui promissa est hæreditas omnium nationum, & Gentium, & Judæorum, qui educetur & palam fiet, cum usque ad illud tempus Judæis esset absconditus. *Gratiæ ejus*. Ex Hebr. legendum putat Ribera, *Gratia ejus*, nempe lapidis primarii. Vel ad litteram, Zorobabel supremum lapidem imponet huic ædificio, cujus primum lapidem posuit.

9. (*d*) De ultima ædificii consummatione agit, quam Apostoli fundaverunt, & fideles Judæi in fine sæculi absolvent.

10. (*e*) Parva templi initia: *Et videbunt lapidem stanneum*, Perpendiculum, ut ad normam exigat structuram. *Septem isti sunt oculi Domini*: Angeli divinæ providentiæ ministri, ita nonnulli juxta Hebræos hæc verba interpretantur. Sed alii ista ut præcedentia de fine sæculi, cum Antichristus tyrannidem exercebit suam, intelligunt. Vocat illud tempus dies parvos, quia pauci dies erunt, & propter electos breviabuntur, Matth. 24. *Lapidem stanneum*, quem Judæi cum lætitia videbunt missi a prædicatoribus instar perpendiculi, ut ædificetur pars Ecclesiæ, quæ corruerat. *Septem isti oculi*, Angeli scilicet, lætabuntur videntes lapidem stanneum in manu Zorobabel.

12. (*f*) Ex utroque latere candelabri exibat claviis aureus, latus & magnus instar rostri avis: in his erant suffusoria aurea, seu vasa, per quæ infundebatur oleum in lucernas. Et quidem hoc candelabrum multum differt a candelabro templi, cui septem infusoria & rostra aurea deerant: sed habebat scyphos & sphærulas & lilia, quibus hoc caret Zachariæ candelabrum. *Duæ spicæ olivarum*, Duæ olivæ.

14. (*g*) Duo uncti, Zorobabel & Josedec: sed de Henoch & Elia etiam in sensu litterali satis apte exponuntur.

CAPUT V.

Utitur propheta variis symbolis, ut volantis voluminis, mulieris medio amphoræ.

1. ET conversus sum, & levavi oculos meos: & vidi, & ecce volumen volans (*a*).

2. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Ego video volumen volans: longitudo ejus viginti cubitorum, & latitudo ejus decem cubitorum.

3. Et dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur: & omnis jurans, ex hoc similiter judicabitur.

4. Educam illud (*b*), dicit Dominus exercituum: & veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domus ejus, & consumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus.

5. Et egressus est Angelus, qui loquebatur in me: & dixit ad me: Leva oculos tuos, & vide quid est hoc, quod egreditur.

6. Et dixi: Quidnam est? Et ait: Hæc est amphora (*c*) egrediens. Et dixit: Hæc est oculus eorum in universa terra.

7. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una sedens in medio amphoræ:

8. Et dixit: Hæc est impietas. Et projecit (*d*) eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os ejus.

9. Et levavi oculos meos, & vidi: & ecce duæ mulieres (*e*) egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi alas milvi: & levaverunt amphoram inter terram & cælum.

10. Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quo istæ deferunt amphoram?

11. Et dixit ad me: ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & ponatur ibi super basem suam.

CAPUT VI.

Quatuor quadrigæ quatuor monarchias designant. His succedit Christi regnum. Vir oriens ædificabit templum Domini.

1. ET conversus sum, & levavi oculos meos, & vidi: & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium: & montes, montes ærei.

2. In quadriga (*a*) prima equi rufi, & in quadriga secunda equi nigri,

3. Et in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varii, & fortes.

4. Et respondi, & dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quid sunt hæc, domine mi?

5. Et respondit Angelus, & ait ad me: Isti sunt quatuor venti (*b*) cæli, qui egrediuntur, ut stent coram Dominatore omnis terræ.

6. In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis (*c*): & albi egressi sunt post eos: & varii egressi sunt ad terram Austri.

7. Qui autem erant robustissimi (*d*), exierunt, & quærebant ire, & discurrere per omnem terram. Et dixit: Ite, perambulate terram: & perambulaverunt terram.

8. Et vocavit me, & locutus est ad me, dicens: Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis (*e*), requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.

9. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

10. Sume a transmigratione (*f*) ab Holdai, & a Tobia, & ab Idaia: & venies tu in die illa, & intrabis domum Josiæ, filii Sophoniæ, qui venerunt de Babylone.

11. Et sumes aurum & argentum: & facies coronas, & pones in capite Jesu filii Josedech sacerdotis magni,

12. Et

CAP. V.

1. (*a*) Hoc capite justitia Dei in prævaricatores legis exprimitur. Lex ipsa Judæis data est, volumen illud volans, quo maledictiones in legis violatores continentur: atque hoc volumen in lucem proferet Deus, & impios condemnabit. Volans dicitur hæc membrana, quod iis hominibus immineret supplicium: magnitudo ejus, vehemens pandito super faciem omnis terræ Judaicæ, longitudo 20. cubitorum multitudinem peccatorum significat. LXX. vertunt *Falcem volantem*.

4. (*b*) Volumen, & pœnas eo contentas volumine. Et *commorabitur*: Non cito pertransibit, sed diu eos affliget, & consumet domum integram, ne memoria ejus remaneat, ut fit in maximis sceleribus.

6. & 7. (*c*) Vox Hebræa *Epha*, non vas tantum, sed certam mensuram significat. Unde Judæorum peccata ad certam mensuram, aut cumulum perducta designat. *Hæc est*, In hoc intenti, ut hanc mensuram impleant: sic ruant in peccata. *Mulier sedens amphoræ in medio*, impietatem ipsam Judæorum & stuporem cum impudentia conjunctum, falsam confidentiam & securitatem inter tot scelera indicat. Nondum plena erat mensura, donec Christum occiderent, & Apostolos persequerentur.

7. (*d*) Judicium Dei insinuat Angelus, quo Judæi pondere peccatorum oppressi a Deo sunt derelicti. *Et misit massam*; impietas diu manfura in gente Judæorum designatur. *Hæc est impietas*, Populi Judaici.

9. (*e*) Priorem mulierem Angelus interpretatus est impietatem: sic duæ illæ mulieres possunt exponi, excæcatio, qua mentes Judæorum captæ sunt a morte Domini, & induratio, qua tamdiu manent in sua incredulitate & perfidia. *Et spiritus in alis earum*, vento velut impulsæ, diabolo vires suggerente, ut persequerentur Ecclesiam. *Et levaverunt amphoram*; ut omnibus manifesta foret eorum excæcatio.

CAP. VI.

2. & 3. (*a*) Assyrii & Chaldæi in Judæos præ ceteris sævierunt: *Et in quadriga secunda*. Persarum edicta perpetuo timore eos percellebant. *In quadriga tertia equi albi*; Alexandrum mitius habuit. *Et in quadriga quarta* Romanorum, *equi varii & fortes*; modo humanius, modo durius, Judæos excepere.

5. (*b*) Qui ex quatuor Orbis plagis spirant, dum alii aliis succedunt ex ordine divinæ providentiæ, ut venti ex thesauris Dei, qui solus constituit imperia. *Qui egrediuntur*; quatuor Monarchiæ sunt tamquam quatuor venti (nam in Scriptuis nota similitudinis sæpe omittitur) totum Orbem concutient, ut quatuor venti versus omnes terræ partes spirant.

6. (*c*) Persæ adversus Chaldæos; *Et albi*, Græci, *egressi sunt post eos*; *& varii*, Romani, *egressi sunt ad terram Austri*, cum Ægyptum invaserunt.

7. (*d*) Romani. Quamquam varii equi Romanos, fortes alienigenas designant. Hebræi putant esse Ismaelitas, seu Saracenos.

8. (*e*) Persæ adversus Chaldæos *Spiritum meum*; Iram meam expleverunt, quam adversus Babylonem conceperam; vel me placaverunt, cum libertate donarunt populum meum.

10. (*f*) Regnum Jesu Christi prænuntiat ex iis, qui transmigraverant Babylonem, & in Judæam redierant, quique aurum suum attulerant, ut templo offerrent. Hos seligit, Holdai, Tobiam, Idajam, & Josiam, & jubet ut in domo Josiæ, qui vel primus inter eos erat, vel forte aurifex, aut custos templi, duas efficiat coronas, easque imponat capiti Jesu Filii Josedec, qui Christum Dominum regem simul & sacerdotem figurabit. Alii non coronas, sed coronam cum Chaldaica paraphrasi legunt, cum pluralis numerus sæpe loco singularis ponatur.

12. Et loqueris ad eum, dicens: Hæc ait Dominus exercituum, dicens: * ECCE VIR ORIENS (*g*) NOMEN EJUS: & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino. * Luc. 1. 78.

13. Et ipse destruet templum Domino: & ipse portabit gloriam (*h*), & sedebit, & dominabitur super solio suo, & erit sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter illos duos.

14. Et coronæ (*i*) erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hem, filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini.

15. Et qui procul sunt, venient, & ædificabunt (*k*) in templo Domini: & scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.

CAPUT VII.

De Jejuniis Judæorum.

1. ET factum est in anno quarto Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam, in quarta mensis noni, qui est Casleu.

2. Et miserunt (*a*) ad domum Dei, Sarasar, & Rogommelech, & viri qui erant cum eo, ad deprecandam faciem Domini.

3. Ut dicerent sacerdotibus domus Domini exercituum & prophetis, loquentes: Numquid flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo, sicut jam feci multis annis?

4. Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens:

5. Loquere ad omnem populum terræ, & ad sacerdotes, dicens: * Cum jejunaretis & plangeretis in quinto & septimo per hos septuaginta annos: numquid (*b*) jejunium jejunastis mihi? * Sup. 3. Isa. 8. 19.

6. Et cum comedistis & bibitis, numquid non vobis comedistis (*c*), & vobismetipsis bibistis?

7. Numquid non sunt verba, quæ locutus est Dominus in manu prophetarum priorum, cum adhuc Jerusalem habitaretur, & esset opulenta, ipsa & urbes in circuitu ejus, & ad Austrum, & in campestribus habitaretur?

8. Et factum est verbum Domini ad Zachariam, dicens:

9. Hæc ait Dominus exercituum, dicens: * Judicium (*d*) verum judicate, & misericordiam & miserationes facite, unusquisque cum fratre suo. * Mich. 6. 8. Matth. 23. 23.

10. * Et viduam, & pupillum, & advenam, & pauperem nolite calumniari: & malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. * Exod. 22. 22. Isa. 1. 23. Jer. 5. 28.

11. Et noluerunt attendere, & averterunt scapulam recedentem, & aures suas aggravaverunt ne audirent.

12. Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, & verba quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo per manum prophetarum priorum: & facta est indignatio magna a Domino exercituum.

13. Et factum est sicut locutus est, & non audierunt: sic clamabunt, & non exaudiam, dicit Dominus exercituum.

14. Et dispersi eos per omnia regna, quæ nesciunt: & terra desolata est ab eis, eo quod non esset transiens & revertens: & posuerunt terram desiderabilem in desertum.

CAPUT VIII.

Quæ dicuntur in hoc capite, in sensu historico, partim ad urbem Jerusalem, partim ad Ecclesiam pertinent: nam felicitas totius Ecclesiæ genti Judæorum ut radici, quæque in Apostolis & discipulis horum particeps bonorum fuit, & ipsi Ecclesiæ promittitur, sed pleraque hoc capite contenta, majora sunt, quam ut soli Judæorum genti tribuantur.

1. ET factum est verbum Domini exercituum, dicens:

2. Hæc dicit Dominus exercituum: Zelatus sum Sion zelo magno, & indignatione magna zelatus sum eam.

3. Hæc dicit Dominus exercituum: Reversus (*a*) sum ad Sion, & habitabo in medio Jerusalem: & vocabitur Jerusalem Civitas veritatis, & Mons Domini exercituum mons sanctificatus.

4. Hæc

12. (*g*) Non tua caussa tibi corona imponitur, sed quia Christi Regis regum typus es, & figura. De hac voce *Oriens*, jam diximus cap. 3. ubi earum nomen utique pro *germine* aut *surculo* sumitur, atque unum est ex iis, quæ Christo identidem tribuuntur. Isaiæ 4. *In die illa erit germen Domini in magnificentia*: Jerem. 23. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum*, & cap. 33. *Et in tempore illo germinare faciam David germen justitiæ*; ubique eadem est vox Hebræa, quam Hieronymus in hunc locum scribens docet significare germen: *Quia ex se repente succrescit, & ex radice sua in similitudinem germinis pullulabit*: Ubi nullum habet verbum de sole, aut de illius claritate. LXX. vertunt ἀνατολή, & ea voce utitur Lucas in cantico Zachariæ, *Oriens ex alto*; ubi ad hunc locum Zachariæ Prophetæ Zacharias Joannis Baptistæ pater videtur alludere. Sed vox illa a verbo Græco ἀνατέλλω ducitur, quod producere per germinationem, quodque oriri dicimus apud auctores profanos, significat: id vero de sole, de plantis, de iis omnibus, quæ de novo apparent, dicitur. Sic LXX locum Jeremiæ 23. 5. *Germen justum* vertunt ἀνατολὴν δικαίαν. Hæc paullo fusius ex Francisco Ribera, unde pleraque mutuamur. *Et subter eum orietur*: Hebr. *de sub se*: Ex se ipso germinabit, & multiplicabitur, ramos producet, seu multitudinem credentium: *Et ædificabit*, Ecclesiam.

13. (*h*) Coronam gloriæ: Psalm 20. *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*. *Et sedebit*, ut rex populi. *Super solio suo*, seu throno: simul erit Rex & sacerdos. Psalm. 109. *Erit inter illos duos*: inter dignitatem regiam & sacerdotalem, inter duos illos thronos, seu dignitates.

14. (*i*) Primi & quarti mutantur nomina, quia forte erant binomii: Coronam postea in templo ponens, & nomina eorum qui aurum & argentum obtulerunt, huic inciderunt in memoriam sempiternam: Qui Christum regem agnoverunt, & in utilitatem Ecclesiæ laborarunt, in memoria æterna erunt.

15. (*k*) Quæ in Ecclesia impleta sunt, non in templo Jerusalem: multi & magni doctores e gentibus Ecclesiam ædificarunt verbo & scriptis: Isa. 60. *Erit autem*. Hæc vobis evenient bona, si Christum, ut par est, audiatis & excipiatis.

2. (*a*) Viri principes ex Judæis, qui remanserant Babylone, miserunt Jerosolymam ad sacerdotes, & Prophetas, ut scirent an jejunare deberent mense quinto & septimo, quod mense quinto incensa fuisset Jerosolyma, & mense septimo interfectus Godolias, quem Rex Babylonis præfecerat Judæis qui relicti fuerant. CAP. VII.

5. (*b*) Non mihi, sed vobis jejunastis: non enim a peccatis vestris abstinuistis, sed ut sumptui parceretis, vel ut religiosi videremini.

6. (*c*) Immodice, & voluptatis caussa.

9. (*d*) Hæc quæ vobis dico, per Prophetas dicebam patribus vestris.

3. (*a*) Propitius ei ero, non eam deseram. Non omni ex parte de Judæis hæc dicuntur, sed ad Ecclesiam præcipue conveniunt. Matth. 28. *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. *Civitas veritatis*: quod uni Ecclesiæ convenit, teste Apostolo 1. Tim. 3. *Mons sanctificatus*, in quo verus Deus vera religione colitur. CAP. VIII.

4. Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc habitabunt ſenes & anus in plateis Jeruſalem: & viri baculus (*b*) in manu ejus præ multitudine dierum.

5. Et plateæ civitatis complebuntur infantibus, & puellis ludentibus in plateis ejus.

6. Hæc dicit Dominus exercituum: Si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi hujus in diebus (*c*) illis, numquid in oculis meis difficile erit, dicit Dominus exercituum?

7. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego ſalvabo populum meum de terra Orientis (*d*), & de terra Occaſus ſolis.

8. Et adducam eos, & habitabunt in medio Jeruſalem: & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, in veritate (*e*) & in juſtitia.

9. Hæc dicit Dominus exercituum: Confortentur (*f*) manus veſtræ, qui auditis in his diebus ſermones iſtos per os prophetarum, in die qua fundata eſt domus Domini exercituum, ut templum ædificaretur.

10. Siquidem ante dies illos merces (*g*) hominum non erat, nec merces jumentorum erat: neque introeunti, neque exeunti erat pax præ tribulatione: & dimiſi omnes homines, unumquemque contra proximumum ſuum.

11. Nunc autem non juxta dies priores ego faciam reliquiis (*h*) populi hujus, dicit Dominus exercituum,

12. Sed ſemen (*i*) pacis erit: vinea dabit fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum, & cæli dabunt rorem ſuum: & poſſidere faciam reliquias populi hujus univerſa hæc.

13. Et erit: ſicut eratis maledictio in Gentibus, domus Juda, & domus Iſrael: ſic ſalvabo vos, & eritis benedictio (*k*): nolite timere, confortentur manus veſtræ.

14. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Sicut cogitavi ut affligerem vos, cum ad iracundiam provocaſſent patres veſtri me, dicit Dominus,

15. Et non ſum miſertus: ſic converſus cogitavi in diebus iſtis ut benefaciam domui Juda, & Jeruſalem: nolite timere.

16. Hæc ſunt ergo verba, quæ facietis: * Loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo: veritatem & judicium pacis judicate in portis veſtris. *Eph. 4. 25.

17. Et unuſquiſque malum contra amicum ſuum ne cogitetis in cordibus veſtris: & juramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc ſunt quæ odi, dicit Dominus.

18. Et factum eſt verbum Domini exercituum ad me dicens:

19. Hæc dicit Dominus exercituum: Jejunium (*l*) quarti, & jejunium quinti, & jejunium ſeptimi, & jejunium decimi erit domui Juda in gaudium & lætitiam, & in ſolemnitates præclaras: veritatem tantum & pacem diligite.

20. Hæc dicit Dominus exercituum: Uſquequo veniant populi, & habitent in civitatibus multis,

21. Et vadant habitatores, unus ad alterum (*m*), dicentes: Eamus, & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum: vadam etiam ego.

22. Et venient populi multi & gentes robuſtæ, ad quærendum Dominum exercituum in Jeruſalem, & deprecandam faciem domini.

23. Hæc dicit Dominus exercituum: In diebus illis, in quibus apprehendent (*n*) decem homines ex omnibus linguis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus vobiſcum: audivimus enim quoniam Deus vobiſcum eſt.

CAPUT IX.

Adverſus civitates Syriæ, & Philiſthinos; Rex Chriſtus venturus eſt in Sion, inſidens pullo aſinæ; emittit vinctos de lacu in ſanguine teſtamenti.

1. Onus (*a*) verbi Domini in terra Hadrach, & Damaſci requiei ejus: quia Domini eſt oculus hominis, & omnium tribuum Iſrael.

2. Emath quoque in terminis (*b*) ejus, & Tyrus, & Sidon: aſſumpſerunt quippe ſibi ſapientiam valde.

3. Et

4. (*b*) Præ gravi ætate: ex Hebr. vir, id eſt, unuſquiſque habens baculum in manu ſua, magno pacis & tranquillitatis indicio.

6. (*c*) Illud tempus ſpectat, quo cæptum eſt prædicari Evangelium ab Apoſtolis, cum pauci crederent, & omnes fere in incredulitate ſua permanerent: id facile mihi erit præſtare.

7. (*d*) Judæi neque in Orientem, neque in Occidentem captivi abducti fuerant, ſed in Aquilonem. Itaque de filiis Eccleſiæ tum Judæis, tum gentilibus, ex omnibus terræ partibus venturis, loquitur.

8. (*e*) Veritatem illis præſtabo implendo promiſſa, pro meritis eos remunerando.

9. (*f*) Judæis proprie nunc loquitur: nam quædam ſic de Jeruſalem dicuntur, ut eorum etiam, quæ ante dixit, quæque Judæis & gentibus ſunt communia, meminerit: forti ſitis animo, ut quam cœpiſtis templi ædificationem, perficiatis.

10. (*g*) Laboraſtis in agris colendis, & merces non fuit laboris veſtri: in ipſa urbe diſſenſiones erant & inimicitiæ.

11. (*h*) Non præſentibus modo, ſed & futuris hominibus, qui unum populum efficiunt. Unde præſentibus merito id promittitur, quod futuris præſtabitur.

12. (*i*) Semen pacificum, quod mihi ſerviet ex animo. *Vinea dabit fructum ſuum*; ſpiritualium bonorum copiam per metaphoram ſenſibilium exponit.

13. (*k*) Quæ de Judæis in Eccleſia futuris omnino intelligi debent: nam decem tribus non redierunt: itaque de bonis ſpiritualibus hæc dicta ſunt, *ſalvabo vos*, per prædicationem Evangelii. Unde R. David hæc ad Meſſiæ tempora eſſe referenda merito exiſtimat.

19. & 20. (*l*) Cum muri Jeruſalem ſunt diruti: *& jejunium quinti*, cum urbs incenſa eſt; *& jejunium ſeptimi*, cum penitus e terra ſua ejecti ſunt; *& jejunium decimi*, cum urbs obſeſſa eſt a Nabuchodonoſore: hæc, inquam, jejunia diverſis cauſis ſuſcepta in feſtivitates vertenda ait. Quæſtioni de jejunio capite ſuperiori propoſitæ reſpondet Deus: *Uſquequo veniant populi*, LXX. *Adhuc venient populi multi*; vel donec veniant populi, gentiles nimirum, qui in Eccleſiam venturi ſunt. Non enim ex Babylone populi redierunt, ſed pars populi Judaici.

21. (*m*) Hebr. Unius civitatis ad alteram: Hieron. exponit: Et una civitas pergat ad alteram, & ſeſe mutuo cohortentur.

23. (*n*) Quæ omnino de Evangelii temporibus intelliguntur: *Audivimus enim*, ex miraculis & prodigiis didicimus, *quoniam Deus vobiſcum eſt*.

1. (*a*) *Onus*. Prophetiam triſtem & minacem mentlum ſignificat; & tamen in hoc capite prædicitur vocatio gentium juxta Hieronymum, & Theodoretum, quod prædicatores Evangelii quaſi hoſtes deſcribat, qui delent non homines, ſed falſos deos, & vitia. *In terra Hadrach*, quæ creditur urbs Syriæ, vel Syria ipſa: *Et Damaſci requiei ejus*, Syriæ vel Hadrach, in qua ſpem omnem ſuam collocat: vel, ut aliis placet, in quam Dominus requieſcet quaſi in urbe dilecta. *Oculus hominis*, ex LXX. Quia Dominus reſpicit homines, & omnes tribus Iſrael. Oculi omnium hominum in Deum intenti eſſe debent, & ab eo bona cuncta expectare. CAP. IX.

2. (*b*) Inter urbes, quæ creditur æ ſunt recenſetur, vel in terminis Damaſci. *Sapientiam*; Quamvis ſibi ſapientes videantur, Evangelii tamen ſimplicitati ſubjecerunt ſe.

3. Et ædificavit (*c*) Tyrus munitionem suam, & coacervavit argentum quasi humum, & aurum ut lutum platearum.

4. Ecce Dominus possidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem ejus, & hæc igni devorabitur.

5. Videbit Ascalon, & timebit: & Gaza, & dolebit nimis: & Accaron, quoniam confusa est spes ejus: & peribit (*d*) rex de Gaza, & Ascalon non habitabitur.

6. Et sedebit separator (*e*) in Azoto, & disperdam superbiam Philisthinorum.

7. Et auferam sanguinem ejus (*f*) de ore ejus, & abominationes ejus de medio dentium ejus, & relinquetur etiam ipse Deo nostro, & erit quasi dux in Juda, & Accaron quasi Jebusæus.

8. Et circumdabo (*g*) domum meam ex his, qui militant mihi euntes & revertentes, & non transibit super eos ultra exactor: quia nunc vidi in oculis meis.

*Isa. 62. 11. Matth. 21. 5. 9. * Exulta (*h*) satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: Ecce rex tuus veniet tibi justus & salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam & super pullum filium asinæ.

10. Et disperdam (*i*) quadrigam ex Ephraim & equum de Jerusalem, & dissipabitur arcus belli: & loquetur pacem Gentibus, & potestas ejus a mari usque ad mare, & a fluminibus usque ad fines terræ.

11. Tu quoque in sanguine (*k*) testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.

12. Convertimini ad munitionem vincti (*l*) spei, hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi.

13. Quoniam extendi mihi Judam quasi arcum (*m*), implevi Ephraim: & suscitabo filios tuos Sion super filios tuos Græcia: & ponam te quasi gladium fortium.

14. Et Dominus Deus super eos videbitur (*n*); & exibit, ut fulgur, jaculum ejus, & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine Austri.

15. Dominus exercituum proteget eos: & devorabunt (*o*), & subjicient lapidibus fundæ, & bibentes inebriabuntur quasi a vino, & replebuntur ut phialæ, & quasi cornua altaris.

16. Et salvabit (*p*) eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui: quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus.

17. Quid enim bonum (*q*) ejus est, & quid pulcrum ejus, nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines?

CA-

3. & 4. (*c*) Omni ope resistent Evangelio, cum divites sint, & humanis præsidiis muniti. *Possidebit*; Quantumvis sapientes sibi videantur; *Expugnabit eam*, licet mari civitam. Illa enim allegorice videntur accipiendam ex iis quæ præcedunt & quæ sequuntur. De victoria quippe Verbi divini, & illius armis, non de Judæorum victoriis recte intelliguntur: quamquam ea verba, *Hæc igni devorabitur*, de Tyro expugnata, & incensa ab Alexandro Magno, exponi commode possint.

5. (*d*) Subdet se jugo Christi, licet fortis, ut nomen ipsum declarat, recepto Evangelio se dedet Christo. Perire dicitur rex, cum civitas in potestatem venit alienorum. *Et Ascalon non habitabitur*, a Palæstinis, sed a Judæis primum, tum a Christianis.

6. (*e*) Hieron. Christum ea voce interpretatur, qui separat oves ab hœdis. *Et disperdam*; Eorum qui maxime inter Philisthinos superbiunt. Vox etiam, *Separator*, Victorem potest designare, qui spolia dividit.

7. (*f*) Philisthinorum de quibus loquitur; atque id frequens est in Scriptura, ut numerum mutet. *Medio dentium*; Efficiam ut posthac non vescantur sanguine, nec carnibus quæ sunt idolis immolatæ, quas abominationes vocat. *Ipse Deo nostro*, Salvus fiet per Christum; eamdem habebunt gratiam Palæstini, quam Judæi conversi. *Et Accaron*, Palæstinus sic tractabitur a Deo quasi unus esset ex principibus Judæ. *Quasi Jebusæus*, Tamquam veteres habitatores Jerusalem, qui habitarunt Jerusalem cum filiis Juda, Josue 15. & Jud. 1.

8. (*g*) Circumdabo Ecclesiam exercitu meo. *Euntes & revertentes*, qui mihi ad nutum deserviunt. *Exactor* Diabolus, qui ab iis quibus dominatur, animas exigit: quod de justis & perfectis verum est. *Quia nunc vidi oculis meis*: Quia vos vidi, vestri misertus, in vos oculos meos converti.

9. (*h*) Illustris hæc Prophetia impleta est a Christo Domino die Palmarum, Matth. 21. 4. *Hoc autem factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam. Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subjugalis.* Item Joann. 12. 15. *Noli timere filia Sion: Ecce Rex tuus venit sedens super pullum asinæ.* Ubi Evangelistæ verbis more suo paullulum immutatis eumdem retinent sensum. Idem [illegible] quod ait Joannes. *Noli timere*, quodque Propheta ait, *Exulta Filia Sion*. id est, nihil est quod jam timeas tanto rege adveniente. Matthæus ex duobus unum efficit testimonium, quod solent Evangelistæ, & Apostoli, ut obscuriorem locum per apertiorem exponant, & ostendant de eadem re duos Prophetas loqui. Sic Marci 1. 2. *Ecce mitto Angelum meum*, ex cap. 3. Malachiæ; *Vox clamantis in deserto*, ex c. 40. Isaiæ depromitur. Sic illud Isaiæ 62. *Dicite Filiæ Sion, Ecce Salvator tuus venit*; quod apertissime de Messia dictum est, conjungit cum verbis Zachariæ, ut palam faciat, de re eadem Prophetas loqui. *Justus & Salvator*, ut justificet & salvet. *Ipse pauper*, LXX. Mansuetus & humilis. Hunc versiculum corruptum a Judæis recentioribus viri docti existimant: hoc modo, *Ecce rex tuus veniet tibi justus, & salvatus ipse*: cum in LXX. & in vulgata sit vox *Salvator*, quam Christo adimere voluerunt, idque post Hieronymi tempora. In Chaldaica paraphrasi est vox, *Salvator*.

10. (*i*) In pace per Evangelium data nullus erit usus quadrigarum, aut apparatus bellici: Christus in toto orbe regnabit.

11. (*k*) Hieron. *In sanguine passionis tuæ, qui vincti in carcere tenebantur inferni, in quo nulla est misericordia, tua clementia liberasti.* Hebræi vero sic habent: *Etiam tu in sanguine fœderis tui emisisti vinctos tuos de cisterna*, ut de potentia Christi intelligi non possit. Hieron. legit, *Emisisti*, & ita habent septuaginta. Judæi, inquit Ribera, invidentes gloriæ Christi, vitiaverunt punctis suis, & adjectione unius minimæ litteræ. Judæi videbant enim præclarum dari a Propheta de gloria Christi testimonium. *In sanguine testamenti*, Per sanguinem testamenti, ut sæpe alias, in virtute, ut Psalm. 43. *In te inimicos tuos ventilabimus cornu*, &c. *Sanguis testamenti* dicitur, per quem auctor vitæ moriens æternam nobis dedit hæreditatem.

12. (*l*) O vincti sperantes, quos captivos tenet diabolus, quique libertatem per Christum speratis: Judæos alloquitur: *Convertimini ad locum munitum*, seu ad Christum arcem salutis munitissimam, seu ad Ecclesiam. *Duplicia*; Si forte hæc vita, ad quam vos invitat Christus, vobis videtur laboriosa, annuntio vobis me redditurum pro illis laboribus magna præmia.

13. (*m*) Judæi hæc & quæ sequuntur ad tempora Machabæorum referunt: sed cum de Christo & gentium vocatione semper locutus sit Propheta in hoc capite, longe probabilius est ad prædicationem Evangelii hæc pertinere. Assumam Judam, & eos qui converterunt ex Judæis: ut sit mihi instar arcus extenti, ut per sagittas prædicationis Evangelicæ gentes subjiciam Evangelio. *Implevi Ephraim*: LXX. & Hieronymus legunt, Quasi arcum implevi, seu distendi Ephraim: nam ex decem tribubus abjectis Deus assumpsit primos Evangelii prædicatores. O Græcia, O gentes; has enim Scriptura Græcos identidem vocat, conversos e Judæis faciam superiores gentilibus; *Et ponam te quasi gladium fortium*, cui nihil resistit. Victorias quas reportabunt, designat.

14. (*n*) Adjuvans eos, & pro iis pugnans. *Jaculum*, Verbum ejus, perstat in metaphora pugnantis. *In tuba canet*, Ut milites cogat, aciem instruat. *In turbine Austri*, Instar turbinis ab Austro venientis in adversarios feretur.

15. (*o*) Hostes suos instar ignis consument. *Et subjicient*, LXX. *Et obruent eos lapidibus fundæ*, verbis Scripturæ sacræ, & iis quæ Spiritus Sanctus suggeret, quibus adversarii resistere non poterunt. *Inebriabuntur*, LXX. *Bibent sanguinem eorum sicut vinum*: hac metaphora pugnæ victoriam Apostolorum describit.

16. (*p*) Ut pastor oves, sic Deus eos proteget, qui verbo Dei & mansuetudine pugnabunt. *Lapides*; sunt enim lapides vivi & sancti, e quibus ædificatur Ecclesia: unde servabuntur ab omnibus periculis.

17. (*q*) De Sanctissima Eucharistia hunc locum exponit Hieronymus; nihil habet melius, aut pretiosius eo, quod nobis dat in sanctissimo altaris Sacramento: vox, *Ejus*, in Hebræo cum sit masculini generis, ad Deum refertur, non ad terram: Donavit Sanctis suis donum omnium maximum, frumentum scilicet [illegible] electorum, panem cælestem, & vinum pretiosi sanguinis sui. *Germinans virgines*, quod corporis & animi castitatem efficit.

CAPUT X.

Bona quoque a Deo petenda sunt, non ab idolis; tum bona promittit, magnos in primis duces.

1. PEtite (*a*) a Domino pluviam in tempore serotino, & Dominus faciet nives, & pluviam imbris dabit eis, singulis herbam in agro.

2. Quia simulacra locuta sunt inutile, & divini viderunt mendacium, & somniatores locuti sunt frustra: vane consolabantur: idcirco abducti (*b*) sunt quasi grex: affligentur, quia non est eis pastor.

3. Super (*c*) pastores iratus est furor meus, & super hircos visitabo: quia visitavit Dominus exercituum gregem suum, domum Juda, & posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello.

4. Ex ipso angulus (*d*), ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælii, ex ipso egredietur omnis exactor simul.

5. Et erunt quasi (*e*) fortes conculcantes lutum viarum in prælio: & bellabunt, quia Dominus cum eis: & confundentur ascensores equorum.

6. Et confortabo domum Juda, & domum Joseph (*f*) salvabo: & convertam eos, quia miserebor eorum: & erunt sicut fuerunt quando non projeceram eos: ego enim Dominus Deus eorum, & exaudiam eos.

7. Et erunt quasi fortes Ephraim, & lætabitur cor eorum quasi a vino: & filii eorum videbunt, & lætabuntur, & exultabit cor eorum in Domino.

8. Sibilabo (*g*) eis, & congregabo illos, quia redemi eos: & multiplicabo eos sicut ante fuerant multiplicati.

9. Et seminabo eos in populis, & de longe recordabuntur mei: & vivent cum filiis suis, & revertentur (*h*).

10. Et reducam eos de Terra Ægypti, & de Assyriis congregabo eos, & ad Terram Galaad & Libani adducam eos, & non invenietur eis locus:

11. Et transibit (*i*) in maris freto, & percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis, * & humiliabitur superbia Assur, & sceptrum Ægypti recedet. * *Apoc.* 16. 12. *Isa.* 11. 19.

12. Confortabo eos in Domino, & in nomine ejus ambulabunt, dicit Dominus.

CAPUT XI.

De templi & urbis excidio; de pastoribus, qui oves non pascebant.

1. APeri Libane (*a*) portas tuas, & comedat ignis cedros tuas.

2. Ulula abies (*b*), quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt: ululate quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus.

3. Vox ululatus pastorum (*c*): quia vastata est magnificentia eorum: vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Jordanis:

4. Hæc dicit Dominus Deus meus: Pasce pecora occisionis (*d*),

5. Quæ qui possederant, occidebant (*e*), & non dolebant. & vendebant ea, dicentes: Benedictus Dominus, divites facti sumus: & pastores eorum non parcebant eis.

6. Et ego non parcam (*f*) ultra super habitantes terram, dicit Dominus: ecce ego tradam homines, unumquemque in manu proximi sui, & in manu regis sui: & concident terram, & non eruam de manu eorum.

7. Et

CAP. X. 1. (*a*) Pergit Deus amorem suum & misericordiam in populum suum commendare, ac de bonis Legis novæ temporibus disserere. Hortatur eos ut petant a Deo doctrinam Evangelii, qua totius terræ facies irrigata fœcundetur. Pluvia temporanea, aut matutina, ex Hieron. & Cyrillo, fuit doctrina legis per Mosem data, qua jacta semina per legem naturæ germinarunt: doctrina novæ legis est pluvia serotina, qua fluctus maturescunt: nihil enim ad perfectum adduxit lex; vel Deus ante omnia jubet a se, non ab idolis, beneficia postulari. *Et Dominus faciet nives*: vox Hebræa procellas, aut *fulgurationes* significat. Itaque vox illa nubem vento agitatam & fulgurantem designat, quæ cum fulguribus aquam demittit. Apostoli per eas nubes coruscantes, & cælestem imbrem in terram effundentes, commode intelliguntur: neque enim nives decidunt mense Maio.

2. (*b*) In varios errores sunt abducti ab hujusmodi magistris, sicut oves quæ nihil intelligunt: sed pastorem sequuntur, quocumque ierit. *Affligentur*; neque enim ii sunt veri pastores.

3. (*c*) Super eosdem dico magistros. & super hircos fœtidos. *Visitavit*, Quia Dominus vult benefacere gregi suo: LXX. non posuerunt particulam, *quia*, adeo ut sit initium novæ sententiæ. *Et posuit eos quasi equum gloriæ suæ*, LXX. Quasi equum decorum, instrumentum gloriæ suæ; victor per me futurus est. Hæc Cyrillus interpretatur de Apostolis & prædicatoribus Evangelii, quos Deus variis donis ornavit.

4. (*d*) Ex ipsa Juda edetam angulum, seu regem Christum, lapidem angularem; *Et paxillus*, a quo pendent & sustinentur fideles omnes. *Arcus prælii*, Fortes bellatores ex eo prodibunt. *Exactor simul*, lidem populos Christo subjicient. Exactor, Præfectus operibus, hic a Domino.

5. (*e*) Vox illa, *Quasi*, indicat Prophetam metaphorice loqui de Apostolis, quasi de bellatoribus.

6. & 7. (*f*) Decem tribuum quæ conversio partim facta est, partim in fine seculi est facienda. *Ephraim*, qui præ ceteris fortes habebantur.

8. (*g*) Exiguo sono e remotissimis locis congregabo eos; qui redemi eos per mortem Filii mei.

9 & 10. (*h*) Venient ad Ecclesiam. *Ægypti*, multi qui evaserant captivitatem Assyriorum, & fugerant in Ægyptum; solvam autem captivitatem. *Et ad terram Galaad*: Ad patriam celebrem, fertilissimam, *Et non invenietur eis locus*, in Ægypto, vel apud Assyrios; aut potius in Palæstina præ multitudine.

11. (*i*) Deus eos liberabit a captivitate diaboli per multa pericula. Alludit ad ea, quæ populo Israelitico evenerunt, cum ex Ægypto ad terram promissionis venit: nihil eorum iter impediet: non fretum maris rubri, non Jordanis exundans. *Et percutiet in mari fluctus*; quod de Ephraim dicitur, qui vincet magna pericula, ut Moses virga percussit mare rubrum.

CAP. XI. 1. (*a*) Videtur Zacharias de templi, quod Libani nomine in Scriptura signari solet, aut etiam de Jerosolymæ excidio vaticinari: nam Prophetæ solent bonis, quæ ex Evangelii prædicatione manant, pœnas incredulorum subjicere. Isaiæ 10. templi excidium sub Libani nomine itidem prædicitur: *Libanus autem cum excelsis cadet*: uti & Ezechiel, c. 17. Templum enim totum cedris e Libano excisis constabat: tametsi Cyrillus urbem ipsam designari putat: mox enim subdit Propheta, *Et comedet ignis cedros tuas principes civitatis*: quæ sequuntur, hanc interpretationem confirmant.

2. (*b*) Abietum nomine, qui dignitate sunt proximi, uti per quercus Basan fortes viribus, & per saltum munitum urbs ipsa munitissima designatur. Jubet autem Propheta, ut cives Romanis vastantibus portas aperiant. Refert Josephus, Lib. 7. de bello Judaico, cap 12. Orientalem portam æneam & gravissimi ponderis hora sexta noctis ultro apertam fuisse in die Azymorum.

3. (*c*) Hi sunt populorum rectores; eosdem vocat leones ob sævitiam. *Superbia Jordanis*: quia Jordanis exarui t; diripientur eorum divitiæ: Chald. Quoniam exsiccata est propter eos gloria Jordanis.

4. (*d*) Homines occisioni destinatos: hæc esse verba Dei Patris ad Salvatorem nostrum existimat Theodoretus: ille enim missus est ad oves, quæ perierant domus Israel.

7. (*e*) Hæc pecora pontifices & sacerdotes in suos usus converterunt, ut fuse prosequitur Ezechiel, cap. 34. *Væ pastoribus Israel*, &c. *Et non dolebant*, LXX. Non agebant pœnitentiam. *Et vendebant ea*, Ex iis quæstum faciebant. *Divites facti sumus*: quasi gratias Deo agentes quod ex iniquitate ditarentur.

6. (*f*) Super populum Judaicum, qui a peccando non abstinuit, & pontifices qui in mortem Salvatoris consenserunt. *Ecce tradam homines*: Hieron. *Dimittam unumquemque contra proximum suum, & sese mutua cæde truncabunt*, per intestina bella & factiones inter se miserum in modum distracti per regem suum, Romanorum Imperatorem designat, qui Judææ urbes evertit. *Et concident terram*, vastabunt Romani. *Et non eruam*. Perpetua enim hæc captivitas & desolatio.

7. Et pascam pecus (*g*) occisionis propter hoc, o pauperes gregis. Et assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi Decorem, & alteram vocavi Funiculum: & pavi gregem.

8. Et succidi (*h*) tres pastores in mense uno, & contracta est anima mea in eis: siquidem & anima eorum variavit in me.

9. Et dixi: Non pascam (*i*) vos: quod moritur, moriatur: & quod succiditur, succidatur: & reliqui devorent unusquisque carnem proximi sui.

10. Et tuli virgam (*k*) meam, quæ vocabatur Decus; & abscidi eam, ut irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis.

11. Et in irritum deductum est in die illa: & cognoverunt sic pauperes (*l*) gregis, qui custodiunt mihi, quia verbum Domini est.

12. Et dixi ad eos: Si bonum est in oculis (*m*) vestris, afferte mercedem meam: & si non, quiescite. * Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.

*Matth. 27. 9.

13. Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad statuarium (*n*).

14. Et præcidi (*o*) virgam meam secundam, quæ appellabatur Funiculus, ut dissolverem germanitatem inter Judam, & Israel.

15. Et dixit Dominus ad me: Adhuc sume (*p*) tibi vasa pastoris stulti.

16. Quia ecce ego suscitabo (*q*) pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum dissolvet.

17. O pastor, & idolum (*r*) derelinquens gregem: gladius super brachium ejus, & super oculum dextrum ejus: brachium ejus ariditate siccabitur, & oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.

C A P U T XII.

Prædicit varios casus Jerusalem. Visuri sunt homines quem confixerunt.

1. ONus verbi Domini super Israel (*a*). Dicit Dominus extendens cælum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo:

2. Ecce ego ponam (*b*) Jerusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu: sed & Juda erit in obsidione contra Jerusalem.

3. Et erit: In die illa ponam Jerusalem lapidem oneris (*c*) cunctis populis: omnes, qui levabunt eam, concisione lacerabuntur: & colligentur adversus eam omnia regna terræ.

4. In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum in stuporem, & ascensorem ejus in amentiam: & super domum Juda aperiam oculos meos, & omnem equum populorum percutiam cæcitate.

5. Et dicent duces (*d*) Juda in corde suo: Confortentur mihi habitatores Jerusalem in Domino exercituum Deo eorum.

6. In

7. (*g*) Curæ meæ commissum: nam Christus loquitur ad Apostolos, & ad fideles conversis terram meam. *Propter hoc*, quia pastores non habent, a quibus pascantur. *O pauperes gregis*, qui superbiam pontificum & sacerdotum non imitamini: Aliter, o pauper grex. *Et assumpsi mihi duas virgas*; Ut hominum pastor duos baculos, aut virgas pastorales sumpsi, unam post alteram; priorem Noemi temporibus, ut omnium hominum pastor: *Unam vocavi Decorem*, vel clementiam, nam justum erat omnes homines a suo conditore gubernari; fœdus cum iis pepigi, quod fregerunt; *Et alteram vocavi Funiculum*, cum Israelem elegi in hæreditatem ex pacto inito cum Abraham, Genes. 17. *Et pavi gregem*: semen Abrahæ, cum antea pascerem omnes gentes.

8. (*h*) Hieron. tres illos pastores ait fuisse Mosem, Aaron, & Mariam Prophetissam, quæ(que) adeo mulieres docebat: eodem mense, quo mortua est Maria, sententia mortis in Mosem & Aaron lata est. Vel succidam, ex LXX *Contracta est anima mea in eis*: non in pastoribus, sed in iis quos pascebam, ut liquet ex iis quæ sequuntur. *Variavit in me*, Cito a me discesserunt.

9. (*i*) Non introducam vos in terram promissam; Nemo ex iis qui a 20. annis exierunt ex Ægypto ingredietur, peribunt in deserto præter Josue & Caleb. *Quod moritur, moriatur*; Curam velut abjiciam. *Quod succiditur*, ab hostibus, aut a bestiis, *succidatur*, *& reliqui devorent*, ut factum est Num. 14.

10. (*k*) Abjeci alios populos propter idololatriam: *Et abscidi eam*, postquam tuli virgam alteram, quæ dicitur Funiculus.

11. (*l*) Qui in populo Israel vere humiles, & mihi obtemperantes, cognoverunt gratiam, quam populo præstabam, eum præ ceteris eligens, & me impleturum quæ promiseram Abrahæ, Isaac & Jacob.

12. (*m*) Si vobis bonum videtur: *Afferte mercedem meam*; Reddite mihi mercedem aliquam ob tot beneficia in vos collata, agnoscite me ut Salvatorem ad vos missum: *Et si non*; Si id non vultis, *quiescite*. Non cogam vos, liberi estis. *Et appenderunt*, Dederunt pro mercede, quam reddere tenebantur, triginta argenteos Judæ traditori.

13. (*n*) Vox Hebræa *Iotser*, seu *fictorem*, aut *figulum*, immo ex Vatablo & aliis mutatione unius litteræ *custodem thesauri* significat. Hieron. ipse in commentariis *Iotser*, aut *fictorem* ea voce designari potius quam *statuarium* docet: unde obscuritas in translatione est potius quam in textu Hebræo, cum ager figuli ex iis argenteis emptus fuerit. Judas quidem projecit eos argenteos pœnitentia ductus, Jesum habens præ oculis; sed desperatione victus est. *Appretiatus*, rei indignitatem per ironiam ob oculos ponit: *Et tuli triginta argenteos*; nam Judas illos projecit in templum.

14. (*o*) Cum in crucem me egissent, eos abjicere statui: Ex eis quosdam elegi, reliquam multitudinem abjeci; qui secuti sunt domum David, seu Christum, dicti sunt Judæi; reliqui Israelis nomine comprehensi.

15. (*p*) Postea, quæ verbis adversus populum istum prophetasti, jam factis ipsis vaticinare, & sume instrumenta pastoris insipientis & scelerati. An forte Antichristum is designat?

16. (*q*) Suscitari permittam. *Non enutriet*, Non ducet ad pascua: *Et ungulas eorum dissolvet*, Graviter feriet.

17. (*r*) Tu qui pastor videri cupis: *Gladius super brachium*, Christus franget fortitudinem tuam spiritu oris sui: *Et super oculum dextrum ejus*; Consilia ejus in nihilum recident; mens tenebris obducetur.

1. (*a*) Super Israelitas incredulos. Alii hanc Prophetiam ad tempora Machabæorum referunt. CAP. XII.

2. (*b*) Ita ut hostes, qui ad Ecclesiam oppugnandam venerint, insaniant ut ebrii. Si de Jerusalem terrestri sermo habeatur, hanc ut portam domus crapulæ futuram ait, in quam populi vicini intrabunt, ut eam diripiant; quod Antiochi Epiphanis temporibus evenit. *Sed & Juda*, Multi e Judæis se Antiocho adjunxerunt. Si de Ecclesia, ut par est, id intelligamus, non solum vicinæ nationes, sed & Judæi ipsi hanc evertere conabuntur: nam Jerusalem numquam obsessa est a Juda; LXX. *Et in Judæa erit obsidio super Jerusalem*.

3. (*c*) Mos est, inquit Hieron. in urbibus Palæstinæ, & usque hodie per omnem Judæam vetus consuetudo servatur, ut in viculis, oppidulis & castellis, rotundi ponantur lapides gravissimi ponderis, ad quos juvenes exercere se soleant, & eos pro varietate virium sublevare. Sæpe accidebat, ut se ipsos læderent: sic omnes populi vires suas ostentare volent persequendo Ecclesiam, & levando nunc lapidem, quantum quisque valet: sed nullus eam persequetur, quin seipsum lædat. *Omnes qui levabunt eam, concisione lacerabuntur*; ut evenire solebat iis qui magnos illos lapides levabant: nam corpori aut manibus vulnus sæpe infligebant. *Et colligentur adversus eam regna terræ*; quod Ecclesiæ apprime convenit: ea siquidem ubique persecutionem passa est. Quamquam & de Machabæis ad litteram id exponi potest. Nam Machabæi illa ab hostibus mala postea ulti sunt, non fuit visitus, cum numero essent perpauci, sed Dei ope ingentes exercitus fregerunt. Quod in sequentibus apertius exprimimus.

5. (*d*) Apostoli & discipuli e populo Judæorum electi à Deo, in medio hostium erunt intrepidi.

6. In die illa ponam (e) duces Juda ficut caminum ignis in lignis, & ficut faciem ignis in fœno: & devorabunt ad dexteram, & ad finiftram omnes populos in circuitu: & habitabitur Jerufalem rurfus in loco fuo in Jerufalem.

7. Et falvabit Dominus tabernacula (f) Juda, ficut in principio: ut non magnifice glorietur domus David, & gloria habitantium Jerufalem contra Judam.

8. In die illa proteget Dominus habitatores Jerufalem, & erit qui offenderit ex eis in die illa, quafi David (g): & domus David quafi Dei, ficut Angelus Domini in confpectu eorum.

9. Et erit in die illa: quæram conterere omnes Gentes, quæ veniunt contra Jerufalem.

10. Et effundam fuper domum David, & fuper habitatores Jerufalem fpiritum (h) gratiæ, & precum: * & afpicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quafi fuper unigenitum, & dolebunt fuper eum, ut doleri folet in morte primogeniti. * Joann. 19. 37.

11. In die illa magnus erit planctus in Jerufalem, * ficut planctus Adadremmon in campo Maggedon (i). * 2. Par. 35. 22.

12. Et planget terra: familiæ & familiæ feorfum: & familiæ domus David feorfum, & mulieres eorum feorfum:

13. Familiæ domus Nathan (k) feorfum, & mulieres eorum feorfum: familiæ domus Levi feorfum, & mulieres eorum feorfum: familiæ Semei feorfum, & mulieres eorum feorfum.

14. Omnes familiæ reliquæ, familiæ & familiæ feorfum, & mulieres eorum feorfum.

C A P U T XIII.

Chriftus fons gratiæ & juftitiæ: fons ille aperiendus per paffionem: percutietur paftor, & oves difpergentur.

1. IN die (a) illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jerufalem in ablutionem peccatoris, & menftruatæ.

2. * Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum: Difperdam (b) nomina idolorum de terra, & non memorabuntur ultra: & pfeudoprophetas, & fpiritum immundum auferam de terra. * Ezec. 30. 13.

3. Et erit, cum prophetaverit quifpiam ultra, dicent ei pater ejus, & mater ejus, qui genuerunt eum: Non vives: quia mendacium locutus es in nomine Domini: & configent eum pater ejus, & mater ejus, genitores ejus, cum prophetaverit.

4. Et erit: In die illa confundentur prophetæ, unufquifque ex vifione fua cum prophetaverit: nec operientur pallio (c) facino, ut mentiantur:

5. Sed dicet: Non fum propheta, homo agricola ego fum: quoniam Adam (d) exemplum meum ab adolefcentia mea.

6. Et dicetur ei: Quid funt plagæ (e) iftæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus fum in domo eorum, qui diligebant me.

7. Framea fufcitare fuper paftorem meum, & fuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: Percute * paftorem, & difpergentur oves: & convertam manum meam ad parvulos. * Matt. 26. 31. Marc. 14. 27.

8. Et erunt in omni terra, dicit Dominus: partes (f) duæ in ea difpergentur, & deficient: & tertia pars relinquetur in ea.

9. Et

6. (e) Ecclefia interim magna fumet incrementa, & prædicatores Evangelii audientium corda igne verbi divini fuccendent: in loco fuo, Ecclefia recuperabit quæ tyranni & hæretici ademerant.

7. (f) Ea tabernacula funt Ecclefiæ particulares, ab Apoftolis, aut ab eorum fucceffor bus fundatæ. Ut non magnifice glorietur domus David: nam palam erit victoriam uni Deo referri acceptam. Qui de Machabæis hæc interpretantur, fatis commode ea Prophetæ verba iis aptare poffunt, Deus ut Antiochum & alios Syriæ reges debellaret, non familiam David, fed Machabæos e tribu Levi felegit. Et gloria habitantium Jerufalem, contra Judam; nam oppida Judææ falvavit, non urbis primariæ opibus, nec domus David robore; fed paucorum Sidelium ex oppido Modin ufus eft opera.

8. & 9. (g) Qui præ humana infirmitate ceciderit, fortiffimus eft fervator ficut David. Et domus David quafi Dei; ficut filii Dei virtutibus præditi. In confpectu eorum, inftar Angeli Domini iis præeuntis. Conterere, adeo ut numquam prævaleant.

10. (h) Spiritum fanctum effundam; Spiritus primum gratiam fpargit ut femen, deinde preces ut plantas germinare facit. Et afpicient ad me, quem confixerunt: hæc Prophetia tefte Joanne Apoftolo ad Chriftum omnino pertinet in cruce confixum, & lancea perfuffum; Et plangent eum planctu quafi fuper unigenitum: Planctus eorum qui Dominum crucifixerunt, in die Pentecoftes apparuit, cum Petri fermone compuncti rogarunt quid faciendum fibi effet, ut tantum facinus expiarent. Domus David eft Ecclefiæ Jerofolymæ congregata, in quam effufus eft fpiritus gratiæ & compunctionis. Alii tamen illa exponunt de pœna Judæorum, qui noluerunt Chriftum recipere. Videbunt in quem transfixerunt, nimirum in judicio Dei videbunt: atque ad hunc Zachariæ locum alludit Joannes Apoc. 1. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt: & plangent fe fuper eum omnes tribus terræ.

11. & 12. (i) Ubi Jofias occifus eft a rege Ægypti, eum luxerunt univerfus Juda & Jerufalem, ex c. 35. lib. 2. Paral. Seorfum, Viros feorfum, & mulieres feorfum, primates Judæorum.

13. (k) Familia Nathan filii David, cujus genealogia pertexitur Lucæ 3. Hic frater erat Salomonis, 1. Paralip. 3. Familiæ Semei: vel Samma ex cap. 8. Ifaiæ, vel Symeon, ut pofterunt fectuaginta ex iis Scribæ & Pharifæi prodiiffe creduntur: forte ex errore defcribentium orta eft inter nomina varietas, ut nonnulli cenfent.

1. (a) Redit ad Chrifti paffionem, de qua obiter locutus fuerat cap. 12. Solet autem Scriptura copulare disjuncta tempora his verbis, In diebus illis, aut In die illa, ut docet Chryfoft. Homil. 10. in Matthæum: vel in die illa, cum impletum fuerit tempus Meffiæ adventus votis omnium exoptatum. Fons; fontem illum Chriftum effe docet Gregor. Homil. 20. in Ezech. Fons occultus eft unigenitus Patris invifibilis Deus, fons vero patens eft idem Deus incarnatus. Deinde fons dicitur propter baptifmum & alia Sacramenta, & propter doctrinam Evangelicam. In ablutionem, Judæorum & Gentilium. CAP. XIII.

2. (b) Ex omnium Judæorum fententia loquitur Propheta de Meffia. Hic idolorum cultum per Apoftolos fuos & prædicatores Evangelii fuftulit; necnon & pfeudoprophetas, & vates dæmonibus afflatos.

4. (c) Septuag. Pelle cilicina, qua induebantur Prophetæ, cum populum ad pœnitentiam hortabantur. Ifaiæ c. 20. præcipitur, ut auferas faccum de lumbis tuis; hos pfeudoprophetæ imitabantur, ut tuto mentiri poffent.

5. (d) In exemplum mihi propofui Adam, qui fudore vultus fui terram colendo vefcebatur pane fuo.

6. & 7. (e) Quæ ad Chriftum omnino videntur pertinere, ex iis quæ mox fequuntur. Super paftorem meum, poftquam enim de Chrifto dixerat, Erit fons patens domui David, ac de pfeudoprophetis longiorem inferuit parenthefim, mox redit ad Chriftum: In domum eorum, qui diligebant me: Hæc paffus fum a Judæis qui olim diligebant me, & colebant. Framea; hæc funt verba Dei Patris caufam afferentis cur Chriftum morti tam acerbæ traderet, nempe ut per ejus mortem electi vitam confequerentur æternam. Salvator ipfe ab Apoftolis derelictus, & ab inimicis comprehenfus nocte paffionis fuæ, illa Prophetæ verba impleta fuiffe teftatur. Percute paftorem, & difpergentur oves. Framea feu gladius fufcitabitur fuper paftorem meum; eum percuti finam a Judæis. Ad parvulos, Apoftolos non deferam, fed reducam ad Præceptorem fuum.

8. (f) Duo populi inter fe divifi, Judæi & Gentiles, nifi veniant ad Chriftum, in æternum peribunt. Et tertia pars, Tertius populus erit Chriftianorum, qui ex illis duobus exurget, & falvabitur.

9. Et ducam tertiam partem per ignem, (*g*) & uram eos ſicut uritur argentum, & probabo eos ſicut probatur aurum. Ipſe vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum. Dicam: Populus meus es; & ipſe dicet: Dominus Deus meus.

CAPUT XIV.

Exibunt aquæ vivæ de Jeruſalem, percutiet Dominus plaga gentes, quæ pugnaverunt contra Jeruſalem.

1. ECce venient (*a*) dies Domini, & dividentur ſpolia tua in medio tui.

2. Et congregabo (*b*) omnes Gentes ad Jeruſalem in prælium, & capietur civitas, & vaſtabuntur domus, & mulieres violabuntur: & egredietur media pars civitatis in captivitatem, & reliquum populi non auferetur ex urbe.

3. Et egredietur Dominus, & præliabitur (*c*) contra Gentes illas, ſicut præliatus eſt in die certaminis.

4. Et ſtabunt pedes ejus in die illa ſuper Montem olivarum (*d*), qui eſt contra Jeruſalem ad Orientem: & ſcindetur Mons olivarum ex media parte ſui ad Orientem, & ad Occidentem, prærupto grandi valde: & ſeparabitur medium montis ad Aquilonem, & medium ejus ad Meridiem.

5. Et fugietis (*e*) ad vallem montium eorum, quoniam conjungetur vallis montium uſque ad proximum: & fugietis * ſicut fugiſtis a facie terræmotus in diebus Oziæ regis Juda: & veniet Dominus Deus meus, omneſque Sancti cum eo.

*Amos 1. 1.

6. Et erit in die illa: Non erit lux, ſed frigus & gelu (*f*).

7. Et erit dies una, quæ nota eſt Domino, non dies neque nox: & in tempore veſperi erit lux.

8. Et erit in die (*g*) illa: Exibunt aquæ vivæ de Jeruſalem: medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare noviſſimum: in æſtate & in hieme erunt.

9. Et erit Dominus Rex (*h*) ſuper omnem terram: in die illa erit Dominus unus, & erit nomen ejus unum.

10. Et revertetur (*i*) omnis terra uſque ad deſertum, de colle Remmon ad Auſtrum Jeruſalem: & exaltabitur, & habitabit in loco ſuo, a porta Benjamin uſque ad locum portæ prioris, & uſque ad portam angulorum: & a turre Hananeel uſque ad torcularia regis.

11. Et habitabunt in ea, & anathema (*k*) non erit amplius: ſed ſedebit Jeruſalem ſecura.

12. Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes Gentes, quæ pugnaverunt adverſus Jeruſalem: tabeſcet caro uniuſcujuſque ſtantis ſuper pedes ſuos, & oculi ejus contabeſcent in foraminibus ſuis, & lingua eorum contabeſcet in ore ſuo.

13. In die illa erit tumultus Domini magnus in eis: & apprehendet vir manum proximi ſui, & conſeretur manus ejus ſuper manum proximi ſui.

14. Sed & Judas (*l*) pugnabit adverſus Jeruſalem: & congregabuntur divitiæ omnium Gentium in circuitu, aurum, & argentum, & veſtes multæ ſatis.

15. Et ſic erit ruina equi, & muli, & cameli, & aſini, & omnium jumentorum, quæ fuerint in caſtris illis, ſicut ruina hæc.

16. Et

---

9. (*g*) Variis tentationibus & laboribus hunc tertium populum probabo, ut fiat quaſi aurum puriſſimum.

CAP. XIV. 1. (*a*) Longe veriſimillimum videtur, Prophetam de excidio Jeroſolymæ ſub Tito vaticinari. Poſtquam de morte Chriſti locutus eſt, de Judæorum perditione loquitur, & apertius explicat quod cap. 11. dixerat, *Aperi Libane portas tuas*. *Et dividentur ſpolia tua in medio tui*: Hoſtes ſecuti non in agro, ſed in medio urbis vaſtatæ ſpolia divident.

2. (*b*) Exercitum Romanorum e variis nationibus coactum. *Non auferetur ex urbe*: quia peribit in urbe pars dimidia aut circiter civitatis.

3. (*c*) Contra has gentes quæ expugnarunt Jeroſolymam, pugnavit Chriſtus ut Evangelio eas ſubjiceret. *Sicut præliatus eſt*, cum Ægyptios demerſit in mare rubrum, ſic idololatriam penitus evertet.

4. (*d*) Cum Dominus egreditur & ſtat ſuper Montem olivarum, tum relinquit Jeruſalem, & tranſit ad vicinas nationes, quas Judæi oderant. Mons olivarum Eccleſiam gentium ſignificat; atque in Prophetis nihil eſt uſitatius, quam figuratæ illæ locutiones, montis, vineæ, &c. Eccleſia gentium dicitur mons olivarum ad Orientem Jeroſolymæ poſitus, cui ſol juſtitiæ oritur, quique profert uberrimos pietatis & virtutum fructus. Unde & Chriſtus Joann. 8. & Lucæ 24. Jeroſolymæ interdiu manebat, noctu tranſibat in montem olivarum. *Et ſcindetur*, facta voragine verſus Orientem & Occidentem, ut in hac voragine mons alter rurſus fiat, cujus pars ad Septentrionem, altera ad Auſtrum vergat: adeo ut mons in quatuor partes dividatur in modum crucis. Vel una ſit vorago, cujus dimidiæ partes in loco ſuo motæ convertantur una ad Auſtrum, altera ad Aquilonem. Quo quidem ſignificatur, non omnes qui credent, ſalvos fore. Cum autem mons olivarum figurate ſit accipiendus, fruſtra quæritur quando mons ille ſciſſus eſt: ſolet enim Scriptura per terræmotus, & rerum natura ſua immobilium concuſſionem, magnarum rerum mutationes deſignare, ut Pſal. 17. *Commota eſt, & contremuit terra*.

5. (*e*) Ex Hebr. & LXX. legitur *Montium meorum*: Cum ſcindetur mons olivarum, cum Evangelium in toto orbe recipietur, vos Judæi in veſtra incredulitate permanentes, & illo fragore territi fugietis in vallem, quæ inter montem Sion & templum eſt interjecta, manſuri in umbra & ritibus veteris teſtamenti, non ad idolorum cultum revertentes. *Quoniam conjungetur vallis*, Quoniam vorago illa montis Oliveti, quæ maxima futura eſt, uſque ad montem templi perveniet. Quo latius Evangelii lux ſe diffundet, hoc pertinacius Judæi reſiſtent. *In diebus Oziæ regis Juda*, Joſephus Lib. 9. cap. 11. tum dimidium montis Oliveti ad Occidentem vergentis tranſiiſſe ad montem Orientalem ſcribit. Fuga illa Judæorum figura fuit hujus fugæ, quæ a Propheta deſcribitur. *Et veniet*; hæc in extremo judicio, ut in Epiſtola Judæ ſcriptum eſt: Vos fugietis ad vallem, & ſub umbra legis vos tutos fore putabitis: ſed veniet Chriſtus ad judicandum, tumque cognoſcetis quam a vero aberraveritis.

6. & 7. (*f*) Quæ obſtabunt, quominus fugiatis, *Domino*; huic uni nota eſt; *Non dies, neque nox*; eſt quædam velut correctio; neque dies proprie, neque nox dici poteſt: nam judicium fiet breviſſimo temporis ſpatio. *Erit lux*, In fine hujus diei erit lux Sanctis indeficiens, non reprobis.

8. (*g*) Non in die judicii, ſed refertur ad id, quod dixit antea, *Et ſtabunt pedes ejus in die illa*. *Exibunt aquæ vivæ*, ex eo fonte manantes, de quo cap. ſuperiori. *In die illa erit fons patens domui David*, ſalutaris doctrina Evangelii. Jeruſalem vocatur Eccleſia, ex Hieron. nam in hoc capite Jeruſalem nuſquam pro urbe, ſed pro Eccleſia accipitur. *Medium earum ad mare Orientale*: Per totum orbem terrarum hæ ſpargentur aquæ. *In æſtate & in hieme erunt*, Nullo tempore deficient.

9. (*h*) Chriſtus ubique regnabit, non audientur Idolorum nomina.

10. (*i*) Omnis illa terra deſolabitur, ut poſſit Jeruſalem dilatari: collis Remmon erat locus munitiſſimus in tribu Benjamin, major ſolito futurus eſt: cum autem id factum numquam fuerit, palam eſt de Eccleſia, non de urbe hæc intelligi oportere.

11. & 13. (*k*) Non erit occiſio; quantumvis concutiatur Eccleſia, non diſſipabitur. *Tumultus Domini*, Stupor a Deo immiſſus. *Et apprehendet*, Quiſque a proximo ſuo auxilium petet.

14. (*l*) Aut Judæi, aut Apoſtatæ & Hæretici eo nomine deſignantur. *Et congregabuntur*, Potentes & divites pugnabunt contra Eccleſiam: ſed Deo pugnante vincentur, & eorum ſpoliis ditabitur Eccleſia; horum eruditione, eloquentia, & nobilitate locupletabitur.

16. Et omnes, qui reliqui (*m*) fuerint de universis Gentibus, quæ venerunt contra Jerusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent Regem, Dominum exercituum, & celebrent festivitatem tabernaculorum.

17. Et erit: qui non ascenderit de familiis terræ ad Jerusalem, ut adoret (*n*) Regem, Dominum exercituum, non erit super eos imber.

18. Quod & si familia Ægypti (*o*) non ascenderit, & non venerit: nec super eos erit, sed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes Gentes, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum.

19. Hoc erit peccatum Ægypti, & hoc peccatum omnium Gentium, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum.

20. In die illa erit quod super frænum (*p*) equi est, Sanctum Domino: & erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari.

21. Et erit omnis lebes (*q*) in Jerusalem, & in Juda sanctificatus Domino exercituum: & venient omnes immolantes, & sument ex eis, & coquent in eis: & non erit mercator ultra in domo Domini exercituum in die illo.

16. (*m*) Qui servati fuerint ceteris pereuntibus, ad festos die celebrandos accurrent; figuræ nomen pro re figurata ponitur, & persectis Christianorum recens ad fidem conversorum, quique per desertum hujus vitæ ad veram promissionis terram contendunt, insinuatur.

17. (*n*) Quæ non venerint ad Ecclesiam familiæ quantumvis nobiles & potentes, arescent, & peribunt, ut fata quæ imbrem e cælo non accipiunt.

18 (*o*) Seu Ægypti nomine Ecclesiæ persecutores, seu Judæos ipsos designet, ut Apocal. 11. innuitur, caussa quoque peribit, nec erit super eam imber divinæ gratiæ.

20. (*p*) Hebræi, ubi habemus *frænum*, phaleras, seu ornatum equorum legunt. *Quasi phialæ coram altari*; Maximus erit numerus se suaque offerentium Deo.

21. (*q*) Omnes deferent lebetes suos in templum, & consecrabunt eos Domino, ut sacrificiis serviant. Multitudo offerentium in nova lege, & innumerabilis multitudo martyrum, & religiosorum greges, qui se Christo devovent, insinuantur. Loquitur itaque Propheta, ait Cyrillus, tamquam de sacrificiis secundum legem; nos autem intelligimus convenienter temporibus Christi & nostro cultui; œconomice autem dicimus factum esse sermonem obscure, non omnibus expositum, ne projiciatur canibus, quod solis Sanctis revelat Verbum. Mercator, Hebr. Chananæus, *in domo Domini*; erant qui lebetes venderent, & oves & columbas & alia quæ sacrificiis erant necessaria: sed non erunt ejusmodi mercatores in templo: nam adorabitur Dominus in spiritu & veritate, & offeretur corpus & sanguis Domini: nemo præ inopia offerre victimas desinet.

PROPHETIA MALACHIÆ.

POST absolutam templi fabricam vaticinatus videtur temporibus Darii Hystaspis.

CAPUT PRIMUM.

Populum ut beneficiorum, quæ a Deo accepit, immemorem reprehendit: tum de novæ legis sacrificiis aperte differit.

1. ONus (*a*) verbi Domini ad Israel in manu Malachiæ.

2. Dilexi vos, dicit Dominus, & dixistis: In quo dilexisti nos? Nonne (*b*) frater erat Esau Jacob, dicit Dominus, & * dilexi Jacob.

* Rom. 9. 13.

3. Esau autem odio habui? & posui montes ejus in solitudinem (*c*), & hæreditatem ejus in dracones deserti.

4. Quod si dixerit Idumæa: Destructi sumus, sed revertentes ædificabimus quæ destructa sunt: Hæc dicit Dominus exercituum: Isti ædificabuntur, & ego destruam: & vocabuntur (*d*) termini impietatis, & populus, cui iratus est Dominus usque in æternum.

5. Et

CAPUT I. 1. (*a*) Prophetante Malachia. *Onus verbi*, Prophetia onerosa, dura verba. *Ad Israel*, Ad eos, qui e captivitate redierant. Eumdem esse Malachiam & Esdram, non Judæi modo, sed etiam Hieronymus & alii opinantur. C. 2. invehitur acriter in Sacerdotes, qui uxores alienigenas duxerant, ut Esdras cap. 9 Zachariæ & Aggei fit mentio. Esdræ c. 5. & 6 non item Malachiæ. quæro forte non omisisset, si alius esset ab ipso Esdra, Ecclesiasticus viros illustres laudat. Esdræ nullam facit mentionem, quod forsitan cum aliis prophetis eum laudaverit; Nehemiæ meminit. Esdra quidem ut Sacerdos & Scriba, non ut Propheta laudatur in Scriptura: sed haud verisimile putant, Malachiam dictum, seu *Angelum* aut nuntium Dei, postquam prophetare cœpit. Illud etiam frequens est in Scripturis, ut habenti duo nomina usitatius illi tribuatur: adeo ut sæpe nomen alterum ignoraretur, nisi ex occasione aliqua in alio Scripturæ loco fuisset indicatum. Multa in hanc rem profert exempla P. Ribera. Azariam nescíremus dictum fuisse Oziam, nisi ex cap. 25. Lib. 2. Paral. illud accepissemus.

2. (*b*) Quod eos dilexerit Deus, demonstrat ex ipsa gentis origine: antequam nasceretur Jacob, eum dilexi, Esau odio habui saltem in ejus posteris, vel ut aliis placet, minus dilexi.

3. (*c*) Urbes ejus in montibus positas & munitas Chaldæi vastaverunt, nec redierunt e captivitate sua, uti vos nunc reversi patriam vestram tranquille incolitis.

4. (*d*) Idumæi quidem e captivitate redierunt; sed postea a Judæis Machabæorum temporibus subacti sunt, a Juda Machabæo & a Joanne Hircano filio Simonis fratris Judæ domiti sunt & circumcisi.

5. Et oculi vestri videbunt: & vos dicetis: Magnificetur (e) Dominus super terminum Israel.

6. Filius honorat (f) patrem, & servus dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum: ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis: In quo despeximus nomen tuum?

7. Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis: In quo polluimus te? In eo quod dicitis: Mensa Domini despecta est.

8. Si offeratis (g) cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est? offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.

9. Et nunc deprecamini vultum Dei ut misereatur vestri (de manu enim vestra factum (h) est hoc) si quomodo suscipiat facies vestras, dicit Dominus exercituum.

10. Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra.

* Ps. 112. 3. 11. * Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus (i), & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.

12. Et vos polluistis (k) illud in eo, quod dicitis: Mensa Domini contaminata est: & quod superponitur, contemptibile est, cum igne, qui illud devorat.

13. Et dixistis: Ecce de labore (l), & exsufflastis illud, dicit Dominus exercituum, & intulistis de rapinis claudum, & languidum, & intulistis munus: numquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus?

14. Maledictus dolosus (m), qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in Gentibus.

CAPUT II.

Deus sacerdotum benedictionibus maledicit, nisi resipiscant, quod legem ejus contemnant: Judæos reprehendit, quod ducant alienigenas.

1. ET nunc ad vos mandatum hoc, o sacerdotes.

2. * Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem, & maledicam (a) benedictionibus vestris, & maledicam illis: quoniam non posuistis super cor. * Levit. 26. 14. Deut. 28. 15.

3. Ecce ego projiciam vobis brachium (b), & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, & assumet vos secum.

4. Et scietis (c) quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum.

5. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timorem, & timuit me, & a facie nominis mei pavebat.

6. Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non est inventa in labiis ejus: in pace & in æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate.

7. Labia (d) enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est.

8. Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: irritum (e) fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum.

9. Pro-

5. (e) Machabæorum temporibus Judæi multum dilataverunt fines suos; verum id altiori sensu de Ecclesiæ dilatatione intelligitur.

6. & 7. (f) Ad peccata Sacerdotum convertit sermonem. *Offertis super altare*, super mensam, panes propositionum, vel panes sacrificiorum, qui offerebantur super altare. Levit. 2. 6. & 7. Panis pollutus ille est, qui secundum legis præscriptum non præparatur, & sic polluitis me, & contemnitis, *Despecta est*. Contemptibilis est, & contaminata, ac priorem amisit splendorem. Nempe hinc sacerdotes excusatos se putabant, quod populus minus esset liberalis, & in delectu oblationum minus esset attentus, adeo ut id omne quod offerebat, recipere cogerentur. Unde avaritiæ suæ quamdam excusationis speciem obtendebant, quamvis ex templi reditibus hostias puras Deo offerre potuissent: hinc Propheta eos avaritiæ crimine condemnat.

8. (g) Si vilissima quæque ex animalibus offertis, *nonne malum est?* Et tamen id facitis o sacerdotes, seu victimas pro vobis ipsis offeratis, seu a populo viliores accipiatis in holocaustum; eas vero, quarum pars in vestrum usum cedit, ut meliores sint, cavetis. *Offer illud duci tuo:* Zorobabeli, qui dux erat, non rex: *Si placuerit ei*, Numquid placebit ei? *Aut si susceperit faciem tuam:* An benigne illud excipiet?

9. & 10. (h) Vos enim quæ dixi, fecistis universa: Gratuito; Et tamen tam negligentes munus vestrum obire non pudet. *Non est mihi voluntas*: Dominus declarat per Prophetam hæc sacrificia sibi odio esse & fastidio, ac longe excellentius aliud pollicetur; simul populum cum suo sacerdotio rejiciendum prædicit.

11. (i) Præsenti tempore utitur pro futuro. *Oblatio munda*, hoc est, corpus & sanguis Filii mei, ut SS. PP. & veteres pene omnes exponunt. Chrysost. in Psalm 95. postquam hæc verba protulit. *Vide*, inquit, *quam luculenter, quamque dilucide mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia:* Et in Orat. 3. contra Judæos, probat hanc Prophetiam nunquam impletam esse, nisi in nostro sacrificio; nam sacrificium Judæorum neque in toto Orbe oblatum fuisse Deo, neque offerri posse extra Jerusalem, ex Deuter. cap. 16. ostendit.

12. (k) Cum viderent altare non ita ornatum, ut antea, vel certe, ut Cyrillus exponit, si minus verbis, saltem factis id dicebant, cum debitum honorem sancto altari non adhiberent. *Contemptibile*, quia e cælo non datus est, ut prior, sed ex aqua crassa accensus, 2. Mach. 1.

13. (l) Sacerdotes & Laici paupertatem suam obtendebant. *Et exsufflastis illud*: Exsufflatione mea dignum fecistis. *Et intulistis de rapinis*. Quod pejus erat, victimas obtulistis e rapinis vestris.

14. (m) Paupertatem prætexitis, cum pinguia sint vobis animalia, & deterrima offeratis in votum; & tamen in victimis ex voto oblatis vitia tolerari non possunt; dolose mecum agitis. *Horribile in gentibus*. Hebr. Omni reverentia & timore dignum.

CAP. II. 2. (a) Auferam vobis quæ ex benignitate mea possidetis, vel quibus benedixeritis, ut agris & pecoribus, ut fœcunda sint, ego sterilia efficiam.

3. (b) Armum animalis dexterum, qui reservabatur sacerdotibus, ut pectusculum, Levit. 7 & 10. *Et dispergam*, Septuag. vertunt ventriculum qui reservabatur sacerdotibus. Projiciam, id est, projici faciam in faciem vestram ventriculum, & ejus stercore facies vestras deturpabo. *Et assumet vos secum*; Semper eritis contemptibiles.

4. (c) Sic deturpati scietis me ad vos Prophetam misisse cum isto mandato, ut pactum meum cum Levi initum, cum sacerdotali & Levitico genere sancitum, firmum esset: his promisi pacem, & vitam corporis & animi.

9. (d) Custodire debent. *Et legem requirent ex ore ejus*: Bernard. Lib. 2. de Consid. cap. 13. *Legem requirent, non nugas profecto, non fabulas.* Hæc præmiserat: *Consecrasti os tuum Evangelio, talibus jam aperire illicitum, assuescere sacrilegum est.* Tunc hæc Prophetæ verba subjicit: *Quia Angelus Domini exercituum est:* Angeli non referunt hominibus nisi quæ a Deo acceperunt. Sacerdos Dei & hominum sequester, Dei ad populum voluntatem denuntiat.

8. & 9. (e) Effecistis ut non redderem vobis quæ promiseram Levi. *Accepistis faciem*, Non legibus, aut justitia caussas ipsas expenditis; sed personarum tantummodo habetis rationem.

9. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, ſicut non ſervaſtis vias meas, & accepiſtis faciem in lege.

*Matth. 13. 9. Eph. 4. 6. 10. * Numquid non pater unus omnium noſtrum? numquid non Deus unus creavit nos? quare ergo deſpicit unuſquiſque noſtrum fratrem ſuum, violans pactum patrum noſtrorum?

11. Tranſgreſſus eſt Juda, & abominatio facta eſt in Iſrael, & in Jeruſalem: quia contaminavit (*f*) Juda ſanctificationem Domini, quam dilexit: & habuit filiam dei alieni.

12. Diſperdet Dominus virum, qui fecerit hoc, magiſtrum, & diſcipulum de tabernaculis (*g*) Jacob, & offerentem munus Domino exercituum.

13. Et hoc rurſum feciſtis, operiebatis (*h*) lacrymis altare Domini, fletu, & mugitu, ita ut non reſpiciam ultra ad ſacrificium, nec accipiam placabile quid de manu veſtra.

14. Et dixiſtis: Quam ob cauſam? quia Dominus teſtificatus (*i*) eſt inter te, & uxorem pubertatis tuæ, quam tu deſpexiſti: & hæc particeps tua, & uxor fœderis tui.

15. Nonne unus (*k*) fecit, & reſiduum ſpiritus ejus eſt? Et quid unus quærit, niſi ſemen Dei? Cuſtodite ergo ſpiritum veſtrum, & uxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere.

16. Cum odio habueris, dimitte (*l*), dicit Dominus Deus Iſrael: operiet autem iniquitas veſtimentum ejus, dicit Dominus exercituum: cuſtodite ſpiritum veſtrum, & nolite deſpicere.

17. Laborare (*m*) feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris, & dixiſtis: In quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis: Omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent: aut certe ubi eſt Deus judicii?

CAPUT III.

De adventu Christi & præcurſoris ejus. In eos invehitur, qui cultum Dei eſſe inutilem dicebant.

1. Ecce ego mitto (*a*) Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis: & Angelus teſtamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum: Matth. 11. 10. Marc. 1. 2. Luc. 1. 17. & 7. 27.

2. Et quis poterit cogitare (*b*) diem adventus ejus, & quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum:

3. Et ſedebit conflans (*c*), & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitia.

4. Et placebit Domino ſacrificium Juda & Jeruſalem, ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui.

5. Et accedam (*d*) ad vos in judicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.

6. Ego enim Dominus, & non mutor (*e*): & vos filii Jacob non eſtis conſumpti.

7. A diebus enim patrum veſtrorum receſſiſtis a legitimis meis, & non cuſtodiſtis. * Revertimini (*f*) ad me, & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixiſtis: In quo revertemur? * Zach. 1. 3.

8. Si

11. (*f*) Miſcendo ſe cum alienigenis uxoribus; *Et habuit filiam dei alieni*; Habuit pro uxore mulierem colentem idola.

12. (*g*) Sive ſit ſacerdos, ſive laicus: tabernacula Jacob urbes vocat & oppida, Pſalm. 86. *Diligit Dominus portas Sion ſuper tabernacula Jacob*: vox illa tabernaculi tranſiit ad domos & urbes: *Et offerentem munus*: quiſquis ſit ille, etiamſi plurima offerat Deo munera, ſacerdotes in primis, qui in eadem culpa fuerunt.

13. (*h*) Uxores Iſraeliticæ flebant die ac nocte ante altare Domini videntes ſe relictas.

14. (*i*) Deus teſtatum reliquit quid vellet, præcepit quomodo gerere te debeas erga uxorem, quam juvenis duxiſti, idque præcepit Geneſ. 2. *Propter hoc relinquet homo*, &c. *Et hæc particeps tua*, ſocia & uxor, cum qua fœdus matrimonii iniiſti.

15. (*k*) Unus Deus fecit marem & feminam, ut ex iis perpetuo conjuncti vinculo genus humanum propagaretur. Matth. 19. *Et reſiduum ſpiritus ejus eſt*: Dei ſcilicet, qui cum inſpiraſſet in faciem Adami ſpiraculum vitæ, de coſta Adami formavit Hevam, & illi dedit reſiduum ſpiritus ſui, flatus ſui, ſimilem animam ad imaginem Dei factam. *Et quid unus quærit, niſi ſemen Dei?* Quid aliud vult Deus, niſi ut ſemen ſuum ſit ſanctum, ut ſemen populi Dei non adulteretur per matres alienigenas? Hæc bene intelliguntur ex cap. 9. Eſdræ, *Cuſtodite ergo ſpiritum veſtrum*, ab omni legis prævaricatione, & ab omni libidine: LXX. *Cuſtodite in ſpiritu veſtro*, Ne deſeratis uxores veſtras, & diligite eas ut conſortes, & partes veſtri.

16. (*l*) Hæc a ſacerdotibus & Levitis dici putat Hieronymus: alii a Deo ipſo per ironiam dicta volunt; ironiam detegit mox ſequens comminatio. *Veſtimentum ejus*, non mulieris dimiſſæ, ſed viri dimittentis: nam pronomen, *ejus*: in Hebræo eſt maſculini generis. Iniquitas accipitur pro pœna, quam meretur iniquitas.

17. (*m*) Humano more exprimit quantum eorum ſermones adverſus Dei providentiam ei diſplicuerint: quod vidiſſent Babylonios & alios idololatras abundare divitiis, ſe autem inopes, dicebant malos Deo placere; *Et ubi eſt Deus judicii?* Ubi eſt Deus qui juſte judicare ſolet, Deus faciens judicium?

CAP. III. 1. (*a*) Poſtquam ſacerdotum mores & vitam reprehendit, Prophetiam de Chriſto ad fidelium conſolationem ſubjicit, qui daturus eſt puros & integros ſacerdotes, quorum ſacrificio Deus placabitur. Angelus ille eſt Joannes Baptiſta, docente nos Chriſto Domino Matth. 11. & Lucæ cap. 7. Miſſio Joannis, quia communis erat tribus perſonis, a Propheta tribuitur Filio, ab Evangeliſtis Patri, ut oſtendatur eadem utriuſque natura & poteſtas & operatio, & diſtinctio perſonarum: atque Evangeliſtæ obſervare non ſolent moroſe verba, ſed ſenſum. *Dominator, quem vos quæritis*: Hebr. *Dominus*. Illum eſſe Meſſiam, Judæi & noſtri conſentiunt; ſolus vero Deus templum habet, ac proinde Meſſias eſt Deus. Tunc Chriſtum dicitur veniſſe, cum docere incœpit, & munus ſuum obire; tunc venit in Eccleſiam, cum ſe manifeſtavit. *Et Angelus Teſtamenti*: in fœdere promiſſus Deut. 18 & quia fœdus novum, ſeu legem novam Deum inter & homines fecit.

2. (*b*) Quis poterit cogitando conſequi, quanta ſit gloria diei ejus? alii vertunt: Quis poterit ſuſtinere? *Et quis ſtabit ad videndum eum?* Quis poterit ferre tantam lucem, & majeſtatem? quis hæc cogitans non deficiat præ admiratione? *Argentum*, per Spiritum Sanctum corda fidelium purificans, ut ignis metalla fundit: *Et quaſi herba fullonum*, qua lanam detergunt; herba *Borith* ſer. 2. quam LXX. vertunt herbam lavantium: ubi Hieronym. *Herba fullonum*, inquit, *juxta ritum Provinciæ Palæſtinæ in virentibus & humilibus naſcitur locis, & ad lavandas ſordes eamdem vim habet, quam & nitrum*. Alii nitrum vocant, aut ſodam.

3. (*c*) Purificans, *Et emundans argentum*, ſicut argentum: Nam Hebræi, ut ſæpe diximus, notam ſimilitudinis interdum non exprimunt: *Et purgabit filios Levi*, novæ legis ſacerdotes, quorum filii Levi fuerunt figura.

5. (*d*) Redit ad reprehendendos ſui ſæculi mores. *Maleficis*. Ego ipſe ero judex, & teſtis criminum etiam magis occultorum: maleficos vocat magicis artibus addictos, quales Jeremias cap. 27. in populo multos fuiſſe teſtatus. *Et qui calumniantur*, *qui humiliant viduas*: Sept. Qui opprimunt per potentiam viduas.

6 (*e*) Putatis me mutatum eſſe, ac malos mihi placere: non ita eſt, neque enim mutor, & mali ſemper mihi diſplicent. *Vos filii Jacob*, Magna erga vos uſus ſum miſericordia, quos propter peccata potui extinguere: Vel non conſumemini; vel ex LXX. nondum ad meliorem vitam converſi eſtis.

7. (*f*) Per veram pœnitentiam. *Et dixiſtis*, Quid faciendum nobis eſt, ut ad te revertamur?

8. Si affiget (*g*) homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis: In quo configimus te? In decimis, & in primitiis.

9. Et in penuria (*h*) vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota.

10. Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam,

11. Et increpabo (*i*) pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ: nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus Exercituum.

12. Et beatos vos dicent omnes Gentes: eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum.

13. Invaluerunt (*k*) super me verba vestra, dicit Dominus.

14. Et dixistis: Quid locuti sumus contra te? Dixistis: * Vanus est qui servit Deo, & quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus, & quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? *Job 21.15.

15. Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem ædificati sunt facientes impietatem: & tentaverunt Deum, & salvi facti sunt.

16. Tunc locuti sunt timentes (*l*) Dominum, unusquisque cum proximo suo: Et attendit Dominus, & audivit: & scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen ejus.

17. Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die, qua ego facio (*m*), in peculium: & parcam eis, sicut parcit vir filio suo servienti sibi.

18. Et convertemini, & videbitis (*n*) quid sit inter justum, & impium: & inter servientem Deo, & non servientem ei.

CAPUT IV.

Impiorum supplicia: orietur sol justitiæ timentibus Deum: Elias mittendus antequam veniat dies Domini.

1. ECce enim dies (*a*) veniet succensa quasi caminus: & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem, & germen.

2. * Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol (*b*) justitiæ, & sanitas in pennis ejus: & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento. *Luc. 1.78.

3. Et calcabitis (*c*) impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.

4. * Mementote (*d*) legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta & judicia. * Exod. 20. Deut. 4. 5. & 6.

5. * Ecce ego mittam vobis Eliam (*e*) prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. *Matth. 17. 10. Luc. 1. 17.

6. Et convertet cor patrum (*f*) ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.

8. (*g*) Vox Hebræa, Cabah, קבע, juxta recentiores rapere significat, adeo ut hic sit sensus: num rapiet homo Deum, id est, num rapiet quæ Dei sunt? Et Hieron. hoc verbum est Syrorum & Chaldæorum, quod per metaphoram affligere, & vehementi dolore afficere significat. *Configitis*, humano more Deus configi dicitur, cum res magnopere illi displicet, ut decimas non solvi sacerdotibus; *in decimis & primitiis*: In Lib. 2. Esdræ c. 5. refert Nehemias, partes Levitarum non fuisse datas.

9. (*h*) Pœnas datis vos magna sterilitate, nec resipiscitis, sed configitis potius, fraudando me decimis, quod gens tota, seu principes & privati faciunt.

11. (*i*) Avertam locustam & bruchum, quæ segetes vestras excedunt.

13. (*k*) Molestissima mihi fuerunt verba vestra, quæ c. 2. referuntur, cum ad blasphemiam post egestatem rediissent, & divinam accusassent providentiam potius quam peccata sua.

16. (*l*) Providentiam Dei defenderunt adversus impios, atque id locuti sunt quod justos decebat. *Coram eo*, ut suo tempore illis mercedem reddat: figurato sermone Deus utitur.

17. (*m*) In die, qua pœnas de impiis & blasphemantibus sumam: *In peculium*; Hebr. *In substantia dilectam*. In acquisitionem.

18. (*n*) Tunc vos cognoscetis, quam injustæ fuerint vestræ querelæ, quam impiæ blasphemiæ: sed sera & inutilis erit vestra conversio, dum calamitatem vestram videbitis ad Deum non redeuntes.

CAP. IV. 1. (*a*) De extremo judicio loquitur Propheta. Prius dixerat. *Et videbitis quid intersit inter justum & impium*: caussam nunc affert, quoniam dies veniet iræ plena. *Radicem & germen*; Dies illa omnia bona & voluptates iis auferet, neque ullam vitæ melioris spem relinquet.

2. (*b*) Longe aliter vobis qui me amatis & timetis, eveniet: Christus enim Sol justitiæ majestate & splendore plenus vobis apparebit, & omnes fugabit tenebras; felices vos efficiet. *Et sanitas in pennis ejus*: Quocumque radios velut pennas extenderit, sanitatem afferet. *Sicut vituli de armento*: LXX. *Sicut vituli e vinculis soluti*.

3. (*c*) Eritis cum Christo, & cum illo impios damnabitis: *Cum fuerint cinis*, vilis & abjecti.

4. (*d*) Prophetæ sic de futuris vaticinantur, ut præsentia non deserant. Itaque adhortatur homines suæ ætatis, quorum alii divinam incusabant providentiam, alii eam tuebantur, ut pie & sancte vivant; quod tunc præstare non poterant, nisi ad præscriptum legis Mosaicæ vitam instituerent. *Quam mandavi ei in Horeb*; in monte Sinai, ubi majestatis meæ splendorem illi ostendi. *Præcepta & judicia*; lex mandata moralia complectitur, præcepta quæ ad ritus & cæremonias pertinent, judicia quæ ad judicialia.

5. (*e*) Non de Joanne Baptista, sed de Elia Thesbite eum loqui omnes fere Patres consentiunt: atque ad hunc locum alludit Siracides, cap. 48. Cum autem Dominus Matth. 17. ait Eliam jam venisse, nempe Joannem, non propterea rejicit Scribarum sententiam, sed loquitur de adventu Joannis, qui præcessit in spiritu & virtute Eliæ. LXX. *Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbitem*. Quod autem Propheta de secundo adventu Christi loquatur, ex iis quæ sequuntur, manifestum est.

6. (*f*) Patres sunt Patriarchæ & Prophetæ. Idem de Joanne scriptum est Lucæ 1. *Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios*; ubi patres vocantur Patriarchæ, Abraham, Isaac & Jacob, filii Judæi quibus prædicavit Joannes. Quocirca apud Malachiam filii sunt itidem Judæi, quibus prædicabit Elias, qui restituet omnia, ut ait Ecclesiasticus, seu tribus omnes Jacob. Hinc Gregor. Lib. 12. in Job cap. 10. exponens ea verba Job, *Commutans labium veracium, & doctrinam senum auferens*, hæc ad Judæos transfert. *Labium itaque veracium mutatum est, quia quem venturum dixerant, negaverunt præsentem. Et doctrina senum ablata est: quia nequaquam ea credendo secuti sunt, quæ patres suos prædixisse meminerunt. Anathemate*, Ne forte inveniam terram incredulitate plenam, atque eam perdam penitus. LXX. *Ne veniens percutiam terram*. Id vero in primis propter Judæos carnales, & in varias terras dispersos.

LIBER PRIMUS MACHABÆORUM

Hic Liber, historiam quadraginta annorum continet; qui non a morte Alexandri, sed a Regno Seleucidarum numerantur, duodecim post annis, ex Eusebio, Lib. 8. Demonstrat. Evangel. Illud quoque admodum probabile est, auctores horum librorum uno fere anno inter se dissidere in computatione, seu ob allatum supra rationem, seu ob diversa anni principia: cum alii a Martio, ut Judæi, annos inciperent; alii a Septembri, ut Antiocheni.

Cæterum perturbatus narrationis ordo, & capita transposita obscuritatem quamdam afferunt. Historia fere omnis utriusque libri. Antiochi *Illustris*, Eupatoris, *&* Demetrii *temporibus continetur.* Antiochus Epiphanes *regnare cæpit anno Imperii Græcorum 137. Duas in Ægyptum expeditiones paravit, priorem anno 143. de qua Machab. L. 2. cap. 4. alteram anno 145. de qua eo in libro, cap. 5. Eodem anno spoliat templum Jerosolymæ, &* Mathathias *primus Judæorum dux patrias leges tuetur, ex Lib. 1. Machab. cap. 2. Anno 146.* Judas *Machabæus Antiocho bellum infert;* Machabæi *nomen illi inditum plerique volunt, quod vexillis hæc verba cantici Moysis Exod. 15. 11. Hebraice* מכבי *inscripserit*, Quis similis tui in diis Domine? *Primæ harum vocum litteræ Hebraicæ nomen* Machabæi *efficiunt. Hebræi compendii caussa sæpe unum conflant vocabulum ex primis litteris multarum vocum.*

Anno 148. Judas purgat templum ex Lib. 1. Machab. cap. 4. v. 52. anno ante obitum Antiochi. Quod autem Lib. 2. Machab. cap. 10. v. 3. purgatio facta narratur post biennium a morte Antiochi, purgatio non dicitur bis facta, aut diversis temporibus, sed narrata morte Antiochi repetitur, & facta dicitur post biennium, non a morte Antiochi, sed a profanatione templi. Ita quidem P. Gordonus in Synopsi horum librorum, qui rerum gestarum seriem & librorum capita nativo ordini restituit.

CAPUT PRIMUM.

Antiochus Epiphanes, Ægypto domita, invadit Jerosolymam, templum diripit, cives cogit religionem ejurare.

1. Et factum est, postquam percussit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egressus de terra Cethim (*a*), Darium regem Persarum, & Medorum:

2. Constituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit reges terræ,

3. Et pertransiit usque ad fines (*b*) terræ: & accepit spolia multitudinis Gentium: & siluit terra in conspectu ejus.

4. Et congregavit virtutem, & exercitum fortem nimis: & exaltatum est, & elevatum cor ejus:

5. Et obtinuit regiones Gentium, & tyrannos: & facti sunt illi in tributum.

6. Et post hæc decidit in lectum, & cognovit quia moreretur.

7. Et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a juventute: & divisit (*c*) illis regnum suum, cum adhuc viveret.

8. Et regnavit Alexander annis duodecim, & mortuus est.

9. Et obtinuerunt pueri ejus regnum, unusquisque in loco suo:

10. Et imposuerunt omnes sibi diademata post mortem ejus, & filii eorum post eos annis multis, & multiplicata sunt mala in terra.

11. Et

CAPUT I. 1. (*a*) Hoc nomine Cyprum & adjacentes insulas, immo & Græciam designant Hebræi, ut Jerem. 2. 10. *Transite per insulas Cethim. Qui primus regnavit in Græcia*, In tota Græcia, quæ Syriam & Ægyptum iis temporibus continebat; ab Hebræis dicta est regnum Græcorum.

3. (*b*) Ad extrema Orientis tum nota.

7. (*c*) Præfecturas videlicet iis distribuit: sic Danielis prophetia, cap. 8. impleta cernitur. *Pueros*; Hebræi vocant omnes alicujus aut principis, aut privati ministros.

11. Et exiit (*d*) ex eis radix peccatrix, Antiochus illustris, filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obses: & regnavit in anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum,

12. In diebus illis exierunt ex Israel filii iniqui, & suaserunt multis, dicentes: Eamus, & disponamus testamentum cum Gentibus, quæ circa nos sunt: quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala.

13. Et bonus visus est sermo in oculis eorum.

14. Et destinaverunt (*e*) aliqui de populo, & abierunt ad regem: & dedit illis potestatem ut facerent justitiam Gentium.

15. Et ædificaverunt gymnasium (*f*) in Jerosolymis secundum leges Nationum:

16. Et fecerunt sibi præputia (*g*), & recesserunt a testamento sancto, & juncti sunt Nationibus, & venumdati sunt ut facerent malum.

17. Et paratum (*h*) est regnum in conspectu Antiochi, & cœpit regnare in terra Ægypti, ut regnaret super duo regna.

18. Et intravit in Ægyptum in multitudine gravi, in curribus, & elephantis, & equitibus, & copiosa navium multitudine:

19. Et constituit bellum adversus Ptolemæum regem Ægypti, & veritus est Ptolemæus a facie ejus, & fugit, & ceciderunt vulnerati multi.

20. Et comprehendit civitates munitas in Terra Ægypti: & accepit spolia Terræ Ægypti.

21. Et convertit (*i*) Antiochus, postquam percussit Ægyptum in centesimo & quadragesimo tertio anno: & ascendit ad Israel,

22. Et ascendit Jerosolymam in multitudine gravi.

23. Et intravit in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & universa vasa ejus, & mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola (*k*) aurea, & velum, & coronas, & ornamentum aureum, quod in facie templi erat: & comminuit omnia.

24. Et accepit argentum, & aurum, & vasa concupiscibilia: & accepit thesauros occultos, quos invenit: & sublatis omnibus abiit in terram suam.

25. Et fecit cædem hominum, & locutus est in superbia magna.

26. Et factus est planctus magnus in Israel, & in omni loco eorum:

27. Et ingemuerunt principes, & seniores: virgines, & juvenes infirmati sunt: & speciositas mulierum immutata est.

28. Omnis maritus sumpsit lamentum: & quæ sedebant in thoro maritali, lugebant:

29. Et commota est terra super habitantes in ea, & universa domus Jacob induit confusionem.

30. Et post duos annos dierum (*l*) misit Rex principes tributorum in civitates Juda, & venit Jerusalem cum turba magna.

31. Et locutus est ad eos verba pacifica in dolo: & crediderunt ei.

32. Et irruit super civitatem repente, & percussit eam plaga magna, & perdidit populum multum ex Israel.

33. Et accepit spolia civitatis: & succendit eam igni, & destruxit domos ejus, & muros ejus in circuitu:

34. Et captivas duxerunt mulieres: & natos, & pecora possederunt.

35. Et ædificaverunt Civitatem David muro magno & firmo, & turribus firmis, & facta est illis in arcem:

36. Et posuerunt illic gentem peccatricem, viros iniquos, & convaluerunt in ea, & posuerunt arma, & escas, & congregaverunt spolia Jerusalem:

37. Et posuerunt illic: & facti sunt in laqueum magnum.

38. Et factum est hoc ad insidias sanctificationi, & in diabolum (*m*) malum in Israel:

39. Et effuderunt sanguinem innocentem per circuitum sanctificationis, & contaminaverunt sanctificationem.

40. Et fugerunt habitatores Jerusalem propter eos, & facta est habitatio exterorum, & facta est extera semini suo, & nati ejus reliquerunt eam.

41. Sanctificatio ejus desolata est sicut solitudo: * dies festi ejus conversi sunt in luctum, sabbata (*n*) ejus in opprobrium, honores ejus in nihilum. * Tob. 2. 6. Amos 8. 10.

42. Secundum gloriam (*o*) ejus multiplicata est ignominia ejus: & sublimitas ejus conversa est in luctum.

43. Et scripsit rex Antiochus omni regno suo, ut esset omnis populus, unus: & relinqueret unusquisque legem suam.

44. Et

11. (*d*) Juxta Danielis vaticinium, cap. 8. vers. 9. hic velut radix venenata fructus lethiferos protulit. *Qui fuerat Romæ obses*, Antiochus illustris.

14. (*e*) Destinati sunt, aut delegati ad Regem. *Justitiam gentium*, juxta consuetudinem gentium.

15. (*f*) Athletarum & gladiatorum, ex Josepho Lib. 12. cap. 6.

16. (*g*) Non circumcidendo, vel aliis quibusdam modis. *Et recesserunt a testamento sancto*, a lege Dei.

17. (*h*) Cum firmatum esset Syriæ regnum, huic adjicere voluit Ægyptum sub specie reducendi Ptolemæi Philometoris, qui cum fratre natu majore de regno contendebat: eaque fuit prima Antiochi in Ægyptum expeditio: anno 143. ex Ægypto rediit. *Cœpit regnare*, Gr. [illegible] *Consilium cœpit regnare*, id est, Cogitavit de regno Ægypti adipiscendo.

21. (*i*) Reversus est: secundam expeditionem hoc loco narrari volunt viri eruditi, anno 145 biennio post primam expeditionem: adeo ut in hunc annum incidat profanatio templi. Alii unicam volunt esse expeditionem Antiochi anno 142. adeo ut sex anni effluxerint ab illa profanatione, ad purgationem usque factam anno 148. juxta verba Angeli, Danielis c. 8. v. 14. *Usquequo visio, & juge sacrificium, & peccatum desolationis, quæ facta est, & sanctuarium, & fortitudo conculcabitur? & dixit ei: Usque ad vesperam & mane dies duo millia trecenti, & mundabitur sanctuarium.* Hi dies sex annos, menses quatuor, dies viginti efficiunt: unde ab anno 143. ad mortem usque Antiochi hunc numerum colligunt. Sed non satis liquet unde incipiat clades illa, ex qua tot dies numerantur. Per tres annos cum semisse Antiochus Jerosolymam & arcem Sion tenuit, & innumeris malis Judæos afflixit: sed jam antea res sanctæ erant profanatæ. Hieronymus scribens in hunc Danielis locum, sic ait: *Hunc locum plerique nostrorum ad Antichristum referunt, & quod sub Antiocho in typo factum est: sub illo in veritate dicunt esse complendum.*

23. & 25. (*k*) Gr. τὰ [illegible], thuribula. *Et coronas*, Regum dona. *Intravit*, in templum.

30. (*l*) Integros in secunda expeditione. Tum ædificavit abominandum idolum desolationis, ut habetur infra vers. 57.

38. (*m*) In calumniatorem: prohibebant ne in templum quis veniret Deum adoraturus.

41. (*n*) Mutavit enim tempora Antiochus, Danielis, c. 7. vers. 25. seu temporum jura.

42. (*o*) Quanta fuerat gloria ejus antea, tanta postea fuit vilitas ejus.

44. Et consenserunt omnes Gentes secundum verbum regis Antiochi:

45. Et multi ex Israel consenserunt servituti ejus, & sacrificaverunt idolis, & coinquinaverunt sabbatum.

46. Et misit rex libros per manum nuntiorum in Jerusalem, & in omnes civitates Juda: ut sequerentur leges Gentium terræ,

47. Et prohiberent holocausta, & sacrificia, & placationes (p) fieri in templo Dei,

48. Et prohiberent celebrari sabbatum, & dies solemnes:

49. Et jussit coinquinari sancta, & sanctum populum Israel.

50. Et jussit ædificari aras, & templa, & idola, & immolari carnes suillas, & pecora communia,

51. Et relinquere filios suos incircumcisos, & coinquinari animas eorum in omnibus immundis, & abominationibus, ita ut obliviscerentur legem, & immutatent omnes justificationes Dei.

52. Et quicumque non fecissent secundum verbum regis Antiochi, morerentur.

53. Secundum omnia verba hæc scripsit omni regno suo: & præposuit principes populo, qui hæc fieri cogerent.

54. Et jusserunt civitatibus Juda sacrificare.

55. Et congregati sunt multi de populo ad eos, qui dereliquerant (q) legem Domini: & fecerunt mala super terram:

56. Et effugaverunt populum Israel in abditis, & in absconditis fugitivorum locis.

57. Die quintadecima mensis Casleu (r), quinto & quadragesimo & centesimo anno ædificavit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei, & per universas civitates Juda in circuitu ædificaverunt aras:

58. Et ante januas domorum, & in plateis incendebant thura, & sacrificabant:

59. Et libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos:

60. Et apud quemcumque inveniebantur libri testamenti Domini, & quicumque observabat legem Domini, secundum edictum regis trucidabant eum.

61. In virtute sua faciebant hæc populo Israel, qui inveniebatur in omni mense & mense in civitatibus.

62. Et quinta & vigesima die mensis sacrificabat super aram, quæ erat contra altare.

*2.Mach.6.10. 63. Et mulieres, * quæ circumcidebant filios suos, trucidabantur secundum jussum regis Antiochi.

64. Et suspendebant pueros a cervicibus per universas domus eorum: & eos, qui circumciderant illos, trucidabant.

65. Et multi de populo Israel definierunt apud se, ut non manducarent immunda: & elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari immundis:

66. Et noluerunt infringere legem Dei sanctam, & trucidati sunt:

67. Et facta est ira magna super populum valde.

CAPUT II.

Mathathias cum filiis Antiochi tyrannidi obsistit, in montem Modin se recipit, colligit exercitum; moriturus adhortatur suos, ut patrias leges tueantur.

1. IN diebus illis surrexit Mathathias filius Joannis, filii Simeonis, sacerdos ex filiis Joarib ab Jerusalem, & consedit in monte Modin:

2. Et habebat filios quinque, Joannem, qui cognominabatur Gaddis:

3. Et Simonem, qui cognominabatur Thasi:

4. Et Judam, qui vocabatur Machabæus:

5. Et Eleazarum, qui cognominabatur Abaron: & Jonathan, qui cognominabatur Apphus.

6. Hi viderunt mala, quæ fiebant in populo Juda, & in Jerusalem.

7. Et dixit Mathathias (a): Væ mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem civitatis sanctæ, & sedere illic, cum datur in manibus inimicorum?

8. Sancta in manu extraneorum facta sunt, templum ejus sicut homo ignobilis.

9. Vasa gloriæ ejus captiva abducta sunt: trucidati sunt senes ejus in plateis, & juvenes ejus ceciderunt in gladio inimicorum.

10. Quæ gens non hæreditavit regnum ejus, & non obtinuit spolia ejus?

11. Omnis compositio (b) ejus ablata est. Quæ erat libera, facta est ancilla.

12. Et ecce sancta nostra, & pulchritudo nostra, & claritas nostra desolata est, & coinquinaverunt ea gentes.

13. Quo ergo nobis adhuc vivere?

14. Et scidit vestimenta sua Mathathias, & filii ejus: & operuerunt se ciliciis, & planxerunt valde.

15. Et venerunt illuc qui missi erant a rege Antiocho, ut cogerent eos, qui confugerant in civitatem Modin, immolare, & accendere thura, & a lege Dei discedere.

16. Et multi de populo Israel consentientes accesserunt ad eos: sed Mathathias & filii ejus constanter steterunt.

17. Et respondentes qui missi erant ab Antiocho, dixerunt Mathathiæ: Princeps, & clarissimus, & magnus es in hac civitate, & ornatus filiis, & fratribus.

18. Ergo

47. (p) Hostias, sacrificia.

55. (q) Græce hæc ita distinguuntur: *Et congregati sunt multi de populo ad eos*, Græcos nimirum, qui nempe Israelitæ, dereliquerant legem Domini.

57. (r) Novembris. *Quinto & quadragesimo & centesimo anno;* tum fuit ingens templi profanatio, jam ante incepta. Hanc desolationem templi Daniel. cap. 11. vers. 31. prædixerat. Ad versum 20. ea referri possunt quæ lib. 2 cap. 4. narrantur de Antiochi adventu in Jerusalem, ubi cum honore susceptus est: de pulsis Jasone & Menelao; de occisis Onia & Andronico; nec non quæ Lib. 2. cap. 6. a vers. 1. ad decimum memorantur. Item ad ea mala, quæ in hoc capite a vers. 21. usque ad finem narrantur, ea revocari debent, quæ Lib. 2. cap. 6. describuntur de morte Eleazari, eodem in capite, & de septem fratribus, qui crudele obierunt martyrium, cap. 7. legimus.

CAP. II. 7. (a) Divino spiritu impulsus tantæ profanationi cum filiis & parvis copiis resistit, avitam religionem tuetur. Cyprianus, epist. 68. *Meminimus & tenemus, succumbentibus licet & cedentibus ceteris, Mathathiam legem Dei vindicasse fortiter.*

11. (b) Omnis ornatus. *Quæ erat libera;* sub Macedonibus, leges suas & jura retinebat.

18. Ergo accede prior, & fac jussum regis, sicut fecerunt omnes Gentes, & viri Juda, & qui remanserunt in Jerusalem: & eris tu, & filii tui inter amicos regis, & amplificatus auro & argento, & muneribus multis.

19. Et respondit Mathathias, & dixit magna voce: Et si omnes Gentes regi Antiocho obediunt, ut discedat unusquisque a servitute legis patrum suorum, & consentiat mandatis ejus:

20. Ego, & filii mei, & fratres mei obediemus legi patrum nostrorum.

21. Propitius sit nobis Deus: non est nobis utile relinquere legem, & justitias Dei:

22. Non audiemus verba regis Antochi, nec sacrificabimus transgredientes legis nostræ mandata, ut eamus altera via.

23. Et ut cessavit loqui verba hæc, accessit quidam Judæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in civitate Modin, secundum jussum regis.

24. Et vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes ejus, & accensus est furor ejus secundum judicium legis (c), & insiliens trucidavit eum super aram:

25. Sed & virum, quem rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, & aram destruxit,

* Num. 25. 13. 26. Et zelatus est legem, * sicut fecit Phinees Zamri filio Salomi.

27. Et exclamavit Mathathias voce magna in civitate, dicens: Omnis qui zelum habet legis statuens (d) testamentum, exeat post me.

28. Et fugit ipse, & filii ejus in montes, & reliquerunt quæcumque habebant in civitate.

29. Tunc descenderunt multi quærentes judicium & justitiam, in desertum:

30. Et sederunt ibi ipsi, & filii eorum, & mulieres eorum, & pecora eorum: quoniam inundaverunt super eos mala.

31. Et renuntiatum est viris regis, & exercitui qui erat in Jerusalem Civitate David, quoniam discessissent viri quidam, qui dissipaverunt mandatum regis, in loca occulta in deserto, & abiissent post illos multi.

32. Et statim perrexerunt ad eos, & constituerunt adversus eos prælium in die sabbatorum,

33. Et dixerunt ad eos: Resistitis & nunc adhuc? exite, & facite secundum verbum regis Antiochi, & vivetis.

34. Et dixerunt: Non exibimus, neque faciemus verbum regis, ut polluamus diem sabbatorum.

35. Et concitaverunt adversus eos prælium.

36. Et non responderunt (e) eis, nec lapidem miserunt in eos, nec oppilaverunt loca occulta,

37. Dicentes: Moriamur omnes in simplicitate nostra: & testes erunt super nos cælum & terra, quod injuste perditis nos.

38. Et intulerunt illis bellum sabbatis: Et mortui sunt ipsi, & uxores eorum, & filii eorum, & pecora eorum, usque ad mille animas hominum.

39. Et cognovit Mathathias, & amici ejus, & luctum habuerunt super eos valde.

40. Et dixit vir proximo suo: Si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecerunt, & non pugnaverimus adversus gentes pro animabus nostris, & justificationibus nostris: nunc citius disperdent nos a terra.

41. Et cogitaverunt in die illa, dicentes: Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die sabbatorum, pugnemus adversum eum, & non moriemur omnes, sicut mortui sunt fratres nostri in occultis.

42. Tunc congregata est ad eos synagoga Assidæorum (f) fortis viribus ex Israel, omnis voluntarius in lege:

43. Et omnes qui fugiebant a malis, additi sunt ad eos, & facti sunt illis ad firmamentum (g).

44. Et collegerunt exercitum, & percusserunt peccatores in ira sua, & viros iniquos in indignatione sua: & ceteri fugerunt ad nationes, ut evaderent.

45. Et circuivit Mathathias, & amici ejus, & destruxerunt aras:

46. Et circumdederunt pueros incircumcisos quotquot invenerunt in finibus Israel, & in fortitudine.

47. Et persecuti sunt filios superbiæ, & prosperatum est opus in manibus eorum:

48. Et obtinuerunt (h) legem de manibus gentium, & de manibus regum: & non dederunt cornu peccatori.

49. Et appropinquaverunt dies Mathathiæ moriendi, & dixit filiis suis: Nunc confortata (i) est superbia, & castigatio, & tempus eversionis, & ira indignationis:

50. Nunc ergo, o filii, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento patrum vestrorum.

51. Et mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.

52. * Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis, & reputatum est ei ad justitiam? * Gen. 22. 2.

53. * Joseph in tempore angustiæ suæ custodivit mandatum, & factus est dominus Ægypti. * Gen. 41. 40.

54. * Phinees pater noster, zelando zelum Dei, accepit testamentum (k) sacerdotii æterni. * Num. 25. 13. Eccli. 45. 28.

55. * Jesus, dum implevit verbum, factus est dux in Israel. * Jos. 1. 2. Num. 14. 6.

56. * Caleb, dum testificatur in ecclesia, accepit hæreditatem. * Jos. 14. 14.

57. * Da-

24. (c) Quod tunc judex esset in civitate, zelo legis animatus: *Et insiliens trucidavit eum*; juxta legem Dei Deuter. cap. 13 vers 6. Hinc Cyprian. in Exhort. ad Martyr. *Cujus præceptis & vigoris memor Mathathias interfecit eum, qui ad aram sacrificaturus accesserat*; vel *secundum judicium legis*, secundum legem, quæ extat Deuter. 13. 9. *Trucidavit eum*, filiis adjuvantibus, ex Josepho.

27. (d) Servans pactum cum Deo initum.

36. (e) Et non restiterunt: *Nec oppilaverunt loca occulta*, forte specus, aut latebras, in quibus se absconderant.

42. (f) Forte *Assæorum*, seu *Rechabitarum* collectio, vel forsitan *Essæorum*: *Fortes viribus*, venerunt cum eis.

43. (g) Qui sponte se obtulerunt ad tuendam legem.

48. (h) Obtinuerunt legis observationem, quam gentes impediebant: *Et non dederunt cornu peccatori*; Non permiserunt ut prævalerent peccatores.

49. (i) Invaluit. *Et castigatio*, exploratio; *Et tempus eversionis*, quo multi a pietate recedent.

54. (k) Promissionem Sacerdotii longa serie ad posteros transeuntis.

* 1. Reg 2. 4. 57. * David in sua misericordia consecutus est sedem regni in sæcula.

* 4. Reg. 2. 11. 58. * Elias, dum zelat zelum legis, receptus est in cælum.

* Dan. 3. 50. 59. * Ananias & Azarias & Misael credentes, liberati sunt de flamma.

* Dan. 6. 22. 60. * Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum.

61. Et ita cogitate per generationem & generationem: quia omnes qui sperant in eum, non infirmantur.

62. Et a verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria ejus, stercus & vermis est:

63. Hodie extollitur, & cras non invenietur: quia conversus est in terram suam, & cogitatio ejus periit.

64. Vos ergo filii confortamini, & viriliter agite in lege: quia in ipsa gloriosi eritis.

65. Et ecce Simon frater vester, scio quod vir consilii est: ipsum audite semper, & ipse erit vobis pater.

66. Et Judas Machabæus fortis viribus a juventute sua, sit vobis princeps militiæ, & ipse aget bellum populi.

67. Et adducetis ad vos omnes factores legis: & vindicate vindictam populi vestri.

68. Retribuite (*l*) retributionem Gentibus, & intendite in præceptum legis.

69. Et benedixit eos, & appositus est ad patres suos.

70. Et defunctus est anno centesimo & quadragesimo sexto: & sepultus est a filiis suis in sepulcris patrum suorum in Modin, & planxerunt eum omnis Israel planctu magno.

CAPUT III.

Judas quatuor prælia iniit cum ducibus Antiochi: duo prima hoc capite enarrantur; primum v. 10. cum Apollonio, secundum cum Serone v. 15. duo reliqua cap. 4. referuntur.

1. ET surrexit Judas, qui vocabatur Machabæus, filius ejus pro eo.

2. Et adjuvabant eum omnes fratres ejus, & universi qui se conjunxerant patri ejus, & præliabantur prælium Israel cum lætitia.

3. Et dilatavit gloriam populo suo, & induit se loricam sicut gigas, & succinxit se arma bellica sua in præliis, & protegebat castra gladio suo.

4. Similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione.

5. Et persecutus est iniquos perscrutans eos: & qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis:

6. Et repulsi sunt inimici ejus præ timore ejus, & omnes operarii iniquitatis conturbati sunt: & directa (*a*) est salus in manu ejus.

7. Et exacerbabat reges multos, & lætificabat Jacob in operibus suis, & in sæculum memoria ejus in benedictione.

8. Et perambulavit civitates Juda, & perdidit impios ex eis, & avertit iram ab Israel.

9. Et nominatus est usque ad novissimum terræ, & congregavit pereuntes.

10. Et congregavit Apollonius Gentes, & a Samaria virtutem multam & magnam, ad bellandum contra Israel.

11. Et cognovit Judas, & exiit obviam illi: & percussit, & occidit illum: & ceciderunt vulnerati multi, & reliqui fugerunt.

12. Et accepit spolia eorum: & gladium Apollonii abstulit Judas, & erat pugnans in eo omnibus diebus.

13. Et audivit Seron princeps exercitus Syriæ, quod congregavit Judas congregationem fidelium, & ecclesiam secum,

14. Et ait: Faciam mihi nomen, & glorificabor in regno, & debellabo Judam, & eos qui cum ipso sunt, qui spernebant verbum regis.

15. Et præparavit se: & ascenderunt cum eo castra impiorum, fortes auxiliarii, ut facerent vindictam in filios Israel.

16. Et appropinquaverunt usque ad Bethoron: & exivit Judas obviam illi cum paucis.

17. Ut autem viderunt exercitum venientem sibi obviam, dixerunt Judæ: Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem, & nos fatigati sumus jejunio hodie?

18. Et ait Judas: Facile est concludi multos in manus paucorum: & non est differentia in conspectu Dei cæli liberare in multis, & in paucis:

19. Quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est.

20. Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci & superbia, ut disperdant nos, & uxores nostras, & filios nostros, & ut spolient nos:

21. Nos vero pugnabimus pro animabus nostris, & legibus nostris:

22. Et ipse Dominus conteret eos ante faciem nostram: vos autem ne timueritis eos.

23. Ut cessavit autem loqui, insiluit in eos subito: & contritus est Seron, & exercitus ejus in conspectu ipsius:

24. Et persecutus est eum in descensu Bethoron usque in campum, & ceciderunt ex eis octingenti viri, reliqui autem fugerunt in terram Philisthiim.

25. Et cecidit timor Judæ, ac fratrum ejus, & formido super omnes gentes in circuitu eorum.

26. Et pervenit ad regem nomen ejus, & de præliis Judæ narrabant omnes gentes.

27. Ut audivit autem rex Antiochus sermones istos, iratus est animo: & misit, & congregavit exercitum universi regni sui, castra fortia valde:

28. Et aperuit ærarium suum, & dedit stipendia exercitui in annum: & mandavit illis ut essent parati ad omnia.

29. Et vidit quod defecit pecunia de thesauris suis, & tributa regionis modica propter dissensionem (*b*) & plagam, quam fecit in terra, ut tolleret legitima, quæ erant a primis diebus:

30. Et timuit ne non haberet ut semel & bis, in sumptus & donaria, quæ dederat ante larga manu: & abundaverat super reges, qui ante eum fuerant.

31. Et

68. (*l*) Deum & ejus cultum omnibus anteponentes: *Et intendite in præceptum legis;* Non injurias vobis illatas, sed Dei gloriam & legem præ ceteris rebus spectate.

CAP. III. 6. (*a*) Per ipsum facti sunt multi.
29. & 30. (*b*) Bella civilia, aut calamitates provinciis illatas. *Bis*, Ut antehac.

31. Et consternatus erat animo valde, & cogitavit ire in Persidem, & accipere tributa regionum, & congregare argentum multum.

32. Et reliquit Lysiam hominem nobilem de genere regali, super negotia regia, a flumine Euphrate usque ad flumen Ægypti:

33. Et ut nutriret Antiochum filium suum, donec rediret.

34. Et tradidit ei medium exercitum, & elephantos: & mandavit ei de omnibus quæ volebat, & de inhabitantibus Judæam, & Jerusalem:

35. Et ut mitteret ad eos exercitum, ad conterendam & extirpandam virtutem Israel, & reliquias Jerusalem, & auferendam memoriam eorum de loco:

36. Et ut constitueret habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorum, & sorte distribueret terram eorum.

37. Et rex assumpsit partem exercitus residui, & exivit ab Antiochia civitate regni sui, anno centesimo & quadragesimo septimo: & transfretavit Euphraten flumen, & perambulabat superiores regiones.

38. Et elegit Lysias Ptolemæum filium Dorymini, & Nicanorem, & Gorgiam, viros potentes ex amicis regis:

39. Et misit cum eis quadraginta millia virorum, & septem millia equitum, ut venirent in terram Juda, & disperderent eam secundum verbum regis.

40. Et processerunt cum universa virtute sua, & venerunt, & applicuerunt Emmaum in terra campestri.

41. Et audierunt mercatores regionum nomen eorum: & acceperunt argentum & aurum multum valde, & pueros: & venerunt in castra, ut acciperent filios Israel in servos; & additi sunt ad eos exercitus Syriæ, & terræ alienigenarum.

42. Et vidit Judas, & fratres ejus, quia multiplicata sunt mala, & exercitus applicabant ad fines eorum: & cognoverunt verba regis, quæ mandavit populo facere in interitum, & consummationem.

43. Et dixerunt unusquisque ad proximum suum: Erigamus dejectionem populi nostri, & pugnemus pro populo nostro, & sanctis (c) nostris.

44. Et congregatus est conventus ut essent parati in prælium: & ut orarent, & peterent misericordiam, & miserationes.

45. Et Jerusalem non habitabatur, sed erat sicut desertum: non erat qui ingrederetur & egrederetur de natis ejus; & Sanctum conculcabatur: & filii alienigenarum erant in arce, ibi erat habitatio Gentium: & ablata est voluptas a Jacob, & defecit ibi tibia, & cithara.

46. Et congregati sunt, & venerunt in Maspha contra Jerusalem: quia locus orationis erat in Maspha ante in Israel.

47. Et jejunaverunt illa die, & induerunt se ciliciis, & cinerem imposuerunt capiti suo, & disciderunt vestimenta sua:

48. Et expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur (d) Gentes similitudinem simulacrorum suorum:

49. Et attulerunt ornamenta sacerdotalia (e), & primitias, & decimas: & suscitaverunt Nazaræos, qui impleverant dies:

50. Et clamaverunt voce magna in cælum, dicentes: Quid faciemus istis, & quo eos ducemus?

51. Et sancta tua conculcata sunt, & contaminata sunt, & sacerdotes tui facti sunt in luctum, & in humilitatem.

52. Et ecce Nationes convenerunt adversum nos ut nos disperdant: tu scis quæ cogitant in nos.

53. Quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu Deus adjuves nos?

54. Et tubis exclamaverunt voce magna.

55. Et post hæc constituit Judas duces populi, tribunos, & centuriones, & pentacontarchos, & decuriones.

56. * Et dixit his, qui ædificabant domos, * Deut. 20.
& sponsabant uxores, & plantabant vineas, 5. 6.
& formidolosis, ut redirent unusquisque in do- Jud. 7. 3.
mum suam secundum legem.

57. Et moverunt castra, & collocaverunt ad Austrum Emmaum.

58. Et ait Judas: Accingimini, & estote filii potentes, & estote parati in mane, ut pugnetis adversus Nationes has, quæ convenerunt adversus nos, disperdere nos, & sancta nostra:

59. Quoniam melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ, & sanctorum.

60. Sicut autem fuerit voluntas in cælo, sic fiat.

CAPUT IV.

Tertium prælium init contra Gorgiam, quartum adversus Lysiam: mundatur templum anno 148. *hæc de purgatione templi conjunge cum cap.* 10. *L.* 2.

1. ET assumpsit Gorgias quinque millia virorum, & mille equites electos: & moverunt castra nocte,

2. Ut applicarent ad castra Judæorum, & percuterent eos subito: & filii, qui erant in arce, erant illis duces.

3. Et audivit Judas, & surrexit ipse, & potentes percutere virtutem (a) exercituum regis, qui erant in Emmaum.

4. Adhuc enim dispersus erat exercitus a castris (b).

5. Et venit Gorgias in castra Judæ noctu, & neminem invenit, & quærebat eos in montibus: quoniam dixit: Fugiunt hi a nobis.

6. Et

43. & 46. (c) Pro templo & rebus sacris. *In Maspha*. Cum adire templum non possent, profecti sunt in Maspha: locus erat publicis orationibus & cœtibus sacris percelebris ante constructionem templi, Jud. c. 9. & Lib. 1. Reg. 6.

48. (d) In his sacrilegos suos ritus & fabulas invenire se posse existimabant. Græc. Quos Gentes scrutabantur, ut in iis inscriberent picturas idolorum suorum. Hoc utique modo reddebant libros legis Judæis inutiles.

49. (e) Non ut sacrificarent, quod erat vetitum extra templum facere: sed ut primitias, decimas, & Nazaræos Deo offerrent, Nazaræos coram illo sisterent, cum ad misericordiam flecterent.

CAP. IV.

3. (a) Majorem partem exercitus, quæ in castris remanserat duce Nicanore, Lib. 2. Mach. 8. 23.

4. (b) Gorgiæ copiæ a reliquo exercitu sejunctæ erant.

6. Et cum dies factus esset, apparuit Judas in campo cum tribus millibus virorum tantum: qui tegumenta & gladios non habebant (c):

7. Et viderunt castra Gentium valida, & loricatos, & equitatus in circuitu eorum, & hi docti ad prælium.

8. Et ait Judas viris, qui secum erant: Ne timueritis multitudinem eorum, & impetum eorum ne formidetis.

* Exod. 14. 9. 9. * Mementote qualiter salvi facti sunt patres nostri in mari Rubro, cum sequeretur eos Pharao cum exercitu multo.

10. Et nunc clamemus in cælum; & miserebitur nostri Dominus, & memor erit testamenti patrum nostrorum, & conteret exercitum istum ante faciem nostram hodie:

11. Et scient omnes gentes, quia est qui redimat, & liberet Israel.

12. Et elevaverunt alienigenæ oculos suos, & viderunt eos venientes ex adverso.

13. Et exierunt de castris in prælium, & tuba cecinerunt hi qui erant cum Juda.

14. Et congressi sunt: & contritæ sunt Gentes, & fugerunt in campum.

15. Novissimi autem omnes ceciderunt in gladio, & persecuti sunt eos usque Gezeron, & usque in campos Idumææ, & Azoti, & Jamniæ: & ceciderunt ex illis usque ad tria millia virorum.

16. Et reversus est Judas, & exercitus ejus, sequens eum.

17. Dixitque ad populum: Non concupiscatis spolia: quia bellum contra nos est,

18. Et Gorgias & exercitus ejus prope nos in monte: sed state nunc contra inimicos nostros, & expugnate eos, & sumetis postea spolia securi.

19. Et adhuc loquente Juda hæc, ecce apparuit pars quædam prospiciens de monte.

20. Et vidit Gorgias quod in fugam conversi sunt sui, & succenderunt castra: fumus enim, qui videbatur, declarabat quod factum est.

21. Quibus illi conspectis timuerunt valde, aspicientes simul & Judam, & exercitum in campo paratum ad prælium.

22. Et fugerunt omnes in campum alienigenarum (d):

23. Et Judas reversus est ad spolia castrorum, & acceperunt aurum multum, & argentum, & hyacinthum, & purpuram marinam, & opes magnas.

24. Et conversi hymnum canebant, & benedicebant Deum in cælum, quoniam bonus est, quoniam in sæculum misericordia ejus.

25. Et facta est salus magna in Israel in die illa.

26. Quicumque autem alienigenarum evaserunt, venerunt, & nuntiaverunt Lysiæ universa, quæ acciderant.

27. Quibus ille auditis, consternatus animo deficiebat: quod non qualia voluit, talia contigerunt in Israel, & qualia mandavit rex.

28. Et sequenti (e) anno congregavit Lysias virorum electorum sexaginta millia, & equitum quinque millia, ut debellaret eos.

29. Et venerunt in Judæam, & castra posuerunt in Bethoron, & occurrit illis Judas cum decem millibus viris.

30. Et viderunt exercitum fortem, & ora-
vit, & dixit: Benedictus es salvator Israel, * * 1. Reg. 17.
qui contrivisti impetum potentis (f) in manu 50.
servi tui David, * & tradidisti castra alienige- * 1. Reg. 14.
narum in manu Jonathæ filii Saul, & armigeri 14.
ejus.

31. Conclude exercitum istum in manu populi tui Israel, & confundantur in exercitu suo, & equitibus.

32. Da illis formidinem, & tabefac audaciam virtutis eorum, & commoveantur contritione sua.

33. Dejice illos gladio diligentium te: & collaudent te omnes, qui noverunt nomen tuum, in hymnis.

34. Et commiserunt prælium: & ceciderunt de exercitu Lysiæ quinque millia virorum.

35. Videns autem Lysias fugam suorum, & Judæorum audaciam, & quod parati sunt aut vivere, aut mori fortiter, abiit Antiochiam, elegit milites, ut multiplicati rursus venirent in Judæam.

36. Dixit autem Judas, & fratres ejus: Ecce contriti sunt inimici nostri: ascendamus nunc mundare sancta, & renovare.

37. Et congregatus est omnis exercitus, & ascenderunt in montem Sion.

38. Et viderunt sanctificationem (g) desertam, & altare profanatum, & portas exustas, & in atriis virgulta nata sicut in saltu, vel in montibus, & pastophoria diruta.

39. Et sciderunt vestimenta sua, & planxerunt planctu magno, & imposuerunt cinerem super caput suum.

40. Et ceciderunt in faciem super terram, & exclamaverunt tubis signorum, & clamaverunt in cælum.

41. Tunc ordinavit Judas viros, ut pugnarent adversus eos, qui erant in arce, donec emundarent sancta.

42. Et elegit sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei:

43. Et mundaverunt (h) sancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum.

44. Et cogitavit de altari holocaustorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret.

45. Et incidit illis consilium bonum ut destruerent illud: ne forte illis esset in opprobrium, quia contaminaverunt illud Gentes, & demoliti sunt illud.

46. Et reposuerunt lapides in monte (i) domus in loco apto, quoadusque veniret propheta, & responderet de eis.

47. Et

6. (c) Græc. Quales voluissent cum ter millibus male armatis, inquit Josephus.
22. & 23. (d) Phœnicum & Idumæorum. *Purpuram*, Pretiosas merces tyrio colore tinctas.
28. & 29. (e) Nempe anno 148. imperii Græcorum. *In Bethoron*, Gr. ἐν Βαιθσούρᾳ. *Bethsura*.
30. (f) Goliath. Vox Hebræa interdum *gigas*, ut Genes. 6. 4. interdum *potens* vertitur, ut Judicum cap. 5. vers. 30. & alibi.
38. (g) Templum, aut sancta sanctorum. *Pastophoria*, cubicula, exedras: hæc forte sunt encænia, de quibus Joann. 10.
43. (h) Quæ profanata fuerant: *Et tulerunt lapides contaminationis*: idola ipsa & aras, cum altari veteri altare fuit impositum.
46. & 47. (i) In ipso monte Moriæ. *Integros*, Intactos ferro.

47. Et acceperunt lapides integros secundum legem: & ædificaverunt altare novum, secundum illud, quod fuit prius:

48. Et ædificaverunt sancta (*k*), & quæ intra domum erant intrinsecus: & ædem & atria sanctificaverunt.

49. Et fecerunt vasa sancta nova, & intulerunt candelabrum, & altare incensorum, & mensam in templum.

50. Et incensum posuerunt super altare, & accenderunt lucernas, quæ super candelabrum erant, & lucebant in templo.

51. Et posuerunt super mensam panes, & appenderunt vela, & consummaverunt omnia opera, quæ fecerant.

52. Et ante matutinum surrexerunt quinta & vigesima die mensis noni (hic est mensis Casleu) centesimi quadragesimi octavi anni.

53. Et obtulerunt sacrificium secundum legem, super altare holocaustorum novum, quod fecerunt.

54. Secundum tempus & secundum diem, in qua contaminaverunt illud Gentes, in ipsa renovatum est in canticis, & citharis, & cinyris, & in cymbalis.

55. Et cecidit omnis populus in faciem, & adoraverunt, & benedixerunt in cælum eum, qui prosperavit eis.

56. Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocausta cum lætitia, & sacrificium salutaris (*l*), & laudis.

57. Et ornaverunt faciem templi coronis aureis, & scutulis: & dedicaverunt portas, & pastophoria, & imposuerunt eis januas.

58. Et facta est lætitia in populo magna valde, & aversum est opprobrium Gentium.

* Joan. 10. 22. 59. * Et statuit Judas, & fratres ejus, & universa ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis, ab anno in annum, per dies octo, a quinta & vigesima die mensis Casleu, cum lætitia & gaudio.

60. Et ædificaverunt (*m*) in tempore illo montem Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas, nequando venirent Gentes, & conculcarent eum sicut antea fecerunt.

61. Et collocavit illic exercitum, ut servarent eum, & munivit eum ad custodiendam Bethsuram (*n*), ut haberet populus munitionem contra faciem Idumææ.

CAPUT V.

Decem præliis Judas feliciter pugnat contra Idumæos, tum adversus filios Bean, deinde contra Ammonitas, postea in Galilæam mittit Simonem adversus Tyrios & Sidonios. Item contra Ephron, Samaritas, & Palæstinos.

1. ET factum est, ut audierunt Gentes in circuitu, quia ædificatum est altare, & sanctuarium sicut prius, iratæ sunt valde:

2. Et cogitabant tollere genus Jacob, qui erant inter eos, & cœperunt occidere de populo, & persequi.

3. Et debellabat Judas filios Esau in Idumæa, & eos qui erant in Acrabathane (*a*) quia circumsedebant Israelitas, & percussit eos plaga magna.

4. Et recordatus est malitiam filiorum Bean (*b*), qui erant populo in laqueum, & in scandalum, insidiantes ei in via.

5. Et conclusi sunt ab eo in turribus, & applicuit ad eos, & anathematizavit eos, & incendit turres eorum igni, cum omnibus qui in eis erant.

6. Et transivit ad filios Ammon, & invenit manum fortem, & populum copiosum, & Timotheum ducem ipsorum:

7. Et commisit cum eis prælia multa, & contriti sunt in conspectu eorum, & percussit eos:

8. Et cepit Gazer (*c*) civitatem, & filias ejus, & reversus est in Judæam.

9. Et congregatæ sunt Gentes, quæ sunt in Galaad, adversus Israelitas, qui erant in finibus eorum, ut tollerent eos: & fugerunt in Datheman (*d*) munitionem,

10. Et miserunt litteras ad Judam, & fratres ejus, dicentes: Congregatæ sunt adversum nos gentes per circuitum, ut nos auferant:

11. Et parant venire, & occupare munitionem, in quam confugimus: & Timotheus est dux exercitus eorum.

12. Nunc ergo veni, & eripe nos de manibus eorum, quia cecidit multitudo de nobis.

13. Et omnes fratres nostri, qui erant in locis Tubin (*e*), interfecti sunt: & captivas duxerunt uxores eorum, & natos, & spolia, & peremerunt illic fere mille viros.

14. Et adhuc epistolæ legebantur, & ecce alii nuntii venerunt de Galilæa conscissis tunicis, nuntiantes secundum verba hæc:

15. Dicentes, convenisse adversum se a Ptolemaida, & Tyro, & Sidone: & repleta est omnis Galilæa alienigenis, ut nos consumant.

16. Ut

48. (*k*) Sanctum sanctorum, & ea quæ ad ædem sacerdotalem pertinebant.

56. & 57. (*l*) Hostias pacificas in gratiarum actionem. *Et scutulis*; auratis quibusdam ornamentis, quasi scutulis.

60. (*m*) Turres templo vicinas munierunt: montem Sion muro cinxit, ut arci ab hostibus occupatæ hanc munitionem opponeret. Tametsi urbs tota interdum hoc nomine signetur.

61. (*n*) Qui locus erat prope Jerosolymam. Sic vertit Vatablus: Copias ibidem præsidii caussa collocavit; eique tuendo Bethsuram, ut præsidium haberet populus adversus Idumæam. Aut forte *Bethsura* erat in finibus Judæ versus Idumæam.

CAP. V. 3. (*a*) Quæ urbs erat, aut pars Idumææ, quæque Numer. cap. 34. vers. 4. *Ascensus scorpionum* vocitatur. *Quia circumsedebant Israelitas*; Incursiones faciebant, & lacessebant Israelitas.

4. & 5. (*b*) Qui ex Josepho erant itidem Idumæi. *Anathematizavit*, Morti eos devovit, & bona Deo consecravit. *Et cepit Gazer*: ibi Timotheus occisus est.

8. (*c*) Gazer, Josephus habet *Jazorum*. Alia est urbs ejus nominis cis Jordanem in tribu Ephraim.

9. & 11. (*d*) In monte Galaad. *Timotheus*, filius forte alterius Timothei.

13. (*e*) Tubianæi in Arabia, aut forte est Tob, Jud. 11. cap. 3. Hinc *Tubianæi* in Arabia, Lib. 2. Machab. cap. 12. vers. 17.

16. Ut audivit autem Judas, & populus, sermones istos, convenit ecclesia (*f*) magna cogitare quid facerent fratribus suis, qui in tribulatione erant, & expugnabantur ab eis.

17. Dixitque Judas Simoni fratri suo: Elige tibi viros, & vade, & libera fratres tuos in Galilæa: ego autem, & frater meus Jonathas ibimus in Galaaditim.

18. Et reliquit Josephum filium Zachariæ, & Azariam duces populi, cum residuo exercitu in Judæa ad custodiam:

19. Et præcepit illis, dicens: Præstote populo huic: & nolite bellum committere adversum gentes, donec revertamur.

20. Et partiti sunt Simoni viri tria millia, ut iret in Galilæam: Judæ autem octo millia in Galaaditim.

21. Et abiit Simon in Galilæam, & commisit prælia multa cum gentibus: & contritæ sunt gentes a facie ejus, & persecutus est eos usque ad portam

22. Ptolemaidis: & ceciderunt de gentibus fere tria millia virorum, & accepit spolia eorum,

23. Et assumpsit eos, qui erant in Galilæa, & in Arbatis, cum uxoribus, & natis, & omnibus quæ erant illis, & adduxit in Judæam cum lætitia magna.

24. Et Judas Machabæus, & Jonathas frater ejus transierunt Jordanem, & abierunt viam trium dierum per desertum.

25. Et occurrerunt (*g*) eis Nabuthæi, & susceperunt eos pacifice, & narraverunt eis omnia, quæ acciderant fratribus eorum in Galaaditide,

26. Et quia multi ex eis comprehensi sunt in Barasa (*h*), & Bosor, & in Alimis, & in Casphor, & Mageth, & Carnaim: hæ omnes civitates munitæ, & magnæ.

27. Sed & in ceteris civitatibus Galaaditidis tenentur comprehensi, & in crastinum constituerunt admovere exercitum civitatibus his, & comprehendere, & tollere eos in una die.

28. Et convertit Judas, & exercitus ejus, viam in desertum Bosor repente, & occupavit civitatem: & occidit omnem masculum in ore gladii, & accepit omnia spolia eorum, & succendit eam igni.

29. Et surrexerunt inde nocte, & ibant usque ad munitionem (*i*).

30. Et factum est diluculo, cum elevassent oculos suos, ecce populus multus, cujus non erat numerus, portantes scalas, & machinas, ut comprehenderent munitionem, & expugnarent eos.

31. Et vidit Judas quia cœpit bellum, & clamor belli ascendit ad cælum sicut tuba, & clamor magnus de civitate.

32. Et dixit exercitui suo: Pugnate hodie pro fratribus vestris.

33. Et venit tribus ordinibus post eos, & exclamaverunt tubis, & clamaverunt in oratione.

34. Et cognoverunt castra Timothei, quia Machabæus est, & refugerunt a facie ejus: & percusserunt eos plaga magna; & ceciderunt ex eis in die illa fere octo millia virorum.

35. Et divertit Judas in Maspha, & expugnavit, & cepit eam: & occidit omnem masculum ejus, & sumpsit spolia ejus, & succendit eam igni.

36. Inde perrexit, & cepit Casbon, & Mageth, & Bosor, & reliquas civitates Galaaditidis.

37. Post hæc autem verba congregavit Timotheus exercitum alium, & castra posuit contra Raphon trans torrentem.

38. Et misit Judas speculari exercitum: & renuntiaverunt ei, dicentes: Quia convenerunt ad eum omnes gentes, quæ in circuitu nostro sunt, exercitus multus nimis:

39. Et Arabas conduxerunt in auxilium sibi, & castra posuerunt trans torrentem, parati ad te venire in prælium. Et abiit Judas obviam illis.

40. Et ait Timotheus principibus exercitus sui: Cum appropinquaverit Judas, & exercitus ejus ad torrentem aquæ: si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum: quia potens poterit adversum nos.

41. Si vero timuerit transire, & posuerit castra extra flumen, transfretemus ad eos, & poterimus adversus illum.

42. Ut autem appropinquavit Judas ad torrentem aquæ, statuit scribas (*k*) populi secus torrentem, & mandavit eis, dicens: Neminem hominum reliqueritis: sed veniant omnes in prælium.

43. Et transfretavit ad illos prior, & omnis populus post eum, & contritæ sunt omnes gentes a facie eorum, & projecerunt arma sua, & fugerunt ad fanum, quod erat in Carnaim.

44. Et occupavit ipsam civitatem, & fanum succendit igni, cum omnibus qui erant in ipso: & oppressa est Carnaim, & non potuit sustinere contra faciem Judæ.

45. Et congregavit Judas universos Israelitas, qui erant in Galaaditide, a minimo usque ad maximum, & uxores eorum, & natos, & exercitum magnum valde, ut venirent in terram Juda.

46. Et venerunt usque Ephron: & hæc civitas magna in ingressu posita, munita valde, & non erat declinare ab ea dextera vel sinistra, sed per mediam iter erat.

47. Et incluserunt se qui erant in civitate, & obstruxerunt portas lapidibus: & misit ad eos Judas verbis pacificis,

48. Dicens: Transeamus per terram vestram, ut eamus in terram nostram: & nemo vobis nocebit: tantum pedibus transibimus. (*l*) Et nolebant eis aperire.

49. Et præcepit Judas prædicare in castris, ut applicarent unusquisque in quo erat loco.

50. Et applicuerunt se viri virtutis: & oppugnavit civitatem illam tota die, & tota nocte, & tradita est civitas in manu ejus:

51. Et

16. (*f*) Forte *Synedrim*, aut potius quotquot potuerunt in unum locum colligi.
25. (*g*) Nabuthæi pars Arabum.
26. (*h*) In Græco & apud Josephum, *In Bosorra*, quod locum munitum significat. *Et in Alimis*, legendum putat Grotius *In Malemis*, quæ urbs erat Moabitarum.
29. (*i*) In quam Judæi se receperant.
42. (*k*) Qui milites habebant descriptos, præfectos militares.
48. & 49. (*l*) Iter tecta facientes. *Applicarent*, Ut jurarent.

51. Et peremerunt omnem masculum in ore gladii, & eradicavit eam, & accepit spolia ejus, & transivit per totam civitatem super interfectos.

52. Et transgressi sunt Jordanem in campo magno, contra faciem Bethsan (*m*).

53. Et erat Judas congregans extremos, & exhortabatur populum per totam viam, donec venirent in terram Juda.

54. Et ascenderunt in montem Sion cum lætitia & gaudio, & obtulerunt holocausta, quod nemo ex eis cecidisset, donec reverterentur in pace.

55. Et in diebus, quibus erat Judas, & Jonathas in terra Galaad, & Simon frater ejus in Galilæa contra faciem Ptolemaidis,

56. Audivit Josephus Zachariæ filius, & Azarias princeps virtutis, res bene gestas, & prælia quæ facta sunt,

57. Et dixit: Faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare adversus gentes, quæ in circuitu nostro sunt.

58. Et præcepit his, qui erant in exercitu suo, & abierunt Jamniam.

59. Et exivit Gorgias de civitate, & viri ejus obviam illis in pugnam.

60. Et fugati sunt Josephus & Azarias usque in fines Judææ: & ceciderunt illo die de populo Israel ad duo millia viri, & facta est fuga magna in populo:

61. Quia non audierunt Judam, & fratres ejus, existimantes fortiter se facturos.

62. Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel.

63. Et viri (*n*) Juda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel, & gentium omnium ubi audiebatur nomen eorum.

64. Et convenerunt ad eos fausta acclamantes.

65. Et exivit Judas, & fratres ejus, & expugnabant filios Esau, in terra quæ ad Austrum est, & percussit Chebron, & filias ejus: & muros ejus, & turres succendit igni in circuitu.

66. Et movit castra, ut iret in terram alienigenarum, & perambulabat Samariam.

67. In die illa ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium.

68. Et declinavit Judas in Azotum in terram alienigenarum, & diruit aras eorum, & sculptilia deorum ipsorum succendit igni: & cepit spolia civitatum, & reversus est in terram Juda.

CAPUT VI.

Antiochus in gravem incidit morbum, & moritur dire vexatus.

1. ET rex Antiochus perambulabat (*a*) superiores regiones, & audivit esse civitatem Elymaidem in Perside nobilissimam, & copiosam in argento & auro,

2. Templumque (*b*) in ea locuples valde: & illic velamina aurea, & loricæ, & scuta, quæ reliquit Alexander Philippi rex Macedo, qui regnavit primus in Græcia.

3. Et venit, & quærebat (*c*) capere civitatem, & deprædari eam: & non potuit, quoniam innotuit sermo his, qui erant in civitate:

4. Et insurrexerunt in prælium, & fugit inde, & abiit cum tristitia magna, & reversus est in Babyloniam (*d*).

5. Et venit qui nuntiaret ei in Perside (*e*), quia fugata sunt castra, quæ erant in terra Juda:

6. Et quia abiit Lysias cum virtute forti in primis, & fugatus est a facie Judæorum, & invaluerunt armis, & viribus, & spoliis multis, quæ ceperunt de castris, quæ exciderunt.

7. Et quia diruerunt abominationem, quam ædificaverat super altare, quod erat in Jerusalem, & sanctificationem, sicut prius, circumdederunt muris excelsis, sed & Bethsuram civitatem suam.

8. Et factum est ut audivit rex sermones istos, expavit, & commotus est valde: & decidit in lectum, & incidit in languorem præ tristitia, quia non factum est ei sicut cogitabat.

9. Et erat illic per dies multos: quia renovata est in eo tristitia magna, & arbitratus est se mori.

10. Et vocavit omnes amicos suos, & dixit illis: Recessit somnus ab oculis meis, & concidi, & corrui corde præ solicitudine:

11. Et dixi in corde meo: In quantam tribulationem deveni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum; qui jucundus eram, & dilectus in potestate mea!

12. Nunc vero reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem, unde & abstuli omnia spolia aurea & argentea, quæ erant in ea, & misi auferre habitantes Judæam sine causa.

13. Cognovi ergo quia propterea invenerunt me mala ista: & ecce pereo tristitia magna in terra aliena.

14. Et vocavit Philippum, unum de amicis suis, & præposuit eum super universum regnum suum:

15. Et

52. (*m*) Scythopolim, vel e regione Scythopoleos.

63. & 66 (*n*) Gr. Vir Judas & fratres ejus. *Samariam*: Ex Josepho & Lib. 2. Machab. cap. 12. *Maresam*. Nam Samaria longius distat ab iis locis.

CAP. VI. 1. (*a*) Regiones trans Euphratem positas. *Et audivit esse Elymaidem in Perside*: Urbs eadem forte erat *Elymais*, & *Persepolis*, nisi ita dicta fuerit, quod esset urbs Persidis. Q. Curtius Lib. 5. ait *Persepolim* ab Alexandro eversam; Diodorus Siculus, Lib. 19. eam testatur fuisse restitutam. *Elymais* apud scriptores Græcos est regionis nomen, non urbis, & ita habet textus Græcus, *In Elymaide*, *In Perside*; Lib. 2. c. 9. vers. 9. urbem eamdem & *Persepolim*, & *Elymaidem* vocat: fors est ut *Persepolis* sit nomen adjectitium, quasi *urbs Persidis*.

2. (*b*) Deæ Nanææ, ex Lib. 2. Machab. 1. 13. Hanc Strabo *Anaiam* vocat, corrupto forte vocabulo: *Dianam* appellat Polybius a Josepho citatus.

3. (*c*) Ut pater ejus Elimai Jovis templum, ait Grotius.

4. (*d*) Discessit inde repetens Babyloniam: nam Lib. 2. vers. 13. se mori dixit in terra aliena; nondum ergo in Babyloniam, quæ suæ erat ditionis, venerat.

5. (*e*) In confiniis Persidis, cum in Babyloniam pergeret.

15. Et dedit ei diadema, & stolam suam, & annulum, ut adduceret Antiochum filium suum, & nutriret eum, & regnaret.

16. Et mortuus est illic Antiochus rex anno centesimo quadragesimo nono (*f*).

17. Et cognovit Lysias, quoniam mortuus est rex, & constituit regnare Antiochum filium ejus, quem nutrivit adolescentem: & vocavit nomen ejus Eupator.

18. Et hi qui erant in arce, concluserant (*g*) Israel in circuitu sanctorum: & quærebant eis mala semper, & firmamentum Gentium.

19. Et cogitavit Judas disperdere eos: & convocavit universum populum, ut obsiderent eos.

20. Et convenerunt simul, & obsederunt eos anno centesimo quinquagesimo, & fecerunt balistas, & machinas.

21. Et exierunt quidam ex eis, qui obsidebantur, & adjunxerunt se illis aliqui impii ex Israel,

22. Et abierunt ad regem, & dixerunt: Quousque non facis judicium, & vindicas fratres nostros?

23. Nos decrevimus servire patri tuo, & ambulare in præceptis ejus, & obsequi edictis ejus:

24. Et filii populi nostri propter hoc alienabant se a nobis, & quicumque inveniebantur ex nobis, interficiebantur, & hæreditates nostræ diripiebantur.

25. Et non ad nos tantum extenderunt manum, sed & in omnes fines nostros.

26. Et ecce applicuerunt hodie ad arcem Jerusalem occupare eam, & munitionem Bethsuram munierunt:

27. Et nisi præveneris eos velocius, majora, quam hæc, facient, & non poteris obtinere eos.

28. Et iratus est rex, ut hæc audivit: & convocavit omnes amicos suos, & principes exercitus sui, & eos qui super equites erant:

29. Sed & de regnis aliis, & de insulis (*h*) maritimis venerunt ad eum exercitus conductitii.

30. Et erat numerus exercitus ejus, centum millia peditum, & viginti millia equitum, & elephanti triginta duo, docti ad prælium.

31. Et venerunt per Idumæam, & applicuerunt ad Bethsuram, & pugnaverunt dies multos, & fecerunt machinas; & exierunt, & succenderunt (*i*) eas igni, & pugnaverunt viriliter.

32. Et recessit Judas ab arce, & movit castra ad Bethzacharam (*k*) contra castra regis.

33. Et surrexit rex ante lucem, & concitavit exercitus in impetum contra viam Bethzacharam: & comparaverunt se exercitus in prælium, & tubis cecinerunt:

34. Et elephantis ostenderunt sanguinem uvæ & mori, ad acuendos eos in prælium:

35. Et diviserunt bestias per legiones: & astiterunt singulis elephantis mille viri in loricis concatenatis, & galeæ æreæ in capitibus eorum: & quingenti equites ordinati unicuique bestiæ electi erant.

36. Hi ante tempus ubicumque erat bestia, ibi erant: & quocumque ibat, ibant, & non discedebant ab ea.

37. Sed & turres ligneæ super eos firmæ protegentes super singulas bestias: & super eas machinæ: & super singulas viri virtutis (*l*) triginta duo, qui pugnabant desuper, & Indus magister bestiæ.

38. Et residuum equitatum hinc & inde statuit in duas partes, tubis exercitum commovere, & perurgere constipatos in legionibus (*m*) ejus.

39. Et ut refulsit sol in clypeos aureos, & æreos, resplenduerunt montes ab eis, & resplenduerunt sicut lampades ignis.

40. Et distincta est pars exercitus regis per montes excelsos, & alia per loca humilia: & ibant caute, & ordinate.

41. Et commovebantur omnes inhabitantes terram a voce multitudinis, & incessu turbæ, & collisione armorum: erat enim exercitus magnus valde, & fortis.

42. Et appropiavit Judas, & exercitus ejus in prælium: & ceciderunt de exercitu regis sexcenti viri.

43. Et vidit Eleazar (*n*) filius Saura unam de bestiis loricatam loricis regis: & erat eminens super ceteras bestias: & visum est ei quod in ea esset rex:

44. Et dedit se ut liberaret populum suum, & acquireret sibi nomen æternum.

45. Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis, interficiens a dextris & a sinistris, & cadebant ab eo huc atque illuc.

46. Et ivit sub pedes elephantis, & supposuit se ei, & occidit eum: & cecidit in terram super ipsum, & mortuus est illic.

47. Et videntes virtutem regis, & impetum exercitus ejus, diverterunt se ab eis.

48. Castra autem regis (*o*) ascenderunt contra eos in Jerusalem, & applicuerunt castra regis ad Judæam, & montem Sion.

49. Et fecit pacem cum his, qui erant in Bethsura: & exierunt de civitate, quia non erant eis ibi alimenta conclusis, quia sabbata erant terræ.

50. Et comprehendit rex Bethsuram: & constituit illic custodiam servare eam.

51. Et

16. (*f*) Lib. 2. v. 11. Epistolæ hinc inde referuntur anno 148. sub Antiocho Eupatore post mortem patris. Sed diversas esse utriusque libri epochas jam diximus: præterquam non ab eodem mense annum incipiebant Judæi & Græci. Huc referenda sunt quæ Lib. 2. cap. 9. 10. 11. & 12. referuntur.

18. (*g*) Qui erant in arce, obsidebant templum: aditus ad templum Judæis infestos faciebant.

29. & 30. (*h*) Oris maritimis. Numerus: hic numerus non omnino convenit cum eo numero, qui Lib. 2. cap. 13. recensetur. Verum jam alibi est observatum variari interdum numerum exercitus, qui major est in principio expeditionis. Deinde potuit Eupator subsidia mittere in alia loca. Josephus eumdem ponit copiarum numerum.

31. (*i*) Qui erant Bethsuræ, eruptione facta.

32. (*k*) Ad domum *Zachariæ*. Videtur Judas ex vers. 32. & 42. bis aggressus exercitum regium

37. (*l*) Suspicantur nonnulli inversam esse constructionem, ac legendum esse, Super singulas 32. viri fortes qui pugnabant.

38. (*m*) Gr. ἐν φάραγξιν, *In vallibus*, in montium faucibus: ita etiam *Josephus*. At Vulgatus Interpres videtur olim legisse ἐν φάλαγξιν. Est enim φάλαγξ, *legio*.

43. (*n*) *Josephus* putat fratrem fuisse Judæ. Gr. dictum Auram, qui & *Abaron* cognomen habuit.

48. (*o*) Pars exercitus: nam pars altera Bethsuram obsidebat.

51. Et convertit castra ad locum sanctificationis (*p*) dies multos: & statuit illic balistas, & machinas, & ignis jacula, & tormenta ad lapides jactandos, & spicula, & scorpios ad mittendas sagittas, & fundibula.

52. Fecerunt autem & ipsi machinas adversus machinas eorum, & pugnaverunt dies multos.

53. Escæ autem non erant in civitate, eo quod septimus annus esset: & qui remanserant in Judæa de Gentibus, consumpserant reliquias eorum, quæ repositæ fuerant.

54. Et remanserunt in sanctis (*q*) viri pauci, quoniam obtinuerat eos fames: & dispersi sunt unusquisque in locum suum.

55. Et audivit (*r*) Lysias quod Philippus, quem constituerat rex Antiochus, cum adhuc viveret, ut nutriret Antiochum filium suum, & regnaret:

56. Reversus esset a Perside, & Media, & exercitus qui abierat cum ipso, & quia quærebat suscipere regni negotia:

57. Festinavit ire, & dicere ad regem, & duces exercitus: Deficimus quotidie, & esca nobis modica est, & locus, quem obsidemus, est munitus, & incumbit nobis ordinare de regno.

58. Nunc itaque demus dextras hominibus istis, & faciamus cum illis pacem, & cum omni gente eorum.

59. Et constituamus illis ut ambulent in legitimis suis sicut prius: propter legitima enim ipsorum, quæ despeximus, irati sunt, & fecerunt omnia hæc.

60. Et placuit sermo in conspectu regis, & principum: & misit ad eos pacem facere, & receperunt illam.

61. Et juravit illis rex, & principes: & exierunt de munitione (*s*).

62. Et intravit rex montem Sion, & vidit munitionem loci: & rupit citius juramentum, quod juravit: & mandavit destruere murum in gyro.

63. Et discessit festinanter, & reversus est Antiochiam, & invenit Philippum dominantem civitati: & pugnavit adversus eum, & occupavit civitatem.

CAPUT VII.

Demetrius Soter Roma veniens Tripolin Phœniciæ, & ab exercitu exceptus, jubet occidi Eupatorem: Alcimum Pontificem creat, quem mittit adversus Judam; sed re infecta ad regem revertitur, & mittit Nicanorem, qui cæsus est a Juda.

1. ANno centesimo quinquagesimo primo exiit Demetrius (*a*) Seleuci filius ab urbe Roma, & ascendit cum paucis viris in civitatem maritimam, & regnavit illic.

2. Et factum est, ut ingressus est domum regni patrum suorum, comprehendit exercitus Antiochum, & Lysiam, ut adducerent eos ad eum.

3. Et res ei innotuit, & ait: Nolite mihi ostendere faciem eorum.

4. Et occidit eos exercitus. Et sedit Demetrius super sedem regni sui.

5. Et venerunt ad eum viri iniqui, & impii ex Israel: & Alcimus dux eorum, qui volebat fieri sacerdos.

6. Et accusaverunt populum apud regem, dicentes: Perdidit Judas, & fratres ejus omnes amicos tuos, & nos dispersit de terra nostra.

7. Nunc ergo mitte virum, cui credis ut eat, & videat exterminium omne, quod fecit nobis, & regionibus regis: & puniat omnes amicos ejus, & adjutores eorum.

8. Et elegit rex ex amicis suis Bacchidem, qui dominabatur trans flumen magnum in regno, & fidelem regi: & misit eum,

9. Ut videret exterminium, quod fecit Judas: sed & Alcimum impium constituit in sacerdotium, & mandavit ei facere ultionem in filios Israel.

10. Et surrexerunt, & venerunt cum exercitu magno in terram Juda: & miserunt nuntios, & locuti sunt ad Judam, & ad fratres ejus verbis pacificis in dolo.

11. Et non intenderunt sermonibus eorum: viderunt enim quia venerunt cum exercitu magno.

12. Et convenerunt ad Alcimum & Bacchidem congregatio scribarum requirere quæ justa sunt:

13. Et primi, Assidæi (*b*) qui erant in filiis Israel, & exquirebant ab eis pacem.

14. Dixerunt enim: Homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos.

15. Et locutus est cum eis verba pacifica: & juravit illis, dicens: Non inferemus vobis malum, neque amicis vestris.

16. Et crediderunt ei: Et comprehendit ex eis sexaginta viros, & occidit eos in una die, secundum verbum, quod scriptum est:

17. * Carnes sanctorum (*c*) tuorum, & sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Jerusalem, & non erat qui sepeliret. * Ps. 78. v. 2. 3.

18. Et incubit timor, & tremor in omnem populum: quia dixerunt: Non est veritas & judicium in eis: transgressi sunt enim constitutum, & jusjurandum quod juraverunt.

19. Et movit Bacchides castra ab Jerusalem, & applicuit in Bethzecha: & misit, & comprehendit multos ex eis, qui a se effugerant, & quosdam de populo mactavit, & in puteum magnum projecit.

20. Et commisit regionem Alcimo, & reliquit cum eo auxilium in adjutorium ipsi. Et abiit Bacchides ad regem:

21. Et satis agebat (*d*) Alcimus pro principatu sacerdotii sui.

22. Et convenerunt ad eum omnes, qui perturbabant populum suum, & obtinuerunt terram Juda, & fecerunt plagam magnam in Israel.

23. Et

51. (*p*) Contra Jerusalem: vel contra munitiones externas.
54. (*q*) In templo, ad defensionem.
55. (*r*) Rebellio Philippi est caussa reditus Eupatoris, & pacis cum Machabæo sancitæ. Est autem hoc fœdus diversum ab eo, cujus fit mentio Lib. 2. Machab. cap. 11. vers. 13. Obsessum fuisse templum a Rege scribit Josephus.
61. (*s*) Obviam Regi, honoris caussa.

CAP. VII.
1. (*a*) Qui per 14. annos paterno regno spoliatus fuerat. *In civitatem maritimam*. Tripolim, ex Lib. 2. Machab. 14.
13. & 14. (*b*) Qui præ ceteris majorem religionis cultum præ se ferebant. *Dominabitur*, trans flumen.
17. & 18. (*c*) Assidæorum. *Veritas*, Nec fidem, nec jus colunt.
21. (*d*) Omni modo id agens.

23. Et vidit Judas omnia mala quæ fecit Alcimus, & qui cum eo erant, filiis Israel, multo plus quam Gentes.

24. Et exiit in omnes fines Judææ in circuitu, & fecit vindictam in viros desertores, & cessaverunt ultra exire in regionem.

25. Vidit autem Alcimus quod prævaluit Judas, & qui cum eo erant: & cognovit quia non potest sustinere eos, & regressus est ad regem, & accusavit eos multis criminibus.

* 1. Mach. 15. 1. 26. * Et misit rex Nicanorem, unum ex principibus suis nobilioribus: qui erat inimicitias exercens contra Israel: & mandavit ei evertere populum.

27. Et venit Nicanor in Jerusalem cum exercitu magno, & misit ad Judam, & ad fratres ejus verbis pacificis cum dolo,

28. Dicens: Non sit pugna inter me & vos: veniam cum viris paucis, ut videam facies vestras cum pace.

29. Et venit ad Judam, & salutaverunt se invicem pacifice: & hostes parati erant rapere Judam.

30. Et innotuit sermo Judæ, quoniam cum dolo venerat ad eum: & conterritus est ab eo, & amplius noluit videre faciem ejus.

31. Et cognovit Nicanor quoniam denudatum est consilium ejus: & exivit obviam Judæ in pugnam juxta Capharsalama (e).

32. Et ceciderunt de Nicanoris exercitu fere quinque millia viri, & fugerunt in civitatem (f) David.

33. Et post hæc verba ascendit Nicanor in montem Sion: & exierunt de sacerdotibus populi salutare eum in pace, & demonstrare ei holocautomata, quæ offerebantur pro rege.

34. Et irridens sprevit eos, & polluit: & locutus est superbe.

35. Et juravit cum ira, dicens: Nisi traditus fuerit Judas, & exercitus ejus in manus meas, continuo cum regressus fuero in pace, succendam domum istam. Et exiit cum ira magna.

36. Et intraverunt sacerdotes, & steterunt ante faciem altaris, & templi, & flentes dixerunt:

37. Tu Domine elegisti domum istam ad invocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis & obsecrationis populo tuo.

38. Fac vindictam in homine isto, & exercitu ejus, & cadant in gladio: memento blasphemias eorum, & ne dederis eis ut permaneant.

39. Et exiit Nicanor ab Jerusalem, & castra applicuit ad Bethoron: & occurrit illi exercitus Syriæ.

40. Et Judas applicuit in Adarsa (g) cum tribus millibus viris: & oravit Judas, & dixit:

41. * Qui missi erant a rege Sennacherib, * 4. Reg. 19. 35.
Domine, quia blasphemaverunt te, exiit Angelus, Tob. 1. 21.
& percussit ex eis centum octoginta quinque millia. Eccli. 48. 24.

42. Sic contere exercitum istum in conspectu nostro hodie: Isa. 37. 36.
& sciant ceteri quia male locutus est super sancta tua: 1. Mach. 8. 19.
& judica illum secundum malitiam illius.

43. Et commiserunt exercitus prælium terciadecima die mensis Adar: & contrita sunt castra Nicanoris, & cecidit ipse primus in prælio.

44. Ut autem vidit exercitus ejus quia cecidisset Nicanor, projecerunt arma sua, & fugerunt:

45. Et persecuti sunt eos viam unius diei, ab Adazer usquequo veniatur in Gazara, & tubis cecinerunt post eos cum significationibus (h):

46. Et exierunt de omnibus castellis Judææ in circuitu, & ventilabant eos cornibus, & convertebantur iterum ad eos, & ceciderunt omnes gladio, & non est relictus ex eis nec unus.

47. Et acceperunt spolia eorum in prædam: & caput Nicanoris amputaverunt, & dexteram ejus, quam extenderat superbe, & attulerunt & suspenderunt contra Jerusalem.

48. Et lætatus est populus valde, & egerunt diem illam in lætitia magna.

49. Et constituit agi omnibus annis diem istam, terciadecima die mensis Adar.

50. Et siluit terra Juda dies paucos.

CAPUT VIII.

Romana Respublica sic describitur, ut erat ante bellum Punicum tertium. Missi legati Romam, cum Romanis fœdus sanciunt.

1. ET audivit Judas nomen Romanorum (a), quia sunt potentes viribus, & acquiescunt ad omnia, quæ postulantur ab eis: & quicumque accesserunt ad eos, statuerunt cum eis amicitias, & quia sunt potentes viribus.

2. Et audierunt prælia eorum, & virtutes bonas, quas fecerunt in Galatia (b), quia obtinuerunt eos, & duxerunt sub tributum:

3. Et

31. (e) Urbs erat Palæstinæ cis Jordanem in tribu Manasse: hæc ab Herode Antipatris dicta est.

32. (f) In arcem ab hostibus occupatam. Suspicatur Grotius Nicanorem victorem fuisse, ex Lib. 2. Machab. cap 15. adeo ut vertendum paret, *Interfecti sunt a Nicanore quinquies mille*, nempe Judæi, qui fugerunt in templum, non in arcem quam Macedones tenebant.

40. (g) Vicus est in tribu Ephraim, sed in confinio tribus Benjamin, qui & *Adazer* appellatur vers. 45.

45. & 46. (h) Sono tubæ victoriam designante. *Amputaverunt*; caput in arce, manum prope templum posuerunt, ex Lib. 2. cap. ultimo.

CAP. VIII. 1. (a) Hæc omnia dicuntur narrata Judæ, nec sacer historicus se rerum omnium veritate suam interponit auctoritatem. Quamquam & his quoque sua constat veritas. Nam acquiescebant iis quæ legitime postulabantur, ac præterea cum de societate ineunda agebatur. Philippum & Perseum Ceteorum, seu Macedonum Regem, Philippum per T. Quintium Flaminium, & Perseum per P. Æmilium bello contrivere. Quæ de Antiocho narrantur, qui 120. habuit Elephantos, & captus est vivus, a vero non sunt aliena; tot enim habuit Elephantos vel in acie, vel in aliis locis. Teste Polybio, lib 5. Elephantos 102. adversus Ptolemæum eduxerat in aciem. Livius & alii non eum quidem captum, sed in arctum redactum scribunt, adeo ut instar captivi, quæcumque L. Scipio injunxit, ea fecerit: nimirum 1000. talenta, quæ singulis annis pendere jussus est, filium obsidem dare, regnorum divisionem pati: adeo ut probabile videatur eum per breve tempus captum fuisse, mox dimissum: hinc forte eam ob caussam L. Scipio fuit [illegible]. Deinde hæc proponuntur ut audita. Quod autem curia esset 320. Senatorum usque ad Gracchi seditiones; quod committerent uni homini magistratum suum: utrumque verum est: nam duo quidem erant consules, sed in uno & eodem loco unus tantummodo fasces habebat, vel alternis diebus imperabant.

2. (b) Seu in Gallogræcia, quam subegit cap. 11. Manlius post pacem cum Antiocho M. initam.

3. Et quanta fecerunt in regione Hispaniæ, & quod in potestatem redegerunt metalla (c) argenti & auri, quæ illic sunt, & possederunt omnem locum consilio suo, & patientia:

4. Locaque, quæ longe erant valde ab eis, & reges qui supervenerant eis ab extremis terræ, contriverunt, & percusserunt eos plaga magna: ceteri autem dant eis tributum omnibus annis.

5. Et Philippum & Persen Cetorum regem, & ceteros qui adversum eos arma tulerant, contriverunt in bello, & obtinuerunt eos:

6. Et Antiochum magnum regem Asiæ, qui eis pugnam intulerat, habens centum viginti elephantos, & equitatum, & currus, & exercitum magnum valde, contritum ab eis.

7. Et quia ceperunt (d) eum vivum, & statuerunt ei ut daret ipse, & qui regnarent post ipsum, tributum magnum, & daret obsides, & constitutum,

8. Et regionem (e) Indorum, & Medos, & Lydos, de optimis regionibus eorum: & acceptas eas ab eis, dederunt Eumeni regi.

9. Et quia qui erant apud Helladam (f), voluerunt ire, & tollere eos: & innotuit sermo his,

10. Et miserunt ad eos ducem unum, & pugnaverunt contra illos, & ceciderunt ex eis multis. & captivas duxerunt uxores eorum, & filios, & diripuerunt eos, & terram eorum possederunt, & destruxerunt muros eorum, & in servitutem illos redegerunt usque in hunc diem:

11. Et residua regna, & insulas, quæ aliquando restiterant illis, exterminaverunt, & in potestatem redegerunt.

12. Cum amicis autem suis, & qui in ipsis requiem habebant, conservaverunt amicitiam, & obtinuerunt regna, quæ erant proxima, & quæ erant longe: quia quicumque audiebant nomen eorum, timebant eos.

13. Quibus vero vellent auxilio esse ut regnarent, regnabant: quos autem vellent, regno deturbabant: & exaltati sunt valde.

14. Et in omnibus istis nemo portabat diadema, nec induebatur purpura, ut magnificaretur in ea.

15. Et quia curiam fecerunt sibi, & quotidie consulebant trecentos (g) viginti, consilium agentes semper de multitudine, ut quæ digna sunt, gerant:

16. Et committunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari universæ terræ suæ; & omnes obediunt uni, & non est invidia, neque zelus inter eos.

17. Et elegit Judas Eupolemum, filium Joannis, filii Jacob, & Jasonem, filium Eleazari, & misit eos Romam constituere cum illis amicitiam, & societatem:

18. Et ut auferrent ab eis jugum Græcorum, quia viderunt quod in servitutem premerent regnum Israel.

19. Et abierunt Romam viam multam valde, & introierunt curiam, & dixerunt:

20. Judas Machabæus, & fratres ejus, & populus Judæorum miserunt nos ad vos statuere vobiscum societatem, & pacem, & conscribere nos socios, & amicos vestros.

21. Et placuit sermo in conspectu eorum.

22. Et hoc rescriptum est, quod rescripserunt in tabulis æreis, & miserunt in Jerusalem, ut esset apud eos ibi memoriale pacis, & societatis.

23. BENE SIT ROMANIS, & genti Judæorum, in mari, & in terra in æternum: gladiusque & hostis procul sit ab eis.

24. Quod si institerit bellum Romanis prius, aut omnibus sociis eorum in omni dominatione eorum:

25. Auxilium feret gens Judæorum, prout tempus dictaverit, corde pleno:

26. Et præliantibus non dabunt, neque subministrabunt triticum, arma, pecuniam, naves, sicut placuit Romanis: & custodient mandata eorum, nihil ab eis accipientes (h).

27. Similiter autem & si genti Judæorum prius acciderit bellum, adjuvabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiserit:

28. Et adjuvantibus non dabitur triticum, arma, pecunia, naves, sicut placuit Romanis: & custodient mandata eorum absque dolo.

29. Secundum hæc verba constituerunt Romani populo Judæorum.

30. Quod si post hæc verba hi, aut illi addere, aut demere ad hæc aliquid voluerint, facient ex proposito suo: & quæcumque addiderint, vel dempserint, rata erunt.

31. Sed & de malis, quæ Demetrius rex fecit in eos, scripsimus ei, dicentes: Quare gravasti jugum tuum super amicos nostros, & socios Judæos?

32. Si ergo iterum adierint nos adversum te, faciemus illis judicium, & pugnabimus tecum mari terraque.

CA-

3. (c) Hispaniam venis metallorum auri, argenti, cupri & ferri feracem testatur Plinius, Lib. 3. cap. 3.

7. (d) Evasit quidem vivus, ut narrat T. Livius, sed capi potuit & dimitti a Scipione; aut certe effecerunt, ut ipse Romanis fide data se sisteret Lysimachiæ, ut refert Polybius, Lib. 17. Et *daret obsides*, viginti, e quibus Antiochus ejus filius erat: *Et constitutum*, Gr. *&* [illegible], *devisionem*, partem regni daret Romanis, quæ est cis Taurum montem.

8. (e) Ita Judas audierat. Suspicatur Grotius vitium huic esse exscriptoris, ac legendum esse *Jonıam*, *Mysiamque*, *&* *Lydiam*, quæ data sunt Eumeni, ex Livio Lib. 38. neque enim *Media* aut *India* fuerunt Romanorum, aut Eumenis: tametsi Ortellus Mediam, Thraciam, & Stephanus Regionem Indicam circa Pontum designent.

9. (f) Apud Græcos: *Voluerunt ire, & tollere eos:* de Ætholis loquitur, qui anno 564. ab urbe condita defecerunt a Romanis ad Antiochum, quique a Glabrione victi sunt. Quod autem ait: *Omnes obediunt uni*, seu consuli, seu dictatori. *Et non est invidia*, hoc intelligendum est humano more, quamdiu stabat Respublica bene instituta: *Et acquiescunt ad omnia, quæ postulantur ab eis;* si justa sint & rationi consentanea.

15. (g) Modo plures, modo pauciores erant Senatores; sed forte tum temporis tot erant Senatores. Gracchorum temporibus tot fere erant Senatores.

26 (h) Suis quique sumptibus militabunt. Quidam dubitant, an recte fecerit Judas hoc inire fœdus: nam quamdiu spem suam in solo Deo collocavit, cuncta ei feliciter successerunt, non item postea: sed nulla huic culpa fuit cum infidelibus sancire fœdus pro justa patriæ defensione, uti liquet ex Abrahamo & Davide.

CAPUT IX.

Hoc capite mors Judæ, & prælia cum Bacchide referuntur. In locum Judæ Jonathas sufficitur.

1. INterea ut audivit Demetrius, quia cecidit Nicanor, & exercitus ejus in prælio, appoſuit Bacchidem & Alcimum rurſum mittere in Judæam, & dextrum cornu cum illis.

2. Et abierunt viam, quæ ducit in Galgala, & caſtra poſuerunt in Maſaloth, quæ eſt in Arbellis: & occupaverunt eam, & peremerunt animas hominum multas.

3. In menſe primo anni centeſimi & quinquageſimi ſecundi applicuerunt exercitum ad Jeruſalem:

4. Et ſurrexerunt, & abierunt in Beream viginti millia virorum, & duo millia equitum.

5. Et Judas poſuerunt caſtra in Laiſa, & tria millia viri electi cum eo:

6. Et viderunt multitudinem exercitus quia multi ſunt, & timuerunt valde: & multi ſubtraxerunt ſe de caſtris, & non remanſerunt ex eis niſi octingenti viri.

7. Et vidit Judas quod defluxit exercitus ſuus, & bellum perurgebat eum, & confractus eſt corde, quia non habebat tempus congregandi eos, & diſſolutus (*a*) eſt.

8. Et dixit his, qui reſidui erant: Surgamus, & eamus ad adverſarios noſtros, ſi poterimus pugnare adverſus eos.

9. Et avertebant eum, dicentes: Non poterimus, ſed liberemus animas noſtras modo, & revertamur ad fratres noſtros, & tunc pugnabimus adverſus eos: nos autem pauci ſumus.

10. Et ait Judas: Abſit iſtam rem facere ut fugiamus ab eis: & ſi appropiavit tempus noſtrum, moriamur in virtute propter fratres noſtros, & non inferamus crimen gloriæ noſtræ.

11. Et movit exercitus de caſtris, & ſteterunt illis obviam: & diviſi ſunt equites in duas partes, & fundibularii, & ſagittarii præibant exercitum, & primi certaminis omnes potentes.

12. Bacchides autem erat in dextro cornu, & proximavit legio ex duabus partibus, & clamabant tubis:

13. Exclamaverunt autem & hi, qui erant ex parte Judæ, etiam ipſi, & commota eſt terra a voce exercituum: & commiſſum eſt prælium a mane uſque ad veſperam.

14. Et vidit Judas, quod firmior eſt pars exercitus Bacchidis in dextris, & convenerunt cum ipſo omnes conſtantes corde.

15. Et contrita eſt dextera pars ab eis, & perſecutus eſt eos uſque ad montem Azoti (*b*).

16. Et qui in ſiniſtro cornu erant, viderunt quod contritum eſt dextrum cornu, & ſecuti ſunt poſt Judam, & eos qui cum ipſo erant, a tergo:

17. Et ingravatum eſt prælium: & ceciderunt vulnerati multi ex his, & ex illis.

18. Et Judas cecidit, & cæteri fugerunt.

19. Et Jonathas, & Simon tulerunt Judam fratrem ſuum, & ſepelierunt eum in ſepulchro patrum ſuorum in civitate Modin.

20. Et fleverunt eum omnis populus Iſrael planctu magno, & lugebant dies multos.

21. Et dixerunt: Quomodo cecidit potens, qui ſalvum faciebat populum Iſrael!

22. Et cætera verba bellorum Judæ, & virtutum, quas fecit, & magnitudinis ejus, non ſunt deſcripta: multa enim erant valde.

23. Et factum eſt: poſt obitum Judæ emerſerunt iniqui in omnibus finibus Iſrael, & exorti ſunt omnes qui operabantur iniquitatem.

24. In diebus illis facta eſt fames magna valde, & tradidit ſe Bacchidi omnis (*c*) regio eorum cum ipſis.

25. Et elegit Bacchides viros impios, & conſtituit eos dominos regionis:

26. Et exquirebant, & perſcrutabantur amicos Judæ, & adducebant eos ad Bacchidem, & vindicabat in illos, & illudebat.

27. Et facta eſt tribulatio magna in Iſrael, qualis non fuit ex die, qua non eſt viſus propheta in Iſrael.

28. Et congregati ſunt omnes amici Judæ, & dixerunt Jonathæ:

29. Ex quo frater tuus Judas defunctus eſt, vir ſimilis ei non eſt, qui exeat contra inimicos noſtros, Bacchidem, & eos, qui inimici ſunt gentis noſtræ.

30. Nunc itaque te hodie elegimus eſſe pro eo nobis in principem, & ducem ad bellandum bellum noſtrum.

31. Et ſuſcepit Jonathas tempore illo principatum, & ſurrexit loco Judæ fratris ſui.

32. Et cognovit Bacchides, & quærebat eum occidere.

33. Et cognovit Jonathas, & Simon frater ejus, & omnes, qui cum eo erant, & fugerunt in deſertum Thecuæ, & conſederunt ad aquam lacus Aſphar.

34. Et cognovit Bacchides, & die ſabbatorum venit ipſe, & omnis exercitus ejus trans Jordanem.

35. Et Jonathas miſit fratrem (*d*) ſuum ducem populi, & rogavit Nabuthæos amicos ſuos, ut commodarent illis apparatum ſuum, qui erat copioſus.

36. Et exierunt filii Jambri (*e*) ex Madaba, & comprehenderunt Joannem, & omnia, quæ habebat, & abierunt habentes ea.

37. Poſt hæc verba, renuntiatum eſt Jonathæ, & Simoni fratri ejus, quia filii Jambri faciunt nuptias magnas, & ducunt ſponſam ex Madaba, filiam unius de magnis principibus Chanaan, cum ambitione magna.

38. Et recordati ſunt ſanguinis Joannis fratris ſui: & aſcenderunt, & abſconderunt ſe ſub tegumento montis.

39. Et

CAP. IX. 7. (*a*) Vox Græca καὶ ἐξελύθη, verti poteſt, *& retrocessit*, ut in tuto loco ſuos adhortaretur.

15. (*b*) Joſephus uſque ad montem Aſa: non enim de Philiſthinorum urbe hoc loco agitur.

24. (*c*) Pars major regionis.

35. (*d*) Joannem cognomine *Gaddis ducem populi*, quem populo regendo præfecerat; *ut commodarent illis apparatum ſuum*; ut impedimenta ſervarent, vel ut commendarent, id eſt, ut apud eos deponerent.

36. (*e*) Gr. υἱοὶ Ἰαμβρὶ, *Filii Jambri*; Madaba urbs eſt in Arabia.

39. Et elevaverunt oculos suos, & viderunt: & ecce tumultus, & apparatus multus: & sponsus processit, & amici ejus, & fratres ejus obviam illis cum tympanis, & musicis, & armis multis.

40. Et surrexerunt ad eos ex insidiis, & occiderunt eos, & ceciderunt vulnerati multi, & residui fugerunt in montes: & acceperunt omnia spolia eorum:

41. Et conversæ sunt nuptiæ in luctum, & vox musicorum ipsorum in lamentum.

42. Et vindicaverunt vindictam sanguinis fratris sui: & reversi sunt ad ripam Jordanis.

43. Et audivit Bacchides, & venit die sabbatorum usque ad oram Jordanis in virtute magna.

44. Et dixit ad suos Jonathas: Surgamus, & pugnemus contra inimicos nostros: non est enim hodie sicut heri (*f*), & nudiustertius.

45. Ecce enim bellum ex adverso, aqua vero Jordanis hinc & inde, & ripæ, & paludes, & saltus: & non est locus divertendi.

* 2. Par. 20. 3. 46. * Nunc ergo clamate in cælum, ut liberemini de manu inimicorum vestrorum. Et commissum est bellum.

47. Et extendit Jonathas manum suam percutere Bacchidem, & divertit ab eo retro:

48. Et dissiliit Jonathas, & qui cum eo erant, in Jordanem, & transnataverunt (*g*) ad eos Jordanem.

49. Et ceciderunt de parte Bacchidis die illa mille viri. Et reversi sunt in Jerusalem (*h*),

50. Et ædificaverunt civitates munitas in Judæa, munitionem quæ erat in Jericho, & in Ammaum, & in Bethoron, & in Bethel, & Thamnata, & Phara, & Thopo muris excelsis, & portis, & seris.

51. Et posuit custodiam in eis, ut inimicitias exercerent in Israel:

52. Et munivit civitatem Bethsuram, & Gazaram, & arcem, & posuit in eis auxilia, & apparatum escarum:

53. Et accepit filios principum regionis obsides, & posuit eos in arce in Jerusalem in custodiam.

54 Et anno centesimo quinquagesimo tertio, mense secundo, præcepit Alcimus destrui muros (*i*) domus sanctæ interioris, & destrui opera prophetarum: & cœpit destruere.

55. In tempore illo percussus est Alcimus: & impedita sunt opera illius, & occlusum est os ejus, & dissolutus est paralysi, nec ultra potuit loqui verbum, & mandare de domo sua.

56. Et mortuus est Alcimus in tempore illo, cum tormento magno.

57. Et vidit Bacchides quoniam mortuus est Alcimus: & reversus est ad regem, & siluit terra annis duobus.

58. Et cogitaverunt omnes iniqui dicentes: Ecce Jonathas, & qui cum eo sunt, in silentio habitant confidenter: nunc ergo adducamus Bacchidem, & comprehendet eos omnes una nocte.

59. Et abierunt, & consilium ei dederunt.

60. Et surrexit ut veniret cum exercitu multo: & misit occulte epistolas sociis suis, qui erant in Judæa, ut comprehenderent Jonathan, & eos qui cum eo erant: sed non potuerunt, quia innotuit eis consilium eorum.

61. Et apprehendit de viris regionis, qui principes erant malitiæ, quinquaginta viros, & occidit eos:

62. Et secessit Jonathas, & Simon, & qui cum eo erant, in Bethbessen, quæ est in deserto: & extruxit diruta ejus, & firmaverunt eam.

63. Et cognovit Bacchides, & congregavit universam multitudinem suam: & his qui de Judæa erant, denuntiavit.

64. Et venit, & castra posuit desuper Bethbessen: & oppugnavit eam dies multos, & fecit machinas.

65. Et reliquit Jonathas Simonem fratrem suum in civitate, & exiit in regionem, & venit cum numero,

66. Et percussit Odaren, & fratres ejus, & filios Phaseron in tabernaculis ipsorum: & cœpit cædere, & crescere in virtutibus.

67. Simon vero, & qui cum ipso erant, exierunt de civitate, & succenderunt machinas,

68. Et pugnaverunt contra Bacchidem, & contritus est ab eis: & afflixerunt eum valde, quoniam consilium ejus, & congressus ejus erat inanis.

69. Et iratus contra viros iniquos, qui ei consilium dederant, ut venirent in regionem ipsorum, multos ex eis occidit: ipse autem cogitavit cum reliquis abire in regionem suam.

70. Et cognovit Jonathas, & misit ad eum legatos componere pacem cum ipso, & reddere ei captivitatem (*k*).

71. Et libenter accepit, & fecit secundum verba ejus, & juravit se nihil facturum ei mali omnibus diebus vitæ ejus.

72. Et reddidit ei captivitatem, quam prius erat prædatus de terra Juda: & conversus abiit in terram suam, & non apposuit amplius venire in fines ejus.

73. Et cessavit gladius ex Israel: & habitavit Jonathas in Machmas, & cœpit Jonathas ibi judicare populum, & exterminavit impios ex Israel.

CAPUT X.

Res gestæ ab anno 153. ad annum usque 165. magna ex parte narrantur.

1. ET anno centesimo sexagesimo ascendit Alexander (*a*) Antiochi filius, qui cognominatus est Nobilis: & occupavit Ptolemaidam: & receperunt eum, & regnavit illic.

2. Et

44. (*f*) Nobis non liberum est prælium detrectare, ut antea.
48. (*g*) In Græco est negatio [illegible]: [illegible] sit sensus: Jonathas frustrato ictu contra Bacchidem natando transiit; nec Bacchides eum insecutus est, sed firmiora loca occupavit & munivit.
49. (*h*) In arcem, quam occupabat Bacchides cum suis militibus.

54. (*i*) Qui atrium sacerdotum ab atrio gentium separabant. Sic Alcimus idololatras cum Israelitis voluit confundere.
70 (*k*) Multitudinem captivorum.
1. (*a*) Alexander dictus *Balas*, filius Antiochi, qui se filium Antiochi Illustris dicebat. CAP. X.

2. Et audivit Demetrius rex, & congregavit exercitum copiosum valde, & exivit obviam illi in prælium.

3. Et misit Demetrius epistolam ad Jonathan verbis pacificis, ut magnificaret eum.

4. Dixit enim: Anticipemus facere pacem cum eo, priusquam faciat cum Alexandro adversum nos:

5. Recordabitur enim omnium malorum, quæ fecimus in eum, & in fratrem ejus, & in gentem ejus.

6. Et dedit ei potestatem congregandi exercitum, & fabricare arma, & esse ipsum socium ejus: & obsides qui erant in arce, jussit tradi ei.

7. Et venit Jonathas in Jerusalem, & legit epistolas in auditu omnis populi, & eorum qui in arce (*b*) erant.

8. Et timuerunt timore magno, quoniam audierunt quod dedit ei rex potestatem congregandi exercitum.

9. Et traditi sunt Jonathæ obsides, & reddidit eos parentibus suis:

10. Et habitavit Jonathas in Jerusalem, & cœpit ædificare, & innovare civitatem.

11. Et dixit facientibus opera, ut extruerent muros, & montem Sion in circuitu lapidibus quadratis ad munitionem: & ita fecerunt.

12. Et fugerunt alienigenæ, qui erant in munitionibus, quas Bacchides ædificaverat:

13. Et reliquit unusquisque locum suum, & abiit in terram suam:

14. Tantum in Bethsura remanserunt aliqui ex his qui reliquerant legem, & præcepta Dei: erat enim hæc eis ad refugium.

15. Et audivit Alexander rex promissa, quæ promisit Demetrius Jonathæ: & narraverunt ei prælia & virtutes, quas ipse fecit, & fratres ejus, & labores quos laboraverunt.

16. Et ait: Numquid inveniemus aliquem virum talem? & nunc faciemus eum amicum, & socium nostrum.

17. Et scripsit epistolam, & misit ei secundum hæc verba, dicens:

18. Rex Alexander fratri Jonathæ salutem.

19. Audivimus de te, quod vir potens sis viribus, & aptus es ut sis amicus noster:

20. Et nunc constituimus (*c*) te hodie summum sacerdotem gentis tuæ, & ut amicus voceris regis, (& misit ei purpuram, & coronam auream) & quæ nostra sunt, sentias nobiscum, & conserves amicitias ad nos.

21. Et induit (*d*) se Jonathas stola sancta septimo mense, anno centesimo sexagesimo, in die solemni scenopegiæ: & congregavit exercitum, & fecit arma copiosa.

22. Et audivit Demetrius verba ista, & contristatus est nimis, & ait:

23. Quid hoc fecimus, quod præoccupavit nos Alexander apprehendere amicitiam Judæorum ad munimen sui?

24. Scribam & ego illis verba deprecatoria, & dignitates, & dona: ut sint mecum in adjutorium.

25. Et scripsit eis in hæc verba: Rex Demetrius genti Judæorum salutem:

26. Quoniam servastis ad nos pactum, & mansistis in amicitia nostra, & non accessistis ad inimicos nostros, audivimus, & gavisi sumus.

27. Et nunc perseverate adhuc conservare ad nos fidem, & retribuemus vobis bona pro his, quæ fecistis nobiscum:

28. Et remittemus vobis præstationes multas, & dabimus vobis donationes.

29. Et nunc absolvo vos, & omnes Judæos a tributis, & pretia salis indulgeo, (*e*) & coronas remitto, & tertias seminis.

30. Et dimidiam partem fructus ligni, quod est portionis meæ, relinquo vobis ex hodierno die, & deinceps, ne accipiatur a terra Juda, & a tribus civitatibus (*f*), quæ additæ sunt illi ex Samaria, & Galilæa, ex hodierna die, & in totum tempus:

31. Et Jerusalem sit sancta, & libera cum finibus suis: & decimæ & tributa ipsius sint.

32. Remitto etiam potestatem arcis, quæ est in Jerusalem: & do eam summo sacerdoti, ut constituat in ea viros quoscumque ipse elegerit, qui custodiant eam.

33. Et omnem animam Judæorum, quæ captiva est a terra Juda in omni regno meo, relinquo liberam gratis, ut omnes a tributis solvantur, etiam pecorum suorum.

34. Et omnes dies solemnes (*g*), & sabbata, & neomeniæ, & dies decreti, & tres dies ante diem solemnem, & tres dies post diem solemnem, sint omnes immunitatis & remissionis omnibus Judæis, qui sunt in regno meo.

35. Et nemo habebit potestatem agere aliquid, & movere negotia adversus aliquem illorum, in omni causa.

36. Et ascribantur ex Judæis in exercitu regis ad triginta millia virorum: & dabuntur illis copiæ, ut oportet omnibus exercitibus regis, & ex eis ordinabuntur qui sint in munitionibus regis magni:

37. Et ex his constituentur super negotia regni, quæ aguntur ex fide, & principes sint ex eis, & ambulent in legibus suis, sicut præcepit rex in terra Juda.

38. Et tres civitates, quæ additæ sunt Judææ ex regione Samariæ, cum Judæa reputentur: ut sint sub uno, & non obediant alii potestati, nisi summi sacerdotis.

39. Ptolemaida, & confines ejus, quas dedi donum sanctis, qui sunt in Jerusalem, ad necessarios sumptus sanctorum.

40. Et ego do singulis annis quindecim millia siclorum argenti de rationibus regis, quæ me contingunt:

41. Et

7. & 11. (*b*) Tum enim arx Jerusalem erat in potestate Demetrii. *Sion*, Totam urbem, excepta arce & templo.

20. (*c*) Jam erat constitutus post mortem Judæ: sed auctoritate regia fuit confirmatus.

21. (*d*) Non purpura, sed ornamentis pontificiis.

29. (*e*) Tributum ex sale: erant salinæ in Judæa: *Et coronas remitto*; aurum coronarium. Judæi solebant coronas aureas Regibus offerre quotannis. Id dicitur *aurum coronarium*; postea Patriarchis suis offerri solitum Imperatores ad se traxerunt. L. penul. Cod. de Judæis: *Et tertias seminis*. tertiam partem seminis; Josephus, pro tertiis fructuum partibus.

30. (*f*) Ex quibus erant Lyda & Ramatha, ex cap. 11. vers. 34. ex tribus præfecturis.

34. (*g*) Ne cogantur caussas agere diebus alicujus solemnitatis decretæ: *Et dies decreti*; Festa ex certa institutione, non ex lege decreta; *Et tres dies*, quibus Judæi ad solvendum compelli non possint. Ut tutus esset Jerosolymam itus & reditus.

41. Et omne quod reliquum fuerit, quod non reddiderant qui super negotia erant annis prioribus, ex hoc dabunt in opera domus.

42. Et super hæc quinque millia siclorum argenti, quæ accipiebant de sanctorum ratione per singulos annos: & hæc ad sacerdotes pertineant, qui ministerio funguntur.

43. Et quicumque confugerint in templum, quod est Jerosolymis, & in omnibus finibus ejus, obnoxii regi in omni negotio, dimittantur, & universa quæ sunt eis in regno meo, libera habeant.

44. Et ad ædificanda, vel restauranda opera sanctorum, sumptus dabuntur de ratione regis:

45. Et ad extruendos muros Jerusalem, & communiendos in circuitu, sumptus dabuntur de ratione regis, & ad construendos muros in Judæa.

46. Ut audivit autem Jonathas (*h*), & po-
* Sup. 7. 12. pulus sermones illos, * non crediderunt eis, nec receperunt eos: quia recordati sunt malitiæ magnæ, quam fecerat in Israel, & tribulaverat eos valde.

47. Et complacuit eis in Alexandrum, quia ipse fuerat eis princeps (*i*) sermonum pacis, & ipsi auxilium ferebant omnibus diebus.

48. Et congregavit rex Alexander exercitum magnum, & admovit castra contra Demetrium.

49. Et commiserunt prælium duo reges, & fugit exercitus Demetrii, & insecutus est eum Alexander, & incubuit super eos.

50. Et invaluit prælium nimis, donec occidit sol: & cecidit Demetrius in die illa.

51. Et misit Alexander ad Ptolemæum regem Ægypti legatos secundum hæc verba, dicens:

52. QUONIAM regressus sum in regnum meum, & sedi in sede patrum meorum, & obtinui principatum, & contrivi Demetrium, & possedi regionem nostram,

53. Et commisi pugnam cum eo, & contritus est ipse, & castra ejus a nobis, & sedimus in sede regni ejus:

54. Et nunc statuamus ad invicem amicitiam: & da mihi filiam tuam uxorem, & ego ero gener tuus, & dabo tibi dona, & ipsi, digna te.

55. Et respondit rex Ptolemæus, dicens: FELIX dies, in qua reversus es ad terram patrum tuorum, & sedisti in sede regni eorum.

56. Et nunc faciam tibi quod scripsisti: sed occurre mihi Ptolemaidam, ut videamus invicem nos, & spondeam tibi sicut dixisti.

57. Et exivit Ptolemæus de Ægypto, ipse & Cleopatra filia ejus, & venit Ptolemaidam, anno centesimo sexagesimo secundo.

58. Et occurrit ei Alexander rex, & dedit ei Cleopatram filiam suam: & fecit nuptias ejus Ptolemaidæ, sicut reges in magna gloria.

59. Et scripsit rex Alexander Jonathæ, ut veniret obviam sibi.

60. Et abiit cum gloria Ptolemaidam, & occurrit ibi duobus regibus, & dedit illis argentum multum, & aurum, & dona: & invenit gratiam in conspectu eorum.

61. Et convenerunt adversus eum viri pestilentes ex Israel, viri iniqui interpellantes adversus eum: & non intendit ad eos rex.

62. Et jussit spoliari Jonathan vestibus suis, & indui eum purpura: & ita fecerunt. Et collocavit eum rex sedere secum.

63. Dixitque principibus suis: Exite cum eo in medium civitatis, & prædicate, ut nemo adversus eum interpellet de ullo negotio, nec quisquam ei molestus sit de ulla ratione.

64. Et factum est, ut viderunt qui interpellebant gloriam ejus, quæ prædicabatur, & opertum eum purpura, fugerunt omnes.

65. Et magnificavit eum rex, & scripsit eum inter primos amicos, & posuit eum ducem & participem (*k*) principatus.

66. Et reversus est Jonathas in Jerusalem cum pace & lætitia.

67. In anno centesimo sexagesimoquinto venit Demetrius filius Demetrii a Creta in terram patrum suorum.

68. Et audivit Alexander rex, & contristatus est valde, & reversus est Antiochiam.

69. Et constituit Demetrius rex Apollonium ducem, qui præerat Cælesyriæ: & congregavit exercitum magnum, & accessit ad Jamniam: & misit ad Jonathan summum sacerdotem,

70. Dicens: Tu solus resistis nobis: ego autem factus sum in derisum, & in opprobrium, propterea quia tu potestatem adversum nos exerces in montibus.

71. Nunc ergo si confidis in virtutibus tuis, descende ad nos in campum, & comparemus (*l*) illic invicem: quia mecum est virtus bellorum.

72. Interroga, & disce quis sum ego, & ceteri qui auxilio sunt mihi, qui & dicunt quia non potest stare pes vester ante faciem nostram, quia bis in fugam conversi sunt patres tui in terra sua:

73. Et nunc quomodo poteris sustinere equitatum & exercitum tantum in campo, ubi non est lapis, neque saxum, neque locus fugiendi?

74. Ut audivit autem Jonathas sermones Apollonii, motus est animo: & elegit decem millia virorum, & exiit ab Jerusalem, & occurrit ei Simon frater ejus in adjutorium:

75. Et applicuerunt castra in Joppen, & exclusit eum a civitate: quia custodia (*m*) Apollonii Joppe erat, & oppugnavit eam.

76. Et exterriti qui erant in civitate, aperuerunt ei, & obtinuit Jonathas Joppen.

77. Et audivit Apollonius, & admovit tria millia equitum, & exercitum multum.

78. Et abiit Azotum tamquam iter faciens, & statim exiit in campum, eo quod haberet multitudinem equitum, & confideret in eis. Et insecutus est eum Jonathas in Azotum, & commiserunt prælium.

79. Et

46. (*h*) Noverat Demetrii dolos.

47. (*i*) Ex vers. 4. Demetrius prior de amicitia sermonem fecerat: sed Jonathas eum audire noluerat, ut hostem Judæorum infensum. Alexander fœdus obtulerat.

65. (*k*) Mensæ regiæ præpositum.

71. (*l*) Certemus in æquis locis: *Virtus bellorum*, Gr. τῶν πόλεων, *Civitatum*. Interpres habuit in suo codice πολέμων, *bellorum*.

75. (*m*) Solebant Judæi e montanis locis hostem saxo petere.

79. Et reliquit Apollonius in castris mille equites post eos occulte.

80. Et cognovit Jonathas quoniam insidiæ sunt post se, & circuierunt castra ejus, & jecerunt jacula in populum a mane usque ad vesperam.

81. Populus autem stabat, sicut præceperat Jonathas: & laboraverunt equi eorum.

82. Et ejecit Simon exercitum suum, & commisit contra legionem: equites enim fatigati erant: & contriti sunt ab eo, & fugerunt.

83. Et qui (n) dispersi sunt per campum, fugerunt in Azotum, & intraverunt in Bethdagon idolum suum, ut ibi se liberarent.

84. Et succendit Ionathas Azotum, & civitates quæ erant in circuitu ejus, & accepit spolia eorum, & templum Dagon: & omnes qui fugerunt in illud, succendit igni.

85. Et fuerunt qui ceciderunt gladio, cum his qui succensi sunt, fere octo millia virorum.

86. Et movit inde Jonathas castra, & applicuit ea Ascalonem: & exierunt de civitate obviam illi in magna gloria.

87. Et reversus est Jonathas in Jerusalem cum suis, habentibus spolia multa.

88. Et factum est: ut audivit Alexander rex sermones istos, addidit adhuc glorificare Jonathan.

89. Et misit ei fibulam auream, sicut consuetudo est dari cognatis regum. Et dedit ei Accaron, & omnes fines ejus in possessionem.

CAPUT XI.

Alexander pugnans vincitur, & post fugam occiditur in Arabia. Regnat Demetrius. Jonathas magnam ab eo init gratiam, eumque periclitantem liberat; varia Jonathæ prælia & pericula.

1. ET rex Ægypti congregavit exercitum, sicut arena quæ est circa oram maris, & naves multas: & quærebat obtinere regnum Alexandri dolo, & addere illud regno suo.

2. Et exiit in Syriam verbis pacificis, & aperiebant ei civitates, & occurrebant ei: quia mandaverat Alexander rex exire ei obviam, eo quod socer suus esset.

3. Cum autem introiret civitatem Ptolemæus, ponebat custodias militum in singulis civitatibus.

4. Et ut appropiavit Azoto, ostenderunt ei templum Dagon succensum igni, & Azotum, & cetera ejus demolita, & corpora projecta, & eorum, qui cæsi erant in bello tumulos, quos fecerant secus viam.

5. Et narraverunt regi quia hæc fecit Jonathas, ut invidiam facerent ei: & tacuit rex.

6. Et occurrit Jonathas regi in Joppen cum gloria, & invicem se salutaverunt, & dormierunt illic.

7. Et abiit Jonathas cum rege usque ad fluvium, qui vocatur Eleutherus (a): & reversus est in Jerusalem.

8. Rex autem Ptolemæus obtinuit dominium civitatum usque Seleuciam maritimam, & cogitabat in Alexandrum consilia mala.

9. Et misit legatos ad Demetrium, dicens: VENI, componamus inter nos pactum, & dabo tibi filiam meam, quam habet Alexander, & regnabis in regno patris tui.

10. Pœnitet enim me quod dederim illi filiam meam: quæsivit enim me occidere.

11. Et vituperavit eum, propterea quod concupierat regnum ejus.

12. Et abstulit filiam suam, & dedit eam Demetrio, & alienavit se ab Alexandro, & manifestatæ sunt inimicitiæ ejus.

13. Et intravit Ptolemæus Antiochiam, & imposuit duo diademata capiti suo, Ægypti, & Asiæ.

14. Alexander autem rex erat in Cilicia illis temporibus: quia rebellabant qui erant in locis illis.

15. Et audivit Alexander, & venit ad eum in bellum: & produxit Ptolemæus rex exercitum, & occurrit ei in manu valida, & fugavit eum.

16. Et fugit Alexander in Arabiam, ut ibi protegeretur: Rex autem Ptolemæus exaltatus est.

17. Et abstulit Zabdiel Arabs caput Alexandri, & misit Ptolemæo.

18. Et rex Ptolemæus (b) mortuus est in die tertia: & qui erant in munitionibus, perierunt ab his qui erant intra castra.

19. Et regnavit Demetrius anno centesimo sexagesimo septimo.

20. In diebus illis congregavit Jonathas eos qui erant in Judæa, ut expugnarent arcem (c), quæ est in Jerusalem: & fecerunt contra eam machinas multas.

21. Et abierunt quidam qui oderant gentem suam viri iniqui ad regem Demetrium, & renuntiaverunt ei quod Jonathas obsideret arcem.

22. Et ut audivit, iratus est: & statim venit ad Ptolemaidam, & scripsit Jonathæ ne obsideret arcem, sed occurreret sibi ad colloquium festinato.

23. Ut audivit autem Jonathas, iussit obsidere (d): & elegit de senioribus Israel, & de sacerdotibus, & dedit se periculo.

24. Et accepit aurum, & argentum, & vestem, & alia xenia multa, & abiit ad regem Ptolemaidam, & invenit gratiam in conspectu ejus.

25. Et interpellabant adversus eum quidam iniqui ex gente sua.

26. Et fecit ei rex, sicuti fecerant ei qui ante eum fuerant: & exaltavit eum in conspectu omnium amicorum suorum,

27. Et statuit ei principatum sacerdotii, & quæcumque alia habuit prius pretiosa, & fecit eum principem amicorum.

28. Et

85. (n) Gr. *Et equitatus dispersus est in campo.*

CAP. XI. 7. (a) Fluvius est in Syria, cujus origo est in monte Libano.

18. (b) Ex vulneribus acceptis in pugna cum Alexandro commissa: *Et qui erant in munitionibus*, quas ceperat Ptolemæus. *Perierunt ab his qui erant intra castra*, a copiis Ptolemæi, quas Demetrius pecunia corruperat.

20. (c) Demetrius jusserat ut Jonathæ redderetur; sed res executioni non mandata fuit, Jonatha contrarias partes secuto.

23. (d) Quidam legunt in Græco Codice, *Jussit non obsidere*; vix enim credibile iis videtur Jonathan adire voluisse Regem, cum obsideret arcem: obsidionem continuari jussit.

28. Et postulavit Jonathas a rege, ut immunem faceret Judæam, & tres toparchias (*e*), & Samariam, & confines ejus: & promisit ei talenta trecenta.

29. Et consensit rex: & scripsit Jonathæ epistolas de his omnibus, hunc modum continentes:

30. REX Demetrius fratri Jonathæ salutem, & genti Judæorum.

31. Exemplum epistolæ, quam scripsimus Lastheni parenti nostro de vobis, misimus ad vos ut sciretis:

32. Rex Demetrius Lastheni parenti salutem.

33. Genti Judæorum, amicis nostris, & conservantibus quæ justa sunt apud nos, decrevimus benefacere, propter benignitatem ipsorum, quam erga nos habent.

34. Statuimus ergo illis omnes fines Judææ, & tres civitates (*f*), Lydan, & Ramathan, quæ additæ sunt Judææ ex Samaria, & omnes confines earum sequestrari omnibus sacrificantibus in Jerosolymis, pro his quæ ab eis prius accipiebat rex per singulos annos, & pro fructibus terræ, & pomorum.

35. Et alia, quæ ad nos pertinebant decimarum & tributorum, ex hoc tempore remittimus eis: & areas (*g*) salinarum, & coronas, quæ nobis deferebantur.

36. Omnia ipsis concedimus: & nihil horum irritum erit ex hoc, & in omne tempus.

37. Nunc ergo curate facere horum exemplum, & detur Jonathæ, & ponatur in monte sancto, in loco celebri.

38. Et videns Demetrius rex quod siluit terra in conspectu suo, & nihil ei resistit, dimisit totum exercitum suum, unumquemque in locum suum, excepto peregrino exercitu, quem contraxit ab insulis Gentium: & inimici erant ei omnes exercitus patrum ejus.

39. Tryphon (*h*) autem erat quidam partium Alexandri prius: & vidit quoniam omnis exercitus murmurabat contra Demetrium, & ivit ad Emalchuel Arabem, qui nutriebat Antiochum filium Alexandri.

40. Et assidebat ei, ut traderet eum ipsi, ut regnaret loco patris sui: & enuntiavit ei quanta fecit Demetrius, & inimicitias exercituum ejus adversus illum. Et mansit ibi diebus multis.

41. Et misit Jonathas ad Demetrium regem, ut ejiceret eos, qui in arce erant in Jerusalem, & qui in præsidiis erant: quia impugnabant Israel.

42. Et misit Demetrius ad Jonathan, dicens: Non hæc tantum faciam tibi, & genti tuæ, sed gloria illustrabo te, & gentem tuam, cum fuerit opportunum.

43. Nunc ergo recte feceris, si miseris in auxilium mihi viros: quia discessit omnis exercitus meus.

44. Et misit ei Jonathas tria millia virorum fortium Antiochiam: & venerunt ad regem, & delectatus est rex in adventu eorum.

45. Et convenerunt qui erant de civitate, centum viginti millia virorum, & volebant interficere regem.

46. Et fugit rex in aulam: & occupaverunt qui erant de civitate, itinera civitatis, & cœperunt pugnare.

47. Et vocavit rex Judæos in auxilium, & convenerunt omnes simul ad eum, & dispersi sunt omnes per civitatem:

48. Et occiderunt in illa die centum millia hominum, & succenderunt civitatem, & ceperunt spolia multa in die illa, & liberaverunt regem.

49. Et viderunt qui erant de civitate, quod obtinuissent Judæi civitatem sicut volebant: & infirmati sunt mente sua, & clamaverunt ad regem cum precibus, dicentes:

50. Da nobis dexteras, & cessent Judæi oppugnare nos, & civitatem.

51. Et projecerunt arma sua, & fecerunt pacem, & glorificati sunt Judæi in conspectu regis, & in conspectu omnium qui erant in regno ejus, & nominati sunt in regno: & regressi sunt in Jerusalem, habentes spolia multa.

52. Et sedit Demetrius rex in sede regni sui: & siluit terra in conspectu ejus.

53. Et mentitus est omnia quæcumque dixit, & abalienavit se a Jonatha, & non retribuit ei secundum beneficia, quæ sibi tribuerat, & vexabat eum valde.

54. Post hæc autem reversus est Tryphon, & Antiochus cum eo puer adolescens, & regnavit, & imposuit sibi diadema.

55. Et congregati sunt ad eum omnes exercitus, quos disperserat Demetrius, & pugnaverunt contra eum: & fugit, & terga vertit.

56. Et accepit Tryphon bestias, & obtinuit Antiochiam:

57. Et scripsit Antiochus adolescens Jonathæ, dicens: Constituo tibi sacerdotium, & constituo te super quatuor civitates, ut sis de amicis regis.

58. Et misit illi vasa aurea in ministerium, & dedit ei potestatem bibendi in auro, & esse in purpura, & habere fibulam auream:

59. Et Simonem fratrem ejus constituit ducem a terminis Tyri usque ad fines Ægypti.

60. Et exiit Jonathas, & perambulabat trans flumen civitates: & congregatus est ad eum omnis exercitus Syriæ in auxilium, & venit Ascalonem, & occurrerunt ei honorifice de civitate.

61. Et abiit inde Gazam: & concluserunt se qui erant Gazæ: & obsedit eam, & succendit quæ erant in circuitu civitatis, & prædatus est ea.

62. Et rogaverunt Gazenses Jonathan, & dedit illis dexteram; & accepit filios eorum obsides, & misit illos in Jerusalem: & perambulavit regionem usque Damascum.

63. Et

28. (*e*) Samariæ, Peææ & Galilææ.

34. (*f*) In Græco, tertia additur ἀφαίρεμα, quæ videtur esse *Ephrem*, Joann. 11. vers. 54. In Græco tres sunt præfecturæ, duæ tantum in Vulgata. Nullum hodie in Græco verbum reperitur, quod *Sequestrari* respondeat. Forte pro ἀφαίρεμα, legit olim Interpres ἀφαιρεῖν, aut ἀφαιρεῖσθαι, quod *auferre, adimere*, & *sequestrari* significat. Remittit pecunias quæ dari solebant ab offerentibus primitias, quæque dabantur pro tertia parte frugum.

35. (*g*) Græc. τὰς τοῦ ἁλὸς λίμνας, *Salis stagna*.

39. (*h*) Qui prius *Diodote* vocabatur, ex Appiano. *Qui nutriebat Antiochum*: Appianus eum vocat *Alexandrum*, ex Cleopatra filia Ptolemæi Philometoris natus erat.

63. Et audivit Jonathas quod prævaricati (*i*) sunt principes Demetrii in Cades, quæ est in Galilæa, cum exercitu multo, volentes eum removere a negotio regni:

64. Et occurrit illis: fratrem autem suum Simonem reliquit intra provinciam.

65. Et applicuit Simon ad Bethsuram, & expugnabat eam diebus multis, & conclusit eos.

66. Et postulaverunt ab eo dextras accipere, & dedit illis: & ejecit eos inde, & cepit civitatem, & posuit in ea præsidium.

67. Et Jonathas, & castra ejus applicuerunt ad aquam Genesar, & ante lucem vigilaverunt in campo Asor.

68. Et ecce castra alienigenarum occurrebant in campo, & tendebant ei insidias in montibus: ipse autem occurrit ex adverso.

69. Insidiæ vero exsurrexerunt de locis suis, & commiserunt prælium.

70. Et fugerunt qui erant ex parte Jonathæ omnes, & nemo relictus est ex eis, nisi Mathathias filius Absolomi, & Judas filius Calphi, princeps militiæ exercitus.

71. Et scidit Jonathas vestimenta sua, & posuit terram in capite suo, & oravit.

72. Et reversus est Jonathas ad eos in prælium, & convertit eos in fugam, & pugnaverunt (*k*).

73. Et viderunt qui fugiebant partis illius, & reversi sunt ad eum, & insequebantur cum eo omnes usque Cades ad castra sua, & pervenerunt usque illuc.

74. Et ceciderunt de alienigenis in die illa tria millia virorum: & reversus est Jonathas in Jerusalem.

CAPUT XII.

Anno 170. Jonathas mittit Legatos Romam, qui fœdus initum renovarent; ad Spartiatas quoque scribit. Tryphon Jonathan dolo capit.

1. ET vidit Jonathas quia tempus eum juvat, & elegit viros, & misit eos Romam statuere, & renovare cum eis amicitiam.

2. Et ad Spartiatas, & ad alia loca misit epistolas secundum eamdem formam.

3. Et abierunt Romam, & intraverunt curiam, & dixerunt: Jonathas summus sacerdos, & gens Judæorum miserunt nos, ut renovaremus amicitiam & societatem secundum pristinum.

4. Et dederunt illis epistolas ad ipsos per loca, ut deducerent eos in terram Juda cum pace.

5. Et hoc est exemplum epistolarum, quas scripsit Jonathas Spartiatis:

6. JONATHAS summus sacerdos, & seniores gentis, & sacerdotes, & reliquus populus Judæorum, Spartiatis fratribus salutem.

7. Jampridem missæ erant epistolæ ad Oniam (*a*) summum sacerdotem ab Ario, qui regnabat apud vos, quoniam estis fratres nostri, sicut rescriptum continet, quod subjectum est.

8. Et suscepit Onias virum, qui missus fuerat, cum honore: & accepit epistolas, in quibus significabatur de societate & amicitia.

9. Nos, cum nullo horum indigeremus (*b*), habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris,

10. Maluimus mittere ad vos renovare fraternitatem & amicitiam, ne forte alieni efficiamur a vobis: multa enim tempora transierunt, ex quo misistis ad nos.

11. Nos ergo in omni tempore sine intermissione in diebus solemnibus, & ceteris, quibus oportet, memores sumus vestri in sacrificiis quæ offerimus, & in observationibus, sicut fas est, & decet meminisse fratrum.

12. Lætamur itaque de gloria vestra.

13. Nos autem circumdederunt multæ tribulationes, & multa prælia, & impugnaverunt nos reges, qui sunt in circuitu nostro.

14. Noluimus ergo vobis molesti esse, neque ceteris sociis & amicis nostris, in his præliis.

15. Habuimus enim de cælo auxilium, & liberati sumus nos, & humiliati sunt inimici nostri.

16. Elegimus itaque Numenium Antiochi filium, & Antipatrem Jasonis filium, & misimus ad Romanos renovare cum eis amicitiam & societatem pristinam.

17. Mandavimus itaque eis ut veniant etiam ad vos, & salutent vos: & reddant vobis epistolas nostras de innovatione fraternitatis nostræ.

18. Et nunc benefacietis respondentes nobis ad hæc.

19. Et hoc est rescriptum epistolarum, quod miserat Oniæ:

20. ARIUS, rex Spartiatarum, Oniæ sacerdoti magno salutem.

21. Inventum est in scriptura de Spartiatis, & Judæis, quoniam sunt fratres, & quod sunt de genere Abraham.

22. Et nunc ex quo hæc cognovimus, benefacitis scribentes nobis de pace vestra:

23. Sed & nos rescripsimus vobis: Pecora nostra, & possessiones nostræ, vestræ sunt: & vestræ nostræ: mandavimus itaque hæc nuntiari vobis.

24. Et audivit Jonathas, quoniam regressi sunt principes Demetrii cum exercitu multo supra quam prius, pugnare adversus eum.

25. Et exiit ab Jerusalem, & occurrit eis in Amathite (*c*) regione: non enim dederat eis spatium ut ingrederentur regionem ejus.

26. Et misit speculatores in castra eorum: & reversi renuntiaverunt quod constituunt supervenire illis nocte.

27. Cum occidisset autem sol, præcepit Jonathas suis vigilare, & esse in armis paratos ad pugnam tota nocte, & posuit custodes per circuitum castrorum.

28. Et

63. (*i*) In Græco hodie legitur παρῆσαν, id est, *aderant, advenerant*, quod quantum absit a Vulgata, quisque videt. Crediderim Interpretem legisse παρέβησαν, id est, *transgressi sunt, prævaricati sunt*: ex quo facillime exscriptorum incuria ortum est illud παρῆσαν.

72. (*k*) Gr. fugerunt.

CAP. XII.

7. (*a*) Hic erat Onias secundus circa annum Græcorum 79.

9. (*b*) Nullo testimonio ad recognoscendam eam cognationem, documentum habentes sanctos libros, in quibus de Ceturæ posteris scriptum est.

25. (*c*) Quæ est in Arabia.

28. Et audierunt adversarii quod paratus est Jonathas cum suis in bello: & timuerunt, & formidaverunt in corde suo: & accenderunt focos in castris suis.

29. Jonathas autem, & qui cum eo erant, non cognoverunt usque mane: videbant autem luminaria ardentia:

30. Et secutus est eos Jonathas, & non comprehendit eos: transierant enim flumen Eleutherum.

31. Et divertit Jonathas ad Arabas, qui vocantur Zabadæi, & percussit eos, & accepit spolia eorum.

32. Et junxit, & venit Damascum, & perambulabat omnem regionem illam.

33. Simon autem exiit, & venit usque ad Ascalonem, & ad proxima præsidia: & declinavit in Joppen, & occupavit eam,

34. (Audivit enim quod vellent præsidium tradere partibus Demetrii) & posuit ibi custodes ut custodirent eam.

35. Et reversus est Jonathas, & convocavit seniores populi, & cogitavit cum eis ædificare præsidia in Judæa,

36. Et ædificare muros in Jerusalem, & exaltare altitudinem magnam inter medium arcis & civitatis, ut separaret eam a civitate, ut esset ipsa singulariter (*d*), & neque emant, neque vendant.

37. Et convenerunt, ut ædificarent civitatem: & cecidit murus, qui erat super torrentem ab ortu solis, & reparavit eum, qui vocatur Caphetetha.

38. Et Simon ædificavit Adiada in Sephela, & munivit eam, & imposuit portas, & seras.

39. Et cum cogitasset Tryphon regnare Asiæ, & assumere diadema, & extendere manum in Antiochum regem:

40. Timens ne forte non permitteret eum Jonathas, sed pugnaret adversus eum, quærebat comprehendere eum, & occidere. Et exurgens abiit in Bethsan.

41. Et exivit Jonathas obviam illi cum quadraginta millibus virorum electorum in prælium, & venit Bethsan.

42. Et vidit Tryphon quia venit Jonathas cum exercitu multo ut extenderet in eum manus, timuit.

43. Et excepit eum cum honore, & commendavit eum omnibus amicis suis, & dedit ei munera: & præcepit exercitibus suis ut obedirent ei, sicut sibi.

44. Et dixit Jonathæ: Ut quid vexasti universum populum, cum bellum nobis non sit?

45. Et nunc remitte eos in domos suas: elige autem tibi viros paucos, qui tecum sint, & veni mecum Ptolemaidam, & tradam eam tibi, & reliqua præsidia, & exercitum, & universos præpositos negotii, & conversus abibo: propterea enim veni.

46. Et credidit ei, & fecit sicut dixit: & dimisit exercitum, & abierunt in terram Juda.

47. Retinuit autem secum tria millia virorum: ex quibus remisit in Galilæam duo millia, mille autem venerunt cum eo.

48. Ut autem intravit Ptolemaidam Jonathas, clauserunt portas civitatis Ptolemenses: & comprehenderunt eum: & omnes qui cum eo intraverant, gladio interfecerunt.

49. Et misit Tryphon exercitum, & equites in Galilæam, & in campum magnum (*e*), ut perderent omnes socios Jonathæ.

50. At illi cum cognovissent quia comprehensus est Jonathas, & periit, & omnes qui cum eo erant, hortati sunt semetipsos, & exierunt parati in prælium.

51. Et videntes hi, qui insecuti fuerant, quia pro anima res est illis, reversi sunt:

52. Illi autem venerunt omnes cum pace in terram Juda. Et planxerunt Jonathan, & eos qui cum ipso fuerant, valde: & luxit Israel luctu magno.

53. Et quæsierunt omnes gentes, quæ erant in circuitu eorum, conterere eos; dixerunt enim:

54. Non habent principem, & adjuvantem: nunc ergo expugnemus illos, & tollamus de hominibus memoriam eorum.

CAPUT XIII.

Occiso Jonatha, suffectus est Simon. Hic adversus perfidum Tryphonem excivit Demetrium, cum quo pacem iniit; arcem Jerusalem cepit anno 171. quam gentes ab anno 145. tenuerant.

1. ET audivit Simon quod congregavit Tryphon exercitum copiosum, ut veniret in terram Juda, & attereret eam.

2. Videns quia in tremore populus est, & in timore, ascendit Jerusalem, & congregavit populum.

3. Et adhortans dixit: Vos scitis quanta ego, & fratres mei, & domus patris mei fecimus pro legibus, & pro sanctis prælia, & angustias quales vidimus:

4. Horum gratia perierunt fratres mei omnes propter Israel, & relictus sum ego solus.

5. Et nunc non mihi contingat parcere animæ meæ in omni tempore tribulationis: non enim melior sum fratribus meis.

6. Vindicabo itaque gentem meam, & sancta, natos quoque nostros, & uxores: quia congregatæ sunt universæ gentes conterere nos inimicitiæ gratia.

7. Et accensus est spiritus populi simul ut audivit sermones istos:

8. Et responderunt voce magna, dicentes: Tu es dux noster loco Judæ, & Jonathæ fratris tui:

9. Pugna prælium nostrum: & omnia, quæcumque dixeris nobis, faciemus.

10. Et congregans omnes viros bellatores, acceleravit consummare universos muros Jerusalem, & munivit eam in gyro.

11. Et misit Jonathan filium Absalomi (*a*), & cum eo exercitum novum in Joppen, & ejectis his qui erant in ea, remansit illic ipse.

12. Et

36. & 38. (*d*) Separata ab urbe, citra communicationem. In *Sephela*, in loco plano.

49. (*e*) Dictum Esdrelon. & Mageddo.
11. (*a*) Qui frater erat Mathathiæ.

12. Et movit Tryphon a Ptolemaida cum exercitu multo, ut veniret in terram Juda, & Jonathas cum eo in custodia.

13. Simon autem applicuit in Addus (*b*) contra faciem campi.

14. Et ut cognovit Tryphon quia surrexit Simon loco fratris sui Jonathæ: & quia commissurus esset cum eo prælium, misit ad eum legatos,

15. Dicens: Pro argento, quod debebat frater tuus Jonathas in ratione regis, propter negotia quæ habuit, detinuimus eum.

16. Et nunc mitte argenti talenta centum, & duos filios ejus obsides, ut non dimissus fugiat a nobis, & remittemus eum.

17. Et cognovit Simon quia cum dolo loqueretur secum, jussit tamen dari argentum, & pueros: ne inimicitiam magnam sumeret ad populum Israel, dicentem:

18. Quia non misit ei argentum, & pueros, propterea periit.

19. Et misit pueros, & centum talenta: & mentitus est, & non dimisit Jonathan.

20. Et post hæc venit Tryphon intra regionem, ut contereret eam: & gyraverunt per viam, quæ ducit Ador (*c*): & Simon, & castra ejus ambulabant in omnem locum quocumque ibant.

21. Qui autem in arce erant, miserunt ad Tryphonem legatos, ut festinaret venire per desertum (*d*), & mitteret illis alimonias.

22. Et paravit Tryphon omnem equitatum, ut veniret illa nocte: erat autem nix multa valde, & non venit in Galaaditim.

23. Et cum appropinquasset Bascaman (*e*), occidit Jonathan, & filios ejus illic.

24. Et convertit Tryphon, & abiit in terram suam.

25. Et misit Simon, & accepit ossa Jonathæ fratris sui, & sepelivit ea in Modin civitate patrum ejus.

26. Et planxerunt eum omnis Israel planctu magno, & luxerunt eum dies multos.

27. Et ædificavit Simon super sepulcrum patris sui & fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito retro & ante:

28. Et statuit septem pyramidas, unam contra unam patri, & matri, & quatuor fratribus:

29. Et his circumposuit columnas magnas: & super columnas arma, ad memoriam æternam: & juxta arma naves sculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare.

30. Hoc est sepulcrum, quod fecit in Modin, usque in hunc diem.

31. Tryphon autem cum iter faceret cum Antiocho (*f*) rege adolescente, dolo occidit eum.

32. Et regnavit loco ejus, & imposuit sibi diadema Asiæ, & fecit plagam magnam in terra.

33. Et ædificavit Simon præsidia Judææ, muniens ea turribus excelsis, & muris magnis, & portis, & seris: & posuit alimenta in munitionibus.

34. Et elegit Simon viros, & misit ad Demetrium regem, ut faceret remissionem (*g*) regioni: quia actus omnes Tryphonis per direptionem fuerant gesti.

35. Et Demetrius rex ad verba ista respondit ei, & scripsit epistolam talem:

36. Rex Demetrius Simoni summo sacerdoti, & amico regum, & senioribus, & genti Judæorum, salutem.

37. Coronam auream, & bahem (*h*), quam misistis, suscepimus: & parati sumus facere vobiscum pacem magnam, & scribere præpositis regis remittere vobis quæ indulsimus.

38. Quæcumque enim constituimus, vobis constant. Munitiones, quas ædificastis, vobis sint.

39. Remittimus quoque ignorantias, & peccata usque in hodiernum diem, & coronam, quam debebatis: & si quid aliud erat tributarium in Jerusalem, jam non sit tributarium.

40. Et si qui ex vobis apti sunt conscribi inter nostros, conscribantur, & sit inter nos pax.

41. Anno centesimo septuagesimo ablatum est jugum (*i*) Gentium ab Israel.

42. Et cœpit populus Israel scribere in tabulis, & gestis publicis, anno primo sub Simone summo sacerdote, magno duce, & principe Judæorum.

43. In diebus illis applicuit Simon ad Gazam, & circumdedit eam castris, & fecit machinas, & applicuit ad civitatem, & percussit turrem unam, & comprehendit eam.

44. Et eruperant qui erant intra machinam in civitatem: & factus est motus magnus in civitate.

45. Et ascenderunt qui erant in civitate, cum uxoribus & filiis supra murum, scissis tunicis suis, & clamaverunt voce magna, postulantes a Simone dextras sibi dari,

46. Et dixerunt: Non nobis reddas secundum malitias nostras, sed secundum misericordias tuas.

47. Et flexus Simon non debellavit eos: ejecit tamen eos de civitate, & mundavit ædes, in quibus fuerant simulacra, & tunc intravit in eam cum hymnis benedicens Dominum:

48. Et ejecta ab ea omni immunditia, collocavit in ea viros, qui legem facerent: & munivit eam, & fecit sibi habitationem.

49. Qui autem erant in arce Jerusalem, prohibebantur egredi & ingredi regionem, & emere, ac vendere: & esurierunt valde, & multi ex eis fame perierunt.

50. Et clamaverunt ad Simonem ut dextras acciperent: & dedit illis: & ejecit eos inde, & mundavit arcem a contaminationibus:

51. Et

13. (*b*) Forsan est *Adiada* a Jonatha extructa. *Contra faciem campi*, Esdrelon. Ex quo loco prospectus erat in campestria.

20. (*c*) Quæ & *Dora* dicitur, quæque est duplex, una in Idumæa, altera in Phœnicia; eaque est urbs maritima.

21. & 22. (*d*) Idumææ. *Galaaditim*; Ex Græco textu, & Josepho: *Præ nive non potuit venire Jerosolymam*; sed mutato itinere venit in Galaaditim.

23. (*e*) Hanc Josephus vocat *Bascha*, seu *Baschat*, Josue 15.

31. (*f*) Qui dictus est *Theos*, quique filius erat Alexandri Balæ.

34. (*g*) Tributi ad id tempus debiti: prior enim immunitas a Demetrio concessa effectum non habuerat.

37 (*h*) Balteum quidam interpretantur: Gr. *βαΐνην*, aut *βαΐν*, ramum palmæ aureum.

41. & 43. (*i*) Ita ut nec regibus subessent, nec tributum solverent. Hinc annos numerare cœperunt ab anno primo Simonis. *Ad Gazam*, Ad Gazæ portum.

51. Et intraverunt in eam tertia & vigesima die secundi mensis, anno centesimo septuagesimo primo, cum laude & ramis palmarum, & cinyris, & cymbalis, & nablis, & hymnis, & canticis, quia contritus est inimicus magnus ex Israel.

52. Et constituit ut omnibus annis agerentur dies hi cum lætitia.

53. Et munivit montem (*k*) templi, qui erat secus arcem, & habitavit ibi ipse, & qui cum eo erant.

54. Et vidit Simon Joannem filium suum, quod fortis prælii vir esset: & posuit eum ducem virtutum (*l*) universarum: & habitavit in Gazaris.

CAPUT XIV.

Simon Joppe, Gaza, & arce Jerusalem expugnatis vers. 7. dilatavit fines gentis suæ, & obtinuit regionem. Hæc erant loca munitissima, quæ liberum Judæ dominatum præbebant Jerusalem.

1. ANno centesimo septuagesimo secundo congregavit rex Demetrius exercitum suum, & abiit in Mediam (*a*) ad contrahenda sibi auxilia, ut expugnaret Tryphonem.

2. Et audivit Arsaces rex Persidis & Mediæ, quia intravit Demetrius confines suos, & misit unum de principibus suis ut comprehenderet eum vivum, & adduceret eum ad se.

3. Et abiit, & percussit castra Demetrii: & comprehendit eum, & duxit eum ad Arsacem, & posuit eum in custodiam.

4. Et siluit omnis terra Juda omnibus diebus Simonis, & quæsivit bona genti suæ: & placuit illis potestas ejus, & gloria ejus omnibus diebus.

5. Et cum omni gloria sua accepit Joppen in portum, & fecit introitum in insulis maris.

6. Et dilatavit fines gentis suæ, & obtinuit regionem.

7. Et congregavit captivitatem multam, & dominatus est Gazaræ, & Bethsuræ, & arci: & abstulit immunditias ex ea, & non erat qui resisteret ei.

8. Et unusquisque colebat terram suam cum pace: & terra Juda dabat fructus suos, & ligna camporum fructum suum.

9. Seniores in plateis sedebant omnes, & de bonis terræ tractabant, & juvenes induebant se gloriam, & stolas belli.

10. Et civitatibus tribuebat alimonias, & constituebat eas ut essent vasa (*b*) munitionis, quoadusque nominatum est nomen gloriæ ejus usque ad extremum terræ.

11. Fecit pacem super terram, & lætatus est Israel lætitia magna.

12. Et sedit unusquisque sub vite sua, & sub ficulnea sua: & non erat qui eos terreret.

13. Defecit impugnans eos super terram: reges contriti sunt in diebus illis.

14. Et confirmavit omnes humiles populi sui, & legem exquisivit, & abstulit omnem iniquum & malum:

15. Sancta glorificavit, & multiplicavit vasa sanctorum.

16. Et auditum est Romæ quia defunctus esset Jonathas, & usque in Spartiatas: & contristati sunt valde.

17. Ut audierunt autem quod Simon frater ejus factus esset summus sacerdos loco ejus, & ipse obtineret omnem regionem, & civitates in ea:

18. Scripserunt ad eum in tabulis æreis, ut renovarent amicitias, & societatem quam fecerant cum Juda, & cum Jonatha fratribus ejus.

19. Et lectæ sunt in conspectu ecclesiæ in Jerusalem. Et hoc exemplum epistolarum, quas Spartiatæ miserunt:

20. SPARTIANORUM principes, & civitates, Simoni Sacerdoti magno, & senioribus, & sacerdotibus, & reliquo populo Judæorum, fratribus, salutem.

21. Legati, qui missi sunt ad populum nostrum, nuntiaverunt nobis de vestra gloria, & honore, ac lætitia: & gavisi sumus in introitu eorum.

22. Et scripsimus quæ ab eis erant dicta in conciliis populi (*c*), sic: Numenius Antiochi, & Antipater Jasonis filius, legati Judæorum, venerunt ad nos, renovantes nobiscum amicitiam pristinam.

23. Et placuit populo excipere viros gloriose, & ponere exemplum sermonum eorum in segregatis populi libris, ut sit ad memoriam populo Spartiatarum. Exemplum autem horum scripsimus Simoni magno Sacerdoti.

24. Post hæc autem misit Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum, pondo mnarum mille, ad statuendam cum eis societatem. Cum autem audisset populus Romanus

25. Sermones istos, dixerunt: Quam gratiarum actionem reddemus Simoni, & filiis ejus?

26. Restituit (*d*) enim ipse fratres suos, & expugnavit inimicos Israel ab eis, & statuerunt ei libertatem, & descripserunt in tabulis æreis, & posuerunt in titulis in monte Sion.

27. Et hoc est exemplum scripturæ: OCTAVA decima die mensis Elul, anno centesimo septuagesimo secundo, anno tertio sub Simone sacerdote magno in Asaramel (*e*),

28. In conventu (*f*) magno sacerdotum, & populi, & principum gentis, & seniorum regionis, nota facta sunt hæc: Quoniam frequenter facta sunt prælia in regione nostra.

29. Simon

53. (*k*) Ubi erat templum: vel ipsum munivit templum.
54. (*l*) Exercituum: dictus est Joannes Hircanus. *In Gazaris*, quæ est *Gadara* Straboni, non procul a Gaza.

CAP. XIV. 1. (*a*) Quæ subdita erat Parthis.
10. (*b*) Hebraismus dicitur quod aliquem usum aliquem præstat.
22. & 24. (*c*) Gr. In actis publicis *Romanus* ; vox *Romanus* deest in Græco: vix tamen alii quam Romani libertatem plenam constituere potuerunt. Serarius existimat hanc vocem e margine in textum irrepsisse, & populum illum Judaicum intelligi oportere, cum Romanorum responsum proximo capite habeatur.

26. (*d*) Ille & fratres restituerunt Israel. *Et statuerunt ei libertatem*. Simoni & domui ejus omnem libertatem & potestatem statuerunt. *Et descripserunt*, prout descripserunt ipsi Judæi.
27. (*e*) Forsan locus erat publici consilii. Vatablus censet corruptam esse vocem, & legendum esse *Jerusalem*. Serarius opinatur retentam esse vocem Hebræam, quæ significat *In principe Deo*: quod Simon dicatur summus sacerdos in Domino.
28. & 29. (*f*) Hic verborum apparatus pene persuadet hanc non esse promulgationem Romani decreti, sed Judaici. *Jarib*, Joarib.

29. Simon autem Mathathiæ filius ex filiis Jarib, & fratres ejus dederunt se periculo, & restiterunt adversariis gentis suæ, ut starent sancta ipsorum, & lex: & gloria magna glorificaverunt gentem suam.

30. Et congregavit Jonathas gentem suam, & factus est illis sacerdos magnus, & appositus est ad populum suum.

31. Et voluerunt inimici eorum calcare, & atterere regionem ipsorum, & extendere manus in sancta eorum.

32. Tunc restitit Simon, & pugnavit pro gente sua, & erogavit pecunias multas, & armavit viros virtutis gentis suæ, & dedit illis stipendia:

33. Et munivit civitates Judææ, & Bethsuram, quæ erat in finibus Judææ, ubi erant arma hostium antea: & posuit illic præsidium viros Judæos.

34. Et Joppen munivit, quæ erat ad mare: & Gazaram, quæ est in finibus Azoti, in qua hostes antea habitabant, & collocavit illic Judæos: & quæcumque apta erant ad correptionem (g) eorum, posuit in eis.

35. Et vidit populus actum Simonis, & gloriam quam cogitabat facere genti suæ, & posuerunt eum ducem suum, & principem sacerdotum, eo quod ipse fecerat hæc omnia, & justitiam, & fidem, quam conservavit genti suæ, & exquisivit omni modo exaltare populum suum.

36. Et in diebus ejus prosperatum est in manibus ejus, ut tollerentur gentes de regione ipsorum, & qui in Civitate David erant in Jerusalem, in arce, de qua procedebant, & contaminabant omnia, quæ in circuitu sanctorum sunt, & inferebant plagam magnam castitati (h):

37. Et collocavit in ea viros Judæos ad tutamentum regionis, & civitatis, & exaltavit muros Jerusalem.

38. Et rex Demetrius statuit illi summum sacerdotium.

39. Secundum hæc fecit eum amicum suum, & glorificavit eum gloria magna.

40. Audivit enim, quod appellati sunt Judæi a Romanis amici, & socii, & fratres, & quia susceperunt legatos Simonis gloriose:

41. Et quia Judæi, & sacerdotes eorum consenserunt eum esse ducem suum, & summum sacerdotem in æternum, donec surgat propheta fidelis (i):

42. Et ut sit super eos dux, & ut cura esset illi pro sanctis, & ut constitueret præpositos super opera eorum, & super regionem, & super arma, & super præsidia:

43. Et cura sit illi de sanctis: & ut audiatur ab omnibus, & scribantur in nomine ejus omnes conscriptiones in regione: & ut operiatur purpura, & auro:

44. Et ne liceat ulli ex populo, & ex sacerdotibus irritum facere aliquid horum, & contradicere his, quæ ab eo dicuntur, aut convocare conventum in regione sine ipso: & vestiri purpura, & uti fibula aurea.

45. Qui autem fecerit extra hæc, aut irritum fecerit aliquid horum, reus erit.

46. Et complacuit omni populo statuere Simonem, & facere secundum verba ista.

47. Et suscepit Simon, & placuit ei ut summo sacerdotio fungeretur, & esset dux, & princeps gentis Judæorum, & sacerdotum, & præesset omnibus.

48. Et scripturam istam dixerunt ponere in tabulis æreis, & ponere eas in peribolo (k) sanctorum, in loco celebri:

49. Exemplum autem eorum ponere in ærario, ut habeat Simon, & filii ejus.

CAPUT XV.

Acta anno 173. sub Simone summo sacerdote.

1. ET misit rex Antiochus (a) filius Demetrii epistolas ab insulis maris Simoni sacerdoti, & principi gentis Judæorum, & universæ genti.

2. Et erant continentes hunc modum: Rex Antiochus Simoni sacerdoti magno, & genti Judæorum, salutem.

3. Quoniam quidem pestilentes obtinuerunt regnum patrum nostrorum, volo autem vendicare regnum, & restituere illud sicut erat antea: & electam feci multitudinem exercitus, & feci naves bellicas.

4. Volo autem procedere per regionem, ut ulciscar in eos, qui corruperunt regionem nostram, & qui desolaverunt civitates multas in regno meo.

5. Nunc ergo statuo tibi omnes oblationes, quas remiserunt tibi ante me omnes reges, & quæcumque alia dona remiserunt tibi:

6. Et permitto tibi facere percussuram proprii numismatis in regione tua:

7. Jerusalem autem sanctam esse, & liberam: & omnia arma, quæ fabricata sunt, & præsidia, quæ construxisti, quæ tenes, maneant tibi.

8. Et omne debitum regis, & quæ futura sunt regi, ex hoc, & in totum tempus remittuntur tibi.

9. Cum autem obtinuerimus regnum nostrum, glorificabimus te, & gentem tuam, & templum gloria magna, ita ut manifestetur gloria vestra in universa terra.

10. Anno centesimo septuagesimo quarto exiit Antiochus in terram patrum suorum, & convenerunt ad eum omnes exercitus, ita ut pauci relicti essent cum Tryphone.

11. Et insecutus est eum Antiochus rex, & venit Doram (b) fugiens per maritimam.

12. Sciebat enim quod congregata sunt mala in eum, & reliquit eum exercitus.

13. Et

34. (g) Ad correptionem. Ad morum disciplinam.

36. & 38. (h) Loci & cultus divini sanctitati. *Statuit*, Confirmavit.

41. & 42. (i) Fide dignus, qui doceret ad quem sacerdotii dignitas pertineret: quod tunc evidens non erat ob bella & tumultus. Quod si enim id manifestum fuisset, nihil opus erat consensu Judæorum & sacerdotum. *Cura*, illi esset & inspectio.

48. (k) In porticibus templi.

CAP. XV.

1. (a) Dictus *Sidetes*, a *Side* Pamphyliæ oppido; filius Demetrii Soteris, frater Demetrii Nicatoris. *Ab insulis maris*, A Seleucia, & Media, quæ non procul est a mari. Hinc enim cœpit bellum. Alii a Rhodo.

11. (b) Quæ & *Adora* dicitur: urbs est maritima in Phœnicia.

13. Et applicuit Antiochus super Doram cum centum viginti millibus virorum belligeratorum, & octo millibus equitum:

14. Et circuivit civitatem, & naves a mari accesserunt: & vexabant civitatem a terra, & mari, & neminem sinebant ingredi, vel egredi.

15. Venit autem Numenius, & qui cum eo fuerant, ab urbe Roma, habentes epistolas regibus & regionibus scriptas, in quibus continebantur hæc:

16. LUCIUS (c) consul Romanorum, Ptolemæo regi salutem.

17. Legati Judæorum venerunt ad nos amici nostri, renovantes pristinam amicitiam & societatem, missi a Simone principe Sacerdotum, & populo Judæorum.

18. Attulerunt autem & clypeum aureum mnarum mille.

19. Placuit itaque nobis scribere regibus & regionibus, ut non inferant illis mala, neque impugnent eos, & civitates eorum, & regiones eorum: & ut non ferant auxilium pugnantibus adversus eos.

20. Visum autem est nobis accipere ab eis clypeum.

21. Si qui ergo pestilentes refugerunt de regione ipsorum ad vos, tradite eos Simoni principi Sacerdotum, ut vindicet in eos secundum legem suam.

22. Hæc eadem scripta sunt Demetrio regi, & Attalo, & Ariarathi, & Arsaci (d),

23. Et in omnes regiones: & Lampsaco (e), & Spartiatis, & in Delum, & in Myndum, & in Sicyonem, & in Cariam, & in Samum, & in Pamphyliam, & in Lyciam, & in Alycarnassum, & in Coo, & in Siden, & in Aradon, & in Rhodum, & in Phaselidem, & in Gortynam, & Gnidum, & Cyprum, & Cyrenen.

24. Exemplum autem eorum scripserunt Simoni principi Sacerdotum, & populo Judæorum.

25. Antiochus autem rex applicuit castra in Doram secundo, admovens ei semper manus, & machinas faciens: & conclusit Thryphonem, ne procederet:

26. Et misit ad eum Simon duo millia virorum electorum in auxilium, & argentum, & aurum, & vasa copiosa:

27. Et noluit ea accipere, sed rupit omnia, quæ pactus est cum eo antea, & alienavit se ab eo.

28. Et misit ad eum Athenobium unum de amicis suis, ut tractaret cum ipso, dicens: Vos tenetis Joppen, & Gazaram, & arcem, quæ est in Jerusalem, civitates regni mei;

29. Fines earum desolastis, & fecistis plagam magnam in terra, & dominati estis per loca multa in regno meo.

30. Nunc ergo tradite civitates, quas occupastis: & tributa locorum, in quibus dominati estis extra fines Judææ.

31. Sin autem, date pro illis quingenta talenta argenti, & exterminii, quod exterminastis, & tributorum civitatum alia talenta quingenta: sin autem, veniemus, & expugnabimus vos.

32. Et venit Athenobius amicus regis in Jerusalem, & vidit gloriam Simonis, & claritatem in auro, & argento, & apparatum copiosum: & obstupuit: & retulit ei verba regis.

33. Et respondit ei Simon, & dixit ei: Neque alienam terram sumpsimus, neque aliena detinemus: sed hæreditatem patrum nostrorum, quæ injuste ab inimicis nostris aliquo tempore possessa est.

34. Nos vero tempus habentes, vindicamus hæreditatem patrum nostrorum.

35. Nam de Joppe, & Gazara quæ expostulas, ipsi faciebant in populo plagam magnam, & in regione nostra: horum damus talenta centum. Et non respondit ei Athenobius verbum.

36. Reversus autem cum ira ad regem, renuntiavit ei verba ista, & gloriam Simonis, & universa quæ vidit: & iratus est rex ira magna.

37. Tryphon autem fugit navi in Orthosiada (f).

38. Et constituit rex Cendebæum ducem maritimum, & exercitum peditum, & equitum dedit illi:

39. Et mandavit illi movere castra contra faciem Judææ: & mandavit ei ædificare Gedorem (g), & obstruere portas civitatis, & debellare populum. Rex autem persequebatur Tryphonem.

40. Et pervenit Cendebæus Jamniam, & cœpit irritare plebem, & conculcare Judæam, & captivare populum, & interficere, & ædificare Gedorem.

41. Et collocavit illic equites, & exercitum: ut egressi perambularent viam Judææ, sicut constituit ei rex.

CAPUT XVI.

Hoc capite mors Simonis, & duorum filiorum narratur. Joannes ejus filius, qui & Hircanus dictus est, Simoni patri successit. In Simone Machabæorum desinit historia anno Simonis 8. Joannes multa & præclara gessit, quæ ab utroque Josepho Flavio, & Gorionide referuntur. Antiochus Sidetes sic dictus voce Syriaca, quod venandi studio teneretur, Jerosolymam anno Sabbatico obsessurus venit. Cum Joanne inducias primum, cum pacem fecit. Hunc Joannes ad bellum Parthicum comitatus Hircani cognomen adeptus est: Aristobulo filio principatum reliquit, qui primus nomen Regis assumpsit, & cum summo sacerdotio conjunxit.

1. ET ascendit Joannes de Gazaris, & nuntiavit Simoni patri suo quæ fecit Cendebæus in populo ipsorum.

2. Et

16. (c) Quidam legunt *Lepidum*, qui anno 173. Consul fuit. Calphurnius Piso anno 174. erat Consul, quem Valer. Maximus, Lib. 1. cap. 4. vocat *Lucium*. Ita legunt in fastis Onuphrius & alii. Senatus consulti Hebræus scriptor Hebræis Hellenistis scribens sensum magis, quam verba ipsa expressit. Sic enim Senatus consulta incipiebant: *Quod Lucius Furius verba fecit*.

22. (d) Regi Persarum, qui & *Phraates*.

23 (e) Urbs erat in Mysia: *Mindum*, urbem Cariæ portu celebrem; *Sicyonem*, urbem Peloponnesi: *Et in Phaselidem*: urbs erat maritima in confinio Lyciæ & Pamphyliæ: *Et in Gortynam*, urbs erat Cretæ.

37. (f) Quæ est urbs Phœniciæ.

39. (g) In tribu Dan. *Et obstruere portas civitatis*. Vox *civitatis* non est in Græco: unde quidam vertunt πύλας, *fauces montium*.

2. Et vocavit Simon duos filios ſeniores, Judam & Joannem, & ait illis: Ego, & fratres mei, & domus patris mei expugnavimus hoſtes Iſrael ab adoleſcentia uſque in hunc diem: & proſperatum eſt in manibus noſtris liberare Iſrael aliquoties.

3. Nunc autem ſenui, ſed eſtote loco meo, & fratres (*a*) mei, & egreſſi pugnate pro gente noſtra: auxilium vero de cælo vobiſcum ſit.

4. Et elegit de regione viginti millia virorum belligeratorum, & equites; & profecti ſunt ad Cendebæum: & dormierunt in Modin.

5. Et ſurrexerunt mane, & abierunt in campum: & ecce exercitus copioſus in obviam illis peditum, & equitum, & fluvius torrens erat inter medium ipſorum.

6. Et admovit caſtra contra faciem eorum ipſe, & populus ejus, & vidit populum trepidantem ad transfretandum torrentem, & transfretavit primus: & viderunt eum viri, & tranſierunt poſt eum.

7. Et diviſit populum, & equites in medio peditum: erat autem equitatus adverſariorum copioſus nimis.

8. Et exclamaverunt ſacris tubis, & in fugam converſus eſt Cendebæus, & caſtra ejus: & ceciderunt ex eis multi vulnerati: reſidui autem in munitionem fugerunt.

9. Tunc vulneratus eſt Judas frater Joannis: Joannes autem inſecutus eſt eos, donec venit Cedronem, quam ædificavit:

10. Et fugerunt uſque ad turres, quæ erant in agris Azoti, & ſuccendit eas igni. Et ceciderunt ex illis duo millia virorum, & reverſus eſt in Judæam in pace.

11. Et Ptolemæus filius Abobi conſtitutus erat dux in campo Jericho, & habebat argentum & aurum multum.

12. Erat enim gener ſummi ſacerdotis.

13. Et exaltatum eſt cor ejus, & volebat obtinere regionem, & cogitabat dolum adverſus Simonem, & filios ejus, ut tolleret eos.

14. Simon autem, perambulans civitates, quæ erant in regione Judææ, & ſollicitudinem gerens earum, deſcendit in Jericho ipſe, & Mathathias filius ejus, & Judas, anno centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, menſe undecimo: hic eſt menſis Sabath.

15. Et ſuſcepit eos filius Abobi (*b*) in munitiunculam, quæ vocatur Doch, cum dolo, quam ædificavit: & fecit eis convivium magnum, & abſcondit illic viros.

16. Et cum inebriatus (*c*) eſſet Simon, & filii ejus, ſurrexit Ptolemæus cum ſuis, & ſumpſerunt arma ſua, & intraverunt in convivium, & occiderunt eum, & duos filios ejus, & quoſdam pueros ejus.

17. Et fecit deceptionem magnam in Iſrael, & reddidit mala pro bonis.

18. Et ſcripſit hæc Ptolemæus, & miſit regi, ut mitteret ei exercitum in auxilium: & traderet ei regionem, & civitates eorum, & tributa.

19. Et miſit alios in Gazaram tollere Joannem: & tribunis miſit epiſtolas, ut venirent ad ſe, & daret eis argentum, & aurum, & dona.

20. Et alios miſit occupare Jeruſalem, & montem templi.

21. Et præcurrens quidam, nuntiavit Joanni in Gazara, quia periit pater ejus, & fratres ejus, & quia miſit te quoque interfici.

22. Ut audivit autem, vehementer expavit: & comprehendit viros, qui venerant perdere eum, & occidit eos: cognovit enim quia quærebant eum perdere.

23. Et cetera ſermonum Joannis, & bellorum ejus, & bonarum virtutum, quibus fortiter geſſit, & ædificii murorum (*d*), quos extruxit, & rerum geſtarum ejus:

24. Ecce hæc ſcripta ſunt in libro dierum ſacerdotii ejus, ex quo factus eſt princeps ſacerdotum poſt patrem ſuum.

CAP. XVI. 3. 4. & 8. (*a*) Gr. *Fratris mei*, nempe, Jonathæ. *In Modin*, prope Gedor. *Fugerunt*, in Gedor.

15. (*b*) Ptolemæus, in munitiunculam, quæ vocatur *Doch*.

16. (*c*) Inebriatio pro *ſatietate* ſumitur, non quod mente motus fuerit.

23. (*d*) Murorum Jeruſalem, quorum ſumma partes dejecerat, ut pacem ab Antiocho redimeret ex Joſepho.



LIBER SECUNDUS MACHABÆORUM.

CAPUT PRIMUM.

Utroque Capite primo & secundo epistola scripta Jerosolymis ad Judæos Hellenistas per Ægyptum dispersos continetur. In hac epistola fit mentio alterius v. 7. Scripsimus vobis, *quæ scripta est anno 169. hæc protrahitur usque ad finem cap. 2. missa fuit anno 188. De illius auctore dubitatur, an Judas fuerit Essenus, qui tum temporis, teste Josepho, ob prophetiæ donum magnæ erat apud Judæos auctoritatis; an alius nobis incognitus: sic incertum est quis ille fuerit* Aristobulus, *qui dicitur magister Ptolemæi, an Aristobulus Peripateticus, an quis alius ejusdem ætatis. Ptolemæi, qui* Phycon *dictus est, annus vicesimus incidit in annum 188.*

1. Ratribus, qui sunt per Ægyptum, Judæis, salutem dicunt fratres, qui sunt in Jerosolymis, Judæi, & qui in regione Judææ, & pacem bonam.

2. Benefaciat vobis Deus, & meminerit testamenti sui, quod locutus est ad Abraham, & Isaac, & Jacob servorum suorum fidelium:

3. Et det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem, corde magno, & animo volenti.

4. Adaperiat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem.

5. Exaudiat orationes vestras, & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo.

6. Et nunc hic sumus orantes pro vobis.

7. Regnante Demetrio (*a*), anno centesimo sexagesimo nono, nos Judæi scripsimus vobis in tribulatione & impetu, qui supervenit nobis in istis annis, ex quo recessit Jason a sancta terra, & a regno.

8. Portam succenderunt, & effuderunt sanguinem innocentem: & oravimus ad Dominum, & exauditi sumus, & obtulimus sacrificium, & similaginem, & accendimus lucernas, & proposuimus panes.

9. Et nunc frequentate dies scenopegiæ mensis Casleu.

10. Anno centesimo octogesimo octavo, populus, qui est Jerosolymis, & in Judæa, Senatusque & Judas (*b*), Aristobolo magistro Ptolemæi regis, qui est de genere christorum sacerdotum, & his qui in Ægypto sunt, Judæis salutem & sanitatem.

11. De magnis periculis a Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi, utpote qui adversus talem regem (*c*) dimicavimus.

12. Ipse enim ebullire (*d*) fecit de Perside eos, qui pugnaverunt contra nos, & sanctam civitatem.

13. Nam cum in Perside esset dux (*e*) ipse, & cum ipso immensus exercitus, cecidit in templo Naneæ, consilio deceptus sacerdotum Naneæ.

14. Etenim cum ea habitaturus (*f*) venit ad locum Antiochus, & amici ejus, & ut acciperet pecunias multas dotis nomine.

15. Cumque proposuissent eas sacerdotes Naneæ, & ipse cum paucis ingressus esset intra ambitum fani, clauserunt templum,

16. Cum

CAPUT I. 7. (*a*) Nicanore, cujus partes Judæi tum sequebantur contra Tryphonem. *Scripsimus vobis*, Antiochi & Epiphanis temporibus, postquam Jason recesserat a fide, quam patriæ suæ debebat, & ab amicitia Regum Ægypti.

10. (*b*) Joannis Hircani vices gerens, Joanne in hostes bellum agente; *Christorum*, sacerdotum ex stirpe Aaron.

11. (*c*) Antiochus ille an fuit *Epiphanes*, ut multi opinantur, ac potius *Sidetes*, qui anno 188. regnabat. Hic teste Justino Lib. 36 bis in Persidem irrupit, primum quidem comitante Joanne Hircano, ut diximus, ac forte iterum eo perrexit, cum ab eodem Joanne jam esset alienatus. Mors utriusque Antiochi Illustris & Sidetis omnino diversa est, & distincta tempora

12. (*d*) Milites adversus Judæos: alii legunt in Persidem & Chaldæam; sed Persidis nomen latius interdum sumitur, & complectitur Parthos & Medos.

13. (*e*) Hic est Antiochus *Soter*; qui & *Sidetes* frater Demetrii capti a Persis, & filius prioris *Demetrii*: huic enim omnia conveniunt, quæ hoc in loco referuntur. Hic cum templum Naneæ Veneris, ac *Dianæ* (nam utraque ibi colebatur) direpturus iret cum exercitu, lapidibus obrutus est.

14. (*f*) Id utique usitatum fuit nonnullis Regibus, ut cum diabus matrimonium contraherent: sic honesto prætextu thesauros rapturus venerat Antiochus. Huic persuaserunt sacerdotes ut templum cum paucis sociis ingrederetur; *Clauserunt templum*, quasi sacros ritus facturi, eumque una cum amicis lapidibus obruerunt. Mortem hujus Regis alii aliter narrant. Justinus ait eum a suis desertum & occisum, cum pugnaret adversus Parthos: Appianus scribit eum sibi ipsi mortem consciviffe. Cædes secreto peracta est: hinc varii rumores de ejus nece sparsi; ac credibile est sacerdotes templi vulgasse Regem a numine ipso occisum.

16. Cum intrasset Antiochus, apertoque occulto aditu templi, mittentes lapides percusserunt ducem, & eos qui cum eo erant, & diviserunt membratim, & capitibus amputatis foras projecerunt.

17. Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios.

18. Facturi igitur quinta & vigesima die mensis Casleu purificationem (g) templi, necessarium duximus significare vobis: ut & vos quoque agatis diem scenopegiæ, & diem ignis, qui datus est quando Nehemias ædificato templo & altari obtulit sacrificia.

19. Nam cum in Persidem ducerentur patres nostri, sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occulte absconderunt in valle, ubi erat puteus altus & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset locus.

20. Cum autem præteriissent anni multi, & placuit Deo ut mitteretur Nehemias a rege Persidis: nepotes sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem: & sicut narraverunt nobis, non invenerunt ignem, sed aquam crassam.

21. Et jussit eos haurire, & afferre sibi: & sacrificia quæ imposita erant, jussit sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, & ligna, & quæ erant superposita.

22. Utque hoc factum esset, & tempus affuit, quæ sol refulsit (h), qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.

23. Orationem autem faciebant omnes sacerdotes, dum consummaretur sacrificium, Jonatha (i) inchoante, ceteris autem respondentibus.

24. Et Nehemiæ erat oratio hunc habens modum: DOMINE Deus omnium creator, terribilis & fortis, justus & misericors, qui solus es bonus rex,

25. Solus præstans, solus justus, & omnipotens, & æternus, qui liberas Israel de omni malo, qui fecisti patres electos, & sanctificasti eos:

26. Accipe sacrificium pro universo populo tuo Israel, & custodi partem tuam, & sanctifica.

27. Congrega dispersionem nostram, libera eos, qui serviunt Gentibus, & contemptos & abominatos respice: ut sciant Gentes quia tu es Deus noster.

28. Affige opprimentes nos, & contumeliam facientes in superbia.

29. Constitue populum tuum in loco sancto
* Deut. 30. 3. & 5. tuo, * sicut dixit Moyses.
Inf. 2. 18. 30. Sacerdotes autem psallebant hymnos, usquequo consumptum esset sacrificium.

31. Cum autem consumptum esset sacrificium, ex residua aqua Nehemias jussit lapides majores perfundi.

32. Quod ut factum est, ex eis flamma accensa est: sed ex lumine, quod refulsit ab altari, consumpta est.

33. Ut vero manifestata est res, renuntiatum est regi Persarum quod in loco, in quo ignem absconderant hi, qui translati fuerant sacerdotes, aqua apparuit, de qua Nehemias, & qui cum eo erant, purificaverunt sacrificia.

34. Considerans autem rex, & rem diligenter examinans, fecit ei templum (k), ut probaret quod factum erat.

35. Et cum probasset, sacerdotibus donavit multa bona, & alia atque alia munera, & accipiens manu sua, tribuebat eis.

36. Appellavit autem Nehemias hunc locum Nephthar, quod interpretatur Purificatio. Vocatur autem apud plures Nephi.

CAPUT II.

Pars altera epistolæ, cujus sit mentio capite superiori.

1. INvenitur autem in descriptionibus (a) Jeremiæ prophetæ, quod jussit eos ignem accipere qui transmigrabant: ut significatum est, & ut mandavit transmigratis.

2. Et dedit illis legem ne obliviscerentur præcepta Domini, & ut non exerrarent mentibus videntes simulacra aurea, & argentea, & ornamenta eorum.

3. Et alia hujusmodi dicens, hortabatur ne legem amoverent a corde suo.

4. Erat autem in ipsa scriptura, quomodo tabernaculum & arcam jussit propheta divino responso ad se facto comitari secum, usquequo
exiit in montem, * in quo Moyses ascendit, * Deut. 34.
& vidit Dei hæreditatem. 1.

5. Et veniens ibi Jeremias invenit locum speluncæ: & tabernaculum, & arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit.

6. Et accesserunt quidam simul, qui sequebantur, ut notarent sibi locum: & non potuerunt invenire.

7. Ut autem cognovit Jeremias, culpans illos, dixit: Quod ignotus erit locus, donec congreget (b) Deus congregationem populi, & propitius fiat:

8. Et tunc Dominus ostendet hæc, & apparebit majestas Domini, & nubes erit, sicut &
Moysi manifestabatur, & * sicut cum Salomon * 3. Reg. 8.
petiit, ut locus sanctificaretur magno Deo, 11.
manifestabat hæc. 2. Par. 6. 14.

9. Magni-

18. (g) Festum dedicationis vocat *Scenopegiam*: nam ad modum Scenopegiæ celebrabatur. Itaque dies encæniorum is est, de quo 1. Machab. 4. dies vero ignis est dies encæniorum templi secundi: de quo Esdræ, cap. 6. Gr. ... *Et diem ignis*: Is dies sacrificiorum congruebat cum tempore festi tabernaculorum, ut videre est Nehemiæ, cap. 8. Ita videtur Grotio, qui dubitat, an ea quæ sequuntur usque ad cap. 2. vers. 19. sint interjecta. Verum id est extra omnem dubitationem positum, quæcumque hoc loco referuntur, ab Auctore Hagiographo esse conscripta. Tabernaculorum, aut Scenopegiæ dies ad mensem *Tisri* spectabat, Exodi, cap. 23.

22. (h) Ut aqua illa densa sole abscondito aqua tantum fuit, sed sole illucescente statim in ignem conversa est: sic Judæi peccatis suis Deum a se abalienarunt, & omnis eorum religio instar aquæ fuit, sacrificiis inutilis. Sed ubi divina misericordia iis affulsit, aqua illa in ignem conversa est, ac Deo accepta esse sacrificia declaratur, Ambr. Lib. 3. de officiis. Hic ignis absconditur captivitatis tempore, quo culpa regnat, tempore autem libertatis revelatur; & licet in aquæ speciem mutatus, tamen servat ignis naturam, ut consumat sacrificium.

23. (i) Hic erat præcentor, non Pontifex.

34. (k) Forte *sacellum*; aut potius, ut suspicatur Serarius, *sacrum adytum* fuit.

CAP. II. 1. (a) Liber iste non extat. Quo tempore captivitatis Jeremias ignem, arcam & tabernaculum subduxerit, incertum est.

7. (b) Forte sub mundi finem, cum Judæi ad fidem convertentur: alii hæc inventa esse volunt, cum Christus, qui est vera arca, quique verum erexit tabernaculum, gentes congregavit. Hoc facto Deus ostendit fore, ut fides & evangelium ad gentes transferrentur.

9. Magnifice etenim sapientiam tractabat: & ut sapientiam habens, obtulit sacrificium dedicationis, & consummationis templi.

*Lev.9.14. 2.Par.7.1. 10. * Sicut & Moyses orabat ad Dominum, & descendit ignis de cælo, & consumpsit holocaustum, sic & Salomon oravit, & descendit ignis de cælo, & consumpsit holocaustum.

* Lev. 10. 16. & 17. 11. Et dixit Moyses, * eo quod non sit comestum quod erat pro peccato, consumptum est.

12. Similiter & Salomon octo diebus celebravit dedicationem.

13. Inferebantur (c) autem in descriptionibus & commentariis Nehemiæ hæc eadem: & ut construens bibliothecam congregavit de regionibus libros, & Prophetarum, & David, & epistolas Regum, & de donariis.

14. Similiter autem & Judas, ea quæ deciderant (d) per bellum, quod nobis acciderat, congregavit omnia, & sunt apud nos.

15. Si ergo desideratis hæc, mittite qui perferant vobis.

16. Acturi itaque purificationem scripsimus vobis: bene ergo facietis, si egeritis hos dies.

17. Deus autem, qui liberavit populum suum, & reddidit hæreditatem omnibus, & regnum, & sacerdotium, & sanctificationem,

* Deut.30. 3. & 5. Sup.1.29. 18. * Sicut promisit in lege, speramus quod cito nostri miserebitur, & congregabit de sub cælo in locum sanctum.

19. Eripuit enim nos de magnis periculis, & locum purgavit.

20. De Juda vero Machabæo, & fratribus ejus, & de templi magni purificatione, & de aræ dedicatione;

21. Sed & de præliis, quæ pertinent ad Antiochum Nobilem, & filium ejus Eupatorem;

22. Et de illuminationibus, quæ de cælo factæ sunt ad eos, qui pro Judæis fortiter fecerunt, ita ut universam regionem, cum pauci essent, vindicarent, & barbaram multitudinem fugarent,

23. Et famosissimum in toto orbe templum recuperarent, & civitatem liberarent, & leges, quæ abolitæ erant, restituerentur, Domino cum omni tranquillitate propitio facto illis;

24. Itemque ab Jasone Cyrenæo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine breviare.

25. Considerantes enim multitudinem librorum, & difficultatem volentibus aggredi narrationes historiarum, propter multitudinem rerum,

26. Curavimus volentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio: studiosis vero, ut facilius possint memoriæ commendare: omnibus autem legentibus utilitas conferatur.

27. Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, immo vero negotium (e) plenum vigiliarum & sudoris assumpsimus.

28. Sicut hi qui præparant convivium, & quærunt aliorum voluntati parere, propter multorum gratiam, libenter laborem sustinemus.

29. Veritatem (f) quidem de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes.

30. Sicut enim novæ domus architecto (g) de universa structura curandum est: ei vero, qui pingere curat, quæ apta sunt ad ornatum, exquirenda sunt: ita æstimandum est & in nobis.

31. Etenim intellectum colligere, & ordinare sermonem, & curiosius partes singulas quasque disquirere, historiæ congruit auctori:

32. Brevitatem vero dictionis sectari, & executiones rerum vitare, brevianti concedendum est.

33. Hinc ergo narrationem incipiemus: de præfatione tantum dixisse sufficiat: stultum etenim est ante historiam effluere, in ipsa autem historia succingi.

CAPUT III.

Hæc duo capita 3. & 4. superioris libri capite 1. maxima ex parte continentur; initium turbarum a Simone præposito militiæ templi ortum est Seleuci temporibus, qui ad Apollonium retulit ingentem vim pecuniarum in templo asservari, easque e tributis esse collectas, profanas adeo esse, non rebus sacris destinatas.

1. IGitur cum sancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optime custodirentur, propter Oniæ pontificis pietatem, & animos odio habentes mala,

2. Fiebat ut & ipsi reges & principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent:

3. Ita ut Seleucus Asiæ rex de reddítibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.

4. Simon autem de tribu Benjamin præpositus templi constitutus, contendebat, obsistente sibi principe sacerdotum, iniquum aliquid in civitate moliri.

5. Sed cum vincere Oniam non posset, venit ad Apollonium Tharseæ filium, qui eo tempore erat dux Cœlesyriæ, & Phœnicis:

6. Et

13. (c) Narrabantur. *In descriptionibus & commentariis*, in Annalibus, & in diariis; *& ut construens bibliothecam*. in ipso templo: *& de donariis*; posterior copula, *&*, abundat.

14. (d) Quæ per bellum disjecta erant, collegit.

27. (e) Ex hoc loco Heterodoxi perperam concludunt hunc Librum divino afflante Spiritu non esse scriptum. Nam, ut optime respondet Bellarminus, Lib. 1. de verbo Dei, c. 15. Deus est auctor omnium scripturarum, sed diversa ratione. Nam prophetæ non alium habuerunt laborem, quam scribendi quæ sibi erant revelata. Aliis non semper Deus revelabat verba, sed excitabat eos ut scriberent, & aderat ne fallerentur in scribendo. Et quidem hujus Libri scriptor nullam deprecatur culpam contra historiæ veritatem; sed de scribendi ratione tantum loquitur. Aliud est vere, aliud diserte dicere. Deus quidem sic auctores sacros regebat, ut iis styli libertatem & scribendi modum relinqueret. *Negotium*: ut convivium paranti, ita & ei qui omnium utilitatem spectat, non leve negotium est.

29. (f) In Græco *τὸ μὲν διακριβοῦν*. *exactam pertractationem*: *veritatis* nomen deest: circumstantias quidem rerum gestarum Jasoni, qui erat auctor sacer, relinquens, res summatim tractare voluit.

30. (g) Jasonem cum architecto comparat, qui ædificii materiam parat, & formam operis animo designat: se vero instar pictoris esse innuit, qui historiam ab alio factam breviando jucundiorem & utiliorem vult efficere.

6. Et nuntiavit ei, pecuniis innumerabilibus plenum esse ærarium Jerosolymis, & communes copias immensas esse, quæ non pertinent ad rationem sacrificiorum: esse autem possibile sub potestate regis cadere universa.

7. Cumque retulisset ad regem Apollonius de pecuniis, quæ delatæ erant, ille accitum Heliodorum, qui erat super negotia ejus, misit cum mandatis, ut prædictam pecuniam transportaret.

8. Statimque Heliodorus iter est aggressus, specie quidem quasi per Cœlesyriam & Phœnicem civitates esset peragraturus, revera autem regis propositum perfecturus.

9. Sed, cum venisset Jerosolymam, & benigne a summo sacerdote in civitate esset exceptus, narravit de dato indicio pecuniarum: &, cujus rei gratia adesset, aperuit: interrogabat autem, si vere hæc ita essent.

10. Tunc summus sacerdos ostendit deposita esse hæc, & victualia (a) viduarum, & pupillorum:

11. Quædam vero esse Hircani Tobiæ viri valde eminentis, in his quæ detulerat impius Simon: universa autem argenti talenta esse quadringenta, & auri ducenta.

12. Decipi (b) vero eos, qui credidissent loco, & templo, quod per universum mundum honoratur, pro sui veneratione, & sanctitate omnino impossibile esse.

13. At ille pro his, quæ habebat in mandatis a rege, dicebat omni genere (c) regi ea esse deferenda.

14. Constituta autem die intrabat de his Heliodorus ordinaturus. Non modica vero per universam civitatem erat trepidatio.

15. Sacerdotes autem ante altare cum stolis sacerdotalibus jactaverunt se, & invocabant de cælo eum, qui de depositis legem posuit, ut his qui deposuerant ea, salva custodiret.

16. Jam vero qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur: facies enim & color immutatus declarabat internum animi dolorem.

17. Circumfusa enim erat mœstitia quædam viro, & horror corporis, per quem manifestus aspicientibus dolor cordis ejus efficiebatur.

18. Alii etiam gregatim de domibus confluebant, publica supplicatione obsecrantes, pro eo quod in contemptum locus esset venturus.

19. Accinctæque mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant: sed & virgines, quæ conclusæ (d) erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam vero per fenestras aspiciebant:

20. Universæ autem protendentes manus in cælum, deprecabantur.

21. Erat enim misera commistæ multitudinis, & magni sacerdotis in agone constituti expectatio.

22. Et hi quidem invocabant omnipotentem Deum, ut credita sibi, his qui crediderant, cum omni integritate conservarentur.

23. Heliodorus autem, quod decreverat, perficiebat eodem loco ipse cum satellitibus circa ærarium præsens.

24. Sed spiritus (e) omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam, ita ut omnes, qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in dissolutionem & formidinem converterentur.

25. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit: qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea.

26. Alii etiam apparuerunt duo juvenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu: qui circumsteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes.

27. Subito autem Heliodorus concidit in terram, eumque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum ejecerunt.

28. Et is, qui cum multis cursoribus & satellitibus prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo sibi auxilium ferente, manifesta Dei cognita virtute:

29. Et ille quidem per divinam virtutem jacebat mutus, atque omni spe & salute privatus.

30. Hi autem Dominum benedicebant, quia magnificabat locum suum: & templum, quod paullo ante timore ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente Domino, gaudio & lætitia impletum est.

31. Tunc vero ex amicis Heliodori quidam rogabant confestim Oniam, ut invocaret Altissimum, ut vitam donaret ei, qui in supremo spiritu erat constitutus.

32. Considerans autem summus sacerdos, ne forte rex suspicaretur malitiam aliquam ex Judæis circa Heliodorum consummatam, obtulit pro salute viri hostiam salutarem.

33. Cumque summus sacerdos exoraret, iidem juvenes eisdem vestibus amicti, astantes Heliodoro, dixerunt: Oniæ sacerdoti gratias age: nam propter eum Dominus tibi vitam donavit.

34. Tu autem a Deo flagellatus, nuntia omnibus magnalia Dei & potestatem. Et his dictis, non comparuerunt.

35. Heliodorus autem, hostia Deo oblata, & votis magnis promissis ei, qui vivere illi concessit, & Oniæ gratias agens, recepto exercitu, repedabat ad regem.

36. Testabatur autem omnibus ea quæ sub oculis suis viderat opera magni Dei.

37. Cum autem rex interrogasset Heliodorum, quis esset aptus adhuc semel Jerosolymam mitti, ait:

38. Si quem habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, si tamen evaserit: eo quod in loco sit vere Dei quædam virtus.

39. Nam

CAP. III. 10. (a) Destinatas esse has opes viduis & pupillis sublevandis.

12. (b) In Græco apertior est sensus; per injuriam autem fraudare eos, qui sanctitati loci, & majestati templi confisi essent, indignum esse nec prorsus fieri debere: quod Latinus interpres minus incommode vertit per *impossibile*. Jurisconsulti *impossibilia* vocant quæ honeste fieri non possunt.

13. (c) Omni modo.

19. (d) [illegible] Machab. additur *in thalamis*. Intra conclave [illegible].

24. (e) G. Sed spiritus & omnis potestatis dominator magnum fecit ostentum.

39. Nam ipſe, qui habet in cælis habitationem, viſitator & adjutor eſt loci illius, & venientes ad malefaciendum percutit, ac perdit.

40. Igitur de Heliodoro, & ærarii cuſtodia, ita res ſe habet.

CAPUT IV.

Onias ſummus ſacerdos ſub Seleuco impie dejectus ab Andronico perimitur jubente Menelao.

1. SImon autem prædictus pecuniarum & patriæ delator, male loquebatur de Onia, tamquam ipſe Heliodorum inſtigaſſet ad hæc, & ipſe fuiſſet incentor malorum:

2. Proviſoremque civitatis (*a*), ac defenſorem gentis ſuæ, & æmulatorem legis Dei, audebat inſidiatorem regni dicere.

3. Sed, cum inimicitiæ in tantum procederent, ut etiam per quoſdam Simonis neceſſarios homicidia fierent:

4. Conſiderans Onias periculum contentionis, & Apollonium inſanire, utpote ducem Cœleſyriæ, & Phœnicis, ad augendam malitiam Simonis, ad regem ſe contulit,

5. Non ut civium accuſator, ſed communem utilitatem apud ſemetipſum univerſæ multitudinis conſiderans.

6. Videbat enim ſine regali providentia impoſſibile eſſe pacem rebus dari, nec Simonem poſſe ceſſare a ſtultitia ſua.

7. Sed poſt Seleuci vitæ exceſſum, cum ſuſcepiſſet regnum Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Jaſon frater Oniæ ſummum ſacerdotium:

8. Adito rege, promittens ei argenti talenta trecenta ſexaginta, & ex redditibus aliis talenta octoginta,

9. Super hæc promittebat & alia centum quinquaginta, ſi poteſtati ejus concederetur gymnaſium, & ephebiam ſibi conſtituere, & eos, qui in Jeroſolymis erant, Antiochenos ſcribere (*b*).

10. Quod cum rex annuiſſet, & obtinuiſſet principatum, ſtatim ad gentilem ritum contribules ſuos transferre cœpit.

11. Et amotis his, quæ humanitatis cauſa Judæis a regibus fuerant conſtituta, per Joannem patrem Eupolemi, qui apud Romanos de amicitia & ſocietate functus eſt legatione, legitima, civium jura deſtituens, prava inſtituta ſanciebat.

12. Etenim auſus eſt * ſub ipſa arce gymnaſium conſtituere, & optimos quoſque epheborum in lupanaribus ponere.

*1. Mach. 1. 15.

13. Erat autem hoc non initium, ſed incrementum quoddam, & profectus gentilis, & alienigenæ converſationis, propter impii & non ſacerdotis Jaſonis nefarium & inauditum ſcelus:

14. Ita ut ſacerdotes jam non circa altaris officia dediti eſſent, ſed contempto templo, & ſacrificiis neglectis, feſtinarent participes fieri palæſtræ, & præbitionis ejus injuſtæ, & in exercitiis diſci.

15. Et patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur.

16. Quarum gratia periculoſa eos contentio habebat, & eorum inſtituta æmulabantur, ac per omnia his conſimiles eſſe cupiebant, quos hoſtes & peremptores habuerant.

17. In leges enim divinas impie agere impune non cedit: ſed hoc tempus ſequens declarabit.

18. Cum autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, & rex præſens eſſet,

19. Miſit Jaſon (*c*) facinoroſus ab Jeroſolymis viros peccatores, portantes argenti didrachmas trecentas in ſacrificium Herculis: quas poſtulaverunt hi, qui aſportaverant ne in ſacrificiis erogarentur, quia non oporteret, ſed in alios ſumptus eas deputari.

20. Sed hæ oblatæ ſunt quidem ab eo, qui miſerat, in ſacrificium Herculis: propter præſentes autem datæ ſunt in fabricam navium triremium.

21. Miſſo autem in Ægyptum Apollonio Mneſthei filio, propter primates Ptolemæi Philometoris regis, cum cognoviſſet (*d*) Antiochus alienum ſe a negotiis regni effectum, propriis utilitatibus conſulens, profectus inde venit Joppen, & inde Jeroſolymam.

22. Et magnifice ab Jaſone, & civitate ſuſceptus, cum facularum luminibus, & laudibus ingreſſus eſt: & inde in Phœnicen exercitum convertit.

23. Et poſt triennii tempus miſit Jaſon Menelaum, ſupradicti Simonis fratrem, portantem pecunias regi, & de negotiis neceſſariis reſponſa perlaturum.

24. At ille commendatus regi, cum magnificaſſet (*e*) faciem poteſtatis ejus, in ſemetipſum retorſit ſummum ſacerdotium, ſuperponens Jaſoni talenta argenti trecenta.

25. Acceptiſque a rege mandatis, venit, nihil quidem habens dignum ſacerdotio; animos vero crudelis tyranni, & feræ belluæ iram gerens.

26. Et Jaſon quidem, qui proprium fratrem captivaverat (*f*), ipſe deceptus profugus in Ammanitem expulſus eſt regionem.

27. Menelaus autem principatum quidem obtinuit: de pecuniis vero regi promiſſis, nihil agebat, cum exactionem faceret Soſtratus, qui arci erat præpoſitus:

28. (Nam ad hunc exactio vectigalium pertinebat) quam ob cauſam utrique ad regem ſunt evocati.

29. Et

CAP. IV. 2. (*a*) Græce, *εὐεργέτην*, *benefactorem*, Bene meritum de civitate.

9. (*b*) Amicos ſuos civitate Antiochena donare.

19 (*c*) Græce, *θεωρούς*, *ſpectatores*, qui ad divinarum rerum curam mittebantur. *Didrachmas trecentas*, ſuſpicatur Grotius *trecentas* pro *ter mille* poſitas, uti in verſiculo proxime ſequenti, *navium triremium*, pro *trierum*, ubi erant tres ordines remorum, non tantum tres remi, ut in hoc verſiculo. Sic verſ. 21. propter *primates*. Interpres forſitan ſcripſit *primatus*.

21. (*d*) Gr. Cum cognoviſſet Antiochus a rebus ſuis alienum factum Ptolemæum.

24. (*e*) Cum ei eſſet adulatus, atque ei perſuaſiſſet quidvis illum in ſacra libitu poſſe, ſummi ſacerdotii dignitatem in ſe tranſtulit, cum is eſſet e tribu Benjamin.

26. (*f*) Vox Græca [illegible], etiam ſignificat, *ſeduxerat*, aut *circumvenerat*; ipſe deceptus, quod fecerat fratri, id ipſe paſſus eſt a fratre altero. *Profugus in Ammanitem*. ſuſpicatur Grotius ſcripſiſſe Interpretem *in Ammonidem*.

29. Et Menelaus amotus est a sacerdotio, succedente (g) Lysimacho fratre suo: Sostratus autem prælatus est Cypriis.

30. Et cum hæc agerentur, contigit Tharsenses & Mallotas (h) seditionem movere, eo quod Antiochidi regis concubinæ dono essent dati.

31. Festinanter itaque rex venit sedare illos, relicto suffecto uno ex comitibus suis Andronico.

32. Ratus autem Menelaus accepisse se tempus opportunum, aurea quædam vasa e templo furatus donavit Andronico, & alia vendiderat Tyri, & per vicinas civitates.

33. Quod cum certissime cognovisset Onias, arguebat eum, ipse in loco tuto se continens Antiochiæ secus Daphnem.

34. Unde Menelaus accedens ad Andronicum, rogabat ut Oniam interficeret. Qui cum venisset ad Oniam, & datis dextris cum jurejurando (quamvis esset ei suspectus) suasisset de asylo procedere, statim eum peremit, non veritus justitiam.

35. Ob quam causam non solum Judæi, sed aliæ quoque nationes indignabantur, & moleste ferebant de nece tanti viri injusta.

36. Sed regressum regem de Ciliciæ locis adierunt Judæi apud Antiochiam, simul & Græci, conquerentes de iniqua nece Oniæ.

37. Contristatus itaque animo Antiochus propter Oniam, & flexus ad misericordiam, lacrymas fudit, recordatus defuncti sobrietatem, & modestiam.

38. Accensisque animis, Andronicum purpura exutum, per totam civitatem jubet circumduci: & in eodem loco, in quo in Oniam impietatem commiserat, sacrilegum vita privari, Domino illi condignam retribuente pœnam.

39. Multis autem sacrilegiis in templo a Lysimacho commissis Menelai consilio, & divulgata fama, congregata est multitudo adversum Lysimachum, multo jam auro exportato.

40. Turbis autem insurgentibus, & animis ira repletis, Lysimachus armatis fere tribus millibus iniquis manibus uti cœpit, duce quodam tyranno, ætate pariter & dementia provecto.

41. Sed, ut intellexerunt conatum Lysimachi, alii lapides, alii fustes validos arripuere: quidam vero cinerem in Lysimachum jecere.

42. Et multi quidem vulnerati, quidam autem & prostrati, omnes vero in fugam conversi sunt: ipsum etiam sacrilegum secus ærarium interfecerunt.

43. De his ergo cœpit judicium adversus Menelaum agitari.

44. Et cum venisset rex Tyrum, ad ipsum negotium detulerunt missi tres viri a senioribus.

45. Et cum superaretur Menelaus, promisit Ptolemæo multas pecunias dare ad suadendum regi.

46. Itaque Ptolemæus in quodam atrio positum quasi refrigerandi gratia regem adiit, & deduxit a sententia:

47. Et Menelaum quidem universæ malitiæ reum criminibus absolvit: miseros autem, qui etiam apud Scythas causam dixissent, innocentes judicarentur, hos morte damnavit.

48. Cito ergo injustam pœnam dederunt, qui pro civitate, & populo, & sacris vasis causam prosecuti sunt.

49. Quam ob rem Tyrii quoque indignati, erga sepulturam eorum liberalissimi extiterunt.

50. Menelaus autem propter eorum, qui in potentia erant, avaritiam, permanebat in potestate, crescens in malitia ad insidias civium.

CAPUT V.

Quæ Antiochi jussu Jerosolymæ factæ sunt cædes, quæque prædixerat Angelus Danielis cap. 11. referuntur. Ita enim Angelus Dan. 11. v. 30. Et venient super eum trieres, & Romani, & percutietur: *metu videlicet infirmatus, aut consternatus. Nam Lena ex urbe Alexandriam missus jussit Antiocho, qui secundam in Ægyptum profectionem paraverat, ut ex Ægypto excederet: paruit ille ira & dolore plenus, quem effudit in Judæos.*

1. EOdem tempore Antiochus secundam profectionem paravit in Ægyptum.

2. Contigit autem per universam Jerosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aera equites discurrentes, auratas stolas habentes, & hastis, quasi cohortes, armatos,

3. Et cursus equorum per ordines digestos, & congressiones fieri cominus, & scutorum motus, & galeatorum multitudinem gladiis districtis, & telorum jactus, & aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum.

4. Quapropter omnes rogabant in bonum monstra converti.

5. Sed cum falsus rumor exisset, tamquam vita excessisset Antiochus, assumptis Jason non minus mille viris, repente aggressus est civitatem: & civibus ad murum convolantibus, ad ultimum apprehensa civitate, Menelaus fugit in arcem:

6. Jason vero non parcebat in cæde civibus suis, nec cogitabat prosperitatem adversum cognatos malum esse maximum, arbitrans hostium, & non civium se trophæa capturum.

7. Et principatum quidem non obtinuit; finem vero insidiarum suarum confusionem accepit, & profugus iterum abiit in Ammaniten.

8. Ad ultimum, in exitium sui conclusus ab Areta Arabum tyranno fugiens de civitate in civitatem, omnibus odiosus, ut refuga legum, & execrabilis, ut patriæ & civium hostis, in Ægyptum extrusus est:

9. Et qui multos de patria sua expulerat, peregre periit, Lacedæmonas profectus, quasi pro cognatione ibi refugium habiturus.

10. Et qui insepultos multos abjecerat, ipse & illamentatus, & insepultus abjicitur, sepultura neque peregrina usus, neque patrio sepulcro participans.

11. His

29. (g) Gr. Vicarium reliquit fratrem Lysimachum.

30. (h) *Mallotæ*, Incolæ civitatis, cui nomen *Mallus* in Cilicia.

11. His itaque gestis, suspicatus est rex societatem deserturos Judæos (*a*): & ob hoc profectus ex Ægypto efferatis animis, civitatem quidem armis cepit.

12. Jussit autem militibus interficere, nec parcere occursantibus, & per domos ascendentes trucidare.

13. Fiebant ergo cædes juvenum ac seniorum, & mulierum & natorum exterminia, virginumque & parvulorum neces.

14. Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti (*b*), quadraginta millia vincti, non minus autem venumdati.

15. Sed nec ista sufficiunt: ausus est etiam intrare templum universa terra sanctius, Menelao ductore, qui legum & patriæ fuit proditor:

16. Et scelestis manibus sumens sancta vasa, quæ ab aliis regibus & civitatibus erant posita ad ornatum loci, & gloriam, contrectabat indigne, & contaminabat.

17. Ita alienatus mente Antiochus, non considerabat quod propter peccata habitantium civitatem, modicum Deus fuerat iratus: propter quod & accidit circa locum despectio:

18. Alioquin nisi contigisset eos multis peccatis esse involutos, * sicut Heliodorus, qui missus est a Seleuco rege ad expoliandum ærarium, etiam hic statim adveniens flagellatus, & repulsus utique fuisset ab audacia.

* Sup. 3. 25. & 27.

19. Verum non propter locum, gentem; sed propter gentem, locum Deus elegit.

20. Ideoque & ipse locus particeps factus est populi malorum: postea autem fiet socius bonorum: & qui derelictus in ira Dei omnipotentis est, iterum in magni Domini reconciliatione cum summa gloria exaltabitur.

21. Igitur Antiochus mille & octingentis ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regressus est, existimans se præ superbia terram ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum propter mentis elationem.

22. Reliquit autem & præpositos ad affligendam gentem: Jerosolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem eo ipso, a quo constitutus est:

23. In Garizim autem Andronicum, & Menelaum, qui gravius quam ceteri imminebant civibus.

24. Cumque appositus (*c*) esset contra Judæos, misit odiosum principem Apollonium cum exercitu viginti & duobus millibus, præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere, mulieres ac juvenes vendere.

25. Qui cum venisset Jerosolymam, pacem simulans, quievit usque ad diem sanctum sabbati: & tunc feriatis Judæis, arma capere suis præcepit.

26. Omnesque, qui ad spectaculum processerant, trucidavit: & civitatem cum armatis discurrens, ingentem multitudinem peremit.

27. Judas autem Machabæus, qui decimus (*d*) fuerat, secesserat in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat: & fœni cibo vescentes, demorabantur, ne participes essent coinquinationis.

CAPUT VI.

Per ducem a Rege missum ad sacrificia idolorum adiguntur Judæi: Templum profanatur, plures martyrium obeunt, Eleazarus in primis, & duæ mulieres, quæ filios circumciderant.

1. SEd non post multum temporis misit rex senem quemdam Antiochenum, qui compelleret Judæos, ut se transferrent a patriis, & Dei legibus:

2. Contaminare (*a*) etiam quod in Jerosolymis erat templum, & cognominare Jovis Olympii: & in Garizim, prout erant hi, qui locum inhabitabant, Jovis hospitalis.

3. Pessima autem & universis gravis erat malorum incursio:

4. Nam templum luxuria & comessationibus Gentium erat plenum, & scortantium cum meretricibus: sacratisque ædibus mulieres se ultro ingerebant, intro ferentes ea, quæ non licebat.

5. Altare etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur.

6. Neque autem sabbata custodiebantur, neque dies solemnes patrii servabantur, nec simpliciter Judæum se esse quisquam confitebatur.

7. Ducebantur autem cum amara necessitate in die natalis regis ad sacrificia: &, cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera (*b*) coronati Libero circuire.

8. Decretum autem exiit in proximas Gentilium civitates, suggerentibus Ptolemæis, ut pari modo & ipsi adversus Judæos agerent, ut sacrificarent:

9. Eos autem, qui nollent transire ad instituta Gentium, interficerent: erat ergo videre miseriam.

10. Duæ enim mulieres * delatæ sunt natos suos circumcidisse: quas, infantibus ad ubera * 1. Mach. 1. 63.
suspensis, cum publice per civitatem circumduxissent, per muros præcipitaverunt.

11. Alii vero, ad proximas coeuntes speluncas, & latenter sabbati diem celebrantes, cum indicati essent Philippo, flammis succensi sunt, eo quod verebantur propter religionem & observantiam, manu sibimet auxilium ferre.

12. Obsc-

CAP. V.

11. (*a*) Quod de morte Antiochi rumorem sparsissent, quod Lysimachum quem Pontificem constituerat, interfecissent, quod ipsi adventanti portas occlusissent. Unde pergit Gabriel Angelus apud Danielem: *Et indignabitur contra testamentum sanctuarii*: contra Jerosolymam & templum, ubi divina lex, quæ est sanctum Dei testamentum, servatur: *Et polluent sanctuarium fortitudinis*, tum jam Pettorissimi: *Et dabunt abominationem in desolationem*. Hebr. ponent in templo *abominationem desolationis*: nempe simulacrum Jovis Olympii, ac [illegible].

14. (*b*) [illegible] putat vocem *interfectos*, poni pro *devictos*. Sed quæ sequuntur de vinctis & venumdatis suadent 80000. fuisse interfectos.

24. (*c*) Forte oppositus, aut male dispositus erga Judæos.

27. (*d*) An decimus, aut cum decem sociis, aut unus ex decem viris Assideorum? *Et fœni cibo*, gramineo victu pasti.

CAP. VI.

2. (*a*) Ut prædictum fuerat a Daniele, cap. 11. vers. 37. *Jovis hospitalis*, quod Samaritani essent alienigenæ.

7 & 8. (*b*) Nam hedera Baccho sacra erat. *Ptolemæis*, duo erant Ptolemæi fratres diviso Ægypti regno, ex Justino, Lib. 34. Quidam in singulari legunt *Suggerente Ptolemæo*, [illegible], ita codex Alexandrinus. Forte Ptolemæo [illegible] filio, de quo Lib. 1. Machab. cap. 3. v. 38. *Ut sacrificarent*. Gr. [illegible], ad exta eos adducerent: exta enim, seu interiora viscera iis dabantur, qui victimas obtulerant.

12. Obsecro autem eos, qui hunc Librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversos casus, sed reputent, ea quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri.

13. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.

14. Non enim, sicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas, cum judicii (*c*) dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat:

15. Ita & in nobis statuit, ut, peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet.

16. Propter quod nunquam quidem a nobis misericordiam suam amovet: corripiens vero in adversis populum suum non derelinquit.

17. Sed hæc nobis ad commonitionem legentium dicta sint paucis. Jam autem veniendum est ad narrationem.

18. Igitur Eleazarus unus de primoribus scribarum, vir ætate provectus, & vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare.

19. At ille gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium.

20. Intuens autem, quemadmodum oporteret accedere, patienter sustinens, destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem.

21. Hi autem qui astabant, iniqua miseratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secreto rogabant afferri carnes, quibus vesci ei licebat, ut simularetur (*d*) manducasse, sicut rex imperaverat, de sacrificii carnibus:

22. Ut, hoc facto, a morte liberaretur: & propter veterem viri amicitiam, hanc in eo faciebant humanitatem.

23. At ille cogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque a puero optimæ conversationis actus: & secundum sanctæ & a Deo conditæ legis constituta, respondit cito, dicens, præmitti se velle in infernum.

24. Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere: ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transiisse ad vitam alienigenarum:

25. Et ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur: & per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram.

26. Nam, etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.

27. Quam ob rem fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo:

28. Adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo, ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. His dictis, confestim ad supplicium (*e*) trahebatur.

29. Hi autem, qui eum ducebant, & paullo ante fuerant mitiores, in iram conversi sunt propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur.

30. Sed, cum plagis perimeretur, ingemuit, & dixit: Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia, cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores: secundum animam vero propter timorem tuum libenter (*f*) hæc patior.

31. Et iste quidem hoc modo vita decessit, non solum juvenibus, sed & universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens.

CAPUT VII.

Septem fratrum martyrium hoc capite describitur, qui Machabæi dicti sunt, quod Machabæorum tempore martyrium subierint Antiochiæ, paullo antequam Mathathias armaretur.

1. Contigit autem & septem fratres una cum matre sua apprehensos, compelli a rege edere contra fas carnes porcinas, flagris, & taureis (*a*) cruciatos.

2. Unus autem ex illis, qui erat primus, sic ait: Quid quæris, & quid vis discere a nobis? parati sumus mori magis, quam patrias Dei leges prævaricari.

3. Iratus itaque rex, jussit sartagines & ollas æneas succendi: quibus statim succensis,

4. Jussit, ei qui prior fuerat locutus, amputari linguam: & cute capitis abstracta, summas quoque manus & pedes ei præscindi, ceteris ejus fratribus & matre inspicientibus.

5. Et, cum jam per omnia inutilis factus esset, jussit ignem admoveri, & adhuc spirantem torreri in sartagine: in qua cum diu cruciaretur, ceteri una cum matre invicem se hortabantur mori fortiter,

6. Dicentes: Dominus Deus aspiciet veritatem (*b*), & consolabitur in nobis, * quemadmodum in protestatione cantici declaravit Moyses: Et in servis suis consolabitur. * *Deut. 32. 36. & 43.*

7. Mortuo itaque illo primo, hoc modo, sequentem deducebant ad illudendum: &, cute capitis ejus cum capillis abstracta, interrogabant, si manducaret prius, quam toto corpore per membra singula puniretur.

8. At ille, respondens patria voce, dixit: Non faciam. Propter quod & iste, sequenti loco, primi tormenta suscepit:

9. Et in ultimo spiritu constitutus, sic ait: Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis: sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.

10. Post

14. (*c*) Mensura judicii, ut Hebræi loquuntur.

21. (*d*) Ut præ se ferret edentem de immolatitiis carnibus.

28. (*e*) Græce τύμπανον, cujus supplicii meminit Apostolus Epist. ad Hebræos, cap. 11. vers. 35 cum dicit: *Alii autem distenti sunt*. Græc. ἐτυμπανίσθησαν, quod alii de *fustibus*, alii de *verberibus* explicant: alii denique de *equuleo*, quo supplicio corpus velut tympani corium distendebatur. Calvinus & Beza fatentur Apostolum alludere ad supplicium Eleazari, & Machabæorum martyrium, de quibus cap. 7. proximo.

30. (*f*) *Senectus portus debet esse, non vitæ superioris naufragium*. Ambr. Lib. 2 de Jacob.

1. (*a*) Flagra erant ex nervis taurinis. Augustinus serm. 109. de divers. *Nondum quidem erat mortuus Christus, sed eos martyres fecit moriturus Christus*. *Scutica* dicuntur; ex tauri corio, vel ex nervis taurinis flagra illa erant confecta. CAP. VII.

6. (*b*) Promissorum suorum. *Et in servis suis consolabitur*, καὶ ἐπὶ τοῖς δούλοις παρακληθήσεται. Ita LXX. vertunt hunc cantici Moysis locum Deuteron. cap 32. vers. 36. ubi Vulgata habet: *Miserebitur*.

10. Post hunc tertius illuditur, & linguam postulatus cito protulit, & manus constanter extendit:

11. Et cum fiducia ait: E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero:

12. Ita ut rex, & qui cum ipso erant, mirarentur adolescentis animum, quod tamquam nihilum duceret cruciatus.

13. Et hoc ita defuncto, quartum vexabant similiter torquentes.

14. Et, cum jam esset ad mortem, sic ait: Potius est ab hominibus morti datos spem expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos: tibi enim resurrectio ad vitam non erit.

15. Et cum admovissent quintum, vexabant eum. At ille respiciens in eum, dixit:

16. Potestatem inter homines habens, cum sis corruptibilis, facis quod vis: noli autem putare genus nostrum a Deo esse derelictum.

17. Tu autem patienter sustine, & videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te, & semen (*c*) tuum torquebit.

18. Post hunc ducebant sextum, & is mori incipiens, sic ait: Noli frustra errare: nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum, & digna admiratione facta sunt in nobis:

19. Tu autem ne existimes tibi impune futurum, quod contra Deum pugnare tentaveris.

20. Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat:

21. Singulos illorum hortabatur voce patria (*d*) fortiter, repleta sapientia: &, femineæ cogitationi masculinum animum inserens,

22. Dixit ad eos: Nescio qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum & animam donavi vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi:

23. Sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet & vitam (*e*), sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges ejus.

24. Antiochus autem, contemni se arbitratus, simul & exprobrantis (*f*) voce despecta, cum adhuc adolescentior superesset, non solum verbis hortabatur, sed & cum juramento affirmabat, se divitem & beatum facturum, & translatum a patriis legibus amicum habiturum, & res necessarias ei præbiturum.

25. Sed ad hæc cum adolescens nequaquam inclinaretur, vocavit rex matrem, & suadebat ei ut adolescenti fieret in salutem.

26. Cum autem multis eam verbis esset hortatus, promisit suasuram se filio suo.

27. Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patria voce: Fili mi, miserere (*g*) mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, & lac triennio dedi & alui, & in ætatem istam perduxi.

28. Peto, nate, ut aspicias ad cælum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus:

29. Ita fiet, ut non timeas carnificem istum; sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.

30. Cum hæc illa adhuc diceret, ait adolescens: Quem sustinetis? non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen.

31. Tu vero, qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei.

32. Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur,

33. Et si nobis propter increpationem, & correptionem Dominus Deus noster modicum (*h*) iratus est: sed iterum reconciliabitur servis suis.

34. Tu autem, o scelested, & omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus in servos ejus inflammatus.

35. Nondum enim omnipotentis Dei, & omnia inspicientis, judicium effugisti.

36. Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt: tu vero judicio Dei justas superbiæ tuæ pœnas exsolves.

37. Ego autem, sicut & fratres mei, animam & corpus meum trado pro patriis legibus: invocans Deum maturius genti nostræ propitium fieri, teque cum tormentis & verberibus confiteri quod ipse est Deus solus.

38. In me vero & in fratribus meis desinet Omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum juste superducta est.

39. Tunc rex accensus ira, in hunc super omnes crudelius desævit, indigne ferens se derisum.

40. Et hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens.

41. Novissime autem post filios & mater consumpta est.

42. Igitur de sacrificiis, & de nimiis crudelitatibus satis dictum est.

CA-

17. (*c*) Antiochum Eupatorem.

21. & 22. (*d*) Lingua Hebraica. *Et animam*, Spiritum vitalem.

23. (*e*) Ita quidem eorum mater. In eamdem sententiam secundus e fratribus inter tormenta fidem resurrectionis profitetur vers. 10. *Sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit:* nec minus aperte tertius fidem resurrectionis declarat. Tum enim recte Josepho Sadducæi exorti fuerant, qui animam una cum corpore mori asserebant. Horum pravum dogma martyres in ipso vitæ exitu detestari se, & ea spe animatos ad tormenta perferenda contestantur. *Mater*, inquit August. lib. 1. de anima. c. 14. *fœcundior virtutibus, quando filii passi sunt, quam fœtibus, quando nati sunt*, eos Dei opus esse his verbis declarat: *Et singulorum membra non ipsa compegi.*

24. (*f*) Gr. *Despiciens*, aut *suspectam habens vocem exprobrantem*, metuens ne sibi indecorum esset feminæ verba plusquam sua valere.

27. (*g*) August. ibid. *Qualis collocutio, quam pia, quam materna, quam inter spiritales & carnales affectus in ambiguo suspensa!*

33. (*h*) Ad breve tempus.

CAPUT VIII.

Hoc capite Judæ Machabæi prælia adversus Nicanorem, Bacchidem, & Timotheum, enarrantur.

1. JUdas vero Machabæus, & qui cum illo erant, introibant latenter in castella: & convocantes cognatos & amicos, & eos qui permanserunt in Judaismo, assumentes, eduxerunt ad se sex millia virorum.

2. Et invocabant Dominum, ut respiceret in populum, qui ab omnibus calcabatur: & misereretur templo, quod contaminabatur ab impiis:

3. Misereretur etiam exterminio civitatis, quæ esset illico complananda, & vocem sanguinis ad se clamantis audiret:

4. Memoraretur quoque iniquissimas mortes parvulorum innocentum, & blasphemias nomini suo illatas, & indignaretur super his.

5. At Machabæus, congregata multitudine, intolerabilis gentibus efficiebatur: ira enim Domini in misericordiam conversa est.

6. Et superveniens castellis & civitatibus improvisus, succendebat eas: & opportuna loca occupans, non paucas hostium strages dabat:

7. Maxime autem noctibus ad hujuscemodi excursus ferebatur, & fama virtutis ejus ubique diffundebatur.

8. Videns autem Philippus (*a*) paullatim virum ad profectum venire, ac frequentius res ei cedere prospere, ad Ptolemæum ducem Cælesyriæ & Phœnicis scripsit ut auxilium ferret regis negotiis.

9. At ille velociter misit Nicanorem Patrocli de primoribus amicum, datis ei de permistis gentibus, armatis (*b*) non minus viginti millibus, ut universum Judæorum genus deleret, adjuncto ei & Gorgia viro militari, & in bellicis rebus experientissimo.

10. Constituit autem Nicanor, ut regi tributum, quod Romanis erat dandum, duo millia talentorum (*c*) de captivitate Judæorum suppleret:

11. Statimque ad maritimas civitates misit, convocans ad coemptionem Judaicorum mancipiorum, promittens se nonaginta mancipia talento distracturum, non respiciens ad vindictam, quæ eum ab Omnipotente esset consecutura.

12. Judas autem ubi comperit, indicavit his, qui secum erant Judæis, Nicanoris adventum.

13. Ex quibus quidam formidantes, & non credentes Dei justitiæ, in fugam vertebantur:

14. Alii vero si quid eis supererat vendebant, simulque Dominum deprecabantur (*d*) ut eriperet eos ab impio Nicanore, qui eos prius quam dominus veniret, vendiderat:

15. Et si non propter eos, propter testamentum tamen quod erat ad patres eorum, & propter invocationem sancti & magnifici (*e*) nominis ejus super ipsos.

16. Convocatis autem Machabæus septem millibus, qui cum ipso erant, rogabant ne hostibus reconciliarentur, neque metuerent inique venientium adversum se hostium multitudinem, sed fortiter contenderent,

17. Ante oculos habentes contumeliam, quæ loco sancto ab his injuste esset illata, itemque & ludibrio habitæ civitatis injuriam, adhuc etiam veterum instituta convulsa.

18. Nam illi quidem armis confidunt, ait, simul & audacia: nos autem in omnipotente Domino, qui potest & venientes adversum nos, & universum mundum uno nutu delere, confidimus.

19. Admonuit autem eos & de auxiliis Dei,
quæ facta sunt erga parentes: & * quod sub * 4. Reg. 19.
Sennacherib centum octoginta quinque millia 35.
perierunt: Tob. 1. 21. Eccli. 48.
20. Et de prælio (*f*), quod eis adversus 24.
Galatas fuit in Babylonia, ut omnes, ubi ad Isa. 37. 36.
rem ventum est, Macedonibus sociis hæsitanti- 1. Mach. 7.
bus, ipsi sex millia soli peremerunt centum 41.
viginti millia, propter auxilium illis datum de cælo, & beneficia pro his plurima consecuti sunt.

21. His verbis constantes effecti sunt, & pro legibus & patria mori parati.

22. Constituit itaque fratres suos duces utrique ordini, Simonem, & Josephum, & Jonathan, subjectis unicuique millenis & quingentenis.

23. Ad hoc etiam ab Esdra lecto illis sancto Libro, & dato signo adjutorii Dei, in prima acie ipse dux commisit cum Nicanore.

24. Et facto sibi Adjutore Omnipotente, interfecerunt (*g*) super novem millia hominum: majorem autem partem exercitus Nicanoris vulneribus debilem factam fugere compulerunt.

25. Pecuniis vero eorum, qui ad emptionem ipsorum venerant, sublatis, ipsos usquequaque persecuti sunt,

26. Sed reversi sunt hora conclusi: nam erat ante sabbatum: quam ob causam non perseveraverunt insequentes.

27. Arma autem ipsorum, & spolia congregantes, sabbatum agebant: benedicentes Dominum, qui liberavit eos in isto die, misericordiæ initium stillans in eos.

28. Post sabbatum vero debilibus, & orphanis, & viduis diviserunt spolia: & residua ipsi cum suis habuere.

29. His itaque gestis, & communiter ab omnibus facta obsecratione, misericordem Dominum postulabant, ut in finem servis suis reconciliaretur.

30. Et

CAP. VIII. 8. (*a*) Quem Antiochus reliquerat Jerosolymæ, ut Judæos vexaret.

9. (*b*) Qui partem faciebant 40000. virorum, quorum fit mentio Lib. 1. cap. 3. 39. & 7000. equitum.

10. (*c*) Pro pensione duarum annorum, quæ Romanis debebatur.

14. (*d*) Augustin. serm. 110. *Sic sanguine Martyrum impletus Orbis, prajactis seminibus seges Ecclesiæ pullulavit.*

15. (*e*) Quia populus Dei vocarentur.

20. (*f*) Quo tempore initum fuerit hoc prælium, incertum est. Appianus in Syriacis testatur Galatas ex Europa in Asiam irruentes ab Antiocho ejectos fuisse. Gallorum in Asiam incursus meminit Justinus, Lib. 32.

24. (*g*) Lib. 1. cap. 4. Tria millia hominum occisa legimus: utrumque verum est: nam in prælio 9000. hostium cæsa sunt: & tria millia ex iis qui fugerant. Vel ex 9000 tria millia in fuga interierunt.

30. Et ex his, qui cum Timotheo & Bacchide erant contra se contendentes, super viginti millia interfecerunt, & munitiones excelsas obtinuuerunt: & plures prædas diviserunt, æquam portionem debilibus, pupillis, & viduis, sed & senioribus facientes.

31. Et cum arma eorum diligenter collegissent, omnia composuerunt in locis opportunis, residua vero spolia Jerosolymam detulerunt:

32. Et Philarchen, qui cum Timotheo erat, interfecerunt, virum sceleftum, qui in multis Judæos afflixerat.

33. Et cum epinicia agerent Jerosolymis, eum, qui sacras januas incenderat, id est, Callisthenem, cum in quoddam domicilium refugisset, incenderunt, digna ei mercede pro impietatibus suis reddita.

34. Facinorosissimus autem Nicanor, qui mille negotiantes ad Judæorum venditionem adduxerat,

35. Humiliatus auxilio Domini, ab his quos nullos existimaverat, deposita veste gloriæ, per mediterranea fugiens, solus venit Antiochiam, summam infelicitatem (*b*) de interitu sui exercitus consecutus.

36. Et qui promiserat Romanis se tributum restituere de captivitate Jerosolymorum, prædicabat nunc protectorem Deum habere Judæos, & ob ipsum invulnerabiles esse, eo quod sequerentur leges ab ipso constitutas.

CAPUT IX.

Mors Antiochi in Perside, purgatio templi, de Gorgia & Timotheo reportatæ victoriæ narrantur.

1. EOdem tempore Antiochus inhoneste revertebatur de Perside.

2. Intraverat enim in eam, quæ dicitur Persepolis, & tentavit expoliare templum, & civitatem opprimere: sed multitudine ad arma concurrente, in fugam versi sunt: & ita contigit ut Antiochus post fugam turpiter rediret.

3. Et cum venisset circa Ecbatanam (*a*), recognovit quæ erga Nicanorem & Timotheum gesta sunt.

4. Elatus autem in ira, arbitrabatur se injuriam illorum, qui se fugaverant, posse in Judæos retorquere: ideoque jussit agitari currum suum, sine intermissione agens iter, cælesti eum judicio perurgente, eo quod ita superbe locutus est se venturum Jerosolymam, & congeriem sepulcri Judæorum eam facturum.

* 1 Par. 16. 1. 5. * Sed qui universa conspicit Dominus Deus Israel, percussit eum insanabili & invisibili plaga. Ut enim finivit hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta:

6. Et quidem juste satis, quippe qui multis, & novis cruciatibus aliorum torserat viscera, licet ille nullo modo a sua malitia cessaret.

7. Super hoc autem superbia repletus, ignem spirans animo in Judæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, & gravi corporis collisione membra vexari:

8. Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio (*b*) portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans:

9. Ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus gravaretur.

10. Et qui paullo ante sidera cæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.

11. Hinc igitur cœpit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus.

12. Et cum nec ipse jam fœtorem suum ferre posset, ita ait: Justum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.

13. Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.

14. Et civitatem, ad quam festinans veniebat ut eam ad solum deduceret, ac sepulcrum congestorum faceret, nunc optat liberam (*c*) reddere:

15. Et Judæos (*d*), quos nec sepultura quidem se dignos habiturum, sed avibus ac feris diripiendos traditurum, & cum parvulis exterminaturum dixerat, æquales nunc Atheniensibus facturum pollicetur:

16. Templum etiam sanctum, quod prius expoliaverat, optimis donis ornaturum, & sancta vasa multiplicaturum, & pertinentes ad sacrificia sumptus de redditibus suis præstaturum:

17. Super hæc, & Judæum (*e*) se futurum, & omnem locum terræ perambulaturum: & prædicaturum Dei potestatem.

18. Sed non cessantibus doloribus (supervenerat enim in eum justum Dei judicium), desperans scripsit ad Judæos in modum deprecationis epistolam hæc continentem:

19. OPTIMIS civibus Judæis plurimam salutem, & bene valere, & esse felices, rex & princeps Antiochus.

20. Si bene valetis, & filii vestri, & ex sententia vobis cuncta sunt, maximas agimus gratias.

21. Et ego in infirmitate constitutus, vestri autem memor benigne, reversus de Persidis locis, & infirmitate gravi apprehensus, necessarium duxi pro communi utilitate curam habere.

22. Non desperans memetipsum, sed spem multam habens effugiendi infirmitatem.

23. Respi-

35. (*b*) Interpres potuit ex Græco scribere *felicitatem*: se felicem existimans Nicanor, quod tantæ cladi superstes esset.

CAP. IX. 3. (*a*) Caput Mediæ, ex Plinio, Lib. 6. cap. 14.

8. (*b*) In sella gestatoria.

14. (*c*) Erant enim sub Regibus quædam civitates liberæ, ut Seleucia.

15. (*d*) Legendum videtur in Græco textu *Idumæi* qui Judæos apostatas recipiebant, & armis adversus Judam instructi ad bellum eos ducebant: aut de Judæis perfidis loquitur. *Atheniensibus*: legendum putat Grotius *Antiochenisibus*.

17. (*e*) Hoc in loco est religionis nomen.

23. Respiciens autem quod & pater meus, quibus temporibus in locis superioribus ducebat exercitum, ostendit qui post se susciperet principatum:

24. Ut si quid contrarium accideret, aut difficile nuntiaretur, scientes hi, qui in regionibus erant, cui esset rerum summa derelicta, non turbarentur.

25. Ad hæc considerans de proximo potentes quosque, & vicinos temporibus insidiantes, & eventum expectantes, designavi filium meum Antiochum regem, quem sæpe recurrens in superiora regna multis vestrum commendabam: & scripsi (*f*) ad eum quæ subjecta sunt.

26. Oro itaque vos, & peto memores beneficiorum publice & privatim, ut unusquisque conservet fidem ad me & ad filium meum.

27. Confido enim, eum modeste & humane acturum, & sequentem propositum meum, & communem vobis fore.

28. Igitur homicida & blasphemus pessime percussus, & ut ipse alios tractaverat, peregre in montibus miserabili obitu vita functus est.

29. Transferebat autem corpus Philippus collactaneus ejus, qui metuens filium Antiochi, ad Ptolemæum Philometorem in Ægyptum abiit.

CAPUT X.

Agitur de purgatione templi. Ingens e cælo victoria.

1. MAchabæus autem, & qui cum eo erant, Domino se protegente, templum quidem, & civitatem recepit (*a*):

2. Aras autem, quas alienigenæ per plateas extruxerant, itemque delubra demolitus est.

3. Et purgato templo, aliud altare fecerunt: & de ignitis lapidibus igne concepto sacrificia obtulerunt post biennium (*b*), & incensum, & lucernas, & panes propositionis posuerunt.

4. Quibus gestis, rogabant Dominum prostrati in terram, ne amplius talibus malis inciderent: sed &, si quando peccassent, ut ab ipso mitius corriperentur, & non barbaris ac blasphemis hominibus traderentur.

5. Qua die autem templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri, vigesima quinta mensis, qui fuit Casleu.

6. Et cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quod ante modicum temporis, diem solemnem tabernaculorum in montibus, & in speluncis more bestiarum egerant.

7. Propter quod thyrsos (*c*), & ramos virides, & palmas præferebant ei, qui prosperavit mundari locum suum.

8. Et decreverunt communi præcepto, & decreto, universæ genti Judæorum, omnibus annis agere dies istos.

9. Et Antiochi quidem, qui appellatus est Nobilis, vitæ excessus ita se habuit.

10. Nunc autem de Eupatore Antiochi impii filio, quæ gesta sunt narrabimus, breviantes mala, quæ in bellis gesta sunt.

11. Hic enim suscepto regno, constituit super negotia regni Lysiam quemdam, Phœnicis & Syriæ militiæ principem.

12. Nam Ptolemæus, qui dicebatur Macer, justi tenax, erga Judæos esse constituit, & præcipue propter iniquitatem, quæ facta erat in eos, & pacifice agere cum eis.

13. Sed ob hoc accusatus ab amicis apud Eupatorem, cum frequenter proditor audiret, eo quod Cyprum creditam sibi a Philometore deseruisset, & ad Antiochum Nobilem translatus etiam ab eo recessisset, veneno vitam finivit.

14. Gorgias autem, cum esset dux locorum, assumptis advenis frequenter Judæos debellabat.

15. Judæi vero, qui tenebant opportunas munitiones, fugatos ab Jerosolymis suscipiebant, & bellare tentabant.

16. Hi vero, qui erant cum Machabæo, per orationes Dominum rogantes ut esset sibi adjutor, impetum fecerunt in munitiones Idumæorum:

17. Multaque vi insistentes, loca obtinuerunt, occurrentes interemerunt, & omnes simul non minus viginti millibus trucidaverunt.

18. Quidam autem, cum confugissent in duas turres valde munitas, omnem apparatum ad repugnandum habentes,

19. Machabæus ad eorum expugnationem, relicto Simone & Josepho, itemque Zachæo: eisque qui cum ipsis erant satis multis, ipse ad eas, quæ amplius perurgebant, pugnas conversus est.

20. Hi vero, qui cum Simone erant, cupiditate ducti, a quibusdam, qui in turribus erant, suasi sunt pecunia: & septuaginta millibus didrachmis acceptis, dimiserunt quosdam effugere.

21. Cum autem Machabæo nuntiatum esset quod factum est, principibus populi congregatis, accusavit, quod pecunia fratres vendidissent, adversariis eorum dimissis.

22. Hos igitur proditores factos interfecit, & confestim duas turres occupavit.

23. Armis autem ac manibus omnia prospere agendo, in duabus munitionibus plus quam viginti millia peremit.

24. At Timotheus, qui prius a Judæis fuerat superatus, * convocato exercitu peregrinæ multitudinis, & congregato equitatu Asiano, advenit quasi armis Judæam capturus. *1. Mach. 5.

25. Machabæus autem, & qui cum ipso erant, appropinquante illo, deprecabantur Dominum, caput terra aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti,

26. Ad

25. (*f*) In epistola quam huic adjunxerat.

CAP. X. 1. (*a*) Receperat: est enim retrogressio quædam.

3. (*b*) Videtur Grotio subesse error scribæ, & legendum esse post triennium. Sed tamen purgatio templi bis narrari potuit: ut hic & Lib. 1. cap. 4. 1. Machab. 4. anno 148. ante mortem Antiochi, quæ narrata ejus morte repetitur, & facta est post biennium, non a morte Antiochi, sed a profanatione: ita P. Gordonus in præloquio.

7. (*c*) Hastas foliis intextas.

26. Ad altaris crepidinem provoluti, ut sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus, & adversariis adversaretur, sicut lex dicit.

27. Et ita post orationem, sumptis armis, longius de civitate procedentes, & proximi hostibus effecti, resederunt.

28. Primo autem solis ortu utrique commiserunt: isti quidem victoriæ & prosperitatis sponsorem cum virtute Dominum habentes: illi autem ducem belli animum habebant.

29. Sed, cum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cælo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Judæis præstantes:

30. Ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant: in adversarios autem tela & fulmina jaciebant, ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant.

31. Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, & equites sexcenti.

32. Timotheus vero confugit in Gazaram præsidium munitum: cui præerat Chæreas.

33. Machabæus autem, & qui cum eo erant, lætantes obsederunt præsidium diebus quatuor,

34. At hi qui intus erant, loci firmitate confisi, supra modum maledicebant, & sermones nefandos jactabant.

35. Sed cum dies quinta illucesceret, viginti juvenes ex his, qui cum Machabæo erant, accensi animis propter blasphemiam, viriliter accesserunt ad murum, & feroci animo incedentes ascendebant.

36. Sed & alii similiter ascendentes, turres portasque succendere aggressi sunt, atque ipsos maledicos vivos concremare.

37. Per continuum autem biduum præsidio vastato, Timotheum occultantem se, in quodam repertum loco, (*d*) peremerunt: & fratrem illius Chæream, & Apollophanem occiderunt.

38. Quibus gestis, in hymnis & confessionibus benedicebant Dominum: qui magna fecit in Israel, & victoriam dedit illis.

CAPUT XI.

Judas Lysiæ exercitum delet; Lysias pacem inter Judæos & regem componit.

1. SEd parvo post tempore, Lysias (*a*) procurator regis, & propinquus, ac negotiorum præpositus, graviter ferens de his quæ acciderant,

2. Congregatis octoginta millibus, & equitatu universo, veniebat adversus Judæos, existimans se civitatem quidem captam Gentibus habitaculum facturum,

3. Templum vero in pecuniæ quæstum, sicut cetera delubra Gentium, habiturum, & per singulos annos vænale sacerdotium:

4. Nusquam recogitans Dei potestatem, sed mente effrænatus in multitudine peditum, & in millibus equitum, & in octoginta elephantis confidebat.

5. Ingressus autem Judæam, & appropians Bethsuræ, quæ erat in angusto loco, ab Jerosolyma intervallo quinque stadiorum, illud præsidium expugnabat.

6. Ut autem Machabæus, & qui cum eo erant, cognoverunt expugnari præsidia, cum fletu & lacrymis rogabant Dominum, & omnis turba simul, ut bonum Angelum mitteret ad salutem Israel.

7. Et ipse primus Machabæus, sumptis armis, ceteros adhortatus est simul secum periculum subire, & ferre auxilium fratribus suis.

8. Cumque pariter prompto animo procederent, Jerosolymis apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans.

9. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, & convaluerunt animis: non solum homines, sed & bestias ferocissimas, & muros ferreos parati penetrare.

10. Ibant igitur prompti, de cælo habentes adjutorem, & miserantem super eos Dominum.

11. Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostraverunt ex eis undecim millia peditum, & equitum mille sexcentos:

12. Universos autem in fugam verterunt, plures autem ex eis vulnerati nudi evaserunt. Sed & ipse Lysias turpiter fugiens evasit.

13. Et quia non insensatus erat, secum ipse reputans, factam erga se diminutionem, & intelligens invictos esse Hebræos, omnipotentis Dei auxilio innitentes, misit ad eos.

14. Promisitque se consensurum omnibus, quæ justa sunt, & regem compulsurum amicum fieri.

15. Annuit autem Machabæus precibus Lysiæ, in omnibus utilitati consulens: & quæcumque Machabæus scripsit Lysiæ de Judæis, ea rex concessit.

16. Nam erant scriptæ Judæis epistolæ a Lysia quidem hunc modum continentes:

LYSIAS populo Judæorum salutem.

17. Joannes & Abesalom, qui missi fuerant a vobis, tradentes scripta, postulabant ut ea, quæ per illos significabantur, implerem.

18. Quæcumque igitur regi potuerunt perferri, exposui: & quæ res permittebat, concessit.

19. Si igitur in negotiis fidem conservaveritis, & deinceps bonorum vobis causa esse tentabo.

20. De ceteris autem per singula verbo mandavi, & istis, & his qui a me missi sunt, colloqui vobiscum.

21. Bene valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, mensis Dioscori (*b*) die vigesima & quarta.

22. Regis

37. (*d*) Græce, In lacu quodam necatur.

CAP. XI. 1. & 5. (*a*) Procurator Regis, aut tutor, Justinus Lib. 34. pro tutore erat, non proprie tutor; *Expugnabat*, Oppugnabat.

21. (*b*) Jam supra diximus epistolam Eupatoris referri posse ad Epocham 148. aut 149. juxta varias epochas, & variam computandi annos rationem. Præterquam quod Chaldaica supputatio differt ab Alexandrina, quam sequitur auctor prioris libri. *Mense Dioscoro*, existimat Serarius eum fuisse mensem *Dystrum*, qui partim Februario, partim Martio respondet, cum Reges in Asia solebant ad bellum proficisci. Idque colligit Tirinus ex litteris Antiochi, & legatorum Romanorum ad Judæos, quæ mense insequenti, nempe *Xanticho*, datæ sunt; ac forte idem mensis diversis nominibus apud Græcos fuit designatus.

22. Regis autem epistola ista continebat: REX Antiochus Lysiæ fratri salutem.

23. Patre nostro inter deos translato, nos volentes eos, qui sunt in regno nostro sine tumultu agere, & rebus suis adhibere diligentiam,

24. Audivimus Judæos non consensisse patri meo ut transferrentur ad ritum Græcorum, sed tenere velle suum institutum, ac propterea postulare a nobis concedi sibi legitima sua.

25. Volentes igitur hanc quoque gentem quietam esse, statuentes judicavimus, templum (c) restitui illis, ut agerent secundum suorum majorum consuetudinem.

26. Bene igitur feceris, si miseris ad eos, & dexteram dederis: ut cognita nostra voluntate, bono animo sint, & utilitatibus propriis deserviant.

27. Ad Judæos vero regis epistola talis erat: REX Antiochus senatui Judæorum, & ceteris Judæis salutem.

28. Si valetis, sic estis ut volumus: sed & ipsi bene valemus.

29. Adiit nos Menelaus, dicens velle nos descendere (d) ad vestros, qui sunt apud vos.

30. His igitur, qui commeant usque ad diem trigesimum mensis Xanthici, damus dextras securitatis,

31. Ut Judæi utantur cibis & legibus suis, sicut & prius: & nemo eorum ullo modo molestiam patiatur de his, quæ per ignorantiam (e) gesta sunt,

32. Misimus autem & Menelaum, qui vos alloquatur.

33. Valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, Xanthici mensis quintadecima die.

34. Miserunt autem etiam Romani epistolam, ita se habentem:

QUINTUS Memmius (f), & Titus Manilius legati Romanorum, populo Judæorum salutem.

35. De his, quæ Lysias cognatus regis concessit vobis, & nos concessimus,

36. De quibus autem ad regem judicavit referendum, confestim aliquem mittite, diligentius inter vos conferentes, ut decernamus, sicut congruit vobis: nos enim Antiochiam accedimus.

37. Ideoque festinate rescribere, ut nos quoque sciamus cujus estis voluntatis.

38. Bene valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, quintadecima die mensis Xanthici.

CAPUT XII.

Judas expugnatis variis civitatibus, & devictis finitimis populis, feliciter pugnat adversus Timotheum & Gorgiam. Cum autem quidam e Judæis idolorum donaria sustulissent, & in prælio cecidissent, Judas sacrificia pro iis offerri jussit.

1. HIs factis pactionibus, Lysias pergebat ad regem, Judæi autem agriculturæ operam dabant (a).

2. Sed hi, qui resederant, Timotheus (b) & Apollonius Gennæi filius, sed & Hieronymus, & Demophon super hos, & Nicanor Cypriarches, non sinebant eos in silentio agere, & quiete.

3. Joppitæ vero tale quoddam flagitium perpetrarunt: rogaverunt Judæos, cum quibus habitabant, ascendere scaphas, quas paraverant, cum uxoribus & filiis, quasi nullis inimicitiis inter eos subjacentibus.

4. Secundum commune itaque decretum (c) civitatis, & ipsis acquiescentibus, pacisque causâ nihil suspectum habentibus: cum in altum processissent, submerserunt non minus ducentos.

5. Quam crudelitatem Judas in suæ gentis homines factam ut cognovit, præcepit viris, qui erant cum ipso: & invocato justo judice Deo,

6. Venit adversus interfectores fratrum, & portum quidem noctu succendit, scaphas exussit, eos autem, qui ab igne refugerant, gladio peremit.

7. Et cum hæc ita egisset, discessit quasi iterum reversurus, & universos Joppitas eradicaturus.

8. Sed cum cognovisset & eos, qui erant Jamniæ, velle pari modo facere habitantibus secum Judæis,

9. Jamnitis quoque nocte supervenit, & portum cum navibus succendit: ita ut lumen ignis appareret Jerosolymis a stadiis ducentis quadraginta.

10. Inde cum jam abiissent novem stadiis, & iter facerent ad Timotheum, commiserunt cum eo Arabes quinque millia viri, & equites quingenti.

11. Cumque pugna valida fieret, & auxilio Dei prospere cessisset, residui Arabes victi, petebant a Juda dextram sibi dari, promittentes se pascua daturos, & in ceteris profuturos.

12. Judas autem arbitratus vere in multis eos utiles, promisit pacem: dextrisque acceptis, discessere ad tabernacula sua.

13. Aggressus est autem & civitatem quamdam firmam, pontibus murisque circumseptam, quæ a turbis habitabatur gentium promiscuarum, cui nomen Casphin.

14. Hi

25. (c) Quod jam erat in potestate Judæorum; sed liberum iis religionis cultum concedit.

29. (d) Ut de rebus vestris & religione conferatis.

31. (e) Quæ tamen suæ salutis & religionis tuendæ caussa fecerant, non ex ignorantia. sed more regio loquitur.

34. (f) Tum erant in castris Lysiæ, & Antiochiam petebant, forte ut Antiochus triremes incenderet, & elephantes occideret, qui numerum a Romanis præscriptum superabant, ex Appiano in Syriacis.

CAP. XII. 1. (a) Cum legatis Romanorum: vel induciis per legatum factis.

2. (b) Alius est ab eo, cujus fit mentio cap. 10. sic *Apollonius* alius est ab eo, qui commemoratur Lib. 1. cap. 3. Hi in circumjectis Judææ regionibus resederant: Ex collatione c. 5. Lib. 1. Machab. Timotheus iste videtur idem esse cum eo, qui interfectus dicitur in hoc libro, cap. 10. vers. 37. sed Apollonius diversus est ab eo, cujus sæpe fit mentio in hoc, & priori libro.

4. (c) Joppitæ novo decreto cum Judæis, qui in ea urbe erant, fœdus ineunt, ut simul negotiarentur, Judæi nihil suspicantes mali, huic statuto acquieverunt.

14. Hi vero qui intus erant, confidentes in stabilitate murorum, & apparatu alimoniarum, remissius agebant, maledictis lacessentes Judam, & blasphemantes, ac loquentes quæ fas non est.

15. Machabæus autem, invocato magno mundi Principe, qui sine arietibus & machinis * temporibus Jesu præcipitavit Jericho, irruit ferociter muris: *Jos. 6. 20.

16. Et capta civitate per Domini voluntatem, innumerabiles cædes fecit, ita ut adjacens stagnum stadiorum duorum latitudinis, sanguinem interfectorum fluere videretur.

17. Inde discesserunt stadia septingenta quinquaginta, & venerunt in Characa ad eos, qui dicuntur Tubianæi, Judæos:

18. Et Timotheum quidem in illis locis non comprehenderunt, nulloque negotio perfecto regressus est, relicto in quodam loco firmissimo præsidio.

19. Dositheus autem, & Sosipater, qui erant duces cum Machabæo, peremerunt a Timotheo relictos in præsidio, decem millia viros.

20. At Machabæus, ordinatis circum se sex millibus, & constitutis per cohortes, adversus Timotheum processit, habentem secum centum viginti millia peditum, equitumque duo millia quingentos.

21. Cognito autem Judæ adventu, Timotheus præmisit mulieres, & filios, & reliquum apparatum, in præsidium, quod Carnion dicitur: erat enim inexpugnabile, & accessu difficile propter locorum angustias.

22. Cumque cohors Judæ prima apparuisset, timor hostibus incussus est, ex præsentia Dei, qui universa conspicit, & in fugam versi sunt alius ab alio, ita ut magis a suis dejicerentur, & gladiorum suorum ictibus debilitarentur.

23. Judas autem vehementer instabat puniens profanos, & prostravit ex eis triginta millia virorum.

24. Ipse vero Timotheus incidit in partes Dosithei, & Sosipatris: & multis precibus postulabat ut vivus dimitteretur, eo quod multorum ex Judæis parentes haberet, ac fratres, quos morte ejus decipi eveniret.

25. Et cum fidem dedisset restituturum se eos secundum constitutum, illæsum eum dimiserunt propter fratrum salutem.

26. Judas autem egressus est ad Carnion, interfectis vigintiquinque millibus.

27. Post horum fugam & necem, movit exercitum ad Ephron civitatem munitam, in qua multitudo diversarum gentium habitabat: & robusti juvenes pro muris consistentes fortiter repugnabant: in hac autem machinæ multæ, & telorum erat apparatus.

28. Sed, cum Omnipotentem invocassent, qui potestate sua vires hostium confringit, ceperunt civitatem: & ex eis, qui intus erant, vigintiquinque millia prostraverunt.

29. Inde ad civitatem Scytharum abierunt, quæ ab Jerosolymis sexcentis stadiis aberat.

30. Contestantibus autem his, qui apud Scythopolitas (*d*) erant, Judæis, quod benigne ab eis haberentur, etiam temporibus infelicitatis quod modeste secum egerint:

31. Gratias agentes eis, & exhortati etiam de cetero erga genus suum benignos esse, venerunt Jerosolymam die solemni septimanarum instante.

32. Et post Pentecosten abierunt contra Gorgiam præpositum Idumææ.

33. Exivit autem cum peditibus tribus millibus, & equitibus quadringentis.

34. Quibus congressis, contigit paucos ruere Judæorum.

35. Dositheus vero quidam de Bacenoris eques, vir fortis, Gorgiam tenebat: &, cum vellet illum capere vivum, eques quidam de Thracibus irruit in eum, humerumque ejus amputavit: atque ita Gorgias effugit in Maresa.

36. At illis, qui cum Esdrin erant, diutius pugnantibus, & fatigatis, invocavit Judas Dominum adjutorem & ducem belli fieri:

37. Incipiens voce patria, & cum hymnis clamorem extollens, fugam Gorgiæ militibus incussit.

38. Judas autem collecto exercitu venit in civitatem Odollam: &, cum septima dies superveniret, secundum consuetudinem purificati, in eodem loco sabbatum egerunt.

39. Et sequenti die venit cum suis Judas, ut corpora prostratorum tolleret, & cum parentibus poneret in sepulcris paternis.

40. Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis (*e*) idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt, * a quibus lex prohibet Judæos: * Deut. 7.
omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc 25.
causam eos corruisse.

41. Omnes itaque benedixerunt justum judicium Domini, qui occulta fecerat manifesta.

42. Atque ita ad preces conversi, rogaverunt, ut id quod factum erat, delictum oblivioni traderetur. At vero fortissimus Judas hortabatur populum conservare se sine peccato, sub oculis videntes, quæ facta sunt pro peccatis eorum, qui prostrati sunt.

43. Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene & religiose de resurrectione cogitans.

44. (Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis)

45. Et quia considerabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.

46. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

CA-

30. (*d*) Scythopolim, quæ & *Bethsan* Lib. 1. cap. 5. appellatur.

40. (*e*) E fanis Jamniæ, quæ urbs est maritima, quædam idolorum anathemata, seu donaria sustulerunt, quod lege divina Deuteronom. cap. 7. prohibetur. *Jamniam* pro *Idumæa* positam, ex libro priori, & ex Josepho Grotius putat.

CAPUT XIII.

Antiochus semel & iterum victus, cum Philippus rebellasset, pacem cum Judæis firmat.

1. Anno (*a*) centesimo quadragesimo nono, cognovit Judas Antiochum Eupatorem venire cum multitudine adversus Judæam,

2. Et cum eo Lysiam procuratorem, & præpositum negotiorum, secum habente peditum centum (*b*) decem millia, & equitum quinque millia, & elephantos vigintiduos, currus cum falcibus trecentos.

3. Commiscuit autem se illis & Menelaus, & cum multa fallacia deprecabatur Antiochum, non pro patriæ salute, sed sperans se constitui in principatum.

4. Sed Rex regum suscitavit animos Antiochi in peccatorem: & suggerente Lysia hunc esse causam omnium malorum, jussit (ut eis est consuetudo) apprehensum in eodem loco necari (*c*).

5. Erat autem in eodem loco turris quinquaginta concubitorum, aggestum undique habens cineris: hæc prospectum habebat in præceps.

6. Inde in cinerem dejici jussit sacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum.

7. Et tali lege prævaricatorem legis contigit mori, nec terræ dari Menelaum.

8. Et quidem satis juste: nam quia multa erga aram Dei delicta commisit, cujus ignis & cinis erat sanctus; ipse in cineris morte damnatus est.

9. Sed rex mente effrænatus veniebat, nequiorem se patre suo Judæis ostensurus.

10. Quibus Judas cognitis, præcepit populo, ut die ac nocte Dominum invocarent, quo, sicut semper, & nunc adjuvaret eos:

11. Quippe qui lege, & patria, sanctoque templo privari vererentur: ac populum, qui nuper paullulum respirasset, ne sineret blasphemis rursus nationibus subdi.

12. Omnibus itaque simul id facientibus, & petentibus a Domino misericordiam, cum fletu & jejuniis, per triduum continuum prostratis hortatus est eos Judas ut se præpararent.

13. Ipse vero cum senioribus cogitavit, prius quam rex admoveret exercitum ad Judæam, & obtineret civitatem, exire, & Domini judicio committere exitum rei.

14. Dans itaque potestatem (*d*) omnium Deo mundi creatori, & exhortatus suos ut fortiter dimicarent, & usque ad mortem pro legibus, templo, civitate, patria, & civibus starent, circa Modin exercitum constituit.

15. Et dato signo suis Dei victoriæ (*e*), juvenibus fortissimis electis, nocte aggressus aulam regiam, in castris interfecit viros quatuor millia, & maximum elephantorum cum his, qui superpositi fuerant:

16. Summoque de metu, ac perturbatione hostium castra replentes, rebus prospere gestis abierunt.

17. Hoc autem factum est die illucescente, adjuvante eum Domini protectione:

18. Sed rex, accepto gustu (*f*) audaciæ Judæorum, arte difficultatem locorum tentabat:

19. Et Bethsuræ, quæ erat Judæorum præsidium munitum, castra admovebat: sed fugabatur (*g*), impingebat, minorabatur.

20. His autem, qui intus erant, Judas necessaria mittebat.

21. Enuntiavit autem mysteria hostibus Rhodocus quidam de Judaico exercitu, qui requisitus comprehensus est, & conclusus.

22. Iterum rex sermonem habuit ad eos, qui erant in Bethsuris: dextram dedit: accepit: abiit.

23. Commisit (*h*) cum Juda, superatus est. Ut autem cognovit rebellasse Philippum Antiochiæ, qui relictus erat super negotia, mente consternatus, Judæos deprecans, subditusque eis, jurat de omnibus, quibus justum visum est: & reconciliatus obtulit sacrificium, honoravit templum, & munera posuit:

24. Machabæum amplexatus est, & fecit eum a Ptolemaide usque ad Gerrenos (*i*) ducem & principem.

25. Ut autem venit Ptolemaidam, graviter ferebant Ptolemenses amicitiæ conventionem, indignantes (*k*) ne forte fœdus irrumperent.

26. Tunc ascendit Lysias tribunal, & exposuit rationem, & populum sedavit, regressusque est Antiochiam: & hoc modo regis profectio, & reditus processit.

CAPUT XIV.

Nicanor primum amicitiam jungit cum Juda, quam postea solvit: Templi minatur eversionem. Razia historia.

1. Sed post triennii (*a*) tempus cognovit Judas, & qui cum eo erant, Demetrium Seleuci cum multitudine valida, & navibus, per portum Tripolis ascendisse ad loca opportuna,

2. Et tenuisse regiones adversus Antiochum, & ducem ejus Lysiam.

3. Alci-

CAP. XIII. 1. (*a*) Suspicatur Grotius eamdem esse historiam, quæ refertur cap. 10. 11. sed ex alio scriptore decerptam.

2. (*b*) Ex Jasone, ut prædicto videtur Auctori c. 11. habuimus 80000. ex Lib. 1. Machab. cap. 6. & ex Josepho habemus 100000. Alii lixas & calones annumerant, alii eos prætermittunt. Deinde crescunt exercitus ex auxiliis subinde advenientibus, aut decrescunt ex morbis. *Elephantos* 22. Auctor Lib. primi plures numerat; sed facilis est unius litteræ mutatio.

4. (*c*) Usitato apud eos supplicio.

14. (*d*) Rem omnem Deo committente.

15. (*e*) Hac scilicet data tessera militari: *Dei victoria*, quod ab uno Deo expectanda sit victoria. *Aulam regiam*, ubi erat Regis tentorium.

18. (*f*) Cum specimen virtutis Judæorum experimento haberet. Ante prælium devitans volebat oppidum capere, ex insidiis, aut fame.

19 (*g*) Modo agebatur in fugam, modo post collisionem abibat cum damno.

23. (*h*) Id ipsum narratur Lib. 1. Machab. cap. 6. 42. Atque Judæ victoria antecessit deditionem Bethsuræ, adeo ut ordo historiæ videatur Grotio paullulum inversus. *Philippum Antiochiæ*; Nisibim intelligi eidem placet Auctori. Hæc enim vicina erat Mediæ, & novo nomine vocabatur Antiochia, ex Plinio Lib. 6. cap. 13.

24. (*i*) Usque ad lacum Genesareth. *Ducem & principem*; jussit ut regis nomine hanc regionem administraret.

25 (*k*) Gr. *Indignabantur, pro quibus voluerunt rumpere fœdera*: Graviter ferebant, quod tam amplum imperium datum esset Judæ Machabæo.

CAP. XIV. 1. (*a*) A morte Antiochi Epiphanis, Demetrius Seleuci, qui *Soter* dictus est.

3. Alcimus autem quidam, qui summus sacerdos fuerat, sed voluntarie coinquinatus est temporibus commistionis (*b*), considerans nullo modo sibi esse salutem, neque accessum ad altare,

4. Venit ad regem Demetrium centesimo quinquagesimo anno, offerens ei coronam auream, & palmam, super hæc & thallos (*c*), qui templi esse videbantur. Et ipsa quidem die siluit.

5. Tempus autem opportunum dementiæ suæ nactus, convocatus a Demetrio ad consilium, & interrogatus quibus rebus & consiliis Judæi niterentur,

6. Respondit: Ipsi, qui dicuntur Assidæi Judæorum, quibus præest Judas Machabæus, bella nutriunt, & seditiones movent, nec patiuntur regnum esse quietum.

7. Nam & ego defraudatus parentum gloria (dico autem summo sacerdotio) huc veni:

8. Primo quidem utilitatibus regis fidem servans, secundo autem etiam civibus consulens: nam illorum pravitate universum genus nostrum non minime vexatur.

9. Sed oro his singulis, o rex, cognitis, & regioni, & generi secundum humanitatem tuam pervulgatam omnibus, prospice

10. Nam, quamdiu superest Judas, impossibile est pacem esse negotiis.

11. Talibus autem ab hoc dictis, & ceteri amici, hostiliter se habentes adversus Judam, inflammaverunt Demetrium.

12. Qui statim Nicanorem præpositum elephantorum ducem misit in Judæam:

13. Datis mandatis, ut ipsum quidem Judam caperet: eos vero, qui cum illo erant, dispergeret, & constitueret Alcimum maximi templi summum sacerdotem.

14. Tunc gentes, quæ de Judæa fugerant Judam, gregatim se Nicanori miscebant: miserias & clades Judæorum, prosperitates rerum suarum existimantes.

15. Audito itaque Judæi Nicanoris adventu, & conventu nationum, conspersi terra rogabant eum, qui populum suum constituit, ut in æternum custodiret, quique suam portionem signis evidentibus protegit.

16. Imperante autem duce, statim inde moverunt, conveneruntque ad castellum Dessau.

17. Simon vero frater Judæ commiserat cum Nicanore: sed conterritus est repentino adventu adversariorum.

18. Nicanor tamen, audiens virtutem comitum Judæ, & animi magnitudinem, quam pro patriæ certaminibus habebant, sanguine judicium facere metuebat (*d*).

19. Quam ob rem præmisit Posidonium, & Theodotium, & Matthiam, ut darent dextras atque acciperent.

20. Et cum diu de his consilium ageretur, & ipse dux ad multitudinem retulisset: omnium una fuit sententia amicitiis annuere.

21. Itaque diem constituerunt, qua secreto inter se agerent: & singulis sellæ prolatæ sunt, & positæ.

22. Præcepit autem Judas armatos esse locis opportunis, ne forte ab hostibus repente mali aliquid oriretur: & congruum colloquium fecerunt.

23. Morabatur autem Nicanor Jerosolymis, nihilque inique agebat, gregesque turbarum, quæ congregatæ fuerant, dimisit.

24. Habebat autem Judam semper charum ex animo, & erat viro inclinatus.

25. Rogavitque eum ducere uxorem, filiosque procreare. Nuptias fecit: quiete egit, communiterque vivebant.

26. Alcimus autem, videns charitatem illorum ad invicem, & conventiones, venit ad Demetrium, & dicebat, Nicanorem rebus alienis assentire, Judamque regni insidiatorem successorem sibi destinasse.

27. Itaque rex exasperatus, & pessimis hujus criminationibus irritatus, scripsit Nicanori, dicens, graviter quidem se ferre de amicitiæ conventione, jubere tamen Machabæum citius vinctum mittere Antiochiam.

28. Quibus cognitis, Nicanor consternabatur, & graviter ferebat, si ea, quæ convenerant, irrita faceret, nihil læsus a viro.

29. Sed, quia regi resistere non poterat, opportunitatem observabat, qua præceptum perficeret.

30. At Machabæus, videns secum austerius agere Nicanorem, & consuetum occursum ferocius exhibentem, intelligens non ex bono esse austeritatem istam, paucis suorum congregatis, occultavit se a Nicanore.

31. Quod cum ille cognovit fortiter se a viro præventum, venit ad maximum & sanctissimum templum, & sacerdotibus solitas hostias offerentibus, jussit sibi tradi virum.

32. Quibus cum juramento dicentibus nescire se ubi esset qui quærebatur, extendens manum ad templum,

33. Juravit, dicens: Nisi Judam mihi vinctum tradideritis, istud Dei fanum in planitiem deducam, & altare effodiam, & templum hoc Libero patri consecrabo.

34. Et his dictis, abiit. Sacerdotes autem protendentes manus in cælum, invocabant eum, qui semper propugnator esset gentis ipsorum, hæc dicentes:

35. Tu Domine universorum, qui nullius indiges, voluisti templum habitationis tuæ fieri in nobis.

36. Et nunc sancte sanctorum omnium Domine, conserva in æternum impollutam domum istam, quæ nuper mundata est.

37. Razias autem quidam de senioribus ab Jerosolymis delatus est Nicanori, vir amator civitatis, & bene audiens: qui pro affectu pater Judæorum appellabatur.

38. Hic multis temporibus continentiæ propositum tenuit in Judaismo, corpusque & animam tradere contentus pro perseverantia.

39. Volens autem Nicanor manifestare odium, quod habebat in Judæos, misit milites quingentos, ut eum comprehenderent.

40. Putabat enim, si illum decepisset, se cladem Judæis maximam illaturum.

41. Tur-

3. (*b*) Cum plures Judæi una cum gentilibus permisti eorum ritus & mores induerunt.

4. (*c*) Ramos aureos, quos e templo sustulerat.

18. (*d*) Cum hoste confligere.

41. Turbis autem irruere in domum ejus, & januam disrumpere, atque ignem admovere cupientibus, cum jam comprehenderetur, gladio se petiit;

42. Eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus (e), & contra natales suos indignis injuriis agi.

43. Sed, cum per festinationem non certo ictu plagam dedisset, & turbæ intra ostia irrumperent, recurrens audacter ad murum, præcipitavit semetipsum viriliter in turbas:

44. Quibus velociter locum dantibus casui ejus, venit (f) per mediam cervicem:

45. Et cum adhuc spiraret, accensus animo, surrexit: & cum sanguis ejus magno fluxu deflueret, & gravissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransiit:

46. Et stans supra quamdam petram præruptam, & jam exsanguis effectus, complexus intestina sua, utrisque manibus projecit super turbas, invocans dominatorem vitæ ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet: atque ita vita defunctus est.

CAPUT XV.

Judas Nicanorem & illius ingentem exercitum sternit; cæsi Nicanoris caput & manum amputari jubet, & suspendi Jerosolymis in memoriam divinæ protectionis.

Mach.7.26. 1. Nicanor autem, ut comperit Judam esse in locis Samariæ, cogitavit cum omni impetu die sabbati committere bellum.

2. Judæis vero, qui illum per necessitatem (a) sequebantur, dicentibus: Ne ita ferociter & barbare feceris, sed honorem tribue diei sanctificationis, & honora eum qui universa conspicit:

3. Ille infelix interrogavit, si est potens in cælo, qui imperavit agi diem sabbatorum.

4. Et respondentibus illis: Est Dominus vivus ipse in cælo potens, qui jussit agi septimam diem.

5. At ille ait: Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negotia regis impleri. Tamen non obtinuit ut consilium perficeret.

6. Et Nicanor quidem cum summa superbia erectus, cogitaverat commune trophæum statuere de Juda.

7. Machabæus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi a Deo affuturum.

8. Et hortabatur suos ne formidarent ad adventum nationum, sed in mente haberent adjutoria sibi facta de cælo, & nunc sperarent ab Omnipotente sibi affuturam victoriam.

9. Et allocutus eos de lege, & prophetis, admonens etiam certamina, quæ fecerant prius, promptiores constituit eos:

10. Et ita animis eorum erectis, simul ostendebat Gentium fallaciam, & juramentorum prævaricationem.

11. Singulos autem illorum armavit, non clypei & hastæ munitione, sed sermonibus optimis, & exhortationibus, exposito digno fide somnio, per quod universos lætificavit.

12. Erat autem hujusçemodi visus: Oniam, qui fuerat summus Sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui a puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum:

13. Post hoc apparuisse & alium virum, ætate & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum:

14. Respondentem vero Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei.

15. Extendisse autem Jeremiam dextram, & dedisse Judæ gladium aureum, dicentem:

16. Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel.

17. Exhortati itaque Judæ sermonibus bonis valde, de quibus extolli posset impetus, & animi juvenum confortari, statuerunt dimicare, & confligere fortiter, ut virtus de negotiis judicaret: eo quod civitas sancta & templum periclitarentur.

18. Erat enim pro uxoribus & filiis, itemque pro fratribus & cognatis minor sollicitudo: maximus vero & primus pro sanctitate timor erat templi.

19. Sed & eos, qui in civitate erant, non minima sollicitudo habebat pro his, qui congressuri erant.

20. Et, cum jam omnes sperarent judicium futurum, hostesque adessent, atque exercitus esset ordinatus, bestiæ equitesque opportuno in loco compositi:

21. Considerans Machabæus adventum multitudinis, & apparatum varium armorum, & ferocitatem bestiarum extendens manus in cælum, prodigia facientem Dominum invocavit, qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam.

22. Dixit autem invocans hoc modo: * Tu * Sup.8.19.
Domine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia rege Juda, & interfecisti de castris Sennacherib centum octogintaquinque millia:

23. Et nunc dominator cælorum mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timore & tremore magnitudinis brachii tui,

24. Ut

41. (e) Hoc Raziæ facinus Augustinus reprehendit Lib. 2. contra duas epistolas Gaudentii, cap. 23. *Quomodolibet accipiatur a vobis hujus Raziæ vita laudata, non habet mors ejus laudatricem sapientiam, quia non habet dignam Dei famulis patientiam.* Hebræi tamen & multi e Catholicis excusant hoc facinus, quod licet textus videtur non excusare modo, sed etiam laudare: *Ne subditus fieret peccatoribus*, ne blanditiis, aut tormentis in fraudem eum inducerent. Unde id potuit fieri peculiari Spiritus Sancti impulsu, ut de Samsone legimus; & Augustin. Lib. 1. de civit. cap. 2. & 26 de quibusdam virginibus scribit: *Quæ ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent, in flumen se projecerunt.* Sed communis tamen obstat regula, neminem debere peccando aliena peccata impedire, atque, ut ait idem Augustinus epist. 61 *Scriptum est, Innocentem & justum ne occidas: si ergo iste innocens & justus non fuit, cur proponitur imitandus? Si autem innocens & justus fuit, quare interfector innocentis & justi insuper putatur esse laudandus?* Et contra epist. Gaudentii: *Hoc facere debuit quod in iisdem literis leguntur septem illi fratres matre exhortante fecisse, ut comprehensus in dolore sustineret, & in humilitate patientiam haberet.* Intentio illius bona fuit, & pia moriendi ratio; sed facinus ipsum nec imitandum est, nec laudandum, nisi Spiritus Sancti impulsu id egerit: nam sui ipsius occisio non est generosi & virilis, sed pusilli & abjecti animi.

44. (f) Gr. [illegible], venit per medium ventrem, *pervenit in mediam turbæ aream.*

CAP. XV. 2. (a) *Bello capti, aut deprehensi in locis, ubi Macedones imperabant.*

24. Ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum. Et hic quidem ita peroravit.

25. Nicanor autem, & qui cum ipso erant, cum tubis & canticis admovebant.

26. Judas vero, & qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt:

27. Manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnifice delectati.

28. Cumque cessassent, & cum gaudio redirent: cognoverunt Nicanorem ruisse cum armis suis.

29. Facto itaque clamore, & perturbatione excitata, patria voce omnipotentem Dominum benedicebant.

30. Præcepit autem Judas, qui per omnia corpore & animo mori pro civibus paratus erat, caput Nicanoris, & manum cum humero abscissam, Jerosolymam perferri.

31. Quo cum pervenisset, convocatis contribulibus & sacerdotibus ad altare accersiit & eos, qui in arce (*b*) erant.

32. Et ostenso capite Nicanoris, & manu nefaria, quam extendens contra domum sanctam omnipotentis Dei, magnifice gloriatus est:

33. Linguam etiam impii Nicanoris præcisam jussit particulatim avibus dari: manum (*c*) autem dementis contra templum suspendi.

34. Omnes igitur cæli benedixerunt Dominum, dicentes: Benedictus, qui locum suum incontaminatum servavit.

35. Suspendit autem Nicanoris caput in summa arce, ut evidens esset, & manifestum signum auxilii Dei.

36. Itaque omnes communi consilio decreverunt nullo modo diem istum absque celebritate præterire:

37. Habere autem celebritatem tertiadecima die mensis Adar, quod dicitur voce Syriaca (*d*), pridie Mardochæi diei.

38. Igitur his erga Nicanorem gestis, & ex illis temporibus ab Hebræis civitate possessa, ego quoque in his faciam finem sermonis.

39. Et si quidem bene, & ut historiæ competit, hoc & ipse velim: sin autem minus digne, concedendum (*e*) est mihi:

40. Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est: alternis autem uti, delectabile: ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit gratus (*f*). Hic ergo erit consummatus.

31. (*b*) Quosdam ex arce vocat ad se velut de pactis quibusdam acturus: nam arcem adhuc tenebant Macedones.

33. (*c*) Suspicatur Grotius pro ἐπιχεῖρα in Græco textu scriptum fuisse ἐπιχειρεῖα. id est, seu *præmia* victoriæ de amentia reportatæ testimonium.

37. (*d*) Sermone Judaico, quod Judæa esset pars Syriæ.

39. (*e*) Auctor veniam petit, non quod in dubium revocet quæ hoc in libro narrantur: sed quod stylo forte minus eleganti & polito scripserit.

40. (*f*) Sermo nimis elaboratus & cultus, minus sæpe legentibus arridet. Spiritus Sanctus scribentium stylo utitur; qui varius est pro ingeniorum, doctrinæ, & usus varietate. Auctor præ modestia veniam deprecatur, si forte exilior videatur scribendi modus. At frustra Novatores hac excusatione sacri scriptoris abutuntur, ut huic libro auctoritatem detrahant: nam & Paulus Apostolus 2. Cor. 11. dicere potuisset sibi concedendum esse quod imperitus esset sermone: nec propterea quidquam de auctoritate Epistolarum Pauli decederet. Græce, sic etiam structura sermonis partim sublimis, quæ vino comparatur, partim tenuior, quæ aquæ, delectat aures eorum, qui historiam legunt. Si quid sublimius dictum, iis acceptum referri debet, unde illud Auctor excerpsit, si quid tenuius, id sibi.

IN QUATUOR EVANGELIA PRÆFATIO.

I. QUÆ Prophetæ futura prædixerunt; hæc quatuor Evangelistæ Matthæus, Marcus, Lucas, & Joannes facta commemorant; cum eo discrimine, quod ab Augustino Lib. 1. de consensu Evangelistarum, cap, 4. fuit observatum. Tres nimirum Evangelistas in his rebus maxime diversatos, quas Christus per humanam carnem temporaliter gessit; Joannem porro ipsam maxime divinitatem Domini, qua Patri est æqualis, intendisse: ita ut hos videas quodammodo in terra cum Christo Domino conversari, illum autem transcendisse nebulam, qua tegitur omnis terra, & pervenisse ad liquidum cælum.

II. Quatuor Evangelia, nec plura, nec pauciora, semper agnovit & venerata est Ecclesia. Quem enim ab initio tenuit tramitem, ait Illustriss. Huetius in demonstratione Evangelica, huic constanter insistere perseverat: quæ autem supposuerunt Hæretici, delevit dies. Quod vero quatuor Evangeliorum libri (atque eadem est ratio de reliquis novi Testamenti & Apostolorum scriptis) sint genuini, eadem ratione demonstratur, qua probatum fuit in Prolegomenis libros veteris Testamenti esse genuinos, atque eorum esse Auctorum, a quibus scriptos esse credit Ecclesia. Nam æquales eorum, atque iis proximi per consequentes ætates scriptores sancti, ut Clemens Romanus, Ignatius, Polycarpus, Justinus Martyr, Athenagoras, Irenæus & alii Apostolorum vicini temporibus, Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis, uti & Acta Apostolorum, Epistolas Pauli, Petri, Jacobi, Joannis, & Judæ, ac demum Apocalypsim citant ut scripta canonica, atque ex iis varia promunt testimonia. De quibusdam Epistolis a nonnullis olim fuit dubitatum; sed de quatuor Evangeliis nulla umquam in Ecclesia fuit dubitatio.

Quidam Hæretici nonnullos novi Testamenti libros repudiarunt, alii novos commenti sunt, ut Petri Evangelium, vel Acta; alii Andreæ, Philippo, Bartholomæo Evangelia falso tribuerunt. Sed quæ ratio genuinos libros asserit, quæque ex suffragiis ætatis proximæ & continuata serie sequentium repetitur, eadem, inquit Huetius propositione prima Demonstrationis Evangelicæ, apocryphorum auctoritatem elevat. Hinc Evangelia, quæ mox recensuimus Apostolorum nominibus falso inscripta, omnino esse subdititia, ex eo vel maxime colligimus, quod succedentia tempora constantem & perpetuum consensum iis non præbuerint, & falsitatem eorum prodiderint.

Ecclesiarum quippe consensus & traditio una est, & numquam fallens regula, ad quam sancti Patres provocant, ubi refellunt Hæreticos, qui subdititia Evangelia, aut spuria Apostolorum scripta protulere. Hinc illud pervagatum Augustini effatum contra Epist. Manich. cap. 5. *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.*

Evangelium quidem non ab Ecclesia, sed a Deo ipso habet divinæ auctoritatis pondus: verum ab Ecclesia discimus hoc ipsum esse Evangelium ab Apostolis conscriptum, & ad nos usque transmissum. Fides enim nostra, ut alibi sæpe diximus, in divinam auctoritatem ut ab Ecclesia propositam resolvitur; quique sint libri canonici, qui subdititii, ex unanimi Ecclesiarum consensu & traditione ipsa discimus. Quod si eruditorum omnium judicio stultum plane esset de Platonis, Aristotelis, Ciceronis, aut Titi Livii operibus dubitare, quæ sunt ab ipsis

ipsis Auctorum temporibus per consequentes ætates doctis omnibus probata: multo major erit illorum amentia, qui negant, quatuor Evangeliorum, & alios novi Testamenti libros esse genuinos, & ab iis scriptos, quorum nomina præ se ferunt. Non enim unius, aut alterius Auctoris testimonio, sed totius pene orbis consensu recepti sunt, idque intra quadraginta aut quinquaginta annos, viventibus adhuc Apostolis, stante Judæorum republica, Jerosolyma nondum excisa, cum Auctores eorum agnosci facile possent, nec quisquam de iis dubitaret, atque in omnibus extarent Ecclesiis horum librorum exemplaria.

III. Ii quidem libri sacrosancti ac divini ab omnibus Christianis semper habiti sunt, adeo ut summa religio his fuerit quidquam iis addere, aut detrahere. Ex quo id factum est, ut hæc Apostolorum monumenta licet intra breve temporis spatium in varias sint translata linguas, atque inter Christianos complures sectæ & hæreses exortæ fuerint; integra tamen & incorrupta permanserint, atque inter tot diversarum nationum exemplaria, nulla pene facta sit dissensio, nisi forte ex eorum, qui hos libros exscripsere incuria, aut inscitia, idque in rebus levioris momenti, ut fieri solet, quædam lectionis varietas irrepserit. Nam aliter fieri nequit citra novum & continuatum miraculum.

Quod autem quatuor Evangeliorum, & alii novi Testamenti libri ad nos usque incorrupti pervenerint, iisdem rationibus evincitur, quibus usi sumus in prolegomenis, seu in Biblicis institutionibus, quæ ad libros novi fœderis longe potiori jure adhiberi possunt.

Primum enim auctographa sacrorum librorum in Ecclesiis præsertim Apostolicis, aut in iis, ad quas missa fuerant Apostolorum scripta, diligenter sunt conservata, & exemplaria ubique exscripta. Si quæ majoris momenti in extypis ab archetypis diversa fuissent, hæc omnibus Ecclesiis statim innotuissent, & rejecta, viventibus præsertim Apostolis. Ac post eorum obitum viri Apostolici, Clemens Romanus, Ignatius, Polycarpus, & alii his vicini temporibus, ut Justinus Martyr, Irenæus, Tertullianus, eadem proferunt loca quæ nunc legimus.

An forte inter exscriptores ubique terrarum dispersos id convenire potuit, ut sacros libros iisdem erroribus & mendis, quasi ex condicto inquinarent? Nec video qua ratione tam sibi æquabilis & uniusmodi facta fuerit illa sacri textus depravatio. An viventibus Apostolis, aut brevi post eorum obitum temporis spatio? An repente & simul id factum fuit? An paullatim, & temporum lapsu? Nihil horum dici potest, quod in magna non incurrant incommoda. Quis ille fuit tot falsitatum auctor? Quibus id temporibus evenit? Et quidem omnes Ecclesiæ Ebionitas qui Matthæi, Marcionitas qui Lucæ Evangelium & Pauli Epistolas corruperant, statim ut falsarios damnarunt.

IV. Accedit illud vel maximum, quod in prolegomenis veteris Testamenti & alibi fusius fuit expositum, his libris omnes inesse veritatis & sinceritatis characteres. Stylus ipse simplex est & modestus, ab omni fuco alienus; nulla quippe in iis est mundanæ eloquentiæ affectatio; non vanis immorantur conjecturis; facta referunt nude & aperte, nec demum veritas ipsa, si homines alloqui vellet, aliam scribendi rationem adhiberet.

Sed audio quosdam incredulos, qui Auctores horum librorum, quicumque ii sint, non res gestas, sed fictas ad libidinem, & commentitias scripsisse, non serio egisse pertendunt.

Qua tandem ratione id probare possunt, Evangelistas non historiam, sed ficta narrasse miracula? Cum ubique serio & asseveranter, ut testes oculati ea referant, quæ ipsi viderint, aut ab iis qui viderant, acceperint, quæque publica fuerunt, & coram magna populorum multitudine facta. Quin & loca ipsa, personas, circumstantias omnes sic designant, ut omnibus palam sit, hoc iis fuisse propositum, ut viam salutis docerent, non ut oblectarent legentium animos.

V. Quæ narrant Christi & Apostolorum miracula, hæc primum in Judæa,

tum toto terrarum orbe intra paucorum annorum spatium sunt perpetrata & promulgata. Quod si mores eorum, instituta, & vitæ rationem, quam a Christo Domino acceperant, intento animo intueamur, de horum testimoniis nullus esse potest dubitandi locus. Relictis omnibus secuti sunt Christum, qui eo venerat, ut testimonium perhiberet veritati; eam violare in iis maxime, quæ ad religionem pertinent, nefas esse, & scelus horrendum, persuasi omnia potius perferenda esse tormenta, quam id sceleris in se admittere.

Hoc ipsum a Christo Domino didicerant, nihil aliud in hoc mundo iis expectandum præter calamitates, persecutiones, contumelias, supplicia, mortem denique, spem omnem suam & fidelium in futura & beata vita esse collocandam.

Quamobrem qui Evangelia, vel alios novi Testamenti libros, aut Epistolas scripsere, nec falli, nec fallere potuerunt; atque iidem sunt, quibus hi libris tribuuntur. Hoc unum illis fuit propositum, ut quæ revera sunt gesta, aut dicta hominibus persuaderent. Quæ esset Magistri sui doctrina, apprime noverant; in factis tam publicis, tam manifestis, decipi non potuerunt. Hujus generis fuit Christi resurrectio, aut Spiritus Sancti in discipulos effusio; nec ulla suberat caussa, cur in tam manifestis & recentis memoriæ rebus, in luce publica positis, toti orbi imponere conarentur. Quod enim ex iis commentis sperare poterant emolumentum? An forte tot homines id consilii capere, aut exequi potuerunt, & terrarum orbem ea fide implere? An ex his, ut placet incredulis, laudem & nominis gloriam e commentis quæsierunt? A quibus tandem hanc gloriolam aucuparentur? Non ab aliis certe, quam ab his qui Christi doctrinam & præcepta in honore habebant. Sed nulla res magis eorum existimationem apud Christianos deterrere potuisset, quam si ausi essent in Judæa primum, tum apud Gentiles ficta jactare miracula: cum falsi revinci facile potuissent vel ab ipsis Judæis, qui summis in Christianam religionem odiis ardebant.

VI. Verum ut ad Institutum nostrum redeamus, quatuor Evangelia semper agnovit & excepit Ecclesia, quamvis ex prologo Lucæ Evangelistæ constet complures id suscepisse, ut quæ ad vitam Christi Domini & doctrinam spectant, mandarent litteris. Sed præter quatuor Evangelistas non judicavit Ecclesia alios a Deo sic inspiratos fuisse, ut eorum scriptis fidem adhibere, aut canonicam iis auctoritatem tribuere oporteret. Hinc Irenæus Lib. 3. cap. 2. quatuor tantum esse Evangelia docet, nec plura, nec pauciora, eaque esse velut quatuor Ecclesiæ columnas: idem tradit Clemens Alexandrinus Lib. 3. Stromatum. Hoc ipsum passim tradit Origenes, ut homil. 1. in Lucam; atque ea est constans omnium veterum sententia.

VII. Cur autem non plures, aut pauciores Spiritu Sancto afflatos, qui Evangelia scripserint, agnoverit Ecclesia, vix ulla afferri alia caussa potest præter Dei voluntatem. Unus quidem cuncta scribere potuisset, quæ a pluribus referuntur Evangelistis: sed in quatuor illis qui diversis scripsere temporibus, summa consensio majus est quoddam veritatis argumentum, quam si unus tantummodo eadem Domini facta & dicta retulisset. Quin etiam si quæ sit in miraculis Christi proferendis inter Evangelistas varietas, si quædam ab uno narrentur, quæ ab aliis omittuntur; si inter eos nonnulla in locis, temporibus, & aliis circumstantiis specie dissidentia videantur, bonam & sinceram eorum fidem hæc omnino confirmant: adeo ut vel ex hoc ipso palam fiat non ex conventione, aut ex collusione quadam eos scripsisse: ubique eadem fides, & idem candor se prodit. Sic Apostolorum contentiones, æmulationes, lapsus, uti & patientiam, fidem, constantiam æque commemorant. Quamobrem si quid ab uno omissum fuit, quod ab aliis traditum est; si quæ sit in narrationis ordine diversitas, si eamdem Christi Domini sententiam non iisdem verbis referant, nihil propterea de eorum auctoritate & veracitate decedit: sed bonam

nam eorum fidem & veracitatem magis adstruit. Non enim pugnant scriptores, si forte unus proferat, quod ab alio omittitur: neque ordinis in narrandis factis diversitas veritati ipsi præjudicat; cum idem est sensus, sibi constat sententia, licet non iisdem prorsus verbis afferatur.

VIII. Primum enim illud cum Augustino statuendum est, sæpe ab uno Evangelista prætermitti quod ab alio memoratur. Sic Matthæus cap. 1. hæc habet, *Antequam convenirent, inventa est in utero habens*: hoc quemadmodum factum sit, quod hic Matthæus prætermisit, Lucas exposuit, ut docet August. Lib. 1. de consensu Evangelistarum, cap. 51. ac vicissim Matthæus connectit cap. 2. quod Lucas prætermisit? *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem*, &c. Quomodo autem & qua de caussa Joseph & Maria venerint Bethlehem, exponit Lucas cap. 2. sed de Magis tacet: ex quibus Augustinus merito concludit cap. 6. *Quemlibet eorum commemorando quod alter tacet, vel tacendo quod alter commemorat, non impedire intellectum veracis narrationis alterius.*

2. Si quando de eadem re diversa dicere videantur, non idcirco pugnant inter se: non enim tam verborum, quam rerum quærenda est, vel amplectenda veritas: quando eos qui non eadem locutione utuntur, rebus sententiisque non discrepant; in eadem veritate constitisse approbamus.

3. In factis enarrandis interdum anticipatione, interdum utuntur recapitulatione. Sic Matthæus & Marcus, ille cap. 26. hic cap. 14. cœnam & unctionem in Bethania factam per recapitulationem referunt, quam Joannes cap. 12. suo loco commemorat. Joannes ubique servat ordinem temporum & locorum, nec ferre anticipatione utitur, aut recapitulatione.

Hinc Aug. cap. 21. Quid autem, inquit, interest quid, quo loco ponat, sive quod ex ordine inserit, sive quod omissum recolit, sive quod antea factum ante præoccupat: dum tamen non adversentur eadem narranti nec sibi, nec alteri?

Quæ quidem Augustini regula latius patet: non enim semper observatur ab Evangelistis temporum ratio. Sæpe occasione accepta ea conjungunt, quæ sunt affinia, licet alio dicta, aut facta tempore. Unde non est curiose laborandum, ut singula superioribus certo ordine nectantur. Voces illæ, *tunc in illis diebus*, aliquando indefinite sumuntur pro quovis tempore; nec semper ad tempus rei narratæ pertinent, ut idoneis dicetur locis.

IX. Illud in prolegomenis veteris Testamenti fuit a nobis observatum, temporum ordinem in libris historicis interdum non servari, vel ob materiæ connexionem, vel ut omnia, quæ ejusdem sunt narrationis, eodem quoque orationis filo pertexantur, quæque si minus temporibus, saltem insigni aliqua circumstantia sunt conjuncta, in eamdem orationem includantur.

Jam si Evangelistas inter se conferamus, Matthæus Christi miracula paucis complectitur, sed veteres Prophetias a Christo Domino impletas fuisse passim insinuat. Verborum ordinem sæpe commutat, quædam subinde addit, aut detrahit, eodem sensu reservato. Sic verba Isaiæ 8. 14. *Vocabis nomen ejus, Emmanuel*: Matthæus cap. 1. 23. *Vocabunt*: eadem est ratio cap. 2. 6. *Et tu Bethlehem*, &c. qui locus ex cap. 5. Michææ desumptus est. Scribæ enim & sacerdotes explicare maluerunt quod sensit Propheta, quam sensum ejus subobscurum ad verbum reddere. Interdum etiam duplicis Prophetiæ sententias connectit, ut cap. 21. 5. *Dicite Filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit*, &c. Prior est Isaiæ cap. 62. posterior Zachariæ 9. Sic aliquando adjicit quæ præsentem locum illustrare possunt, ut cap. 19. 5. *Erunt duo in carne una*: Vox, *duo*, ab Hebræo textu abest.

Lucas omnium minime temporum ordinem videtur servare. Sic cap. 11. sermonem Domini cap. 6. inceptum prosequitur; Scripturam citat magis juxta LXX. interpretationem, quam juxta textum Hebræum.

Joannes Hebraismis præter ceteros utitur: nam omnes pene ejus sententiæ oratione directa sine ulla circuitione concluduntur, ac licet a se invicem pen-

deant, nullo tamen nexu plerumque inter se colligantur, nisi simplici conjunctione. *Et*, aut alia consimili, ut cap. 17. v. 8. & sequentibus: quæ omnes sententiæ connecti possent per relativa Hebræis minus usitata. Unde hæ particulæ copulativæ plerumque eam vim habent, ut caussam significent, & argumentum inferant: cumque sæpe desint, major interdum in sententiis est obscuritas. Antitheses illustrationis & confirmationis caussa usurpat, ut cap. 1. de luce & tenebris: Appositiones quoque plerumque asciscit, quas Latini per voculas *nempe scilicet*, &c. annectunt; ut cap. 1. 12. *His qui credunt*, nempe his qui credunt. Item cap. 3. 13. *Nisi qui descendit de cælo*, nimirum Filius hominis. Antecedens nonnumquam pro relativo ponit, quod in Hebraico sermone est usitatum.

X. Hæc & alia hujus generis vir pereruditus in suis regulis ad intelligentiam novi Testamenti conscriptis susius persequitur, quæ leviter attigisse satis fuerit. Idem non minus utiles de docendi modo, quo usus est Christus Dominus, præmisit observationes, quæ apud Auctorem legi possunt, easque suis locis non omittemus, uti & quæ de parabolis ab eo sunt prudenter annotata. His in docendo sæpe utebatur Christus Dominus: est quippe simplicissimum docendi genus, rudibus maxime accommodatum, & ab omi ostentatione alienum. Philosophi contortis magna arte syllogismis tenebras offundunt; Rhetores vim quamdam animis afferunt; Pharisæi apud Judæos retrusa quædam, & a populi captu remota congerebant. At divina Sapientia hoc simplex docendi genus selegit, ut gloria omnis renovati per Evangelium Mundi divinæ esset, non humanæ virtutis opus.

Illud in primis intuendum, quo spectet parabola; neque id anxie nimis inquirendum, quid singula significent verba. In iis enim quædam sunt necessaria, ac velut propriæ cujusque parabolæ partes; quædam adjectitia, & ad ornatum comparata, ut constet sibi narrationis ordo. Solo vomere, ut ait Aug. Lib. 16. de civit. Dei cap. 2. terra proscinditur; sed ut hoc fieri possit, cetera aratri membra sunt necessaria. Complures parabolæ non solum bene vivendi documenta, sed etiam permagni momenti Prophetias continent: ut parabola de grano Sinapis magnos Evangelii progressus prænotabat: altera de villicis infidis, Christi mortem, Judæorum ingens flagitium, ac pœnas, quas daturi erant, apertissime designabat. Quod autem Christus Dominus abrupta interdum differendi ratione uti videatur, id ab eo factum est, quod cum intima audientium cogitata penetraret, quæque ad finem sibi propositum spectarent, intueretur, eorum qui audiebant utilitati sermonem suum accommodare voluerit. Verum ista & alia hujus generis plurima circa parabolas, Prophetias, veteris Testamenti figuras, & earum usum suis quæque locis commodius exponuntur: nunc institutum nostrum prosequamur.

XI. Hactenus de quatuor Evangeliis universim præfati sumus; nunc de singulis dicturi, ab eo quod omnium primum scriptum fuit a Matthæo ordiamur. Illud patrio sermone, seu Hebraico, qualis tum erat in Judæa usitatus, scriptum fuisse communis est omnium fere veterum & recentiorum sententia. Paucis post Christi Ascensionem annis, antequam Apostoli in varias regiones discederent, ex aliorum Apostolorum consensu & Judæorum, qui ad Christi fidem recens conversi fuerant, precibus adductus hoc scripsit Evangelium. In Græcam linguam statim translatum fuit, atque una tantummodo versio facta est, totius Ecclesiæ consensu recepta & probata, eaque vim habuit textus originalis & archetypi. Quod enim Hieronymus textum Hebraicum Cæsareæ Palæstinæ in Bibliotheca S. Pamphilii Martyris asservatum docet, illud erat Evangelium, quo Nazaræi utebantur, & in quo multa extabant a nostro textu, & genuino aliena. Unde cum Hieronymus Latinam versionem emendavit, non ad Hebraicum, vel Syriacum, sed ad Græcum textum eam exegit, atque, ut ipse loquitur, *Græcæ fidei reddidit*. Cajetanus tamen, Erasmus, & alii perpauci in ea sunt opinione, ut putent Matthæi Evangelium Græce exaratum fuisse,

fuisse, quod in eo quædam voces Latinæ occurrant, quæ potius a scriptore Græco, quam ab Hebræo erant usurpatæ, quod Græcorum cum Latinis majus esset, quam cum Hebræis commercium, & inter eas linguas major esset cognatio. Sic vocis *Petri* ad *Petram* allusio inter Græcum & Latinum sermonem inest tantummodo. Addunt voces Hebræas, aut Syriacas ab Auctore ipso Græce axponi solitas, quod fieri vix potuit ab eo qui Syriace scripserit. Sed ista non aliud evincunt, quam Interpretem Græcum voces Syriacas exposuisse, easque fecisse Græcas, aut Latinas. Sic LXX. Interpretes propria quædam nomina veteris Testamenti Græce solent interpretari, idque in vulgata editione Latina non est infrequens, etiam in appellativis nominibus, ut Latine explicentur.

At inquiunt, illud Matthæi Hebraice, aut Syriace scriptum Evangelium nulli e SS. Patribus visum umquam fuit, aut cognitum: siquidem Nazaræorum Evangelium a Græco longe diversum est. Hujus sæpe mentionem facit Hieronymus, ut in dalogo 3. adversus Pelagianos. *In Evangelio*, inquit, *juxta Hebræos, quod Chaldaico quidem sermone, sed Hebraicis litteris scriptum est, quo utuntur usque hodie Nazaræi, secundum Apostolos, sive ut plerique autumant, juxta Matthæum*. Nec verisimile est textum primigenium intra paucos annos sic periisse, ut nulla extiterit ejusmodi memoria primis Ecclesiæ sæculis.

His aliis conjecturis respondet vir perdoctus, Matthæi Evangelium vetustissimis Ecclesiæ scriptoribus, ut Papiæ, Irenæo, & aliis, non fuisse incognitum; brevi post tempore Christianos e Judæis conversos, Græce magis quam Syriace, aut Chaldaice locutos, & cum Græcis ad fidem conversis potius quam cum aliis in pristina perfidia obfirmatis familiariter vixisse: adeo ut jam textus Syriacus fere iis esset inutilis, atque is tantummodo fuerit penes Nazaræos, qui eum variis in locis depravarunt. Nec dubium est, quin versio Græca brevi post tempore, atque ut credibile est, Matthæi ipsius ætate facta fuerit, quam Marcus, ut par est credere, jam viderat: nam iisdem sæpe utitur Græcis vocibus. Itaque est illud vero proximum, Evangelium a Matthæo in gratiam Judæorum, qui Jerosolymæ, & in Palæstina degebant, lingua in ea regione magis usitata scriptum esse; illudque eos usque ad excidium Jerosolymæ conservasse, & secum Pellam usque ante urbis obsidionem asportasse. Plerique ex iis Judaicarum observationum tenaces sectam Nazaræorum conflarunt, quæ postea in sectam Ebionitarum degeneravit. Multas Nazaræi historias Evangelio adjecerunt, quas ex traditione acceperant. Itaque forsan ii habebant originalem textum, & integrum, ut videtur Epiphanio, sed variis additionibus conspersum: id Ebionitæ multo magis corruperunt, pleraque detrahentes.

Clemens Alexandrinus Lib. 2. Stromatum citat Evangelium juxta Hebræos. Illud Hieronymus non modo legerat, sed etiam verterat in Græcam linguam, idque a Nazaræis Berœæ civitatis Syriæ acceperat. Complura additamenta ex eo desumpta in suis commentariis in Matthæum commemorat: veteris Testamenti loca juxta Hebraicum textum citata, non ex LXX. versione profert: cujusmodi est ilud, *Nazaræus vocabitur*; item illud, *Ex Ægypto vocavi filium meum*, Osee 11. Ad hoc Evangelium recurrit, ut exponat vocem ἐπιούσιον, Matth. cap. 6. ubi notat vocem in Evangelio Nazaræorum *panem crastinum*, seu *quotidianum* exprimere, ut in vulgata veteri legebatur, & Lucæ cap. 11. adhuc legitur. Sic Matth. 23. ubi habemus, *Zachariam filium Barachiæ*, ibi legebatur, *filium Joiadæ*.

XII. Quod autem primus omnium scripserit Evangelium Matthæus, idque Hebraica lingua, seu Syriaca, quæ tum erat in Judæa usitata, id testatur Irenæus Lib. 3. cap. 1. Eusebius Lib. 3. cap. 39. citat Papiam in eamdem sententiam; uti & Origenem Lib. 6. cap. 25. *Primum scilicet Evangelium scriptum esse a Matthæo, prius quidem publicano, postea vero Apostolo Jesu Christi, qui illud Hebræo sermone conscriptum, Judæis ad fidem conversis, publicavit*. Idem testantur veteres pene omnes: patrio sermone eum scripsisse ajunt, qui usitatus

fuit in Judæa, & in usum Hebræorum scripsit, ut eo absente, Evangelium, quod prædicaverat, legerent. Lingua autem Syriaca erat Chaldaicæ dialectus, quæ in Syria erat in usu. Hæc in Judæa quibusdam Hebraicis vocibus erat permista, quales ab Evangelistis referuntur, ut *Haceldama*, ager sanguinis, *Golgotha*, & aliæ quædam.

Ex quatuor Evangelistis duo sunt Apostoli Matthæus & Joannes, duo itidem Apostolorum discipuli Marcus & Lucas, ille Petri, hic Pauli discipulus, & peregrinationis ejus comes; idque non sine providentia peculiari factum est, ut liqueret omnibus nihil esse discriminis inter ea, quæ Apostoli mandarunt litteris, & illa quæ viva voce docuerunt.

XIII. *Evangelii* vox, ut omnibus notum est, bonum nuntium significat: quo quidem modo sumitur apud Isaiam cap. 52. *Quam pulcri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem!* Quem locum citat Apostolus Rom. 10. ut insignem Prophetiam, qua prædicatio doctrinæ & vitæ Jesu Christi prænuntiatur. Sic Paulus Timotheum adhortatur, ut opus faciat *Evangelistæ*, seu verbum Dei annuntiet. Quo quidem modo Philippus Diaconus in Actis Apostolorum *Evangelista* nominatur. Sed postea vox illa Evangelii ad historiam vitæ & doctrinæ Jesu Christi restricta est, & solis quatuor vitæ & prædicationis Christi Domini scriptoribus *Evangelistæ* nomen tributum.

Utrum tituli ipsi Evangeliorum a sacris Auctoribus fuerint his libris præfixi, non ausim affirmare. Nam qui sua nomina libris inscripsere Prophetæ, aut Apostoli, hi textui ipsi eadem inseruerunt. Nihilominus tamen certum est hos titulos, qui Evangelistarum nomina præ se ferunt, jam a primis Ecclesiæ temporibus inscriptos fuisse, atque ex veterum omnium testimoniis Auctores ipsi demonstrantur. Vox illa, *Secundum Matthæum*, Græce *κατὰ*, non aliud significat, nisi hoc Evangelium a Matthæo fuisse conscriptum. Hoc utique Matthæo & aliis Evangelistis fuit propositum, ut fidelibus notum facerent Christum ipsum, atque ejus vitam, acta, & verba mandarent litteris, quæ Evangelii nomine expresserunt.

XIV. Matthæi vocatio ab eodem Evangelista refertur cap. 9. a Marco cap. 2. a Luca cap. 15. eodem prorsus modo & cum iisdem circumstantiis. Sed Marcus & Lucas eumdem *Levi* appellant. Unde quidam e veteribus negarunt publicanum, cujus fit mentio apud Marcum & Lucam, esse *Mathæum*, sed *Levi*, quem alium a Matthæo esse putant. Hanc opinionem tuetur Grotius, quod Matthæus ipse numquam se *Levi* nomine appellet, nec duo alii Evangelistæ, cum hanc referunt historiam, eum hoc nomine designent, atque Apostolorum catalogo non *Levi*, sed *Matthæus* adscribatur.

Secus tamen veteres pene omnes sentiunt, nempe ex ipso historiæ contextu, & omnibus circumstantiis, eumdem esse publicanum a Domino vocatum, & Matthæum, qui in telonio sedebat, & statim secutus est vocantem Jesum. Idem igitur est Matthæus, qui domi suæ excepit Dominum, quique ante vocationem suam *Levi* dicebatur.



SAN-

SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM SECUNDUM MATTHÆUM.

CAPUT PRIMUM.

Christi genealogia pertexitur, & ejus conceptio de Spiritu sancto; Joseph ab Angelo mysterium edocetur.

1. LIBER generationis (*a*) Jesu Chri-
*Luc.3.31. sti filii * David, filii Abra-
ham.
*Gen.21.3. 2. * Abraham genuit Isaac.
*Gen.25.25. * Isaac autem genuit Jacob.
*Gen.29.35. * Jacob autem genuit Judam, & fratres
ejus.
*Gen.38.29. 3. * Judas autem genuit Phares, & Zaram
de Thamar.
1.Par.2.4. *Ruth 4.18. * Phares autem genuit Esron.
Esron autem genuit Aram.
1.Par.2.5. 4. Aram autem genuit Aminadab.
*Num.7.12. * Aminadab autem genuit Naasson.
Naasson autem genuit Salmon.
5. Salmon autem genuit Booz de Rahab (*b*).
*Ruth 4.21. * Booz autem genuit Obed ex Ruth.
Obed autem genuit Jesse.
* Jesse autem genuit David regem. *Ruth 4.22.
6. * David autem rex genuit Salomonem, 1 Reg.16.1.
ex ea quæ fuit Uriæ. *2 Reg.12.24.
7. * Salomon autem genuit Roboam (*c*). *3.Reg.11.43.
* Roboam autem genuit Abiam. *3 Reg.14.31.
* Abias autem genuit Asa. *3.Reg.15.8.
8. Asa autem genuit Josaphat.
Josaphat autem genuit Joram.
Joram autem genuit Oziam (*d*). *2.Par.26.23.
9. * Ozias autem genuit Joatham. *2.Par.27.9.
* Joatham autem genuit Achaz. *2.Par.28.27.
* Achaz autem genuit Ezechiam. *2.Par.32.33.
10. * Ezechias autem genuit Manassen. *2.Par.33.20.
* Manasses autem genuit Amon. *2.Par.33.25.
* Amon autem genuit Josiam.
11. * Jo-

CAPUT I. 1. (*a*) Genealogia Christi Domini secundum carnem, seu Catalogus progenitorum Christi. *Filii David, filii Abraham*. hos duos præ ceteris commemorat, quod utrique promissio specialis facta fuerit, fore ut Christus ex iis nasceretur. Abrahæ quidem ut gentis totius. Davidi ut familiæ suæ capiti. Ac primo quidem loco Davidem nominat, quod Dei promissio non ad gentem tantummodo Judaicam, sed ad privatam Davidis familiam pertineret. Hæc genealogia incipit ab Abraham, & desinit in Joseph virum Mariæ. Uterque Evangelista Matthæus & Lucas non Mariæ, sed Josephi stirpem exposuit, cum Joseph ut pater Jesu haberetur, neque id moris esset apud Judæos, ut mulierum genus describeretur, sed virorum tantummodo: unde vel nulla, vel Josephi tantum generis facienda erat descriptio; non enim aliam aut Judæi, aut Gentes recepissent. Itaque illud apud fideles constat, Mariam ut filiam unicam nupsisse viro non solum ejusdem Tribus, sed etiam ejusdem familiæ, idque ex lege Dei, cap. 36. Numer. Joseph & Maria consobrini fuerunt, qui eumdem habuerunt avum, Mathan nimirum. Unde in eadem stirpe ambo conveniunt.

5. (*b*) Mulieres quædam ex occasione positæ sunt in genealogia Christi, quia de iis peculiare quiddam in Scripturis memoratur.

7. (*c*) Vetus est infidelium calumnia duos Evangelistas Matthæum & Lucam inter se non convenire, cum Matthæus ad Salomonem, Lucas ad Nathan Christi genus referant. Communis est responsio a Matthæo naturalem generationem, a Luca vero legalem referri, atque hinc nominum & personarum diversitatem manare. Unde Joseph ex Matthæo filius erat Jacob, ex Luca filius Heli. Hanc conciliandi utrumque Evangelistam rationem Julius Africanus ex lege Deuter. cap. 25 depromit, quæ his verbis concepta est: *Quando habitaverint fratres simul, in eadem regione, in eadem familia, & unus absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui.* Hinc duo possunt esse ejusdem filii patres, unus a quo genitus est, alter legalis, cujus nomen & bona possidet. Exemplum habemus de Obed in libro Ruth. Sic Joseph fuit filius Jacob, & sub ea ratione genus ejus ad Davidem per Salomonem refertur; ut filius Heli, per Nathan ad Davidem perducitur. Mathan & Mathat ex eadem uxore filios genuerunt, Mathan quidem Jacob, Mathat autem Heli: Jacob ex uxore Heli sine liberis defuncti genuit Joseph natura quidem suum, sed secundum legem Heli filium. *Quidam tamen*, ait Mariana in hunc locum, *arbitrantur Matthæum genealogiam Christi per Joseph deduxisse, Lucam per Mariam, atque Heli fuisse Joachimum patrem Virginis, Josephi socerum, quare vocatur ejus pater.* Qua de re nolo hoc loco disputare: indicasse satis fuerit hanc, qualiscumque sit, solutionem. Quod si tamen communior & pene recepta sententia Julii Africani magis arrideat, non intercedam: nam ea veterum traditione nititur & promissionibus quæ factæ sunt Davidi 2. Reg. 7. Psalmis 88. & 131. ex quibus colligitur regnum Salomonis fore perpetuum, semen ejus in æternum mansurum. Quod in Christo completum est, commutato temporali in spirituale regnum. Unde Africanus apud Eusebium hanc traditionem a cognatis Domini acceptam esse testatur: *Supradictam generis seriem ex Ephemeridum libro quam poterant fidelissime descripserunt.*

8. (*d*) Quæritur cur tres omittantur reges, Ochozias, Joas, & Amasias. Resp. ab Elia Propheta prædictum fuisse Achab, fore ut stirps ejus deficeret. Unde & Evangelista ad quartam usque generationem Reges Juda ex Achab impiissimo Rege Israel per femineum genus prognatos reticuit, ob maledictionem a Deo per Eliam domui Achab prædictam: vel etiam quia Evangelistæ propositum erat tres tantum tessaradecadas, seu triplicem generationum seriem ab Abraham ad Joseph usque recenseri: *Quæ autem a Davide usque ad captivitatem Babylonicam numerantur, cum sint 17. tribus his resectis ad 14. rediguntur.* Nam postea alias quoque generationes omittit: cum autem ratio illius numeri occulta sit, non est cur eam curiosius scrutemur.

*2. Par. 36. 1. & 2. 11. * Josias autem genuit Jechoniam (e), & fratres ejus in transmigratione Babylonis.

12. Et post transmigrationem Babylonis: Jechonias genuit Salathiel.
Salathiel autem genuit Zorobabel.

13. Zorobabel autem genuit Abiud (f).
Abiud autem genuit Eliacim.
Eliacim autem genuit Azor.

14. Azor autem genuit Sadoc.
Sadoch autem genuit Achim.
Achim autem genuit Eliud.

15. Eliud autem genuit Eleazar.
Eleazar autem genuit Mathan.
Mathan autem genuit Jacob.

16. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est JESUS, qui vocatur (g) Christus.

17. Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim: & a David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim: & a transmigrationis Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim.

*Luc. 1. 27. 18. Christi autem generatio (h) sic erat: * Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.

19. Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.

20. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere (i) Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.

21. Pariet autem filium, * & vocabis nomen ejus JESUM (k): ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. *Luc. 1. 31. Act. 4. 12.

22. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam, dicentem:

23. * Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus. *Isa. 7. 14.

24. Exurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem suam.

25. Et non cognoscebat eam, donec (l) peperit filium suum primogenitum, & vocavit nomen ejus JESUM.

CAPUT II.

Magi ex Oriente profecti veniunt cum muneribus, Jesum adorant; Herodes ab iis delusus infantes necari jubet; Christus fugit in Ægyptum; illius reditus.

1. CUm ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus (a) Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, Luc. 2. 8.

2. Dicen-

11. (e) Duos fuisse Jechonias, alibi diximus; primus Josiæ filius post primam transmigrationem occisus fuit, qui & Joakim dictus est; alter fuit hujus Jechoniæ filius, quem Evilmerodach habuit in honore, atque hic secundo loco ponitur. Hujus filius, aut nepos fuit Salathiel, qui Zorobabelem genuit. In quibusdam MSS. Græcis inter Josiam & Jechoniam interpositum est nomen Jakim: sed hanc lectionem insuper habuit Hieronymus, ea quippe contraria est optimis exemplaribus & antiquis versionibus.

13. (f) Lib. 1. Paralipom. ponitur Ananias, qui ut videtur Abulensi, idem est cum Abiud, aut forte Abiud alius est ex filiis Zorobabel, cujus posteritas eo loco Paralipom. reticetur. Nam ab Abiud usque ad Joseph nulla in sacris litteris eorum fit mentio. Sed erant in unaquaque familia aliæ genealogiæ, ex quibus hi sumpti sunt ab Evangelista. Deest in hac tertia tessara-decade una generatio, quam expleret Phadaja, quæ vel excidit, vel de industria ille omissus fuit a Matthæo, quod apud Esdram Lib. 1. cap. 3. & Lib. 2. c. 7. a duobus Prophetis fuerit prætermissus, qui Zorobabel ad templi extructionem excitarunt, patris vero Phadajæ obscuri hominis non meminerint; tametsi quodam modo expressus fuit in tertia tessara-decade, cum 12. generationes numerentur. Unde non abhorret a verosimili eam generationem temporum lapsu excidisse; nec Porphyrius id unquam objecit, unam generationem a Matthæo omissam fuisse, nisi forte Zorobabel alius est ab eo, cujus fit mentio Lib. 1. Paral. 3. 19.

16. (g) Qui est Christus, idem enim in Scriptura est vocari & esse.

18. & 19 (h) Quæ referri possunt vel ad genealogiam Christi jam positam, vel ad ejus nativitatem, de qua mox dicturus est. Græce. *Christi nativitas hæc erat sic: Cum esset desponsata*; Sponsi & Sponsæ voces in Scriptura iis tantummodo, qui juncti sunt matrimonio, tribuuntur, idque maxime cum matrimonium ratum est. Sic Ecclesia *Sponsa Christi* dicitur, cum sit Christo desponsata: *Despondi enim vos uni viro Virginem castam*, 2. Cor. 11. In veteri Testamento Sponsæ nomen sic usurpatur, ut Deuter. 22. *Si puellam virginem desponderit vir*. Item Osee 4. *Fornicabuntur Filiæ vestræ, & Sponsæ vestræ adulterabunt*. Evangelistæ autem Sponsæ nomen; & uxoris Mariæ, ut viri nomen Josepho tribuunt. *Antequam convenirent*, Antequam congressu conjugali convenirent; *inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*. Nonnulli has voces *Antequam convenirent*, sic interpretantur: antequam Maria domum duceretur, atque in easdem ædes convenirent. Ut ut sit, voce illa, *Antequam*, quæ in dubium revocari potest, humanam excludit operationem, more in Scripturis usitato, non quod postea convenerint: non enim ea de re agebatur. *Inventa est*, forsan post reditum Mariæ e domo Elisabeth; *Et nollet eam traducere*, perspecta quippe illi erat Mariæ virtus. Quo autem honori suo, & saluti conjugis consuleret: *Voluit eam occulte dimittere*, in aliam forte regionem commeando. Silentium Mariæ magnum fuit virtutis ejus documentum, quæ mysterium Josepho non indicavit, nec purgare se festinavit.

20 (i) Nam de illa dimittenda cogitabat. *Mariam conjugem tuam*; Hæ voces in sponsalia de futuro ex usitato hominum sermone non conveniunt. Quare verum inter eos matrimonium, idque ratum, non consummatum, intercessit neque id contrarium fuit continentiæ voto: alioquin & ipsa sponsalia eidem voto opposita quoque fuissent. Itaque Maria cum Joseph vero connubio juncta erat ex divinæ sapientiæ consilio, ut filii & matris honori consultum foret. Quid enim Judæi adversus Christum non dixissent, si sponsalia tantum, non verum fuisset matrimonium? Eam controversiam erudite pertractat Auctor Analyseos Gallice dissert. 2. ac subinde monet hanc quæstionem ortam ex homonymia, seu ex *æquivocatione*, ut loqui solemus, earum vocum sponsi & sponsæ, quæ interim pro iis, qui in futurum matrimonium sibi invicem fidem dederunt, interim pro iis qui reipsa matrimonio juncti sunt, accipiuntur. *Quod enim in ea natum est*, id est, conceptum, *de Spiritu Sancto est*: non ex fide violata, non ex vi extranea, sed ex virtute Spiritus Sancti in momento formatum est Christi Corpus, natum quodammodo & omnibus suis partibus absolutum.

21. & 23. (k) Quod solius Dei est. *In utero*; Hoc Isaiæ testimonio evincit Evangelista Jesum esse Messiam & Dei Filium, qui locus expositus fuit cap. 7. Isaiæ. Græce. *Illa virgo*: quo quidem articulo singularem & certam, immo & Beatissimam Virginem designari valde est probabile, uti a viro docto fuit annotatum. *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Phrasis Hebraica nomen pro re sumitur: erit verus Emmanuel Deus & homo.

25. (l) Vox, *donec*, id tantum indicat, quod antea factum non fuit, non quod eam postea cognoverit: id unum designat, non eam cognovisse: & illæ particulæ, *antequam*, *donec*, indefinitum relinquunt quid postea factum sit. Sola Virginis fides, cum Spiritus Sancti operatione, quasi umbra, ut ait Angelus Gabriel apud Lucam, in hoc mysterio remiuit. *Filium suum primogenitum*, non quod alios habuerit fratres, sed quia nullum ante. Sic omnis unigenitus est primogenitus: Num. 18. 15. primogenitus est ante quem nullus.

CAP. II. 1. (a) Mortuus est Herodes anno correctionis Julianæ 42. ab urbe condita 750. mense Novembri: unde & Christus natus est anno 749. Annus vero æræ vulgaris consulatu Caji Cæsaris, & Æmilii Pauli, incidit in annum 46. correctionis, & 754. urbis conditæ: adeo ut Nativitas Christi antevertat æram communem 4. annis & 7. diebus. Atque hic error in computanda æra Christianorum circa annum 525. Justino imperante irrepsit, cum Dionysius Exiguus annos computare cœpit ab Incarnatione Christi, quod huic anno maneri aptet, seu cycli lunaris annum primum alligare voluerit. Nunc vero a primo

die

2. Dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum ? vidimus enim stellam (*b*) ejus in Oriente, & venimus adorare eum.

3. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo.

4. Et congregans omnes principes (*c*) sacerdotum, & scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.

5. At illi dixerunt ei : In Bethlehem Judæ: Sic enim scriptum est per Prophetam:

*Mich. 5. 2. Joann. 7. 42. 6. * Et tu Bethlehem (*d*) terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.

7. Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis:

8. Et mittens illos in Bethlehem, dixit : Ite, & interrogate diligenter de puero : & cum inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.

9. Qui cum audissent regem, abierunt ; & ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usquedum veniens staret supra, ubi erat puer.

10. Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde.

11. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt (*e*) eum : * & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. *Psal. 71. 10.

12. Et responso (*f*) accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

13. Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

14. Qui consurgens accepit puerum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum:

15. Et erat ibi usque ad obitum Herodis : ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem : * Ex Ægypto vocavi filium meum. *Osee 11. 1.

16. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, a bimatu & infra, secundum tempus (*g*), quod exquisierat a Magis.

17. Tunc

die Januarii anni 46. Juliani post Nativitatem Christi jam ab aliquot sæculi æra Christiana incipit. Inter eruditos nostræ ætatis illud fere convenit Christum natum esse anno 33. Herodis ab expugnata Jerosolyma, & a capto Antigono, a primo consulatu Augusti 39. qui erat duodecimus ejus consulatus; qua de re alibi fusius. *Ecce Magi:* Sic vocari solebant in Oriente, qui singularem profitebantur *sapientiam, & prudentiam, quæ de terra est*, Baruch 3. Atque in Arabia iam frequentes erant Magi, ut juxta Ptolemæum. Lib. 6. Geogr. cap. 8. nomen dederint sinui in parte Orientali Arabiæ suo. Utrum reges ii fuerint, an reguli tantummodo & potentes, ut Job 2. amici ejus reges vocitantur, dubitari solet. Nec fuisse Magos proprie dictos, qui artem magicam exercerent, certum est. Porro, inquit Erasmus, quod Magi nominentur, nemo maleficas artes, quas vulgo magicas dicimus somniet. Si quidem quos Græci *Sophor*, aut Philosophos, Chaldæi Magos vocant, ut testatur D. Hieronymus in Danielem. Aliis videntur fuisse siderum observatores. Hinc Munsterus: Hi magi nostri fuerunt præcipue siderum contemplatores, quorum Dominus misertus novam condidit stellam, quæ ipsos ad Christum perduceret. Non fuisse proprie reges, hinc conjici potest, quod Evangelista id ipsum non tacuisset. Ac longe probabilius videtur ex Arabia Magos venisse, quam e Perside, quæ 500. ferme leucis distat Jerosolyma. Deinde Prophetia Balaam, Num. 24. *Orietur stella ex Jacob*, quæ suo loco fuit exposita, iis erat notior, quam Persis, aut Chaldæis. Hanc vero Magorum adorationem paucis post Nativitatem diebus factam esse Matthæus his verbis innuere videtur: *Cum natus esset Jesus*, &c. Huic sententiæ favent Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone, Tertull. contra Judæos, cap. 9. qui hæc verba Psalm. 71. his aptat. *Reges Arabum & Saba munera offerent*. In textu Hebræo sic legitur, *Reges Tharsis & insularum munus reddent, Reges Saba & Saba donum offerent*. Id observat Abbas Pezronius in Evangelica Historia Gallice edita, primum Saba per *Sin*, alterum per *Samech* scriptum esse : adeo ut duo populi diversi his vocibus designentur, ambo in Arabia, qui Genes. 10. 7. indicantur. Saba per Samech filius erat Chus, alter Saba natus est e Regma, & nepos erat Nemrod, seu ex fratre filius. Pomponius Mela Lib. 3. cap. 8. loquens de Arabia Felice, Majorem, inquit, Sabæi tenent partem ostio proximam. Quin & Ezechiel cap. 27. loquens de Tyrus testatur Saba & Reema eo interre aurum, & gemmas, & aromata. Gerræi & Sabæi una permisti, auro, thure, & myrrha optima abundabant, uti & vicinæ insulæ. Atque hi reguli insularum reges terræ & maris adnumerantur, qui Christum postea coluere fide, spe, & charitate.

2. (*b*) Nativitatis ejus indicem. *In Oriente:* Illud est probabilius tum visam fuisse stellam, cum natus est Jesus ; nec credibile est eam ante biennium, aut plures menses apparuisse, ut multis videtur. Locum enim inquirunt Magi, ubi natus sit Christus, in cujus rei argumentum afferunt ejus stellam ante visam, quam utique viderunt, non ut futuræ, sed ut præteritæ nativitatis indicem. Neque ulla subest ratio, cur profectionem suam tamdiu produxissent, si ante biennium, aut saltem a conceptu Joannis stellam ipsam conspexissent. Quamobrem ante paucos dies stella tum visa ab iis fuit, cum essent in Oriente, sive ea staret in loco, ubi tum erant, & iis præiret, sive e regione Judææ ab iis cerneretur, eamque in sublimi aere extitisse verisimillimum est. Veteres plerique Magorum historiam post Purificationem contigisse putant, ut vetustissima Evangeliorum concordia, quæ Ammonio tribuitur. S. Leo post Eusebium in Chronico rerum hunc ordinem constituere videtur, cum ait Epist. 16. *Aliud est tempus quo infans circumciditur, aliud quo hostia pro eo legalis offertur, aliud cum tres Magi*, &c. Communis tamen sententia est ante diem Purificationis Magos Jesum adorasse, cum ex veteri Ecclesiæ traditione dies sextus Januarii huic manifestationi sit consecratus, neque ii e Perside, sed ex Arabia, quæ est ad ortum hibernum Palæstinæ habita ratione, advenerint. Quamquam fateor non satis firmum hinc duci argumentum, eos ante diem Purificationis venisse, quod diem Epiphaniæ sexto Januarii Ecclesia Latina ante 1300. annos concelebret. Nam in Oriente festum Nativitatis Domini, & manifestationem, & mysteria pene omnia, quæ ad Christi infantiam pertinent. Baptisma quoque ejus eodem die celebrabant, teste Cassiano, collat. 10. Nunc etiam die 25. Decembris Epiphaniam cum nativitate conjungunt. Ecclesia quidem Latina ab initio saltem quinti sæculi Epiphaniam diei sexto Januarii affixit, cui & Baptisma Christi, & miraculum in Cana Galilææ factum adjunxit. Sic Innocentes die 28. Decembris occisi non sunt, tametsi is dies eorum martyrio consecratur. Probabilius itaque videtur paucis ante Purificationem diebus Magos advenisse.

4. (*c*) i. e. Familiarum sacerdotalium principes, qui primi erant inter sacerdotes.

6. (*d*) Sic locus ille Michææ 5: 2. profertur a scribis, ut pro *Ephrata* posuerunt *terra Juda*, & pro *minima es*, *nequaquam minima es*. Scribæ & Pharisæi explicare maluerunt quod sentit Propheta, quam sensum ejus subobscurum reddere. In Hebræo, & in LXX. deest negatio: sic habet Propheta: *Et tu Bethlehem Ephrata*, quæ alio nomine vocatur Ephrata, cum esset altera Bethlehem in tribu Zabulon : *Parvulus es*, Matth. 2. *Nequaquam minima es*. Sunt qui ob eam rationem hunc locum a Judæis corruptum velint ; alii legunt per interrogationem *Numquid parvula es?* Isidorus Lib. 1. contra Judæos, cap. 11. Sic tamen commode potest explicari; licet sis exigua civium numero, ex te tamen dux magnus orietur, nec dignitate parva es. *In millibus Juda*: in oppidis Juda: Matth. 2. *In principibus Juda*; vox Hebræa utroque modo verti potest. Idem est Bethlehem esse in principibus, & in millibus exiguam comparare ad urbes majores, non minimam dignitate: exiguum licet oppidum insignem tamen dabis principem. Tribus Juda in cœtus 1000. hominum distincta erat.

11. (*e*) Ergo Christus ubicumque sit, est adorandus, & in Eucharistia maxime sub speciebus panis & vini.

12. & 15. (*f*) Divinitus admoniti: Ex *Ægypto*, Ex Osee cap. 11. vers. 1. sed juxta alios ex cap. 23. vers. 22. Numeror. sumitur hic locus. Quem locum etsi ad litteram de reditu Israelitarum ex Ægypto interpretari licet, optime tamen de Christi reditu intelligitur, saltem per allegoriam, cum sit verus Dei Filius.

16. (*g*) Ex ipso tempore, quo visa est stella. Herodes constituit occidere infantes a bimatu & infra, ne forte is quem timebat, ante hoc tempus a Magis indicatum illius sævitiam eluderet; non autem post tempus visæ stellæ editos jussit occidi: id enim erat prorsus inutile.

17. Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem:

*Jer. 31. 15. 18. * Vox in Rama audita (*h*) est, ploratus & ululatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.

19. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto,

20. Dicens: Surge, & accipe puerum & matrem ejus, & vade in terram Israel: defuncti sunt (*i*) enim, qui quærebant animam pueri.

21. Qui consurgens, accepit puerum & matrem ejus, & venit in terram Israel.

22. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ.

23. Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus (*k*) vocabitur.

CAPUT III.

Joannis Baptistæ in deserto vivendi ratio, ad pœnitentiam Judæos omnes adhortatur; Christum annuntiat, eumque baptizat.

1. IN diebus autem illis (*a*) venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ,

*Marc. 1. 4. Luc. 3. 3. 2. Et dicens: * Pœnitentiam (*b*) agite: appropinquavit enim regnum cælorum.

3. Hic est enim, qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem: * Vox clamantis (*c*) in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus. *Is. 40. 3. Marc. 1. 3. Luc. 3. 4.

4. Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum (*d*), & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem ejus erat locustæ, & mel silvestre.

5. * Tunc exibat ad eum Jerosolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem; *Marc. 1. 5.

6. Et baptizabantur (*e*) ab eo in Jordane, confitentes peccata sua.

7. Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum, * venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies (*f*) viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? * Luc. 3. 7.

8. Facite ergo fructum (*g*) dignum pœnitentiæ.

9. Et ne velitis dicere intra vos: * Patrem habemus Abraham: dico enim vobis: quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ (*h*). * Joan. 8. 39.

10. Jam enim securis (*i*) ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

11. * Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta (*k*) portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni. * Marc. 1. 8. Luc. 3. 16. Joann. 1. 26. Act. 1. 5.

12. Cujus

18. (*h*) Jerem. 31. Rama urbs erat in excelso loco posita in finibus Benjamin. Rachel mater Benjamin sepulta fuit in via, quæ ducit Bethlehem paucis milliaribus ab urbe Rama. Per hanc urbem in tribu Benjamin suam ductus est populus in captivitatem Babylonicam, eamque eam urbem ululatus captivorum implevit. Unde hæc Prophetia ex parte impleta est tempore Nabuchodonosoris, sed ultimum habuit complementum in isto infanticidio. Macrob. Lib. 2. Saturnal. cap. 4. *Cum audisset*, inquit, *Augustus inter pueros quos in Syria Herodes rex Judæorum intra bimatum jussit occidi, filium quoque ejus occisum, ait: Melius est Herodis porcum esse quam filium.* Non quod Antipater Herodis filius una cum Innocentibus occisus fuerit: sed Augustus illius necem simul accepit cum infanticidio, ac jam alios ejus liberos neci datos noverat. Josephus hujus nefarii sceleris nullam facit mentionem, quod forte id parvi duxerit infantes illius urbis occisos fuisse; vel quod Nicolaus Damascenus, qui Herodi erat ab intimis, eam necem silentio prætermiserit.

20. (*i*) Numerus pluralis pro singulari, quæ est enallage numeri.

23. (*k*) Vox in Scripturis usitata, Deo consecratum & a sæculo secretum significat: utrumque Christo optime convenit. *Quod dictum est per Prophetas*; per unum e Prophetis forma loquendi usitata. Joann. 6. 45. *Est scriptum in Prophetis, Erunt omnes docibiles Dei*, Isaiæ 54. Sic Actor. 13. 40. *Dictum est in Prophetis, Videte contemptores*, Habacuc 1. 5. *Nazaræus vocabitur*; ad Isaiæ cap. 11. alludit, *Et flos de radice ejus ascendit*, Hebraice Netzer. Christus *flos ille* fuit, qui virtutum & doctrinæ suæ odore totum implevit orbem. In Syriaca versione, *Dictum est per Prophetam*: Quamvis Scriptura sæpe numerum pluralem pro singulari usurpet. Vox etiam *Nazaræus* de Christo ab ejus urbe *Nazareth* ducitur. Antiqui *Nazaræi* a verbo *Nazar*, hoc est, separare, dicti sunt.

CAP. III. 1. (*a*) Euthymius notat, per ea hunc loquendi modum continuatam temporum seriem non designare.

2. (*b*) Non solam fidem prædicat; sed legationem suam a prædicatione pœnitentiæ auspicatur. Cum apud infideles agitur, tum a fide ipsa incipiendum, ut Apostoli in Actis præstiterunt: sed apud *Judæos*, qui verum Deum colebant, a pœnitentia exordium sumitur. Christus nondum erat manifestatus, ac fides in Christum particulatim erat declaranda.

3. (*c*) Locus ex cap. 40. Isaiæ desumitur, ubi nonnulli sic legunt. *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domino*, scilicet Christo venturo: sed communis lectio est apertior. Quatuor Evangelistæ Præcursoris acta referunt, quæ ad hæc summa capita referantur, 1. Ad ministerium ejus, prædicationem scilicet & Baptismum, 2. Ad vitæ austeritatem. 3. Ad fructum prædicationis. 4. Ad ea quæ unicuique hominum conditioni dabit vitæ regendæ consilia. 5. Ad complura, eaque de Christo illustria testimonia referuntur.

4. (*d*) Vestitus non instar cilicii textilis, vulgo du *Camelot*, sed ex pellibus camelorum consutis, ut olim Prophetæ, ait vir doctus R. Simon: victum & vestitum Joannis describit Matthæus. Instar Eliæ vestitus primum Christi adventum annuntiabat, ut Elias secundum prænuntiabit. *Esca autem ejus erat locustæ*; Levit. 11. 22. inter volucres mundas locustæ recensentur. Bochartus in descriptione terræ sanctæ ait in Palæstina herbas esse eo nomine ad Jordanem, illis vesci Monachos. Communior sententia est fuisse veras locustas, quibus sole conditis multis in regionibus vesci pauperes testatur Plinius, Lib. 6. cap. 30. & Lib. 7. cap. 2. *Mel Silvestre* est mel ab apibus agrestibus arborum truncis, aut rupibus repositum. Non magis ille verbis quam durioris vitæ genere & exemplo suo ad pœnitentiam hortabatur.

6. (*e*) Baptisma Joannis velut medio erat loco inter baptismata Judæorum, seu legales ablutiones omnino steriles, & baptisma Christi, quod solum justitiam confert. Ad hoc Baptisma Joannes præparabat Judæos, & pœnitentiæ prædicatione disponebat, ut *remissionem* peccatorum acciperent a Christo. *Confitentes peccata sua*: Falsa est calumnia Protestantium Catholicos doctores ex hoc loco probare Confessionem Sacramentalem: non enim Sacramenta novæ legis instituta sunt vivo Joanne. Sed hinc colligitur quamdam peccatorum Confessionem tum in usu fuisse, eamque singillatim factam. Hoc enim proprie est confiteri peccata sua, non universim peccatorem se esse profiteri. Neque id erat Joannis munus, ut novæ legis Sacramenta institueret, sed ut viam ad illa muniret; ac baptismus Joannis erat externa quædam pœnitentiæ professio; cumque consilium vitæ in melius mutandæ a Joanne peterent, actus vitæ præteritæ exponebant.

7. (*f*) Malorum parentum pejores filii; pleni iniquitatis veneno.

8. (*g*) Ergo sola fides non sufficit, sed bonis operibus est foecunda.

8. (*h*) In dativo casu: potest Deus alios suscitare Abrahæ filios, gentes nimirum, & promissionem ei factam implere.

10. (*i*) Instar ultio divina: Iterum bona commendat opera, ut necessaria, non solum in testimonium & professionem fidei.

11. (*k*) Alii Evangelistæ, *corrigiam calceamenti solvere*, in eamdem sententiam. *Potuit sic dicere, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere, nec calceamenta portare: ut unus Evangelistarum hinc aliud, alii vero aliud, omnes tamen verum narraverint*, inquit August. Lib. 2. de cons. cap. 12. idque eo in libro sæpius inculcat, quod non tam verborum, quam rerum quærenda, vel amplectenda est veritas. Hinc Maldonatus in cap. 21. Joannis, *Per sanctos scriptores ita accommode locutus est Spiritus Sanctus, ac si ipsi suo modo conceptu, voce, loquerentur & scriberent.* Baptismus mersionem significat. *Baptizabit*: Quod nunc confero baptisma, externum est tantummodo, idque ad aliud præparat longe præstantius, quod purgabit animam, & jus illi in cælestem hæreditatem dabit. Joannes baptismo suo & prædicatione excitabat ad pœnitentiam, non peccata auferebat.

12. Cujus ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet (*l*) igni inextinguibili.

* Marc. 1. 9. 13. * Tunc venit (*m*) Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.

14. Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo (*n*) baptizari, & tu venis ad me?

15. Respondens autem Jesus dixit ei: Sine modo: sic enim decet nos implere omnem (*o*) justitiam. Tunc dimisit eum.

16. Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cæli: &
* Luc. 3. 22. vidit (*p*) * Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.

* Luc. 9. 35. 2. Petr. 1. 17. 17. * Et ecce vox de cælis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*q*).

CAPUT IV.

Christi jejunium & tentatio; item vocatio Petri & Andreæ, Jacobi & Joannis. Annuntiat Evangelium; varias curat infirmitates.

Marc. 1. 12. Luc. 4. 1. 1. TUnc Jesus ductus est in desertum a Spiritu (*a*), ut tentaretur a diabolo.

2. Et cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit (*b*).

3. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.

* Deut. 8. 3. Luc. 4. 4. 4. Qui respondens dixit: Scriptum est: * Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo (*c*), quod procedit de ore Dei.

5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi,

6. Et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: * Quia Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. * Ps. 90. 11.

7. Ait illi Jesus: Rursum scriptum est: * Non tentabis (*d*) Dominum Deum tuum. * Deut. 6. 16.

8. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: & ostendit (*e*) ei omnia regna mundi, & gloriam eorum,

9. Et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.

10. Tunc dicit ei Jesus: Vade Satana: Scriptum est enim: * Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies (*f*). * Deut. 6. 13.

11. Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

12. Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, * secessit (*g*) in Galilæam: * Marc. 1. 14.

13. Et, relicta civitate Nazareth, venit, & habitavit in Capharnaum (*h*) maritima, in finibus Zabulon, & Nephthalim: Luc. 4. 31. Joan. 4. 43.

14. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam:

15. * Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium, * Is. 9. 1.

16. Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedentibus in regione umbræ (*i*) mortis, lux orta est eis.

17. * Exinde cœpit Jesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum. * Marc. 1. 15.

18. Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, * vidit duos fratres (*k*), Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare, (erant enim piscatores) * Marc. 1. 16. Luc. 5. 2.

19. Et

12. (*l*) Supplicium æternum hoc in loco indicat: nec tamen, inquit Estius, pœna ignis materialis hinc aperte colligitur, cum totus sermo sit metaphoricus.

13. (*m*) Ut baptismo Joannis auctoritatem daret, aquam sanctificaret, ac manifestus fieret populo.

14. (*n*) Baptismo Christi opus habebat, saltem invisibili.

15. (*o*) Perfectam justitiam, ut Jacobi 1. 2. *Omne gaudium:* Decet nos omne quod justum est. *Dimisit*, Sivit eum facere.

16. (*p*) An Christus ipse? tum vero legendum esset, ut in Vulgata, *descendentem super se*. An Joannes? tumque legendum esset, *super ipsum*, ut est in Græco & in Syro. Ex Marco cap 1. Jesus ipse vidit cælos apertos, &c. Sed & Joannes ipse vidit, ex Joann. cap. 1.

17. (*q*) Qui mihi singulari modo gratus est, & acceptus. In Græco: *Ille filius meus*, non adoptivus, sed naturalis, ex me genitus. Quod Patris de Filio testimonium repetitur c. 17. idque non solum a tribus Evangelistis, sed etiam a Petro Apostolo 2. Epist. cap. 1. refertur, ut res maximi momenti.

CAP. IV. 1. (*a*) A Spiritu Sancto, cujus mentio facta est in fine superioris capitis: docere nos voluit, quibus armis tentationes superentur, jejunio nimirum, oratione, & Scripturarum meditatione. Desertum illud, in quod se recepit Jesus, inter mare mortuum & urbem Jericho situm est, idque postea vocatum fuit desertum tentationis. Tentavit diabolus, non solum ut probaret, sed etiam ut in peccatum induceret.

2. (*b*) Antea non esurierat: Diabolus cognoscere voluit, an esset vere Filius Dei: ac forte non dubitabat, quin esset Filius Dei post tam illustre Patris æterni in baptismo testimonium: sed incertus erat, an naturalis esset Dei Filius, an per adoptionem quamdam excellentem. Christus sic eum repulit, ut in eadem illum ambiguitate reliquerit.

4 & 5. (*c*) In omni re: *Quod procedit*, quod jubetur a Deo: sic LXX. pro re sæpe ponunt *verbum*. Assumpsit ut duceret eum supra *pinnaculum templi*. Illud verisimile est pinnaculum templi, aut loricam fuisse, Gallice *vulgo le Parapet*, in summo templi fastigio positam; aut potius porticus ad meridiem sitæ tectum, vel solarium pinnis, seu lorica septum indicat. Quæ porticus altero tanto aliis sublimior erat; vallis profunda erat huic subjecta. *Mitte te deorsum*, coram omni populo, ut credat te Messiam esse Patribus a Deo promissum.

7. (*d*) Deuteron. 6. Is Deum tentat, qui potentiæ divinæ vult facere periculum, aut quærit miraculum: cum nihilo opus est

8. (*e*) An digito designans, aut narrando, aut per species objectas oculis Christi subjiciens? Græce, *In momento temporis*, seu brevissimo temporis spatio. Sunt qui mundi nomine Romanum interpretantur imperium.

10. (*f*) Vox Græca cultum uni Deo debitum significat. Deuter. 6. sic habetur, *Dominum tuum timebis:* timere Deum est eum colere. Christus sensum reddidit magis quam verba. Prima quidem tentatio eam præ se ferebat speciem, ut instanti necessitati fieret satis; secunda ad vanam curiositatem, tertia ad idololatriam inducebat. Primum tentavit ut Filium Dei, secundo ut Prophetam, tertio ut hominem e vulgo. August. lib 2. de consensu Evangel cap. 16. *Totum hoc similiter Lucas narrat, etsi non eodem ordine: unde incertum est, quid prius factum sit, utrum regna prius demonstrata sint ei, & postea in pinnam templi levatus sit; an hoc prius, & illud postea: nihil tamen ad rem, cum omnia facta esse manifestum sit.* Quæ Joannes refert quatuor primis capitibus, omittuntur.

12. (*g*) Cessit invidiæ Pharisæorum, qui Joannem tradiderant. Sermo autem est de Galilæa gentium, quæ erat extra ditionem Herodis.

13 & 15. (*h*) Urbs erat in ditione Philippi, qui a Josepho ut pacis amans, modestus, & justus describitur. Unde Jesus in ejus tetrarchia diutius est commoratus in finibus Zabulon & Nephthali, juxta Prophetiam Isaiæ, cap. 9 ex qua Matthæus ea tantum citat, quæ sunt necessaria. *Via maris*, Gr. *Juxta viam maris*. Ibi patens erat via mercatoribus a Syria & Arabia profectis: adeo ut populi ex variis nationibus eo confluerent, ac merces suas Ptolemaida comportarent. *Trans Jordanem*; vox Græca ripam fluminis citeriorem, aut ulteriorem perinde significat: citeriorem, habita ratione Hierosolymæ; ulteriorem, si spectemus nomen inditum ab Israelitis, cum ingressi sunt Palæstinam.

16. (*i*) Mortalis ob densissimas ignorantiæ tenebras.

18. (*k*) Quos jam ad familiaritatem suam admiserat, Joann. 1. 37. Hæc enim fuit Petri & Andreæ secunda vocatio. August. loco citato cap 17. *Proinde fieri potest ut postea narraverit, non quod postea factum erat, sed quod prius prætermiserat, ut cum illo intelligantur venisse Capharnaum, quo Joannes dicit & ipsum, & matrem ejus, & discipulos venisse.*

19. Et ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.

20. At illi continuo relictis retibus, secuti (l) sunt eum.

21. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi & Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua: & vocavit eos.

22. Illi autem statim, relictis retibus & patre, secuti sunt eum.

23. Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans evangelium regni: & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo.

24. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos (m), & paralyticos, & curavit eos:

* Marc. 3. 7. Luc. 6. 17. 25. * Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Jerosolymis, & de Judæa, & de trans Jordanem.

CAPUT V.

In hoc capite quod sit summum hominis bonum, & quibus mediis ad illud perveniatur, Christus Dominus nos docet. Sermo ipse partim ad discipulos, partim ad fideles omnes pertinet.

1. VIdens autem Jesus turbas, ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus,

2. Et aperiens os suum docebat eos, dicens:

* Luc. 6. 20. 3. * Beati pauperes (a) spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum.

* Ps. 36. 11. 4. * Beati mites (b): quoniam ipsi possidebunt terram.

* Isai. 61. 2. 5. * Beati qui lugent (c): quoniam ipsi consolabuntur.

6. Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.

7. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

8. * Beati mundo corde (d): quoniam ipsi Deum videbunt. * Ps. 23. 4.

9. Beati pacifici (e): quoniam filii Dei vocabuntur.

10. * Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum. * 1. Pet. 2. 20. & 3. 14. & 4. 14.

11. Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes (f), propter me:

12. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis: sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos.

13. Vos estis sal (g) terræ. * Quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. * Marc. 9. 49. Luc. 14. 34.

14. Vos estis lux (h) mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita.

15. * Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. * Marc. 4. 21. Luc. 8. 16. & 11. 33.

16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, * ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. * 1. Pet. 2. 12.

17. Nolite putare quoniam veni solvere (i) legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere.

18. * Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota (k) unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. * Luc. 16. 17.

19. * Qui ergo solverit unum de mandatis istis (l) minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. * Jac. 2. 10.

20. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit (m) justitia vestra * plus quam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. * Luc. 11. 39.

21. Audistis quia dictum est antiquis: * Non occides (n): qui autem occiderit, reus erit judicio. * Exod. 20. 13. Deut. 5. 17.

22. Ego

20. (l) Lucas cap. 5. fusius hæc enarrat, & capturam piscium.

24. (m) Comitiali morbo laborantes: qui morbus cum lunæ incremento, aut decremento solet ingravescere.

CAP. V. 3. (a) Beatos esse testatur, qui valde miseri habentur, si modo voluntate sint pauperes. August. Lib. de Sermone Domini in monte: *Recte intelliguntur pauperes spiritu, humiles & timentes Deum, id est, non habentes inflantem spiritum.* Ii sunt pauperes spiritu, qui omnem affectum divitiarum exuerunt.

4. (b) August. *Mites sunt qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo, sed vincunt in bono malum.*

5. & 6. (c) Propter priorum calamitates. Justitiam. Qui studio virtutis & justitiæ ardent. August. *Istos amatores dicit veri & inconcussi boni.*

8. (d) August. *Hoc est mundum cor, quod est simplex cor; & quemadmodum lumen hoc videri non potest nisi oculis mundis, ita nec Deus videtur, nisi mundum sit illud, quo videri potest.*

9. (e) Gr. Qui pacem inter homines conciliant.

11. (f) Si falsum dixerint maledicentes, magna vos merces manet, si propter Deum hæc patiamini.

13. (g) August. *Ostendens fatuos esse judicandos, qui temporalium bonorum vel copiam sectantes, vel inopiam metuentes, amittunt æterna, quæ nec dari ab hominibus possunt, nec auferri.* Vos estis condiendis animis & a corruptione vindicandis destinati. *Quod si sal evanuerit*: si insipidum factum fuerit, & saporem amiserit: *ad nihilum valet, nisi ut mittatur foras*: sed foras projicitur, phrasi Hebraica. *In quo salietur?* Quo alio sale condietur, aut reparabitur sal ipsum? Quid ei reddet acumen pristinum?

14. (h) Sal ad mores, lux ad doctrinam pertinet.

17. (i) Legem implevit hanc observando, gratiam nobis impertiendo, figuras omnes ad veteris legis significationem in seipso, & in Ecclesia exprimendo, quæ tacite tantum in lege continebantur, quique verus esset legis sensus, demonstrando.

18. (k) Augustin. *Quibus verbis ostendit, in lege ad effectum etiam minima quæque perduci.* Vox Græca litteræ apicem significat.

19. (l) Quæ traduntur sive, quæque Pharisæis videntur minima: vel qui doctrinam divinam corruperit: aut loquitur de solutione mandatorum, quæ fit per suam transgressionem. *Qui prædicas non furandum, furaris*, Rom. 2. Hic Dei judicio vilis erit & in Ecclesia. Vocabitur, futurus est, vel non erit in regno cælorum: seu in regno Dei.

20. (m) Nisi mandata Dei longe melius quam Pharisæi custodiatis.

21. (n) Augustin. *Justitia Pharisæorum est ut non occidant, justitia eorum qui intraturi sunt in regnum cælorum, ut non irascantur sine causa.* Illud præceptum, non occides, ut alia quæque præcepta, non exteriori modo actione, sed & interiore animi motu violari nos docet. Pharisæi in gratiam eorum qui ulciscendi libidine ardebant, ea quæ sequuntur, addebant ad præcepta divina: *Qui autem occiderit, reus erit judicio*: Nempe in judicium vocabitur, ut causam perpetrati homicidii dicat: iræ vero & odii nullam habebant rationem. Christus quod ipsius præcepti verbis deesse videbatur, quodque necessarium effecerat prava Pharisæorum interpretatio, supplet, alludens ad ipsam Judæorum politiam, antequam Romanorum ditioni subderentur. Triplex enim erat apud eos tribunal: primum triumviratum in singulis oppidis, cum numerus civium erat saltem 120. hominum. Secundum erat Synedrii parvi in majoribus oppidis, idque constabat e 23. judicibus: hoc concilium appellatur. Tertium erat magni concilii in urbe Jerusalem constituti, ad quod majores causæ referri

22. Ego autem dico vobis : quia omnis qui irascitur fratri suo , reus erit judicio . Qui autem dixerit fratri suo , raca : reus erit concilio. Qui autem dixerit , fatue: reus erit gehennæ ignis.

23. Si ergo offers munus tuum ad altare (o) , & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te:

24. Relinque ibi munus tuum ante altare , & vade prius reconciliari fratri tuo : & tunc veniens offeres munus tuum.

* Luc. 12. 58. 25. * Esto consentiens adversario (p) tuo cito dum es in via cum eo : ne forte tradat te adversarius judici , & judex tradat te ministro: & in carcerem mittaris.

26. Amen dico tibi , non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.

27. Audistis (q) quia dictum est antiquis : * Non mœchaberis. * Exod. 20. 14.

28. Ego autem dico vobis : quia omnis , qui viderit (r) mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.

* Marc. 9. 46. Inf. 18. 9. 29. * Quod si oculus (s) tuus dexter scandalizat te , erue eum, & projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum , quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.

30. Et si dextra manus tua scandalizat te , abscide eam , & projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum , quam totum corpus tuum eat in gehennam.

31. Dictum est autem : * Quicumque dimiserit (t) uxorem suam , det ei libellum repudii. * Deut. 24. 1. Inf. 19. 7.

32. Ego autem dico vobis : * quia omnis , qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari : & qui dimissam duxerit, adulterat. * Marc. 10. 11. Luc. 16. 18. 1. Cor. 7. 10.

33. Iterum audistis quia dictum est antiquis : * Non perjurabis : reddes autem Domino juramenta tua. * Exod. 20. 8. Lev. 19. 12. Deut. 5. 11. Jac. 5. 12.

34. Ego autem dico vobis , non jurare (u) omnino , neque per cælum , quia thronus Dei est:

35. Neque per terram , quia scabellum est pedum ejus : neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis:

36. Neque per caput tuum (x) juraveris , quia non potes unum capillum album facere , aut nigrum.

37. * Sit

ferri solebant. Primi tribunalis nullam hoc loco rationem videtur habere Christus Dominus , sed secundi tantum & tertii , quod concilium vocat. Ad utrumque pertinebat litis discussio , & sententia. Pharisæi & Scribæ homicidia legi divinæ subjiciebant ; iram vero & convicia , quæ ad homicidia viam sternunt , pro nihilo habebant. Christus Dominus hanc traditionem in eo ipso emendat , quod hujus criminis horrorem animis , ut par est , non incuteret : ac tribunalium distinctioni apud Judæos usitatæ doctrinam suam sic accommodat , ut a dispositione magis remota , quæ tamen homines sæpe ad homicidia ducit , initium capiens , eam divinæ justitiæ tamquam 23. judicum tribunali subjiciat , nempe ut reus , seu accusatus rationem reddat , an justam habuerit irascendi causam , & pœnam subeat peccato debitam. Nam in Christiana Religione non tam iræ motus , quam causa ipsa expenditur . Itaque varios iræ gradus sic distinguit Dominus , ut eam judicio , cum est vehemens , subjiciat: 2. Cum in vocem contemptus & convicii erumpit : *Qui dixerit fratri suo , Raca* , quæ vox in Hebræo & in Græco nullum habet significatum , & commoti tantum animi affectum significat , ut pleræque interjectiones , uti Hebræus quidam Augustino respondit interroganti. Sunt qui ignavum ea voce designari putent . 3 *Qui autem* ; vox illa fatuus in Scripturis interdum pro impio sumitur. *In judicio*, ait August. cap. 9 *adhuc defensioni datur locus ; in concilio autem quamquam & judicium esse soleat ; tamen quia interesse aliquid hoc loco fateri cogit ipsa distinctio , videtur ad concilium pertinere sententiæ prolatio . . . Gehenna vero ignis certa est & damnatio & pœna damnati.* Videtur Augustinus judicium a concilio hac in re distinguere , quod priori solam discussionem , seu instructionem litis , posteriori sententiam definitivam tribuat , tametsi satis est probabile hæc tribunalia ex causarum , de quibus judicabant , diversitate distingui ; aut certe una erat inferior jurisdictio , & subalterna ; altera superior. Græce additur , εἰκῆ temere , sine causa: Hieron. negat in veterioribus codicibus hanc vocem reperiri . Sensus quoque hic verborum esse potest : Vos dicitis , qui occiderit , reus erit judicio : Ego , qui irascitur , reus erit judicio , &c. Alii tamen negant Dominum hoc in loco constituere gradus & incrementa peccati , sed legem explicare . Ego dico vobis quod non solum qui occiderit , sed etiam qui voluntatem habuerit occidendi , vel grave malum inferendi proximo , & sese vindicandi , is judicio , seu condemnatione dignus sit : ut qui videt mulierem ad concupiscendum eam. Ita quidem Estius in hunc locum : sed prior sententia magis recepta est. Docet quidem Christus graviores pœnas deberi peccatis , quam vulgo crederent . Non omnes qui aliquo iræ impetu commoventur , aut levem inferunt contumeliam , æternæ mortis pœna sunt puniendi ; sed de iis , qui consensu deliberato irascuntur personæ , non vitiis , eamque ex ira contumeliis afficiunt , sermonem habet Dominus : ita Menochius.

23. (o) Quod huic malo sit adhibendum remedium , mox subjicit , ut qui proximum læserit verbis , aut factis , quamprimum illi satisfaciat. August. cap 10. *Si in mentem venerit , quod aliquid habeat adversum nos frater , id est , si eum in aliquo læsimus : tunc enim ipse habet adversum nos. Nam nos adversus illum habemus , si ille nos læserit* . Id autem faciendum saltem dilectionis affectu, si aliter fieri non expedit , aut non potest.

25. (p) Græce ἀντίδικος : Quo quidem sermone parabolico nos admonet Dominus inimicis nostris ante nos reconciliari oportere , quam ad Deum judicem veniatur. Quamdiu vivimus , in via sumus ; trahi ad judicem est Dei judicium experiri. Exactores sunt ministri justitiæ divinæ ; carcer , gehenna inferiorum , aut purgatorii , penes culpæ gravitatem ; nec reus inde exibit , nisi debitum omne ante solverit.

27. (q) Scribæ opus tantum externum prohiberi censebant ; Christus Dominus omnem impudicitiam vetari hoc præcepto docet.

28. (r) Deliberato concupiscentiæ affectu. August. cap. 12. *Hoc fine , & hoc animo attenderit , ut eam concupiscat ; quod jam non est titillari delectatione carnis , sed plene consentire libidini , ita ut non refrænetur illicitus appetitus , sed si facultas data fuerit , satietur* . Tum docet tria esse , quibus impletur peccatum , *suggestione , delectatione , & consensione . . . Ut quasi a serpente fiat suggestio , & quadam suasio ; in appetitu autem carnali tamquam in Heva delectatio ; in ratione vero tamquam in viro consensio . . . Sicut ergo tribus gradibus ad peccatum pervenitur , suggestione , delectatione , consensione ; ita ipsius peccati tres sunt differentiæ , in corde , in facto , in consuetudine ; tamquam tres mortes . Una quasi in domo , id est , cum in corde consentitur libidini ; altera jam prolata , quasi extra portam , cum in factum procedit assensio , tertia , cum vi consuetudinis malæ tamquam mole terrena premitur animus quasi in sepulcro jam putens . Quæ tria genera mortuorum Dominum resuscitasse , quisquis Evangelium legit , agnoscit* .

29. (s) August. cap. 13. *Quidquid est quod significat oculus , sine dubio tale est , quod vehementer diligitur . Quidquid nobis charum est , aut necessarium , si pietati obsit , omnino est abjiciendum . Oculus etiam sumi potest pro re omni quæ videtur , ut manus pro re quæ tangitur* . Multa sunt per Epitasin , vel exaggerationem intelligenda . Non enim jubet Dominus ut eruamus oculos ; sed ut id omne abjiciamus , quod exitii est occasio .

31. (t) Permisit olim Deus , non præcepit dimittere uxorem , idque non licebat nisi dato libello repudii , quo alteri viro suæ uxoris potestatem faciens avocaretur a divortio , atque ut ait August. c. 14. *Ut iracundiam temerariam projicientis uxorem , libelli cogitatio temperaret* . Qui ergo dimittendi moram quæsivit , significavit quantum potuit duris hominibus se nolle dissidium : *Quantumvis enim durus esset qui vellet dimittere uxorem , cum cogitaret libello repudii dato jam sine periculo eam posse nubere alteri , facile placaretur* .

34. (u) August. c. 17. *Ita ergo intelligitur præcepisse Dominum , ne juretur , ne quisquam sicut bonum appetat jusjurandum , & assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabatur . . . . Sed nemo novit , nisi qui expertus est , quam sit difficile & consuetudinem jurandi extinguere , & numquam temere facere , quod nonnumquam facere necessitas cogit* . Neque per cælum , Augustin. ibidem *Credo propterea , quod non putabant Judæi se teneri jurejurandi , si per ista jurassent : cum tamen per Deum juretur , cujus sunt omnia , cum juratur per creaturas* .

36. (x) Quasi tuum sit. *Quid enim poterat quisque magis ad se pertinere arbitrari , quam caput suum ? Sed quomodo nostrum est , ubi potestatem faciendi unius capilli albi , aut nigri non habemus ?*

*Jac.5.12. 37. * Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, a malo (y) est.

*Exod.21.24. Lev.24.20. Deut.19.21. 38. Audistis quia dictum est: * Oculum (z) pro oculo, & dentem pro dente.

*Luc.6.29. 39. Ego autem dico vobis, non resistere malo (aa): * sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.

*1.Cor.6.7. 40. * Et ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium (bb).

41. Et quicumque te angariaverit (cc) mille passus, vade cum illo & alia duo.

*Deut.15.8. 42. * Qui petit a te, da ei (dd): & volenti mutuari a te, ne avertaris.

*Lev.19.18. 43. Audistis quia dictum est: * Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.

*Luc.6.27. *Rom.12.20. *Luc.23.34. Act.7.59. 44. Ego autem dico vobis: * Diligite inimicos vestros, * benefacite his, qui oderunt vos: * & orate pro persequentibus & calumniantibus vos:

45. Ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super justos & injustos.

46. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?

47. Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?

48. Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

CAPUT VI.

Quomodo facienda sit eleemosyna; Oratio Dominica; simplex oculus; quærendum est in primis regnum Dei.

1. ATtendite ne justitiam (a) vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.

2. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat (b) sinistra tua quid faciat dextera tua:

4. Ut sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito (c), reddet tibi.

5. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

6. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum (d) tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

7. Orantes autem, nolite multum loqui (e), sicut Ethnici: putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.

8. Nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.

9. Sic ergo vos orabitis: * Pater noster (f), *Luc.11.2.
qui es in cælis: sanctificetur nomen tuum.

10. Adveniat (g) regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.

11. Panem

37. (y) Vel alieno propter incredulitatem alterius, aut proprio, cum temere juratur: aut a Diabolo, qui ad ea peccata instigat maxime, in quibus honor Dei aliquo modo læditur.

38. (z) Restituet. August. cap. 19. *Pharisæorum justitia minor est non excedere vindictæ modum, ne plus rependat quisque quam accepit; & magnus hic gradus est. Nemo enim facile invenitur, qui pugno accepto pugnum reddere velit. . . . Talem animum magna ex parte refrænavit . . . . ut vindicta non transeat, & hæc est pacis inchoatio: perfecta autem pax est talem penitus nolle vindictam.* Scribæ & Pharisæi hoc præceptum sic intelligebant, quasi liceret eam vindictam a judice petere, cum lex ad solum judicem referatur, & ipsa doceat contrarium. Levit. 19. *Non quæras ultionem.*

39. (aa) Ut ira defferveat: vult tantum ut nullis injuriis a fraterna concordia abducamur. *In dexteram maxillam*, illa tam patienter feras injuriam. Eam tum fuisse loquendi rationem, quæ in proverbium abierat, admodum est verisimile.

40. (bb) Augustin. *Ad præparationem cordis, non ad ostentationem operis, præceptum recte intelligitur.* Tunica interiorem vestem, pallium exteriorem significat, hoc quoque forsan erat ubi tritum proverbium.

41. (cc) Augustin. *Et hoc utique non tam pedibus agat, quam ut animo sit paratus. Nam in ipsa Christiana historia, in qua est auctoritas, nihil tale invenies factum a Sanctis.*

42. (dd) Indigenti da quod ei convenit accipere, & tibi dare. Augustin. *Omni petenti*, inquit, *non omnia petenti, ut id des, quod dare honeste, & juste potes . . . Et cui juste negaveris quod petit, indicanda est ipsa justitia, ut non eum inanem dimittas.* Ne aversaris, vultu tristi, aut usuras exigendo: ne repellas eum, qui a te mutuo petit.

CAP. VI. 1. (a) Gr. *Eleemosynam*, quæ est quoddam genus justitiæ, & omne opus bonum complectitur.

3. (b) Omnis ostentatio in bonis operibus fugienda est: hyperbolica quædam locutio est. Si oculos haberet manus, sinistra videre non deberet quæ facit dextera.

4. (c) August. *Quid est in abscondito, nisi in ipsa bona conscientia, quæ humanis oculis demonstrari non potest, nec verbis aperiri? Reddet tibi*, Gr. addit, *in aperto*, Lucas, *in resurrectione mortuorum*: jubet tantummodo ut inanem gloriam fugiamus.

6. (d) *Clauso ostio*. Augustin. cap. 3. *Parum est intrare cubicula, si ostium pateat importunis, per quod ostium ea quæ foris sunt, improbe se immergunt, & interiora nostra appetunt. Foris autem diximus esse omnia temporalia & visibilia, quæ per ostium, id est, per carnalem sensum in cogitationes nostras penetrant, & turba vanorum phantasmatum orantibus obstrepunt.*

7. (e) Ne verba inutilia profundatis. Augustin. *Et revera omne multiloquium a gentilibus venit, qui exercendæ linguæ potius, quam mundando animo dant operam. Et hoc nugatorii studii genus etiam ad Deum prece flectendum transferre conantur. Arbitrantes Deum sicut hominem judicem verbis adduci sententiam . . . Fit ergo in oratione conversio cordis ad eum, qui semper dare paratus est, si nos capiamus quod dederit.* Itaque animus ipsa oratione purgatur, & fit capacior ad ea excipienda quæ dare vult Deus. Nam qui orat ut debet; jam aliquo modo dignus est qui accipiat.

9. (f) August. cap. 4. *Quo nomine & charitas excitatur. Quid enim charius filiis esse potest, quam pater? Et supplex affectus. Quid enim jam non det filiis, cum hoc ipsum ante dederit, ut filii essent?* Quæ vox patris communis est toti Trinitati, ac Deus est pater noster non solum creatione, sed etiam adoptione. *Qui es in cælis*, ubi præsentem se exhibet; *noster*, & non meus, ut intelligamus nos omnes fratres esse, unius patris filios; *Sanctificetur*. Sancte colatur. Aug. *Quod non sic petitur, quasi non sit sanctum nomen Dei; sed ut sanctum habeatur ab hominibus, non in Judæa, sed in universa terra.*

10. (g) Gr. *Veniat*: Regnes in omnibus. *Sicut in cælo & in terra*, Ut ab Angelis, sic ab hominibus voluntas tua impleatur. Tres primæ petitiones ad glorificandum Deum pertinent: petimus primo ut nomen ejus quaquaversum celebretur, longe lateque propagetur, & promoveatur, fidelium augeatur numerus: 2. ut homines perfecte Deo subjiciantur: Innoc. III. Lib. 5 Myster. Missæ, c. 25. *Fiat voluntas tua*, id est, *opere compleatur quod præcipis, quod consulis, quod suades.* August. Lib. de dono persever. cap. 7. ex hac petitione statuit gratiæ necessitatem.

11. Panem nostrum, supersubstantialem (*h*) da nobis hodie.

12. Et dimitte nobis debita (*i*) nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

13. Et ne nos inducas (*k*) in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen.

* Eccli. 28. 3. 4. 5. Inf. 18. 35. Marc. 11. 25. 14. * Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra.

15. Si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

16. Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes (*l*): exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

17. Tu autem, cum jejunas, unge (*m*) caput tuum, & faciem tuam lava,

18. Ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: ubi ærugo & tinea (*n*) demolitur: & ubi fures effodiunt, & furantur.

* Luc. 12. 33. 1. Tim. 6. 19. 20. * Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo: ubi neque ærugo neque tinea demolitur: & ubi fures non effodiunt, nec furantur.

21. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

* Luc. 11. 34. 22. * Lucerna corporis tui est oculus (*o*) tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.

23. Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt?

* Luc. 16. 13. 24. * Nemo (*p*) potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire, & mammonæ.

* Ps. 54. 23. Luc. 12. 22. Phil. 4. 6. 1. Tim. 6. 7. 1. Pet. 5. 7. 25. * Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca (*q*): & corpus plus quam vestimentum?

26. Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?

27. Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam (*r*) suam cubitum unum?

28. Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent.

29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.

30. Si autem fœnum (*ſ*) agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei?

31. Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?

32. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.

33. Quærite ergo primum regnum Dei, & justitiam ejus (*t*): & hæc omnia adjicientur vobis.

34. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia (*u*) sua.

CAPUT VII.

De judicio temerario; petendum nobis est, quærendum, & pulsandum. Arbor bona & mala; via arcta; de domo supra petram ædificata.

1. NOlite judicare (*a*), ut non judicemini. Luc. 6. 37. Rom. 2. 1.
2. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini (*b*): * & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. * Marc. 4. 24.

3. Quid autem vides festucam (*c*) in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides?

4. Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine ejiciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo?

5. Hy-

11. (*h*) Gr. ἐπιούσιον, eamdem vocem Interpres apud Lucam quotidianum vertit, ac dicitur supersubstantialis loco substantialis.

12. (*i*) Lucæ 11. *Peccata*, pœnas quoque culpis debitas. S. Petrus Chrysol. Serm. 71. *Homo, tu tibi misericordiæ faticas et ipse mensuras: quantum quæris misericordiæ, fac tantam.*

13. (*k*) August. *Mihi dicunt, ne nos patiaris induci in tentationem . . . Non enim per seipsum inducit Deus, sed induci patitur eum quem suo auxilio deseruerit: cum scilicet a nobis ante deseritur.* Græci addunt, *Quoniam tuum est regnum, &c.* Quæ verba textui inserta esse ex Græcorum liturgiis verisimile est.

16. (*l*) Gr. tetrici. *Exterminant*, Gr. obscurant, deformant, commutant.

17. (*m*) More Orientalium: ab iis Judæi jejunii tempore abstinebant. Unctio fiebat sine vestium injuria, quod balsamum non macularet. Nec jubet Christus ut caput ungant, sed ut hilaritatem potius, quam tristitiam vultus præ se ferant.

19. (*n*) Gr. Βρῶσις, adesio; neque est vermiculi nomen.

22. (*o*) Intentio. *Corpus*, sunt opera. Augustin. cap. 23. *Oculum ergo hic accipere debemus ipsam intentionem.*

24. (*p*) Gr. uni adhærebit. August. *Mammona apud Hebræos divitiæ appellari dicuntur: congruit & Punicum nomen: Nam lucrum punice mammon dicitur.*

25. (*q*) Animam pro vita: qui vitam dedit, escam non negabit: anxiam damnat solicitudinem, non providam diligentiam, August cap. 14. *Ut tu intelligas, eum qui dedit animam, multo facilius escam esse daturum.* Non id prohibet, ut honesto labore victus quæratur: sed inordinatam vetat solicitudinem.

27. (*r*) Si Deus efficit quæ minus sunt necessaria citra operam nostram, multo magis corpus & animum ipse tuebitur. *Cogitans*, Gr. *Solicite agens.*

30. (*ſ*) Vox Hebræa, inquit Mariana, frumentum significat: nam fœni nullus est usus in clibano. Psalm. 103. *Et fœnum servituti hominum.* Quamquam arentes stipulæ mittuntur in clibanum, ad calefaciendum.

33. (*t*) Gr. αὐτοῦ, Dei justitiam, quæ nobis est a Deo. Quam Deus nobis præscribit mandatorum observationem.

34. (*u*) Afflictio & molestia quam affert dies. Augustin. *Sufficit quod sumere urgebit necessitas ipsa.*

CAP. VII. 1. (*a*) Temere. *Ut non judicemini*, a Deo. August c. 18. *Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur . . . Maxime autem hi temere judicant de incertis, & facile reprehendunt, qui magis amant vituperare & damnare, quam emendare atque corrigere; quod vitium vel superbiæ est, vel invidentiæ. Vox judicare, eadem condemnare significat*

2. (*b*) A Deo semper, ab hominibus sæpe: proverbium est Hebræorum in Lib. Zoar. Deus enim peccata suppliciis compensat, ac mensura eadem est, si minus gradu, saltem proportione quadam: dure & sine misericordia judicabitur, qui in judicando proximo durum se præbuerit.

3. (*c*) Leviorem iræ motum, leviores in fratre defectus. Augustin. cap. 19 *Ut si forte ille ira peccaverit, tu odio reprehendas. Quantum autem inter festucam & trabem, quasi tantum inter iram distat & odium. Odium enim est ira inveterata; & tamen peccator admonens ex sincera charitate, non facit contra hoc præceptum; sed prius ejicere debet trabem ex oculo cognitam a fratre, & ostendere se vere esse conversum, ne videatur ex fastu fratrem corrigere.*

5. Hypocrita, ejice primum trabem (*d*) de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.

6. Nolite dare sanctum (*e*) canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos: ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos.

*Inf. 21. 22. Marc. 11. 24. Luc. 11. 9. Jon. 14. 13. Jac. 1. 6.
7. * Petite (*f*), & dabitur vobis: quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis.

8. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur.

* Luc. 11. 11.
9. * Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei?

10. Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei?

11. Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?

*Tob. 4. 16. Luc. 6. 31.
12. * Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex (*g*), & prophetæ.

* Luc. 13. 24.
13. * Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.

14. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inveniunt eam!

15. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt (*h*) ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces:

16. A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?

17. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit.

18. Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere.

* Sup. 3. 10.
19. * Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

20. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

* Inf. 25. 11. Luc. 6. 46.
21. * Non omnis qui dicit (*i*) mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.

22. Multi dicent mihi in illa die; Domine, Domine, nonne in nomine (*k*) tuo prophetavimus, & * in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? *Act. 19. 13.

23. Et tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos: * discedite a me, qui operamini iniquitatem. * Ps. 6. 9. Inf. 25. 41. Luc. 13. 27.

24. * Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, *Luc. 6. 48. Rom. 2. 13. Jac. 1. 22.

25. Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram.

26. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam:

27. Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.

28. Et factum est: cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus.

29. * Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum, & Pharisæi. * Marc. 1. 22. Luc. 4. 32.

CAPUT VIII.

Leprosus, puer Centurionis, socrus Petri, & ægri omnes sanantur a Christo; ejiciuntur dæmonia; sedatur tempestas.

1. CUm autem descendisset (*a*) de monte, sequutæ sunt eum turbæ multæ:

2. * Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. * Marc. 1. 40. Luc. 5. 12.

3. Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, Mundare (*b*). Et confestim mundata est lepra ejus.

4. Et ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris: sed vade, * ostende te sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis. *Lev. 14. 2.

5. * Cum autem introisset Capharnaum (*c*), accessit ad eum Centurio, rogans eum, * Luc. 7. 1.

6. Et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur.

7. Et

5. (*d*) August. *Primo abs te expelle odium, deinde jam poteris eum quem diligis, emendare.*

6. (*e*) August. cap. 20. *Sanctum est, quod violare atque corrumpere nefas est . . . . Ante porcos*, August. *Canes ergo pro oppugnatoribus veritatis, porcos pro contemptoribus positos non incongrue accipimus. Doctrina cælestis oblatrantibus, aut impuris hominibus prostitui non debet.*

7. (*f*) August. *Perseverantia opus est, ut accipiamus quod petimus, & inveniamus quod quærimus, & quod pulsamus aperiatur: non semper id quod petimus, accipimus; sed vel illud ipsum, vel aliud bonum, si petimus, sicut oportet.*

12. (*g*) Ut diligamus proximum propter Deum: huc lex omnis dirigitur.

15. (*h*) A seipsis, non a Deo missi. *Indumentis ovium*, Pellibus ovium, quibus Prophetæ indui solebant, ait vir doctus.

21. (*i*) Deus fructus ipsos, non folia tantum; opera, non verba exigit.

22. & 23. (*k*) Publicæ functiones in malis ministris vim habent & efficaciam, ac vera fides sine charitate esse potest. August. *Non ego cognosco nisi eum qui operatur æquitatem. Confitebor*, palam declarabo me eos pro meis agnoscere.

CAP. VIII. 1. (*a*) Luc. cap. 6. ait stetisse eum in loco campestri. Utrum idem sit sermo habitus a Domino, qui a Matthæo commemoratur, dubitat Augustin. quod *Matthæus dicat in monte hunc habitum esse sermonem a Domino sedente, Lucas autem in loco campestri a Domino stante . . . . Quamquam etiam illud posset occurrere in aliqua excelsiore parte montis primo cum solis discipulis Dominum fuisse, quando ex eis illos duodecim elegit: deinde cum eis descendisse, non de monte, sed de ipsa montis celsitudine in campestrem locum, id est, in aliquam æqualitatem, quæ in latere montis erat, & multas turbas capere poterat, atque ibi stetisse, donec ad eum turbæ congregarentur. Ac postea cum sedisset, accessisse propinquius discipulos ejus, atque ita illis, ceterisque turbis præsentibus unum habuisse sermonem, quem Matthæus Lucasque narraverunt, diverso narrandi modo, sed eadem veritate rerum & sententiarum, quas ambo dixerunt.* Lib. 2. de consensu Evang. cap. 19.

3. & 4. (*b*) Mundus esto. *Dixeris*; Exemplum fugiendæ jactantiæ præbere voluit. *Munus, quod præcepit Moyses*, Levit. 14. *Duos passerculos, &c. In testimonium*: quemadmodum præcepit Moyses: vel *in testimonium*: ut eorum incredulitas hoc miraculo revincatur; aut *in testimonium*, quod Christus servaret legem, non destrueret.

5. (*c*) Per amicos, qui, ut notat August. est usitatus loquendi modus: non enim exprimit an per se, aut per alios accesserit. Quod Matthæus breviter, Lucas distinctius enarrat, cap. 7. Centurio typum populi gentilis gessit, qui propius accessit ad Christum absentem, quam Judæi ad præsentem. Nihil in Scriptura usitatum magis, quam id homini tribuere, quod per alios facit.

7. Et ait illi Jesus: Ego veniam (*d*), & curabo eum.

* Luc. 7.6. 8. Et respondens Centurio, ait: * Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.

9. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus (*e*), habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit: & alii: Veni, & venit: & servo meo, Fac hoc, & facit.

10. Audiens autem Jesus miratus (*f*) est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.

*Malac. 1. 11. 11. Dico autem vobis, quod multi * ab Oriente & Occidente venient, & recumbent (*g*) cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cælorum.

12. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.

13. Et dixit Jesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

14. Et cum venisset (*h*) Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem, & febricitantem:

15. Et tetigit manum ejus, & dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis.

* Marc. 1. 32. 16. * Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & ejiciebat spiritus verbo: & omnes male habentes curavit:

17. Ut adimpleretur (*i*) quod dictum est

* Is. 53 4. per * Isaiam prophetam, dicentem: Ipse infir-

1. Pet. 2 24. mitates nostras accepit: & ægrotationes nostras portavit.

18. Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum (*k*).

19. Et accedens (*l*) unus Scriba, ait illi: Magister, sequar te, quocumque ieris.

* Isa. 9. 58. 20. Et dicit ei Jesus: * Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

21. Alius autem de discipulis ejus ait illi: Domine, permitte me primum ire, & sepelire patrem meum.

22. Jesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte (*m*) mortuos sepelire mortuos suos.

23. * Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus: * Marc. 4. 36. Luc. 8. 22.

24. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat (*n*).

25. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, & suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus.

26. Et dicit eis Jesus: Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens, imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.

27. Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?

28. * Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum (*o*), occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. *Marc. 5 1. Luc. 8 26.

29. Et ecce clamaverunt, dicentes: Quid nobis, & tibi, Jesu fili (*p*) Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?

30. * Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens. * Marc. 5. 11.

31. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Luc. 8. 32.

32. Et ait illis: Ite (*q*). At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare: & mortui sunt in aquis.

33. Pastores autem fugerunt: & venientes in civitatem, nuntiaverunt omnia, & de eis qui dæmonia habuerant.

34. Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu: & * viso eo rogabant, ut transiret a finibus eorum. * Marc 5. 17. *Luc. 8. 37.

C A-

7. (*d*) Si volueris: quodcum ex humilitate recusasset Centurio, Dominus puerum sanavit absens. *Dic verbo*, Tantum impera: Gr. Dic tantum unum verbum.

9. (*e*) Etenim absens sanare poteris, qui nulli subditus es, cum ego vel absens imperare soleam, tametsi alienæ potestati subditus. Et *dico*, cum dico, *Vade*, obedit mihi.

10. (*f*) Non fiduciam Centurionis, sed fidem. Nam postea Christus addidit vers. 13. *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.* Miratus est Christus illam fidem, non ex ignoratione caussæ, nihil enim eum fugiebat; sed in modum admirantis se composuit, & hoc egit quod admirantes solent. *Non inveni tantam fidem*; tacita est exprobratio in populum Judaicum.

11. (*g*) Christus figuratis utitur locutionibus, quæ tum erant in usu. Judæi rerum omnium abundantiam sub Messia futuram animo præceperant.

14. (*h*) Augustin. loco citato: *Hoc quando factum sit, id est, post quid, vel ante quid, non expressit Matthæus. Non enim post quod narratur, post hoc etiam factum necesse est ut intelligatur*: Ac verisimile est, quæ sequuntur usque ad vers. 35. capitis sequentis, ante Sermonem Domini in monte acta fuisse.

17. (*i*) Verba Isaiæ, cap. 53. juxta textum Hebræum potius citantur, quam juxta LXX. *Ipse infirmitates nostras accepit*: in se suscepit, ac pertulit, ut loquitur Petrus 1. Epist. 2. Et morbos peccatorum effectus sustulit.

18. (*k*) Gr. *Trans lacum*, ubi erat solitudo. Hinc Marcus & Lucas scribunt eum in desertum secessisse.

19. (*l*) Miraculis commotus Christum sequi affectabat, cujus ambitionem & dolosum animum Dominus perstringit: nam gloria & lucri cupiditate tenebatur.

22. (*m*) Non prohibet officium pietatis, sed Evangelizandi officium præferendum insinuat. Ac forte petiit ille ut patris curam gereret usque ad ejus mortem: mortui penes animum mortuos corpore sepeliant, tu quæ magis sunt necessaria, curas. Prius illi dixerat Christus, *Sequere me*, Lucæ 9. ideo petiit facultatem patris sepeliendi.

24. (*n*) Somno voluntario, ut ad illius opem discipuli confugerent, & suæ fidei tenuitatem agnoscerent. Atque hoc loco fides non sumitur pro fiducia, cum res ipsis desperata videretur.

28. (*o*) Græce *Gergesenorum*; Marcus & Lucas Gadarenorum. Genes. 10. *Gergesini* vocantur in textu Hebræo, quam vocem retinuit Matthæus, qui scripsit Hebraice. Urbs autem *Gergesa* nulla amplius tum erat, prope illam Syri condiderunt Gerasam, ut eam vocat Josephus Lib. 2. belli Judaici, cap. 35. ac primis Ecclesiæ temporibus sic vocata est: Unde vulgata editio regionem Gerasenorum vertit. Lucas vero Antiochensis regionem Gadarenorum Græce scripsit. Hoc enim nomine apud Syro-Macedonas nota erat, inter præcipuas urbes Decapoleos. Nam regio Gerasenorum a Pompeji temporibus subdita erat Gadarenis, quorum urbem Pompejus instaurari jusserat, in gratiam Demetrii liberti sui hinc oriundi. Ita Pezronius Abbas, qui addit in eam regionem gentium se contulisse Dominum, quod ibi plures essent Judæi, in quos humaniores erant Geraseni, ex Josepho L. citato, c. 33. & 35. Decapoleos autem quinque urbes fitæ erant prope Jordanis fontes, aliæ ultra lacum, atque hæ urbes ad Græcos Syriæ pertinebant ex Plinio Lib. 5. cap 18. Unius tantum Energumeni mentionem faciunt Marcus & Lucas, quod forte alter ex iis multo notior esset, in quo erat legio dæmonum, uti respondet Augustinus; aut quod hic solus a Christo curatus fuerit.

29. (*p*) Ex miraculis suspicabantur esse Filium Dei. *Venisti huc ante tempus*, ante ultimum judicii diem; vel quia non putabant tam cito Christum venturum.

32 (*q*) Permisit Christus, tum ut ostenderet quantum dæmones in homines sævirent, si Deus sineret; tum ut liqueret contra Sadducæos extare spiritus. Quod male petebant dæmones, ut nocerent, permisit Christus, ut illustrius fieret miraculum: Dæmones vero id petierunt, ut regionis illius incolæ damno porcorum affecti Dominum non reciperent.

CAPUT IX.

Christus sanat Paralyticum; vocat Matthæum; obmurmurantes Pharisæos compescit; hemorrhoissam sanat; principis filiam suscitat; duobus cæcis visum restituit.

1. ET ascendens in naviculam, transfretavit, & venit in civitatem suam (*a*).

*Marc. 2. 3. Luc. 5. 18. 2. * Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur (*b*) tibi peccata tua.

3. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat (*c*).

4. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?

5. Quid est facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere: Surge, & ambula?

6. Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem (*d*) in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

7. Et surrexit, & abiit in domum suam.

8. Videntes autem turbæ timuerunt (*e*), & glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

* Marc. 2. 14. Luc. 5. 27. 9. * Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio (*f*), Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum.

10. Et factum est discumbente eo in domo (*g*), ecce multi publicani & peccatores venientes, discumbebant cum Jesu, & discipulis ejus.

11. Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?

12. At Jesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.

*Osee 6. 6. Inf. 12. 7. 13. Euntes autem discite quid est: * Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim
* 1. Tim. 1. 15. veni vocare justos (*h*), * sed peccatores.

* Marc. 2. 18. Luc. 5. 33. 14. Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes: * Quare nos, & Pharisæi jejunamus frequenter: discipuli autem tui non jejunant?

15. Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii sponsi (*i*) lugere quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus: & tunc jejunabunt.

16. Nemo autem immittit commissuram (*k*) panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus a vestimento, & pejor scissura fit.

17. Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conservantur.

18. * Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta (*l*) est: sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet. * Marc. 5. 22. Luc. 8. 41.

19. Et surgens Jesus, sequebatur eum, & discipuli ejus.

20. * Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus. * Marc. 5. 25. Luc. 8 43.

21. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.

22. At Jesus conversus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora.

23. Et cum venisset Jesus in domum principis, & vidisset tibicines (*m*) & turbam tumultuantem, dicebat:

24. Recedite: non est enim mortua puella, sed dormit (*n*). Et deridebant eum.

25. Et cum ejecta esset turba, intravit: & tenuit manum ejus. Et surrexit puella.

26. Et exiit fama hæc in universam terram illam.

27. Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes: Miserere nostri, fili David.

28. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit ei Jesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine.

29. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis.

30. Et aperti sunt oculi eorum: & comminatus est illis Jesus, dicens: Videte ne quis sciat.

31. Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa.

32. Egressis autem illis, * ecce obtulerunt ei hominem mutum (*o*), dæmonium habentem. *Inf. 12. 22. Luc. 11. 14.

33. Et

CAP. IX. 1. (*a*) Capharnaum, ubi frequentius habitabat. Civitas ejus dicitur ratione habitationis, ut Nazareth ratione educationis.

2. (*b*) Hanc potestatem se habere probat, sanitatem homini solo jussu impertiendo.

3. & 5. (*c*) Sibi tribuendo quod solius Dei proprium est. *Dicere*, cum simul res executioni mandetur.

6. (*d*) Divinam, qua etiam Paraclyticum mox erat sanaturus.

8. (*e*) Gr. *Admirati sunt*: Qui duo affectus sunt cognati maxime. Quædam exemplaria Latina cum Græcis consentiunt.

9 (*f*) Locus erat, ubi vectigalia solvebantur. August. lib. citato, c. 26. *Hinc autem probabilius videtur, quod hæc prætermissa recordando Matthæus commemorat, quia utique ante illum sermonem habitum in monte credendum est, vocatum esse Matthæum. In eo quippe monte tunc Lucas commemorat omnes duodecim ex pluribus discipulis electos, quos & Apostolos nominavit.* Qua de re diximus in præfatione.

10. (*g*) Matthæi: Lucas & Marcus id apertissime testantur.

13. & 14. (*h*) Justitiæ falsa persuasione inflatos. *Non jejunant*, tam frequenter ac Pharisæi: non enim de jejuniis a lege præscriptis hoc loco agitur.

15. (*i*) Græc. *Filii thalami nuptialis*: qui cum novo sponso versantur, filii nuptiarum dicuntur Hebræa phrasi, ut filius pacis. Hac comparatione uti voluit Dominus loquens ad discipulos Joannis, ut insinuaret se esse verum Ecclesiæ sponsum, & ad testimonium Joannis de se respexit.

16. (*k*) Græc. Additamentum, *Panni rudis*, nondum a fullone subacti: *Tollit enim plenitudinem ejus*, integritatem panni lacerat. Discipulis meis nondum impono graviora præcepta, donec sint ad ea excipienda paratiores.

18. (*l*) Marcus cap 5. in extremis fuisse ait. Rogavit primo pro filia animam agente, deinde nuntiata ejus morte, pro mortua deprecatus est. Matthæus uno verbo utrumque significavit brevitatis caussa: aut dixit mortuam esse, quod adeo male affectam reliquerit, ut eam expirasse crederet.

23. (*m*) Is fuit mos antiquorum, ut ad funus lamentatrices & tibicines adhiberent.

24. (*n*) Quod tam facile posset illam a morte, quam a somno excitare, vel quod ea esset statim suscitanda, velut a somno.

32. (*o*) Vox Græca surdum potius, quam mutum significat: quod hæc duo sint inter se conjuncta; nam qui surdi sunt a nativitate, iidem sunt muti: is vero alius est ab eo, cujus fit mentio Matth. 12. & Lucæ 11.

33. Et ejecto dæmonio, locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ, dicentes: Numquam apparuit sic in Israel.

34. Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones.

*Marc.6.6. 35. * Et circuibat Jesus omnes civitates & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans evangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem.

36. Videns autem turbas, misertus est eis: quia erant vexati, & jacentes sicut oves non habentes pastorem.

*Luc. 10.2. 37. Tunc dicit discipulis suis: * Messis quidem multa, operarii autem pauci.

38. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

CAPUT X.

Christus duodecim Apostolos instructos mittit ad evangelizandum Judæis; infirmos sanandi potestatem iis impertit; simplicem prudentiam commendat, & alias virtutes Christianas.

Marc. 3.13. Luc. 6. 13. & 9. 1. 1. ET convocatis (a) duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.

2. Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus (b), Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus,

3. Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi, & Thaddæus,

4. Simon Chananæus, & Judas Iscariotes, qui & tradidit eum.

5. Hos duodecim misit Jesus, præcipiens eis, dicens: In viam gentium (c) ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis:

*Act.13.46. 6. Sed potius ite * ad oves quæ perierunt domus Israel.

7. Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cælorum.

8. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite: gratis accepistis, gratis date (d).

9. * Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam (e) in zonis vestris: *Marc.6.8. Luc. 9. 3. & 10. 4.

10. Non peram (f) in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim est operarius cibo suo.

11. In quacumque autem civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus (g) sit: & ibi manete donec exeatis.

12. Intrantes autem in (h) domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui.

13. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos.

14. Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.

15. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.

16. * Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices (i) sicut columbæ. *Luc.10.3.

17. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis (k), & in synagogis suis flagellabunt vos:

18. Et ad præsides, & ad reges ducemini propter me, in testimonium illis, & gentibus.

19. * Cum autem tradent vos, nolite cogitare (l) quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. * Luc. 12. 11.

20. Non (m) enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.

21. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient:

22. Et eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

23. Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite (n) in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat filius hominis.

24. * Non

CAP. X. 1. (a) Electio Apostolorum e discipulis facta refertur Lucæ 6. 13. quo: verisimile est electos fuisse anno 2. a prædicatione Christi incœpta, circa mensem Januarium. *Potestatem*, contra spiritus immundos. *Et curarent*, quæ potestas extraordinaria missionis Apostolicæ erat argumentum.

2. 3. & 4. (b) Primus dignitate. Nam Andreas ejus frater prius vocatus dicitur a Joanne. Primatus autem ille non fuit datus cum hæc facta sunt, sed cum ab Evangelista scriptum est. Evangelistæ eum primo loco recensent ob ejus primatum. *Qui dicitur Petrus*, postea sic dictus c. 16. *Bartholomæus*, Filius Tolmai, seu Ptolemei. *Simon*. Qui & Zelotes e vico Cana, qui Syriace *Zelum* significat. *Thaddæus*, qui & Judas, & Lebbæus, frater Jacobi Alphæi, Christi consanguineus; *Et Judas Iscariotes*, Filius Simonis e vico Carioth in tribu Juda, cujus fit mentio Josue 15. Hebr. vicum significat.

5. (c) Quæ ducit ad gentes. *Ne abieritis*: Quia Judæis primum prædicare Evangelium oportuit.

8. (d) Ratio affertur cur gratis miracula patrare debeant, quod gratis hanc potestatem acceperint. Sic avaritiam, & simoniam coercet. *Mortuos suscitate*; hinc sequitur quosdam mortuos ab Apostolis esse suscitatos.

9. (e) Græc. Neque æs, neque ullam aliam pecuniam, ea quippe ex auro, argento, vel ære conflatur. Sensus est: Cum ad prædicandum Evangelium proficiscemini, ne sitis soliciti de cibo, potu, & aliis necessariis: ea quippe vobis suppeditabunt, quibus annuntiabitis Evangelium. Quod præceptum Christus dedit Apostolis ad tempus missionis, quotiescumque iter susciperent ad prædicandum Evangelium: ea vero commemorat quæ viatores secum deferre solent.

10. (f) Non circumferatis cibos, Græc. *Ad viam* comparetis, aut pocula, *Neque virgam*. Matth. 6. *Sed virgam tantum*. Maldonatus putat, Evangelistas non numerasse verba, sed sensum exhibuisse. Dominus enim id tantum vetuit, ne Apostoli quicquam ferrent, præter ea quæ essent in præsentem usum necessaria. Quædam editiones Græce habent, *Neque virgas*: Sic Matth. habet *Neque calceamenta*: Marcus, *Calceatos sandaliis*. Itaque Christus præcipit, ut virgam tantum, sandalia, tunicam secum ferant, non superflua, aut duo calceamenta. Hinc Juvencus Lib. 2. Hist. Evangel. *Nec plantis tegmina plura*. Virgæ etiam nomine intelligi potest virga ferro præfixa, qua se tuerentur. *Operarius*; ergo ut operatio merces debetur, sic prædicatori stipendium: neque adeo proventus Ecclesiastici sunt meræ eleemosynæ intuitu paupertatis concessæ, sed ut laborum stipendia honoraria.

11. (g) Qui famæ commendatione dignus sit hospitio vestro: ne forte labes in vos redundet, si ex fama laboret. *Donec exeatis*, e civitate, aut e pago: ne temere mutetis hospitium.

12. (h) Hæc desunt in Græco vulgati: sed in plerisque exemplaribus occurrunt.

16. (i) Græc. *Sine cornibus*, innocui, ut agni: itaque malum vobis illarum non referatis.

17. (k) In Synedria. Sæpe Apostoli coram Senatu magno adducti sunt, ut fidei suæ rationem redderent.

19. (l) Græc. *Ne solliciti sitis & anxii*; non præparationem, sed anxietatem prohibet.

20. (m) Vox negativa sæpe comparationem significat. Spiritus Sanctus magis loquetur in vobis, quam vos ipsi.

23. (n) Non debetis temere adire vitæ pericula, nec persequentium furorem manendo accendere, nisi salus aliquorum ex vestra fuga in periculum vocetur: qua de re Aug. Epist. 98. ad Honoratum. Non propterea missionem vestram deseratis, sed in alias urbes migrate. *Donec veniat filius hominis*, donec adsit vobis. Alii de Spiritus Sancti missione id interpretantur: Donec veniam ad vos per Spiritum Paracletum.

* Luc. 6. 40. Joann. 13. 16 & 15. 20. 24. * Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum.

25. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus: & servo, sicut dominus ejus. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt: quanto magis domesticos ejus?

* Marc. 4. 22. Luc. 8. 17. & 12. 2. 26. Ne ergo timueritis eos: * Nihil enim est opertum, quod non revelabitur: & occultum, quod non scietur.

27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.

28. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam.

* 1. Reg. 14. 11. Act. 27. 35. 29. * Nonne duo passeres asse væneunt: & unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro?

30. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.

31. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos.

* Marc. 8. 38. Luc. 9. 26. & 12. 8. 2. Tim. 2. 12. 32. * Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est:

33. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.

* Luc. 12. 51. 34. * Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere (*o*) in terram: non veni pacem mittere, sed gladium.

35. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam:

* Mich. 7. 6. 36. * Et inimici hominis, domestici (*p*) ejus.

* Luc. 14. 26. 37. * Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.

* Inf. 16. 24. Marc. 8 34. Luc. 14. 27. 38. * Et qui non accipit (*q*) crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.

* Luc. 9. 24. & 17. 33. Joan. 12. 25. 39. Qui invenit (*r*) animam suam, perdet illam: & qui * perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

* Luc. 10. 16. * Joann. 13. 20. 40. * Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit.

41. Qui recipit (*s*) prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.

* Marc. 9. 40. 42. * Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli (*t*): amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

C A P U T XI.

Joannes e carcere mittit discipulos ad Christum, qui laudato Joanne jubet huic renuntiari, quæ patret miracula; civitatibus incredulis exprobrat infidelitatem; omnes invitat ut ad se veniant; jugum ejus suave, & onus leve.

1. ET factum est, cum consummasset Jesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde ut doceret, & prædicaret in civitatibus eorum (*a*).

2. * Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, * Luc. 7. 18.

3. Ait illi: Tu es, qui venturus (*b*) es, an alium expectamus?

4. Et respondens Jesus ait illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis, & vidistis.

5. * Cæci vident (*c*), claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, * pauperes evangelizantur: * Isai. 35. 5. * Isa. 61. 1.

6. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus (*d*) in me.

7. * Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre? arundinem (*e*) vento agitatam? * Luc. 7. 24.

8. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

9. Sed quid existis videre? prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam prophetam (*f*).

10. Hic est enim, de quo scriptum est: * Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. * Mal. 3. 1. Marc. 1. 2. Luc. 7. 27.

11. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum (*g*) major Joanne Baptista: qui autem minor est in regno cælorum, major est illo.

12. A die-

34. (*o*) Futurum erat ut doctrina Christi Judæis & Gentibus annuntiata in familias divisionem & discordiam induceret, aliis credentibus, aliis incredulis.

36. (*p*) Propinqui infideles. Venit Christus non ut pacem terrenam, in qua non habetur ratio pietatis, stabiliret: dissensio vero illa, cujus meminit, non est seditiosa, sed patiens injuriarum; ex parte infidelium impia, ex parte fidelium justa & sancta Christus dissensionum occasio fuit, non caussa: eventum sæpe Scriptura, non intentionem, aut caussam profert.

38. (*q*) Qui non patienter adversa perfert. Qua locutione Christus primus usus est, eaque crucis mysterium commendavit. Eadem vox Hebræa utrumque significat, accipere & ferre.

39. (*r*) Phrasi Hebraica invenire est acquirere, aut servare.

41. (*s*) Qui eo nomine Prophetam suscipit, quod sit Propheta, mercedem accipiet, non in pari gradu, sed juxta affectus & officii magnitudinem: Prophetæ nomine doctor, aut prædicator Evangelii recte intelligitur.

42. (*t*) Quia discipulus est. Hæc Christi documenta in monte ipso inter Capharnaum & Bethsaidam data sunt, cum Apostolos elegit.

CAP. XI.

1. (*a*) Judæorum. Quid autem fecerint Apostoli a Christo dimissi, Marcus cap. 6. & Lucas cap. 9. referunt.

3. (*b*) Joannes qui tum erat in carcere, in arce Macheronta. Ubi Herodes Antipas hujus anni initium exegit, duos e discipulis suis misit ad Christum: non quod dubitaret an is esset Messias; *Tu es qui venturus es*, ὁ ἐρχόμενος, tu es Messias; sed ut discipuli ea de re convicti non dubitarent.

5. (*c*) Alludit ad cap. 35. & 61. Isaiæ, ubi hæc de Christo prædicuntur. *Mortui resurgunt*; hinc nonnulli colligunt plures quam tres mortuos a Christo fuisse suscitatos. *Pauperes Evangelizantur*: Humilibus Evangelium annuntiatur.

6. (*d*) Qui offensus non fuerit vitæ meæ & mortis humilitate. Beatus, cui non fuero scandali & ruinæ occasio.

7. (*e*) Num hominem levem & inconstantem? ne forte existimarent Joannem mutasse sententiam, non frustra Joannem adiistis.

9. (*f*) Aliis Prophetis excellentiorem: præsentem vidit, & nondum a populo agnitum demonstravit.

11. (*g*) Lucas 7. 28. *Major inter natos mulierum Propheta Joanne Baptista nemo est*. De Sanctis veteris Testamenti id intelligit Maldonatus, si fiat comparatio in sanctitate.

12. A diebus autem Joannis (*h*) Baptistæ usque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

13. Omnes enim prophetæ, & lex usque ad Joannem prophetaverunt (*i*):

Mal. 4. 5. 14. Et si vultis recipere (*k*), * ipse est Elias, qui venturus est.

15. Qui habet aures (*l*) audiendi, audiat.

16. Cui autem similem æstimabo generationem (*m*) istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus

17. Dicunt: Cecinimus (*n*) vobis, & non saltastis: lamentavimus, & non planxistis.

18. Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet:

19. Venit filius hominis, manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et justificata (*o*) est sapientia a filiis suis.

20. Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam.

* Luc. 10. 13. 21. * Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent (*p*).

22. Verumtamen dico vobis: Tyro & Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis.

23. Et tu Capharnaum, numquid usque in cælum exaltaberis (*q*)? usque in infernum descendes: quia, si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem.

24. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi.

25. In illo tempore respondens (*r*) Jesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.

26. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te.

27. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. * Et nemo novit Filium, nisi (*f*) Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. * Joan. 6. 46. & 7. 28. & 8. 19. & 10. 15.

28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.

29. Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum, & humilis corde; & * invenietis requiem animabus vestris. * Jer. 6. 16.

30. * Jugum enim meum suave est, & onus meum leve (*g*). * 1 Joan. 5. 3.

CAPUT XII.

Christus discipulos adversus Pharisæorum criminationes defendit. Die sabbati manum aridam sanat; dæmoniacum cæcum & mutum curat; Pharisæorum blasphemiam repellit; petentibus signum, Jonam Prophetam in signum futuræ suæ resurrectionis iis proponit.

1. IN illo tempore abiit Jesus per sata sabbato: discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare. Marc. 2. 23. Luc. 6. 1.

2. Pharisæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis.

3. At ille dixit eis: Non legistis * quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant: * 1 Reg. 21. 4.

4. Quomodo intravit (*a*) in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, * nisi solis sacerdotibus? * Lev. 24. 9.

5. Aut non legistis in lege, * quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant (*b*), & sine crimine sunt? * Num. 28. 9.

6. Dico

12. (*h*) Primus Joannes pœnitentiam prædicavit, & docuit homines regnum cælorum vi quadam rapi: *Major est illo*; juxta communiorem interpretationem, quanto Joannes alios Prophetas superavit, tanto novi fœderis Prophetæ Joannem notitia Mysteriorum post descensum Spiritus Sancti superarunt. Alii Prophetæ quasi eminus futura bona, & liberationem mundi viderunt: sed ex quo Joannes apparuit, jam promissa divina impleri cœperunt; cælum ante occlusum apertum est; *Et violenti rapiunt illud*, dum libidines vincunt suas, & intellectum redigunt in obsequium fidei, carnis & diaboli tentationes elidunt, & cælum expugnant quasi arcem munitissimam. Regnum cælorum sumi potest pro Ecclesia, aut pro vita æterna. Ex quo venit Joannes, mutata sunt tempora; non jam terrena, sed cælestia, & majori vigilantia quærenda sunt; novam legem veteri videtur opponere.

13. (*i*) Loquitur de Prophetis, qui primum Christi adventum prædixere, quique extiterunt usque ad Joannem: ex quo regnum cælorum omnibus est patefactum.

14. (*k*) Si bene accipitis quod dico, *Ipse est Elias qui venturus est*, præcursoris officio: ut Elias secundum, sic Joannes primum Christi adventum prævenit; ipse est Elias vestitu, vita, spiritu.

15. (*l*) Donum Intelligentiæ; Qui docilis est.

16. (*m*) Hoc ipsum egerunt Judæi, quod solent pueri. Joannes clamavit, & Judæi, non ut par erat, responderunt.

17. (*n*) Iis exprobrat, quod Joannem rejecerint propter severioris vitæ genus: ac similitudinem affert puerorum, qui in duos distributi choros, alii aliis exprobrant, quod præ morositate sua neque cantus lugubres, seu nænias occinere noluerint, neque ad tibiæ sonum saltare. Sic Pharisæi plerique nec Christum ob communis vitæ institutum, nec Joannem propter austerioris vitæ rationem audire voluerunt: Similes morosis pueris, quibus nulla placet cantilena, seu læta, seu tristis.

19. (*o*) Sed divinæ sapientiæ & consiliorum erga Judæos ratio declarata & approbata fuit ab Apostolis, & ab iis omnibus qui crediderunt: tametsi pars major divinum hoc beneficium rejecit. Quod utique & civitatibus exprobrat, quæ post tot prodigia a se visa, nec crediderunt, neque egerunt pœnitentiam. Particula &, videtur disjunctiva potius, quam copulativa: ita ut vim habeat particulæ *sed*. Mox idem exprobrat urbi Corozain, quæ in lacus Genezareth ingressu sita erat ultra Jordanem, e regione Capharnaum, ut Bethsaida citra Jordanem.

21. (*p*) Non sine speciali Dei auxilio, quod daturus iis fuisset. Alii id populariter intelligendum volunt, adeo ut dixerit Dominus, quod humano judicio omnino erat probabile futurum fuisse: sed Judæos arguit obdurationem cordis, quæ in iis major erat, quam in Tyriis & Sidoniis. Hæc durities erat omnino voluntaria; pravam videndi rationem harum civitatum insinuat simplici illa comparatione cum Tyriis & Sidoniis.

23. (*q*) Græce *Exaltata es*, prædicatione mea, & miraculis illustrata. Bethsaida & Corozain cum Tyriis & Sidoniis, Capharnaitas cum Sodomitis comparat, & graviores eos daturos pœnas denuntiat, quod tam præclaras salutis occasiones spreverint. *Forte mansissent*: Græce ἄν, vox est, inquiunt nonnulli, potentialis, manere potuissent; sed ea potius videtur, ut loquuntur Grammatici, expletiva, utique & sine dubio significat. Existimat R. Simo non aliud quam summam Judæorum improbitatem usitati sermonis more hoc in loco exprimi.

25. (*r*) Sermonem suum prosequens, phrasi Hebraica. *Confiteor*. Gratias ago. Respondere is dicitur, qui non solum ad interrogata sermonem suum convertit, sed etiam qui institutum sermonem continuat, aut in ea verba erumpit, quæ prævix cogitationi respondent. *Parvulis*, Humilibus.

27. (*f*) Non excluditur Spiritus Sanctus, sed excluditur tantum quidquid est natura diversum. Hæc dicit, rationem reddens eorum, quæ mox dicturus est.

30. (*g*) Quod unctio gratiæ sublevat, & amore ipso sustinetur. Sed mitis & humilis corde is esse debet, qui ad Christum vult pertinere.

CAP. XII. 4. (*a*) Panes præbente Sacerdote accepit, oblatos postea comedit extra domum Dei: *Panes propositionis*, seu propositos, aut expositos. Panes, quorum hoc in loco fit mentio, erant in domo summi Sacerdotis.

5. (*b*) Non cessant ab opere, quod facere non liceret, nisi id præceptum esset, atque ad cultum Dei pertineret; eaque est compendiaria quædam locutio.

6. Dico autem vobis, quia templo major est hic (*c*).

*1.Reg.15.22. Eccl.4.17. Osee 6.6. 7. Si autem sciretis, quid est: * Misericordiam volo, & non sacrificium: numquam condemnassetis innocentes:

Sup.9.13. 8. Dominus (*d*) enim est filius hominis etiam sabbati.

9. Et cum inde transisset (*e*), venit in synagogam eorum.

*Marc.3.1. Luc.6.6. 10. * Et ecce homo manum habens aridam, & interrogabant eum, dicentes: Si licet sabbatis curare? ut accusarent eum.

*Deut.22.4. 11. Ipse autem dixit illis: * Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam.

12. Quanto magis melior est homo ove? Itaque licet sabbatis benefacere.

13. Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est sanitati sicut altera.

14. Exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant adversum eum, quomodo perderent eum.

15. Jesus autem sciens recessit inde: & secuti sunt eum multi, & curavit eos omnes:

16. Et præcepit eis ne manifestum eum facerent (*f*).

17. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem:

*Isa.42.1. 18. * Ecce puer (*g*) meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, & judicium gentibus nuntiabit.

19. Non contendet (*h*), neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus:

20. Arundinem quassatam non confringet (*i*), & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium.

21. Et in nomine ejus Gentes sperabunt (*k*).

22. Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus, & mutus, & curavit eum, ita ut loqueretur, & videret.

23. Et stupebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic est filius David?

24. * Pharisæi autem audientes, dixerunt: Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. *Sup.9.34. Marc.3.22. Luc.11.15.

25. Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: * Omne regnum divisum contra se, desolabitur: & omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit. *Luc.11.17.

26. Et si satanas satanam ejicit, adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum ejus?

27. Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii (*l*) vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt.

28. Si autem ego in spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.

29. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem? & tunc domum illius diripiet.

30. Qui non est mecum, contra (*m*) me est: & qui non congregat mecum, spargit.

31. * Ideo dico vobis: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus (*n*) autem blasphemiæ non remittetur. *Marc.3.28.29. Luc.12.10.

32. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. (*o*)

33. Aut facite arborem (*p*) bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur.

34. Progenies viperarum, quomodo potestis (*q*) bona loqui, cum sitis mali? * ex abundantia enim cordis os loquitur. *Luc.6.45.

35. Bonus homo de bono thesauro (*r*) profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala.

36. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.

37. Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis (*s*) condemnaberis.

38. Tunc

6. & 7. (*c*) Qui est hoc in loco. *Misericordiam*, Charitatem erga proximos malim, quam sola sacrificia.

8. (*d*) Qui sabbatum instituit, quique illud abrogare possest.

9. (*e*) Tum forte Christus adhuc erat circa Judææ confinia, atque inde Galilæam migraturus.

16. (*f*) Ante resurrectionis suæ tempus, atque ut hominum turbam declinaret.

18. (*g*) Vox Hebræa *Hebed*, עבד, *servum* significat, quod servi formam assumpserit. *Nuntiabit*, Veram annuntiabit religionem. Ministerium ejus his verbis prænuntiat: Et *judicium meum*; Non Judæorum tantum, sed & gentium legislator futurus est.

19. (*h*) Non erit contentiosus, aut clamosus: moderationem & mansuetudinem Christi exprimit. Non *contendet*, cum adversariis, *non clamabit*, ut qui rixantur, solent.

20. (*i*) Non opprimet, non dejiciet, *Linum fumigans non extinguet*, licet naribus molestum: quibus omnibus Christi lenitatem commendat. *Donec ejiciat*, In extremo judicio adversarios vincat, ubi terribilis inimicis suis videbitur, & Evangelio toto orbe prædicato victor appareat.

21. (*k*) Interim propagato Evangelio Gentes in eo spem omnem suam collocabunt

27 (*l*) Vestri discipuli, aut exorcistæ, quorum fit mentio Actor. 19. vel discipuli Christi, quorum multi erant aut familiares, aut agnati calumniantium Pharisæorum: nam LXXII. discipuli ex Lucæ cap 10. ejiciebant dæmonia, quorum obsessiones tum erant frequentiores Cur me potius quam filios vestros dicitis in Beelzebub ejicere dæmonia? Verisimile est Christum loqui de exorcistis Judæorum, quorum multi erant e secta Pharisæorum. Hi, teste Irenæo Lib. 2. cap. 5. dæmones ejiciebant, Altissimi & Omnipotentis invocatione, ac suis adhuc temporibus Judæos ita dæmones ejicere solitos ait: *Judæi*, inquit, *usque nunc hac ipsa advocatione dæmones effugant*.

30 (*m*) August. Aut Dei sumus, aut diaboli, nihil medium. *Et qui non congregat mecum*. Qui homines colligit non mihi, spargit.

31. (*n*) Quo Spiritus Sancti opera dæmoni tribuuntur; *Non remittetur*, vix & ægre dimittitur: raro ejusmodi peccatores pœnitet, ut par est; hæc peccata nihil fere in homine relinquunt, ex quo sperari possit vera pœnitentia. Pharisæi dæmoni tribuebant, quæ certo sciebant a solo Deo proficisci posse

32. (*o*) Ergo quædam peccata remittuntur in futuro sæculo, ut ex hoc loco probat August. Lib. 21. de Civ. cap. 24. & Gregorius Lib. 4. dialog. cap. 39. alioqui superflua esset ista adjectio. Christi temporibus futuram aliam vitam agnoscebant Judæi.

33. (*p*) Quod si ad præcedentia id referatur, cum me reprehendere non possitis, nec opera mea, quid est cur me non recipiatis? vel me cum operibus laudate, vel si me damnatis, opera ipsa condemnate.

34. (*q*) Id neque est usitatum, neque diuturnum, ut mali bona proferant, & loquantur.

35. & 36 (*r*) Græc. additur *καρδίας*, cordis. *Otiosum*. Si de verbo otioso, quod sine utilitate audientis, aut loquentis dicitur, ratio reddenda est, quanto magis de blasphemia? Chrysostomus otiosum verbum non inutile modo, sed & falsum, & cum calumnia conjunctum interpretatur.

37. (*s*) Non quod sola verba unumquemque aut justificent, aut condemnent: sed ad complures puniendos, aut justificandos sufficiunt, tametsi ex multis aliis prodire soleat justificatio, aut condemnatio.

38. Tunc responderunt ei quidam de Scribis, & Pharisæis, dicentes: Magister, volumus a te signum videre.

*Inf. 16.4. Luc. 11. 29. 1. Cor. 1. 22. *Joann. 2. 1. 39. Qui respondens ait illis: * Generatio mala & adultera (t) signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum * Jonæ Prophetæ.

40. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

*Joann. 3. 5. 41. * Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt (u) eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quam Jonas hic.

42. Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam: * quia
*3 Reg. 10. 1. 2 Par. 9. 1. venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quam Salomon hic.

* Luc. 11. 24. 43. * Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca (x) arida, quærens requiem, & non invenit.

44. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam.

45. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant
* 2. Pet. 2. 20. ibi: * & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ.

*Marc. 3. 5. Luc. 8. 19. 46. * Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei.

47. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.

48. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater (y) mea, & qui sunt fratres mei?

49. Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.

50. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.

CAPUT XIII.

Septem a Christo Domino proponuntur parabolæ: propheta est in patria sua sine honore.

1. IN illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare.

2. * Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet: & *Marc. 4. 1. Luc. 8. 4.
omnis turba stabat in littore;

3. Et locutus est eis multa in parabolis (a), dicens: Ecce exiit qui seminat, seminare.

4. Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam: & venerunt volucres cæli, & comederunt ea.

5. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam: & continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ.

6. Sole autem orto æstuaverunt (b): & quia non habebant radicem, aruerunt.

7. Alia autem ceciderunt in spinas: & creverunt spinæ, & suffocaverunt ea.

8. Alia autem ceciderunt in terram bonam: & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.

9. Qui habet aures audiendi, audiat.

10. Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?

11. Qui respondens, ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: illis autem non est datum.

12. * Qui enim habet (c), dabitur ei, & *Inf. 25. 29.
abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo.

13. Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes (d) non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt.

14. Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: * Auditu audietis (e), & non intel- * Is. 6. 9.
ligetis: & videntes videbitis, & non vide- Marc. 4. 12. Luc. 8. 10.
bitis. Joann. 12. 40.

15. Incrassatum est enim cor populi hujus, Act. 28. 26.
& auribus graviter audierunt, & oculos suos Rom. 11. 8.
clauserunt: nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos.

16. Ve-

39. (t) Quod Chrysostomus ad eorum Infidelitatem refert, ait ita vocatur, quæ frustra Abrahamum & alios jactabat Patriarchas. *Ne signum*, Non dabo aliud signum, nisi mortem & resurrectionem meam. *In corde terræ*, In sepulcro.

41. & 42. (u) Eorum condemnationi instabunt. *Regina Austri*, E confiniis Arabiæ Felicis versus Oceanum ad Austrum positis. Unde a finibus terræ venisse dicitur.

43. (x) Humano more loquitur: idque insinuat longe gravius peccare Judæos, quam si nullam Dei legem accepissent; ac dæmon ipse magis affectat præ superbia redire ad domum, unde ejectus est, quam novam occupare. *Requiem*, Locum habitationi idoneum.

48. (y) Beatior est Virgo quod mente, quam quod carne Christum conceperit; spiritalem præfert cognationem carnali.

CAP. XIII. 3. (a) Tres sunt velut partes parabolæ; procemium quod sæpe omittitur, ut in hac parabola de semine. Secunda est fabula, tertia applicatio. In nonnullis argumentum sumitur a similibus, ut in hac parabola de semine; In aliis ex dissimilitudine, argumento sumpto, vel a minori affirmative, ut Lucæ 11. vel a majori negative, ut Lucæ c. 16. de divite epulone. In Evangelio sæpe dicitur; *Simile est regnum cælorum*, non quod Ecclesia cum iis rebus conferatur: sed quia in Ecclesia tale aliquid contigit. Sic in hoc capite, vers. 24. sator non comparatur regno cælorum, sed rem ita se habere docet Dominus, ut si aliquis serat, &c. Marci c. 4. apertius id exprimitur: *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram*. Hæc omnibus, quæ sequuntur parabolis vir doctus in suis regulis proferre operæ pretium duxit, ad earum faciliorem intelligentiam: prima parabola fuit de semine, quod ut terra varie erat disposita, sic diversam habuit sortem, eaque ad verbum Dei pertinet, quod penes diversam animorum dispositionem varie procedit.

6. (b) Æstu percussa sunt, & exusta. *Audiendi*, Aures mentis ad intelligendum.

12. (c) Quod habere debet, & eo bene utitur, plus meretur. *Qui autem non habet*: quia indignus est ut habeat. Proverbium usu tritum, ditioribus dari, pauperibus auferri. Quæ proverbia negat vir doctus summo jure accipi oportere.

13. (d) Cum videant miracula, iis nolunt credere: unde in pœnam incredulitatis obscure loquitur: sic tenebræ tenebris, & obscuritas voluntariæ cæcitati redditur.

14. (e) Ex Isaiæ cap. 6. 9. juxta LXX. versionem; *Non videbitis*, Non intelligetis. Matthæus caussam affert cur non intelligant, nec credant, Marcus & Lucas eventum, *Ut videntes non videant*.

16. Vestri autem beati oculi quia vident (*f*), & aures vestræ quia audiunt.

* Luc. 10. 24. 17. * Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ & justi cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.

18. Vos ergo audite parabolam seminantis.

19. Omnis (*g*) qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatum est in corde ejus: hic est qui secus viam seminatus est.

20. Qui autem super petrosa seminatus (*h*) est, hic est qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud:

21. Non habet autem in se radicem, sed est temporalis: facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuo scandalizatur.

22. Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, & solicitudo sæculi istius, & fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur.

23. Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum (*i*), aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum.

* Marc. 4. 26. 24. * Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile (*k*) factum est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.

25. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici, & abiit.

26. Cum autem crevisset herba & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.

27. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania?

28. Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, & colligimus (*l*) ea?

29. Et ait: Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.

30. Sinite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

* Marc. 4. 31. Luc. 13. 19. 31. * Aliam parabolam proposuit eis, dicens: Simile est regnum cælorum grano sinapis (*m*), quod accipiens homo seminavit in agro suo:

32. Quod minimum (*n*) quidem est omnibus seminibus: cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres cæli veniant, & habitent in ramis ejus.

33. Aliam parabolam locutus est eis. * Simile est regnum cælorum fermento (*o*), quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. * Luc. 13. 21.

34. Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas: & sine parabolis non loquebatur (*p*) eis:

35. Ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: * Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi. * Ps. 77. 2.

36. * Tunc, dimissis turbis, venit in domum: & accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. * Marc. 4. 34.

37. Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen, est Filius hominis.

38. Ager autem, est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii (*q*) regni. Zizania autem, filii sunt nequam.

39. Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus. * Messis vero, consummatio sæculi est. Messores autem, Angeli sunt. * Apoc. 14. 15.

40. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: sic erit in consummatione sæculi.

41. Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem:

42. Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & stridor dentium.

43. * Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat. * Sap. 3. 7. Dan. 12. 3.

44. Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.

45. Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.

46. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.

47. Ite-

16. (*f*) Et corporis & mentis oculis. Quod quidem non adversatur verbis Christi Joann. 20. *Beati qui non viderunt*: sensus enim hic est; Ii Deo sunt gratiores, qui non visis, nec ratione naturali demonstratis crediderant, sed propter auctoritatem divinam.

19. (*g*) Omnis, παντός; Phrasis est Hebraica, qua antecedenti posito sine dictione regente, attexitur relativum. Sensus est: De corde cujuscumque hominis audientis, & non intelligentis, id est, non fidem suscipientis, venit diabolus, qui rapit quod seminatum est: *Verbum regni*, Evangelii.

20. (*h*) *Seminatum est*, ad personam refertur, instar agri, aut terræ secus viam positæ.

23. (*i*) Hieron. Lib. 1. contra Jovinianum: *Triginta referuntur ad nuptias, sexaginta vero ad viduas: porro centesimus numerus exprimit virginitatis coronam.*

24. & 25. (*k*) Simile quiddam contingit in Ecclesia. *Cum autem dormirent homines*: Cum præpositi Ecclesiæ negligentius se haberent: *Superseminavit zizania*, malos, aut hæreticos latentes.

28. (*l*) Non statim, nec mali omnes eradicandi, multi sunt occulte mali, multi non ita perversi, quin sperandum sit eos bonos fore, neque adeo possibile est, immo nec expedit malos omnes a bonis separare; sed per disciplinam Ecclesiasticam & civilem sic agendum, ut atrocia quæque plectantur scelera.

31. (*m*) Profectum doctrinæ Evangelicæ, & illius efficaciam, hac parabola designat

32. (*n*) Proportione quadam: nam pro mole sua magnam producit plantam, præsertim in locis calidioribus: Proverbium erat apud Judæos usitatum, ut rem minimam granum sinapis vocitent.

43. (*o*) Hæc parabola uti & præcedens progressum Ecclesiæ a temporibus initiis & vim illius demonstrat. *Abscondit*: Sanctus Chrysologus serm. 99. *Res de usu geritur, vir in agro sinapis arborem serit; domi mulier fermentum procurat, & panes præparat alimoniæ: quia virum foris expectat labor, intus mulierem domestica cura constringit. In farinæ satis tribus*: tria sata efficiebant mensuram Ephi, quæ simul pinsi solebat. Genes. 18 vel ut aliis placet, Ephi tantum capiebat, quantum homo humeris suis portare poterat.

34. & 35. (*p*) Idque ut plurimum. *Ut impleretur*. Ita ut illud impletum fuerit, quod Psalm. 77. scriptum est, *Ut aperiam in parabolis os meum*; mysteria nemini adhuc reserata.

38. 41 & 44. (*q*) Justi, ad regnum cæleste præparati. *Scandala*, Qui aliis sunt scandalo. *Thesauro*, nunc pretium Evangelicæ doctrinæ ostendit.

47. Iterum simile est regnum cælorum sagenæ (*r*) missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.

48. Quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.

49. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum,

50. Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium.

51. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam.

52. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova (*s*) & vetera.

53. Et factum est, cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde.

Marc. 6. 1. Luc. 4. 16. 54. Et * veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur, & dicerent: Unde huic sapientia hæc, & virtutes?

** Joann. 6. 42.* 55. * Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria: & fratres ejus, Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas?

56. Et sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista?

57. Et scandalizabantur (*t*) in eo. Jesus autem dixit eis: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua.

58. Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum.

CAPUT XIV.

Mors Joannis Baptistæ: miraculum de quinque panibus, Christus de nocte venit ambulans super aquas.

1. IN illo tempore audivit Herodes tetrarcha (*a*) famam Jesu: *Marc. 6. 14. Luc. 9. 7.*

2. Et ait pueris (*b*) suis: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit a mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.

3. * Herodes enim tenuit Joannem, & alligavit eum: & posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris (*c*) sui. ** Marc. 6. 17. Luc. 3. 19.*

4. Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam.

5. Et volens illum occidere, timuit populum: * quia sicut prophetam eum habebant. **Inf. 21. 26.*

6. Die autem natalis Herodis saltavit filia (*d*) Herodiadis in medio, & placuit Herodi.

7. Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo.

8. At illa præmonita a matre sua, Da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptistæ.

9. Et contristatus est rex: propter juramentum autem, & eos qui pariter recumbebant, jussit dari.

10. Misitque & decollavit Joannem in carcere.

11. Et allatum est caput ejus in disco, & datum est puellæ, & attulit matri suæ.

12. Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud: & venientes nuntiaverunt Jesu.

13. * Quod cum audisset Jesus, secessit (*e*) inde in navicula, in locum desertum seorsum: & cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus. ** Marc. 6. 32. Luc. 9. 10. Joan. 6. 1. 2.*

14. Et

47. & 48. (*r*) Gallice, *une seine*. Sagena est Ecclesia, quæ sinu suo bonos & malos complectitur. *Malos*, Minutiores pisces, viles & nullius pretii.

52. & 54. (*s*) Cuncta alendæ familiæ necessaria. *In patriam suam*, Nazareth: *Synagogis*, Græc. Synagoga.

57. (*t*) Offendebantur ob generis, ut iis videbatur, humilitatem. *Non est Propheta sine honore*, Nusquam minus est in honore. Videtur Christus Dominus tum in civitatem suam tertio venisse cum discipulis, ex quo ministerium suum inceperat. Consobrini ejus hoc loco, & Marci cap. 6. recensentur: *Jacobus minor*, Episcopus Hierosolymitanus, cujus est epistola Canonica: *Et Joseph*, Græce *Joses*: *Et Simon* Cleophæ filius; *Et Judas*, qui & Thaddæus: *Et sorores ejus*, cognatæ, forte filiæ fratris Joseph. Aut certe Maria Cleophæ, Mariæ soror, vel sponsi soror, quæ primum Alphæo Jacobi & Josephi patri, tum Cleophæ nupserat: cujus filii fuerunt Judas Apostolus & Simeon secundus Episcopus Hierosolymæ, adeo ut hi quatuor fuerint Christi Domini consobrini; iique interdum dicuntur fratres, ex patribus Alphæo, & Cleopha. Ita Petronius Abbas in Historia Evangelica, qui in ea quoque est sententia, Christum non statim ex urbe Capharnaum le Nazareth contulisse. Nam ex Marco c. 4. & 6. discimus, Christum eo ipso die, quo parabolas exposuit, in lacum una cum discipulis esse profectum, ubi jussu suo tempestatem sedavit: tum in regionem Gerasenorum appulit, legionem dæmonum ejecit, & statim citra lacum reversus est. Quare Matthæus videtur per anticipationem locutus cap. 8. de sedata tempestate, & profectione ad Gerasenos.

CAP. XIV. 1. (*a*) Herodes Antipas filius Herodis magni, cui regni paterni pars quarta obtigerat. Hic ante annum duxerat in uxorem Herodiadem neptem Herodis magni, ex Aristobulo prognatam. Hæc Philippum conjugem fratris Herodis Antipæ, sed ex alia matre natum, deseruerat, ut nuptias lege divina prohibitas cum Herode Antipa contraheret. Quod Judæis omnibus magno fuit scandalo: id enim Levit. 18. omnino erat prohibitum. Propterea is fuit a Joanne graviter reprehensus. In carcerem conjecit Joannem in arce Macheronta, atque Herodiadis artibus die ipso natalis Antipæ neci datus est, uti in hoc capite Matthæus a vers. 3. ad 14. atque, Marcus cap. 6. & Lucas cap. 9. fusius referunt.

2. (*b*) Domesticis. *Hic est Joannes Baptista*: Lucas eum dubitasse ait: si fieri potest ut primum addubitaverit, tum id ipsum in animum induxerit suum: nisi forte id legendum sit per interrogationem. Aut certe quæ Herodes & Judæi de resurrectione acceperant e Scripturis, cum Philosophorum quorumdam placitis de transmigratione animorum confundere potuerunt. *Operantur*; vox Græca efficaciam in miraculis patrandis designat. Illud prorsus stupendum videtur, Herodi ante Joannis mortem Jesum plane fuisse incognitum. Sed Chrysostomus præclare advertit Homil. 49 in Matth. id solemne esse multis principibus, ut ad ea quæ ad Deum tantummodo & religionem spectant, non magnopere attendant animum. Videre postea cupiebat Jesum, mera curiositate adductus.

3. (*c*) Philippi, a quo Herodes Tetrarcha eam abduxerat.

6. (*d*) Hæc Salome dicta est e priori connubio cum Philippo nata. Qui Philippus non fuit Tetrarcha Trachonitidis, sed alius Herodis M. Filius ex Mariamne uxore. Hæc Salome postea nupsit Philippo Tetrarchæ, ex Josepho Lib. 18. c. 7. qui eum sine liberis obiisse, Aristobolo regi Chalcidis nupsit. Circa mensem Februarium Joannis necem contigisse, ex ipsa rerum serie conjicit Petronius, anno Christi 32. adeo ut per 7. aut 8. menses Joannes carcere conclusus videatur. Hinc necem Joannis factam esse Macheronte, & adeo iniquam Judæis esse visam testatur Josephus, ut Herodis exercitum post aliquot annos ab Areta rege Arabum penitus deletum fuisse in pœnam hujus nefarii sceleris persuasum habuerint.

13. (*e*) Tum Jesus in Galilææ civitatibus verbum prædicabat: paullo ante miserat Apostolos, qui regnum Dei annuntiarent: jam ad eum redierant, cum illi mors Joannis Baptistæ fuit annuntiata, & legationis suæ rationem reddiderant, uti ex cap. 6. Marci discimus; & convenientes Apostoli ad Jesum renuntiaverunt ei omnia quæ egerant. Christus itaque secessit una cum Apostolis in desertum Bethsaidæ, ex Lucæ cap. 9. vers. 10. Hoc desertum ultra lacum Genesareth patebat. Christus Herodis sævitiam, & Pharisæorum insidias vitare voluit, quod nondum venisset hora ejus. Aliam quoque hujus secessus rationem Marcus affert, quod discipuli ex sua legatione fatigati rediissent, & requie indigerent, quam ibi consequi non poterant ob hominum frequentiam. *Turbæ secutæ sunt eum pedestres de civitatibus*. Quocirca videtur Dominus non integrum lacum trajecisse, sed sinum ejus tantummodo, ac turbas pedibus juxta lacus littora eo venisse: immo quidam prævenerunt, ex Marci cap. 6 adeo ut Christus & Apostoli videantur paulisper in littore consedisse, priusquam in desertum se conferrent.

14. Et exiens (*f*) vidit turbam multam, & misertus est eis, & curavit languidos eorum.

15. Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, & hora jam præteriit: dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas.

16. Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare.

* Joan. 6. 9. 17. Responderunt ei: * Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces.

18. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc.

19. Et cum jussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cælum benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.

20. Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.

21. Manducantium autem fuit numerus, quinque millia (*g*) virorum, exceptis mulieribus, & parvulis.

* Marc. 6. 45. 22. * Et statim compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.

* Joan. 6. 15. Marc. 6. 46. 23. Et dimissa turba, * ascendit in montem solus orare: Vespere (*h*) autem facto solus erat ibi.

24. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus.

25. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare.

26. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt.

27. Statimque Jesus locutus est eis dicens: Habete fiduciam: Ego sum, nolite timere.

28. Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas.

29. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum.

30. Videns vero ventum validum, timuit: & cum cœpisset mergi, clamavit dicens: Domine, salvum me fac.

31. Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum: & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti?

32. Et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus.

33. Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes: Vere Filius Dei es.

34. * Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar. * Marc. 6. 53.

35. Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes.

36. Et rogabant eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.

CAPUT XV.

Humanæ traditiones; insignia duo miracula, de Syrophœnissa, & septem panibus.

1. TUnc accesserunt ad eum ab Jerosolymis Scribæ, & Pharisæi, dicentes: Marc. 7. 1.

2. * Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum (*a*)? non enim lavant manus suas cum panem manducant. * Marc. 7. 5.

3. Ipse autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini (*b*) mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit:

4. * Honora patrem, & matrem; & * Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. * Exod. 20. 12. Deut. 5. 16. Eph. 6. 2.

5. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri, Munus quodcumque est ex me (*c*), tibi proderit: * Exod. 21. 17. * Levit. 20. 9.

6. Et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Prov. 20. 20.

7. Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens:

8. * Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. * Isa. 29. 13. Marc. 7. 6.

9. Sine causa (*d*) autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.

10. Et convocatis ad se turbis dixit eis: Audite, & intelligite.

11. Non quod intrat in os, coinquinat (*e*) hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

12. Tunc

14. & 15. (*f*) Exiens e navi. *Vespere*, Inclinata die, quæ post meridiem jam processerat. Sequitur insigne miraculum de multiplicatione quinque panum, quod ab omnibus Evangelistis enarratur. Joannes cap. 6. v. 4. tempus ipsum definit; *Erat autem proximum Pascha Judæorum*. Quare ineunte Martio hoc factum videtur miraculum: nam eo anno Pascha die 25. Martii contigisse existimat Baronius: atque hinc necem Joannis Baptistæ circa mensem Februarium evenisse colligit.

21. & 22. (*g*) Græce, *Quasi quinque millia*, uti & Marc. 6. 44. *Compulit discipulos ascendere*: quod solus orare vellet, ac se populo subducere. *Et præcedere eum trans fretum*; E Galilæa exire, & Herodis insidias fugere.

23. (*h*) Duplicem vesperam Judæi solent distinguere: prioris fit mentio vers. 15. ab hora tertia de meridie incipit; hoc loco secunda vespera commemoratur sub occasum solis.

CAP. XV. 2. (*a*) Antiquorum qui ante nos fuerant, quæ partim erant præter legem a Deo datam, & nihil ad pietatem conferentes, partim contra legem. *Lavant*: crebras enim manuum lotiones induxerant, etiam inter edendum. Hujusmodi traditiones legis erant explicationes quædam a doctoribus legis factæ, quas *legem oris* vocitabant.

3. (*b*) Querelam levem solida reprehensione repellit, quod præceptum Dei de colendis parentibus per suas traditiones violarent.

5. & 6. (*c*) Quod Deo vovi, æque tibi proderit, ac si tibi dedissem. Sic egenis parentibus nullam ferebant opem. Alii aliter hunc locum explanant, ex cap. 7. Marci, *Et ultra non dimittitis eum quidquam facere Patri suo*. Id videtur colligi, Pharisæorum hoc fuisse dogma, ut filii aliquid donarent parentibus, sed non quantum pietas erga parentes, aut eorum necessitas exigebat. Locus est obscurior, qui Christi temporibus erat apertior. Et cum sententia tam anxia, quæ non raro profertur. *Tibi proderit*, seu prosit. Præceptum de colendis parentibus implet. *Non honorificabit*. Et si non juvet eum.

9. (*d*) Græc. Frustra, & sine ullo fructu. Hunc locum perperam detorquent Novatores contra constitutiones Ecclesiasticas: cum eadem ratione principum leges vel optime constitutas convellant. Itaque mandata hominum vocat Dominus, quæ pietati nihil conferunt, aut quæ legi divinæ adversantur.

11. (*e*) Nisi forte ob intemperantiam, aut scandalum, idque ratione circumstantiarum. *Sed quod procedit ex ore*. Marcus, *ex homine*: Matthæus ad retinendam antithesim posuit, *ex ore*. Itaque synecdoche est, os pro homine, & os cordis recte intelligitur. Unde subdit, *homicidia, adulteria, fornicationes*, ut falsam quorumdam Judæorum opinionem rejiciat, qui simplicem fornicationem inter peccata non annumerabant. Hinc primo loco posuit cogitationes malas, simul ostendens omnium scelerum fontem. Quod cum minus intelligerent discipuli; postea Christus iis exposuit v. 17. 18. & 19. *Quia omne quod in os intrat*; Marcus, *Et non intrat in cor ejus*: quod animum non afficit. Cum discipuli ex vultu Pharisæorum colligerent illos hinc offendi, idque forsan ipsi ægre ferrent, quod eorum Magister tam libere Pharisæos increparet, Christus illis respondens ait: *Omnis plantatio, &c.* doctrina omnis a Deo non profecta delebitur. Sic Pharisæorum doctrina extinguetur aliquando, Christiana religio perpetuo futura est: quia hæc Deum habet auctorem, non item illa. Vel omnis plantatio ad Pharisæos refertur, de quibus minime curandum est. Nam melius est ut scandalum oriatur, quam veritas relinquatur, ut ait Gregorius. Et scandalo accepto, non dato, ait non oportere hæc linqui: tametsi infirmorum magna est habenda ratio, iique sunt instruendi, cum ex ignorantia vel bonæ actiones illos offendunt.

12. Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei: Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt?

* Joan. 15. 2. 13. At ille respondens ait: * Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur.

* Luc. 6. 39. 14. Sinite illos: * cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.

* Marc. 7. 17. 15. * Respondens autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam.

16. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis?

17. Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur?

18. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem:

19. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.

20. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

* Marc. 7. 24. 21. * Et egressus inde Jesus secessit in partes (*f*) Tyri & Sidonis.

22. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei Domine fili David: filia mea male a dæmonio vexatur.

23. Qui non respondit (*g*) ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum, dicentes: Dimitte eam: quia clamat post nos.

* Sup. 10. 6. Joan. 10. 3. 24. Ipse autem respondens ait: Non sum missus (*h*) nisi * ad oves, quæ perierunt domus Israel.

25. At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domine, adjuva me.

26. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

27. At illa dixit: etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

28. Tunc respondens Jesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.

29. Et cum transisset inde Jesus, venit secus Mare Galilææ: & ascendens in montem, sedebat ibi.

* Isai. 35. 5. 30. * Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos:

31. Ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Israel.

32. * Jesus autem, convocatis discipulis suis, dixit: Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum, & non habent quod manducent: & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via. * Marc. 8. 1.

33. Et dicunt ei discipuli: Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?

34. Et ait illis Jesus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos pisciculos.

35. Et præcepit turbæ, ut discumberent super terram.

36. Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens, fregit (*i*), & dedit discipulis suis, & discipuli dederunt populo.

37. Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas.

38. Erant autem qui manducaverunt, quatuor millia hominum, extra parvulos, & mulieres.

39. Et, dimissa turba, ascendit in (*k*) naviculam: & venit in fines Magedan.

CAPUT XVI.

Signum de cælo petunt Judæi; confessio & Primatus Petri; passionis prædictio.

1. ET accesserunt ad eum Pharisæi, & Sadducæi tentantes (*a*): & rogaverunt eum ut signum de cælo ostenderet eis. Marc. 8. 11.

2. At ille respondens, ait illis: * Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cælum. * Luc. 12. 54.

3. Et mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum.

4. Faciem * ergo cæli dijudicare nostis: signa autem temporum non potestis scire? * Generatio mala, & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei (*b*), nisi signum Jonæ Prophetæ. Et relictis illis, abiit. * Sup. 12. 39. * Jonæ 2. 1.

5. Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere.

6. Qui dixit illis: * Intuemini, & cavete a fermento (*c*) Pharisæorum, & Sadducæorum. * Marc. 8. 15. Luc. 12. 1.

7. At illi cogitabant intra se dicentes: Quia panes non accepimus.

8. Sciens

21. & 22. (*f*) In tribum *Aser*; quo nondum venerat. *Miserere*; Hæc mulier constantia, humilitate, fervore, fide ipsa impetravit filiæ sanitatem, eaque gentium vocationi præludere visa est, & exemplo suo Judæos confundere.

23. (*g*) Ut constantiam & fidem ejus exerceret, eamque in exemplum proponeret.

24. 26. & 30 (*h*) Ante mortem suam ad Judæos solos missus est a Patre. *Mittere canibus*; Sic Judæi gentiles vocabant ob impuros mores. *Debile*, Membris mulcatos. Græc. κυλλὰς, *mutilos*, Sic cap. 18. 8.

36. (*i*) Quod apud unum Evangelistam dicitur *benedicere*, apud alium *gratias agere*, interdum ponitur: Neque hæc duo sunt omnino diversa: Græce, *cum gratias egisset*: simul gratias agebat, & benedicebat.

39. (*k*) Aut *Magedan*, Græce *Magdala*: ita forte a Syris vocabatur. Marcus cap. 8. in partes *Dalmanutha*: duo erant vici inter Juliadem & Gerasam siti & vicini ultra lacum Genasareth.

CAP. XVI. 1. (*a*) Ut periculum facerent potentiæ ejus, & eum calumniarentur, si id quod petebant, non efficeret.

4. (*b*) Signa adventus mei a Prophetis prædicta, ut tempus a Daniele definitum, cap. 9. locum nativitatis a Michæa designatum, miracula a Prophetis omnibus prænuntiata, quæ Christus discipulis Joannis ex Isaia, ut signa manifesta suæ Missionis protulit. *Nisi Jonæ Prophetæ*: Signum illud fuit resurrectio Christi. Duplex signorum genus iis exhibuit, unum Pharisæis, alterum Sadducæis: Illis Prophetarum oracula, quæ jam impleri cœperant. Usus est illorum studio in prænuntiandis aeris mutationibus, quo tempus rebus suis faciendis opportunum observabant, cum interim negligerent, quæ ad salutem pertinebant. Sadducæis vero, qui negabant resurrectionem corporum, Jonæ figuram in signum resurrectionis suæ dedit.

6. (*c*) Hinc occasionem cepit Dominus discipulos admonendi, ne prava Pharisæorum dogmata admitterent. Hi quidem in sua origine nihil habebant damnabile, sed sanctioris vitæ institutum profitebantur. Unde Pharisæi quasi a vulgo separati dicebantur. Sed postea traditiones hominum, & vanas observationes induxere, & per hypocrisim se plebi insinuarunt. Hac metaphorica fermenti voce Judæi uti solent in malam partem.

8. Sciens autem Jesus, dixit: Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis?

9. Nondum intelligitis, neque recordamini * quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis? * Sup. 14. 17. Joann. 6. 9.

10. Neque * septem panum in quatuor millia hominum, & quot sportas sumpsistis? * Sup. 15. 34.

11. Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cavete a fermento Pharisæorum, & Sadducæorum?

12. Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum.

13. * Venit autem Jesus in partes Cæsareæ (*d*) Philippi: & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? * Marc. 8. 27.

14. At illi dixerunt: * Alii (*e*) Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis. * Marc. 8. 28. Luc. 9. 19.

15. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis?

16. Respondens Simon Petrus dixit: * Tu es Christus, Filius (*f*) Dei vivi. * Joan. 6. 70.

17. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona (*g*): quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.

18. * Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram (*h*) ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. * Joan. 1. 42.

19. * Et tibi dabo claves (*i*) regni cælorum. Et * quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis. * Isa. 22. 22. * Joann. 20. 23.

20. Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus.

21. Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, & multa pati a senioribus, & Scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.

22. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens: Absit a te, Domine: non erit tibi hoc.

23. Qui conversus, dixit Petro: * Vade post me satana (*k*), scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. * Marc. 8. 33.

24. Tunc Jesus dixit discipulis suis: * Si quis vult post me venire, abneget semetipsum (*l*), & tollat crucem suam, & sequatur me. * Sup. 10. 38. Luc. 9. 23. & 14. 27.

25. * Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. * Luc. 17. 33. Joan. 12. 25.

26. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?

27. Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: * & tunc reddet unicuique secundum opera ejus. * Act. 17. 31. Rom. 2. 6.

28. Amen dico vobis, * sunt quidam de hic stantibus (*m*), qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo. * Marc. 8. 39. Luc. 9. 27.

C A-

13 (*d*) Quæ urbs sita est ad radices montis Libani. Sycomacedones eam Paneada ante appellarunt, a Deo Pan, quem in speluncis vicinis colebant. Philippus Tetrarcha hanc instauraverat, & in honorem Tiberii Cæsaream vocaverat: ut Cæsarea ad mare mediterraneum posita, quæ ante turris Stratonis dicebatur, ab Herode seniore in honorem Augusti eo nomine fuerat insignita. *Interrogabat discipulos suos*; non ut disceret quid aliis videretur, sed ut eos doceret quis esset.

14 (*e*) Ut Herodes cum suis: vivente adhuc Joanne nondum Jesus erat adeo celebratus, & cognitus.

16. (*f*) Non adoptione, sed generatione, ac Deus de Deo. Petrus de filio hominis interrogatus, agnoscit filium hominis esse Filium Dei: sic Nestorii hæresim in antecessum destruxit, unum & eumdem filium hominis & Filium Dei professus. Non solum ut cæteris promptior & fervidior ita respondit, sed ut caput visibile Ecclesiæ destinatum, & sublimius sentiens quam qui Christum Filium Dei ante professi erant, ita respondit.

17. (*g*) Filius Joannis: nam Johanna contrahitur in Jona ex usu illorum temporum.

18. (*h*) Allusio est ad confessionem Petri, cui hæc velut merces redditur a Christo, quod sit *Petrus*, seu *Petra*: hæ quippe voces apud Hebræos & Syros eamdem significant. Ego te Petrum, seu Petram voco. *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: Quæ præcedunt & sequuntur, ad Petrum referuntur, tamquam explicatio quædam nominis a Christo impositi. Dominus confessionem Petri refert in prærogativa remaneret. Christus quidem est Petra solidissima Ecclesiæ, lapis angularis, & fundamentum principale: sed caput ministeriale, & visibile constituit Petrum, cui potestatis suæ ministerium tradidit, idque merito fidei tam vivæ, & confessionis adeo gloriosæ illi concessum est, ut ædificium Ecclesiæ visibile, & in omnes ætates duraturum visibili quoque fundamento & firmo superstrueretur, quod ad Petri successores pertineret. Christus quidem solus est pastor, solus est fundamentum: Siquidem *fundamentum aliud non potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus*, 1. Cor. 3. 11. sed participatione quadam ministerii alii sunt pastores, & alii fundamenta, Apocal. 21. vers. 12. Apostoli dicuntur esse fundamenta novæ civitatis. Particula conjunctiva, uti, & pronomen demonstrativum, *hanc*, manifeste ostendunt Christum loqui de Petro. *Adversus eam*, scilicet Ecclesiam. Qui perversis doctrinis homines inficiunt, ut hæretici, si portas inferni hominibus in errorem inductis aperiunt: sed stabit semper Ecclesia Petræ firmitate fundata, & conatus omnes diaboli irriti sunt. Quidquid urbis, aut societatis defensioni utile est, id per metaphoram portæ nomen usurpare potest. *Qui confregit portas æreas*: per eas quippe partes firmissimæ civitatis designantur. Præcipuus earum usus est, ut apertæ liberum civibus præbeant aditum, & claudantur adversus hostium impetus. Ecclesiæ perpetuitas his vocibus omnino designatur.

19 (*i*) Non solum remittendi peccata potestatem, quæ communis fuit omnibus Apostolis, sed primatum in Ecclesiæ regimine, qui ad successores Petri pertinet, ut firmum sit ac stabile illud regimen. *Et quodcumque ligaveris*; alia utitur metaphora, quæ excellentiam illius potestatis declarat. Vincula sunt peccata quæ remittuntur, pœnæ satisfactoriæ injunctio, aut relaxatio legitima, leges & præcepta quæ fideles obligant.

23. (*k*) *Satanas* significat adversarium, qui resistit in re aliqua: *Non est Satan, neque occursus malus*, 3. Reg. 5. 4. Non sapis ea quæ Dei sunt: Humana sapis; nec consilium Dei intelligis, dum mortem & opprobria reformidas, quæ futura sunt salutis humanæ instrumenta. Cum discipulorum animos firmasset, tum aperte mortem suam & Passionem futuram prænuntiavit: cui Petrus ut dignitate, sic amore in Christum princeps, *Absit*, inquit, *Domine*, *non erit tibi hoc*: Christus Petrum objurgat, quod voluntati Dei, & generis humani redemptioni adversetur.

24. (*l*) Propriam scilicet voluntatem, quatenus Dei voluntati repugnat; *Et tollat crucem suam*: patienter ferat hujus vitæ incommoda, & ea maxime, quæ propter me patietur: alludit quoque ad genus mortis, quod perpessurus erat.

28. (*m*) An de transfiguratione sua post paucos dies futura loquitur? An de Ecclesiæ regno post Jerosolymæ & Synagogæ destructionem? An demum de regno gloriæ suæ, quod post resurrectionem est adeptus, cum in cælum gloriosus ascendit? Hæc quidem omnia commode intelligi possunt.

CAPUT XVII.

Transfiguratio; adventus Eliæ; puer lunaticus: quæ sit vis fidei, ubi jejunio & orationi sociatur; didrachma solvit Dominus.

Marc. 9. 1. Luc. 9. 28. 1. ET post dies sex (*a*) assumit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsum:

2. Et transfiguratus (*b*) est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.

3. Et ecce apparuerunt (*c*) illis Moyses & Elias cum eo loquentes.

4. Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.

5. Adhuc eo loquente, ecce nubes (*d*) lucida obumbravit eos: * Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.
* Sup. 3. 17. 2. Pet. 1. 17.

6. Et audientes discipuli (*e*) ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.

7. Et accessit Jesus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere.

8. Levantes (*f*) autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum.

9. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem (*g*), donec Filius hominis a mortuis resurgat.

10. Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes: * Quid ergo Scribæ dicunt quod Eliam (*h*) oporteat primum venire?
* Marc 9. 10.

11. * At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est, & restituet (*i*) omnia. * Mal. 4. 5.

12. Dico autem vobis, * quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, * sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic & Filius hominis passurus est ab eis. * Sup. 11. 14. * Sup. 14. 10.

13. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset eis.

14. * Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus (*k*) est, & male patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam. * Marc. 9. 16. Luc. 9. 38.

15. Et obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum.

16. Respondens autem Jesus: ait. O generatio incredula & perversa, quousque (*l*) ero vobiscum? usquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me.

17. Et increpavit illum Jesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.

18. Tunc accesserunt discipuli ad Jesum secreto, & dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum?

19. Dixit illis Jesus: Propter incredulitatem (*m*) vestram. * Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceretis monti huic: Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. *Luc. 17. 6.

20. Hoc autem genus non ejicitur (*n*), nisi per orationem, & jejunium.

21. Conversantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jesus: * Filius hominis tradendus est in manus hominum. *Inf. 20. 18. Marc. 9. 30. Luc. 9. 44.

22. Et occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.

23. Et

CAPUT XVII.

1. (*a*) Post sex integros dies, & partem utriusque extremi. Hinc Lucas cap. 9. post dies fere octo id factum ait. *Et duxit eos in montem excelsum seorsum*: communis est opinio montem illum fuisse Thabor. Fr. Lucas Brugensis existimat hunc montem fuisse Libanum. Priori opinioni id favet, quod in Galilæa hæc transfiguratio facta videatur. Nam in hoc capite vers. 21. id habemus, *Conversantibus autem eis in Galilæa*: Thabor in medio Galilææ situs est. Sed posterior opinio ex superiori capite magnam habet probabilitatem, quod Christus prope Cæsaream Philippi versaretur, cum Petro promisit claves regni cælorum, nec videtur hinc recessisse. Cæsarea autem ad radices montis Libani, vel potius Antilibani sita est. Marcus post historiam transfigurationis, & mox subsecutam Lunatici curationem, statim hæc subjicit: *Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam*; adeo ut quæ superius narrantur, non videantur facta in Galilæa.

2. (*b*) Testes hujus miraculi adhibuit Petrum, *Jacobum & Joannem*, ut regni cælestis quod promittebat, specimen daret coram tribus testibus, qui rem ipsam post resurrectionem vulgarent. Alios Apostolos non duxit secum in montem; excludendus enim erat Judas ab hoc spectaculo, quod occultum esse voluit, donec *resurgeret*: nec solus excludi poterat sine offensione. Hoc autem specimen gloriæ suæ dare voluit, *ut de cordibus discipulorum crucis scandalum tolleretur*, ait Leo M. Homil de Transfiguratione. Secundam addit rationem non minus gravem: *Sed non minore providentia spes Ecclesiæ sanctæ fundabatur, ut totum Christi corpus agnosceret, quali esset commutatione donandum; ut ejus sibi honoris consortium membra promitterent, qui in capite præfulsisset.*

3. (*c*) Lex & Prophetæ. Duo illi erant veteris Testamenti inter Prophetas præcipui, qui de morte Christi cum eo disserebant, atque ex illo colloquio Apostoli eos agnoverunt. Elias in proprio corpore, Moyses in assumpto, aut resuscitato, (utrumque enim æque facile est Deo) apparuerunt. Sic Dominus paullatim Apostolos suos instituebat, ut mortis brevi post tempore futuræ eventum ex æterno Dei consilio constitutum, atque iisdem Prophetarum oraculis annuntiatum, qui ejus promiserant salutarem adventum, intelligerent.

5. (*d*) Hæc lucida erat, non densa & caliginosa, ut in veteri Testamento. Neque illud existimare debemus, eos nube circumfusos fuisse, sed eorum capitibus nubes insedit instar tabernaculi. Unde Apostoli viderunt Moysen & Eliam nubem subeuntes: ita ut ambo sublati in nubem ex Apostolorum oculis evanuerint. *Et ecce vox*; extra nubem erant Apostoli.

6. (*e*) *Quia humana fragilitas*, ait Hieron. *conspectum majoris gloriæ ferre non sustinet.*

8 (*f*) Ne si Moyses & Elias perseverassent cum Domino, Patris vox videretur incerta, cui potissimum daret testimonium; ait idem Hieronymus.

9. (*g*) Pergit Hieronym. Non vult hoc in populos prædicari, ne & incredibile esset pro rei magnitudine, & post tantam gloriam apud rudes animos sequens crux scandalum faceret.

10 (*h*) Cum Eliam una cum Moyse descendentem vidissent, neque id conciliare possent cum iis, quæ acceperant a doctoribus de Elia venturo, qui Messiæ adventum anteverteret, Christum interrogant: *Quid ergo*, &c. Christus Dominus Malachiæ Prophetiam iis exposuit, atque id futurum docuit, ut Elias posteriori adventui præcurreret, *Et restituet omnia*, Judæos scilicet in Ecclesiam adducendo, ut Henoch gentiles. Pharisæi autem & Scribæ negabant Messiam advenisse, quod nondum venisset Elias, itque primum adventum cum secundo confundebant. Judæorum libri, ait vir doctus R. Simon, ubique Eliæ adventum ante Messiam insinuant, qui eos edoceat quid faciendum sit.

11 & 12. (*i*) Cuncta in ordinem disponet. *Jam venit*; Quasi diceret, Eliam vultis Messiæ adventum prævertere, jam is venit, nimirum Joannes Baptista in spiritu Eliæ. *Quæcumque voluerunt*; Hinc colligimus insidiis & invidia Pharisæorum Joannem traditum & occisum fuisse.

14 (*k*) Sic dicitur ut vexaret a dæmone certis Lunæ temporibus.

16 (*l*) Non quod tædio superatus sit, ait Hieron. mansuetus ac mitis: sed quod in similitudinem medici, si ægrotum videat contra sua præcepta se gerere, dicat: Usquequo accedam ad domum illam? quousque artis perdam industriam, me aliud jubente, te aliud perpetrante? Hæc verba non ad Apostolos, sed ad patrem Lunatici, & ad Judæos diriguntur.

19. (*m*) Fidem minorem quam oporteret. *Granum Sinapis*, Fervens & acre; ad caput eorum se demittens, vel omnino spiritali molem tribuit.

20. (*n*) Eos consolatur quod puerum coram tanta multitudine sanare non potuerint; videtur Christus de peculiari aliquo genere dæmonum obsidentiore loqui.

23. Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma (*o*) accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma?

24. Ait: Etiam. Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis?

25. Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii.

26. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore ejus invenies staterem: illum sumens, da eis pro me, & te.

CAPUT XVIII.

Humiles in regno cælorum aliis anteponuntur; vitandum est scandalum pusillorum; de correctione fraterna: clavium potestas: de rege, qui rationem ponit cum servis suis.

Marc. 6. 33. Luc. 9. 46. 1. IN illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major (*a*) est in regno cælorum?

* Inf. 19. 14. 2. * Et advocans (*b*) Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum,

3. Et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi
* 1 Cor. 14. 20. fueritis (*c*), & * efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.

4. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cælorum.

5. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.

* Marc. 9. 41. Luc. 17. 2. 6. * Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola (*d*) asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.

7. Væ mundo a scandalis (*e*). Necesse est enim ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.

8. * Si autem manus tua, vel pes tuus * Sup. 5. 30. Marc. 9. 42.
scandalizat (*f*) te: abscide eum, & projice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.

9. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

10. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis: * quia Angeli eorum * Ps. 33. 8.
in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.

11. * Venit enim filius hominis salvare (*g*) * Luc. 19. 10.
quod perierat.

12. * Quid vobis videtur? si fuerint alicui * Luc. 15. 4.
centum oves, & erraverit una ex eis: nonne relinquit nonaginta novem in montibus, & vadit quærere eam, quæ erravit?

13. Et si contigerit ut inveniat eam: Amen dico vobis, quia gaudet super eam magis quam super nonaginta novem, quæ non erraverunt.

14. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, ut pereat unus de pusillis istis.

15. * Si autem peccaverit (*h*) in te frater * Lev. 19. 17.
tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum Eccli. 19. 13.
solum: si te audierit, lucratus eris fratrem Luc. 17. 3.
tuum. Jac. 5. 19.

16. Si autem te non audierit (*i*): adhibe tecum adhuc unum, vel duos, * ut in ore * Deut 19. 15.
duorum, vel trium testium stet omne ver- Joan. 8. 17. 2 Cor. 13. 1.
bum. Heb 10. 28.

17. * Quod si non audierit eos: dic eccle- * 1 Cor. 5. 9.
siæ (*k*): si autem ecclesiam non audierit: sit 2 Thess. 3. 14.
tibi sicut ethnicus, & publicanus.

18. * Amen

23. (*o*) Seu dimidium sicli. Hoc tributum non Romanis, sed templo solvebatur, ex Josepho Lib. 18. cap. 12. didrachma quod more patrio Deo solent offerre. Nec Romani in Galilæa, & Trachonitide tributa exigebant. Capharnaum vero in ditione erat Philippi Tetrarchæ. Vespasianus e debellatis Judæis hoc tributum aliis postea solvi jussit.

CAPUT XVIII. 1. (*a*) In via contenderant inter se Apostoli, quis eorum esset major: nondum enim intelligebant quodnam illud esset regnum cælorum, idque fingebant animo, ut quoddam hujus mundi imperium. Itaque vocati a Domino, & interrogati qua de re in via contendissent, hi vicissim a Domino petierunt, quis major esset in regno cælorum. Hujus contentionis occasio hinc videtur orta, quod superiori capite Christus se moriturum & tertia die resurrecturum dixisset: hinc prope adfuturum hoc regnum in animum induxerant. *In regno cælorum*, quod splendidum fore & gloriosum una cum Judæis opinabantur.

2. (*b*) Non infantem, sed grandiusculum, qui vocatus venire posset, immo & credere. Hunc in exemplum veræ humilitatis proposuit, simplicem, innoxium, ab omni ambitione remotum, cedentem omnibus, de aliis bene sentientem.

3. (*c*) Ab ista ambitione, qua superiorem quæritis locum in regno meo: quamvis non esset peccatum damnabile, gravem tamen merebatur increpationem. *Et efficiamini sicut parvuli*, pro morum innocentia, & humilitate, quales sunt parvuli per ætatem. *In regnum cælorum*, quod humilibus tantum destinatur. Deinde quam perniciosum sit scandalum, quo infirmi ad peccatum inducuntur aut exemplo, aut consilio, aut doctrina, ostendit: quo sibi caveant, ne aliis sint offendiculo.

6 (*d*) Mola quam asinus agebat in pistrino obductis oculis, quæque longe major erat, quam mola brachiis hominum circumacta.

7. (*e*) Quæ mundus bonis creat. *Necesse*, Ea quippe est bonorum & malorum permistio, ut vitari vix possint. Sed Deus illa scandala in Ecclesiæ & electorum bonum convertit.

8 & 10. (*f*) Tibi est ruinæ occasio. *Ne contemnatis*, Id nos admonet Christus, ut eos revereamur, quorum tutelæ Angeli sunt præpositi, quippe exitium animabus illatum ulciscentur. Quin & illud animo reputandum, propter eorum salutem verbum Dei incarnatum fuisse, nec velle quemquam eorum perire.

11. & 12. (*g*) Ingentem suum in homines amorem exemplo pastoris exprimit. Nam pastor optimus innumerabiles Angelorum in cælo exercitus reliquit, ut naturam humanam, quæ perierat, repararet, de cujus salute majorem capit lætitiam, quam de Angelorum in bono perseverantia.

15. (*h*) Si te læserit, aut peccando scandalum fecerit. A scandalis quæ proximo bona spiritalia adimunt, ad eas descendit injurias, quæ honori, aut bonis corporis vim afferunt; satisfaciendi necessitatem in eo qui læsit, & paratum ad ignoscendum animum in eo qui læsus est, exigit. Corripe, Famæ illius consule, & peccatum corrige; seorsum ante monendus est, quam deferatur ad Ecclesiam. Consimile quid Levit. 19. 17. præcipitur, ut omne odium inter privatos deleatur.

16. (*i*) Hic est secundus correptionis gradus; adhibendi sunt testes. *Stabit omne verbum*: ut de re ipsa constet, ac durum illum testimonio revinci possit. Cum scilicet peccatum pluribus potest innotescere, saltem per iterationem facti, ut exponit Augus. in Regula. Nam si crimen est occultum, quod tu solus scias, nec iteretur, quomodo adhibebis testes, ut coram iis moneas, & qua utilitate, cum palam sit negaturus, & te odio magis sit habiturus ob injuriam? Sunt tamen peccata quædam occulta Ecclesiæ, vel reipublicæ perniciosa, quæ sunt pensitanda.

17. (*k*) Tertius est correptionis gradus, cum in detrimentum communitatis damnum cedit, nec locus est secretæ admonitioni, nec spes ulla correctionis: tum enim ei qui curam gerit ecclesiæ, denuntiandum. Quartus erit correptionis gradus, ejectio ab Ecclesia, seu excommunicatio, si Ecclesiam non audierit. Tum eo loco habendus est, quo Judæi solebant Ethnicos & publicanos.

*Joan. 20. 23. 18. * Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis (*l*) super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.

19. Iterum (*m*) dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cælis est.

20. Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

*Luc. 17. 4. 21. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: * Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies?

22. Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies: sed usque septuagies septies (*n*).

23. Ideo assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.

24. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.

25. Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus ejus venumdari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.

26. Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

27. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.

28. Egressus autem servus ille invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes.

29. Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

30. Ille autem noluit: sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

31. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde: & venerunt, & narraverunt domino suo omnia, quæ facta fuerant.

32. Tunc vocavit illum dominus suus, & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me:

33. Nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?

34. Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus (*o*), quoadusque redderet universum debitum.

35. Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

CAPUT XIX.

Matrimonium ex institutione sua indissolubile. Adolescens dives auditis Christi consiliis tristis discedit. Quam difficile sit diviti intrare in regnum cælorum.

1. ET factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit a Galilæa, & * venit (*a*) in fines Judææ trans Jordanem, *Marc. 1. 1.

2. Et secutæ sunt eum turbæ multæ, & curavit eos ibi.

3. * Et accesserunt (*b*) ad eum Pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex causa? *Marc. 10. 2.

4. Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia * qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos? & dixit: *Gen. 1. 27.

5. * Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne (*c*) una. *Gen. 2. 24. 1 Cor. 6. 16. Eph. 5. 31.

6. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.

7. Dicunt illi: * Quid ergo Moyses mandavit (*d*) dare libellum repudii, & dimittere? *Deut. 24. 1.

8. Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.

9. * Dico

18. (*l*) Ne scilicet peccatores pastorum judicia spernant, declarat Dominus fore, ut quæcumque Apostoli & eorum successores ligaverint, aut solverint, seu interius in foro conscientiæ absolvendo, aut retinendo peccata; seu in foro exteriori per excommunicationem, soluta sint, aut ligata in cælo.

19. (*m*) Non solum id vobis promitto, sed quod amplius est, id quoque efficiam, ut quidquid per me, & propter me petieritis, id fiat vobis, cum ea petieritis, quæ ad salutem spectant, idque meo nomine.

22. (*n*) Numerus finitus pro infinito: Quoties peccaverit: nullum enim in offensis fratrum veniæ terminum præfigi oportere docet, & confirmat parabola regis, cui servus debebat 10000. talenta; seu maximam pecuniæ vim, quæcumque illa sit. Quo quidem hominem designat, qui innumeris peccatis Deum offendit, quique conservo suo debitum noluit dimittere. *Sed usque*: Non quod redeant dimissa peccata, sed durius ille punietur ob male memorem animum, æternas dabit pœnas ob inhumanitatem. Hoc ad eos in primis spectat, qui morti proximi veniam petunt, sed ubi convaluere, tanti beneficii immemores inopina morte opprimuntur.

34. (*o*) Ut eas subeant pœnas, quibus obnoxii erant qui creditores fraudaverant.

CAP. XIX. 1. (*a*) Non in Judæam, sed in fines Judææ, in Peræam nempe e regione Jericho, ut ex Marci cap. 10. discimus: sed eo tamen non pervenit nisi post festum tabernaculorum, adeo ut Capharnaum & Galilæam non amplius rediturus omnino reliquerit mense Augusto, paucis post transfigurationem diebus, atque in confiniis Galilææ & Judææ prædicaverit usque ad festum tabernaculorum, quod circa 19. Septembris eo anno celebratum fuisse existimat Pezronius. Post festum tabernaculorum urbem Jerosolymam adiit, ubi multa cum Judæis disseruit, quæ a Joanne referuntur: in Peræam postea se recepit. Non enim vita illius in tuto erat Jerosolymæ, neque in Judæa, neque in Galilæa, ubi erat Herodes Antipas, qui Sephoris Galilææ in urbe habitabat. Quare in Peræam se contulit, ubi nondum Evangelium annuntiatum fuerat: sed prius quasi iter agendo in Galilææ & Judææ finibus ea fecit, & dixit quæ Lucas a cap. 9. vers. 51. ad caput usque 14. prosequitur, quæque suis locis exponentur: Nunc seriem narrationis Matthæi retexímus. Itaque post festum Tabernaculorum, cum in ejus necem Judæi conjurassent, ultra Jordanem se recepit versus Bethabara, non procul Jericho, ubi Joannes baptizaverat per duos menses usque ad festum Encæniorum, ibi commoratus ad finem usque Novembris. Hinc Joannes cap. 10. 40. docet eum *abiisse iterum trans Jordanem*, quo jam ante esset profectus: non enim in Judæa moratus est. In Peræam itaque *secutæ sunt eum turbæ*.

3. (*b*) Christi responsio matrimonii leges ad primam sui institutionem revocat. Deus enim uni viro unam destinavit uxorem, non plures; is adeo indissolubilem inter eos societatem constituit.

5. (*c*) Gr. *In carnem unam*: in Hebræo: Et erunt *in carnem unam*; LXX. addiderunt, *duo*, & sensus ipse id exigit; nam dictum erat: Et *adhærebit uxori suæ*, non uxoribus. Hebræi sæpe carnis nomine totum hominem intelligunt.

7. & 8. (*d*) Christus Dominus aperte distinguit, quæ illi confundebant. Repudio conditionem necessariam præscripsit Deus per Moysen, non illud præcepit. Et *ad duritiam cordis vestri*; Neque Adamo, neque Patriarchis illud permisit divortium. Sæpe vox illa *præcepit*, aut *mandavit*, permissionem tantummodo significat.

*Sup. 5.31. Marc. 10. 11. Luc. 16. 18. 1. Cor. 7. 10. 9. * Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem (*e*), & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.

10. Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere (*f*).

11. Qui dixit illis: Non omnes capiunt (*g*) verbum istud, sed quibus datum est.

12. Sunt enim eunuchi (*h*), qui de matris utero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.

* Marc. 10. 13. Luc. 18. 15. 13. * Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret (*i*), & oraret. Discipuli autem increpabant eos.

* Sup. 18. 3. 14. Jesus vero ait eis: * Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cælorum.

15. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde.

* Marc. 10. 17. Luc. 18. 18. 16. * Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?

17. Qui dixit ei: Quid me interrogas (*k*) de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.

* Exod. 20. 13. 18. Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: * Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falsum testimonium dices:

19. Honora patrem tuum & matrem tuam: &, Diliges proximum tuum sicut teipsum.

20. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deest?

21. Ait illi Jesus: Si vis perfectus (*l*) esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.

22. Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.

23. Jesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit (*m*) in regnum cælorum.

24. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum.

25. Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit salvus esse?

26. Aspiciens autem Jesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile (*n*) est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.

27. Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus (*o*) omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?

28. Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.

29. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aux uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum (*p*) accipiet, & vitam æternam possidebit.

30. * Multi autem erunt primi novissimi (*q*), & novissimi primi. *Inf. 20. 16. Marc. 10. 31. Luc. 13. 30.

CAPUT XX.

Parabola de denario diurno: Christus prædicit discipulis passionem, & resurrectionem suam; filii Zebedæi primas optant sedes, cæci illuminati.

1. SImile (*a*) est regnum cælorum homini patrisfamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

2. Con-

9 (*e*) Aut gravius aliud crimen. *Mœchatur*; Quod videtur ad novam legem pertinere, & revocare matrimonium ad primam sui institutionem: nam si in veteri lege licebat plures ducere uxores, priori retenta, cur non etiam dimissa? Adulterium uxoris divortium excusare potest, sed secundas nuptias non efficiet legitimas, quamdiu ambo conjuges vivunt. Quamobrem exceptio illa, *nisi ob fornicationem*, ad divortium omnino pertinet, quod immediate præcedit; non ad integram propositionem, quæ repudium & novum matrimonium complectitur. Christus Dominus quæ apud Judæos invaluerat duplicem consuetudinem condemnat, unam repudiandi uxorem quacumque ex caussa; hanc vero licentiam ad adulterium restringit, & accurata ejus responsio id exigebat, ut exceptio fornicationis ad ipsum repudium pertineret. Alteram quoque consuetudinem novi ineundi matrimonii damnat; priorem. cap. 5. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, facit eam mœchari*; posteriorem hoc loco: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur*: Quod prius matrimonium adhuc persistet; nec divortio solvatur quoad vinculum matrimonii, sed tantum quoad thorum, seu cohabitationem. Idem docet Marci cap. 10. & Lucæ cap. 16.

10. (*f*) Si ea sit mariti conditio, ut non liceat pro arbitrio uxorem dimittere. Hinc Dominus occasionem sumit commendandæ virginitatis.

11. (*g*) Continentiam esse peculiare Dei donum, non omnibus datam insinuat.

12. (*h*) Tria Eunuchorum distinguit genera: Nam alii ita nati sunt; alii ex necessitate, & vi extraria; alii demum ex voluntate sua propter regnum cælorum. *Qui potest capere, capiat*; Qui possunt perpetuam servare continentiam, seu ex voto, seu ex devotione, opus præstantissimum exercens, omni concupiscentiæ usu detracto. Divina adjuti gratia ita se gerunt, ac si a natura facti essent ad matrimonii usum inhabiles, aut a vi quadam extraria.

13. (*i*) More tum usitato: nam Judæi manus imponebant benedicturi.

17 (*k*) Græc. *Quid me dicis bonum? unus bonus, Deus*, natura & per essentiam: cur me bonum dicitis, cum me Deum esse non credatis, qui solus bonus est? Ambrosius in hunc locum: *Non ergo bonum se negat, sed Deum significat*.

21 (*l*) Marcus & Lucas: *Unum tibi deest*, quod addictus sis divitiis, hoc tibi deest ad salutem.

23 & 24. (*m*) Quæ sequuntur sententiæ, ex hac ipsa exponi debent: nam impossibile rectius per difficile, quam vice versa intelligitur. Res est valde difficilis divitibus non confidere in divitiis. *Facilius est camelum*: Bene vertit vulgata *camelum*: nam κάμιλος per iota; significat rudentem, aut funem crassiorem. Proverbium erat tum apud Judæos usitatum, cum rem impossibilem esse affirmabant; idque in vetustioribus eorum libris occurrere testatur Ricardus Simo.

26. (*n*) Potest Deus gratiæ suæ vi cupiditatem illam, abusum, corruptionem ab ipsis divitiis divellere, & contemptum earum impertiri.

27. (*o*) August. Epistol. ad Paulinum: *Revera omnia contemnit, qui non solum quantum potuit, sed etiam quantum voluit, habere contemnit*.

29. (*p*) Multa plura est accepturus, tranquillitatem videlicet animi, spem magnam salutis, internas consolationes: parva & pauca relinquit; magna & multa est accepturus. Centuplum accipiet non in bonis temporalibus, sed in cælesti delectatione, & in firma spe æternæ beatitudinis.

30. (*q*) Quod forte ad eos pertinet, qui omnia reliquerunt actu, non affectu; vel potius, multi qui nunc opibus præstant, erunt vilissimi, & contra. Judæi qui se populum jactabant, infimo loco futuros insinuat.

1. (*a*) Gr. *Simile est enim*: superioris sententiæ quasi ratio redditur. Paterfamilias Deus est, forum mundus, in quo ante vocationem Dei omnes erant pene otiosi & inutiles; vinea est Ecclesia, fidelis quisque est velut palmes; operarii vocantur & conducuntur, Prophetæ & Apostoli; procurator domus est Christus ipse, qui unicuique operario mercedem tribuit. CAP. XX.

2. Conventione autem facta cum operariis ex denario (*b*) diurno, misit eos in vineam suam.

3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos.

4. Et dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod justum fuerit, dabo vobis.

5. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam & nonam horam, & fecit similiter.

6. Circa undecimam vero exiit, & invenit alios stantes, & dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi (*c*)?

7. Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam.

8. Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos.

9. Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.

10. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios.

11. Et accipientes murmurabant (*d*) adversus patremfamilias,

12. Dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei & æstus.

13. At ille respondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi injuriam? nonne ex denario convenisti mecum?

14. Tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic novissimo dare sicut & tibi.

15. Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam (*e*) est, quia ego bonus sum?

* *Sup.* 19. 30. *Marc.* 10. 31. *Luc.* 13. 30. 16. * Sic erunt novissimi (*f*) primi, & primi novissimi: multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

* *Marc.* 10. 32. *Luc.* 18. 31. 17. * Et ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, & ait illis:

18. Ecce ascendimus Jerosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte,

19. Et tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget.

* *Marc.* 10. 35. 20. * Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo.

21. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant (*g*) hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo.

22. Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem (*h*), quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.

23. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum (*i*) est a Patre meo.

24. * Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. * *Marc.* 10. 41.

25. * Jesus autem vocavit eos ad se, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum (*k*): & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. * *Luc.* 22. 25.

26. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister:

27. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.

28. * Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam, redemptionem (*l*) pro multis: * *Phil.* 2. 7.

29. * Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa: * *Marc.* 10. 46. *Luc.* 18. 35.

30. Et ecce duo (*m*) cæci sedentes secus viam, audierunt, quia Jesus transiret: & clamaverunt, dicentes: Domine miserere nostri, fili David.

31. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine miserere nostri, fili David.

32. Et stetit Jesus, & vocavit eos, & ait: Quid vultis ut faciam vobis?

33. Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri.

34. Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, & secuti sunt eum.

CAPUT XXI.

Jesus insidens asino, acclamante multitudine, ingreditur Jerosolymam; ejicit e templo vendentes & ementes. Insidiantibus Pharisæis respondet. Ficus arefacta. Agricolæ homicidæ. Lapis angularis reprobatus ab ædificantibus.

1. ET cum appropinquasset Jerosolymis, & venissent Bethphage ad montem oliveti: *Marc.* 11. 1. *Luc.* 19. 29.
tunc Jesus misit duos discipulos,

2. Dicens

2. (*b*) Denarius vitam æternam significat; cum dispares sint meritis, omnes tamen sunt beati: non quod omnium sit par felicitas. Ex hac parabola hæc colliguntur, 1 Bona opera esse vitæ æternæ meritoria: *Voca operarios, & redde illis mercedem*: 2. Temporis diuturnitatem molestiæ & laboris magnitudinem, ad majorem mercedem per se non valere; nisi major adsit charitas.

6. (*c*) Gentiles novissima hora vocantur: nam dies singuli in 12 horas erant divisi, adeo ut horæ æstate essent longiores.

11. (*d*) In cælo nullus erit obmurmurationi locus, neque ulla erit querelæ caussa. Hoc murmur Judæis adversus Gentiles convenit.

15. (*e*) Invidus est & malus, phrasi Hebraica: An illis meam benignitatem invides?

16. & 17. (*f*) Eos sic vocat, non quibus pars minor, sed quibus nulla felicitas futura est. *Multi enim sunt vocati*; Quamvis multi sint vocati, primi & novissimi dicuntur respectu Dei & hominum: multi judicio hominum primi erunt, coram Deo novissimi. *Ascendens*, Ex civitate Ephrem, Joann. 11

21. (*g*) In regno illo, quod terrenum fore existimabant.

22. (*h*) Ferre tormenta, quæ ego passurus sum: ea est una assequendi quod cupitis ratio. *Possumus*; nec poterant tamen, nondum enim eas acceperant vires, quibus Christum sequerentur usque ad mortem, & biberent calicem passionis ejus.

23. (*i*) Nisi his, quibus paratum est a Patre meo: etsi hæc vox *vobis*, in Græco deest, & in Syriaco: Non est meum, quatenus homo sum.

25. (*k*) Earum gentium, cum potestate & ambitione, ac subinde monet sacerdotum imperium benignum esse oportere, & modestum: simul docet, discipulos, non aliud spectare oportere quam salutem subditorum, & eorum utilitati servire.

28. (*l*) Vox Græca λύτρον, *pretium* significat: *pro multis*, pro omnibus; sic Rom. 5. 19. *Peccatores constituti sunt multi*, id est, omnes.

30. (*m*) Unius tantum mentionem faciunt Marcus & Lucas, qui erat notior altero. Deinde Marcus unius tantum meminit, quem Dominus sanavit exiens ex urbe, cum alterum sanasset in ipso ingressu: utrumque conjungit Matthæus.

2. Dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: solvite, & adducite mihi:

3. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet (*a*): & confestim dimittet eos.

4. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam (*b*), dicentem:

Isa. 62. 11. Zach. 9. 9. Joan. 12. 15. 5. * Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subjugalis.

6. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus.

7. Et adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super (*c*) eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.

8. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via:

Ps. 117. 26. Marc. 11. 10. Luc. 19. 38. 9. Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna (*d*) filio David: * benedictus qui venit in nomine Domini: hosanna in altissimis.

10. Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic?

11. Populi autem dicebant: Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ.

Marc. 11. 15. Luc. 19. 45. Joan. 2. 14. 12. * Et intravit Jesus in templum (*e*) Dei, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo; & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit:

Is. 56. 7. Jer. 7. 11. Luc. 19. 46. 13. Et dicit eis: Scriptum est: * Domus mea domus orationis (*f*) vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.

14. Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo: & sanavit eos.

15. Videntes autem principes sacerdotum, & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio David: indignati sunt,

Ps. 8. 3. 16. Et dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique. Numquam legistis: * Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem (*g*)?

17. Et relictis illis, abiit foras extra Civitatem in Bethaniam, ibique mansit.

18. Mane autem revertens in Civitatem, esuriit.

Marc. 11. 13. 19. * Et videns fici arborem (*h*) unam secus viam, venit ad eam: & nihil invenit in ea nisi folia tantum, & ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea.

20. * Et videntes discipuli, mirati sunt, dicentes: quomodo continuo aruit? *Marc. 11. 20.*

21. Respondens autem Jesus, ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, Tolle, & jacta te in mare, fiet.

22. * Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. *Sup. 7. 7. Marc. 11. 24. Joan. 14. 13. & 16. 23. 1. Joann. 5. 22.*

23. Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem, principes sacerdotum, & seniores populi, dicentes: * In qua potestate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc potestatem? *Marc. 11. 28. Luc. 20. 2.*

24. Respondens Jesus dixit eis: Interrogabo vos & ego unum sermonem: quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio.

25. Baptismus Joannis unde erat? e cælo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se, dicentes:

26. Si dixerimus, e cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: *omnes enim habebant Joannem sicut prophetam. *Sup. 14. 5.*

27. Et respondentes Jesu, dixerunt: Nescimus. Ait illis & ipse: Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

28. Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operare (*i*) in vinea mea.

29. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem, pœnitentia motus, abiit.

30. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo, domine, & non ivit.

31. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Jesus: Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei.

32. Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ, & non credidistis ei: publicani (*k*) autem & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.

33. Aliam parabolam audite: * Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam (*l*), & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregre profectus est. *Isa. 5. 1. Jer. 2. 21. Marc. 12. 1. Luc. 20. 9.*

34. Cum

CAP. XXI. 3. (*a*) Quia Dominus his vult uti ad gloriosum ingressum suum in Jerusalem.

4. & 5. (*b*) Testimonium hoc partim ex Isaia c. 62. partim e Zacharia c. 9. desumptum est. *Dicite filiæ Sion*. Civibus Jerusalem: frequens Hebraismus, quo civitates filiæ appellantur. *Mansuetus*; vox Hebræa *Hanau*, עָנָו, *mansuetum & pauperem* significat. *Sedens super asinam & pullum*, vicissim. Asinæ insidens in ascensu montis; pullo, in descensu. Alii Evangelistæ solius pulli mentionem faciunt: eamdem vox apud Hebræos & asino & asinæ communis sit, quidam putant per appositionem, asinam appellari & pullum. Aut certe cum tres Evangelistæ pulli mentionem faciant, saltem asina sequebatur, juxta Matthæum, & Prophetiam Zachariæ, cap. 9. juxta versionem LXX. ac frequens est in Scriptura usus pluralis pro singulari.

7. (*c*) Gr. Super summas vestes, seu pallia.

9. (*d*) Salvum fac filium David. Id sumptum est e Ps. 117. Verbum Hebræum tegit dativum, atque hunc Hebraismum Interpretes retinuerant. *Hosanna in altissimis*. Tu qui habitas in altissimis, vel, in, ponitur pro de altissimis.

12. (*e*) In atrium templi, ut probabile est, in atrium Israelitarum; vel, ut aliis placet, gentilium: *Et ejiciebat omnes vendentes*: Licebat quidem hostias emere, sed non in templo. Cum autem aliqui non haberent unde emerent, sacerdotes constituerant nummularios, qui darent mutuo pecuniam, accepta cautione. In festis solemnibus atrium, vulgo *le parvis*, erat instar fori, ubi veniebant quæque sacrificiis necessaria.

13. (*f*) *Speluncam latronum*, ex Jerem. cap. 7. quod vendentes plus justo venderent, atque ad sacerdotes turpis hujus lucri pars melior rediret.

16. & 17. (*g*) Perfectam laudem consecutus es. *Mansit*, Pernoctavit.

19. (*h*) Ut multa dixit Dominus parabolice, ita & fecit, hoc in primis, ut sterilitatem Synagogæ insinuaret.

28. (*i*) Judaicum populum designat, qui legem profitebatur divinam, sed huic non parebat.

32. (*k*) Pœnitentiam præfert simulatæ justitiæ. *In via justitiæ*, In quo nihil erat, quod reprehendi merito posset.

33. & 34. (*l*) Synagogam: *Vinea Domini exercituum, domus Israel est*, Isai. 5. 7. *Sepem circumdedit*, præcepta legis, aut divinæ providentiæ protectionem: *Et fodit in ea torcular*, Marcus *Lucam*: qui expressum vinum excipiebat: Isaias habet, *Torcular extruxit*. *Ædificavit turrim*, templum. *Servos*, Prophetas & Apostolos.

34. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus.

35. Et agricolæ, apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt.

36. Iterum misit alios servos plures prioribus, & fecerunt illis similiter.

37. Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum.

38. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: * Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus.

* Inf. 26. 3. & 27. 1. Joann. 11. 53.

39. Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam (*m*), & occiderunt.

40. Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?

41. Ajunt illi: Malos male perdet: & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

42. Dicit illi Jesus: Numquam legistis in Scripturis: * Lapidem (*n*) quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris:

* Ps. 117. 22. Act. 4. 11. Rom. 9. 33. 1. Pet. 2. 7.

43. Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.

44. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum.

45. Et cum audissent principes sacerdotum, & Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret.

46. Et quærentes eum tenere: timuerunt turbas: quoniam sicut prophetam eum habebant.

CAPUT XXII.

Parabola de rege: qui nuptias fecit filio; de censu Cæsari solvendo. Quis sit resurrectionis status. Christus filius David, & ejus Dominus.

1. ET respondens (*a*) Jesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens:

2. * Simile (*b*) factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.

* Luc. 14. 16. Apoc. 19. 9.

3. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire.

4. Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias.

5. Illi autem neglexerunt: & abierunt (*c*), alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam:

6. Reliqui vero tenuerunt servos ejus, & contumeliis affectos occiderunt.

7. Rex autem cum audisset, iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit.

8. Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni.

9. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.

10. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos & bonos: & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

11. Intravit autem rex ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali (*d*).

12. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.

13. Tunc dixit rex ministris: * Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.

* Sup. 8. 12. & 13. 42. Inf. 25. 30.

14. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

15. * Tunc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut caperent eum in sermone.

* Marc. 12. 13. Luc. 20. 20.

16. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis (*e*), dicentes: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum:

17. Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non?

18. Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ?

19. Ostendite mihi numisma (*f*) census. At illi obtulerunt ei denarium.

20. Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc, & superscriptio?

21. Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: * Reddite (*g*) ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.

* Rom. 13. 7.

22. Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt.

23. In

39 (*m*) Extra civitatem, in montem Calvariæ.

42. & 43 (*n*) Ex Psalm 117. Hebraismus, pro *lapis*. *Regnum Dei*, Vera religio: *Et dabitur genti facienti fructus ejus*, non ex se, sed ex gratia Dei.

CAPUT XXII. 1. (*a*) Hebraismus: Sermonem exorsus, vel præcedentibus hæc subjiciens.

2. (*b*) Idem evenit in Ecclesia, ac si quis rex fecerit nuptias filio suo. Eo spectat parabola, ut multos ad Ecclesiam vocari, paucos ad eam venire insinuet, & inter eos qui invitati veniunt, perpaucos esse cælesti convivio dignos, ac veste nuptiali, seu charitate indutos, aut vitæ integritate præditos. Judæi primum invitati venire noluerunt: Gentes postea vocatæ sunt. Quod unus tantum notetur veste nuptiali destitutus, non propterea sequitur inter invitatos unum tantummodo fuisse indignum: non enim unus dicitur, sed homo & verba regis ad unum aptius diriguntur, quam ad multos. Nuptiæ illæ propter Christi & Ecclesiæ conjugium per Incarnationem sunt celebratæ. Misit primum Prophetas, qui Judæos ad nuptias invitarent; post Ascensionem misit Apostolos, qui dicerent invitatis, *Prandium meum paratum est*: Christiana religio est constituta, aditus in cælum reseratus, æterna felicitas omnibus exposita, agnus occisus, corpus ejus in altaris Sacramento manducandum, & sanguis potandus.

5. 7. & 10. (*c*) Quo sua quemque vocabat libido. *Succendit*, sub Vespasiano & Tito. *Et bonos*, Nulla conditionis habita ratione; bonos secundum officia virtutum.

11. & 14. (*d*) Solebant in his conviviis indui certis vestibus. *At ille obmutuit*; Nulla erit in die judicii apud Deum excusatio: nam veritas ipsa judex erit, vestis nuptialis bona opera designat. *Vocati*: Ad superiorem parabolam hæc referuntur, atque unus ejectus reproborum typus est.

16. (*e*) Ex aula forte Herodis: qui tributum Cæsari persolvendum censebant; quique erant secta Sadducæi, aut potius qui partes Herodis sequebantur.

19 (*f*) Quod solet pro censu dari, & Cæsaris imagine percussum est.

21. (*g*) Nam eo ipso, quod externi principis nummo utebantur, se illi subditos profitebantur: non enim propriam monetam cudebant. Quemadmodum Cæsar a vobis exigit impressionem imaginis suæ, sic & Deus; atque ut illi redditur nummus, sic Deo anima lumine ejus signata, ex August. in Psalm. 4.

23. In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt * non esse resurrectionem : & interrogaverunt eum, * Act.23.6. & v 8.

24. Dicentes: Magister, Moyses dixit : * Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & suscitet semen fratri suo. * Deut.25. 5. Marc. 12. 19. Luc.20 28

25. Erant autem apud nos septem (*h*) fratres: & primus, uxore ducta, defunctus est : & non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo.

26. Similiter secundus, & tertius, usque ad septimum.

27. Novissime autem omnium & mulier defuncta est.

28. In resurrectione ergo cujus erit de septem uxor? omnes enim habuerunt eam.

29. Respondens autem Jesus, ait illis: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.

30. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur : sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.

31. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis:

* Exod 3.6. 32. * Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob: Non est Deus mortuorum (*i*), sed viventium.

33. Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina ejus.

34. Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum:

* Marc.12. 28. Luc.10.25. 35. * Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum:

36. Magister, quod est mandatum magnum (*k*) in Lege?

* Deut.6.5. 37. Ait illi Jesus: * Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.

38. Hoc est maximum, & primum mandatum.

39. Secundum autem simile est huic: * Diliges proximum tuum sicut teipsum. * Lev. 19. 18. Marc. 12. 31.

40. In his duobus mandatis universa lex pendet (*l*), & prophetæ.

41. Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus,

42. Dicens : Quid vobis videtur (*m*) de Christo? cujus filius est? Dicunt ei : David.

43. Ait illis : * Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens (*n*): * Luc. 20. 41.

44. * Dixit Dominus Domino meo : sede a dextris (*o*) meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? * Ps.109.1.

45. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?

46. Et nemo (*p*) poterat ei respondere verbum : neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

CAPUT XXIII.

Unus Magister noster Christus; duces cæci. Væ hypocritis; de juramento; de cæde prophetarum.

1. TUnc Jesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos,

2. Dicens: Super cathedram Moysi sederunt (*a*) * Scribæ & Pharisæi. * 2.Esdr.8. 4.

3. Omnia (*b*) ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite : secundum opera vero eorum nolite facere : dicunt enim, & non faciunt.

4. * Alligant (*c*) enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere. * Luc. 11. 46. Act. 15. 10.

5. Omnia vero opera sua faciunt ut videantur ab hominibus : * dilatant enim phylacteria (*d*) sua, & magnificant fimbrias. * Num 15. 38. Deut. 22. 12.

6. * Amant

25. (*h*) Huic Sadducæorum argumento respondere non poterant Pharisæi, quod post resurrectionem putarent fore vitam animalem, in qua conjugia jungerentur, & liberis procreandis operam darent. Solvit autem Christus uno verbo, quod homines futuri sint immortales, nec ulla opus sit generatione.

32. (*i*) Nemo dicitur dominus rei quæ omnino periit : Ergo Abraham, Isaac, & Jacob vivi sunt, non corpore, sed anima: immortalitas animæ, quam negabant Sadducæi, probat corporis resurrectionem : utrumque enim est pars hominis. Cum Sadducæi non reciperent alios libros præter legem Moysi, inde Christus protulit argumentum. Dicitur Deus Abraham cujus vivit anima ; & corpus ad vitam destinatum vivit Deo: cum autem dicatur esse Deus vivorum, palam est, Abraham, Isaac, & Jacob adhuc vivere, & Deo subditos esse: ita August. quæst. 5. in Deuteron. Præcipuus error Sadducæorum is erat, quod negarent immortalitatem animarum, atque hinc resurrectionem ut impossibilem concludebant. Contra Christus hinc resurrectionem esse possibilem probat, quod post mortem animi sint incorrupti. Animas autem non interire evincit ex iis Scripturæ locis, *Ego sum Deus Abraham, &c.* Atqui non est Deus rerum creatarum, quæ omnino periere, & in nihilum redactæ sunt: Ergo illi adhuc vivunt Patriarchæ, & possunt resurgere: siquidem animam cum corpore iterum conjungi nihil vetat.

36. & 37. (*k*) Positivum pro superlativo, quo Hebræi carent. *Corde tuo*, in diversos amores non distracto, nec languido: quod his verbis exprimitur, *Et in tota anima tua*; ita ut nullus alius amor ei præferatur, vel æquetur.

40. (*l*) Hæc est totius Scripturæ summa: ad hæc duo referuntur Lex & Prophetæ: nam plenitudo legis est dilectio. *Proximum diliges sicut teipsum*; diligis nolens tibi fieri injuriam, & volens ab aliis tibi bene fieri. Estque præceptum legis naturæ, quod a Christianis supernaturali modo observari debet: in charitate scilicet ad vitam æternam nobis a Christo promissam.

42. (*m*) Occasionem iis præbere voluit inquirendi an non ipse esset Christus. De Joanne id quæsivistis, quem sciebatis non esse Filium David: de me, quem tot miraculis clarescere videtis, cui tam illustre testimonium perhibuit Joannes ipse, cur non id quæritis?

43. (*n*) Spiritu Dei afflatus: dixit Deus Christo Filio suo: quem idcirco Deum agnovit.

44. (*o*) Ad dexteram meam: ratione humanitatis divinitati conjunctæ. Messiam non modo Davidis filium, sed etiam Dei Filium, atque habere Davidis Dominum, probat Christus alium a Davide Patrem, Deum scilicet, a quo genitus est in splendoribus Sanctorum. Hinc Calvinus ipse in hunc locum: Fatemur quidem hic diserte, & ad verbum non exprimi divinam ejus essentiam, sed inferre promptum est Deum esse, qui supra omnes creaturas locatur.

46. (*p*) Ex adversariis. *Neque ausus est quisquam*, illorum. *Interrogare*, ut solebant, ad illius sapientiam explorandam.

CAPUT XXIII. 1. (*a*) Præteritum pro præsenti, sedent cum auctoritate, Gregor. Lib. 13. Moral. cap. 35. *Malis doctoribus bonus sermo datur* in auditorum gratiam.

3. (*b*) Quæcumque præceperint vobis, phrasi Hebraica, nisi lex superior obstet, qualis est illa, obediendum esse magis Deo quam hominibus. Quo quidem modo illud Apostoli Colossens. 3. intelligendum : *Filii obedite parentibus per omnia*. Nam in rebus evidenter malis nemini credendum est; in dubiis obsequi oportet præpositis a Deo: quorum vita perversa nos non eximit ab obsequio ; dignitati quippe debetur reverentia.

4. (*c*) Minuta quæque legis severe exigunt, præcipua vero negligunt : sed ad vitandum scandalum, & omnem rebellionis speciem, etiam leviora servanda sunt, salva lege divina & naturali.

5. (*d*) Membranæ erant, quibus præcepta Decalogi erant inscripta, quas brachiis & fronti circumligatas gerebant, ex Deuter. 6. 8. male intellecto; quo quidem jubebantur præcepta divina semper ante oculos habere, ut ea factis & operibus præstarent. *Et magnificant*; magnas faciunt fimbrias, quas e pallii quatuor angulis suspendebant, eæque filis hyacinthini coloris textæ erant, cap. 15 Numer.

* Marc. 12. 6. * Amant autem primos recubitus in cœ-
39. Luc 11. 43. nis, & primas cathedras in synagogis,
& 20. 46. 7. Et salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.

* Jac. 3. 1. 8. * Vos autem nolite vocari Rabbi (*e*): unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis.

* Mal. 2. 6. 9. * Et patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim Pater vester, qui in cælis est.

10. Nec vocemini magistri: quia Magister vester unus est, Christus.

11. Qui major est vestrum, erit minister vester.

* Luc. 14. 12. * Qui autem se exaltaverit (*f*), hu-
11. & 18. miliabitur: & qui se humiliaverit, exaltabi-
14. tur.

13. Væ autem vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ (*g*) quia clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.

14. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ:
* Marc. 12. * quia comeditis domos viduarum, orationes
40. longas orantes (*h*): propter hoc amplius acci-
Luc. 20. 47. pietis judicium.

15. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo (*i*) quam vos.

16. Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil est: qui autem juraverit in auro templi, debet.

17. Stulti, & cæci: Quid enim majus est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum?

18. Et quicumque juraverit in altari, nihil est: quicumque autem juraverit in dono, quod est super illud, debet.

19. Cæci: Quid enim majus est, donum, an altare, quod sanctificat donum?

20. Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt.

21. Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, & in eo qui habitat in ipso:

22. Et qui jurat in cælo, jurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum.

23. * Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypo- * Luc. 11.
critæ: qui decimatis mentham (*k*), & ane- 42.
thum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, * judicium, & misericordiam, * Mich. 6. 8.
& fidem: hæc oportuit facere, & illa non Zach. 7. 9.
omittere.

24. Duces cæci, excolantes (*l*) culicem, camelum autem glutientes.

25. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis: intus autem pleni estis rapina & immunditia.

26. Pharisæe cæce, munda (*m*) prius quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum.

27. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ aforis parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.

28. Sic & vos aforis quidem paretis hominibus justi: intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.

29. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra (*n*) prophetarum, & ornatis monumenta justorum,

30. Et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum.

31. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt.

32. Et vos implete (*o*) mensuram patrum vestrorum.

33. * Serpentes genimina viperarum, quomo- * Sup. 3. 7.
do fugietis a judicio gehennæ?

34. Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de civitate in civitatem.

35. Ut veniat super vos omnis sanguis ju-
stus, qui effusus est super terram, * a sangui- * Gen. 4. 8.
ne Abel justi usque ad sanguinem * Zachariæ, Hebr. 11. 4.
filii Barachiæ (*p*), quem occidistis inter tem- * 2. Par. 24.
plum & altare. 21.

36. Amen

8. (*e*) Nolite delectari hujusmodi titulis, ut Pharisæi, qui ambitiose sic appellari cupiebant. *Unus enim Magister vester*, qui docet omnes scientiam, & novit omnia: vos autem omnes fratres estis, & discipuli sub uno Patre & Magistro. Itaque non vetat vocari patres & magistros: nam & Paulus hos dignitatis titulos sibi sumit, & se magistrum gentium appellat, nec damnat titulos eruditionis, qui usurpantur in Academiis: sed comparate ad Deum loquitur: omnes enim sunt unius magistri, qui veritatem intus docet, discipuli, ut Aug. Lib. de magistro suse prosequitur: cum alii foris tantum admoneant; *Intus is docet, qui solus cathedram habet in cælo*.

12. (*f*) Non qui exaltatur, sed qui se exaltat, humiliabitur; nec qui humiliatur, sed qui se humiliat, exaltabitur.

13. (*g*) Non est dicenda contumelia, sed zelus justus, cum superior increpat manifestum & incorrigibilem peccatorem, ut alii timeant, & sibi caveant. Præterquam Christus non solum prædicere, sed etiam æternum Væ inferre poterat propter Pharisæorum flagitia. *Qui clauditis regnum cælorum*, a fide in Christum avocatis: Lucas 11. 52. *Tulistis clavem scientiæ*. Il prætendebant neminem nisi ipsis aperientibus & docentibus intrare posse. Sic traditiones suas ut gravia onera imponebant, & falsa interpretatione Prophetias de Messia eludebant.

14. (*h*) Simulatione sanctitatis. Facultates viduarum, quæ facilius decipiuntur, in rem vestram vertere soletis, obtentu longarum orationum, quas pro iis funditis, ut Marcus habet cap. 12. *Et propter hoc*, amplius accipietis judicium, quam ceteri, quia viduas exhauritis pietate simulata.

15. (*i*) Nam offensi perversa Pharisæorum vita & hypocrisi, adhibent ad idololatriam; aut exemplo eorum superstitiosiores facti magis resistebant doctrinæ Evangelicæ.

23. (*k*) Qui decimas solvitis; non erat in lege præceptum solvere ejusmodi decimas, sed tantum ex area & torculari: sed cum in gravioribus essent negligentes, ut in jure reddendo; *Judicium*, in servandis pactis fidem violabant.

24. (*l*) Vinum per linteum trajicientes, ne forte immunda animalcula una cum vino haurirent.

26. (*m*) A rapina & gula prius abstine, tum poterit exterior placere mundities, quæ interiori respondebit.

29. (*n*) Græce, *Quia ædificatis*; non ut malam reprehendit constructionem, aut instaurationem sepulcrorum: sed quod ex hypocrisi id facerent, & in Christum eamdem exercerent sævitiem, quam majores eorum in prophetas, nec recederent ab eorum crudelitate. Quamvis ex Luca verba illa: *Et testimonio estis vobis*, magis ad facta quam ad dicta Pharisæorum referantur. Prophetarum sepulcra ædificantes, ab eorum doctrina penitus erant alieni, Christum persequentes.

32. & 31. (*o*) Implebitis. *Genimina*; Ut e viperis nascuntur viperæ, sic ex homicidis homicidæ.

35. (*p*) Qui, ut probabile videtur, erat filius Jojadæ; hic potuit etiam vocari Barachias. Tres Zachariæ filii Barachiæ in Scripturis nominantur; primus Isaiæ 8. 2. vir magnus, de cujus morte nulla fit mentio; alius est inter minores Prophetas, qui in pace quievit; tertius apud Josephum, Lib. 4. de bello Judaico, cap. 5. Zacharias filius Baruch, quem in templo Zelotæ occiderunt. Dubitant nonnulli, an forte Christus de illo more prophetico, futurum per præteritum exprimens loquatur, ut cædes omnes usque ad templi excidium comprehendat. *Barachia*, Hebr. benedictum Domini significat.

36. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.

* Luc. 13. 34. 37. * Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?

38. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

39. Dico enim vobis, non me videbitis (q) amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

CAPUT XXIV.

Eversio templi: cavendum a seductoribus, & a pseudoprophetis; abominatio desolationis; adventus Christi.

Marc. 13. 1. Luc. 21. 5. 1. ET egressus Jesus de templo, ibat (a). Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi.

* Luc. 19. 44. 2. Ipse autem respondens dixit illis: Videtis hæc omnia: Amen dico vobis, * non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.

3. Sedente autem eo super Montem oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt (b)? & quod signum adventus tui, & consummationis sæculi?

* Eph. 5. 6. Col. 2. 18. 4. Et respondens Jesus, dixit eis: * Videte ne quis vos seducat (c).

5. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent.

6. Audituri (d) enim estis prælia, & opiniones præliorum. Videte ne turbemini: oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis.

7. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca.

8. Hæc autem omnia initia sunt dolorum.

* Sup. 10. 17. Luc. 21. 12. Joan. 15. 10. & 16. 2. 9. * Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus (e) propter nomen meum.

10. Et tunc scandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem.

11. Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos.

12. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.

13. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

14. Et prædicabitur (f) hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio.

15. * Cum ergo videritis abominationem (g) desolationis, quæ dicta est a * Daniele propheta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat: * Marc. 13. 14. Luc. 21. 20. * Dan. 9. 27.

16. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes (h):

17. Et qui in tecto (i), non descendat tollere aliquid de domo sua:

18. Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.

19. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.

20. Orate (k) autem ut non fiat fuga vestra in hieme, * vel sabbato. * Act. 1. 12.

21. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.

22. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis (l) caro: sed propter electos breviabuntur dies illi.

23. * Tunc si quis vobis dixerit (m): Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere: * Marc 13. 21. Luc. 17. 23.

24. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa magna (n), & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.

25. Ecce prædixi vobis.

26. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere.

27. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem: ita erit & adventus Filii hominis.

28. * Ubi-

39. (q) Benignum, ut modo; sed ut severum judicem in secundo adventu, cum vel inviti gloriam meam agnoscetis.

CAPUT XXIV. 1. (a) Gr. Abibat e templo. Ut ostenderent; Forte dubitabant de iis, quæ dixerat Dominus de ejus ruina; ille vero excidium mox futurum prædicit. Mirabilis erat structura templi e lapidibus duris & candidis, ferro & plumbo ita connexis, ut in omne ævum duraturi viderentur. Vide Josephum Lib. 15. cap. 14.

3. (b) Hæc mala, quæ urbi & templo eventura prædixisti: Et quod *signum adventus tui?* existimabant enim hæc pene iisdem temporibus eventura ante terrenum Christi regnum, quod vehementer optabant.

4. (c) Respondit Dominus non præcise ad id, quod rogabant, sed ad ea quæ forte eorum plurimum intererat. Aug. Epist. 80. censet Christum Dominum permixtum agere de excidio Jerosolymæ, & de extremo judicio. Illud Judæis persuasum erat tempus adventus Messiæ: hanc occasionem arripuerant seductores se pro Messia venditandi. Inter eos fuerunt Judas, Theudas, tum Simon magus, postremo temporibus Adriani Barcochebas.

6. (d) Pseudoprophetas, persecutores, bella, & magnam motuum mutationem fore prædicit: quæ signa communia sunt urbis excidio, & mundi consummationi. *Sed nondum est finis*, malorum, quæ Judæis eventura sunt ante urbis ruinam.

9. (e) Hæc omnia Apostolis & aliis discipulis evenerunt ante urbem expugnatam.

14. (f) Apud omnes gentes notas prædicatum est Evangelium ante excidium Jerosolymæ: *In testimonium omnibus gentibus*; Ad testificandum omnibus veritatem Evangelii: *Et tunc veniet consummatio*, Gr. *finis*, urbis primo, tum orbis. Unde primum quæstionem solvit Dominus de excidio Jerosolymæ. Priusquam id eveniret, in magna orbis parte prædicatum est Evangelium, & ante extremum judicium in universo orbe prædicabitur; & quidem hæc omnia ante urbis ruinam evenerunt, & lex vetus in iis ruinis sepulta est.

15. (g) Abominatio, Hebræis est idolum. An Caii Caligulæ statua, quæ in templo posita est ex Josepho Lib. 12. de bello Jud. cap. 8. An templi profanatio facta a Zelotis intelligitur, ex Josepho Lib. 6. cap. 1. Lucas exercitum Romanum indicat, cum Cestius Florus cinxit Jerosolymam. *Stantem*: Quæ abominatio erat in loco sancto.

16. (h) In speluncis montium se abscondant. Christiani in urbem ditioni Agrippæ se receperunt, Pellam nomine. *Abominatio desolationis*, Desolatio abominabilis, phrasi Hebraica. *Qui legit intelligat*: nam intellectus ejus est multiplex, & difficilis.

17. (i) In loco munito maneat, vel non descendat ut sarcinas colligat, sed ut fugiat quam citissime.

20. (k) In tempore minus commodo, ut libere fugere liceat: loquitur de Sabbato juxta vulgatam Judæorum sententiam, non enim die Sabbati longum iter facere licebat.

22. (l) Nullus Judæorum superesset, nisi accelerata esset urbis obsidio. Ex mutuis cædibus, vel ex fame omnes absumpti fuissent, si diutius obsidio esset protracta: *Propter electos*, qui tum erant, vel qui nascituri erant.

23. (m) Videtur de regno Messiæ ab excidio Jerusalem ad finem usque mundi jam loqui, quasi futurus sit brevi secundus illius adventus, ut eum semper expectarent. Nam mille anni apud Deum quasi unus dies: vel forte adhuc de excidio urbis disserit usque ad vers. 29.

24 (n) Sed mendacia, ex Apostolo 2. Thessal. 2. Ita ut sæpe electi in errorem inducantur ad tempus: qui in eo errore non persistent, cum innumerabiles Judæi ante bellum Romanum fidem Christi amplexi fuerint; & hi fortasse vocantur electi.

* Luc. 17. 37. 28. * Ubicumque fuerit corpus (*o*), illic congregabuntur & aquilæ.

* Isa. 13. 10. Ezech. 32. 7. Joel 2. 10. 47. 3. 15. Marc. 13. 24. 29. * Statim autem post tribulationem (*p*) dierum illorum, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur:

Luc. 21. 25. * Apoc. 1. 7. 30. Et tunc parebit signum (*q*) Filii hominis in cælo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & * videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & majestate.

* 1. Cor. 15. 52. 1. Thess. 4. 16. 31. * Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cælorum usque ad terminos eorum.

32. Ab arbore autem fici discite parabolam: cum jam ramus ejus tener fuerit, & folia nata, scitis quia prope est æstas:

33. Ita & vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis (*r*).

34. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.

* Marc. 13. 31. 35. * Cælum & terra transibunt (*s*), verba autem mea non præteribunt.

36. De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater.

* Gen. 7. 7. Luc. 17. 26. 37. * Sicut autem in diebus Noe, ita erit & adventus Filii hominis.

38. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam,

39. Et non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus Filii hominis.

40. Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, & unus relinquetur.

41. Duæ molentes in mola: una assumetur, & una relinquetur.

42. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.

* Marc. 13. 35. Luc. 12. 39. 43. Illud autem scitote, * quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam.

44. Ideo & vos estote parati: quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est.

45. Quis, putas, est fidelis servus & prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?

* Apoc. 16. 15. 46. * Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem.

47. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.

48. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire:

49. Et cœperit percutere conservos suos, manducet autem, & bibat cum ebriosis:

50. Veniet dominus servi illius, in die qua non sperat, & hora qua ignorat:

51. Et dividet eum (*t*), partemque ejus ponet cum hypocritis: * illic erit fletus, & stridor dentium. * Sup. 13. 42. Inf. 25. 30.

CAPUT XXV.

Decem virginum & talentorum parabolæ: extremum judicium.

1. TUnc simile (*a*) erit regnum cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, & sponsæ.

2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes:

3. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum (*b*):

4. Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.

5. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, & dormierunt.

6. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

7. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades suas.

8. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur.

9. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.

10. Dum autem irent emere, venit sponsus, & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua.

11. Novissime vero veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.

12. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio (*c*) vos.

13. * Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. * Marc. 13. 33.

14. * Sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. * Luc. 19. 12.

15. Et

28. (*o*) Gr. πτῶμα, Cadaver. Quod si adhuc est sermo de excidio Jerosolymæ, ubicumque cadavera fuerint, statim vultures & aquilæ aderunt. Adventus Romanorum exercitus certum excidii signum futurum est: horum vexilla erant aquilæ: Nam hunc locum de corpore mortuo, seu de cadavere plerique intelligunt. Alii de Christo ipso, qui ubicumque fuerit, ad eum justi quasi aquilæ congregandi sunt, estque est proverbialis locutio.

29. (*p*) Nunc sine dubitatione de secundo adventu Dominus sermonem instituit, ac de signis, quæ diem judicii præcedent. *Statim autem*, post ea tempora quibus surgent Pseudoprophetæ. Sermo ille cum sit propheticus, nihil mirum est si sit obscurior, & ab uno ad aliud remotius transeat. *Stellæ cadent de cælo*, retrahent lumen suum; *Et virtutes cælorum commovebuntur*; Gr. *δυνάμεις*: Cælorum cardines trement; vel ut aliis placet, Angeli obstupescent. Isa. 13. *Stellæ cæli non expandent lumen suum*. Alii de malis angelis, qui sunt *aereæ* potestates, & nequitiæ spirituales in cælestibus, id satis commode intelligunt: hi quippe turbabuntur, quod eorum instet judicium, & possessione sua dejiciantur.

30. & 31. (*q*) Vexillum crucis, vel majestas ejus. *Voce magna*, Gr. *Cum tuba vocis magnæ*. Vox magna erit instar tubæ.

33. & 34. (*r*) Proverbialis locutio: Prope est redemptio vestra. *Generatio*, Gens Judaica, quæ ad finem usque mundi permanebit. Quod si de excidio urbis sermo fiat, generatio hæc erit hominum ætas usque ad eversionem civitatis, quo videtur redire sermo Domini.

35 & 36 (*s*) In alium statum reformata & igne conflagrationis repurgata: vel citius cælum & terra transierunt, quam verba mea. *Solus Pater*. Nisi solus Deus.

51. (*t*) Ab officio amovebit: Phrasi Hebraica dividere interdum pro interficere, aut disperdere sumitur: ut 1. Par 13.

CAPUT XXV.

1. (*a*) A superiore capite trium quæ sequuntur parabolarum sententia pendet, atque eo spectat, ut vigilantes, & bonis operibus intenti adventum Domini operiantur. Hic veniet ut sponsus, quem virgines, seu fideles expectant; ut dominus, qui a servis rationem exigit; ut judex, qui bonos a malis secernet. *Lampades suas*; Lampadis nomine fides intelligitur omnibus communis.

3. (*b*) Fidem habentes sine charitate: virgines dicuntur ob fidei puritatem.

12 & 14 (*c*) Vos ut virgines ad nuptias vocatas non novi. *Sicut enim*; videtur suspensa oratio, & ita subintelligendum: Sic faciet Christus, qui in cælum ascendet, multo post tempore ad judicium rediturus.

15. Et uni dedit quinque talenta (*d*), alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim.

16. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque.

17. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo.

18. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui.

19. Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis.

20. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.

21. Ait illi dominus ejus: Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium (*e*) domini tui.

22. Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum.

23. Ait illi dominus ejus: Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

24. Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti:

25. Et timens abii, & abscondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est.

26. Respondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male, & piger, & sciebas quia meto ubi non semino, & congregabo ubi non sparsi:

27. Oportuit (*f*) ergo te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.

28. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta.

* *Sup.* 13. 12. *Marc.* 4. 25. *Luc.* 8. 18. & 19. 26.
29. * Omni enim habenti dabitur (*g*), & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.

30. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.

31. Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ:

32. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis.

33. Et statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris.

34. Tunc dicet (*h*) rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.

35. * Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: * *Isa.* 58. 7. *Ezec.* 18. 7. 16.

36. Nudus, & cooperuistis me: * infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. * *Eccli.* 7. 39.

37. Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pavimus te: sitientem, & dedimus tibi potum?

38. Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te?

39. Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te?

40. Et respondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu (*i*) fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

41. Tunc dicet & his, qui a sinistris erunt: * Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. * *Ps.* 6. 9. *Sup.* 7. 23. *Luc.* 13. 27.

42. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum:

43. Hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me.

44. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi?

45. Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.

46. * Et ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam. * *Dan.* 12. 2. *Joan.* 5. 29.

CAPUT XXVI.

Christus prædicit passionem suam post biduum futuram. Judæorum adversus eum conspiratio: unguenti pretiosi effusio: proditio Judæ: cœna Paschalis; Eucharistiæ institutio: oratio Christi in horto: discipulorum fuga, ducitur Jesus ad Caipham; Petrus negat, sed eum mox pœnitet.

1. Et factum est, cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis:

2. * Sci-

15. (*d*) Talenti nomine non gratia gratum faciens, sed gratis data intelligi debet, quæ ad aliorum utilitatem conceditur. *Virtutem: Gr.* δύναμιν, *facultatem:* non quod dona supernaturalia dentur a Deo secundum vires naturales: sed more humano loquitur; quod homines soleant pecuniam servis ad lucrum faciendum distribuere, spectata singulorum industria. Quamquam plerumque gratiæ gratis datæ ad aliorum utilitatem concessæ pro ratione facultatis naturalis dari solent, ut scientia major iis qui plus ingenio valent: sed ipse nos ad accipienda dona facit idoneos.

21. (*e*) Intra in domum, ut sis particeps gaudii mei, fruere bonis meis.

27. (*f*) More humano loquitur, ut solent domini divites & avari. Deus a nobis exigit lucrum non usurarium, ut ille dives, sed verum & sanctum: cui plus datum, ab eo plus requiritur. *Cum usura;* Malus ille servus hero sævitiam & avaritiam exprobrando se excusatum putabat: in quo ipse se condemnabat: nam si ita res erat, debuit trapezitis pecuniam tradere.

29. (*g*) Merces ampla dabitur pro bono uso talenti a Deo accepti.

34. & 35. (*h*) Etsi hæc narratio est capitui nostro accommodata; non dubium tamen est, quin Christus hæc & alia ejusmodi sit dicturus. *Esurivi;* Hæc ad solos qui crediderunt, & secundum fidem non vixerunt, pertinere, August. Lib. de fide & operibus cap. 15. existimat.

40 & 41. (*i*) Gr. *In quantum fecistis. Discedite a me;* Pœna damni hac voce exprimitur, ut pœna sensus per ignem paratum diabolo.

* Marc. 14. 1. Luc. 22. 1. 2. * Scitis quia post biduum (*a*) Pascha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur.
3. Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas:
4. Et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, & occiderent.
5. Dicebant autem: Non in die festo (*b*), ne forte tumultus fieret in populo.
6. Cum autem Jesus esset in Bethania (*c*), in domo Simonis leprosi,
7. Accessit ad eum mulier (*d*) habens alabastrum unguenti pretiosi, & * effudit super caput ipsius recumbentis. * Marc. 14. 8. Joan. 11. 2. & 12. 3.
8. Videntes autem discipuli, indignati (*e*) sunt dicentes: Ut quid perditio hæc?
9. Potuit enim istud venumdari multo, & dari pauperibus.
10. Sciens autem Jesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me.
11. Nam semper pauperes habetis vobiscum: me autem non semper habetis (*f*).
12. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum: ad sepeliendum (*g*) me fecit.
13. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum (*h*) fuerit hoc Evangelium, in toto mundo dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.
14. * Tunc abiit unus (*i*) de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum: * Marc. 14. 10. Luc. 22. 3.
15. Et ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam (*k*)? At illi constituerunt ei triginta argenteos.
16. Et exinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet.
17. * Prima (*l*) autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? * Marc. 14. 12. Luc. 22. 7.

18. At

CAPUT XXVI.

2. (*a*) Sub finem feriæ tertiæ, aut initium quartæ, ut nonnullis placet. Eo anno Pascha erat feria sexta: unde feria quinta ab hora nona ad undecimam usque immolabatur agnus. Id enim nobis longe probabilius videtur Christum una cum discipulis, pridie quam moreretur, agnum paschalem comedisse ex legis præscripto. Nam Matthæus, Marcus, & Lucas id apertissime testantur: *Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha?* Item *Tempus meum prope est, apud te facio Pascha*. Vox illa *Pascha*, iteratur, & eamdem habet significationem, seu de ejus præparatione, seu de immolatione, seu demum de manducatione agatur; ubique agni immolationem, vel esum significat. Sic vers. 17. 18. & 19. hujus capitis primus dies Azymorum erat feria quinta, & dies decimus quintus a vespere hujus diei incipiebat. Sic dies secundus Azymorum erat dies 16. ex Josepho Lib. 3. c. 10. Dies festi incipiebant a vespere diei præcedentis: tametsi Judæi, ut omnes fere nationes, diem civilem a media nocte præcedentis diei ad subsequentis mediam usque noctem protendebant. Hinc Petavio in cap. 1. Genes. prope certum est, & si id nunc ageretur, multis exemplis Scripturarum, multisque argumentis probari posse, apud Judæos fuisse olim in usu triplex genus dierum, diem scilicet legalem a vespera in vesperam, diem naturalem ab ortu solis in ortum, diem usualem a media nocte ad mediam noctem; & quidem voces usitatæ, *pridie*, *hodie*, *cras*, non ex vespere, sed ex media nocte distinguuntur. Si quid factum fuerit post solis occasum, nemo dicet id factum fuisse hesterno die. Quare primus dies Paschalis usualis non a vespera, sed a media nocte incipiebat. Unde Agnus Paschalis extrema parte diei 14. lunæ immolabatur, & prima parte diei 15 edebatur: adeo ut duo illi dies sibi succedentes idem sibi nomen communicarent ex communi loquendi usu; & pars extrema diei 14. celebris ob manducationem agni & festi Azymorum nomen interdum tribuebat diei integro 14. breviandi sermonis caussa. Unde Evangelistæ potuerunt vocare diem Azymorum primum diem 14. in quo necesse erat occidere Pascha, & extensione quadam nomine pars illius diei quarta in totum diem refluebat. Nec tamen festus erat dies ad sextam usque horam. Aliis tamen videtur, primum diem Azymorum, qui præ ceteris festis erat solemnis, fuisse Sabbatum, neque eo ipso die Christum Dominum morti fuisse condemnatum: cui sententiæ videtur favere Joannes Evangelista, ut suo loco dicemus. Atque ii videntur satis apte tres Evangelistas cum Joanne conciliare, qui duos proxime sibi dies consequentes Azymorum a Judæis observatos volunt, cum alii & plebs ipsa a conjunctione lunæ cum sole, alii a prima lunæ phasi mensem inciperent. Unde priores a die Jovis sub vesperam, posteriores, iique magis spectabiles, ut Sacerdotes, Pharisæi & Scribæ a vespera diei Veneris diem primum Azymorum numerabant, ut ex Joanne Evangelista colligi videtur. Unde & usus Judæorum duplex Pascha induxerat, quod incertus esset dies primus lunæ, & innumerabilis multitudo tum Jerosolymam conveniret.

5. (*b*) Et tamen in die festo Christus voluit occidi juxta communiorem sententiam, non item si Christus pascha, seu agnum Paschalem una cum discipulis manducavit die Jovis, & sacerdotes die tantum Veneris, ut viris perettuditis videtur, seu de primo die lunæ inter Judæos non convenerit; adeo ut alii a medio lunæ motu, alii a vero motu eum designaverint; aut potius quidam ab ipsa syzygia, seu a conjunctione, alii a prima lunæ phasi mensem inchoarint, & Christus Dominus priori computandi ratione usus fuerit, quod legi esset magis consentaneum: seu potius, ut visum est Ruperto, Petavio, & nuper Auctori Analyseos Gallicæ, sacerdotes ex traditione quadam festum Paschatis, quod die Veneris inciderat, in Sabbatum transtulerint, ne duo festa proxime consequentia populo essent impedimento. Hoc enim præter alia habebat incommodi, ut mortuorum cadavera in fervidis illis regionibus diu manerent insepulta. Utcumque ea res sit, Christus cum voluit, occisus est, etiam die festo, cum ejus inimicis tam commode oblata esset occasio: nec tanta erat religio Judæorum in festis observandis, atque in Sabbato, cum in festis diebus ea pararent, quæ ad vescendum erant necessaria, uti ex cap. 34. Exodi colligitur. Nec festivi diei religione, sed metu populi, ne tumultus fieret, id ab initio decreverant, ut in die festo Christum non interficerent. Sed oblata ea occasione prius consilium deseruerunt. Verum ea est constans veterum sententia, Christum una cum discipulis agnum Paschalem manducasse, antequam institueret Eucharistiam, quæ est verum Pascha Christianorum.

6. (*c*) Sexto nimirum ante die, puta die Sabbati præcedente, quod ab Evangelista per recapitulationem memoratur, ut quid Judæ proditioni occasionem dederit, aperiat. *In domo Simonis Leprosi:* An Simon ille fuerit olim Leprosus, an familiæ cognomen fuerit incertum.

7. (*d*) Maria soror Marthæ, & Lazari: *Habens alabastrum unguenti pretiosi;* Pyxidem ex alabastrite lapide, qui a Plinio Lib. 36 cap. 8. onyx appellatur, quod unguem colore & levitate sua referat. Alii tamen ἀλάβαστρον, Græce dictum volunt, quod vas esset sine ansa, idque e materia fragili confiatum, ut cum opus esset, effunderetur liquor in eo contentus: Marcus ait, Nardi *pistici*, id est, sinceri, non fictitii.

8. (*e*) Aut solus Judas, per syllepsim, discipuli pro discipulus, vel is præcipue, & eo impellente alii quidam obmurmurabant.

11. (*f*) Pro habebitis humana & visibili carne indutum.

12. (*g*) Non quod ea de re cogitaverit Maria, sed ignara mysterii, impellente Spiritu sancto, quod postea facere non potuit, ut ungeret Corpus Christi, tum prævenit.

13. (*h*) En illustre Christi Domini vaticinium: quod paucis post annis Matthæus æternæ mandavit memoriæ, & eventu ipso est comprobatum.

14. (*i*) Judas offensus tam pretiosi unguenti jactura adiit ad Sacerdotes congregatos, idque feria quarta, nempe biduo ante Pascha.

15. (*k*) Operam suam locavit triginta argenteis, seu siclis. Nonnullis videtur nummos fuisse aureos, quibus cœmeterium peregrinorum emi potuit, iique communi & usitata voce argentei dicti sunt. Sed ager sterilis & desertus potuit etiam tam vili pretio æstimari.

17. (*l*) Feria quinta, sub finem lunæ 14. cum usus Azymorum futurus erat, & agnus Paschalis occidendus. Utrum vero Christus diem Paschatis prævetterit, tum ut eo ipso die & eadem hora, qua Judæi agnum typicum occidebant, ipse in cruce moreretur, tum forte quia cum multis aliis quem lex præscribebat, diem observare voluit, non ausim ea de re præcipitare sententiam, cum utrimque probabiles non desint rationes. Quæ ab Auctore Analyseos Gallicæ proferuntur dissert. 32. minime sunt contemnendæ. His adducitur ut putet Judæos die tantum Veneris Pascha immolasse, ne duo festi dies proxime consequerentur. Atque ita omnis quæ prima specie apparet inter Joannem & tres alios Evangelistas, tollitur repugnantia. Hi quippe Pascha a Domino celebratum memorant, Joannes de hoc Paschate nihil scripsit: ac forte alii aliter diem Azymorum, sive 15. lunæ desumebant. Cum autem Joannes sic ait, *Ante diem festum Paschæ*, de Paschate a Domino & ab Apostolis celebrato non videtur loqui, cum illud jam a Domino factum esset, quando Eucharistiam instituit. Sed Paschatis, uti a sacerdotibus, & magna parte populi celebratum fuit, mentionem habet. Nec abhorret a verosimili Deum permisisse, ut quod animo conceperant, Juda prodente perficerent, & eadem hora Christus occideretur, qua sacerdotes agnum typicum immolabant. Sed ea de re jam diximus, & identidem recurret sermo, nunc historiam Passionis Dominicæ prosequamur. *Accesserunt discipuli ad Jesum*. Vocati ab eo, nempe Petrus & Joannes, Lucæ 22. 8.

18. At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam (*m*), & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.

19. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha.

* Marc. 14. 17. Luc. 22. 14. 20. * Vespere (*n*) autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis.

* Joann. 13. 21. 21. Et edentibus (*o*) illis, dixit: Amen dico vobis, * quia unus vestrum me traditurus est.

22. Et contristati valde, cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum Domine?

23. At ipse respondens, ait: Qui intingit (*p*) mecum manum in paropside, hic me tradet.

* Ps. 40. 10. 24. Filius quidem hominis vadit, * sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

25. Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti.

* 1. Cor. 11. 24. 26. * Cœnantibus (*q*) autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum.

27. Et accipiens calicem gratias (*r*) egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes.

28. Hic est enim sanguis meus novi testamenti (*s*), qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

29. Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis (*t*), usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.

30. Et hymno (*u*) dicto, exierunt in Montem oliveti.

31. Tunc dicit illis Jesus: * Omnes vos scandalum (*x*) patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: * Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. * Marc. 14. 27. Joan. 16. 32. * Zach. 13. 7.

32. Postquam autem resurrexero, * præcedam vos in Galilæam. * Marc. 14. 28. & 16. 7.

33. Respondens autem Petrus, ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor (*y*).

34. Ait illi Jesus: * Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter (*z*) me negabis. * Marc. 14. 30. Joan. 13. 38.

35. Ait illi Petrus: * Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt. * Marc. 14. 31. Luc. 22. 33.

36. Tunc venit Jesus cum illis in villam (*aa*), quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem.

37. Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari, & mœstus esse.

38. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, & vigilate mecum.

39. Et

18. (*m*) Gr. *πρὸς τὸν δεῖνα*, *Ad certum quemdam*, cumque designaverat.

20. (*n*) Post occasum solis. *Discumbebat*. Romano more, qui a Persis ad Hebræos olim transierat. Nec lege constitutum erat, ut agnus a stantibus comederetur: discumbere etiam, vel accumbere dicimus, ad mensam cum aliis accedere.

21. (*o*) Post institutam Eucharistiam: Lucas rerum ordinem videtur servasse, Matthæus vero & Marcus anticipatione usi: in Græco, *cum edissent*: nam post cœnam agni hæc de proditore dixit Dominus.

23. (*p*) Judas prope Christum videtur accubuisse: unde & alii non audierunt, vel non attenderunt ad ea verba, *Tu dixisti*, vers. 25. Qui modus loquendi est Hebræis familiaris: voce summissa locutus est Dominus. S. Leo serm. 7. de Passione Domini: Ecce parcit auribus tuis Dominus, & nulli te nisi tibi indicat Christus; nec nomen tuum, nec persona detegitur; sed veritatis & misericordiæ verbo cordis tui tantum arcana tanguntur.

26. (*q*) Gr. *ἐσθιόντων*, *Cum ederent*: Tres fuisse cœnas plerique interpretes docent, esum agni admodum frugalem, cœnam communem, & Sacramenti sumptionem. *Benedixit*, Græce *εὐλογήσας*, *Cum benedixisset*, per gratiarum actionem, & invocationem Dei pro institutione tanti Sacramenti: unum pro altero usurpari solet, benedictio pro gratiarum actione: *Deditque discipulis suis*, id est, porrexit: nondum enim illum discipuli habebant in manibus, quando dixit: *Hoc est corpus meum*, &c. Quæ est oratio simul enuntiativa, & efficax ejus quod enuntiatur, enuntiatio nempe operatrix; ut si quis voluntate donandi dicat, hic est ager tuus; aut cum Dominus aquam convertit in vinum, si dixisset, hoc est vinum: tum enim vera est hujusmodi propositio, cum id fit, quod dicitur.

27. (*r*) Gr. *καὶ εὐχαριστήσας*, unde & dicta est *Eucharistia*, ob præviam gratiarum actionem.

28. (*s*) Quo sancitur novum Testamentum. Alludit ad hæc verba Exodi 24. *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum*. Sed cum eo discrimine, quod in veteri Testamento Deus promiserit se illis daturum terram Chananæorum, & Israelitæ sese obstrinxerint ad servandam legem Mosis: in novo Testamento Christus promittit æternam hæreditatem, nos vero ipsos de lege nova observanda obstringimus. *Effundetur*, Gr. *Effunditur*; Pro vobis Deo libatur & offertur. Potest etiam intelligi, effundetur in cruce. Illud vero ex perpetua & constanti Ecclesiæ traditione constat, Christum Dominum Eucharistiam non solum ut Sacramentum, sed etiam ut sacrificium instituisse, quod in Ecclesia pro vivis & mortuis semper oblatum est: *Ipse sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Sacerdotes constituit Apostolos qui alios sibi successuros ordinarent. His autem verbis a Luca relatis eos consecravit Sacerdotes, *Hoc facite in meam commemorationem*. Hanc fidem ut acceptam a Domino, Paulus Corinthiis, & alii Apostoli omnibus fidelibus tradiderunt.

29. (*t*) Quod nimirum fuit materia consecrationis: ex Lucæ narratione, qui rerum ordinem descripsit, de calice profano, non de consecrato ea verba intelliguntur. Cyrillus Lib. 7. in Levit. hinc colligit Christum non bibisse ex calice, quem discipulis propinavit. *Cum illud bibam vobiscum novum*, spiritale nempe & cæleste. Transit a significatione vini propria ad metaphoricam & figuratam, qualis futura est, cum nos inebriabit ubertate cælestis beatitudinis. Alii tamen per fructum vitis proprium Christi sanguinem intelligi oportere existimant, cum sit ipse vitis vera, idque futurum polliceatur, ut novum bibat cum discipulis, postquam resurrexerit. Verba quidem Lucæ 22. de legali calice, quem paterfamilias bibendum porrigebat accumbentibus, sunt intelligenda, cum ante consecrationem prolata fuerint, & ad Eucharistiæ mysterium præpararent Apostolorum animos, uti & hæc verba Christi, quæ ad agnum Paschalem referuntur: *Dico enim vobis*, &c. ad corporis sui consecrationem præparabant. Itaque negant viri docti utriusque Evangelistæ textus suis locis dimoveri oportere. Sic præparatis animis per agni Paschalis esum, & calicis legalis potum, ita ut non amplius cum discipulis vinum bibiturus esset, Eucharistiæ Sacramentum instituit. Siquidem per hæc verba: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, non absolute, sed cum restrictione loquitur, *de hoc genimine*, pronomen demonstrativum adhibens. Deinde certum præfigit tempus, cum ex illo bibiturus esset una cum discipulis suis: quod postea bibit, novum illud fuit, & incorruptum. Observat illud vir doctus Judæos *novum* appellare quidquid præcellit. Regnum Patris est status gloriæ, quem Christus post resurrectionem suam adeptus est.

30. (*u*) Erasmus vertit, *Cum hymnum cecinissent*. August. in Psalm. 72 docet de ratione hymni esse ut cantetur.

31. (*x*) Non solum fugiendo, sed etiam spem resurrectionis amittendo. *Percutiam pastorem*, Zachar. 13 *Percute Pastorem*: quod dicitur ad frameam Domini de qua illud præcessit: *Suscitare framea*.

33. (*y*) In eo peccat Petrus, quod Domino contradicat, quod se aliis præponat: ac de viribus suis nimium præsumat.

34. (*z*) Marcus cap. 14. *Priusquam gallus bis vocem dederit*: Joannes cap. 13. *Antequam gallus cantet, ter me negabis*: Ante gallicinium, paullo ante diluculum: tametsi etiam galli media nocte cantare solent: quod tempus non dicitur gallicinium.

36. (*aa*) Gr. *εἰς χωρίον*, in locum, seu in prædium ad radices montis Oliveti positum.

39. Et progressus pusillum, procidit in fa-
ciem suam, orans, & dicens: Pater mi, si pos-
sibile (*bb*) est, transeat a me calix iste: verum-
tamen non sicut ego volo, sed sicut tu.
40. Et venit ad discipulos suos, & invenit
eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potui-
stis una hora vigilare mecum?
41. Vigilate, & orate ut non intretis in ten-
tationem. Spiritus quidem promptus (*cc*) est,
caro autem infirma.
42. Iterum secundo abiit, & oravit, dicens:
Pater mi, si non potest hic calix transire nisi
bibam illum, fiat voluntas tua.
43. Et venit iterum, & invenit eos dormien-
tes: erant enim oculi eorum gravati.
44. Et relictis illis, iterum abiit, & oravit
tertio, eumdem sermonem dicens.
45. Tunc venit ad discipulos suos, & dicit
illis: Dormite (*dd*) jam, & requiescite: ecce ap-
propinquavit hora, & Filius hominis tradetur
in manus peccatorum.
46. Surgite eamus: ecce appropinquavit qui
me tradet.
* Marc.14. 47. * Adhuc eo loquente, ecce Judas unus
Luc. 22.47. de duodecim venit, & cum eo turba multa
Joan. 18. 3. cum gladiis, & fustibus, missi a principibus
sacerdotum, & senioribus populi.
48. Qui autem tradidit eum, dedit illis si-
gnum, dicens: Quemcumque osculatus fuero,
ipse est, tenete eum.
49. Et confestim accedens ad Jesum, di-
xit (*ee*): Ave Rabbi. Et osculatus est eum.
50. Dixitque illi Jesus: Amice, ad quid ve-
nisti? Tunc accesserunt, & manus injecerunt in
Jesum, & tenuerunt eum.
51. Et ecce unus ex his, qui erant cum Je-
su, extendens manum, exemit gladium suum,
& percutiens servum principis sacerdotum am-
putavit auriculam ejus.
52. Tunc ait illi Jesus: Converte gladium
* Gen. 9. 6. tuum in locum suum. * Omnes enim, qui ac-
Apoc 13.10. ceperint gladium (*ff*), gladio peribunt.
53. An putas, quia non possum rogare pa-
trem meum, & exhibebit mihi modo plusquam
duodecim legiones Angelorum?
54. Quomodo ergo implebuntur Scripturæ,
quia sic oportet fieri?
* Is 53 10. 55. * In illa hora dixit Jesus turbis: Tam-
quam ad latronem existis cum gladiis, & fusti-
bus comprehendere me: quotidie apud vos se-
debam docens in templo, & non me tenuistis.
56. Hoc autem totum factum est, * ut adim- * Thren.4.
plerentur Scripturæ prophetarum. Tunc disci- 20.
puli omnes *, relicto eo, fugerunt. * Marc.14.
57. At illi tenentes Jesum, * duxerunt ad Cai- 50. * Luc. 22.
pham (*gg*) principem sacerdotum, ubi Scribæ 54.
& seniores convenerant. Joan.18.24.
58. Petrus autem sequebatur eum a longe,
usque in atrium principis sacerdotum. Et in-
gressus intro, sedebat cum ministris, ut vide-
ret finem.
59. Principes autem sacerdotum, & omne
concilium quærebant falsum testimonium con-
tra Jesum, ut eum morti traderent:
60. Et non invenerunt, cum multi falsi te-
stes (*hh*) accessissent. Novissime autem venerunt
duo falsi testes,
61. Et dixerunt: Hic dixit? * Possum de- * Joann. 2.
struere templum Dei, & post triduum reædifi- 19.
care illud.
62. Et surgens princeps sacerdotum, ait illi:
Nihil respondens ad ea, quæ isti adversum te
testificantur?
63. Jesus autem tacebat (*ii*). Et princeps
sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum,
ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei.
64. Dixit illi Jesus: Tu dixisti: verumta-
men dico vobis, * amodo videbitis (*kk*) Fi- * Sap. 16.
lium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, 27.
& venientem in nubibus cæli. Rom 14 10.
65. Tunc princeps sacerdotum scidit vesti- 1. Thess. 4. 15.
menta sua, dicens: Blasphemavit: quid adhuc
egemus testibus? ecce nunc audistis blasphe-
miam:
66. Quid vobis videtur? At illi responden-
tes dixerunt: Reus est mortis.
67. * Tunc exspuerunt (*ll*) in faciem ejus, * Is 50. 6.
& colaphis eum ceciderunt, alii autem pal- Marc. 14
mas in faciem ejus dederunt, 65.
68. Dicentes: Prophetiza nobis, Christe,
quis est qui te percussit?
69. * Petrus vero sedebat foris in atrio (*mm*): * Luc. 22.
& accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu 55.
cum Jesu Galilæo eras. Joann. 18.
70. At ille negavit coram omnibus dicens: 17.
Nescio (*nn*) quid dicis.

71. Exeun-

39 (*bb*) Lucæ 22. Christus sciebat conditionem non subsi-
stere, sed voluit sic orare institutionis & consolationis nostræ causa: neque inefficax illud desiderium non moriendi, aut declaratio naturalis desiderii, pugnat cum efficaci voluntate moriendi. *Verumtamen non sicut ego volo*, desiderio naturali: *Sed sicut tu*, id volo voluntate rationali & deliberata, quæ semper est divinæ voluntati conformis, & naturali desiderii voluntati perfecte dominatur. Unde nulla est inter utramque pugna; nec voluntas illa desiderii naturalis erat absoluta, sed tantum conditionalis. Naturæ ipsius sensum & carnis innoxiæ, ut a morte tam acerba immunis esset, Patri exponit: sed divinæ voluntati suam statim subjicit.

41. (*cc*) Quamvis sitis prompto & alacri animo ad subeunda mortis pericula, caro tamen est imbecilla, ac proinde vobis necessarium est orationis præsidium.

45. (*dd*) *Dormite jam:* si potestis: nam statim erant excitandi. Alii legunt per interrogationem: An dormitis?

49. (*ee*) Ex usu Judæorum osculo se invicem salutabant: Lucæ 7. *Osculum mihi non dedisti*.

51. (*ff*) Privata auctoritate, ii mori debent, ex lege sancita Genes. 9. mortis rei sunt. Id fecit Petrus per modum defensionis, sed non expectato Domini responso, cujus forte silentium pro consensu accipiebat. Verba autem illa: *Omnes enim qui acceperint gladium*, sic intelligenda sunt, ut Deo, aut hominibus dent pœnas, & sæpissime violenta morte pereant qui privata auctoritate humanum fundit sanguinem.

57 (*gg*) Prius ad Annam Caiphæ socerum duxerunt, quem ille ad Caipham misit.

60 (*hh*) Qui eo animo venerant, ut Christum perderent, & verba ejus immutabant: quodque de templo corporis sui dixerat, ad templum ipsum materiale prave detorquent: Joann. 2 *Solvite templum hoc*, id est, si solveritis, *in tribus diebus excitabo illud*; quod utique objectum fuit in primis Christo, ut exosus plebi fieret

63. (*ii*) Nam sciebat nihil profuturam responsionem. *Adjuro te:* Christus ob Patris reverentiam silentium abrumpit.

64. (*kk*) In extremo judicio: *A dextris virtutis Dei*, Ad dexteram Dei omnipotentis.

67 (*ll*) Gravissimum ignominiæ genus, ex Num. cap. 12. vers. 14. usitatum.

69. (*mm*) Joannes cap. 18. vers. 25. ait eum stetisse: utrumque verum est: ad ignem, ut fit, modo stans, modo sedens, una cum servis & ministris.

70 (*nn*) Non intelligo quid dicas: quæ fuit prima negatio. Ancilla ostiaria quæ illum introduxerat, ad lumen eum videns interrogavit obiter, & quasi aliud agens, ex Luca: *Numquid & tu ex discipulis es hominis istius?* Quod & postea confirmavit, ex Matthæo & Marco: *Et tu cum Jesu Galilæo eras*. Petrus se eum nosse negavit primo: tum exiit ex atrio, non e domo; Marcus, *ante aulam*, id est, in atrii vestibulum, tumque gallus primum cantavit circa mediam noctem: nisi forte post secundam negationem, aut paullo ante gallus cantaverit: nam ex Marco, jam Petrus vestibulum domus ingressus fuerat.

71. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla (*oo*), & ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Jesu Nazareno.

72. Et iterum negavit cum juramento: Quia non novi hominem.

73. Et post pusillum (*pp*) accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Vere & tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit.

74. Tunc cœpit detestari (*qq*), & jurare quia non novisset hominem. Et continuo gallus cantavit.

75. Et recordatus (*rr*) est Petrus verbi Jesu, quod dixerat: Prius quam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amare.

CAPUT XXVII.

Judas misere perit. Jesus coram Pilato sistitur. Barabbas ei præfertur. Jesus flagellatur, spinis coronatur, crucem portat; vestimenta ejus divisa: crucifigitur cum latronibus.

1. MAne autem facto, consilium inierunt (*a*) omnes principes sacerdotum, & seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent.

* Marc. 15. 1. Luc. 23. 1. Joann. 18. 28. 2. * Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi.

3. Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset; pœnitentia (*b*) ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus,

4. Dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris.

5. Et projectis argenteis in templo, recessit: * & abiens laqueo se suspendit (*c*). * Act. 1. 18.

6. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam (*d*): quia pretium sanguinis est.

7. Consilio autem inito, emerunt (*e*) ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.

8. * Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama (*f*), hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem. * Act. 1. 19.

9. Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam (*g*) prophetam, dicentem: * Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel: * Zach 11. 13.

10. Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

11. Jesus autem stetit ante præsidem, * & interrogavit eum præses, dicens: Tu es Rex Judæorum? Dicit illi Jesus: Tu dicis (*h*). * Marc. 15. 2. Luc. 23. 3. Joann. 18. 33.

12. Et cum accusaretur a principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit.

13. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adversum te dicunt testimonia?

14. Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer.

15. Per diem autem solemnem consueverat præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent.

16. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas.

17. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barabbam (*i*), an Jesum, qui dicitur Christus?

18. Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum.

19. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi, & justo illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum.

20. * Prin-

71. (*oo*) Et alii quidam, ex Luca: & ait ancilla circumstantibus: *Et hic erat cum Jesu Nazareno.* Quidam verbis ancillæ moti Petrum ad ignem reversum interrogaverunt: *Numquid tu ex discipulis ejus es?* ex Joanne, cum urgeretur Petrus.

73. (*pp*) Alius affirmabat eum cum Jesu vere fuisse, Lucæ 22. 59. alii qui itidem adstabant, id ipsum ex ejus loquela confirmabant, & cognatus Malchi in primis, ut refert Joannes; is tamen ignorabat cæsum fuisse a Petro cognatum; id enim illi objecisset.

74. (*qq*) Gr. Mala imprecari, mendacio adjiciens perjurium.

75. (*rr*) Jesus respexit Petrum, cor ejus ad pœnitentiam movendo.

CAPUT XXVII. 1. & 2. (*a*) Cum de crimine, cui judicium mortis erat addictum, agebatur: si ad legem Mosis id pertineret, de illo judicium ferre poterant; sed executioni illud mandare citra præsidis authoritatem non licebat. Jam utique statuerant Christum occidere, sed mane facto, de mortis genere & modo deliberant; præterquam aliquam juris formulam servare voluerunt, ne judicium illud de nocte factum, violentæ potius & tumultuosæ necis speciem, quam veri judicii formam habere videretur. Unde mane in templum convenerunt, ubi Synedrium erat congregatum.

3. (*b*) Hic forte speraverat fore ut Jesus aliquo miraculo Sacerdotum consilium eluderet. *Pœnitentia ductus*, sed infructuosa, non salutari, vel ex eo maxime, quod esset spe veniæ & amore Dei destituta: nam, ut pulchre S. Leo: *Nihil præter suum facinus cogitabat, habens mœrorem, non quo fides vera justificatur, sed quo conscientia impura torquetur.* Infidelis sæpe ex conscientiæ stimulo dolet, idque maxime, si hominem innocentem & de se optime meritum insigni injuria affecerit. Cum essent in templo congregati, argenteos projecit ante pedes ministrorum. Atque longe est probabilius factum fuisse ante mortem Christi: non enim ait Evangelista Judam vidisse quod Christus esset mortuus, sed damnatus, scilicet in concilio Judæorum. Atque ex hoc Judæ facto colligitur, Synedrion, cui præerat Anna, in templo fuisse coactum.

5. (*c*) Petrus Actor. 1. id supplet quod deest narrationi Matthæi. & hujus facti finem exprimit, cujus initium Matthæus enarravit.

6. (*d*) Corban קרבן. Hebr. & Syr. donum sacrum significat: eaque vox ad gazophylacium, ubi sacra dona erant reposita, translata est.

7. (*e*) Illud admodum verisimile est, hoc factum fuisse post mortem Christi: ager autem ille exigui fuit pretii, quod exhaustus esset & inutilis prorsus.

8. (*f*) Suspicatur Mariana, hanc vocem ex Actor. 1. insertam fuisse narrationi Matthæi, cum desit in exemplaribus Græcis & Syriacis: *Usque in hodiernum diem;* Perpetuo vocatus est, quasi monimentum publicum iniquitatis.

9. (*g*) Plerique putant *Jeremiæ* nomen loco *Zachariæ*, cujus hoc est vaticinium cap. 11. incuria exscriptorum irrepsisse; alii nec Jeremiam, nec Zachariam ab Evangelista nominatum, sed ut plerumque alias, scriptum esse per *Prophetam dicentem.* Sic legitur in textu Syriaco. & quidam codices olim ita habuerunt, ex Augustin. Lib. 3. de consensu Evangelistarum cap. 7. Alii id prius dictum esse a Jeremia volunt. Sed pro Zacharia scribas posuisse Jeremiam verisimilius est, quod apud eum cap. 32. vers. 9. fiat venditi agri mentio; cumque in translatione LXX. vix ullum hujus testimonii vestigium reperirent. *Quem appretiaverunt*, seu æstimaverunt: *Sicut præcepit mihi Dominus*, ut figura esset ejus quod aliquando futurum erat in passione Christi: adeo ut Zacharias hac in re fuerit typus Christi Domini, cujus pretium datum est figulo. Ac semper exstiterunt codices, quibus nomen *Jeremiæ* deest, neque in Syriacis illud occurrit. Fieri etiam potest, ut compendiaria scriptione pro *Ζρίου*, facta sit *Ἰρίου* lectio; aut quod videtur Sanctio, pars Prophetiæ extet apud Jeremiam, unde solum Jeremiam Matthæus citaverit, quod in aliis Evangelistis occurrit. Hujus vero Prophetiæ sensum magis quam verba reddidit Evangelista.

11. (*h*) Hebraismus, Vere dicis: sed hoc ipsum interpretatur apud Joannem. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Interrogationibus a Pilato identidem repetitis sic Christus suas aptavit responsiones, ut quæ vera erant, licet Judæis odiosa, fateretur; calumnias judicio præsidis relinqueret; quæ ad caussam nihil pertinebant, silentio involveret.

17. & 19. (*i*) Sceleratum, an innoxium. *Hodie;* Somnium terroribus plenum Deus huic mulieri injecerat, non ut Jesum a morte eximeret, sed ut ejus innocentiam hoc testimonio comprobaret.

* Marc. 15. 11. Luc. 23. 18. Joan. 18. 40. Act. 3. 14.

20. * Principes autem sacerdotum, & seniores persuaserunt populis ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent.

21. Respondens autem præses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barabbam.

22. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?

23. Dicunt omnes: Crucifigatur (*k*). Ait illis præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur.

24. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus: vos videritis.

25. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.

26. Tunc dimisit illis Barabbam: Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.

* Marc. 15. 16. Ps. 21. 17.

27. Tunc milites præsidis suscipientes Jesum in prætorium, * congregaverunt ad eum universam cohortem:

28. Et exeuntes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei,

* Joann. 19. 2.

29. * Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave rex Judæorum.

30. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebat caput ejus.

31. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis ejus, & duxerunt eum ut crucifigerent.

* Marc. 15. 21. Luc. 23. 26.

32. * Exeuntes autem invenerunt hominem (*l*) Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus.

* Marc. 15. 22. Luc. 23. 33. Joann. 19. 17.

33. * Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus.

34. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere.

* Marc. 15. 24. Luc. 23. 34. Joann. 19. 23. * Ps. 21. 19.

35. Postquam autem crucifixerunt (*m*) eum, * diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes: ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: * Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

36. Et sedentes servabant eum.

37. Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: HIC EST JESUS REX JUDÆORUM.

38. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones: unus a dextris, & unus a sinistris.

39. Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua,

40. Et dicentes: * Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas? salva temetipsum: si Filius Dei es, descende (*n*) de cruce. * Joan. 2. 19.

41. Similiter & principes sacerdotum illudentes cum Scribis & senioribus dicebant:

42. Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: * si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: * Sap. 2. 18.

43. * Confidit in Deo: liberet nunc, si vult (*o*) eum: dixit enim: Quia Filius Dei sum. * Ps. 21. 9.

44. Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.

45. A sexta (*p*) autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam.

46. Et circa horam nonam clamavit (*q*) Jesus voce magna, dicens: * Eli, Eli, lammasabacthani? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? * Ps. 21. 2.

47. Quidam autem illic stantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iste.

48. Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam (*r*) implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.

49. Ceteri vero dicebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum.

50. Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.

51. * Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, & terra (*s*) mota est, & petræ scissæ sunt, * 2. Par. 3. 14.

52. Et monumenta aperta (*t*) sunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.

53. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.

54. Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræmotu & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste.

55. Erant

---

23. 25 26 27. & 28 (*k*) Quod supplicium erat Romanis usitatum adversus seditiosos. *Super nos*, Mors ejus vindicetur in nos, & filios nostros, si hic est innocens: quæ ultio est consecuta. *Flagellatum*, more Romanorum *Universam cohortem*, Cohors erat pars decima legionis. *Chlamydem*, Vestis erat regia & militaris, ut verisimillimum est, valde detrita.

32. & 34 (*l*) Rusticum, vox Syriaca oppidum, aut villam significat. *Vinum*. Myrrhatum, ait Marcus, nempe amarum valde, & forsan absynthio, immo & felle mistum: Græc. *ὄξος μετὰ χολῆς*, acetum forte, aut vinum evanidum myrrha dilutum.

35. (*m*) Quatuor clavis affixerunt; non enim ligabant pedes & manus, sed figebant, suppedaneo subjecto. Plautus in Mostellaria actu 2. Ego dabo ei talentum primus qui in crucem excurrerit, sed ea lege, ut affigantur bis pedes, bis brachia. Cum hæc verba, *Ut impleretur*, desint in plerisque MSS. Græcis, multi existimant ex Joann c. 19 ea esse desumpta. *Diviserunt sibi vestimenta ejus*; nudus adeo crucifixus est, & impleta est Prophetia Psalmi 21. & Isaiæ 53. *Et cum iniquis deputatus est*.

40. (*n*) Non fecit quod petebant, ut nos salvos faceret, & majus aliquid facturus erat e sepulcro surrecturus. Quin etiam si de cruce descendisset, non propterea credidissent, cum non crediderint resurgenti, & tot miraculis in cruce factis.

43. (*o*) Græc. *Si diligit eum*. *Latrones*, sub initium fortasse, aut per syllepsim pluralis numerus pro singulari usurpatur.

45. (*p*) In ipso meridie: *Super universam terram*, cujus rei meminit Phlegon Adriani libertus apud Eusebium.

46. (*q*) Voce magna: ut palam faceret se sua voluntate mori: *Eli, Eli, lemmasabacthani*, quod est initium Psalmi 21. ut omnes intelligerent Psalmum integrum ad se pertinere. Vulgari idiomate hæc verba Jesus protulit: quem nec milites qui aderant, nec Judæi peregrini, seu Hellenistæ intelligebant. *Eli* אלי *Lamma* למא, *Sebach* שבק, voces illæ erant Syriacæ, non Hebraicæ, quales sunt in Psalmo 21.

48. (*r*) Quam arundini imposuit, ut vitam ejus produceret, expectans an veniret Elias ad deponendum eum.

51. (*s*) *Toto orbe*: ut de Bithynia testatur Phlegon apud Eusebium. Et *velum*, quod erat ante propitiatorium, magno argumento Judaicas cæremonias & sacrificia cessasse, velamen legis sublatum, cælum antea clausum per Christi mortem esse apertum.

52 (*t*) Non veterum Sanctorum, qui agniti non fuissent, sed eorum qui in Christum crediderant, nec ita pridem mortui fuerant, quique post resurrectionem Christi multis apparuerunt. Erant apud Judæos sepulcra communia, quæ apertæ sunt in morte Christi: post resurrectionem quidam ex iis, qui fideles erant, multis apparuerunt ingressi civitatem.

55. Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa, ministrantes ei:

56. Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi & Joseph (*u*) mater, & mater filiorum Zebedæi.

* Marc.15. 42. Luc.23.50. Joan.19.38. 57. * Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa (*x*), nomine Joseph, qui & ipse discipulus erat Jesu.

58. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus.

59. Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda.

60. Et posuit illud in monumento suo novo (*y*), quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit.

61. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum.

62. Altera autem die, quæ est post Parasceven, convenerunt principes sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum,

63. Dicentes: Domine, recordati (*z*) sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam.

64. Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium: ne forte veniant discipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit a mortuis: & erit novissimus error pejor priore.

65. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis.

66. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.

CAPUT XXVIII.

Christi resurrectio, custodibus perterritis, & revoluto lapide ab Angelo. Apparitio Angelorum sanctis mulieribus; Jesus undecim Apostolis se videndum præbet, Baptismum instituit, ac pollicetur se Ecclesiæ semper affuturum.

1. VEspere (*a*) autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. Marc.16.1. Joann. 20. 1.

2. Et ecce terræmotus factus (*b*) est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum.

3. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur: & vestimentum ejus sicut nix.

4. Præ timore autem ejus exterriti (*c*) sunt custodes, & facti sunt velut mortui.

5. Respondens autem Angelus dixit mulieribus (*d*): Nolite timere vos: scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis:

6. Non est hic: surrexit enim, sicut dixit, venite, & videte locum, ubi positus erat Dominus.

7. Et cito euntes dicite discipulis ejus quia surrexit: & ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis: ecce prædixi (*e*) vobis.

8. Et exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus (*f*).

9. Et ecce Jesus occurrit (*g*) illis, dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.

10. Tunc

---

56. (*u*) Gr. Ἰωσῆ. Jose; *Mater filiorum Zebedæi*, quæ a Marco *Salome* appellatur: ut Maria mater Jacobi minoris, Maria Cleophæ.

57. (*x*) Quidam putant esse Ramatha patriam Samuelis.

60. (*y*) Quare in novo? Resp. Ambrosius scribens in Lucam: Ne alius suscitatur a perfidis diceretur

63. & 64. (*z*) Joann. 2. *Solvite templum hoc*. Vel ex fama ab Apostolis sparsa recordati sunt Judæi non fide, sed metu inducti. *Pejor priore*. Firmior ex resurrectionis persuasione.

CAPUT XXVIII. 1. (*a*) Gr. *Sero Sabbatorum*, dies hebdomadæ, dies Sabbatorum dicuntur. Itaque sub finem hebdomadæ, vel *vespere*, id est, de nocte, *quæ lucescit in prima Sabbati*, sub finem noctis: Gr. *illucescente*, nimirum die, *in primam Sabbatorum*, seu in primam hebdomadæ diem: vel illucescente diluculo in prima Sabbati. *Et altera Maria*, Ambros. Lib. 3. de virginitate, existimat eam fuisse Matrem Domini. Alii matrem Jacobi esse censent, ex Luca cap 24 10. Matthæus duas tantum commemorat, Marcus his addit Mariam Salome; Lucas hoc pietatis officium iis tribuit mulieribus, quæ a Galilæa secutæ erant Jesum. Habita ratione temporis, quo profectæ sunt, nulla est inter Evangelistas dissensio. Matthæus eas advenisse *nocte Sabbatorum*, ut dictum est, aut exacto die Sabbati: Joannes, *cum adhuc tenebræ essent*, quod de profectione earum est intelligendum: ex Luca & Marco profectæ sunt valde mane: Marcus addit eas advenisse: *orto jam sole*, nempe jam de die.

2. (*b*) Factus fuerat. *Descendit*, Descenderat, ut veritatem resurrectionis demonstraret, & sanctis mulieribus aditum ad sepulcrum pararet. Nam Christus e sepulcro clauso, ex omnium SS. Patrum consensu resurrexit.

4. (*c*) Non Christo resurgente: neque enim congruum erat, ut impia illa militum turba Christum gloriose resurgentem primum videret: sed Angelo viso, & terræ motu sunt exterriti, quasi viso spectro.

5. (*d*) Quæ ex Marco ingressæ erant monumentum, seu anteriorem cryptam: nam duplici crypta sepulcrum constabat.

7. (*e*) Marcus, *Sicut dixit vobis*: Matth. εἶπον, dixi, forte pro εἶπεν. dixit; non enim Angelus prædixerat. *Præcedit*, Mox præcessurus est.

8. (*f*) A monumento redeuntibus. Voluit Dominus resurrectionem primum discipulis innotescere per mulieres, ut haberent caussam dubitandi & explorandi antequam crederent, & per illorum dubitationem fides resurrectionis magis in nobis firmaretur: quæ autem viderant piæ mulieres, ad Apostolos referunt. Summa est, *Angelum descendisse*; duos esse visos Angelos scribunt Lucas & Joannes: sed Matthæus & Marcus illius tantum meminere, qui mulieres est allocutus. Et quidem ea est commoda rem omnem, ut gesta fuit, disponendi ratio, quam Auctor Analyseos Gallice sic exponit: Cum mulieres ad sepulcrum venissent, & intrassent, neminem viderunt; nam Angelus qui super lapidem sedebat, sit se manifestum non fecit. Ingressæ in monumentum, & non invento Christi corpore, quid agerent, incertæ prorsus erant. Maria Magdalene, relictis aliis ad sepulcrum, cucurrit ad Petrum & Joannem, ut legimus Joann. 20. Alio translatum corpus existimabat. Tum exiit Petrus cum Joanne, & ambo venerunt ad monumentum, quos secuta est Maria: illi sudarium & linteamina separatim posita invenerunt, tum domum rediere relictis mulieribus: Maria longius in hortum progressa, si forte locum ubi corpus Domini abscondissent, inveniret. Aliæ mulieres paullo post exeuntes, in priori spelunca, seu in vestibulo offenderunt Angelos. Maria postquam frustra quæsiisset corpus Christi, rediit ad monumentum, cum aliæ mulieres jussu Angelorum ad Apostolos nuntiatum ivissent, quæ ab Angelis acceperant. Cum Maria inclinata vidisset Angelos, existimavit hos esse homines eo missos, postquam ipsa egressa fuerat. Cum reverteretur, vidit Jesum, quem hortulanum esse credidit cum aliæ mulieres essent adhuc in via.

9. (*g*) Maria interim superveniens, earum testimonio suum quoque adjecit. Sic omnia sibi constant: obscurior autem visa est rei gestæ historia, quod citius quam par esset, Angelos mulieribus apparuisse, & Magdalenam semper cum iis fuisse plerique existimarunt. Sed expectato reditu ejus ad sepulcrum, res suo quæque ordine rite disponuntur. Alii paullo aliter seriem ipsam narrationis perterunt: consensus quidem Evangelistarum non minus est perspicuus ingressus mulieribus in sepulcri anterius cubiculum; Angelus specie juvenis apparuit, quia ita illas est affatus: *Nolite timere*, Matth. vers. 5. & sequentibus: cum autem in sepulcrum ipsum intro euntes corpus Domini non invenirent, in ipso egressu duos viderunt Angelos lumine fulgentes, qui illas sic affati sunt, ut habemus Lucæ 24. 6. tum ex metu & gaudio concussæ cito abierunt Jerosolymam, quæque viderant & audierant Apostolis narravere; Et *visa sunt ante illos sicut deliramentum*, Lucæ 24. Ex cap. 20. 2. Joannis, Maria Magdalene venit ad Petrum & Joannem, tum ambo Apostoli occurrerunt, eaque rursus ad monumentum rediit orto jam sole, ubi vidit duos Angelos sedentes in sepulcro, qui eam rogarunt cur fleret: tum ea e specu egressa Jesum vidit, quem hortulanum putabat. Unde Marcus, cap. 16. ait Jesum apparuisse primo Mariæ Magdalenæ, tum aliis mulieribus, vel prope sepulcrum, vel in via.

10. Tunc ait illis Jesus: Nolite timere: ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.

11. Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia, quæ facta fuerant.

12. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus,

13. Dicentes: Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus,

14. Et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus.

15. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos, usque in hodiernum diem.

16. Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam (*h*) in montem, ubi constituerat illis Jesus.

17. Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt (*i*).

18. Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas (*k*) in cælo & in terra.

19. * Euntes ergo docete (*l*) omnes gentes: * Marc. 16. 15.
baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti:

20. Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis: Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.

16. (*h*) Ea videtur solemnis apparitio, in qua visus est plus quingentis fratribus, 1. Cor. 15. 6.

17. (*i*) Vel est enallage, pluralis numerus pro singulari; vel alii ab Apostolis dubitaverunt.

18. (*k*) Super omnem Ecclesiam: *Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*, Ephes. 1. 22. Data quidem illi est potestas, *& constitutus est rex super Sion montem sanctum ejus*, in ipsa Incarnatione, *cum Verbum caro factum est*; tum enim rex & sacerdos fuit constitutus. Sed executio utriusque potestatis in opportunum tempus dilata est. Atque hujus potestatis participes fecit Apostolos, & ejus successores, non regni temporalis, quod regnum Pilato dixit non esse de hoc mundo.

19. & 20. (*l*) Apostolicas functiones his verbis complectitur; potestatem docendi non solum quæ ad fidem, sed etiam quæ ad mores pertinent: *Omnia quæcumque mandavi vobis*, ut administrationem Sacramentorum, quorum primum & maxime necessarium est Baptismus. *In nomine Patris*, in virtute, efficacia, auctoritate, ut Marci 16. *In nomine meo ejicient dæmonia*, Græc. εἰς τὸ ὄνομα, in nomen Patris, adscribentes eorum numero: Et incorporantes eos, qui SS. Trinitatis fidem profitentur; idque invocato nomine Patris, &c. Quæ est forma Apostolis usitata. *Et ecce ego vobiscum sum*: adest in Ecclesia perpetua successio & promissio, qua se adfuturum Ecclesiæ ad finem usque mundi pollicetur. Quæ promissio Synagogæ numquam facta fuit. Promissio est absoluta, non ex conditione suspensa: hæc cum ad fidei integritatem, tum ad vitæ sanctitatem pertinet, cum utraque ad salutem sit necessitia.



SAN-

SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM.

MARCUS Petri discipulus Romæ scripsit Evangelium, quod Petrus approbavit, ut Lib. 13. cap. 7. Historiæ Ecclesiasticæ testatur Eusebius. Veteres pene omnes in eadam fuerunt sententia, ea scripsisse, quæ a Petro, & ab aliis accepit Apostolis. Marcus, *ait Irenæus*, Interpres & sectator Petri, Evangelium suum a prædicatione Joannis incipit. *Hoc enim illi erat propositum, ut acta Jesu Christi enarraret, ex quo Dominus ministerium suum obire cœpit. Latine, an Græce scripserit, incertum est. Alius est a Marco, qui Act. 12. vocatur Joannes. Missus est a Petro Alexandriam, cujus per 19. annos rexit Ecclesiam.*

CAPUT PRIMUM.

Marcus a prædicatione Joannis suum orditur Evangelium. Jesus ab eo baptizatus in desertum se recipit, ubi post quadraginta dierum jejunium tentatur a diabolo. Tum Joanne in carcerem conjecto prædicat regnum Dei in Galilæa. Petrum & Andream, Jacobum & Joannem vocat ad Apostolatum; ejicit dæmones, & varios sanat languores.

1. INITIUM (*a*) Evangelii Jesu Christi, Filii Dei.
2. Sicut scriptum est in Isaia propheta: * Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. [* *Mal.* 3. 1.]
3. * Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. [* *Isai.* 40. 3. *Matth.* 3. 4. *Luc.* 3. 4. *Joann.* 1. 23.]
4. Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ (*b*) in remissionem peccatorum.
5. * Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, & Jerosolymitæ universi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. [* *Matth.* 3. 5.]
6. * Et erat Joannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos ejus, & * locustas & mel silvester edebat. Et prædicabat dicens: [* *Matt.* 3. 4. * *Levit.* 11. 22.]
7. * Venit fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. [* *Matth.* 3. 11. *Luc.* 3. 16. *Joann.* 1. 27. * *Act.* 1. 5. & 2. 4. & 11. 16. & 19. 4.]
8. * Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.
9. Et factum est: in diebus illis venit Jesus a Nazareth Galilææ: & baptizatus est a Joanne in Jordane.
10. Et statim ascendens de aqua, vidit cælos apertos, & * Spiritum tamquam columbam descendentem, & manentem in ipso. [* *Luc.* 3. 22. *Joan.* 1. 32.]
11. Et vox facta est de cælis: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.
12. * Et statim Spiritus expulit (*c*) eum in desertum. [* *Matt.* 4. 1. *Luc.* 4. 1.]

13. Et

CAPUT I. 1. & 2. (*a*) Hic titulus Libri videtur esse, cujus hæc est sententia: *Hoc Evangelium*, seu Evangelica prædicatio incipit ab eo loco, quod scriptum est in Isaia Propheta; vel prædicatio Evangelica hoc habuit principium, quod Prophetæ, Isaias nimirum & Malachias habiturum esse prædixerant. Nam quæ referuntur verba in Isaia & in Malachia occurrunt. Unde Græci codices habent, In Prophetis. Pars prior est Malachiæ: *Ego mitto Angelum meum*, &c. Pars posterior Isaiæ, quem solum codices Latini nominant, quod vis probationis præcipue his verbis contineatur: *Vox clamantis in deserto*, quæ ex cap. 40. Isaiæ desumuntur. Suspicatur Mariana has voces *in Prophetis*. *Et in Isaia* ex margine transiisse in contextum, quod codex Gothicus & vetus, quo utebatur, hoc tantum habeat, *Sicut scriptum est*. Sed utriusque Prophetæ testimonium cum idem sit, potuit illi Prophetæ attribui, qui antiquior est tempore, Isaiæ nimirum.

4. (*b*) Ut peccatorum remissionem consequerentur per Christum, per Baptismum cum pœnitentia conjunctum, nimirum una cum peccatorum confessione, & actionibus exterioribus pœnitentiæ.

12. (*c*) Non vim, sed efficaciam Spiritus, quo agebatur, designat.

13. Et erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: & tentabatur a satana, eratque cum bestiis, & Angeli ministrabant illi.

* Matth. 4. 12 Luc. 4. 14. Joan. 4. 43. 14. * Postquam autem traditus est Joannes venit Jesus in Galilæam, prædicans Evangelium regni Dei,

15. Et dicens: Quoniam impletum est tempus (*d*), & appropinquavit regnum Dei: pœnitemini, & credite Evangelio.

* Matth. 4. 18. Luc. 5. 2. 16. * Et præteriens secus Mare Galilææ, vidit Simonem, & Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare, (erant enim piscatores,)

17. Et dixit eis Jesus: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.

18. Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum.

19. Et progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, & ipsos componentes retia in navi:

20. Et statim vocavit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum.

* Matth. 4. 13. Luc. 4. 31. 21. * Et ingrediuntur Capharnaum: & statim sabbatis ingressus in synagogam, docebat eos.

* Matth. 7. 28. Luc. 4. 32. 22. * Et stupebant super doctrina ejus: erat enim docens eos, quasi potestatem habens (*e*), & non sicut Scribæ.

* Luc. 4. 33. 23. * Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamavit,

24. Dicens: Quid nobis & tibi Jesu Nazarene: venisti perdere nos? scio qui sis, Sanctus Dei.

25. Et comminatus est ei Jesus, dicens: Obmutesce, & exi de homine.

26. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna exiit ab eo.

27. Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes: Quidnam est hoc? Quænam doctrina hæc nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei.

28. Et processit rumor ejus statim in omnem regionem Galilææ.

* Matth. 8. 14. Luc. 4. 38. 29. * Et protinus egredientes de synagoga, venerunt in domum Simonis & Andreæ, cum Jacobo & Joanne.

30. Decumbebat autem socrus Simonis febricitans: & statim dicunt ei de illa.

31. Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus: & continuo dimisit eam febris, & ministrabat eis.

32. Vespere autem facto cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes:

33. Et erat omnis civitas congregata ad januam.

34. Et curavit multos (*f*), qui vexabantur

* Luc. 4. 41. variis languoribus, * & dæmonia multa ejiciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.

35. Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.

36. Et prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant.

37. Et cum invenissent eum, dixerunt ei: Quia omnes quærunt te.

38. Et ait illis: Eamus in proximos vicos & civitates, ut & ibi prædicem: ad hoc enim veni.

39. Et erat prædicans in synagogis eorum, & in omni Galilæa, & dæmonia ejiciens.

40. * Et venit ad eum leprosus deprecans eum: & genu flexo dixit ei: Si vis, potes me mundare. * Matth. 8. 2. Luc. 5. 12.

41. Jesus autem misertus ejus, extendit manum suam: & tangens eum, ait illi: Volo: Mundare.

42. Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est.

43. Et comminatus est ei, statimque ejecit illum:

44. Et dicit ei: Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te principi sacerdotum, & offer pro emundatione tua, * quæ præcepit Moyses in testimonium illis. * Lev. 14. 2.

45. At ille egressus cœpit prædicare, & diffamare sermonem, ita ut jam non posset manifeste introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset, & conveniebant ad eum undique.

CAPUT II.

Christus sanat paralyticum, cujus primum peccata dimittit: Matthæum sedentem in telonio vocat: murmur Pharisæorum: spicæ velluntur a discipulis.

1. ET iterum intravit Capharnaum post dies, * Matth. 9. 1.
2. Et auditum est quod in domo esset, & convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam (*a*), & loquebatur eis verbum.

3. * Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui a quatuor portabatur. * Luc. 5. 18.

4. Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudaverunt tectum ubi erat: & patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat.

5. Cum autem vidisset Jesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua.

6. Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis:

7. Quid hic sic loquitur? blasphemat. * Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? * Job 14. 4. Isa. 43. 25.

8. Quo statim cognito Jesus spiritu suo (*b*), quia sic cogitarent intra se, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus vestris?

9. Quid

15. (*d*) A Prophetis prædictum, tempus nimirum adventus Messiæ.

22. 23. 24. & 25. (*e*) In docendi modo, & auctoritate cum miraculis conjuncta. *In spiritu immundo*; Qui ad libidines & spurcitias incitabat. *Scio qui sis*: Vehementer suspicabatur eum filium Dei esse; Gr. *Ille sanctus*, *Obmutesce*; Nolebat se mendacis dæmonis testimonio approbari.

34. 44. & 45. (*f*) Matth. 8. 16. Gr. *Omnes*: qui sese offerebant. *Principi*, Gr. *Sacerdoti*: nam jus illud erat cujuslibet Sacerdotis. *Nemini dixeris*. Hæc verba non sunt prohibentis, sed ad instructionem nostram dicta, ne quæramus humanam gloriam. *Diffamare*, est *publicare*.

CAP. II. 2. & 4. (*a*) Gr. *Nec quæ ad januam*; Loca caperent eos qui aderant. *Nudaverunt*: Gr. *Detexerunt*.

8. (*b*) Spiritu Sancto, aut suo, non alieno: nemo enim id illi renunciare potuit quod cogitabant. Quod magnum erat Divinitatis argumentum, aliorum cogitationes spiritu suo cognoscere.

9. Quid est facilius (c) dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata; an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula?

10. Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico)

11. Tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.

12. Et statim surrexit ille: &, sublato grabato, abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes: Quia numquam sic vidimus.

13. Et egressus est rursus ad mare: omnisque turba veniebat ad eum, & docebat eos.

* Matth. 9. 9. Luc. 5. 27. 14. * Et cum præteriret, vidit Levi (d) Alphæi sedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum.

15. Et factum est, cum accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores simul discumbebant cum Jesu & discipulis ejus: erant enim multi, qui & sequebantur eum:

16. Et Scribæ & Pharisæi videntes quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit Magister vester?

17. Hoc audito Jesus ait illis: Non necesse habent sani medico, sed qui male habent: * non enim veni vocare justos (e), sed peccatores.

* 1. Tim. 1. 15.

18. Et erant discipuli Joannis & Pharisæi jejunantes: & veniunt, & dicunt illi: Quare discipuli Joannis & Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant (f)?

19. Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii nuptiarum (g), quamdiu sponsus cum illis est, jejunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare.

* Matth. 9. 15. Luc. 5. 35. 20. * Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus: & tunc jejunabunt in illis diebus.

21. Nemo assumentum (h) panni rudis assuit vestimento veteri: alioquin aufert supplementum novum a veteri, & major scissura fit.

22. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin dirumpet vinum utres, & vinum effundetur, & utres peribunt: sed vinum novum in utres novos mitti debet.

* Matth. 12. 1. Luc. 6. 1. 23. * Et factum est iterum (i) cum Dominus sabbatis ambularet per sata, & discipuli ejus cœperunt progredi, & vellere spicas.

24. Pharisæi autem dicebant ei: Ecce, quid faciunt sabbatis quod non licet?

25. Et ait illis: * Numquam legistis quid fecerit David, quando necessitatem habuit, & esuriit ipse, & qui cum eo erant? * 1. Reg. 21. 6.

26. Quomodo introivit in domum Dei sub Abjathar (k) principe sacerdotum, & panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, * nisi sacerdotibus, & dedit eis qui cum eo erant? * Lev. 24. 9.

27. Et dicebat eis: Sabbatum (l) propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum.

28. Itaque Dominus est Filius hominis, etiam sabbati.

CAPUT III.

Christus in synagoga sanat manum hominis aridam: sequitur Apostolorum electio: Pharisæorum blasphemiam refellit: Mater & fratres eum quærunt.

1. ET introivit iterum in synagogam: & erat ibi homo habens manum aridam. Matth. 12. 9. Luc. 6. 6.

2. Et observabant eum, si sabbatis curaret, ut accusarent illum.

3. Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium.

4. Et dicit eis: Licet sabbatis bene facere (a), an male? animam salvam facere, an perdere: At illi tacebant.

5. Et circumspiciens eos cum ira (b), contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus illi.

6. * Exeuntes autem Pharisæi, statim cum Herodianis consilium faciebant adversus eum, quomodo eum perderent. * Matth. 12. 14.

7. Jesus autem cum discipulis suis secessit ad mare: & multa turba a Galilæa & Judæa secuta est eum,

8. Et ab Jerosolymis, & ab Idumæa, & trans Jordanem: & qui circa Tyrum & Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum.

9. Et dixit discipulis suis ut navicula sibi deserviret (c) propter turbam, ne comprimerent eum.

10. Multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent quotquot habebant plagas.

11. Et spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei: & clamabant dicentes:

12. Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum.

13. * Et

9. (c) Ut sciatis me id posse facere, ac dimittere ejus peccata, mox id effectum dabo, idque signo manifesto. Loquitur secundum eorum opinionem. Aperte demonstrari non poterat dimissa esse peccata; sed dicendo, *Surge & ambula*, adeo ut dictum res sequeretur, difficilius iis videbatur: cum tamen sanare ægrotum facilius esset, quam peccata dimittere.

14. (d) Matthæum filium Alphei. Hoc nomine Marcus & Lucas Matthæum designant.

17. (e) Justos vocat, qui se justos putabant. *Sed peccatores*, qui remedium quærebant, & animæ salutem; Gr. additur, *Ad pœnitentiam*.

18. (f) Sermo est de iis, quæ præscriptis a Mose jejuniis addebant discipuli Joannis, & Pharisæi.

19. (g) Qui nuptiis intersunt. Qua quidem parabola Christus se sponsum esse a Joanne designatum insinuat.

21. (h) His quidem centonis & vini novi similitudinibus insinuat, rudibus & imperfectis severum vivendi genus præcipi non oportere, aut certe moribus novis & Evangelio non bene convenire cum veteris legis institutis. *Alioqui aufert supplementum; Pars novi panni aufert aliquid de veteri.*

23. (i) Ea vox additur propter calumniam e spicis evulsis captatam.

26. (k) Lib. 2. Reg. 8. & 1. Paral. 18. Pater filii nomine vocatus, & vicissim, quod hæc nomina utrisque fuerint communia: aut certe Achimelech dedit panes Davidi, 1. Regum 21. quia cum patre summus sacerdos erat Abjathar.

27. (l) Institutum fuit Sabbatum, ut bene sit homini, ut quiescat, & vacet cultui Dei, non ut pereat.

CAP. III.

4. (a) Gr. *Prodesse*, beneficium conferre, homini ægroto, aut debili subvenire.

5. (b) Quæ in Christo nec prævertebat, nec turbabat rationem, ut in nobis: sed menti subjecta erat, & ad ejus imperium excitata; peccatis condolens, vitiis irascens, non hominibus. *Super cæcitate:* Vox Græca *πωρώσει*, obdurationem etiam & pertinaciam significat.

9. & 10. (c) Gr. *Ut navicula ibi remaneret ipsi*, ad usum suum. *Plagas*, Gr. *Flagella*: quotquot morbis vexabantur.

*Matt. 10. 1. Luc. 6. 13. & 9. 1. 13. * Et ascendens in montem vocavit ad se quos voluit (*d*) ipse: & venerunt ad eum.

14. Et fecit ut essent duodecim cum illo: & ut mitteret eos prædicare.

15. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia.

16. Et imposuit Simoni nomen Petrus:

17. Et Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & imposuit eis nomina Boanerges (*e*), quod est, Filii tonitrui.

18. Et Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Jacobum Alphæi, & Thaddæum, & Simonem Cananæum,

19. Et Judam Iscariotem (*f*), qui & tradidit illum.

20. Et veniunt ad domum: & convenit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare.

21. Et cum audissent sui (*g*), exierunt tenere eum: dicebant enim: Quoniam in furorem versus est.

22. Et Scribæ, qui ab Jerosolymis descen-
*Matth. 9. 34. derant, dicebant: * Quoniam Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia.

23. Et convocatis eis, in parabolis dicebat illis: Quomodo potest satanas satanam ejicere?

24. Et si regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare.

25. Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare.

26. Et si satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, & non poterit stare, sed finem habet.

27. Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget, & tunc domum ejus diripiet.

*Matth. 12. 31. Luc. 12. 10. 1. Joann. 5. 16. 28. * Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blasphemiæ quibus blasphemaverint.

29. Qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum (*h*), sed reus erit æterni delicti.

30. Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet.

*Matth. 12. 46. Luc. 8. 19. 31. * Et veniunt mater ejus & fratres: & foris stantes miserunt ad eum vocantes eum,

32. Et sedebat circa eum turba: & dicunt ei: Ecce mater tua & fratres tui foris quærunt te.

33. Et respondens eis, ait: Quæ est mater mea, & fratres mei?

34. Et circumspiciens eos, qui in circuitu ejus sedebant, ait: Ecce mater mea, & fratres mei.

35. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est.

CAPUT IV.

Parabola de semine, quam explicat discipulis. Lucerna sub modio, granum sinapis; tempestatem sedat.

1. ET iterum cœpit (*a*) docere ad mare: & congregata est ad eum turba multa, ita ut navim ascendens sederet in mari, & omnis turba circa mare super terram erat: Matth. 13. 2. Luc. 8. 5.

2. Et docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina sua:

3. Audite: ecce exiit seminans ad seminandum.

4. Et dum seminat, aliud cecidit circa viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt illud.

5. Aliud vero cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam: & statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem (*b*) terræ.

6. Et quando exortus est sol, exæstuavit: & eo quod non habebat radicem, exaruit.

7. Et aliud cecidit in spinas: & ascenderunt spinæ, & suffocaverunt illud, & fructum non dedit.

8. Et aliud cecidit in terram bonam: & dabat fructum ascendentem, & crescentem: & afferebat unum triginta, unum sexaginta, & unum centum.

9. Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat.

10. Et cum esset singularis (*c*), interrogaverunt eum hi, qui cum eo erant duodecim, parabolam.

11. Et dicebat eis: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: illis autem, qui foris (*d*) sunt, in parabolis omnia fiunt:

12. * Ut videntes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant: nequando (*e*) convertantur, & dimittantur eis peccata. * If. 6. 9. Matth. 13. 14. Joann. 12. 40. & 12. 40. Act. 28. 26. Rom. 11. 8.

13. Et ait illis: Nescitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoscetis?

14. Qui seminat, verbum seminat.

15. Hi autem sunt, qui circa viam, ubi seminatur verbum, & cum audierint, confestim venit satanas, & aufert verbum, quod seminatum est in cordibus eorum.

16. Et

13. 14. & 16. (*d*) Discipulos: nam reliquam plebem in planitie reliquerat. *Et fecit*, Elegit, instituit. *Imposuit Simoni nomen*: Jam impositum erat, ex Joanne, cap. 1. v. 42. quod a Marco hic repetitur, ut a Matth. cap. 16. aut certe Joannis 1. id promiserat Christus, quod hoc loco præstat: atque ut Dei benedicere est benefacere, ita conferre nomen, est rem nomine significatam largiri, ut Abrahamo benedictionem gentium, Petro fidei firmitatem.

17. (*e*) Seu Filios tonitrui, quasi tonantes: vox est Syriaca, quæ eos prædicatione Evangelii insignes futuros designabat. His solis mutavit nomina, quos regni sui columnas fecit.

19. (*f*) A vico sic dicto, aut a tribu Issachar. Nam Joann 6. vocatur filius Simonis.

21. (*g*) Propinqui: *In furorem versus est*, Gr. ἐξέστη, extra se factus est quasi mente alienatus, quod nova & inaudita doceret, & faceret. Sic populus sanctos homines insanire putat. An forte, ut aliis videtur, ejus cognati finxerunt furorem, ut periculo, quod a Pharisæis imminere existimabant, eum eriperent?

29. (*h*) Id est, fere numquam: sunt enim obdurati: *Sed reus erit æterni delicti*: Gr. *Judicio*, æternæ pœnæ obnoxius erit ob delictum. Aliud est Peccatum in Spiritum Sanctum, quod fit ex certa & destinata malitia; aliud blasphemia in Spiritum Sanctum, quale est convicium illud Scribarum, quo Dei opera tribuuntur dæmoni.

CAP. IV.

1. & 2. (*a*) Iterum docuit, ut in multis aliis Evangelii locis. *Doctrina sua*: More solito docens, nempe in parabolis.

5. 6. & 8. (*b*) Solum profundum non erat. *Exæstuavit*: Æstu solis adustum est. *Fructum*: Numerorum diversitas ad meritorum distinctionem pertinet.

10. (*c*) Gr. *Solitarie*, solus extra turbas. *Duodecim*, Gr. *Qui circa eum erant, cum duodecim*, nempe discipuli præter duodecim Apostolos.

11. (*d*) Extraneis, extra cœtum vestrum: *In parabolis omnia fiunt*, proponuntur.

12. (*e*) Gr. μήποτε: quidam exponunt, si quando, ut 2 Timoth. 2. *Ne quando det eis Deus pœnitentiam*. Sed ex Matth. cap. 13. videtur esse sensus negans: Matthæus caussam, Marcus eventum affert, ob eorum peccata, & obstinationem.

16. Et hi sunt similiter, qui super petrosa seminantur: qui cum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud:

17. Et non habent radicem in se, sed temporales (*f*) sunt: deinde orta tribulatione & persecutione propter verbum, confestim scandalizantur.

18. Et alii sunt, qui in spinis seminantur: hi sunt qui verbum audiunt,

** 1. Tim. 6. 17.* 19. Et ærumnæ (*g*) sæculi, & * deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur.

20. Et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum, & suscipiunt, & fructificant, unum triginta, unum sexaginta, & unum centum.

** Matth. 5. 15. Luc. 8. 16. & 11. 33.* 21. * Et dicebat illis: Numquid venit (*h*) lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto? nonne ut super candelabrum ponatur?

** Matth. 10. 26. Luc. 8. 17.* 22. * Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur: nec factum est occultum (*i*), sed ut in palam veniat.

23. Si quis habet aures audiendi, audiat.

** Matth. 7. 2. Luc. 6. 38.* 24. Et dicebat illis: Videte quid audiatis (*k*). * In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis.

** Matth. 13. 12. & 25. 29. Luc. 8. 18. & 19. 26.* 25. * Qui enim habet (*l*), dabitur illi: & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo:

26. Et dicebat: Sic est regnum (*m*) Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram,

27. Et dormiat (*n*), & exurgat nocte & die, & semen germinet, & increscat dum nescit ille.

28. Ultro enim terra fructificat (*o*), primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.

29. Et cum produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.

30. Et dicebat: Cui assimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud?

** Matth. 13. 31. Luc. 13. 19.* 31. * Sicut granum sinapis, quod cum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus, quæ sunt in terra:

32. Et cum seminatum fuerit, ascendit, & fit majus omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra ejus aves cæli habitare.

33. Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire:

34. Sine parabola (*p*) autem non loquebatur eis: seorsum autem discipulis suis disserebat omnia.

35. Et ait illis in illa die, cum sero esset factum: Transeamus contra.

36. * Et dimittentes turbam, assumunt (*q*) eum ita ut erat in navi: & aliæ naves erant cum illo. ** Matth. 8. 23. Luc. 8. 22.*

37. Et facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis.

38. Et erat ipse in puppi super cervical (*r*) dormiens: & excitant eum, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet, quia perimus?

39. Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessavit ventus: & facta est tranquillitas magna.

40. Et ait illis: Quid timidi estis? necdum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis, putas, est iste, quia & ventus & mare obediunt ei?

CAPUT V.

Legio dæmonum ex uno homine ejecta; porci in mare præcipitati; mulier a profluvio sanguinis curata; filia Jairi ad vitam revocatur.

1. ET venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum. *Matt. 8. 28. Luc. 8. 26.*

2. Et exeunti ei de navi, statim occurrit de monumentis (*a*) homo in spiritu immundo,

3. Qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis jam quisquam poterat eum ligare:

4. Quoniam sæpe compedibus & catenis vinctus, dirupisset catenas, & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare.

5. Et semper die ac nocte in monumentis, & in montibus erat, clamans, & concidens se lapidibus.

6. Videns autem Jesum a longe, cucurrit, & adoravit eum:

7. Et clamans voce magna dixit: Quid mihi & tibi, Jesu fili Dei altissimi? adjuro te per Deum, ne me torqueas.

8. Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine.

9. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen (*b*) est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus.

10. Et

17. (*f*) Ad breve tempus credunt; In se non habent radicem, sed superficie tenus emolliti videntur.

19. (*g*) Gr. Solicitudines; Et *deceptio divitiarum*; Fallaces divitiæ; Et *introeuntes*. Supercrescentes; *concupiscentiæ*, circa reliqua quæ non habemus, *solicitudines*, circa ea quæ habemus; utræque nocent, & suffocant verbum.

21. (*h*) Numquid accenditur? Quæ vos in secreto doceo, erunt aliquando hominibus per vos publicanda, neque manebunt occulta.

22. (*i*) Non ut occultum maneat, sed ut palam fiat: ea quæ dixi vobis, ne occulta retineatis, sed prædicate publice.

24. (*k*) Attendite ad ea, quæ dico. *In qua mensura*, hoc in bonis intelligitur. Nam operanti juxta illa salutis monita, quæ diligenter sunt audienda & servanda, remetietur præmium juxta ejus meritum.

25. (*l*) Qui bene utitur dono sibi concesso, dabitur ei præmium; qui autem non utitur, talentum etiam ei commissum auferetur ab eo. Figuratus est sermo, qui tamen ab usitato loquendi modo non est alienus. Nam is non habere dicitur, qui non utitur, eum qui non loquitur, ubi opus est, dicimus non habere linguam, ut pigrum non habere manus aut pedes.

26. (*m*) Simile quiddam accidit in regno Dei, seu in Ecclesia. Hæ duæ similitudines vim & efficaciam Evangelii, aut verbi divini indicant, quod per gratiam in corde operatur, & paullatim crescit, sine cura satoris, dum ad maturitatem perveniat: simul Ecclesiam a parvis initiis magna capere incrementa insinuat.

27. (*n*) Secum agat, dormiat nocte, surgat die; vel dum aliud agit, semen occulta naturæ vi crescit: *Dum nescit ille*, Gr. *Quomodo nescit ille*.

28. (*o*) Ubi cor est bene dispositum. *Deinde plenum frumentum*, perfectum. Herba fidem, aut timorem Dei, plenum frumentum charitatem, spica spem significat.

34. & 35. (*p*) Doctrinam suam parabolis tegebat. *In illa die*, In illo tempore, quo prædicavit in Galilæa: aliis aliter videtur. Qua de re alibi diximus.

35. (*q*) Matthæi cap. 8. in altum ducunt, in eo situ quo erat in navi, docens plebem e navi.

38. (*r*) Seu pulvillum capiti ejus supposuerint, seu lignum in puppi positum, in quod caput posset reclinari.

CAP. V. 2. (*a*) E loco ubi erant monumenta, quem locum diabolus elegerat, ut magis terreret homines.

9. (*b*) Quis est? *Legio*: Non determinatus aliquis numerus, sed numerosa multitudo hoc nomine designatur, qua ut beneficii magnitudo, ita & Christi potentia declaratur.

10. Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem.

11. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, pascens.

12. Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos ut in eos introeamus.

13. Et concessit eis statim Jesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos: & magno impetus grex præcipitatus est in mare ad duo millia, & suffocati sunt in mari.

14. Qui autem pascebant eos, fugerunt, & nuntiaverunt in civitatem, & in agros. Et egressi sunt videre quid esset factum:

15. Et veniunt ad Jesum, & vident illum, qui a dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, & sanæ mentis, & timuerunt (c).

16. Et narraverunt illis, qui viderant, qualiter factum esset ei, qui dæmonium habuerat, & de porcis.

17. Et rogare cœperunt eum ut discederet de finibus eorum.

18. Cumque ascenderet navim, cœpit illum deprecari, qui a dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo:

19. Et non admisit (d) eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui.

20. Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Jesus: & omnes mirabantur.

21. Et cum transcendisset Jesus in navi rursum trans fretum, convenit turba multa ad eum, & erat circa mare.

* Matth. 9. 18. Luc. 8. 41. 22. * Et venit quidam de archisynagogis nomine Jairus: & videns eum, procidit ad pedes ejus,

23. Et deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis est, Veni, impone manum super eam, ut salva sit, & vivat.

24. Et abiit cum illo, & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.

25. Et mulier, quæ erat in profluvio sanguinis annis duodecim,

26. Et fuerat multa perpessa a compluribus medicis: & erogaverat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat:

27. Cum audisset de Jesu, venit in turba retro, & tetigit vestimentum (e) ejus:

28. Dicebat enim: Quia si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero.

29. Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus: & sensit corpore quia sanata esset a plaga.

30. Et statim Jesus in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat de illo, conversus ad turbam, ajebat: Quis tetigit vestimenta mea?

31. Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit?

32. Et circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat,

33. Mulier vero timens & tremens, sciens quod factum esset in se, venit & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.

34. Ille autem dixit ei: * Filia, fides tua te salvam fecit: vade in pace, & esto (f) sana a plaga tua. Luc. 7. 50. & 8. 48.

35. Adhuc eo loquente, veniunt ab archisynagogo, dicentes: Quia filia tua mortua est: quid ultra vexas Magistrum?

36. Jesus autem audito verbo, quod dicebatur, ait archisynagogo: Noli timere: tantummodo crede.

37. Et non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi.

38. Et veniunt in domum archisynagogi, & vident tumultum, & flentes, & ejulantes multum.

39. Et ingressus, ait illis: Quid turbamini, & ploratis? puella non est mortua, sed dormit.

40. Et irridebant eum. Ipse vero, ejectis omnibus, assumit patrem & matrem puellæ, & qui secum erant, & ingreditur ubi puella erat jacens.

41. Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod est interpretatum: Puella (tibi dico) surge.

42. Et confestim surrexit puella, & ambulabat: erat autem annorum duodecim: & obstupuerunt stupore magno.

43. Et præcepit illis vehementer ut nemo id sciret: & dixit dari illi manducare.

C A P U T VI.

Nemo propheta in patria: Apostolorum missio; mors Joannis; quinque panum miraculum; Christus orat in monte, ambulat super mare, ægros sanat.

1. ET egressus inde, abiit (a) in patriam suam: & sequebantur eum discipuli sui: Matth. 13. 54. Luc. 4. 16.

2. Et facto sabbato cœpit in synagoga docere: & multi audientes admirabantur in doctrina ejus: dicentes: Unde huic hæc omnia? & quæ est sapientia, quæ data est illi: & virtutes tales, quæ per manus ejus efficiuntur?

3. * Nonne hic est faber (b), filius Mariæ, frater Jacobi, & Joseph, & Judæ, & Simonis? nonne & sorores ejus hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo. * Joann 6. 42.

4. Et

15. & 17. (c) Gr. *Admirati sunt*. *Ut discederet*; perculsi forte damni magnitudine, & graviora mala metuentes, quod gentiles essent.

19. (d) Non permisit: Quod magis expediret eum apud suos manere, ut ad Christi fidem perpetua quadam hujus miraculi commemoratione populares suos excitaret, simul ut nos admoneret vitari, oportere omnem inanis gloriæ speciem.

27. & 30. (e) Fimbriam pallii: id fecit clam, quod immunda esset ex lege. *Quæ exierat*, seu virtutis effectum: Gr. *ex semetipso*.

34. & 39. (f) Sunt verba non sanantis, sed sanitatem confirmantis. *Mortua*; Christo non erat mortua, sed instar dormientis: nec parenti, cui mox erat restituenda.

CAP. VI. 1. (a) Non statim, sed multis interjectis diebus Capharnao in patriam suam Nazareth se contulit, ut ex Matth. cap. 13. perspicuum est.

3. (b) Matth. 13. Nonne *hic est fabri filius*? Forte utrumque dicebant. Ipse cum Joseph & matre victum opere aliquo honesto quæsivit, & laborem manuum exemplo suo docuit. *Frater Jacobi*, consobrinus Jacobi minoris. *Et Joseph*. Græc. *Joses*, *& Judæ*, qui & Thaddæus. *Et Simonis*, aut Simeonis, qui secundus fuit Jerosolymæ Episcopus: *Et scandalizabantur in illo*, ob educationis, & generis, ut ipsis videbatur, humilitatem; ac propterea non credebant eum esse Messiam. Fratres quatuor, seu consobrinos Domini numerant. Maria Cleophæ, ut videtur viris doctis, seu ea soror Joseph, aut matris Domini fuerit, duos videtur habuisse maritos. Alphæum primo Jacobi minoris & Josephi, seu Joses patrem, deinde Cleopham, qui Judam Apostolum, & Simeonem secundum Jerosolymæ Episcopum genuit, adeo ut quatuor illi fratres uterini fuerint.

Math. 13. 57. Luc. 4. 24. Joan. 4. 44. 4. Et dicebat illis Jesus: * Quia non est propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua.

5. Et non poterat (c) ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit:

6. Et mirabatur propter incredulitatem eorum, & circuibat castella in circuitu docens.

Math. 10. 1. Sup. 3. 15. Luc. 9. 1. 7. * Et vocavit duodecim: & cœpit eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum.

8. Et præcepit eis ne quid tollerent (d) in via, nisi virgam tantum: non peram, non panem, neque in zona æs,

Act. 12. 8. 9. * Sed calceatos sandaliis (e), & ne induerentur duabus tunicis.

10. Et dicebat eis: Quocumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis inde:

11. Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, * exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. *Matt. 10. 14. Luc. 9. 5. Act. 13. 51. & 18. 6.*

12. Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent:

Jac. 5. 14. 13. Et dæmonia multa ejiciebant *, & ungebant (f) oleo multos ægros, & sanabant.

Math. 14. 1. 2. Luc. 9. 7. 14. * Et audivit rex Herodes, (manifestum enim factum est nomen ejus) & dicebat: Quia Joannes Baptista resurrexit a mortuis: & propterea virtutes operantur in illo.

15. Alii autem dicebant: Quia Elias est. Alii vero dicebant: Quia propheta (g) est, quasi unus ex prophetis.

16. Quo audito Herodes ait: Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit.

Luc. 3. 19. 17. * Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam.

Lev. 18. 16. 18. Dicebat enim Joannes Herodi: * Non licet tibi habere uxorem fratris tui.

19. Herodias autem insidiabatur (h) illi: & volebat occidere eum, nec poterat.

20. Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum & sanctum: & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat,

21. Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ.

22. Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, simulque recumbentibus, rex ait puellæ: Pete a me quod vis, & dabo tibi:

23. Et juravit illi: Quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei.

24. Quæ cum exisset, dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Joannis Baptistæ.

25. Cumque introisset statim cum festinatione ad regem, petivit dicens: Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.

26. Et contristatus est rex propter jusjurandum; & propter simul discumbentes noluit eam contristare:

27. Sed misso spiculatore (i) præcepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum in carcere.

28. Et attulit caput ejus in disco: & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ.

29. * Quo audito, discipuli ejus venerunt, & tulerunt corpus ejus: & posuerunt illud in monumento. *Math. 14. 12.*

30. * Et convenientes Apostoli ad Jesum, renuntiaverunt ei omnia quæ egerant, & docuerant. *Luc. 9. 10.*

31. Et ait illis: * Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant, & redibant multi: & nec spatium manducandi habebant. *Math. 14. 13. Luc. 9. 10. Joan. 6. 1.*

32. Et ascendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsum.

33. Et viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi: & pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, & prævenerunt eos.

34. * Et exiens vidit turbam multam Jesus: & misertus est super eos, qui erant sicut oves non habentes pastorem, & cœpit illos docere multa. *Math. 9. 36. & 14. 14.*

35. Et cum jam hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus hic, & jam hora præteriit:

36. * Dimitte illos, ut euntes in proximas villas & vicos, emant sibi cibos, quos manducent. *Luc. 9. 12.*

37. Et respondens ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare.

38. Et dicit eis: Quot panes habetis? ite, & videte. Et cum cognovissent, dicunt: Quinque, & duo pisces.

39. * Et præcepit illis ut accumbere facerent omnes secundum contubernia (k) super viride fœnum. *Joann. 6. 10.*

40. Et discubuerunt in partes, per centenos & quinquagenos.

41. Et acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, intuens in cælum, benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos: & duos pisces divisit omnibus.

42. Et manducaverunt omnes, & saturati sunt.

43. Et

5. (c) Non erat illi animus miracula faciendi: quasi non posset, ita se gerebat; vel ipse noluit, quod populares se indignos præstiterint hac gratia; vel denique *non poterat*, quia non expediebat. Sic dicimus sæpe nos non posse, quod justa ex caussa facere nolumus.

8 (d) Præter ea quæ erant usus quotidiani. *Nisi virgam tantum*, ad sustentandum corpus. Nam Math. 10. vetat ferre virgam ferro præfixam ad sui defensionem: noluit enim Christus hac de re eos esse solicitos, quod ejus præsidio satis essent tuti. *Non peram*, cibis circumferendis.

9 (e) Quæ plantas tegunt, non calceis, quibus pedes toti muniuntur. *Et ne induerentur duabus tunicis*, mutatoriis vestibus. Quod præceptum iis ad tempus datum est, cum primo missi sunt.

13. (f) Multos ægros *Et sanabant*, quæ unctio cum corporis sanitate aliquid animæ conferebat. Seu ea tum fuerit Sacramenti unctionis institutio, a *Jacobo* postea promulgata; seu unctionis infirmorum ea typica fuerit significatio, & quasi præambula: nondum enim Apostoli erant sacerdotes.

15. (g) Unus aliquis ex Prophetis revixit.

19. & 20. (h) Gr. *Extrso ejus imminebat*. *Metuebat Joannem*, propter ejus auctoritatem apud populum; *Et custodiebat eum*. Gr. Observabat, reverebatur; aut conservabat; ne ab Herodiade interficeretur.

27 (i) Prætoriano satellite: sic dicti custodes corporis, quod spicula, seu lanceas gestarent.

39 & 40. (k) Gr. Convivia, divisi in multas turmas. *In partes*, Gr. *In areolas*; inter singulas spatia erant, per quæ transiri posset.

43. Et ſuſtulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piſcibus.

44. Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum.

45. Et ſtatim coegit diſcipulos ſuos aſcendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethſaidam, dum ipſe dimitteret populum.

46. Et cum dimiſiſſet eos, abiit in montem orare.

47. Et cum ſero eſſet, erat navis in medio mari, & ipſe ſolus in terra.

*Matth. 14. 24. 48. * Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſuper mare: & volebat præterire eos.

49. At illi ut viderunt eum ambulantem ſupra mare, putaverunt phantaſma eſſe, & exclamaverunt.

50. Omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt. Et ſtatim locutus eſt cum eis: & dixit eis: Confidite, ego ſum, nolite timere.

51. Et aſcendit (*l*) ad illos in navim, & ceſſavit ventus. Et plus magis intra ſe ſtupebant:

52. Non enim intellexerunt (*m*) de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.

*Matth. 14. 34. 53. * Et cum transfretaſſent, venerunt in terram Geneſareth, & applicuerunt.

54. Cumque egreſſi eſſent de navi, continuo cognoverunt eum:

55. Et percurrentes univerſam regionem illam, cœperunt in grabatis eos qui ſe male habebant, circumferre, ubi audiebant eum eſſe.

56. Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent: & quotquot tangebant eum, ſalvi fiebant.

CAPUT VII.

De manibus non lotis, & de aliis Judæorum cæremoniis; de humanis traditionibus; quæ coinquinent hominem; mulier Chananæa; homo ſurdus & mutus curatur.

1. ET conveniunt ad eum Phariſæi, & quidam de Scribis, venientes ab Jeroſolymis.

*Matth. 15. 2. 2. * Et cum vidiſſent quoſdam ex diſcipulis ejus communibus (*a*) manibus, id eſt non lotis, manducare panes, vituperaverunt.

3. Phariſæi enim, & omnes Judæi, niſi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum:

4. Et a foro (*b*) niſi baptizentur, non comedunt: & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſervare, baptiſmata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum:

5. Et interrogabant eum Phariſæi, & Scribæ: Quare diſcipuli tui non ambulant juxta traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus manducant panem?

6. At ille reſpondens, dixit eis: Bene prophetavit Iſaias de vobis hypocritis, ſicut ſcriptum eſt: * Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me. *Iſa. 29. 13.

7. In vanum (*c*) autem me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum.

8. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptiſmata urceorum & calicum: & alia ſimilia his facitis multa.

9. Et dicebat illis: Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem veſtram ſervetis.

10. Moyſes enim dixit: * Honora patrem tuum & matrem tuam. Et: * Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. *Exod. 20. 12. Deut. 5. 16. Eph. 6. 2. *Exod. 21. 17. Lev. 20. 9.

11. Vos autem dicitis: Si dixerit (*d*) homo patri, aut matri, Corban, (quod eſt donum) quodcumque ex me, tibi profuerit:

12. Et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri ſuo, aut matri,

13. Reſcindentes verbum Dei per traditionem veſtram, quam tradidiſtis: & ſimilia hujuſmodi multa facitis.

14. * Et advocans iterum turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite. *Matth. 15. 10.

15. Nihil eſt extra hominem introiens (*e*) in eum, quod poſſit eum coinquinare, ſed quæ de homine procedunt, illa ſunt quæ communicant hominem.

16. Si quis habet aures audiendi, audiat.

17. Et cum introiſſet in domum a turba, interrogabant eum diſcipuli ejus parabolam.

18. Et ait illis: Sic & vos imprudentes eſtis? Non intelligitis quia omne extrinſecus introiens in hominem, non poteſt eum communicare (*f*):

19. Quia non intrat in cor ejus, ſed in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit, purgans omnes eſcas?

20. Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem.

21. * Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, *Gen. 6. 5.

22. Furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus (*g*), blaſphemia, ſuperbia, ſtultitia.

23. Omnia

51. (*l*) Edito miraculo, Matth. 14. 28. Et *plus magis* ſupra modum ſtupebant.

52. (*m*) Præ mentis tarditate magis obſtupeſcebant, quod ambularet ſuper aquas, quam quod tam paucis panibus tot homines paviſſet: *Obcæcatum*, quaſi obductis oculis.

CAP. VII. 2. (*a*) Immundis manibus: quæ ab omnibus cum Judæis, tum gentilibus contrectari ſolent.

4. (*b*) Rerum venalium, ubi facile contaminabantur rerum immundarum contactu. *Baptizentur*, Manus lavent.

7. (*c*) Nullo fructu. *Bene*, Valde, aut ironice dictum, vos admodum religioſi eſtis.

11. & 12. (*d*) Supplendum videtur, bene facit, aut legi ſatisfacit. Non *dimittitis*, Juvando parentes: nihil ei opus eſt, ut adjuvet parentes, quoniam Deo vovit facultates ſuas.

15. (*e*) Voluntas eſt fons omnis immunditiei: quod eam non attingit, non eam coinquinat. Eccleſia nullos cibos prohibet tamquam immundos vel natura, vel contrectatione; ſed quoſdam prohibet certis diebus, carnis domandæ ſtudio, ut liberius ſerviamus Deo: cum autem homo eas leges tranſgreditur præ intemperantia, aut contumacia, non cibus proprie coinquinat hominem, ſed ſuperbia, aut ſcandalum, aut inobedientia, & voluntas utendi his cibis, cum non licet.

18 & 19. (*f*) Inquinare. *In ſeceſſum:* Gr. *In latrinam*. *Purgans omnes eſcas:* Purgatos relinquit cibos nutritioni deſtinatos.

22. & 23. (*g*) Invidus, vel cupidus: *Stultitia*, Gr. Petulantia. *Neminem voluit ſcire:* Id fecit quod faciunt homines, qui latere volunt: hi clanculum ſe ſubducunt: fecit quantum voluit, non quantum potuit; voluit voluntate ſigni, non abſoluta.

23. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & communicant hominem.

* Matt. 15. 21. 24. * Et inde surgens abiit in fines Tyri & Sidonis: & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere.

25. Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit (*h*), & procidit ad pedes ejus.

26. Erat enim mulier Gentilis, Syrophœnissa genere. Et rogabat eum ut dæmonium ejiceret de filia ejus.

27. Qui dixit illi: Sine prius saturari filios: non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

28. At illa respondit, & dixit illi: Utique Domine, nam & catelli comedunt sub mensa de micis puerorum.

29. Et ait illi: Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium a filia tua.

30. Et cum abiisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, & dæmonium exiisse.

31. Et iterum exiens de finibus Tyri (*i*), venit per Sidonem ad Mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.

* Matth. 9. 32. 32. * Et adducunt ei surdum, & mutum (*k*), & deprecabantur eum, ut imponat illi manum.

33. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus: & expuens (*l*), tetigit linguam ejus:

34. Et suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Ephphtha, quod est adaperire.

35. Et statim apertæ sunt aures ejus & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte.

36. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant:

37. Et eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.

CAPUT VIII.

Miraculum septem panum, & paucorum piscium; Pharisæi signum de cælo petunt; cæcus sanatur; passionem suam prædicit Christus. Fidei professio, & merces huic proposita.

* Matt. 15. 32. 1. IN diebus illis iterum * cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis:

2. Misereor super turbam: quia ecce jam triduo sustinent (*a*) me, nec habent quod manducent:

3. Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt.

4. Et responderunt ei discipuli sui: Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine?

5. Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem.

6. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis ut apponerent, & apposuerunt turbæ.

7. Et habebant pisciculos paucos: & ipsos benedixit, & jussit apponi.

8. Et manducaverunt, & saturati sunt, & sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas.

9. Erant autem qui manducaverant, quasi quatuor millia: & dimisit eos.

10. Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha (*b*).

11. * Et exierunt Pharisæi, & cœperunt conquirere (*c*) cum eo, quærentes ab illo signum de cælo, tentantes eum. * Matth. 16. 1. Luc. 11. 54.

12. Et ingemiscens spiritu, ait: Quid generatio ista signum quærit? Amen dico vobis, si dabitur (*d*) generationi isti signum.

13. Et dimittens eos, ascendit iterum navim, & abiit trans fretum.

14. * Et obliti sunt panes sumere: & nisi unum panem non habebant secum in navi. * Matt. 16. 5.

15. Et præcipiebat eis, dicens: Videte, & cavete a fermento Pharisæorum, & fermento Herodis (*e*).

16. Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: Quia panes non habemus.

17. Quo cognito, ait illis Jesus. Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondum cognoscitis nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum?

18. Oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis? * Nec recordamini, * Sup. 6. 37. Joan. 6. 12.

19. Quando quinque panes fregi in quinque millia: quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei: Duodecim.

20. Quando & septem panes in quatuor millia: quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: Septem.

21. Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis?

22. Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum ut illum tangeret.

23. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuens in oculos ejus impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret.

24. Et

25. & 26. (*h*) Græc. *Veniens*: nam extra domum factum est miraculum, ex cap. 15. Matthæi. *Gentilis*. Græc. Ἑλληνίς, seu Græca, quo nomine gentiles a Judæis tum secernebant.

31. (*i*) Græc. Syri & Sidonis, venit ad mare. Non erat iter faciendum per Sidonem, nisi forte, intelligamus per loca Sidoni vicina. Nam verisimile est Christum urbem non ingressum fuisse. *Inter medios fines Decapoleos*: quæ partim erat cis Jordanem partim ultra.

32. (*k*) Vox Græca μογιλάλον, hominem fere mutum, & verba vix proferentem significat.

33. & 34. (*l*) Tetigit digito suo saliva tincto. *Ephphetha*, אתפתח, Syr. apertus esto: quas cæremonias in Baptismo adhibet Ecclesia: ingemiscit ut homo, imperat ut Deus.

CAP. VIII. 2. (*a*) Permanent mecum. Quæ historia jam exposita fuit Matthæi 15.

10. (*b*) Matth. 15. 39. *In fines Magedam*: duo sunt oppida inter Juliadem & Geralam sitam: multi codices habent Magedon, atque eumdem esse vicum existimat Aug. Lib. 2. de consensu Evang. cap. 51.

11. (*c*) Disputare: *Tentantes eum*, signum ab eo petentes, non ut crederent, sed ut potentiam ejus experirentur.

12. (*d*) Non dabitur, phrasi Hebræis usitata: *Si David mentiar*: Non mentiar Davidi, Psalm 86.

15. (*e*) Qui Sadducæis favebat. Quod enim Matthæus cap. 16. posuit, a fermento Sadducæorum, Marcus dixit, a fermento Herodis: adeo ut in Herodis aula Sadducæorum doctrina vigeret.

24. Et aspiciens, ait: Video (*f*) homines velut arbores ambulantes.

25. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus: & cœpit videre (*g*): & restitutus est, ita ut clare videret omnia.

26. Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam: & si in vicum introieris, nemini dixeris.

*Matth 16. 13. *Luc. 9. 18.
27. * Et egressus est Jesus, & discipuli ejus in castella Cæsareæ Philippi: & in via interrogabat discipulos suos, dicens eis: * Quem me dicunt esse homines?

28. Qui responderunt illi, dicentes: Joannem Baptistam, alii Eliam (*h*), alii vero quasi unum de prophetis.

29. Tunc dicit illis: Vos vero quem me esse dicitis? Respondens Petrus, ait ei: Tu es Christus (*i*).

30. Et comminatus (*k*) est eis, ne cui dicerent de illo.

31. Et cœpit docere eos, quoniam oportet Filium hominis pati multa, & reprobari a senioribus, & a summis sacerdotibus, & Scribis, & occidi: & post tres dies resurgere (*l*).

32. Et palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare (*m*) eum.

33. Qui conversus, & videns discipulos suos, comminatus est Petrus, dicens: Vade retro me Satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.

* Matt. 10. 38. & 16. 24. Luc. 9. 23. & 14. 27.
34. Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis: * Si quis vult me sequi, deneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me.

* Luc. 17. 33. Joann. 12. 25.
35. * Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me & Evangelium (*n*), salvam faciet eam.

36. Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum: & detrimentum animæ suæ faciat?

37. Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua?

*Matth 10. 33. Luc. 9. 26. & 12. 9.
38. * Qui enim me confusus (*o*) fuerit, & verba mea, in generatione ista adultera & peccatrice: & Filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis.

* Matt. 16. 28 Luc. 9. 27.
39. Et dicebat illis: * Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.

CAPUT IX.

Transfiguratio Domini, vox de cælo, de adventu Eliæ; spiritus mutus ejicitur, qui non poterat ejici a discipulis. Iterum de Passione Domini prædictio; scandalis occasio amputanda: vermis & ignis æterni: de sale & illius vi.

Matt. 17. 1. Luc. 9. 28.
1. ET post dies sex assumit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem: & ducit illos in montem excelsum seorsum (*a*) solos, & transfiguratus est coram ipsis.

2. Et vestimenta ejus facta sunt splendentia & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.

3. Et apparuit (*b*) illis Elias cum Moyse: & erant loquentes cum Jesu.

4. Et respondens Petrus, ait Jesu: Rabbi, bonum est nos hic esse, & faciamus tria tabernacula, Tibi unum, & Moysi unum, & Eliæ unum.

5. Non solum sciebat quid diceret: erant enim timore exterriti (*c*).

6. Et facta est nubes obumbrans eos: & venit vox de nube, dicens: Hic est Filius meus charissimus: audite illum.

7. Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi Jesum tantum secum.

* Matt 17. 9.
8. * Et descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidissent, narrarent: nisi cum Filius hominis a mortuis resurrexerit.

9. Et verbum continuerunt apud se, conquirentes (*d*) quid esset: Cum a mortuis resurrexerit.

* Mal. 4. 5.
10. Et interrogabant eum, dicentes: * Quid ergo dicunt (*e*) Pharisæi & Scribæ, quia Eliam oportet venire primum?

* Is. 53. 3. 4.
11. Qui respondens, ait illis: Elias cum venerit (*f*) primo, restituet omnia: & quo modo * scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur.

*Matth. 17. 12.
12. Sed dico vobis quia & * Elias (*g*) venit (& fecerunt illi quæcumque voluerunt) sicut scriptum est de eo.

13. Et

24. (*f*) Primum subobscure homines ambulantes videbat eos arborum specie.

25. (*g*) *Perfecte*: Paullatim eum curavit, ut fidem ejus accenderet.

28. (*h*) Pharisæi quidam transmigrationem animarum crediderunt, ex Josepho Lib. 2. de bello Judaico cap. 7. *Quasi Prophetam*: Vox, *quasi*, deest in Græco.

29. (*i*) Marcus omittit magnifica promissa Petro a Christo facta, quæ alii Evangelistæ commemorant, quæque ad Petri prærogativam referuntur: sed Petrus forsan præ humilitate & modestia noluit ea referri a Marco: Ita Eusebius Lib. 3. Demonstr. Evangelicæ, cap. 7.

30. (*k*) Quia prius oportuit impleri mysterium redemptionis. Veritatis doctorem & prophetam se dici voluit; Messiam vero se esse paucis aperuit.

31. (*l*) Id est, tertio die, more Hebræorum, qui post tempus aliquod factum dicunt, quod fit eo tempore: Exibit tertius dies.

32. & 33. (*m*) Ex amore, non ex indignatione. *Satana*: Hoc nomine in Scripturis designari solet qui alteri obsistit. Nam *adversarium* significat, seu diabolus sit, seu homo.

35. (*n*) Ob Evangelii fidem, aut bona, quæ per Evangelium annuntiantur.

38. & 39. (*o*) Erubuerit: *In generatione ista adultera*, Inter idololatras & peccatores. *In virtute*, In majestate transfigurationis, aut resurrectionis.

CAP. IX.

1. (*a*) Vox *seorsum* deest in nonnullis codicibus, & videtur redundare. Hæc autem Matth. 17. fuerunt exposita.

3. (*b*) Duo testes secundum Christi adventum percurrent, ex Apocal. cap 11. Hilarius in Matth. cap. 20. existimat Mosen una cum Elia designari: alii Patres per duos testes, Henoch & Eliam intelligunt.

5. (*c*) Rei novitate quasi extra se facti. *Audite illum*; Doctor a Deo est constitutus, qui solus est audiendus, & ii quos ipse miserit.

9. (*d*) Disceptantes ob præsumptam de temporali regno opinionem.

10. (*e*) Resurrectionem mortuorum ex traditione credebant: sed qualis ea futura esset, non intelligebant. Nondum Elias venit, & tamen Pharisæi dicunt eum venturum ante diem judicii: quid ergo nunc de resurrectione loqueris, cum Elias nondum venerit?

11. (*f*) Syriace, *Elias venturus est prius, ut præparet omnia*, Convertet enim gentes & Judæos. *Et quomodo scriptum est in Filium hominis*, de filio hominis; *Ut multa patiatur*, exemplo Christi. *Quomodo*, Sicut.

12. (*g*) Joannes Baptista: Hieronym. in fine commentar. in Malachiam videtur negare Eliam venturum esse in persona propria: at se ipsum explicat scribens in Matthæum, ac subinde docet Eliam in secundo Christi adventu venturum juxta corporis fidem, per Joannem venisse in virtute & spiritu.

13. Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribæ conquirentes cum illis.

14. Et confestim omnis populus videns Jesum, stupefactus est, & expaverunt (*h*), & accurrentes salutabant eum.

15. Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis?

*Luc. 9. 38. 16. * Et respondens unus de turba, dixit: Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum:

17. Qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit (*i*): & dixi discipulis tuis ut ejicerent illum, & non potuerunt.

18. Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu patiar? afferte illum ad me.

19. Et attulerunt eum (*k*). Et cum vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum: & elisus in terram, volutabatur spumans.

20. Et interrogavit patrem ejus: Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia.

21. Et frequenter eum in ignem, & in aquas misit, ut eum perderet: sed si quid potes, adjuva nos, misertus nostri.

22. Jesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.

23. Et continuo exclamans pater pueri, cum lacrymis ajebat: Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam.

24. Et cum videret Jesus concurrentem turbam, comminatus (*l*) est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & amplius ne introeas in eum.

25. Et exclamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus est.

26. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit.

27. Et cum introisset in domum, discipuli ejus secreto interrogabant eum: Quare nos non potuimus ejicere eum?

28. Et dixit illis: Hoc genus (*m*) in nullo potest exire, nisi in oratione & jejunio.

29. Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam: nec volebat quemquam scire.

*Matth. 17. 21. Luc. 9. 22. 43. 30. * Docebat autem discipulos suos, & dicebat illis: Quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occisus tertia die resurget.

31. At illi ignorabant verbum (*n*): & timebant interrogare eum.

32. Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi essent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis?

33. At illi tacebant: siquidem in via inter se disputaverant, * quis eorum major esset. *Matth. 18. 1. Luc. 9. 46.

34. Et residens vocavit duodecim, & ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, & omnium minister.

35. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum: quem cum complexus esset, ait illis:

36. Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicumque me susceperit, non me suscipit (*o*), sed eum, qui misit me.

37. * Respondit illi Joannes, dicens: Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum. *Luc 9. 49.

38. Jesus autem ait: Nolite prohibere eum: * Nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui (*p*) de me. *1. Cor. 12. 3.

39. Qui enim non est adversum vos, pro vobis est.

40. * Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Matt. 10. 42.

41. * Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me: bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo ejus, & in mare mitteretur. *Matt. 18. 6. Luc. 17. 2.

42. * Et si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem (*q*): *Matth. 5. 30. & 18. 8.

43. Ubi vermis (*r*) eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

44. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum: bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis:

45. * Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. *Isa. 66. 24.

46. Quod si oculus tuus scandalizat te, ejice eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

47. Ubi vermis (*f*) eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

48. * Omnis

14. (*h*) Ob insperatum ejus adventum, & forte ob majestatis fulgorem, qui ex transfiguratione in vultu apparebat, ut in Mose contigit.

17. & 18. (*i*) Sine sensu efficitur, aut contabescit. *Incredula*, Matth. & Lucas addunt. *Et perversa*; quæ quidem turbis tribuuntur, non discipulis: quorum incredulitatem, seu minorem quam par esset fidem, seorsum exprobrat.

19. & 22. (*k*) Ad Jesum. An puer vicissim? *Possibilia*, Impetratu. *Credenti*: non quod is qui credit, omnia possit efficere, sed Christus cuncta potest efficere in gratiam ejus qui credit.

24. (*l*) Cum imperio præcepit ei. Paullo ante dubitabat an Christus eum corporis morbum posset depellere; nunc adeo profecit, ut eum invocet tamquam unicum animæ medicum, qui infidelitatem ipsam curare possit, quod est solius Dei. Adjuvatur incredulitas, cum adjuvatur incredulus ut credat: Adjuva meam fidem.

28 & 29. (*m*) Hoc genus dæmoniorum pessimum non potest ejici, Nisi oratione & jejunio. *Galilæam*; Volebat clam transire, ut Jerosolymam veniret.

30. (*n*) Passionem, & passionis modum, & regnum post resurrectionem venturum.

36. & 37. (*o*) Non tam me suscipit, quam eum qui me misit. *Respondit*; Vox illa Hebræis communis est ad omne sermonis novum exordium; Joannes alia de materia sermonem instituit.

38. (*p*) Hæc enim non inter se consentiunt, virtutes facere in nomine Christi, aut invocato ejus nomine dæmones ejicere, & de eo male loqui, ut solebant Pharisæi.

42. (*q*) Basilius Homil. 6. in Hexameron, & Ambrosius ignem illum esse corporeum docent: contrarium videtur Damasceno; Aug. Lib. 21. de civ. c. 9. ea de re videtur dubitare. His verbis Christus vocem gehennæ, quæ præcessit, explicat.

43. (*r*) Christus utitur vocibus ignis & vermis apud Judæos usitatis: vermis apud Isaiam 66. 24.

47. & 48. (*f*) Conscientiæ morsus animum excrucians. *Salietur*, Omnis damnatus igne, quasi sale condietur, perpetuo duraturus in supplicio. *Et omnis victima*, Et, pro *Sicut*; quemadmodum juxta legem omnis victima sale condiri debet: sic impii quasi justitiæ divinæ victimæ igne condientur.

*Levit.2.13. 48. * Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur.

* Matth.5.13. Luc.14.34. 49. * Bonum est sal (t): quod si sal insulsum fuerit: in quo illud condietis? Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.

CAPUT X.

Matrimonium indissolubile; divites in magno salutis periculo versantur; primi erunt novissimi; Passionis iterata prædictio: discipulorum ambitio reprimitur; cæcus illuminatur.

Matt. 19.1. 1. ET inde exurgens venit in fines (a) Judææ ultra Jordanem: & conveniunt iterum turbæ ad eum: & sicut consueverat, iterum docebat illos.

2. Et accedentes Pharisæi interrogabant eum: Si licet viro uxorem dimittere? tentantes eum.

3. At ille respondens, dixit eis: Quid vobis præcepit (b) Moyses?

* Deut.24.1. 4. Qui dixerunt: * Moyses permisit libellum repudii scribere, & dimittere.

5. Quibus respondens Jesus, ait: Ad duritiam (c) cordis vestri scripsit vobis præceptum istud.

* Gen.1.27. 6. Ab initio autem creaturæ, * masculum & feminam fecit eos Deus.

* Gen.2.24. Matth. 19.5. 1.Cor.7.10. Eph. 5.31. * 1. Cor. 6.16. 7. Propter hoc * relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit ad uxorem suam:

8. Et * erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.

9. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.

10. Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum.

11. Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.

12. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.

13. Et offerebant illi parvulos, ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus.

14. Quos cum videret Jesus, indigne tulit, & ait illis: Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei.

15. Amen dico vobis: Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.

16. Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat (d) eos.

17. Et cum egressus esset in viam, procur-

*Matth.19.16. Luc.18.18. rens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum: * Magister bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam?

18. Jesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus.

19. * Præcepta nosti: Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum & matrem. * Exod. 20.13.

20. At ille respondens, ait illi: Magister, hæc omnia observavi a juventute mea.

21. Jesus autem intuitus eum, dilexit (e) eum, & dixit ei: Unum tibi deest: vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.

22. Qui contristatus in verbo, abiit mærens: erat enim habens multas possessiones.

23. Et circumspiciens Jesus, ait discipulis suis: Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt!

24. Discipuli autem obstupescebant in verbis ejus. At Jesus rursus respondens ait illis: Filioli, quam difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire!

25. Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.

26. Qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos: Et quis potest salvus fieri?

27. Et intuens illos Jesus, ait: Apud homines impossibile est, sed non apud Deum: omnia enim possibilia sunt apud Deum.

28. * Et cœpit ei Petrus dicere: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. *Matth 19.27.

29. Respondens Jesus, ait: Amen dico vobis: Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Evangelium,

30. Qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc: domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros, cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam.

31. * Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi. *Matth 19.30.

32. Erant autem in via ascendentes Jerosolymam: & præcedebat illos Jesus, & stupebant (f): & sequentes timebant. * Et assumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ essent ei eventura. * Luc. 18.31.

33. Quia ecce ascendimus Jerosolymam, & Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & Scribis, & senioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus:

34. Et illudent ei, & conspuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum: & tertia die resurget.

35. * Et accedunt ad eum Jacobus & Joannes (g) filii Zebedæi, dicentes: Magister, volumus ut quodcumque petierimus, facias nobis. *Matth 20.20.

36. At

49. (t) Quia salis mentionem fecit Evangelista, aliud Christi dictum de sale commemorat; *Habete in vobis sal*, Estote acres in agendo, & prudentes; sic tamen ut pax non violetur. Præcedenti sententiæ hanc adjicit, ubi vocem salis ex occasione usurpat in alia significatione. Commendat usum salis & sapientiæ: alioqui victima, quæ transire debet per ignem tribulationum, insipida erat.

CAP. X. 1. (a) Hic locus expositus fuit Matth. 19. Venit in fines Judææ, seu in Peræam, quæ est Judææ finitima: *Ultra Jordanem*, Gr. *Per locum qui est trans Jordanem*, secus Peræam.

3. (b) Præceptum ponit pro permissione, ut ex Matthæi cap. 19. & ex hoc loco inter se collatis liquet: non enim quærebant, an oporteret dimittere, sed an liceret.

5. 8. & 11. (c) Propter duritiam. *In carne*, Gr. *In carnem unam*. Una caro reputabuntur, vel in unam prolis carnem. *Super eam*, Contra eam: vox Hebræa utrumque significat, *super*, &, *contra eam*; quam repudio ejecit.

16. (d) Benedicere Dei est benefacere. Hinc parvuli, qui necdum ratione sua utuntur, gratiæ tamen capaces esse possunt.

21. (e) Vultu eum a se diligi ostendit, non humana tantum dilectione, sed & divina, qua Christus dona sua diligebat, & studium observandæ legis. *Unum tibi deest* ad perfectionem, immo ad salutem, ut affectum divitiarum & cupiditatem exuas.

32. (f) Discipuli, quod eundo Jerosolymam tantum adiret periculum, & tam firmo esset animo.

35. (g) Matth. 20. dicitur mater eorum accessisse: sed illud perinde est: nam eorum impulsu mater adiit Dominum,

36. At ille dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis?

37. Et dixerunt: Da nobis ut unus ad dexteram tuam, & alius ad finistram tuam sedeamus in gloria tua.

38. Jesus autem ait eis: Nescitis quid petatis: potestis bibere calicem, quem ego bibo: aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari (*b*)?

39. At illi dixerunt ei: Possumus. Jesus autem ait eis: Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis; & baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini:

40. Sedere autem ad dexteram meam, vel ad finistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est.

41. Et audientes decem cœperunt indignari de Jacobo, & Joanne.

Luc. 22. 25.

42. Jesus autem vocans eos, ait illis: * Scitis quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis: & principes eorum potestatem habent ipsorum.

43. Non ita est autem in vobis, sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister:

44. Et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus.

45. Nam & Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis.

Matt. 20. 29. Luc. 18. 35.

46. * Et veniunt Jericho, & proficiscente eo de Jericho, & discipulis ejus, & plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus, sedebat juxta viam mendicans.

47. Qui cum audisset quia Jesus Nazarenus est, cœpit clamare, & dicere: Jesu fili David, miserere mei.

48. Et comminabantur ei multi ut taceret. At ille multo magis clamabat: Fili David miserere mei.

49. Et stans Jesus præcepit illum vocari. Et vocant cæcum dicentes ei: Animæquior esto: surge, vocat te.

50. Qui projecto vestimento suo exiliens, venit ad eum.

51. Et respondens Jesus dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei; Rabboni, ut videam.

52. Jesus autem ait illi: Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur eum in via.

C A P U T XI.

Jesus ingreditur Jerosolymam; ficus arefacta; ejicit vendentes e templo. Quærentibus qua potestate id agat, alia interrogatione silentium imponit.

Matt. 21. 1. Luc. 19. 29.

1. ET cum appropinquarent Jerosolymæ & Bethaniæ (*a*) ad montem Olivarum, mittit duos ex discipulis suis.

2. Et ait illis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit: solvite illum, & adducite.

3. Et si quis vobis dixerit: Quid facitis? dicite, quia Domino necessarius (*b*) est: & continuo illum dimittet huc.

4. Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio: & solvunt eum.

5. Et quidam de illic stantibus dicebant illis: Quid facitis solventes pullum?

6. Qui dixerunt eis sicut præceperat illis Jesus, & dimiserunt eis.

Joann. 12. 14.

7. * Et duxerunt pullum ad Jesum: & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum.

8. Multi autem vestimenta sua straverunt in via: alii autem frondes cædebant de arboribus, & sternebant in via.

Ps. 117. 25. Matt. 21. 9. Luc. 19. 38.

9. Et qui præibant, & qui sequebantur clamabant, dicentes: * Hosanna:

10. Benedictus qui venit in nomine Domini: Benedictum quod venit regnum (*c*) patris nostri David: Hosanna in excelsis.

Matt. 21. 10.

11. * Et introivit Jerosolymam in templum: & circumspectis (*d*) omnibus, cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.

12. Et alia die cum exirent a Bethania, esuriit.

Matth. 21. 19

13. * Cumque vidisset a longe ficum habentem folia, venit si quid forte inveniret in ea, & cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum.

14. Et respondens dixit ei: Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli ejus.

15. Et veniunt Jerosolymam. Et cum introisset in templum, cœpit ejicere vendentes, & ementes (*e*) in templo: & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.

16. Et non sinebat ut quisquam transferret (*f*) vas per templum:

Is. 56. 7. Jer. 7. 11.

17. Et docebat, dicens eis: Nonne scriptum est: * Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus (*g*)? Vos autem fecistis eam speluncam latronum.

18. Quo

37. & 42. (*b*) Passione, qua velut imbre copioso desuper irruente inundabat: adeo ut baptismus hoc loco non simplicem passionem, sed malorum inundationem significet. *Videntur*, Qui spectantur ut principes.

CAP. XI. 1. (*a*) Inter Jerosolymam & Bethaniam, unde jam exierat, ex cap. 21. Matth.

3. (*b*) Ut se Messiam expectatum probet, ex cap. 9. Zachariæ.

10. (*c*) Messiam regnaturum in domo David sciebant, illius restitutionem mox a Christo futuram expectabant: licet quo is modo regnaturus esset, omnino ignorarent

11. & 13. (*d*) Quæ fiebant in templo, *Vidisset*; Sic oculis lustravit, ut facere solent homines, qui sperant se aliquid inventuros. Significare voluit populi Judaici reprobationem, in quo fructus fidei & bonorum operum non invenit. *Non enim erat tempus ficorum*: unde in hoc facto latere mysterium est manifestum.

15. (*e*) Qui lucri studio vendebant: cum in sacris tractandis cupiditas omnis abesse debeat.

16. (*f*) Ne sarcinæ, utensilia, aut instrumenta, quæ profanis usibus serviebant, huc illuc transferrentur.

17. (*g*) Prædicit Christus his verbis, & ante prædixerat Isaias cap. 56. futurum aliquando ut templa Deo extruantur in universo orbe. Id itaque de Ecclesia intelligi debet, cujus typus fuit templum Judæorum; *Vocabitur*, futura est.

18. Quo audito principes sacerdotum & Scribæ quærebant quomodo eum perderent: timebant enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus.

19. Et cum vespera facta esset, egrediebatur de civitate.

20. Et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus.

21. Et recordatus Petrus, dixit ei: Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit.

* Matt. 21. 21. — 22. Et respondens Jesus, ait illis: * Habete fidem (*b*) Dei.

23. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei.

* Matth. 7. 7. & 21. 22. — 24. * Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.

* Matth. 6. 14. & 18. 35. Luc. 11. 9. — 25. * Et cum stabitis (*i*) ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem: ut & Pater vester qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra.

26. Quod si vos non dimiseritis: nec Pater vester, qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra.

27. Et veniunt rursus Jerosolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, & Scribæ, & seniores:

* Luc. 20. 2. — 28. Et dicunt ei: * In qua potestate hæc facis? & quis dedit tibi hanc potestatem ut ista facias?

29. Jesus aut respondens, ait illis: Interrogabo vos & ego unum verbum, & respondete mihi, & dicam vobis in qua potestate hæc faciam.

30. Baptismus Joannis, de cælo erat: an ex hominibus? Respondete mihi.

31. At illi cogitabant secum, dicentes: Si dixerimus, De cælo, dicet: Quare ergo non credidistis ei?

32. Si dixerimus, Ex hominibus, timemus populum: omnes enim habebant Joannem quia vere propheta esset.

33. Et respondentes dicunt Jesu: Nescimus. Et respondens Jesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc faciam.

CAPUT XII.

Vinea agricolis locata; cæsi servi; reddenda quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei, Deo. Messias quomodo filius est David: resurrectio.

Isa. 5. 1. Jer. 2. 21. Matt. 21. 33. Luc. 20. 9. — 1. ET cœpit illis in parabolis (*a*) loqui: Vineam pastinavit homo, & circumdedit sepem, & fodit lacum, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregre profectus est.

2. Et misit ad agricolas in tempore servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ.

3. Qui apprehensum eum cæciderunt, & dimiserunt vacuum.

4. Et iterum misit ad illos alium servum: & illum in capite vulneraverunt, & contumeliis affecerunt.

5. Et rursum alium misit, & illum occiderunt: & plures alios: quosdam cædentes, alios vero occidentes.

6. Adhuc ergo unum habens filium charissimum: & illum misit ad eos novissimum, dicens: Quia reverebuntur filium meum.

7. Coloni autem dixerunt ad invicem: Hic est hæres: venite, occidamus eum: & nostra erit hæreditas.

8. Et apprehendentes eum, occiderunt: & ejecerunt extra vineam.

9. Quid ergo faciet dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos: & dabit vineam aliis.

10. Nec scripturam hanc legistis: * Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: — * Ps. 117. 22. Is. 28. 16. Matt. 21. 42. Act. 4. 11. Rom. 9. 33. 1. Pet. 2. 7.

11. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?

12. Et quærebant eum tenere: & timuerunt turbam: cognoverunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt.

13. * Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis, & Herodianis, ut eum caperent in verbo. — * Matth. 22. 15. Luc. 20. 20.

14. Qui venientes dicunt ei: Magister, scimus quia verax es, & non curas (*b*) quemquam: nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces: licet dari tributum Cæsari, an non dabimus?

15. Qui sciens versutiam illorum, ait illis: Quid me tentatis? afferte mihi denarium ut videam.

16. At illi attulerunt ei. Et ait illis: Cujus est imago hæc, & inscriptio? Dicunt ei: Cæsaris.

17. Respondens autem Jesus dixit illis: * Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo. — * Rom. 13. 7.

18. * Et venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse: & interrogabant eum dicentes: — * Matt. 22. 23. Luc. 20. 27.

19. Magister, Moyses nobis scripsit, * ut si cujus frater mortuus fuerit, & dimiserit uxorem, & filios non reliquerit, accipiat frater ejus uxorem ipsius, & resuscitet semen fratri suo. — * Deut. 25. 5.

20. Septem ergo fratres erant: & primus accepit uxorem, & mortuus est, non relicto semine.

21. Et secundus accepit eam, & mortuus est: & nec iste reliquit semen. Et tertius similiter.

22. Et acceperunt eam similiter septem: & non reliquerunt semen. Novissima omnium defuncta est & mulier.

23. In resurrectione ergo cum resurrexerint, cujus de his erit uxor? septem enim habuerunt eam uxorem.

24. Et

22. (*b*) Qua Deo credatis, eum esse omnipotentem, & veracem: sic dicitur timor Dei, quo Deus timetur.

25. (*i*) Stationes vocabant Judæi cœtus ad orationem congregatos: quæ vox a Synagoga transiit ad Ecclesiam.

CAP. XII. 1. (*a*) Unam memorat: alias a se omitti insinuat. *Vineam pastinavit*, Gr. *Plantavit*. Et *fodit lacum*, ad excipiendum vinum ex uvis expressum.

14. (*b*) Non vereris: nulla apud te est personarum acceptio. *Licet dari tributum Cæsari?* Respondet Christus non solum quid liceat, sed etiam quid facere oporteat. *Reddite igitur*, &c. Simul eorum rationem elidit, qua putabant indignum illud esse, ut populus Dei serviat alienis: cum hæc duo non pugnent, sed inter se conveniant maxime, reddere quæ sunt Cæsaris, Cæsari: quæ sunt Dei, Deo.

24. Et respondens Jesus, ait illis: Nonne ideo erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei.

25. Cum enim a mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli in cælis.

26. De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo

* Exod. 3. 6. dixerit illi Deus, inquiens: * Ego sum Deus

Matth. 22. 32. Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob?

27. Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis.

* Matt. 22. 35. 28. * Et accessit unus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, & videns quoniam bene illis responderit, interrogavit eum quod esset primum omnium mandatum.

29. Jesus autem respondit ei: Quia primum

* Deut. 6. 4. omnium mandatum est: * Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est:

30. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum.

* Levit. 19. 18. Matth. 22. 39. Rom. 13. 9. Gal. 5. 14. Jac. 2. 8. 31. * Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tamquam teipsum. Majus horum aliud mandatum non est.

32. Et ait illi Scriba: Bene Magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, & non est alius præter eum.

33. Et ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tamquam seipsum, majus est omnibus holocautomatibus & sacrificiis.

34. Jesus autem videns quod sapienter respondisset, & dixit illi: Non es longe a regno (c) Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare.

35. Et respondens Jesus dicebat, docens in templo: Quomodo (d) dicunt Scribæ Christum filium esse David?

36. Ipse enim David dicit in Spiritu sancto:

* Ps. 109. 1. Matth. 22. 44. Luc. 20. 42. * Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

37. Ipse ergo David dicit eum Dominum, & unde est filius ejus? Et multa turba eum libenter audivit.

* Matt. 23. 6. Luc. 11. 43. & 20. 46. 38. Et dicebat eis in doctrina sua: * Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare, & salutari in foro,

39. Et in primis cathedris sedere in synagogis, & primos discubitus in cœnis:

40. Qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis: hi accipient prolixius judicium.

41. * Et sedens Jesus contra gazophylacium, * Luc. 21. 1.
aspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, & multi divites jactabant multa.

42. Cum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans (e),

43. Et convocans discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium.

44. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt: hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit misit totum victum suum.

CAPUT XIII.

Mirantibus discipulis structuram Templi prædicit Dominus urbis & Templi excidium, simul bella & persecutiones, signa de cælo futura; orandum & vigilandum præcipit: dies incertus.

1. ET cum egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis: Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ. Matth. 24. 1.

2. Et respondens Jesus, ait illi: Vides has omnes magnas ædificationes? * Non relinquetur lapis (a) super lapidem, qui non destruatur. * Luc. 19. 44. & 21. 6.

3. Et cum sederet in monte Olivarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus, & Jacobus, & Joannes, & Andreas:

4. Dic nobis, quando ista fient? & quod signum erit, quando hæc omnia incipient consummari (b)?

5. Et respondens Jesus cœpit dicere illis: * Videte ne quis vos seducat: * Eph. 5. 6. 2. Thess. 2. 3.

6. Multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum: & multos seducent.

7. Cum audieritis autem bella, & opiniones (c) bellorum, ne timueritis: oportet enim hæc fieri: sed nondum finis.

8. Exurget enim gens contra gentem, & regnum super regnum, & erunt terræmotus per loca, & fames. Initium dolorum hæc.

9. Videte (d) autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis vapulabitis, & ante præsides & reges stabitis propter me, in testimonium illis.

10. Et in omnes gentes primum oportet prædicari Evangelium.

11. * Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare (f) quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini: non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus. * Matth. 10. 19. Luc. 12. 11. & 21. 14.

12. Tra-

34. (c) Primum quidem tentandi animo venerat, experiri volens quid de hac quæstione inter legis peritos agitata responderet Christus; laudavit Domini responsum, & vicissim ab eo laudatus est: *Non longe abes a regno Dei*: quod prope esset ut crederet in Christum: jam in eo erat fides quædam implicita, & inchoata: reliquum erat ut in eum præsentem expressa fide crederet.

35. (d) Bene advertis Filius, numquam Dominum interrogare, nisi ut magnum aliquid doceat. Sic hoc loco magnum mysterium de Christi natura insinuat, qui ut homo filius est David, ut Deus est ejus Dominus. Nec scribæ poterant aliam reddere rationem cur Messias esset Dominus David: nam illius divinitatem, & regnum spirituale, quod ad omnes temporum differentias, & redemptionem humani generis pertinet, ignorabant; neque illi dubitabant, quin hic Psalm. 109. ad Messiam pertineret.

42. & 44. (e) Æqualis est quarta pars assis. *De penuria sua*: Nec tamen tentavit Deum: quia poterat operando manibus suis lucrari quæ ad victum erant necessaria.

CAP. XIII.

2. (a) Post expugnatam urbem a Tito. Sub Juliano Apostata fundamenta templi eruta fuit a Judæis novum templum extruere parantibus: sed prohibiti sunt flammarum globis e terra erumpentibus, ut referunt Ammianus Marcellinus, itque Ethnicus, Lib. 18. Nazianzenus, orat. 2. in Julianum.

4. & 6. (b) Gr. *Consummandi sunt*. *Ego sum*, Messias. Ante excidium Jerosolymæ multi extiterunt pseudo Christi.

7. (c) Gr. *Rumores*, *seditiones*, & motus populorum sub Floro præside per totam Syriam excitati: *Ne timueritis*, Gr. *Ne turbemini*.

9. (d) Id est, cavete vobismetipsis, ne terroribus & minis fidem deseratis. *In testimonium illis*, id est ad testificandum illis de me.

11. (f) Gr. Ne sitis soliciti: vult eos præsidio suo confidere, non negligentes esse, aut inertes.

12. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & consurgent filii in parentes, & morte afficient eos.

13. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit.

*Dan.9.27. Matth. 24. 15. Luc.21.20. 14. * Cum autem videritis abominationem (*f*) desolationis stantem, ubi non debet: qui legit, intelligat: tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes:

15. Et qui super tectum, ne descendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo sua.

16. Et qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum.

17. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.

18. Orate vero ut hieme non fiant.

19. Erunt enim dies illi tribulationes (*g*) tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus usque nunc, neque fient.

20. Et nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro (*h*): sed propter electos, quos elegit, breviavit dies.

*Matth.24. 23. Luc.17.23. & 21. 8. 21. * Et tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus (*i*), ecce illic, ne credideritis.

22. Exurgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa & portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos.

23. Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia.

*Is.13.10. Ezec.32. 7. Joel 2. 10. 24. * Sed in illis diebus, post tribulationem illam sol contenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum:

25. Et stellæ cæli erunt decidentes, & virtutes, quæ in cælis sunt, movebuntur.

26. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & gloria.

*Matth.24. 31. 27. * Et tunc mittet Angelos suos, & congregabit electos suos a quatuor ventis, a summo terræ, usque ad summum cæli.

28. A ficu autem discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit æstas:

29. Sic & vos cum videritis hæc fieri, scitote quod in proximo sit in ostiis.

30. Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant.

31. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

32. De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli (*k*) in cælo, neque Filius, nisi Pater.

*Matth.24. 42. 33. * Videte, vigilate, & orate, nescitis enim quando tempus sit.

34. Sicut homo, qui peregre profectus reliquit domum suam, & dedit servis suis potestatem cujusque operis, & janitori præcepit ut vigilet.

35. Vigilate ergo, (nescitis enim quando dominus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane,)

36. Ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes.

37. Quod autem vobis dico, omnibus (*l*) dico: Vigilate.

C A P U T XIV.

De nece Domini cogitant sacerdotes; unguentum pretiosum in caput ejus effunditur fremente Juda. Cœna Paschalis; panis & vini consecratio. Orat Christus in horto, & pavet: apprehenditur prodente Juda; Jesus ad Caipham ducitur; Petri negatio & pœnitentia.

1. ERat autem Pascha & Azyma post biduum (*a*), & quærebant summi sacerdotes & Scribæ, quomodo eum dolo tenerent, & occiderent. Matth. 26. 2. Luc. 22. 1.

2. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

3. * Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, & recumberet: venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati (*b*) pretiosi, & fracto alabastro, effudit super caput ejus. *Matth.26. 6. Joan. 12. 1.

4. Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, & dicentes: Ut quid perditio ista unguenti facta est?

5. Poterat enim unguentum istud venumdari plus quam trecentis denariis, & dari pauperibus. Et fremebant in eam.

6. Jesus autem dixit: Sinite eam, quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me.

7. Semper enim pauperes habetis vobiscum: & cum volueritis, potestis illis benefacere: me autem non semper habetis.

8. Quod habuit hæc, fecit: prævenit ungere corpus meum in sepulturam.

9. Amen dico vobis: Ubicumque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus.

10. * Et Judas Iscariotes unus de duodecim abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis. *Matth.26. 14.

11. Qui audientes gavisi sunt: & promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quærebat quomodo illum opportune traderet.

12. * Et primo die Azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces Pascha? *Matth.26. 17. Luc. 22. 7.

13. Et

14. (*f*) *Desolationem abominabilem*, Gr. additur. *Quæ dicta est a Daniele Propheta: Stantem ubi non debet*, Gr. ubi non oportet, scilicet in templo.

19. (*g*) Gr. Tribulatio, qualis non fuit. Quidam codices legunt. *Erunt enim dies illi tribulationis*.

20. (*h*) Phrasi Hebraica, nullus homo evaderet, nisi accelerata esset obsidio. *Breviavit dies*, id est, breviabit.

21. & 24. (*i*) Hoc in loco est Messias, qui vos liberet. *Diebus*, Hactenus de excidio Jerusalem, nunc de die judicii.

32. (*k*) Qui nullo modo sciunt: *Neque Filius*, qui nescit ad revelandum. Filius enim homo est quasi non sciens, quia non scit, ut alios scire faciat. Sic Joann. 15. 15. *Quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis:* quæ audivi ut nota vobis facerem. Sic illud Joann. 16. 13. *Quæcumque audiet, loquetur*. Quæcumque dicenda audiet. Frustra quæstiones iis de rebus seriis, quæ ad Patrem pertinent.

37. (*l*) Non vobis tantum, sed & omnibus, qui venturi sunt, dico: nam ut quisque moritur, ita judicabitur.

CAP.XIV. 1. (*a*) Mariana: *Id dixit Christus die Martis, biduo ante diem Jovis, quo ipse celebravit Pascha, Luna 14. secundum legem quod credo fecisse plures alios. Judæi vulgo per eorum traditiones, quia Sabbatum sequebatur, Luna 15. celebrarunt; ea*, inquit Mariana, *verissima ratio est Evangelistas conciliandi*.

3. (*b*) Non e foliis, sed e spicis expressi, quod pretiosius est: Gr. Πιστικῆς, per metathesim litterarum, pro σπικατῆς, spicatum, voce latina servata: eamdem vocem interpres locis diversis aliter atque aliter Latine reddit. Vox Græca ad nardum refertur.

13. Et mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis: Ite in civitatem: & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum:

14. Et quocumque introierit, dicite domino domus, quia magister dicit: Ubi est refectio (c) mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem?

15. Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum (d) grande, stratum: & illic parate nobis.

16. Et abierunt discipuli ejus, & venerunt in civitatem: & invenerunt sicut dixerat illis, & paraverunt Pascha.

* Matt. 26. 20. Luc. 22. 14. 17. * Vespere autem facto, venit cum duodecim.

* Joann. 13. 21. 18. Et discumbentibus eis, & manducantibus, ait Jesus: Amen dico vobis, * quia unus ex vobis tradet (e) me, qui manducat mecum.

19. At illi cœperunt contristari, & dicere ei singulatim: Numquid ego?

20. Qui ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino.

* Ps. 40. 10. Act. 1. 16. 21. Et filius quidem hominis vadit, * sicut scriptum est de eo: væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei, si non esset natus homo ille.

* Matt. 26. 26. 1. Cor. 11. 23. 22. * Et manducantibus (f) illis, accepit Jesus panem: & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum.

23. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes.

24. Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti (g), qui pro multis effundetur.

25. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc (h) genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei.

26. Et hymno dicto exierunt in Montem olivarum.

* 1 Joan. 16. 32. * Zach. 13. 7. 27. Et ait eis Jesus: * Omnes scandalizabimini in me in nocte ista: quia scriptum est: * Percutiam pastorem, & dispergentur oves.

28. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.

29. Petrus autem ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego.

30. Et ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.

31. At ille amplius loquebatur: Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant.

* Matt. 26. 36. * Luc. 22. 40. 32. * Et veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani. Et ait discipulis suis: * Sedete hic donec orem (i).

33. Et assumit Petrum, & Jacobum, & Joannem secum: & cœpit pavere, & tædere.

34. Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, & vigilate.

35. Et cum processisset paullulum, procidit super terram: & orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora:

36. Et dixit: Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me, sed non quod ego volo, sed quod tu.

37. Et venit, & invenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon, dormis? non potuisti una hora vigilare?

38. Vigilate, & orate ut non intretis (k) in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma.

39. Et iterum abiens oravit, eumdem sermonem dicens:

40. Et reversus, denuo invenit eos dormientes, (erant enim oculi eorum gravati) & ignorabant quid responderent ei.

41. Et venit tertio, & ait illis: Dormite jam, & requiescite. Sufficit: venit hora: ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

42. Surgite, eamus: ecce qui me tradet, prope est.

43. Et, adhuc eo loquente, venit Judas Iscariotes, unus de duodecim, & * cum eo turba multa, cum gladiis, & lignis, a summis sacerdotibus, & Scribis, & senioribus. * Matt. 26. 47. Luc. 22. 47. Joan. 18. 3.

44. Dederat autem traditor ejus signum eis, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite caute.

45. Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait: Ave Rabbi: & osculatus est eum.

46. At illi manus injecerunt in eum, & tenuerunt eum.

47. Unus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit servum summi sacerdotis: & amputavit illi auriculam.

48. Et respondens Jesus, ait illis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis & lignis comprehendere me?

49. Quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuistis. Sed ut impleantur Scripturæ.

50. * Tunc discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt. * Matt. 26. 56.

51. Adolescens (l) autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo: & tenuerunt eum.

52. At ille rejecta sindone, nudus profugit ab eis.

53. * Et adduxerunt Jesum ad summum Sacerdotem: & convenerunt omnes sacerdotes, & Scribæ, & seniores. * Matt. 26. 57. Luc. 22. 54. Joan. 18. 13.

54. Petrus autem a longe secutus est eum, usque intro in atrium summi sacerdotis: & sedebat cum ministris ad ignem, & calefaciebat se.

55. * Sum-

14. (c) Gr. Diversorium: Syr. Locus convivii. Interpres sensum loquentis expressit.

15. (d) In superiori domus parte: Gr. Cubiculum sursum positum.

18. (e) Quod per anticipationem videtur a Matthæo & Marco positum.

22. (f) Gr. Cum manducassent, post esum agni Paschalis.

24. (g) Quo fœdus inter Deum & homines sancitum est, & voluntas Christi ultima declarata. Aderant Apostoli, qui illud fœdus acceperant Ecclesiæ nomine. Apud Lucam 22. & Paulum 1. Corinth. 11. dicitur sanguis novum Testamentum; seu res ipsa Testamento relicta. Quod Testamentum in cœna conditum, in cruce obsignatum est, & confirmatum morte testatoris. Qui pro multis effundetur, Gr. Effunditur.

25. (h) Gr. pronomen, hoc, non exprimitur, atque his verbis insinuat se cum illis non amplius futurum.

32. 33. & 35. (i) Donec oravero. Tædere: Vox Græca, insigni timore, & anxietate percelli significat. Hora, Passionis: quæ oratio erat sub conditione, quam addidit his verbis: Fiat voluntas tua: desiderium naturæ, quod improprie voluntatem solemus dicere, tantum exprimit, non voluntatem, ut rationalis est, qua non aliud volebat, quam id ipsum, quod erat ordinatum a Patre.

38. & 44. (k) Per consensum: intrat vero tentatio per cogitationem. Ducite caute, Græc. ἀσφαλῶς, secure, tuto.

51. (l) Videtur fuisse ex villa, quæ horto adjacebat, quique militum strepitu excitatus e lecto prosiliens spectatum accurerat; neque is fuit e numero Apostolorum.

* Matt. 26. 59. 55. * Summi vero sacerdotes, & omne concilium quærebant adversus Jesum testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant.

56. Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum: & convenientia testimonia non erant.

57. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant adversus eum, dicentes:

58. Quoniam nos audivimus eum dicentem: * Ego dissolvam templum hoc manu factum, & per triduum aliud non manu factum ædificabo. * Joann. 2. 19.

59. Et non erat conveniens (*m*) testimonium illorum.

60. Et exurgens summus sacerdos in medium, interrogavit Jesum, dicens: Non respondes quidquam ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his?

61. Ille autem tacebat, & nihil respondit. Rursum summus sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Christus Filius Dei benedicti?

62. Jesus autem dixit illi: Ego sum (*n*): * & videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cæli. * Matt. 24. 30. & 26. 64.

63. Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes?

64. Audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis.

65. Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem ejus, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza: & ministri alapis eum cædebant.

* Matt. 26. 69. Luc. 22. 55. Joann. 18. 17. 66. * Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis:

67. Et cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait: Et tu cum Jesu Nazareno eras.

68. At ille negavit, dicens: Neque scio, neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, & gallus cantavit.

* Matt. 26. 71. 69. * Rursus autem cum vidissent illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus: Quia hic ex illis est.

* Luc. 22. 59. Joann. 18. 25. 70. At ille iterum negavit. * Et post pusillum rursus qui astabant, dicebant Petro: Vere ex illis es: nam & Galilæus es.

71. Ille autem cœpit anathematizare, & jurare: Quia nescio hominem istum, quem dicitis.

* Matt. 26. 74. Joann. 13. 38. 72. Et statim gallus iterum cantavit. * Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Jesus: Prius quam gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere.

CAPUT XV.

Passio Christi Domini.

1. ET confestim mane consilium facientes summi sacerdotes, cum senioribus, & Scribis, & universo concilio, vincientes (*a*) Jesum, duxerunt, & tradiderunt Pilato. Matth. 27. 1. Luc. 22. 66. Joan. 18. 28.

2. Et interrogavit eum Pilatus: Tu es Rex Judæorum? At ille respondens, ait illi: Tu dicis (*b*).

3. * Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. * Matth. 27. 12. Luc. 23. 2.

4. * Pilatus autem rursum interrogavit eum, dicens: Non respondens quidquam? vide in quantis te accusant. * Joann. 18. 33.

5. Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus.

6. Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petissent.

7. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium.

8. Et cum ascendisset (*c*) turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis.

9. Pilatus autem respondit eis, & dixit: Vultis dimittam vobis regem Judæorum?

10. Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes.

11. Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis.

12. * Pilatus autem iterum respondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam regi Judæorum? * Matth. 27. 22.

13. * At illi iterum clamaverunt: Crucifige eum. * Joann. 18. 39. & 40.

14. Pilatus vero dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum.

15. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur.

16. * Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, & convocant totam cohortem, * Matth. 27. 27. Joan. 19. 2.

17. Et induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam (*d*).

18. Et cœperunt salutare eum: Ave rex Judæorum.

19. Et percutiebant caput ejus arundine: & conspuebant eum, & ponentes genua, adorabant eum.

20. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis: & educunt illum ut crucifigerent eum.

21. * Et angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum (*e*), venientem de villa, patrem Alexandri, & Rufi, ut tolleret crucem ejus. * Matth. 27. 32. Luc. 23. 26.

22. Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpretatum Calvariæ locus.

23. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: & non accepit.

24. * Et

59. (*m*) Ad mortem sufficiens: vel non erant convenientia inter se testimonia.

62. (*n*) Prius dixerat, *Tu dicis*, ex Matth. cap 27. 11. tum addidit quod hoc loco ponitur: *Ego sum*; quæ fuit caussa cur adeo excandesceret Princeps Sacerdotum, quod se Filium Dei & Patri æqualem diceret. Hoc ipsis videbatur crimen blasphemiæ, quod Deo esset injurium, non autem quod se Messiam prædicaret: id enim non ut blasphemum, sed instar fraudis, aut fallaciæ habebant.

CAP. XV. 1. (*a*) Cum vinxissent: videntur soluta priora vincula in domo Caiphæ.

2. & 6. (*b*) Id quod res est. *Festum*, Paschalis: Syriace tamen legitur, *In omni festo*.

8. (*c*) Græce *Acclamasset*, interpres forte pro ἀναβοήσας legit ἀναβάς, vel populus cœpit cum acclamatione petere, ut Pilatus suo more dimitteret reum.

17. (*d*) Circumponunt ei coronam spineam, quam plexuerant.

21. (*e*) Simon ille ex filiis suis nominatur, qui celebres fuerunt inter Christianos: quod tamen incertum est.

* Matt 27. 35. Luc. 23. 34. Joan. 19. 23. 24. * Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.

25. Erat autem hora tertia (*f*): & crucifixerunt eum.

26. Et erat titulus causæ ejus inscriptus: REX JUDÆORUM.

27. Et cum eo crucifigunt duos latrones: unum a dextris, & alium a sinistris ejus.

* Isa. 53. 12. 28. * Et impleta est Scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est.

29. Et prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: * Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas: * Joann. 2. 19.

30. Salvum fac temetipsum descendens de cruce.

31. Similiter & summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.

32. Christus rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus, & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei.

33. Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram usque in horam nonam.

34. Et hora nona exclamavit Jesus voce magna, dicens: * Eloi, eloi, lamma sabacthani? quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? * Psal. 21. 2. Matth. 27. 46.

35. Et quidem de circumstantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat.

36. Currens autem unus, & implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum.

37. Jesus autem emissa voce magna expiravit.

38. Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum.

39. Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat.

* Matt. 27. 55. 40. * Erant autem & mulieres de longe aspicientes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi minoris, & Joseph mater, & Salome (*g*):

41. Et cum esset in Galilæa, sequebantur eum, * & ministrabant ei, & aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Jerosolymam. * Luc. 8. 2.

* Matth. 27. 57. Luc. 23. 50. Joan. 19. 38. 42. * Et cum jam sero esset factum (quia erat parasceve, quod est ante sabbatum)

43. Venit Joseph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipse erat expectans regnum Dei, & audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu.

44. Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. Et accersito Centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset.

45. Et cum cognovisset a Centurione, donavit corpus Joseph.

46. Joseph autem mercatus sindonem, & deponens eum involvit sindone, & posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, & advolvit lapidem ad ostium monumenti.

47. Maria autem Magdalene, & Maria Joseph aspiciebant ubi poneretur.

CAPUT XVI.

Resurrectio Domini.

1. ET cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt (*a*) aromata, ut venientes ungerent Jesum. Matt. 28. 1. Luc. 24. 1. Joann. 20. 1.

2. Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto (*b*) jam sole.

3. Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?

4. Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.

5. * Et introeuntes (*c*) in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt. * Matth. 28. 5. Luc. 24. 4. Joan. 20. 12.

6. Qui dicit illis: Nolite expavescere: Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum.

7. Sed ite, dicite discipulis ejus, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, * sicut dixit vobis. * Sup. 14. 28.

8. At illæ exeuntes, fugerunt (*d*) de monumento: invaserat enim eas tremor & pavor: & nemini quidquam dixerunt: timebant enim.

9. Surgens autem mane, * prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene, de qua ejecerat septem dæmonia. * Joann. 20. 16.

10. Illa vadens nuntiavit his, qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus.

11. Et illi audientes quia viveret, & visus esset ab ea, non crediderunt.

12. * Post hæc autem duobus ex his ambulantibus ostensus (*e*) est in alia effigie, euntibus in villam. * Luc. 24. 13.

13. Et illi euntes nuntiaverunt ceteris: nec illis crediderunt.

14. Novissime recumbentibus (*f*) illis undecim apparuit: & exprobravit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.

15. Et

25. (*f*) Sic designat spatium temporis inter horam tertiam & sextam interjectum. Hieronym. vel quisquis alius in Psalm. 77. putat errore scriptum pro *sexta* positum, tertia, quod numerorum notæ Græce sint similes. Ex Joanne, Christus condemnatus fuit hora quasi sexta, seu hora sexta incipiente: tenebræ factæ sunt hora sexta: jam per aliquod temporis spatium Christus affixus erat cruci: neque id abhorret a verisimili. quod conjicit Auctor Analyseos Gallicæ post Petavium. Librarium loco seu sexta, posuisse *τ΄ vero, γ΄ vero*: quod statim Marcus subjecerit: *Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt*; eamdem horam statim repetitam non fuisse forsan existimavit.

40. & 43. (*g*) Ex Græco liquet nomen non in genitivo, sed in nominativo poni: adeo ut Maria non vocaretur: eaque fuit mater filiorum Zebedæi. Nam Matth. cap. 27. eadem mulier dicitur mater filiorum Zebedæi; *Joseph Mater*, seu *Jose*. *Decurio*, Gr. consiliarius e Synedrio.

CAP. XVI. 1. (*a*) Paraverant aromata jam ipso die mortis, ex Luca cap. 23. sed alia quoque emerunt sub vesperam Sabbati, quod priora non sufficerent.

2. (*b*) Pervenerunt ad monumentum: vel oriente sole, id est, cum jam illucesceret.

5. (*c*) Post quam introiissent: *Viderunt juvenem*, antea non conspicuum: unius tantum meminerunt Matthæus & Marcus, cum duo essent ex Luca & Joanne: illi mentionem tantummodo faciunt ejus, qui pias mulieres est allocutus.

8. & 9. (*d*) Christum habuerunt obvium, Matth. 28 *Surgens*, Cum resurrexisset.

12. & 13. (*e*) In habitu peregrino. *Nec illi crediderunt*, Quidam ex iis, ut liquet ex Luca, cap. 24.

14. (*f*) Verisimile est hæc ipso die resurrectionis contigisse, vel paullo post; & eamdem esse apparitionem, quam Joannes commemorat: licet Thomas abesset: sed collegium Apostolorum eo numero constabat: sic ante casum Judæ collegium duodecim vocabatur. *Qui viderant eum resurrexisse*, Gr. *Suscitatum*. Pauci non crediderant.

15. Et dixit eis: Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.

16. Qui crediderit (g), & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.

17. Signa autem eos, qui crediderint, hæc
*Act. 16. 18. sequentur: * In nomine meo dæmonia eji-
* Act. 2. 4. & 10. 46. cient: * linguis loquentur novis:

18. * Serpentes tollent: & si mortiferum quid * Act. 28. 5.
biberint, non eis nocebit: * super ægros ma- * Act. 28. 8.
nus imponent, & bene habebunt.

19. Et Dominus quidem Jesus postquam lo-
cutus est eis, * assumptus est in cælum, & se- * Luc. 24. 51.
det a dextris Dei.

20. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

16. (g) Qui crediderit cum voluntate observandi mandata, si sit adultus: nam infantibus Ecclesia suam adhibet fidem.

SANCTUM
JESU CHRISTI
EVANGELIUM
SECUNDUM
LUCAM.

Ut Marcus Petri, sic Lucas Pauli jussu Græce scripsit Evangelium: quo anno incertum, an tertio Neronis anno, an forte salutis; ut nonnullis videtur, anno 53. in Achaja scriptum fuit, cum Paulus Corinthi degeret. Fieri potest ut Lucas anno 43. Evangelium & Acta vulgaverit in Achaja post reditum Pauli ab urbe Roma, ubi per biennium captivus fuerat. Is professione medicus fuit, teste Apostolo ipso, Coloss. cap. 4. Salutat vos Lucas Medicus charissimus. *Inter adjutores suos in Evangelii prædicatione eum annumerat in Epistol. ad Philemonem:* Marcus, Aristarchus, Demas & Lucas adjutores mei. *Paulum secutus videtur, cum Troade in Macedoniam profectus est: tum enim prima illius habetur mentio Actor. 16. ut comitis Pauli:* Navigantes autem a Troade recto cursu venimus Samotraciam. *Ex ipso Evangelii sui exordio palam est eum non fuisse unum e 72. discipulis Christi: non enim ait se ea scribere, quæ ipse vidit, vel audivit a Christo Domino, sed quæ ab aliis accepit. Hinc Tertull. Lib. 4. contra Marcionem, qui solum Lucæ Evangelium admittebat, idque variis in locis corruptum:* Porro, *inquit*, Lucas non Apostolus, sed Apostolicus; non magister, sed discipulus, utique magistro minor, certe tantum posterior, quanto posterioris Apostoli sectator.

Quæ autem illi fuerit scribendi Evangelii occasio, ipse in proœmio aperit: Quoniam, *inquit*, multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum. *Quidam enim res a Christo gestas scribere aggressi, falsis rumoribus narrationes suas asperserant, & Apostolicam traditionem variis fabulis fœdaverant. Qua de re conqueritur Apostolus 1. Timoth. cap. 1. Apostolorum nomine Evangelia texuerant, quorum in Ecclesia nulla extat auctoritas,* Quia id quod conati sunt, implere non potuerunt, *ut ait August. Lib. 1. de consensu Evangel. cap. 8. & Ambrosius scribens in hoc proœmium. Ita quidem magna pars veterum post Origenem Homil. 1. in Lucam, Hieronym. Præfat. in Matthæum. Augustin. lib. 4. de consensu Evang. cap. 8.*

Illud tamen non abhorret a verisimili, quod in prolegomenis suis, cap. 2. suspicatur Doctor Parisiensis, Lucam indefinite loqui de multis Christianis, qui Apostolorum ætate ea mandaverant litteris, quæ acceperant de vita & prædicatione Christi

Domini. Non enim de solis hæreticis loqui videtur, cum eos non reprehendat, necdum pleraque ab iis conficta, aut adulterata Evangelia prodiissent. Vox Græca non solum incipere, aut tentare, sed etiam facere, aut perficere significat. Sic Lucas Act. 1. cum ait de Christo. Quæ cœpit facere & docere, *ea intelligit*, quæ Jesus fecit & docuit: *pergit Evangelista:* Sicut tradiderunt nobis &c.... *hæc ad ipsum Lucam pertinent, qui in hoc Evangelio quæ audierat ab Apostolis, ut in Actis, quæ ipse viderat, exposuit. Hæc itaque illi scribendi caussa fuit, quod diligenter totam hanc historiam ab initio ad finem usque sit assecutus, a Paulo quidem, & ab aliis Apostolis, immo ut verisimillimum est a beatissima Virgine omnia edoctus, aut certe cuncta illi fuerint divinitus revelata, ut docet Chrysostomus; quod tamen non impedit, quominus ipse studium, conatum, meditationem, & diligentiam adhibuerit suam. Veritates Christianæ e Scripturis & traditione tamquam e fontibus manant; sed traditio prævertit Scripturæ.*

Quis autem fuerit ille Theophilus, an vir aliquis primarius, & magistratum gerens; tales enim eo titulo, κράτιστε, seu præstantissime, ornari solebant; an Christianus aliquis recens ad fidem conversus, eo nomine ab Evangelista designatus, ut amator Dei, id plane incertum est. Itaque Lucas quæ Christus gessit, & sibi comperta erant, mandavit litteris, cum ait: Quæ in nobis completæ sunt, rerum; *quas narrare ex ordine constituit, nempe in rebus præcipuis & in totius historiæ complexu: non quod cuncta etiam minutiora eo recensere ordine, quo gesta sunt, susceperit. Non enim Lucas, uti nec ceteri Evangelistæ, temporum ordinem ubique servare plerisque videtur, neque hanc sibi necessitatem imponit. Atque hæc de Præfatione, aut procemio.*

CAPUT PRIMUM.

Post procemium, Lucas quæ in nativitate Joannis evenerint narrat ex ordine.

1. Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum:

2. Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.

3. Visum est & mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile,

4. Ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

5. Fuit in diebus Herodis (*a*), regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, * de
* Par. 24. 10. vice Abia: & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabeth.

6. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela,

7. Et non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.

8. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante (*b*) Deum,

9. Secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini:

10. Et * omnis multitudo populi erat orans * Exod. 30. 7. Lev. 16. 17.
foris hora incensi.

11. Apparuit autem illi Angelus (*c*) Domini, stans a dextris altaris incensi.

12. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum.

13. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio (*d*) tua: & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem:

14. Et

CAPUT I. 5. (*a*) Joannis conceptio, anno 32. Herodis contigit, quindecim fere mensibus ante nativitatem Christi Domini. *Ex Lucæ narratione liquet Zachariam fuisse sacerdotem de vice Abia*, quæ octava erat e 24. quas David sorte selegerat, ut unaquæque ordine suo in templo ministraret, idque per singulas hebdomadas: adeo ut 168. diebus exactis prima classis ad functiones suas in templo obeundas rediret. *Illæ quidem familiæ ex Eleazaro & Ithamare filiis Aaron erant oriundæ*, sexdecim ex Eleazaro, octo ex Ithamare, uti ex Lib. 1. Paral. cap. 24 discimus. Atque hæ sacerdotum classes ex Josepho, Lib. 7. Antiq. cap. 11. ad excidium usque templi perstiterunt. In unaquaque familia plures erant sacerdotes, & functionem quisque suam sortiebatur: incensi oblatio Zachariæ sorte contigit.

8. (*b*) Gr. *Contra Deum*: scilicet e regione tabernaculi fœderis, qui locus Dei præsentiam exhibebat. *Hoc muneris* obtigerat Zachariæ, ut adoleret incensum in altari thymiamatis vespere & mane.

11. (*c*) Ambrosius in hunc locum: *Utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat Angelus, immo præbeat se videndum.* Non enim dubites assistere Angelum, *quando Christus assistit, quando Christus immolatur.*

13. (*d*) An pro suscipienda prole? Sed cum essent ambo senes, id minime sperabat Zacharias: cumque Angelus id ei narravit, non credidit: ergo deprecatio videtur fuisse pro salute Populi, & adventu Messiæ. Cum autem Angelus ait, *Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium*, explicare incipit qua ratione deprecatio Zachariæ pro salute populi implenda sit. *Et vocabis.* Nomen accipit a gratia: nam per gratiam datus, Auctoris gratiæ præco futurus erat.

14. Et erit gaudium tibi, & exultatio, &
multi in nativitate ejus gaudebunt (*e*):

15. Erit enim magnus coram Domino: & vinum
& siceram non bibet, & Spiritu sancto re-
plebitur adhuc ex utero matris suæ:

16. Et multos filiorum Israel convertet ad
Dominum Deum ipsorum:

17. Et ipse præcedet ante illum in spiri-
* Mal. 4. 6. tu & virtute (*f*) Eliæ: * ut convertat cor-
Matth. 11. da patrum in filios, & incredulos ad pru-
14. dentiam justorum, parare Domino plebem per-
fectam.

18. Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde
hoc sciam (*g*)? ego enim sum senex, & uxor
mea processit in diebus suis.

19. Et respondens Angelus dixit ei: Ego
sum Gabriel (*h*), qui asto ante Deum: &
missus sum loqui ad te, & hæc tibi evangeli-
zare.

20. Et ecce eris tacens (*i*), & non poteris
loqui, usque in diem quo hæc fiant, pro eo
quod non credidisti verbis meis, quæ imple-
buntur in tempore suo.

21. Et erat plebs expectans Zachariam: &
mirabantur quod tardaret ipse in templo.

22. Egressus autem non poterat loqui ad il-
los, & cognoverunt quod visionem vidisset in
templo. Et ipse erat innuens illis, & perman-
sit mutus.

23. Et factum est, ut impleti sunt dies offi-
cii ejus, abiit in domum suam:

24. Post hos autem dies concepit Elisabeth
uxor ejus, & occultabat se mensibus quinque,
dicens:

25. Quia sic fecit mihi Dominus in diebus,
quibus respexit auferre opprobrium meum inter
homines.

26. In mense autem sexto, missus est Ange-
lus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui
nomen Nazareth.

27. Ad Virginem desponsatam (*k*) viro, cui
nomen erat Joseph: de domo David, & nomen
Virginis Maria.

28. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave
gratia (*l*) plena: Dominus tecum: Benedicta tu
in mulieribus.

29. Quæ cum audisset (*m*), turbata est in
sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista sa-
lutatio.

30. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria,
invenisti (*n*) enim gratiam apud Deum:

31. * Ecce concipies in utero, & paries fi- * Is. 7. 14.
lium, & * vocabis nomen ejus JESUM. * Inf. 2. 21.

32. Hic erit magnus (*o*), & Filius Altissimi
vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem
David patris ejus: * & regnabit in domo Jacob * Dan. 7. 14.
in æternum, 27
Mich. 4. 7.

33. Et regni ejus non erit finis.

34. Dixit autem Maria ad Angelum: Quo-
modo (*p*) fiet istud, quoniam virum non co-
gnosco?

35. Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus
sanctus superveniet (*q*) in te, & virtus Altissi-
mi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur
ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

36. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa
concepit filium in senectute sua: & hic mensis
sextus est illi, quæ vocatur sterilis:

37. Quia non erit impossibile apud Deum
omne verbum (*r*)

38. Dixit

14. 15. & 16. (*e*) Ob ejus nativitatem publicum erit omni populo gaudium. *Et siceram non bibet*, more Nazaræorum: vox Hebræa *Sechar*. שכר, id omne significat, quod inebriare potest. *Ad Deum*, Ad Jesum Christum Dominum & Deum Judæorum.

17. (*f*) Eodem zelo: *Et virtute*, seu potentia. Quod Elias in secundo, hoc Joannes in primo Christi adventu præstabit: *Ut convertat corda patrum in filios*: Efficiet ut filii Patriarchas imitentur. *Parare Domino*; Ut paret plebem perfecte instructam ad excipiendam Dei gratiam. Joannes præparavit plebem per pœnitentiam, baptismum, verbum & exemplum. Ambrosius utrum cum altero confert. *In deserto*, inquit, *Elias in deserto Joannes, ille corvis pascebatur, hic dumis*, &c.

18. (*g*) Culpa non vacavit ob incredulitatem, quod fidem non habuerit Angelo tam manifeste se ostendenti; quod dubitaverit non solum de modo, ut Abraham, & Gedeon, immo & B. Virgo: sed etiam de eventu. & de re ipsa: Ambr. *Condemnatur silentio incredulitas Sacerdotis, & fides Prophetarum probatur oraculo.*

19. (*h*) Ex persona & officio fidem sibi adstruit: simul Zachariam admonet revelationum, quas ipse fecit Danieli.

20. (*i*) Surdum & mutum fuisse, ait Ambrosius; ideo per nutus loquuntur ei.

27. (*k*) Ambros. *Et bene utrumque posuit Scriptura, ut & desponsata esset, & Virgo; Virgo, ut expers virilis consortii videretur; desponsata, ne temeratæ virginitatis adureretur infamia . . . Maluit autem Dominus aliquos de sui ortu, quam de matris pudore dubitare.* Nomen Virginis Maria, quod Syriace Dominam significat.

28. (*l*) Deo gratissima. *Benedicta tu in mulieribus*. Præ omnibus mulieribus. Triplicem gratiæ plenitudinem S. Bonaventura agnoscit, Lib. 3. sent. dist. 13. quæst. 1. superabundantiæ, quæ uni Christo in ejus prærogativa convenit: abundantiæ, quæ Beatæ Virgini; & sufficientiæ, quæ reliquis Sanctis.

29. (*m*) Gr. *Vidisset*; duplici nomine turbata est, aspectu Angeli, & insolita salutatione. *In sermone ejus*, Propter sermonem ejus: *Et cogitabat*, quorsum spectaret ea salutatio, & unde proficisci posset? Ambr. *Erat cogitans cum verecundia, quia pavebat; cum prudentia, quia benedictionis novam formulam mirabatur, quæ nusquam lecta est, nusquam ante comperta.*

30. & 31. (*n*) Hebraismus, quo quis eximie gratus alteri dici solet. *Concipies*. Alludit ad vaticinium Isaiæ cap. 7. *Ecce Virgo concipiet*, &c.

32. (*o*) Rationem mox subjicit: *Et Filius Altissimi vocabitur*: Neque enim alium Patrem agnoscet: *Et dabit*, Non temporale regnum, sed spirituale. Quod in domo David firmabit longe præstantiori ratione, quam Judæi carnales expectent. Nam regnum ejus ad universam pertinebit Ecclesiam. Ambros. *Dictum est quidem etiam de Joanne ab Angelo, quod erit magnus: sed ille quasi homo magnus, hic quasi Deus magnus.*

34. (*p*) De re non dubitat, sed quærit modum B. Virgo, cui nulla erat hujus conceptionis via cognita præter commixtionem, quam voto virginitatis emissio sibi interdixerat. Non ex vana curiositate, aut ex infidelitate, sed ex cælesti prudentia ab Angelo petit: *Quomodo fiet istud?* Ex quibus verbis Aug. Lib. de sancta Virginitate, cap. 4. Mariam vovisse Virginitatem colligit: alioqui non apta videretur responsio, si de præsenti tantum, aut de præterito loqueretur, non de futuro. Ambros. *Quanto temperatior ista responsio, quam verba sunt sacerdotis? Hæc ait: Quomodo fiet istud? Ille respondit: Unde hoc sciam? Hæc jam de negotio tractat, ille adhuc de nuntio dubitat; negat ille se credere, quod negat se scire, & quasi fidei adhuc alium quærit auctorem; ista se facere profitetur, sed quomodo fieri possit, inquirit.*

35. (*q*) Illabetur in te. *Obumbrabit*. Non alium habebis sponsum, quam Deum ipsum; Pater æternus per Spiritum suum tantum opus in te perficiet. August. tract. 99. in Joann. intelligit Spiritum Sanctum, adeo ut sit repetitio horum verborum *Spiritus Sanctus superveniet in te*. Sed satis commode de virtute Patris æterni per Spiritum Sanctum fœcundatam B. Virginem intelligimus, adeo ut Pater, qui in se ab æterno genuit Verbum, ipsummet per Incarnationem gignat in utero Virginis, quæ idcirco & sponsa Patris æterni, & Mater Filii ejus, & templum est singulare Spiritus Sancti. *Obumbrabit tibi*, Proteget te, ut concipias sine viro; honeste dixit, quod vulgo gravidare, aut fœtare dici solet. Obumbrabit etiam pro fovebit; Virgil. Æneid. L. 11. Reginæ nomen obumbrat. *Ex te Sanctum*, Vox illa, *Sanctum*, vim habet nominis, non adverbii, ut visum est Maldonato; nam de persona nascitura loquitur Angelus. Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. Alludit Angelus ad Prophetiam Isaiæ, ubi fit mentio divinitatis Christi. Itaque vox, *Sanctum*, personam eamque sanctam significat, non modum tantummodo, quo Christus nasciturus est, ut fuse probat vir doctissimus.

38. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus.

39. Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana (*s*) cum festinatione, in civitatem Juda.

40. Et intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth.

41. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit (*t*) infans in utero ejus: & repleta est Spiritu sancto Elisabeth.

42. Et exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.

43. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?

44. Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.

45. Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino.

46. Et ait Maria:

Magnificat (*u*) anima mea Dominum:

47. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

48. Quia respexit humilitatem (*x*) ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

49. Quia fecit mihi magna (*y*) qui potens est, & sanctum nomen ejus.

50. Et misericordia (*z*) ejus a progenie in progenies timentibus eum.

* Isa.51.9. 51. Fecit potentiam in * brachio (*aa*)
* Ps.32.10. suo: * dispersit superbos mente cordis sui.

52. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.

* 1 Reg. 2. 5. 53. * Esurientes (*bb*) implevit bonis: &
Ps. 32. 11. divites dimisit inanes.

54. Suscepit (*cc*) Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.

55. Sicut locutus (*dd*) est ad patres no-
* Gen.17.9. & 22. 16. Ps. 131. 11. Is. 41. 8. stros, * Abraham, & semini ejus in sæcula.

56. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus: & reversa est in domum suam.

57. Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium.

58. Et audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.

59. Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam.

60. Et respondens mater ejus, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes.

61. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.

62. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum.

63. Et postulans pugillarem scripsit, * di- * Sup. 13.
cens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi.

64. Apertum est autem illico os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum.

65. Et factus est timor (*ee*) super omnes vicinos eorum: & super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc:

66. Et posuerunt omnes, qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus (*ff*) Domini erat cum illo.

67. Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto: & prophetavit, dicens:

68. * Benedictus Dominus Deus Israel, quia * Ps.73.12.
visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ:

69. * Et erexit cornu (*gg*) salutis nobis: * Ps. 131. 17.
in domo David pueri sui.

70. * Sicut (*hh*) locutus est per os sancto- * Jer. 23. 6. & 30. 10.
rum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus:

71. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos:

72. Ad faciendam (*ii*) misericordiam cum patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti.

73. * Jusjurandum (*kk*), quod juravit ad * Gen. 22. 16
Abraham patrem nostrum, daturum se nobis: Jer. 31. 33.

74. Ut sine timore, de manu inimicorum Heb. 6. 13. & 17.
nostrorum liberati, serviamus illi,

75. In sanctitate & justitia coram (*l*) ipso, omnibus diebus nostris.

76. Et

37. & 38. (*r*) Nulla res est Deo impossibilis. *Fiat mihi*, Quo quidem consensu dato statim concepit Deum & hominem, perfectum hominem, & verum Deum.

39. (*s*) In montanam Judææ regionem. Annuntiatio quidem facta est circa tempus Paschale: atque illud valde credibile est Mariam una cum Josepho conjuge ad solemnitatem festi venisse Jerusalem; peractis festis sola in montana Judææ perrexit, ut verisimile est, in civitatem Hebron, quæ urbs erat sacerdotalis, ex cap. 21. Josue, ubi domus erat Zachariæ, ut cognatam suam inviseret, eique gratularetur: per tres menses ibi est commorata. *Mariam quæ ante in penetralibus sola versabatur, non a publico virginitatis pudor, non a studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardavit*, Ambrosius.

41. (*t*) Græc. *Subsiliit*, præ gaudio, & intelligendi sensu. Exultavit infans: *Et repleta est: Non prius Mater repleta, quam Filius; sed cum Filius esset repletus Spiritu Sancto, replevit & Matrem*. Ambr. *Et ait Maria*, Prophetico afflatu.

46. & 47. (*u*) Domini magnificentiam prædicat. *Et exultavit*, Gr. Exultat: *In Deo*, Propter Deum Salvatorem nostrum.

48. (*x*) Græc. *Abjectionem*, vilitatem: Me vilem licet & abjectam Deus respexit. *Ecce enim*: Ex hoc tempore, deinceps. *Omnes generationes*, Omnes ætates, fideles omnes. Quæ Prophetia est valde insignis.

49. (*y*) Æternitatem cum virginitate conjunctam, Dei hominisque conceptionem: *Et sanctum nomen ejus*, Is cujus nomen sanctum est.

50. (*z*) Cujus misericordia perennis est; *Timentibus eum*, Religiose eum colentibus.

51. (*aa*) Gr. *Proceres, principes, δυνάστας* Ipsorum consilia & cogitationes vanas & elatas disjecit.

53. (*bb*) Pauperes; quod de beneficiis divinis in gentes effusis recte intelligitur.

54. (*cc*) Vox Græca insinuat populum suum dejectum quasi porrecta manu sustentasse & erexisse, cum a dæmonis tyrannide eum liberavit. *Recordatus*, Græc. *Ut recordaretur*. Ut declararet se suæ misericordiæ non esse oblitum.

55. (*dd*) Sicut promisit *Semini Abraham*, & omnibus ejus posteris fœdere sempiterno.

65. (*ee*) Phrasi Hebr. Reverentia & religione impleti sunt omnes: *Lingua ejus. Quia quam vinxerat incredulitas, fides solvit*. Ambrosius.

66. (*ff*) Potentiam enim suam Deus in ejus pueri nativitate ostenderat.

69. (*gg*) Cornu pro potentia & gloria; *Cornu salutis*, potentiam salutarem, florentem rerum statum erexit: Nam hoc regnum ante dejectum erat, & afflictum: *In domo David*; In familia David potentem suscitavit successorem, Messiam nimirum.

70. & 71. (*hh*) Quemadmodum ante promiserat. *Salutem*, Promiserat enim fore ut nos ab inimicis nostris liberaret.

72. (*ii*) Græc. *Ut faceret misericordiam*: quæ enim patribus promiserat, hæc adimplevit: *Et memorari*, Et se memorem esse fœderis cum Abrahamo icti declaravit.

73. (*kk*) Juxta jusjurandum quod Deus fecerat, fore ut hoc nobis beneficium largiretur.

75. & 77. (*ll*) Non ficta, sed vera pietate. *In remissionem*, Per Christum.

76. Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus:

*Mal. 4. 5. Sup. 17. 77. * Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: in remissionem peccatorum eorum:

78. Per viscera misericordiæ Dei nostri: in

*Zach. 3. 9. & 6. 12. Mal. 4. 2. quibus visitavit nos, * oriens (*mm*) ex alto:

79. Illuminare (*nn*) his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

80. Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu: & erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel.

CAPUT II.

Christi nativitas, quæque acta sunt usque ad annum Christi tricesimum; edictum Cæsaris ut describeretur orbis Romanus; Maria parit Filium primogenitum: adsunt pastores; Circumcisio, Purificatio; Simeon & Anna prophetizant; puer Jesus in templo inter Doctores.

1. FActum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto ut describeretur (*a*) universus orbis.

2. Hæc descriptio (*b*) prima, facta est a præside Syriæ Cyrino:

3. Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem (*c*).

4. Ascen-

78. (*mm*) Vox Hebræa est nomen proprium Messiæ, Zach. 3. Græce nomen est substantivum, non participium.

79. (*nn*) Ad illuminandum. In hoc cantico Zacharias gratias agit Deo ob Incarnationis beneficium; quæque ad filii sui ministerium spectant, hæc prædicit.

CAP. II. 1. (*a*) Augustus censum illum indixit, ut Imperii Romani vires & opes perspectas haberet, quotve essent viri ferendis armis idonei. Sed Deus ipse hunc censum faciendum decrevit, quo Joseph & Maria se in oppidum Bethlehem communem utriusque Patriam recipere cogerentur, & Michææ Prophetiam implerent: simul ut ex tabulis publicis census liqueret: Christum Jesum ex stirpe David esse prognatum. Hinc Tertull. scribens contra Marcionem Lib. 4. cap. 7. *Censum Augusti testem fidelissimum Dominicæ nativitatis Romana Archiva custodiunt.*

2. (*b*) Hic multæ & graves oriuntur difficultates. Primum enim opponunt nonnulli profanos historicos hujus census non meminisse. Quibus respondetur primum a viro perdocto, nihil mirum esse si apud Historicos vix ulla hujus descriptionis mentio habeatur: nam ex iis qui extant, solus Dio Cassius historiam Augusti integram conscripsit, ac decem ejus libri, qui acta Augusti ab anno Urbis conditæ 738. ad annum usque 748. continent, temporum injuria perierunt: quo quidem temporum intervallo hæc descriptio facta est. Resp. 2. Justinum Martyrem & Tertull. his vicinos temporibus Ethnicos & hæreticos ad tabularia publica, quæ tum integra servabantur, provocare, ut Christi stirpem regiam e semine David evincant. Plinius Lib. 4. c. 9. descriptionis Italiæ ab Augusto factæ meminit. Quin & C. Tacitus. Lib. 1. Annal. cap. 11. & Sveton. in Augusto, cap. 101. testantur Augustum in commentarios redegisse Imperii Provincias, civitates, tributa, civium & sociorum nomina, onera, &c. Ita quidem D. le Nain in notis suis, pag. 443. eam solvit objectionem. *A Cyrino præside;* Præpositio a, deest in Græco, Cyrino præsidente in Syria. Oppon. 3. Cyrinum, aut Quirinum tum Syriæ præsidem non fuisse, sed Sentium Saturninum ex Tertull. aut Quintilium Varum clade in Germania post aliquot annos acceptia nobilem: idque numismatum inscriptiones, quas vir Doctiss. P. Pagi edidit, omnino persuadent: Nam litteræ numerales E, K, præ se ferunt annum vigesimum quintum æræ Antiochenæ, quæ die 2. Septembris incipit, hoc est, anno ab urbe condita 747. Itaque Varus videtur præfuisse Syriæ ante diem 2. Septembris anni 747. qui præcessit natalem Domini. Hunc nodum ita solvit Abbas Fizzonius. Duo quippe tum temporis fuerunt præfecti Syriæ, Varus superioris, Sentius Saturninus inferioris. De hoc constat ex Josepho, c. 18. ubi Josephus ait tres reos ab Herode ad Saturninum missos, qui Syriam administrabat, & Beryti tum agebat; idque factum est ineunte hoc ipso anno, quo Christus natus est: sed & numismata Vari nomine inscripta fidem faciunt Varum Syriæ præfuisse jam ab anno præcedenti, itque per quatuor, aut quinque annos insequentes huic Provinciæ præfectus fuit, teste Josepho, Lib. 17. Antiq. c. 7. & 12. Duo igitur simul extiterunt Syriæ præfecti. Quod aliter vix solvi potest, quam hac distinctione adhibita, nempe Saturninum Syriæ inferiori, & vicinis Provinciis, Phœniciæ nimirum, & Palæstinæ. Varum autem superioris Syriæ, quæ ad Euphratem, usque & Armeniæ fines porrigebatur, præpositos fuisse. Anno 740. Berytum Augustus suadente Agrippa propter opportunitatem portus, & situm urbis, coloniam Romanam deduxerat anno tertio Olympiadis 191. teste Eusebio in Chronico; Coloniæ, inquit, Berytom, & Patras deductæ. Idque Strabo qui ea fere ætate scripsit, Lib. 16. Geog. testatur. Berytus tunc a Romanis instaurata duas legiones suscepit ibi ab Agrippa collocatas, cum in tota Syria tres tantum essent legiones, adeo ut Antiochiæ una tantummodo superesset. Quamobrem nihil mirum est si Saturninus Beryti sedem haberet, & censum Provinciarum sibi subjectarum fecerit; Sulpitio Quirino, aut Cyrino in partem hujus laboris vocato: quemadmodum Germanicus anno 16. Christi P. Vitellium, & C. Antium in idem opus sibi adjunxit, ut Tacitus, Lib. 1. Annal. commemor. Itaque circa nativitatem Joannis exiit edictum a Cæsare, ut describeretur universus orbis Romanis subjectus: *Atque hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino.* Nam Augustus Quirino id muneris injunxit, ut una cum Saturnino, qui huic Provinciæ erat præfectus ordinarius, hunc censum ageret extraordinaria, seu delegata potestate munitus. Atque idem Quirinus undecimo post anno eidem provinciæ præpositus fuit, isque Archelao deposito novum iniit censum, quem Lucas innuit his verbis: *Hæc descriptio prima facta est a Præfecto Syriæ Cyrino;* tumque tributum in capita fuit indictum, quod antea in Judæa non solvebatur. Occasione hujus tributi Judas Galilæus seditionem commovit, quod populi libertatem infringere videretur. Alii existimant, hanc descriptionem inchoatam fuisse a Saturnino, perfectam e Quirino: ac subinde fieri potest ut Quirinus Syriæ Præses a Luca nominetur, quod huic Provinciæ postea præfectus fuerit, cum in Judæam tantum venerit, posteriorem censum acturus, anno Christi undecimo, ex Josepho Lib. 18. c. 1. Tum enim in Judæam venit, cum jam attributa esset Syriæ Provinciæ, nempe ut percenseret Judæorum facultates, atque ut res Archelai in suam redigeret potestatem. In priori censu personæ tantum, in hoc posteriori facultates etiam in tabulas sunt relatæ: priorem fecit ut Saturnino adjunctus, posteriorem ex ordinaria potestate sua; priorem tantum descriptionem commemoravit Lucas, quod hæc sola ad Christi nativitatem pertineret. Josephus posterioris tantum meminit, quod prior orbi Romano communis esset, posterior ad gentem Judaicam spectaret. Ex priore descriptione Justinus Martyr in Apologia ad Antoninum circa medium secundi sæculi probat Christum natum esse in urbe Bethlehem: *Quemadmodum*, inquit, *ex descriptionibus census alis, quæ sub Quirino sunt confectæ cognoscere potestis:* tumque verborum sensus multo erit apertior. Illud addit R. Simon in veteribus quibusdam MSS. non legi, a præside Quirino, sed uti jam dictum est, sublata præpositione, *a*, Quirino præside facta est; tumque sensus multo erit illustrior. Hic vero census toto orbe pacato factus est, & Jani templum occlusum, ut docet Augustinus, Lib. 18. de civit. cap. 46. Idem scribit Hieron. in cap. 2. Isaiæ. Svetonius in Augusto, cap. 22. *Augustus Janum Quirinum semel atque iterum a condita urbe memoriam ante suam clausum in multo breviori temporis spatio terra marique pace parta ter clausit.* Primum videlicet post pugnam Actiacam anno 725. Secundo ex Dione, Lib. 51. post confectum bellum Hispanicum anno urbis 729. Tertio denique anno 746. Jam ab anno 744. id decretum fuerat ex Dione. Lib. 54. sed ob bella Pannoniæ & Germaniæ executioni mandatum non fuit, nisi anno 746. Hinc Horatius ode 15.

Et vacuum duellis
Janum Quirini clausum.

Idque factum est postquam Catti & Sicambri pacem postulassent:

Te cæde gaudentes Sicambri
Compositis venerantur armis.

Quæ pax anno ipso, quo Christus natus est, nullo bello turbata est, & portæ Jani per 12. annos sunt occlusæ usque ad annum 758. In iis paulo longiores fuimus quod permagni sint momenti ad historiæ Evangelicæ intelligentiam, atque ut æra Christiana continuatur. Natus est enim Christus anno ab urbe condita 749. Augusti a primo consulatu 39. anno 33. Herodis ab expugnata Jerosolyma, & capto Antigono: ante æram vulgarem annis quatuor. Cum enim sub Herode natus sit, ante annum 42. correctionis Julianæ, & anno 750. urbis Romæ, quo mortuus est Herodes, natum eum fuisse necesse est. Æra autem vulgaris cadit in annum 46. correctionis, & 754. urbis. Itaque anno 749. ab urbe condita die 25. Decembris juxta constantem Ecclesiæ traditionem Salvator noster natus est; anno insequenti exeunte mense Novembri mortuus est Herodes.

3. & 4. (*c*) In qua erat familiæ caput. *in civitatem David*, in qua natus erat David.

4. Ascendit autem & Joseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur * Bethlehem : eo quod esset de domo, & familia David. * Mich. 5. 2. Matt. 2. 6.

5. Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.

6. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.

7. Et peperit filium suum primogenitum (*d*), & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio : quia non erat eis locus in diversorio.

8. Et pastores erant in regione (*e*) eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.

9. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno.

10. Et dixit illis Angelus : Nolite timere : ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo :

11. Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.

12. Et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio.

13. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, & dicentium :

14. Gloria (*f*) in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

15. Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in cælum, pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.

16. Et venerunt festinantes : & invenerunt Mariam, & Joseph, & infantem positum in præsepio.

17. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.

18. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt : & de his quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos.

19. Maria autem conservabat (*g*) omnia verba hæc, conferens in corde suo.

20. Et reversi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos.

21. * Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus * Jesus, quod vocatum est ab Angelo prius quam in utero conciperetur. * Gen. 17. 12. Lev. 12. 3. * Matth. 1. 21. Sup. 1 31.

22. Et postquam impleti sunt dies (*h*) purgationis ejus * secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. * Lev. 12. 6.

23. Sicut scriptum est in lege Domini : * Quia omne masculinum (*i*) adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur : * Exod. 13. 2. Num. 8. 16.

24. Et ut darent hostiam (*k*) secundum quod dictum est * in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. * Lev. 12 8.

25. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus, & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo.

26. Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.

27. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo :

28. Et ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum, & dixit :

29. Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace :

30. Quia viderunt oculi mei salutare tuum.

31. Quod parasti (*l*) ante faciem omnium populorum :

32. Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.

33. Et erat pater (*m*) ejus & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.

34. Et benedixit illis Simeon : & dixit ad Mariam matrem ejus : * Ecce positus est hic in ruinam (*n*), & in resurrectionem multorum in Israel : & in signum, cui contradicetur : * Isa. 8. 14. Rom. 9. 33. 1. Pet. 2. 7.

35. Et tuam ipsius animam (*o*) pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

36. Et

7. (*d*) Non quod post illum filios genuerit, sed quod ante illum neminem genuisset : *Et pannis eum involvit :* Sine dolore peperit, aut nulla partium læsione. Nam aliæ mulieres præ partus doloribus id facere non possunt. Origenes L. 1. contra Celsum ; Ostenditur, inquit, apud Bethlehem spelunca, ubi natus est, & in ea præsepe, ubi fasciis obvolutus est. Atque hæc spelunca fuit extra oppidum. Et quidem stabula olim erant antra quædam extra oppida posita, ut testatur Julius Pollux Lib. 9. cap. 4. Ambr. *Ex utero fundatur, sed corruscat e cælo ; terreno in diversorio jacet, sed cælesti lumine fulget ; nupta peperit, sed Virgo concepit ; nupta concepit, sed Virgo generavit.*

8 & 9. (*e*) In agro vicino : *Vigilantes*, Gr. In agro pernoctantes. *Claritas Dei*, Majestas divina in Angelo refulgens.

14. & 15. (*f*) Gloria sit Deo ob Christum natum. *Bonæ voluntatis*. Gr. εὐδοκία, quæ vox in Scripturis significare solet propensam Dei erga homines voluntatem, qua scilicet misit hominis Salvatorem. Hieron. tamen & veteres Latini legunt, bonæ voluntatis, seu ex bona Dei voluntate. *Verbum*, Rem novam quæ evenit.

19. (*g*) Quibus verbis commendatur modestia simul & prudentia B. Virginis ; modestia, quia humili silentio se continet, nec suam jactat felicitatem muliebri loquacitate ; prudentia, quia cuncta animo meditatur, & confert ad invicem.

22. (*h*) Matris & Filii : qui ritus observabatur post 40. dies a partu masculi, ex cap. 12. Levit. tametsi hac lege non tenebatur Beatissima Virgo, quod non peperisset suscepto semine, nec obnoxia fuisset in sordibus, quæ partum subsequuntur. *Tulerunt illum in Jerusalem*, juxta legem Exodi 13.

23. (*i*) Id est, omne primogenitum, seu vulva aperiatur, seu clausa remaneat Christus vero exiit ex utero Virginis, illæso materno corpore ; hæc sola sine corruptione concepit, & sine Virginitatis detrimento peperit : Christus exiit ex utero, ut radius solis e nube ; Virgo concepit & peperit. Isaiæ cap. 7.

24. (*k*) Pro matre : nam primogenitus redimebatur quinque siclis, qui non offerebantur pro ipsa prole, sed quia eo pretio redimi debebat. *Vocabitur*, Sanctificabitur, & a communi usu separatum Deo dicabitur.

31. & 32. (*l*) Exhibuisti omnibus gentibus. *Ad revelationem gentium*, Ad illustrationem gentium : hoc lumen, quod est Christus, gentibus est revelatum.

33. (*m*) Non solum hominum opinione, sed multo etiam magis ratione conjugii, quod ex Maria absque injuria conjugii conceptus natus sit : item ratione educationis. Origenes Homil. 12. in Levit. *Pro fidelis ministerio Patris et vocabulum Scriptura concessit.*

34. (*n*) Multi non credentes in Christum offendent vitio suo. Isa. 8. alii credentes salvabuntur. *Et in signum ;* Erit quasi in scopum, in quem omnes pene dirigent sagittas contradictionis : erit instar vexilli, quod multi evertere conabuntur.

35. (*o*) Hæc videntur legenda per parenthesim, adeo ut hæc verba, *Ut revelentur*, &c. ad superiora referantur. *Positus est in signum cui contradicetur ;* & lingua, & manu, ut hinc manifestum fiat, quo quisque sit animo in Christum. *Gladius* autem sæpe pro persecutione, aut dolore ponitur in Scripturis.

36. Et erat Anna propheriſſa, filia Phanuel, de tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem a virginitate ſua.

37. Et hæc vidua uſque ad annos (*p*) octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die.

38. Et hæc, ipſa hora ſuperveniens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael.

39. Et ut perfecerunt omnia ſecundum legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam in civitatem ſuam Nazareth.

40. Puer autem creſcebat (*q*), & confortabatur, plenus ſapientia: & gratia Dei erat in illo.

41. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jeruſalem, * in die ſolemni Paſchæ.

* Exod. 23. 15. & 34. 18. Deut. 16. 1.

42. Et cum factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Jeroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti,

43. Conſummatiſque diebus, cum redirent, remanſit (*r*) puer Jeſus in Jeruſalem, & non cognoverunt parentes ejus.

44. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos.

45. Et non invenientes, regreſſi ſunt in Jeruſalem, requirentes eum.

46. Et factum eſt, poſt triduum invenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.

47. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia, & reſponſis ejus.

48. Et videntes admirati ſunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid feciſti (*ſ*) nobis ſic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.

49. Et ait ad illos: Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?

50. Et ipſi non intellexerunt (*t*) verbum quod locutus eſt ad eos.

51. Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus (*u*) illis. Et mater ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo.

52. Et Jeſus proficiebat ſapientia, & ætate & gratia apud Deum, & homines.

CAPUT III.

Joannes Baptiſta prædicat in deſerto teſtimonium ejus de Chriſto. Baptiſmus & genealogia Chriſti.

1. ANno [(*a*) autem quintodecimo imperii Tiberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ tetrarcha,

2. * Sub

37. & 39. (*p*) Ætatis, non viduitatis. *Reverſi ſunt in Galilæam*, Poſt fugam in Ægyptum. Ante cædem infantium, & priuſquam Varus Syriæ præfectus veniret in Judæam, hæc facta eſt fuga. Varus enim Saturnino ſucceſſit, utrique Syriæ præfectus. Herodes exeunte hoc anno tot ſcelerum pœnas dedit dira morte.

40. (*q*) Plenus erat ſapientia, & tamen proficiebat quoad actum, non quoad habitum: Majora in dies edebat ſapientiæ opera. Non ut augmentum aliquod acciperet, ait Nazianzenus, cum ab initio gratia ſapientiaque abſolutus eſſet; ſed quod hæc hominibus ignaris paullatim appareret, atque ut infra loquitur Lucas: *Stupebant omnes qui audiebant, ſuper prudentia & reſponſis ejus*. Itaque profectus ille non erat aliud quiddam, quam manifeſtatio divinæ illius ſapientiæ, & ſcientiæ, quæ inſtar theſauri erant in Chriſto abſconditæ.

43. & 44. (*r*) Ut oſtenderet quale munus ſibi eſſet a Patre datum. *In comitatu;* Forte accidit, ut Joſeph & Maria certis de cauſſis reliquerint, Jeſum & cognatos cum quibuſcum venerant, brevi ſe aſſecuturos ſperantes: interim Chriſtus ſe comitatui ſubduxit.

48. (*ſ*) Huic velut expoſtulationi amantiſſimæ Matris ſic reſpondit Chriſtus, ut doctores, & qui aderant, poſſent intelligere alium eſſe ejus Patrem. Nec verba matris ſunt reprehendentis, ſed admirantis, & dolentis; cauſſam hujus abſentiæ inquirebat.

50. (*t*) Quæ res eſſent illæ Patris, quibus eum vacare oporteret: nec ob ſummam in eum reverentiam auſi ſunt interrogare. Dolentes quærebant Jeſum, non quod metuerent, ne ab itinere aberraſſet, aut eos deſeruiſſet, ut videtur Origeni; ſed amor urgebat, & eum quærebant prius, quam cauſſam ipſam, cur tam ſolicite eum quærerent, ſerio expendiſſent. Simul nos docuerunt Jeſum non negligenter, ſed ſummo ſtudio quæri oportere, hunc adeo in ipſa Eccleſia inveniri, non extra Eccleſiam.

51. (*u*) In omnibus officiis liberorum erga parentes. Ambr. *Quid enim magiſter virtutis, niſi officium pietatis impleret? Non utique infirmitatis, ſed pietatis illa ſubjectio eſt*. *Conſervabat omnia verba hæc*, quæ poſtea doceret Apoſtolos: nec quicquam dici probabilius poteſt, quam Evangeliſtam hæc accepiſſe ex ore B. Virginis.

CAP. III. 1. (*a*) Id vero permagni eſſe momenti tempus conſtituere, quo Præcurſor Domini implere cœpit miniſterium ſuum, hinc licet colligere, quod Spiritus Sanctus annum ipſum tam accurate deſignatum voluerit: hoc enim ipſum tempus fuit initium Evangelii. Sed gravis hoc loco oritur quæſtio, unde annus ille decimus quintus Imperii Tiberii Cæſaris ſuum ducat initium, an ab Auguſti obitu, quæ vulgaris pene & recepta eſt recentiorum interpretum ſententia; an potius ab eo ipſo tempore, quo ab Auguſto in ſocietatem imperii adſcitus eſt Tiberius, idque triennio ante Auguſti obitum, anno æræ vulgaris 26. cui ſententiæ veteres Patres adſtipulari videntur, & paucis ab hinc annis viri in primis docti non infirmis argumentis eam confirmant; ac præter alios Abbas Pezronius in Hiſtoria Evangelica id fuſius perſequitur. Primum enim Lucas Joannis miniſterium anno decimo quinto imperii Tiberii Cæſaris incepiſſe ait, Græce ἡγεμονίας, ſeu principatus, aut regiminis. Quæ vox non abſolutum, aut ſummum ſignificat imperium, quod voce μοναρχίας exprimi ſolet. Tempus enim deſignat, quo ab Auguſto in ſocietatem regiminis vocatus eſt Tiberius, idque anno ab urbe condita 764. Nam anno 763. ædem Concordiæ dedicavit ſuo & Druſi nomine, ex Dione Caſſio Lib. 56. idque factum eſt die 16. Januarii ex Ovidio Lib. 1. Faſtorum, Dolabella & Silano conſulibus. Tum reverſus eſt in Germaniam, ubi hujus populi furorem repreſſit, in Galliam profectus exortos ſedavit motus; mox ab Auguſto in ſocietatem imperii eſt adſcitus. Ac non multo poſt, ait Svetonius in Tiberio, cap. 21. lege per conſules lata ut Provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret, ſimulque cenſum ageret, condito luſtro in Illyricum profectus eſt. Itaque anno Chriſti 15. ſeu æræ vulgaris 12. conſulibus Æmilio Lepido, & Statilio Tauro, collega imperii, ut loquitur Tacitus, factus eſt. *Illuc*, inquit, *cuncta vergere*. Annal. 1. cap. 3. Illius, collega Imperii, conſors Tribunitiæ poteſtatis aſſumitur, omneſque per exercitus oſtentatur. Id confirmat Velleius Paterculus cap. 123. Senatus populuſque Romanus poſtulante patre ejus: ut æquum ei jus in omnibus provinciis exercitibuſque eſſet, &c. Jam ante Cæſar erat, nunc æqua cum Auguſto poteſtas ei datur. Anno inſequenti 765. Tiberius creavit Lucium Piſonem Romæ præfectum, ex Svetonio, cap. 42. & Tacito Annal. Lib 6. cap. 10. deinde Piſo per viginti annos pariter probatus. At, inquiunt, nemo ex veteribus Tiberii annos ex illa imperii ſocietate enumerat. Reſpondet Pezronius in Tito & Trajano annos ab illa ſocietate olim fuiſſe computatos. P. Pagi profert numiſmata, quibus annus Titi undecimus inſcribitur, cum per biennium tantummodo a Veſpaſiani morte regnaverit, poſt Auguſti obitum Tiberius videbatur cunctanter agere, & Senatus expectare decretum, ſeu ipſe Senatus auctoritatem, cui Auguſtus plurimum tribuerat, ſeu Germanicum tot legionum ducem militibus & populo charum pertimeſceret. Nihilominus tamen prætorianæ cohortes ejus cuſtodiæ aderant. 2. Qui mortem Chriſti ad conſulatum duorum Geminorum referunt, annos Tiberii aliter computare non potuerunt: ſecus eodem anno baptizatus fuiſſet Chriſtus & mortuus. Auguſtin. Lib. 18. de Civit. Dei, cap. 54. *Mortuus eſt ergo Chriſtus duobus Geminis conſulibus* ..... Clemens Alex. ait Chriſtum mortuum eſſe anno 15. Tiberii; nempe ab Auguſti obitu. Idem docet Julius Africanus apud Hieronymum in cap. 9. Danielis. Is vero annus decimus quintus Tiberii duorum Geminorum conſulatu in Faſtis & in Romana ſignatur hiſtoria. Tertull. Lib. contra Judæos: cap. 8. *Chriſti paſſio perfecta eſt ſub Tiberio Cæſare, Conſulibus Rubellio Gemino*

* *Act.* 4. 6. 2. * Sub principibus sacerdotum Anna (*b*), & Caipha: factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto.

* *Matt.* 3. 1. *Marc.* 1. 4. 3. * Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem (*c*) peccatorum,

4. Sicut scriptum est in Libro sermonum
* *Isa.* 40. 3. Isaiæ prophetæ: * Vox clamantis in deserto:
Joan. 1. 23. Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus:

5. Omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aspera in vias planas:

6. Et videbit omnis caro salutare Dei.

7. Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut
* *Matth.* 3. baptizarentur ab ipso: * Genimina viperarum,
7. & 23. quis ostendit vobis fugere a ventura ira?

8. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham: Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

9. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

10. Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus?

* *Jac.* 2. 15. 1. *Joann.* 3. 17. 11. Respondens autem dicebat illis: * Qui habet duas tunicas (*d*), det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.

12. Venerunt autem & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus?

13. At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quam quod constitutum (*e*) est vobis, faciatis.

14. Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; & contenti estote stipendiis vestris.

15. Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus:

16. Respondit Joannes, dicens omnibus: * Ego * *Matth.* 3. 11.
quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior *Marc.* 8. 1.
me, cujus non sum dignus solvere corrigiam *Joann.* 1. 26.
calceamentorum ejus: * ipse vos baptizabit in * *Matth.* 3. 11.
Spiritu sancto, & igni: *Actor.* 1. 5.

17. Cujus ventilabrum in manu ejus, & pur- & 11. 16.
gabit aream suam, & congregabit triticum in & 19. 4.
horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

18. Multa quidem, & alia exhortans evangelizabat populo.

19. * Herodes autem tetrarcha, cum corri- * *Matt.* 14. 4.
peretur ab illo de Herodiade uxore fratris sui, *Marc.* 6. 17.
& de omnibus malis (*f*), quæ fecit Herodes,

20. Adjecit & hoc super omnia, & inclusit Joannem in carcere.

21. * Factum est autem cum batizaretur om- * *Matth.* 3. 16.
nis populus, & Jesu baptizato, & orante, aper- *Marc.* 1. 10.
tum est cælum: *Joan.* 1. 32.

22. Et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: & vox de cælo * *Matth.* 3. 17. & 17. 5.
facta est: * Tu es filius meus dilectus, in te
complacui mihi. *Isa.* 9. 55.

23. Et ipse Jesus erat incipiens (*g*) quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat,

24. Qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph,

25. Qui

mino & Rufino Gemino. Idem tradunt Lactantius, Lib. 4. Instit. cap. 10. Sulpitius Severus. Lib. 2. Histor. Sacræ, & alii quos profert Pezronius, dissertatione 4. ubi annum quo passus est Christus, eum probat esse qui a morte Augusti est decimus quintus. 3. Hoc ipsum confirmatur ex professione, quam Herodes Antipas anno æræ vulgaris 26 Romam suscepit. Cœpta est anno 26. æra vulgaris: qua quidem annis missionis Joannis, Baptismi, & mortis Christi sic constituitur, ut veterum ea de re sententiæ nullo pene negotio concilientur: idque ex sequentibus fiet illustrius. *Procurante Pontio Pilato*; Josephus Lib. 18 Antiq. cap. 3. His ita gestis Gratus Romam reversus est; exactis in Judea annis undecim, cujus successor fuit Pontius Pilatus. Valerius ille Gratus quartus fuit Judææ præses jam a morte Augusti in eo munere constitutus. Undecimus annus Grati administrationis desinit in annum Christi tricesimum, seu vigesimum sextum æræ communis. Pilatus vero eodem Josepho teste decem annos Judæam administravit. *Tetrarcha autem Galilææ Herode*, Antipa Herodis magni filio, Philippo autem fratre ejus Tetrarchæ Ituræ, citra Jordanem, & *Trachonitidis* ultra Jordanem positæ, & *Lysania Abilinæ Tetrarcha*: De his dictum est in prolegomenis Veteris Testamenti, dissert. 4 Galilæa cum superior, tum inferior, & Perea ultra Jordanem Antipæ cesserunt: Philippo regio omnis a Cæsarea Philippi, seu a Jordanis fontibus Capharnaum usque ad lacum Galilææ patebat. Lysanias vero ille videtur filius alterius Lysaniæ, qui Antonii jussu occisus fuit, idque a vero non abhorret, partem avitæ ditionis huic esse restitutam ab Augusto tum Archelaus regno dejectus est, & alii Herodis filii idem adierunt discrimen. Rem omnem ab altiori principio deducit Vir clariss. D. le Nain, in suis notis, nempe Ptolemæo quodam Mennææ filio, cujus identidem meminit Josephus, quique ex Strabone, Lib 16. civitates quasdam Ituræas invaserat, cum reges Syriæ bellis civilibus sese mutuo attererent. Hic Lysaniam filium heredem habuit, sed eo postea occiso Antonii jussu Zenodorus hunc principatum certo pretio a Romanis conduxit, cui ab Augusto ereptus, & Herodi traditus, parte tantummodo Zenodoro relicta: quæ, ut verisimile est, Abilinæ erat Tetrarcha, quam Lysanias aut filius, aut nepos prioris Lysaniæ anno 12. Tiberii obtinebat.

2. (*b*) *Anna* seu *Ananus*, anno Christi 11 æræ communis 7. Pontifici successor datus est a Quirino post secundum censum populi, qui magnos in Judæa tumultus excitaverat, isque per 15 aut 16. annos Pontificatum gessit, ac titulum summi sacerdotis semper retinuit, cum magno Synedrii consilio præesset. Secta erat Sadducæus & dives: ex ea secta Romani Pontifices eligebant, quod minus essent ad seditionem prompti: nam erant opulenti. Deinde ea ratione Pharisæorum potentiam librabant, qui apud plebem in magna erant auctoritate. Caiphas erat Annæ gener.

3. (*c*) Quod jungendum videtur cum voce *pœnitentiam*, non utique cum voce *baptismum*; qua de re alibi.

11. (*d*) Plures quam sit necessarium, quæ eo spectant, ut dentur superflua indigentibus: idque præceptum est, non consilium tantummodo: Nam respondet Joannes quærentibus quid faciemus, ut vitetur ira Dei; & cætera omnia, quæ hoc in loco a Joanne dicuntur, sunt de præcepto.

13. & 15. (*e*) A principe, aut magistratu. *Faciatis* Gr. *Exigatis*. Ex hoc loco August. Epist 5. ostendit, militiam non esse Christianis prohibitam. *Existimante* Expectante adventum Messiæ imminentem.

19. (*f*) Libertate Prophetica de omnibus, quæ publice nota erant, & reprehensione digna. Regem corripere non veritus.

23 (*g*) Gr. Et ipse Jesus erat quasi annorum triginta: *Incipiens* [illegible], suppleri potest, ministerium suum. Nam Lucas, Actor. 10. hac voce utitur, incipiens ministerium, quod statim post Baptismum incepit. Atque hac in re veteres omnes consentiunt. Hinc August. Lib 2 de Doctr. Christ. cap. 28. *Dominum annorum triginta fere baptizatum esse retinemus auctoritate Evangelica*. Non anno ætatis 34. baptizatus est, uti Usserius & post eum viri quidam docti opinantur: atque ea videtur constans Ecclesiæ traditio. Iren. Lib. 2. cap. 38. refellit Valentinianos, qui 30 Æonas fabulosos ex 30. annis Christi statuebant: *Non ergo triginta Æones sunt; nec ob hoc Salvator triginta annorum existens venit ad Baptismum*. Concil. Neocæsar. Canone 11. *Presbyter ante 30. annos non ordinetur; Dominus enim Jesus Christus tricesimo anno baptizatus est, & cœpit docere*. Complures post Julium Africanum utramque genealogiam Matthæi & Lucæ exponunt eo quo alibi diximus modo. Ex Salomone descendit Mathan per Abiud filium Zorobabel; ex Mathan descendit Melchi per Resa, qui alter fuit Zorobabelis filius. Mathan uxorem duxit Estham, ex qua natus est Jacob: mortuo Mathan hæc alium duxit cognatum Mathan, qui fuit Mathat, ex quo natus est Eli: sicque Jacob & Eli erant uterini fratres: Eli sine liberis mortuo, viduam ejus duxit Jacob, ut suscitaret semen fratri suo juxta legem; ex ea genuit *Joseph*, qui natura fuit filius Jacob, ex lege filius Eli. Julius Africanus apud Eusebium, Lib. 1. cap. 7. rem ita esse ex traditione probat. Cognati enim, inquit, Servatoris nostri, sive ad ostendendam generis sui nobilitatem, sive ut simpliciter rem docerent, veraci usque sermone hæc nobis tradiderunt.

25. Qui fuit Mathatiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge,

26. Qui fuit Mahat, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joſeph, qui fuit Juda,

27. Qui fuit Joanna, qui fuit Reſa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri,

28. Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her,

29. Qui fuit Jeſu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi,

30. Qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joſeph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim,

31. Qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David,

32. Qui fuit Jeſſe, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naaſſon,

33. Qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Eſron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ,

34. Qui fuit Jacob, qui fuit Iſaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor,

35. Qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale,

36. Qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech,

37. Qui fuit Mathuſale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan,

38. Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

CAPUT IV.

Christi jejunium in deſerto: tentatur a Diabolo, venit Nazareth, legit in Synagoga locum Iſaiæ, cap. 61. indignati Nazareni præcipitem eum dare volunt: venit Capharnaum, ibi docet, ejicit dæmones, ægros ſanat; tum ſecedit in deſertum.

Matt. 4. 1. Marc. 1. 12. 1. JEſus autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt a Jordane: & agebatur a Spiritu (*a*) in deſertum

2. Diebus quadraginta, & tentabatur a diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis: & conſummatis illis eſuriit.

3. Dixit autem illi diabolus. Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat.

4. Et reſpondit ad illum Jeſus: Scriptum
* Deut. 8. 3. eſt: * Quia non in ſolo pane (*b*) vivit ho-
Matth. 4. 4. mo, ſed in omni verbo Dei.

5. Et duxit illum diabolus in montem (*c*) excelſum, & oſtendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis,

6. Et ait illi: Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum: quia mihi tradita ſunt; & cui volo do illa.

7. Tu ergo ſi adoraveris coram me, erunt tua omnia.

8. Et reſpondens Jeſus, dixit illi: * Scri- * Deut. 6.
ptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & 13. & 10.
illi ſoli ſervies. 20.

9. Et duxit (*d*) illum in Jeruſalem, & ſtatuit eum ſuper pinnam templi, & dixit illi: Si Filius Dei es, mitte te hinc deorſum.

10. * Scriptum eſt enim quod Angelis ſuis * Pſ. 90. 11.
mandavit de te, ut conſervent te:

11. Et quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

12. Et reſpondens Jeſus, ait illi: Dictum
eſt: * Non tentabis Dominum Deum tuum. * Deut. 6.
13. Et conſummata omni tentatione, diabo- 16.
lus receſſit ab illo, uſque ad tempus (*e*).

14. * Et regreſſus eſt Jeſus in virtute Spiri- * Matth. 4.
tus in Galilæam, & fama exiit per univerſam 12.
regionem de illo. Marc. 1. 14.

15. Et ipſe docebat in ſynagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.

16. * Et venit Nazareth (*f*), ubi erat nu- * Matth. 13.
tritus, & intravit ſecundum conſuetudinem 54.
ſuam die ſabbati in ſynagogam, & ſurrexit Marc. 6. 4.
legere. 45.

17. Et traditus eſt illi Liber Iſaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi ſcriptum erat:

18. * Spiritus Domini ſuper me: propter * Iſa. 61. 1.
quod unxit (*g*) me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde,

19. Prædicare captivis remiſſionem (*h*), & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.

20. Et cum plicuiſſet librum, reddidit miniſtro, & ſedit. Et omnium in ſynagoga oculi erant intendentes in eum.

21. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris.

22. Et omnes teſtimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius, & dicebant: Nonne hic eſt filius Joſeph?

23. Et ait illis: Utique (*i*) dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice cura teipſum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.

24. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta (*k*) acceptus eſt in patria ſua.

25. In

CAP. IV. 1. (*a*) Vi Spiritus Sancti, quo plenus erat in deſertum illud, quod poſtea Quadrageſimæ eſt appellatum, erat in tribu Benjamin inter Bethel & Jericho.

4. (*b*) Benedictio Dei vim ad alendum tribuit pani. Tentationum ordinem paullo aliter Lucas, ac Matthæus deſcribit. Et tamen Ambroſius Lucam exponens, Matthæi ſequitur ordinem, cum in textu, tum in commentariis: adeo ut ordo tentationis in Luca forſitan mutatus fuerit a librariis, ſeu ab exſcriptoribus.

5. & 6. (*c*) In eodem deſerto inter Jericho & Galgala. *Do illa*, Græc. δώσω αὐτήν, *Do illam*, ſcilicet poteſtatem.

9. (*d*) Quæ hic tertia tentatio eſt, apud Matthæum eſt ſecunda.

13. & 14. (*e*) Tentavit poſtea Chriſtum per ſe, & miniſtros ſuos. *In virtute*, In magna poteſtate Spiritus, quam mox erat oſtenſurus per prædicationem & miracula.

16. & 17. (*f*) Poſtquam alia Galilææ loca peragraſſet, Joanne jam tradito; quæ per anticipationem narrantur a Luca. *Librum*, ante involutum. Græc. Explicans librum; *Ubi ſcriptum erat*, Iſaiæ cap. 61.

18. (*g*) Plenitudine donorum implevit, divinitate ipſa unxit me: *Miſit me*; Omnibus annuntiatur Evangelium; pauperes ſpiritu illud ſuſcipiunt. *Sanare contritos corde*, vel humiles, vel afflictos, & omni ſpe deſtitutos; ad alliganda vulnera peccatorum.

19. (*h*) Humilibus peccata dimittere. *Annum Domini*; Alludit ad annum Jubilæi: *Et diem tribulationis*, Ultionis de hoſte humani generis. Hæc poſtrema verba deſunt in Græco. Ex iis liquet miſſionem omnem extraordinariam rejici oportere, niſi miraculis confirmetur, quæ ſunt quaſi vox Dei.

23. (*i*) Græc. Omnino: hinc liquet Jeſum veniſſe Nazareth poſtquam multa fecit miracula Capharnai.

24. (*k*) Alio reſpondit proverbio, quo innuit eorum culpa evenire, quod miracula non faciat, cum ab iis contemnatur.

25. In veritate dico vobis, multæ (*l*) viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex: cum facta esset fames magna in omni terra:

*4. Reg. 17. 9. 26. * Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam.

*4. Reg. 5. 14. 27. * Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta: & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.

28. Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes.

29. Et surrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem: & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata ut præcipitarent eum.

30. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat.

*Matth. 4. 13. Marc. 1. 21. 31. * Et descendit in Capharnaum civitatem Galilææ, ibique docebat illos sabbatis.

*Matth. 7. 28. 32. * Et stupebant in doctrina ejus, quia in potestate erat sermo ipsius.

*Marc. 1. 23. 33. * Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamavit voce magna,

34. Dicens: Sine, (*m*), quid nobis, & tibi Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei.

35. Et increpavit illum Jesus, dicens: Obmutesce, & exi ab eo. Et cum projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.

36. Et factus est pavor in omnibus, & colloquebantur ad invicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate & virtute imperat immundis spiritibus, & exeunt?

37. Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.

38. Surgens autem Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis. * Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogaverunt illum pro ea.

*Matth. 8. 14. Marc. 1. 30. & 31.

39. Et stans super (*n*) illam, imperavit febri: & dimisit illam. Et continuo surgens ministrabat illis.

40. Cum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.

*Marc. 1. 34. 41. * Exibant autem dæmonia a multis, clamantia & dicentia: Quia (*o*) tu es Filius Dei: & increpans non sinebat ea loqui: quia sciebant ipsum esse Christum.

42. Facta autem die egressus ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt usque ad ipsum: & detinebant illum ne discederet ab eis.

43. Quibus ille ait: Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum.

44. Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

CAPUT V.

Christus e navicula docet turbas; piscium multitudo capta. Petrus stupens Christum adorat, & eum sequitur. Leprosus primum, tum paralyticus per tectum demissus sanantur. Matthæi vocatio; murmur Pharisæorum.

1. FActum est autem, cum turbæ irruerent (*a*) in eum, ut audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth.

2. * Et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, & lavabant retia. *Matth. 4. 18. Marc. 1. 16.

3. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis (*b*), rogavit eum a terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas.

4. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc (*c*) in altum, & laxate retia vestra in capturam.

5. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.

6. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum.

7. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos. Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur.

8. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens: Exi (*d*) a me, quia homo peccator sum, Domine.

9. Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant:

10. Similiter autem Jacobum, & Joannem, filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens (*e*).

11. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti (*f*) sunt eum.

12. * Et factum est, cum esset in una (*g*) civitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns Jesum, & procidens in faciem, rogavit eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. *Matth. 8. 2. Marc. 1. 40.

13. Et

25. (*l*) Deum sæpe externos domesticis præponere insinuat, neque adeo mirum esse si popularibus suis alios præferat: *Nisi in Sarepta*; inter Tyrum & Sidonem.

34. (*m*) Ne me torqueas, desine mihi molestus esse: *Sanctus Dei*, Græc. ὁ Ἅγιος τοῦ Θεοῦ, *Ille Sanctus*, nempe Messias: id suspicabatur dæmon adhuc fluctuans.

39. (*n*) Prope illam, ut Psalm. 103. *Qui fundavit terram super aquas.*

41 & 42. (*o*) Non sinebat eos dicere, quod eum nossent, nec testimonium veritatis ab iis accipere volebat. *Requirebant*: in eadem urbe erat fidelis populus infideli admistus.

CAP. V.

1. (*a*) Cum eum premerent. Primo vocati sunt discipuli, tum hæc captura piscium contigit; ac tandem secuti sunt cum discipulis, & Christo adhæserunt, Matthæi 4. 18.

3. (*b*) Ambros. *Hæc est illa navis, quæ secundum Matthæum fluctuat, secundum Lucam repletur piscibus, ut & principia Ecclesiæ fluctuantis, & posteriora exuberantis agnoscas.*

4. (*c*) Ambros. *Et si aliis imperatur, ut laxent retia sua: soli tamen Petro dicitur, Duc in altum, hoc est, in profundum disputationum. Quid enim tam altum, quam altitudinem divitiarum videre, scire Dei Filium, & professionem divinæ generationis assumere?*

8. (*d*) Præsentiam corporalem deprecatur, quod ea sit indignus: Deum honore prosequimur, quando ad eum cum fiducia accedimus, & ab eo cum humilitate recedimus.

10. (*e*) Hæc vocatio Petri eadem videtur, quæ a Matthæo & a Marco refertur; quasdam tantummodo circumstantias addit Lucas. Quod autem Joann. 1. narratur, ab hujus loci historia diversum videtur.

11. (*f*) Quatuor discipuli. Visibilia quæ sunt miracula, tum sunt utilia, cum invisibili miraculo conversioni cordis sociantur.

12. (*g*) Prope illam. Siquidem leprosis non licebat ingredi civitates. Levit. 13. Quod miraculum Lucas narrat per anticipationem: nam sermonem Domini in monte subsecutum id videtur.

13. Et extendens manum, tetigit eum, dicens: Volo: Mundare. Et confeſtim lepra diſceſſit ab illo.

14. Et ipſe præcepit illi ut nemini diceret: ſed, Vade, oſtende te ſacerdoti, & offer pro

*Levit. 14. 4. emundatione tua, * ſicut præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.

15. Perambulabat autem magis ſermo de illo: & conveniebant turbæ multæ ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus ſuis.

16. Ipſe autem ſecedebat in deſertum, & orabat.

17. Et factum eſt in una dierum, & ipſe ſedebat docens. Et erant Phariſæi ſedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni caſtello Galilææ, & Judææ, & Jeruſalem: & virtus Domini erat ad ſanandum eos.

*Matth. 9. 2. Marc. 2. 3. 18. * Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante eum.

19. Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, aſcenderunt ſupra tectum, & per tegulas ſummiſerunt eum cum lecto in medium ante Jeſum.

20. Quorum fidem (h) ut vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua.

21. Et cœperunt cogitare Scribæ & Phariſæi, dicentes: Quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?

22. Ut cognovit autem Jeſus cogitationes eorum, reſpondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus veſtris?

23. Quid eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata; an dicere: Surge, & ambula?

24. Ut autem ſciatis (i) quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico) Tibi dico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

25. Et confeſtim conſurgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat: & abiit in domum ſuam, magnificans Deum.

26. Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti ſunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.

*Matth. 9. 9. Marc. 2. 14. 27. * Et poſt hæc exiit, & vidit publicanum nomine Levi, ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me.

28. Et relictis (k) omnibus, ſurgens ſecutus eſt eum.

29. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo ſua: & erat turba multa publicanorum, & aliorum qui cum illis erant diſcumbentes.

30. * Et murmurabant Phariſæi & Scribæ eorum, dicentes ad diſcipulos ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis? * Marc. 2. 16.

31. Et reſpondens Jeſus, dixit ad illos: Non egent qui ſani ſunt medico (l), ſed qui male habent.

32. Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.

33. At illi dixerunt ad eum: * Quare diſcipuli Joannis jejunant frequenter, & obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſæorum: tui autem edunt, & bibunt? * Marc. 2. 18.

34. Quibus ipſe ait: Numquid poteſtis filios ſponſi, dum cum illis eſt ſponſus, facere jejunare?

35. Venient autem dies, cum ablatus fuerit ab illis ſponſus, tunc jejunabunt (m) in illis diebus.

36. Dicebat autem & ſimilitudinem ad illos: Quia nemo commiſſuram a novo veſtimento immittit in veſtimentum vetus: alioquin & novum rumpit, & veteri non convenit commiſſura a novo.

37. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin rumpit vinum novum utres, & ipſum effundetur, & utres peribunt.

38. Sed vinum novum in utres novos mittendum eſt, & utraque conſervantur.

39. Et nemo bibens (n) vetus, ſtatim vult novum, dicit enim: Vetus melius eſt.

CAPUT VI.

Diſcipuli die ſabbati vellunt ſpicas; manus arida ſanatio; Apoſtoli recenſentur; beatitudines; dilectio inimicorum; cæci cæcorum duces; feſtuca in oculo; fructus boni ex arbore bona.

1. FActum eſt autem in ſabbato (a) ſecundo, primo, cum tranſiret per ſata, vellebant diſcipuli ejus ſpicas, & manducabant confricantes manibus. Matt. 12. 1. Marc. 2. 23.

2. Quidam autem Phariſæorum, dicebant illis: Quid facitis quod non licet in ſabbatis?

3. Et

20. (h) Ergo fides vel aliena etiam adultis prodeſt ad conſequendam animæ & corporis ſanitatem.

24. (i) Primo quidem animo & voluntate omnia reliquit, poſtea rebus ſuis diſpoſitis reipſa omnino reliquit. *Et fecit ei convivium magnum*; non valde ſplendidum, ſed magnum, ob multitudinem eorum, qui ſunt invitati.

28. (k) J. C. non ſolum cum mortalem in terram vitam ageret, ſed etiam poſt mortem ſuam in Eccleſia per miniſtros ſuos hanc exercet poteſtatem dimittendi peccata. *Itaque ille prius avara de mercedibus, dura de laboribus & periculis nautarum emolumenta convertens, verbo vocatus, propria derelinquit, qui rapiebat aliena*, Ambroſ. Hic eſt veræ converſionis ordo: intuitus Domini, vocatio, obſequium.

31. & 32. (l) Jeſus eos tantum ſanat, qui ſe ægrotos agnoſcunt. *Juſtos*, Omnes enim peccaverunt, & egent gratia Dei. Ambroſ. *Quæ eſt iſta æquitas, ſi juſtus relinquitur, peccator adſciſcitur, niſi intelligas quod eos juſtos dicit, qui ex lege præſumunt, & Evangelii gratiam non requirunt?*

35. (m) Non eximebat diſcipulos a jejuniis lege præſcriptis: ſed præter illa non imponebat alia, ut Phariſæi; non eos ab auſteritate pœnitentiæ immunes facit, ſed illos præparat ad labores.

39. (n) Gr. *Qui biberit*. Aſſuetus vino veteri, paullatim aſſueſcit novo: ſic diſcipulos paullo laxiori vitæ generi aſſuetos, paullatim ducendos eſſe ad vitæ ſeverioris inſtitutum docet. Quæ ſunt in pietate exteriora, interiori diſpoſitioni ſunt attemperanda, pœnitentiæ labores cujuſque viribus; habitus paullatim & per contrarios actus deſerti ſolent.

CAP. VI. 1. (a) Quodnam illud ſit Sabbatum, gravis eſt difficultas, quam Scaliger ſic diſſolvi poſſe putat, ut ſit primum Sabbatum poſt ſecundum diem Azymorum; qui dies ſecundus, Levit. 23. verſ. 11. dicitur juxta textum Hebræum, *Craſtinus Sabbati*, ſeu *Dies alter Sabbati*. Hic erat dies 16. menſis Niſan, quo manipulus ſpicarum offerebatur in templo. Quamobrem primum Sabbatum a ſecundo die Azymorum illud erat, quod Lucas Sabbatum ſecundo primum, ſeu *δευτερόπρωτον* appellat, quaſi ſecundo die Azymorum primum: ut Judæi nunc temporis Hebraica lingua illud ita deſignant, Sabbatum a ſecundo primum. Nam lex jubet ut ſeptem hebdomadæ plenæ numerentur a ſecunda die Azymorum ad Pentecoſten: unde Sabbatum a die ſecunda Paſcharis primum, ſecundum, tertium, uſque ad octavam hebdomadam dicebatur; & Sabbatum ſecundo primum illud erat, quod primum occurrebat poſt ſecundum diem Azymorum; ſecundum, quod ſecundo loco occurrebat. Id vero factum eſt cum Jeſus rediret Jeroſolyma in Galilæam. Alii exiſtimant tria fuiſſe Sabbata majori ſolemnitate celebrata, quod ea in tribus feſtis Paſchatis, Pentecoſtes & Tabernaculorum occurrerent: ex iis ſecundum erat Sabbatum Pentecoſtes.

3. Et respondens Jesus ad eos, dixit: Nec hoc legistis quod fecit David, cum esurisset ipse, & qui cum illo erant?

*1. Reg. 21. 6. 4. * Quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducavit, & dedit his qui cum ipso erant: quos non licet

*Exod. 29. 32. Lev. 24. 9. manducare * nisi tantum sacerdotibus?

5. Et dicebat illis: Quia Dominus est Filius hominis, etiam sabbati.

6. Factum est autem & in alio sabbato ut

*Matt. 12. 10. Marc. 3. 1. intraret in synagogam, & doceret: * Et erat ibi homo, & manus ejus dextra erat arida.

7. Observabant autem Scribæ, & Pharisæi, si in sabbato curaret: ut invenirent unde accusarent eum.

8. Ipse vero sciebat cogitationes eorum: & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medium. Et surgens stetit.

9. Ait autem ad illos Jesus: Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere, an male; animam salvam facere, an perdere?

10. Et circumspectis omnibus dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit: & restituta est manus ejus.

11. Ipsi autem repleti sunt insipientia, & colloquebantur ad invicem, quidnam facerent Jesu.

12. Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans (*b*) in oratione Dei.

*Matth. 10. 1. Marc. 3. 13. 13. * Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos: & elegit (*c*) duodecim ex ipsis (quos & Apostolos nominavit).

14. Simonem, quem cognominavit Petrum (*d*), & Andream fratrem ejus, Jacobum, & Joannem, Philippum, & Bartholomæum,

15. Matthæum, & Thomam, Jacobum Alphæi, & Simonem, qui vocatur Zelotes.

16. Et Judam Jacobi, & Judam (*e*) Iscariotem, qui fuit proditor.

17. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri (*f*), & turba discipulorum ejus, & multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, & Jerusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis.

18. Qui venerant ut audirent eum, & sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur.

19. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

20. * Et ipse elevatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes (*g*): quia vestrum est regnum Dei. *Matt. 5. 2.

21. * Beati qui nunc esuritis (*h*): quia saturabimini: Beati qui nunc fletis: quia ridebitis. *Matt. 5. 6.

22. * Beati eritis (*i*) cum vos oderint homines, & cum separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum tamquam malum, propter Filium hominis. *Matth. 5. 11.

23. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cælo: secundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.

24. * Verumtamen væ vobis divitibus (*k*), quia habetis consolationem vestram. *Eccli. 31. 8. Amos 6. 1.

25. * Væ vobis, qui saturati estis: quia esurietis: Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis. *Is. 65. 13.

26. Væ cum benedixerint (*l*) vobis homines: secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum.

27. Sed vobis dico, qui auditis: * Diligite (*m*) inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. *Matth. 5. 44.

28. Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.

29. * Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram. Et ab eo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. *Matt. 5. 39.

30. Omni autem petenti te, tribue (*n*): & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.

31. * Et prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite (*o*) illis similiter. *Tob. 4. 16. Matt. 7. 12.

32. * Et si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam & peccatores diligentes se diligunt. *Matth. 5. 46.

33. Et si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt: quæ vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt.

34. * Et

12. (*b*) Qua Deus oratur, ut caritas Dei est, qua diligitur Deus.

13. (*c*) Primos suos ministros Christus voluit eo nomine designari, quod *missos* significat, ut omnes intelligerent missionem omnino esse necessariam, ut auctoritas legitima in Ecclesia exerceatur, nec veram esse in Ecclesia missionem præter eam, quæ inest successoribus Apostolorum. Ambros. *Non sapientes aliquos, non divites, non nobiles, sed piscatores & publicanos, quos dirigeret, elegit; ne traduxisse prudentia, ut redemisse divitiis, ne potentiæ nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur; ut veritatis ratio, non disputationis gratia prævaleret; Elegit & Judam non per improvidentiam, sed per providentiam.*

14. (*d*) Hæc nominis mutatio est distinctionis. Petri primatus ubique designatus occurrit, & ubique non schismatis, ut in hæreticis, nec dissensionis inter Catholicos occasio esse debet: sed reverentiam, & unitatis amorem excitare.

16. (*e*) Hujus vocatio fuit legitima, si quæ alia, sed inutilis, quod vita ipsa vocationi non responderit: fundamentum est inutile, cui nullum ædificium superstruitur, ut ædificium sine fundamento ruit.

17. (*f*) Plano & æquabili: Munus Pastorum his duobus continetur, verbo divino fideles instruere & alere, tum Sacramentis curare. Quæ sequuntur, ea fere Matth. c. 5. Marci c. 3. sunt explicata.

20. (*g*) Idem est sermo, qui Matth. 5. tametsi pauciores beatitudines refert Lucas. *Beati pauperes*, omni præsidio destituti. Amor divitiarum & Dei amor in eadem pectore non morantur.

21. (*h*) Justitiam, ex Matthæo; qui eam expetitis, qui propter eam & famem & sitim perpeti non timetis; paupertati regnum, fami abundantiam promittit. *Beati qui nunc fletis*; nati sumus ad fletum, quia nascimur peccatores, renascimur ad gaudium, qui regeneramur filii Dei.

22. (*i*) *Ergo temperantia cordis habet animi munditiem, justitia misericordiam, pacem prudentia, mansuetudinem fortitudo.*

24. (*k*) Ambrof. *Licet in pecuniariis copiis multa sunt lenocinia delictorum, pleraque tamen sunt etiam incentiva virtutum . . . . . Non census igitur, sed affectus in crimine est.*

26. (*l*) Adulatione: nam homines pravi laudant sui similes. Adulatio obstat, quominus divites ad meliorem frugem se recipiant.

27. (*m*) Inimicos diligimus, si iis bene velimus, & faciamus, non procurando iis bona, quibus pejores fiant, sed quæ eorum saluti prosint.

30. (*n*) Sive amico, sive inimico; tribue saltem id quod ei vel ex justitia debetur, vel ex charitate convenit, ac petenti rem sibi necessariam & honestam præbe. *Ne repetas*, cum detrimento charitatis, præsertim si urgente necessitate compulsus abstulerit: non item latroni cedere debeo quod abstulerit: nam illi & populo utile est, ut coerceatur. Ambr. *Lex vicissitudinem imperat ultionis; Evangelium inimicis charitatem, benignitatem odiis, vota maledictis, subsidia persequentibus, patientiam esurientibus, & gratiam remunerationis impertit.* Christus nec leges, nec usum legum reprehendit; sed perfectionis legem demonstrat.

31. & 32. (*o*) Hæc est æquitatis norma, quæ si bona fide consuleretur, quot conscientiæ casus vel sola dissolveret? Gratia. Si non alios diligimus, quam eos qui nos diligunt, aut sunt in nos benefici.

* Deut. 15. 8. Matt. 5. 42. 34. * Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere; quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur (p), ut recipiant æqualia.

35. Verumtamen diligite inimicos vestros: benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes (q): & erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.

36. Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est.

* Matt. 7. 1. 37. * Nolite judicare (r), & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini.

38. Date, & dabitur vobis: mensuram (s) bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. * Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. * Matth. 7. 2. Marc. 4. 24.

39. Dicebat autem illis & similitudinem: Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?

* Matt. 10. 24. Joan. 13. 16. 40. * Non est discipulus (t) super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus.

* Matth. 7. 3. 41. * Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?

42. Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita (u), ejice primum trabem de oculo tuo: & tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.

* Matth. 7. 18. & 12. 33. 43. * Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala (x), faciens fructum bonum.

44. Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant uvam.

45. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.

* Matth. 7. 21. Rom. 2. 13. Jac. 1. 22. 46. Quid autem vocatis me: * Domine, Domine: & non facitis quæ dico?

47. Omnis qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam vobis cui similis sit:

48. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram: inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam movere: fundata enim erat super petram.

49. Qui autem audit, & non facit: similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento: in quam illisus est fluvius, & continuo cecidit: & facta est ruina domus illius magna.

CAPUT VII.

Centurionis fides; viduæ Naim filius a morte excitatus: Joannes a Christo laudatur: mulier peccatrix.

1. CUm autem implesset (a) omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum. Matt. 8. 5.

2. Centurionis autem cujusdam servus male habens, erat moriturus: qui illi erat pretiosus.

3. Et cum audisset de Jesu, misit (b) ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, & salvaret servum ejus.

4. At illi cum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicite, dicentes ei: Quia dignus est ut hoc illi præstes.

5. Diligit enim gentem nostram: & synagogam ipse ædificavit nobis.

6. Jesus autem ibat cum illis. Et cum jam non longe esset a domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: * Domine noli vexari: * Matt. 8. 8.
Non enim sum dignus ut sub tectum meum intres.

7. Propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te: sed dic verbo (c), & sanabitur puer meus.

8. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit; & alii, veni, & venit: & servo meo, fac hoc, & facit.

9. Quo audito Jesus miratus est: & conversus sequentibus se turbis, dicit: Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni.

10. Et reversi, qui missi fuerant, domum, invenerunt servum, qui languerat, sanum.

11. Et factum est: deinceps ibat in civitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli ejus, & turba copiosa.

12. Cum

34. (p) Hoc est, ex alterius miseria suum quærere commodum, cum opem nostram emere compellitur, aut illi benefaciendo aliud a Deo quæritur.

35. (q) Etiamsi beneficium simile vicissim non exspectetis. Ex consequenti usura prohibetur, cum quis mutuum dat, & usuram tamquam debitam, & lucrum ultra sortem expectat. Non autem sensus est, ut mutuum demus non id expectantes, ut sors nobis restituatur, tum enim non erit mutuum, sed donatio, nisi is cui mutuo datur, reddere non possit. Nam in necessitate, cuncta iis communia esse debent, qui Christum una possident.

37. (r) De intentione ipsa, cum occulta est, nec se operibus prodit. *Nolite condemnare*, severe & duriter aliorum peccata arguendo: cum minuenda sint potius, & occultanda, illæsa veritate, aut justitia, non vulganda, vel augenda. *Dimittite:* quod ut præceptum divinæ misericordiæ consequendæ necessarium proponitur.

38. (s) Quod ad duo postrema præcepta pertinet: nam duo priora sunt prohibitiva: & quomodo unusquisque vult a Deo tractari, ita se gerat erga proximum. *Eadem quippe mensura*, &c. Certa ratione & proportione, quemadmodum dicit Apostolus, *Qui parce seminat, parce & metet: Eadem autem mensura remetietur*, quæ respondit meritis nostris: sed conferta erit ut a Deo benigno & magnifico profecta. *Coagitatam*, bene concussam.

40. (t) Si tu cæcus & vitiosus te alteri magistrum præbes, dum illum reprehendis, non eum meliorem efficies, quam tu ipse es: non enim relinquet vitia sua videns tua.

42. (u) Qui affectata sanctitatis opinione leviora fratris vitia carpis, non ex charitate: vitia primum tua & graviora quidem emenda, tum fratrem invitabis ad pœnitentiam.

43. (x) Mali non sunt idonei, qui alios reddant bonos: bonorum operum vocem, quæ sunt cordis lingua, nihil potest extinguere.

1. (a) Verba animo, opera cordi ipsi loquuntur. CAP. VII.

3. (b) Se indignum credidit qui veniret ad Jesum, aut venientem tecto suo exciperet. Ac forte seniores Judæorum Christum rogant de suo, ut veniat, nam vers. 6. per amicos rogat ne veniat; aut certe humilitas in eo crescebat: *Domine noli vexari:* Græc. Ne fatigeris: Ambros. *Dominus pergit, excusat Centurio, militarique deposito tumore reverentiam sumit, ad fidem facilis, ad honorificentiam promptus.*

7. (c) Præcipe: divinam in Christo agnoscit potentiam. Ambros. *Et bene Lucas etiam in occursum amicos dicit a Centurione transmissos, ne præsentia sua gravare Domini verecundiam videretur.*

12. Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur (*d*) filius unicus matris suæ: & hæc vidua erat: & turba civitatis multa cum illa.

13. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.

14. Et accessit, & tetigit loculum. (Hi autem, qui portabant, steterunt) Et ait: Adolescens, tibi dico, surge.

15. Et resedit qui erat mortuus, & cepit loqui. Et dedit illum matri suæ.

16. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: * Quia propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitavit plebem suam.

*Inf. 24. 19. Joann. 4. 19.

17. Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, & in omnem circa regionem.

18. Et nuntiaverunt (*e*) Joanni discipuli ejus de omnibus his.

19. * Et convocavit duos de discipulis suis Joannes, & misit ad Jesum, dicens. Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?

*Matth. 11. 2.

20. Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt: Joannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?

21. (In ipsa autem hora multos curavit a languoribus, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donavit visum.)

22. Et respondens, dixit illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis, & vidistis: * Quia cæci vident (*f*), claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur:

*Isa. 35. 5.

23. Et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me.

24. Et cum discessissent nuntii Joannis, cœpit de Joanne dicere ad turbas: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

25. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt & deliciis, in domibus regum sunt.

26. Sed quid existis videre? Prophetam? Utique dico vobis, & plusquam (*g*) Prophetam:

27. * Hic est, de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

*Mal. 3. 1. Matth. 11. 10. Marc. 1. 2.

28. Dico enim vobis: Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est: qui autem minor est in regno Dei, major est illo.

29. Et omnis populus audiens & publicani justificaverunt (*h*) Deum, baptizati baptismo Joannis.

30. Pharisæi autem, & legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos (*i*), non baptizati ab eo.

31. Ait autem Dominus: * Cui ergo similes dicam homines generationis hujus? & cui similes sunt?

*Matth. 11. 16.

32. Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad invicem, & dicentibus: Cantavimus vobis tibiis, & non saltastis: lamentavimus, & non plorastis.

33. * Venit enim Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet.

*Matth. 3. 4. Marc. 1. 6.

34. Venit Filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: Ecce homo devorator, & bibens vinum; amicus publicanorum, & peccatorum.

35. Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis.

36. Rogabat autem illum quidam de Pharisæis ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit.

37. * Et ecce mulier (*k*), quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti:

*Matt. 26. 7. Marc. 14. 3. Joann. 11. 2. & 12. 3.

38. Et

12. (*d*) Extra urbem: mos enim erat omnibus pene gentibus, ut extra oppida mortuos sepelirent. Hinc lex illa 12. Tabul. *In urbe ne sepelito.*

18. (*e*) Forte ex quadam æmulatione: sed Joannes in Domini sui laudem hanc convertit discipulorum æmulationem, & scientia omnis scholæ Joannis eo spectabat, ut ad Christum discipulos suos perduceret, tamquam ad libertatorem hominum, auctorem fidei, & justitiæ nostræ.

22. (*f*) Hæc ipsum intus in anima operatur, intellectum illuminat, voluntatem dirigit, peccata delet, cordis aures aperit, vitam peccatoribus etiam obduratis reddit, & humiles spiritu vias suas docet.

26. 27 & 28. (*g*) Nam lex & Prophetæ usque ad Joannem, isque digito indicavit quem Prophetæ annuntiaverunt. *Angelum*, Cui nihil est cum terra commercii. *Major*, Inter homines non exortus est Propheta, neque adeo ut ullus homo major Joanne tam vitæ sanctitate, quam officio Prophetæ: *Major est illo*; Magnum est inter Sanctos hujus vitæ & alterius discrimen.

29. (*h*) Joannis laudes a populo cum plausu acceptæ sunt: vel sunt verba Christi, qui laboris a Joanne suscepti eventum narrat. *Justificaverunt Deum*, Consilium Dei probaverunt & laudaverunt, qui Joannem miserit.

30. 32. & 35. (*i*) Forte in suum exitum: Græc. *Rejecerunt*, Dei consilium, aut propositum, quo Deus illis consulere volebat. *In foro*, Sibi invicem acclamantibus. *Et justificata*, Sapientia Dei laudata est ab omnibus electis.

37. (*k*) Hanc nomine suo non designat Lucas, quod forte adhuc in vivis esset, cum Lucas scriberet Evangelium. An tres illæ mulieres, nimirum hæc ipsa cujus fit mentio hoc in loco, quæque ab Evangelista suppresso nomine *peccatrix* appellatur: Maria soror Lazari & Marthæ, de qua Lucas hoc capite, Joannes cap. 11. & 12. & Maria Magdalene, quam cap 8. Lucas, & alii Evangelistæ Matthæus, & Marcus identidem suo nomine designant, utrum inquam sint una & eadem, nimirum Maria Magdalene; an potius tres sint distinctæ mulieres, magna est controversia, quæ nostra hac ætate viros doctissimos exercet, quamve dirimere non præsumo, cum permagna utrimque rationum momenta proferantur. Quid autem ea de re probabilius mihi videatur, brevi complectar. Et quidem cum paucis ante annis Theologiam Clericorum Seminariis accommodatam evulgarem, in quinto volumine hanc quæstionem leviter, & quasi in transitu perstrinxi, atque in communi, & recepta magis opinione, quæ a Gregorii Magni temporibus ad hanc usque ætatem in Latina Ecclesia pene obtinuit, quæque mihi probabilior videbatur, acquievi: sed cum variæ posterioribus his annis ex utraque parte dissertationes prodierint, quid ea de re sentiam, paullo accuratius edisseram. Ac primum id statuendum puto cum viro peteruditio, qui scienter & eleganter hoc tractavit argumentum in dissertatione Gallica nuper edita de Sancta Maria Magdalena, hanc quæstionem ex ipsis Evangelistis, non ex eorum auctoritate qui multis post sæculis scripsere, dirimi oportere: cum quæstio sit mere historica & critica, neque ad fidem, vel ad Ecclesiæ disciplinam ullo modo pertineat, nec demum ex populari quadam traditione, aut ex aliquot veterum, qui post multas ætates vixerunt, auctoritate sit dijudicanda: idque maxime cum plerique e veteribus eam quæstionem leviter attigerint, iique in diversas abierint sententias. Nam Græci pene omnes non unam esse & eadem mulierem, sed distinctas plane existimant, nec confundunt mulierem peccatricem, cujus meminit Lucas in hoc capite, cum Maria sorore Marthæ, aut utramque cum Maria Magdalena. Atque ut alios omittam, Origenes tract. 35. in Levit. eas omnino distinguit mulieres: Neque enim, inquit, credibile est, ut Maria, quam diligebat Jesus, soror Marthæ, quæ meliorem partem elegerat, peccatrix in civitate fuisse dicatur. Idem docet Homil. 1 & 2. in Cantica. Eadem est sententia Chrysostomi, Homil. 26. in Matthæum, & Homil. 62. in Joannem: Theophylacti in cap. 14. Marci, ut alios omittam; e Latinis Patribus, Hieronym. scribens in caput 26. Matthæi. *Nemo putet*, inquit, *eamdem esse quæ super caput effudit unguentum, & quæ super pedes.* Oppositæ tamen sententiæ in præfatione in Oseam videtur adstipulari: sed eo in loco obiter tantum, non ex profes-

38. Et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes (*l*) ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.

39. Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens: Hic si esset propheta, sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est.

40. Et respondens Jesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic.

41. Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta.

42. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit (*m*)?

43. Respondens Simon dixit: Æstimo quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei: Recte judicasti.

44. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis suis tersit.

45. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos.

46. Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos.

47. Propter quod dico tibi: Remittuntur (*n*) ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.

48. Dixit autem ad illam: * Remittuntur tibi peccata. *Matth. 9. 2.

49. Et cœperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?

50. Dixit autem ad mulierem (*o*): Fides tua te salvam fecit: vade in pace.

CAPUT VIII.

Maria Magdalene: parabola seminum: lucerna supra candelabrum non in abscondito posita: tempestas sedata, & alia quæ superius sunt exposita, Matthæi cap. 5. Marci cap. 4.

1. ET factum est deinceps, & ipse iter faciebat per civitates & castella, prædicans & evangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo,

2. Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a spiritibus malignis, & infirmitatibus: * Maria, quæ vocatur Magdalene (*a*), de qua septem dæmonia exierant, *Mar. 16. 9.

3. Et

professo ea de re loquitur. Sic Ambrosius in Lib. de Virginibus, Mariam Magdalenam in numero Virginum recenset, tametsi Lib. 6. in Lucam utramque unctionem Lucæ cap. 7. & Joann. cap. 12. videtur confundere: sic tamen ut dubitanter, non asseveranter id proponat. Augustinus aperte favet opinioni, quæ peccatricem cum sorore Marthæ confundit. Tract. 49. in Joannem assensum suum videtur cohibere: *Ecce, inquit, ipsa soror, si tamen ipsa est, quæ unxit pedes Domini unguento, & tersit capillis quos laverat lacrymis.* Gregorius Magnus primus, ut videtur Auctori dissertationis Gallicæ jam laudato. D. Anquetin, non solum Mariam Lazari sororem cum peccatrice, sed etiam Mariam Magdalenam cum utraque conjunxit, adeo ut ex iis tribus unam & eamdem effecerit; ut Homil. 33. Cum autem nullus ex Evangelistis perspicue asserat Mariam Magdalenam fuisse peccatricem, aut eam fuisse sororem Marthæ, aut ab ea factas esse unctiones, quæ in Evangeliis commemorantur: contendit vir doctus, iis ipsis qui has mulieres confundunt, probandi munus incumbere, quod de una & eadem muliere Evangelistæ verba fecerint: silentium Scripturæ iis prorsus favere, qui eas mulieres distinguunt. Nam Evangelistæ, quæ esset Maria Magdalene, quæ erga Dominum præstiterit officia, docuerunt; quid autem non fecerit, & quæ non esset, scribere non tenebantur. Et quidem inter omnes pene convenit, non unam, sed duas saltem unctiones ab Evangelistis referri. Quam enim hic in loco Lucas commemorat, hæc neque tempore, neque loco, aut personis, aut circumstantiis convenit cum unctione a Joanne, & ab aliis Evangelistis descripta. Illa fit in Galilæa, ante Joannis Baptistæ necem, apud Simonem Pharisæum: ibi ea mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ungit pedes Salvatoris, lacrymis suis tergit, unguento perfundit: Id quidem Pharisæum offendit, quod Dominus sineret peccatricem mulierem ad pedes suos provolvi. Posterior unctio fit Bethaniæ, sex diebus ante passionem Domini, in convivio apud Simonem cognomine leprosum. Pretiosum unguentum soror Marthæ Maria effundit, qua de re quidam discipuli, & Judas in primis offenduntur, quod iis non necessaria videretur tanta profusio, atque id prætexerent, multo satius futurum fuisse, si ejus pretium daretur pauperibus: quæque a Domino fiunt & dicuntur; ea sunt plane diversa. Quamobrem distinctæ prorsus videntur unctiones, distinctæ personæ, & convivia diversa. Itaque subductis omnibus rationibus, illud probabilius videtur, mulierem peccatricem non esse Mariam Marthæ & Lazari sororem, tametsi utraque unxit Salvatorem; sed diversis temporibus & locis. Utrum eadem sit peccatrix illa mulier, quæ Maria Magdalene, paulo post excutiemus; nunc ad sacrum textum redeamus.

38. (*l*) Accumbebant, inquit Marina, detractis calceis, & pedes levabant. *Tergebat*, Έξε, inquit idem Auctor, ritus, & adorationis, capillis, qui feminis sunt pretiosi, aras & templa tergere.

42. (*m*) Græc. *Diliget*: adeo ut intelligendum videatur de dilectione, quæ debiti relaxationem sequitur.

47. (*n*) Unde factum est ut multum diligat, Christum scilicet. Dilectio est caussa remissionis peccatorum, & vicissim remissio caussa dilectionis: quod verba quæ proxime sequuntur, persuadent. *Minus diligit*. Græc. ὀλίγον, Paululum, ei scilicet qui putat se pauca & leviora habere peccata, uti Pharisæus. Ingens beneficium vehementem parit dilectionem.

50. (*o*) Quod paullo ante dilectioni tribuerat, id nunc fidei tribuit, quod fides non impetret Dei beneficia sine dilectione: tametsi forte ad sanitatem corporis assequendam non erat necessaria. Sed hæc mulier pene sola est quæ ad Dominum accedit, ut beneficium spiritale, seu remissionem peccatorum & sanitatem animæ recipiat.

CAP. VIII.

2. (*a*) Hoc loco percelebris redit quæstio, quam superiori capite attigimus, an Maria Magdalene eadem sit, quæ capite superiori mulier peccatrix dicta est. Ac primum an peccatricis vocabulo vitium pudicitiæ oppositum intelligi debeat, inter recentiores non convenit. Nam viri docti, qui peccatricem cum Maria Magdalene confundunt, iidem negant eam in libidines projectam fuisse, aut infamem & indecoram egisse vitam: tametsi in adolescentia sua, ut pleræque aliæ virgines, mundanas vanitates, sumptus immodicos, luxum, & mollius vivendi genus secuta est. Quæ quidem severe admodum Deus Isaiæ, cap. 3. in filiabus Jerusalem reprehendit. Unde placuit Deo dæmonum tyrannidi ad certum tempus eam tradere; ut elatum superbia animum frangeret, eamque ad meliorem mentem revocaret. Verum multa sunt quæ suadent peccatricis nomine mulierem impudicam, quæque in ea civitate Galilææ omnibus erat scandalo; satis aperte designari. Ita censent veteres pene omnes, & recentiores plerique interpretes; verba ipsa Pharisæi mulierem fuisse eo nomine infamem, in eadem civitate publice notam, satis indicant. Christus ipse mulieris peccata multa fuisse & magna insinuat: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Cum autem Maria Magdalene jam fere ab initio secuta fuerit Dominum, eique semper ministraverit de suis facultatibus, quam Pharisæis & Sacerdotibus calumniandi occasionem præbuisset, si ea non fuisset peccatrix, & eo nomine omnibus nota? cum Scribæ & Pharisæi ei exprobrarent, quod cum peccatoribus manducaret. 2. Mariam Magdalenam a septem dæmonibus liberatam fuisse Lucas hoc in loco, & Marcus c. 16. apertissime testantur, ac licet Gregor. Magnus homil. 25. universis vitiis plenam eam fuisse dicat, non is tamen negat realem & veram dæmonum possessionem; sed Homil. 33. id ipsum ex Marco Evangelista confirmat: *De qua septem dæmonia ejecta esse testatur Marcus.* Itaque ad sensum moralem Gregorius in homiliis suis pleraque Christi miracula saepe applicat, ut ea quoque tamen facta non inficietur, juxta regulam quam ipse præscribit Homil. 22. Cum igitur Mariæ Magdalenæ, uti & quarumdam aliarum mulierum vera Possessio, Evangelii auctoritate sit gestata, hinc colligit Auctor Dissertationis Gallicæ aliam prorsus esse a peccatrice muliere. Primum enim vix assignari potest tempus, quo a Christo mulier peccatrix liberata fuit ab ea possessione: ille vitæ libidinosæ status cum tyrannica dæmonum possessione stare potest; nec bene convenit muliebribus illecebris cum energumenæ vexatione & torsionibus horrendis. An forte post illud convivium hoc accepit beneficium a Christo? Nequaquam id credibile est, Christum huic mu-

3. Et Joanna uxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.

4. Cum autem turba plurima convenirent, & de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem:

*Matth. 13. 3. Marc. 4. 3. 5. * Exiit qui seminat (b), seminare semen suum: & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud.

6. Et aliud cecidit super petram: & natum aruit, quia non habebat humorem.

7. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.

8. Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum (c) centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

9. Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola.

10. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: * ut videntes non videant, & audientes non intelligant.

* Is. 6. 9. Matth. 13. 14. Marc. 4. 12. Joan. 12. 40. Act. 28. 26. Rom. 11. 8.

11. Est autem hæc parabola: Semen est verbum (d) Dei.

12. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.

13. Nam qui supra petram: qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent: qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

14. Quod autem in spinas cecidit: hi sunt, qui audierunt, & a solicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ, euntes, suffocantur, & non referunt fructum (e).

15. Quod autem in bonam terram: hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

16. * Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit: sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen. *Matth. 5. 15. Marc. 4. 21.

17. * Non est enim occultum, quod non manifestetur: nec absconditum, quod non cognoscatur, & in palam veniat. * Matth. 10. 26. Marc. 4. 22.

18. Videte ergo quomodo audiatis (f): * Qui enim habet, dabitur illi: & quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo. * Matth. 13. 12. & 25. 29.

19. * Venerunt autem ad illum mater, & fratres ejus, & non poterant adire eum præ turba. * Matth. 12. 46. Marc. 3. 32.

20. Et nuntiatum est illi: Mater tua, & fratres tui stant foris, volentes te videre.

21. Qui respondens, dixit ad eos: Mater (g) mea, & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.

22. * Factum est autem in una dierum: & ipse ascendit in naviculam, & discipuli ejus, & ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt. * Matth. 8. 23. Marc. 4. 36.

23. Et navigantibus illis, obdormivit, & descendit procella venti in stagnum, & complebantur, & periclitabantur.

24. Ac-

mulieri peccatrici, & a dæmonibus vexatæ, dimidiatam duntax & imperfectam animæ & corporis sanationem contulisse. Lucas statim nobis exhibet Magdalenam ut unam e piis mulieribus, quæ erant in comitatu Salvatoris, quæque a dæmonum possessione olim liberata fuerat: *De qua septem dæmonia exierant.* Lucas, qui solus de muliere peccatrice mentionem habuit, nullibi duntaxat eam vocat Mariam Magdalenam. Unde ergo didicimus hoc peccatricis nomen potius Magdalenæ, quam aliis mulieribus convenire? Idem Evangelista statim post peccatricis historiam, de Christi in varias civitates & vicos peregrinatione, ac de iis qui eum comitabantur, edisserit, nempe de 12. Apostolis, & quibusdam mulieribus. *Quæ erant curatæ a spiritibus malignis, & infirmitatibus. Et inter alias de Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant.* Nullo is verbo monuit, eamdem esse, de qua paucis ante lineis verba fecerat. Quin potius Magdalenam describit, ut jamdiu in comitatu Salvatoris existentem, cum peccatrix vix ad eum auderet accedere, eamque Christus dimiserat his verbis, *Vade in pace; In tuam domum te recipe.* Atque hæc de peccatricis mulieris a Maria Magdalene, distinctione. Non levioribus argumentis probari potest Mariam Magdalenam cum Maria sorore Marthæ & Lazari confundi non oportere. Primum enim diversa utriusque est patria. Hanc esse e Judæa, nempe e Bethania, non obscure docet Joannes, cap. 11. *Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de Castello Mariæ & Marthæ sororis ejus.* Non ait, in Bethania, quasi peregrinus, vel quasi ab aliquot tantum mensibus ibi degeret; sed a Bethania, ut Christus dicitur a Nazareth, & Petrus a Bethsaida. Mariæ vero Magdalenæ patria erat Galilæa: unde satis est probabile hoc cognomen duxisse a Castello Magdalo in Galilæa sito. Christum in Galilæa iter facientem cum aliis mulieribus sequebatur, eumque comitata est usque ad illius passionem, Matth. cap. 27. 55. *Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalene, Maria Jacobi, &c.* Idem testatur Marcus cap. 15. 40. *Erant autem mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene . . . Et cum esset in Galilæa, sequebantur eum; & ministrabant ei,* Quæ nominantur aliæ mulieres, erant e Galilæa, atque in ea Provincia versabantur, ex qua exierant in ultima Christi Domini profectione: ac nihil est causæ, cur Magdalenam ab aliis mulieribus sejungamus. Nec sane apud Evangelistas legimus ullam mulierem ex Judææ Provincia secutam fuisse Christum Dominum. Maria autem Marthæ soror tum erat Bethaniæ, cum ad Christum miserunt, qui illi nuntiarent infirmitatem Lazari. Tum vero Christus erat in Peræa ultra Jordanem, quæ regio erat ditionis Herodis Antipæ, unde & pars Galilææ habebatur. Nam Judas auctor sectæ Zelantium, aut ju totum, Galilæus dicebatur, cum esset ex urbe Gamela ultra Jordanem sita. Maria autem post resurrectionem fratris Lazari paullo ante Passionem Christi non est reversa in Galilæam, neque adeo illa est Maria Magdalene, quæ cum aliis mulieribus venerat e Galilæa una cum Christo Domino. Cum igitur Maria soror Marthæ esset e Judæa, atque in illa regione habitaret, Maria autem Magdalene a Galilæa Christum ubique comitata, præsertim in ultima ejus profectione; cumque Maria soror Marthæ Bethaniæ degeret, palam est duas esse mulieres patria, cognomine, vitæ ratione distinctas. Cum autem Mariæ nomen commune admodum esset, Evangelistæ ubique mulieres ejus nominis accurate distinguunt, addito cognomine, aut patriæ, vel cognationis adhibito discrimine. Sic Mariam Galilæam ubique Magdalenam, Mariam Bethaniæ sororem Marthæ designant. In passione Christi passim Maria occurrit, & ab omnibus Evangelistis Magdalenæ cognomento signatur, nusquam ut soror Marthæ memoratur: Neque tu nos admonent eamdem esse quæ Christi Domini pedes, & caput unxit Bethaniæ; ac mirari subit, quid causæ sit cur Joannes in passionis & resurrectionis historia ubique Mariam Magdalenam vocet, quam antea ut Marthæ sororem designaverat, si eadem prorsus est Maria.

5. (b) Qui seminabat: Græc. Seminans: eo spectat parabola ut rationes afferat cur verbum Dei aut nullum, aut parvum, aut multum fructum afferat. Nullum, vel parvum afferi vitio terræ ipsius, seu liberi arbitrii, ob innatam cordis duritiam. Proverbium erat, qui inaniter laborat, in saxis seminare: Plato Lib. 8. de legibus. 2. Ob spinas occupationum mundanarum. 3. Secus viam, ob neglectum & pericula, exortæ spinæ suffocant verbum Dei; *Secus viam:* Qui negligit, aut contemnit verbum Dei, quique bonos affectus a Deo inspiratos, protinus irritos efficit.

8. (c) Quæ fructum affert terra, ad maturitatem usque non perducit: tentationis ventus sæpe eum dejicit, aut vermis superbiæ exedit, aut libidinum putredo corrumpit.

11. (d) Id quod per se non significatur, est verbum Dei: ut Petra erat Christus.

14. & 15. (e) Græc. *Fructum perfectum. In corde bono.* Græc. *Honesto ac bono,* seu perfecto & integro: *Retinent.* Qui in justitia perseverant: *Et fructum afferunt,* præmium vitæ æternæ: *In patientia;* ad electos id pertinet. Cor bonum est in amando & observando verbo Dei.

18. (f) Attendite ut doctrinam meam bene intelligatis, non negligenter eam excipiatis, aut oscitanter. *Non habet.* Qui non operatur: Qui Scripturarum scientia non utitur ad salutem, is nihil habet.

21. (g) Ambros. Non quo materna refutet pietatis obsequia, *sed quo paterno se ministerio amplius quam maternis affectibus subesse cognoscat.*

24. Accedentes autem ſuſcitaverunt eum, dicentes: Præceptor; perimus. At ille ſurgens, increpavit ventum, & tempeſtatem aquæ, & ceſſavit: & facta eſt tranquillitas.

25. Dixit autem illis: Ubi eſt fides veſtra? Qui timentes, mirati ſunt ad invicem, dicentes: Quis, putas, hic eſt, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei?

26. Et navigaverunt ad regionem Geraſenorum, quæ eſt contra Galilæam.

27. Et cum egreſſus eſſet ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis, & veſtimento non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis.

28. Is, ut vidit Jeſum, procidit ante illum: & exclamans voce magna, dixit: Quid mihi, & tibi eſt Jeſu Fili Dei Altiſſimi? obſecro te, ne me torqueas.

29. Præcipiebat enim ſpiritui immundo ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus cuſtoditus: & ruptis vinculis agebatur a dæmonio in deſerta.

30. Interrogavit autem illum Jeſus, dicens: Quod tibi nomen eſt? At ille dixit: Legio: quia intraverant dæmonia multa in eum.

31. Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyſſum irent.

32. Erat autem ibi grex porcorum multorum paſcentium in monte: & rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi. Et permiſit illis.

33. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intraverunt in porcos: & impetu abiit grex per præceps in ſtagnum, & ſuffocatus eſt.

34. Quod ut viderunt factum qui paſcebant, fugerunt, & nuntiaverunt in civitatem, & in villas.

35. Exierunt autem videre quod factum eſt, & venerunt ad Jeſum: & invenerunt hominem ſedentem, a quo dæmonia exierant, veſtitum (*h*), ac ſana mente ad pedes ejus, & timuerunt.

36. Nuntiaverunt autem illis & qui viderant, quomodo ſanus factus eſſet a legione:

37. Et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Geraſenorum, ut diſcederet ab ipſis: quia magno timore tenebantur. Ipſe autem aſcendens navim, reverſus eſt.

38. Et rogabat illum vir, a quo dæmonia exierant, ut cum eo eſſet. Dimiſit autem eum Jeſus, dicens:

39. Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per univerſam civitatem, prædicans quanta illi feciſſet Jeſus.

40. Factum eſt autem cum rediiſſet Jeſus, excepit (*i*) illum turba: erant enim omnes expectantes eum.

* Matth. 9. 18. Marc. 5. 22. 41. * Et ecce venit vir, cui nomen Jairus, & ipſe princeps ſynagogæ erat: & cecidit ad pedes Jeſu, rogans eum ut intraret in domum ejus,

42. Quia unica filia erat ei fere annorum duodecim, & hæc moriebatur. Et contigit, dum iret, a turbis comprimebatur.

43. Et mulier (*k*) quædam erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo potuit curari:

44. Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus: & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis ejus.

45. Et ait Jeſus: Quis eſt, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?

46. Et dixit Jeſus: Tetigit me aliquis: nam ego novi virtutem de me exiiſſe.

47. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes ejus: & ob quam cauſam tetigerit eum, indicavit coram omni populo: & quemadmodum confeſtim ſanata ſit.

48. At ipſe dixit ei: Filia (*l*), fides tua ſalvam te fecit: vade in pace.

49. Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem ſynagogæ, dicens ei: Quia mortua eſt filia tua, noli vexare illum.

50. Jeſus autem audito hoc verbo, reſpondit patri puellæ: Noli timere, crede tantum, & ſalva erit.

51. Et cum veniſſet domum, non permiſit intrare ſecum quemquam, niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem, & patrem, & matrem puellæ.

52. Flebant autem omnes, & plangebant (*m*) illam. At ille dixit: Nolite flere, non eſt mortua puella, ſed dormit.

53. Et deridebant eum, ſcientes quod mortua eſſet.

54. Ipſe autem tenens manum ejus clamavit, dicens: Puella, ſurge.

55. Et reverſus eſt ſpiritus ejus, & ſurrexit continuo. Et juſſit illi dari manducare.

56. Et ſtupuerunt parentes ejus, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.

CAPUT IX.

Quæ ſequuntur, habemus Matth. 10. expoſita.

1. Convocatis autem duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutem, & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & ut languores curarent. Matt. 10 1. Marc 3 15.

2. Et miſit illos prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos.

3. * Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. * Matth. 10. 9. Marc. 6. 8.

4. Et

35. & 36. (*h*) Ab Apoſtolis. *Legione*; Vox illa deeſt in Græco textu.

40. & 41. (*i*) Multitudo eum læta excepit. *Jairus*: Poſt verba Domini de jejunio, Matth. 9 hæc Jairi ſubjicitur hiſtoria: nam Matthæus ſic habet: *Hæc illo loquente, ecce princeps unus acceſſit.*

43. (*k*) Euſebius lib. 5. Hiſt. cap. 14. æneam Chriſto ab ea erectam eſſe ſtatuam Cæſareæ ſcribit.

48. & 50. (*l*) Græc. *confide filia*. *Crede*: Fiduciam exigit: ſpem & charitatem, aut alios actus virtutum non excludit, ſed dubitationem & triſtitiam. Fruſtra hæc verba afferunt Novatores, ut perſuadeant ſolam fidem ad juſtificationem ſufficere: neque enim de ea fide, qua credimus, nos juſtificari per Chriſtum, hoc loco agitur.

52. (*m*) Græc. *Cædebant*: qui mos erat lugentium in funeribus ſe ipſos ferire.

4. Et in quamcumque domum intraveritis (*a*), ibi manete, & inde ne exeatis.

*Act. 13. 51. 5. Et quicumque non receperint vos, * exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos.

6. Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes & curantes ubique.

*Matt. 14. 1. Marc. 6. 14. 7. * Audivit autem Herodes tetrarcha omnia, quæ fiebant ab eo, & hæsitabat eo quod diceretur

8. A quibusdam: Quia Joannes surrexit a mortuis; a quibusdam vero: Quia Elias apparuit, ab aliis autem: Quia propheta unus de antiquis surrexit.

9. Et ait Herodes: Joannem ego decollavi: Quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum.

10. Et reversi Apostoli, narraverunt illi quæcumque fecerunt: & assumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ (*b*).

11. Quod cum cognovissent turbæ, secutæ sunt illum: & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos qui cura indigebant, sanabat.

12. Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi: * Dimitte turbas, ut euntes in castella villasque quæ circa sunt, divertant, & inveniant escas: quia hic in loco deserto sumus. *Matth. 14. 15. Marc. 6. 36.

13. Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: * Non sunt nobis plus quam quinque panes, & duo pisces: nisi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas. *Joann. 6. 9.

14. Erant autem fere viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per convivia (*c*) quinquagenos.

15. Et ita fecerunt. Et discumbere fecerunt omnes.

16. Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus, respexit in cælum, & benedixit illis: & fregit, & distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas.

17. Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

*Matth. 16. 13. Marc. 8. 27. 18. * Et factum est, cum solus esset orans, erant cum illo & discipuli: & interrogavit illos, dicens: Quem me dicunt esse turbæ?

19. At illi responderunt (*d*), & dixerunt: Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero quia unus propheta de prioribus surrexit.

20. Dixit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Christum (*e*) Dei.

21. At ille increpans illos, præcepit (*f*) ne cui dicerent hoc,

22. Dicens: * Quia oportet (*g*) Filium hominis multa pati, & reprobari a senioribus, & principibus sacerdotum, & Scribis, & occidi, & tertia die resurgere. *Matt. 17. 21. Marc 8. 31. & 9. 30.

23. * Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire (*h*): abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. *Matth. 10. 38 & 16. 24. Mar. 8. 34. Inf. 14. 27.

24. * Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam. *Inf. 17. 33. Joan. 12. 25.

25. Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat?

26. * Nam qui me erubuerit (*i*), & meos sermones: hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum. *Matth. 10. 33. Marc 8. 38. 2. Tim. 2. 12.

27. * Dico autem vobis vere: sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei. *Matth. 16. 28. Marc. 8. 39.

28. * Factum est autem post hæc verba fere dies octo, & assumpsit Petrum, & Jacobum, & Joannem, & ascendit in montem ut oraret. *Matth. 17. 1. Mar. 9. 1.

29. Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera: & vestitus ejus albus & refulgens.

30. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses, & Elias.

31. Visi in majestate (*k*): & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.

32. Petrus vero, & qui cum illo erant, gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, & duos viros, qui stabant cum illo.

33. Et factum est cum discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum: Præceptor, bonum est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, unum tibi, & unum Moysi, & unum Eliæ: nesciens quid diceret.

34. Hæc autem illo loquente, facta est nubes, & obumbravit eos: & timuerunt, intrantibus illis in nubem.

35. Et

CAP. IX. 4. (*a*) Vetat in eodem oppido mutare hospitium, ne tamquam instabiles contemnantur. *Et inde ne exeatis*: Græc. Et inde exeuntes: Donec exeatis, adeo ut idem sit sensus.

10. (*b*) Ultra lacum Genesareth, in cujus littore erat vicus Bethsaida, uti a Josepho vocitatur, Lib. 18 cap. 3. Et hoc vico Philippus Tetrarcha urbem condidit, quam Juliadem appellavit.

14. & 18 (*c*) Græc. *Per discubitus quinquagenos*. *Solus esset*, Solus cum discipulis, vel priusquam se cum discipulis in viam daret; solus & a discipulis remotus orevit.

19. (*d*) *Inserta sunt omnia, cum de Deo sint Deo loquimur* ait Helmius.

20. (*e*) Quem misit Deus. plenius id refert Matthæus, quod Lucas compendiose. Ambros. *Non licet mihi scire generationis seriem, non licet tamen nescire generationis fidem*. Christus fidem Incarnationis in Apostolis firmat: hæc integra his verbis continentur, *Christum Dei*, hominem divinitate unctum, missum a Deo.

21. (*f*) Apostolis, ne Judæi qui in Christo expectabant regem gloria & opibus splendidum, offensi ejus morte & spe sua frustrati difficilius crederent, aut illius passio impediretur: quod sequentia indicant.

22. (*g*) Deinde illud restius judicabat, factis id demonstrare, quam verbis: Ambros. *Prohibentur Apostoli evangelizare eum Dei Filium, ut evangelizarent postea crucifixum*.

23. (*h*) Præceptum illud est: omnes enim tenentur venire post Christum, abnegare voluntatem carnis, Dei voluntati se subjicere, quotidianas tribulationes patienter ferre. Tenentur omnes ad perfectionem niti, crucem suam quotidie ferre: nam Deo sic disponente crux crucem excipit, ne mens nostra ulli rei creatæ plus satis inhæreat: tametsi omnia, quæ ad perfectionem ducunt, non sint de præcepto. Quotidiana est hominis afflictio. Sic versiculos hic cum superiore nectitur: capitis mysteria, passio, mors, resurrectio, in membris impleri debent.

26. & 28. (*i*) Non est dignus Deo, qui Deum seipso indignum judicavit. *Dies octo*, utroque die extremo comprehenso. Alii Evangelistæ sex tantum dies interjectos numerant.

31. (*k*) Gr. *In Gloria*: in majestate non sua, sed Christi, quæ in eos redundabat. Unde vers. 32 *Et viderunt majestatem ejus*. *Excessum ejus*: Gr. ἔξοδον, exitum e vita, seu mortem: dicebant Christo propter discipulos qui aderant. Sic Moses & Elias funguntur munere prophetico, ut Samuel & Elisæus post mortem quodammodo prophetaverant. Lex & Prophetæ non aliud quam Christum spirant.

* 2. Pet. 1. 17. 35. Et vox facta est de nube, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.

36. Et dum fieret vox, inventus est Jesus solus. Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his, quæ viderant.

37. Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa.

*Matth.17. 14. Marc.9 16. 38. * Et ecce vir de turba exclamavit, dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi:

39. Et ecce spiritus apprehendit eum, & subito clamat, & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum:

40. Et rogavi discipulos tuos ut ejicerent illum, & non potuerunt.

41. Respondens autem Jesus, dixit: O generatio infidelis & perversa, usquequo ero apud vos, & patiar vos? Adduc huc filium tuum.

42. Et cum accederet, elisit illum dæmonium, & dissipavit.

43. Et increpavit Jesus spiritum immundum, & sanavit puerum, & reddidit illum patri ejus.

44. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei: omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum.

45. At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos ut non sentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo.

*Matth.18. 1. Marc 9.33. 46. * Intravit autem cogitatio (*l*) in eos, quis eorum major esset.

47. At Jesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum secus se,

48. Et ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit: & quicumque me receperit, recipit eum, qui me misit. Nam qui minor (*m*) est inter vos omnes, hic major est.

49. Respondens autem Joannes, dixit: Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum: quia non sequitur nobiscum.

50. Et ait ad illum Jesus: Nolite prohibere: qui enim non est adversum vos, pro vobis (*n*) est.

51. Factum est autem dum complerentur dies assumptionis ejus, & ipse faciem suam firmavit (*o*) ut iret in Jerusalem.

52. Et misit nuntios ante conspectum suum: & euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum ut pararent (*p*) illi.

53. Et non receperunt eum, quia facies (*q*) ejus erat euntis in Jerusalem.

54. Cum vidissent autem discipuli ejus Jacobus & Joannes, dixerunt: Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cælo (*r*), & consumat illos?

55. Et conversus increpavit illos, dicens: Nescitis (*f*) cujus spiritus estis.

56. * Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Et abierunt in aliud castellum. *Joan.3.17. & 12.47.

57. Factum est autem, ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar (*t*) te quocumque ieris.

58. Dixit illi Jesus: * Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. *Matth.8. 20.

59. Ait alter ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit: Domine permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum.

60. Dixitque ei Jesus: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei.

61. Et ait alter: Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his, quæ domi sunt.

62. Ait ad illum Jesus: Nemo mittens (*u*) manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.

CAPUT X.

Quæ hoc capite continentur, ea fere sunt explicata cap. 9. 10. & 11. Matthæi, præter extremam hujus capitis partem de Martha & Maria.

1. POst hæc autem designavit Dominus & alios septuaginta duos (*a*): & misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem, & locum, quo erat ipse venturus.

2. Et

46. (*l*) Hæc cogitatio quater discipulorum animos subiit: 1. Hoc in loco, cum tres subducti sunt in montem, qui noluerunt aliis patefacere, quæ viderant, atque alii hinc singulare quiddam ab iis visum esse facile suspicati sunt: 2. Post petitionem matris Zebedæorum: 3. Post staterem pro Domino a Petro datum, Matth. 17. exponente Hieronymo; 4. In cœna ultima, Lucæ 22. Ceterum Dominus Matth. 16. Lucæ 22. & Joann. cap. ultimo satis aperte testatus est qua dignitate Petrum esse vellet. Hoc in loco ad discipulorum interrogationem noluit respondere, ne invidiam eorum & contentionis causas accenderet: sed ea respondit, quæ huic morbo sanando erant aptiora, & antidotum humilitatis his præbuit, Christianam pueritiam proposuit, quæ humilis & simplex esse debet.

48. (*m*) Ad parvulorum imitationem eos invitat, quorum mores a superbia & ambitione sunt alieni. Qui magis se demiserit, hic major erit: nam vera excellentia in humilitate posita est.

50. (*n*) Græc. Pro nobis: nam qui in Dei nomine ejicit dæmones, per fidem nobis conjungitur: nemo quippe sine aliqua fide in Christum dæmones ejicit. Matth. 12. Qui non est mecum, contra me est; Qui mihi per fidem non conjungitur, is mihi contrarius est. Cor ipsum, aut Dei partes sequitur, aut inimici Dei, nihil est medium.

51. (*o*) Festinanter instituit in Jerusalem, firmo animo, & imperterrito vultu, contumelias omnes, & mortis acerbitatem prospiciens.

52. (*p*) Hospitium: Christus iter suum per Samariam instituit.

53. (*q*) Præ se ferebat velle ire Jerosolymam.

54. (*r*) Cognominati fuerant a Domino, Boanerges, seu filii tonitrui, ut Christi Evangelium intonarent, non ut ignem & fulgura e cælo demitterent.

55. (*f*) Hæc non vobis suggerit Spiritus Patris mei, sed caro & sanguis; Spiritu Evangelico & mansuetudinis animati esse debetis, non ultionis: nescitis quis Spiritus vos agat. Vultis imitari zelum Eliæ, qui Spiritus non est personæ meæ, aut novi Testamenti: veni quippe ut salvarem, non ut perderem.

57. 58. & 59. (*t*) Præsumenti de suis viribus nihil videtur difficile. Vulpes, Multi Jesu Christi nomine quietem quærunt, & vitæ commoda: qui aliud quærit ab eo, indignus est ejus ministerio. Sepelire. Manere cum patre usque ad ejus mortem; vel sepelire jam mortuum.

62. (*u*) Hac similitudine ducta ab aratoribus, qui oculos habent in sulcum, intentos, docet bonum Ecclesiæ ministrum ad alias curas avocari non oportere. Aptus est regno Dei, aut prædicando, aut promerendo.

CAP. X. 1. (*a*) Gr. Septuaginta; duo mittuntur, ut numerus ponatur rotundior. Electio hæc facta est ad eum modum, quo Moyses, Numer. cap. 11. septuaginta duos elegit Judices, ut vers. 16. & 17. tantum septuaginta dicuntur, sed vers. 26. duo sunt adjecti: Is jam antea duodecim principes tribuum adjutores habebat. Iisdem mandatis eos instruxit Dominus, quibus duodecim Apostolos in Galilæa: inferiores erant Apostolis, ut Episcopis Presbyteri. Et misit illos binos, ut sibi mutuo essent auxilio.

* Matth. 9. 37. 2. Et dicebat illis: * Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

* Matth. 10. 16. 3. Ite: * Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

* Matth. 10. 10. Marc. 6. 8. * 4. Reg. 4. 29. 4. * Nolite portare sacculum (*b*), neque peram, neque calceamenta, & * neminem per viam salutaveritis.

5. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui:

6. Et si ibi fuerit filius pacis (*c*), requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur.

* Deut. 24. 15. Matth. 10. 10. 1. Tim. 5. 18. 7. In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt: * dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum.

8. Et in quamcumque civitatem intraveritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis,

9. Et curate infirmos, qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquavit (*d*) in vos regnum Dei.

10. In quamcumque autem civitatem intraveritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite:

* Act. 13. 51. 11. * Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos: tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei.

12. Dico vobis, quia Sodomis in die illa (*e*) remissius erit, quam illi civitati.

* Matth. 11. 21. 13. * Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent.

14. Verumtamen Tyro & Sydoni remissius erit in judicio, quam vobis.

15. Et tu Capharnaum usque ad cælum exaltata, usque in infernum demergeris.

* Matth. 11. 40. Joan. 13. 20. 16. * Qui vos audit, me audit (*f*): & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.

17. Reversi (*g*) sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.

18. Et ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem (*h*).

19. Ecce dedi (*i*) vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.

20. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete (*k*) autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.

21. * In ipsa hora exultavit Spiritu sancto, & dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quod abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis: Etiam Pater: quoniam sic placuit ante te. * Matt. 11. 25.

22. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater: quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.

23. Et conversus ad discipulos suos, dixit: * Beati oculi, qui vident (*l*) quæ vos videtis. * Matth. 13. 16.

24. Dico enim vobis, quod multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.

25. * Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans (*m*) illum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? * Matth. 22. 35. Marc. 12. 28.

26. At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis?

27. Ille respondens dixit: * Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde (*n*) tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum sicut teipsum. * Deut. 6. 5.

28. Dixitque illi: Recte respondisti: hoc fac, & vives (*o*).

29. Ille autem volens justificare (*p*) seipsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus?

30. Suscipiens (*q*) autem Jesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum: & plagis impositis abierunt semivivo relicto.

31. Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso illo præterivit.

32. Similiter & Levita, cum esset secus locum, & videret eum, pertransiit.

33. Sama-

4. (*b*) Ad litteram est hyperbole: non enim prohibet eos officio humanitatis; sed ne impediantur rebus minime necessariis, neve quicquam iis moræ sit.

6. & 7. (*c*) Dignus pace, & salute Evangelica. *Edentes*. Ut obviis quibusque cibis contenti, non ut mendici, sed ut jus accipiendi habentes: mox enim subjicit. *Dignus est enim operarius mercede sua*. Quod cibus ab iis debeatur, ut merces operario: tametsi Deus ipse est merces eorum.

9. (*d*) Prope est Messias a Deo promissus, regni cælestis dator, & auctor.

12. & 13. (*e*) In extremo & tremendo Dei judicio. *Pœniterent*. Pœnitentiam egissent.

16. (*f*) Hinc colligitur præpositis Ecclesiæ datam esse a Deo potestatem non docendi modo, sed & præcipiendi, ac leges condendi pro locorum, & temporum opportunitate. Pastoralis auctoritatis, uti & veritatis, in Deo ipso fons est, & origo; Christo a Patre est communicata per Incarnationem, Apostolis data est per missionem a Filio, Episcopis per successionem non interruptam. Vox *audire* in Scripturis non solum significat acquiescere docenti, sed & parere. Sic Pater de Filio loquens, *Ipsum audite*: Item Deuteron. *Audi Israel*.

17. (*g*) Reversis cum ingenti gaudio discipulis; quod dæmonia iis subjicerentur. *In nomine tuo*, vel nomine tuo pronuntiato.

18. (*h*) Id est, cum dæmones a corporibus hominum ejiciebatis, hos quasi e cælo, seu e gloriæ loco instar fulguris præcipites in spiritu videbam. Nam ex iis corporibus quibus insederant, quasi e cælo iterum dejecti videbantur: vel instar fulguris subito cadentem Satanam ex aere videbam.

19. (*i*) Gr. *Ecce do vobis potestatem calcandi supra serpentes*, quibus diabolus post peccatum utitur, ut noceat hominibus. *Inimici*, Qua potestate nunc etiam utitur in aquæ & salis benedictione, in exorcismis, quæ his Christi verbis tamquam titulo innituntur. Preces Ecclesiæ sunt quasi archivia, aut tabularia publica, quibus jus illud, aut potestas continetur.

20. (*k*) Cum amor Dei cordibus nostris est inscriptus per Spiritum Sanctum, & in manibus per bona opera, tum spes magna manet in cælo nos scriptos esse ad æternitatem: vel, gaudete quod inter fideles adscripti estis, quibus cælum est destinatum.

23. (*l*) Oculis fidei: quæ Judæi non videbant, nisi carnis oculis.

25. (*m*) Experiri volens an aliquid doceret a lege alienum: id alio tempore factum est, ex Matth. 22.

27. (*n*) Idem pluribus vocibus exprimitur, ad rem magis inculcandam, & majorem explicationem. *Sicut teipsum*, Eo modo quo teipsum diligis.

28. (*o*) Non vivimus sine charitate, nec charitas diu manet sine bonis operibus.

29. (*p*) Se justum ostendere, quodque de salute sua esset sollicitus.

30. & 31. (*q*) Vices respondendi. *Homo quidam descendebat*: Historia sit an parabola, incertum. *Ab Jerusalem in Jericho*: qui locus, ut docet Hieron. latrociniis infamis erat. *Præterivit*. Gr. ἀντιπαρῆλθεν. *E via deflexit*, ne ad eum accederet.

33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: & videns eum, misericordia motus est.

34. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens (r) oleum & vinum: & imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, & curam ejus egit.

35. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi.

36. Quis horum trium videtur tibi proximus (s) fuisse illi, qui incidit in latrones?

37. At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, & tu fac similiter.

38. Factum est autem, dum irent, & ipse intravit in quoddam castellum (t): & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam:

39. Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens (u) secus pedes Domini, audiebat verbum illius.

40. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adjuvet.

41. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima.

42. Porro unum est necessarium. (x) Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

CAPUT XI.

Quæ in hoc capite enarrantur usque ad v. 51. eadem sunt in Matthæo, cap. 7. 9. 12. 23. immo & in cap. 5. & 6. narrata & explicata.

1. ET factum est cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare, sicut docuit & Joannes discipulos suos.

2. Et ait illis: Cum oratis (a), dicite: * Pater, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. *Matt. 6. 9.

3. Panem nostrum quotidianum (b) da nobis hodie.

4. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem.

5. Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum (c), & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes,

6. Quoniam (d) amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum,

7. Et ille deintus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi.

8. Et si ille perseveraverit pulsans: dico vobis, & si non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem (e) tamen ejus surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.

9. * Et ego dico vobis: Petite (f), & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. * Matt. 7. 7. & 21. 22. Marc. 11. 24. Joan. 14. 13. Jac. 1. 5.

10. Omnis

34. (r) Quod viatores ad usum itineris solebant secum portare. Hoc unguentum Christi vocant chirurgi vulneribus utile; severitati jungenda lenitas: sic sanantur vulnera. *Duxit in stabulum*: Gr. diversorium. Ambr. *In quo, Adamo, omne genus occidisset humanum, nisi Samaritanus ille descendens vulnera ejus acerba curasset.*

36. (s) Proximum facit charitas, ac Samaritanus proximi functus est officio.

38. (t) Bethaniam esse vulgo creditur: qua de re quid nobis videretur, supra diximus. Ex hoc ipso loco Auctor dissertat. Gallicæ a nobis identidem laudatus non absurde colligit Mariam Magdalenam, & sororem Marthæ, distinctas esse personas. Primum enim ex cap. 9. Jesus jam e Galilæa exierat, & per Samariam transierat, neque illud Castellum videtur aliud esse a Bethania prope Jerusalem sita. Quin & ea verba, *Mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria*, eum menti subjiciunt intellectum, nondum ab Evangelista harum sororum factam esse mentionem, nondum visas esse a Domino, aut saltem jamdiu esse, ex quo illas inviserat: cum tamen Maria Magdalene in comitatu ejus assidua esset, eique de suis facultatibus ministraret. Actuosa Magdalene vita cum alterius Mariæ tranquilla contemplatione non bene cohæret. Mariæ a Bethania vivendi ratio omnino diversa est ab ea, quam in Magdalena observat Evangelista: Illa enim tota est interior, & vitæ contemplativæ symbolum: hæc Salvatorem ubique sequitur, cruento ejus sacrificio præsens adest cum Beatissima Virgine; parat aromata corpori ejus pollinciendo: prima resurgentem videt, ad sepulcrum properat. Nihil ex his ad Mariam e Bethania pertinet, quæ huic tribuuntur: omnia Bethaniæ aguntur in sororis præsentia.

39. (u) August. serm. 27. de verbis Domini: *Quanto humilius sedebat, tanto amplius capiebat: confluit enim aqua ad humilitatem convallis.*

41. & 42. (x) Nempe rerum divinarum studium. *Optimam*, Gr. bonam, excellentem, & meliorem partem ipsius Marthæ, quæ etiam bona erat. Hoc Evangelium legitur in Assumptione B. Virginis, quia totius vitæ decursu & in omni negotio optimam partem studiosissime elegit.

CAP. XI. 2. (a) Orandi modum jam docuerat Jesus in monte. Sed in gratiam eorum, qui tum non aderant, placuit illi hunc repetere, & iisdem pene verbis. In Græco septem Dominicæ Orationis partes continentur: etsi in vulgata editione tertia & septima videntur omissæ, quæ tamen ad proxime præcedentes referuntur. Nam ex duabus primis tertia sequitur, & septima apud Matthæum una est cum præcedente: ut docet August. Enchir. cap. 115. & 116. *Pater*, Gr. additur, *noster, qui es in cælis*. Deus vult coli a filiis, non a servis tantummodo, & adorari in spiritu & veritate. Quæ a Deo petenda sunt, primum nos docet, quæ nimirum ad ejus gloriam & hominum necessitates spectant: sic tamen ut quæ ad Dei gloriam, regnum ejus & voluntatem pertinent, omnino præire debeant indigentiæ nostræ, reconciliationi cum Deo, periculis & malis vitandis. Tres personæ hoc Patris nomine invocantur: *Sanctificetur nomen tuum*; Sancte colitur. Hoc sit primum animæ desiderium, Dei gloria. Hoc excipit adventus regni Dei, & sanctificationis nostræ, quæ in nobis per Baptismum incipit, uti & adoptio nostra in cælo perficienda.

3. (b) Gr. ἐπιούσιον, panem, quo singulis diebus egemus: Tum remissionem peccatorum, & Dei misericordiam imploramus, atque ut omnes obices & pericula amoveat, quæ nos arcent ab ingressu patriæ cælestis. Nam in hac vita peregrinamur a Domino, & cuncta sunt periculis plena: dæmones ubique nobis ut latrones insidias struunt, ut nos spolient gratia, & mactent.

5. (c) Præcipuam orationis conditionem, perseverantiam videlicet, ejus vim & necessitatem nobis commendat, atque utitur similitudine hominis, qui ab amico nocte intempesta postulat ut sibi tres panes commodet. Vis illa, quam preces Deo afferunt, illi pergrata est, non molesta.

6. (d) Caussa quidem justa erat, sed multa obstabant quominus his precibus acquiesceret: clausum erat ostium, pueri dormiebant, sed ostium misericordiæ divinæ in hac vita semper patet.

8. (e) Gr. *Impudentiam*, inverecundiam ejus: propter importunam perseverantiam: nam improbitas etiam in bonam partem quandoque accipitur.

9. (f) Terna repetitione ejusdem rei, petere, quærere, pulsare, quæ verbis, non sensu differunt, ad instantissimam petitionem nos adhortatur, ut docet August. Lib. 1. Retract. cap. 19. retractans locum quemdam, ubi hæc tria sollicite distinxerat. Etsi petere ad orationem, quærere ad bona opera, pulsare ad perseverantiam in utrumque commode referri possunt. In petendo adhibenda est pauperis humilitas, in quærendo servi boni diligentia, in pulsando amici fiducia. Præ superbia, aut impotentia, homines diu differunt sua beneficia; Deus vero benignitate sua & sapientia differt, ut majoribus donis nos cumulet.

10. Omnis enim qui petit, accipit (g): & qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur.

* Matth. 7. 9. 11. * Quis autem ex vobis patrem petit panem (h), numquid lapidem dabit illi? aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi?

12. Aut si petierit ovum: numquid porriget illi scorpionem?

13. Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum (i) petentibus se?

* Matt. 9. 32. & 12. 22. 14. * Et erat ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ.

* Matt. 9. 34. Marc 3. 22. 15. Quidam autem ex eis dixerunt: * In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.

16. Et alii tentantes, signum (k) de cælo quærebant ab eo.

17. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet.

18. Si autem & Satanas in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia.

19. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia: filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt.

20. Porro si in digito Dei ejicio dæmonia: profecto pervenit in vos regnum Dei.

21. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet.

22. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma (l) ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet.

23. Qui non est mecum, contra (m) me est: & qui non colligit mecum, dispergit.

24. Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem: & non inveniens dicit: Revertar in domum meam unde exivi.

25. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam, & ornatam.

26. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.

27. Factum est autem, cum hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.

28. At ille dixit: Quinimmo (n) beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

29. Turbis autem concurrentibus cœpit dicere: * Generatio hæc, generatio nequam est: signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ (o) Prophetæ: * Matth. 12. 39.

30. * Nam sicut fuit Jonas signum Ninivitis: ita erit & Filius hominis generationi isti. * Jonæ 2. 1.

31. * Regina Austri surget in judicio cum viris generationis hujus, & condemnabit illos: quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plus quam Salomon hic (p). * 3 Reg. 10. 1. 2. Par. 9. 1.

32. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt (q) illam: * quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ: & ecce plus quam Jonas hic. * Jonæ 3. 5.

33. * Nemo lucernam accendit (r), & in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. * Matth 5. 15. Marc. 4. 21.

34. * Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus (s) tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. * Ma 22.

35. Vide ergo ne lumen (t), quod in te est, tenebræ sint.

36. Si ergo corpus (u) tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

37. Et cum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus ut pranderet apud se. Et ingressus recubuit.

33. Pha-

10. (g) Si petit quæ oportet, & quomodo oportet, nimirum perseveranter, idque cum simplicitate & rectitudine cordis. Cum id non accipimus quod petimus, id fit, vel quod male petamus, vel quod e re nostra sit, ut id non accipiamus, quo male uteremur.

11. (h) Quæ a Deo petuntur, nec inutilia, nec periculosa, nec demum omnino noxia esse debent: hæc Dominus per lapides, serpentes, & scorpiones exprimit. Ea vero sint necessaria ut panis, aut utilia ut pisces, aut salubria ut ova. At sæpe caduca pro æternis, noxia pro utilibus postulamus.

13. (i) Bona vera, spiritum pietatis, justitiæ, & charitatis, qui solus dignus est Deo.

16 17. 18. & 20. (k) Quasi illa quæ Christus dederat, non sufficerent. Domus, familia adversus seipsam divisa. Dicitis. Hoc vobis ideo dico, quia dicitis. Pervenit in vos; in quibusdam codicibus & Græce legitur. Prævenit, id est, supervenit vobis nec cogitantibus regnum Dei.

22 (l) Omnem apparatum hominis armati. Christus e corde aufert arma dæmonis, cum voluptatum amorem, divitiarum cupiditatem, & vitæ superbiam evellit.

23. (m) Nam si justus est, cum Christo erit; si injustus, contra Christum; sententia est generalis, sed ex contextu ipso liquet dictam esse contra diabolum.

28. (n) Quæ particula Græce non corrigit, quod dictum erat, sed confirmat. Noluit Christus applaudere verbis mulieris, dicendo, vere beatus est venter, qui me portavit, ne seipsum laudare videretur: sed illud subjecit, quod potest omnibus esse commune, audire & facere. Transfert beatitudinem ad eos, qui audiunt & custodiunt verbum Dei. Stultum est existimare injuriam fieri Filio, cum Matri tribuuntur laudes, quæ in Filium redundant: Beata est virgo Maria, quæ in utero concepit, portavit, peperit, educavit Sanctum Sanctorum, qui eam sanctificans dignam effecit, ut esset Mater Dei.

29. (o) Christi resurrectio ultimum fuit ejus miraculum, Judæis primo, tum Gentibus, ut conversionis eorum fons & exemplar propositum, in Ninivitarum qui gentiles erant, conversione figuratum.

31. (p) Gr. Hic, est adverbium ὧδε. Hujus Reginæ exemplo Christiani pudore affici debent, qui Sapientiam incarnatam in novo Testamento audire nolunt per os Ecclesiæ ubique diffusæ.

32. (q) Comparatione meritorum. Beneficiorum Dei oblivio, aut abusus cor indurat.

33. (r) Lucerna nostra a Spiritu Sancto accensa, & supra Ecclesiæ candelabrum posita, est Scriptura sancta, & Evangelium in primis.

34 (s) Intentio pura, quæ diriguntur actiones: mentis oculus simplex est, qui cum pura intentione jungit etiam operis bonitatem, ut Bernardus Lib. de præcepto & dispensatione docet. Dominus etiam videtur loqui non de singulis actionibus, sed de toto corpore actionum, quod bonum erit, & lucidum, si intentio ubique sit simplex & recta, etiamsi per ignorantiam in quibusdam venialiter peccemus: per corpus etiam affectus omnes, ut per oculum mentem puram recte intelligamus.

35. (t) Ne mens tua sit excæcata falsis præjudiciis: unde judicia temeraria, & dissensiones.

38. (u) Maldonatus existimat mendum irrepsisse in textum Græcum mutatione vocis ὄμμα, in σῶμα, quod factu facile est, ac legendum putat: Si ergo oculus tuus totus lucidus fuerit, ne sit quædam tautologia: sed ipsemet aliam subjicit expositionem, & verba illa repetita: Erit lucidum totum, non ad corpus, sed ad corporis & animæ facultates referuntur: adeo ut nihil sit, quod non sit lucidum.

38. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium.

*Matth. 23. 25. 39. Et ait Dominus ad illum: * Nunc vos Pharisæi, quod deforis est calicis, & catini mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate.

40. Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est, fecit?

41. Verumtamen quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.

42. Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis (x) mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis judicium, & charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.

* Matt. 23. 6. Mar. 12. 39. Inf. 20. 46. 43. Væ * vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro.

44. Væ vobis, quia estis ut monumenta, quæ non apparent (y), & homines ambulantes supra, nesciunt.

45. Respondens autem quidam ex Legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis.

46. At ille ait: Et vobis Legisperitis væ:

*Matth. 23. 4. * quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, & ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas.

47. Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos.

48. Profecto testificamini (z) quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulcra.

49. Propterea & sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas & Apostolos, & ex illis occident, & persequentur:

50. Ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista,

*Gen. 4. 8. 51. * A sanguine Abel, usque ad sanguinem * Zachariæ, qui periit inter altare &
* 2. Par. 24. 22. ædem. Item dico vobis, requiretur ab hac generatione.

52. Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clavem (aa) scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis.

53. Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi & Legisperiti graviter insistere, & os ejus opprimere (bb) de multis,

54. Insidiantes ei; & quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum.

C A P U T XII.

Quæ hoc capite continentur, in Matthæo & Marco fuerunt exposita, ut in margine annotatur.

1. MUltis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos: * Attendite (a) a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. * Matt. 16. 6. Marc 8. 15.
2. * Nihil autem opertum (b) est, quod non reveletur: neque absconditum, quod non sciatur. *Matth. 10. 26. Marc. 4. 22.

3. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur, & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis.

4. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant.

5. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.

6. Nonne quinque passeres væneunt dipondio (c), & unus ex illis non est in oblivione coram Deo?

7. Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis vos.

8. Dico autem vobis: * Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: *Matth. 10. 32. Mar. 8. 38. 2. Tim. 2. 12.

9. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.

10. * Et omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur. *Matth 12. 32. Marc. 3. 29.

11. Cum autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus, & potestates, nolite solliciti esse qualiter, aut quid respondeatis (d), aut quid dicatis.

12. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere.

13. Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem.

14. At ille dixit illi: Homo, quis me constituit judicem (e), aut divisorem super vos?

15. Dixit-

42. (x) Decimas solvitis: Illos reprehendit, quod in pietatis officio iniqui admodum essent, in plerisque severiores quam par sit, & superstitiosiores, in aliis remissiores. Quæ nullius sunt momenti, religiose observatis; justitiam, aut misericordiam, aut bonam fidem in negotiis tractandis, vel in promissis non servatis. *Hæc oportuit facere*, tamquam in primis necessaria: *Et illa non omittere*; potuistis non obmittere.

44. (y) Cujusmodi plura erant in Palæstina, in terra defossa, & pretiosa.

48. & 49. (z) Cum prophetarum Dominum occidere in animo habetis, & a parentum sceleribus non receditis; cum vita omni, & Christi persecutione satis declaratis vos sanctitatem Prophetarum odisse. Hæc sunt totidem testimonia vestræ pravitatis: Idem enim Spiritus adversus veritatis præcones vos impellit, qui patres vestros adversus Prophetas. *Sapientia*. Ego qui Dei sum sapientia.

52. (aa) Hoc nomine eos condemnat, quod jus interpretandi Scripturas in perniciem animarum, & clavem scientiæ sic usurpassent, ut regnum cælorum hominibus occluderent, fidem in Messiam iis adimentes.

53. (bb) Per frequentes interrogationes, & quæstiones: Gr. *ἀποστοματίζειν*, *Os ejus obstruere*, silentium imponere.

CAP. XII. 1. (a) Seu simulatio pietatis: fermentum illud, ut dictum fuit apud Matthæum, cap. 16. doctrina Pharisæorum plena simulatione sanctitatis, & hominibus placendi studio, eo signatur nomine. Hoc fermentum actiones omnes corrumpit, & sub specie pietatis horrenda tegit vitia.

2. (b) Nihil enim adeo tectum, quod aliquando non detegatur, ac larva illa falsæ pietatis detrahetur, vel in præsenti vita, vel in futura.

6. (c) Gr. *Assariis duobus*. Assarium est minutum assis: duo itaque minuta erant assaria, quæ quadrantem efficiebant, ex Hesychio.

11. (d) Nam qui ad judicia producendi erant, scire non poterant de quibus essent interrogandi: alia est ratio doctorum, & concionatorum, qui ante meditari debent quæ dicturi sunt; tametsi utrique totum a Deo expectare debent, illi per orationem, & piam fiduciam, hi vero simul adhibito studio & meditatione.

14. (e) Non venerat Dominus ad hujusmodi controversias dirimendas: ambos tamen fratres admonuit, ne aliena bona retinendo graviter peccarent. Vulgare hoc malum, inquit Menochius, ut a spiritualibus magistris temporalia petantur, spiritualia vero non recipiantur. Concessa olim fuit a principibus judicandi potestas ipsis Episcopis, ut fideles a litigando abstinerent.

15. Dixitque ad illos: Videte (*f*), & cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet.

16. Dicit autem similitudinem ad illos, di-
* Eccli.11. 19. cens: * Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit:

17. Et cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?

18. Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, & majora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea,

19. Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.

20. Dixit autem illi Deus: Stulte (*g*), hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cujus erunt?

21. Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives (*h*).

22. Dixitque ad discipulos suos: Ideo dico
* Ps.54.23. Matt.6.25. 1. Pet.5.7. vobis: * Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini.

23. Anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum.

24. Considerate (*i*) corvos quia non seminant, neque metunt, quia non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis?

25. Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?

26. Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de ceteris solliciti estis?

27. Considerate lilia quomodo crescunt, non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis.

28. Si autem fœnum, quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos pusillæ fidei?

29. Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in sublime tolli (*k*).

30. Hæc enim omnia gentes mundi quærunt (*l*). Pater autem vester scit quoniam his indigetis.

31. Verumtamen quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.

32. Nolite timere pusillus grex (*m*), quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

33. * Vendite quæ possidetis, & date elee- * Matt.19.
mosynam. Facite vobis sacculos, qui non ve- 21.
terascunt, * thesaurum non deficientem in cæ- * Matt.6.
lis: quo fur non appropiat, neque tinea cor- 20.
rumpit.

34. Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.

35. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes (*n*) in manibus vestris,

36. Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis: ut, cum venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei.

37. Beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.

38. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi.

39. * Hoc autem scitote, quoniam si sciret * Matth.24.
paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret 43.
utique, & non sineret perfodi domum suam.

40. Et vos estote parati: * quia qua hora * Apoc.16.
non putatis, Filius hominis veniet. 15.

41. Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam (*o*): an & ad omnes.

42. Dixit autem Dominus: Quis, putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram (*p*).

43. Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus, invenerit ita facientem.

44. Vere dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum.

45. Quod si dixerit servus (*q*) ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire: & cœperit percutere servos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari:

46. Veniet dominus servi illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & dividet (*r*) eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.

47. Ille

15. (*f*) Omnem avaritiam prohibet, etiam parsimoniæ & frugalitatis prætextu firatam. *Quæ possidet;* Natura paucis contenta est, nec vita hominis est posita in multis possessionibus, sed in bono earum usu, cui pauca sufficiunt: nec propterea quis diutius, aut felicius vivit, quod abundet opibus.

20. (*g*) Gr. *Amens*. *Hac nocte*, auferetur a te vita, quæ alieni est juris, & tibi commodata.

21. (*h*) Parabolam proposito suo accommodat. Ille autem est in Deum dives; qui divitiarum suarum usum in Deum refert, & ad proximorum necessitates eas expendit. Ille enim multa apud Deum merita comparat; non sibi thesaurizat, neque opes congerit, ut suis commodis, voluptatibus, & ambitioni serviant.

24. (*i*) Solicitudines inordinatas jubet exuere, non curam, & opus: ad quod Sapiens pigrum & instrenuum exemplo formicæ extimulat. *Quanto magis vos*, inquam, qui ad imaginem Dei conditi estis? Illud eodem pertinet: *Numquid quinque passeres?* Ambros. *Nam si Deus obsonatorem passerum non habet, hominum habere qui potest?* Et infra. *Aves cœli specialia sibi nihil vindicant. & ideo pabulis indigere nesciunt, quia aliis invidere non noverunt.*

29. (*k*) Aut continua futuri expectatione suspendi: solent enim homines vitæ necessaria adepti non ibi sistere, concupiscentia semper anxia, sollicita, numquam quiescente.

30. (*l*) Cum anxietate & perturbatione animi: vobis autem fidelibus indigna est ejusmodi inordinata sollicitudo, quasi nulla esset divina vestrum cura & providentia. Qui vobis regnum æternum dedit, necessaria hujus vitæ non denegabit.

32. 33. & 34. (*m*) Electi cum reprobis comparati, pusilli gregis nomine a Domino appellantur. Qui Domini doctrinam amplectebantur, pauci erant numero. *Sacculos*. In sacculis pauperum repositæ divitiæ non pereunt, ut avarorum sacculi usu cernitur. *Thesaurus*. Ubi est felicitas nostra, ibi cor nostrum esse debet.

35 (*n*) Hæc verba, *In manibus vestris*, desunt in Græco, & apud August. Lib. de Contin. cap. 7. ubi hoc præceptum exponit. Conditiones proponit necessarias discipulis, ut suo ministerio rite defungantur. 1. Continentiam, quæ affectus omnes pravos coerceat: 2. Ut bonorum operum exemplis fulgeant: 3. Ut sibi & suis actionibus invigilent, a falsa & infida securitate sibi caveant. In legem Dei semper intenti.

41 (*o*) Cum scilicet boni & mali servi imaginem descripsit. Rem ita esse aperte declarat Dominus, ac boni Pastoris dotes exponit, qui primum fidelis esse debet, nec sinere ut bona domini sui dissipentur, remissius agendo, & ultra quam par sit, indulgendo.

42. (*p*) Ut verbo Dei eos pascat. Metaphora utitur ex illius temporis usu desumpta, cum procurator domesticis certam tritici mensuram, seu demensum unoquoque mense suppeditabat. Bern. Lib. 4. de Consid. *Si non fidelis, fraudabit, si non prudens, fraudabitur.*

45. (*q*) Bono servo malum opponit, qui falsam securitatem, aut longioris vitæ fiduciam criminibus suis obtendit.

46. (*r*) Ab officio suo ejiciet, & ab aliis servis separabit. Græce *In duas scindet partes*; corpus ab anima separabit.

47. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, & non prævaluit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis:

48. Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.

49. Ignem (*f*) veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?

50. Baptismo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor usque dum perficiatur?

* Matt. 10. 34. 51. * Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, sed separationem:

52. Erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duo, & duo in tres

53. Dividentur: pater in filium, & filius in patrem suum, mater in filiam, & filia in matrem, socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.

* Matth. 16. 2. 54. * Dicebat autem & ad turbas: Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbus venit: & ita fit.

55. Et cum austrum flantem, dicitis: Quia æstus erit: & fit.

56. Hypocritæ faciem cæli & terræ nostis probare (*t*): hoc autem tempus quomodo non probatis?

57. Quid autem & a vobis ipsis non judicatis quod justum est?

* Matth. 5. 25. 58. * Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, & judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem.

59. Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.

CAPUT XIII.

De pœnitentia agenda: ficus infructuosa: mulierem sabbato sanat: parabola de grano sinapis; regnum Dei est fermento simile; angusta porta: de Passione sua brevi futura.

1. ADerant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis (*a*), quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum.

2. Et respondens dixit illis: Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt?

3. Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam (*b*) habueritis, omnes similiter peribitis.

4. Sicut illi decem & octo (*c*), supra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos: putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem?

5. Non, dico vobis: sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis (*d*).

6. Dicebat autem & hanc similitudinem: Arborem (*e*) fici habebat quidam plantatam in vinea sua: & venit quærens fructum in illa, & non invenit.

7. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat?

8. At ille respondens, dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora:

9. Et si quidem fecerit fructum (*f*): sin autem, in futurum succides eam.

10. Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis.

11. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.

12. Quam cum videret Jesus, vocavit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa (*g*) es ab infirmitate tua.

13. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum.

14. Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Jesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in die sabbati.

15. Respondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum, aut asinum a præsepio, & ducit adaquare?

16. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati?

17. Et

49. (*f*) Evangelium quod persecutiones accendit. Quæ sequuntur, alio tempore a Domino pronuntiata existimat Maldonatus, ac subinde negat cum superioribus nexum anxie quærì oportere. *Quid volo nisi ut accendatur?* ut boni probentur; mali quales sunt, appareant. Gr. *Quid volo, si jam accensus est?* utinam is jamjam accendatur: nam hæc particula *ei* interdum utinam significat, ut Lucæ 19. 42. *Si cognovisses & tu:* mortem suam & passionem metaphoricis vocibus exprimit.

56. & 57. (*t*) Tempus salutis vestræ. *Non judicatis*, Ex vobismetipsis, ex iis quæ facere soletis, non judicatis quod justum est fieri a vobis. Objectioni quoque vulgi fortassis occurrit, qua dicerent se Scripturarum imperitos tempus adventus Messiæ scire non posse: quibus reponit, ea quæ quotidie viderent miracula sufficere, ut de illius adventu certiores fierent.

CAP. XIII. 1. (*a*) An illi fuerint e secta Judæ Galilæi, qui ante aliquot annos commoverat populum, docens tributa a populo Dei non Cæsari, sed uni Deo solvi oportere? An potius tum Pilatus sacrum ærarium cum vellet diripere, eo prætextu ut aquam e fontibus, qui 200. stadiis Jerosolyma distabant, per aquæductus in urbem deduceret, id vehementer populum offendit, iique turmatim ad Pilatum adiere conviciis eum lacessentes. Pilatus milites cum fustibus immisit, qui sine discrimine percutientes quosdam occiderunt Galilæos, qui ad seditionem erant promptiores, quique in templum venerant ut offerrent sacrificia.

3. (*b*) Christus primum docet ex punitionis modo peccati gravitatem non esse metiendam: sed tamen calamitates plerumque esse peccatorum pœnas, adeo ut nisi resipiscerent, ira divina in eos severius animadverteret: omnes enim impœnitentes male perituri sunt, vel in hoc sæculo, vel in futuro.

4. (*c*) Fons erat extra urbem, qui Siloe dicebatur, quique piscinam efficiebat: hæc natatoria Siloe est appellata: aut quod aliis visum est, duo hujus nominis fontes prope urbem extabant, unus e monte Gihon versus Occidentem profluens, alter e monte Sion manabat, inter Austrum & Orientem, prope vallem Ennom: in altero ex iis fontibus turris erat, quæ ruina sua 18. homines occidit.

5. (*d*) Urbis ipsius ruinam, cujus imago est illa Siloes turris, indicat.

6. (*e*) Synagogam hac parabola sterilem & infructuosam designat, quæ a tribus annis plantata nullum extulerat fructum: cum ficus, quæ fructum non affert anno tertio, nunquam latura videatur. Placet nonnullis tertio anno prædicationis Christi hanc ab eo usurpari parabolam. Ut ut sit; Dei patientia & longanimitate nos abuti non oportere subinde admonet: sterilitatem animæ, patientiam Domini, ac tandem animæ infructuosæ condemnationem insinuat.

9. & 11. (*f*) Ellipsis; Ibi manebit. *Infirmitatis*. Illam diabolus huic morbo illigaverat. Nam & corpora incommoda interdum a dæmone immittuntur, permittente Deo.

12. (*g*) Libera es ab infirmitate; quod repente factum est.

17. Et cum hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus: & omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriose fiebant ab eo.

18. Dicebat ergo: Cui simile est regnum Dei, & cui simile æstimabo illud?

* Matt. 13. 31. Marc 4. 31. 19. * Simile est grano sinapis (*h*), quod acceptum homo misit in hortum suum, & crevit, & factum est in arborem magnam: & volucres cæli requieverunt in ramis ejus.

20. Et iterum dixit: Cui simile æstimabo regnum Dei?

* Matt. 13. 33. 21. * Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.

22. Et ibat (*i*) per civitates & castella docens, & iter faciens in Jerusalem.

23. Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt, qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos:

* Matth. 7. 13. 24. * Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent (*k*) intrare, & non poterunt.

* Matth. 25. 10. 25. * Cum autem intraverit paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis: & respondens dicet vobis: Nescio vos unde sitis:

26. Tunc incipietis dicere: Manducavimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti.

* Matth. 7. 23. 27. Et dicet vobis: * Nescio vos unde sitis:
* Ps. 6. 10. * discedite a me omnes operarii iniquitatis.

Matt. 25. 41. 28. Ibi erit fletus & stridor dentium: cum videritis Abraham, & Isaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.

29. Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno Dei.

* Matth. 19. 30. & 20. 16. Marc. 10. 31. 30. * Et ecce sunt novissimi qui erunt primi, & sunt primi qui erunt novissimi.

31. In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi: Exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere.

32. Et ait illis: Ite, & dicite vulpi (*l*) illi: Ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consummor.

33. Verumtamen oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare: quia non capit prophetam perire extra Jerusalem.

* Matth. 23. 37. 34. * Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, & noluisti?

35. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*m*). Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cum dicetis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

CAPUT XIV.

Sanatur hydropicus: invitandi pauperes, non divites: crux nobis tollenda; de ædificante turrim; de gesturo bellum; de sale, quod evanescit.

1. ET factum est cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum.

2. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.

3. Et respondens (*a*) Jesus dixit ad Legisperitos & Pharisæos, dicens: Si licet sabbato curare?

4. At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.

5. Et respondens ad illos, dixit: Cujus vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati?

6. Et non poterant ad hæc respondere illi.

7. Dicebat autem & ad invitatos parabolam (*b*), intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos:

8. Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo;

9. Et veniens is, qui te & illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.

10. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe (*c*) in novissimo loco: ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: * Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. * Prov. 25. 7.

11. * Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. *Matth. 23. 12. Inf. 18. 14

12. Dicebat autem & ei, qui se invitaverat: * Cum facis prandium (*d*), aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: ne forte te & ipsi reinvitent, & fiat tibi retributio. * Tob. 4. 7. Prov. 3. 9.

13. Sed

19. (*h*) Magna fore Evangelii incrementa, & præter hominum opinionem, prædicit Christus Dominus.

22. (*i*) Iter faciens Jerosolymam. Hæc Christi miracula & documenta facta sunt in confiniis Galilææ, cum adhuc esset in Galilææ parte australi, & peteret Jerosolymam: tum enim nunciatum fuit, ab Herode eum quæri ad necem. Id forte angebat Herodem, quod Christum tanta populi multitudo sequeretur.

24. & 27. (*k*) Non quærent intrare per angustam portam: non enim quærunt viam salutis, quæ arcta est. Non poterunt, Quia noluerunt intrare per eam portam, quæ ducit ad salutem: pauci inveniunt, quia pauci quærunt. *Operarii*, Qui in pravis actionibus vitam agitis.

32. & 33. (*l*) Herodi, qui Christo insidias struebat. Is erat magnus veterator; idque dicit Dominus auctoritate sua, & fretus Patris potentia. Invito Herode & Pharisæis indignantibus opus meum peragam. *Et tertia die consummor*: Post breve temporis spatium consummabor: per passionem & mortem, in qua omnia consummabuntur. *Non capit*, Non decet. Gr. *οὐκ ἐνδέχεται*, Non est possibile.

35. (*m*) Id factum est in excidio Jerosolymæ. *Benedictus*: ita dicent, qui agnoscent Dei vindictam.

CAP. XIV. 3. (*a*) Jesus incipiens loqui dicit. Ad hoc convenerant, ut observarent eum. Itaque Jesus ad eorum cogitationes, quæ sequuntur, parabolas proposuit.

7. (*b*) Qua eos docuit humilitatem & modestiam: *Intendens quomodo*: Considerans.

10. (*c*) Eo spectat parabola, non tam ut doceat quem locum in conviviis eligere debeant homines, quod ad mores civiles pertinet, quam ut ad veram humilitatem nos instituat. Ex conclusione ipsa, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur*, palam est majus quiddam nos docere velle, cum ait: *Recumbe in novissimo loco*: id videlicet, ut aliis nosmetipsos non anteponamus. Sic Paulus, cum ajebat, *se nihil esse*, recumbebat in novissimo loco: interiorem modestiam potius quam exteriorem præcipit.

11. (*d*) Non prohibet Dominus, ne invitemus ad prandium amicos, vicinos, aut cognatos etiam divites, humanæ societatis conservandæ caussa: sed nos admonet mercedem hujus sæculi sæpe in caussa esse, cur præmium futuri sæculi amittamus, quod illa præcipue a nobis quæratur. Itaque hæc verba, *Noli vocare*, non sunt prohibentis: sed si volumus apud Deum mereri, pauperes & debiles potius invitemus. Eo quidem modo, quo hæc verba cap. 6. exponuntur: *Si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia?* Vox autem illa, *divites*, ad quatuor præcedentia refertur, amicos, fratres, cognatos, vicinos: nam si ii fuerint pauperes, præ ceteris invitari debent. *Ne forte te & ipsi reinvitent*, Gr. *Ne aliquando*.

13. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos:

14. Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione (e) justorum.

15. Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus, qui manducabit panem (f) in regno Dei.

*Matth.22. 2. 16. At ipse dixit ei: * Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.

Apoc.19. 9. 17. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia.

18. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi (g), & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te habe me excusatum.

19. Et alter dixit: Juga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excusatum.

20. Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideo non possum venire.

21. Et reversus servus nuntiavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo: Exi cito in plateas & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.

22. Et ait servus: Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est.

23. Et ait dominus servo: Exi in vias, & sepes (h): & compelle intrare, ut impleatur domus mea.

24. Dico (i) autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

25. Ibant autem turbæ multæ cum eo: & conversus dixit ad illos:

*Matth.10. 37. 26. * Si quis venit ad me, & non odit (k) patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.

*Matth.10. 38. & 16. 24. Marc.8.34. 27. * Et qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.

28. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare (l), non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum:

29. Ne, posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei,

30. Dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare?

31. Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?

32. Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.

33. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat (m) omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

34. * Bonum est sal. Si autem sal evanuerit, in quo condietur? *Matth.5. 13. Marc.9 49.

35. Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

CAPUT XV.

Christus Dominus Pharisæos revincit, qui indignabantur, quod peccatores reciperet; ac subinde tres proponit parabolas, ovem perditam & quæsitam a bono pastore, drachmam itidem perditam & inventam, filium prodigum.

1. ERant autem appropinquantes ei publicani & peccatores, ut audirent illum.

2. Et murmurabant Pharisæi & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.

3. Et ait ad illos parabolam istam, dicens:

4. * Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam? *Matt. 18. 12.

5. Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens:

6. Et veniens domum convocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat?

7. Dico vobis quod ita gaudium erit (a) in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.

8. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat?

9. Et cum invenerit, convocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram?

10. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.

11. Ait

14. (e) Ergo opera bona sunt meritoria vitæ æternæ. Ac recte & laudabiliter fiunt opera spe retributionis, quæ Deus est ipse.

15. (f) *Gr. Prandium:* qui particeps erit regni cælestis. Quod confirmat Christus Dominus simul, & subjecta parabola caussam affert, cur plerique Judæi ex eo numero non futuri sint: similis parabola Matth. 22. proponitur.

18. (g) Non est illicitum villam, aut boves emere: sed nimia sollicitudo rerum temporalium nos a cælesti convivio alienos facit. *Cœperunt omnes simul excusare*, Gr. ἀπὸ μιᾶς, ex una scilicet sententia, & quasi ex compacto.

23. (h) In pagos & loca cincta sepibus, Gentium vocationem innuit: *Et compelle intrare;* sæpe hoc loco utitur August. ut probet hæreticos pœnis compelli posse, ut intrent in Ecclesiam Catholicam. Sic Epist. 204. *Qui compellitur, quo non vult, cogitur, sed cum intraverit, jam volens pascitur.* Ambr. *Post divitum resupina fastidia se contulit ad gentes; jubet bonos & malos introire, ut bonos augeat, malorum affectum in meliora commutet.*

24. (i) Videtur Christus in persona sua loqui, & parabolam sic applicare, ut ii omnes, qui se perperam excusarunt, regni cælestis sint expertes.

26. (k) Quatenus Christo contrarii sunt, qui non valedicunt pravis cupiditatibus.

28. (l) Susceptio rei arduæ his metaphoris significatur, & magna deliberatione opus est, cum quis virtutis viam arripit.

33. (m) In præparatione animi: cujus omnia amittere paratus esse debet, quam me offendere. Quemadmodum is odit patrem & matrem & animam suam, qui propter eos non vult Christum negare, aut offendere: Ita is renuntiat omnibus quæ possidet, qui paratus est ea potius relinquere, quam in Deum peccare.

CAP. XV. 7. (a) Supple, majus erit: novum enim gaudium excitat inventio ovis errantis. Sic mater plus gaudet de sanitate recuperata filii, quam de aliorum firma sanitate. Allatæ vero sunt ab eo hæc, & duæ sequentes parabolæ, ut murmur Pharisæorum injustum plane esse demonstraret. *Qui non indigent pœnitentia*, tametsi egent quotidiana quadam pœnitentia ob leviora peccata. Quæ pœnitentia justorum spectat ad profectum pietatis, non ad vitæ, aut voluntatis in diversum mutationem.

11. Ait autem: Homo quidam habuit duos filios (*b*):

12. Et dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contigit (*c*). Et divisit illis substantiam.

13. Et non post multos dies congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus (*d*) est in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose.

14. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere.

15. Et abiit, & adhæsit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos.

16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis (*e*) quas porci manducabant: & nemo illi dabat.

17. In se autem reversus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!

18. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cælum, & coram te:

19. Jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis.

20. Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia (*f*) motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.

21. Dixitque ei filius: Pater, peccavi in cælum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.

22. Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam (*g*), & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus:

23. Et adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur:

24. Quia hic filius meus mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus est. Et cœperunt epulari.

25. Erat autem filius ejus senior in agro: & cum veniret, & appropinquaret domui, audivit symphoniam, & chorum:

26. Et vocavit unum de servis, & interrogavit quid hæc essent.

27. Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit.

28. Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum.

29. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis servio (*h*) tibi, & numquam mandatum tuum præterivi, & numquam dedisti mihi hœdum, ut cum amicis meis epularer:

30. Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.

31. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.

32. Epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus est.

CAPUT XVI.

Villici iniquitatis parabola: item de divite epulone. De fideli servo; vis cælo inferenda; de matrimonio.

1. DIcebat autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum (*a*): & hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius.

2. Et vocavit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare (*b*).

3. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco.

4. Scio quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas.

5. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo?

6. At ille dixit: Centum cados (*c*) olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam: & sede cito, scribe quinquaginta.

7. Deinde alii dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum coros (*d*) tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, & scribe octoginta.

8. Et

11. (*b*) In prima parabola Christus ut pastor errantes oves propriis gestat humeris. in secunda, Ecclesia quæ drachmam perditam sollicite quærit; in tertia de filio prodigo Deus quasi pater filium juniorem & prodigum benigne recipit, fremente filio natu majore, qui Scribas & Pharisæos repræsentat. Discedentes a se Deus non prohibet, redeuntes amplectitur. Iste filius ille minor natu gentes in omnes libidines effusas nobis exhibet.

12. (*c*) Quæ ad me pertinet, forsan maternæ hæreditatis partem postulat.

13. (*d*) Regio longinqua est oblivio Dei, ut ait August. Lib. 2 q. q. 8 Evangel. cap. 33 Ambr. *Qui recedit a fonte, sitit: qui recedit a thesauro, eget; qui recedit a sapientia, hebetatur. Et egere ergo cœpit, & famem pati, quia nihil prodigo satis est voluptatis: semper famem patitur sui, qui alimentis perpetuis nescit impleri.*

16. (*e*) Fructus est oblongus, colore fusco, sapore dulci, cornu similis: in regionibus calidioribus, ubi hi fructus venundantur, porcis dari solent. Miserabilis status peccatoris describitur, dum omni cibo spirituali destituitur.

20. & 21. (*f*) Ut eum divina prævenit gratia. *Peccavi*, palam & innoxie vivendo. *Et coram te*, mandatis tuis non obtemperans.

22. (*g*) Præcipua justitiæ stola induitur: *Et date annulum in manum ejus*, ut arrham inhabitantis Spiritus & fidelis animæ.

29. & 32. (*h*) Illa expostulatio fratris senioris, Judæorum adversus gentium reconciliationem, aut eorum, qui justos se putant, querelas injustas exprimit. *Mortuus*, Pro mortuo habebatur.

1. (*a*) Gr. *œconomum*, cui scilicet bonorum administratio credita est, præfectum domus. Qua quidem voce nos admonet bonorum temporalium nos non esse dominos, sed dispensatores tantummodo. CAP.XVI.

2. & 3. (*b*) Domus curam habere. *Fodere non valeo*. Labore manuum mearum victum quærere non possum.

6. (*c*) Gr. *βάτους*: Batus autem non idem est qui cadus. Hic, ut nonnullis videtur, sextarios Romanos 48. seu uncias 960 continebat, & erat ejusdem capacitatis cum amphora Romana; juxta alios batus sextarios 72. cadus vero 60. seu decem congios, aut 23. pintas Parisienses capit. *Accipe cautionem*, Gr. *Scriptum tuum*, tabulas tuas, quibus hero meo es obligatus.

7. (*d*) Corus tam aridorum quam liquidorum continet 80. libras Romanas.

8. Et laudavit Dominus villicum iniquitatis (*e*), quia prudenter fecisset : quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

9. Et ego vobis dico : facite vobis amicos de mammona iniquitatis (*f*): ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

10. Qui fidelis (*g*) est in minimo, & in majori fidelis est : & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.

11. Si ergo in iniquo (*h*) mammona fideles non fuistis : quod verum est, quis credet vobis?

12. Et si in alieno fideles non fuistis : quod vestrum est, quis dabit vobis?

* Matth. 6. 24. 13. * Nemo servus potest duobus dominis servire (*i*) : aut enim unum odiet, & alterum diliget : aut uni adhærebit, & alterum contemnet: non potestis Deo servire, & mammonæ.

14. Audiebant (*k*) autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari: & deridebant illum.

15. Et ait illis : Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus : Deus autem novit (*l*) corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.

*Matth 11. 12. 16. * Lex & Prophetæ usque ad Joannem (*m*) : ex eo regnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit.

* Matt. 5. 18. 17. * Facilius (*n*) est autem cælum & terram præterire, quam de Lege unum apicem cadere.

18. * Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur : & qui dimissam a viro ducit, mœchatur. * Matt. 5. 32 Marc. 10. 11. 1 Cor. 7. 10. & 11.

19. Homo (*o*) quidam erat dives, qui induebatur purpura & bysso : & epulabatur quotidie splendide.

20. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus,

21. Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat : sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.

22. Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum (*p*) Abrahæ. Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno.

23. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, & Lazarum in sinu ejus:

24. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

25. Et dixit illi Abraham : Fili recordare quia recepisti (*q*) bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

26. Et in his omnibus (*r*) inter nos & vos chaos magnum firmatum est: ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.

27. Et

8. (*e*) Iniquum, idque duplici nomine, quod cum bona domini decoxisset, & debitoribus partem injuste condonasset : *Quia prudenter fecisset*, callide ; factum non laudat, sed ingenium. Sic in furibus quandoque ingenium laudamus. Ita quidem homo qui vitam suam in voluptatibus hujus sæculi exterit, cuique mox rationem se Deo redditurum videt, quod bona a Deo accepta misere decoxerit, nec præ corporis infirmitate fodere terram, seu carnem jejuniis & laboribus domare possit, nec præ pudore mendicare, aut duros per iracundiæ liberes subire, eo tandem se recipit, ut bona sibi credita egenis largiatur. *Quia filii hujus sæculi*: qui ad leges hujus sæculi vitam suam agunt. *Prudentiores*, Non absolute sunt prudentiores, sed in suo quisque genere : siquidem aptas ad fines suos rationes magis accommodant. Nam ad fines sibi propositos & temporales majori prudentia & calliditate contendunt, quam filii lucis, justitiæ & veritatis legibus informati : illi in rebus suis gerendis sunt astutiores, quam isti in salute animæ quærenda.

9. (*f*) De mammona iniquo ; quia divites plerumque aut iniqui sunt, aut iniquorum hæredes. Vix enim fieri potest, inquit Hieronym. ut divitiæ sine aliqua, si non injustitia, saltem iniquitate colligantur. cum eas ut nobis proprias tribuimus, & nimia cupiditate quærimus, vel retinemus. Sunt etiam divitiæ iniquæ, quod illæ ad iniquitatem nos solicitent, & corruptos cupiditate animos impellant. *Ut cum defeceritis* : Ex iis concludit Dominus quantum eleemosynarum largitio iis necessaria sit, qui bonis acceptis a Deo tamquam fideles œconomi male usi sunt ; cum meritis suis cælum consequi non possunt, nec judicii divini experiri severitatem, opes suas in egenos conferunt. Neque eo sententia Domini trahenda, ut bona per injustitiam parta in eleemosynas erogentur, cum veris dominis restitui possint. *Recipiant vos*, Nam si solus fueris, nec pauperum precibus adjutus, in supremo Dei judicio succumbas necesse est. August. Lib. 21. de civit. cap. 27. hanc sententiam, *Facite vobis* : &c. hoc versu Virgilii contineri ait :

Quique sui memores alios fecere merendo :

Divitum est terra, pauperum est cælum; date de vestro, ut illi tribuant vobis de suo.

10. (*g*) Alteram mox addit rationem, qua eleemosynæ necessitatem confirmat, quod ea sit velut fidelitatis nostræ probatio : adeo ut Deus majora bona fidei nostræ committat, si in minimis simus fideles.

11. & 12. (*h*) Primum divitiæ vocantur iniquæ, tum modicæ, & falsæ : *Quod verum est, quis dabit vobis* ? Postremo alienæ, vers. 12. *Et si in alieno fideles non fuistis* : Opes enim sunt perparva bona, nec magni eas facit, nisi qui se parvi æstimat. Sunt fallaces, & alienæ; falsam habent bonorum speciem, non rem ipsam. Quod si igitur in earum administratione fideles non fuerimus, quis veras, solidas, & cælestes opes, nempe dona spiritualia nobis committet ? quæ veræ & nostræ dicuntur divitiæ, quia perpetuæ, & explent animum ; temporales alienæ dicuntur, quia ad tempus dantur.

13. (*i*) Qui præ amore pecuniæ non facit eleemosynam, hoc ipso probat se Christi servum non esse, ac pecuniam ut idolum colere. Mammona ממונא est vox Syriaca, quam editio vulgata retinuit.

14. (*k*) Hic Christus admonet pravam animorum dispositionem Deo perspectam esse, eosque falsa pietatis specie sibi & aliis illudere.

15. (*l*) Cum autem legis auctoritatem, quæ magnam bonorum temporalium copiam iis promittit, qui eam observant, in suæ avaritiæ patrocinium afferre possent, hanc exceptionem prævenit Dominus his verbis.

16. (*m*) Lex cessavit & Prophetæ præsente Christo, hic non amplius erat præconibus, qui eius adventum prænuntiarent: *Evangelizatur* : Ex quo venit Joannes, Evangelium palam annuntiatur. *Et omnis in illud vim facit* ; Qui hoc regnum accipere volunt, vim sibi faciant, & cupiditates suas inhibeant necesse est. Christus se Messiam esse, qui Legi & Prophetis novam affert lucem, his verbis declarat.

17. (*n*) Nec tamen Evangelio lex extinguitur, quod Pharisæi mussitabant : nam divitiæ temporales, quas lex promittebat, non aliud quiddam erant, quam bonorum cælestium umbræ & figuræ, quæ in Evangelio adimplentur.

19. (*o*) Historia sit, an parabola, non constat : probabile est historiam esse, cui adjuncta sit parabola, ut quod dives cum Abrahamo locutus fuerit, & eum rogaverit. Hanc vero historiam divitis epulonis adjecit Dominus, ut miserandam esse eorum conditionem, qui divitiis abundant, & in egenos sunt duri, velut oculis subjiceret. Divitem in hac vita describit, ut indutum purpura, qua reges uti solebant, & bysso, seu lino tenuissimo. Quo quidem nos admonet vix quemquam in hac vita simul & in altera felicem esse posse, ac Deum divites creasse, ut pauperes sublevarent, & pauperes qui divitum saluti consulerent.

22. (*p*) In locum quietis, cui præerat Abraham, qui est pater credentium, & filii ejus quasi in sinu Patris excipiuntur. *Mortuus est autem & dives* : Quæ sequuntur, figurate describuntur ad exemplum hujus mortalis vitæ.

25. (*q*) Hic ordo est a Deo constitutus inter præsentem & futuram vitam, ut felicitas, tribulationes alterius vitæ, cruciatus, voluptates hujus sæculi excipiant. Gr. *Bona tua*, in quibus summum bonum constituisti.

26. (*r*) Græc. *Præter hæc omnia* : *Chaos magnum*. Græce χάσμα, *hiatus*, seu inane, non maximum intervallum: *Firmatum est*, decreto Dei non auferendum umquam. Legendum esse *chasma* in vulgata, non *chaos*, suspicatur Maldonatus.

27. Et ait : Rogo ergo te pater ut mittas eum in domum patris mei.

28. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

29. Et ait illi Abraham : Habent Moysen, & Prophetas: audiant illos.

30. At ille dixit: Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.

31. Ait autem illi: Si Moysen, & Prophetas non audiunt (*f*): neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

CAPUT XVII.

Vitandum scandalum; pœnitenti condonandum, augenda fides; servi inutiles sumus; decem leprosi curantur.

Matt.18.7. Mar 9.41. 1. ET ait ad discipulos suos: Impossibile (*a*) est ut non veniant scandala: væ autem illi, per quem veniunt.

2. Utilius est illi, si lapis molaris (*b*) imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis.

* Lev. 19. 17. Eccli. 19. 13. Mat.18 15. 3. Attendite vobis : * Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum : & si pœnitentiam egerit, dimitte (*c*) illi.

4. Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me: dimitte illi.

5. Et dixerunt Apostoli Domino : Adauge nobis fidem (*d*).

*Matth.17. 19. 6. * Dixit autem Dominus : Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, & transplantare in mare : & obediet vobis.

7. Quis autem vestrum habens servum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recumbe:

8. Et non dicat ei : Para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem, & bibam : & post hæc tu manducabis, & bibes?

9. Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat?

10. Non puto. Sic & vos, cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles (*e*) sumus: quod debuimus facere, fecimus.

11. Et factum est, dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilæam.

12. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe:

13. Et levaverunt vocem, dicentes : Jesu præceptor, miserere nostri.

14. Quos ut vidit, dixit: * Ite, ostendite vos sacerdotibus (*f*). Et factum est, dum irent, mundati sunt. * Lev. 14. 2.

15. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum.

16. Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens: & hic erat Samaritanus.

17. Respondens autem Jesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? & novem ubi sunt?

18. Non est inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.

19. Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te salvum (*g*) fecit.

20. Interrogatus autem a Pharisæis : Quando venit regnum (*h*) Dei? respondens eis, dixit : Non venit regnum Dei cum observatione:

21. Neque dicent (*i*): Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.

22. Et ait ad discipulos suos : Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii hominis, & non videbitis.

23. * Et dicent vobis : Ecce hic, & ecce illic. Nolite ire, neque sectemini: * 23. Mar.13.21.

24. Nam sicut fulgur (*k*) coruscans de sub cælo, in ea quæ sub cælo sunt, fulget : ita erit Filius hominis in die sua.

25. Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari a generatione hac.

26. * Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus Filii hominis. *Gen.7 7. Mat 24 37.

27. Edebant, & bibebant: uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, usque in diem, qua intravit Noe in arcam : & venit diluvium, & perdidit omnes.

28. * Si-

31. (*f*) Certior est Scripturæ & Ecclesiæ auctoritas quovis oculato teste : mortuo resurgenti non credet, qui Christo non credit.

CAPUT XVII. 1. (*a*) Matth. 18. *Necesse est*, posita hominum malitia impossibile est ut non superveniant salutis impedimenta. Fieri non potest, quin herbæ inutiles nascantur inter segetes : eæ tamen, quantum fieri potest, sunt evellendæ.

2. (*b*) Frequens tum fuisse supplicium in Palæstina, ait Marianr.

3. (*c*) Cum agnoscit culpam & veniam petit; idque faciendum juxta prudentiæ, & fraternæ correptionis leges. *Increpa illum*, admone: Ambros. *Plus enim proficit amica correptio, quam accusatio turbulenta : illa pudorem incutit, hæc indignationem movet . . . . . infirmus enim custos diuturnæ bonitatis est timor : pudor autem bonus magister officii. Qui enim metuit, reprimitur, non emendatur; quem pudet facere in naturam vertit . . . . Pulcre autem posuit, si peccaverit in te: non enim æqua conditio in Deum hominemque peccare.*

5. (*d*) Cum fiducia conjunctim : id jam erat magnæ fidei, petere a Christo, ut fidem perficeret in eorum cordibus, quod solus Deus præstare potest.

10. (*e*) Deo quippe nemo utilis esse potest, per Dei gratiam servi boni & fideles sumus, sed ex nobis prorsus inutiles. Neque hinc sequitur justorum actiones omnes esse peccata: alioqui non dicerent, *Quod debuimus facere, fecimus*; ac si præcepta divina servari nequeunt, non diceret Dominus, *Cum feceritis omnia quæ præcepi vobis*. Et alibi eum qui talenta Domini utiliter expenderat, non sic alloqueretur. *Euge serve bone, &c. Quod debuimus facere, fecimus*: non propterea nobis obstrictus est Deus, uti nec herus servo, qui quod debuit facere, id fecit : sed nos tamen remunerat Deus, qui vitam æternam nobis promisit.

14. (*f*) Unus ex sacerdotibus. Qui reversus est, Samaritanus erat, sed conjunctus cum aliis novem: nec forte omnes Samaritani erant schismatici.

19. (*g*) A lepra liberavit; fidem aliorum non condemnat, sed ingrati animi labem.

20. (*h*) Forte irridendi animo interrogabant Pharisæi, quod Christus frequenter appropinquare regnum Dei diceret : vel regnum Dei ponitur, pro Messia, seu rege venturo. *Cum observatione*, cum pompa mundana & ostentatione : ut in regibus solet; neque cum iis signis, quæ expectatis. Subinde docet regnum suum longe diversum esse a terrenis, neque id temporibus subjici.

21. (*i*) Nec poterunt homines vere dicere, ecce in hoc, vel in illo loco regnat Messias. *Ecce enim regnum Dei intra vos est*: jam præsens adest: in medio vestri, vel intra vos id versatur. Tum venturum tempus prædicit discipulis, quo apostasia grassante diem unum a persecutione vacuum videre cupient, cum Pseudoprophetæ ubique erunt.

24. (*k*) Græce: ex una cæli regione coruscans fulget usque in alteram: *Ita erit Filius hominis in die suo*, in novissimo die, cum ad judicandum venerit.

* Gen. 19. 25. 28. * Similiter ficut factum eſt in diebus Lot: Edebant, & bibebant: emebant, & vendebant: plantabant, & ædificabant:

29. Qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem, & ſulphur de cælo, & omnes perdidit:

30. Secundum hæc erit qua die Filius hominis revelabitur.

31. In illa hora, qui fuerit in tecto (*l*) & vaſa ejus in domo, ne deſcendat tollere illa: & qui in agro, ſimiliter non redeat retro.

32. Memores eſtote uxoris Lot.

*Matth. 10. 39. Marc. 8. 35. Sup. 9. 24. Joan. 12. 25. 33. * Quicumque quæſierit animam ſuam ſalvam facere, perdet illam: & quicumque perdiderit illam, vivificabit eam.

*Matth. 24. 40. 34. Dico vobis: * In illa nocte erunt duo in lecto (*m*) uno: unus aſſumetur, & alter relinquetur:

35. Duæ erunt molentes in unum: una aſſumetur, & altera relinquetur: duo in agro: unus aſſumetur, & alter relinquetur.

36. Reſpondentes dicunt illi: Ubi Domine:

37. Qui dixit illis: Ubicumque fuerit corpus (*n*), illuc congregabuntur & aquilæ.

CAPUT XVIII.

Orationis aſſiduitas exemplo judicis, & viduæ importunæ adſtruitur; de Publicano & Phariſæo parabola; divitiarum periculo; prædicit paſſionem ſuam; cæcum illuminat.

Eccli. 18. 22. 1. Theſſ. 5. 17. 1. DIcebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet ſemper orare (*a*) & non deficere,

2. Dicens: Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, & hominem non reverebatur.

3. Vidua autem quædam erat in civitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica (*b*) me de adverſario meo.

4. Et nolebat per multum tempus. Poſt hæc autem dixit intra ſe: Etſi Deum non timeo, nec hominem revereor:

5. Tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in noviſſimo (*c*) veniens ſuggillet me.

6. Ait autem Dominus: Audite quid judex iniquitatis dicit:

7. Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte, & patientiam (*d*) habebit in illis?

8. Dico vobis, quia cito faciet vindictam (*e*) illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?

9. Dixit autem & ad quoſdam (*f*), qui in ſe confidebant tamquam juſti, & aſpernabantur ceteros, parabolam iſtam:

10. Duo homines aſcenderunt in templum ut orarent: unus Phariſæus, & alter Publicanus.

11. Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat (*g*): Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut ceteri hominum: raptores, injuſti, adulteri: velut etiam hic Publicanus.

12. Jejuno bis in ſabbato: decimas do omnium, quæ poſſideo.

13. Et Publicanus a longe ſtans, nolebat nec oculos ad cælum levare: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.

14. Dico vobis, deſcendit (*h*) hic juſtificatus in domum ſuam ab illo: * quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. *Matth. 23. 12. Sup. 14. 11.

15. * Afferebant autem ad illum & infantes, ut eos tangeret. Quod cum viderent diſcipuli, increpabant illos. *Matth. 19. 13. Mar. 10. 13.

16. Jeſus autem convocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos: talium eſt enim regnum Dei.

17. Amen dico vobis: Quicumque non acceperit regnum Dei ſicut puer (*i*), non intrabit in illud.

18. * Et interrogavit eum quidam princeps, dicens: Magiſter bone, quid faciens vitam æternam poſſidebo? *Matth. 19. 16.

19. Dixit autem ei Jeſus: Quid me dicis bonum? nemo bonus niſi ſolus Deus.

20. Mandata noſti: * Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non falſum teſtimonium dices: Honora patrem tuum, & matrem. * Exod. 20. 13.

21. Qui ait: Hæc omnia cuſtodivi a juventute mea.

22. Quo

31. (*l*) Ne cujuſquam rei amore teneamur, nos admonet. An forte de excidio urbis loquitur Chriſtus?

34. & 36. (*m*) Matth. *In agro*, utrumque Chriſtus dixit. *Ubi Domine*, quo Domine aſſumentur? regnum humanum ſignabant animæ.

37. (*n*) Qua de re diximus Matth. cap. 24 ſed tamen ubi Matthæus ponit πτῶμα, *cadaver*, Lucas habet σῶμα, corpus. Ambroſ. *Eſt etiam corpus, de quo dictum eſt; Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Vere aquilæ ſunt, quæ alis circumvolant ſpiritalibus . . . . Eſt etiam corpus Eccleſia, in qua per baptiſmi gratiam renovamur.*

CAPUT XVIII. 1. (*a*) Quæ parabola eo ſpectabat, ut doceret perſeverandum eſſe in oratione. *Et non deficere*: Græc. Non tædio affici, aut animum deſpondere ob dilationem rei quam petimus. Vox illa *ſemper*, non ſignificat temporis continuationem, uti Euchitis viſum eſt, ab oratione ſic dictis, quod perpetuam orationem & ſine ulla intermiſſione faciendam contenderent. Sed perſeverantiam & conſtantiam in orando poſtulat: cum impoſſibile ſit perpetuo ſic vacare orationi, ut nullo temporis ſpatio intermittatur. Auguſtin. Hæreſi 54. quæ eſt Euchitarum, de hoc Domini præcepto, & eo Apoſtoli loco 1. Theſſalon. 5. *Sine intermiſſione orantes*, diſſerens: *Sic*, inquit, *ſaniſſime accipitur, ut nullo die interponantur certa tempora orandi.* Idem Epiſt. 121. cap. 9. aſſiduam orationem intelligit perpetuum deſiderium rerum cæleſtium, quod certis temporum intervallis vocali etiam oratione ad Deum explicatur.

3. (*b*) Jus meum tuearis adverſus eum, qui judicio mecum certat.

5. (*c*) Ne tandem: Græc. *in finem*, perpetuo: *ſuggillet me*; obtundat, tædio efficiat, probris oneret. Vox enim Græca ὑπωπιάζειν, faciem pugnis tundere ſignificat; ne in furorem verſa manibus & unguibus involet in faciem meam.

7. (*d*) Eraſmus vertit e Græco, *etiam cum patiens fuerit in illis*, quantumcumque diſtulerit vindictam, tamen aliquando vindicabit: nam participium in Græco textu ut futurum recte accipimus.

8 (*e*) Poſſunt electi petere a Deo ultionem impiorum, ut emendentur, aut poteſtas nocendi iis eripiatur; vel poſita eorum impœnitentia: ut Apocal. 6. *Vindica ſanguinem noſtrum*; veniens in ſecundo adventu, uti ex præcedentibus liquet. *Inveniet fidem*, conſtantem & charitate firmatam, ut Matth. 24. *Refrigeſcet charitas multorum*: non quod deficiat prorſus fides, ſed quia erit admodum rara, & paucos inveniet, in quibus ſit perfecta fides.

9 (*f*) De quibuſdam, *Qui in ſe confidebant*: ut prior parabola perſeverantiam, ſic iſta humilitatem in oratione exigit: ex Græco: Qui ſibi ipſis perſuaſerant ſe juſtos eſſe. Seu hiſtoria ſit, ſeu parabola, quæ pro exemplo ad alios homines accommodari poteſt.

11. & 12. (*g*) Oratione generatim accepta, ut gratiarum actionem, & ſublatum in Deum animum comprehendit. *Sabbato*, Qualibet hebdomada: *Decimas do*, dare conſuevi.

14. (*h*) Poſt orationem in templo factam: *Juſtificatus ab illo*, præ illo, plus quam Phariſæus.

17 & 18 (*i*) Ea ſimplicitate & docilitate, qua puer ille. *Quidam princeps*. Vir primarius, magiſtratu inſignis. Matth. 19.

22. Quo audito, Jesus ait eis: Adhuc unum tibi deest: omnia quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere (*k*) me.

23. His ille auditis, contristatus est: quia dives erat valde.

24. Videns autem Jesus illum tristem factum, dixit: Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt.

25. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.

26. Et dixerunt qui audiebant: Et quis potest salvus fieri?

27. Ait illis: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

28. Ait autem Petrus: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te.

29. Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei,

30. Et non recipiat multo plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.

* Matt. 20. 17. Marc. 10. 32. 31. * Assumpsit autem Jesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus (*l*) Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis.

32. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur:

33. Et postquam flagellaverint, occident eum, & tertia die resurget.

34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.

* Math 20. 29. Mar. 10 46. 35. * Factum est autem, cum appropinquaret Jericho (*m*) cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans.

36. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quod hoc esset.

37. Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret.

38. Et clamavit, dicens: Jesu fili David, miserere mei.

39. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat: Fili David miserere mei.

40. Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogavit illum,

41. Dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut videam.

42. Et Jesus dixit illi: Respice, fides tua te salvum fecit.

43. Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

CAPUT XIX.

Zachæi historia: parabola decem mnarum. Jesus ingreditur Jerosolymam: deflet civitatis excidium: ingressus templum ejicit vendentes.

1. ET ingressus perambulabat Jericho.

2. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic princeps (*a*) erat publicanorum, & ipse dives:

3. Et quærebat videre Jesum, quis esset: & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.

4. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum (*b*) ut videret eum: quia inde erat transiturus.

5. Et cum venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe, festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere.

6. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.

7. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset.

8. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus (*c*): & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.

9. Ait Jesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est: eo quod & ipse filius sit Abrahæ.

10. * Venit enim Filius hominis quærere, * Matt 18. 11.
& salvum facere quod perierat.

11. Hæc illis audientibus adjiciens, dixit parabolam, eo quod esset prope Jerusalem: & quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur.

12. Dixit ergo: * Homo (*d*) quidam nobi- * Matt. 25. 14.
lis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti.

13. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio.

14. Cives

22. (*k*) Hæc ad perfectionem ducunt, mandata servare, omnia pro Deo relinquere, & paratum esse pro eo cuncta pati, quod est sequi Christum.

31. (*l*) Hæc dicta esse a Domino post festum tabernaculorum, cum ultra Jordanem esset, admodum est probabile. Id vero prædixit Apostolis, ut eorum animos confirmaret, seque ultro mortem pati ostenderet.

35. (*m*) *Ex quo* id colligi potest, Christum ex regione ultra Jordanem prope Bethabaram, ubi Joannes olim baptizabat, profectum, & Jordanem transmisso appropinquasse Jericho. *Cæcus quidam sedebat secus viam:* Id factum dicunt Matthæus cap. 20. & Marcus cap. 10. cum Jesus egrederetur: aut forte Christus paulo post reversus est in urbem & ingrediens cæcum sanavit; vel denique alium ingrediens urbem, alium egrediens sanavit; ac posterius erat filius Timæi nomine *Bartimæus*, ex Marco cap. 10. nec mirum si Matthæus duorum meminerit. *Et ecce duo cæci*. Marcus unius tantum, quem noverat. Matthæus duos commemorat, quorum unus visum recuperavit, cum Dominus ad urbem accederet, ex Luca; Marcus illius tantum mentionem fecit, qui potior erat.

CAP. XIX. 2. (*a*) Pluribus publicanis præfectus. Ambros. *Et ipse dives: ut scias non omnes divites avaros, & discant divites, non in facultatibus crimen hærere, sed in iis qui uti nesciant facultatibus: nam divitiæ ut impedimenta improbis, ita bonis sunt adjumenta virtutis.*

4. (*b*) In arborem moro similem, quod folia, & ficus, propter fructus: de qua Amos Propheta. Plinius ficum Ægyptiam vocat. Eadem vox significat ficum fatuam, cum scribitur per *ω*, sed scripta per o, designat arborem moro similem; ut docet Mariana.

8. (*c*) Dare constitui: *Et si quem defraudavi:* Græc. Si quid per calumniam eripui. *Reddo quadruplum:* Utrumque necessarium est iis qui per injustitiam aliena ceperunt, ut injuste ablata restituant, & ex ablatis detrimenta; atque ut peccata sua eleemosynis redimant: propositum forte suum & affectum declarat Zachæus, non quod antea id effecerit: *Et si quem defraudavi:* Ambros. *Alterum enim non fas est, nec habet gratiam liberalitas, si injuria perseverat, quia non spolia, sed dona quæruntur.*

12. (*d*) Hæc parabola ut in multis similis sit parabolæ quæ Matth. 25 habetur, alio tamen & loco & tempore prolata fuit, & in multis differt ab illa parabola, quæ Matth. 25. dicta est Jerosolymæ: hæc ante ingressum in urbem. Mna juxta quosdam est libræ semisse, juxta alios 100. drachmas continet, libra vero 104.

14. Cives (*e*) autem ejus oderant eum : & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos.

15. Et factum est ut rediret accepto regno : & jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset.

16. Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit.

17. Et ait illi : Euge bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.

18. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas.

19. Et huic ait : Et tu esto super quinque civitates.

20. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam (*f*) in sudario.

21. Timui enim te, quia homo austerus es : tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti.

22. Dicit ei : De ore tuo te judico serve nequam : sciebas quod ego homo austerus (*g*) sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminavi :

23. Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris (*h*) utique exegissem illam?

24. Et astantibus dixit : Auferte ab illo mnam, & date illi, qui decem mnas habet.

25. Et dixerunt ei : Domine, habet decem mnas.

Matth. 13. 12. & 25. 29. Marc 4. 25. Sup. 8. 18.

26. * Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit : ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.

27. Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc : & interficite ante me.

28. Et his dictis, præcedebat ascendens Jerosolymam.

Matth. 21. 1. Marc. 11. 1.

29. Et factum est, * cum appropinquasset ad Bethphage, & Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliveti, misit duos discipulos suos,

30. Dicens : Ite in castellum, quod contra est : in quod introeuntes, invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo umquam hominum sedit: solvite illum, & adducite.

31. Et si quis vos interrogaverit : Quare solvitis? sic dicetis ei : Quia Dominus operam ejus desiderat.

32. Abierunt autem qui missi erant : & invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum.

33. Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos : Quid solvitis pullum?

34. At illi dixerunt : Quia Dominus eum necessarium habet.

Joan. 12. 14.

35. * Et duxerunt illum ad Jesum. Et jactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Jesum.

36. Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via.

37. Et cum appropinquaret jam ad descensum Montis oliveti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus,

38. Dicentes: Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, pax in cælo (*i*), & gloria in excelsis.

39. Et quidam Pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos.

40. Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt (*k*).

41. Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens:

42. Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

43. Quia venient dies in te : & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te : & coangustabunt te undique :

Matt. 24. 2. Marc. 13. 2. Inf. 21. 6.

44. Et ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, * & non relinquent (*l*) in te lapidem super lapidem : eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.

Matth. 21. 12. Marc. 11. 15.

45. * Et ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes,

Is. 56. 7. Jer. 7. 11.

46. Dicens illis: Scriptum est: * Quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum.

47. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, & Scribæ, & Principes plebis quærebant illum perdere:

48. Et non inveniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

CAPUT XX.

Idem est argumentum hujus capitis, quod capitis 21. Matthæi a versu 23. usque ad finem, & apud Marcum, capite 11. & 12. de Baptismo Joannis, de vinea colonis, iisque homicidis, de lapide angulari, de Deo & Cæsare, de resurrectione mortuorum, de Christo Davidis filio & Domino.

Matth. 21. 23. Marc. 11. 27.

1. ET factum est in una dierum, docente illo populum in templo, & evangelizante, convenerunt principes sacerdotum, & Scribæ cum senioribus,

2. Et ajunt dicentes ad illum : Dic nobis, in qua potestate hæc facis? aut: Quis est, qui dedit tibi hanc potestatem?

3. Res-

14. (*e*) Judæi ejusdem generis & tribus Christum regem recusarunt : *Non habemus regem nisi Cæsarem;* multas excitarunt adversus Ecclesiam persecutiones.

20. (*f*) Hoc dicunt qui amore otii, & laboris metu, sibi solis vivere amant.

22 (*g*) Quasi plura exigat Deus, quam humana fert infirmitas.

23. (*h*) *Usuras* vocat fructum omne supra sortem, sive justum ex negotiatione, sive injustum ex mutuo. Ambr. *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam? non nostra, sed suæ pecuniæ quærit usuram.*

38. (*i*) De cælo sit pax vobis: *Et gloria in excelsis*, glorificetur Deus, qui habitat in excelsis. Messiam potentem expectabant, & gloriosum regnum; expectationi suæ vota respondebant.

40. 41. & 43. (*k*) Hyperbolica locutio in proverbium usitata. *Quia*, vox *quia*, videtur abundare, o si scires. *Quæ ad pacem tibi* : quæ ad salutem tuam pertinent, hoc ipso tempore. *In te*, Tibi, super te : *Circumdabunt te inimici tui vallo*; tempore obsidionis sub Tito : ita ut nemini pateat exitus : Josephus Lib. 6. cap. 13. de bello Judaico.

44. 45. & 48. (*l*) Funditus everteris, hyperbole : sed civitas alio translata est. *Cœpit ejicere* : Et hoc alio die factum narrat Marcus cap. 13. post ficum arefactam *Deus templum suum non mercatoribus vult esse diversorium, sed domicilium sanctitatis; nec vendibili religionis officio, sed obsequio gratuito usum ministerii sacerdotalis informat*; Ambr. *Suspensus*, ab ore ejus pendebat.

3. Respondens autem Jesus, dixit ad illos: Interrogabo vos & ego unum verbum. Respondete mihi.

4. Baptismus (*a*) Joannis de cælo erat, an ex hominibus?

5. At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia si dixerimus, De cælo, dicet, Quare ergo non credidistis illi?

6. Si autem dixerimus, Ex hominibus, plebs universa lapidabit nos: certi (*b*) sunt enim, Joannem prophetam esse:

7. Et responderunt se nescire unde esset.

8. Et Jesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

9. Cœpit autem dicere ad plebem parabo-
* *Isa.* 5. 1. lam hanc: * Homo plantavit vineam, & loca-
Jer. 2. 21. vit eam colonis, & ipse peregre fuit multis
Matth. 21. 33. temporibus.
Marc. 12. 1. 10. Et in tempore misit ad cultores servum, ut de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem.

11. Et addidit alterum servum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes, & afficientes contumelia, dimiserunt inanem.

12. Et addidit tertium mittere: qui & illum vulnerantes ejecerunt.

13. Dixit autem dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forsitan, cum hunc viderint, verebuntur.

14. Quem cum vidissent coloni, cogitaverunt intra se, dicentes: Hic est hæres, occidamus (*c*) illum, ut nostra fiat hæreditas.

15. Et ejectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ?

16. Veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi: Absit (*d*).

17. Ille autem aspiciens eos, ait: Quid (*e*)
* *Ps.* 117. 22. est ergo hoc, quod scriptum est: * Lapidem,
Is. 28. 16. quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est
Mat. 21. 42. in caput anguli?
Act. 4. 11. 18. Omnis qui ceciderit super illum lapi-
Rom. 9. 33. dem, conquassabitur: super quem autem ceci-
1. *Pet.* 2. 7. derit, comminuet illum.

19. Et quærebant principes sacerdotum, & Scribæ mittere in illum manus illa hora: & timuerunt populum: cognoverunt enim quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc.

* *Mat.* 22. 15. 20. * Et observantes miserunt insidiatores,
Mar. 12. 13. qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illum principatui & potestati præsidis.

21. Et interrogaverunt eum, dicentes: Magister, scimus quia recte dicis, & doces: & non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces:

22. Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?

23. Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis?

24. Ostendite (*f*) mihi denarium. Cujus habet imaginem, & inscriptionem? Respondentes dixerunt ei: Cæsaris.

25. Et ait illis: * Reddite ergo quæ sunt * *Rom.* 13. 7.
Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.

26. Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe: & mirati in responso ejus, tacuerunt.

27. * Accesserunt autem quidam Sadducæo- **Matth.* 22. 23.
rum, qui negant esse resurrectionem, & inter- *Mar.* 12. 18.
rogaverunt eum,

28. Dicentes: Magister Moyses scripsit nobis: * Si frater alicujus mortuus fuerit habens * *Deut.* 25. 5.
uxorem, & hic sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, & suscitet semen fratri suo.

29. Septem ergo fratres erant: & primus accepit uxorem, & mortuus est sine filiis.

30. Et sequens accepit illam, & ipse mortuus est sine filio.

31. Et tertius accepit illam. Similiter & omnes septem, & non reliquerunt semen, & mortui sunt.

32. Novissime omnium mortua est & mulier.

33. In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? siquidem septem habuerunt eam uxorem.

34. Et ait illis Jesus: Filii hujus sæculi (*g*) nubunt, & traduntur ad nuptias.

35. Illi vero, qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubunt, neque ducent uxores.

36. Neque enim ultra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, & filii sunt Dei: cum sint filii resurrectionis.

37. Quia vero resurgant mortui, & Moyses ostendit secus rubum, * sicut dicit Dominum, * *Exod.* 3. 6.
Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob.

38. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum (*h*): omnes enim vivunt ei.

39. Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei: Magister, bene dixisti.

40. Et

CAP. XX. 4. (*a*) Qua potestate id faceret Dominus, quæstionem alia quæstione solvit de baptismo Joannis proposita, ex cujus solutione pendebat solutio quæstionis ab iis propositæ. Si dixisset Christus se hanc potestatem a Deo accepisse, statim excepissent, id ipsum a Pseudoprophetis dici solitum; si miracula protulisset, hæc diabolo adscribebant.

6. & 9. (*b*) Nam iis persuasum erat Joannem habendum esse ut prophetam. *Vineam*: *Quid ergo illis faciet dominus vineæ?* Pulcre interrogat, ut sua seipsi damnent sententia .... *Agricola quippe Pater, vitis est Christus, at vero nos palmites, qui nisi fructum feramus in Christo, cultoris æterni falce succidemur.* Ambros.

14. & 15. (*c*) Principes Judæorum aliquo modo cognoverunt, aut certe suspicati sunt Christum esse Messiam, & hæredem regni populi Dei: sed illud regnum terrenum esse, non spiritale, in animum suum induxerant. Cum de Messia tam demisse sentirent, non veriti sunt eum occidere, ne mutato per eum rerum Judaicarum statu ipsi honoribus & emolumentis suis exciderent. Unde quæstionem de Christo, cujus filius esset, explicare non potuerunt, quod ejus dignitatem ignorarent. *Ut nostra fiat hæreditas*: ut nos ea bona tamquam nostra possideamus; metuebant enim, ne Jesu ad regnum evecto ipsi e statu suæ dignitatis & potentiæ dejicerentur. *Ejectum*, Christus extra Jerusalem passus est.

16. (*d*) Auditores una voce dixerunt, *Malos male perdet*, & Dominus eorum responsum suo calculo comprobavit. Tum vel omnes, vel aliqui dixere. *Absit*: Deus avertat, ut tantum scelus admittant. Quibus respondet Dominus aspiciens eos, nempe sacerdotes & Scribas, qui post triduum hoc sceleris erant perpetraturi.

17. (*e*) Scelus illud quantumvis grave admissuri estis, & quod prædixit David, futurum est: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes*: Vos quorum erat ædificare & instruere populum Dei, lapidem illum reprobastis, filium occidistis.

24. (*f*) Ambros. *Docet hoc loco Dominus circumspectos nos in respondendo adversus hæreticos esse debere.*

34. (*g*) Qui mortalem hanc vitam agunt: his opponuntur filii resurrectionis, qui cum sint immortales, nuptiis operam non dabunt: hos Deus ad vitam æternam suscitat & gignit, dum vitæ suæ participes facit.

38. (*h*) Vivunt quoad animam, mortui quidem quoad corpus, Deo tamen vivunt, qui eos suscitabit ad beatam vitam, & cui nostra non pereant corpora.

40. Et amplius non audebant eum quidquam interrogare.

41. Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Christum, filium esse David?

42. Et ipse David dicit in libro Psalmorum: * Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis,

* Ps. 109. 1. Matt. 22. 44. Marc. 12. 36.

43. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

44. David ergo Dominum illum vocat: & quomodo filius ejus est?

45. Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis:

46. * Attendite a Scribis, qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro, & primas cathedras in synagogis, & primos discubitus in conviviis.

* Matt. 23. 6. Marc. 12. 38. Sup. 11. 43.

47. Qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem majorem.

C A P U T XXI.

Idem est argumentum, quod cap. 24. apud Matthæum, quod capitis 12. & 13. apud Marcum: excidium templi, quæque futura sint extremi judicii signa.

Marc. 12. 41.

1. RESpiciens autem vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium, divites.

2. Vidit autem & quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo.

3. Et dixit: Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quam (*a*) omnes misit.

4. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo, quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit, misit.

5. Et quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus, & donis ornatum esset, dixit:

6. Hæc, quæ videtis, * venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.

* Matth. 24. 2. Marc. 13. 2. Sup. 19. 44.

7. Interrogaverunt autem illum, dicentes: Præceptor, quando hæc erunt, & quod signum cum fieri incipient (*b*)?

8. Qui dixit: Videte ne seducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum (*c*): & tempus appropinquavit: nolite ergo ire post eos.

9. Cum autem audieritis prælia (*d*) & seditiones, nolite terreri; oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis.

10. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum adversus regnum.

11. Et terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresque de cælo & signa magna erunt.

12. Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, & persequentur, tradentes in synagogas, & custodias, trahentes ad reges, & præsides, propter nomen meum:

13. Continget autem vobis in testimonium (*e*).

14. Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respondeatis.

15. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri.

16. Trademini autem a parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis:

17. Et eritis odio omnibus propter nomen meum:

18. Et capillus de capite vestro non peribit.

19. In patientia vestra possidebitis (*f*) animas vestras.

20. * Cum autem videritis circumdari (*g*) ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus:

* Dan. 9. 27. Matth. 24. 15. Marc. 13. 14.

21. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: & qui in medio ejus, discedant: & qui in regionibus, non intrent in eam.

22. Quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia, quæ scripta sunt.

23. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus: erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic.

24. Et cadent in ore gladii: & captivi ducentur in omnes Gentes, & Jerusalem calcabitur a Gentibus, donec impleantur tempora nationum (*h*).

25. * Et erunt signa (*i*) in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura Gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum:

* Is. 13. 10. Ezec. 32. 7. Joel 2. 10. & 3. 15. Mat. 24. 29. Marc. 13. 24.

26. Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ supervenient universo orbi: nam virtutes (*k*) cælorum movebuntur:

27. Et

CAP. XXI. 3. & 4. (*a*) Ratione habita suarum facultatum. *Ex eo quod deest illi*. Græc. *Ex penuria sua*, ut vertit Erasmus: ex eo quod ipsi necessarium erat ad victum. Hinc major illius devotio. Notant interpretes Christum non improbasse oblationes, quarum pars in usum sacerdotum cedebat: nisi sacerdotes Christum ad necem quærerent, & oblationibus male uterentur.

7. (*b*) Jam egressus erat Jesus e templo sub vesperam, & perrexerat in montem Oliveti; varias quæstiones congerunt, ex Matth. Marco, & Luca, quas Christus non disjunxit. De tempore, quo templum diruendum foret, nihil respondere voluit. De signis, quæ præcederent urbis eversionem & de Ecclesiæ per Antichristum desolatione, sic agit, ut multa signa utrique desolationi sint communia: ex quibus illud primum commemorat, fore ut multi seductores in fraudem illiciant fideles.

8. (*c*) Multi venient, qui sibi adscribent nomen Christi, aut Messiæ.

9. (*d*) Quatuor ante urbis excidium annis in Judæa cruenta asserunt bella, quæ in una tantum provincia sæviebant. Sed appropinquante ultima die *surget gens contra gentem*.

13. & 15. (*e*) Fidei, & vestri in me amoris, vel contra Judæos. *Sapientiam*, Os sapiens.

19. (*f*) Salvabitis, lucrifacietis: nam Genes. 4. *Possedi hominem per Deum*.

20. (*g*) Matthæus, *Cum videritis abominationem desolationis*, seu violationem templi a Zelotis factam. Utrumque dicit Dominus, & primo quidem illud quod refert Lucas, cum circumdata est civitas a Cestio Gallo, quæ obsidio soluta est: sed postea secuta est abominanda templi violatio. Fideles Judæi Pellam ultra Jordanem se receperunt, Euseb. Lib. 3. cap. 5.

24. (*h*) Ad finem usque mundi: numquam enim Judæi restituentur.

25. (*i*) Ab excidio Jerosolymæ transit ad mundi excidium. Dies autem Domini, qui superveniet, forte comprehendit universum tempus, ex quo signa illa incipient, usque ad judicium: quod comparatio de diebus Noe Matth. 24. efficit probabile. Christi discipuli una conjungebant duos eventus admodum diversos, civitatis Jerusalem, & mundi excidium, quod cum falsa apud Judæos opinio obtineret, urbem sanctam una cum terrarum orbe perituram: legem enim suam non destitutam nisi cum mundo persuasum habebant. Ac discipuli ipsi post adventum Spiritus Sancti hoc præjudicium tandem excutiunt. *Et signa erunt*: nempe post tempora nationum: nam gentes usque ad id tempus semper intrabunt in Ecclesiam. *Et in terris*, Græc. *in terra*, quod nonnulli de Judæa interpretantur; cui ut aliis regionibus sæpe in Scriptura commune terræ nomen tribuitur.

26. & 28. (*k*) Sidera. *Levate*, animos erigite.

27. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & majestate.

28. His autem fieri incipientibus, respicite,
* Rom. 8. 28. & levate capita vestra: * quoniam appropinquat redemptio vestra.

29. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores:

30. Cum producunt (*l*) jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas.

31. Ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.

32. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio (*m*) hæc, donec omnia fiant.

33. Cælum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt.

34. Attendite autem vobis, ne forte graventur (*n*) corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ: & superveniat in vos repentina dies illa:

35. Tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.

36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.

37. Erat autem diebus docens in templo: noctibus vero exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti.

38. Et omnis populus manicabat (*o*) ad eum in templo audire eum.

CAPUT XXII.

Idem argumentum quod Matthæi cap. 26. & Marci 14. pactio Judæ cum Judæis: Cœna Paschalis, Eucharistia, oratio pro fide Petri; Christi agonia in horto, Judæ osculum, negatio Petri, & ejus pœnitentia; Jesus illusus, & morte condemnatus.

Math. 26. 2. Marc. 14. 1. 1. APpropinquabat (*a*) autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha:

2. Et quærebant principes sacerdotum, & Scribæ, quomodo Jesum interficerent: timebant vero plebem.

3. * Intravit (*b*) autem satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim: * Matt. 26. 14. Marc. 14. 10.

4. Et abiit, & locutus est cum principibus sacerdotum, & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis.

5. Et gavisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare.

6. Et spopondit. Et quærebat opportunitatem ut traderet illum sine turbis.

7. Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.

8. Et misit Petrum & Joannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus.

9. At illi dixerunt: Ubi vis paremus?

10. Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum, in quam intrat,

11. Et dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magister: Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem?

12. Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate.

13. Euntes autem, invenerunt sicut dixit illis, & paraverunt pascha.

14. * Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. *Math. 26. 20. Mar. 14. 17.

15. Et ait illis: Desiderio desideravi (*c*) hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.

16. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur (*d*) in regno Dei.

17. Et accepto calice (*e*) gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos.

18. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

19. * Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, *Math. 26. 26.
quod pro vobis datur: hoc facite (*f*) in meam commemorationem.

20. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est calix (*g*) novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

21. * Ve-

30. & 31. (*l*) Græc. Protrudunt, gemmam scilicet, in qua fructus jam continetur. Vox illa, *fructum*, deest in Græco. *Prope*, Quod in prima adventu Christi incepit.

32. (*m*) Si de excidio templi loquitur, generatio hæc ad eos, qui tum vivebant, pertinet. Nam plerique ex iis testes fuerunt hujus desolationis: si de mundi extremo die verba faciat Dominus, per generationem hanc Judæorum gentem, quæ tum fidelis fiet, omnino intelligit.

34. (*n*) Græc. Ne aliquando deprimantur corda vestra. Et *superveniat*: Noverat Christus non superventurum diem judicii iis, quos alloquebatur: sed qualis quisque in morte reperitur, talis in die judicii coram Deo sistendus.

38. (*o*) Vox Græca ὤρθριζεν, significat ante lucem surgere, mane ibat.

CAPUT XXII. 1. (*a*) Dies erat Mercurii, seu feria quarta, temque passio Domini incepit, cum sacerdotes in necem Christi conspirarunt. Hinc fideles olim feriis 4. & 6. jejunabant, teste August. Epist. 86.

3. (*b*) Quoties diabolus homini persuadet grave aliquod peccatum, intrare in eum dicitur: Joannes cap. 13. ait post buccellam Satanam introisse in Judam. Sed prius jam introierat, quando pactus est cum sacerdotum principibus, & postea, quando cum iis venit, ut eum traderet. Impellente igitur diabolo Christus traditus est, ac mysterium illud divinæ sapientiæ ignoravit diabolus, ex cap. 2. 1. Cor. 2.

15. (*c*) Summopere desideravi *hoc Pascha manducare vobiscum*, agnum Paschale, hujus anni & diei, quo Eucharistia erat instituenda. Manducare Pascha in Scripturis de agno Paschali semper intelligitur. Neque dici potest hoc vehemens Christi desiderium impletum non fuisse. Primo enim die Azymorum hæc cœna fuit celebrata, cumque Dominus ea verba protulit, jam cum Apostolis accumbebat. Atque ea fuit unanimis Sanctorum Patrum sententia, Christum Pascha, seu agnum Paschalem una cum Apostolis suis manducasse: etsi hæc verba ad Eucharistiam referri possunt ex parte, illud tamen dixit Apostolis, ut intelligere possent agni Paschalis & aliarum rerum apparatum.

16. (*d*) Tum enim vere implebitur Pascha, aut phase Domini, cum ex hac vita in æternam felicitatem translati a servitute peccati liberi omnino erimus, atque illud vers. 29. implebitur: *Ego dispono vobis*, &c.

17. (*e*) August. intelligit de sacro calice: probabilius tamen videtur hæc verba pertinere ad finem cœnæ Paschalis: alioqui ordinem inter duas Eucharistiæ partes invertisset, & bis consecrationem calicis narrasset Lucas.

19. (*f*) Benedicens: consecrans, offerens in sacrificium, dat eis potestatem, & præcipit ut utantur ea potestate: ita Conc. Trident. sess. 22. cap. 1. Benedictio illa ab eo facta est, ut novam & realem panis & vini mutationem efficeret: quemadmodum in deserto præstitit, cum panes benedixit. *Hoc facite*, &c. In mei memoriam renovandam, in passionis meæ repræsentationem; quæ fides est Ecclesiæ, quæque ex Apostolo 1. Cor. 11. 24. a Christo accepta illi tradita est. Hæc verba suo modo pertinent ad fideles omnes, qui sumere debent in memoriam Passionis Dominicæ, & una cum sacerdote offerre.

20. (*g*) Eadem sunt verba Apostoli 1. Corinth. 11. 25. quorum hic est sensus: Calix sanguinis mei Novi Testamenti, ut in canone Missæ: Id quod hoc calice continetur, est sanguis meus, quo Novum Testamentum confirmatur: Hic calix ob sanguinem quem continet, est signaculum, quo novum sancitur fœdus. *Qui pro vobis fundetur*: *Qui*, ad calicem refertur, ut ex ipso textu liquet, Τοῦτο τὸ ποτήριον ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, quod pro vobis funditur: ut de corpore antea dixit. *Quod pro vobis datur*. Quod si calix pro Apostolis, immo ex Matthæi verbis, pro multis fundebatur in cœna, verus erat sanguis in calice, & verum sacrificium.

*Matt. 26. 21. Marc. 14. 20. Joan. 13. 18. * Ps. 40. 9.

21. * Verumtamen ecce manus (*h*) traden-
tis me, mecum est in mensa,
22. Et quidem Filius hominis, * secundum
quod definitum est, vadit: verumtamen væ ho-
mini illi, per quem tradetur.
23. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis
esset ex eis, qui hoc facturus esset.
24. Facta est autem & contentio (*i*) inter
eos, quis eorum videretur esse major.
25. Dixit autem eis: * Reges (*k*) Gentium
dominantur eorum: & qui potestatem habent
super eos, benefici vocantur.

*Matt. 20. 25. Marc. 10. 42.

26. Vos (*l*) autem non sic: sed qui major
est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor
est, sicut ministrator.
27. Nam quis major est, qui recumbit? an
qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego au-
tem in medio vestrum sum, sicut qui mini-
strat.
28. Vos autem estis, qui permansistis me-
cum in tentationibus meis.
29. Et ego dispono (*m*) vobis, sicut dispo-
suit mihi Pater meus regnum,
30. Ut edatis (*n*), & bibatis super men-
sam meam in regno meo: & sedeatis su-
per thronos judicantes duodecim tribus Is-
rael.
31. Ait autem Dominus: Simon, Simon, ec-
ce satanas expetivit (*o*) vos ut cribraret sicut
triticum:
32. Ego autem rogavi (*p*) pro te ut non
deficiat fides tua: & tu aliquando conversus
confirma fratres tuos.
33. Qui dixit ei: Domine, tecum paratus
sum & in carcerem, & in mortem ire.
34. * At ille dixit: Dico tibi Petre, non
cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse
me. Et dixit eis:
35. * Quando misi vos sine sacculo, & pe-
ra, & calceamentis, numquid aliquid defuit
vobis?
36. At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo
eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat (*q*)
similiter & peram: & qui non habet, vendat
tunicam suam, & emat gladium.

*Matth. 26. 34. Marc. 14. 30. * Matt. 10. 9.

37. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc,
quod scriptum est, oportet impleri (*r*) in
me: * Et cum iniquis deputatus est. Etenim *Isa. 53. 12.
ea, quæ sunt de me, finem habent.
38. At illi dixerunt, Domine, ecce duo gla-
dii hic. At ille dixit eis: Satis est.
39. * Et egressus ibat secundum consuetudi-
nem in Montem olivarum. Secuti sunt autem
illum & discipuli.
40. Et cum pervenisset ad locum, dixit il-
lis: Orate ne intretis in tentationem.

*Matth. 26. 36. Marc. 14. 32. Joann. 18. 1.

41. * Et ipse avulsus est ab eis quantum ja-
ctus est lapidis: & positis genibus orabat,
42. Dicens: Pater si vis, transfer (*s*) cali-
cem istum a me: Verumtamen non mea volun-
tas, sed tua fiat.

*Matth. 26. 39. Marc. 14. 35.

43. Apparuit autem illi Angelus (*t*) de cæ-
lo, confortans eum. Et factus in agonia, pro-
lixius orabat.
44. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ (*u*)
sanguinis decurrentis in terram.
45. Et cum surrexisset ab oratione, & venis-
set ad discipulos suos, invenit eos dormientes
præ tristitia.
46. Et ait illis: Quid dormitis? surgite,
orate, ne intretis in tentationem.
47. * Adhuc eo loquente, ecce turba: &
qui vocabatur Judas, unus de duodecim, an-
tecedebat eos: & appropinquavit Jesu ut oscu-
laretur eum.

*Matth. 26. 47. Marc. 14. 43. Joan. 18. 3.

48. Jesus autem dixit illi: Juda, osculo Fi-
lium hominis tradis?
49. Videntes autem hi, qui circa ipsum
erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domi-
ne, si percutimus in gladio?
50. Et percussit unus ex illis servum prin-
cipis sacerdotum, & amputavit auriculam ejus
dexteram.
51. Respondens autem Jesus, ait: Sinite (*x*)
usque huc. Et cum tetigisset auriculam ejus,
sanavit eum.

52. Dixit

21 & 22. (*h*) Ergo Dominus de traditore locutus est post ministratam Eucharistiam. Judas dum prodit, Judæi qui Christum Pilato tradunt, Pilatus qui Dominum condemnat, hi omnes Dei consilium exequuntur. *Secundum quod definitum est, vadit*. Sponte ad mortem.

24. (*i*) Jam antea illa inter eos de primatu orta erat contentio: nunc ex iis quæ apud Joannem, cap. 13. vers. 31. mox se clarificandum a Deo Patre, quæque in loco de morte sua mox futura prædixit, regnum Christi in terris incœpturum putabant. disceptatio iterum exorta est, *Quis eorum videretur major?*

25. (*k*) Christus Dominus quis esset regni sui status, cum in hac vita, tum in futura, iis exponit. *Benefici vocantur*, munifici: Titulos grandes sibi vindicant. *Dominantur eorum*, pro *earum*: nam Græca vox ἔθνη, est neutrius generis.

26. (*l*) Potestas quam vobis dabo, exerceri non debet, ut civilis potestas. *Sicut minor*, Græc. *Sicut junior*. Voluit itaque inter suos discipulos, alios esse aliis majores, & primatum esse in Ecclesia, quod suo exemplo declarat. Non vetat alios esse dominos, alios subditos: sed ambitionem condemnat.

29. (*m*) Æternam eis felicitatem promittit, & eorum animos spe erigit, ne deficiant. *Regnum*, Variis laboribus quæsitum. Vox Græca διατίθεμαι, paciscor, fœdus facio, proprie significat.

30. (*n*) Quæ omnia spiritali modo sunt intelligenda; ut mihi sitis proximi tamquam in regno meo.

31. (*o*) Satanas poposcit a Deo, & impetravit, ut vos tentationibus suis commoveret, ut agitatur in cribro triticum, quando separatur a pulvere. Cogitas de Primatu, & instat animæ tuæ periculum. Locutio illa metaphorica occurrit cap. 9. Prophetæ Amos.

32. (*p*) Christus rogavit pro omnibus, Joann. 17. sed singulari quodam modo pro Petro, quia Petrus caput aliorum & firmamentum erat constituendus. *Confirma fratres tuos*, terrore nimio perculsos; immo & totam Ecclesiam, & coepiscopos tuos: *Ut non deficiat fides tua*, ne omnino deficiat. Non enim diu defecit fides ejus, sed statim resipuit. Confirma autem fratres tuos, non Apostolos tantum, sed & fideles omnes.

36. (*q*) Secum auferat. Græce tamen est, *Tollet*, vendet, ut erat quo abire voluerit. Non jubentis sunt verba, sed eorum sollicitudo & anxietas vitæ conservandæ caussa indicatur. *Et qui non habet*, sentiret gladium: nam Christo capto, vitæ suæ timere cœperunt, ne ut seditiosi hominis socii ad mortem raperentur. Temporis imminentis periculum more Prophetarum, non solum verbis, sed & rebus designat. Non enim jubet ut emant gladios, sed venisse tempus, quo si humanis utendum esset præsidiis, arma paranda forent. Per sacculum, seu marsupium, peram & gladium, iniquam temporum conditionem designat.

37. & 38. (*r*) Caussam mutati temporis affert. *Duo gladii*, Duo sint, an plures gladii, perinde est. Non enim forte militares gladii erant, sed rustici, quales fere farii secum ferunt. Cum abrumpere volumus sermonem eorum, qui non intelligunt quæ a nobis dicta sunt, id solemus dicere, *Satis est*: nec intelligebant Apostoli, quid Christus significare vellet.

42. (*s*) Naturæ ipsius sensum & carnis innoxiæ, ut a morte tam acerba immunis fiat, Patri exponit.

43. (*t*) Sicut in se admisit tristitiam, sic admisit externam consolationem de cælo, quam inter homines reperire non poterat; neque ea tamen erat absolute necessaria, etiam ut homini. Nam ratio parti inferiori perfecte dominabatur. *Et factus in agonia*, in magno animi angore, ob appetitus sentientis lugam, cui tamen voluntas rationalis plane dominabatur.

44. (*u*) Guttæ etiam mixtæ sanguine, quæ tam copiosæ erant, ut quasi grumi, Gr. θρόμβοι, viderentur.

51. (*x*) Huc usque sufficit: nolite ultra progredi: Petrum alloquitur.

52. Dixit autem Jesus ad eos qui venerant ad se, principes sacerdotum, & magistratus templi, & seniores: Quasi ad latronem existis cum gladiis, & fustibus?

53. Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora (y) vestra, & potestas tenebrarum.

* Matt. 26. 57. Marc. 14. 53. Joan. 18. 24. 54. * Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum: Petrus vero sequebatur a longe.

* Matt. 26. 69. Marc. 14. 66. Joan. 18. 25. 55. * Accenso autem igne in medio atrii, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum.

56. Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat.

57. At ille negavit eum, dicens: Mulier, non novi illum.

58. Et post pusillum alius videns eum dixit: Et tu de illis es. Petrus vero ait: O homo non sum.

* Joann. 18. 26. 59. * Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens: Vere & hic cum illo erat: nam & Galilæus est.

60. Et ait Petrus: Homo, nescio quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente cantavit gallus.

61. Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut

* Matt. 26. 34. Marc. 14. 30. Joan. 13. 38. dixerat: * Quia prius quam gallus cantet, ter me negabis:

62. Et egressus foras Petrus flevit amare.

63. Et viri, qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes.

64. Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus: & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis est qui te percussit?

65. Et alia multa blasphemantes dicebant in eum:

* Matt. 27. 1. Marc. 15. 1. Joan. 18. 28. 66. * Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis.

67. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi:

68. Si autem & interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.

69. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei.

70. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum.

71. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus de ore ejus.

CAPUT XXIII.

Passionis serie continuata, mors Christi, quæque eam consecuta sunt prodigia enarrantur.

1. ET surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum.

2. Cœperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram: * & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. * Matth. 22. 21. Mar. 12. 17.

3. * Pilatus autem interrogavit eum, dicens: Tu es rex Judæorum? At ille respondens ait: Tu dicis. * Matth. 27. 11. Marc. 15. 2. Joann. 18. 33.

4. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum, & turbas: Nihil invenio causæ in hoc homine.

5. At illi invalescebant, dicentes: Commovet populum, docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc.

6. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset.

7. Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit (a) eum ad Herodem, qui & ipse Jerosolymis erat illis diebus.

8. Herodes autem viso Jesu, gavisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.

9. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat (b).

10. Stabant autem principes sacerdotum, & Scribæ constanter (c) accusantes eum.

11. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo: & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.

12. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad invicem.

13. Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe,

14. Dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, * nullam causam inveni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. * Joann. 18. 38 & 19. 4.

15. Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei.

16. Emendatum ergo illum dimittam.

17. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, unum.

18. Exclamavit autem simul universa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam,

19. Qui erat propter seditionem quamdam factam in civitate & homicidium, missus in carcerem.

20. Ite-

CAPUT XXIII.

53. (y) Tempus adest, quo vobis permittitur facere quod libet.

7. (a) Forte ut eum placaret, ac sibi reconciliaret offensum. Ob hanc caussam fuerunt inimici, quod anno 27. æræ communis Herodes scripserit ad Tiberium, & rogaverit, ut juberet tolli clypeos deauratos, quos Pilatus intulerat; idque factum a Tiberio, qui jussit ut clypei Cesaream asportarentur, & in Templo quod Augusto dicaverat, collocarentur. Idque ægre tulit Pilatus.

9. (b) Quod Herodes nihil dignum responsione quæreret: signa tantum & prodigia videre cupiebat, ut curiositati suæ satisfaceret.

10. & 11. (c) Vehementer, acriter. Cum exercitu. Vox Græca [illegible] aliquando usurpatur pro comitatu, seu satellitio, quo cingebatur: Syrus vertit, Cum ministris suis. Et illusit indutum veste alba: Græce λαμπρὰν, idest, splendida, quam adhibuit, ut fatuus potius, quam ut facinorosus judicaretur.

20. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Jesum.

21. At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.

* Matt. 27. 23. Mar 15. 14. 22. Ille autem tertio dixit ad illos: * Quid enim mali fecit iste? nullam caussam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam.

23. At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur: & invalescebant voces eorum.

24. Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum.

25. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: Jesum vero tradidit voluntati eorum.

* Matth. 27. 32. Mar. 15 21. 26. * Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem (*d*) quemdam Cyrenensem venientem de villa: & imposuerunt illi crucem portare post Jesum.

27. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum: quæ plangebant, & lamentabantur eum.

28. Conversus autem ad illas Jesus, dixit: Filiæ Jerusalem, nolite flere (*e*) super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.

29. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.

* Isa. 2. 19. Osee 10. 8. Apoc 6. 16. 30. Tunc incipient dicere montibus: * Cadite super nos; & collibus: Operite nos.

31. Quia si in viridi (*f*) ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

32. Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, ut interficerentur.

* Matth. 27. 33. Mar. 15. 22. Joan. 19. 17. 33. * Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum: & latrones, unum a dextris, & alterum a sinistris.

34. Jesus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt (*g*) quid faciunt. Dividentes vero vestimenta ejus, miserunt sortes.

35. Et stabat populus spectans, & deridebant eum principes cum eis, dicentes: Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus.

36. Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei,

37. Et dicentes: Si tu es rex Judæorum, salvum te fac.

38. Erat autem & superscriptio scripta super eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic est rex Judæorum.

39. Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos.

40. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione (*h*) es.

41. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit.

42. Et dicebat ad Jesum: Domine, memento (*i*) mei, cum veneris in regnum tuum.

43. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi: Hodie (*k*) mecum eris in paradiso.

44. Erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam.

45. Et obscuratus est sol: & velum templi scissum est medium.

46. Et clamans voce magna Jesus ait: * Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. * Ps. 30. 6.
Et hæc dicens, expiravit.

47. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Vere hic homo justus erat.

48. Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.

49. Stabant autem omnes noti ejus a longe, & mulieres quæ secutæ eum erant a Galilæa, hæc videntes.

50. * Et ecce vir nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus & justus: * Matt. 27. 57. Mar 15 43. Joan. 19 38.

51. Hic non consenserat consilio & actibus eorum, ab Arimathæa civitate Judææ, qui expectabat & ipse regnum Dei.

52. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu:

53. Et depositum involvit sindone, & posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.

54. Et dies erat parasceves, & sabbatum illucescebat.

55. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus ejus.

56. Et revertentes paraverunt aromata & unguenta: & sabbato quidem siluerunt (*l*) secundum mandatum.

CA-

26. (*d*) Joannes nullam faciens mentionem Simonis, ait *Et bajulans sibi crucem*; seu Jesus præiret portans partem superiorem crucis, & manibus tolleret; seu potius cum Jesus præ debilitate ferre onus non posset, milites imposuerunt crucem humeris Simonis: sic enim facile est conciliare alios Evangelistas cum Joanne.

28. (*e*) Non eas reprehendit, quod flerent, sed eas admonet fletum illum proficisci ex ignorantia caussæ cur pateretur. Atque hic est verborum sensus: Non tam super me, quam super vos flete: nam tertio die ad summam gloriam resurrecturus erat, & gravissima populo Judaico imminebant mala.

31. (*f*) Per lignum viride, quod nec debet excidi, nec comburi, justus designatur, & per aridum lignum, impius. Unde Ezechiel. 20. 47. *Succendam in te ignem & comburam in te omne lignum viride: & omne lignum aridum*; quod cap. 21. 3. exponit, *Occidam*, inquit, *justum & impium*.

34. (*g*) Non excusat eos, sed magnam eorum miseriam declarat, ob quam magna iis opus sit misericordia, his in primis qui utcumque sciebant ex Prophetis eum esse Christum, si tamen nesciebant quid facerent; magnitudinem sui sceleris ignorabant, & laborabant eo errore judicii, qui inest omni peccato.

40. (*h*) Morti proximus; *Quod in eadem damnatione es* ; Græc. *Judicio*: eodem supplicio condemnatus.

42. (*i*) Miranda confessio latronis, qui tam insigne Christo testimonium perhibuit, cum extrema afficiebatur ignominia. Ambros. Serm. in feria quarta sacræ hebdomadæ: *Hæc perfecta fides est, Christum in Cruce Deum, non reum credere*.

43. (*k*) Eris secundum animam beatus, in loco quietis & pacis, ubi sunt animæ justorum post hanc vitam, nam ibi est Paradisus, ubi felicitatis status. Christus ad inferos descendens limbum Patrum vertit in Paradisum, quia felicitatem iis attulit.

56. (*l*) *Quieverunt*, ut vertit Erasmus. *Secundum mandatum*, legis scilicet, quæ omnibus id prohibet. Unde nihil paraverunt ex aromatibus, quæ emerant. Quamquam opera quæ faciebant piæ mulieres, non erant servilia, nec per legem prohibita, servaverunt mandatum secundum consuetudinem & traditionem Judæorum, qui sabbatum colebant arctius, quam lex ipsa præciperet. Sic noluerunt ingredi prætorium, ne contaminarentur, quasi immundi essent, si domum Gentilis intrarent, quod lege non prohibetur.

C A P U T XXIV.

Resurrectionis Christi circumstantiæ, & variæ illius apparitiones.

Matth. 28. 1. Marc. 16. 2. Joan. 20. 1.

1. UNa (*a*) autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverant, aromata:

2. Et invenerunt lapidem revolutum a monumento.

3. Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu.

4. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt (*b*) secus illas in veste fulgenti.

5. Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viventem cum mortuis?

6. Non est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset,

*Matth. 16. 21. & 17. 22. Marc. 8. 31. & 9. 30. Sup. 9. 22.

7. Dicens: * Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere.

8. Et recordatæ sunt verborum ejus.

9. Et regressæ a monumento nuntiaverunt (*c*) hæc omnia illis undecim, & ceteris omnibus.

10. Erat autem Maria Magdalene, & Joanna, & Maria Jacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc.

11. Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum verba ista: & non crediderunt illis.

12. Petrus autem surgens cucurrit (*d*) ad monumentum: & procumbens vidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans quod factum fuerat.

*Marc. 16. 12.

13. * Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum (*e*), quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus.

14. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus, quæ acciderant.

15. Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent: & ipse Jesus appropinquans ibat cum illis.

16. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent.

17. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes?

18. Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus?

19. Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & sermone, coram Deo, & omni populo.

20. Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes, & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.

21. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel: & nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt.

22. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum,

23. Et, non invento corpore ejus, venerunt dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere.

24. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: & ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt.

25. Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ!

26. Nonne hæc oportuit pati (*f*) Christum, & ita intrare in gloriam suam?

27. Et incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.

28. Et appropinquaverunt castello quo ibant; & ipse se finxit (*g*) longius ire.

29. Et coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies. Et intravit cum illis.

30. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.

31. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum: & ipse evanuit ex oculis eorum.

32. Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?

33. Et surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem: & invenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant,

34. Dicentes: Quod surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.

35. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via: & quomodo cognoverunt eum in fractione panis (*h*).

36. * Dum autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere. *Marc. 16. 14. Joan. 20. 19.

37. Conturbati vero, & conterriti, existimabant se spiritum videre.

38. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra?

39. Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum: palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.

40. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & pedes.

41. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur?

42. At

CAPUT XXIV.

1. (*a*) Prima die hebdomadæ, qui est dies Dominica.

4. (*b*) Joannes sedisse eos ait: sed vox Græca ἐπέστησαν, proprie supervenire significat.

9. (*c*) Non simul hæc nuntiata sunt: nam primo quidem nuntiatum fuit corpus Christi sublatum fuisse; deinde Magdalena nuntiavit se Dominum vidisse; post primum nuntium videtur Petrus & Joannes cucurrisse: singula exposita sunt ad cap. 28 Matthæi.

12. (*d*) Una cum Joanne. *Linteamina*, quibus corpus Christi fuerat involutum.

13. (*e*) Vicus ille ab Adriano postea in celebrem urbem mutatus Nicopolis dictus est, ac septem milliaribus Jerosolyma distabat. Dicta est Nicopolis in monumentum devictæ a Romanis Judææ.

26. (*f*) Quibus obtineret regnum suum in cælo & in terra: quod regnum est Ecclesia. Regnum illud Ecclesiæ consequi per passionem ex æterno Dei decreto oportuit.

28. (*g*) Ita se composuit, quasi longius iturus: ut eorum in se amorem magis accenderet.

35. (*h*) Dum simul comederemus; an potius in usu Sacrosanctæ Eucharistiæ?

42. At illi obtulerunt ei partem piscis assi,
& favum mellis.
43. Et cum manducasset (*i*) coram eis, su-
mens reliquias dedit eis,
44. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba, quæ
locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobis-
cum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ
scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, &
Psalmis de me.
45. Tunc aperuit illis sensum, ut intellige-
rent Scripturas (*k*).
* Ps. 18. 6. 46. Et dixit eis: * Quoniam sic scriptum
est, & sic oportebat Christum pati, & resur-
gere a mortuis tertia die:
47. Et prædicari in nomine ejus pœniten-
tiam, & remissionem peccatorum in omnes
gentes, incipientibus ab Jerosolyma.
48. * Vos autem testes estis horum. * Act. 1. 8.
49. * Et ego mitto promissum Patris mei in * Joan. 14. 26.
vos: vos autem sedete in civitate, quoadus-
que induamini virtute ex alto.
50. Eduxit autem eos foras (*l*) in Be-
thaniam: & elevatis manibus suis benedixit
eis.
51. * Et factum est, dum benediceret illis, * Marc. 16. 19. Act. 1. 9.
recessit ab eis, & ferebatur in cælum.
52. Et ipsi adorantes, regressi sunt in Jeru-
salem cum gaudio magno:
53. Et erant semper (*m*) in templo, laudan-
tes & benedicentes Deum. Amen.

43. (*i*) Quæ vera fuit manducatio, non nutritio.
45. 46. & 47. (*k*) Dixi Scripturæ obscuritatem habent sibi adjunctam; neque eas intellexissent Apostoli, nisi Dominus sic aperuisset earum intellectum . . . . Præter alia Scripturæ loca, Isaias cap. 53. prædixerat ejus mortem, & crucem. Resurrectionis typus fuit Jonas, eamque prædixit Michæas cap. 4. *In nomine ejus*, auctoritate, & jussu; *Testes estis*, certis.
50 (*l*) Extra Jerusalem; *In Bethaniam*, unde reversus est in montem Oliveti.
53. (*m*) Horis orationi destinatis, & temporibus opportunis; idque maxime ante acceptum Spiritum Sanctum.

SAN-

SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM SECUNDUM JOANNEM.

JOANNES Apostolus & Evangelista, filius Zebedæi, frater Jacobi Majoris, e Bethsaida Galilææ oppido ad mare Tiberiadis oriundus, postremus omnium Græce scripsit Evangelium, cum ex Insula Pathmos Ephesum rediisset, discipulorum suorum & vicinarum Ecclesiarum precibus adductus, & paucis ante obitum annis. Cur scriberet, id potissimum in caussa fuit, ut Cerinthi, Ebionis, & Nicolaitarum, qui Christo Domino divinitatem detrahebant, impios errores refelleret; tum etiam ut quæ in aliis Evangelistis deesse videbantur, suppleret; & ea maxime, quæ Christus Dominus suæ primo prædicationis anno gessit, & dixit magis insignia: cum alii Evangelistæ ab Incarnatione Domini Historiam Evangelicam incœperint, Joannes ab æterna Verbi generatione eam orditur, & brevi verborum complexu illam sic exponit, ut omnes pene hæreses circa divinam & humanam Jesu Christi generationem ortas penitus everterit.

CAPUT PRIMUM.

Verbi æterna generatio & divinitas; Joannis de Christo illustre testimonium. Andreas Simonem fratrem adducit ad Jesum, ut Philippus Nathanaelem.

1. IN principio (*a*) erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.
2. Hoc erat in principio apud (*b*) Deum.
3. Omnia per ipsum facta (*c*) sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est,
4. In ipso vita erat, & vita erat lux (*d*) hominum:
5. Et lux in tenebris lucet, & tenebræ (*e*) eam non comprehenderunt.
6. * Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. * Matth. 3. 1. Marc. 1. 2.
6. Hic venit in testimonium, ut testimonium (*f*) perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.
8. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.

9. * Erat

CAPUT I. 1. (*a*) In ipsa æternitate, ante omnia tempora, cum nullum esset tempus. Sic æternum esse Verbum Dei aperte docet Evangelista. *Et Verbum erat apud Deum*, distincta nimirum a Patre persona, non diversæ naturæ. *Et Deus erat Verbum*; unus & idem cum Patre Deus. Sic cap. 4. *Spiritus est Deus*; id est, Deus est Spiritus. Hinc Div. August. Tract. 1. in Joann. *Evangelista dicit: In principio erat Verbum: & tu dicis, quia & ipsum Verbum factum est. Ille, Omnia per ipsum facta sunt, dicit: & tu dicis, quia & ipsum Verbum factum est. Poterat dicere Evangelista: In principio factum est Verbum: sed quid ait? In principio erat Verbum. Si erat, non est factum.* Idem tract. 3. *In principio erat Verbum. In quo principio? Et Verbum erat apud Deum: & quale Verbum? Et Deus erat Verbum.*

2. (*b*) Verbum erat Deus, quia in principio erat apud Deum: vel hoc Verbum, quod erat Deus, apud Patrem & cum Patre erat, necdum humanam carnem assumpserat. *In principio*, ab æterno, ante rerum omnium creationem. Persona erat a Patre distincta, sed ejusdem naturæ & substantiæ.

3. (*c*) Jam Verbum ut omnium rerum principium & creatorem exprimit Evangelista. *Et sine ipso factum est nihil*: Gr. *Ne unum quidem eorum quæ facta sunt, sine ipso factum est.* Latini sic distinguunt; & punctum voci, *nihil*, subjiciunt: tum puncto interposito; *Quod factum est, in ipso vita erat*. Ita Augustinus. Vulgata utrique interpretationi aptatur. Græci Patres, ut Chrysostomus, hæc verba, *Quod factum est*, jungunt cum præcedentibus, adeo ut hic sit sensus: *Nihil eorum quæ facta sunt, sine illo factum est*: tum sequitur altera sententia. *In ipso vita erat*, fons vitæ, uti & veritas ipsa.

4. (*d*) Qua intelligimus, quæ adest omnibus, etiam cæcis corde & peccatoribus, ut solis lumen præsens est cæco, qui soli absens est, ut ait Augustin. scribens in hunc locum, qui & Tract. 3 hæc habet: Quod factum est, non est vita, sed in arte, hoc est, in sapientia Dei, antequam fieret, vita erat. Quid absurdum magis, quam Joannem his verbis tam magnificis non aliud efficere, & persuadere voluisse, quam Christum esse merum hominem, non Deum, sed a Deo missum instar legati, ad cælum usque sublatum instar Pauli Apostoli, atque ibi cum Deo contulisse paucis ante Evangelii prædicationem annis, ut somniant Sociniani; hominum Magistrum instar Mosis constitutum, & Deum dici, ut Moses Deus Pharaonis dictus est, idque sublimiori quadam ratione: cuncta per ipsum facta, quæ ad mundi renovationem spectant, non quod mundus ab eo conditus sit. Hæc & alia hujusmodi monstra fingunt Sociniani, sed fingunt tamen, & verbis Evangelistæ vim afferunt.

5. (*e*) Homines errorum offusi tenebris hanc lucem non receperunt; occluserunt enim mentis oculos ne viderent.

7. (*f*) Ut testis & præco adventus Domini. Testimonium Joannis Baptistæ ubique commendant Evangelistæ, quod permagni esset ponderis ad Judæos revincendos: in magna quippe erat apud eos sanctitatis opinione, & omnes illum ut Prophetam habebant.

* Inf. 3. 19. 9. * Erat lux vera (g), quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

* Hab. 11. 3. 10. In mundo erat (h), * & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit.

11. In propria (i) venit, & sui eum non receperunt.

12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem (k) filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus:

13. Qui non ex sanguinibus (l), neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

* Matth. 1. 16. Luc. 2. 7. 14. * Et verbum caro (m) factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis.

15. Joannes testimonium perhibet de ipso, & clamat (n), dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat.

* 1. Tim. 6. 17. 16. * Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.

17. Quia lex (o) per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.

* 1. Tim. 6. 16. 1. Joann. 4. 12. 18. * Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit (p).

19. Et hoc est testimonium (q) Joannis, quando miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es?

20. Et confessus est, & non negavit (r): & confessus est: Quia non sum ego Christus.

21. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias (s) es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non.

22. Dixerunt ergo ei: Quis es, ut responsum demus his, qui miserunt nos? quid dicis de te ipso?

23. * Ait: Ego vox clamantis in deserto: * Isa. 40. 3.
Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Pro- Matt. 3. 3. Marc. 1. 3.
pheta. Luc. 3. 4.

24. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.

25. Et interrogaverunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?

26. Respondit eis Joannes, dicens: * Ego * Matth. 3.
baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, 11.
quem vos nescitis.

27. * Ipse est, qui post me venturus est, * Marc. 1. 7.
qui ante me factus est: cujus ego non sum di- Luc. 3. 16. Actor. 1. 5.
gnus ut solvam ejus corrigiam calceamenti. & 11. 16.

28. Hæc in Bethania (t) facta sunt trans & 19. 4.
Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.

29. Altera (u) die, vidit Joannes Jesum venientem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.

30. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat.

31. Et ego nesciebam (x) eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.

32. Et testimonium perhibuit Joannes, di-
cens: * Quia vidi Spiritum descendentem quasi * Matth. 4. 16.
columbam de cælo, & mansit super eum. Mar. 1. 10.

33. Et ego nesciebam eum: sed qui misit Luc. 3. 22.
me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.

34. Et ego vidi: & testimonium perhibui quia hic est Filius Dei.

35. Alte-

9. (g) Paullulum digressus, ut de Joanne loqueretur, redit ad verbum æternum: *Erat lux vera*, per essentiam, & participabilis, non participata. *Quæ illuminat omnem hominem*, seu lumine naturali, cujus facultas, aut ratio cuique homini insita est, ut exponit Cyrillus; seu gratiæ lumine, quantum in se est, ut interpretatur Chrysostomus. Illud quoque e Græco textu licet interpretari, ἐρχόμενον, *veniens*, quod referri potest ad τὸ φῶς, *lumen*; ita ut hic sit sensus: lumen illud verum veniens in hunc mundum, ut illuminet omnem hominem. Quæ sequuntur, huic favent expositioni: nam de Verbo divino manifeste intelliguntur.

10. (h) Ante incarnationem erat ubique præsens per suam divinitatem, qua mundum condidit, & eum regit; unde & mundus Verbum ipsum, a quo factus est, nosse debebat.

11. (i) In mundum a se conditum: vel *in propria venit*, ad Judæos, ex quibus natus est secundum carnem, quique erant populus Dei.

12. (k) Vox Græca ἐξουσία, potestatem cum auctoritate, vel dignitate conjunctam significat.

13. (l) Qui non ut ceteri homines, vel ex humano semine, vel ex concupiscentia, vel ex hominis voluntate per adoptionem humanam, sed ex Deo nati sunt per divinam adoptionem.

14. (m) Homo factus est: *Quasi unigeniti*, vox *quasi*, apud Hebræos sæpe est particula affirmans. Splendor & gloria Jesu Christi non ut Mosis & Prophetarum, sed ut filii unigeniti a Patre, in Transfiguratione, Resurrectione & Ascensione perspicue & clare visa, quasi unigeniti, ut par erat illum apparere, qui vere est unigenitus Dei Patris, ejusdem cum eo naturæ.

15. (n) Alludit ad ea verba Isaiæ, cap. 40. *Vox clamantis in deserto*. *Qui post me venturus est*, ad prædicandum & annuntiandum Evangelium. *Ante me factus est*, vox Græca ἔμπροσθέν μου. Quod ait, *ante me*, inquit Beda, non ad ordinem temporis, sed ad distantiam pertinet dignitatis: *Quia prior me erat*, non solum æternitate, ut Deus, sed etiam ut homo longe præstantior.

17. (o) August. Lib. 17. contra Faustum, cap. 6. *Ipsa lex, cum impleta est, gratia & veritas facta est per Jesum Christum. Gratia qua lex veritate impletur; veritas, qua figuras & Prophetias implevit.*

18. (p) Quæ de Verbo dixi, non aliunde quam ab ipsomet Verbo accepi, seu ab unigenito, qui est in sinu Patris. *Ipse enarravit nobis*: Gr. ἐξηγήσατο, exposuit, dilucide declaravit: seu postrema illa verba sint a Joanne Baptista prolata, seu ea sint ipsius Evangelistæ verba. August. *Qui est in sinu Patris, In secreto Patris . . . . . . qui Patrem novit, ipse enarravit.*

19. (q) Redit ad Joannis testimonium clarius explicandum. August. *Tamen quia quasi in nocte apparuit in corpore mortali, lucernam sibi accendit, unde videretur.*

20. (r) Hebraismus, quo responsi constantia exprimitur: ex responsione Joannis palam est eum interrogatum fuisse an is esset Christus.

21. (s) Quem ex Malachia, cap. 4. venturum ante Messiam acceperant: cum abstinentia cibi, vestitu, zelo Dei eum referret. Quidam ex iis forsitan animarum transmigrationem admittebant. *Non sum*, proprie Elias, sed virtute, spiritu & officio. *Propheta es tu?* Græce propter articulum. Propheta ille a Judæis expectatus, & promissus, de quo Deuter. 18. quem Judæi a Messia distinguebant, & Messiæ comitem futurum putabant.

28. (t) Gr. *Bethabara*, qui locus erat trans Jordanem. Vox Gr. πέραν, potest etiam *cis Jordanem* designare, ad littus scilicet Jordanis. Per sex menses baptizaverat in Judæa: sed forte concursus populorum Romanis suspectum fecerat: unde Joannes ultra fluvium in Peræa baptizavit. *Bethabara*, Hebraice domum transitus significat: frequentes populi eo confluebant.

29. (u) Postero die. *Agnus Dei*, Græce ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ *Ille Agnus Dei*, de quo Isaiæ 53. Sola Deo digna victima, quæ potest Deo reconciliare homines: *Ecce qui tollit*, Græc. ὁ αἴρων, qui portat, qui portando aufert peccata mundi.

31. (x) Oculis corporis non videram eum, licet scirem advenisse Messiam. Propterea veni baptizatum, ut ex occasione baptismi eum manifestarem. Cum Joannes a prima ætate in deserto vitam egisset, Christum ex facie non noverat. Ubi Christus ab eo baptizari voluit, tum quis esset, Deus illi revelavit: sed postea cum Spiritus sanctus in eum columbæ specie descendisset, & vox Patris de cælo intonuisset, ad publicam illam manifestationem, Joannes refert eam, quam de Christo habuerat notitiam.

35. Altera die iterum ſtabat Joannes, & ex diſcipulis ejus duo.

36. Et reſpiciens Jeſum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei.

37. Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Jeſum.

38. Converſus autem Jeſus, & videns eos ſequentes ſe, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi, (quod dicitur interpretatum Magiſter) ubi habitas?

39. Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt ubi maneret, & apud eum manſerunt die illo: hora autem erat quaſi decima.

40. Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant a Joanne, & ſecuti fuerant eum.

41. Invenit hic primum fratrem ſuum Simonem: & dicit ei: Invenimus Meſſiam (quod eſt interpretatum Chriſtus.)

42. Et adduxit eum ad Jeſum. Intuitus autem eum Jeſus, dixit: Tu es Simon filius Jona (y): tu vocaberis Cephas, (quod interpretatur Petrus.)

43. In craſtinum voluit exire in Galilæam, & invenit Philippum. Et dicit ei Jeſus: Sequere me.

44. Erat autem Philippus a Bethſaida, civitate Andreæ, & Petri.

45. Invenit Philippus Nathanael, & dicit ei:
* Gen. 49. 10. Deut. 18. 18. * Iſ. 40. 10. & 45. 8. Jer. 23. 5. Ezech. 34. 23. & 37. 24. Dan. 9. 24. & 25.
Quem ſcripſit * Moyſes in lege, & * Prophetæ, invenimus Jeſum filium Joſeph a Nazareth:

46. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth (z) poteſt aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus: Veni, & vide.

47. Vidit Jeſus Nathanael venientem ad ſe, & dicit de eo: ecce vere Iſraelita, in quo dolus non eſt.

48. Dicit ei Nathanael: Unde me noſti? Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te.

49. Reſpondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael.

50. Reſpondit Jeſus, & dixit ei: quia dixi tibi: Vidi te ſub ficu, credis: majus (a) his videbis.

51. Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra Filium hominis.

CAPUT II.

Jeſus invitatus ad nuptias aquam in vinum convertit; tum venit Capharnaum, hinc Jeroſolymam; ubi e templo ejicit vendentes, ac multa ſigna facit.

1. ET die tertia (a) nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat mater Jeſu ibi.

2. Vocatus eſt autem & Jeſus, & diſcipuli ejus ad nuptias.

3. Et deficiente vino, dicit mater (b) Jeſu ad eum: Vinum non habent.

4. Et dicit ei Jeſus: Quid (c) mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.

5. Dicit mater ejus miniſtris: Quodcumque dixerit vobis, facite.

6. Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Judæorum, capientes ſingulæ metretas (d) binas, vel ternas.

7. Dicit eis Jeſus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas uſque ad ſummum.

8. Et dicit eis Jeſus: Haurite nunc, & ferte architriclino (e). Et tulerunt.

9. Ut autem guſtavit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat unde eſſet, miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam: vocat ſponſum architriclinus,

10. Et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius eſt: Tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc.

11. Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ: & manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus.

12. Poſt (f) hoc deſcendit Capharnaum ipſe, & mater ejus, & fratres ejus, & diſcipuli ejus: & ibi manſerunt non multis diebus.

13. Et prope erat Paſcha (g) Judæorum, & aſcendit Jeſus Jeroſolymam:

14. Et invenit in templo vendentes boves, & oves, & columbas, & nummularios ſedentes.

15. Et cum feciſſet quaſi flagellum (h) de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque, & boves, & nummulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit.

16. Et

42. (y) Seu Joanna, aut Joannis, per contractionem: vocaberis *Cephas*, Chald. *Cepha*, כיפא, *eſt Petra*.

46. (z) Sciebant Meſſiam in Bethlehem naſciturum.

50. & 51. (a) Majora: Gr. *μείζω*. Videbitis, ei ſervientes Angelos. *Supra*, vox Hebr. *al*, על, juxta etiam, ſeu prope ſignificat. Bernardus in Pſalm. 90 ſerm. 11. *Beati illi Spiritus aſcendunt per contemplationem Dei, deſcendunt per compaſſionem tui, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Aſcendunt ad vultum ejus, deſcendunt ad nutum ejus.*

CAP. II. 1. (a) Poſtquam in Galilæam venit circa 21. Februarii, vel die tertia ab egreſſu e deſerto, ubi tentatus fuit a diabolo, juxta Euthymium. *In Cana Galilææ*: nam aliud erat oppidum ejuſdem nominis in Tribu Ephraim. Joſue 15. 18. Cana Galilææ oppidum erat, quod trium horarum ſpatio diſtabat Nazareth, juxta Hieronymum in locis Hebraicis, in finibus ſcilicet Galilææ & Phœniciæ.

3. (b) Matris erga convivas miſeratio, in filium fides, modeſtia in proponendo & exponendo quod facto opus eſſet, eluceſcit: ubi formam orandi nobis præbet, nempe ut indigentiam noſtram ſimpliciter Deo exponamus. Fors eſt ut pauperes eſſent conjuges; nam ſubmiſſa voce hoc filio inſinuavit, eorum pudori conſulens.

4. (c) Quæ verba non ſunt reprehendentis, ſed docentis. Mater miraculum depoſcebat, quod Divinitatis erat opus; docere diſcipulos ſuos voluit in obeundis miniſterii ſui functionibus nullam carnis & ſanguinis habendam eſſe rationem. *Nondum venit hora mea*, nondum venit tempus, quo miraculum a te poſtulatum ſit faciendum. Nondum venit hora edendi miracula publica, quæ fieri debent, ut Evangelica prædicatio confirmetur. Nondum publice docuerat, nec ſe ut Meſſiam oſtenderat. Quod poſtulabat B. Virgo ex charitate & miſericordia, illud videtur negare Chriſtus: quod præſcripto tantum tempore edenda eſſent miracula. Nec mirum ſi variis virtutibus res diverſæ, immo & quandoque contrariæ ſubjiciantur, utrimque laudabiles. Voto nihilominus Matris annuit Chriſtus: neque Maria præcipitatione, aut quavis alia ratione peccavit; ut calumniantur quidam Novatores.

6. (d) *Metreta* erat menſura quædam Attica, quæ Hebræorum cado pene æqualis erat, quadraginta ſere librarum Pariſienſium, ut pleriſque videtur. Nuptias vero per aliquot dies Judæi ſolebant producere.

8. & 10. (e) Qui præfectus erat convivio. *Inebriati*. Cum exhilarati paululum incaluerint. Sic enim vox illa ſæpe in Scripturis uſurpatur etiam in bonam partem.

12. (f) Brevi poſt tempore: *Fratres ejus*, cognati: *Non multis diebus*: Inſtabat enim feſtum Paſchatis, quod eo anno incidit in diem ſextum Aprilis, ut Pezronio videtur. Itaque exeunte Februario, Capharnaum profectus eſt Jeroſolymam, ut ibi Evangelii prædicandi munus auſpicaretur.

13. (g) Primum poſt baptiſmum, nondum tradito Joanne in carcerem.

15. & 16. (h) Oves & boves flagello expulſas, non homines; vox, *quaſi*, deeſt in Græco. *Negotiationis*, Fori publici.

16. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.

17. Recordati sunt vero discipuli ejus quia
*Ps.68.10. scriptum est: * Zelus domus tuæ comedit me.

18. Responderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis quia hæc facis?

*Matth.26. 61. & 27. 40. Marc. 14. 58. & 15. 29. 19. Respondit Jesus, & dixit eis; * Solvite (i) templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.

20. Dixerunt ergo Judæi: Quadraginta (k) & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?

21. Ille autem dicebat de templo corporis sui.

22. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat,
*Ps. 3. 6. & 56. 9. & * crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixit Jesus.

23. Cum autem esset Jerosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus, quæ faciebat.

24. Ipse autem Jesus non credebat (l) semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes,

25. Et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.

CAPUT III.

Nicodemum, qui de nocte venerat, Christus de necessitate baptismi, & de redemptione generis humani instruit: Joannis testimonium.

1. ERat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps (a) Judæorum.

2. Hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.

3. Respondit Jesus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo (b), non potest videre regnum Dei.

4. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci?

5. Respondit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi (c) quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

6. Quod natum est ex carne, caro (d) est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.

7. Non mireris quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo.

8. Spiritus ubi vult, spirat: & vocem ejus audis, * sed nescis unde veniat, aut quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu (e). *Ps.134.7.

9. Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri?

10. Respondit Jesus, & dixit ei: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?

11. Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur (f), & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis.

12. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis (g)?

13. Et

19 (i) Si solveritis, vel solvetis, imperativus modus pro futuro tempore. Templum vocat corpus suum propter inhabitantem divinitatem per unionem hypostaticam. Ubique Joannes insinuat Christi divinitatem. Præ ardenti in Deum amore Templum violari non sinebat.

20. (k) Sex & quadraginta effluxerunt anni, cum Templum hoc ædificari cœpit, nec tamen ex omni parte est absolutum, & intra triduum illud restitues? Templum illud, in quo hæc omnia agebantur, hoc ipsum erat, quod ab Herode a fundamentis ædificari cœpit anno regni sui decimo octavo, nempe ut Josephus computare solet, a capta Jerosolyma, & a morte Antigoni. Sic enim quatuor & triginta annos regni Herodis enumerat. Porro annus ille erat vigesimus ante æram vulgarem. His 20. annis si addas 26. æræ communis jam elapsos, summa erit 46. annorum ab initio hujus operis suscepti. Hoc templum magnitudine sua æquabat templum Salomonis. Nam centum cubitos longum erat, & altum 120. cum templi a Zorobabele extructi altitudo esset tantummodo sexaginta cubitorum. Illud itaque templum, cujus mentionem faciunt Judæi, id ipsum est, quod ab Herode fuit extructum. Non enim per tot annorum spatium templum secundum fuit ædificatum. Id quidem concedimus, hujus ædificii molem intra octo annorum spatium fuisse absolutam; sed exteriora quæque opera, ornamenta, portæ, &c. nondum erant absoluta: nam usque ad Neronis tempora continuata fuit horum operum fabrica. Judæi autem ob hujus vocis homonymiam decepti, hanc restitutionem templo, quod tunc temporis extabat, applicant. Aliis tamen videtur de secundo templo a Zorobabele post captivitatem extructo Judæos verba facere, eosque 46. annorum, quibus intermissa fuit ædificatio, habere rationem.

24. & 25. (l) Judæis, quorum pars maxima non credebat Jesum esse verum Messiam. Occultarum vero cogitationum notitiam argumentum est divinitatis.

CAP. III. 1. & 2. (a) Senator magni consilii, seu synedrii. Nocte. Id videtur actum Jerosolymæ; est enim præcedentis historiæ continuatio. Nemo enim potest, &c. . . . Ergo sunt quædam signa, aut miracula, quæ ab iis fieri non possunt, qui falsam doctrinam per ea confirmare nituntur. Hæc signa sunt velut quædam sigilla, quibus Deus veram doctrinam confirmat, eaque sic vocat, ut distinguantur a præstigiis dæmonum.

3. (b) Gr. ἄνωθεν, quod postea vertit interpres *sursum*. Sed ex verbis sequentibus Nicodemi palam est Dominum locutum fuisse de iterata nativitate: adeo ut ad regnum Dei possidendum prima nativitas non sufficiat, sed opus sit secunda. Unde prima veræ Religionis elementa hoc loco Nicodemum docet Christus Dominus.

5. (c) Quasi ex Patre & Matre, Gr. nascatur. *Non potest intrare*, aqua corpus, Spiritus vero animum mundat. Cum autem corporalis nativitatis idea Nicodemi mentem confunderet, hunc illi scrupulum exemit Christus Dominus, primo quidem ex lato discrimine, quod carnalem inter & spiritualem generationem intercedit.

6. (d) Ex homine, carnale est. August. *Caro hic spiritui opponitur. Quod natum est ex carne, caro est; nam illi cum sua origine convenit. Quod natum est ex spiritu. Spiritus est, seu spiritale. Siquidem simile ex simili nascitur. Cum homo servit legi Dei, spiritualis est, idque habet a secunda illa nativitate.*

8. (e) Non ventus, sed Spiritus sanctus hoc nomine designatur. Tametsi alludit ad ventum, qui in varias spirat partes: sed nemo dixerit ventum spirare ubi vult, Deus quidem facit omnia pro sua voluntate, & in primis regenerationem nostram, cujus characteres & effectus venti similitudine exprimit. Spiritus Sancti opera per effectus tantummodo percipiuntur. *Unde veniat*, Doctrina foris sonat per prædicatores; ex effectis tamquam ex voce quadam Spiritus ille cognoscitur, sed horum effectuum principium, aut finem, in quem tendunt, non intuemur. *Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu:* est enim illius nativitas occulta, invisibilis & interior: Auctor ejus est Spiritus Sanctus. Ex effectis probat Dominus novam hanc regenerationem propterea rejici non oportere, quod mente non concipiatur.

11 (f) Cum mysticam illam regenerationem minus intelligeret Nicodemus, Christus doctrinam suam cum auctoritate tot signis & miraculis munitam, tum illustri veteris Testamenti figura confirmat. *Quod scimus loquimur*, id est, non audita, sed visa.

12. (g) Humilia quidem, si cum altioribus mysteriis, ut cum Resurrectione & Ascensione comparentur: nam Pharisæi suis baptismis & ablutionibus animam purgari sibi persuadebant. *Non credidistis*, non intellexistis.

13. Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit (*h*) de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.

* Num. 21, 9. 14. * Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari (*i*) oportet Filium hominis:

15. Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

* 1 Joa. 4. 9. 16. * Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit (*k*) in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

17. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.

18. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus (*l*) est: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.

* Sup. 1. 9. 19. Hoc est autem judicium (*m*): * quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera.

20. Omnis enim, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.

21. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.

22. Post hæc venit Jesus, & discipuli ejus in terram Judæam (*n*): & illic demorabatur

* Inf. 4. 1. cum eis, * & baptizabat.

23. Erat autem & Joannes baptizans (*o*) in Ænnon, juxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur.

24. Nondum enim missus fuerat Joannes in carcerem (*p*).

25. Facta est autem quæstio (*q*) ex discipulis Joannis cum Judæis de Purificatione.

26. Et venerunt ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, * cui * Sup. 1. 19.
tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.

27. Respondit Joannes, & dixit: Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum (*r*) de cælo.

28. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis,
* quod dixerim: Non sum ego Christus: sed * Sup. 1. 20.
quia missus sum ante illum.

29. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus (*s*) autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.

30. Illum oportet crescere (*t*), me autem minui.

31. Qui desursum venit, super (*u*) omnes est. Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Qui de cælo venit, super omnes est.

32. Et quod vidit, & audivit, hoc testatur: & testimonium ejus nemo (*x*) accipit.

33. Qui accepit ejus testimonium, signavit (*y*) quia * Deus verax est. * Rom. 3. 4.

34. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum.

35. Pater

13. (*h*) Ut hæc doceret; nemo scrutatus est arcana Dei qui est in cœlis: *Nisi qui descendit de cœlo*, nisi qui ex Deo suam habet originem. Descendit quodammodo Verbum Incarnatum per unionem personalem divinitatis cum humanitate. *Qui est in cœlo*, ratione suæ divinitatis. Ego unus Patrem in cœlo vidi, & mihi uni fides adhibenda, cum de rebus divinis loquor. Neque audiendi sunt Sociniani, cum hæc Christi verba in figurato, aut metaphorico sensu intelligi oportere pertendunt, quod cœlestem doctrinam & divinam a Deo accepisset. Nam si id recipimus, nihil erit in Evangelio tam aperte enuntiatum, quod ejusmodi diverticulis ad sensum metaphoricum non detorqueatur. Nec minus infulsum est, quod ea labe contacti somniant, Christum instar Eliæ in cœlum translatum fuisse, ubi hæc sibi revelata hausit mysteria. Quod quidem dum gratis & ad libidinem effictum sentiant ipsi; ad figuratam dictionem se recipiunt, atque hunc locum sic interpretantur, ut cognitionem tantummodo rerum cœlestium Christo concedant, quam hominibus aperit. Sic vim affert textui Evangelico & cuncta ad libitum in sensum metaphoricum & figuratum torquet Socinus Tomo 1. fol. 140. editionis Batavicæ. Hæc utque & alia ejusmodi plurima figurate dicta contendit, ne in Christo unitatem personæ in duabus naturis, & idiomatum communicationem fateri cogatur. Cum autem illum doctiorem esse, quam ut vitiis cordatis probari possit, ipse sentiat, fabulam comminiscitur; Nihil, inquit, aliud restat, nisi ut filium hominis, sive hominem illum & vere & proprie jam tum & de cœlo descendisse, & in cœlo fuisse dicamus, quod nos non modo libenter concedimus, sed etiam plane contendimus. Quid hoc est nisi divinare, aut delirare potius?

14. (*i*) Hujus regenerationis caussam meritoriam, mortem nimirum suam, in serpente æneo a Mose erecto figuratam Nicodemo exhibet. Siquidem ut serpens ille æneus. Num. c. 21. & sine veneno Hebræos ab ignitis serpentibus vulneratos solo aspectu sanavit: ita serpens innoxius homines, qui in ipsum exaltatum in cruce credunt, & lethali vulnere sunt percussi, sanat; idque ex ingenti Dei in homines amore profectum est.

16. & 17. (*k*) Fide, quæ per dilectionem operatur. *Ut judicet*. Id est, condemnet; quod intelligitur de primo adventu.

18. (*l*) Qui Christum non recipit: ejus damnatio certa est: nam fides in Salvatorem unicum est salutis præsidium: adeo ut nullus jam sit disceptationi locus, cum infidelitas est positiva.

19. & 20. (*m*) Hæc est condemnandi ratio & caussa. *Odit lucem*, Nec vult pravos habitus exuere. *Facit veritatem*, Qui bene agit.

22. (*n*) Hoc Christi colloquium cum Nicodemo Jerosolymæ peractum est: tum venit Jesus in regionem Judææ, quam hoc loco distinguit ab urbe Jerosolyma, unde exierat: *Et baptizabat*, non per se, sed per discipulos, ut dicitur cap. sequenti. *Sed ipse tamen discipulos baptizavit*, aut quosdam ex illis. Sic Apostoli cum gentibus prædicabant, perpaucos baptizabant, ut discimus ex verbis Apostoli, 1. Corinth. 1. *Non enim misit me Deus baptizare, sed Evangelizare.*

23. (*o*) Per sex menses in Judæa baptizavit, ubi Judæi salutaria ejus monita exceperunt; tum Bethaniam, seu Bethabara perrexit ultra Jordanem, ac tandem in Ænnon citra Jordanem venit: *Et baptizabantur*; Immergendo nimirum, cum profundior aqua ab eo seligeretur. Ænnon ad austrum Scythopolis, olim Bethsan, sita erat octavo ab urbe milliari.

24. (*p*) Quæ Dominus a jejunio usque ad vincula Præcursoris egerat, alii Evangelistæ prætermiserant. Hoc ipsum nos admonere voluit Evangelista, ne Christi actorum historia a jejunio ad tempus usque, quo Joannes conjectus fuit in carcerem, aliorum Evangelistarum historiæ contraria videretur: simul & quosdam Judæos Christo addictos de utroque baptismo commemoravit. Judæi quippe baptismum inter purificationes legales recensebant.

25. (*q*) Utrum baptismus Christi an Joannis esset præstantior. Rem ipsam ad Joannem detulerant, ac subinde discipuli ejus zelo in suum præceptorem incitati questi visi sunt quod Jesus baptizaret.

27. (*r*) Illam itaque hominum multitudinem a Deo mitti insinuat, se missum ut sponsi amicum, qui Ecclesiam virginem castam Christo sponso exhiberet. *Accipere*, pro *habere* ponitur. Quod ego habeo, aliunde habeo; ille de se habet, & proprium.

29. (*s*) Propter ingentem actionum & miraculorum Christi splendorem. Amicus sponsi citra invidiam adstat sponso honoris caussa, ut in ejus obsequium intentus.

30. (*t*) Illum crescere oportet in nominis sui gloria, & gentium conversione, me autem obscuritate quadam involvi.

31. (*u*) Gr. ἐπάνω πάντων *Super omnes*, reddi potest. *De terra loquitur*: nihil aliud quam homo est, humana & humilia loquitur, quibuscumque gratiæ ornetur donis; quæque de cœlestibus dicturus est, ab eo docetur qui e cœlo venit.

32. (*x*) Paucissimi doctrinam ejus accipiunt. Est hyperbole Joanni usitata, ut vers. 26. *Omnes veniunt ad eum.*

33. & 34. (*y*) Græc. ἐσφράγισεν, quasi sigillo suo declaravit Deum esse veracem: non enim credimus, nisi ei quem veracem judicamus. Is igitur doctrinam Christi a Deo profectam quasi sigillo suo confirmat. *Non enim ad mensuram dat Deus*: semper & spiritu Dei loquitur, & quidquid loquitur, verbum Dei est. Non eadem est ratio eorum qui ad mensuram habent spiritum, quales sunt Prophetæ. Unde August. Tract. 14. in Joann. *Hominibus ad mensuram dat: unico filio non dat ad mensuram.*

35. Pater diligit Filium: & omnia dedit in manu ejus.

* Joan. 5.10. 36. * Qui credit in Filium, habet vitam æternam (z): qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

CAPUT IV.

Christi cum muliere Samaritana colloquium, quæque sunt consecuta; multorum fides; reguli filii curatio.

1. UT ergo cognovit Jesus quia audierunt Pharisæi quod Jesus plures discipulos
* Sup. 3. 22. facit, * & baptizat, quam Joannes,

2. (Quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli (a) ejus)

3. Reliquit Judæam (b), & abiit iterum in Galilæam.

4. Oportebat autem eum transire per Samariam.

5. Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ
* Gen. 33. 19. & 48. 22. Jos. 24. 32. dicitur Sichar (c): juxta prædium, * quod dedit Jacob Joseph filio suo.

6. Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta.

7. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus: Da mihi bibere.

8. Discipuli enim ejus abierant in civitatem ut cibos emerent.)

9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis.

10. Respondit Jesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam (d) vivam.

11. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: unde ergo habes aquam vivam?

12. Numquid tu major es patre nostro Jacob (e), qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filii ejus, & pecora ejus?

13. Respondit Jesus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum (f):

14. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis (g) in vitam æternam.

15. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.

16. Dicit ei Jesus: Vade, voca virum tuum, & veni huc.

17. Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Jesus: Bene dixisti, quia non habeo virum:

18. Quinque enim viros habuisti; & nunc, quem habes, non est tuus vir: hoc vere dixisti.

19. Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu.

20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, * quia Jerosolymis est locus, * Deut. 12. 5.
ubi adorare (h) oportet.

21. Dicit ei Jesus: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.

22. * Vos adoratis quod nescitis (i): nos * 4. Reg. 17. 41.
adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est.

23. Sed venit hora: & nunc est, quando veri adoratores adorabunt (k) Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.

24. * Spiritus est Deus: & eos, qui adorant * 2. Cor. 3. 17.
eum, in spiritu & veritate oportet adorare.

25. Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit (l) (qui dicitur Christus) cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.

26. Dicit ei Jesus: Ego sum, qui loquor tecum.

27. Et continuo venerunt discipuli ejus: & mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea?

28. Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in civitatem, & dicit illis, hominibus:

29. Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid ipse est Christus?

30. Exie-

36. (z) Inchoatam, cum operatur juxta ea quæ credit: *Manet super eum:* Augustin. Non dixit, *Ira Dei venit ad eum, sed ira Dei manet super eum. Omnes qui nascuntur, ut mortales, habent secum iram Dei. Quam iram Dei? Quam excepit primus homo Adam. Quæ ira? de qua dicit Apostolus, Fuimus & nos filii iræ.* Vel *manet*, id est, permanet.

CAP. IV. 2. (a) Quamquam Dominus usus est discipulis ut baptizaret.

3. (b) Sic Pharisæorum invidiam non irritabat, cum in Provinciam remotam secederet.

5. (c) Cum antea diceretur *Sichem*. *Juxta prædium*, quod Jacob emerat centum agnis a filiis Hemor.

10. (d) Gratiam Spiritus Sancti, aut verbum vitæ, atque ut loquitur Sapiens, *aquam sapientiæ salutaris*, quæ sitim rerum terrenarum extinguit. Mulier non intelligens quænam esset aqua illa viva, seu gratiæ, seu doctrinæ, ab eo petit unde habeat aquam illam vivam.

12. (e) Dicebant enim Samaritani se e Patre Jacob esse prognatos, postquam multi ex Judæis cum Samaritanis mulieribus junxerant connubia.

13. (f) Augustinus ibid. *Etenim aqua in puteo, voluptas sæculi est in profunditate tenebrosa: hinc hauriunt homines hydria cupiditatum.* Qui ex aqua spirituali biberit ad satietatem, quod erit in futuro sæculo, non sitiet iterum; sitis non recurret.

14. (g) Perducet eum ad vitam æternam, ac futurum est ut numquam sitiat. Aqua naturalis ad tempus sedat sitim, spiritualis autem ex se, nisi eam homo abjiciat, in perpetuum sitim extinguit. Nam hujus vitæ justitiam tribuit, quæ æternæ initium est: *in vitam æternam:* nam ad locum suæ originis ascendet, & suscepta ad vitam æternam perducet.

20 & 21. (h) Sacrificare. *Adorabitis Patrem;* De cultu exteriore atque publico inter Judæos & Samaritanos erat quæstio, non utrum ubique Deum adorare fas esset. Nec Christus hoc loco tollit cultum exteriorem, sed interiorem præcipue commendat: simul insinuat externum Dei cultum per omnes gentes in locis ad eam rem consecrandis mox futurum, novi scilicet Testamenti temporibus, ac fore ut cultus omnis exterior Judæorum & Samaritanorum desineret.

22. (i) Neque enim probare poterant Samaritani Deum esse cultus illius Templi, aut rituum quibus utebantur, auctorem: Ignoratis quis ille sit Deus quem colitis. *Quia salus ex Judæis est;* apud Judæos conservata erat vera Religio, atque inde salus propaganda in universum orbem.

23. (k) Non propterea Dominus rejicit usum cæremoniarum, ut Sectarii perperam concludunt; sed spiritualem cultum ut potiorem agnoscit, sine quo exterior cultus est omnino inutilis. Nam verus & spiritualis cultus cognoscendo & amando Deum perficitur. Spiritus carni opponitur, veritas superstitioni & errori Gentilium: Spiritus quoque & veritas hoc in loco pro cultu vero & sincero, ab omni hypocrisi & superstitione remoto, accipi potest. Vel adoratio in spiritu et dicitur, quæ propria est novi Testamenti, & nudis sacrificiis & ritibus veteris Testamenti opponitur.

25. (l) Gr. ἔρχεται, quod etiam significat. Mox venturus est. Atque hinc liquet opinionem Messiæ advenientis apud Samaritanos increbuisse.

30. Exierunt ergo de civitate, & veniebant ad eum.

31. Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca.

32. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.

33. Dicebant ergo discipuli ad invicem: Numquid aliquis attulit ei manducare?

34. Dicit eis Jesus: Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.

35. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit (*m*)? Ecce dico vobis: Levate oculos vestros, & videte regio-
* Matth. 9. 37. Luc. 10. 2. nes, * quia albæ sunt jam ad messem.

36. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: ut, & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.

37. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat (*n*), & alius est qui metit.

38. Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.

39. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci.

40. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies.

41. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus.

42. Et mulieri dicebant: Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est vere Salvator mundi.

43. Post duos autem dies exiit inde: & abiit in Galilæam.

*Matth. 13. 57. Mar. 6. 4. Luc. 4. 24. 44. * Ipse enim (*o*) Jesus testimonium perhibuit, quia Propheta in sua patria honorem non habet.

45. * Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent, quæ fecerat Jerosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum. * Matth. 4. 12. Marc. 1. 14. Luc. 4. 14.

46. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, * ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus (*p*), cujus filius infirmabatur Capharnaum. * Sup. 2. 9.

47. Hic cum audisset quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum ut descenderet, & sanaret filium ejus: incipiebat enim mori.

48. Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis (*q*).

49. Dicit ad eum Regulus: Domine, descende prius quam moriatur filius meus.

50. Dicit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, & ibat.

51. Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, & nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret.

52. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris.

53. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit: & credidit ipse, & domus ejus tota.

54. Hoc iterum secundum signum (*r*) fecit Jesus, cum venisset a Judæa in Galilæam.

C A P U T V.

Christus ægrotum sanat, qui ab octo & triginta annis languebat; jubet grabatum tollere die sabbati, quod Judæos offendit.

1. POst hæc erat dies festus (*a*) Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam. Lev. 23. 5. Deut. 16. 1.

2. Est

35. (*m*) Vox eadem Græca ponitur quæ paullo ante, ἔρχεται, Mox veniet: Discipulos ad laborem adhortatur; ac simul docet nihil loci esse tritO huic proverbio apud otiosos usurpato. Quatuor adhuc menses ad messem usque intercedunt; adeo ut nihil necesse sit ante tempus se excruciare. *Ad messem*; id dixit de spirituali messe, cum jam videret illius urbis cives turmatim accedere ad doctrinam salutis capessendam dispositos. Nec necesse est fingere hoc colloquium circa mensem Decembrem habitum fuisse, cum circa meridiem Christus præ æstu & itinere fatigatus esset; adeo ut longe probabilius videatur hoc exeunte Junio contigisse; alioquin Christus totius pene anni decursu in Judæa mansisset baptizatus, & quatuor eas discipulos secundo tantum anno prædicationis in familiam suam adscivisset; quod non est verisimile. Itaque Dominus de spirituali messe loquitur. Nam si quatuor adhuc erant menses usque ad segetum messem, quomodo Christus hanc apud eos sermonem habuisset: *Quæ albæ sunt ad messem*? Alii hæc acta fuisse volunt inter Pascha & Pentecosten, quod tum segetes maturescerent. Utcumque ea res sit, proverbium illud de quatuor mensibus ad litteram sumendum non videtur.

37. (*n*) Prophetæ qui seminaverant primi, & Apostoli qui fruges ex illo semine messuerunt.

44. (*o*) Particula enim videtur tantum expletiva: adeo ut hic sit sensus; Abiit in Galilæam, in qua, licet patria sua, non est in honore habitus, sicut ipse Jesus testimonium perhibuit. Sic relicta patria sua, ubi diu non est commoratus, reliquam Galilæam peragravit. Matth. 4.

46. (*p*) Græc. Regius, Βασιλικὸς, quod esset Aulicus, de regio comitatu Philippi Tetrarchæ. Judæus tamen: nam si gentilis fuisset, id non reticuisset Evangelista. Deinde quod subjicit Dominus, illud ipsum suadet.

48. (*q*) Nam ad Judæos id proprie pertinebat. Jam credere incipiebat regulus, cum ad Jesum confugeret; sed fides illius adhuc infirma erat, non ut in Centurione plena; non enim sanari filium posse credebat, nisi Jesus eo descenderet. Jesus vacillantem ejus fidem confirmans ait: *Vade filius tuus vivit*. Signa vero & prodigia sic distinguit Ammonius, ut prodigium sit præter naturam, qualis est cæci illuminatio; signum quod alioqui per naturam fieri potest, ut morbi curatio.

54. (*r*) Nam primum signum in Cana Galilææ fecerat, mutata in vinum aqua; cum iterum venisset in Galilæam, hoc secundum signum fecit. Hæc utique unus Joannes scripsit, quæ acta sunt a medio mense Februario usque ad Julii initium. Unde Hieronymus, Lib. de Script. Ecclesiast. cap. 9. Superioris temporis, antequam Joannes clauderetur in carcere, gesta narravit, sicut manifestum esse poterit his, qui diligenter quatuor Evangeliorum volumina legerint: tum quod omnem, quæ inter Joannem & alios Evangelistas videtur esse, discrepantiam tollit, ut mox subjicit. Hæc igitur quatuor capitibus comprehensa Joannis incarcerationem præcedunt.

CAP. V. 1. (*a*) Quis ille fuerit dies festus, an Paschatis, an Pentecostes, an sortium, seu *Phurim* פורים, an denique Encæniorum seu dedicationis Templi, variant sententiæ. Plerique e veteribus & recentioribus illud hujus Pascha secundi anni prædicationis Christi opinantur, ut quatuor Paschata inveniant. Verum nonnulla obstant huic sententiæ minime contemnenda, quæ in Historia sua Evangelica prosequitur Pezronius; illud in primis quod Evangelista festum Paschatis proprio nomine designare soleat, ut cap. 2. vers. 13 & cap. 6. vers. 4. cap. 11. vers. 55. ubi semper usurpat has voces *Pascha Judæorum*. 2. Chrysostomus, Cyrillus, & alii complures Interpretes hoc festum de Paschate non exponunt, & plerique veteres tria tantum agnoscunt Paschata, non quatuor. 3. Initio capitis sexti Pascha Judæorum commemorat: *Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum*. Nec verisimile est annum integrum ab Evangelista statim transiliri, una tantum ejus actione intra unius anni decursum commemorata. Quamobrem dies ille festus non multum distabat ab eo Paschate, cujus mentionem facit capite proximo, seu festum illud fuerit sortium, dictum *Phurim*; quod Christi temporibus non erat admodum celebratum; sed potius id fuerit Encæniorum, ac dedicationis festum, quod mense Decembri fere semper celebrabatur tribus & amplius ante Pascha mensibus, quibus multa, eaque memoranda, in Galilæam reversus patravit miracula.

2. Est autem Jerosolymis Probatica (*b*) piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens:

3. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.

4. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus (*c*) in piscinam: & movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate.

5. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua.

6. Hunc cum vidisset Jesus jacentem, & cognovisset quia jam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri?

7. Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit.

8. Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

9. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo.

10. Dicebant ergo Judæi illi, qui sanatus fuerat: * Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. * Exod. 20. 10. Jer. 17. 24

11. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.

12. Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula?

13. Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Jesus enim declinavit a turba constituta in loco.

14. Postea invenit eum Jesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

15. Abiit ille homo, & nunciavit Judæis quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.

16. Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in sabbato.

17. Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur (*d*), & ego operor.

18. Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere: quia non solum solvebat sabbatum, sed & Patrem suum (*e*) dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Jesus, & dixit eis:

19. Amen, amen dico vobis: non potest Filius a se facere quidquam, nisi (*f*) quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.

20. Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat (*g*) ei, quæ ipse facit: & majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.

21. Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat: sic & Filius, quos vult, vivificat (*h*).

22. Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio,

23. Ut omnes honorificent (*i*) Filium, sicut honorificant Patrem: qui non honorificat filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.

24. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transiit a morte in vitam.

25. Amen, amen dico vobis, quia venit (*k*) hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent.

26. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & filio habere vitam (*l*) in semetipso.

27. Et potestatem dedit ei judicium facere, quia (*m*) Filius hominis est.

28. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei:

29. * Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. * Matth. 25. 46.

* 30. Non

2. (*b*) Seu *Pecuaria*: Gr. *ἐπὶ τῇ προβατικῇ*, ad probaticam supple portam, quæ dicitur *porta gregis*: Hebr. *Bethseda* ביתצדא, aut Bethsaida. Habemus Lib. 2. Esdræ, c. 3. & cap. 12. vers. 39. juxta editionem Septuaginta interpretum, Jerosolymæ extitisse portam probaticam. Hebr. *portam pecoris*, quæ in Vulgata editione dicitur *porta gregis*. Ex nomine videtur donata, quod per eam greges pecorum in urbem intrarent. Hæc porta ad Orientem sita erat versus torrentem Cedron. Hic forte nomen suum duxit piscina huic portæ vicina. Itaque seu intelligamus Jerosolymæ fuisse piscinam probaticam, seu eam prope portam pecuariam extitisse juxta textum originalem, perinde est. Hæc piscina Hebraice dicta est vel *Bethesda* ביתחסדא, id est, misericordiæ, ut Hieronymus & Græca legunt, vel *Bethsaida* ביתצידא, ut vulgata quæ vox significat domum, seu locum venationis, aut piscationis, quod minus convenit huic piscinæ. Sed vox *Bethseda*, vel *Bethesda*, domum misericordiæ, forte *nosocomium*, aut juxta alios locum effusionis significat, quod in istud stagnum multis undique subterraneis ductibus e templo aquæ se diffunderent, quibus victimæ lotæ fuerant. Hieronymus, Lib. de locis Hebraicis geminos ibi fuisse lacus ait; quorum unus hibernis aquis repleri solet, alterius aquas subrubras esse. Nam hostias in eo lavari a sacerdotibus solitas ferunt. In priorem, ut verisimile est, Angelus descendebat hiberno tempore.

4. (*c*) Identidem, statis temporibus. Quo tempore hoc miraculum inceperit, incertum est. Non abhorret a verisimili hoc advenientis Messiæ indicium fuisse, ac fore ad fidem Baptismi adstruendam, quo sanitas animæ restituitur, & maculæ peccatorum divina virtute abluuntur. Voces illæ *secundum tempus*, desunt in Græco textu.

17. (*d*) Occupat Judæorum objectionem, cessandum ab omni opere die sabbati: Respondet Christus, Deum non cessare ab omni opere, cum cuncta conservet & regat die sabbati. *Et ego operor*, quæ ad hominum salutem conferant, nullo dierum habito discrimine.

18 (*e*) Gr. *ἴδιον*, *proprium*, unicum & verum: Sic Apostolus, Rom. 8. 32. *Qui proprio Filio non pepercit*: quem locum merito urget Ambrosius adversus Arianos, Lib. 2. de Fide, cap. 4. Tum vero intellexerunt Judæi Patris nomine Deum ipsum a Christo exprimi; unde & quærebant eum interficere, quod non solum solveret sabbatum, sed ob hoc maxime quod se æqualem Deo faceret. Sic Aug. Tract. 17. *Ecce intelligunt Judæi, quod non intelligunt Ariani. Quis erat, nesciebant: talem tamen prædicari agnoscebant, quia Patrem suum dicebat Deum æqualem se faciens Deo.*

19 (*f*) Vox illa non exceptionem significat, sed adversantis particulæ vim habet: Quidquid facit, Patre in se operante facit: a se quidem facit ut Deus, sed ab alio, persona quidem, non natura distinsto, id habet. Quod addit, *Hæc & Filius similiter facit*, id est, simul cum eo facit, unde Aug. ait: *Si per Filium facit, quæ Pater facit, non alia Pater, alia Filius facit.*

20. (*g*) Gr. *μείζονα*, ostendet ei majora opera, quam sit sanatio paralytici, ut mortuorum resuscitationem.

21. & 22. (*h*) Sic Filius suscitabit mortuos, cum corpore, tum Spiritu, idque voluntate sua, eosque vivificabit. Pater non judicat quemquam seorsum a Filio, sed judicium omne suum exequitur per Filium,

23. (*i*) Ut eum revereantur: In quo posita est hominum salus.

25. (*k*) Jam instat hora, tempus incipit, quando mortui audient vocem Filii Dei.

26. (*l*) Non solum vita ipsa est, sed & fons vitæ per Incarnationem. Vox illa *sicut*, perfectam æqualitatem indicat.

27. (*m*) Secundum quod est homo. Superiora enim videtur de se ipso dixisse, ut Filio Dei.

30. Non possum (*n*) ego a me ipso facere quidquam. Sicut audio, judico: & judicium meum justum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.

31. Si ego testimonium (*o*) perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.

* Matth. 3. 17. Sap. 2. 15. 32. * Alius (*p*) est, qui testimonium perhibet de me: & scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me.

33. Vos misistis ad Joannem, & testimonium perhibuit veritati.

34. Ego autem non ab homine testimonium accipio (*q*): sed hæc dico ut vos salvi sitis.

35. Ille erat lucerna (*r*) ardens & lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus.

36. Ego autem habeo testimonium majus (*ſ*) Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea: ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me:

* Matt. 3. 17. & 17. 5. 37. Et qui misit me Pater, * ipse testimonium perhibuit (*t*) de me: neque vocem ejus
* Deut. 4. 12. umquam audistis, * neque speciem ejus vidistis.

38. Et verbum ejus non habetis (*u*) in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis.

39. Scrutamini (*x*) Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me:

40. Et non vultis venire ad me ut vitam habeatis.

41. Claritatem (*y*) ab hominibus non accipio.

42. Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.

43. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.

44. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis (*z*): * & gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis? * Inf. 12. 43.

45. Nolite putare quia ego accusaturus (*aa*) sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.

46. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan (*bb*) & mihi: * de me enim ille scripsit. * Gen. 3. 15. & 22. 18. & 49. 10.

47. Si autem illius litteris non creditis? quomodo verbis meis credetis? Deut. 18. 15.

CAPUT VI.

Miraculum de quinque panibus & duobus piscibus multiplicatis: Sacramenti Eucharistici promissio.

1. POst hæc abiit Jesus trans mare (*a*) Galilææ, quod est Tiberiadis: Matth. 14. 13. Marc. 6. 32. Luc. 9. 10.

2. Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his, qui infirmabantur.

3. Subiit ergo in montem Jesus: & ibi sedebat cum discipulis suis.

4. Erat autem proximum Pascha (*b*), dies festus Judæorum.

5. Cum sublevasset ergo oculos Jesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?

6. Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.

7. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.

8. Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri:

9. Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos?

10. Dixit

30. (*n*) Quod non alia sit voluntas Filii, quam voluntas Patris.

31. (*o*) Non est fide dignum, ut putatis: Ille noverat verum esse, sed propter infirmos tal lucernas quærebat, August. serm. 43 de verbis Domini.

32. (*p*) Pater cælestis, qui in baptismo testimonium perhibuit de me, his verbis. *Hic est Filius meus dilectus*. Et etiam inter homines Joannes, qui tot illustria de me edidit testimonia, cujus testimonio utor, non quod illo indigeam, cum Pater æternus per tot miracula missionem meam testatam faciat.

33. (*q*) Vestri caussa illud testimonium Joannis accipio, ad quem misistis rogantes, an forte is esset Christus: id vero negavit meque ut Messiam agnovit.

35. (*r*) Non lux ipsa, sed lucerna ab alio lumine accensa, quæ lucebat doctrina & exemplo, ardebat charitate. *In luce ejus*: hoc splendore perstricti ad eum venistis; sed cito ardor ille refrixit, quod vitia vestra acrius reprehenderet, & missionem meam ut præco annuntiaret: unde hunc sprevistis, & dixistis eum dæmonium habere.

36. (*ſ*) Id est, majus Joannis testimonio: opera enim, quorum efficiendorum potestatem a Patre accepi, sunt testimonia omni exceptione majora. Nam opera ipsa adeo mirabilia, me Filium Dei verum esse demonstrant, cum Patris nomine, atque ut ab eo missus hæc faciam.

37. (*t*) Cum cælum apertum fuit, & vox ejus audita in meo baptismate. *Neque ejus vocem umquam audistis*: Deus per se non loquitur hominibus, sed per Prophetas & doctores. Ut olim misit Mosem & Prophetas, ita nunc misit Unigenitum suum, quem videre potuistis, & audire; & tamen noluistis eum recipere: cum Pater meus vobis loquatur, ac tot miracula, quæ vobis coram fiunt, fidem ejus adstruant. Deus ipse videri nequit; per miracula missio mea innotescit.

38. (*u*) Quem misit ille, huic non creditis: Etenim ego sum quem ille misit, nec mandata, quæ per me his dedit, recipitis.

39. (*x*) Vox Græc. ἐρευνᾶτε, anceps est, cum possit esse indicativi, & imperativi modi: frustra scrutamini Scripturas: vel excutite Scripturas, quæ testantur me esse Christum a Deo promissum: Prophetas evolvite, qui uno ore omnes tempus adventus mei, vitam, prædicationem, miracula prænuntiant.

41. & 43. (*y*) Græc. δόξαν, gloriam non requiro, nec mihi opus est hominum laude. Venerit, Non missus a Deo, hunc recipietis.

44. (*z*) Est enim humanæ gloriæ cupiditas magnum ad credendum impedimentum, Scribæ & Pharisæi metuebant, ne eorum existimatio apud populum minueretur, si Christi pauperis discipuli fierent, quem ut sabbati violatorem habebant.

45. (*aa*) Non erit necesse, ut ego vos accusem; solus Moses, aut lex ipsa vos reos peraget.

46. (*bb*) Vox Græca, ἂν, utique. & *forsitan* significat. *De me enim ille scripsit*, idque potissimum Gen. 49. in prophetia Jacob, & Deuter. 18. vers. 15. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum*. Non dubitabant, quin vera essent, quæ Moses scripserat; sed multa non intelligebant, & ea maxime, quæ de Christo prædixerat: quæ si intellexissent, aut Christo credidissent, aut Mosi fidem adhibuissent. Cum igitur nec Christi testimonio de seipso, quamvis tot miraculis & vaticiniis confirmato, nec Joannis toties repetitis testimoniis, nec Patris æterni voci, quam in baptismo Christi protulit coram magna populi multitudine, nec Scripturis demum universis, quas legebant, fidem haberent: quid reliquum erat, nisi ut se obcæcatos esse faterentur?

CAP. VI. 1. (*a*) In desertum, ultra lacum Genesareth, quod Bethsaida dicebatur: vicus is erat, quem, ut diximus, Philippus Tetrarcha in urbem Juliadis nomine postea extruxit. Idque factum est post necem Joannis Baptistæ, quæ exeunte Februario accidit. Duplex erat Bethsaida: una ultra mare, altera citra lacum, ex qua urbe quidam discipuli erant oriundi.

4. (*b*) Secundum videlicet a prædicatione Christi, ut verisimillimum est.

10. Dixit ergo Jesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia.

11. Accepit ergo Jesus panes: & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus quantum volebant.

12. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.

13. Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducaverant.

14. Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.

15. Jesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum regem, * fugit (c) iterum in montem ipse solus. *Matth.14. 23. Marc.6.46.

16. Ut autem sero factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare.

17. Et cum ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ jam factæ erant: & non venerat ad eos Jesus.

18. Mare autem, vento magno flante, exsurgebat.

19. Cum remigassent ergo quasi stadia vigintiquinque aut triginta, vident Jesum ambulantem supra mare, & proximum navi fieri, & timuerunt.

20. Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere.

21. Voluerunt ergo accipere (d) eum in navim: & statim navis fuit ad terram, in quam ibant.

22. Altera die, turba, quæ stabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una, & quia non introisset cum discipulis suis Jesus in navim, sed soli discipuli ejus abiissent:

23. Aliæ vero supervenerunt naves a Tiberiade, juxta locum ubi manducaverant panem, gratias agente Domino.

24. Cum ergo vidisset turba quia Jesus non esset ibi, neque discipuli ejus, ascenderunt in naviculas, & venerunt Capharnaum quærentes Jesum.

25. Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti?

26. Respondit eis Jesus, & dixit: Amen, amen dico vobis: quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.

27. Operamini (e) non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis: * Hunc enim Pater signavit Deus. * Matt. 3. 17. & 17. 5. Sap. 2. 13.

28. Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus (f) ut operemur opera Dei?

29. Respondit Jesus, & dixit eis: * Hoc est opus Dei, ut credatis (g) in eum, quem misit ille. * 1. Joan. 4. 23.

30. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum (h) ut videamus, & credamus tibi? quid operaris?

31. Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: * Panem de cælo dedit eis manducare: * Exod. 16. 14. Num. 11. 7. Ps. 77. 24. Sap. 16. 20.

32. Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo (i) verum.

33. Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.

34. Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da (k) nobis panem hunc.

35. Dixit autem eis Jesus: Ego sum panis vitæ: * qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam. * Eccli. 24. 29.

36. Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis.

37. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet (l): & eum qui venit ad me, non ejiciam foras:

38. Quia descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.

39. Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.

40. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.

41. Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi,

42. Et dicebant: * Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cælo descendi? *Matth. 13. 55. Marc. 6. 3.

43. Respondit ergo Jesus, & dixit eis: Nolite murmurare in invicem:

44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit (m) eum: & ego resuscitabo eum in novissimo die:

45. Est scriptum in Prophetis (n): * Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me. * Is. 54. 13.

46. * Non

15. (c) Secessit in montem, unde venerat, & noctem orationi impendit.

21. & 22. (d) Immo eum acceperant, Marc. 6. *Nisi una*, In quam intraverant discipuli, ut habet Syrus codex. Unde plebs ipsa Christum adhuc esse in deserto Bethsaidæ sibi persuaserat, eumque ibi quærebat.

27. (e) Saluti potius animæ, quam corporis curæ serviendum. *Signavit Deus*. Quasi sigillo appresso, sic testimonio suæ vocis & Prophetarum, prodigiis denique & miraculis obsignavit in mundi salutem, & declaravit me esse ejus filium. *Signavit*, sua auctoritate munivit.

28 (f) Deo grata, ut operemur cibum incorruptum, cujus mentionem fecisti.

29. (g) Illud opus exigit, quod ante omnia est necessarium, fidem nimirum: opus Dei vocat, quod sit donum Dei, & fundamentum ceterorum.

30. (h) Assentiuntur illi, dummodo miraculis sibi fidem adstruat.

31. (i) Panem qui dat vitam mundo æternam: non panem e cælo aereo, ut manna, quod e sublimi quidem aere depluit, sed comparatum cum vero pane, nec cælestis panis dici potest.

34. & 35. (k) Volebant pasci sine labore. Ego *sum panis vitæ*, id est Panis vivus.

37 (l) Quem Pater elegerit electione æterna, ad me venire, per fidem vivam, eumque benigne excipiam; non repellam, non ejiciam foras, postquam venerit. Vel in numerum discipulorum eum adsciscam.

44. (m) Nisi cor a fide aversum ad se convertat per gratiam suam citra necessitatem ullam.

45. (n) In volumine Prophetarum. *Et erunt omnes docibiles Dei*: Græc. διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ, *Docti Dei*, seu a Deo, per gratiam. Legitur in Isaia cap. 54. vers. 13. *Ponam universos filios tuos doctos a Domino*, id est, interius docendos. *Omnis*, Qui interiore auditu Patrem sic audivit, ut disceret. Alii exponunt. *Doctos Dei*, a Deo, ut vox illa *docti*, vim potius habeat nominis, quam participii, id est, docti in iis, quæ ad Deum spectant.

* Matth. 11. 27. 46. * Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt a Deo, hic vidit Patrem.

47. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet (o) vitam æternam.

48. Ego ſum panis vitæ.

* Exod. 16. 15. 49. * Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt.

50. Hic eſt panis de cælo deſcendens: ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur.

51. Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi.

52. Si quis manducaverit (p) ex hoc pane, vivet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.

53. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?

54. Dixit ergo eis Jeſus: Amen, amen, dico vobis. Niſi manducaveritis (q) carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.

55. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.

* 1. Cor. 11. 27. 56. * Caro enim mea, vere eſt cibus (r): & ſanguis meus, vere eſt potus.

57. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.

58. Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter (ſ) Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me.

59. Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit. Non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna (t), & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

60. Hæc dicit in ſynagoga docens, in Capharnaum.

61. Multi ergo audientes ex diſcipulis ejus, dixerunt: Durus (u) eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?

62. Sciens autem Jeſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli ejus, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat?

63. Sic ergo videritis (x) Filium hominis aſcendentem ubi erat prius?

64. Spiritus eſt, qui vivificat: caro (y) non prodeſt quidquam: verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.

65. Sed ſunt (z) quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jeſus qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum.

66. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum a Patre meo.

67. Ex hoc multi (aa) diſcipulorum ejus abierunt retro: & jam non cum illo ambulabant.

68. Dixit ergo Jeſus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?

69. Reſpondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.

70. * Et nos credimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei. * Matth. 16. 16.

71. Reſpondit eis Jeſus: Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus eſt. Marc. 8. 29. Luc. 9. 20.

72. Dicebat autem Judam Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditurus eum, cum eſſet unus ex duodecim.

C A-

47. (o) Habet in ſpe, quamdiu vivit in hoc ſæculo; & reipſa poſt mortem, ſi ejus præceptis pareat, & in iis perſeveret.

52. (p) Jam parce de manducatione ſacramentali loquitur, cum hactenus fere de manducatione ſpirituali per fidem verba fecerit. Ac potiſſimum verſ. 35. *Ego ſum panis vitæ*. Nam Chriſtus fidem exigit, ut caro ſua digne manducetur. Hoc enim eſt opus Dei, quod verſ. 29 poſtulavit, ut panem illum vitæ præberet, fides ipſa. Quocirca merces huic operi propoſita aliud quiddam erit a fide; non enim idem eſt opus faciendum, & merces huic operi deſtinata. Panem illum eſſe carnem ſuam declarat: *Ego ſum panis vivus*, &c. *Norunt fideles corpus Chriſti, ſi corpus Chriſti non negligant eſſe. O Sacramentum pietatis! o ſignum unitatis! o vinculum charitatis!* Auguſt.

54. (q) Hic ſermo durior videretur, ſi non aliud quam fidem iis verbis intelligeret Chriſtus.

55. (r) Qui vitam æternam animæ operatur: ut cibus corporis hanc vitam tribuit, dum in corpus noſtrum mutatur; ſic Chriſti caro rite ſuſcepta, nos in ipſam convertit, in nobis manet, ut nos in eos.

58. (ſ) Cujus vita vivo: *Et ego vivo propter Patrem*, Gr. per Patrem.

59. (t) In acre formatum. *Vivet in æternum*: in ea quippe erit germen immortalitatis. In hoc autem cum Capharnaitis colloquio, Chriſtus Dominus corpus ſuum & ſanguinem daturum ſe in cibum & potum apertiſſimis verbis pollicetur. Quæ promiſſio verſibus 27. 35. 50 & ſequentibus repetitur. Nuſquam alias Joannes Euchariſtiæ meminit qui alia fidei myſteria tam enucleate commemorat: Cum tamen tres alii Evangeliſtæ illius inſtitutionem diverſis verbis ſcripto tradiderint. Nec fere quicquam dictum eſt, aut factum creditu arduum, ad cujus fidem diſcipulorum animi ad credendum antea præparati a Domino non fuerint. An quiſquam ſibi perſuadeat, hoc Sacramentum a Chriſto tam ſubito inſtitutum fuiſſe, ut illius nullam ante fecerit mentionem, aut non promiſerit prius? Nulla poteſt eſſe major ſimilitudo inter promiſſionem & donationem, quam quæ eſt inter hæc verba promiſſionis, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt* & illa inſtitutionis, *Accipite, & manducate, Hoc eſt corpus meum*. Manducationem ſpiritalem, quæ fide, & ſacramentalem, quæ ore perficitur, Chriſtus non ſeparat in hoc capite ſed una conjungit: cum utraque realem & integram manducationem efficit. A verſu 27. ad 48. uſque, priorem ut conditionalem exigit, & primis locis realem pollicetur. Futurum tempus quo utitur, non aliud quam promiſſionem deſignat. Nec manducationem ſpiritalem promittit, quæ non

deerat diſcipulis, immo & in veteri Teſtamento erat uſitata, quæque ut conditio prævia requiritur.

61. (u) Quod ſi Chriſtus non aliud intellexiſſet per carnis ſuæ manducationem, quam fidem cui jam aſſueverant diſcipuli, nihil erat facilius, quam eos revocare in viam. Verum nihil ejuſmodi affert Dominus molliendi ſermonis gratia. *Secretum Dei intentos debet facere, non adverſos*. Aug. Tract. 27.

63. (x) Auguſt. *Quid ergo tum dicetis? an vobis incredibile videbitur me inde deſcendiſſe? Tunc intelligetis me potuiſſe carnis meæ eum vivificantem dare. Sic erit filius hominis in cælo: quemadmodum Filius Dei erat in terra*.

64. (y) De his nimirum ex ſenſuum carnali perceptione, aut humana ratione vultis judicare, cum hæc myſteria percipiantur ſolo Dei ſpiritu, qui unus dat intelligentiam & vitam. Quod vobis dixi de manducatione carnis inviſibile, exteriori ſpecie tamquam velo obductæ, non de carne mortua & in fruſta conciſa. *Spiritus & vita ſunt*; ac res plane ſpiritales & vivas exprimunt. Non dixit Chriſtus ſuam nihil prodeſſe carnem, quam dare vitam æternam toties affirmavit. Hic itaque eſt verborum ſenſus: Carnalis veſter intellectus nihil prodeſt; ſolus Dei Spiritus veræ fidei lumen procreat. Quo quidem modo Caro in Scripturis paſſim uſurpatur, ut Matth 16. 17 *Caro & ſanguis non revelavit tibi*. Illi autem ſunt increduli, qui realem manducationem non credunt. Nam ſpiritualis manducatio per fidem neminem offendebat: an ea cauſſa fuit cur multi ex diſcipulis a Chriſto diſceſſerint? Quæ enim erat cauſſa hujus defectionis ſi nihil habeat ea manducatio, quod rationem humanam offendat? Itaque caro ſine ſpiritu non prodeſt quidquam: ut ſcientia inflat ſine charitate. Non propterea eſt inutilis ſcientia: at cum ſola eſt, inflat. *Proinde ſic dictum eſt, Caro non prodeſt quidquam, quomodo dictum eſt, Scientia inflat: jam ergo debemus odiſſe ſcientiam? Abſit. Et quid eſt, Scientia inflat? Sola ſine charitate. Ideo adjunxit, Charitas ædificat. Adde ergo ſcientiæ charitatem, & utilis erit ſcientia, non per ſe, ſed per charitatem*. Auguſt. Itaque ſpirituali modo, non carnali ſunt intelligenda. Sic tamen ut non ſpiritalis tantum, ſed etiam realis & vera ſit manducatio, ut ex præcedentibus liquet: *Panis quem ego dabo*, &c.

65. (z) Iidem, & ficto animo acceſſerunt. Non dixit, *ſunt quidam ex vobis qui non intelligunt; ſed cauſſam dixit cur non intelligant*, Auguſt. ibidem.

67. (aa) Non e ſeptuaginta diſcipulis, qui juxta Janſenium Gandavenſem nondum erant electi; e quorum numero fuerunt Mathias & Barnabas, qui ab initio ſequuti ſunt Dominum, ex cap. 1. Actorum.

CAPUT VII.

Christus injustas Judæorum calumnias, quod hominem die sabbati sanasset, reprimit. Ministri, qui ad eum capiendum missi erant, laudes ejus prædicant.

1. POst hæc autem ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare: quia quærebant eum Judæi interficere.

2. Erat autem in proximo dies festus (*a*) Ju-
* Lev. 23. 34. dæorum, * Scenopegia.

3. Dixerunt autem ad eum fratres (*b*) ejus: Transi hinc, & vade in Judæam, ut & discipuli tui videant opera tua, quæ facis.

4. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta teipsum mundo.

5. Neque enim fratres ejus credebant (*c*) in eum.

6. Dicit ergo eis Jesus: Tempus meum nondum advenit (*d*): tempus autem vestrum semper est paratum.

7. Non potest mundus odisse (*e*) vos: me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt.

8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est.

9. Hæc cum dixisset, ipse mansit (*f*) in Galilæa.

10. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto.

11. Judæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Ubi est ille?

12. Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alii autem dicebant: Non, sed seducit turbas.

13. Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Judæorum.

14. Jam autem die festo mediante (*g*), ascendit Jesus in templum, & docebat.

15. Et mirabantur Judæi, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?

16. Respondit eis Jesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.

17. Si quis voluerit (*h*) voluntatem ejus facere: cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar.

18. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax (*i*) est, & injustitia in illo non est.

19. * Nonne Moyses dedit vobis legem (*k*): * Exod. 24. 3.
& nemo ex vobis facit legem?

20. * Quid me quæritis interficere? Respon- * Sup. 5. 18.
dit turba (*l*), & dixit: Dæmonium habes: quis te quærit interficere?

21. Respondit Jesus, & dixit eis: Unum opus feci, & omnes miramini:

22. Propterea (*m*) * Moyses dedit vobis cir- * Lev. 12. 3.
cumcisionem: (non quia ex Moyse est, * sed * Gen. 17. 10.
ex patribus) & in sabbato circumciditis hominem.

23. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi: mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato?

24. * Nolite judicare secundum faciem, sed * Deut. 1. 16.
justum judicium judicate (*n*).

25. Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis: Nonne hic est, quem quærunt interficere?

26. Et ecce palam loquitur, & ei nihil dicunt. Numquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus?

27. Sed hunc scimus (*o*) unde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.

28. Clamabat ergo Jesus in templo docens, & dicens: Et me scitis (*p*), & unde sim scitis: & a me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis.

29. Ego scio eum: quia ab ipso sum, & ipse me misit.

30. Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus.

31. De

CAP. VII. 2. (*a*) Festum Tabernaculorum, quod circa medium Septembris per octo dies celebrabant. Hoc festum Levit. c. 23. v. 36. institutum fuit a Deo in memoriam peregrinationis filiorum Israel per quadraginta annos in deserto. *Ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel*, & Levit. 23. v. 43. *Cum educerem eos de terra Ægypti*. Die octavo, relictis tabernaculis, in Templum conveniebant gratias Deo acturi, qui dies Levit. 23. vers. 36. dicitur *Dies cœtus atque collectæ*.

3. (*b*) Propinqui Domini ambitione ducti, ut gloriam ex ejus operibus captarent, id suadebant; quod eorum cupiditati, non fidei tribuendum. *Quæ facis*, vel discipuli, qui ab eo recesserant, aut qui baptizati quidem fuerant, quique non sequebantur Christum.

5. (*c*) Nondum fides eorum satis firma erat; eumque esse Messiam nondum iis persuasum; sed postea crediderunt, ut patet ex cap. 1. Actor. ubi dicitur Mariam matrem Jesu & fratres ejus fuisse in cœnaculo expectantes promissum Spiritum sanctum.

6. (*d*) Tempus a Patre præscriptum. Deinde hostes mihi infensos illic inveniam, vos non item. *Semper est paratum*; Vobis perinde est, quocumque tempore volueritis.

7. & 8. (*e*) Ea ratione qua me odit: non odit quod suum est. *Non ascendo*, Gr. οὔπω ἀναβαίνω, *nondum ascendo*: nec manifeste ascendam, sed in occulto.

9. (*f*) Per aliquot dies expectans 72 discipulos, quos miserat ad prædicandum Evangelium, qui tum læti redierunt, ex cap. 10. Lucæ.

14. 15. & 16. (*g*) Quarto die solemnitatis. *Non didicerit*, sacras litteras, qui nullo usus est præceptore. *Doctrina*. Non est a me: non eam propria industria comparavi. Augustin.

17. (*h*) Bona hominis voluntas, & studium illi obsequendi, multum confert ad cognoscendum, utrum doctrina aliqua sit ex Deo.

18. (*i*) Qui ea tantum dicit, quæ Deus præcipit, & ejus tantummodo gloriam quærit, huic credi debet: nullam enim fallendi caussam habet. *Et injustitia*, procul est a mendacio.

19. (*k*) Quam nemo ex vobis servat. Et tamen tumultuamini, quasi legem violem, cum sano hominem die sabbati.

20. (*l*) Plebs scilicet: quæ ignorabat consilium Principum. *Dæmonium habent*, insanis, *Quid posset aliud dicere turba turbolenta? Quid posset aliud olere cœnum commotum?* August.

22. (*m*) Et tamen Moses dedit vobis circumcisionem, cujus ipse non est Auctor; sed ab Abrahamo & Patriarchis tradita vobis fuit. Quod si infans nascatur sabbato, hunc octavo die circumciditis, vulnus adhibito medicamine curatis. Quia circumcisio pertinet ad aliquod signaculum salutis, & non debent homines sabbato vacare a salute. August.

24. 25. & 26. (*n*) Ex operibus ipsis judicate, & re penitus perspecta. *Quidam*, Quibus nota erant principum consilia. *Principes*. Sacerdotum, aut Synedrii.

27. (*o*) Nam scimus quo patre, & ex qua patria natus sit. Natum esse in Bethlehem nesciebant. *Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit*. Ista ex vulgari plebis errore dicebant, & ex male intellectis quibusdam Scripturæ locis hauserant, cujusmodi est iste Isaiæ locus, cap 53. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* Christum in Bethlehem nasciturum, statim in remotas terras transferendum, unde repente prodiret, forte sibi persuaserant.

28. (*p*) Creditis vos scire unde sim? Docet se aliquid habere supra id quod sciebant, & se Filium Dei esse. *Sed est verus*, Verax est, & promissa sua servat: ideo misit me, ut quod promiserat Patribus, præstaret.

31. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quæ hic facit?

32. Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc: & miserunt Principes & Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum.

33. Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum: & vado ad eum, qui me misit.

*Inf.13.33. 34. * Quæretis me, & non invenietis: & ubi ego sum (*q*), vos non potestis venire.

35. Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos: Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes?

36. Quis est hic sermo, quem dixit: Quæretis me, & non invenietis: & ubi sum ego, vos non potestis venire?

*Levit.23.27. 37. In novissimo autem * die (*r*) magno festivitatis stabat Jesus, & clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.

*Deut.18.15. Joel 2.28. Actor.2.17. 38. * Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina (*s*) de ventre ejus fluent aquæ vivæ.

39. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus (*t*), quia Jesus nondum erat glorificatus.

40. Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones ejus, dicebant: Hic est vere propheta.

41. Alii dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Numquid a Galilæa venit Christus?

*Mich.5.2. Matt.2.6. 42. * Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine David, & de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?

43. Dissensio itaque facta est in turba propter eum.

44. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus.

45. Venerunt ergo ministri ad Pontifices & Pharisæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum?

46. Responderunt ministri: Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.

47. Responderunt ergo eis Pharisæi. Numquid & vos seducti estis?

48. Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis?

49. Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti (*u*) sunt.

50. Dixit Nicodemus ad eos, * ille qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis: *Sup.3.2.

51. Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, * & cognoverit quid faciat? *Deut.17.8 & 19.15.

52. Responderunt, & dixerunt ei: Numquid & tu Galilæus (*x*) es? Scrutare Scripturas, & vide quia a Galilæa propheta non surgit.

53. Et reversi sunt unusquisque in domum suam.

CAPUT VIII.

Mulierem in adulterio deprehensam adducunt ad Christum, qui eam absolvit. Quod se ante Abraham genitum diceret, lapidare volunt.

1. JEsus autem perrexit in montem Oliveti:

2. Et diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos.

3. Adducunt (*a*) autem Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & statuerunt eam in medio,

4. Et dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio.

5. * In lege autem Moyses mandavit (*b*) nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? *Lev.20.10.

6. Hoc autem dicebant tentantes (*c*) eum, ut possent accusare eum. Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.

7. Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: * Qui sine peccato (*d*) est vestrum, primus in illam lapidem mittat. *Deut.17.7.

8. Et iterum se inclinans, scribebat in terra.

9. Audientes autem unus post unum exibant, incipientes a senioribus: & remansit solus (*e*) Jesus, & mulier in medio stans.

10. Eri-

34. & 35. (*q*) Ubi ego ero. *Quo iturus est?* Ad Judæos inter gentes sparsos?

37. (*r*) Qui erat celeberrimus. *Si quis sitit.* Si quis optat salutem æternam: Videtur alludere ad verba Isaiæ, cap 55. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Neque illud abhorret a verisimili, quod quidam interpretes observant, tum temporis plebem extra muros urbis turmatim prodire solitam, ut aquam e fonte *Siloes* haurirent. Christus enim qui ex ejusmodi obviis occasionem sermonis capere solebat, docet eos, quis sit fons salutaris, cujus meminit Zacharias, cap. 13. vers. 1.

38. (*s*) Alludit ad varia Scripturæ loca, in quibus Prophetæ Spiritus sancti effusionem sub fluminis, aut fontis similitudine expresserunt, ut Isaias, cap. 58. vers. 11. *Et eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.*

39. (*t*) Palam & cum effusione ad consummationem Sanctorum, ut in die Pentecostes.

49. (*u*) Qui contra legem hunc velut Messiam recipiunt.

52. (*x*) Aut fictione, aut patria, tu qui Galilææ partibus faves? An non seductus es, ut mihi ex Galilæis? *Scrutare Scripturas;* historiam temporum revolve. *Et vide num surgit:* quod falsum erat: nam & Jonas & Nahum erant Galilæi.

CAP.VIII. 3. (*a*) Hanc olim mulieris adulteræ historiam codices quidam Græci non habuerunt. Antiquiores tamen ac meliores notæ hanc etiamnum exhibent. Et plurimi ex sanctis Patribus, ut Ambrosius Lib. 3. de Spiritu. August. Tract. 33. in Joann. Hieronymus contra Pelag. Lib. 2. hanc referunt. Denique Concilium Tridentinum Sess. 4. cum Ecclesia universa eam genuinam agnoscit.

5. (*b*) Jubet lex ipsa Levit. cap. 20. eam una cum mœcho occidi: sed quod mortis genere, non exprimit. At Ezechielis cap 16. vers. 38. lapidibus obruebantur, forte ex traditione quadam. Nec tamen Judæi tum habuerunt potestatem occidendi, nisi ex Præsidis consensu. Hinc Origenes ait in cap. 7. Epistolæ ad Rom. Homicidam punire non potest, nec adulteram lapidare: hoc enim sibi vindicat Romanorum potestas. & dubitas adhuc si mortua sit litteræ lex?

6. (*c*) Dolosa hac interrogatione Christo struebant insidias. Nam si morte eam condemnandam esse mulierem diceret, ut inhumanus & crudelis haberetur; si absolveret, eum ut inimicum legis accusarent. *Scribebat in terra;* Judicium suum paulisper distulit, ut illos pudore suffunderet, atque ut caussam aliquam sui silentii prætexeret, & elabendi occasionem iis præberet. *In terra:* quo quidem significabat eorum astutiam non sibi esse incognitam, seque eorum honori parcere non respondendo. Quid scriberet, nostrum non est divinare.

7. (*d*) Nempe ab adulterio immunis: nam tum temporis erant perditissimis moribus, teste Josepho. *Mittat.* Non illud quidem exigit Dominus, ut innoxii soli sententiam ferant, & judicent de facinorosis, qui error fuit Wicleffi & Joannis Hus. Sed negat æquum esse ut ejusdem flagitii rei, quales tum erant Scribæ & Pharisæi, eam potestatem exercerent, nisi prius pœnitentiam agerent. Qua quidem sententia plena sapientiæ justitiam vindicem cum misericordia conciliabat. Sic enim salutem adulteræ in accusatorum criminibus collocavit, eaque utut mortis rea esset, eorum manibus non erat occidenda, qui eodem crimine tenebantur. Hæc vox justitiæ est.

9. & 11. (*e*) Non omnino solus; nam Apostoli aderant & turba: sed sine Scribis & Pharisæis. **Non condemnabo = Non suscipiam personam judicis.**

10. Erigens autem se Jesus, dixit ei, Mulier, ubi sunt qui te accusabant? nemo te condemnavit.

11. Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Jesus: Nec ego te condemnabo: Vade, & jam amplius noli peccare.

12. Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens: * Ego sum lux (*f*) mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. (* 1. Joan. 1. 5.)

13. Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum (*g*).

14. Respondit Jesus, & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio unde veni, & quo vado: vos autem nescitis unde venio, aut quo vado.

15. Vos secundum carnem judicatis: ego non judico quemquam:

16. Et si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum: sed ego, & qui misit me, Pater.

17. Et in lege vestra scriptum est, * quia duorum hominum testimonium verum est. (* Deut. 17. 6. & 19. 15. Matth. 18. 16. 2 Cor. 13. 1. Heb. 10. 28.)

18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso: & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.

19. Dicebant ergo ei: Ubi est Pater tuus? Respondit Jesus: Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis, forsitan (*h*) & Patrem meum sciretis.

20. Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus.

21. Dixit ergo iterum eis Jesus: Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire.

22. Dicebant ergo Judæi: Numquid interficiet semetipsum, quia dixit: Quo ego vado, vos non potestis venire?

23. Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.

24. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris: si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

25. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Jesus: Principium, qui & loquor vobis.

26. Multa habeo de vobis loqui, & judicare: sed qui me misit, * verax est: & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. (* Rom. 3. 4.)

27. Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum.

28. Dixit ergo eis Jesus: Cum exaltaveritis (*i*) Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & a meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor:

29. Et qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.

30. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.

31. Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos: Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis:

32. Et cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.

33. Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus umquam: quomodo tu dicis: Liberi (*k*) eritis?

34. Respondit eis Jesus: Amen, amen dico vobis: * quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati. (* Rom. 6. 15. & 16. 2. Petr. 2. 19.)

35. Servus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum.

36. Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis.

37. Scio quia filii Abrahæ estis: sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.

38. Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor: & vos quæ vidistis apud Patrem vestrum, facitis.

39. Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus: Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.

40. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo: hoc Abraham non fecit.

41. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione (*l*) non sumus nati: unum Patrem habemus Deum.

42. Dixit ergo eis Jesus: Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me: ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim a meipso veni, sed ille me misit.

43. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.

44. * Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo, cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater ejus. (* 1. Joan. 3. 8.)

45. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi.

46. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

47. * Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. (* 1. Joan. 4. 6.)

48. Res-

12. (*f*) Non solum ut Deus, sed ut Deus homo. *Ego* humanis mentibus credenda & facienda manifesto, tenebris involutos doctrina & exemplo illustrans. *Tenebræ metuendæ sunt morum, non oculorum: & si oculorum, non exteriorum, sed interiorum, unde discernitur non album & nigrum, sed justum & injustum.* August. Tract. in Joann. 35. Interruptum Christi sermonem prosequitur Evangelista.

13. & 14. (*g*) Non est legitimum. *Verum est*. Conditiones omnes ad verum testimonium requisitæ adsunt. Prima est ut testis probe id sciat, de quo fert testimonium. *Scio unde veni*, Missionis meæ originem: *Et quo vado*; Illius finem; scio me esse Filium Dei, qui in hunc mundum veni, ut salutem humano generi afferam; & peracta redemptione, scio me ad patrem rediturum, atque eo fideles & justos tracturum. *Aut quo vado*, Hæc utique ignoratis, o Judæi, neque adeo mirum est, si mihi non credatis: *Lumen & alia demonstrat & seipsum*.

19. 25. & 27. (*h*) Hæc particula non est dubitantis, sed affirmantis *Principium*, Gr. *a principio*, ab æterno, quod modo dixi vobis: vel is sum, quem jam ab initio dixi vobis. *Verax*: Non intelligebant hæc eum de Patre suo dicere.

28. (*i*) In cruce: tum enim secuta sunt miracula, ac plurimi crediderunt.

33. 35. & 37. (*k*) A servitute peccati. Non *manet*, ut filius: *In vobis*. Spiritalia non capitis: non invenit locum in vobis, ex Græco.

41. & 44. (*l*) Non sumus idololatræ, & Patrem habemus Deum, *Ex Patre*, per imitationem: *Homicida*, cum homines in peccatum induxit. *Et Pater ejus*, mendacii auctor: *si veritatem dico*, Gr. quia veritatem dico.

48. Responderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

49. Respondit Jesus: Ego dæmonium non habeo: sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me.

50. Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat, & judicet.

51. Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.

52. Dixerunt ergo Judæi: Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ, & tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum.

53. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt. Quem te ipsum facis?

54. Respondit Jesus: Si ego glorifico (*m*) me ipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est,

55. Et non cognovistis eum: ego autem novi eum: Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, & sermonem ejus servo.

56. Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gavisus est.

57. Dixerunt ergo Judæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?

58. Dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum (*n*).

59. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: Jesus autem abscondit se, & exivit de templo.

CAPUT IX.

Jesus cæcum a nativitate sanat die sabbati, cujus miraculis occasione Pharisæi Christo detrahunt.

1. ET prætetiens Jesus, vidit hominem cæcum a nativitate:

2. Et interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?

3. Respondit Jesus: Neque hic peccavit (*a*), neque parentes ejus: sed ut manifestentur opera Dei in illo.

4. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.

5. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.

6. Hæc cum dixisset, expuit (*b*) in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus,

7. Et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur Missus (*c*).) Abiit ergo, & lavit, & venit videns.

8. Itaque vicini, & qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat, & mendicabat? Alii dicebant: Quia hic est.

9. Alii autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat: Quia ego sum.

10. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi?

11. Respondit: Ille homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit: & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe, & lava. Et abii, lavi, & video.

12. Et dixerunt ei: Ubi est ille? Ait: Nescio.

13. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat.

14. Erat autem sabbatum quando lutum fecit Jesus, & aperuit oculos ejus.

15. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & lavi, & video.

16. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos.

17. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia propheta est.

18. Non crediderunt ergo Judæi (*d*) de illo, quia cæcus fuisset, & vidisset, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat:

19. Et interrogaverunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt?

20. Responderunt eis parentes ejus, & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est:

21. Quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus: ipsum interrogate: ætatem habet, ipse de se loquatur.

22. Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos: jam enim conspiraverant Judæi: ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.

23. Propterea parentes ejus dixerunt: Quia ætatem habet, ipsum interrogate.

24. Vocaverunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus & dixerunt ei: Da gloriam (*e*) Deo: nos scimus quia hic homo peccator est.

25. Dixit

54. & 56. (*m*) Dictis & factis humanis tantummodo. *Diem meum:* Diem, tempus adventus mei.

58. (*n*) Vox Græca non solum *gigni*, sed etiam *esse* significat. *Ego sum*, vere & reipsa, non tantum in decreto Dei; aut in ideis divinis, ut perperam Grotius interpretatur; id enim est commune rebus omnibus creatis; sed ut Deus: *Ego sum qui sum*, Exod. 3. 14. & Psal. 38. *Antequam fierent montes, tu es.*

CAP. IX. 3. (*a*) Cæcitas in pœnam alicujus peccati, præcipue a Deo non est immissa. Erant enim alii homines æque & magis peccatores, quorum filii cæci non nascebantur: sed ita natus est, ut gloria Dei ostenderetur, uti de Lazaro ait: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed ut glorificetur Filius Dei.* Itaque hinc discimus infirmitates aliquando immitti ad vindictam peccatorum, interdum ad ostensionem gloriæ Dei, ut in hoc cæco, quandoque ad probandam & exercendam virtutem, ut in Jobo, Tobia, &c.

6. (*b*) Quo quidem medicamine juxta communem naturæ ordinem homo videns excæcari magis poterat, quam cæcus sanari: sed ut ostenderet totum illud miraculum divinæ esse potentiæ: Deinde exemplo suo confirmavit recte in sacris functionibus adhiberi externas cæremonias, & per quasdam ritus corporales tribui effectus spirituales. Unde in baptismate hanc cæremoniam adhibet Ecclesia.

7. (*c*) Figura erat Baptismi ad abluenda peccata destinati. Non omisit Evangelista interpretationem hujus vocis, quod ibi lateret mysterium, scilicet per Christum a Patre missum genus humanum illuminandum esse per fidem & baptismum.

18. (*d*) Pharisæi, qui eum interrogabant.

24. (*e*) Modus adjurandi apud Judæos usitatus, cum veritatem inquirebant, ut Josue 7. 19. nam veritas Deum glorificat.

25. Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio: unum scio, quia cæcus cum essem, modo video.
26. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?
27. Respondit eis: Dixi vobis jam, & audistis: quid iterum vultis audire? numquid & vos vultis discipuli ejus fieri?
28. Maledixerunt (*f*) ergo ei, & dixerunt, Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus.
29. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit.
30. Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, & aperuit meos oculos.
31. Scimus autem quia peccatores Deus non audit (*g*): sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.
32. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.
33. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.
34. Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et ejecerunt (*h*) eum foras.
35. Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras: & cum invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?
36. Respondit ille, & dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum?
37. Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.
38. At ille ait: Credo Domine. Et procidens adoravit eum.
39. Et dixit Jesus: In judicium ego in hunc mundum veni (*i*): ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.
40. Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Numquid & nos cæci sumus?
41. Dixit eis Jesus. Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc vero dicitis, Quia videmus. Peccatum (*k*) vestrum manet.

CAPUT X.

Veri pastoris, & mercenarii discrimina: Judæi Christum lapidare volunt, quod se unum cum Patre esse diceret.

1. Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde: ille fur (*a*) est, & latro.
2. Qui autem intrat per ostium (*b*), pastor est ovium.
3. Huic ostiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & proprias oves (*c*) vocat nominatim, & educit eas.
4. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit: & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus.
5. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum.
6. Hoc proverbium (*d*) dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis.
7. Dixit ergo eis iterum Jesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium.
8. Omnes quotquot venerunt (*e*), fures sunt, & latrones, & non audierunt eos oves.
9. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur: & ingredietur (*f*), & egredietur, & pascua inveniet.
10. Fur non venit nisi ut furetur, & mactet, & perdat. Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.
11. Ego sum pastor (*g*) bonus. * Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. * *Isa. 40. 11. Ezech. 34. 23. & 37. 24.*
12. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oves:
13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus.
14. Ego

28. (*f*) Gr. [Greek illegible], *convitiati sunt ei*.
31. (*g*) Qui ad astruendam falsam doctrinam miracula facere conantur. Sed forsan nihil necesse est anxie defendere veritatem omnimodam eorum, quæ dixit cæcus. Non solet Deus audire peccatores in peccatis suis perseverantes, nec pœnitentes peccatores etiam pro impiis sumi possunt, qui Religionis omnis sunt expertes: quo quidem modo Pharisæi hanc vocem *peccator*, vers. 24 usurpabant.
34. (*h*) Extra templum, aut extra Synagogam.
39. (*i*) Veni ad declaranda Dei judicia, & ejus providentiam, quæ in hoc maxime spectatur, ut qui cæci sunt, videant, quique se imperitos agnoscunt, intelligentiæ dono illustrentur: superbi autem cæcitate multentur. Hæc ad Gentilium conversionem, & reprobationem Judæorum, qui legis habent scientiam, referuntur. August. *Quid est, Qui non vident videant? qui se non videre confitentur; & medicum quærunt, ut videant.*
41. (*k*) Infidelitatis positivæ. Si vos cæcos esse agnosceretis, peccatum incredulitatis non haberetis. *Quia videmus*: Scientiam legis vobis tribuitis. *Peccatum vestrum manet*; Scientia illa vobis est occasio permanendi in peccato. Sed doctos & instructos vos esse arbitramini, ac peccatum infidelitatis perseverat in vobis. *Peccatum vestrum manet*, non remittitur, & gravius est, quia non ex ignorantia cæci estis, ac propterea estis inexcusabiles.

CAP. X. 1. (*a*) Cum scribæ & sacerdotes Christum ut seductorem haberent, & cæcum ejecissent; occasione accepta, ostendit Dominus se verum esse pastorem, ac quærere salutem ovium: eos qui ante venerunt, quique non sunt missi a Deo, esse fures & latrones: fures, qui gregem volunt abigere; latrones, qui mactare. Veri & falsi pastoris affert discrimina. Ac prima quidem veri Pastoris nota est vocatio.
2. (*b*) Per Christum enim & Pastor est, & Ostium; aut quod aliis videtur, Deus Pater est Dominus ovium; Filius Pastor; Spiritus Sanctus Ostiarius, qui pastoribus, aut ministris rite vocatis aditum aperit in corda fidelium, dum eos dociles efficit. Oves sunt fideles: Ovile Ecclesia. Christus se ostium dicit, quatenus per ipsum intramus ad Deum, & ad beatitudinem. Vero Pastori ostiarius aperit ostium. Hunc enim qui a Deo ipso vocatus est, Spiritus Sanctus introducit.
3. (*c*) Seu fideles, seu justi, seu electi eo nomine designentur. Et cognoscunt pastoris vocem, ab aliis eum secernunt, ut Latronis voce terrentur. *Et proprias oves vocat nominatim*, sigillatim.
6. (*d*) Hanc parabolam, seu occultam sententiam, cujus sensum non perceperunt. August. *Pascit enim manifestis, exercet obscuris.*
8. (*e*) Non a me, sed a se ipsis missi. *Sed non audierunt eos oves*: Legitimi pastores ejus auctoritate muniuntur.
9. (*f*) Phrasis est Hebraica, quæ totius vitæ actiones & quotidianam hominis conversationem significat. *Et pascua inveniet*, cibum spiritalem, verbum Dei & Sacramenta, ac tandem vitam æternam, ut Psalm. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit; in loco pascuæ ibi me collocavit.* Tum boni pastoris & mercenarii characteres describit.
11. (*g*) Idem ostium per quod fideles intrant in Ovile, seu in Ecclesiam, & Pastor, quatenus nobis præbet pascua doctrinæ & vitæ æternæ. Sic se antea opposuit pseudoprophetis, cum se dixit ostium; nunc se Pastorem vocat, seque opponit mercenariis, qui metu amittendi commodi silent & fugiunt. Quin & se solum Messiam instituit. *Animam suam dat*: Vitam exponit suam pro ovibus suis, ut a lupis & latronibus ea defendat. August. Tract. 47. *Audite autem quia & mercenarii necessarii sunt. Multi quippe in Ecclesia commoda terrena sectantes, Christum tamen prædicant, & per eos vox Christi auditur, & sequuntur oves non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium.*

14. Ego sum pastor bonus: & cognosco meas,
& cognoscunt me meæ.
* Matt. 11. 27. Luc. 10. 22. 15. * Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ovibus meis.
16. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex
hoc ovili (*h*): & illas oportet me adducere,
& vocem meam audient, & fiet unum ovile,
& unus pastor.
* Isa. 53. 7. 17. Propterea me diligit Pater: * quia ego
pono (*i*) animam meam, ut iterum sumam
eam.
18. Nemo tollit (*k*) eam a me: sed ego
ponam eam a meipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam: Hoc mandatum accepi a Patre meo.
19. Dissensio iterum facta est inter Judæos
propter sermones hos.
20. Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis.
21. Alii dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis: numquid dæmonium potest
cæcorum oculos aperire?
* 1. Mach. 4. 56. 59. 22. * Facta sunt autem Encænia (*l*) in Jerosolymis: & hiems erat.
23. Et ambulabat Jesus in templo, in porticu (*m*) Salomonis.
24. Circumdederunt ergo eum Judæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si
tu es Christus, dic nobis palam.
25. Respondit eis Jesus: Loquor vobis, &
non creditis. Opera, quæ ego facio in nomine
Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.
26. Sed vos non creditis, quia non estis ex
ovibus meis.
27. Oves meæ vocem meam audiunt: & ego
cognosco eas, & sequuntur me:
28. Et ego vitam æternam do eis: & non
peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.
29. Pater meus quod dedit mihi, majus (*n*)
omnibus est: & nemo potest rapere de manu
Patris mei.
30. Ego, & Pater unum sumus (*o*).
31. Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum.
32. Respondit eis Jesus: Multa bona opera
ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?
33. Responderunt ei Judæi: De bono opere
non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia
tu homo cum sis, facis (*p*) teipsum Deum.
34. Respondit eis Jesus: Nonne scriptum
est in lege vestra: * quia Ego dixi, Dii (*q*) * Ps. 81. 6.
estis?
35. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei
factus est, & non potest solvi Scriptura:
36. Quem Pater sanctificavit, & misit in
mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia
dixi, Filius Dei sum?
37. Si non facio opera Patris mei, nolite
credere mihi.
38. Si autem facio: & si mihi non vultis
credere, operibus credite, ut cognoscatis, &
credatis quia Pater in me est, & ego in Patre.
39. Quærebant ergo eum apprehendere: &
exivit de manibus eorum.
40. Et abiit (*r*) iterum trans Jordanem in
eum locum, ubi erat Joannes baptizans primum: & mansit illic.
41. Et multi venerunt ad eum, & dicebant:
Quia Joannes (*s*) quidem signum fecit nullum.
42. Omnia autem quæcumque dixit Joannes
de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.

CA-

16 (*h*) E Gentibus, ex quibus & Judæis fiet unum Ovile. *Et illas oportet me adducere*. Per Apostolos & discipulos.

17. (*i*) Ponet volens, qui resumendi habet potestatem. Impendo vitam pro ovibus.

18. (*k*) Hoc mandatum accepi a Patre meo, ut ponam animam meam; etsi liberrime huic mandato obsequar: præceptum Patris cum summa libertate conciliat.

22. (*l*) Templum a Salomone constructum, solemni ritu dedicatum fuit anno octavo a jactis fundamentis. Cum dirutum fuisset a Rege Nabuchodonosore, restitutum fuit sub Zorobabel, & a summo sacerdote Jesu filio Josedec, ut habetur Lib. 1. Esdræ, cap. 3. Quæ quidem dedicatio ante annos 540. facta fuerat. Post 324. annos cum Templum ab Antiocho profanatum fuisset. Judas Machabæus deleto exercitu Antiochi, & everso altari quod Jovi Olympio Antiochus erexerat, expurgavit Templum, & novam ejus dedicationem est aggressus, quæ memoratur Lib. 1. Machab. cap. 4. vers. 59. *Et statuit Judas & fratres ejus & universa Ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo a quinta & vigesima die mensis Casleu, cum lætitia & gaudio*. Hic nonus erat mensis ab æquinoctio verno. Græci hoc festum vocabant ἐγκαίνια, quasi *Renovationem*. Josephus Lib. 12. cap. 11. docet per dies octo hoc festum celebrari, & festum appellari *Luminum*, quod forte in Templo arderet magna cereorum copia.

23. (*m*) Sic dicta, quod eodem in loco, & eadem forma esset cum porticu a Salomone erecta, eaque ad Orientem vergebat: unde & Orientalis a Josepho vocatur Lib. 20. c. 8.

29 (*n*) Gr. μείζων, Pater, qui dedit mihi servandas oves, major omnibus est.

30 (*o*) Adest personarum distinctio. *Unum sumus*, naturæ unitas exprimitur. August. Tract. 48. *Cur Judæi intellexerunt quod non intelligunt Ariani? Ideo enim irati sunt, quoniam senserunt non posse dici, Ego & Pater unum sumus, nisi ubi est æqualitas Patris & Filii*.

33. (*p*) Quod si Christus agnovisset verum esse quod objiciebant, ex honore & gloria Dei erat crimen objectum aperte refellere, dicendo: *Non sum Deus*, uti fecerunt Paulus & Barnabas, Act. 14.

34. (*q*) Quod verum est, non dignatus est indignis aperire: nec Divinitatis suæ fidem hoc argumento elevat, neque eam aperte probare vult hominibus, qui pravo affectu veritatem requirebant, ut de blasphemia eum condemnarent. Sed ostendit se non inconvenienter Filium Dei dixisse. Si enim homines, quibus munus datum est aliis imperandi, & judicandi, in Scriptura dii appellantur; quanto justius ille, quem Pater sanctificavit, cujus humanitatem Divinitatis ipsi in eadem persona singulari quadam ratione copulavit, quem purum ab omni inquinamento misit in mundum, absque ulla blasphemiæ nota potuit se *Filium Dei dicere*. August. *Vidit eos non ferre splendorem veritatis, & eum temperavit in verbis .... Si sermo Dei factus est ad homines, ut dicerentur dii, ipsum Verbum Dei quod est apud Deum, quomodo non est Deus?* Vox Hebræa *Elohim*, אלהים, in Scriptura ministris Dei, ac potissimum magistratibus tribui solet.

40 (*r*) Post festum Tabernaculorum Christus ultra Jordanem se receperat prope Judææ confinia. Ibi duos menses exegit usque ad Encænia, quibus peractis abiit iterum trans Jordanem versus Bethabara, ubi Joannes primum baptizaverat. In Peræam primum se contulerat post festum Tabernaculorum: ubi acta sunt quæ Matthæus cap. 19. & Marcus cap. 10. referunt. Circa Encænia rediit Jerosolymam. In ipso itinere discipulis quæ ventura erant, mortem nempe suam & passionem prænuntiat, quæ Lucæ cap. 18. a versu 31. & cap. 19. scripta sunt. Post Encænia cum Judæi vellent eum apprehendere, iterum in Peræam se contulit ineunte Decembri, atque ibi mansit usque ad finem Martii, cum Lazari mors contigit. Itaque iterum se contulit Bethabara, ubi primum baptizavit Joannes trans flumen, antequam baptizaret in Ennon prope Salim. Siquidem nunc inter eruditos fere convenit Christum natum esse in Bethlehem die 25. Decembris, anno urbis conditæ 749. duodecimo consulatu Augusti, cujus Collega in Fastis fuit Cornelius Silla. Anno 781. urbis conditæ, ineunte Decembri, Jesus annum trigesimum secundum pene exegerat, & die 25. Decembris annum 33. ætatis incipiebat. Ineunte Januario Rubellius Geminus, & Fusius Geminus consulatum inierunt. Christum his Consulibus passum esse veteres primorum sæculorum Patres censuerunt, uti suo loco a nobis est observatum.

41. (*s*) Quod manifeste indicat Christum ibi more solito docuisse, miracula edidisse, cum Joannes nullum fecisset miraculum. Hic enim Christo servatus est honos. Sed is fuit vitæ Joannis tenor, qui magnam auctoritatem ei conciliaret, tamquam testi veritatis idoneo, & omni exceptione majori.

CAPUT XI.

Jesus Lazarum excitat a mortuis: quo insigni miraculo complures moti in Christum credunt. Hinc Pontificum & Pharisæorum odia, & inito consilio, necem illi meditantur.

1. ERat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariæ, & Marthæ sororis ejus.

*Matth. 26. 7. Luc. 7. 37. Inf. 12. 3. 2. (Maria autem erat, * quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis: cujus frater Lazarus infirmabatur.)

3. Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur.

4. Audiens autem Jesus dixit eis: Infirmitas (*a*) hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

5. Diligebat autem Jesus Martham, & sororem ejus Mariam, & Lazarum.

6. Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.

7. Deinde post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Judæam iterum.

8. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc?

9. Respondit Jesus: Nonne duodecim sunt horæ (*b*) diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt:

10. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.

11. Hæc ait, & post hæc dixit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado ut a somno excitem eum.

12. Dixerunt ergo discipuli ejus: Domine, si dormit, salvus erit.

13. Dixerat autem Jesus de morte ejus: illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret.

14. Tunc ergo Jesus dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est.

15. Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi: sed eamus ad eum.

16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, ut moriamur cum eo.

17. Venit itaque Jesus: & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.

18. (Erat autem Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim.)

19. Multi autem ex Judæis venerant ad Martham, & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.

20. Martha ergo ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat.

21. Dixit ergo Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.

22. Sed & nunc scio quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.

23. Dicit illi Jesus: Resurget frater tuus.

24. Dicit ei Martha: Scio quia resurget * in resurrectione in novissimo die. *Luc. 14. 14. Sup. 5. 29.

25. Dixit ei Jesus: Ego sum resurrectio, & vita: * qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: *Sup. 6. 40.

26. Et omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?

27. Ait illi: Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

28. Et cum hæc dixisset, abiit, & vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te.

29. Illa ut audivit, surgit cito, & venit ad eum:

30. Nondum enim venerat Jesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.

31. Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito surrexit, & exiit, secuti sunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.

32. Maria ergo cum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, & dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.

33. Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu (*c*), & turbavit seipsum,

34. Et dixit: Ubi posuistis eum? Dicunt ei, Domine, veni, & vide.

35. Et lacrymatus est Jesus.

36. Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodo amabat eum.

37. Quidam autem ex ipsis dixerunt: * Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur? *Sup. 9. 6.

38. Jesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum: erat autem spelunca: & lapis superpositus erat ei.

39. Ait Jesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror ejus, qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet, quatriduanus est enim.

40. Dicit ei Jesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?

41. Tulerunt ergo lapidem: Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti (*d*) me.

42. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi: ut credant quia tu me misisti.

43. Hæc cum dixisset, voce magna clamavit (*e*): Lazare, veni foras.

44. Et

CAP. XI. 4. (*a*) Nam, ut ait *August.* mors ipsa Lazari non erat ad mortem, ut mortuus maneret, sed pro gloria Dei, ut gloria filii Dei per ejus resurrectionem palam fieret. *Per eam*, Infirmitatem, non mortem, *Gr. δι' αὐτῆς*, quod refertur ad vocem ἀσθένεια, cum θάνατος. Græce sit masculini generis. Hoc est ergo quod ait, *Non est ad mortem*, quia & ipsa mors non erat ad mortem, sed potius ad miraculum.

9. (*b*) Diem artificialem ab ortu solis ad occasum, in horas duodecim dividebant, quæ longiores erant æstate, hieme breviores. Intra id tempus si quis ambulet, non offendit. Nam is videt quo loco ponat pedem. Sic antequam vitæ meæ occasus advenerit, & constitutum a Patre tempus, nihil mihi periculi imminet, nec quicquam a Judæis metuendum.

33. (*c*) Motum aliquem vehementiorem in seipso excitavit, ut ostenderet se humanos affectus induisse, qui tamen in ejus essent potestate. Augustinus: *Turbaris tu nolens; turbatus est Christus, quia voluit.*

41. (*d*) Christum semper exauditum esse a Patre, ex hoc loco colligitur; neque enim Filius unigenitus & dilectus repelli poterat, qui nihil nisi justum postulabat.

43. (*e*) Idque propter mysterium: nam mortuum quatriduanum & sepultus significat peccatorem inveteratum, consuetudinis mole oppressum, qui e sepulcro non exit, nisi multis Ecclesiæ precibus & lacrymis.

44. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis (*f*), & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Jesus: Solvite eum, & sinite abire.

45. Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum.

46. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Jesus.

47. Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?

48. Si dimittimus eum sic, omnes credent (*g*) in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.

*Inf. 18. 14. 49. * Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam,

50. Nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.

51. Hoc autem a semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex (*h*) anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente,

52. Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi (*i*), congregaret in unum.

53. Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.

54. Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem, quæ dicitur Ephrem (*k*), & ibi morabatur cum discipulis suis.

55. Proximum autem erat Pascha Judæorum: & ascenderunt multi Jerosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent (*l*) seipsos.

56. Quærebant ergo Jesum: & colloquebantur ad invicem, in templo stantes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem Pontifices & Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.

CAPUT XII.

Jesus venit Bethaniam; ungitur a Maria sorore Marthæ; ingreditur Jerosolymam magno populi plausu: Vox Patris æterni auditur de Christi clarificatione.

1. JEsus ergo ante sex dies Paschæ venit (*a*) Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. Matt. 26. 6. Marc 14. 3.

2. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo.

3. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici (*b*) pretiosi, & unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis: & domus impleta est ex odore unguenti.

4. Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas (*c*) Iscariotes, qui erat eum traditurus:

5. Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum est egenis?

6. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat (*d*).

7. Dixit ergo Jesus: Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud.

8. Pauperes enim semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis (*e*).

9. Cognovit ergo turba multa ex Judæis quia illic est: & venerunt, non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis.

10. Cogitaverunt autem principes sacerdotum, ut & Lazarum interficerent:

11. Quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in Jesum.

12. In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Jerosolymam:

13. Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei, & clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel.

14. * Et invenit Jesus asellum, & sedit super eum, sicut scriptum est: *Zach. 9. 9. Matt 21. 7.

15. Noli timere filia Sion: ecce rex (*f*) tuus venit sedens super pullum asinæ. Marc. 11. 7. Luc. 19. 35.

16. Hæc

44. (*f*) Id est, fasciis & involucris. *Solvite eum, & sinite abire.* Hoc dictum Apostolis existimat August. Iis nimirum, *quibus solvende peccata potestatem daturus erat. Quando contemnis, mortuus jaces: & si tanta, quanta dixi, contemnis, sepultus jaces. Quando confiteris, procedis. Quid enim est procedere, nisi ab occulto velut exeundo manifestari? Sed ut confitearis, Deus facit magna voce clamando, id est, magna gratia vocando. Ideo cum processisset mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus, ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit Dominus: Solvite illum, & sinite abire. Quid est, Solvite, & sinite abire? Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cælis.*

48. (*g*) Putabant Christi, seu Messiæ regnum esse temporale: metuebant ergo, ne defectionis & rebellionis rei haberentur a Romanis, si omnes in Christum crederent.

51. (*h*) Voluit quidem Caiphas Jesum occidi, ne populus Christo tamquam Regi suo addictus a Romanis exterminaretur. Sed cum ea verba alium sensum eumque divinum continerent, motus a Spiritu sancto, illius tamen hæc verba protulit, quorum verum sensum non intelligebat. *Cum enim esset Pontifex anni illius*: nam ad nutum Præsidum Pontifices mutabantur. Voluit Deus ejus ore tamquam instrumento uti, & per eum potius quam per alium hoc proferri oraculum.

52. & 53. (*i*) Gentiles. *Cogitaverunt*, Id plane constituerant.

54. (*k*) Gr. Ἐφραΐμ, ab aliis *Ephrem*. Urbs illa erat in deserto Judææ, in finibus tribuum Ephraim & Benjamin, prope urbem Hai.

55. & 56. (*l*) Ut sacrificiis & purificationibus se compararent ad solemnitatem festi. *Non venit.* Quod Jesus ante eos esset profectus.

CAP. XII. 1. (*a*) Die veneris, ut verisimile est, ac die Sabbati exceptus est in domo Simonis leprosi, ex Matthæi cap. 26.

3. (*b*) Sinceri, non adulterati, aut magni pretii, ut habent alii Evangelistæ.

4. (*c*) Cœpit obloqui. August. Tract. 50 *Væ tibi miser; bonus odor occidit te.*

6. (*d*) Tamquam dispensator familiæ Christi; injunctum erat illi officium, quæ a piis hominibus & mulieribus offerebantur, in sustentationem sacræ familiæ, quæque jure naturæ erant debita iis qui prædicent verbum Dei, recipiendi & erogandi ad arbitrium Christi. Nota erat Christo Judæ avaritia; sed quam parvi facienda sit pecunia, voluit ostendere. *Portabat*; vox Græca Ἐβάσταζε, significat etiam *auferebat*: idque contextus ipse insinuat.

8. & 10. (*e*) Præsens pro futuro. *Interficerent*; Vel ob id maxime quod essent Sadducæi, ac resurrectionem mortuorum negarent: quam Hæresim funditus evertebat Lazari resurrectio.

15. & 16. (*f*) Messias. *Tunc recordati sunt*, Post effusionem Spiritus Sancti, intellexerunt prophetiam de regno Christi spirituali & potentissimo.

16. Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum: sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo: & hæc fecerunt ei.

17. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, & suscitavit eum a mortuis.

18. Propterea & obviam venit ei turba: quia audierunt eum fecisse hoc signum.

19. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit.

20. Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant ut adorarent in die festo.

21. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Jesum videre.

22. Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursum & Philippus dixerunt Jesu.

23. Jesus autem respondit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur (g) Filius hominis.

24. Amen, amen dico vobis, nisi granum (h) frumenti cadens in terram, mortuum fuerit,

25. Ipsum solum manet: si autem mortuum
* Matt. 10. 39. & 16. 25. Marc 8. 35. Luc. 9. 24. & 17. 33. fuerit, multum fructum affert. * Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

26. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

27. Nunc anima mea turbata (i) est. Et quid dicam: Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc.

28. Pater, clarifica (k) nomen tuum. Venit ergo vox de cælo: Et clarificavi, & iterum clarificabo.

29. Turba ergo, quæ stabat, & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alii dicebant: Angelus ei locutus est.

30. Respondit Jesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.

31. Nunc judicium est mundi (l): nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.

32. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham (m) ad meipsum.

33. (Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.)

34. Respondit ei turba: Nos audivimus * ex lege (n), quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis? * Ps. 109. 4. & 116. 2. Is. 40. 8. Ezech. 37. 25.

35. Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum (o) lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.

36. Dum lucem habetis (p), credite in lucem, ut filii lucis sitis. Hæc locutus est Jesus: & abiit, & abscondit se ab eis.

37. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum:

38. Ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur (q), quem dixit: * Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini, cui revelatum est? * Isa. 53. 1. Rom. 10. 16.

39. Propterea non poterant credere (r), quia iterum dixit Isaias:

40. * Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos. * Isa. 6. 9. Matt. 13. 14. Marc. 4. 12. Luc. 8. 10. Act. 28. 26. Rom. 11. 8.

41. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus (s), & locutus est de eo.

42. Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e synagoga non ejicerentur.

43. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.

44. Jesus autem clamavit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit (t) me.

45. Et qui videt (u) me, videt eum qui misit me.

46. Ego

23. (g) ut Gentes convertantur ad fidem, quæ est Dei gloria, & mortis Christi fructus.

24. 25 & 26. (h) Mortis suæ necessitatem ex grani similitudine ostendit. *Qui amat*, Præ me, & rebus divinis. Discipulos ad mortem pro nomine suo perferendam adhortatur, proposito æternæ vitæ præmio. *Me sequatur*, Si quis meum ministrum se profitetur, me imitetur.

27. (i) Videtur eadem esse oratio, quæ in horto. Pars animæ interior turbatur, vel agitatur horrore mortis naturali. *Ex hac hora*; hora illa adeo tremenda, est passio tam acerba. *Sed propterea veni in hanc horam*: Immo non dicam: propterea enim veni ut patiar. Naturæ sensum sic premi oportere docet, ut una Dei gloria quæratur. Sensum carnis, quo fugiebat mortem, ipse corrigit.

28. (k) Potius id petam, ut nomen tuum ex mea passione glorificetur, & quidvis patiar quod in gloriam tuam cedat, ac demum ut in me fiat voluntas tua. Concisæ sunt sententiæ quasi animi æstuantis. *Et clarificavi*, per miracula, & iterum clarificabo per resurrectionem & ascensionem. Vita Christi omnis gloriam dedit Deo; sed ex ejus morte, resurrectione, & Gentium conversione, se in Filio glorificatum ita declarat Deus.

31. (l) Qui liberandus est a potestate diaboli. *Ejicietur foras*, Non regnabit amplius in cordibus hominum, Principatum suum amittet. Ad Judicium Dei hominibus salutare, & dæmonibus exitiale, hæc divini nominis clarificatio pertinet.

32. (m) Græce πάντας ἑλκύσω, *omnes traham*, & Judæos & Gentiles. Ex illa cælum inter & terram exaltatione funestum quiddam suspicati sunt Judæi.

34. (n) E Sacris Scripturis, ut Psalm 71. 109. & Isaiæ cap. 9. *Quia Christus manet in æternum*: Judæis persuasum erat Messiam non moriturum. Id vero colligebant ex verbis præcedentibus Christum de morte sua loqui, cum ait, *Nisi granum frumenti, &c.* . . . . . aut suspicati sunt de quodam alio eum verba fecisse. Nam Messiæ mortem tribuere non audebant, quod ea peccatoris character iis videretur, & aliena prorsus a Messiæ gloria. Cum igitur quærerent quis ille esset filius hominis, non judicavit Dominus ea de re apertius disserere; eos tantummodo ad fidem est adhortatus.

35 (o) Gr. Ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν, *adhuc modico tempore lux vobiscum*: ad breve tempus vobiscum, salutem vestram operemini.

36. (p) Ut hujus lucis sitis participes: *Et abscondit se*, ab iis sub vesperam. Cum ii essent indociles, nec tot visis miraculis flecterentur, ab iis recessit.

38. (q) Ita ut sermo Isaiæ impletus sit: *Quis credidit auditui nostro*, rebus quas ex nobis audierunt? *Brachium Domini*, potentia, aut miracula.

39. (r) Propter cæcitatem suam, quam prædixit Isaias.

41. & 42 (s) Christi, nempe cap. 6. Isaiæ. Ex quo Christi divinitas confirmatur. Hujus obdurationis caussa præcipua & naturalis fuit perversa eorum voluntas: Dæmonis seductio fuit caussa proxima; Deus caussa negativa, non removendo obices. Etsi e principibus omnium ordinum multi crediderunt in eum, sed fide admodum infirma & languida. Adversus hos incredulos, aut timidos, Christus vocem extollens dixit: *Qui credit in me, &c.*

44. (t) Non tantum credit in me, sed etiam in eum qui misit me, in Deum scilicet, cum sim ipse Deus. *Non credit in me*, id est, in hoc quod videt, sed in eum; qui misit me.

45. (u) Qui per fidem me novit ut Filium Dei: *Videt eum qui misit me*; cujus majestas in doctrina mea & miraculis fulget. Is videt Deum, cum eadem sit utriusque natura, atque eadem fides in Patrem & Filium tendat.

46. Ego lux in mundum veni: ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.

47. Et ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit, ego non judico (*x*) eum: non enim veni ut judicem mundum, ſed ut ſalvificem mundum.

48. Qui ſpernit me, & non accipit verba
* *Marc.* 16. 16. mea: habet qui judicet eum: * ſermo, quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die.

49. Quia ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar.

50. Et ſcio quia mandatum ejus vita æterna eſt (*y*). Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor.

CAPUT XIII.

Jeſus poſt cœnam lavat pedes diſcipulorum, & linteo abſtergit; proditorem Joanni indicat; novum mutuæ dilectionis mandatum commendat; & Petro trinam prædicit negationem.

Matt. 26. 2. *Marc.* 14. 1. *Luc.* 22. 1. 1. Ante diem feſtum (*a*) Paſchæ, ſciens Jeſus quia venit hora ejus ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

2. Et cœna (*b*) facta, cum diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iſcariotæ:

3. Sciens quia omnia dedit (*c*) ei Pater in manus, & quia a Deo exivit, & ad Deum vadit:

4. Surgit a cœna, & ponit veſtimenta (*d*) ſua: & cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe.

5. Deinde mittit aquam (*e*) in pelvim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.

6. Venit ergo ad Simonem Petrum (*f*). Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes?

7. Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Quod ego facio, tu neſcis (*g*) modo, ſcies autem poſtea.

8. Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Reſpondit ei Jeſus: Si non lavero te, non habebis partem mecum.

9. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, ſed & manus, & caput.

10. Dicit ei Jeſus: Qui lotus (*h*) eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes.

11. Sciebat enim quiſnam eſſet qui traderet eum: propterea dixit: Non eſtis mundi omnes.

12. Poſtquam ergo lavit pedes eorum, & accepit veſtimenta ſua: cum recubuiſſet iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis?

13. Vos vocatis me Magiſter, & Domine: & bene dicitis: ſum etenim.

14. Si ergo ego lavi pedes veſtros, Dominus, & Magiſter: & vos debetis alter alterius lavare (*i*) pedes.

15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

16. * Amen, amen dico vobis: Non eſt ſervus major domino ſuo: neque Apoſtolus major * *Matt.* 10. 24. *Luc.* 6. 40. *Inf.* 15. 20.
eſt eo, qui miſit illum.

17. Si

47 & 48. (*x*) Non punio in primo adventu meo. *Judicabit*. Condemnabit eum.

50. (*y*) Eſt cauſa vitæ æternæ, dat vitam æternam. *Sic loquor*, ut ipſe præſcripſit mihi.

CAP. XIII. 1. (*a*) Gr. πρὸ τῆς ἑορτῆς, *ante feſtivitatem*, ſeu ſolemnitatem azymorum. Quotus ille fuerit dies menſis, qui hebdomadæ dies, gravis eſt inter eruditos controverſia, de qua jam egimus in cap. 26. Matthæi. Difficultas in eo præcipue eſt poſita, ut Joannes cum tribus aliis Evangeliſtis conciliētur, qui certe nullo inter ſe modo pugnant. Omiſſis variis diſſertationibus, quas alio in loco attigimus, Petronius hanc controverſiam ſic videtur apte dirimere in erudita admodum diſſertatione, quam Hiſtoriæ Evangelicæ ſubjecit. Hujus ſumma ea eſt, Judæos per duos dies ſibi proxime conſequentes agnum Paſchalem immolaſſe, & feſtum Azymorum celebraſſe: tametſi duo illi dies pro uno & eodem; nempe pro decimo quarto lunæ die haberentur. Quod ut probet, principii loco id ponit, quod vix negari poteſt, veteres Hebræos uſos eſſe & annis & menſibus lunaribus, ſic tamen ut menſis lunaris vel ab ipſa conjunctione cum ſole, ubi eſt interlunium, vel a prima ejus phaſi inciperet. Hinc duæ erant neomeniæ, prior a conjunctione ipſa, poſterior a prima Lunæ phaſi computata. Unde & duo quoque erant dies, qui initium anni conſtituebant, ſeu duplex dies decimus quartus Lunæ, quo feſtum Azymorum celebrandum erat, de quo Levit. cap. 23. *Menſe primo quarta decima die ad veſperam Phaſe Domini eſt*. Agnus Paſchalis a tertia uſque ad quintam horam mactabatur, & ineunte nocte cum panibus azymis edebatur, ex Joſepho, Lib. 7. de Bello Judaico, cap. 7. Ex quibus & aliis quæ in eadem diſſertatione legi poſſunt, concludit vir doctus per illud effici Chriſtum Dominum celebraſſe ultimum Paſcha, ſeu agnum Paſchalem comediſſe cum ſuis diſcipulis die 14. Lunæ ab ipſa conjunctione, qui erat dies Jovis, cum principes ſacerdotum die inſequenti, nempe die 14. a prima Lunæ phaſi Paſcha comederint, uti ex Joanne colligitur. Nam die Veneris nondum Paſcha ab iis celebratum eſſe innuit Joannes cap. 18. verſ. 28. cum ait eos non *introiſſe in prætorium ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*. Et cap. 19. verſ. 14. *Erat autem paraſceve Paſchæ hora quaſi ſexta*. Nondum igitur feſtum iis advenerat; nec veriſimile eſt in die tam ſolemni Chriſti condemnationem procuraſſe. Quæ difficultates ſtatim evaneſcunt, cum duplicem Neomeniam & duos feſtos Paſchatis dies agnoſcimus. Dies quidem menſis a prima phaſi numerabantur: ex uſu ipſo dies octavus Azymorum induſtus fuit ob innumerabilem hominum multitudinem, qui eum temporis Jeroſolymam confluebant, cum incertum eſſet quo die computandæ eſſent Neomeniæ. Atque ea ratione loca Scripturæ difficiliora illuſtrantur, & Evangeliſtæ ſpecie quidem diſſidentes, nullo negotio conciliantur. Dies igitur Veneris erat decimus quartus a phaſi lunæ incipienti, & dies ſabbati feſtus duplici nomine. Nam erat primus dies Azymorum ab iis celebratus, qui die Veneris ad veſperam manducaverant Paſcha, dies ſecundus Azymorum erat dies Dominicus. Ac poſt ſeptem hebdomadas dies Pentecoſtes incidit in diem Dominicum juxta unanimem Eccleſiarum conſenſum. Propter utriuſque feſti concurſum magnus dies ſabbati a Joanne dictus eſt. Sed, inquiunt, die ipſo feſti Barabbas fuit dimiſſus, ut tres Evangeliſtæ teſtantur. R. propter feſtum, κατὰ, eum fuiſſe dimiſſum, idque in pervigilio feſti commodius fieri ſolebat, quam die feſto. Nunc textum ipſum proſequamur. *Dilexit*, id eſt ſummopere; nomen pro adverbio, vel, uſque ad mortem.

2. (*b*) Poſt eſum agni Paſchalis ante Euchariſtiæ inſtitutionem: Sunt qui hæc verba ſic exponunt, *cœna facta*, id eſt, *parata*, cum cœnæ tempus adeſſet.

3. (*c*) Ut Deo per æternam generationem, ut homini per unionem hypoſtaticam.

4. (*d*) Exteriora, ut ſervi miniſterium liberius obiret.

5. (*e*) Significans qua animi puritate ad illam menſam accedere oporteat, lavit pedes eorum, & intus in animi perfecit, quod in una corporis parte exprimebat, eorum affectus mundans, Auguſtinus Tract. 56. *Locuturus Evangeliſta de tanta Domini humilitate, prius celſitudinem ejus voluit commendare*.

6. (*f*) Omnium primo: unde Petrus exhorruit tam humile erga ſe officium. *Tu mihi lavas pedes?* August. *Quid eſt, tu? quid eſt, mihi, cogitanda potius quam dicenda*.

7. & 8. (*g*) Non intelligis quorſum hæc fiant. *Lavero*, Lotione corporali, quæ ſecundum ſe non eſt neceſſaria ad ſalutem: ſed quia parendum erat Chriſti præcepto, in quo latebat hoc myſterium, quod nemo poſſit partem habere cum Chriſto, quem non laverit a peccatis.

10. (*h*) Qui ablutus eſt a peccatis in Sacramento Baptiſmi, is tantum neceſſe eſt, ut purget affectus animi, & quotidiana peccata: *Sed eſt mundus totus*, per Baptiſmum: *Et vos mundi eſtis*, per fidem & animi propoſitum: Tranſit a lotione exteriori ad interiorem more ſuo, a corporeis ad ſpiritalia.

14. (*i*) In lotione pedum, quodcumque genus abjecti miniſterii intelligitur ſaltem in præparatione animi: cum de ſalute proximi agitur, non recuſemus viliſſima quæque miniſteria & officia.

17. Si hæc scitis (*k*), beati eritis si feceritis ea.

18. Non de omnibus vobis dico (*l*): ego scio quos elegerim: sed ut adimpleatur Scri-
* Ps. 40. 10. ptura. * Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum.

19. Amodo dico vobis, priusquam fiat (*m*), ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum.

* Matth. 10. 40. Luc. 10. 16. 20. * Amen, amen dico vobis: Qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.

21. Cum hæc dixisset Jesus, turbatus (*n*)
* Matt. 26. 21. Mar. 14. 18. Luc. 22. 21. est spiritu: & protestatus est, & dixit: * Amen, amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me.

22. Aspiciebant ergo ad invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret.

23. Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus.

24. Innuit ergo huic Simon Petrus: & dixit ei: Quis est, de quo dicit?

25. Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei: Domine quis est?

26. Respondit Jesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ.

27. Et post buccellam introivit (*o*) in eum satanas. Et dixit ei Jesus: Quod facis, fac citius.

28. Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei.

29. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis ut aliquid daret.

30. Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit (*p*) continuo. Erat autem nox.

31. Cum ergo exisset, dixit Jesus: Nunc clarificatus est Filius hominis: & Deus clarificatus est in eo:

32. Si Deus clarificatus est in eo: & Deus clarificabit eum in semetipso (*q*); & continuo clarificabit eum.

33. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. * Quæretis me: & sicut dixi Judæis: Quo * Sup. 7. 34.
ego vado, vos non potestis venire: & vobis dico modo.

34. * Mandatum novum (*r*) do vobis: Ut * Levit. 19. 18.
diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos Matth. 22. 39.
diligatis invicem. Inf. 15. 12.

35. In hoc cognoscent (*s*) omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

36. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Respondit Jesus: Quo ego vado, non potes me modo sequi: sequeris (*t*) autem postea.

37. Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo? * animam meam pro te ponam. * Matth. 26. 35.

38. Respondit ei Jesus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: Non can- Mar. 14. 29. Luc. 22. 33.
tabit (*u*) gallus, donec ter me neges.

CAPUT XIV.

Multæ in domo patris mansiones: Christus est via, veritas & vita; qui videt Christum, videt & Patrem; Pater mittet Paraclitum in nomine Christi. Christus pacem relinquit discipulis.

1. NOn turbetur (*a*) cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite.

2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus (*b*), dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum.

3. Et si abiero (*c*), & præparavero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.

4. Et quo ego vado (*d*) scitis, & viam scitis.

5. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quo vadis: & quomodo possumus viam scire?

6. Dicit eis Jesus: Ego sum via (*e*), & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.

7. Si

17. (*k*) Si hoc faciendum esse vobis persuasum est.

18. (*l*) Quasi omnes fateri sitis quæ vos monui. *Ego scio quos elegerim*, ad gratiam & gloriam. *Sed ut adimpleatur Scriptura, Elevavit contra me calcaneum suum*, Psalm. 40. vers. 10. *Magnificavit super me supplantationem*: mihi magnas struxit insidias. *Illi manducabant panem Domini, ille, Judas, panem Domini contra Dominum*, Aug. Tract. 59.

19. (*m*) Nunc prædico vobis: *Ut credatis, quia ego sum Filius Dei*, vel is de quo id prædictum erat.

21. (*n*) Præ horrore sceleris Judæ: vicem ejus dolens, & testatus est palam. *Affectum quippe humanum, quando oportuit, in se indicavit, in se ipse potestate commovit*. Augustin.

27. (*o*) Jam ante introierat: sed tunc totum se præbuit dæmoni. *Quod facis, fac citius*: Quod paras animo, exequere. Verba sunt non jubentis, sed permittentis; non trepidi, sed parati ad passionem. Noverat prava Judæ consilia, e quibus Deus suam gloriam eruere‍t.

30. & 31. (*p*) Dæmone illum incitante. *Clarificatus est*. Jam morte mea glorificabor, nunc prodente Juda passio cœpta est mea, & Patris glorificatio: nam morte mea destruam mortem, mox resurgam, & omnia ad me traham.

32. (*q*) Per semetipsum, sua potentia. Resurrectione, Ascensione, Spiritus sancti effusione.

34. (*r*) Vetus est, ab initio mundi traditum: novum quoque dicitur in Scriptura quod præcellit. Nunc datur ut proprium novi fœderis, si minus quoad substantiam, saltem quoad modum perfectiorem. *Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*: Nullis meritis præcedentibus vestram salutem quærens.

35. (*s*) Eo signo, ea nota, veri Christiani ab omnibus aliis distinguuntur. Discipuli Joannis dignoscebantur ex vitæ austeritate & jejuniis, discipuli Pharisæorum ex variis observationibus, vos ex mutua dilectione.

36. (*t*) Aug. *Quid festinas Petre? nondum te suo Spiritu solidavit Petra: noli extolli præsumendo: non potes modo, noli dejici desperando: sequeris postea*.

38. (*u*) Cantu illo magis noto, qui gallicinium appellatur: *Donec ter me neges*: Græc. *Quin ter me neges*.

CAP. XIV. 1. (*a*) His auditis, tristitia & mœrore sunt perculsi. *Creditis in Deum*, fide opus est. Sed si ut creditis in Deum, ut veracem, ita & in me credite, & confidite: absens licet vos non deseram. Eorum animos confirmat simul & adhortatur, ut in se ipsum fidem & spem omnem ut in Deum conjiciant, nec promissis a se factis diffidant. *Et in me credite*: consequens est enim, ut qui in Deum creditis, & in me credere debeatis; quod non esset consequens, nisi Christus esset Deus. Vel credite in Deum & in me, perseverate in fide vestra.

2. (*b*) Græc. *ei de me*, *alioqui*, vel, *nisi ita esset*, idest, nisi in domo Patris mei multæ essent mansiones servis meis destinatæ, non ego vana spe vos lactassem; sed eo vobis paratum locum, cælum hactenus ob peccata hominum clausum sanguine meo reseraturus.

3. (*c*) Credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium. *Iterum venio*. Vos in mansiones meas & in consortium meum assumam; vel ex Euthymio, Quod si abiero parare vobis locum, veniam iterum.

4. (*d*) Nempe ad Patrem meum: *Et viam scitis*, per mortem nimirum meam, ut sæpe ex me audistis, vel per mei imitationem & præcepta viam scitis, qua me sequi debetis. *Sciebant illi, sed imperfecte: Illi sciebant, sed se scire nesciebant*. August.

6. (*e*) Quæ per veritatem ducit ad vitam: via per quam venitur, veritas ad quam pervenitur; Vita in qua manetur, ex Augustino. Vita conversationis sanctæ, veritas divinæ doctrinæ, & vita beatitudinis æternæ, ex S. Leone serm. 2. de Resurr. Dom. Tribuit illis in Græco textu unus articulus, *h*, *illa*, affixus est. Ut homo via est per quam ad ipsum itur, ut ad Deum.

7. Si cognovissetis (*f*) me, & Patrem meum utique cognovissetis: & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum.

8. Dicit ei Philippus (*g*): Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.

9. Dicit (*h*) ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem: Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem?

10. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit (*i*) opera.

11. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est?

12. Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado (*k*).

* Matth. 7. 7 & 21.22. Marc. 11. 24. Inf. 16, 23.

13. * Et quodcumque petieritis (*l*) Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio.

14. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

15. Si diligitis me, mandata mea servate.

16. Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum (*m*) dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum,

17. Spiritum (*n*) veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit.

18. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos.

19. Adhuc modicum: & mundus me jam non videt. Vos autem videtis (*o*) me: quia ego vivo, & vos vivetis.

20. In illo die vos cognoscetis quia ego sum (*p*) in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.

21. Qui habet (*q*) mandata mea, & servat ea: ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: & diligam eum, & manifestabo ei meipsum.

22. Dicit ei Judas (*r*), non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo?

23. Respondit Jesus, & dixit ei: Si quis diligit (*s*) me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus:

24. Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem, quem audistis, non est meus: sed ejus, qui misit me, Patris.

25. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens.

26. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque (*t*) dixero vobis.

27. Pacem (*u*) relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.

28. Audistis quia ego dixi vobis: Vado (*x*), & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater major me est.

29. Et nunc dixi vobis prius quam fiat: ut cum factum fuerit, credatis (*y*).

30. Jam non multa loquar vobiscum: venit enim princeps (*z*) mundi hujus, & in me non habet quidquam.

31. Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, & * sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc. * Act. 2. 23.

CA-

7. (*f*) Perfecte, non tantum ut homo sum, sed etiam ut Deus, & Verbum æternum: *Cognovissetis*, ex miraculis utcumque nostis, sed longe perfectiori modo eum paulo post cognoscetis; cum Spiritus sanctus in vos descenderit. *Et vidistis eum*; Immo jam vidistis, testes factis ejus potentiæ.

8. (*g*) Qui non intelligebat sensum verborum Domini: de cognitione per fidem, non de clara Dei visione agebatur. Hinc Dominus.

9. (*h*) Verbis & operibus eos docens. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*: Non quod Filius idem sit qui Pater, sed quia idem quod Pater, ratione naturæ divinæ.

10. (*i*) Nihil ago, aut loquor, nisi imperatum a Patre, qui per me operatur. Aug. Tract. 71. *Sed quid est, a meipso non loquor, nisi a meipso non sum, qui loquor?* Ego in Patre: Hæc est *περιχώρησις*, seu circumincessio personarum, qua Pater est in Filio, & Filius in Patre citra mixtionem ullam, aut confusionem; qua Patres post Nicænum Concilium usi sunt adversus Arianos, quæque primis hujus Evangelii verbis clare exprimitur. *In principio erat Verbum*, & in iis quæ sequuntur: item *Ego & Pater unum sumus*.

12. (*k*) Regnaturus cum Patre. *Quia vado ad Patrem*: Postquam discessero, majora faciam opera.

13. (*l*) Gloria Dei est finis omnium miraculorum. Unde August. Tract. 73. *Quodcumque petimus adversus utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvatoris*. Hactenus Judæi in nomine Abraham, Isaac & Jacob petierunt; sed in nomine Christi deinceps petendum est.

16. (*m*) Paracliti nomen interdum commune est toti Trinitati. Et Christus proprie ille est Advocatus ratione humanæ naturæ.

17. (*n*) Omnis veritatis doctorem. *Quia non videt eum*; non novit; unde nec desiderat.

19. (*o*) Græce *Θεωρεῖτε*, videbitis. *Quia ego vivo*: Vivam scilicet post resurrectionem meam. Aug. Tract. 75. *Duas ergo resurrectiones, suam scilicet mox futuram, & nostram in sæculi fine venturam, duobus verbis præsentis & futuri eleganter breviterque promisit*.

20. (*p*) Per unitatem naturæ: *Et vos in me*, ut membra cum suo capite: *Et ego in vobis*, ut caput in membra influens: Quod mysterium unionis nostræ cum Christo non cognoscitur, nisi per Spiritum sanctum.

21. (*q*) Qui ea didicit. August. *Qui habet in memoria, & servat in vita: qui habet in sermonibus, & servat in moribus; qui habet audiendo, & servat faciendo*.

22. (*r*) Thaddæus frater Jacobi. *Quid factum est?* Hebraismus. Quæ causa est, quid sit, quam ob caussam te manifestare vis nobis, & non mundo?

23. (*s*) Non aliud est certius argumentum amoris in Deum nostri, quam mandatorum observatio. August. *Quæsierat de Christi manifestatione, & audivit de dilectione atque mansione. Est ergo quædam Dei manifestatio interior, quam prorsus impii non noverunt*.

26. (*t*) Græce *πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν*, omnia quæ dixi vobis.

27. (*u*) Pacis nomine omne bonum, ac salus intra designatur, phrasi Hebraica. Pax autem est tranquillitas ordinis, quam mundus polliceri potest, non dare. Inter fructus Spiritus sancti recensetur ab Apostolo, Galat. 5

28. (*x*) Rediturus post resurrectionem. *Si diligeretis me*; Non quod eum non diligerent, sed est usitatus loquendi modus amici cum amicis dolentibus ob discessum, qui majorem ipsi gloriam est allaturus. *Quia Pater major me est*, me homine scilicet: nam ratione humanitatis ad Deum vadit, non ratione divinitatis. August. Tract. 78. *Quid igitur, Hæretice? Cum Christus Deus sit & homo, loquitur ut homo, & calumniaris Deo? Ille in se naturam commendat humanam, tu in illo audes deprimere divinam?*

29. (*y*) Augustinus: *Creditur hoc non fide nova, sed aucta*.

30. (*z*) Qui 2. ad Corinth. cap. 4. vocatur *Deus hujus sæculi*: venit per ministros suos. *Sed ut cognoscat mundus*: ut sciant omnes ultro & ex mandato Patris mori me. *Surgite, eamus*: adeo ut virgula tantummodo, non puncto distinguantur hæc duo verba: *Surgite eamus*. Secus enim suspensus & imperfectus videtur horum verborum sensus. Ac subinde probabile est se ad discedendum comparasse, & discedere incepisse, aut reliquum sermonem in viam ad hortum habuisse.

CAPUT XV.

Christus vitis vera, Pater agricola, discipuli palmites: mutua dilectio, Apostolos elegit ut fructum afferant, isque maneat.

1. EGo sum vitis (*a*) vera: & Pater meus agricola est.

2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.

* Sup. 13. 10. 3. * Jam vos mundi estis (*b*) propter sermonem, quem locutus sum vobis.

4. Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite (*c*): sic nec vos, nisi in me manseritis.

5. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.

6. Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet (*d*).

7. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis (*e*), petetis, & fiet vobis.

8. In hoc clarificatus (*f*) est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli.

9. Sicut (*g*) dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea.

10. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione.

11. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium (*h*) meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.

* Sup. 13. 34. 1. Joh. 3. 23. 1. Thess. 4. 9. 12. * Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.

13. Majorem hanc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

14. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

15. Jam non dicam vos servos (*i*): quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.

16. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, & posui vos * ut eatis, & fructum afferatis: & fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. * Matt. 28. 19.

17. * Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. * 1. Joan. 3. 11. & 4. 7.

18. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.

19. Si de mundo fuissetis (*k*): mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

20. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: * Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, * & vos persequentur: si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt. * Sup. 13. 16. Matt. 10. 24. * Matth. 24. 9.

21. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum, qui misit me.

22. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.

23. Qui me odit: & Patrem meum odit.

24. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.

25. Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege (*l*) eorum scriptus est: * Quia odio habuerunt me gratis. * Ps. 24. 19.

26. * Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam (*m*) vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. * Luc. 24. 49.

27. Et vos testimonium perhibebitis (*n*), quia ab initio mecum estis.

CAPUT XVI.

Futuras predicit persecutiones, & adventum Spiritus sancti, qui mundum arguat, eos doceat, & Christum clarificet.

1. HÆc locutus (*a*) sum vobis, ut non scandalizemini.

2. Absque

CAP. XV. 1. (*a*) Hortatur discipulos, ut per fidem & amorem sibi constanter adhæreant, quo fructum afferant. Christus ut caput Ecclesiæ vitis est, quæ vitalem succum fidelibus tanquam palmitibus impertit. Fideles Christo insiti fide & charitate uberrimos afferunt fructus.

3. (*b*) Per fidem quæ per charitatem operatur. *Quare non ait, mundi estis propter baptismum, quo loti estis; sed, ait propter verbum, quod locutus sum vobis? Nisi quia & in aqua verbum mundat: detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua?* August.

4. & 5. (*c*) Quod ad vitam conducat æternam, nec tantum conditionem sine qua non, sed caussam præcipuam indicat, sine qua nec perficere, nec incipere possumus. Continuo gratiæ meæ influxu vobis opus est, Aug. Tract. 81. Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.

6. (*d*) Ergo palmites præcidi possunt a vite: & homines Christo insiti per gratiam, possunt ab ea excidere. August. *Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis.*

7. (*e*) Quod ad salutem pertineat, ac postuletis quæ Deus vult ut petatis.

8. (*f*) Glorificabitur: præteritum pro futuro. Ex ubertate fructuum quos proferetis, Pater meus gloriam suam eliciet.

9. (*g*) Vox illa similitudinem notat, non æqualitatem: Et ego, sic dilexi vos. Manete. Ad amorem Dei & proximi exemplo suo inducit discipulos suos.

11. (*h*) Quo gaudeo de vobis: *Et gaudium vestrum*, quo de me gaudetis, *impleatur*, & perfectum sit: ut gaudii mei sitis participes, idque magis ac magis crescat in cælo perficiendum. August. Tract. 83. *Inchoatur in fide renascentium, implebitur in præmio resurgentium.*

15. (*i*) Deinceps non tantum servos, sed & amicos dicam. *Quæcumque audivi & a Patre:* quæcumque ad institutionem vestram pertinent, ut homo & legatus a Patre dixi vobis. August. Tract. 86. *Sed nimirum quod facturus est, fecisse se dicit, quia ea quæ futura sunt, fecit.*

19 & 22. (*k*) Græce ἦτε, *fuissetis, essetis*. *Haberent*, peccatum incredulitatis, quo me ut Messiam agnoscere noluerunt.

25. (*l*) Psalm. 34. & 69. Lex sumitur pro veteri Testamento: *Ut*, eventum significat, non caussam.

26. (*m*) Hoc ipsum habens a Patre, quod eum mittam, quem non mitterem, nisi a me procederet: *Perhibebit de me*, tum visibili modo per dona gratuita & miracula, tum invisibiliter operandum in cordibus hominum, movendo & persuadendo.

27. (*n*) Aug. Tract. 93. *Ille in cordibus vestris, vos in vocibus vestris; ille inspirando, vos sonando. Parum quippe fuerat eos adhortari exemplo, nisi impleret Spiritu suo.*

CAP. XVI. 1. (*a*) Hæc dixi vobis de odio hominum & futuris persecutionibus, ne cum venerint, vos imparatos offendant. Venturas persecutiones iterum prædicit, ne despondeant animum, cum eas experientur. *Ut non scandalizemini*, ne a fide excidatis.

2. Absque synagogis (*b*) facient vos: sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.

3. Et hæc facient vobis, quia non noverunt (*c*) Patrem, neque me.

4. Sed hæc locutus sum vobis: ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis.

5. Hæc autem vobis ab initio non dixi (*d*), quia vobiscum eram: & nunc vado ad eum, qui misit me: & nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?

6. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.

7. Sed ego veritatem dico vobis: expedit (*e*) vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.

8. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato (*f*), & de justitia, & de judicio.

9. De peccato quidem: quia non crediderunt in me.

10. De justitia (*g*) vero, quia ad Patrem vado: & jam non videbitis me:

11. De judicio autem: quia princeps (*h*) hujus mundi jam judicatus est.

12. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo.

13. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit (*i*) vos omnem veritatem: non enim loquetur a semetipso: sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis.

14. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet (*k*), & annuntiabit vobis.

15. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt (*l*). Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

16. Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, quia vado (*m*) ad Patrem.

17. Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem: Quid est hoc, quod dicit (*n*) nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem?

18. Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit, Modicum? nescimus quid loquitur.

19. Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me.

20. Amen, amen dico vobis: quia plorabitis (*o*), & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

21. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus: cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

22. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

23. Et in illo die me non rogabitis (*p*)
quidquam. * Amen, amen dico vobis: si quid * Matth. 7. 7. & 21. 22. Marc. 11. 24. Luc. 11. 9. Sup. 14. 13. Jac. 1. 5.
petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

24. Usque modo non petistis quidquam in nomine (*q*) meo: Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

25. Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis.

26. In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis quia ego rogabo (*r*) Patrem de vobis:

27. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis (*s*), & credidistis quia ego a Deo exivi.

28. Exivi a Patre, & veni in mundum: iterum (*t*) relinquo mundum, & vado ad Patrem.

29. Dicunt

2. (*b*) Per excommunicationes. *Sed venit hora*, Jam instat tempus; *Ut omnis*, cum, omnis &c. *Obsequium*, Græce λατρείαν, cultum Deo gratum exhibere putet, & sacrificium illi offerre.

3. (*c*) Deum esse Patrem meum, neque me esse ejus Filium.

5. (*d*) Aperte: de iis sæpe locutus fuerat, sed non tam manifeste. *Quia vobiscum eram*: Neque id opus erat, ut vobis præpropere terrorem incuterem.

7. (*e*) Eorum tristitiam lenit: hoc ipso tempore, quo ad mortem festinat. *Paraclitus non veniet*: nam effusio illa Spiritus Sancti fructus esse debuit mortis & resurrectionis Christi.

8. (*f*) Incredulitatis & infidelitatis, quod præ incredulitate sua tot in eum facinora admiserint.

10. (*g*) Mundum ex eo convincit justum se esse & innoxium, quod rediturus sit ad Patrem per gloriosam Ascensionem suam, per doctrinam Apostolorum tot miraculis confirmatam, per conversionem gentium. August. *Quo pacto igitur mundus arguendus est de justitia, nisi de justitia credentium? . . . . Ipsa quippe fidelium comparatio, infidelium est vituperatio.* Non *videbitis me*, humilem, sed excelsum; non videbitis mortalem, sed sempiternum.

11. (*h*) Et regnum ejus destructum est: exuendus est imperio, quod in homines exercet, & in abyssum præcipitandus. Post Christi adventum dæmon obmutuit, cessarunt oracula; qua de re opusculum conscripsit Plutarchus. *Cur cessarint oracula*. August. *Credunt itaque homines in Christum, ne arguantur de peccato infidelitatis suæ, quo peccata omnia continentur. Transeant in numerum fidelium, ne arguantur de justitia eorum, quos justificatos non imitantur. Caveant futurum judicium, ne cum mundi principe damnentur, quem judicatum mirantur.*

13. (*i*) Quæ ad vestrum ministerium est necessaria. & docebit ea, quæ nunc portare non potestis *mysteria* omnia Christianæ religionis. *Loquetur*. Quæcumque audiet dicenda. *Docebit vos*: Græce *Deducet vos in omnem veritatem*.

14. (*k*) Quia a me procedit ut a Patre: August. Tract. 99. *Non ergo loquetur a semetipso, quia non est a semetipso; sed quæcumque audiet, loquetur. Ab illo audiet, a quo procedit: audire illi scire est, scire vero esse.*

15. (*l*) Ac proinde divinitas ipsa: eadem habeo ut filius ejus.

16. (*m*) Quia brevi moriar, crastino die: *Et videbitis me*, post resurrectionem meam.

17. (*n*) Quod cum non intelligerent discipuli (nam mors Christi sæpe eis prædicta fuit, numquam intellecta) quærebant inter se quid hoc esset. Noluit Christus aperte mortem imminentem iis exponere, ne illorum augeret tristitiam, sed illud futurum admonuit, ut de absentia sua magno afficerentur dolore.

20. (*o*) Me capto & crucifixo. *Vertetur in gaudium*, Post resurrectionem meam. Utrumque hunc statum comparat cum muliere parturiente.

23. (*p*) Non me interrogabitis de discessu meo, nec de morte; ea quippe ex eventu ipso & per Spiritum Sanctum cognoscetis, vos scientia implebit Spiritus Sanctus.

24. (*q*) Nihil adhuc petierant in nomine Christi ut mediatoris & redemptoris. August. Tract. 102. *Quoniam in comparatione rei, quam petere debuistis, pro nihilo habendum est, quod petistis. Ut gaudium vestrum sit plenum*, Græce πεπληρωμένη, *repletum*, ita ut accipiatis quidquid petieritis. Hoc in nomine meo petite, ut gaudium vestrum sit plenum, & accipietis.

26. (*r*) Pro vobis. Non negat se Patrem oraturum pro ipsis, sed consolatur eos, dicendo. *Pater amat vos*.

27. (*s*) Sed prius amaverat Deus: est in vobis jam unde a Patre ameminі: amavit prius, ut bonos faceret: nunc amor propter bonum, quod in eis est, & vult eos remunerare.

28. & 30. (*t*) Non dixit, reliqui Patrem, & veni in mundum: nam semper cum Patre mansit; *Iterum*, vice versa relinquo mundum, a Deo ipso exivi. *Quia a Deo existi*, ut Deus de Deo, non solum ut legatus a Deo missus, ut perperam interpretantur Sociniani: *Non opus est*: Nam antequam quis interroget, nosti quid interrogaturus sit. Sic non opus est Deo, ut quis eum oret: *scit enim quid oraturi simus*; sed opus est nobis.

29. Dicunt ei discipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis.

30. Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi ut quis te interroget: in hoc credimus quia a Deo existi.

31. Respondit eis Jesus: Modo creditis (u)?

* Matt. 26. 31. Mar. 14. 27. 32. * Ecce venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus, quia Pater mecum est.

33. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem (x) habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

CAPUT XVII.

Christi ad Patrem oratio, ut Pater Filium, & vicissim Filius Patrem clarificet; item pro discipulis, & iis qui per discipulos in eum erant credituri.

1. HÆc locutus est Jesus: & sublevatis oculis in cælum, dixit: Pater venit hora (a), clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te:

* Matt. 28. 18. & 28. 18. 2. * Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.

3. Hæc est autem vita (b) æterna: Ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.

4. Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam:

5. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui prius, quam mundus esset, apud te.

6. Manifestavi (c) nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: Tui erant, & mihi eos dedisti: & sermonem tuum servaverunt.

7. Nunc cognoverunt quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt:

8. Quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognoverunt vere quia a te exivi, & crediderunt quia tu me misisti.

9. Ego pro eis rogo: Non pro mundo rogo (d) sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt:

10. Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt: & clarificatus sum in eis.

11. Et jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio (e). Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum, sicut & nos.

12. Cum essem cum eis, ego servabam (f) eos in nomine tuo. * Quos dedisti mihi, custodivi: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, * ut Scriptura impleatur. * Infr. 18. 9. * Ps. 108. 8.

13. Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, ut habeant (g) gaudium meum impletum in semetipsis.

14. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.

15. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo (h).

16. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo.

17. Sanctifica (i) eos in veritate. Sermo tuus veritas est.

18. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum.

19. Et pro eis ego sanctifico (k) meipsum: ut sint & ipsi sanctificati in veritate.

20. Non

31. (u) Sed paullo post apparebit, quam imperfecta sit fides vestra: vel nunc modo creditis, & tam sero!

33. (x) Non ut exprobrans hæc dixi vobis, sed ut pacem & tranquillitatem vestram in omnibus angustiis in me sitam esse, nec vos a me desertum iri credatis. *Ut in me pacem habeatis*, in me confisi tranquillo & quieto sitis animo. *In mundo pressuram habebitis*; Augustinus in Psalm. 96. *Tranquilliora & meliora tempora nolite sperare fratres; fallitis vos. Quod vobis Evangelium non promittit, nolite promittere.* Ego *vici mundum*, vincam patientissime mortem perferendo.

CAPUT XVII. 1. (a) Tempus a te præfixum, *Clarifica filium tuum*: Elata voce pronuntiavit hanc admirabilem orationem in gratiam Apostolorum & fidelium, primum postulat a Patre resurrectionis & nominis sui gloriam, quæ in Patris honorem redundabit. *Venit hora*, passionis. *Clarifica*, Gr. δόξασον, glorifica, per Resurrectionem, Ascensionem & Missionem Spiritus Sancti, & Evangelii per totum orbem prædicationem: *Ut clarificet*, ut divinitatem tuam & gloriam omnibus manifestam faciat.

3. (b) Hæc est vitæ æternæ consequendæ ratio duplex; unius Dei & veri, ac Christi ab eo missi cognitio. *Solum Deum verum*: ut per fidem vivam, quæque per dilectionem operatur, cognoscant te esse illum, qui solus cum Filio & Spiritu Sancto verus est Deus. Nam vox, *solus*, excludit tantum ea, quæ sunt extra Patris naturam: non Filium, qui in Patre est, ut Pater in ipso, non Spiritum Sanctum, qui ab utroque procedit. Unde & Ariani ac Novatores perperam abutuntur hoc loco, dum illi negant Filium esse verum Deum: hi vero male colligunt ad vitam æternam sufficere fidem in Deum & in mediatorem Christum. Deinde fides non sufficit ad consequendam vitam æternam, sed est via quæ ad illam ducit, eaque est salutis fundamentum. *Ut cognoscant te solum Deum verum*; te esse illum, qui solus est verus Deus: adeo ut vox illa, *solum*, non ad Patrem tantummodo, ut Sociniani pertendunt, sed ad Patrem & ad Jesum Christum referatur, τὸν μόνον. Articulus præfixus, & emphasim habens, illum verum Deum a falsis Gentilium diis omnino distinguit: neque id tantummodo significat, qui est solus: sed ut vir doctus animadvertit, illud plane significat ὁ ὢν ὁ μόνος, *qui solus est ille Deus*, cum idola non sint dii. Rogat Patrem, ut per resurrectionem & sessionem ad ejus dexteram secundum humanitatem, in se refundat eam gloriam, quam habuit ante mundum conditum, ut ab omnibus & ubique cognoscatur, ut Filius unicus Patris, quam gloriam visus est quodammodo deponere, cum naturam induit humanam. Sic ordinanda videntur verba; Claritate, quam habui apud te, priusquam mundus fieret, nunc me clarifica: est enim hysteronproteron.

6. (c) Discipulis meis, pro quibus secundo loco orat Patrem, ut eos conservet in fide & charitate. Aug. Tract. 106. *Non illud nomen tuum, quo vocaris Deus, sed illud quo vocaris Pater meus. Hoc nomen ejus prius occultum omnibus, nunc manifestavit eis, quos dedit ei Pater ipse de mundo.*

9 & 10. (d) Speciatim nunc pro Apostolis & discipulis meis rogo. *Tui sunt*, Etsi dati sunt mihi a Patre, cum omnia sint communia Patri & Filio. *Et clarificatus sum in eis*, qui relictis omnibus secuti sunt me, & per fidem mihi adhæserunt.

11. (e) Cras moriturus, & paullo post resurrecturus ad vitam immortalem. *Ut sint unum, sicut & nos*: unum sint in unitate spiritus & voluntatis citra divisionis notam, sicut unum sumus in unitate naturæ. Ut sint unum corpus cum Christo, unus spiritus cum Deo.

12. (f) Præsentia humanitatis meæ, verbo, exemplo, miraculis; *In nomine tuo*: per virtutem operationis tuæ, tamquam a te missus. *Nisi filius perditionis*, sed tantum periit Judas. Sic Matth. 5. *Ad nihil valet ultra, nisi ut mittatur foras*, nemo ex iis periit pro peribit. *Ut Scriptura impleatur*, particula ut eventum significat, non caussam.

13. (g) Ut gaudium, quod ex mea præsentia conceperant, non minuatur, sed crescat.

15. (h) Ab hominum nequitia, vel a re mala, vel a tentationibus diaboli: *a maligno*, ἐκ τοῦ πονηροῦ. Sic enim vox Græca exponi potest.

17. (i) Unctione gratiæ tuæ, dignos effice hoc ministerio, ut veritatis doctrinam annuntient.

19. (k) Offero me tibi, & consecro in hostiam sanctam, in ara crucis. *Sanctificare*, in veteri Testamento est ad rem sacram præparare. *In veritate*, Veram eis precatur puritatem, ut sint sanctificati, initiati & consecrati ad annuntiandam veritatem. Solebant victimæ sanctificari, id est, segregari ad cultum Dei, priusquam offerrentur.

20. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me:

21. Ut omnes unum sint (l), sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti.

22. Et ego claritatem (m), quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut & nos unum sumus.

23. Ego in eis, & tu in me: ut sint consummati in unum: & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut (n) & me dilexisti.

24. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut videant claritatem (o) meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi.

25. Pater juste, mundus te non cognovit: ego autem te cognovi: & hi cognoverunt, quia tu me misisti.

26. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

CAPUT XVIII.

Passionis Christi initium & progressus; capitur a Judæis, ad Annam & Caipham ductus; interrogatus a Pontifice, respondet, & a servo Pontificis cæditur; a Petro negatur; ducitur in prætorium; necem ejus Judæi postulant a Pilato.

2. Reg. 15. 23 Matth. 26. 36. Mar. 14. 32. Luc. 22. 39.
1. HÆc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans Torrentem Cedron (a), ubi erat hortus, in quem introivit ipse, & discipuli ejus.

2. Sciebat autem & Judas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis.

*Matth. 26. 47. Mar. 14. 43. Luc. 22. 47.
3. * Judas ergo cum accepisset cohortem (b), & a Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.

4. Jesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis: Quem quæritis?

5. Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipsis.

6. Ut ergo dixit eis, Ego sum: abierunt retrorsum (c), & ceciderunt in terram.

7. Iterum ergo interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum.

8. Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite (d) hos abire.

9. Ut impleretur sermo, quem dixit: * Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. * Sup. 17. 12.

10. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum: & percussit pontificis servum: & abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus.

11. Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?

12. Cohors ergo, & tribunus (e), & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum:

13. Et adduxerunt eum ad * Annam primum: erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. *Luc. 3. 2.

14. Erat autem Caiphas, * qui consilium dederat Judæis: Quia expedit, unum hominem mori pro populo. * Sup. 11. 49.

15. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, & alius discipulus (f). Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introivit cum Jesu in atrium pontificis.

16. Petrus autem stabat ad ostium foris, * Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. *Matth. 26. 58 Mar. 14. 54. Luc. 22. 55.

17. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum.

18. Stabant autem servi & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se.

19. Pontifex ergo interrogavit (g) Jesum de discipulis suis, & de doctrina ejus.

20. Respondit ei Jesus: Ego palam (h) locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil.

21. Quid

21. (l) Ejusdem fidei & charitatis vinculo conjuncti ad divinarum personarum similitudinem. *Quia tu me misisti.* Hæc enim fidei & dilectionis consensio magno erit argumento hanc doctrinam plane cælestem esse, Filium a Patre missum: cum tot nationes & moribus & locorum intervallis adeo disjunctæ in eosdem sensus & affectus convenire non possent, nisi ab eodem fonte manarent. *Ut credat mundus:* Ut eorum exemplo alii perducantur ad fidem.

22. (m) Nempe ut sint filii per adoptionem, quemadmodum filius sum per naturam. Vel dedi eis potestatem edendi miracula; utraque e filiatio & natura & ad priore, claritatis, seu gloriæ nomine designari solet in Scripturis. Sic Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre:* & Rom. cap. 5. *Gloriamur in spe gloriæ Filiorum Dei.*

23. (n) Supple, sicut tu in me. Similitudo ad suum exemplar insinuatur. *Ut sint consummati in unum,* in unum corpus cum Christo perfecte conjuncti.

24. & 25. (o) Gloriam, quam mihi ut homini daturus es. *Pater juste.* Qui reddis unicuique juxta opera sua: *Mundus te non cognovit,* maxima pars hominum, & mundo addicti.

CAPUT XVIII. 1. (a) Torrens ille inter Jerusalem, & montem Oliveti præterfluit vallem interjectam. Suspicatur Mariana pro τῶν κέδρων, legendum esse Κέδρων, atque a scriba additum fuisse articulum, ac τῶν posuisse pro τοῦ cum existimaret vocem Cedron significare *Cedros.*

3. (b) Quæ solemnibus festis dari solebat a præside principibus, seu senatoribus, ne quis tumultus fieret. Si minus totam accepit cohortem, certe magnam ejus partem, cohors quæ erat pars decima legionis. Templi & urbis præsidio erat destinata, præsertim in festo Paschatis.

6. (c) Debilitate immissa, ita ut stare non possent. Nec præsentem Jesum agnoscerent, quo quidem miraculo ostendit Jesus se nulla vi coactum, sed ultro ad mortem properare.

8. & 10. (d) Verba sunt jubentis & operantis efficaciter, non deprecantis, aut suadentis. *Percussit,* non expectato Christi responso.

12. & 13. (e) Præfectus cohortis. Græc. χιλίαρχος *Adducerent,* Honoris gratia, aut forte domus ejus erat in proximo. Cyrillus post hæc verba, *Pontifex anni illius,* interserit sequentia; *Miserunt autem eum vinctum ad Caipham Pontificem;* quod insinuat Evangelista, & clarius exprimit v. 24.

15. (f) Civis Ierosolymitanus, non Joannes, qui toto triennio palam Christo adhæserat.

19. (g) Cur discipulos colligeret, quidve eos doceret.

20. (h) Docuit aliquando in deserto, in via & privatim: sed nihil diversum ab iis, quæ palam docuit, nihil quod publicum fieri nollet.

21. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego.

22. Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes pontifici?

23. Respondit ei Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?

*Matth.26.57. Mar.14.53. Luc.22.54. 24. * Et misit (i) eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.

*Matth.26.69. Marc.14.67. Luc.22.56. 25. Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se. * Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, & dixit: Non sum.

26. Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo?

27. Iterum ergo negavit Petrus: & statim gallus cantavit.

*Matth.27.2. Marc.15.1. Luc.23.1. 28. * Adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium (k). Erat autem mane: & ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.

*Act.10.28 & 11.3. 29. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?

30. Responderunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.

31. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi: Nobis non licet (l) interficere quemquam.

*Matth.20.19. 32. * Ut sermo (m) Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus.

*Matth.27.11. Mar.15.2. Luc.23.3. 33. * Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocavit Jesum, & dixit ei: Tu es Rex Judæorum?

34. Respondit Jesus; A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?

35. Respondit Pilatus: Numquid ego Judæus sum? Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti?

36. Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc.

37. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis (n) quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.

38. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, & dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam.

39. * Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum? *Matth.27.15. Marc.15.6. Luc.23.17.

40. Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

CAPUT XIX.

Pilati jussu Jesus est flagellatus, tum a militibus variis afflictus contumeliis, spinis coronatus, iterum a Pilato interrogatus, tandem morte condemnatus, inter duos latrones crucifixus. Titulum scripsit Pilatus; vestimenta ejus a militibus divisa; sors de tunica missa. Jesus Matrem Joanni, & Joannem Matri in cruce commendat; aceto potatus, consummatis omnibus emittit Spiritum; ex aperto ejus latere sanguis & aqua profluunt: corpus myrrha & aloe conditum sepelitur.

1. TUnc ergo apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit (a). Matth.27.27. Mar.15.16.

2. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus: & veste purpurea circumdederunt eum.

3. Et veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Judæorum: & dabant ei alapas.

4. Exivit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam.

5. (Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum:) Et dicit eis: Ecce homo.

6. Cum ergo vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo causam.

7. Responderunt ei Judæi: Nos legem habemus, & secundum legem (b) debet mori, quia Filium Dei se fecit.

8. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.

9. Et ingressus est prætorium iterum: & dixit ad Jesum: Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei.

10. Dicit ergo ei Pilatus: mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?

11. Respondit Jesus: non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum (c) esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.

12. Et

24. (i) Miserat: Idque dictum existimat Cyrillus recipiendo, & ad priora orationem reducendo, ut eam, quæ jam dicta est, Petri negationem commode recenseret. Et misit eum Annas, Gr. Misit ergo eum Annas, ἀπέστειλεν οὖν. Quæ Cyrilli lectio difficultatem solvit, quæ ex nostra oritur lectione, utrum in domo Annæ, aut in ædibus Caiphæ hæc acciderint. Sed utut lectio Cyrilli non recipiatur, tamen recte intelligimus misit pro miserat. Nam Hebræi carent præterito plusquam perfecto.

28. (k) In domum præsidis. Sed ut manducarent Pascha, id est, agnum Paschalem, quem fer a sexta manducabant sacerdotes, & magna pars Judæorum, ut a nobis dictum est ad caput 13. & ad caput 26. Matthæi.

31. (l) Judæis ademerant Romani gladii potestatem. Stephanum quidem occiderunt populo tumultuante, sed forsan absente præside. Litem tamen instituere poterant ipsi, & reum mortis pronuntiare.

32. & 34. (m) Matth. cap. 20. Tradent eum gentibus. A semetipso, Videtur ex hoc colloquio secreto cum Pilato Christus vel Græce, vel Latine locutus. An propria sponte id quæris?

37. & 38. (n) Vere dicis: Hebraismus affirmantis. Quid est veritas? Quæstionem proposuit fastidiose, & instar contemnentis. Non expectato responso foras egreditur.

CAP.XIX. 1. (a) Græce ἐμαστίγωσε, loris cecidit. Flagellatur. minibus. Si forte ea flagellatione Judæorum plebs placari posset: crucifigendi prius flagellabantur.

7. (b) Levit. cap. 24. vers. 14. Blasphemi lapidibus obrui debent: Quod si obtinere non possint ut crucifigatur, lapidari eum volunt, quod dixerit se Filium Dei, & proinde a capitis plecti debeat, cum se æqualem Deo fecerit. In hoc enim posita erat blasphemia, quam obtendebant.

11. (c) Populus Judaicus: Majus peccatum habet, quam ius, qui invitus me condemnas.

12. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari.

13. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum: & sedit pro tribunali, in loco (*d*), qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha:

14. Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta, & dicit Judæis: Ecce Rex vester.

15. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem, nisi Cæsarem.

16. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. Susceperunt (*e*) autem Jesum, & eduxerunt.

*Matth.27. 31. Marc. 15. 22. Luc.23.33.

17. * Et bajulans (*f*) sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, Hebraice autem Golgotha:

18. Ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc, & hinc, medium autem Jesum.

19. Scripsit autem & titulum Pilatus: & posuit super crucem. Erat autem scriptum (*g*): Jesus Nazarenus, Rex Judæorum.

20. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt: quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus: Et erat scriptum Hebraice, Græce, & Latine.

21. Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum: Noli scribere, Rex Judæorum: sed, quia ipse dixit: Rex sum Judæorum.

22. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.

*Matth.27. 35. Mar.15 24 Luc.23.34.

23. Milites ergo cum crucifixissent eum * acceperunt vestimenta (*h*) ejus, (& fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.

24. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit. Ut

*Ps.21.19.

Scriptura impleretur, dicens: * Partiti sunt vestimenta mea sibi: & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.

25. Stabant autem juxta crucem Jesu mater (*i*) ejus, & soror matris ejus, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.

26. Cum vidisset ergo Jesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius (*k*) tuus.

27. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua (*l*).

28. Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt, * ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. *Ps.68 22.

29. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo (*m*) circumponentes, obtulerunt ori ejus.

30. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum (*n*) est. Et inclinato capite tradidit spiritum.

31. Judæi ergo, (quoniam parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus (*o*) dies ille sabbati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.

32. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo.

33. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura:

34. Sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua.

35. Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum (*p*) est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit: ut & vos credatis.

36. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: * Os non comminuetis ex eo (*q*). * Exod 12. 46. Num 9 12.

37. Et iterum alia Scriptura dicit: * Videbunt (*r*) in quem transfixerunt. * Zach. 12. 10.

38. * Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa, (eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Jesu. *Math.27. 57. Mar.15 43. Luc.23.50.

39. Venit

13. & 14. (*d*) Græc. λιθόστρωτον, *lapidibus stratus*. *Parasceve*. Dies veneris, quo parabantur ea, quæ ad festum Paschatis simul & sabbati erant necessaria. Magna quippe Judæorum pars, ut diximus, agnum edebat Paschalem sub vesperam ejus diei, quod a phasi Lunæ primæ, non ab ipsa conjunctione dies numerarent; vel ut aliis placet, ne duo festi dies sibi proxime succederent: *Hora quasi sexta*: inter horam tertiam & sextam, quam Marcus vocat *tertiam*. *Et dicit Judæis: Ecce Rex vester*: ironice Regem appellabat, ut quocumque modo eum eriperet neci: nihil esse periculi ne miser homo regnum affectaret. *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*, Ergo ex prophetia Jacob jam jam Messias advenerat.

16. (*e*) Gr. παρέλαβον, *acceperunt*; *& eduxerunt*, Græc. ἀπήγαγον, *abduxerunt*.

17. (*f*) Mos erat ut suas sibi cruces damnati portarent. Cicero Divin. in Verrem: *Servus per circum cum virgis cæderetur, furcam ferens, ductus est*.

19. (*g*) Ut Caiphas, cap. 11. prophetavit nesciens quid diceret, sic Pilatus prophetavit nesciens quid scriberet, & uterque testimonio suo veritatem ipsam confirmavit. Titulus Christi nomen, Patriam, & supplicii caussam continebat.

23. (*h*) Pro pallio, seu veste exteriore, quæ quatuor partibus fibula juncti constabat: vel duæ erant vestes, interior, quæ talaris erat, & exterior, seu pallium quadrangulum. *Erat autem tunica inconsutilis*, ita ut dissui non posset a superiori parte incipiendo texta, ut solent fieri quæ Galli vulgo *Camisoles*, dicunt filo textæ. Hæc figura erat Ecclesiæ, quæ indivisa est per unitatem fidei, & nexum charitatis. Hanc dividere conantur heretici, dum se ab ea separant; sed una manet, & indivisa.

25. (*i*) Ceteris omnibus constantior, stabilis & animo infracta, tametsi filii vulneribus sauciata. *Et soror matris ejus Maria Cleophæ*, quæ nupta erat Cleophæ. Forte idem est Joanni *Cleophas*, qui aliis Evangelistis *Alphæus* Pater Jacobi minoris. Hic Κλωπᾶς, apud Lucam cap. 24. sic dicitur per phrasim Græcis familiarem, ut *Simon Petrus* aliquando Joannis, aliquando *Jona* filius dicitur.

26. (*k*) Officio & charitate virginem virgini commendavit, ut omnia necessaria illi subministraret.

27. (*l*) Græc. ἔλαβεν αὐτὴν εἰς τὰ ἴδια, *recepit illam in propria*, in domum suam, in curam suam.

29. (*m*) Nonnullis videtur legendum esse Græce non ὑσσώπῳ, sed ὑσσῷ, quod *hastile*, seu *pilum* significat, quodque alii Evangelistæ dixerunt κάλαμον. Nam *Calami* aut *Arundinis* nomen apud Græcos & Latinos significat *Virgam*, vel instrumentum oblongum. Sic Apocalyps. cap. 21. vers. 21. Jerusalem cælestis mensurari dicitur *Arundine aurea*. Et quidem hyssopus herba quædam est humilis: nisi forte hæc planta iis in locis assurgat in majorem altitudinem: sed hyssopus erat cum calamo colligata.

30. (*n*) Id omne quod ad humani generis redemptionem fieri Prophetæ prædixerant. *Et inclinato capite tradidit spiritum*: In aliis hominibus mors a corpore animam extrudit, sed ipse in manus Patris animam suam tradidit. Inclinat caput, tum expirat, ut mortis Dominus & vitæ.

31. & 34. (*o*) Duplex enim erat solemnitas. *Lancea*, Aug. serm. 105. de divers. *In uno est mundatio tua, in altero redemptio tua. Per sanguinem Sacramentum corporis & sanguinis Domini, & per aquam Sacramentum baptismi designatur. Quibus ut præcipuis reliqua Sacramenta continentur, quæque virtutem omnem suam ex passione Christi desumunt*.

35. (*p*) Testimonium suum allegat per omnes Ecclesias receptum, utpote dilecti discipuli, qui tum solus ex Apostolis supererat.

36. (*q*) Secundum mysticum sensum, eumque certissimum & principalem a Spiritu Sancto intentum.

37. (*r*) Judæi ipsi qui Christum lancea perforatum aspexerunt: *Videbunt*, in extremo judicio, Apocal. 1. vers. 7. *Ecce venit cum nubibus: & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt* lancea & clavi: aut de iis, qui miseratione commoti sunt, Luc. 23. vers. 48. *Et aspicient ad me quem confixerunt*: Zach. cap. 12. vers. 10.

* Sup. 3. 2. 39. Venit autem & Nicodemus, * qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes (*f*), quasi libras centum.

40. Acceperunt ergo corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire.

41. Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat.

42. Ibi ergo propter Parasceven (*t*) Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.

CAPUT XX.

Resurrectio Christi, & varia ejus apparitiones, primum Maria Magdalena, tum Petro & Joanni, deinde aliis Apostolis, quibus dat Spiritum sanctum, & potestatem remittendi peccata; rursum Thoma & aliis se videndum prabet Apostolis.

Mat. 28. 1. Marc. 16. 1. Luc. 24. 1. 1. UNa (*a*) autem sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum: & vidit lapidem sublatum a monumento.

2. Cucurrit (*b*) ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quem amabat Jesus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum.

3. Exiit (*c*) ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum.

4. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum.

5. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introivit.

6. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introivit in monumentum, & vidit linteamina posita,

7. Et sudarium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum.

8. Tunc ergo introivit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit (*d*):

9. Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere.

10. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos.

11. * Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, & prospexit in monumentum: * Matt. 18. 1. Marc. 16. 5. Luc. 24. 4.

12. Et vidit duos Angelos in albis, sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu (*e*).

13. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum: & nescio ubi posuerunt eum.

14. Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, & vidit Jesum stantem: & non sciebat quia Jesus est.

15. Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum: & ego eum tollam.

16. Dicit ei Jesus: Maria (*f*). Conversa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magister.)

17. Dicit ei Jesus: Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum.

18. Venit Maria Magdalene annuntians discipulis: Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi,

19. * Cum ergo sero esset die illo, una sabbatorum, & fores essent clausæ (*g*), ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum: venit Jesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. * Marc. 16. 14. Luc. 24. 36. 1. Cor. 15. 5.

20. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino.

21. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit (*h*) me Pater, & ego mitto vos.

22. Hæc cum dixisset, insufflavit (*i*): & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum:

23. * Quorum remiseritis (*k*) peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. * Matth. 18. 18.

24. Tho-

39. (*f*) Multis aromatibus opus erat, ut corpus integrum & non exenteratum servaretur: libra erat duodecim unciarum.

42. (*t*) Tempus erat parasceves mox finituræ, & instabat Sabbatum.

CAP. XX. 1. (*a*) Prima die hebdomadæ, die Dominica, *cum adhuc tenebræ essent*, nimirum quando profectæ sunt piæ mulieres.

2. (*b*) Qua ratione Joannes cum aliis Evangelistis concilietur; diximus ad caput 27. Matthæi. Mulieres illæ cum intrassent in sepulcrum, neminem viderunt; neque enim adhuc Angelus seipsum videndum præbuerat. Maria Magdalene, relictis aliis ad sepulcrum, cucurrit ad Apostolos. & prius quidem ad Simonem & Joannem. *Tulerunt*, inquit, *Dominum meum*, alio translatum corpus existimans.

3. (*c*) Hos secuta est Maria: ibi invenerunt sudarium & linteamina seorsum posita, tum demum rediere, relictis ibi mulieribus; Maria interim in hortum paullo longius progressa est, si forte inveniret corpus Domini. Tum aliæ mulieres in priori spelunca viderunt duos Angelos, quorum jussu nuntiatum venerunt ad Apostolos. Interea Maria redit ad monumentum, & inclinata vidit Angelos, quos existimabat esse homines eo missos postquam egressa fuerat. Cum reverteretur, vidit Jesum, quem hortulanum esse credidit, cum aliæ mulieres adhuc essent in via. Nonnulli formam sepulcri quadratam esse existimant, ac occlusum erat ostium, quod claudebatur lapide, quem sublatum invenit Magdalena; & quoniam ostium erat humile, necesse fuit ut Joannes ad videndum interiora se inclinaret: ita Mariana.

8. & 9. (*d*) Sublatum esse Domini corpus, uti Maria nuntiaverat. Quod si de fide resurrectionis id intelligamus, hic sensus erit versus sequentis: *Nondum enim sciebat Scripturam*, quæ de resurrectione Christi loquitur.

12. (*e*) Luc 24. 4. Vox Græca ἐπέστησαν, *supervenire, & adesse*, significat: unde parum refert quod Lucas eos *stetisse*, Joannes *sedisse* dixerit.

16. (*f*) Voce sua familiari & consueta, *Noli me tangere*, Noli diutius morari in tactu pedum meorum. *Nondum enim ascendi*, pro *ascendo*: Tempus non deerit hujusmodi affectus explendi: *Deum meum*, & *Deum vestrum*: Deus speciali quodam modo dicitur eorum, a quibus singulariter diligitur & colitur.

19. (*g*) Sicut clauso Virginis utero natus est, & clauso sepulcro resurrexit. Sic Patres intellexerunt hunc locum, neque pueriles & sophisticas has rationes attulerunt Christum per fenestram intrasse: ex quo sequitur duo corpora in eodem loco divinitus esse posse.

21. (*h*) Qui e cælo in terram ad vitam æternam hominibus largiendam me misit: *Et ego mitto vos*, pari auctoritate, & ob eumdem finem, ut *Legatos* & *Apostolos* meos.

22. (*i*) Quo quidem signo se id reipsa facere quod dicebat, & eumdem Spiritum ex se procedere significabat.

23. (*k*) Tum acceperunt Spiritus sancti gratiam, ut peccata dimitterent, & filios adoptionis per gratiam efficerent. Sed die Pentecostes acceperunt Spiritum sanctum quo induerentur *virtute ex alto*, ut acciperent operationum virtutem, gratiam sanitatum, genera linguarum, &c. . . Nunc potestatem promissam Matth. 18. his verbis contulit.

24. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus (*l*), non erat cum eis quando venit Jesus.

25. Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus ejus fixuram (*m*) clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.

26. Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus, & Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis.

27. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis.

28. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus (*n*) meus.

29. Dixit ei Jesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati (*o*) qui non viderunt, & crediderunt.

30. * Multa quidem, & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. * *Inf.* 21. 25.

31. Hæc autem scripta sunt ut credatis (*p*), quia Jesus est Christus Filius Dei: & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.

C A-

24. (*l*) Id est, *geminus*, quod *Thomas* תאומא, Hebraice, Δίδυμος, Græce significat. Eadem potestas Thomæ absenti data est, vel postea collata sunt. Cum autem in Syriaca editione eadem occurrat interpretatio, hinc palam est novum Testamentum e Græco esse translatum in linguam Syriacam.

25. (*m*) In vetustis codicibus legebant, *figuram*, Græc. τὸν τύπον, vulnerum vestigia.

28. (*n*) Gregorius Homil. 26. *Ille dubitando vulnerum cicatrices tetigit, & de nostro pectore dubitationis vulnus amputavit: dubitavit ne dubitaremus.* Hæc vox *Deus*, primum ab Apostolis tributa est Jesu. Theodorus Mopsuestenus hæc verba Thomam dixisse existimabat, non de Christo; sed ad Deum converso sermone, qui illum in vitam revocaret. Quæ explicatio ut impia in quinta Synodo rejecta est. Hic nominativus usurpatur pro vocativo, ut multis in aliis Scripturæ locis, & apud auctores linguæ Latinæ.

29. (*o*) Id est, Beatiores sunt. Aliud vidit, aliud credidit Thomas: vidit hominem, credidit Deum. Per fidem longe certiorem habuit persuasionem quam per sensum, qui tamen induxit eum ad fidem; ut sensus ducunt nos ad cognitionem principiorum in scientiis, quorum assensus longe certior est omni perceptione sensuum.

31. (*p*) Idcirco Joannes scripsit Evangelium, ut divinitatem Christi Domini adversus Ebionem & Cerinthum vindicaret. Ac videtur hic finem scribendi fuisse voluisse: sed postea, Spiritus Sancti impulsu, quæ sequuntur, adjecit. Non defuere qui putarent caput ultimum hujus Evangelii ab Ecclesia Ephesina adjectum fuisse ex scriptis Apostoli, & hoc in capite finitum esse Evangelium Joannis. Caput ultimum ut a Joanne scriptum agnoscit & veneratur Ecclesia. Quæri hoc loco solet, qua hora, quo die, quo denique mense Dominus resurrexit. De hora, nulla, aut perparva est contentio; nam summo mane surrexisse inter omnes fere convenit, adeo ut tertio die incepto exierit e sepulcro clauso. Angeli lapidem superpositum removerunt, ut piis mulieribus & discipulis manifestum fieret eum vere surrexisse. 2. Illud quoque certum est die Dominica resurrectionem factam, quæ propterea Κυριακὴ ἡμέρα, a Græcis, & Dies Dominica, a Latinis appellatur. Hunc diem Apostoli solemnibus conventibus postea dedicarunt, ut liquet ex Actis Apost. cap. 20. vers. 7. *Una autem sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem*, id est, prima die hebdomadæ. Hic erat secundus dies Azymorum Judæis, & quinquagesimus ab eo dies fuit Pentecostes, qui in diem Dominicam incurrebat, ex omnium Ecclesiarum consensu. 3. Sed de mense & de die mensis major est controversia. Existimat quidem Pezronius hunc diem fuisse decimum septimum Aprilis anni 29. æræ vulgaris, quod colligit ex cyclo apud Judæos usitato, ad quem menses & dies festos exigebant. Qua de re perculitam dissertationem Historiæ Evangelicæ subjecit, cujus hæc fere summa est. 1. Christi temporibus cyclum 84. annorum a Judæis publice expositum fuisse, in quo sexies quatuordecim anni continentur, ut docet Epiphanius Hæresi 51. quæ est Alogorum. In eo cyclo triginta menses erant intercalati, quibus ineunte altero cyclo unus addebatur mensis. Unde illi annos quatuordecim sexies multiplicantes in cyclo annorum 84. anno octogesimo quinto mensem intercalabant. Singuli anni erant Lunares 54 dierum, horarum octo, & aliquot minutorum. Intra quatuordecim annos quinque menses intercalabant, adeo ut in cyclo integro triginta menses inseri oporteret. Initium & finem ejusque cycli designat Prosper in Chronico suo, ita ut primus cyclus inceperit anno sexto Claudii, post sedecim annos a morte Christi, anno a mundo condito juxta Eusebii Chronicon 5247. qui est annus æræ vulgaris 46. *Exivit*, ait Prosper, *cyclus Paschalis, qui annis constat 84. & post annos octoginta quatuor ad eumdem legem revertitur.* Secundum periodum statuit anno 130. Finis est primi cycli, & secundi exordium. Sic anno 214. desinit secundus cyclus, incipit initium tertii, & ita pergit usque ad annum 382. consulatu Antonii & Syagrii designatum. 2. Ad hunc cyclum Paschatis festum exegit Ecclesia Romana quinque primis sæculis. Qua de re conqueritur Cyrillus Alexandrinus in Prologo Paschali, quod cyclus ille quinque & octoginta annorum minus esset accuratus, ac sæpe qui dies decimus quartus juxta cyclum habebatur, duobus diebus anteverteret, & Pascha interdum ante initium primi mensis celebraretur; idque Constantinus magnus apud Eusebium, Lib. 3. de vita ejus, cap. 18. exprobrat. Atque hic cyclus jam integer e Bibliotheca Imperatoris publici juris factus nullum dubitationi locum relinquit, quin is sit, cujus meminit Epiphanius, quique a Judæis fuit ante Christi tempora continuatus. Unde semper incipit a sabbato, & duodecim annorum hebdomadas continet, qui numerus Judæis est familiaris, isque ante adventum Christi incipit, & triginta menses intercalares, quorum meminit Epiphanius, complectitur. Qua ratione sit dispositus, exposuit vir omni genere doctrinæ excultus Cardinalis Noris nuper vita functus, ad calcem Epocharum Syro-Macedonum. Hic desinit anno 374. æræ Christianæ, Constantii septimo consulatu, quo quidem tempore exscriptum illum fuisse admodum est probabile, is videtur conflatus ex periodo Calippi 76 annorum, & octaeteride seu octo annorum periodo, simul junctis. Hujus meminit Paschasinus in Epistola ad S. Leonem cum de Paschatis die statuendo anni 444. quæstio mota fuisset. *Nam cum Romana supputatio, quæ cyclo concluditur, cujus ipse, de quo agitur, erit annus 63. qui cœpit a consulatu Antonii & Syagrii, nobis dubietatem afferret, &c....* Itaque hic cyclus fuit, quem Ecclesia sequebatur, quem Cyrillus acriori stylo reprehendit: *Illi etiam qui Judaicarum gravitati respondere conati sunt, & octoginta quatuor annorum Paschalem circulum instituerunt, si perfectâ ratione circulum tenuissent, &c.* 3. Contra ea quæ diximus, opponunt juxta Astronomicas tabulas Lunæ; mensis Nisan initium anno 29. æræ vulgaris, quo mortuum esse Christum statuimus, incidit in diem secundum Aprilis, circa horam octavam a meridie, adeo ut dies decimus quartus tum incideret in diem decimum sextum Aprilis, qui erat dies sabbati, sub cujus die finem agnus Paschalis immolabatur. Quamobrem Christus eo anno non est passus, aut agnum Paschalem non comedit die Jovis una cum discipulis, cum die Veneris fuerit crucifixus. Respondet optime vir sujta laudatus, hujus argumenti vim eludi facile non posse, si menses ad Lunæ phases, aut ad observationes Astronomicas, easque accuratas Judæi exegissent. Sed tum cyclis errori obnoxiis utebantur, qui duobus diebus interdum a vero Lunæ loco aberrabant, mirum non est, si in supputationibus dierum Lunæ & mensium errarent. Quod quidem Epiphanius loco citato non omisit loquens de Judæis: *Siquidem*, inquit, *ante tempus Paschæ comederunt illi agnum Paschale duobus diebus antequam deberent comedere, quod cyclus ille tantumdem temporis anticiparet .... Quod cum illis aberrandi caussa tunc fuisset, non modo perturbantes omnia biduo legitimum Paschatis tempus anteverterunt, sed & uno insuper die prætergressi maximis se erroribus implicuerunt.* Quod cum Evangelistis satis apte cohæret. Nam ex iis quosdam Pascha celebrasse die Jovis colligimus, alios autem die Veneris. Id vero satis erat legi implendæ, si die decimo quarto juxta civilem & popularem supputationem Pascha celebrarent, qui dies cyclo usitato apud eos erat definitus. Nec mirum si idem Judæis evenerit quod Latinis, tametsi ex tabulis Astronomicis error in eorum calculo demonstraretur, cum dies primus juxta Lunæ motum jam tertius, & decimusquartus quasi decimus sextus haberetur, quod Cyrillus cum iis graviter expostulat: *Qualis ergo*, inquit, *est cæcitas mentis, vel dementia, ut cum videre non possit trigesima, videatur adhuc deficiens, & dicatur prima, nonnunquam & secunda.* Ex R. Maimonide quidem discimus circa sextum sæculum ad phasim apparentem neomenias suas & festos dies revocasse: sed vix uno, aut altero sæculo id in usu fuit. Nam septimo sæculo Hillel ennead-decaeteridem induxit. Cum autem & duplicem neomeniam celebrarent, duplex quoque iis erat dies Paschatis. Alii priori die festum Azymorum incipiebant, alii sequenti die, & sæpe iidem duobus consequentibus diebus festum celebrabant. Unde cum Christus Joann. cap. 13. dixisset Judæ: *Quod facis, fac citius*; quidam ex Apostolis crediderunt eum se iis emendis, quæ necessaria erant ad diem festum, loqui, quod dies Veneris iis esset festivus. Et tamen dies sabbati ex eodem Evangelista erat primus dies Azymorum iis, qui die Jovis agnum non comederant. Joann. 19. *Erat enim magnus dies ille sabbati*, ob duplicem solemnitatem. Nam sacerdotes die tantum Veneris agnum immolarunt eo ipso tempore, quo verus agnus fuit occisus. Hi sunt itaque duo primi dies Azymorum, qui apud Judæos hujus temporis

CAPUT XXI.

Alia Christi apparitio ad mare Tiberiadis; Petrus Jesu cognito mittit se in mare; ter interrogatus de suo in Christum amore, pascendas Christi oves accipit, ac de futuro vitæ exitu admonetur.

1. POstea manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic:

2. Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael (a), qui erat a Cana Galilææ, & filii Zebedæi, & alii ex discipulis ejus duo.

3. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & ascenderunt in navim: & illa nocte nihil prendiderunt.

4. Mane autem facto stetit Jesus in littore: non autem cognoverunt discipuli quia Jesus est.

5. Dixit ergo eis Jesus: Pueri, numquid pulmentarium (b) habetis? Responderunt ei: Non.

6. Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis. Miserunt ergo: & jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.

7. Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus (c) cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare.

8. Alii autem discipuli navigio venerunt, (non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium.

9. Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem.

10. Dicit eis Jesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.

11. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus (d) centum quinquaginta tribus, & cum tanti essent, non est scissum rete.

12. Dicit eis Jesus: Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes, quia Dominus est.

13. Et venit Jesus, & accipit panem, & dat eis, & piscem similiter.

14. Hoc jam tertio (e) manifestatus est Jesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis.

15. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis diligis (f) me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos.

16. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos.

17. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? & dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves (g) meas.

18. * Amen, amen dico tibi: cum esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes (h) manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. * 2. Pet. 1. 14.

19. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei, Sequere me.

20. Conversus Petrus (i) vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, * qui & recubuit in cœna super pectus ejus, & dixit: Domine, quis est qui tradet te? * Sup. 13. 23.

21. Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu: Domine, hic autem quid (k)?

22. Dicit (l) ei Jesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.

23. Exiit

poris celebrantur. Unde Josephus dies octo Azymorum numerat. Tametsi secundus magis erat in honore, quod decimusquintus esset mensis Nisan, & a phasi ipsa computandus. Sunt qui commode satis nodum hunc expediunt, quod feria secunda, quarta, & sexta non celebrarent festum Azymorum ex gradum traditione; cum alii legis mandatum observarent, & die Veneris qui erat decimusquintus, Paschatis festum celebrarent, agno die Jovis occiso. Utcumque ea res sit, consulibus duobus Geminis, Christus manducavit Pascha die Jovis ad vesperam, qui erat decimusquartus mensis lunaris ex cyclo designati, & ab ipsa conjunctione numerati, seu a trigesimo die mensis præcedentis, qui hoc anno erat intercalaris. Crastino die sacerdotes & principes populi agnum comederunt, qui erat decimusquartus ab ipsa phasi: adeo ut dies sabbati fuerit magnus dies Azymorum. Atque hoc systema cum usu Judæorum Thalmudistarum, & Caraitarum omnino consentit; quatuor Evangelistas apptime conciliat; ipsum demum auctoritate veterum subnixum, a viris doctis nostræ & superioris ætatis receptum est.

CAP.XXI. 2. (a) Hic inter discipulos, immo inter Apostolos a nonnullis recensetur, uti & cap. 1. cum Petro, Andrea & Philippo. Rupertus & alii suspicantur ipsum esse Bartholomæum. Nam hactenus Apostolis tantummodo apparuit Christus. Nec *Bartholomæus* videtur esse nomen proprium, uti nec *Barjona*; sed *filius Tholomæi*, aut *Ptolomæi*. Joannes autem eum proprio nomine designare voluit: tametsi more Hebræorum usitatiori vocabula ex Patris nomine *Bartholomæus* diceretur, quod Christi tempore frequens erat. Postremo cum de reliquis Apostolis aut factum aliquid, aut dictum, aut aliquid peculiare memoratur, de Bartholomæi actis, aut dotibus nulla fit mentio, adeo ut satis probabile videatur *Bartholomæum* ipsum esse *Nathanaelem*, qui erat a Cana Galilææ, & cujus mentio honorifica habetur cap. 1. Neque unus fuit ex 72. discipulis, qui longo post tempore selecti sunt. Nathanael una cum Philippo vocatus est eodem tempore, quo Petrus & Andreas. Ita Estius in hunc locum.

5. (b) Numquid vobis adest obsonium, quod ad panem addi liceat?

7. (c) Chrysost. homil. 87. *Proprios mores referunt Petrus & Joannes: ille ferventior, hic altior erat; ille vehementior, hic perspicacior: Ideo Joannes prior agnovit Jesum, Petrus prior ad illum properavit.* Erat enim nudus, exteriori deposita, tela erat interiore tunica indutus: *Tunica succinxit se*, tunicæ exterior, lumbos succingens, ut decentior esset habitus.

11. (d) Quibus electi designati videntur, ut tete Ecclesiam adumbrat: Ex iis nullus perit. *Et cum tanti essent*, tot & tanti.

14. (e) Apostolis congregatis: nam die resurrectionis multis separatim apparuerat: & simul confertis, cum octavo die, tertio ad mare Tiberiadis. Fors est ut non numerentur apparitiones, sed dies, quibus apparuit.

15. (f) Ter interrogavit Petrum, qui ter negaverat: unde tertio rogatus contristatus est, culpæ suæ memor. Non audet respondere se plus aliis Dominum diligere. *Pasce agnos meos*, in fide teneriores.

17. (g) Bernardus Lib. 2. de Considerat. Non designat aliquas, sed assignat omnes. Petram fecerat Ecclesiæ & fundamentum, Matth. 16. præclaram ob fidei confessionem; nunc pastorem constituit ob amoris prærogativam: Petrus & Christo satisfacit, quem ter negaverat, & collegis, quibus se prætulerat. Totius Ecclesiæ regimen accipit; pastor non solus, sed primus constituitur.

18. (h) In cruce: *Et alius te cinget*, vinciet te, in crucem aget: *Et ducet quo tu non vis*, voluntate naturæ.

20. (i) Christum sequebatur Petrus in littore progredientem: *Vidit illum discipulum*, pone sequentem.

21. (k) Quem habebit vitæ exitum, quid de eo futurum est?

22. (l) Græc. & Syriace, *Si eum volo manere*: vel absolute, *Sic eum volo manere*, & tranquillam obire mortem, nihil ad te; tu me sequere mortis meæ imitatione. Omnes fere contentiunt legendum esse, *Si eum volo manere*.

23. Exiit ergo ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jeſus: Non moritur; ſed: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?

24. Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc: & ſcimus (*m*), quia verum eſt teſtimonium ejus.

25. * Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere (*n*) poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros. * *Sup.* 20, 30.

24. (*m*) Maximi ponderis erat apud omnes Eccleſias Joannis teſtimonium. In perſona fidelium hæc dicit: Eccleſiæ omnes ejus teſtimonium ut certum & indubitatum recipiunt.

25. (*n*) Intellectu. Id unum docet, multos exarandos eſſe libros, ſi facta ſingula & dicta Chriſti Domini ſcriberentur, cum nihil dixerit, aut fecerit, quod non eſſet memoria hominum digniſſimum, ac per hyperbolem in Scripturis frequentem, quæ legentium intellectum ſuperaret, librorum multitudinem exprimit; quæ hyperbole ex ſermone vulgi uſitato deſumitur: ſic cap. 12. Phariſæi dicunt: *Ecce totus mundus poſt eum abiit.*



ACTUS

ACTUS APOSTOLORUM.

HIC Liber Actuum Apostolorum a Luca Evangelista conscriptus, est velut continuatio quædam Evangelii. Unde ab OEcumenico Evangelium Spiritus sancti merito appellatur. Nam quæ Spiritus sanctus per Apostolos gessit, Ecclesiæ nascentis exordia, atque illius magna per triginta fere annos incrementa; hoc in Libro mira brevitate & perspicuitate describuntur. In eo promissiones Christi impletas legimus, Ascensionem ejus in Cælum, Spiritus sancti illapsum, quo Ecclesia formata est, & quasi animata, tot mirabiles qui ex illa Spiritus sancti effusione consecuti sunt effectus, Evangelii toto pene orbe noto prædicationem, invictam Apostolorum fortitudinem, portenta fere innumerabilia & miracula, complures Petri & Pauli sermones, horum varias persecutiones: tametsi de Petro pauca, & de aliis Apostolis pauciora scripsit Lucas. Sed nobis cogitandum reliquit eadem, aut consimilia, ab aliis Apostolis toto orbe dispersis facta esse miracula, iisdem laboribus eos esse defunctos, easdem subiisse persecutiones. Nam sacrorum scriptorum calamum sic divina regebat providentia, ut ea tantum scriberent, quæ ad fidem Christianam alendam & roborandam erant necessaria: ne sacrorum Librorum multitudo de eorum pretio & auctoritate quicquam detraheret. Hinc Lucas aliorum Apostolorum acta, quibus non interfuit, quæque ab iisdem Apostolis, aut viris Apostolicis conscripta fuerant, non mandavit litteris. Petri historiam tantummodo delibavit; Paulum Romam usque deduxit: quæ sunt secuta, silentium prætermittens. Ex iis tamen, quæ hoc in Libro sunt simplici & candido, sed eleganti stylo enarrata, de reliquis quæ scripta non fuerunt, facile est judicium; atque ea sufficere visa sunt sinceris & bonæ fidei hominibus omnino persuadendis, ac de Christianæ Religionis veritate convincendis; Traditio ipsa & viva vox, Scripturarum supplet silentium.

Hic Liber octo & viginti capita complectitur. In primo Ascensionem Domini in Cælum, Mathiæ in locum Judæ electionem cum omnibus circumstantiis commemorat. In secundo Ecclesiæ ipsius quasi partum describit Evangelista, tamquam ex utero Synagogæ, in quo hactenus delituerat. Tum usque ad caput decimum, Ecclesiæ velut incunabula, ac prima illius incrementa, & quasi infantiam in urbe Jerosolyma mentis oculis subjicit. Deinde Evangelii propagationem in Judæam & Samariam, populis antea inimicis, in eamdem fidem coadunatis, ac tandem Christianam Religionem longe lateque diffusam in Romani Imperii provincias. Pauli in primis gesta & varias persecutiones sacer Scriptor prosequitur. Quo major rerum gestarum ab Apostolis lux accedat, operæ pretium fuerit singulis tempus adscribere, quod ex Chronico Canone Historiæ Apostolicæ Pezronii Abbatis nondum editæ mutuabimur: quæ omnia in Historia Apostolica idoneis probat testimoniis.

CAPUT PRIMUM.

Hoc capite duo permagni momenti continentur, Ascensio Christi Domini in cœlum post quadraginta dies, & Mathiæ electio.

1. PRIMUM (*a*) quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere, & docere,

2. Usque in diem, qua præcipiens (*b*) Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est:

3. Quibus, & præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis (*c*), per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.

* Luc. 24. 49. Joann. 14. 26. 4. Et convescens (*d*), * præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, * quam audistis (inquit) per os meum:

* Matth. 3. 11. Mar. 1. 8. Luc. 3. 16. Joan. 1. 26. 5. Quia Joannes quidem baptizavit aqua (*e*), vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.

6. Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum (*f*) Israel?

7. Dixit autem eis: Non est vestrum (*g*) nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate:

* Inf. 2. 2. * Luc. 24. 48. 8. * Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, & * eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.

9. Et cum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus (*h*) est: & nubes suscepit eum ab oculis eorum.

10. Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis,

11. Qui & dixerunt: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum? hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum (*i*) vidistis eum euntem in cælum.

12. Tunc reversi sunt Jerosolymam a monte, qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati (*k*) habens iter.

13. Et cum introissent (*l*) in cœnaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus, & Joannes, Jacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Jacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Judas Jacobi.

14. Hi omnes erant perseverantes unanimiter (*m*) in oratione cum mulieribus, & Maria matre Jesu, & fratribus ejus.

15. In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit (*n*): (erat autem turba hominum simul, fere centum viginti.)

16. Viri fratres, oportet (*o*) impleri Scripturam *, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderant Jesum: * Psal. 40. 10. Joan. 13. 18.

17. Qui

CAPUT I. 1. (*a*) Græc. τὸν πρῶτον. Antea scripsi Evangelium, *De his omnibus*; per distributionem, ut loquuntur Dialectici, accommodam, quæ scilicet erant ad docendum necessaria, quæque poterant sufficere ad fidem faciendam, & ad Christi doctrinam explicandam. Sic 1. Cor. 10. *Omnibus placeo*, fidelibus nempe, atque bonis. Sic Lucæ cap. 1. *Visum est mihi assecuto omnia*. *O Theophile*. Quis ille fuerit, incertum est, an proprium nomen hominis inter Christianos nobilis? Nam vox Græca aliquem aut dignitate, aut moribus præstantem designat. An potius pium, & Dei amantem, voce communi appellat? *Facere & docere*: Quæ duæ externæ partes ministerii Christi, vita nempe illius & doctrina.

2. (*b*) Cum præcepisset Apostolis, cum præcepta dedisset: *Per Spiritum sanctum*: Hæc utique jungi possent cum præceptis, quæ Christus iis dedit Spiritu sancto plena, quæque postremis capitibus Matthæi, Marci, & Lucæ, necnon hoc capite continentur. Aut certe *quos elegit per Spiritum sanctum*: adeo ut in utroque sensu sit hyperbaton, seu quædam vocum transpositio. Juxta priorem intellectum, sic illud est reddendum, *Usque in diem, qua præcipiens per Spiritum sanctum Apostolis*; vel juxta posteriorem sensum, *Usque in diem, qua præcipiens Apostolis, quos elegit per Spiritum sanctum, assumptus est*; nimirum vi propria per divinitatem sibi in eadem persona conjunctam. Itaque Christus opus suum ab Incarnatione usque ad Ascensionem in cælum, unde descenderat, omnino perduxit: cum electis a se discipulis præcepta dedisset necessaria de Spiritu sancto, quem accepturi erant, quo se ad illius præpararent illapsum, quæque eo aspirante didicissent, executioni mandarent.

3. (*c*) Græc. τεκμηρίοις, signis indubitatis. *Et loquens de regno Dei*, de iis quæ pertinent ad Ecclesiam, & ad illius constitutionem. Hinc Apostolicarum traditionum origo: nam multa eos docuit, quæ scripta non sunt, ut major esset Ecclesiæ auctoritati locus; eaque ad nos usque per traditionem pervenerunt.

4. (*d*) Græc. συναλιζόμενος, quod Interpres vertit *Convescens*. Valla & Erasmus congregationem in unum locum eo verbo designari contendunt, ac legendum putant, *Conversans*. Recte quidem intelligimus Christum Apostolis in unum congregatis præcepisse, ut expectarent promissum Spiritum sanctum. Sed tamen versio Syriaca, Hieronymus, ac doctissimi Interpretes vulgatæ interpretationi favent.

5. (*e*) Quia etiam Apostoli jam baptizati erant Baptismo Christi: sed præterea opus erat alio Baptismo fortitudinis, & charitatis, qui eos intrepidos, & ad persecutiones omnes perferendas dispositos efficeret; quique instar ignis ingenitum mortis & tormentorum metum consumeret: unde & Spiritu sancto uberius eos impleri oportuit.

6. (*f*) Regnum adhuc terrenum, sibi una cum aliis Judæis fingebant Apostoli. Quamobrem eum interrogarunt, utrum more aliorum regum ipse esset regnaturus, & Israelitas a jugo Romanorum vindicaturus. Christus vero hujus quæstionis solutionem in adventum Spiritus sancti distulit, a quo erant edocendi quodnam futurum esset regnum Israel.

7. & 8. (*g*) Non vobis expedit, neque ad vos pertinet. *Sed accipietis*: Hoc ipsum vos scire oportet, fore ut virtute Spiritus sancti animati publicum reddatis testimonium Incarnationis meæ, Passionis, Resurrectionis, atque hoc testimoniorum vestro sanguine obsignetis. Tam insigne testimonium illapsus Spiritus sancti fructus erit uberrimus, ac per illud regnum Israelis restituetur. Quod utique regnum internum in animis fidelium per fidem, spem & charitatem omnino est spirituale, atque in ejus regni restitutionem post Spiritus sancti effusionem toti incubuerunt Apostoli.

9. (*h*) Ex Evangelio Lucæ, cap. 24. vers. 50. *Eduxit autem eos foras in Bethaniam*, extra Jerusalem: unde reversus videtur in montem Oliveti, in cujus clivo fere erat Bethania. In eo scilicet loco elevatus est, ubi manent pedum ejus impressa vestigia, teste Sulpicio Severo Lib. 2. & Paulino Epist. 11.

11. (*i*) In eadem forma, & forte in eodem loco: quibus verbis eos de absentia Domini consolantur.

12. (*k*) Hoc est 1500. circiter passus Geometricos: cum Bethania ultra montem posita, duo millia passuum distaret Jerosolymis.

13. (*l*) Gr. Ubi ingressi sunt, nempe domum; *Ascenderunt in cœnaculum*, in supremum domus tabulatum, seu in solarium: Gall. *La plate forme*: quæ erat pars domus orationi magis idonea.

14. (*m*) In eadem domo erant congregati: Gratia Dei est efficacior, ubi est unanimis fratrum concordia, & orandi perseverantia. *Et Maria matre Jesu*: Inter quas prima & præcipua erat mater Jesu; *Et fratribus Jesu*, cognatis ejus.

15. (*n*) Petrus ut princeps Apostolorum jure suo utitur de Ecclesiæ regimine acturus, & duodecimi Apostoli electione, Ecclesiæ in unum congregatæ id proponit, quod ad mystici corporis Christi perfectionem erat necessarium. *Hominum*, Gr. nominum, seu capitum.

16. (*o*) Gr. Oportebat: Loquitur Petrus de infelici Judæ exitu jam præterito, qui impellente avaritia illam Psalmi 68. Prophetiam implevit.

17. Qui connumeratus erat in nobis (*p*), & sortitus est sortem ministerii hujus.

Matth. 27. 7. 18. * Et hic quidem possedit (*q*) agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius: & diffusa sunt omnia viscera ejus.

19. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager sanguinis.

20. Scriptum est enim in libro Psalmorum:
Ps. 68. 26 * Fiat commoratio eorum (*r*) deserta, & non
Ps. 108. 8. sit qui inhabitet in ea: * & episcopatum ejus accipiat alter.

21. Oportet (*f*) ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jesus,

22. Incipiens a baptismate Joannis usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.

23. Et statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas (*t*), qui cognominatus est Justus: & Mathiam.

24. Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum,

25. Accipere locum ministerii hujus, & apostolatus, de quo prævaricatus est Judas ut abiret in locum suum.

26. Et dederunt (*u*) sortes eis, & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.

CAPUT II.

Descensus Spiritus sancti; linguæ igneæ; Petri concio; ter mille ad fidem conversi, primorum fidelium mores; bona communia.

1. ET cum complerentur dies Pentecostes (*a*), erant omnes pariter in eodem loco:

2. Et factus est repente de cælo sonus, tamquam advenientis spiritus (*b*) vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes.

3. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum:

4. * Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis (*c*), prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. *Matt. 3. 11. Marc. 1. 8. Luc 3. 15. Joan. 7. 39. Sup. 1. 5. Inf. 11. 16. & 19. 6.*

5. Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est.

6. Facta autem hac voce, convenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes (*d*).

7. Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt,

8. Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?

9. Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Judæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam,

10. Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Libyæ (*e*), quæ est circa Cyrenen, & advenæ Romani,

11. Judæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes: audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.

12. Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem dicentes: Quidnam vult hoc esse?

13. Alii autem irridentes dicebant: Quia musto (*f*) pleni sunt isti.

14. Stans

---

17. (*p*) Nobiscum. *Et sortitus est*. Particeps fuit hujus ministerii, quod nullus accipit, nisi ex voluntate Dei, non ex meritis suis.

18. (*q*) Ex ejus pecunia ager fuit acquisitus. *Suspensus crepuit*. Gr. [illegible], pronus crepuit, quod ejus venter intumuerit; aut forte fune disrupto, & discisso ventre, præceps corruerit effusis visceribus. *De mercede iniquitatis*; atque hunc perfidiæ suæ fructum recepit. Duplicem ob rationem vocatus est *ager sanguinis*, quod pretium fuerit proditionis Judæ, & ibi Judas miseram obierit mortem.

20. (*r*) Non illud abhorret a vero, vocem eorum irrepsisse ex consuetudine legendi hunc Psalmi versiculum, cum Petrus illum ad Judam accommodet, quod universim scriptum est in Judæos parricidas; vel ut aliis placet, *Fiat Commoratio ejus deserta*, seu domus Judæ, a Romanis evertendæ. *Et Episcopatum*, munus pastoris Judæ commissum. Quæ postrema verba ex Psalmo 108. desumpta.

21. (*f*) Jam in præsenti tempore loquitur Petrus, ac subinde necessariam Apostoli in locum Judæ substitutionem insinuat. *Quo intravit & exivit*: Phrasis est Hebraica: quo nobiscum vixit, & conversatus est, ut firmius sit testimonium, cum testes oculati producentur.

23. & 25. (*t*) Hoc est *Filius Saba*. *In locum suum*, in locum gehennæ.

26. (*u*) Electio jam præcesserat, qua duo ex fratrum, seu discipulorum numero selecti fuerant, qui cum viderentur meritis pares, hos sortitio discrevit. Unde sors illa fuit cum electione conjuncta & divisiva, ut ajunt, qua uti solent, cum divisæ hæreditatis quæ pars unicuique hæredi contingat, sorti committitur. Augustinus sermone 2. in Psalmum 30. *Sors non aliquid mali est; sed res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem*. Tum sortem misisse Apostolos, ait postquam duos elegerant virtutibus pares: *Electi sunt duo judicio humano, electus est unus ex duobus judicio divino*.

CAP. II. 1. (*a*) Cum dies quinquagesimus post festum Azymorum compleretur. Qui dies cum ex constanti Ecclesiæ traditione fuerit Dominicus, hinc colligunt quidam viri docti festum Azymorum a plerisque Judæis hoc anno die sabbati fuisse celebratum, & agnum Paschalem die Veneris fuisse immolatum. In texto Græco dies in singulari numero ponitur. Nam una tantum erat dies in festo Pentecostes, non plures, ut in Paschate. Pariter. Gr. unanimiter, simul: eo die quasi animata fuit Ecclesia Spiritu Sancto, a quo jam habuerat justitiam: sed motum & vigorem nunc accipit.

2. (*b*) Venti vehementis, qui signum erat divini adventus, ut Lib. 3 Regum, cap. 19. eo ipso die, quo legem Israelitis dederat Deus.

4. (*c*) Utrum una & eadem lingua, quæ ab omnibus intelligeretur, locuti sint Apostoli, ita ut miraculum in iis fuerit qui audiebant; an potius distinctis linguis locuti sint, adeo ut alii Græce, Latine alii, & ita de ceteris loquerentur, quæri merito solet. Utrumque fieri potuit: nam accepto Spiritu Sancto statim cœperunt loqui variis linguis Apostoli, cum diversarum nationum homines eo confluerent, & permistim adessent. Sed illud quoque satis est verosimile una & eadem lingua postea locutos esse, quæ ab omnibus, qui aderant, intelligebatur.

6. (*d*) Non adeo stupendum fuisset, si diversi homines diversis locuti fuissent linguis; sed inauditum hactenus fuit miraculum, quod idem homo eadem utens lingua ab omnibus intelligeretur. Quæ oratio a Petro habita est, una & eadem lingua fuit pronuntiata, ab omnibus tamen intellecta. Nec dubium tamen est; quin Apostoli donum linguarum acceperint, ut Evangelium toto orbe prædicarent. Hinc Apostolus 1. Corinth. 12. *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor*. Nam & fideles postea accepto Spiritu Sancto variis locuti sunt linguis, ut Actorum 10 & 19. cap. testatum habemus. Divisio linguarum olim in pœnam facta est, cum dispersæ sunt nationes: nunc linguarum donum in unitatem fidei, & in unum corpus fideles adducit.

10. (*e*) Lybia aliquando sumitur pro tota Africa, interim pro ea regione, quæ est ad occasum Ægypti: hujus metropolis erat Cyrenes. *Et advenæ Romani*, Judæi aut professione, aut genere.

13. (*f*) Vox Græca γλεύκος, *liquorem dulcem* significat. Non enim ea tempestate mustum fuit expressum, aut lactæ sunt vindemiæ: sed vinum erat nondum austerum, aut forsan igne coctum, cujusmodi est vinum Canariense, & alia pleraque:

14. Stans autem Petrus cum undecim levavit vocem suam, & locutus est eis: Viri Judæi, & qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea.

15. Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia (g):

16. Sed hoc est, quod dictum est per prophetam Joel:

* Isa. 44. 3. Joel 2. 28. 17. * Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus) effundam (h) de Spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ: & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt.

18. Et quidem super servos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt:

19. Et dabo prodigia (i) in cælo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.

20. Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus.

* Joel 2. 32. Rom. 10. 13. 21. * Et erit: omnis quicumque invocaverit (k) nomen Domini, salvus erit.

22. Viri Israelitæ, audite verba hæc: Jesum (l) Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis:

23. Hunc definito consilio (m), & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis:

24. Quem Deus suscitavit, solutis (n) doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.

* Ps. 15. 8. 25. David enim dicit (o) in eum: * Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear:

26. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe (p):

27. Quoniam non derelinques animam meam in inferno (q), nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

28. Notas mihi fecisti vias vitæ (r): & replebis me jucunditate cum facie tua.

29. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, * quoniam defunctus est, & sepultus: & sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. * 3. Reg. 2. 10.

30. Propheta igitur cum esset, & sciret quia jurejurando * jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus: * Ps. 131. 11.

31. Providens locutus est de resurrectione Christi, quia * neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. * Ps. 15. 10. Inf. 13. 35.

32. Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus.

33. Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis, & auditis.

34. Non enim David ascendit in cælum (s): dixit autem ipse: * Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, * Ps. 109. 1.

35. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

36. Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis.

37. His autem auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres?

38. Petrus vero ad illos: Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine (t) Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti.

39. Vobis

15. (g) Hora nona matutina, qua quidem hora non solent homines inebriari, præsertim in fervidis illis regionibus. Petrus vero hinc occasionem sumit docendi Judæos, hoc ipsum quod vino tribuebant, a Spiritu Sancto esse profectum, idque prædictum a Joele Propheta ostendit, cujus verba suo loco sunt exposita. Et quidem quod solet vinum in hominibus, hoc Spiritus Sancti effusio in Apostolis miro quodam efficiebat modo, lætitiam cordis incredibilem, verborum ubertatem, interritos in periculis animos, rerum terrenarum contemptum, sinceritatem in reddendis testimoniis.

17. (h) Hæc effusio Spiritus Sancti cœpit in Apostolis usque ad mundi finem duratura. Vocatio Gentium his verbis insinuatur: dies vocantur novissimi, novæ legis tempora. Vox Hebraica *Achare*, אחרי, *postea*, significat. *Filii vestri*, Spiritum propheticum accipient, & varia Spiritus Sancti dona, mysteria hactenus incognita penetrabunt.

19. (i) Hæc spectant ad extremum judicium, aut ad ea quæ jam in morte Christi visa sunt prodigia, cujusmodi fuit sol obscuratus, terræmotus, &c.

21. (k) Per verum Dei cultum, quique in fide, spe, & charitate ad finem usque perseveraverit.

22. (l) Dei testimonio, & innumeris miraculis comprobatum Messiam esse ostendit.

23. (m) Non casu fortuito, non ex imbecillitate, aut invitum, sed divinæ voluntatis decreto traditum: adeo ut Christi mortem Deus volens, odium & invidiam Judæorum permiserit. Non enim Judæ avaritiam, aut infestos Judæorum animos fecit Deus, sed utrisque usus est ad generis humani redemptionem perficiendam, quæ invenit in cordibus eorum. *Traditum*, Gr. [illegible], *deditum*, *expositum*.

24. (n) Gr. [illegible]. *Solvens*. Dolores illi non aliud videntur esse, quam dolores, quos perpessus est in cruce, quique illi mortem intulerunt. Hebraismus ille frequens est in Scripturis, ut *homo peccati*, est *peccator*; *dolores mortis*, sunt *mortales dolores*: corpus ab anima separavit dolor, resurrectio doloris effectus solvit. Vel ut aliis videtur Interpretibus, vox Hebraica *Chevelim*, חבלים, quæ *dolores*, eadem & *vincula* exprimit, ut Psalm. 17. 6. ad quem forte alludit Petrus, *dolores inferni*, in Vulgata, Hebr. sunt *vincula*, aut *funes*. Petrus Hebraice loquens potuit hunc locum citare. *Circumdederunt me funes mortis*. Lucas vero, qui versione LXX. uti solet, ita scripsit; *Solutis doloribus inferni*. Rupit enim Christus per resurrectionem suam mortis vincula, quibus mors eos constringit, qui ex hac vita excedunt. Juxta quod, eo quod: *Ab eo*, a morte, ac probationis loco utitur Davidis testimonio.

25. (o) David in hoc Psalmo 15. Christum inducit loquentem: *In eum*, hoc est, in persona Christi, vel ejus nomine: *Providebam Dominum*. Patrem æternum. Hæc utique suo loco sunt exposita ad Psalmum 15. quem veteres Rabbini de Messia exposuerunt.

26. (p) Futuræ resurrectionis securus; nec o Deus! sines ut corpus sanctificatum per unionem verbi hypostaticam corrumpatur.

27. (q) Descensus Christi ad inferos hic manifeste colligitur. Nunquam enim legimus animam descendere in sepulcrum. Unde hæc duo Petrus cum Psalmista distinguit: *Quia non derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem*, seu incinerationem; illud ad animam, hoc ad ejus corpus pertinet. Quamvis non inficiemur animam interdum pro homine accipi; nec defuerint qui hæc intellexerint de sepulcro, hoc modo: *Non relinques me sub regno mortis*.

28. (r) Revocabis me ad vitam: *Cum facie tua*, in cælo. Tum Judæorum objectionem occupat, ac subinde ostendit Davidem non de seipso loqui, sed de Christo ejus filio secundum carnem.

34. (s) Ita ut de eo vere dici possit: *Sede a dextris meis*. Hæc quippe verba in Davidem non cadunt.

38. (t) Profitentes nomen Christi. Fidem in Christum exigit, ut missum a Deo, & hominum redemptorem, eamque ut conditionem ad Baptismum necessariam, non quod Apostoli alia uterentur forma præter eam, quam Christus ipse instituerat. *Et accipietis gratiam* justificantem per Sacramentum Confirmationis. Unde præcessit instructio quoad credenda & facienda.

39. Vobis enim est repromissio (u), & filiis vestris, & omnibus qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster.

40. Aliis etiam verbis plurimis testificatus est, & exhortabatur eos, dicens: Salvamini a generatione ista prava.

41. Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt: & appositæ (x) sunt in die illa animæ circiter tria millia.

42. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.

43. Fiebat autem omni animæ timor: multa quoque prodigia & signa per Apostolos in Jerusalem fiebant, & metus erat magnus in universis.

44. Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.

45. Possessiones & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.

46. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem (y), sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis.

47. Collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat qui salvi fierent quotidie in idipsum (z).

CAPUT III.

Claudus ex utero matris suæ sanatur a Petro; concursus Populi; Petri concio secunda.

1. PEtrus autem & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam (a).

2. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa (b), ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum.

3. Is cum vidisset Petrum & Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet.

4. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit: Respice in nos.

5. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis.

6. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge, & ambula.

7. Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, & protinus consolidatæ sunt bases ejus, & plantæ.

8. Et exiliens stetit, & ambulabat: & intravit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.

9. Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum.

10. Cognoscebant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: & impleti sunt stupore & extasi in eo, quod contigerat illi.

11. Cum teneret autem Petrum & Joannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis (c), stupentes.

12. Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?

13. Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti.

14. * Vos autem Sanctum & Justum negastis (d), & petistis virum homicidam donari vobis: *Matth.27.20. Marc.15.11. Luc.23.18. Joan.18.40.

15. Auctorem vero vitæ (e) interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus.

16. Et in fide (f) nominis ejus, hunc quem vos vidistis, & nostis, confirmavit nomen ejus: & fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.

17. Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam (g) fecistis, sicut & principes vestri.

18. Deus autem, quæ prænuntiavit per os omnium prophetarum, pati Christum suum, sic implevit.

19. Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra:

20. Ut cum venerint tempora refrigerii (h), a conspectu Domini, & miserit eum, qui prædicatus est vobis, Jesum Christum,

21. Quem

39. (u) Hæc quidem facta est Abrahæ & semini ejus quod est Christus: tametsi in gratiam Judæorum facta est. Et omnibus qui longe sunt: De Judæis proprie loqui videtur, qui toto orbe erant dispersi. Nondum enim forsitan vocatio Gentium perspecta erat Petro, uti ex cap. 10. colligitur: tametsi alii de Gentibus ut a fide alienis hæc intelligunt, ut Prophetæ & Christus ipse identidem prædicaverant.

41. (x) Fidelium numero sunt appositæ: qui a discipulis sunt baptizati, non immersione, sed effusione, vel aspersione aquæ.

46 (y) Gr. Per singulas domus. Versio syriaca utitur voce Phersa, פרסתא, quæ fractionem, seu Eucharistiam significat, & clarius.

47. (z) Hoc est, in eamdem vivendi rationem; vel juxta textum Græcum, qui salvarentur, fideles.

CAP. III. 1. (a) Hora erat post meridiem tertia, quæ precibus vespertinis erat destinata.

2. (b) An forte hæc porta extructa fuit in locum ejus quam Joathan Lib. 4. Reg. cap. 15. extruxerat in templo Salomonis? Josephus Lib. 7. Antiq. cap. 12. eam factam ait ex ære Corinthio.

11. (c) De qua Ezechiel 40. & Joann. 10. 23. Hanc describit Josephus Lib. 8 cap. 1. & Lib. 20. cap. 8. Ea quidem in parte extima atrii Gentium, & eodem in loco, quo a Salomone fuerat extructa, ab Herode fuit restituta.

14. (d) Oblatum Messiam, Sanctum sanctorum adeo exoptatum rejecistis. Verum hujus miraculi auctorem demonstrat Petrus.

15. (e) Deum scilicet hominem factum interfecistis. Deus enim solus est auctor vitæ; eum qui vos creavit, occidistis. Non de vita æterna, sed de temporali manifeste loquitur, atque ex ipsa antithesi, qua Petrus utitur, palam est Petrum iis exprobrare Deicidium.

16. (f) Per fidem in Christum, & invocationem nominis ejus, cui interiorem fidem conjunxerat; ac nomen hoc loco non pro virtute tantum & potestate, sed proprie pro Christi nomine accipitur. Confirmavit nomen ejus: Hoc loco, ut sæpe alias, est hyperbaton, seu quædam vocum transpositio, quæ sic disponi potest: Et nomen ejus confirmavit per illius fidem hunc quem vidistis & nostis: mox ad pœnitentiam eos adhortatur.

17. (g) Cum ignorantia peccatum imminuat: nam major culpa & gravior exstitisset, si contra conscientiam, ac certam persuasionem de Christi missione & sanctitate auctorem vitæ interemissent. Eamdem igitur Petrus affert excusationem, quam Salvator in cruce. Et tamen ignorantia illius est Deus, ut Prophetarum implerentur oracula, quæque Judæi adversus Christum fecerant, Deus in bonum converteret.

20. (h) Hic est ellipsis quædam, adeo ut supplendum aliquid videatur, quale est illud, ut præsumamini refrigerio, aut ubi tempus advenerit refrigerii; sicque versiculus 19. cum vigesimus est conjungendus, ut deleantur peccata vestra, cum venerint tempora refrigerii; A conspectu Domini, præsente & favente Domino; vel, ut aliis placet, a conspectu Domini, adventus ignem illum, quo conflagraturus est orbis: quemadmodum in Psalmis legimus Umbraculum ab æstu, ut sint tuti, & securi ab æstu; a turbine, & a pluvia. In Scriptura etiam facies, sæpe pro ira Dei usurpatur: ut Psalm. 17. 9. Ignis a facie ejus exarsit.

21. Quem oportet quidem cælum suscipere (*i*) usque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum a sæculo prophetarum.

* Deut. 18. 15. Inf. 7. 37. 22. Moyses quidem dixit: * Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tamquam me, ipsum audietis juxta omnia quæcumque locutus fuerit vobis.

23. Erit autem: omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur (*k*) de plebe.

24. Et omnes prophetæ a Samuel, & deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos.

25. Vos estis filii prophetarum, & testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: * Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. * Gen. 12. 3.

26. Vobis primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis: ut convertat se unusquisque a nequitia sua.

CAPUT IV.

Ex prædicatione Petri quinquies mille sunt ad fidem conversi; Petrus & Joannes in carcere conjecti; constantia eorum: Oratio fidelium qui replentur Spiritu sancto; horum cor unum, anima una: de Barnaba.

1. LOquentibus autem illis ad populum, supervenerunt sacerdotes, & magistratus (*a*) templi, & Sadducæi,

2. Dolentes quod docerent populum, & annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis:

3. Et injecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum: erat enim jam vespera.

4. Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus virorum quinque millia (*b*).

5. Factum est autem in crastinum, ut congregarentur principes (*c*) eorum, & seniores, & Scribæ in Jerusalem;

6. Et Annas princeps sacerdotum, & Caiphas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant de genere sacerdotali.

7. Et statuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?

8. Tunc repletus Spiritu sancto Petrus dixit ad eos: Principes populi, & seniores audite:

9. Si nos hodie dijudicamur (*d*) in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est,

10. Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel: quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus.

11. * Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: * Ps. 117. 22. Isa. 28. 16. Matt. 21. 42. Marc. 12. 10. Luc. 20. 17. Rom. 9. 33. 1. Pet. 2. 7.

12. Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo (*e*) datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

13. Videntes autem Petri constantiam, & Joannis, comperto quod homines essent sine litteris, & idiotæ, admirabantur, & cognoscebant eos quoniam cum Jesu fuerant:

14. Hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.

15. Jusserunt autem eos foras extra concilium secedere: & conferebant ad invicem,

16. Dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum (*f*) factum est per eos, omnibus habitantibus Jerusalem: manifestum est, & non possumus negare.

17. Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum.

18. Et vocantes eos, denuntiaverunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu.

19. Petrus vero, & Joannes respondentes, dixerunt ad eos: Si justum (*g*) est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, judicate:

20. Non enim possumus quæ vidimus & audivimus non loqui.

21. At illi comminantes dimiserunt eos: non invenientes quomodo punirent eos, propter populum, quia omnes clarificabant id, quod factum fuerat in eo quod acciderat.

22. Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis.

23. Dimissi autem venerunt ad suos: & annuntiaverunt eis quanta ad eos principes sacerdotum & seniores dixissent.

24. Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine, tu es qui fecisti cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt:

25. Qui

21. (*i*) Cælo recipi. Sic enim Deo placuit, ut fides vestra exerceatur: *Usque in tempora resurrectionis*: Donec compleantur omnia, quæ dicta sunt a Prophetis. Vox Græca δέξασθαι, significat *suscipere*, aut *admittere*: ac publicam tantummodo & exteriorem præsentiam excludit Apostolus, non invisibilem, quamvis realem, qua præsens est in Eucharistia, de qua ministrare agebatur; aut extraordinariam, ut quando Paulo & aliis Sanctis apparuit, ut 1. Cor. 9. Nonne *Jesum Christum Dominum nostrum vidi?*

23 & 24. (*k*) Peribit, in populo Dei non censebitur: *Omnes Prophetæ*: Usus auctoritate Mosis ex capite 18. Deuteronomii, idque confirmat ex Prophetis, quorum monumenta ad nos usque pervenerunt.

CAP. IV. 1 (*a*) Græc. Στρατηγός, *Præfectus*, nimirum custodibus Templi. Non is erat centurio cohortis, qui præsidio erat in turre Antonia, quique non Templi, nisi forte atrii Gentium excubiis præerat. Nam Levitæ erant Templi & atrii interioris custodes præpositi, ne quis tumultus fieret. *Et Sadducæi*, qui cum resurrectionem mortuorum negarent, ægre ferebant Christi resurrectionem palam annuntiari.

4. (*b*) An tria virorum millia, qui die Pentecostes fuerant baptizati, in hunc numerum includantur; an potius eo die quinque millia præter alia tria nomen Christo dederint, dubitatur. Hi vero diebus proxime sequentibus sunt baptizati per aquæ effusionem, aut aspersionem.

5. (*c*) Magni Synedrii Senatores, *& Seniores*, alii urbis Senatores, *& Scribæ*, Legis Doctores. An forte 24 Classium Sacerdotalium capita Seniorum nomine designantur?

9 (*d*) Syriace, si in jus vocamur: *In benefacto*, quod benefecerimus, *In quo iste salvus factus est*, supple, judicamur, quod ille sanitatem receperit.

12. (*e*) Ergo fides in Christum est ad salutem omnino necessaria; qui nobis salutem æternam impartitur, is facile potuit hunc sanare claudum.

16. (*f*) Per eos factum, notum est omnibus habitantibus in Jerusalem.

19. (*g*) An justum est Deo coram & teste *vos potius audire, quam Deum?*

25. Qui Spiritu sancto per os patris no-
* Ps. 2. 1. stri David, pueri tui, dixisti: * Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania?

26. Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus?

27. Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes (*h*), & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Israel,

28. Facere quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt (*i*) fieri.

29. Et nunc Domine respice in minas (*k*) eorum, & da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum,

30. In eo quod manum tuam extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri per nomen sancti filii tui Jesu.

31. Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati: & repleti (*l*) sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia.

32. Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat (*m*), aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

33. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri: & gratia (*n*) magna erat in omnibus illis.

34. Neque enim quisquam egens (*o*) erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant,

35. Et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.

36. Joseph (*p*) autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum Filius consolationis) Levites, Cyprius genere,

37. Cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.

CAPUT V.

Ananias & Saphira ob fraudatum agri pretium puniuntur a Deo: Petri miracula: Apostoli in custodiam dati stant in Concilio; intrepide respondent; Gamalielis consilium; cæsi gaudent.

1. VIr autem quidam nomine Ananias, cum Saphira uxore sua vendidit agrum,

2. Et fraudavit (*a*) de pretio agri, conscia uxore sua: & afferens partem quamdam, ad pedes Apostolorum posuit.

3. Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit (*b*) satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri?

4. Nonne manens tibi manebat (*c*), & venumdatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo.

5. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expiravit (*d*). Et factus est timor magnus super omnes, qui audierunt.

6. Surgentes autem juvenes amoverunt eum, & efferentes sepelierunt.

7. Factum est autem quasi horarum trium spatium, & uxor ipsius nesciens quod factum fuerat, introivit.

8. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi, mulier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit: Etiam tanti.

9. Petrus

27. (*h*) Ex hoc loco nonnulli Interpretes colligunt Herodem cum Pilato in Christi necem consensisse.

28. (*i*) Nefarium illud parricidium non decrevit Deus, sed permisit. Mortem quidem filii sui decrevit sanctissimo consilio, quod illi impleverant perversissima voluntate: sicut eleemosynam facit Paterfamilias pia voluntate, quam interdum distribuit servus prava voluntate. Consilia Dei, Pilatus, Herodes & Principes Sacerdotum promoverunt iis obsistendo. *Et fecerunt*, perfecerunt, *quæ manus Dei*, potentia, & consilium, seu divina providentia, *decreverunt fieri*.

29. & 30. (*k*) Ut eas avertas, non ut vindices. *In eo quod*. Gr. ἐν τῷ, sanationes & signa operando.

31. (*l*) Ut in die Pentecostes, & ob eumdem finem. Nam loquebantur verbum Dei cum fiducia. Hinc discimus nos quotidiana egere Dei gratia, ut quod ipse dedit, conservemus, qui semper deficimus.

32. (*m*) Ex iis nemo quæ possidebat, *aliquid suum esse dicebat*: Atque hic erat religiosæ & monasticæ vitæ professus, quæ in Christi familia habuisse videtur initium. *Communia*. Iis scilicet, qui bonis relictis se Deo totos dedebant. Primum enim non fideles omnes qui in Judæa erant a Christo Domino ad fidem conversi, iis qui Jerosolymis habitabant se adjunxere; atque illud ex Evangelio liquet plures ex iis qui crediderant, proprias habuisse possessiones. Sed neque omnes qui erant Jerosolymis, ut Nicodemus, & Gamaliel, propria reliquerant bona. Quod igitur generatim in hoc & secundo capite scriptum est, ad eos potissimum pertinet, qui post acceptum Spiritum Sanctum una item & altera Petri prædicatione conversi credidere; neque illos omnes sine ulla exceptione complecti necesse est. Nam plerique erant filiifamilias, quorum parentes nondum erant fideles: alii conjugati, qui continere nollent ab opere conjugali. Nam qui fidem amplectebantur Christianam, non omnes jubebantur suas relinquere facultates: siquidem Petrus potest dixit Ananiæ. *Nonne manens tibi manebat?* loquens de possessione quam vendiderat: liberum cuique erat fundos suos retinere.

33. (*n*) Grati erant Deo & hominibus: sic Ecclesiæ velut infantia Christi infantiæ respondebat.

34. (*o*) Pauperes erant, quia nemo ex iis, qui se totos Deo addixerant, suum esse quicquam dicebant: non erant tamen egeni, cum necessaria iis non deessent.

36. (*p*) Illustre hujus rei affert exemplum Barnabæ, qui cum Cyprius esset genere, & Levita, possessionem habuit in Judæa, vel in Cypro Insula, quam vendidit, & pretium attulit ad pedes Apostolorum.

2. (*a*) Græc. *ante vertit*, partem pretii majorem uxore conscia retinuit: quod fortasse totum consecraverat; ut videtur Augustino sermone 10. de diversis, qui votum præcessisse putat, eumque mentitum esse in fraudem voti. Quamquam illud ipsum ex textu non aperte colligitur. In eo saltem peccarunt, quod timidi fuerint dispensatores, necessariis non contenti, commoda sua sectantes, majorem pretii partem sibi servantes, totum a se afferri simulaverint: immo & mentientes Apostolos & Ecclesiam se fallere posse crediderint, quasi totum dedissent: hypocrisim cum mendacio & fraude conjunxerunt. Quæ & quanta fuerit hujus peccati gravitas, nostrum non est judicare. CAP. V.

3. (*b*) Græc. *Cur implevit?* Cur tentationis consensum adhibuisti?

4. (*c*) Difficile est hæc verba cum voto, aut consecratione pretii conciliare. Metuebant quidem egestatem divinæ providentiæ diffisi, aut certe metuebant ne bonorum dispensatores satis caute, aut fideliter se gererent. Hinc tamen recte sequitur Apostolos id fidelium libertati reliquisse, ut bona sua in commune conferrent. *Sed Deo*. Hinc merito colligunt Sancti Patres adversus Macedonium, Spiritum Sanctum Deum esse. Petrus enim dixerat Ananiam mentitum esse Spiritui Sancto; atque is mentitus fuerat Ecclesiæ, cujus velut anima est Spiritus Sanctus.

5. (*d*) Non propterea Ananias a Petro fuit occisus. Quæ enim protulit verba, increpationem tantummodo continebant, nullam mortis mentionem: Saphiræ quidem sententiam Dei declaravit. Ambos ex increpatione Petri subitaneo dolore perculsos fuisse valde credibile est, Petrum Apostolum, inquit Hieronymus in epistola ad Demetriadem. *Nequaquam his imprecatur mortem, ut stultus Porphyrius calumniatur; sed Dei judicium prophetico spiritu annuntiat, ut pœna duorum hominum, sit doctrina multorum*.

9. Petrus autem ad eam : Quid utique convenit vobis tentare (e) Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium, & efferent te.

10. Confestim cecidit ante pedes ejus , & expiravit. Intrantes autem juvenes , invenerunt illam mortuam , & extulerunt , & sepelierunt ad virum suum.

11. Et factus est timor (f) magnus in universa Ecclesia , & in omnes qui audierunt hæc.

12. Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe . Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis.

13. Ceterorum autem nemo audebat se conjungere illis: sed magnificabat eos populus.

14. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum,

15. Ita ut in plateas ejicerent infirmos , & ponerent in lectulis ac grabatis, ut, veniente Petro , saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum , & liberarentur ab infirmitatibus suis.

16. Concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum Jerusalem , afferentes ægros , & vexatos a spiritibus immundis: qui curabantur omnes.

17. Exurgens autem princeps sacerdotum , & omnes qui cum illo erant (quæ est hæresis Sadducæorum) repleti sunt zelo:

18. Et injecerunt manus in Apostolos , & posuerunt eos in custodia publica.

19. Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, & educens eos, dixit:

20. Ite, & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus.

21. Qui cum audissent, intraverunt diluculo in templum , & docebant. Adveniens autem princeps sacerdotum , & qui cum eo erant , convocaverunt concilium, & omnes seniores filiorum Israel : & miserunt ad carcerem ut adducerentur.

22. Cum autem venissent ministri , & aperto carcere non invenissent illos , reversi nuntiaverunt.

23. Dicentes : Carcerem quidem invenimus clausum cum omni diligentia, & custodes stantes ante januas: aperientes autem neminem intus invenimus.

24. Ut autem audierunt hos sermones magistratus templi, & principes sacerdotum, ambigebant de illis quidnam fieret.

25. Adveniens autem quidam nuntiavit eis: Quia ecce viri , quos posuistis in carcerem , sunt in templo stantes, & docentes populum.

26. Tunc abiit magistratus cum ministris , & adduxit illos sine vi : timebant enim populum, ne lapidarentur.

27. Et cum adduxissent illos , statuerunt in concilio : & interrogavit eos princeps sacerdotum,

28. Dicens : Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto : & ecce replestis Jerusalem doctrina vestra: & vultis inducere super nos sanguinem hominis istius.

29. Respondens autem Petrus, & Apostoli , dixerunt : Obedire oportet Deo magis , quam hominibus.

30. Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno.

31. Hunc principem & salvatorem (g) Deus exaltavit dextera sua ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum.

32. Et nos sumus testes (h) horum verborum , & Spiritus sanctus , quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.

33. Hæc cum audissent , dissecabantur (i), & cogitabant interficere illos.

34. Surgens autem quidam in concilio Pharisæus , nomine Gamaliel , legisdoctor honorabilis universæ plebi , jussit foras ad breve homines fieri.

35. Dixitque ad illos : Viri Israelitæ , attendite vobis super hominibus istis quid acturi sitis.

36. Ante hos enim dies extitit Theodas (k), dicens se esse aliquem , cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum : qui occisus est: & omnes, qui credebant ei dissipati sunt, & redacti ad nihilum.

37. Post hunc extitit Judas Galilæus in diebus professionis , & avertit populum post se , & ipse periit : & omnes , quotquot consenserunt ei, dispersi sunt.

38. Et nunc itaque dico vobis , discedite ab hominibus istis , & sinite illos : quoniam si est ex hominibus consilium hoc , aut opus, dissolvetur (l):

39. Si

9. (e) An Spiritus sanctus ipsis inesset Apostolis , an eorum fraudem detegeret?

11. (f) Illud permagni intererat severius animadvertere in primos hujus peccati auctores, ad terrorem aliorum. Sic enim omnibus persuasum fuit Spiritum Dei in Ecclesia residere , quam per Apostolos regebat.

31. (g) Hunc per resurrectionem gloriosam exaltatum ab omnipotentia Dei, in Principem & Salvatorem hominum constituit.

32. (h) Testes oculati nihil in hoc mundo spectantes, aut timentes, sibi ubique constantes, quorum testimonium non variat, testes numero plures. In hoc testimonio sunt omnes veritatis characteres, sincerum est de his quæ viderant , & audierunt; facta ab iis miracula eorum testimonium confirmabant.

33 (i) Fremebant. *Interficere eos*, de horum nece nulla servata juris forma cogitabant.

36. (k) Hujus filius aut nepos fuit alter Theodas, cujus meminit Josephus Lib. 20. cap. 5. qui anno quarto Claudii rebellionem patris, aut avi sui sub Augusto factam paullo post Herodis mortem renovare conatus est, quippe a Caspio Fado Judææ præside occisus fuit : nisi forte Josephum memoria fefellerit, qui sub Claudio hoc factum recensuit, quod sub Augusto contigerat. Sed probabilius videtur duos extitisse impostores ejusdem nominis, quod apud Judæos erat usitatum, ac priorem, cujus meminit Gamaliel , iis temporibus rebellasse quæ variis seditionibus fuerunt obnoxia, nimirum paullo post Herodis obitum, cum Archelaus Romam se contulisset , ut testamenti paterni confirmationem obtineret. Tum enim die Pentecostes orta est seditio in Judæa adversus Sabinum Augusti procuratorem, ac multi iis temporibus rebellarunt, qui se Reges & Messias venditabant. Decimo post anno cum Quirinus censum Judææ jussu Augusti iniret, Judas Galilæus rebellavit. Primus quidem census, ut alibi dictum fuit, factus est vivente Herode seniore , cum descriptus est orbis terrarum , nulla capitatione indicta. Nam sub Herode nullum a Romanis tributum Judæis fuit impositum: sed Archelao ultra alpes relegato, bona ejus fisco sunt addicta , Judæa in provinciam redacta, ac Judæi tributum persolvere coacti sunt, quæ Judæ Galilæo rebellandi fuit occasio. Tum vero Quirinus secundum censum instituit. Prior quidem ad potentiæ Romanæ ostentationem factus est, ut vires imperii perspectæ haberentur. In eo homines tantum, non facultates censebantur; posterior ad fiscum pertinebat: unde prior census citra ullum tumultum factus est, non item posterior.

38. (l) Ita quidem est: consilium quod ex Deo non proficiscitur, tandem dissolvitur. Sed non propterea cessare debet præpositorum vigilantia. Deinde in his quæ profert Gamaliel exemplis, Theodæ, & Judæ Galilæi seditiones non sine auctoritate publica sedatæ fuerunt. Gamaliel vero hac ratione & his usus est exemplis, ut Apostolos ab instanti periculo eriperet, atque ejus verba non sunt Spiritus sancti. Hoc

Ga-

39. Si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte & Deo repugnare inveniamini. Consenserunt autem illi.

40. Et convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt ne omnino loquerentur in nomine Jesu, & dimiserunt eos.

41. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.

42. Omni autem die non cessabant, in templo & circa domos docentes, & evangelizantes Christum Jesum.

CAPUT VI.

Septem Diaconorum electio. Stephanus plenus fide & sapientia, magna signa facit: falso accusatur. Quæ hoc capite & sequenti proximo enarrantur, hæc anno primo a Passione Christi evenerunt.

1. IN diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum (*a*) adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.

2. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis (*b*).

3. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus.

4. Nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus.

5. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu Sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum.

6. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: & orantes imposuerunt (*c*) eis manus.

7. Et verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde: multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.

8. Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo.

9. Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum (*d*), & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant a Cilicia, & Asia, disputantes cum Stephano:

10. Et non poterant resistere sapientiæ (*e*), & Spiritui, qui loquebatur.

11. Tunc summiserunt viros, qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen, & in Deum.

12. Commoverunt itaque plebem, & seniores, & Scribas, & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium,

13. Et statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum, & legem.

14. Audivimus enim eum dicentem: Quoniam Jesus Nazarenus hic, destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.

15. Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli (*f*).

CAPUT VII.

Stephani in Concilio stantis concio: acriter eos objurgat, quod veritati resistant. Lapidatus orat pro lapidantibus.

1. DIxit autem princeps sacerdotum: Si hæc ita se habent?

2. Qui ait: Viri fratres, & patres audite: Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cum esset in Mesopotamia (*a*) prius quam moraretur in Charan,

3. Et

Gamaliel's dilemma ab Heterodoxis frustra profertur, ut probent nobis licere potestatibus adversus eorum schismata. Id quidem apud Synedrium valebat, cui jus non erat vitæ & necis adversus reos. Id quoque verum erat, hoc opus, si ex hominibus esset, non ex Deo, omnino dissolutum iri, aut per se, cum error ipse per se manifestius fieret, aut per legitimas potestates, quibus usurus esset Deus. Sed adversus potestatem a Deo constitutam, schismati aut hæresi destruendæ hoc dilemma perperam adhiberetur.

CAP. VI. 1. (*a*) Græci illi, seu Hellenistæ erant Judæi, qui scilicet in aliis provinciis nati Græce loquebantur: *Adversus Hebræos*, qui in Judæa nati, Hebraice, seu potius Syriace loquebantur. Judæi dici solent tum genere, tum religione. Hebræi qui ex Abrahamo sunt oriundi, adeo ut vox illa originis potius, quam religionis videatur. Græcos, seu Hellenistas eos vocat Evangelista, qui in iis regionibus, ubi Græcus sermo erat usitatus, nati & educati, ad fidem Christi erant conversi. *Despicerentur*: Quod nimirum divitum eleemosynæ, non ut par erat, viduis distribuerentur, adeo ut jam quædam videretur fuisse personarum acceptio. Unde Apostoli viros septem elegerunt, qui ex justitia quæque cibaria, & vitæ necessaria præberent. Crescente multitudine incipiunt obmurmurationes: cum hactenus fidelium cor unum fuerit.

2. & 4. (*b*) Ea scilicet, quæ ad vitam sunt necessaria, tribuere. *Nos vero orationi*, ac præcipue incruento altaris sacrificio, quæ est oratio perfectissima, intenti erimus.

6. (*c*) Græc. Cum orassent: ut septem hos viros ordinarent ad hoc munus obeundum, non solum ut mensæ communi præessent, sed & sacræ. Eleemosynarum quidem distributio hujus electionis faciendæ fuit occasio, sed is non erat præcipuus Apostolorum finis, cum viros Spiritu Sancto plenos & sapientia eligi oportere statuerunt. Illa eleemosynarum distributio nihil admodum spirituale, aut supra naturæ vires exigebat, quodque in quibusdam Clericis non occurreret: quemdam dumtaxat justitiæ affectum requirebat. Majus quiddam Apostoli habebant in animo, nempe ut in ministerio sacro adjutores seligerent, qui in altaris sacrificio adessent Episcopis, Eucharistiam populo distribuerent, & alia obirent sacra munera, quæ ex traditione Apostolica accepimus. Et quidem id peculiare fuit urbi Jerusalem, quod e divitum facultatibus in commune collatis vitæ necessaria viduis & pauperibus tribuerentur; & tamen in omnibus Ecclesiis ordinati sunt Diaconi, ut Ecclesiæ ministri, in quibus Apostolus in priori Epistola ad Timotheum easdem pene dotes postulat, quas in Episcopis requirit, magno quidem argumento eos ad sacra ministeria electos fuisse. Unde Apostoli orantes iis manus imponunt, ut Moyses olim Josue, ut potestatis suæ utcumque eos participes efficiant, & in partem aliquam spiritualis regiminis eos vocent. Id quidem Lucas silentio prætermittit, & vivæ vocis traditioni integrum relinquit, ut pleraque alia. Nam ex perpetua Ecclesiæ traditione id facile intelligimus Diaconos ad Hierarchiam Ecclesiasticam pertinere; neque argumentis negativis dogma illud omnium Ecclesiarum traditione firmatum convelli ullo modo potest. Illud porro satis est verosimile septem Diaconos fuisse Hellenistas: nam eorum nomina Græca sunt, non Hebraica.

9. (*d*) Qui forte e patribus libertate donatis erant oriundi. Nam Pompeius complures Judæos in servitutem abduxerat, quos alii Judæi in suas Synagogas nolebant admittere. Sunt qui per *Libertinos* intelligunt oriundos e Libya inter Cyrenen & Ægyptum, quarum fit mentio Actor. 2. atque hoc in loco junguntur Cyrenensibus.

10. (*e*) Græc. *Qui loquebatur*. Sapientiæ resistitur, cum sola est, nec spiritus ei adjungitur.

15. (*f*) Hujus splendorem ferre non potuerunt, uti nec olim Judæi faciem Mosis.

CAP. VII. 2. (*a*) Quæ inter Euphratem & Tigrim interjacet regio, proprie Mesopotamia dicitur: late sumpta Chaldæam complectitur, eique ad Austrum sita est: ex capite 12. Geneseos palam est Deum apparuisse Abraham, cum esset in Ur Chaldæorum: capite 12. per recapitulationem loquitur Moses, *Dixit autem Dominus*: quod licet interpretari, *Dixerat Dominus*: siquidem, ut identidem monuimus, Hebræi carent præterito plusquam perfecto: adeo ut Thare præ senio, aut infirmitate coactus fuerit in Charan, seu in Haran, aut Carris habitare.

* Gen. 12. 1. 3. Et dixit ad illum: * Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstravero tibi.

4. Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater ejus, transtulit (*b*) illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis.

5. Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis: sed repromisit dare illi eam in possessionem, & semini ejus post ipsum, cum non haberet filium.

* Gen. 15. 13. 6. Locutus est autem ei Deus: * Quia erit semen ejus accola in terra aliena, & servituti eos subjicient, & male tractabunt eos annis quadringentis (*c*):

7. Et gentem cui servierint, judicabo ego, dixit Dominus: & post hæc exibunt, & servient mihi in loco isto.

* Gen. 17. 10. 8. * Et dedit illi testamentum circumcisionis (*d*): * & sic genuit Isaac, & circumcidit
* Gen. 21. 2. 4. eum die octavo: & * Isaac, Jacob: & * Jacob, duodecim Patriarchas.
* Gen. 25. 25.
* Gen. 29. 31. & 35. 21. 9. Et Patriarchæ æmulantes, * Joseph vendiderunt in Ægyptum, & erat Deus cum eo:

* Gen. 37. 28. 10. Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus ejus: & * dedit ei gratiam & sapientiam
* Gen. 41. 37. in conspectu Pharaonis regis Ægypti, & constituit eum præpositum super Ægyptum, & super omnem domum suam.

11. Venit autem fames in universam Ægyptum, & Chanaan, & tribulatio magna: & non inveniebant cibos patres nostri.

* Gen. 42. 2. 12. * Cum audisset autem Jacob esse frumentum in Ægypto, misit patres nostros primum:

* Gen. 45. 3. 13. * Et in secundo (*e*) cognitus est Joseph a fratribus suis, & manifestatum est Pharaoni genus ejus.

14. Mittens autem Joseph accersivit Jacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuagintaquinque (*f*).

15. * Et descendit Jacob in Ægyptum; * Gen. 46. 5.
& * defunctus est ipse, & patres nostri. * Gen. 49. 32.

16. Et translati sunt in Sichem, & positi (*g*) sunt in sepulchro, * quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem. * Gen. 23. 16 & 50. 5. & 13. Jos. 24. 32.

17. Cum autem appropinquaret tempus promissionis (*h*), quam confessus erat Deus Abrahæ, * crevit populus, & multiplicatus est in * Exod. 1. 7.
Ægypto,

18. Quoadusque surrexit alius rex in Ægypto, qui non sciebat Joseph.

19. Hic circumveniens genus nostrum, afflixit patres nostros, ut exponerent infantes suos ne vivificarentur,

20. * Eodem tempore natus est Moyses, & * Exod. 2. 2.
fuit gratus Deo (*i*), qui nutritus est tribus Heb. 11. 23.
mensibus in domo patris sui.

21. Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, & nutrivit eum sibi in filium.

22. Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis, & in operibus suis.

23. Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor ejus ut visitaret fratres suos filios Israel.

24. * Et cum vidisset quemdam injuriam * Exod. 2. 11.
patientem, vindicavit illum: & fecit ultionem ei, qui injuriam sustinebat, percusso Ægyptio.

25. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis: at illi non intellexerunt.

26. * Sequenti vero die apparuit illis liti- * Exod. 2. 13.
gantibus: & reconciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres estis, ut quid nocetis alterutrum?

27. Qui autem injuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te constituit principem, & judicem super nos?

28. Num-

4. (*b*) Moses præceptum Dei eo loco retulit, ubi executioni mandatum est: Stephanus vero ex recepta traditione cavet ne illa recapitulatio Mosis nos in errorem inducat, ac subinde admonet Deum apparuisse Abrahamo, priusquam esset in Charan, cum scilicet is esset in Ur Chaldæorum. Videntur quidem hæc cum utriusque ætate Thare nimirum & Abrahæ non omnino convenire. Qua de re diximus alibi. Ulterius cui subscribunt Auctor Analyseos Gallicæ, & alii probabilius existimat Abrahamum non fuisse primogenitum Thare, licet dignitatis caussa primo loco nominetur. Cum autem Moses ait Thare anno ætatis septuagesimo genuisse Abraham, Nachor & Aran, non aliud insinuat, quam quod id ætatis cœperit filios generare. Itaque anno 130. Thare genuit Abraham. Nec saltem tres filios genuit eodem anno ætatis suæ septuagesimo. Addunt alii cum Rabbinis, cum de Chronologia agitur, non scrupulose temporum ordini insisti oportere, Mosem ad res ipsas magis, quam ad exactam temporum seriem attendisse.

6. (*c*) Quod vaticinium cum ad posteros Abrahæ pertineat, videtur a nativitate Isaac incipere, qui post annos 25. natus est: adeo ut ex eo tempore ad exitum usque ex Ægypto 405. anni annumerentur, & rotundo numero expresso 5. anni negligantur. Alii numerant annos 400. ab eo ipso tempore, quo hinc a Deo accepit promissionem; vel denique numerus 400. annorum tempus omne complectitur, quo posteri Abrahæ in terra aliena peregrinati sunt, ut LXX. Interpretes verterunt, & textus ipse Samaritanus expressit.

8. (*d*) Fœdus Circumcisionis. *Et sic genuit Isaac*: qui datus est Abrahæ vi promissionis illi factæ a Deo, atque Christi Domini figura fuit, & gratiæ per Evangelium datæ. Tum adversus Judæorum calumnias Jesum defendit, eumque cum Patriarcha Joseph, quem fratres sunt persecuti, confert, & cum Mose ipso: ambo quippe insignes typi fuerunt Jesu Christi.

13. (*e*) Cum iterum fratres ejus redîssent in Ægyptum. Tum ea recenset, quæ evenerant Joseph, eaque Jesu Christo facile applicari poterant, [illegible] venditionem, seu familiæ [illegible].

14. (*f*) T[illegible] Hebræus tantum LXX. numerat Gen. 46. Illud porro videtur Auctori Analyseos Gallicæ id satis esse verisimile textum LXX. Interpretum a scriba quodam nonnihil esse immutatum, ut Stephanum cum Mose conciliaret. Nam Deuteron. 10. 22. septuaginta Interpretes cum textu Hebraico conveniunt, atque septuaginta tantum animas recensent.

16. (*g*) Difficile plerisque videtur hæc cum historia Geneseos conciliare. Sed de iis diximus in notis ad Genesim. Sunt qui suspicentur mendum irrepsisse in nomen Abrahæ, quod positum fuit loco Jacob. Abraham quidem speluncam duplicem emit ab Ephron Hethæo 400. siclis argenti, ubi sepulti sunt Sara, Abraham, Isaac, Rebeca, Lia, Jacob: sed Jacob emit agrum a filiis Hemor Hevæi Patris Sichem 100. agnis, ubi sepultus est Joseph: adeo ut diversæ historiæ permistæ iis videantur. Sunt denique qui putent Ephronis patrem binomium fuisse, eumque Seor, & Hemor dictum. Hemor quidem filius fuit Sichem, non illius qui vendidit agrum Jacob, sed longe antiquioris. Hemor quidem multos habuit filios, quorum primogenitus Ephron fratrum & suo nomine agrum vendidit Abrahæ. Quod si res ita sit, ut Hemor fuerit binominis, satis commodus futurus est sensus, Patriarchas primum in Sichem esse sepultos, tum eos translatos esse in Hebron, & sepultos in spelunca, quam Abraham emerat a filio Hemor, qui in Genesi dicitur Seor. Quamcumque ex iis amplectamur sententiam, cavendum est ne Stephanum plenum sapientia & Spiritu Sancto memoria lapsum temere asseramus, & Jacobi acquisitionem cum ea, quæ ante annos 120. facta fuerat, confudisse. Syriacæ ac Arabicæ versiones pluralem numerum in singularem mutant, & loco, *positi sunt*, in his legitur: *Translatus est in Sichem, positusque in sepulchro*. Grotius hæc verba, *Filii Sichem*, ex Syriaca versione resecat, & mutat: *Hemor in Ephron*, cum in utroque vocabulo sit idem numerus litterarum & syllabarum; ac proclivis fuerit illa vocum mutatio.

17. (*h*) 400. Annorum, quam *confessus erat Deus*, professus, Græc. *quam juraverat*.

20. (*i*) Vox, *Deo*, est Hebraismus, pro valde. Laudes Mosis fuse prosequitur Stephanus, ne videatur de legis abrogatione locutus, tum etiam ut exemplo Mosis toties a populo contempti & exasperati tacitus iis exprobret immemorem Judæorum animum erga Christum Dominum; ac demum ut jam magni Prophetæ testimonium illustre commendet.

28. Numquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Ægyptium?

29. Fugit autem Moyses in verbo isto: & factus est advena in terra Madian, ubi generavit filios duos.

* Exod. 3. 2. 30. Et expletis annis quadraginta, * apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.

31. Moyses autem videns, admiratus est visum: & accedente illo ut consideraret, facta est ad eum vox Domini, dicens:

32. Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Tremefactus autem Moyses, non audebat considerare.

33. Dixit autem illi Dominus: Solve calceamentum pedum tuorum: locus enim in quo stas, terra sancta est.

34. Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, & gemitum eorum audivi, & descendi liberare eos. Et nunc veni, & mittam te in Ægyptum.

35. Hunc Moysen, quem negaverunt, dicentes: Quis te constituit principem & judicem? hunc Deus principem & redemptorem (k) misit, cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo.

* Exod. 7. 8. & 9. 10. & 11. 14. 36. * Hic eduxit illos faciens prodigia & signa in terra Ægypti, & in rubro mari, & in deserto annis quadraginta.

37. Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel:
* Deut. 18. 15. * Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tamquam (l) me, ipsum audietis.

* Exod. 19. 3. 38. * Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris: qui accepit verba vitæ dare nobis.

39. Cui noluerunt obedire patres nostri: sed repulerunt, & aversi sunt cordibus suis in Ægyptum,

* Exod. 32. 1. 40. Dicentes ad Aaron: * Fac nobis deos, qui præcedebant nos: Moyses enim hic, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid factum sit ei.

41. Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulacro, & lætabantur in operibus manuum suarum.

42. Convertit autem Deus, & tradidit eos servire militiæ cæli, sicut scriptum est in Libro Prophetarum: * Numquid (m) victimas
* Amos 5. 25.
& hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel?

43. Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sidus Dei vestri Rempham, figuras, quas fecistis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem.

44. Tabernaculum testimonii (n) fuit cum patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus, * loquens ad Moysen, ut faceret illud secundum formam, quam viderat. * Exod. 25. 40.

45. * Quod & induxerunt, suscipientes patres nostri cum Jesu in possessionem Gentium, quas expulit Deus a facie patrum nostrorum, usque in diebus David, * Jos. 3. 14. Hebr. 8. 9.

46. * Qui invenit gratiam ante Deum, * & petiit ut inveniret tabernaculum (o) Deo Jacob. * 1. Reg. 16. 13. * Ps. 131. 5.

47. * Salomon autem ædificavit illi domum. * 3. Reg. 6. 1. 1. Par. 17. 11.

48. * Sed non Excelsus in manufactis habitat, sicut Propheta dicit: * Infr. 17. 24.

49. * Cælum mihi sedes est: terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ est? * Isa. 66. 1.

50. Nonne manus mea fecit hæc omnia?

51. Dura cervice (p), & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita & vos.

52. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores (q) & homicidæ fuistis:

53. Qui accepistis legem in dispositione (r) Angelorum, & non custodistis.

54. Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.

55. Cum autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam (s) Dei, & Jesum stantem a dextris Dei. Et ait: Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem a dextris Dei.

56. Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum.

57. Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant: & testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis (t), qui vocabatur Saulus.

58. Et

35. (k) Moses citra injuriam unius Redemptoris Christi, mediator & sequester Deum inter & filios Israel, ut typus Salvatoris, appellatur. Atque in hoc Christum expressit, quod a Judæis reprobatus, horum princeps & redemptor factus fuerit. *Cum manu Angeli*, Cum protectione & tutela Angeli.

37. & 38. (l) Vox illa non æqualitatem, sed similitudinem designat. *In Ecclesia*, in totius populi cœtu.

42. & 43. (m) Citatur hic locus Amos 5. juxta versionem LXX. Interpretum, exceptis verbis postremis. *Trans Babylonem*: in Hebræo & apud LXX. habemus *trans Damascum*: ubi non solum ultra Damascum, sed etiam ultra Babylonem transferantur.

44. (n) Cultus publici locum variasse ostendit: quæ pars est altera sui argumenti: nam eum accusabant, quod Templi futuram destructionem prædixisset: id vero eos admonet, nec tabernaculo, nec templo Deum indigere.

46. & 48. (o) Psalm. 131. Nimirum sedem fixam. *Habitat*, Tamquam egens habitatione, ut exponit Paulus Act. 17. Habitat vero in templo Deus, quatenus ibi exaudit preces nostras, confert beneficia, ac peculiari quodam modo præsentiam suam exhibet; eoque nos conferre jubet, ut ei laudes, sacrificia, & orationes offeramus. Verum in templo non habitat, ut rex in palatio, quo sit ab aeris injuriis tutus, ac præ immensitate sua templi angustiis contineri nequit.

51. (p) Præfracto animo, qui salutaria monita audire non vultis; *Incircumcisis cordibus*, qui sanctas rejicitis admonitiones, & pleni estis pravis affectibus.

52. (q) Nam Judæi Christum tradiderunt Pilato, & Gentibus, proditores fuerunt, Judæ ministerio utentes, & homicidæ per Pilatum.

53. (r) Græc. in dispositiones. Nam Angeli hujus legislationis ministri extiterunt.

55. (s) Fulgorem quemdam divinæ majestatis indicem. Ecce, dicuntur cæli aperti, quatenus Christus in cælo videbatur oculis corporeis; dicitur sedere a dextris Dei, quando regia ejus potestas designatur; stans vero instar Ducis pro nobis pugnat, aut præmium cælestis gloriæ Athletis suis ostendit. Nam stare est situs naturalis corporis valentis & gloriosi. Filium hominis vocat: nam Judæi Jesum ut purum hominem habebant, eumque sic appellat, ne dubitent se de Jesu loqui; quod quidem illis fuit scandalo.

57. (t) Græc. Juvenis, seu adulti. Ex lege Deuteron. 17. testes ipsi lapidare incipiebant blasphemos. Quo autem ii essent magis expediti, deposuerunt vestimenta sua secus pedes Sauli.

58. Et lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Jesu suscipe (*u*) Spiritum meum.

59. Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum: Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. Saulus autem erat consentiens neci ejus.

CAPUT VIII.

Orta persecutione dispersi sunt discipuli. Saulus Ecclesiam persequitur. Philippus Samaritanes ad fidem convertit. Simon Magus ab eo baptizatur, postea ejicitur. Petrus & Joannes dant Spiritum Sanctum. Eunuchus a Philippo baptizatur.

1. FActa est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis, & omnes dispersi (*a*) sunt per regiones Judææ, & Samariæ, præter Apostolos.

2. Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum (*b*) magnum super eum.

3. Saulus autem devastabat Ecclesiam, per domos intrans, & trahens viros, ac mulieres, tradebat in custodiam.

4. Igitur qui dispersi erant pertransibant, evangelizantes verbum Dei.

5. Philippus (*c*) autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum.

6. Intendebant autem turbæ his, quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, & videntes signa quæ faciebat.

7. Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant.

8. Multi autem paralytici, & claudi curati sunt.

9. Factum est ergo gaudium magnum in illa civitate. Vir autem quidam nomine Simon, qui ante fuerat in civitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum:

10. Cui auscultabant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna.

11. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos.

12. Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres.

13. Tunc Simon & ipse credidit (*d*): & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa, & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.

14. Cum autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem.

15. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent (*e*) Spiritum Sanctum:

16. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.

17. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.

18. Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam,

19. Dicens: Date & mihi hanc potestatem (*f*), ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum:

20. Pecunia tua tecum sit in perditionem (*g*): quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.

21. Non est tibi pars, neque sors in sermone (*h*) isto: cor enim tuum non est rectum coram Deo.

22. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si forte remittatur (*i*) tibi hæc cogitatio cordis tui.

23. In felle enim amaritudinis (*k*), & obligatione iniquitatis video te esse.

24. Respondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum, quæ dixistis.

25. Et illi quidem testificati, & locuti verbum Domini, redibant Jerosolymam, & multis regionibus Samaritanorum evangelizabant.

26. Ange-

58. (*u*) Bene & pie moriendi formam nobis demonstrat. Primum enim non rerum temporalium, sed animæ suæ curam gerit, actus fidei & spei in Jesum exerit, ejus amore incensus inimicis ignoscit. Sic mortem Christi pulcre imitatus, pro seipso primum, tum pro inimicis suis Deum interpellat: Jesum invocat ut Dominum & Deum. Saulus vero in Stephani necem consentiens, hanc instar sacrificii Deo grati spectabat.

CAP. VIII. 1. (*a*) Dispersio illa divinæ misericordiæ opus fuit, & occasio propagandi Evangelii. Vox illa, *Omnes*; non omnes complectitur fideles: quorsum enim Apostoli soli remansissent, si cuncti senes, pueri, mulieres fugissent? oves suas procul-dubio secuti essent Pastores. Itaque non fideles omnes, sed discipuli, qui fidelium nomine comprehenduntur, relicta Jerosolyma in Judææ & Samariæ regiones se receperunt. In quo quidem Apostoli illustre pastoribus præbuerunt exemplum, ne fugiant in communi persecutione, nisi forte ii soli ad necem quærantur. Tum enim exemplo Petri & Pauli fugere iis licet, dummodo non desint, qui fidelibus Sacramenta, & verbum Dei administrent.

2. & 3. (*b*) Solemnes exequiæ factæ sunt in Protomartyre. *Tradebat in custodiam*; in templi carcerem. Atque hinc perspicuum est non fugisse fideles omnes, sed plerosque cum discipulis.

5. (*c*) Philippus unus e septem Diaconis, non Apostolus: siquidem is manus imposuisset baptizatis; neque id opus fuisset, ut Petrus & Joannes eo descenderent, ut darent Spiritum sanctum baptizatis. Ex quo quidem duo colligimus, Episcopos solos esse Ministros saltem ordinarios Sacramenti Confirmationis, & manus Diaconorum sacram esse, ac procurandæ fidelium saluti destinatam. Philippus autem Evangelii huic populo intulit, qui quidem legem Mosis agnoscens, Messiam expectabat. Unde & Semi-Judæi quodammodo habebantur.

13. (*d*) Christum resurrexisse, ac fidem Christianam professus est. Ex ipsis Petri verbis, qui eum ad pœnitentiam est adhortatus, non ad credendum, colligitur eum vere credidisse.

15. (*e*) Jam quidem illum acceperant in baptismo ad sanctificationem; sed eum ab Apostolis acceperunt ad robur per Confirmationis Sacramentum. Quo quidem modo in Apostolos effusus est in die Pentecostes. Quiddam Samaritanis deerat ad Christianismi perfectionem, quod iis datum est per Confirmationem. Hoc conferendi Spiritum sanctum privilegium, Apostolorum dignitatem præ discipulis extollebat, & Ecclesiæ conservabat unitatem.

19. (*f*) Id vero simillimum est, signo aliquo exteriori tum fuisse manifestatum, fideles accepisse Spiritum sanctum: non quod omnes linguis loquerentur, sed forte signis quibusdam exterioribus illud palam fiebat. Nec Simon valde sollicitus erat de interiori robore, sed de patrandis miraculis, e quibus famam & lucrum quærebat.

20. (*g*) Peribis sacrilege cum tua pecunia. *Possideri*, comparari: sic enim vox possidere accipi solet in Scripturis.

21. (*h*) In negotio illo; in re ista: dona Spiritus sancti nec dare potes, nec recipere.

22. (*i*) Hinc colligimus difficilem admodum Simonis & Simoniacorum omnium fuisse pœnitentiam, & reconciliationem.

23. (*k*) Amarissimo; *Et obligatione iniquitatis*. Græc. *In colligatione iniquitatis*. Video te peccatis quasi tot funibus & catenis constrictum; aut video te gravioribus pœnis destinatum. Fel illud videtur esse doctrina execranda; *Obligatio iniquitatis*, pacta cum diabolo facta.

26. Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens: Surge, & vade contra meridianum, ad viam, quæ descendit ab Jerusalem in Gazam: hæc est deserta (*l*).

27. Et surgens abiit. Et ecce vir Æthiops, eunuchus (*m*), potens Candacis reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus, venerat adorare in Jerusalem:

28. Et revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam Prophetam.

29. Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, & adjunge te ad currum istum.

30. Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Isaiam Prophetam, & dixit: Putasne intelligis quæ legis?

31. Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum ut ascenderet, & sederet secum.

32. Locus autem Scripturæ, quam legebat,
* Isa. 53. 7. erat hic: * Tamquam ovis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum.

33. In humilitate judicium ejus sublatum (*n*) est. Generationem ejus quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita ejus?

34. Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo?

35. Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum.

36. Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam (*o*): & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?

37. Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo (*p*), Filium Dei esse Jesum Christum.

38. Et jussit stare currum: & descenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum.

39. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens.

40. Philippus autem inventus est in Azoto, & pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.

CAPUT IX.

Sauli conversio; Jesum prædicat; Judæorum vitat insidias; Jerosolymam proficiscitur & Tarsum. Petrus sanat Æneam; & Tabitham a mortuis excitat.

1. SAulus autem adhuc spirans (*a*) minarum, Gal. 1. 13.
& cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum,

2. Et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas: ut si quos invenisset hujus viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem.

3. * Et cum iter faceret, contigit ut appro- * Inf. 22. 6.
pinquaret Damasco: & subito circumfulsit eum 10. & 26.
lux de cælo. 12. 1. Cor. 15. 8.

4. Et cadens in terram audivit (*b*) vocem 2. Cor. 12. 2.
dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?

5. Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum Jesus, quem tu persequeris: durum est tibi contra stimulum calcitrare (*c*).

6. Et tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?

7. Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes (*d*).

8. Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum.

9. Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducavit, neque bibit.

10. Erat autem quidam discipulus Damasci,
nomine * Ananias: & dixit ad illum in visu * Infr. 22.
Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Do- 12.
mine.

11. Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur Rectus: & quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem: ecce enim orat.

12. (Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem, & imponentem sibi manus ut visum recipiat.)

13. Respondit autem Ananias: Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem:

14. Et hic habet potestatem a principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum.

15. Dixit

26. (*l*) Nempe Gaza ab Alexandro Magno vastata. Sed nova fuit Machabæorum temporibus, non procul a veteri. quæ hoc loco deserta appellatur, ad veteris Gazæ rudera.

27. (*m*) Seu spado is fuerit, seu Princeps palatinus: Candacis Reginæ nomen commune erat reginis Meroes, quæ Æthiopiæ accensebatur, & mulieribus Æthiopiæ erat subjecta. ex Strabone, Lib. 17. Plinius, Lib. 6. cap. 22. Reginam Æthiopiæ Candacem commemorat. Eunucus, *venerat adorare in Jerusalem*, ut proselytus.

33 (*n*) Per resurrectionem a morte liberatus. Hebr. *De carcere, & de judicio sublatus est*; e sepulcro, vel in passione ipsa & condemnatione, sublatus est in crucem. in supplicii humilitate summam adeptus gloriam. *Generationem ejus*, numerosam ejus sobolem, postquam mortem subierit.

36. (*o*) Existimat Abbas Petronius Eunuchum Reginæ Candacis baptizatum fuisse in fonte, qui erat prope vicum Bethoron, vicesimo ab Jerosolymis lapide, versus Chebronem; tincto Eunucho captus est Philippus Azotum.

37. (*p*) Non hoc solum fuit ei ad credendum propositum, sed hoc solum exprimitur, quod erat inter credenda difficillimum.

CAP. IX.

1. & 2. (*a*) Minas & cædes in discipulos versabat animo *Epistolas*, Præfectus Damasci Judæis favebat.

4. (*b*) Vidit etiam Jesum loquentem: etsi hoc in loco nullam facit mentionem visionis: sed in hoc ipso capite Ananias id aperte testatur. uti & Paulus c. 22. & 26 item 1. Cor. 15.

5. (*c*) Proverbium est a bobus, vel equis cervicosis ductum, qui contra stimulum non impune calcitrant. Nam ii magis compungi solent. Sic Apostolorum miracula, & Stephani prædicatio tot erant stimuli, quibus Pauli conscientia vellicata resistebat.

7. (*d*) Paulus cap. 22. contrarium videtur innuere. Responsio facilis est. Pauli comites sonum confusæ vocis audierunt, non distinctæ. Sic Joann. 12. Turbæ de cælo vocem audierunt, sed confuse, cum plerique tonitrum esse dicerent. Deinde Pauli comites vocem quidem ejus, cum Domino responderet, audire potuerant, non Christi loquentis: unde c. 22. ait, *Ejus qui loquebatur mecum*. Hæc Paulus, c. 26. aliis quidem verbis refert; ut hinc liquere possit non semper ad verbum res gestas, aut dictas narrari, quæ in alio loco interdum supplentur.

15. Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel.

16. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

17. Et abiit Ananias, & introivit in domum: & imponens ei manus (*e*), dixit: Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu Sancto.

18. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ, & visum recepit: & surgens baptizatus est.

19. Et cum accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot.

20. Et continuo in synagogis prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei.

21. Stupebant autem omnes qui audiebant, & dicebant: Nonne hic est, qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud: & huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad principes sacerdotum?

22. Saulus autem multo magis convalescebat, & confundebat Judæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus.

23. Cum autem implerentur dies multi (*f*), consilium fecerunt in unum Judæi ut eum interficerent.

24. Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum. * Custodiebant autem & portas die ac nocte, ut eum interficerent:

* 2 Cor. 11, 32.

25. Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta.

26. Cum autem venisset in Jerusalem, tentabat se jungere discipulis, & omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus.

27. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos: & narravit illis quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei, & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Jesu.

28. Et erat cum illis intrans & exiens in Jerusalem, & fiducialiter agens in nomine Domini.

29. Loquebatur quoque Gentibus (*g*), & disputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum.

30. Quod cum cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, & dimiserunt Tarsum.

31. Ecclesia quidem per totam Judæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur (*h*) ambulans in timore Domini, & consolatione Sancti Spiritus replebatur.

32. Factum est autem, ut Petrus dum pertransiret (*i*) universos, deveniret ad sanctos, qui habitabant Lyddæ.

33. Invenit autem ibi hominem quemdam, nomine Æneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus.

34. Et ait illi Petrus: Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus: surge, & sterne (*k*) tibi. Et continuo surrexit.

35. Et viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ & Saronæ: qui conversi sunt ad Dominum.

36. In Joppe autem fuit quædam discipula, nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas (*l*). Hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis quas faciebat.

37. Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur. Quam cum lavissent, posuerunt eam in cœnaculo.

38. Cum autem prope esset Lydda ad Joppen, discipuli audientes quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire usque ad nos.

39. Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et cum advenisset, duxerunt illum in cœnaculum: & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas (*m*) & vestes, quas faciebat illis Dorcas.

40. Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit: & conversus ad corpus, dixit: Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos: & viso Petro, resedit.

41. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocasset sanctos & viduas, assignavit eam vivam.

42. Notum autem factum est per universam Joppen: & crediderunt multi in Domino.

43. Factum est autem ut dies multos moraretur in Joppe, apud Simonem (*n*) quemdam coriarium.

CA-

17. & 19. (*e*) Marci ultimo capite, *Et super ægros manus imponent*. Petit Lucas, *tamquam squamæ*, quæ traditiones Pharisaicas, & falsa præjudicia, quibus mens ejus obtusa fuerat, figurabant.

23. (*f*) An tres anni, quos egit in Arabia: videtur enim Paulus post conversionem suam se in Arabiam contulisse, ubi tres fere annos exegit, ut Judæorum ira hoc temporis spatio leniretur, ac postea rediisse Damascum; tumque Judæi de illo interficiendo cogitarunt. Nam post tres annos a conversione sua venit Jerosolymam, ubi fideles nondum eum noverant. Quod si Damasci per triennium mansisset, ejus conversionem ignorare non potuissent, cum tam prope esset Damascus, & inter duas illas urbes multa intercederent commercia: sed Arabes cum Judæis vix ulla societate jungebantur. Unde potuit facile Pauli conversio diu ignota permanere. Fama quidem illius ut persecutoris Ecclesiæ Damascum pervenerat. Sed cum postea nulla ejus facta esset mentio, dubitare poterant fideles Jerosolymæ, an ille in fide Christi constans permansisset. Unde post ejus reditum eum fugiebant. Ita Auctor Analyseos, Dissert. 27. Itaque constat ex cap. 1. Epistolæ ad Galatas 15. 22. Petrus autem tum erat Jerosolymis, necdum Gentibus prædicaverat, ut liquet ex vers. 32. ac toto hoc anno Paulus morabatur in Arabia. Herodis Antipæ exercitus deletus est ab Areta Arabiæ rege, qui præsidium habebat Damasci. Josephus Lib. 18. cap. 7.

29. (*g*) Vox illa, *Gentibus*, deest in Græco textu, ac nonnulli existimant ex alia versione, quæ pro *Græcis* habuit *Gentibus*, eam vocem huc esse translatam. Nam Interpretes hanc vocem Ἑλληνιστὰς, interdum *Gentes* vertit.

31. (*h*) Vox Græca incrementum quoque significat, & firmitatem.

32. (*i*) Tamquam caput visibile cum obiret Ecclesias. *Lyddæ*, cujus fit mentio Lib. 1. Machab. cap. 11. eaque postea dicta est Diospolis, ubi coacta fuit Synodus adversus Pelagium: civitas erat ad mare posita prope Joppen.

34. & 35. (*k*) Para lectum ad exportandum. *Saronæ*, Gr. *Assaron*, mons est simul & urbs; ac tota regio campestris inter Cæsaream & Joppen saginandis pecoribus idonea hoc censetur nomine.

36. (*l*) Caprea, aut Damula. *Operibus bonis*, Ergo cuncta nostra opera non sunt immunda, aut peccata.

39. & 40. (*m*) Vestes interiores. *Resedit*, Vox eadem & Græca similem ob rationem usurpatur a Luca cap. 7. Evangelii. *Et resedit qui erat mortuus*, hoc est sedens surrexit, non recubuit, ut nonnullis visum est: quæ jacebat resedit. Quorsum enim recubuisset? an præ infirmitate, & velut mortua? Tumque non signum vitæ dedisset, ac frustra dixisset Petrus, *Tabitha surge*, neque illa Petro obtemperasset, ut probat Auctor Analyseos, Dissert. 28.

43. (*n*) Non apud unum e primariis civitatis, quo facilior esset ad eum aditus, simul ut doceret Pastores, magnatum consuetudinem non anteponi oportere pauperum aut mediæ sortis hominum familiaritati. Hoc anno Herodes Antipas Tetrarcha Galilææ a Cajo Cæsare relegatus est Lugdunum in Galliam una cum Herodiade.

CAPUT X.

Cornelio Centurioni Angelus apparet; Petrus divina visione admonitus Cornelium adit. Christum illi annuntiat; baptizatur, & Spiritum Sanctum accipit una cum familia sua.

1. VIr autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica (*a*),

2. Religiosus (*b*), ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper:

3. Is vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi, Corneli.

4. At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid est, Domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam (*c*) in conspectu Dei.

5. Et nunc mitte viros in Joppen, & accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus:

6. Hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus est domus juxta mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere.

7. Et cum discessisset Angelus, qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos suos, & militem metuentem Dominum ex his, qui illi parebant.

8. Quibus cum narrasset omnia, misit illos in Joppen.

9. Postera autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus civitati, ascendit Petrus in superiora (*d*) ut oraret circa horam sextam.

10. Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus (*e*):

11. Et vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis (*f*) submitti de cælo in terram,

12. In quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli.

13. Et facta est vox ad eum: Surge (*g*) Petre, occide, & manduca.

14. Ait autem Petrus: Absit Domine, quia numquam manducavi omne commune & immundum.

15. Et vox iterum secundo ad eum: Quod Deus purificavit (*h*), tu commune ne dixeris.

16. Hoc autem factum est per ter: & statim receptum est vas in cælum.

17. Et dum intra se hæsitaret Petrus, quidnam esset visio, quam vidisset: ecce viri, qui missi erant a Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad januam.

18. Et cum vocassent, interrogabant, si Simon, qui cognominatur Petrus: illic haberet hospitium.

19. Petro autem cogitante de visione dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te.

20. Surge itaque, descende, & vade cum eis nihil dubitans: quia ego misi illos.

21. Descendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego sum, quem quæritis: quæ causa est, propter quam venistis?

22. Qui dixerunt: Cornelius Centurio, vir justus & timens Deum, & testimonium habens ab universa Gente Judæorum, responsum accepit ab Angelo sancto, accersire te in domum suam, & audire verba abs te.

23. Introducens ergo eos, recepit hospitio. Sequenti autem die surgens profectus est cum illis: & quidam ex fratribus ab Joppe comitati sunt eum.

24. Altera autem die introivit Cæsaream, Cornelius vero expectabat illos, convocatis cognatis suis, & necessariis amicis.

25. Et factum est cum introisset Petrus, obvius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes ejus adoravit (*i*).

26. Petrus vero elevavit eum, dicens: Surge, & ego ipse homo sum.

27. Et loquens cum illo intravit, & invenit multos, qui convenerant:

28. Dixitque ad illos: Vos scitis quomodo abominatum sit viro Judæo conjungi, aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem.

29. Propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me?

30. Et Cornelius ait: A nudiusquarta die usque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, & ecce vir stetit ante me in veste candida, & ait:

31. Corneli, exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei.

32. Mitte ergo in Joppen: & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur in domo Simonis coriarii juxta mare.

33. Confestim ergo misi ad te: & tu bene fecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quæcumque tibi præcepta sunt a Domino.

34. Ape-

CAP. X.

1. (*a*) Centurio ex cohorte, quæ dicebatur Italica. Erat legio Romana hoc nomine insignita. Ac subinde illud est credibile Cornelium fuisse Centurionem primæ cohortis, ex decem quibus constabat legio. Ecclesia in Judæam & in Samariam propagata Princeps Apostolorum Gentibus lucem Evangelii intulit.

2. (*b*) Justus adeo, qui credebat in Deum, non naturali tantum fide, sed etiam supernaturali, eaque implicita in Mediatorem, ut Judæi inter quos versabatur. *Nec tamen*, inquit S. August. Lib. de Prædestinatione SS. *sine aliqua fide donabat & orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat? Sed si posset esse sine fide Christi salvus, non ad eum mitteretur Architectus Petrus.* Sed quia tempus advenerat revelati Evangelii, fide in Christum explicita opus illi fuit, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 4.

4. (*c*) Recordatus est: orationes, & eleemosynæ tuæ, quasi memoriale quoddam observantur conspectui Dei.

9. (*d*) In tectum, vel potius in solarium, quod planum erat; *Circa horam sextam*, circa meridiem, quæ hora erat orationis. Deus ad hoc opus non unum ex discipulis, de cujus missione dubitari potuisset, sed principem Apostolorum mittit.

10. (*e*) Gr. ἔκστασις. *Aversa est mens ejus a consuetudine corporali ad visum quemdam contemplandum alienum a præsentibus*, ut ait Augustinus Conc. 3. in Psalm. 103. ubi facta est illi quædam mentis alienatio.

11. (*f*) Gr. ἀρχαῖς. *Exterioribus angulis, ut gratia Evangelii ad quatuor Orbis partes pertinere intelligatur.* August. ibidem.

13. (*g*) Primitiæ Judæorum & Gentium datæ sunt Petro.

15. (*h*) Per bestias immundas Gentes sunt designatæ: hos cibos Deus purificavit, abrogando ciborum delectum. Sed nihil hoc ad jejunia, aut ad carnis abstinentiam in quadragesima præscriptam ab Ecclesia pœnitentiæ caussa.

25. (*i*) Cultu civili & religioso, ut solemus principibus & maxime Ecclesiasticis nos summittere. Sed Petrus eum erexit, dicens: *Surge, & ego ipse homo sum.*

34. Aperiens autem Petrus os suum, dixit:
* Deut. 10. 17. In veritate comperi (*k*), * quia non est perso-
2. Par. 19. 7. narum acceptor Deus:
Job 34. 19. 35. Sed in omni gente, qui timet eum &
Sap. 6. 8. operatur justitiam acceptus est illi.
Eccli. 35. 15. 36. Verbum (*l*) misit Deus filiis Israel, an-
Rom. 2. 11. nuntians pacem per Jesum Christum: (hic est
Gal. 2. 6. omnium Dominus.)
Ephes. 6. 9. Col. 3. 25. 37. Vos scitis (*m*) quod factum est verbum
1. Petr. 1. 17. per universam Judæam: incipiens enim a *
* Luc. 4. 14. Galilæa, post baptismum, quod prædicavit
Joannes,

38. Jesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto, & virtute, qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.

39. Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum, & Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno.

40. Hunc Deus suscitavit tertia die, & dedit eum manifestum fieri,

41. Non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo: nobis, qui manducavimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis.

42. Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum & mortuorum.

* Jer. 31. 34. 43. * Huic omnes Prophetæ testimonium
Mich. 7. 18. perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.

44. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum.

45. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est.

46. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.

47. Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut & nos?

48. Et jussit eos baptizari in nomine (*n*) Domini Jesu Christi. Tunc rogaverunt eum ut maneret apud eos aliquot diebus.

CAPUT XI.

Petrus Jerosolymam reversus, quod Gentes in Ecclesiam admiserit, reprehenditur; quid secum actum fuerit, ex ordine enarrat. Fideles dispersi Jesum Judæis & Gentibus annuntiant; Barnabas & Paulus complures Antiochia convertunt ad fidem; ibi primum Discipuli cognominantur Christiani; Agabi prophetia; per manus Barnabæ & Sauli Judæis subsidium mittitur.

1. AUdierunt autem Apostoli, & fratres, qui erant in Judæa: quoniam & Gentes receperunt verbum Dei.

2. Cum autem ascendisset Petrus Jerosolymam, disceptabant adversus illum, qui erant ex circumcisione.

3. Dicentes: Quare (*a*) introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?

4. Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens:

5. Ego eram in civitate Joppe orans, & vidi in excessu mentis visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis summitti de cælo, & venit usque ad me.

6. In quod intuens considerabam, & vidi quadrupedia terræ, & bestias, & reptilia, & volatilia cæli.

7. Audivi autem & vocem dicentem mihi; Surge Petre, occide, & manduca.

8. Dixi autem: Nequaquam Domine: quia commune aut immundum numquam introivit in os meum.

9. Respondit autem vox secundo de cælo: Quæ Deus mundavit, tu ne commune dixeris.

10. Hoc autem factum est per ter: & recepta sunt omnia rursum in cælum.

11. Et ecce viri tres confestim astiterunt in domo, in qua eram, missi a Cæsarea ad me.

12. Dixit autem Spiritus mihi, ut irem cum illis, nihil hæsitans. Venerunt autem mecum & sex fratres isti, & ingressi sumus in domum viri.

13. Narravit autem nobis, quomodo vidisset Angelum in domo sua, stantem & dicentem sibi: Mitte in Joppen, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus,

14. Qui loquetur tibi verba, in quibus salvus eris tu, & universa domus tua.

15. Cum autem cœpissem loqui, cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut & in nos in initio.

16. Recordatus sum autem verbi Domini,
sicut dicebat: * Joannes quidem baptizavit * Matth. 3. 11.
aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto. Marc. 1. 8.
17. Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, Luc. 3. 16.
sicut & nobis, qui credidimus in Dominum Je- Joann. 1. 26.
sum Christum: ego quis eram, qui possem pro- Sup. 1. 5. Infr. 19. 4.
hibere Deum?

18. His

34. (*k*) Comperio: *Quia non est personarum Acceptor Deus*. In distribuendis fidei & gratiæ suæ donis non respicit natales; nec Judæos exclusis Gentibus ad Ecclesiam suam vocavit.

36. (*l*) Hoc est verbum Evangelii. *Annuntiare pacem per Jesum Christum*: Ergo pax & justitia sine Christo non habentur.

37. (*m*) Ex fama quæ late diffusa est. *Quod factum est verbum*, quæ acciderunt Jesu prædicante.

48. (*n*) Per fideles, quos una secum adduxerat, qui eos baptizarunt juxta Christi institutionem, profitentes nomen & fidem Jesu Christi, & invocata Sanctissima Trinitate.

CAP. XI. 3. (*a*) Nondum fideles Judæi Christianæ religionis de vocatione Gentium mysteriis, & de legis abrogatione plane instructi erant, de quibus persuaderi debuerunt, non tam Apostolorum, quam divinæ voluntatis testimonio: cujusmodi illa fuit Petri visio, & Spiritus Sancti in Gentes effusio. Quod si enim hæc statim Judæis fuissent prædicta, vix fidem sibi annuntiatam recepissent; paullatim hæc edoctos oportuit, nec Petrus dedignatur iis rationem facti sui reddere, ut ipse præcipit Epistola prima capite tertio.

18. His auditis, tacuerunt: & glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo & Gentibus pœnitentiam (*b*) dedit Deus ad vitam.

19. Et illi quidem, qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano (*c*), perambulaverunt usque Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis.

20. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii, & Cyrenæi, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos (*d*), annunciantes Dominum Jesum.

21. Et erat manus Domini cum eis: multusque numerus credentium conversus est ad Dominum.

22. Pervenit autem sermo (*e*) ad aures Ecclesiæ, quæ erat Jerosolymis super istis: & miserunt Barnabam usque ad Antiochiam.

23. Qui cum pervenisset, & vidisset gratiam Dei, gavisus est: & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino:

24. Quia erat vir bonus, & plenus Spiritu sancto, & fide. Et apposita est multa turba Domino.

25. Profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum: quem cum invenisset, perduxit Antiochiam (*f*).

26. Et annum totum conversati sunt ibi in Ecclesia: & docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, Christiani (*g*).

27. In his autem diebus supervenerunt ab Jerosolymis prophetæ Antiochiam:

28. Et surgens unus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio (*h*)

29. Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere (*i*) habitantibus in Judæa fratribus:

30. Quod & fecerunt, mittentes ad seniores (*k*) per manus Barnabæ, & Sauli.

CAPUT XII.

Sanctus Jacobus martyrium obit; Petrus in vincula conjicitur, tum liberatur: Herodes divinum admittens honorem, ab Angelo percussus moritur.

1. Eodem autem tempore misit Herodes (*a*) rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia.

2. Occidit (*b*) autem Jacobum fratrem Joannis gladio.

3. Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet & Petrum. Erant autem dies Azymorum.

4. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum (*c*), volens post Pascha producere eum populo.

5. Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio (*d*) autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.

6. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens (*e*) inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem.

7. Et ecce Angelus Domini astitit: & lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus.

8. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere (*f*), & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me.

9. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat quia verum est, quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre.

10. Transeuntes autem primam & secundam custodiam (*g*), venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem: quæ ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum: & continuo discessit Angelus ab eo.

11. Et

18. (*b*) Gratiam, qua vere eos pœniteat, aditum ad pœnitentiam.

19. (*c*) Græce Stephani tempore, seu post Stephani martyrium: Lucas ad priora tempora suam reflectit historiam: Ecclesiæ Jerosolymitanæ dispersio ad salutem multarum Gentium profuit.

20. (*d*) Gr. Ἑλληνιστὰς, Judæos nimirum in Græcia natos, aut etiam ad Gentiles: communis est SS. PP. opinio post Chrysostomum, etsi Lucas nullam ejus rei facit mentionem, sed multa alia reticet, quæ aliunde discimus; Petrum Antiochiæ, quæ erat Syriæ metropolis, Ecclesiam ex solis Judæis fundasse, eique præfuisse per septem annos. Petri autem discipuli & proselyti verbum Dei annuntiarunt omnibus, qui Græce loquebantur, ac forte Gentilibus.

22. (*e*) Ea res, seu conversio Antiochensium pervenit ad fideles, qui erant Jerosolymis. Id advertit Baronius, quod hoc ipso anno Cajus Imperator a Judæis vult adorari, quo tempore Christus ut verus Deus agnoscitur a Gentibus, Judæis repugnantibus.

25. (*f*) Ut Gentiles conversos in fide confirmaret, tamquam Gentium Apostolus. Nam Paulus venit Jerosolymam, Petrum ut Apostolorum principem visurus, & Jacobum consobrinum Domini. Nullum præterea vidit Apostolum, quod forte in diversas profecti essent regiones, ut Evangelium prædicarent.

26. (*g*) Qui hactenus fideles, credentes, aut Galilæi dicebantur.

28. (*h*) Anno scilicet secundo Claudii inchoato, ex Dione Cassio, l. 60. eaque duravit ad annum usque Claudii quartum: hanc prædixit Agabus, ut huic malo occurrerent Christiani. Fames in Palæstina grassata est anno Claudii 4. ex Eusebio in Chronico.

29. (*i*) Hæc est prima Pauli legatio, quam perfecit una cum Barnaba. *Mittere in ministerium*, in subsidium fratrum, qui, ut verisimile est, a Judæis fuerant spoliati, aut dira fame vexati.

30. (*k*) Ad Presbyteros, de quibus cap. 15. & 16. vel ad primores, ad Apostolos nimirum, Presbyteros, & Diaconos.

CAP. XII.

1. (*a*) Agrippa, qui erat Aristobuli filius, frater Herodiadis: huic Caligula Tetrarchias Herodis Antipæ & Philippi contulerat, Claudius adjecit Judææ regnum. Mors illius anno quarto Claudii contigit, ex Josepho Lib. 19. c. 7. Paulus jam venerat Jerosolymam, & attulerat eleemosynas, quod fame ab Agabo prædicta premerentur. Nec statim Agrippa post necem Jacobi interiit, ac verisimile est eum post biennium ab Angelo percussum fuisse. Petri acta ad hunc annum usque, quo in carcerem conjectus fuit, Lucas non commemorat. Ex Eusebio, Lib. 3. Hist. & ex aliis Scriptoribus Ecclesiasticis discimus interjecto hoc tempore eum Judæis in Ponto, Galatia, Bithynia & Cappadocia dispersis Evangelii lumen intulisse, idque ex Petri Epistola iis populis inscripta colligunt.

2. (*b*) An forte ob eam caussam occidit eum præ ceteris, quod ceteri abessent Apostoli Jerosolymis?

4. (*c*) Sic tradiderat sexdecim militibus custodiendum, ut ternis horis quaterni vigilarent.

5. (*d*) Tamquam pro Ecclesiæ capite visibili, & Apostolorum Principe, assidua & intenta oratione Deum precabatur Ecclesia.

6. (*e*) Securus vitæ, cum se totum divinæ providentiæ committeret. Sciebat quoque ex prædictione Domini se non nisi senem jam factum moriturum.

8. (*f*) Dormituri laxabant cingulum, quo vestes longas & diffluentes cingebant iter facturi. *Vestimentum tuum*, vestem superiorem, aut pallium. *Caligas*, sandalia, quæ plantas tegunt, caligæ etiam calceos significant.

10. (*g*) Militum custodientium carcerem. Ad portam Palatii Herodis, qua ex arce in civitatem iter erat.

11. Et Petrus ad se reversus, dixit: Nunc scio vere quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum.

12. Consideransque (*b*) venit ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati, & orantes.

13. Pulsante autem eo ostium januæ, processit puella ad audiendum, nomine Rhode.

14. Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, sed intro currens nuntiavit stare Petrum ante januam.

15. At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant, Angelus (*i*) ejus est.

16. Petrus autem perseverabat pulsans. Cum autem aperuissent, viderunt eum, & obstupuerunt.

17. Annuens autem eis manu ut tacerent, narravit quomodo Dominus eduxisset eum de carcere, dixitque: Nuntiate Jacobo & fratribus hæc. Et egressus abiit in alium locum.

18. Facta autem die, erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro.

19. Herodes autem cum requisisset eum, & non invenisset, inquisitione facta de custodibus, jussit eos duci (*k*): descendensque a Judæa in Cæsaream, ibi commoratus est.

20. Erat autem iratus Tyriis, & Sydoniis (*l*). At illi unanimes venerunt ad eum, & persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eo quod alerentur regiones eorum ab illo.

21. Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos.

22. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis.

23. Confestim autem percussit (*m*) eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo: & consumptus a vermibus, expiravit.

24. Verbum autem Domini crescebat, & multiplicabatur.

25. Barnabas autem & Saulus reversi (*n*) sunt ab Jerosolymis * expleto ministerio, assumpto Joanne, qui cognominatus est Marcus. * Sup. 11. 29.

CAPUT XIII.

Paulus & Barnabas Domini jussu segregati ad Gentiles mittuntur; Cyprum veniunt; Sergius Paulus Proconsul ad fidem convertitur. Elyma mago obcæcato, concio Pauli Antiochiæ Pisidiæ; venit Iconium una cum Barnaba.

1. ERant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ (*a*), & doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus.

2. Ministrantibus (*b*) autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.

3. Tunc jejunantes, & orantes (*c*), imponentesque eis manus, dimiserunt illos.

4. Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto abierunt Seleuciam (*d*): & inde navigaverunt Cyprum.

5. Et

12. (*b*) Beneficii a Deo accepti magnitudinem. *Venit ad domum Mariæ*, in qua erat cœtus fidelium, qui multis in locis habebantur. *Marcus*, non Evangelista, sed Pauli & Barnabæ itinerum comes.

15. (*i*) Persuasum erat fidelibus unicuique Angelum datum esse custodem. Quæ quidem persuasio a Synagoga, non ad Ecclesiam modo, sed etiam ad Platonicos pervenerat. Hunc quidem Auctorem locum Catholicæ favere sententiæ fatetur Camero; sed eum falsum esse, temere & falso subjicit, cum verba Christi Domini, Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*, uti & Psalmi 90. *Angelis suis mandavit de te*, ut alia omittam plurima, id ipsum plane confirment.

19. (*k*) Ad quæstionem aut supplicium. Plinius junior in Epist. ad Trajanum de Christianis loquens: *Perseverantes*, inquit, *jussi duci*.

20. (*l*) Horum territorium erat angustius, quam ut alere frumento eos posset: unde solliciti erant de concilianda sibi pace cum Herode, ne fame vexarentur, negata frumenti exportatione. Agrippa eo venit non statim post Petrum e vinculis elapsum: illuc enim non venit nisi post tertium regni sui annum, ex Josepho Lib. 19. cap. 6. Illud verisimillimum est hoc anno 42. & 2. Claudii vigente Agrippæ persecutione quosdam Apostolos in varias Gentium regiones dispersos iis Evangelium annuntiasse, eosque post mortem Agrippæ reversos Jerosolymam.

23. (*m*) Plaga lethali ad instar Antiochi, viscerum torminibus, ut testatur Josephus Lib. 19. cap. 8. *Et consumptus*, ut avus ejus Herodes Ascalonites: Noctuam ab eo visam narrat Josephus.

25. (*n*) Cum eleemosynas sibi commissas attulissent Jerosolymam, reversi sunt Antiochiam.

CAP. XIII. 1. (*a*) Multi hac usque temporibus Prophetæ donum fere cessaverat: Doctores quæ essent credenda & agenda fideles instruebant. Qui Prophetæ dicebantur, ii Scripturas interpretabantur, & reconditiora mysteria exponebant: Catechistæ edocebant religionis elementa. Tum temporis, ut videtur Pearsonio, Saulus in tertium cælum raptus est ante missionem suam ad Gentes.

2. (*b*) Græce [illegible], sacrificantibus. Vox ipsa [illegible], munus publicum exercere universim significat. Sed in novo Testamento sic usurpatur, ut huic voci *Domino* [illegible] non aliud significet, quam sacrificare, ut in Ep. ad Hebr. 10. 11. 1. Cor. 9. 13. & hic in his: *Ministrantibus Domino*. Quod enim aliud ministerium ab iis exhiberi poterat Domino? Sic ad verum sacrificium pertinebat, quod præstabant Apostoli ministerium; publica erat Missæ oratio cum jejunio conjuncta: hoc erat munus Apostolicum. Perperam igitur Novatores hæc verba, *Ministrantibus illis*, sic interpretantur, cum munere suo fungerentur, docendi videlicet & prophetandi, ait Theodorus Beza; Quasi munus illud indesinenter non obirent: Quomodo utraque hæc functio tam jam epocha Apostolatus Pauli & Barnabæ constitui potest? Quorsum jejunium cum prædicandi munere conjungitur? At enim, inquit Beza, vox Græca munus publicum significat: Ita est. Sed sacrificium Deo oblatum totius Ecclesiæ nomine est munus, si quod aliud, publicum; cumque munus illud publicum varium sit & indefinitum, multa ejusmodi officia significat, ac forte sacrificium altaris incruentum eo nomine designavit Evangelista, ne infidelibus proderetur. Sic de Zacharia patre Joannis Baptistæ loquens eamdem usurpat vocem: *Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus*, [illegible]. Hoc scilicet officium fuit offerendi sacrificium, non docendi. Sic 2. Cor. 9. 12. eleemosynis, quæ sunt quoddam sacrificii genus, vox eadem applicatur. Ita Philip. 2. 17. vox eadem ad fidem refertur, quæ corpus Deo immolat per pœnitentiam, intellectum per obsequium, & cordis affectus per charitatem. Quamobrem in novo Testamento vox illa ubique fere ad sacrificium, aut proprie dictum, aut metaphoricum, omnino pertinet. Unde vox eadem sic accepta in Ecclesia Græca semper obtinuit. Nam Græci hoc Missæ sacrificium *liturgiæ* nomine designant, idque lingua Gallica & Teutonica vocari solet. *Le Service*, ut notat Estius in hunc locum. Jejunium erat quædam præparatio, quam excipiebat oratio cum sacrificio conjuncta; tum manuum impositio, qua dabatur Spiritus sanctus, character & potestas sacras obeundi functiones simul conferebatur. Unde & videtur proprie dicta ordinatio, non simplex benedictio cum voto & precibus conjuncta: adeo ut Episcopatus iis plane videatur manuum impositione collatus: nondum enim videntur hoc munus accepisse. Hæc fuse Auctor sæpe laudatus, dissert. 20.

3. (*c*) Unde preces & jejunia ex Apostolica traditione ministrorum ordinationi præmittuntur: ubi orationis publicæ fit mentio, cultus Dei externus intelligi solet, cujus pars præcipua est sacrificium.

4. (*d*) Vicinam Antiochiæ urbem, unde commodus est in Cyprum trajectus, cujus Metropolis est Salamina, a Constantino dicta Constantia, nunc Famagosta. Saulus & Barnabas egressi Antiochia circa vernum tempus Seleuciam veniunt, Cyprum inde navigantes, insulam peragrarunt toto hoc anno 44. Christi & 4. Claudii.

5. Et cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in synagogis Judæorum. Habebant autem & Joannem in ministerio (*e*).

6. Et cum perambulassent universam insulam usque Paphum, invenerunt quemdam virum magnum pseudoprophetam, Judæum, cui nomen erat Bar-jesu,

7. Qui erat cum Proconsule Sergio Paulo viro prudente. Hic, accersitis Barnaba, & Saulo, desiderabat audire verbum Dei.

8. Resistebat autem illis Elymas magus (*f*), (sic enim interpretatur nomen ejus) quærens avertere Proconsulem a fide.

9. Saulus autem, qui & Paulus (*g*), repletus Spiritu sancto, intuens in eum,

10. Dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere (*h*) vias Domini rectas.

11. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circuiens quærebat qui ei manum daret.

12. Tunc Proconsul cum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini.

13. Et cum a Papho navigassent Paulus, & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ. Joannes autem discedens ab eis, reversus est Jerosolymam.

14. Illi vero pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ: & ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt.

15. Post lectionem autem legis, & Prophetarum, miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.

16. Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens, ait: Viri Israelitæ, & qui timetis Deum, audite:

17. Deus plebis Israel elegit patres nostros,
* Exod. 1. 1. & plebem exaltavit (*i*) cum essent incolæ * in
* Exod. 13. 21. & 22. terra Ægypti, * & in brachio excelso eduxit eos ex ea,
* Exod. 16. 3. 18. * Et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto.

19. Et destruens gentes septem in terra Chanaan, * sorte distribuit eis terram eorum, * Jos. 14. 2.

20. Quasi post quadringentos & quinquaginta annos: * & post hæc dedit judices, usque ad Samuel Prophetam. * Jud. 3. 9.

21. Et exinde * postulaverunt regem: & dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta (*k*) * 1 Reg. 8. 5. & 9. 16. & 10. 1.

22. Et amoto illo, * suscitavit illis David regem: cui testimonium perhibens, dixit: * Inveni (*l*) David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. * 1 Reg. 13. 14. & 16. 11. * Ps. 88. 21.

23. Hujus Deus ex semine * secundum promissionem eduxit Israel salvatorem Jesum, * Isa. 11. 1.

24. * Prædicante Joanne ante faciem adventus (*m*) ejus baptismum pœnitentiæ omni populo Israel. * Matt. 3. 1. Marc. 1. 4. Luc. 3. 3.

25. Cum impleret autem Joannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse, * non sum ego, sed ecce venit post me, cujus non sum dignus calceamenta pedum solvere. * Matth. 3. 11. Marc. 1. 7. Joan. 1. 27.

26. Viri fratres, filii generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est.

27. Qui enim habitabant Jerusalem, & principes ejus, hunc ignorantes, & voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt:

28. Et nullam causam mortis invenientes in eo, * petierunt a Pilato, ut interficerent eum. * Matth. 27. 20. 23. Mar. 15. 11. Luc. 23. 21. 23. Joan. 19. 15.

29. Cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento.

30. * Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his, * Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. Joann. 20.

31. Qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Jerusalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.

32. Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est:

33. Quo-

5. (*e*) Græc. ὑπηρέτην, *Ministrum*. Joannes cognomento Marcus juvabat eos in rerum temporalium cura, quo facilius prædicationis munus exercerent. Deinde eos instituebat, quos Saulus & Barnabas Christo acquisierant.

8. (*f*) Vox barbara, quæ magum significat: Arabes sic vocant suos Philosophos.

9. (*g*) Hac occasione videntur nomen suum in Romanum & Græcum commutasse, ut facilius se Romanis & Græcis insinuarent, atque ut probabile videtur, ex occasione hujus victoriæ de diabolo reportatæ.

10. & 13. (*h*) Oppugnare Evangelium, quod est via Domini recta tendens ad salutem. *Discedens ab eis*, laboris forte & periculorum pertæsus. Hoc ipso anno videtur Marcus a Paulo & Barnaba discessisse, & Jerosolymam rediisse. Jam fortassis audierat mortem Agrippæ Regis, qui cum annum ageret regni quartum, & octavum Tetrarchiæ a Cajo concessæ, in Palæstina diem suum obiit, post ludos in honorem Cæsaris magnifice celebratos. Ita *Josephus* Lib. 19. cap. 7. Post Agrippæ obitum Petrus videtur Jerosolymam reversus cum nonnullis Apostolis. Isque hoc anno videtur Baronio fundasse Ecclesiam Antiochenam usque ad annum Claudii 11. Quo quidem tempore abiit in provincias Asiæ minoris, in Pontum, Galatiam & alias regiones.

17. 18. & 20. (*i*) Per Moysen; & in magna potentia eduxit eos ex Ægypto. *Per 40. annorum tempus*, Græc. circiter, mores eorum sustinuit rebelles. *Quasi post 450. annos*: Qui numerantur a nato Isaac, usque ad terræ sanctæ divisionem. Sed cum nulla facta fuerit mentio Isaaci, id multis non videtur probabile, Apostolum in Isaaco Chronologiæ suæ Epocham collocare voluisse. Nam ea cujus meminit electio jam apte ad Abrahamum, aut ad Jacob, quam ad Isaac ipsum refertur. Textus Græcus ab ea difficultate est immunis: Nam versiculum 19 a vicesimo per interjectum punctum dirimit, & tempus illud ad Samuelem usque profert hoc modo: *Et post hæc per 450. annos dedit Judices usque ad Samuelem Prophetam*. Qui 450. anni a Morte incipiunt, & in Samuelem videntur desinere. Sic enim textus videtur dispenendus. Post hæc dedit Judices, & tales sunt circiter quadringenti quinquaginta anni usque ad Samuelem.

21. (*k*) Quibus continentur anni Samuelis: ita ut tempus Samuelis, non judicibus, sed regibus qui eos sunt consecuti, annumeret, ac Samuel prophetico munere functus fuerit annis 40. partim ante regnum Saulis, partim regnante Saule.

22. (*l*) Hoc testimonium videtur e pluribus locis contextum: ex Lib. 1 Regum cap. 13. *Quæsivit sibi Dominus virum secundum cor suum, & voluntatem*. Et cap. 16. *Providi in filiis Isai mihi Regem*. Item Psalmo 88. *Inveni David servum meum*. Quod autem addit Paulus, *Qui faciet omnes voluntates meas*: illud ipsum explicat, quod dixerat Dominus, *Virum secundum cor meum*. Hæc omnia de Patriarcharum electione, Israelis liberatione, Judicum regimine, Davidis electione commemorat Paulus, ut præambula ad stirpem regiam Jesu Christi exponendam, atque ut hinc discant tot beneficia in populum Israeliticum esse collata, quod Christus ex eo esset nasciturus. Mox probat Jesum Nazarenum esse Messiam a Judæis expectatum: primum ex promissionibus toties Davidis iteratis, fore ut ex ejus stirpe Messias oriretur: unde a Judæis filius David soler appellari. Deinde probat ex testimoniis Joannis & Prophetarum in Jesu Christo impletis.

24. & 27. (*m*) Ante prædicationem Jesu. *Impleverunt*, cum eum condemnassent.

33. Quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris (*n*), resuscitans Jesum, sicut & in Psal-
* Ps. 2. 7. mo secundo scriptum est: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

34. Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius jam non reversurum (*o*) in corruptio-
* Isa. 55. 3. nem, ita dixit: * Quia dabo vobis sancta David fidelia.

* Ps. 15. 10. 35. Ideoque & alias dicit: * Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

36. David enim in sua generatione (*p*)
* 3. Reg. 2. 10. cum administrasset, voluntati Dei * dormivit: & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem.

37. Quem vero Deus suscitavit a mortuis, non vidit corruptionem.

38. Notum igitur sit vobis viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari,

39. In hoc omnis, qui credit, justificatur.

40. Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in Prophetis:

* Hab. 1. 5. 41. * Videte (*q*) contemptores, & admiramini, & disperdimini: quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis.

42. Exeuntibus autem illis, rogabant (*r*) ut sequenti sabbato loquerentur sibi verba hæc.

43. Cumque dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Judæorum, & colentium advenarum, Paulum & Barnabam: qui loquentes suadebant eis ut permanerent in gratia Dei.

44. Sequenti vero sabbato pene universa civitas convenit audire verbum Dei.

45. Videntes autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes.

46. Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.

* Isa. 49. 6. 47. Sic enim præcepit nobis Dominus: * Posui te in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.

48. Audientes autem Gentes gavisæ sunt, & glorificabant verbum Domini: & crediderunt quotquot erant præordinati (*s*) ad vitam æternam.

49. Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem.

50. Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas, & honestas, & primos civitatis, & excitaverunt persecutionem in Paulum & Barnabam: & ejecerunt eos de finibus suis.

51. * At illi, excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. * Matth. 10. 14. Marc. 6. 11. Luc. 9. 5.

52. Discipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritu sancto.

CAPUT XIV.

Iconii plures convertuntur; Paulus & Barnabas Iconio pulsi & lapidati Lystram petunt, ubi claudum sanant; sibi sacrificare paratos vix impediunt; iterum lapidibus appetiti redeunt Antiochiam.

1. FActum est autem Iconii (*a*), ut simul introirent in synagogam Judæorum, & loquerentur, ita ut crederet Judæorum & Græcorum copiosa multitudo.

2. Qui vero increduli fuerunt Judæi, suscitaverunt, & ad iracundiam concitaverunt animas Gentium adversus fratres.

3. Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter (*b*) agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa & prodigia fieri per manus eorum.

4. Divisa est autem multitudo civitatis: & quidam quidem erant cum Judæis, quidam vero cum Apostolis:

5. Cum autem factus esset impetus Gentilium & Judæorum cum principibus suis, ut contumeliis afficerent, & lapidarent eos,

6. Intelligentes confugerunt ad civitates Lycaoniæ, Lystram (*c*), & Derben, & universam in circuitu regionem, & ibi evangelizantes erant.

7. Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suæ, qui numquam ambulaverat.

8. Hic audivit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet ut salvus fieret,

9. Dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exilivit, & ambulabat.

10. Tur-

33. (*n*) Græc. *Nobis filiis eorum*. Deus excitando a mortuis Jesum implevit promissione factas Patriarchis de mittendo Liberatore, quæ in filiis Patriarcharum, in nobis scilicet completæ sunt. *Genui te*, per resurrectionem, quæ est quasi nova generatio: unde & Christus appellatur primogenitus mortuorum.

34. (*o*) Probat illud quoque Christum post resurrectionem suam non amplius moriturum, ex cap. 55. Isaiæ: *Quia dabo vobis sancta David fidelia*: promissa olim facta Davidi, rata faciam: cujusmodi est illud Psalm 19. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*; ac subinde ostendit illud intelligi non posse de Davide ipso, cujus corpus vidit corruptionem. Citat locum Isaiæ juxta LXX. Interpretes: vulgata habet, *Misericordias David fideles*.

36. & 38. (*p*) Quamdiu vixit, *Voluntati Dei*, cum Dei consiliis serviisset, & voluntati ejus esset obsecutus. Tum ad fidem eos adhortatur ob duas potissimum rationes. Prima hæc est, quod in eo solo sit peccatorum remissio. *Justificari*, Solus enim Christus, merita ejus, fides, gratia, Sacramenta justificant; alteram affert rationem, ne in iram Dei incurrant.

41. (*q*) Habac. 1. ne vobis idem eveniat, quod patribus vestris, qui verbum Dei contempserunt. *Et disperdimini*, Gr. deficite, præ metu: vel *exterminemini*, Imperativum pro futuro, ut sæpe: vel demum abscondite vos præ confusione. *Quia opus operor*, scilicet resurrectionem Christi, & omnem Verbi Incarnati œconomiam. Quod Propheta Habacuc dixerat de Chaldæis, Paulus Judæis applicat. Hoc utique erat usitatum apud Hebræos Doctores, inquit vir doctus, idque frequens est in novo Testamento.

42. & 43. (*r*) Græc. *Rogabant gentes*. Probabile videtur eam vocem, *gentes*, culpa librariorum in textum Græcum irrepsisse, cum Gentes non intrarent Synagogas. Unde vox illa neque in textu Syriaco, neque in Latino reperitur, nec citatur a Chrysostomo, aut certe intelligenda est de Proselytis, de quibus vers. sequenti, *Et colentium*.

48. (*s*) Non ait solos electos, sed omnes electos credidisse, & fidem suscepisse, τεταγμένοι, aut destinati, ut legit Chrysostomus.

CAP. XIV. 1. (*a*) Iconium erat civitas Lycaoniæ. *Multitudo*, Inter Gentiles qui crediderunt, S. Thecla a SS. Patribus valde celebratur.

3. (*b*) Libere prædicantes Evangelium. *Verbo gratiæ suæ*, nempe Evangelio, quod Dei gratiam & salutem hominum annuntiat. *In Domino*, freti Domini auxilio, & auctoritate.

6. & 8. (*c*) Lycaonia Phrygiæ finitima est, ab ea montibus separatur. *Ut salvus fieret*, credebat se posse sanitatem consequi.

10. Turbæ autem cum vidissent quod fecerat Paulus, levaverunt vocem suam, Lycaonice dicentes: Dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos.

11. Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium (*d*): quoniam ipse erat dux verbi.

12. Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, tauros & coronas ante januas afferens, cum populis volebat sacrificare.

13. Quod ubi audierunt Apostoli, Barnabas & Paulus, conscissis (*e*) tunicis suis exilierunt in turbas, clamantes,

14. Et dicentes: Viri, quid hæc facitis? & nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad
* Gen. 1. 1. Ps. 145. 6. Apoc. 14. 7. Deum vivum, * qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt:

15. Qui in præteritis generationibus (*f*) dimisit omnes gentes ingredi vias suas.

16. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit (*g*), benefaciens de cælo, dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra.

17. Et hæc dicentes, vix sedaverunt turbas ne sibi immolarent.

18. Supervenerunt autem quidam ab Antiochia & Iconio Judæi: & persuasis turbis, lapidantesque (*h*) Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes eum mortuum esse.

19. Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intravit civitatem, & postera die profectus est cum Barnaba in Derben.

20. Cumque evangelizassent civitati illi, & docuissent multos, reversi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam,

21. Confirmantes animas discipulorum, exhortantesque ut permanerent in fide: & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.

22. Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros (*i*), & orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt.

23. Transeuntesque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam (*k*).

24. Et loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam:

* Sup. 13. 1. 25. * Et inde navigaverunt Antiochiam, unde erant traditi (*l*) gratiæ Dei, in opus quod compleverunt.

26. Cum autem venissent, & congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset Gentibus ostium fidei.

27. Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis.

CAPUT XV.

Concilium Jerosolymitanum, orta de ritibus Judaicis quæstione, celebratur: eo Paulus & Barnabas mittitur, quæstione definita; Concilii Epistola mittitur ad Ecclesias. Paulus & Barnabas a se invicem discedunt, Paulus assumpto secum Sila, Barnabas assumpto Marco.

1. ET quidam descendentes de Judæa, docebant fratres: * Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari. * Gal. 5. 2.

2. Facta ergo seditione (*a*) non minima Paulo & Barnabæ adversus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex aliis, ad Apostolos & Presbyteros in Jerusalem, super hac quæstione.

3. Illi ergo deducti ab Ecclesia pertransibant Phœnicem & Samariam, narrantes conversionem Gentium: & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.

4. Cum autem venissent Jerosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, & senioribus annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis.

5. Surrexerunt autem quidam de hæresi (*b*) Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi.

6. Conveneruntque Apostoli, & seniores (*c*) videre de verbo hoc.

7. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus (*d*) dixit ad eos: * Viri fratres, * Sup. 10. 20.
vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere.

8. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, * dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis. * Sup. 10. 45.

9. Et nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans (*e*) corda eorum.

10. Nunc

11. (*d*) Mercurium enim putabant esse eloquentiæ Deum, qui Jovem comitari solebat: ac forsan Barnabas erat vultu & habitu corporis augustior, quam Paulus.

13. (*e*) Ut fieri solebat in summo dolore, cum audiebant blasphemias: ne gloria Dei transferretur ad homines.

15. (*f*) Sinit eos suo more vivere, nulla forma legis nisi naturalis præscripta: Gentes in pœnam scelerum dimisit, quo ferret naturæ impetus, abripi, & tenebris suis involvi.

16. (*g*) Quod testimonium in suo genere sufficiens erat ad Deum cognoscendum. Nam argumenta iis dedit, & beneficia, quæ Deum ipsum, si voluissent paulisper attendere, penitus ignorare non sinebant.

18. & 20. (*h*) Hujus rei meminit Paulus 2. Cor. 11. Et Antiochiam, Pisidiæ, obeunt Ecclesias a se constitutas.

22. (*i*) Cum primi, tum secundi ordinis. Vox Græca χειροτονήσαντες, ordinationem per manuum impositionem designat. Iisdem verbis utitur Apostolus Tit. 1. ubi loquitur de Episcopis. Hæc ordinatio cum fidelium oratione & jejunio erat conjuncta.

23. (*k*) Quæ est minoris Asiæ provincia, quæque una cum Cilicia nunc dicitur Caramania.

25. (*l*) Unde discesserant, cum gratia Dei & fidelium precibus sunt commendati, ut prædicarent Evangelium. Id porro factum est Antiochiæ Syriæ, ubi toto anno 47. egerant Paulus & Barnabas.

CAP. XV.

2. (*a*) Græc. στάσεως καὶ συζητήσεως, facta contentione & disceptatione: *Paulo & Barnabæ adversus illos*: negantibus circumcisionem esse necessariam ad salutem. *Ad Apostolos & Presbyteros*, cum inter Judæos gravis aliqua orta esset quæstio, tum ad Synedrium ibatur, Deuter. 6. Huic in Ecclesia Concilia successerunt.

5. (*b*) De secta Pharisæorum: quidam fideles hac erant severiori disciplina imbuti.

6. (*c*) Græc. Presbyteri, ut hanc controversiam dirimerent. Tum habitum est Concilium, quod omnium, quæ postea sunt celebrata, forma fuit & exemplar.

7. (*d*) Ratione Primatus jure suo primus sententiam dixit, atque ex iis quæ ante aliquot annos in Cornelio Centurione Deus ipse testatus fuerat, ostendit, nullo discrimine inter Judæos & Gentiles facto omnes ad fidem æque vocari, ac Circumcisionis jugo Gentiles eximi oportere, quemadmodum Deus in Cornelio & in ejus familia confirmavit.

9. (*e*) Fide, quæ per charitatem operatur, Galat. 5. Nam fides e corde ignorantiam tollit, charitas malam voluntatem, ut ait August. serm. 54. de diversis. Videtur Petrus alludere ad ea verba, quæ in visione cum esset Joppe, dicta sibi sunt: *Quod Deus purificavit, commune ne dixeris*. Quod si corda eorum, qui una cum Cornelio sunt baptizati, purgata non fuissent, Spiritus sanctus iis datus non esset.

10. Nunc (*f*) ergo quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?

11. Sed per gratiam Domini Jeſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum (*g*) & illi.

12. Tacuit autem omnis multitudo: & audiebant (*h*) Barnabam & Paulum, narrantes quanta Deus feciſſet ſigna & prodigia in Gentibus per eos.

13. Et poſtquam tacuerunt, reſpondit Jacobus, dicens: Viri fratres, audite me.

14. Simon narravit quemadmodum primum Deus viſitavit (*i*) ſumere ex Gentibus populum nomini ſuo.

15. Et huic concordant verba Prophetarum (*k*), ſicut ſcriptum eſt:

* Amos 9. 11. 16. * Poſt hæc revertar, & reædificabo tabernaculum David, quod decidit: & diruta ejus reædificabo, & erigam illud:

17. Ut requirant (*l*) ceteri hominum Dominum, & omnes gentes, ſuper quas invocatum eſt nomen meum, dicit Dominus faciens hæc.

18. Notum a ſæculo eſt Domino opus ſuum.

19. Propter quod ego judico, non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum,

20. Sed ſcribere ad eos ut abſtineant (*m*) ſe a contaminationibus ſimulacrorum, & fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine.

21. Moyſes enim a temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus qui eum prædicent

* Sup. 13. 27. in ſynagogis, * ubi per omne ſabbatum legitur.

22. Tunc placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Judam, qui cognominabatur Barſabas, & Silam, viros primos in fratribus,

23. Scribentes per manus eorum: Apoſtoli & ſeniores fratres, his qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, fratribus ex Gentibus, ſalutem.

24. Quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas veſtras, quibus non mandavimus:

25. Placuit nobis collectis in unum, eligere viros, & mittere ad vos, cum chariſſimis noſtris Barnaba & Paulo,

26. Hominibus, qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.

27. Miſimus ergo Judam & Silam, qui & ipſi vobis verbis referent eadem.

28. Viſum eſt enim Spiritui ſancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc neceſſaria:

29. Ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione: a quibus cuſtodientes vos, bene agetis. Valete.

30. Illi ergo dimiſſi, deſcenderunt Antiochiam: & congregata multitudine tradiderunt epiſtolam.

31. Quam cum legiſſent, gaviſi ſunt ſuper conſolatione.

32. Judas autem & Silas, & ipſi cum eſſent Prophetæ, verbo plurimo conſolati ſunt fratres, & confirmaverunt.

33. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimiſſi ſunt cum pace a fratribus ad eos, qui miſerant illos.

34. Viſum eſt autem Silæ ibi remanere: Judas autem ſolus abiit Jeruſalem.

35. Paulus autem, & Barnabas demorabantur Antiochiæ docentes, & evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini.

36. Poſt aliquot autem dies, dixit ad Barnabam Paulus: Revertentes viſitemus fratres per univerſas civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo ſe habeant.

37. Barnabas autem volebat ſecum aſſumere & Joannem, qui cognominabatur Marcus.

38. Paulus autem rogabat eum (ut qui diſceſſiſſet ab eis de Pamphylia, * & non iſſet * Sup. 13. 13.
cum eis in opus) non debere recipi.

39. Facta eſt autem diſſenſio (*n*), ita ut diſcederent ab invicem, & Barnabas quidem aſſumpto Marco navigaret Cyprum.

40. Pau-

10 (*f*) Cum de voluntate Dei conſtet. *Quid tentatis Deum?* Illius voluntati non parendo: *Imponere jugum*, Judæis vix ferendum, nedum Gentibus non aſſuetis: *Quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus*, niſi cum maxima difficultate; Sarcinam, ut ait Auguſt. *innumerabilium obſervationum*.

11. (*g*) Sed neque Judæi ad fidem converſi his legibus tenebantur, cum deterioris non eſſent conditionis, quam Gentiles.

12. (*h*) Quæ per eos fecit Deus miracula, tot erant argumenta, quibus Deus nullam Circumciſionis exterioris ſe habere rationem teſtabatur.

14. (*i*) Sic videntur verba conſtruenda: *Deus viſitavit in Gentibus*, id eſt, *Gentes*, ut ex iis ſumeret populum nomini ſuo, ut ſibi & Eccleſiæ ſuæ adjungeret.

15. & 16. (*k*) Amos, cujus textum magis quam verba laudat. *Reædificabo tabernaculum David*, regnum Meſſiæ, ex quo Judæi exciderant, propter ſcelera ſua repro[bati]. Vox illa *revertar*, non legitur in Propheta; ſed Jacobus ſenſum ſpiritualem & genuinum profert potius quam verba ipſa; quæque ſub Meſſia evenerunt, qui verus eſt David, commemorat. Vox Græca [illegible], aiunt viri docti, poteſt ſignificare, everſam: non diruitum tribuum everſionem prædicit Amos.

17. & 18. (*l*) Ut non ſolum Judæi, ſed etiam reliquæ nationes Dominum requirant. Hoc vaticinium ad litteram primo impletum eſt in Zorobabele, qui fuit Chriſti figura, quia reædificavit tabernaculum Davidis, Eccleſiam nimirum, in qua habitat & regnat Chriſtus filius David. Hebr. *Ut poſſideant reliquias Edom*. Pro *Edom* LXX legerunt Adam, aut forte in conſtructione verborum deeſt aliquid, nempe ut reliquiæ *Adam*, & omnes Gentes poſſideant, ſupple, Dominum. *Notum eſt*. Nota eſt ab æterno ipſi Deo Gentium converſio.

20. (*m*) Ab eſu eorum, quæ idolis erant immolata, quod dæmonibus eſſent conſecrata, atque etiam ob ſcandalum inferendum: Et *fornicatione*, quam Gentiles illicitam non putabant, quod legibus non eſſet vetita; *Et ſuffocatis & ſanguine*. Aug. Lib. 32. contra Fauſtum objicientem Catholicis, quod comederent morticina & immolata, munda & immunda, cap. 13. agnoſcit Eccleſiæ ſuæ ætatis conſuetudinem de non edendo morticino. *Elegiſſe*, inquit, *mihi videntur Apoſtoli pro tempore rem facilem, & nequaquam obſervantibus oneroſam, in qua cum Judæis etiam Gentes aliquid communiter obſervarent. Atque id non ut legale præceptum, ſed ut morale quiddam præſcriptum fuit; uti & Noemo & ejus poſteris ea lex data eſt, ut abſtinerent ab omni cæde*. Auguſtinus eo loco morem hujus abſtinentiæ agnoſcit quoad morticina & ſuffocata, ac ſubinde docet omnes Chriſtianos nullam cibi naturam, quam ſocietas admittit humana, reſugere. Neque id fuit Apoſtolis propoſitum, ut perpetuo Eccleſiam univerſalem hac lege obſtringerent, quam tamen complures Eccleſiæ propter reverentiam legis Apoſtolicæ diu retinuerant. Atque ab iis abſtinebant Chriſtiani, ubi metus erat a ſcandalo: unde ea fuit tantummodo explicatio legis divinæ de vitando ſcandalo: ita Eſtius in hunc locum. Addi illud quoque poteſt nos legere in textu Græco & Latino, *a ſuffocatis & ſanguine*. Sed Irenæus, Tertull. Cyprianus, Auguſtinus, a ſuffocatis carnibus non legerunt. Hæc vero ad tempus vetita ſunt, ne Judæi, qui a ſanguine & ſuffocatis valde abhorruerant, gravius offenderentur. In ſuffocatis cum ſanguis ſupereſſit, propterea eſus eorum ad tempus prohibetur.

39 (*n*) Idque ceſſit in utilitatem Eccleſiæ: ſic enim divina providentia factum eſt, ut pluribus Evangelium nuntiaretur: ſua cuique & Paulo, & Barnabæ conſtabat ratio. Hier. Dialogo 2. contra Pelagium, cap 6. *Paulus ſeverior, ille clementior, uterque in ſuo ſenſu abundat: & tamen diſſenſio aliquid habet fragilitatis humanæ*. Vox Græca [illegible], primam iræ commotionem ſignificat: ea voce utitur Paulus Heb. 10. 24. ubi textus Latinus habet *provocationem charitatis*, adeo ut in bonam quoque partem vox illa accipiatur. Diſceſſio Barnabæ a Paulo videtur facta anno Chriſti 49. verno tempore. Sila comite Paulus obiit Eccleſias Syriæ & Ciliciæ.

40. Paulus vero electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei a fratribus.

41. Perambulabat autem Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & seniorum.

CAPUT XVI.

Paulus lustrat Ecclesias. Visu admonitus, in Macedoniam se confert; Philippis Lydiam purpurariam ad fidem convertit; sanat Pythonissam; ipse & Silas virgis cæduntur, custos carceris convertitur, ipsi liberantur.

1. PErvenit autem Derben, & Lystram. Et ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Judææ fidelis patre Gentili.

2. Huic testimonium bonum reddebant qui in Lystris erant, & Iconio fratres.

3. Hunc voluit Paulus secum proficisci: & assumens circumcidit (*a*) eum, propter Judæos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quod pater ejus erat Gentilis.

4. Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus, qui erant Jerosolymis.

5. Et Ecclesiæ quidem confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie.

6. Transeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati sunt a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia.

7. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant (*b*) ire in Bithyniam: & non permisit eos Spiritus Jesu.

8. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem.

9. Et visio per noctem Paulo ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam, adjuva nos.

10. Ut autem visum vidit, statim quæsivimus (*c*) proficisci in Macedoniam, certi facti quod vocasset nos Deus evangelizare eis.

11. Navigantes autem a Troade, recto cursu venimus Samothraciam (*d*), & sequenti die Neapolim;

12. Et inde Philippos (*e*), quæ est prima partis Macedoniæ civitas, colonia. Eramus autem in hac urbe diebus aliquot, conferentes.

13. Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio (*f*) esse: & sedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant.

14. Et quædam mulier nomine Lydia (*g*), purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit: cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur a Paulo.

15. Cum autem baptizata esset, & domus ejus, deprecata est dicens: Si judicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, & manete. Et coegit nos.

16. Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum pythonem (*h*) obviare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis divinando.

17. Hæc subsecuta Paulum, & nos, clamabat dicens: Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis.

18. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens (*i*) autem Paulus, & conversus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora.

19. Videntes autem domini ejus quia exivit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum & Silam perduxerunt in forum ad principes:

20. Et offerentes eos magistratibus, dixerunt: Hi homines conturbant civitatem nostram, cum sint Judæi:

21. Et annuntiant morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus Romani.

22. Et cucurrit plebs adversus eos: & magistratus, scissis tunicis eorum, * jusserunt eos virgis cædi. * 2. Cor. 11. 25. Phil. 1. 13. 1. Thess. 2. 2.

23. Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, præcipientes custodi ut diligenter custodiret eos.

24. Qui cum tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno.

25. Media autem nocte, Paulus & Silas orantes, laudabant Deum: & audiebant eos, qui in custodia erant.

26. Subito vero terræmotus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia: & universorum vincula soluta sunt.

27. Expergefactus autem custos carceris, & videns januas apertas carceris, evaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos.

28. Clamavit autem Paulus voce magna, dicens: Nihil tibi mali feceris: universi enim hic sumus.

29. Petitoque lumine, introgressus est: & tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes:

30. Et producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam?

31. At illi dixerunt: Crede in Dominum Jesum, & salvus eris tu, & domus tua.

32. Et locuti sunt ei verbum Domini, cum omnibus qui erant in domo ejus.

33. Et tollens eos in illa hora noctis, lavit plagas eorum: & baptizatus est ipse, & omnis domus ejus continuo.

34. Cum-

CAP. XVI. 3. (*a*) Quia Judæus erat ex matre. Quamobrem ne Judæi moram afferrent Evangelio, qui ab incircumcisis verbum Dei audire noluissent, eum circumcidit, non Titum, quia Gentilis erat, ne videretur jugum legis Gentilibus imponere.

7. (*b*) Non permisit Deus, forsitan ob eam rationem, quod in iis regionibus Evangelium jam annuntiavisset Petrus.

10. (*c*) Lucas hic primum loquitur ut Pauli comes. An Troade exspectabat Paulum, an ab Ecclesia Antiochena fuit constitutus comes peregrinationis Pauli, & eo Paulum convenerit?

11. (*d*) Insula est e regione Thraciæ: *Et sequenti die Neapolim*, in confinio Thraciæ & Macedoniæ.

12. (*e*) Urbs erat sic dicta a patre Alexandri. Prima est Macedoniæ, quæ occurrit venientibus e Samothracia, vel prima est Romana Colonia. *Conferentes*, ibi commorantes non otiosi, sed de rebus Religionem spectantibus disserentes.

13. (*f*) Seu locus in quo fiebat oratio, aut conveniur Synagogæ; *Die Sabbatorum*, quodam sabbato. Mulieres eo prius videntur convenisse.

14. (*g*) Quod esset e Lydia oriunda; *Purpuraria*, quæ vendebat purpuram; *Civitatis Thyatirenorum*, quæ erat in Lydia; *Colens Deum*, nempe Proselyta.

16. (*h*) Sytue. Spiritum divinationis, qui responsa dabat petentibus.

18. (*i*) Dæmonis fraudem, quodque a patre mendacii laudaretur, præsertim id metuendum erat, ne Philippenses sibi persuaderent Paulum & socios ejus eodem agi spiritu, cui miracula tribuerent.

34. Cumque perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, & lætatus est cum omni domo sua credens Deo.

35. Et cum dies factus esset, miserunt magistratus lictores, dicentes: Dimitte homines illos.

36. Nuntiavit autem custos carceris verba hæc Paulo: Quia miserunt magistratus ut dimittamini, nunc igitur exeuntes, ite in pace.

37. Paulus autem dixit eis: Cæsos nos publice, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occulte nos ejiciunt? Non ita: sed veniant (*k*),

38. Et ipsi nos ejiciant. Nuntiaverunt autem magistratibus lictores verba hæc. Timueruntque audito quod Romani essent:

39. Et venientes deprecati sunt eos, & educentes rogabant ut egrederentur de Urbe.

40. Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam: & visis fratribus consolati sunt eos, & profecti sunt.

CAPUT XVII.

Paulus Philippis exiens Thessalonicam venit, ubi multos convertit ad fidem; inde Berœam profectus, in Synagoga verbum Dei prædicat; tum Athenas venit; in Areopago verum Deum annuntiat; credunt nonnulli, in iis Dionysius Areopagita.

1. CUm autem perambulassent Amphipolim (*a*), & Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Judæorum.

2. Secundum consuetudinem (*b*) autem Paulus introivit ad eos, & per sabbata tria disserebat eis de Scripturis,

3. Adaperiens & insinuans quia Christum oportuit pati, & resurgere a mortuis: & quia hic est Jesus Christus, quem ego annuntio vobis (*c*).

4. Et quidam ex eis crediderunt, & adjuncti sunt Paulo & Silæ, & de colentibus, Gentilibusque (*d*) multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ.

5. Zelantes autem Judæi, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, & turba facta, concitaverunt civitatem, & assistentes domui Jasonis (*e*) quærebant eos producere in populum.

6. Et cum non invenissent eos, trahebant Jasonem, & quosdam fratres ad principes civitatis, clamantes: Quoniam hi, qui Urbem concitant, & huc venerunt,

7. Quos suscepit Jason, & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem (*f*) alium dicentes esse, JESUM.

8. Concitaverunt autem plebem, & principes civitatis audientes hæc.

9. Et accepta satisfactione (*g*) a Jasone, & a ceteris, dimiserunt eos.

10. Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum & Silam in Berœam. Qui cum venissent, in synagogam Judæorum introierunt.

11. Hi autem erant nobiliores (*h*) eorum qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.

12. Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum Gentilium honestarum, & viri non pauci.

13. Cum autem cognovissent in Thessalonica Judæi, quia & Berœæ prædicatum est a Paulo verbum Dei, venerunt & illuc commoventes, & turbantes multitudinem.

14. Statimque tunc Paulum dimiserunt fratres, ut (*i*) iret usque ad mare: Silas autem & Timotheus remanserunt ibi.

15. Qui autem deducebant (*k*) Paulum, perduxerunt eum usque Athenas, & accepto mandato ab eo ad Silam & Timotheum, ut quam celeriter venirent ad illum profecti sunt.

16. Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem.

17. Disputabat igitur in Synagoga cum Judæis, & colentibus, & in foro, per omnes dies, ad eos qui aderant.

18. Quidam autem Epicurei, & Stoici philosophi disserebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult seminiverbius (*l*) hic dicere? Alii vero: Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse: quia Jesum, & resurrectionem annuntiabat eis.

19. Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus scire quæ est hæc nova, quæ a te dicitur, doctrina?

20. Nova enim quædam infers auribus nostris: Volumus ergo scire quidnam velint hæc esse.

21. (Athe-

37. (*k*) Honoris sui sæpe habenda est ratio. Quod utique fecit Paulus, tum ut ea ratione consultum foret fidelibus, quos Magistratus vexare non auderent sui facinoris conscii; tum ut Christi gloriam & bonum ejus odorem spargeret, cum ejus caussa tantam contumeliam paterentur, quam vitare facile potuissent.

CAPUT XVII. 1. (*a*) Græce, cum transissent, cum iter fecissent Amphipoli, quæ est urbs Macedoniæ: Et *Apolloniam*, quæ urbs est Thessalonicæ vicina.

2. (*b*) Paulus solebat Missionem suam a synagogis auspicari, quod in iis exponerentur Scripturæ, atque hinc occasione accepta Jesum esse Messiam demonstrabat.

3. (*c*) Et Christus, seu Messias. Primum e Scripturis ostendit Christum pati oportuisse, & a mortuis resurgere, hos esse genuinos Messiæ characteres, qui uni Jesu Christo conveniunt, nulli alteri. Ordo verborum hic est: Jesus quem annuntio vobis, est Christus, seu Messias.

4. (*d*) Conjunctio, *que*, videtur abundare, aut colentes dicuntur Proselyti, vel Gentiles, qui relictis idolis unum Deum colebant.

5. & 6. (*e*) Qui hospitio exceperat Paulum & Silam. *Urbem concitant*: καὶ οἰκουμένην, orbem.

7. (*f*) Sic crimine læsæ Majestatis eos postulant, sævientes in Jasonem, ut hujus criminis participem.

9. (*g*) Jason satisdedit, non ut Paulum & Silam, sed ut scriptum judicio sisteret, si de rege aliquo temporali tumultus oriretur. Nam Paulum & Silam confestim & de nocte dimisit Berœam, quæ est urbs Macedoniæ, non procul Pella.

11. (*h*) Aut genere, aut prosapia, aut æquitate, & docilitate animi. *Quotidie scrutantes Scripturas*. Frustra hunc locum Catholicis opponunt Protestantes, ut probent omnia dogmata ad unius Scripturæ normam expendi oportere. Nam Berœenses *susceperunt verbum* cum omni aviditate, iique scrutabantur Scripturas, ut in veritate magis ac magis firmarentur: Catholici quoque scrutantur Scripturas, non quasi dubitantes, sed ut Ecclesiæ consensum cum Scripturis recognoscant: tametsi in eo qui dubitat, non reprehenditur inquisitio veritatis, dummodo ea sit cum humilitate conjuncta.

14. (*i*) Græc. ὡς, quod sæpe redundat, & interdum particula est affirmans, aut specie eundi ad mare, cum seipsa terrestri itinere Athenas profectus sit: idque factum est ut ejus discessus Judæis esset incognitus.

15. & 16. (*k*) Vel honoris, vel securitatis caussa Athenas usque eum perduxerunt. *Idololatriæ*, Videns civitatem Idolis refertam, zelo incitabatur.

18. (*l*) Garrulus, verbosus: *Novorum dæmoniorum*, peregrinorum: extraneos deos non licebat privatim admittere.

21. (Athenienses autem omnes , & advenæ hospites , ad nihil aliud vacabant (*m*) , nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.)

22. Stans autem Paulus in medio Areopagi , ait : Viri Athenienses , per omnia (*n*) quasi superstitiosiores vos video.

23. Præteriens enim, & videns (*o*) simulacra vestra , inveni & aram , in qua scriptum erat : IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.

* Gen. 1. 1. 24. * Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt , hic cæli & terræ cum sit Dominus , * non in manufactis templis habitat, * Sup 7. 48.

25. Nec manibus humanis colitur (*p*) indigens aliquo , cum ipse det omnibus vitam , & inspirationem , & omnia:

26. Fecitque ex uno (*q*) omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ , definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum,

27. Quærere (*r*) Deum , si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum.

28. In ipso (*s*) enim vivimus , & movemur , & sumus : sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt : Ipsius enim & genus sumus.

29. Genus ergo cum simus Dei , non debemus æstimare auro, aut argento , aut lapidi , sculpturæ artis & cogitationis hominis , Divinum esse simile.

30. Et tempora (*t*) quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant,

31. Eo quod statuit (*u*) diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate , in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.

32. Cum audissent autem resurrectionem mortuorum , quidam quidem irridebant , quidam vero dixerunt : Audiemus te de hoc iterum.

33. Sic Paulus exivit de medio eorum.

34. Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt : in quibus & Dionysius (*x*) Areopagita , & mulier nomine Damaris , & alii cum eis.

CAPUT XVIII.

Paulus venit Corinthum, multos ibi ad fidem convertit ; purgat se apud Gallionem Proconsulem, tum Ephesum proficiscitur una cum Priscilla & Aquila . Apollo ab his institutus rem Christianam promovet.

1. POst hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum:

2. Et inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam , Ponticum genere , qui nuper venerat ab Italia , & Priscillam uxorem ejus, (eo quod præcepisset (*a*) Claudius discedere omnes Judæos a Roma) accessit ad eos.

3. Et quia ejusdem erat artis, manebat apud eos , & operabatur : (erant autem scenofactoriæ (*b*) artis.)

4. Et disputabat in synagoga per omne sabbatum, interponens nomen Domini Jesu , suadebatque Judæis, & Græcis.

5. Cum

21. (*m*) Hyperbole, qua summa Atheniensium curiositas exprimitur. *Areopagus* , quasi Martis collis: una erat regio ex quinque , in quas urbs olim fuit divisa . Ibi judices de majoribus caussis judicabant.

22. (*n*) In omnibus plus satis religiosos : Id etiam vox Græca *δεισιδαιμονεστέρους* , significat.

23. (*o*) Gr. considerans. *Ignoto Deo* , complures fuisse aras , quarum aliæ in singulari , aliæ in plurali numero sic erant inscriptæ: valde est probabile. Lucianus, vel quisquis alius in Philopatride jurat per Deum ignotum , qui Athenis est. Quasi diceret Paulus: Non nova annuntio dæmonia, sed Deum vestrum ex ignoto vobis notum facio. Sic crimen novæ religionis prudenter eludit ; dum unum & verum Deum prædicat , ac præcipuos Philosophorum errores circa divinitatem refellit. Ac primum docet hoc Universum , quæque eo continentur, cælum & terram ab uno Deo esse condita , Deum esse immensum, & Infinitum , neque adeo templis indigere , aut iis concludi posse, cum esse cæli & terræ Dominum.

25. (*p*) Vox Græca *θεραπεύεται* . In novo Testamento non tam pro honore , quam pro ministerio exhibito sumitur. Atque ad eum sensum voces illæ . *Manibus humanis* , verbum illud determinant; non enim aliquis manibus honoratur. Quod sequitur, *Indigens aliquo* , de ministerio intelligi oportere confirmat ; non indiget templis, aut sacrificiis, cum non egeat habitatione, aut cibo. *Inspirationem* , Gr. *spiritum Spiritum*. Non enim ut principibus , Deo necessarius est ingens famulatus, qui cibum, potumque, ac vitæ adjumenta suppeditet ; sed omnibus est caussa vivendi.

26. (*q*) Græc. *Ex uno sanguine*, ex unius Adami stirpe . Quod quidem contra Præadamitas merito urgeri potest. *Definiens statuta tempora* , anni tempestates, vel ætates hominum, ac fines unicuique populo præscriptos *Ut inhabitent* , sic cuncta ad providentiam divinam pertinere docet contra Epicureos.

29. (*r*) Ut Deum quærant, agnoscant, ament, in quem conditi sunt finem . *Si forte* , quasi explorando more cæcorum, qui palpando aliquid quærunt. Nos enim per creaturas ad Dei notitiam utcumque pervenimus : idque hoc facilius est, quod Deus nobis sit intimus, nos conservet ac tueatur.

28. (*s*) Per ipsum, & in ipso vivimus: cum sit nobis intimior, quam ipsi nobis, ac sua immensitate cuncta impleat. *Dixerunt* . Aratus in Phænomenis: *Ipsius enim & genus sumus* , cognatione quadam naturæ. Nam homo ad Dei imaginem est conditus, nec pater filios suos deserit.

30. (*t*) Quæ lucem Evangelii præcesserunt . *Despiciens Deus* , Græc. *ὑπεριδὼν* , dissimulans, quasi averso vultu ea videre nollet ; sed postea quasi subducto velo seipsum in Christo exhibuit: *Annuntiat hominibus* , per Apostolos; *Ut omnes ubique pœnitentiam agant* ; de sua Idololatria, & aliis flagitiis.

31. (*u*) Neque enim inulta relinquit hominum scelera , sed severe puniet in die extremi judicii ; *In quo* , reddens unicuique juxta opera sua ; *In viro* , per Jesum Christum , quem huic præfecit muneri ; *Fidem præbens omnibus* , fidem faciens, atque in hujus rei argomentum eum a mortuis excitavit. Jesum viri nomine appellat , quod Athenienses nihil amplius animo complecti possent . Omnium resurrectionem futuram, ac proinde omnes homines judicandos probat ex resurrectione Christi tot argumentis comprobata.

34. (*x*) Unus e Senatoribus Areopagi, qui postea fuit Atheniensium Episcopus. Sic verbum Dei diversos edidit effectus : quidam irriserunt, qui suæ traditi sunt cæcitati ; alii crediderunt , persuasi a Spiritu Sancto intus aspirante . Ambrosius Lib. 6. in Lucam pulcre advertit , quod Paulus ante omnia Deum esse mundi auctorem docuerit. Nam si statim voluisset destruere cæremonias Idolorum sermones ejus aures Gentilium respuissent . Ab uno igitur mundi Imperatore incipit dicens: *Deus qui fecit mundum, & cuncta quæ sunt in eo.* Negare non poterant unum operatorem esse mundi , unum Deum , unum omnium Creatorem. Tum venit ad Christum : qui autem tractat, debet audientium considerare personas, ne prius irrideatur , quam audiatur . Quando enim Athenienses crederent , quia Verbum caro factum est, & de Spiritu Virgo concepit, qui irridebant, quia resurrectionem audiebant mortuorum ? Quid interest quo quisque credat ordine ? non in principiis perfecta quæruntur : sed de principiis ad ea quæ perfecta sunt, pervenitur. Hactenus Ambrosius, qui ex hoc brevi, sed præclaro Apostoli sermone , formam Religionis in fidelium animis insinuandæ nobis tradit.

CAPUT XVIII.

2. (*a*) Svetonius in Claudio cap 25. Claudius Judæos impulsore Christo assidue tumultuantes Roma expulit . Quod ait, impulsore Christo , hunc habet sensum , quod Ethnicis id persuasum esset ex Christi occasione hos inter Judæos excitari tumultus. Josephus hujus ejectionis Judæorum non meminit , quod illud edictum Romæ diu non fuerit observatum. Edicti hæc caussa esse potuit , quod Judæi cum Christianis frequenter altercarentur. Vel ob varias potius Judæorum cum Samaritanis seditiones edictum promulgavit ; ut Judæi Roma excederent .

3. (*b*) Seu tentoria, seu aulæa parantes. Vox enim Græca *σκηνοποιοὶ* , utrumque significat.

5. Cum venissent autem de Macedonia Silas & Timotheus, instabat (c) verbo Paulus, testificans Judæis esse Christum Jesum.

6. Contradicentibus autem eis, & blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos: Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam.

7. Et migrans inde, intravit in domum cujusdam, nomine Titi (d) Justi, colentis Deum, cujus domum erat conjuncta synagogæ.

8. Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua: & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur.

9. Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas:

10. Propter quod ego sum tecum: & nemo apponetur (e) tibi ut noceat te: quoniam populus est mihi multus in hac civitate.

11. Sedit autem ibi annum & sex menses, docens apud eos verbum Dei.

12. Gallione (f) autem proconsule Achajæ, insurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal,

13. Dicentes: Quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum.

14. Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Judæos: Si quidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, o viri Judæi, recte vos sustinerem.

15. Si vero quæstiones sunt de verbo, & nominibus (g), & lege vestra, vos ipsi videritis: Judex ego horum nolo esse.

16. Et minavit eos a tribunali.

17. Apprehendentes (h) autem omnes Sosthenem principem synagogæ, percutiebant eum ante tribunal: & nihil eorum Gallioni curæ erat.

18. Paulus vero cum adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, navigavit (i) in Syriam, (& cum eo Priscilla, & Aquila) qui sibi * totonderat in Cenchris caput: habebat enim votum.

* Num. 6. 18. Inf. 21. 24.

19. Devenitque Ephesum, & illos ibi reliquit. Ipse vero ingressus synagogam, disputabat cum Judæis.

20. Rogantibus autem eis ut ampliori tempore maneret, non consensit,

21. Sed valefaciens, & dicens, Iterum revertar ad vos, Deo volente, profectus est ab Epheso.

22. Et descendens Cæsaream (k) ascendit, & salutavit Ecclesiam, & descendit Antiochiam.

23. Et facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes discipulos.

24. Judæus autem quidam, Apollo (l) nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in Scripturis.

25. Hic erat edoctus viam Domini: & fervens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt Jesu, sciens tantum baptisma Joannis (m).

26. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synagoga. Quem cum audissent Priscilla & Aquila, assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei viam Domini.

27. Cum autem vellet ire Achajam, exhortati, fratres, scripserunt discipulis, ut susciperent eum. Qui cum venisset, contulit multum his, qui crediderant.

28. Vehementer enim Judæos revincebat publice, ostendens per Scripturas, esse Christum Jesum.

CAPUT XIX.

Paulus Ephesi duodecim baptizat, qui Joannis baptismo tantummodo tincti fuerant: multa ibit edit miracula; Judæi quidam exorcistæ ab energumenis male tractantur. Libri magiæ igni traduntur. Seditio contra Paulum excitatur.

1. Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis (a) superioribus partibus veniret Ephesum, & inveniret quosdam discipulos:

2. Dixitque ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis (b) credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus.

3. Ille vero ait: In quo ergo baptizati (c) estis? Qui dixerunt: In Joannis baptismate.

4. Dixit

5 (c) Gr. constringebatur spiritu: magno studio prædicabat Jesum Christum esse Messiam, adversus Judæos contradicentes verbis & miraculis confirmabat, 1. Corinth 2.

7. (d) Vox Titi deest in Græco; Justi est nomen proprium: Græce ὀνόματι Ἰούστου, Græca lectio forsan est mutila ex occasione particulæ τι bis positæ, adeo ut vera lectio sit ὀνόματι Τίτου Ἰούστου, cum prior syllaba, Titi eadem esset cum extrema præcedentis vocabuli. Neque hic est Titus, ad quem epistola Pauli dirigitur, qui Corinthius non erat.

10. (e) Gr. Imponet, vel injiciet manus, ut noceat tibi.

12. (f) Totius Græciæ Proconsule, cujus tum Athei erant principes. Hic frater erat Senecæ, ut liquet ex præfatione Senecæ in Lib. 4. quæstionum naturalium: a Junio Gallione is fuerat adoptatus.

15. & 16. (g) Non multum sollicitus de Judæorum Messia. Minavit a tribunali, summovit. Hoc anno, vel in sequenti creatus fuerat Consul.

17. (h) Non Judæi, sed Græci, qui erant in comitatu, aut negotia habebant coram Proconsule, quod Judæi pertinacius instarent. Qui Sosthenes postea ad fidem est conversus, & quarto post anno prioris ad Corinthios Epistolæ initio una cum Paulo salutat Corinthios. Nam Corinthi diu commoratus Apostolus eum ad Christianam fidem tandem adduxit.

18. (i) Sed ante scripsit Epistolam priorem ad Thessalonicenses, mox alteram. In Cenchris; portus erat Corinthi. Habebat enim votum; Dubitatur, de Paulo, an de Aquila id sit accipiendum. Chrysostomus de Paulo, Hieronymus de Aquila hæc verba interpretantur. In textu Latino hæc verba nunc per parenthesim leguntur (Habebat enim votum) an Nazaræus ad certum tempus, an vero in perpetuum; an quoddam aliud votum? Etsi commode id intelligitur ex Græco textu de Aquila potuit tamen Paulus votum exequi juxta legem Num. 6. cum in ea re nihil esset mali, quove Judæos facilius adduceret. Navigavit in Syriam, versus Syriam e nam venit Ephesum. Hoc anno Petrus post septem annos a fundatione Ecclesiæ Antiochenæ Evodium reliquit adjutorem suum, qui hanc administraret Ecclesiam. Interim profectus est in Pontum, Cappadociam, & alias provincias, verbum Dei prædicaturus: quod videtur ex ejus Epistola prima colligi.

22. (k) Palæstinæ, non Cappadociæ. Salutavit Ecclesiam Jerosolymitanam, ex qua aliæ omnes suam duxerunt originem.

24. (l) Græc. Ἀπολλώς, ita ut sit nomen indeclinabile a Potens in Scripturis, exercitatus in Scripturis sanctis.

25. & 26 (m) Baptizatus tantummodo baptismo Joannis. Is forsitan a Joanne ipso baptizatus fuerat, tum reversus erat Alexandriam, inde Romam. Exposuerunt, Baptismum Christi, & alia fidei capita eum edocuerunt.

CAPUT XIX.

1. (a) Galatia, Ponto, Bithynia peragratis: fors est ut Apollo Epheso Corinthum jam profectus fuerit.

2. (b) Per impositionem manuum in Sacramento Confirmationis, ubi Spiritus Sanctus præsentiam suam signo aliquo visibili sæpius testatam faciebat.

3. (c) Hinc palam est fideles non baptizatos fuisse nisi invocato Spiritus Sancti nomine.

* Matth. 3. 11. Marc. 1. 8. Luc. 3. 16. Joan. 1. 26. Sup. 1. 5. & 11. 16.

4. Dixit autem Paulus: * Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum.

5. His auditis, baptizati (*d*) sunt in nomine Domini Jesu.

6. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.

7. Erant autem omnes viri fere duodecim.

8. Introgressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans, & suadens de regno Dei.

9. Cum autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregavit discipulos, quotidie disputans in schola tyranni (*e*) cujusdam.

10. Hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Judæi atque Gentiles.

11. Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli:

12. Ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, & semicinctia (*f*), & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.

13. Tentaverunt autem quidam & de circumeuntibus Judæis exorcistis (*g*), invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes: Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat.

14. Erant autem quidam Judæi Scevæ principis (*h*) sacerdotum septem filii, qui hoc faciebant.

15. Respondens autem spiritus nequam, dixit eis: Jesum novi, & Paulum scio: vos autem qui estis?

16. Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum (*i*), invaluit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illa.

17. Hoc autem notum factum est omnibus Judæis, atque Gentilibus, qui habitabant Ephesi: & cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Jesu.

18. Multique credentium veniebant, confitentes (*k*), & annuntiantes actus suos.

19. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa (*l*) sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus: & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.

20. Ita fortiter crescebat verbum Dei, & confirmabatur.

21. His autem expletis, proposuit Paulus in Spiritu (*m*), transita Macedonia & Achaja ire Jerosolymam, dicens: Quoniam postquam fuero ibi, oportet me & Romam videre.

22. Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum & Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia.

23. Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via Domini.

24. Demetrius enim quidam nomine, argentarius (*n*), faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum:

25. Quos convocans, & eos, qui hujusmodi erant opifices, dixit: Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio:

26. Et videtis, & auditis, quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ, Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt dii, qui manibus fiunt.

27. Non solum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire (*o*), sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, sed & destrui incipiet majestas ejus, quam tota Asia, & Orbis colit.

28. His auditis, repleti sunt ira, & exclamaverunt, dicentes: Magna Diana Ephesiorum.

29. Et impleta est civitas confusione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum (*p*), rapto Gajo, & Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli.

30. Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli.

31. Quidam autem & de Asiæ principibus (*q*), qui erant amici ejus, miserunt ad eum rogantes ne se daret in theatrum:

32. Alii autem aliud clamabant. Erat enim Ecclesia confusa: & plures nesciebant qua ex causa convenissent.

33. De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Judæis, Alexander autem manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo.

34. Quem ut cognoverunt Judæum esse, vox facta una est omnium, quasi per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum.

35. Et

5. & 6. (*d*) Baptismo, quem Christus Dominus instituit, & forma ab eo præscripta. *Imposuisset*, in Sacramento Confirmationis, quod soli Episcopi Apostolorum successores conferunt.

9. & 11. (*e*) Sophistæ, cujus nomen Tyrannus. *Virtutesque*, illustria miracula.

12. (*f*) Seu sint arctiores zonæ seu velamina, quibus præcingi solent opifices: Gall. Un *Tablier*. Atque hinc sacrarum reliquiarum usus, & applicatio ad ægros optime colligitur.

13. (*g*) Nam Judæi suos habebant Exorcistas: Matth. 12. *Filii vestri in quo ejiciunt?*

14. (*h*) Principis alicujus familiæ sacerdotalis, iique Ephesi morabantur.

16. (*i*) Ex septem filiis Scevæ duo tantum erant. Græce *eorum*: duo tantum juxta vulgatam e septem male habiti sunt. Juxta textum Græcum videntur omnes a dæmoniaco vulnerati, quod majori fuit miraculo, ut sequenti vers. insinuatur. Neque id prodigio simile fuisset, si unus homo adversus duos insiluisset.

18 (*k*) Commemoratis etiam peccatis gravioribus, quæ ii fecerant, qui ad Joannem Baptistam veniebant. Quædam erat exterior pœnitentiæ professio, & peccatorum detestatio, non Sacramentalis Confessio: nam baptismo prævertebat, & ad eum disponebat.

19. (*l*) Artes vanas & superstitiosas. Hieronymus in præfatione Epist. ad Ephesios docet hanc civitatem artium magicarum præstigiis deditam fuisse: Idque nonnullis videtur Apollonium Thyanæum tum Ephesi egisse. *Denariorum* 50000. librarum aut circiter.

21. (*m*) Instinctu Spiritus Sancti. *Oportet me & Romam videre*: Quo quidem tempore prior Epistola ad Corinthios videtur conscripta. Nam cap. ultimo hujus propositi meminit. Anno sequenti alteram ad eos misit Epistolam. Atque his fere temporibus scripsit Epistolam ad Galatas.

24. (*n*) Auri faber, & sculptor argenti, ædiculas faciebat, in quibus erat simulacrum Dianæ, & effigies templi Ephesini.

27. (*o*) Pars nostra in periculum contemptus veniret, confutata a Paulo ut vana & superstitionis plena religione.

29. (*p*) Quo populi erat concursus, ibi erat tribunal Magistratuum.

31. & 33. (*q*) Græce Ἀσιαρχῶν, qui erant sacerdotes, e præcipuis Asiæ civitatibus orti, & in Paulum bene affecti. *Detraxerunt Alexandrum*, Græce *Progredi fecerunt*, promoverunt in eum locum unde audiri posset. *Volebat*, Suam & Judæorum caussam defendere.

35. Et cum sedasset scriba (e) turbas, dixit: Viri Ephesii, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnæ Dianæ, Jovisque prolis?

36. Cum ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, & nihil temere agere.

37. Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemantes deam vestram.

38. Quod si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habent adversus aliquem caussam, conventus forenses aguntur, & proconsules sunt, accusent invicem.

39. Si quid autem alterius rei quæritis: in legitima Ecclesia (f) poterit absolvi.

40. Nam & periclitamur argui seditionis hodiernæ: cum nullus obnoxius sit (de quo possimus reddere rationem) concursus istius. Et cum hæc dixisset, dimisit Ecclesiam.

CAPUT XX.

Paulus Epheso discedens, in Macedoniam per varias Græciæ urbes se confert; inde Troadem, ubi a mortuis excitat Eutychum, hinc Miletum petit, ubi orationem habet.

1. POstquam autem cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis, & exhortatus (a) eos, valedixit, & profectus est ut iret in Macedoniam.

2. Cum autem perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Græciam:

3. Ubi cum fecisset menses (b) tres, factæ sunt illi insidiæ a Judæis navigaturo in Syriam: habuitque consilium ut reverteretur per Macedoniam.

4. Comitatus est autem eum Sopater Pyrrhi Berœensis, Thessalonicensium vero Aristarchus, & Secundus, & Gajus Derbeus, & Timotheus: Asiani vero Tychicus & Trophimus.

5. Hi cum præcessissent, sustinuerunt (c) nos Troade:

6. Nos vero navigavimus post dies azymorum a Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati sumus diebus septem.

7. Una (d) autem sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem.

8. Erant autem lampades (e) copiosæ in cœnaculo, ubi eramus congregati.

9. Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus.

10. Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum: & complexus dixit: Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est.

11. Ascendens autem, frangensque panem, & gustans, satisque allocutus usque in lucem, sic profectus est.

12. Adduxerunt autem puerum viventem, & consolati sunt non minime.

13. Nos autem ascendentes navem, navigavimus in Asson (f), inde suscepturi Paulum: sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus.

14. Cum autem convenisset nos in Asson, assumpto eo, venimus Mitylenen.

15. Et inde navigantes, sequenti die venimus contra Chium, & alia applicuimus Samum, & sequenti die venimus Miletum.

16. Proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Jerosolymis.

17. A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit Majores (g) natu Ecclesiæ.

18. Qui cum venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis, a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim,

19. Serviens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum.

20. Quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publice, & per domos,

21. Testi-

35. (e) Gr. Γραμματεὺς, legis doctor, aut quasi Syndicus civitatis, qui illius jura callebat. *Civitatem cultricem*, Gr. *Æditimam*, templi ornatricem. *Jovisque Prolis*. Gr. a Jove demissi, simulacri nimirum e vite facti, teste Plinio Lib. 16. cap. 40.

39. & 40. (f) In legitimo cœtu, *argui seditionis*; injicit metum Proconsulis in auctores tumultus: *Cum nullus obnoxius sit*, cum nulla afferri possit caussa probabilis hujus tumultus.

CAP. XX. 1. (a) Gr. amplexatus, osculatus. *Valedixit*, Timotheo prius Ephesi constituto Episcopo, *ut iret in Macedoniam*, per Troadem. Nam videtur bis in Macedoniam se contulisse, & multa ibi perpessum, ut liquet ex Epist. 2. ad Corinth. cap. 7 Profectus Epheso Paulus in Macedoniam primum, tum in Græciam se contulit; cumque ei navigaturo in Syriam Judæi struxissent insidias, consilium cepit redeundi in Macedoniam, atque inde venit Troadem. Cum autem esset in Macedonia, Titum excepit Philippis, tumque secundam ad Corinthios scripsit Epistolam juxta ea, quæ a Tito acceperat.

3. (b) Nempe in Græcia, seu in Achaia, ac præsertim Corinthi, tumque videtur scripsisse Epistolam ad Romanos. Atque ibi certior factus est sibi in Syriam navigaturo insidias strui a Judæis, idque in caussa fuit, cur mutato consilio pedestri itinere in Syriam contenderit.

5. & 6 (c) Expectarunt nos Troade: *Nos vero navigavimus Troadem*: Hinc colligimus Lucam per aliquod tempus abfuisse a Paulo; nam tertiam personam in primam commutat: caussam præ modestia reticet, forte ad perferendas eleemosynas Achæorum & Macedonum missus erat Jerosolymam. *Post dies Azymorum a Philippis*, ubi celebrarunt Pascha eodem tempore quo Judæi. Nulla tum videtur fuisse Philippis Synagoga. Agnus quidem Paschalis Jerosolymis tantummodo mactabatur: sed Azymos panes ubique edebant Judæi, etiam qui ad fidem erant conversi: idque observabat Paulus, ne Judæos offenderet.

7. (d) Die Dominica, seu prima die a sabbato: cum venissemus *ad frangendum panem*, Eucharisticum. Jam enim cœtus Christiani die Dominica celebrabantur.

8 (e) Non solum ad pellendas noctis tenebras: neque enim opus fuisset copiosis lampadibus; sed etiam ad decoranda mysteria. Quorsum enim illud commemorasset Lucas, si non alia fuisset ratio tot lampadum, quam ut locus ille illuminaretur? Eucharistiæ celebrationem claudebant Agapæ.

13. 14. & 15. (f) Quæ est in Æolide, seu in Mysia, quæ & Apollonia dicta est, teste Hieronymo in locis Hebraicis. *Venimus Mitylenem*, insula est in mari Ægæo, uti & Chio, & Samos. *Venimus Miletum*, in Caria, ad mare, in continenti Joniæ ad ostium Mæandri fluminis.

17. & 19. (g) Non Ephesinæ tantum, sed & Asianæ Ecclesiæ, Gr. Presbyteros, quos infra vocat Episcopos. Nam hæc nomina adhuc forsan erant communia. *Mittens Ephesum*, quæ erat Metropolis Asiæ, jussit vocari singularium urbium Episcopos. Nam singulis in locis unus erat Episcopus ob paucitatem fidelium. Nedum Diœceses erant distinctæ, aut iisdem limitibus, quibus hodie circumscriptæ; mutuas sibi præstabant operas Episcopi. Doctrinam cum exemplis conjungit: neque enim ea sunt separanda. *Serviens*, Pastorum officia exemplo suo exhibet, humilitatem adversus superbiam, patientiam in tribulationibus, fidem in ministeria.

21. Testificans (*h*) Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum.

22. Et nunc ecce alligatus (*i*) ego spiritu, vado in Jerusalem: quæ in ea ventura sint mihi, ignorans:

23. Nisi quod Spiritus sanctus (*k*) per omnes civitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula & tribulationes Jerosolymis me manent.

24. Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu, testificari Evanglium gratiæ Dei.

25. Et nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei.

26. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium.

27. Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis.

28. Attendite (*l*) vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.

29. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.

30. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.

31. Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum.

32. Et nunc commendo vos Deo, & verbo (*m*) gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, & dare hæreditatem in sanctificatis omnibus.

33. Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut

* 1. Cor. 4. 12. 1 Thess. 2. 9. 2. Thess. 3. 8. 34. Ipsi scitis: * quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.

35. Omnia (*n*) ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere.

36. Et cum hæc dixisset, positis genibus suis oravit cum omnibus illis.

37. Magnus autem fletus factus est omnium: & procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum,

38. Dolentes maxime in verbo, quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.

CAPUT XXI.

Iter Pauli Mileto Jerosolymam usque; in ipso itinere Agabus Paulo prædicit futura vincula. Jacobi monita ad Paulum, qui se purificat in templo.

1. CUm autem factum esset ut navigaremus abstracti ab eis, recto cursu venimus Coum (*a*), & sequenti die Rhodum, & inde Pataram.

2. Et cum invenissemus navem transfretantem in Phœnicen, ascendentes navigavimus.

3. Cum apparuissemus autem Cypro, relinquentes eam ad sinistram, navigavimus in Syriam, & venimus Tyrum (*b*): ibi enim navis expositura erat onus.

4. Inventis autem discipulis, mansimus ibi diebus septem: qui Paulo dicebant per Spiritum ne ascenderet Jerosolymam.

5. Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum uxoribus, & filiis usque foras civitatem: & positis genibus in littore, oravimus.

6. Et cum valefecissemus invicem, ascendimus navem: illi autem redierunt in sua.

7. Nos vero navigatione expleta a Tyro descendimus Ptolemaidam (*c*): & salutatis fratribus, mansimus die una apud illos.

8. Alia autem die profecti, venimus Cæsaream. Et intrantes domum Philippi evangelistæ, * qui erat unus de septem, mansimus apud eum. * Sup. 6. 5. & 8. 5.

9. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes (*d*).

10. Et cum moraremur per dies aliquot, supervenit quidam a Judæa propheta, nomine Agabus.

11. Is cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli: & alligans (*e*) sibi pedes & manus, dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus: Virum, cujus est zona hæc sic alligabunt in Jerusalem Judæi, & tradent in manus Gentium.

12. Quod

21. (*h*) Pœnitentiam Judæis, qui jam fide aliqua erant instructi, fidem Gentilibus; conversionem inchoat pœnitentia, fides per baptismum & justificationem perficit.

22. (*i*) Vincula quæ me manent, animo prospiciens: *Spiritu* impellente, vel alligatus ob firmum animi propositum.

23 & 24. (*k*) Per Prophetas: nam multi erant hoc dono instructi. *Quam me*, qui totum me Christo devovi.

28. (*l*) Vobis primum, deinde universo gregi; primum ut sancti sitis, deinde ut omnibus qui curæ vestræ sint commissi, consulatis. *Regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo:* Qui quidem locus Christi divinitatem aperte demonstrat.

32. (*m*) Evangelio, vel gratiæ & benignitati divinæ: *Ædificare*, qui inceptum fidei ædificium potest absolvere: *Et dare hæreditatem in sanctificatis omnibus*; cum Sanctis omnibus, qui soli sunt capaces huius hæreditatis, vel quam Sanctis omnibus impartietur.

35. (*n*) Gr. omnino, vel in omnibus, *κατὰ πάντα*. *Suscipere infirmos*, in fide, ne cadant: manus iis porrigere, eosque retinere vacillantes. *Quam accipere*, Id vero ex traditione acceperat Paulus. Hac ratione infirmis consulit, atque omnem suspicioni locum adimit, ne prædicationem Evangelii quæstum putent. Hoc quidem anno Princeps Apostolorum Petrus, postquam Corintho discessisset, venit Romam, ibique Cathedram suam constituit, ut videtur Pezronio: hoc ipsum colligit ex Lactantio Lib. de mortibus persecutorum, qui ita scribit: *Cumque jam Nero imperaret, Petrus advenit*, Multos in hanc sententiam citat e veteribus, Eusebium, Hist. Lib 2. c 13. S Leonem, etc. Is que Romæ priorem scripsit Epistolam; postremo quidem anno Claudii venit, & primo Neronis anno Simonem Magum debellavit. Hinc Eusebius, Lib 2. c. 13. ait, brevi magi impostoris potentiam fuisse extinctam. Anno 2. Neronis Romæ constitutam fuisse Ecclesiam Saturnino & Scipione Coss. in domo Pudentis existimat Pezronius; cumque non posset Romæ semper remanere, Linum ordinasse Episcopum & adjutorem, sed non cum summa auctoritate. Ita Catalogus primus & secundus Roman. Pontif. Irenæus, Lib 3. c. 3. Epiphanius, hæresi 27. Num. 6.

CAP. XXI. 1. (*a*) Quæ est Insula maris Ægæi, principis medicorum Hippocratis patria. *Et inde Pataram*, quæ est Lydiæ metropolis.

3. & 4. (*b*) Pervenit Evangelium ad Tyrios, qui crediderunt. *Per Spiritum*. Quidam discipuli prædixerunt Paulo quæ passurus esset; alii conati sunt eum a profectione revocare.

7. & 8. (*c*) Quæ dicta est Accho, Judic. 1. 31. *Cæsaream*, totius regionis caput, quæ olim fuit turris Stratonis. *Philippi Evangelistæ*, sic dicti, quia prædicavit Evangelium.

9. (*d*) Futura prædicentes. Cum autem Virgines appellentur, hoc admodum est verisimile, eas votum, aut saltem propositum habuisse perpetuæ virginitatis.

11. (*e*) More Prophetarum, qui non solum verbis, sed & factis vaticinabantur. *Sic alligabunt*, per manus Gentium.

12. Quod cum audissemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne ascenderet Jerosolymam.

13. Tunc respondit Paulus, & dixit: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed & mori in Jerusalem paratus sum, propter nomen Domini Jesu.

14. Et cum ei suadere non possemus, quievimus, dicentes: Domini voluntas fiat.

15. Post dies autem istos præparati, ascendebamus in Jerusalem.

16. Venerunt autem & ex discipulis a Cæsarea nobiscum, adducentes secum apud quem hospitaremur Mnasonem quemdam Cyprium, antiquum discipulum.

17. Et cum venissemus Jerosolymam, libenter exceperunt nos fratres.

18. Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Jacobum (*f*), omnesque collecti sunt seniores.

19. Quos cum salutasset, narrabat per singula, quæ Deus fecisset in Gentibus per ministerium ipsius.

20. At illi cum audissent, magnificabant Deum, dixeruntque ei: Vides, frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis.

21. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas a Moyse eorum, qui per Gentes sunt, Judæorum: dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi.

22. Quid ergo est? utique oportet convenire multitudinem: audient enim te supervenisse.

23. Hoc ergo fac quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quatuor, votum (*g*) habentes super se.

24. His assumptis, sanctifica (*h*) te cum illis: & impende in illis * ut radant capita: & scient omnes quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem.

* Num. 6. 18. Sup. 18. 18.

25. De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, * nos scripsimus, judicantes ut abstineant (*i*) se ab idolis immolato, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.

* Sup. 15. 20. & 29.

26. Tunc Paulus, assumptis viris, postera die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio.

27. Dum autem septem dies consummarentur, hi, qui de Asia erant, Judæi, cum vidissent eum in templo, concitaverunt omnem populum, & injecerunt ei manus, clamantes:

28. Viri Israelitæ, adjuvate: hic est homo, qui adversus populum, & legem, & locum hunc, omnes ubique docens, insuper & Gentiles induxit in templum (*k*), & violavit sanctum locum istum.

29. Viderant enim Trophimum Ephesium in civitate cum ipso, quem æstimaverunt quoniam in templum introduxisset Paulus.

30. Commotaque est civitas tota, & facta est concursio populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum: & statim clausæ (*l*) sunt januæ.

31. Quærentibus autem eum occidere, nuntiatum est tribuno cohortis: Quia tota confunditur Jerusalem.

32. Qui statim assumptis militibus, & centurionibus, decurrit ad illos. Qui cum vidissent tribunum, & milites, cessaverunt percutere Paulum.

33. Tunc accedens tribunus apprehendit eum, & jussit eum alligari catenis duabus: & interrogabat quis esset, & quid fecisset.

34. Alii autem aliud clamabant in turba. Et cum non posset certum cognoscere præ tumultu, jussit duci eum in castra.

35. Et cum venisset ad gradus, contigit ut portaretur a militibus propter vim populi.

36. Sequebatur enim multitudo populi, clamans: Tolle eum.

37. Et cum cœpisset induci in castra Paulus, dicit tribuno: Si licet mihi loqui (*m*) aliquid ad te? Qui dixit: Græce nosti?

38. Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum?

39. Et dixit ad eum Paulus: Ego homo sum quidem Judæus a Tarso Ciliciæ, non ignotæ civitatis municeps. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum.

40. Et cum ille permisisset, Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno silentio facto, allocutus est lingua Hebræa, dicens:

CAPUT XXII.

Pauli concio: Judæi excandescunt; flagellis cædendus civem Romanum se declarat.

1. VIri fratres, & patres, audite quam ad vos nunc reddo rationem.

2. Cum audissent autem quia Hebræa lingua loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium (*a*).

3. Et

18. & 21. (*f*) Cur non ad Petrum? quod abesset Petrus. *Judæorum*, dispersi: doceas a Mose deficere, quod utique non prædicavit Paulus.

23. (*g*) Nazaræatus, ut vulgo creditur: nec tamen id certum est; aliud enim votum potest intelligi.

24. (*h*) Seu Paulus ipse idem vovisset votum, seu quatuor illis qui voverant, adesset tantummodo, & impensas pro sacrificiis faceret. Neque enim se gessit ut Nazaræum, sed [illegible] palam prohibuit quatuor illorum votum: [illegible] Paulus [illegible] non egisse dicitur. *Et scient omnes*: Non ergo aliqua Paulo suadetur simulatio, sed vera legis observatio, quam [illegible] esse illicitam non docuerat Paulus.

25. (*i*) Occurrit objectioni tacitæ. Nam Paulus ostendere poterat Gentilium scandalum, quasi tenerentur servare legalia. Jacobus hanc occupat, & docet jam ad [illegible] scriptum fuisse ad Gentes, ut abstinerent tantum ab idolothytis, sanguine, & fornicatione, neque eos adstringi lege Mosaica.

28. (*k*) In atrium Judæorum: existimabant Trophimum, quem cum Paulo in civitate viderant, ab eo introductum fuisse in templum.

30. 31. & 34. (*l*) A Janitoribus templi. *Tribuno cohortis*, qui arcem Antoniam cum præsidio custodiebat. *Jussit eum duci in castra*, in arcem.

37. (*m*) Paulus Græce locutus est, non Syriace; quod audiens Tribunus, statim ait: *Græce nosti?* non interrogando, cum videret eum Græce loqui: unde responsum Pauli non expectat, sed hoc statim in illius mentem venit eum esse Ægyptium, qui ante aliquot dies tumultum excitaverat, de quo Josephus, Lib. 20. cap 6. & de bello Judaico, Lib. 2. cap. 13.

2. (*a*) Inter alia, quæ Paulo objiciebant, hoc primum erat & præcipuum, quod a Mosis religione defecisset, quodque Gentibus Christi Evangelium prædicasset; mutationem religionis primo loco purgat.

3. Et dicit: Ego sum vir Judæus, natus in Tarso Ciliciæ, nutritus autem in ista civitate, secus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem (*b*) paternæ legis, æmulator legis, sicut & vos omnes estis hodie:

* Sup. 8. 3. 4. * Qui hanc viam persecutus sum usque ad mortem, alligans & tradens in custodias viros ac mulieres;

5. Sicut princeps sacerdotum mihi testimo-
* Sup. 9. 2. nium reddit (*c*), & omnes majores natu, a * quibus & epistolas accipiens, ad fratres Damascum pergebam, ut adducerem inde vinctos in Jerusalem, ut punirentur.

6. Factum est autem, eunte me, & appropinquante Damasco media die, subito de cælo circumfulsit me lux copiosa:

7. Et decidens in terram, audivi vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me persequeris?

8. Ego autem respondi: Quis es Domine? Dixitque ad me: Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris.

9. Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt (*d*) ejus, qui loquebatur mecum.

10. Et dixi: Quid faciam, Domine? Dominus autem dixit ad me: Surgens vade Damascum: & ibi tibi dicetur de omnibus, quæ te oporteat facere.

11. Et cum non viderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus a comitibus, veni Damascum.

12. Ananias autem quidam, vir secundum legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Judæis,

13. Veniens ad me, & astans dixit mihi: Saule frater respice (*e*). Et ego eadem hora respexi in eum.

14. At ille dixit: Deus patrum nostrorum præordinavit (*f*) te, ut cognosceres voluntatem ejus, & videres justum, & audires vocem ex ore ejus:

15. Quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti, & audisti.

16. Et nunc quid moraris: Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius.

17. Factum est autem revertenti mihi in Jerusalem, & oranti in templo, fieri me in stupore mentis (*g*),

18. Et videre illum dicentem mihi: Festina, & exi velociter ex Jerusalem: quoniam non recipient testimonium tuum de me.

* Sup. 8. 3. 19. Et ego dixi: Domine, ipsi sciunt * quia ego eram concludens in carcerem, & cædens per Synagogas eos, qui credebant in te:

20. Et cum funderetur sanguis Stephani testis tui, * ego astabam, & consentiebam, & * Sup. 7. 57.
custodiebam vestimenta interficientium illum.

21. Et dixit ad me: Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te.

22. Audiebant autem eum usque ad hoc verbum, & levaverunt vocem suam, dicentes: Tolle de terra hujusmodi: non enim fas est eum vivere.

23. Vociferantibus autem eis, & projicientibus vestimenta sua, & pulverem jactantibus in aerem,

24. Jussit tribunus induci eum in castra, & flagellis cædi, & torqueri eum, ut sciret propter quam causam sic acclamarent ei.

25. Et cum astrinxissent eum loris: dicit astanti sibi Centurioni Paulus: Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare?

26. Quo audito, Centurio accessit ad tribunum, & nuntiavit ei, dicens: Quid acturus es? hic enim homo civis Romanus est.

27. Accedens autem tribunus, dixit illi: Dic mihi si tu Romanus es? At ille dixit: Etiam.

28. Et respondit tribunus: Ego multa summa civilitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait. Ego autem & natus (*h*) sum.

29. Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit postquam rescivit, quia civis Romanus esset, & quia alligasset eum.

30. Postera autem die volens scire diligentius, qua ex causa accusaretur a Judæis, solvit eum, & jussit sacerdotes convenire, & omne concilium, & producens Paulum, statuit inter illos.

CAPUT XXIII.

Paulus Pharisæos a Sadducæis divellit; huic Christus apparet; Judæi cædem illius machinantur; Lysias Paulum mittit ad Cæsaream.

1. INtendens (*a*) autem in concilium Paulus ait: Viri fratres, ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem.

2. Princeps autem sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi percutere (*b*) os ejus.

3. Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet (*c*) te Deus, paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundum legem, & contra legem jubes me percuti?

4. Et

3. (*b*) Græc. juxta accuratam rationem, vel rigorem legis Mosaicæ, se Judæum natum esse, in Judaismo educatum, ac zelum suum pro lege ostendit.

5. (*c*) Suimet literis tum ad me datis; *Majores natu*, Græc. Presbyterium, Senatus Judæorum.

9. (*d*) Nisi confuse admodum; vel audierunt quidem vocem Pauli, non ejus qui loquebatur cum Paulo, ut mox subjicit.

13. (*e*) Verbum est efficax ejus quod præcipitur, eoque visus est restitutus Paulo, ut Lucæ 18. cum Dominus dixit cæco. *Respice*.

14. (*f*) Elegit te: *Et videres justum*, Christum scilicet, quem vidit Paulus oculis corporeis, ut ipse testatur 1. Cor. 15. ubi se cum iis annumerat, qui oculati testes fuerunt resurrectionis Christi.

17. & 18. (*g*) Cum venisset Jerosolymam una cum Barnaba, Actor. 11. Missionis suæ ad Gentes caussam affert.

28. (*h*) Siquidem natus est Tharsi, quæ civitate Romana donata fuerat, quod Cæsaris partes secuta esset, Plinius Lib. 5. cap. 27. Illud quidem erat civium Romanorum privilegium, ut verberibus cædi, aut in crucem agi non possent, ut docet Brissonius Lib. 1. Antiq. Juris Romani, cap. 13.

CAPUT XXIII.

1. (*a*) Græc. constanter eos intuens, & velut fixis oculis. *Omni conscientia*, De vera justitia loqui videtur, quæ est coram Deo, & citra ullam hypocrisim.

2. (*b*) Quasi impium & blasphemum, quod se innoxium diceret, qui totius populi judicio nocens habebatur.

3. (*c*) Non dixit, Percutiat te Deus, quasi imprecando, sed percutiet, quasi prædicendo. Quæ verba nec maledictionem, nec contumeliam involvunt, sed eorum quæ futura erant, vaticinium: præterquam sacerdotium illud jam erat inutile, & abrogatum. Unde Paulus vocat eum parietem dealbatum, rem scilicet specie tenus pretiosam, sed quæ re ipsa nullius esset pretii, ut paries e luto & argilla compactus, & calce vel gypso illitus. Huic similis prorsus est Evangelica locutio, *Sepulcra dealbata*: exterius speciosa, intus plena ossibus: quibus Christi Pauli verbis Pharisæorum & sacerdotum signatur hypocrisis. Erat Ananias e secta Sadducæorum, & gener Annæ.

4. Et qui astabant dixerunt : Summum sacerdotem Dei maledicis?

5. Dixit autem Paulus : Nesciebam (*d*), fratres, quia princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim : * Principem populi tui non maledices.

* Exod. 22. 28.

6. Sciens autem Paulus, quia una pars esset Sadducæorum, & altera Pharisæorum, exclamavit in concilio: Viri fratres, * ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe & resurrectione mortuorum ego judicor (*e*).

* Phil. 3. 5.

7. Et cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos, & soluta est multitudo.

8. * Sadducæi enim dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum: Pharisæi autem utraque confitentur.

* Matth. 22. 23.

9. Factus est autem clamor magnus. Et surgentes quidam Pharisæorum (*f*), pugnabant, dicentes : Nihil mali invenimus in homine isto : quid si spiritus locutus est ei, aut Angelus?

10. Et cum magna dissensio facta esset, timens tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis, jussit milites descendere, & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra.

11. Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait : Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari.

12. Facta autem die collegerunt se quidam ex Judæis, & devoverunt se dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum.

13. Erant autem plus quam quadraginta viri, qui hanc conjurationem fecerant:

14. Qui accesserunt ad principes sacerdotum, & seniores, & dixerunt : Devotione devovimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum.

15. Nunc ergo vos notum facite tribuno cum concilio, ut producat illum ad vos, tamquam aliquid certius cognituri de eo. Nos vero prius quam appropiet, parati sumus interficere illum.

16. Quod cum audisset filius sororis Pauli insidias, venit, & intravit in castra, nuntiavitque Paulo.

17. Vocans autem Paulus ad se unum ex Centurionibus, ait : Adolescentem hunc perduc ad tribunum ; habet enim aliquid indicare illi.

18. Et ille quidem assumens eum duxit ad tribunum, & ait: Vinctus Paulus rogavit me hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi.

19. Apprehendens autem tribunus manum illius, secessit cum eo seorsum, & interrogavit illum : Quid est, quod habes indicare mihi?

20. Ille autem dixit: Judæis convenit rogare te, ut crastina die producas Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo:

21. Tu vero ne credideris illis, insidiantur enim ei ex eis viri amplius quam quadraginta, qui se devoverunt non manducare, neque bibere, donec interficiant eum : & nunc parati sunt, exspectantes promissum tuum.

22. Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcipiens ne cui loqueretur quoniam hæc nota sibi fecisset.

23. Et vocatis duobus Centurionibus, dixit illis : Parate milites ducentos, ut eant usque Cæsaream, & equites septuaginta, & lancearios ducentos, a tertia hora noctis:

24. Et jumenta præparate, ut imponentes Paulum, salvum perducerent ad Felicem (*g*) præsidem.

25. (Timuit enim ne forte raperent eum Judæi, & occiderent, & ipse postea calumniam sustineret, tamquam accepturus pecuniam).

26. Scribens epistolam continentem hæc : Claudius Lysias optimo præsidi, Felici, salutem.

27. Virum hunc comprehensum a Judæis, & incipientem interfici ab eis, superveniens cum exercitu eripui, cognito quia Romanus est:

28. Volensque scire causam, quam objiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum.

29. Quem inveni accusari de quæstionibus legis ipsorum, nihil vero dignum morte aut vinculis habentem criminis.

30. Et cum mihi perlatum esset de insidiis, quas paraverant illi, misi eum ad te, denuntians & accusatoribus ut dicant apud te. Vale.

31. Milites ergo secundum præceptum sibi, assumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem (*h*).

32. Et postera die dimissis equitibus ut cum eo irent, reversi sunt ad castra.

33. Qui cum venissent Cæsaream, & tradidissent epistolam præsidi, statuerunt ante illum & Paulum.

34. Cum legisset autem, & interrogasset de qua provincia esset : & cognoscens quia de Cilicia,

35. Audiam te, inquit, cum accusatores tui venerint. Jussitque in prætorio (*i*) Herodis custodiri eum.

CA-

5. (*d*) Videtur nonnullis ironice dictum, & tamen vere, quia hunc non amplius agnoscebat Paulus ut sacerdotum Principem, cujus jam nullum erat sacerdotium. Sed probabilius videtur Ananiam a Paulo agnitum non fuisse, cum cœtus ille solemnis non esset, nec quicquam fieret ex ordine, sed cuncta tumultuario. Præter quam Paulus a viginti quatuor, aut circiter annis jam aberat Jerosolymam, quo tantum venerat non diu commoratus, adeo ut Ananiam numquam a se visum non agnoverit.

6. (*e*) *Ego judicor*; sic bona arte vitæ & causæ suæ consuluit, ac Judices male sociatos inter se commisit; dogma de resurrectione Christi, dogmati de resurrectione in universum substituit, hypothesi thesim ipsam.

9. (*f*) Secta Pharisæus, Gamalielis discipulus, hoc quippe vocabulum severioris disciplinæ institutum, non errorem significat: doctrinæ ipsius habita ratione erat Pharisæus, quatenus resurrectionem contra Sadducæos propugnabat.

24. 25. 26. & 30. (*g*) Pallantis liberti & Claudio chari fratrem. *Timuit enim*: hic versiculus 25. textui Græco deest, ac nonnullis videtur e margine codicis in textum translatus. *Optimo præsidi*, Græc. κρατίστῳ, præstantissimo, potentissimo. *Ut dicant apud te*, ut caussam suam agant.

31. (*h*) Urbs erat ab Herode extructa in honorem patris, non procul Cæsarea. Parata erant jumenta ex cap. 24 quibus milites insiderent: Nam longius distabat Antipatris, quam ut intra unius noctis spatium eo pervenirent, si pedites fuissent.

35. (*i*) In palatio ab Herode extructo.

CAPUT XXIV.

Paulus coram Felice Præside suam agit causam; hunc Felix vinctum relinquit.

1. Post quinque autem dies (*a*) descendit princeps sacerdotum, Ananias, cum senioribus quibusdam, & Tertullo quodam oratore, qui adierunt præsidem adversus Paulum.

2. Et citato Paulo cœpit accusare Tertullus, dicens: Cum in multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam providentiam;

3. Semper & ubique suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarum actione.

4. Ne diutius autem te protraham, oro, breviter audias nos pro tua clementia.

5. Invenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones omnibus Judæis in universo orbe, & auctorem seditionis sectæ Nazarenorum:

6. Qui etiam templum violare conatus est, quem & apprehensum voluimus secundum legem nostram judicare (*b*).

7. Superveniens autem tribunus Lysias, cum vi magna eripuit eum de manibus nostris,

8. Jubens accusatores ejus ad te venire: a quo poteris ipse judicans (*c*), de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum.

9. Adjecerunt autem & Judæi, dicentes hæc ita se habere.

10. Respondit autem Paulus, (annuente sibi Præside dicere:) Ex multis (*d*) annis te esse judicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam.

11. Potes enim cognoscere (*e*), quia non plus sunt mihi dies, quam duodecim, ex quo ascendi adorare in Jerusalem:

12. Et neque in templo invenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis,

13. Neque in civitate: neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant.

14. Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam (*f*), quam dicunt hæresim, sic deservio Patri, & Deo meo, credens omnibus, quæ in Lege & Prophetis scripta sunt:

15. Spem habens in Deum, quam & hi ipsi expectant, resurrectionem futuram justorum, & iniquorum.

16. In hoc (*g*) & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper.

17. Post annos autem plures, eleemosynas facturus in gentem meam, veni, & oblationes, & vota.

18. * In quibus invenerunt me purificatum in templo: non cum turba, neque cum tumultu. * *Sup.* 21. 26.

19. Quidam autem ex Asia Judæi, quos oportebat apud te præsto esse, & accusare si quid haberent adversum me:

20. Aut hi ipsi dicant si quid invenerunt in me iniquitatis, cum stem (*h*) in concilio,

21. Nisi de una hac solummodo voce, qua clamavi inter eos stans: * Quoniam de resurrectione mortuorum ego judicor hodie a vobis. * *Sup.* 23. 6.

22. Distulit autem illos Felix, certissime (*i*) sciens de via hac, dicens: Cum tribunus Lysias descenderit, audiam vos.

23. Jussitque Centurioni custodire eum, & habere requiem (*k*), nec quemquam de suis prohibere ministrare ei.

24. Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla (*l*) uxore sua, quæ erat Judæa, vocavit Paulum, & audivit ab eo fidem, quæ est in Christum Jesum.

25. Disputante (*m*) autem illo de justitia, & castitate, & de judicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te:

26. Simul & sperans, quod pecunia ei daretur (*n*) a Paulo; propter quod & frequenter accersens eum, loquebatur cum eo.

27. Biennio autem expleto (*o*), accepit successorem Felix Portium Festum. Volens autem gratiam præstare Judæis Felix, reliquit Paulum vinctum.

CA-

CAPUT XXIV.

1. 3. & 5. (*a*) Ex quo Paulus in carcere conjectus fuerat. *Suscipimus*, Græc. amplectimur; vel suscipimus, tuam videlicet providentiam. *Auctorem seditionis*, principem sectæ.

6. (*b*) Damnatum tradere præsidi, penes quem erant judicia capitalia Judæorum senatui relictum erat jus cognoscendi & judicandi de reo in iis maxime, quæ ad legem pertinebant: hujusmodi erat crimen, quo Paulum accusabant, illud in primis quod Gentiles induxisset in templum, quodque templi violationem dicebant.

8. (*c*) Græc. examinans, seu interrogans. Neque enim id negare poterit. Sed forte Tertullus Judæorum patronus non erat adeo imperitus, ut caussæ suæ judicium ad Paulum revocaret, quasi se ipsemet reum perageret. Existimat quidem Auctor Analyseos Gallicæ loco, παρ' οὗ, *a quo*, legendum esse παρ' ὧν, *a quibus*, nempe accusatoribus, de quibus proxime verba fecerat, iique erant Ananias & Senatores magni Synedrii, qui non expectarunt, dum interrogarentur, sed ultro confirmarunt quæ dicta erant a Tertullo. Unde Apostolus v. 19. eos ut testes rejicit, simul id contendit ad Judæos qui ex Asia venerant, non ad Senatores jus accusandi pertinere. Lectio autem illa, *a quibus*, ad marginem novi Testamenti a Roberto Stephano editi in folio fuit annotata, quæ videtur admodum probabilis, & sensum efficit apertum.

10. (*d*) Nam multis præfuerat annis Trachonitidi, Bataneæ, Gaulanitidi & Judææ ipsi ante biennium. Quod si turbas aliquas, aut tumultus commovisset Paulus, Felici ignotum illud esse non potuisset. Deinde Judæorum mores a multis annis perspectos habebat Felix, isque noverat, quam prompti essent ad seditiones & tumultus.

12. (*e*) E testibus: *Quam duodecim*, neque adeo potui tam brevi temporis spatio excitare seditiones.

14. (*f*) Græc. ὁδὸν, viam, institutum, & vivendi rationem, *quam vocant hæresim*, seu factionem, aut sectam vitiosam: *Sic deservio Deo, & Patri*, Græc. τῷ πατρῴῳ θεῷ, Deo Patrum, seu patrio.

16. & 18. (*g*) Propterea, ob eam spem. *Purificatum*; Dum his rebus vacarem, invenerunt me purificatum, ea purificatione, de qua dictum est cap. 21.

20. & 21. (*h*) Græc. cum starem coram Concilio, Synedrio, ubi hæc caussa acta fuit. Quod confirmant hæc verba ἐπὶ τοῦ συνεδρίου, idque proxime sequenti, *Nisi de una*. Nec Paulus de tribunali præsidis potuit aut dicere, aut cogitare, cum Tertullus & Judæi eum accusaverint ut pestiferum & seditiosum hominem. Concilium igitur illud non aliud est, quam Synedrium, in quo steterat Paulus; ac verba illa, *cum starem*, ad præteritum, *invenerunt*, optime referri possunt.

22. (*i*) An de instituto Christianorum, & de Pauli moribus? Vox illa *dicens*, per parenthesim intelligi potest, adeo ut responsum incipiat ab his verbis, *certissime sciens*, cum de hac secta diligentius inquisiero, & tribunus Lysias descenderit.

23. (*k*) Græc. ἄνεσιν, relaxationem: jussit eum mitius tractari.

24. (*l*) Soror erat Agrippæ Junioris, neptis Antonii & Cleopatræ, ex horum filia Cypria nomine Drusilla videtur cognomen sortita a Druso patre Claudii. Hæc relicto marito Azizo Emessenorum Rege, & circumciso, duxerat Felicem, idque contra legem. Hic per omnem sævitiam ac libidinem jus regium servili ingenio exercebat, cuncta maleficia sibi licere ratus, ait Tacitus.

25. (*m*) Cum Felix vitiis oppositis deditus esset, cumque has virtutes Christiana religio in primis commendet.

26. (*n*) Quod Paulum inter Christianos Principem esse existimaret, & audisset eleemosynas ab eo allatas fuisse Jerosolymam.

27. (*o*) Vel a captivitate Pauli, vel a præfectura Felicis, in Judæa. *Judæis*, quibus exosus erat, & a quibus fuit accusatus, & ad Neronem missus a Festo ejus successore: sed Pallantis fratris potentia pœnas debitas non dedit.

CAPUT XXV.

Paulus coram Festo præside causam agit; appellat Cæsarem; coram Agrippa sistitur.

1. Festus ergo cum venisset in provinciam, post triduum ascendit Jerosolymam a Cæsarea.

2. Adieruntque eum principes sacerdotum, & primi Judæorum, adversus Paulum: & rogabant eum,

3. Postulantes gratiam adversus eum, ut juberet perduci eum in Jerusalem, insidias tendentes ut interficerent eum in via.

4. Festus autem respondit, servari Paulum in Cæsarea: se autem maturius profecturum.

5. Qui ergo in vobis, ait, potentes (*a*) sunt, descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent eum.

6. Demoratus autem inter eos dies non amplius quam octo, aut decem, descendit Cæsaream, & altera die sedit pro tribunali, & jussit Paulum adduci.

7. Qui cum perductus esset, circumsteterunt eum, qui ab Jerosolyma descenderant Judæi, multas & graves causas objicientes, quas non poterant probare,

8. Paulo rationem reddente: Quoniam neque in legem Judæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quidquam peccavi.

9. Festus autem volens gratiam præstare Judæis, respondens Paulo, dixit: Vis Jerosolymam ascendere, & ibi de his judicari apud me?

10. Dixit autem Paulus, Ad tribunal Cæsaris sto (*b*), ibi me oportet judicari: Judæis non nocui, sicut tu melius nosti.

11. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: si vero nihil est eorum, quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello.

12. Tunc Festus cum concilio locutus, respondit: Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis.

13. Et cum dies aliquot transacti essent, Agrippa (*c*) rex, & Bernice descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum.

14. Et cum dies plures ibi demorarentur, Festus regi indicavit de Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus a Felice vinctus,

15. De quo cum essem Jerosolymis, adierunt me principes sacerdotum, & seniores Judæorum, postulantes adversus illum damnationem.

16. Ad quos respondi: Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, prius quam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.

17. Cum ergo huc convenissent sine ulla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali, jussi adduci virum.

18. De quo, cum stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum:

19. Quæstiones vero quasdam de sua superstitione (*d*) habebant adversus eum, & de quodam Jesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere.

20. Hæsitans autem ego de hujusmodi quæstione, dicebam si vellet ire Jerosolymam, & ibi judicari de istis.

21. Paulo autem appellante ut servaretur ad Augusti cognitionem, jussi servari eum, donec mittam eum ad Cæsarem.

22. Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam & ipse hominem audire. Cras, inquit, audies eum.

23. Altera autem die, cum venisset Agrippa, & Bernice, cum multa ambitione, & introissent in adjutorium cum tribunis, & viris principalibus civitatis, jubente Festo, adductus est Paulus.

24. Et dicit Festus: Agrippa rex, & omnes, qui simul adestis nobiscum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Judæorum interpellavit me Jerosolymis, petentes & acclamantes non oportere eum vivere amplius.

25. Ego vero comperi nihil dignum morte eum admisisse. Ipso autem hoc appellante ad Augustum, judicavi mittere.

26. De quo quid certum scribam domino, non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, & maxime ad te, rex Agrippa, ut interrogatione facta habeam quid scribam.

27. Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, & causas ejus non significare.

CAPUT XXVI.

Paulus coram Agrippa causam suam agit.

1. Agrippa vero ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu cœpit rationem reddere.

2. De omnibus, quibus accusor a Judæis, rex Agrippa, æstimo me beatum, apud te cum sim defensurus me hodie.

3. Maxime te sciente omnia, & quæ apud Judæos sunt consuetudines, & quæstiones: propter quod obsecro patienter me audias.

4. Et quidem vitam meam a juventute, quæ ab initio fuit in gente mea in Jerosolymis, noverunt omnes Judæi:

5. Præscientes me ab initio (*a*) (si velint testimonium perhibere) quoniam secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus.

6. Et nunc in spe (*b*), quæ ad patres nostros repromissionis facta est a Deo, sto judicio subjectus:

7. In

CAPUT XXV. 5. (*a*) Vox Græca utrumque significare potest, cum eos qui apti sunt ad dicendum & probandum, tum alios qui commode possunt & sine rerum suarum detrimento eo se conferre.

10 (*b*) Jus appellandi erat civis Romani privilegium. Hinc ducimus licitam esse appellationem, non audita Judicis inferioris sententia, cum ille suspectus est.

13 (*c*) Filius Agrippæ ab Angelo percussi. Rex Chalcidis & Trachonitidis: Et *Bernice*, soror Agrippæ, quæ patruo suo Herodi dicto nupserat primum, tum Polemoni Ciliciæ Regi, ex Josepho, Lib. 20. cap. 5. Hæc postea placuit Vespasiano, ac prope abfuit ut nuberet Tito.

19. & 23. (*d*) Vox Græca a nonnullis in anceps accipitur, ita ut & superstitionem & religionem significare possit. *Cum multa ambitione*. Cum apparatu magno.

CAPUT XXVI. 5. (*a*) Qui noverint me jam ab adolescentia, antequam essem Christianus, *secundum certissimam sectam*, exactissimam, in Græca vox est *αἵρεσις*, quod tum generale erat vocabulum omnem sectam significans: sed apud Christianos tunc cœpit specialem & vitiosam habere significationem.

6. (*b*) Ob spem seu per Christum partam salutem: spes enim pro re sperata hic accipitur.

7. In quam duodecim tribus (*c*) nostræ, nocte ac die deservientes, sperant devenire. De qua spe accusor a Judæis, rex.

8. Quid (*d*) incredibile judicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat?

9. Et ego quidem existimaveram, me adversus nomen Jesu Nazareni debere multa contraria agere.

* Sup. 8. 3. 10. * Quod & feci Jerosolymis, & multos sanctorum ego in carceribus inclusi, a principibus sacerdotum potestate accepta: & cum occiderentur, detuli sententiam (*e*).

11. Et per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare: & amplius insaniens in eos, persequebar usque in exteras civitates.

* Sup. 9. 3. 12. In quibus (*f*) * dum irem Damascum cum potestate & permissu principum sacerdotum,

13. Die media in via, vidi, rex, de cælo supra splendorem solis circumfulsisse me lumen, & eos, qui mecum simul erant.

14. Omnesque nos cum decidissemus in terram, audivi vocem loquentem mihi Hebraica lingua: Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare.

15. Ego autem dixi: Quis es Domine? Dominus autem dixit: Ego sum Jesus, quem tu persequeris.

16. Sed exurge, & sta super pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum, & testem eorum quæ vidisti, & eorum quibus apparebo (*g*) tibi,

17. Eripiens (*h*) te de populo, & gentibus, in quas nunc ego mitto te,

18. Aperire (*i*) oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, & de potestate satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter Sanctos, per fidem quæ est in me.

19. Unde rex Agrippa, non fui incredulus cælesti visioni:

* Sup. 9. 20. 28. & 23. 24. 20. * Sed his, qui sunt Damasci primum, & Jerosolymis, & in omnem regionem Judææ, & Gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes (*k*).

* Sup. 21. 32. 21. Hac ex causa me Judæi, cum essem in templo, * comprehensum tentabant interficere.

22. Auxilio autem adjutus Dei, usque in hodiernum diem sto, testificans minori, atque majori, nihil (*l*) extra dicens quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses,

23. Si passibilis (*m*) Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo, & Gentibus.

24. Hæc loquente eo, & rationem reddente, Festus magna voce dixit: Insanis Paule: multæ te litteræ ad insaniam convertunt.

25. Et Paulus: Non insanio (inquit) optime Feste, sed veritatis, & sobrietatis verba loquor.

26. Scit enim de his rex, ad quem & constanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quidquam horum gestum est.

27. Credis rex Agrippa prophetis? Scio quia credis.

28. Agrippa autem ad Paulum: In modico suades (*n*) me Christianum fieri.

29. Et Paulus: Opto apud Deum, & in modico (*o*), & in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.

30. Et exurrexit rex, & præses, & Bernice, & qui assidebant eis.

31. Et cum secessissent, loquebantur ad invicem, dicentes: Quia nihil morte, aut vinculis dignum quid fecit homo iste.

32. Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.

CAPUT XXVII.

Paulus Romam navigat; navigatio illa describitur.

1. UT autem judicatum est navigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis custodiis (*a*) Centurioni nomine Julio cohortis Augustæ,

2. * Ascendentes navem Adrumetinam (*b*), incipientes navigare circa Asiæ loca, sustulimus, perseverante nobiscum Aristarco Macedone Thessalonicensi. * 2. Cor. 11. 25.

3. Sequenti autem die devenimus Sidonem. Humane autem tractans Julius Paulum, permisit ad amicos ire, & curam (*c*) sui agere.

4. Et

7. (*c*) Non Pharisæi solum, sed omnes Israelitæ salutem suam sperant per Messiam se consecuturos. *De qua ipse accusor*, quod Jesum esse Messiam affirmem. Judæi vero id negent.

8. (*d*) An illud est incredibile Deum omnipotentem, qui cuncta ex nihilo creavit, Jesum a mortuis excitasse!

10. (*e*) Latam a Judicibus detuli ad eos, quorum erat illam executioni mandare.

12. (*f*) Civitatibus, dum hæc agerem. *Cum permissu*, cum procuratione.

16. (*g*) Græc. quorum caussa apparebo tibi: ut scilicet ea te doceam: unde Christus sæpe Paulo apparuit.

17. (*h*) Ita ut evadas mortem a Judaico populo tibi intentatam: licet multa esset passurus.

18. (*i*) Deus aperit ut caussa princeps, Doctores ut ministri: *Per fidem quæ est in me*, quæ est initium justificationis.

20. (*k*) Non solam fidem, sed & bona opera ad justificationem requirit Apostolus.

22. (*l*) Non quod nihil præter Scripturas doceri, vel credi oporteat: sed ut Paulus nihil extra Prophetas, ita & nos nihil extra Apostolos ut dogma fidei tradimus, nihil quod non acceptum sit ab Apostolis, & ab Ecclesia propositum. *Et Moyses*, propter ejus excellentiam: separatim eum nominat ut Prophetarum præcipuum.

23. (*m*) Græc. παθητὸς, Erasmus vertit *passurus*: nam verbale interdum ponitur pro participio: atque is est Hebraismus non infrequens.

28. (*n*) Propemodum suades me Christianum fieri: ac subinde respondit Agrippa aulicorum more irridendo, sed Paulus serio instat.

29. (*o*) Non solum te, sed etiam omnes, qui audiunt hodie, tales fieri, qualis ego sum, non ut aliquantulum, sed ut omnino talis sis, qualis ego sum. In quo quidem zelum suum pro animarum salute declarat. Græce *in parvo & in multo*, seu per omnem modum.

CAPUT XXVII.

1. (*a*) Vinctis, qui metonymice ita dicuntur a Svetonio in Domitiano, uti & a Jurisconsultis. *Cohortis Augustæ*, ex legione Augustæ, seu Imperatricis: cohortes enim nominibus legionum, non propriis, signari solebant. Non cohors tota, sed pars illius huic custodiæ fuit destinata.

2. (*b*) Adrumetum est urbs maritima Africæ. Aliis tamen videtur urbem hoc loco designari in Æolide, sed in Mysia, quam Stephanus Adramitticum vocat. In Græco textu est Adramytina: idque videtur probabilius, cum navis Adrumetina non Asiæ littora legere, sed ad sinistram versus Ægyptum flectere debuisset, aut medio mari se committere. *Sustulimus*. Anchoram solvimus, vela dedimus. Et quidem navis mutata est, cum Asiæ minoris relicta est navigatio. *Circa Asiæ loca*: Syrus. Ad Asiæ loca navigaturi.

3. (*c*) Corpus fessum curare, quæque erant navigationi necessaria, parare.

4. Et inde cum sustulissemus, subnavigavimus Cyprum (*d*), propterea quod essent venti contrarii.

5. Et pelagus Ciliciæ & Pamphyliæ navigantes, venimus Lystram (*e*), quæ est Lyciæ:

6. Et ibi inveniens centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, transposuit nos in eam.

7. Et cum multis diebus tarde navigaremus, & vix devenissemus contra Gnidum (*f*), prohibente nos vento, adnavigavimus Cretæ, juxta Salmonem:

8. Et vix juxta navigantes, venimus in locum quemdam, qui vocatur Boniportus, cui juxta erat civitas Thalassa (*g*).

9. Multo autem tempore peracto, & cum jam non esset tuta navigatio, eo quod & jejunium (*h*) jam præteriisset, consolabatur eos Paulus,

10. Dicens eis: Viri, video quoniam cum injuria & multo damno, non solum oneris, & navis, sed etiam animarum nostrarum, incipit esse navigatio.

11. Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, quam his quæ a Paulo dicebantur.

12. Et cum aptus portus non esset ad hiemandum, plurimi statuerunt consilium navigare inde, si quomodo possent, devenientes Phœnicem, hiemare, portum Cretæ respicientem ad Africum (*i*), & ad Corum.

13. Aspirante autem Austro, æstimantes propositum se tenere, cum sustulissent de Asson (*k*), legebant Cretam.

14. Non post multum autem misit se contra ipsam ventus Typhonicus (*l*), qui vocatur Euroaquilo.

15. Cumque arrepta (*m*) esset navis, & non posset conari in ventum, data nave flatibus, ferebamur.

16. In insulam autem quamdam decurrentes, quæ vocatur Cauda, potuimus vix obtinere scapham.

17. Qua sublata, adjutoriis utebantur, accingentes (*n*) navem, timentes ne in syrtim inciderent, summisso vase sic ferebantur.

18. Valida autem nobis tempestate jactatis, sequenti die jactum fecerunt (*o*):

19. Et tertia die suis manibus armamenta navis projecerunt.

20. Neque autem sole, neque sideribus apparentibus per plures dies, & tempestate non exigua imminente, jam ablata erat spes omnis salutis nostræ.

21. Et cum multa jejunatio fuisset, tunc stans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem, o viri, audito me, non tollere a Creta, lucrique facere injuriam, hanc & jacturam.

22. Et nunc suadeo vobis bono animo esse: amissio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis.

23. Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cujus sum ego, & cui deservio,

24. Dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere: & ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum.

25. Propter quod bono animo estote viri: credo enim Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est mihi.

26. In insulam autem quamdam oportet nos devenire.

27. Sed

4. (*d*) Non recto itinere, prænavigavimus, sed circuitu quodam infra Cyprum Insulam uti coacti sumus.

5. (*e*) Quæ est urbs Lyciæ. Hæc late sumpta Lycaoniam complectitur ex Stephano. Gr. εἰς Μύρα, quæ est Lyciæ civitas ad mare: Lystra vero in continenti sita est, & in Lycaonia. Unde non desunt, qui putent Vulgatum hoc in loco ad textum Græcum corrigi oportere.

7. (*f*) Est Asiæ promontorium Cretæ objectum. *Adnavigavimus Cretæ*, juxta Cretam; *Juxta Salmonem*; Ex Strabone, Lib. 2. est promontorium Cretæ orientale.

8. (*g*) In quodam MS. legitur Ἄλασσα: nusquam enim occurrit civitas nomine Thalassa: quæ urbs erat in Cretæ littore juxta Gignæum. (*) Potiori modo dici potest; scilicet. Pro Thalassa, quam Vulgata præfert, Græca habet Λασαία, quæ usque in hodiernum diem *Jera-petra* vocatur, ac refertur ad λᾶας Græce *Petra* vel *Lapis*.

9. (*h*) Jejunium solemne mensis Tisri, quod absolute dicitur jejunium: tunque jam minus tuta erat navigatio. *Consolabatur eos Paulus*, Gr. *Exhortabatur*, Syrus, *Consilium dabat*, nempe de intermittenda navigatione.

12. (*i*) Ventum est inter Austrum, & Occidentem, isque flat ab occasu brumali: *Et ad Corum*, qui ab occasu æstivo.

13. (*k*) Locus est prope positus. *Legebant Cretam*, Cretæ oram quam proxime legebant.

14. (*l*) Gall. vulgo un *Ouragan*, qui vocatur *Euroaquilo*, in his regionibus. *Nord est*. (*) Contradictorio calamo utitur, Doctissimus Duhamel. *Nord-Est* enim non solum recta per Cretam descendit, immo a littore flare videtur, neque flat contra *illam*, nempe Insulam, a parte australi. τὸ *illam* referri ad Cretam, nemo dubitaverit, nisi omnino sit argumentos: qui ad Navim referunt, meridiana in luce caecutiunt: quippe qui Syntaxin Latinam evertunt, cumque in Græca κατ' αὐτῆς legatur, quod fœminini generis est, ac deinde συναρπασθέντος δὲ τοῦ πλοίου, quod generis est neutrius, dicendum foret esse fœmininum cum neutro a Sacro Historiographo fuisse concordatum. Euronotus itaque ventus ille fuit Sud-Est. Vulgata habet Euroaquilo, Græce vero Εὐροκλύδων, quæ vox tota Græca est; quodque Græce scriptum est, Græce legi debet. Romani Eurum civitate donaverant, ita ut Eurus Græcus apud Latinos Scriptores passim reperiatur, sed apud Græcos *Aquilo* civitatem non obtinuerat, ut ille Latinus Euro Græco permisceri posset. & Divus Lucas Græcus Scriptor verbum Latino-Græcum conflaret. Typhonicum ventum, qui quemlibet procellosum ventum significare potest, Divus Lucas indigitat scribendo Εὐροκλύδων; ibi enim κλύδων Typhonico consonat, nempe fluctibus æstuanti, quod proprium est Euro-noti S. E. qui ex aperto atque alto Mari veniens ingentes fluctus volvit cietque; secus autem Euroaquilo, qui ventum, ex duplici vento conflatum reddit, ejus vero παρέκτασιν non explicat. Εὖρος respondet vento; κλύδων vero Typhonico; ita ut in Euroclidone & ventus, & ejus χαρακτὴρ explicetur. Quod si Vulgata pro Euroclidone habet Euroaquilonem, id factum est, ut furor Euri exprimi posset, qui Aquiloni assimilatus, haud vero per Aquilonem explicatus a Vulgata videtur, aliter Euroaquilonem contra australem Cretæ partem flare diceret; quod absurdum est.

15. & 16. (*m*) Acta in gyrum a typhone, vel in altum abrepta. Cauda. Gr. Clauda, quæque vicina est Cretæ, ventorum vi impulsa. *Potuimus vix obtinere scapham*, navi nostræ illigatam vix potuimus e mari in navim attollere, ne illa in navim impacta frangeretur, aut a puppi divelleretur.

17. (*n*) Uncis, funibus, & aliis continentes instrumentis, ne in syrtem impingens franceretur. *Summisso vase sic ferebantur*. Syrus, Submisimus antennam, exiguam veli partem explicantes, ut parum venti exciperet instar vasis; aut forte vasis nomine navis ipsa intelligitur, cujus demisso malo sese fluctibus & ventis permiserant. (*) Adjutoria quibus utebantur antiqui erant plures tabulæ ad instar lati gubernaculi in unum compactæ, quas a lateribus demittebant accingentes Navem, ut dextris & sinistris alis quodammodo librata, rectum quo dirigebatur, cursum teneret. Illi qui hunc locum aliis explicant eruditis argumentis adjutoria ea innuunt, quæ fieri poterant, non ea quibus Nautæ uti consueverant. Quassatæ Naves velis funibusque aliquando subcinguntur, sed ea, quæ quassatæ Navi prosunt, ne quassari possit haud impediunt. Qui vero de Syrti africana hic sermonem institui vaticinantur, omnino vaticinantur, cum ea & centenis M. pass. illinc distaret, & Navis in parte australi Cretæ posita a vento contra illam Insulæ partem flante in Syrtim africanam nullo modo deferri posset. Sermo itaque est de Syrti ibi præsente & proxima, quæ ad Claudam & anticlaudem jacet.

18. 19 & 21. (*o*) Sarcinas aliquas & merces in mare projicientes. *Armamenta*, vulgo *les agrès*. *Jejunatio*, ob nimiam navis jactationem fastidium cibi consequitur.

27. Sed posteaquam quartadecima nox supervenit, navigantibus nobis in Adria (p) circa mediam noctem, suspicabantur nautæ apparere sibi aliquam regionem.

28. Qui & summittentes bolidem (q), invenerunt passus viginti: & pusillum inde separati, invenerunt passus quindecim.

29. Timentes autem ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri.

30. Nautis vero quærentibus fugere de navi, cum misissent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent a prora anchoras extendere,

31. Dixit Paulus centurioni, & militibus: Nisi hi in navi manserint (r), vos salvi fieri non potestis.

32. Tunc absciderunt milites funes scaphæ, & passi sunt eam excidere.

33. Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum, dicens: Quartadecima die hodie expectantes jejuni permanetis (ſ), nihil accipientes.

34. Propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra: quia nullius vestrum capillus de capite peribit.

35. Et cum hæc dixisset, sumens panem, gratias egit Deo in conspectu omnium: & cum fregisset, cœpit manducare.

36. Animæquiores autem facti omnes, & ipsi sumpserunt cibum.

37. Eramus vero universæ animæ in navi ducentæ septuaginta sex.

38. Et satiati cibo alleviabant navem, jactantes triticum (t) in mare.

39. Cum autem dies factus esset, terram non agnoscebant: sinum vero quemdam considerabant habentem littus, in quem cogitabant, si possent, ejicere navem.

40. Et cum anchoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes juncturas (u) gubernaculorum; & levato artemone secundum auræ flatum, tendebant ad littus.

41. Et cum incidissemus in locum dithalassum (x), impegerunt navem: & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero solvebatur a vi maris.

42. Militum autem consilium fuit ut custodias occiderent: ne quis cum enatasset, effugeret.

43. Centurio autem volens servare Paulum, prohibuit fieri: jussitque eos, qui possent natare, emittere se primos, & evadere, & ad terram exire:

44. Et ceteros alios in tabulis ferebant: quosdam super ea, quæ de navi erant. Et sic factum est, ut omnes animæ evaderent ad terram.

C A-

27. (p) In mari Adriatico, quod non modo sinum Venetum, sed & Jonium quoque mare complectitur, ex Strabone. (*) Doctissimus Duhamel vel non inspexit, vel non assequutus est mentem Strabonis, vel aliena fide claudicat. Numquam Strabo Mare Jonium cum Veneto Sinu confudit, neque Mare Adriaticum extra fauces hodierni Sinus Veneti protrahit. Sic Strabo Lib. VII. *τὰ Κεραύνια ὄρη ἡ ἀρχὴ τοῦ στόματος Ἰονίου κόλπου καὶ τοῦ Ἀδρίου τὸ μὲν δὴ στόμα κοινὸν ἀμφοῖν ἐστι, διαφέρει δὲ ὁ Ἰόνιος διότι τοῦ πρώτου μέρους τῆς θαλάττης ταύτης ὄνομα τοῦτ' ἐστί, ὁ δὲ Ἀδρίας τοῦ ἐντὸς μέχρι τοῦ μυχοῦ. Ceraunii montes initium oris, Jonii Sinus, & Adriatici, at quidem os commune utrique est; differt vero Jonius: propterea quod primæ parti maris ejusdem hoc nomen est, Adrias vero intus usque ad intimum recessum: νυνὶ δὲ καὶ τῆς συμπάσης, nunc vero simul omni Mari huic* (subintellige) *nomen Adriæ est*. Sinus itaque Jonius a Montibus Ceraunis usque ad intimum recessum Adria dicebatur, haud vero extra fauces Montibus Ceraunis definitas. Versio fortassis Strabonis inconcinna videbitur, at necessum est verbum verbo reddere, ut τῆς ἐντὸς a Xylandro male interpretatum ostendatur, qui relative ad primam partem explicavit; quod erroneum est; nam τῆς ἐντὸς refertur ad illud τῆς θαλάττης, ut ex ipso articulo fœminini generis colligitur; alias dicendum esset Strabonem scripsisse τοῦ μέρους & τῆς μέρους quod falsum est. Ex hac Xylandri, quæ aliquando summis viris contigit, hallucinatione, orta est adjectio, *quod primæ parti* (seu exteriori quod Xylandri est) *nomen Jonii tribuatur* &c. unde multi colligunt Strabonem Mare Jonium in Sinu Ionio indigitasse, illumque Sinum qui idem est ac Adria extra fauces protulisse. At perperam: Strabo enim semper sibi consentiens sic Lib II. de Mari extra fauces Sinus Jonii & Adriatici. *Porro Siculum pelagus ante Siciliam est atque Italiam ad Orientalem partem, & præterea inter fretum Rhegii, usque ad Locros & Messanam, porrigiturque usque ad Syracusas & Promontorium Pachynum. Dilatatur versus Orientem usque ad Cretæ promontoria, & Peloponnesum majori ex parte circumluit, & implet Sinum, qui Corinthiacus dicitur. Porro ad Septentriones attingit Promontorium Japygium, & fauces Sinus Jonii &c. Jonius autem Sinus pars est Maris, quod nunc dicitur Adria. Hujus vero dextrum Latus Illyris facit &c.* Ex hac Maris Siculi, quod & Mare Jonium aliquando dictum est; accuratissima suis terminis descriptione, quis unquam mortalium, nisi cæcutiat, elicere poterit Sinum Jonium extra fauces esse? Strabo statuit fauces Sinus Jonii sive Maris adriatici, terminum Maris Siculi ad Septentriones; quomodo igitur Mare quod Siculum terminat unum idemque dici potest cum eo quod terminatur? At dices fortasse Strabonem loqui de Sinu Adriatico intra fauces, haud vero de Mari Adriatico: quod falsum est. Mare Adriaticum & Sinus Adriaticus idem sunt apud Strabonem, sic ille Lib. IV. *Padum* memorans eum docet incidere in *Adriaticum Mare Ἀδριατικὴν θάλατταν*. Sinum vero vocat Lib. II. & VII. ut in locis supra allatis. At Ptolomæus protrahit Mare Adriaticum ad Orientalem oram Siciliæ! Sed quid Straboni cum Ptolomæo? quid Divo Lucæ Actorum Apostolorum Scriptori, qui Strabonem præ manibus habere poterat, cum Ptolomæo, qui ferme centenis annis post Divum Lucam scripsit. & Adriaticum Mare ex Ditione Classis Adriaticæ usque ad Orientem Siciliæ protulit! quomodo *navigantibus in Adria circa mediam noctem* apparuit nautis regio, quam Melitam africanam multi ajunt, cum illa una omnium Geographorum voce, ipso quoque Ptolomæo consentiente, sit in Mari africo in parte australi Siciliæ, respectu Promontorii Pachyni posita? Quid istis vaticinationibus opus est cum in Mari Adriatico, hodie Sinu Veneto, insula sit dicta Melita, in quam Paulus naufragus evasit? at illa Melita adriatica obscuri nominis est! quid inde? an quia obscuri nominis, idcirco Strabo calumniandus, Maria permiscenda, Geographica fundamenta evellenda, & Divo Lucæ appingendæ Geographicæ notiones, quæ centenis annis post ipsum ortum duxere?

28. (q) *Seu plumbum quo aquæ altitudo exploratur, vulgo la sonde. Invenerunt passus viginti*, Gall. 20 *brasses*. & *pusillum inde* 15 *invenerunt passus quindecim*, quod indicio erat se terræ esse viciniores.

31. (r) Salutem quidem iis promiserat Deus, dummodo ea præstarent, quibus promissi executio erat illigata.

33. (ſ) Quod nihil per modum justæ refectionis accepissent, sed tantum perparum quid, & carptim identidem delibassent ad vitam sustentandam: nisi hoc fuerit miraculum.

38. & 39. (t) Qui tertius fuit jactus. *In quem cogitabant*, in quod littus (nam Græce est masculini generis:) cogitabantur navem ducere.

40. (u) Syrus. Solverunt vincula gubernaculorum: prius enim videntur alligasse, ne tempestatis vi frangerentur. An forte, ut videtur viro docto, olim duo erant in unaquaque navi gubernacula, suum cuique lateri, eaque vinculis quibusdam navi erant alligata, quibus laxatis in aquas descendebant. Quo loco navis posita essent ea gubernacula, non est explicatu facile; nisi forte sic aptata erant, ut nuper vir nobilis excogitavit, adeo ut unum gubernaculum ad puppim, alterum ad proram poneretur. *Et levato artemone*; Syrus, Parvo velo, quod proræ proximum est, quove utuntur nautæ, cum metuunt ne vela majora plus satis venti concipiant. (*) Vir nobilis, qui excogitavit unum gubernaculum ad puppim, ad proram alterum, absurdam rem excogitavit: Syri itaque sententiæ standum, quæ & vera est, & Nautica.

41. (x) Isthmus est qui mare utrimque dividit: locum illum prope Melitam vocant *la Gala di S. Paulo*, portum, seu appulsum sancti Pauli. *Et prora quidem*, in arenoso solo.

CAPUT XXVIII.

Quae Melitae evenerint, enarrantur; Romam advenit; omnes ad se venientes fidem Christianam docet.

1. ET cum evasissemus, tunc cognovimus quia Melita (*a*) insula vocabatur. Barbari vero praestabant non modicam humanitatem nobis.

2. Accensa enim pyra, reficiebant nos omnes, propter imbrem, qui imminebat, & frigus.

3. Cum congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, & imposuisset super ignem, vipera a calore cum processisset, invasit manum ejus.

4. Ut vero viderunt Barbari pendentem bestiam de manu ejus, ad invicem dicebant: Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere.

5. Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est.

6. At illi existimabant eum in tumorem convertendum, & subito casurum, & mori. Diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes (*b*) se, dicebant eum esse Deum.

7. In locis autem illis erant praedia principis (*c*) insulae, nomine Publii, qui nos suscipiens, triduo benigne exhibuit.

8. Contigit autem patrem Publii febribus & dysenteria vexatum jacere. Ad quem Paulus intravit: & cum orasset, & imposuisset ei manus, salvavit eum.

9. Quo facto, omnes, qui in insula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur:

10. Qui etiam multis honoribus nos honoraverunt, & navigantibus imposuerunt quae necessaria erant.

11. Post menses autem tres, navigavimus in navi Alexandrina, quae in insula hyemaverat, cui erat insigne Castorum (*d*).

12. Et cum venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo.

13. Inde circumlegentes devenimus Rhegium: & post unum diem flante Austro, secunda die venimus Puteolos;

14. Ubi inventis fratribus (*e*) rogati sumus manere apud eos dies septem: & sic venimus Romam.

15. Et inde cum audissent fratres, occurrerunt nobis usque ad Appii forum (*f*), ac tres Tabernas. Quos cum vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam.

16. Cum autem venissemus Romam, permissum (*g*) est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite.

17. Post tertium autem diem convocavit primos Judaeorum. Cumque convenissent, dicebat eis: Ego, viri fratres, nihil adversus plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Jerosolymis traditus sum in manus Romanorum:

18. Qui cum interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me.

19. Contradicentibus autem Judaeis, coactus sum appellare Caesarem, non quasi gentem meam habens aliquid accusare.

20. Propter hanc igitur causam rogavi vos videre, & alloqui. Propter spem (*h*) enim Israel catena hac circumdatus sum.

21. At illi dixerunt ad eum: Nos neque litteras accepimus (*i*) de te a Judaea, neque adveniens aliquis fratrum nuntiavit, aut locutus est quid de te malum.

22. Rogamus autem a te audire quae sentis: nam de secta hac notum est nobis quia ubique ei contradicitur.

23. Cum constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi, quibus exponebat testificans regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex lege Moysi & Prophetis, a mane usque ad vesperam.

24. Et quidam credebant his quae dicebantur, quidam vero non credebant.

25. Cumque invicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros.

26. Dicens: * Vade ad populum istum, & dic ad eos: Aure audietis (*k*), & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perspicietis. * *Isa* 6. 9. *Matth.* 13. 14. *Mar.* 4. 12. *Luc.* 8. 10. *Joan.* 12. 40. *Rom.* 11. 8.

27. Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos compresserunt: ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos.

28. Notum

CAPUT XXVIII. 1. 2. 3. & 4. (*a*) Hanc incolebant Africani. *Qui imminebat*, Gr. qui supervenerat. *Invasit*; momordit. *Ultio*. Gr. *δίκη*, justitiae Dea, ultrix justitia. (*) Melitam africanam, quae, ut diximus, una omnium Geographorum voce in Mari africo est, hic advocare, eamque per absurdissimas ambages in Mari Adriatico, in quo Navis Paulina naufragium passa est, statuere, vel summae in Geographia atque Hydrographia imperitiae est, vel abjectissimae adulationis, cum in Mari Adriatico, hodie Sinu Veneto, Meleta sit, quae topographico Maris Adriatici, de quo nulla disputatio, situ, quemlibet errorem tollit. Vide fusius tractata omnia in Exercitationibus Geographicis, Hydrographicis &c. Stephani Sciugliaga in Gatmoglien. Venetiis 17[illegible].

6. (*b*) Mutata sententia. Jam ab iis temporibus hujus regionis serpentes venenum omne suum [illegible].

7. (*c*) Civis Romani, qui in ea Insula magistratum gerebat, aut vir erat primarius.

11. (*d*) Castoris & Pollucis, quos navigantibus praeesse vulgo opinabantur.

14. (*e*) Ubi jam erant Christiani a viris Apostolicis ad fidem conversi.

15. (*f*) Distans Roma 50 millibus, sic dictum, quod Appii Claudii statua esset insignitum. Sic enim vocabant loca, ubi Principum virorum statuae erant collocatae, ut *Forum Julii*, forum Livii, vulgo *Forli*. *Tres tabernae*, vulgo *Cisterna*, 31. millibus ab urbe prope Velitras, Augusti Patriam. *Accepit fiduciam*, spem magnam fidei propagandae, cum tam benignos in se experiretur.

16 (*g*) Addunt Graeca scholia, *Tradidit Centurio vinctos omnes Principi*, seu praefecto castrorum, qui tum erat praefectus praetorii, nomine Burrus, excepto Paulo, cui ex commendatione Centurionis permissum est arbitratu suo ubi vellet manere, *cum custodiente se milite*.

20 (*h*) Propter Messiam a Judaeis expectatum, quem venisse docet, ut propter resurrectionis dogma, quod in persona Jesu Christi propugno adversus Judaeos.

21 (*i*) Judaei Jerosolymae auctores esse desiderant, quod de lege eorum ageretur, quae Romae facile contemneretur, cumque in Judaea ipsa spreta fuisset eorum accusatio.

26 (*k*) Isaiae 6. Hebr. *Audite, neque intelligatis*, non ut occludant aures, sed ex indignantis affectu, & cum aliqua imprecatione loquitur Propheta. Lucas sequitur LXX. Interpretum versionem: *Et non percipietis*. Quid ea significent, quaeque ex iis consequantur, non intelligent.

28. Notum ergo ſit vobis, quoniam Gentibus miſſum eſt hoc ſalutare Dei, & ipſi audient.

29. Et cum hæc dixiſſet, exierunt ab eo Judæi, multam habentes inter ſe quæſtionem (*l*).

30. Manſit autem biennio toto in ſuo conducto: & ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum,

31. Prædicans (*m*) regnum Dei, & docens quæ ſunt de Domino Jeſu Chriſto, cum omni fiducia, ſine prohibitione.

29 & 30. (*l*) Græc. diſceptationem. *In ſuo conducto*, in ædibus quas conduxerat, quo Judæorum turbæ quotidie confluebant: adeo ut non parva eſſet illa manſio. Lucas multa prætermittit a Paulo geſta, & dicta. Sic non meminit primæ ejus defenſionis, cujus mentionem facit 2. Timoth. 4. *In prima mea defenſione nemo mihi adfuit*. Etſi probabilius videtur Chryſoſtomo primam illam Apologiam in ſecunda Pauli profectione factam eſſe. Nam ſecunda ad Timotheum Epiſtola non multo ante martyrium Pauli ſcripta creditur; neque id veriſimile eſt Paulum rem multis ante annis peractam, ut novam Timotheo ſcribere.

31. (*m*) Evangelii doctrinam: *Cum omni fiducia*, libertate, quam copia amicorum dabat, etiam ex aula Imperatoris, de quibus in Epiſt. ad Philipp. *Salutant vos omnes ſancti, maxime qui de domo Cæſaris ſunt*. Anno Chriſti 67. Jacobus Alphæi Jeroſolymorum Epiſcopus Martyrium obiit, ex Joſepho, L. 20. cap. 8. Euſebio Hiſt. L. 2. cap. 23. Anno jam affecto Timotheus e vinculis liber dimiſſus eſt. Exeunte hoc anno, aut inſequenti Lucam ſcripſiſſe Acta Apoſtolorum tradit Hieron. in Catalogo. Cum Paulus ferme per biennium in libera fuiſſet cuſtodia, ineunte anno 68. videtur arctiori cuſtodia ſervatus, qua de re videtur loqui Epiſt. ad Philipp. cap. 1. Suſpicatur Pezronius vivente Burro Prætorii Præfecto Paulum Romæ libertius prædicaſſe verbum Dei: ſed eo mortuo, Præfectis prætorii Rufo ſatis probo homine, & Tigellino nequiſſimo, cum forte Pauli vincula preſſiora fuiſſe, & nota in toto prætorio: etſi paullo poſt dimiſſus eſt. Anno Neronis octavo Paulus plena libertate potitus, Roma egreſſus abiit in Macedoniam: manſit Philippis, ut promiſerat, in Epiſt. ad Philipp. cap. 2. v. 24. æſtivo tempore profectus eſt Troadem. Hinc Coloſſas venit. Petrus firmatis Aſiæ Eccleſiis videtur hoc anno Romam veniſſe. Paulus circa vernum tempus Epheſo, ubi hiemem egerat, profectus eſt Miletum Cariæ, hinc in Cretam Inſulam tranſmeavit, illic Titum ordinavit Epiſcopum, ut hanc regeret Eccleſiam. Anno jam affecto, Creta relicta navigavit in Græciam, & Eccleſias a ſe fundatas viſitavit. Petrus dum Romæ eſſet, ſecundam ſcripſit Epiſtolam, aut anno inſequenti, cap. 1. ubi innuit mortem ſuam inſtare. Paulus Romam ſecundo venit, Tit. 3. & 2. Timoth. 4. Iterum in vincula conjectus, 2. Timoth. 1. non multo poſt coram Nerone ſiſtitur; divina ope *liberatus eſt de ore leonis*. 2. Timoth. 4. poſt primam defenſionem ſuam nondum plane ſolutus. Titus ab eo adhuc vincto miſſus in Dalmatiam. Creſcens in Galliam, ex Euſebio, L. 3. cap. 4. Lucas ſolus cum eo remanſit. Non multo poſt ſolutus eſt omnino vinculis, 2. Timoth. 4. profectus eſt in Hiſpaniam, quod jam ſæpe cogitaverat, Rom. 15. ad fines Occidentis, ut teſtatur Clemens Rom. in Epiſt. ad Corinthios. Petrus perſecutione audita venit Romam, non multo poſt in vincula conjectus, & cruci affixus capite in terram demiſſo. III. Calendas Julias Nerva & Veſtino Conſ. Catalogus Pontificum, Lactantius de mortibus perſecut. cap. 2. Sulpicius Severus Hiſtor. L. 2. cap. 41. Euſeb. in Chronico. Paulus audita Neronis perſecutione Romam ex Hiſpania tertio proficiſcitur, & anno proxime ſequenti Martyrium obiit eodem die, non eodem anno. Suſpicatur Pezronius id factum eſſe ſententia Præfectorum prætorii Sabini, & Tigellini τῶν ἡγουμένων, ut innuit Clemens Romanus in Epiſt. ad Corinthios. Hinc Prudentius, Lib. de Coronis. Hymn. 12.

Unus utrumque dies pleno tamen innovatus anno vidit ſuperba morte laureatum.

Ita quoque Arator in poemate, L. 2. in Actus Apoſtolorum anno 544. Vigilio Papæ dicato:

Non eadem tamen una dies, annique voluto
Tempore ſacravit repetitam paſſio lucem.

Ita quidem Pezronius utriuſque Apoſtoli Martyrium ex veteribus, certis addicit temporibus.

IN EPISTOLAS BEATI PAULI APOSTOLI

PRÆFATIO.

RÆCIPUA Christianæ religionis fundamenta his Epistolis contineri, atque hæreses pene omnes, quæ postea emerserunt, in iis jam compressas esse, & profligatas, communis est sanctorum Patrum sententia. Quæ ad morum informationem ex præscripto Legis Evangelicæ spectant, & cuncta vitæ Christianæ officia in clarissima luce posita complectuntur; virtutes quas sequi, vitia quæ in quocumque hominum statu aut conditione fugere oporteat, sic exequuntur, ut merito primi & genuini in Evangelium Commentarii habeantur: nam doctrina Evangelica admirabili quadam ratione in his Epistolis est explicata, quæque in rebus agendis occurrunt difficultates, seu ad conscientiæ dictamen, seu ad Legem divinam spectent, solutæ sunt, & complanatæ.

Stylus simplex est & gravis: humanam eloquentiam Paulus 1. Cor. cap. 1. & 2. a se deprecatur, ut Apostolico muneri contrariam; sed divinam plane & nativam, non pigmentis Rhetorices fucatam adhibet, quæ vim infert animis gratam & salutarem, non artem ostentat. Sæpe ab instituto sermone paullulum digredi videtur, in scopum tamen suum semper intentus: ut v. 6. cap. 9. Epistolæ ad Romanos, *Non quod exciderit verbum Dei, &c.* Idque ut objectioni, quæ ultro se offert, occurrat, & illam occupet, vel ut rem propositam acrius persequatur, scrupulis e medio sublatis. Quemadmodum, inquit vir doctus jam a nobis laudatus in Prolegomenis, cum de stylo Scripturæ ageremus, flumina versus mare properant, tametsi montium interjectu cursum suum aliorsum inflectunt: sed postquam terras fertili humore irrigarunt, intermissum iter denuo prosequuntur.

Hyperbatis quoque interdum utitur Apostolus præ impetu Spiritus sancti, quo plenus erat; ut Prophetis evenit. Hinc fit ut sententias quandoque convolvat, aut priores quasi imperfectas relinquat, ut Gal. 2. v. 6. *Ab iis autem qui videbantur esse aliquid, &c.* Sic Ephes. 3. v. 4. *Hujus rei gratia, &c.* usque ad v. 19. ubi est continuatum hyperbaton. Quædam occurrunt apud eum prosopopœjæ, seu personarum fictiones. Sic Rom. cap. 7. Legem inducit quasi regem nobis imperantem: & cap. 6. Peccatum ut tyrannum nobis exhibet, & cap. 8. v. 19. *Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat*; & quæ sequuntur. Apud eum quoque usitata est figura, quam refractionem vocant, cum vox eadem in diverso significatu usurpatur, ut in eodem capite, v. 15. & cap. 11. v. 22.

Et quidem cum duæ sint partes eloquentiæ, una in cogitatis polite efferendis posita, altera in rebus pro varietate materiæ & auditorum ratione prudenter tractandis; illa est mutabilis pro varietate regionum & temporum, eaque fuit a sancto Paulo & a sacris Auctoribus usurpata, quatenus eorum consilio & fini proposito congruebat. Sed pars altera eloquentiæ in Sacris Litteris, & præsertim in Pauli Epistolis ubique fulget. Cum verborum ornatus deest, tum is nec desideratur, ac stylus ipse nuda simplicitate pellucet, pigmentorum delectu longe augustior, quam foret ex copia. Nam ut præclare Auctor superioris sæculi doctus & disertus, sacræ divinæque Scripturæ puram, castam, simplicem habent orationem, qualem mores desiderant; verba delecta, si vis, non tamen nimia cum cura exquisita, & undique excerpta, ut dignitatis major, quam gratiæ ac leporis ratio habita videatur.

EPISTOLÆ AD ROMANOS.

ARGUMENTUM.

CUM inter Judæos ad Christi fidem conversos, & fideles e Gentibus vocatos, circa legalium observationem, ac ciborum delectum orta esset contentio, ac subinde metuendum esset ne in partes & factiones, atque inde in simultates contentionis ardor erumperet, utrosque sic conciliat Paulus, ut Judæorum prærogativas & privilegia præ Gentilibus esse concessa fateatur: quod illis credita sint eloquia Dei, fœdus cum iis a Deo sancitum, Prophetæ ad eos missi, ex iis demum Christus natus sit, qui promissa Patribus facta implevit. Sed cum utrique & Judæi & Gentiles meritis suis gratiam vocationis tribuerent, eos hac in re sic exæquat Paulus, ut eorum merita ante fidem nulla extitisse demonstret. Quare id unum est hujus Epistolæ argumentum, ut Apostolus ostendat, neque humanæ sapientiæ documentis, nec Legis Mosaicæ præceptis, sed sola in Christum fide, seu Christiana religione, quatenus utrique opponitur, & Philosophiæ & Legi veteri, veram acquiri justitiam, quæ nos Deo gratos efficiat; idque ex Gentilium & Judæorum depravatis moribus primum colligit, cum illi naturæ, hi Mosis Legem violaverint. Tum in secunda Epistolæ parte ea præscribit præcepta, quæ in formandis moribus ad veram pietatem sunt necessaria. Judæos in primis admonet ut potestatibus ultro se subjiciant; Gentiles, ut Judæorum infirmitati circa delectum ciborum, quæ præcipua videtur fuisse dissensionis occasio, sese accomodent; & utrosque ad virtutum exercitationem adhortatur.

Hæc Epistola Corinthi scripta est, nam in fine Epistolæ quosdam Corinthios nominat, quo anno incertum est.

CAPUT PRIMUM.

Præmissa salutatione, Evangelii prædicationem & necessitatem commendat.

1\. PAULUS, servus Jesu Christi, vocatus (a) Apostolus,
*Act. 13. 2. * segregatus in Evangelium Dei,
2\. Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis
3\. De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem,
4\. Qui prædestinatus (b) est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri:

5\. Per

CAPUT I. 1. 2. & 3. (a) Ad muneris Apostolici dignitatem vocatus, aut vocatione divina Apostolus: *Segregatus*, delectus ad prædicandum Evangelium. *De filio suo*, Hæc enim est Evangelio subjecta materies: hoc utique Evangelium est doctrina de Filio Dei, qui Deus est & homo, per quem Paulus vocatus est ad Apostolatum, ut illud prædicaret Gentibus, ex quibus sunt Romani. Solet enim Paulus perpetua quadam oratione distinctas periodos inter se connectere, & ex uno in aliud paulatim labi, sic tamen ut cuncta ad rem propositam revocet, atque ex ultimis vocibus occasionem sumat incœptum sermonem prosequendi in eamdem sententiam. *Qui factus est ei*, Qui cum ab æterno sit Filius Dei, in tempore factus est, & genitus secundum humanam naturam ex semine David. *Secundum carnem*, Calvinus quidem in hunc locum: Hæc, inquit, particula aliquid in Christo fuisse carne nobilius subindicat: Sic ergo ex semine Davidis progenitus est homo, ut suam interea Divinitatem retineat.

4\. (b) ὁρισθέντος, qui definitus est, aut declaratus Filius Dei. Deinde, inquit Erasmus, Christi geminam in eadem hypostasi naturam mira verborum emphasi describit. De homine dicit, *factus est*, ut intelligas, aliquid accessisse quod non erat. De Divinitate dicit, *declaratus est*. Primum ex virtute patrandi miracula, deinde *secundum Spiritum sanctificationis*, per Spiritum sanctum, quo credentes sanctificat. Signa edebat Jesus per Spiritum illum sanctificatorem, id est, vim divinam, per quam ab initio conceptionis sanctificatus fuerat. Ita Grotius; adeo ut Spiritus sanctificationis sit ipsa essentialis Divinitas, qua sanctificata est humanitas. Postremo, ex *resurrectione mortuorum Jesu Christi*, ex eo quod suapte virtute a mortuis surrexerit. Ex eo triplici effectu Divinitas palam fuit declarata & probata. Vel prædestinatum est ab æterno fore ut Christus, ut filius David secundum carnem, idem foret Filius Dei. In Græco textu voces illæ v. 3. *de Filio suo*, in eodem sunt casu cum ultimis vocibus v. 4. *Jesu Christi Domini nostri*: adeo ut ea sit verborum constructio; *De Filio suo Jesu Christo Domino nostro*: quæque intercedunt, legenda videantur per parenthesim. Atque hæc est pars prior salutationis, in qua fidei suæ puritatem, & missionem, quæ a Christo ipso manavit, ante omnia præmittit. *Vocatus Apostolus*, vers. 1. qui & divina electione fuit confirmatus; *Segregatus in Evangelium Dei*: Qui quidem Apostolatus nullis circumscribitur finibus.

5. Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus Gentibus (c) pro nomine ejus,

6. In quibus estis (d) & vos vocati Jesu Christi:

7. Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis (e). Gratia vobis & pax a Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

8. Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis: quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.

9. Testis enim mihi est Deus, cui servio (f) in spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio,

10. Semper in orationibus meis: obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.

11. Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos.

12. Id est, simul consolari (g) in vobis per eam, quæ invicem est, fidem vestram atque meam.

13. Nolo autem vos ignorare fratres: quia sæpe proposui venire ad vos, (& prohibitus sum usque adhuc) ut aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in ceteris gentibus.

14. Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum:

15. Ita (quod in me) promptum est & vobis, qui Romæ estis, evangelizare.

16. Non enim erubesco (h) Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum, & Græco.

17. Justitia (i) enim Dei in eo revelatur ex
* Hab. 2. 4. Gal. 3. 11. Heb. 10. 38. fide in fidem: sicut scriptum est: * Justus autem ex fide vivit:

18. Revelatur (k) enim ira Dei de cælo super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent:

19. Quia quod notum (l) est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit.

20. Invisibilia (m) enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus & divinitas: ita ut sint inexcusabiles.

21. * Quia cum cognovissent Deum, non * Eph. 4. 17.
sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus (n) suis, & obscuratum est insipiens cor eorum:

22. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.

23. * Et mutaverunt gloriam incorruptibilis * Ps. 105. 20.
Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.

24. Propter quod tradidit (o) illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis:

25. Qui commutaverunt (p) veritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen.

26. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam.

27. Similiter autem & masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem (q) quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.

28. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt,

29. Repletos omni iniquitate, malitia (r), fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones,

30. Detractores, Deo odibiles (s), contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes,

31. Insipientes (t), incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia.

32. Qui

5. (c) Ut Gentes adducantur ad fidem. Græc. ὑπακοὴν πίστεως, *ad obedientiam fidei. Pro nomine ejus*; ut Christi Legatus, vice ejus hoc fungar munere.

6. (d) Vocati a Christo: quemadmodum dicuntur dilecti Dei, id est, dilecti a Deo.

7. (e) Vocatis ad sanctitatem. Atque in hac voce definit epigraphe, seu Epistolæ inscriptio: idque supplendam videtur, ut in aliis Epistolis, salutem dicit. Gratia vobis, gratia quæ nos cum Deo conjungit, & pax quæ cum proximo: quæ duo non separat Apostolus.

9. & 10. (f) Mente pura & integra. *Si quomodo*, si quando prospero itinere veniam ad vos; *In voluntate Dei*, Deo ita volente.

11. 12. & 15. (g) Gr. exhortari, ex mutua & communi fide. *Græcis*, per Græcos politiores nationes, ut Romani, intelligi solent, tametsi Gentes omnes præter Græcos vocabant Barbaros: *Sapientibus*, doctis juxta & indoctis; *Promptum est*, quantum ad me attinet.

16. (h) Non me pudet Evangelii, tametsi plerisque videtur vile & abjectum, prædicare Deum crucifixum. *Virtus enim*; nam Dei virtus & potentia salvat credentes; *Judæo primum*, si minus dignitate, saltem tempore; *& Græco*, deinde Græco.

17. (i) Qua nos justificat Deus per Evangelii prædicationem, non qua Deus justus est: non enim de justitia Dei ipsius in hac Epistola loquitur Apostolus; *Revelatur*, detegitur, aut manifestatur; *Ex fide in fidem*, quæ a fide incipit, & in fidem desinit, vel est Hebraismus, ex fide augescente, ut Psalmo 83. *Ibunt de virtute in virtutem*. *Vivit*, bifida sensu, homo tamen, Christianus fide vivit, *Sicut scriptum est*, Habac. 2. vers. 4. Hoc ipsum est, quod in hac Epistola probandum suscipit Apostolus, postquam quæ huic propositioni adversari videntur, diluerit. Itaque hoc loco justitiam Dei, quam solam dare potest Deus, adstruit, eamque per fidem in Evangelio esse declaratam docet: ex quo id consequitur, quod mox subjicit.

18. (k) Per Evangelium denuntiatur ultio Dei, *super omnem impietatem*, in Deum & adversus verum Dei cultum; *injustitiam hominum*, adversus proximum, cum Legem Dei perrumperent; *& veritatem Dei*, aut cognitam celant, aut naturalem legem scientes & volentes violant, aut cultum uni Deo debitum Idolis tribuunt, aut denique veri notitia abutuntur.

19. (l) Lumine naturali, *manifestum est*, in illorum mente fulget: veritas enim per se est manifesta.

20. (m) Divinæ illius perfectiones, sapientia, bonitas, justitia: *a creatura*, Gr. *a conditione mundi*, ex quo mundus conditus est.

21. 22. & 23. (n) Gr. διαλογισμοῖς, *ratiocinationibus*, disquisitionibus. *Dicentes*, Gr. existimantes. *Et mutaverunt*, Idola pro Deo colentes.

24. (o) Psalm. 80. *Dimisit secundum desideria cordis eorum*: abire permisit; pravos & inordinatos secuti sunt affectus, ut, ita ut *contumeliis afficiant*.

25. & 26. (p) Idolis supremum cultum tribuentes; *Ignominiæ*, in fœdas libidines, quas punit o Deus ac contemptus.

27. & 28. (q) Pro meritis, non *probaverunt*: pro nihilo habuerunt, quod Deus ignoret pravas eorum libidines; vel Dei beneficia noluerunt agnoscere; *tradidit eos*, deserendo, *in reprobum sensum*, Gr. *in mentem reprobam*, de rebus agendis male sentientem: omnes justitiæ leges perruperunt, & innumerabilia admiserunt flagitia.

29. (r) Gr. πορνείᾳ, πονηρίᾳ, *fornicatione: nequitia*, ubi est parum malitia, corruptionem omnimodam cum in seipsis, tum erga proximos exhibentes; *malignitate*, Gr. κακοηθείας, qua omnia in deteriorem partem accipiuntur.

30. (s) Vox Græca θεοστυγεῖς, etiam *Dei osores* significat; vellent Deum non esse; *elatos*, Gr. ἀλαζόνας. Cyprianus vertit *sui jactantes*.

31. (t) Absque judicio, *incompositos*, Gr. ἀσυνθέτους, inurbanos, turbulentos; *sine affectione*, qui præter seipsos amant neminem.

32. Qui cum justitiam (*n*) Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

CAPUT II.

Videtur Judæos exæquo & Philosophos compellare usque ad vers. 17. idque probare, utrosque eo ipso esse inexcusabiles, quod eadem admitterent flagitia.

1. PRopter quod inexcusabilis es o homo omnis, qui judicas. * In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas.

* Matth. 7. 2.

2. Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt.

3. Existimas autem hoc o homo, qui judicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium Dei?

4. An divitias (*a*) bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?

5. Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei,

6. * Qui reddet unicuique secundum opera ejus.

* Matth. 16. 27.

7. Iis quidem, qui secundum patientiam (*b*) boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam:

8. Iis autem, qui sunt ex contentione (*c*), & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio.

9. Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum & Græci:

10. Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primum & Græco:

11. * Non enim est acceptio (*d*) personarum apud Deum.

* Deut. 10. 17. 2. Par. 19. 7. Sap. 6. 8. Eccle. 35. 15. Act. 10. 34. Gal. 2. 6. Eph. 6. 9. Col. 3. 25. 1 Pet. 1. 17.

12. Quicumque enim sine lege peccaverunt (*e*), sine lege peribunt: & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.

13. * Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.

* Matth. 7. 21. Jac. 1. 22.

14. Cum enim Gentes, quæ legem (*f*) non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex:

15. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus (*g*) accusantibus, aut etiam defendentibus.

16. In die (*h*), cum judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum per Jesum Christum.

17. Si autem tu Judæus cognominaris (*i*), & requiescis in lege, & gloriaris in Deo,

18. Et nosti voluntatem ejus, & probas utiliora, instructus per legem,

19. Confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt,

20. Eruditorem insipientium (*k*), magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege.

21. Qui ergo alium doces, teipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris.

22. Qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis:

23. Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras (*l*).

24. (* Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes, sicut scriptum (*m*) est.)

* Isa. 52. 5. Ezech. 36. 20.

25. Circumcisio quidem prodest (*n*), si legem observes: si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est.

26. Si igitur præputium justitias legis custodiat: nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur?

27. Et judicabit id, quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per litteram & circumcisionem prævaricator legis es?

28. Non enim qui in manifesto, Judæus est: neque quæ in manifesto in carne, est circumcisio (*o*):

29. Sed qui in abscondito, Judæus est: & circumcisio cordis in spiritu, non littera: cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

CA-

32. (*n*) Leges divinas, jus naturale, *non intellexerunt*, noluerunt intelligere; *sed qui consentiunt facientibus*, ut Philosophi, qui idololatriam & alia scelera dissimulabant, & publice colebant idola, quæ ipsi irridebant.

4. (*a*) An exuberantem Dei bonitatem & patientiam contemnis? *Et longanimitatis*, qui pœnam in longum differt tempus, atque in ea securitatem & impunitatem tibi promittis.

7. (*b*) Qui in bonis operibus constantes, *incorruptionem*, immortalitatem quærunt; *vitam æternam*. Græci Interpretes sic exponunt, *vitam æternam quærentibus gloriam & honorem*, supple, reddet.

8. (*c*) Contentiosis, *ira & indignatio*, supple, reddetur, seu gravis punitio. *Judæi primum*; Quod Judæi priores sint vocatione, & a Deo majora acceperint beneficia.

11. (*d*) Non exteriora quædam, ut generis nobilitatem, aut opes, sed merita tantummodo respicit Deus.

12. (*e*) Sine lege scripta, aut Mosaica, ut Gentiles: *sine lege peribunt*, ne forte sibi persuaderent se fore impunitos, quod legem non acceperint, ut Judæi.

14 (*f*) Quæ scriptam non habent legem, *naturaliter*, per liberum voluntatis motum divina adjutum gratia, *faciunt*, his conscientia est vice legis, quæ eos excusat, aut pungit, cum bene, vel male agunt.

15. (*g*) Gr. λογισμῶν, quæ vox significat cogitationes cum disceptatione, & ratiocinatione conjunctas: cogitationes illic pro conscientia, quæ præcessit, sumuntur.

16. (*h*) Græc. *In diem*, id manifestum fiet in die judicii. Sic videtur ordinanda lectio: *Cum Deus judicabit occulta hominum per Jesum-Christum: secundum Evangelium meum*, sicut prædicare & docere soleo, Deus judicabit per Christum, ut nunc per eum salvat.

17. (*i*) Jam ad Judæos solos sermonem suum convertit. In Græcis quibusdam codicibus legitur ἴδε, ecce, in aliis εἰ δὲ, *si autem*; an quia Judæus es, confidis te esse ducem cæcorum, & gloriaris in Deo, quod unum colas Deum: in nuda ejus cognitione, & exteriore cultu confisus, de reliquo male securus, inflatus scientia, prævaricationi addens superbiam:

20. (*k*) Gr. imperitorum. *Habentem formam in lege*, quæ est regula & norma rerum agendarum.

21. (*l*) Basilius Homil. 16. *Contumelia legislatoris est legum contemptus.*

22 (*m*) Alludit ad locum Isaiæ, cap. 52. vers. 5 juxta septuaginta Interpretes, *Propter vos semper nomen meum blasphematur in Gentibus.*

25 (*n*) Sua quidem tempore profuit, vel prodest, non carnali, sed spirituali modo intellecta pro cordis circumcisione, quæ verum est fœdus cum Deo sancitum.

28. & 29. (*o*) Duplex Judæorum & circumcisionis genus distinguit, exteriorem scilicet Judæum, aut circumcisionem, & interiorem in spiritu, non littera. Laus cum Judæi, tum circumcisionis verorum, a Deo pendet, non ab hominibus.

CAPUT III.

In quo Judæi Gentibus antecellunt; utrique sunt in peccato, nec liberantur a peccato ex Legis operibus.

1. QUid ergo amplius (*a*) Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis?
2. Multum (*b*) per omnem modum. Primum
*Inf. 9. 4. quidem quia * credita sunt illis eloquia Dei.
3. Quid enim si quidam illorum non credi-
*2. Tim. 2. 13. derunt (*c*)? * Numquid incredulitas illorum
fidem Dei evacuabit? Absit.
*Joan. 3. 33. 4. * Est autem Deus verax (*d*): * omnis
* Ps. 115. 11. autem homo mendax, sicut scriptum est: * Ut
* Ps. 50. 6. justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum
judicaris.
5. Si autem iniquitas nostra justitiam Dei
commendat (*e*), quid dicemus? Numquid ini-
quus est Deus, qui infert iram?
6. (Secundum hominem dico). Absit: alio-
quin quomodo judicabit Deus hunc mundum?
7. Si enim veritas (*f*) Dei in meo menda-
cio abundavit in gloriam ipsius: quid adhuc
& ego tamquam peccator judicor?
8. Et non (sicut blasphemamur, & sicut ajunt
quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant
bona: quorum damnatio justa est.
9. Quid ergo: præcellimus eos (*g*)? Nequa-
*Gal. 3. 22. quam. * Caussati enim sumus Judæos, & Græ-
Sup. 1. 17. Inf. 11. 9. cos omnes sub peccato esse,
* Ps. 13. 3. 10. Sicut scriptum (*h*) est: * Quia non est
justus quisquam:
11. Non est intelligens, non est requirens
Deum.
12. Omnes declinaverunt, simul inutiles fa-
cti sunt, non est qui faciat bonum, non est
usque ad unum (*i*).
13. * Sepulcrum patens est guttur eorum, * Ps. 139. 4.
linguis suis dolose agebant: * Venenum aspi- * Ps. 5. 11. Jac. 3. 8.
dum sub labiis eorum:
14. * Quorum os maledictione & amaritudi- * Ps. 9. 7.
ne plenum est:
15. * Veloces pedes (*k*) eorum ad effunden- * Is. 59. 7. Prov. 1. 16.
dum sanguinem:
16. Contritio & infelicitas in viis eorum:
17. Et viam pacis non cognoverunt:
18. * Non est timor Dei ante oculos eorum. * Ps. 35. 1.
19. * Scimus (*l*) autem, quoniam quæcum- * Gal. 2. 16.
que lex loquitur, iis, qui in lege sunt, lo-
quitur: ut omne os obstruatur, & subditus
fiat omnis mundus Deo:
20. Quia ex operibus legis non justificabitur
omnis caro (*m*) coram illo. Per legem enim
cognitio peccati.
21. Nunc autem sine lege justitia (*n*) Dei
manifestata est: testificata a lege & Prophetis.
22. Justitia autem Dei per fidem Jesu Chri-
sti, in omnes & super omnes, qui credunt in
eum: non enim est distinctio:
23. Omnes enim peccaverunt, & egent (*o*)
gloria Dei.
24. Justificati (*p*) gratis per gratiam ipsius,
per redemptionem, quæ est in Christo Jesu,
25. Quem proposuit Deus propitiationem per
fidem in sanguine (*q*) ipsius, ad ostensionem
justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium
delictorum
26. In sustentatione Dei, ad ostensionem Ju-
stitiæ ejus in hoc tempore: ut sit ipse justus,
& justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.
27. Ubi

CAP. III. 1. (*a*) Objectioni occurrit: nam videbatur superiori capite circumcisionem omnino deprimere. *Quid ergo*, inquiunt, habet Judæus præ Gentili, si præputium Gentili credenti imputandum sit circumcisione?

2. (*b*) Multæ sunt Judæorum prærogativæ, de quibus c. 9. vers. 4. & 5. sed ea præcipua est, quod uni populo Judaico credita sint & commissa Dei oracula.

3. (*c*) Quid tum enim, si quidam eorum in sua perstiterint perfidia, an irritas Dei promissiones efficiet eorum incredulitas? *Evacuabit*, quidam codices habent, *evacuavit*.

4. (*d*) Gr. *Sit verax*. Interpres forsan scripserat, *esto*, ac littera o, excidit, ut suspicatur Gagnæus. Cum omnis homo in verbis suis mendax, & in promissis fallax; utrumque longe abest a Deo: *Ut justificeris*, ut justus agnoscaris, *& vincas*: ut, eventum significat, non caussam: ut victor in caussa tua pronuntieris, cum aliquis de tuis factis judicare ausus fuerit, quasi non stes promissis. Exemplo Davidis probat ob Judæorum incredulitatem irritas non fieri Dei promissiones: cum generatim populo Dei, non singulis Judæis factæ sint a Deo promissiones. Incredulitas eorum, aut perfidia veritati & justitiæ divinæ in præstandis promissis majorem affert splendorem. Justitiam Dei vocat, quam in liberanda fide promissorum sibi debet Deus.

5. & 6. (*e*) Tacitam objectionem occupat, peccatores a Deo juste puniri non posse, si Dei justitiam magis commendant & illustrant quodammodo. *Qui infert iram*, seu pœnam, *secundum hominem dico*: More carnalium hominum loquor: *Absit*. hanc impiam statim rejicit blasphemiam manifesto falsam, ac breviter respondet mundum a Deo judicatum non iri, si Deus esset injustus.

7. & 8. (*f*) Objectionem adversarii urget acrius. Quod si meum mendacium in Dei laudem cedit, & ejus veritatem in præstandis promissis commendat magis, cur condemnor ut peccator? immo & hinc videtur concludi oportere facienda esse mala, ut majora inde eveniant bona, cum ex iis Dei gloria fiat illustrior: uti malevoli nobis falso tribuunt hanc impietatem. Responsione in caput sextum dilata, id unum subjicit. *Quorum damnatio justa est*; qui scilicet ita sentiunt, quique eo nomine merito damnandi sunt, uti & ii qui falso asserunt hæc a nobis prædicari. Nullum enim malum cujusvis boni caussa faciendum; tametsi id quandoque est tolerandum, sed illud committendum non est, ut id faciamus quod Deus vetat, quodcumque ex eo veniat bonum.

9. (*g*) Gentiles? *Nequaquam*: Neque id pugnat cum ipso hujus capitis initio. Hoc enim in loco agitur de meritis utriusque, qua in re pares existunt: tum vero de beneficiis in Judæos a Deo collatis agebatur. *Caussati enim sumus*, caussas attulimus, quod omnes æque sint peccatorum rei.

10. & 11. (*h*) Psalm. 13. ex variis Scripturæ testimoniis probat omnes esse peccatores, neminem esse justum, nisi ex gratia Dei, neminem esse sapientem.

12. 13. & 14. (*i*) Ne unus quidem ex conditione sua naturali, aut ex natura sua. *Sepulcrum patens*; obscœna sunt eorum verba, dolis plena & calumniis. Psalm. 13. *Linguis suis dolose agebant*; amaritudine, verborum acerbitate, calumniis.

15. 16. & 17. (*k*) Isaiæ 59. membra omnia peccatoris serviunt iniquitati. Contritio, eo tendunt ut alios opprimant. *Et viam pacis*, Proverb. 18. Non est pax impiis.

19. (*l*) Ne forte Judæi sibi persuaderent hæc non ad se, sed ad Gentes pertinere; *ut omne os obstruatur*, ne sibi blandiantur, quasi sint ab iis peccatis immunes; *& subditus*, ut omnes se Deo obnoxios agnoscant.

20. (*m*) Ex iis quod sibi erat propositum concludit Apostolus, per legem justificari neminem coram Deo, per eam peccatum cognosci, non deleri. Homini suam fœditatem occultat superbia, lex detegit, mundat gratia.

21. (*n*) Postquam Apostolus ostendit nec Philosophorum placitis, nec Legis Mosaicæ, præceptis justificari homines, id demum colligit per solam fidem, seu Christianam religionem nos justos effici, justitiæ Dei, quia justi sumus coram Deo: *Manifestata est*, cui justitiæ testimonium perhibent Lex & Prophetæ.

23. (*o*) Græc. *Destituuntur*, non habent unde coram Deo glorientur, vel egent gratia Dei

24. (*p*) Quamobrem ex mera Dei misericordia sine meritisque præcesserint, justi efficimur; *Per redemptionem*, quam, gratiam Christus suo sanguine nobis acquisivit.

25. & 26. (*q*) Oblato sanguine suo in sacrificium, ut per eum nos Deo reconciliaret. *In sustentatione Dei*, postquam omnibus retro sæculis peccata hominum quasi dissimulando toleravit, tandem his temporibus, cum omnes essent in peccato constituti, justitiam suam ostendit, quam iis largitus est, *qui sunt ex fide Jesu Christi*, qui credunt in Christum Deum & hominem, quique ad ostensionem justitiæ Dei, veteris Adæ noxam eluit proprio sanguine.

27. Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum (*r*)? Non: sed per legem fidei.

28. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis.

29. An Judæorum Deus tantum? nonne & Gentium? Immo & Gentium.

30. Quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.

31. Legem ergo destruimus (*f*) per fidem? Absit: sed legem statuimus.

CAPUT IV.

Exemplo Abrahæ probat neminem justificari, nisi per fidem in Christum.

1. QUid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem?

2. Si enim Abraham ex operibus (*a*) justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.

* Gen. 15. 6. Gal. 3. 6. Jac. 2. 23. 3. Quid enim dicit Scriptura? * Credidit Abraham (*b*) Deo: & reputatum est illi ad justitiam.

4. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.

5. Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei.

6. Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto (*c*) fert justitiam sine operibus:

* Ps. 31. 1. 7. * Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

8. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.

9. Beatitudo ergo hæc in circumcisione (*d*) tantum manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam.

10. Quomodo ergo reputata est? in circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio.

* Gen. 17. 10. & 11. 11. * Et signum (*e*) accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei quæ est in præputio: ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad justitiam:

12. Et sit pater circumcisionis, non iis tantum, qui sunt ex circumcisione, sed & iis, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.

13. * Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut hæres esset mundi: sed per justitiam fidei (*f*). * Gal. 3. 18. Hebr. 11. 9.

14. Si enim qui ex lege, hæredes sunt: exinanita est fides, abolita est promissio.

15. Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex: nec prævaricatio.

16. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed & ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum

17. (Sicut scriptum est: * Quia patrem multarum gentium posui te) ante Deum, cui credidit, qui vivificat (*g*) mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt. * Gen. 17. 4.

18. Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei: * Sic erit semen tuum. * Gen. 15. 5.

19. Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum: & emortuam vulvam Saræ:

20. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo:

21. Plenissime sciens quia quæcumque promisit, potens est & facere.

22. Ideo & reputatum est illi ad justitiam.

23. Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam:

24. Sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, * qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis; * 1. Petr. 1. 21.

25. * Qui traditus (*h*) est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. * Isa. 53. 6. 1. Petr. 1. 3.

CAPUT V.

Qui sint fidei fructus; antitheses inter Adamum, & Christum; per Legem abundavit delictum.

1. JUstificati ergo ex fide (*a*), pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum:

2. * Per

27. & 29 (*r*) Sic vocat legem Mosaicam: *Sed per legem fidei*, per Christianam religionem. *Immo & Gentium:* Sic enim Deus & Judæos & Gentiles ex æquo salvat.

31. (*f*) Pervulgatæ Judæorum objectioni occurrit, quasi hæc doctrina Legem destrueret: sed respondet eam adeo non destrui per fidem, ut per eam stabiliatur, & perficiatur; quod enim Lex imperat, fides impetrat.

CAP. IV. 2. (*a*) Legis: Quod si ex circumcisione ipsa Abraham fuit justificatus, gloriari potuit justam sibi mercedem esse redditam: sed Scripturæ testimonio contrarium evincitur.

3. & 5. (*b*) Promissioni Dei; *Et reputatum est ei ad justitiam:* Quare justitia non ut merces operi debita, sed instar gratiæ huic reddita est: *Secundum propositum gratiæ Dei*, prout decrevit Deus gratiam illi conferre: gratis eam accepit, non ex justitia, quasi illi deberetur.

6 (*c*) Gr. λογίζεται, imputat, cui justitiam gratis largitur.

9. (*d*) Gr. *In circumcisionem, an in præputium?* An ad Judæos tantum, non ad Gentiles pertinet? vel certe Apostolus tempus ipsum, quo Abraham justificatus est per fidem, videtur respicere. Cum enim promissioni Dei credidit nondum erat circumcisus.

11. (*e*) *Sigillum*, quo gratia jam collata, ut rata habebatur, idque rei apponitur ad tempus occultandæ, & certo tempore declarandæ. Circumcisio sigillum erat justitiæ fidei, quam habuerat Abraham in præputio, quæque in lege occultata, in Evangelio erat revelanda. *Credentium:* idcirco ante justificatus fuit, quam circumcisus, ut esset incircumcisorum omnium Pater, ut & circumcisorum. Ante circumcisionem justificatus fuit, ut Pater esset Gentilium: post circumcisionem, ut Pater Judæorum; *Per præputium*, in præputio.

13 (*f*) Non legis merito, quæ nondum erat accepta; *sed per justitiam fidei*, promissum fuit Abrahæ, *ut hæres esset mundi*, ut mundum universum possideret in semine suo, per Christum videlicet, in totius mundi conversione. Quæ promissio impleta est non per legem, sed per fidem.

17. 18 & 20. (*g*) Ex duplici capite fidem Abrahæ commendat, ex filii sacrificio, & ex senili ætate conjugis, cum filium peperit. *Qui contra spem;* qui cum naturaliter prolem sperare non posset, Deo tamen promittenti credidit se patrem fore multarum Gentium. *In repromissione*, Gr. *Ad hanc Dei promissionem*.

25. (*h*) Ut nostra expiaret delicta. *Et resurrexit;* Christi resurrectio fidem omnium mysteriorum complectitur.

1. (*a*) Non ex Lege; *Habeamus* Gr. *Pacem habeamus cum Deo*, in gratiam redimus cum Deo. Atque hic est primus veræ justitiæ effectus, reconciliatio nostra cum Deo, quam neque Lex, neque humana philosophia potuerunt efficere. CAP. V.

Eph. 2. 18. 2. * Per quem & habemus accessum per fidem in gratiam (*b*) istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.

Jac. 1. 3. 3. Non solum (*c*) autem, sed & gloriamur in tribulationibus: * scientes quod tribulatio patientiam operatur:

4. Patientia autem probationem (*d*), probatio vero spem,

5. Spes autem non confundit (*e*): quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Heb. 9. 14. 1. Pet. 3. 18. 6. Ut quid (*f*) enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus * pro impiis mortuus est?

7. Vix enim pro justo quis moritur (*g*); nam pro bono forsitan quis audeat mori?

8. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus

9. Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.

10. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus: multo magis (*h*) reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.

11. Non solum autem: sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus (*i*).

12. Propterea (*k*) sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

13. Usque ad legem enim peccatum (*l*) erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.

14. Sed regnavit (*m*) mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri.

15. Sed non sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit (*n*).

16. Et non sicut per unum peccatum, ita & donum: nam judicium quidem ex uno in condemnationem (*o*): gratia autem ex multis delictis in justificationem.

17. Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.

18. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem (*p*) vitæ.

Phil. 2. 8. 19. * Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obedientiam, justi constituentur multi.

20. (Lex autem subintravit ut abundaret (*q*) delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia:

21. Ut sicut regnavit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.

CA-

2. (*b*) Justificationis, & reconciliationis; *In qua stamus*, in qua perseveramus, & gloriamur in spe æternæ felicitatis; atque hic est secundus justificationis effectus.

3. (*c*) Supple. gloriamur *in ea spe filiorum Dei*, quam futuræ gloriæ habent filii Dei, sed etiam in iis omnibus quæ ad eam perducunt; cujusmodi sunt quæ sequuntur; nempe læto & securo animo perpeti hujus vitæ afflictiones, quod cum futura gloria sunt conjunctæ: *Scientes quod tribulatio*, nos ad patientiam exercet.

4. (*d*) Nos a pravis affectibus tamquam a contractis sordibus expurgat, ut ignis aurum in fornace purius efficit; *Probatio vero spem*, cujus est velut fundamentum, eamque firmam efficit.

5. (*e*) Nos non fallit, Gr. Non *pudefacit*, ut iis accidit, qui spem suam ponunt in hominibus: neque enim id consequuntur quod speraverant: contra iis evenit qui spem omnem suam in Deo collocant. Nam Spiritum sanctum acceperunt ut pignus & arrhabonem Regni cælestis.

6. (*f*) Gr. ἔτι γὰρ; *Jam enim*, ut forte legebatur εἰς τί, *Ad quid enim*. Quorsum enim Christus mortuus est, cum adhuc peccatores essemus, nisi ut in eam spem nos erigeret? *Secundum tempus*, tempore a Patre constituto, & a Prophetis prædicto; vel ad tempus, scilicet per triduum.

7 & 8 (*g*) Ut opponat ei quod dixerat Christum pro impiis mortuum, cum vix invenias qui pro justi vita tuenda mori velit; *In nobis*, Gr. εἰς ἡμᾶς, *In nos*.

10. (*h*) Qui peccatores Deo reconciliavit per mortem suam gloriosam. Qui vitam inimicis suis dedit, hanc multo magis amicis dabit.

11. (*i*) Non solum reconciliati sumus Deo, sed & in Deo gloriamur, quod in ejus familiam adsciti sumus per Christum. Itaque hi sunt justificationis nostræ fructus, pax cum Deo, spes futuræ gloriæ, securus & lætus animus in ipsis tribulationibus, & auxilium divinum. Jam utrumque statum justitiæ & peccati sic confert inter se, ut justitiæ vim peccati stragi longe anteponat: sed prius ab utriusque origine sumit initium.

12. (*k*) Gr. διὰ τοῦτο, propterea *sicut per unum hominem*, ut in oratione Dominica, *Sicut in cælo, & in terra*. Videtur Origeni hoc in loco esse elliptica, *Sicut per unum hominem peccatum*, ita per ipsum hominem est justificatio, sed alterum comparationis caput redditur v. 18. Duplex vero objectio illius occurrit animo adversus hanc generalem peccati labem; primum enim videntur excipiendi omnes, qui ante Mosis legem vixere, qui legem violare non potuerunt, cum nulla iis data esset; tum infantes ipsi, ut rationis, sic peccati expertes: utrique objectioni respondet Apostolus, & omnes ante legem peccato obnoxios docet. *In quo*, in Adamo, *omnes peccaverunt*.

13. (*l*) Tametsi coram hominibus non imputabatur, quod nulla lex positiva pœnam imposuisset sceleribus.

14. (*m*) Sed mors in genus humanum grassata est, *etiam in eos*, adeo ut infantes ipsos, qui instar Adæ ultro & voluntarie prævaricati non sunt, penitus involvat. *Qui est forma futuri*, Typus secundi Adæ, ut mox disputatus est, ad interruptam comparationem rediturus, sic tamen ut justitiæ vim præ peccati ruina extollat.

15. (*n*) Non enim solum Adæ, sed & cetera delevit peccata, ac præterea vitam donavit immeritis. *Multi*, id est, omnes; *Multo magis gratia Dei*, &c. Non quod plures justificentur, quam condemnentur. Græce enim non πλείονες, seu *plures*; sed πολλοὺς, id est *multos*, legimus, quod gratia Christi plus valuerit in justificando, quam peccatum Adæ in occidendo: ita ut non comparate plures, sed positive multi exprimantur.

16 & 17. (*o*) Justitiæ & peccati fontes superius inter se contulit, nunc de subjecta utrique materia disserit. Unius peccati commissio hominum condemnationi satis fuit; sed gratiæ donum post innumera peccata justificavit homines. Græci legunt, Et non *sicut per unum peccatorum donum*; ubi est ellipsis frequens in Epistolis Pauli: sensus hic est, non tale donum est, qualis fuit per unum peccatorem prævaricatio. *Ex uno*, vel peccato, ut noster legit, vel peccatore, ut Græci legunt; ex uno tantum delicto Adæ in judicium ac condemnationem incurrimus: post multa autem delicta cum originis, tum actu commissa, justitiam accipimus, eamque largitur Christi gratia.

18. (*p*) Institutam occidentis peccati, & justitiæ vivificantis comparationem, quoad generalem utriusque effectum, & principii unitatem prosequitur. *In omnes homines*: sic manavit, ut quemadmodum peccati originis labes omnes inficit, qui nascuntur per Adamum, ita omnes, qui justificantur, per Christum vitam accipiunt: qui scilicet a Christo per spiritualem generationem descendunt: *In justificationem vitæ*, qua a morte peccati in gratiæ vitam revocantur.

20. & 21. (*q*) Particula, *ut*, eventum signi ficat, non caussam; hoc est, propterea factum fuit, ut delictum abundaret ex occasione. *In mortem*: Hominibus mortem inferens.

CAPUT VI.

Dixerat Apostolus: Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia. Hinc statim animum subire potuit hæc cogitatio: Permanendum igitur est in peccato, ut superabundet gratia. Huic tacitæ objectioni occurrit, quasi nobis liceret esse malos, quia Deus bonus est.

1. QUid ergo dicemus? permanebimus in peccato ut gratia abundet?

2. Absit. Qui enim mortui sumus peccato (*a*), quomodo adhuc vivemus in illo?

3. An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo (*b*) Jesu, in morte ipsius baptizati sumus?

* Gal 3.27. Coloss. 2.12. 4. * Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem (*c*): ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, *

* Ephes. 4.23. Hebr. 12.1. 1 Pet. 2.1. & 4.2.3. ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

5. Si enim complantati (*d*) facti sumus similitudini mortis ejus: simul & resurrectionis erimus.

6. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato (*e*).

7. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato.

8. Si autem mortui sumus cum CHRISTO; credimus quia simul etiam vivemus cum Christo:

9. Scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.

10. Quod enim mortuus est peccato (*f*), mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.

11. Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro.

12. Non ergo regnet (*g*) peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.

13. * Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes: & membra vestra arma justitiæ Deo. * Coloss 3.5.

14. Peccatum enim vobis non dominabitur (*h*): non enim sub lege estis, sed sub gratia.

15. Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia (*i*)? Absit.

16. * Nescitis (*k*) quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam? * Joann. 8.34. 2. Petr. 2.19.

17. Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi (*l*) estis.

18. Liberati autem a peccato, servi (*m*) facti estis justitiæ.

19. Humanum (*n*) dico, propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.

20. Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ (*o*).

21. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.

22. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.

23. Stipendia (*p*) enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro.

CA-

CAP. VI. 2. (*a*) In dativo casu. Moritur enim peccato, qui penitus abstinet a peccato. Qui fieri potest, ut qui per baptismum vivimus, & peccatum abjecimus, vitam in peccato inveniamus?

3. (*b*) Gr. *In Christum*, ad similitudinem mortis ejus: *In morte*, Gr. *In mortem*; Baptismus ad effigiem quodammodo; immersio ipsa quæ tum temporis erat usitata, mortem & sepulturam Christi exhibebat; emersio illius resurrectionem: adeo ut baptismus mortem, sepulturam & Christi resurrectionem exprimat.

4. (*c*) Ita ut omne cum peccato commercium abrumpatur, ut Christus in sepulcro ab omni hominum societate sejunctus fuit. *Per gloriam Patris*, virtute gloriosi & omnipotentis Patris sui.

5. (*d*) Gr. *Insiti*, per similitudinem mortis ejus, ad similitudinem quoque resurrectionis ejus erimus: ut ramus communi succo vivit cum arbore: moriente arbore hiemis tempore, ramus quoque huic insitus moritur; illa veris tempore reviviscente, ramus reviviscit; Christus resurgendo vitam mortalem exuit.

6. & 7. (*e*) In cupiditate, & in peccatis ex ea nascentibus; corpus peccati sunt prava opera. *A peccato*, Qui mortuus est cum Christo per baptismum, is liberatus est a peccato.

10. (*f*) Ut id destrueret; *Mortuus est semel*, non ultra moriturus: sic peccatum semel per baptismum deletum, non debet iterum reviviscere. *Vivit Deo*; de Deo, & propter Deum vivit vita immortali, cui participare debemus, ut suscitati per Baptismum deinceps vivamus Deo, & propter Deum. Nobis vivimus in Adam vita quam accepimus ab eo; vivimus Deo per Christum vita gratiæ quam accepimus in Baptismo.

12. & 13. (*g*) Objectionem initio propositam ex mysteriis Christianæ Religionis hactenus evertit; nunc ex libertate, quam lex nova nobis attulit, eamdem diluit objectionem; simul & nos adhortatur ne pravis affectibus pareamus, sed ut nos totos Deo permittamus tamquam mortuos, & a Deo suscitatos, ut membra nostra exhibeamus, ut arma pietatis & justitiæ exercendæ destinata, non ut peccati instrumenta.

14. (*h*) Ne forte pravas obtenderent consuetudines; in lege quidem peccatum vestri dominabatur: sed gratia vim ejus & tyrannidem infregit.

15. (*i*) Horum verborum occasione. *Sed sub gratia*, objectionem initio propositam repetit & refellit. *Absit*, immo contrarium potius hinc colligi debet, nempe omnino abstinendum a peccato.

16. (*k*) Peccati & justitiæ fructus inter se comparat. *Sive obeditionis*; obedientiam pro fide usurpat.

17. (*l*) Quod cum fueritis servi peccati, obedistis ad eum modum, quem Evangelium præscribit, ad cujus formam instituti fuistis. *In quam*, quæ vobis tradita est.

18. (*m*) Justitiæ legibus mancipati. Quamobrem peccatis servire vobis fas non est, nisi violata fide, quam dedistis Deo per Baptismum.

19. (*n*) Quod in usu & societate hominum positum est, hoc tantum vobis dico; servus non sibi, sed domino laborat: vel rem a vobis postulo non adeo difficilem, id unum peto ut tantum justitiæ tribuatis, quantum immunditiæ & iniquitati tribuistis; *In sanctificationem*, ut sancti sitis.

20. (*o*) In dativo casu: tum a lege justitiæ liberi non ei serviebatis.

23. (*p*) Hic est peccati fructus, hoc stipendium, quod instar Regis militibus rependit suis; non addit, ut antitheseos membra sibi respondeant, stipendium justitiæ vita æterna, ne tantum bonum nobis tribuamus, tametsi ex meritis datur: sed merita ipsa sunt gratiæ dona. *In Christo Jesu*, per Christum & ejus merita.

CAPUT VII.

Qua & qualis sit peccati servitus, idque ex Legis servitute illustrat; simul quod illi erat propositum, ostendit per Legem Mosaicam justificari neminem coram Deo, nosque per fidem in Christum Jesum ab eo Legis jugo esse liberatos. Quia Lex homini, quamdiu vivit, dominatur; atque ex matrimonii similitudine eos jam non esse Legi obnoxios probat. Lex est vice mariti, eaque mortua est per Christi mortem. Christus est instar secundi mariti, cui nupsimus mortua Lege.

1. AN ignoratis, fratres, (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit?

* 1. Cor. 7. 39. 2. * Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri.

3. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri: ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.

4. Itaque fratres mei, & vos mortificati (*a*) estis legi per corpus Christi: ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo.

5. Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur (*b*) in membris nostris, ut fructificarent morti.

6. Nunc autem soluti sumus a lege (*c*) mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate litteræ.

7. Quid ergo dicemus? lex peccatum (*d*) est: Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam,
* Exod. 20. 17. Deut. 5. 21. nisi lex diceret: * Non concupisces.

8. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam (*e*). Sine lege enim peccatum mortuum erat.

9. Ego autem vivebam (*f*) sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit.

10. Ego autem mortuus (*g*) sum: & inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.

11. Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit.

12. * Itaque lex quidem sancta (*h*), & mandatum sanctum, & justum, & bonum. * 1. Tim. 1. 8.

13. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors (*i*)? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem: ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.

14. Scimus enim quia lex spiritualis (*k*) est: ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato.

15. Quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio (*l*).

16. Si autem quod nolo, illud facio: consentio legi, quoniam bona est.

17. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum (*m*).

18. Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum (*n*). Nam velle, adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio.

19. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago (*o*).

20. Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor (*p*) illud, sed quod habitat in me, peccatum.

21. Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet:

22. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem (*q*):

23. Video

CAP. VII. 4. (*a*) Lex in vobis mortua est omni actione destituta; *Per Corpus Christi*, in cruce mortuum; *Ut fructificemus Deo*: Qui fructus ex hoc spiritali cum Christo conjugio nascuntur uberrimi. Justa anima sponsi gratia fœcundata, & Christo conjuncta, bona opera quasi liberos parit.

5. (*b*) Non ita res se habuit in Synagogæ fœdere; cum lex servabatur carnaliter, non ex amore Dei: tum enim secundum carnem sub lege vivebamus. *Passiones peccatorum*, peccandi affectus, qui per legis prohibitionem acrius insurgebant, & quasi irritati crescebant: *Ut fructificarent morti*, ut fructus mortis afferrent, pravas videlicet actiones.

6. (*c*) Quæ cum vivificare non posset, mortem ex occasione inferebat transgressoribus. Gr. *Mortuo eo in quo detinebamur*, quod nos tenebat captivos; in cujus potestate eramus. Vox Græca κατειχόμεθα, eos significat, qui alieno ducuntur arbitrio; sic lex vinctos innumeris cæremoniis tenebat Judæos.

6. (*d*) Id videbatur sequi ex iis, quæ dixerat Apostolus, passiones peccatorum per legem ut caussam irritatas operari in membris nostris. Hanc utique pravam rejicit consecutionem, simul & exponit, quæ a lege ut a caussa, quæque ab ea ut ab occasione manant. Lex per se efficit peccati cognitionem. *Sed peccatum non cognovi*; vim illius & tyrannidem non novi, *nisi per legem*. *Concupiscentiam*, quæque essent prava desideria nesciebam.

8 (*e*) Nam passiones inordinatæ, & pravi affectus tum minus excitabantur: peccati nomine concupiscentiam, aut peccati fomitem designat.

9. (*f*) Quasi vivens mihi videbar; nondum eram prævaricator, tametsi peccator eram: sed postquam lex data est, peccatum vitiatæ naturæ inhærens occasione sumpta revixit.

10. (*g*) Æternæ morti manifesto factus sum obnoxius. Quod ante latebat, prohibitionis occasione vim suam exeruit. Id vero non legi tribuendum, sed corruptioni nostræ, quam sola sanat gratia.

12. (*h*) Hinc concludit Apostolus legem sanctam esse & mandatum sanctum, ut a Deo sancita, atque ut sancta præcipiunt. Sic objectionem propositam diluit, & concludit legem ex se bonam esse & sanctam. Legem interdum pro jure potestatis, & dominio, interdum pro præcepto sumit.

13. (*i*) Alteri occurrit objectioni, rem bonam & justam nobis mortem intulisse. Id vero negat Apostolus: non enim lex ipsa, sed peccatum ante incognitum legis occasione sumpta nos occidit, tumque id manifesto apparuit, & minus excusandum. Ut fiat, Gr. *Ut fieret supra modum peccator*; ut totum peccati ipsius venenum palam fieret; vel ut concupiscentia fiat supra modum potens ad peccandum, irritata per legem.

14. (*k*) Ea præcipit, quæ sancta sunt, ut sequamur virtutes, vitia fugiamus. *Carnalis sum*, obnoxius affectibus, qui in peccatum nos ducunt. Non enim ab eo peccati fomite nos eximit lex nova; concupiscentia in Sanctis non extinguitur. *Venumdatus sub peccato*, quasi servus emptitios, gemens sub peccati tyrannide.

15. (*l*) In primis illis motibus qui rationi præveniunt; *Non intelligo*, non approbo, ut legi contrarium odi. Sed alia est ratio Judæi, qui est sub lege: nam deliberatio & voluntate fructus mortis operatur; legis sanctitatem agnoscit, sed præ concupiscentia legis jugum ferre non potest.

17. (*m*) De seipso ut de homine sub gratia constituto loquitur, qui luctatur cum concupiscentia.

18. (*n*) Propter innatam naturæ corruptionem; *In carne mea*, peccato corrupta.

19. (*o*) Per motus indeliberatos. Gr. κακόν, quod defectum magis, quam malitiam, seu vitiositatem quamdam, quæ inclinat ad malum, significat. Non enim, &c. quia imperfecta est voluntas, & concupiscentiæ lex fortior est.

20. (*p*) Non igitur plena voluntate his motibus consensum adhibeo; Gr. Non *amplius ago*; idque ex versiculo insequenti fit manifestum.

22 (*q*) Etiam cum experitur aliam legem in membris suis. Duplicem velut hominem nobis exhibet Apostolus, legem itidem duplicem, interiorem scilicet, seu spiritalem, & carnalem; legem carnis & mentis. Lex carnis est insitus lapsæ naturæ ad peccandum affectus, qui spiritui resistit: interior homo dicitur quatenus agit ex recta ratione, & gratiæ ipsi obsequitur; exterior, quatenus parti sentienti obsequitur.

23. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem (r) me in lege peccati, quæ est in membris meis.

24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore (ſ) mortis hujus?

25. Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei: carne autem, legi peccati.

CAPUT VIII.

Vita secundum carnem, & vita secundum spiritum sibi invicem opposita; Spiritus in nobis orat; Gratia vires.

1. NIhil (a) ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant.

2. Lex enim spiritus vitæ (b) in Christo Jesu liberavit me a lege peccati & mortis.

3. Nam quod impossibile erat legi, in quo (c) infirmabatur per carnem: Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne,

4. Ut justificatio (d) legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.

5. Qui enim secundum carnem sunt: quæ carnis sunt, sapiunt: qui vero secundum spiritum sunt: quæ sunt spiritus, sentiunt.

6. Nam prudentia carnis, mors (e) est: prudentia autem spiritus, vita, & pax.

7. Quoniam sapientia (f) carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta: nec enim potest.

8. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.

9. Vos autem in carne (h) non estis, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.

10. Si autem Christus in vobis est: corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem.

11. * Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat (h) in vobis: qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. * Act. 3. 15. & 5. 30. & 13. 37. Sup. 4. 24. 1. Cor. 6. 14.

12. Ergo fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus.

13. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

14. Quicumque enim spiritu Dei aguntur (i), ii sunt filii Dei.

15. * Non enim accepistis spiritum servitutis (k) iterum in timore, sed accepistis spiritum * adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater). * 2. Tim. 1. 7. * Gal. 4. 5.

16. Ipse enim Spiritus testimonium reddit (l) spiritui nostro, quod sumus Filii Dei.

17. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur.

18. Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur (m) in nobis.

19. Nam expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat.

20. Vanitati enim creatura subjecta (n) est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe:

21. Quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.

22. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit (o) usque adhuc.

23. Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes; & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes (p), redemptionem corporis nostri.

24. Spe

23. (r) Quod obstet quominus bona desideria exequatur ut vellet: captivat autem non voluntatis confessione, sed vitiosa passionum commotione.

24. & 25. (ſ) Tot pravis affectibus obnoxio. *Gratia Dei*, Gr. εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ, *Gratias ago Deo*: quod cum iis quæ sequuntur, magis cohæret. Igitur parte mei præcipua, ex qua manant actiones humanæ, legi Dei servio; quoad partem animalem, unde actus indeliberati nascuntur, legi concupiscentiæ obnoxius.

CAP. VIII. 1. (a) Renati per Baptismum, etiamsi motus concupiscentiæ sentiant. *Nihil est damnationis*, qui pravis affectibus non obsequuntur; Legi quidem peccati subjiciuntur inviti, sed secundum carnem non ambulant.

2. (b) Lex Spiritus vivificantis, ut Lex peccati & mortis est Lex peccati occidentis. Lex itaque Spiritus, quam Spiritus sanctus infundit animæ, liberavit me, ut non amplius serviam peccato. Hujus libertatis prima velut tentamina cœperunt a Lege Mosaica: sed ea debilior fuit, seu juberet, seu prohiberet, seu denique minaretur, quam ut naturæ corruptæ prava desideria extingueret.

3. (c) Gr. ἐν ᾧ, *Quatenus*, infirmatur per carnalem sui intellectum, vel potius per carnis infirmitatem: cum propter carnem ipsi reluctantem præstare non possit, ut inordinati affectus non dominentur. *Carnis peccati*. Quidam codices Græci habent, *In similitudinem carnis peccatricis*: adeo ut vera esset caro, sed peccatrici similis. In qua utique carne, *de peccato damnavit peccatum in carne*, per corpus Filii sui peccatum sustulit, dum innoxius, & in cruce moriens vim peccati infregit. Atque hæc fuit efficax ratio, qua nos liberavit a Lege peccati, ut Christus fieret hostia pro peccato; in carne innoxia carnem peccatricem crucifixit, ut nos ab ejus servitute liberaret.

4. & 5. (d) Quam Lex non dabat. *Sed secundum spiritum*: esse secundum spiritum, esse in carne, aut secundum carnem, apud Apostolum, constantem & stabilem subjectionis statum significat, qualis fuit Judæorum status sub Lege Mosaica: sed vivere secundum carnem est obsequi carnis desideriis. Sic esse in spiritu, potentiam; vivere secundum spiritum, actum ipsum significat.

6. (e) Animæ, cum secundum carnem vivit, & humana pro magnis habet.

7. (f) Prudentia carnis, media, ut vocant, sapientia finem spectat *Inimica est Deo*, Gr. in *Deum*, quem odio habet quodammodo, ut auctorem præcepti, quod carnis desideriis adversetur.

9. & 10. (g) Sub ejus tyrannide. *Mortuum est*, mortis affectibus obnoxium, propter peccatum Adæ: *Spiritus vero vivit*: Gr. *vita est*.

11. (h) Hoc probat ex resurrectione Christi, in quo erat plenitudo Spiritus sancti, qui corporibus nostris vitam præsentia & inhabitatione sua reddit: *Propter inhabitantem*, Græc. *Per Spiritum sanctum qui inhabitat in vobis*. Hujus inhabitationis & præsentiæ certa præbet indicia.

14. (i) Hæc est inhabitantis in nobis Spiritus insignis nota, cum ejus impulsu agimur.

15. (k) Ut olim Judæi, qui timore tantum, aut spe mercedis temporalis, ut servi, aut mercenarii mandata faciebant. *In quo clamamus*, per quem clamamus, affectu magis, quam voce, *Abba, Pater*: vox illa geminatur, vel majoris affectus exprimendi caussa: vel potius prima est vox ipsa Syriaca, אבא, cui aliam pro interpretatione adjecit.

16. & 17. (l) Per eum clamorem, seu affectum occultum in conscientiæ intimis nos esse filios Dei, atque adeo illius hæredes, & Christi cohæredes. Cui tamen hæreditati percipiendæ ea conditio apponitur, ut cum Christo patiamur.

18. & 19. (m) Quæ suo quidem tempore manifestabitur. *Expectat*: Ex vehementi, ut ita loquar, & anxia creaturarum etiam rationis expertium expectatione, per prosopopœjam quamdam nos ad patientiam adhortatur.

20. (n) Vel corruptioni, vel hominum vanitati quasi invita subjacet: *Sed propter eum*, Vox Græca διὰ τὸν, significat etiam, *per eum*, qui subjecit eam in spe, fore ut aliquando liberetur ab ea servitute.

22. (o) Quod omnes creaturæ libertatem nostram quodammodo exoptent.

23. & 24. (p) Hæreditatem nimirum illam, quæ effectus est adoptionis nostræ: quam spe jam tenemus.

24. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?

25. Si autem quod non videmus, speramus: per patientiam expectamus.

26. Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat (q) pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

27. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret (r) Spiritus: quia secundum Deum postulat pro Sanctis.

28. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum (f), iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti.

29. Nam quos præscivit (t), & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.

30. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit (u): & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.

31. Quid ergo dicemus (x) ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos?

* Gen. 22. 12. 32. * Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?

33. Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat,

34. Quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, immo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

35. Quis ergo nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?

* Ps. 43. 22. 36. (Sicut scriptum est: * Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis.)

37. Sed in his omnibus superamus, propter (y) eum, qui dilexit nos.

38. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo,

39. Neque altitudo (z), neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

CAPUT IX.

Promissiones Judæis factæ non frustrantur, si impleantur in spiritali Israele; de vocatione Gentium.

1. Veritatem (a) dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto:

2. Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.

3. * Optabam (b) enim ego ipse anathema * Act. 9. 2.
esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt co- 1. Cor. 15. 9.
gnati mei secundum carnem,

4. Qui sunt Israelitæ, quorum adoptio (c) est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa:

5. Quorum patres (d), & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

6. Non autem quod exciderit (e) verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ:

7. Neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii: * sed in Isaac vocabitur (f) tibi se- * Gen. 21.
men: 12.

8. Id

26. (q) Hoc quoque aliud est præsentiæ Spiritus sancti indicium, quod orandi nobis præbeat affectum, & pias nobis suggerat preces. *Postulat*, postulare nos facit, & docet: res ineffabiles modo quodam ineffabili postulat.

27. (r) Quid nos desiderare faciat. *Quia secundum Deum;* quod Deo gratum est, postulat.

28. (f) Jam de ultimo effectu justitiæ Christianæ, seu de perseverantia dictatus, caussam illius in Dei providentia positam esse docet, quæ omnes eventus sic disponit, ut cuncta ad Sanctorum bonum conferrent. *Qui secundum propositum:* vox Græca πρόθεσιν, fixum & stabile consilium, habita ratione finis ad cujus propositi, significat. *Vocati sunt sancti;* vox illa, *sancti*, deest in Græco.

29. (t) Scientia approbationis, hos etiam prædestinavit, *conformes fieri*, quando reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ: ut, quemadmodum Christus est primogenitus Dei Patris Filius, ita & nos ejusdem Patris per illum filii sumus adoptione, ut ille est natura filius.

30. (u) A primo gradu ad ultimum pervenitur: non ait, quos præscivit fore conformes Filio suo, hos prædestinavit, ut essent conformes Filio suo. Gradus omnes ad gloriam referuntur. Prædestinatio decernit media quæ electis præparantur. Prima hujus decreti executio est vocatio, tum justificatio, perseverantia denique est ultimum medium, quæ in glorificationem, desinit. Quæ omnia conformitate cum Christo includuntur. Nam in mente Apostoli incepta cum Christo similitudo ad perfectam cum eo conformitatem refertur. Vocatio & justificatio illam inchoant, gloria est ejus perfectio: vocatio & justificatio sunt media, quibus utuntur præscientia & prædestinatio, ut homines perducant ad gloriam, ut ad finem.

31. & 32. (x) Quid ergo salutem nostram impedire poterit? an obstabunt admissa crimina? sed hæc Christi sanguine sunt expiata. *Donavit*, Gr. donabit.

37. & 38. (y) Per eum, qui dilexit nos. Neque mors, neque mortis metus, neque vita, aut spes vitæ hujus, neque Angeli, neque dæmones ipsi quos spoliavit, quos in numerum persecutorum adjiciebat, quique propria retinuerunt nomina; *neque instantia*, Gr. non præsentia, aut futura hujus vitæ bona; *neque fortitudo*, deest in Græco; non violentiæ.

39. (z) Non altitudines, & profunditates satanæ, de quibus Apocal. cap. 2. Vel potius non cælum, non inferi.

CAP. IX.

1. (a) Teste Christo *In Spiritu sancto*, per Spiritum sanctum, qui est conscientiæ meæ testis.

3. (b) Gr. Ηὐχόμην, *Optaverim*, subaudi ἄν; Optarim ego, si liceret, separari a Christo, non tamen ab ejus charitate. Quod si illa separatio cum pœnis æternis conjuncta intelligatur, erit hyperbolica locutio, qualis est Exodi 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro vitæ.* Sed longe probabilius est Apostolum de æterna damnatione non loqui, quæ cum justitia Dei conciliari non potest. Non enim pœnis æternis damnari potest, qui charitatem habet: ac profecto plus debeo salutem meam diligere, quam aliorum mille. Unde longe probabilior videtur Hieronymi interpretatio, qui *anathema* sumit pro *corporis occasione*. Nam *anathemata* Græcis erant homines scelesti, qui ad urbis lustrationem diis manibus mactabantur, si quæ immineret urbi calamitas. Atque ad hujusmodi sacrificia Paulus videtur alludere. Eum dicebant hominem sacrum, & *anathema*, a verbo ἀνατίθημι, *suspendo, consecro*. ἀναθεῖναι, *seponere*, vel *suspendere* significat, vel *donarium suspendere*.

4. (c) Quos Deus adoptavit in filios, Exod. 4. *Et gloria*, quorum major est gloria, quam Gentilium, *& testamentum*, Gr. διαθῆκαι, *& testamenta*, seu fœdera cum iis sancita: *& obsequium*: Græc. λατρεία, sacrorum ritus; *& promissa*, ad quos factæ sunt promissiones, quarum præcipua est Christi adventus.

5. (d) Subaudi, *sunt*: *Et ex quibus*, conjunctio, *Et*, redundat; de quorum gente sancti Patriarchæ prodierunt, ex quibus natus est Christus. *Deus benedictus*, Deus super omnia, aut benedictus super omnia. Græc. πάντων, forte *super omnes*.

6. (e) Hoc autem dico, non quod existimem Dei promissiones factas esse irritas. Nam solis veris Israelitis facta est promissio: neque omnes qui sunt ex Israel secundum carnem, ii sunt veri Israelitæ.

7. (f) Non omnes qui semen sunt Abrahæ, hi filii, aut heredes censentur. Non enim Ismael filius, aut hæres Abrahæ habitus est.

8. Id est, non qui filii carnis, hi filii Dei:
* Gal. 4. 28. sed * qui filii sunt promissionis (g), æstimantur in semine.
* Gen. 18. 10. 9. Promissionis enim verbum hoc est: * Secundum hoc tempus veniam: & erit Saræ filius.
* Gen. 25. 24. 10. Non solum autem (h) illa: * sed & Rebecca ex uno concubitu habens, Isaac patris nostri.
11. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundum electionem propositum Dei maneret)
12. Non ex operibus, sed ex vocante (i) dictum est ei:
* Gen. 25. 13. * Quia major (k) serviet minori, sicut
* Mal. 1. 2. scriptum est: * Jacob dilexi, Esau autem odio habui.
14. Quid ergo dicemus (l)? Numquid iniquitas apud Deum? Absit.
* Exod. 33. 19. 15. Moysi enim dicit (m): * Miserebor cujus misereor: & misericordiam præstabo cujus miserebor.
16. Igitur non volentis (n), neque currentis, sed miserentis est Dei.
* Exod. 9. 16. 17. Dicit enim Scriptura Pharaoni: * Quia in hoc ipsum excitavi (o) te, ut ostendam in te virtutem meam: & ut annuntietur nomen meum in universa terra.
18. Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat (p).

19. Dicis itaque mihi: Quid adhuc quæritur? voluntati enim ejus quis resistit (q)?
20. O homo, tu quis es, qui respondeas * Sap. 15. 7.
(r) Deo? * Numquid dicit figmentum ei, qui Is. 45. 9.
se finxit? Quid me fecisti sic? Jer. 18. 6.
21. An non habet potestatem figulus (s) luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?
22. Quod si Deus volens ostendere (t) iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum,
23. Ut ostenderet divitias (u) gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.
24. Quos & vocavit (x) nos non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus.
25. Sicut (y) in Osee dicit: * Vocabo non * Osee 2. 24.
plebem meam, plebem meam: & non dile- 1. Petr. 2. 10.
ctam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.
26. * Et erit: In loco (z), ubi dictum est * Osee 1. 10.
eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filii Dei vivi.
27. Isaias autem clamat pro Israel: * Si fue- * Isa. 10. 22.
rit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiæ salvæ fient.
28. Verbum enim consummans, & abbrevians in æquitate: quia verbum breviatum faciet (aa) Dominus super terram:

29. Et

8. & 9. (g) Quos non tam semen Abrahæ, quam illius fides genuit, habentur pro filiis Abrahæ. *Verbum hoc est.* De hac enim promissione ita scriptum est: *Secundum hoc tempus*, hoc ipso tempore veniam Gen. 18.

10. (h) Sara nimirum: *Sed & Rebecca.* Alia quoque ratione probat Apostolus carnalem Abrahæ generationem non esse legitimum titulum, quo filii Dei habeantur: probat, inquam, ex electione Jacob præ Esau, ut hæres fieret promissionis divinæ. *Ut secundum electionem*: ut firmum esset decretum Dei juxta æternam electionem. Hoc inter Jacob & Esau discrimine initur, tamquam figura allegorica discriminis, quod est inter electos & reprobos. Nihil tamen obstat, quominus Esau salutem æternam sit consecutus; sed cum ipse & posteri hujus a terra promissionis sint exclusi, quæ Jacob & posteritati ejus concessa est, ut Jacob electorum, sic Esau reproborum typus fuit.

12. (i) Dictum est Rebeccæ ex Dei vocatione, quam Apostolus justitiam gratuitam esse ostendit, non datam ex meritis præcedentibus.

13. (k) Idumæi Israelitis; *Esau autem odio habui*, in posteris saltem, vel ut aliis placet, *minus dilexi*, minorem natu majori prætuli. Itaque typice dictum est, quod Jacob electos saltem ad gratiam, Esau vero reprobos adumbret.

14. (l) An igitur injustitia erit in Deo, qui tantum posuit discriminis inter eos, quorum eadem erat conditio, caussa eadem? Hanc objectionem rejicit Apostolus: primum quod Deus eorum misereatur, quorum vult misereri, nec misericordia ejus ab aliquo pendeat extraneo.

15. (m) Hebr. *Miserebor cui voluero*, clemens ero in quem mihi placuerit; misericordia miseriam supponit, hæc peccatum; non enim exercetur misericordia, nisi in eos qui in peccati miseriam sunt demersi, non erga innocentes, quibus divitias bonitatis suæ largitur Deus, & majorem felicitatem.

16. (n) Græci sic illud exponunt, non est volentis solum, sed divino opus est auxilio. At illud opus est gratiæ ut homo velit, & currat; quod tamen non fit sine illius consensu.

17. (o) Hebr. *Hemaltica*, העמדתיך, *Stare te feci*, Exod. 9. Pharaonis pertinacia Dei potentiam fecit illustriorem: vel, excitavi te, ad regnum te evexi.

18. (p) Ubi cor durum non emollit, indurat deserendo; qui effectus est nostræ rebellionis, quæ consilium Dei, & justitiæ illius gloriam non impedit.

19. (q) Photius in hunc locum: Vides, inquit, quomodo dubitantis hujus solutio alterius est occasio dubii. Idcirco præstat hujusmodi caussas non inquirere, aut si inquiras, majorum dubiorum caussas pro solutione afferre. Est enim ingenui & non ingrati servi ab ipso opifice & domino rerum caussas non exigere, sed de omnibus quæ agit, gratias illi reddere. Frustra pravitatem nostram in Deum, cur est sanctitas ipsa, conjicimus. Hinc potius concludamus, mandatis Dei nos obsequi oportere, quandoquidem voluntati ejus nemo resistit. Sic enim Apostolus obstruit os hominis, qui vult cum Deo contendere, cum sit vilis & abjecta creatura, in peccato nata.

20. (r) Suprema lex est voluntas Dei semper justa, etsi non semper nobis cognita. Deus veritas est, huic credendum, justitia ejus & voluntas adoranda.

21. (s) Utrum Apostolus eamdem massam, sive puta sit, sive corrupta, in universum intelligat, hoc loco non excutio. Quæstio est late fusa, quæ in tam brevibus scholiis, ut par esset, tractari nequit.

22. (t) Si velit justam iram ostendere, ac se ultorem esse scelerum, quid ad te? *Vasa iræ apta in interitum*; aptata præ malitia eorum.

23. (u) Ad gloriam. Vasis misericordiæ præparavit Deus media ad gloriam, non item reprobis paravit media ad damnationem; ipsi enim suis criminibus aptarunt damnationis interitum. Unde Apostolus non ait *vasa iræ* quæ aptavit in interitum, sed apta, seu aptata, atque a seipsis. In his omnibus rite intelligendis, media ab occasionibus sunt secernenda. Illa ad finem propositum eliguntur; occasionibus quæ sese offerunt, utimur. Hanc enim homines ipsi suggerunt; media requirimus & eligimus, occasiones invenimus. Peccatum & omnis ordinis perversitas, occasionis loco tenet, non medii ad gloriam Dei manifestandam; voluit Christus violentam mortem pati; Judæ avaritia, Sacerdotum odium, militum sævitia, populi ignorantia, Pilati ambitione usus est ut occasionibus, non ut media elegit.

24. (x) A v. 6. usque ad hunc versiculum demonstravit Apostolus inanes non fuisse Dei promissiones: quæ consecutio ex illius dictis erui posse videbatur; nunc probat populum Judæorum non fuisse omnino reprobatum: nam Deus electos suos habet cum e Judæis, tum e Gentibus.

25. (y) Quoad Gentes, probat ex Osee cap. 2. *Vocabo*; apud Hebræos *vocare* est *efficere*.

26. & 27. (z) Idem sum quod sequitur, eveniet. Item ex Isaia cap. 10. ubi de Judæorum conversione loquitur: quidquid superfuerit in fine seculi, salvatum iri ait, etiamsi reliquiæ filiorum Israel arenæ maris numerum æquatent: vel ut aliis placet, reliquiæ salvæ fient, seu pauci in tanto Judæorum numero. Uter verior sit sensus, ex intellectu verborum Isaiæ colligi debet.

28. (aa) Cum ingentem populi multitudinem ad se vocaturus est. Non enim eadem erit Judæorum & Gentium ratio. Gentiles paullatim vocat in serie sæculorum: sed in extremis temporibus vias suas Deus breviabit, & Judæos omnes ad se convertet: cum Apostolorum temporibus perpauci Judæi ad fidem converterentur, si cum Gentilibus conferantur. Verbum enim Græce λόγος, promissionem Dei, & ejus consilium de salvandis Judæis videtur indicare. Vox συντελῶν, non destructionem significat & consumptionem, sed perfectionem; ut συντέμνων, abbrevians, seu brevi temporis spatio efficiet Judæorum sanctificationem.

Isa. 1. 9. 29. Et sicut prædixit Isaias: * Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus (*bb*).

30. Quid ergo dicemus? Quod gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam: justitiam autem, quæ ex fide (*cc*) est.

31. Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit.

32. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offensionis.

Is. 8. 14. & 28. 16. 1. Pet. 2. 7. 33. Sicut scriptum est: * Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: & omnis, qui credit in eum, non confundetur.

CAPUT X.

Fidei in Christum necessitas; hujus justitia, quæ ex Lege est justitiæ, anteponenda: Gentilium vocatio; Judæorum incredulitas.

1. Fratres, voluntas (*a*) quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem.

2. Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem (*b*) Dei habent, sed non secundum scientiam.

3. Ignorantes enim justitiam Dei, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.

4. Finis (*c*) enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti.

5. Moyses enim scripsit, quoniam justitiam, quæ ex lege est, * qui fuerit homo, vivet (*d*) in ea. *Lev. 18. 5. Ezech. 20. 11.*

6. Quæ autem ex fide est justitia (*e*), sic dicit: * Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cælum? id est, Christum deducere: *Deut. 30. 12.*

7. Aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum a mortuis revocare.

8. Sed quid dicit Scriptura? * Prope (*f*) est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus. *Deut. 30. 14.*

9. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.

10. Corde (*g*) enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem.

11. Dicit enim Scriptura: * Omnis (*h*) qui credit in illum, non confundetur. *Isa. 28. 16.*

12. Non enim est distinctio Judæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.

13. * Omnis enim quicumque invocaverit (*i*) nomen Domini, salvus erit. *Joel 2. 32. Act. 2. 21.*

14. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?

15. Quomodo (*k*) vero prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est: * Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! *Isa. 52. 7. Nah. 1. 15.*

16. Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: * Domine, quis credidit (*l*) auditui nostro? *Isa. 53. 1. Joan. 12. 38.*

17. Ergo fides ex auditu (*m*), auditus autem per verbum Christi.

18. Sed

29. (*bb*) Idque maxime post excidium nationis, quod simile fuisset tragi Sodomæ & Gomorrhæ, ubi nulli relicti sunt præter familiam Lot. *Reliquisset nobis semen*, posteros scilicet, qui per orbem terrarum dispersi ad finem usque sæculorum propagantur. Tum vero fiet generalis eorum conversio, juxta illud Danielis 12. *In tempore illo salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit in libro*, idest, populus tuus, cum scriptus sit in libro, salvabitur, adeo ut voces illæ, scriptus in libro, non determinent, sed explicent tantummodo vocem, *omnis*. Alioqui nihil aliud diceret Propheta, quam eos salvatum iri Judæos, qui in libro vitæ scripti reperientur: quod utique aliis omnibus commune est. Hæc fuse pertractat Auctor Analyseos Gallicæ dissertatione tertia adversus Estium & alios, qui hunc Apostoli locum & Isaiæ vaticinium de paucissimis Judæis ad fidem convertendis interpretantur.

30. (*cc*) Hujus comparationis occasione reddit Apostolus ad id, quod præcipuo loco sibi erat propositum, legis operibus justificari neminem.

CAP. X. 1. (*a*) Gr. *εὐδοκία*, propensus admodum sum animi affectu ad Judæorum salutem, ne forte sibi persuaderent ea invidia, aut odio in Judæos locutum esse Apostolum.

2. & 3. (*b*) Gr. *Zelum* pro lege sua, zelum fervidum, sed cæcum. *Ignorantes*; Hic est errorum fons & origo, quod ignorent in quo posita sit vera justitia, qua Deus nos justificat. *Statuere*, Gr. *στῆσαι*, *stabilire*, propriis scilicet suis viribus innixi: *Justitia Dei*, fidei nimirum, & mediis a Deo ad veram justitiam consequendam institutis, non *subditi*.

4. (*c*) Ab eo suam habet perfectionem, ad eum unum tendit, non in figuris modo, quæ in eum desinunt, sed etiam in præceptis. Qui legi obediunt, ii soli justi sunt, qui hanc implent in fide Christi.

5. (*d*) Id probat ex discrimine quod Scriptura statuit inter justitiam quam assequuntur, qui Legem observare volunt ex naturæ viribus, & justitiam ipsam fidei: quod illi in Legis observatione vitæ suæ consulant, & pœnas a lege impositas non subeant, atque iis bona temporalia promittantur, non æterna, ut Levit. 18. ea tamen præceptis constat pene innumeris.

6. (*e*) Observatu est facilior; corde tantummodo, & ore opus est. *Ne dixeris*; verba sunt Mosis Deuter. 30. quibus hortatur Judæos ad Legis observationem, eaque transfert Apostolus ad fidem ipsam & justitiam; quasi Christus de fide & religione nobis dicat, ne tibi persuadeas fidei & Christianæ religionis justitiam esse observatu impossibilem, aut adeo difficilem, ut opus tibi sit in cælum ascendere, hoc est, Christum deducere, & evocare e cælo, quasi id jam factum non fuerit per Incarnationem; aut ex abysso, seu ea inferis eum revocare, quod in resurrectione impletum fuit. His fere duabus articulis, fidei nostræ summa continetur.

8. (*f*) Res ipsa, seu negotium omne facile est, id tantummodo a te exigitur, ut corde credas, & ore confitearis. Id præcipue in baptizandis adultis exigebant Apostoli, ut crederent Jesum Christum esse Filium Dei unigenitum, Messiam scilicet, Salvatorem, Legislatorem nostrum. Quæ erat aperta religionis nostræ professio, scilicet ut crederent quæ Christus docuit, & mandatis ejus parerent. Fides enim est solemnis obligatio ad obediendum; ac prima justitiæ infusio est ex fide: sed nec conservari potest, nec augeri, nisi divinis præceptis pareamus, ac fides cum obedientia jungatur. *Prope est verbum*, quod annuntio vobis.

10. (*g*) Ad fidei justitiam: confessioni salutem adscribit: neque enim salvi esse possumus, nisi cum res poscit, ut ore confiteamur. Fides itaque cum interior, tum exterior, est necessaria. Fidei cum amore conjuncta est, ubi est in corde, & opere, cum in Christum credimus.

11. & 12. (*h*) Sive Judæus sit, sive Gentilis: omnes enim sine discrimine justificat Deus per fidem cum charitate conjunctam.

13. (*i*) Invocare, est orare Deum pro salute obtinenda, idque per fidem: Ac necessitas illa invocandi, necessitatem prædicationis involvit. Unde Apostolus missionem suam ad Gentes quasi obiter insinuat & tuetur adversus Judæorum calumnias.

15. (*k*) Hoc loco est ellipsis, ac supplendum videtur aliquid, quale est illud; Et jam missi sunt prædicatores.

16. (*l*) Hactenus ostendit justificari neminem, nisi qui legem observat in fide Christi. Nunc alteram subjicit propositionem, nempe Christum a Judæis rejectum esse; ac perfidos eos Evangelio paruisse. Quod probat ex cap. 53. Isaiæ; *Domine, quis credidit auditui nostro?* Quis credidit iis quæ audivit ex nobis, aut iis quæ ex te audivimus?

17. (*m*) Ex verbi Dei prædicatione, & ex viva traditione, non ex Scriptura sola: non enim omnes possunt legere, aut quæ legunt intelligere. Mox id subjicit Judæos nullam posse excusationem obtendere, cum ubique prædicatum sit Evangelium, atque Gentes pene innumerabiles Christi Evangelium fuerint amplexæ, iis ipsis videntibus. Ex auditu quidem fides ducit initium: sed Deus aures cordis aperit ad intelligendum.

Psal. 18. 5. 18. Sed dico : Numquid non audierunt ? * Et quidem in omnem terram exivit (*n*) sonus eorum , & in fines orbis terræ verba eorum.

19. Sed dico : Numquid Israel non cognovit? Primus Moyses dicit: * Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem : in gentem insipientem , in iram vos mittam. *Deut. 32. 21.*

Isa. 65. 1. 20. Isaias autem audet (*o*) , & dicit: * Inventus sum a non quærentibus me : palam apparui iis, qui me non interrogabant.

Isa. 65. 2. 21. Ad Israel autem dicit : * Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.

C A P U T XI.

Ex Judæis aliqui sunt ad fidem conversi ; sed plures convertentur. Gentiles admonet ut caute ambulent in sua vocatione.

1. DIco ergo : Numquid Deus repulit (*a*) populum suum ? Absit . Nam & ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin:

2. Non repulit Deus plebem suam , quam præscivit (*b*) . An nescitis in Elia quid dicit Scriptura: quemadmodum interpellat Deum adversum Israel?

3. Reg. 19. 10. 3. * Domine , Prophetas tuos occiderunt , altaria tua suffoderunt : & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam.

4. Sed quid dicit illi divinum responsum ?
3. Reg. 19. 18. * Reliqui mihi septem millia (*c*) virorum , qui non curvaverunt genua ante Baal.

5. Sic ergo & in hoc tempore , reliquiæ secundum electionem gratiæ (*d*) salvæ factæ sunt.

6. Si autem gratia , jam non ex operibus : alioqui gratia jam non est gratia.

7. Quid ergo ? quod quærebat Israel , hoc non est consecutus: electio (*e*) autem consecuta est: cæteri vero excæcati sunt.

Isa. 6. 9. & 29. 10. 8. Sicut scriptum est : * Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos ut non videant, & aures ut non audiant , usque in hodiernum diem. *Matth. 13. 14. Joann. 12. 40. Actor. 28. 26.*

9. Et David dicit : * Fiat mensa (*f*) eorum in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis. *Ps. 68. 23.*

10. Obscurentur oculi eorum ne videant : & dorsum eorum semper incurva (*g*).

11. Dico ergo: Numquid sic offenderunt ut caderent (*h*)? Absit. Sed illorum delicto , salus est Gentibus ut illos æmulentur.

12. Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi , & diminutio (*i*) eorum divitiæ Gentium: quanto magis plenitudo eorum?

13. Vobis enim dico Gentibus (*k*) : Quandiu quidem ego sum Gentium Apostolus , ministerium meum honorificabo.

14. Si quomodo ad æmulandum provocem (*l*) carnem meam, & salvos faciam aliquos ex illis.

15. Si enim amissio (*m*) eorum , reconciliatio est mundi : quæ assumptio , nisi vita ex mortuis?

16. Quod si delibatio (*n*) sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami.

17. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt , tu autem cum oleaster (*o*) esses, insertus es in illis , & socius radicis & pinguedinis olivæ factus es,

18. Noli gloriari adversus ramos . Quod si gloriaris : non tu radicem portas , sed radix te.

19. Dices ergo: Fracti sunt rami ut ego inserar.

20. Bene: propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas : noli altum sapere (*p*), sed time.

21. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat.

22. Vide ergo bonitatem , & severitatem Dei : in eos quidem , qui ceciderunt , severitatem : in te autem bonitatem Dei , si permanseris in bonitate (*q*), alioquin & tu excideris.

23. Sed

18. (*n*) Ubicumque erant Judæi, Evangelii prædicatio ad eos potuit pervenire, adeo ut sint penitus inexcusabiles.

20. (*o*) Non veritus offensionem populi sui ; & quidem Deus variis modis homines quærit etiam non cogitantes.

CAP. XI. 1. (*a*) Neque omnem populum , neque in omne tempus abjecit Deus. Id primum suo probat exemplo, atque ex Scriptura ipsa ostendit populi Israelitici infidelitatem numquam adeo generalem fuisse, ut multas non admiserit exceptiones.

2. (*b*) Quam acceptam habuit , quam ab æterno suam facere decrevit.

4. (*c*) Numerus finitus, & sæpe septenarius pro indefinito ponitur.

5. & 6. (*d*) Quos mihi reservavi , & complures sunt Judæi electi per gratiam. Vox, *Salvæ*, deest in Græco ; Origenes tamen & Augustinus legunt cum nostro Interprete. Non ex *operibus*, Legis, nec absolute propter bona opera datur prima gratia.

7. & 8. (*e*) Qui e Judæis sunt electi. *Cæteri vero*. Id probat ex Isaia, cap. 6. *Compunctionis* , Hebr. *stuporis* , aut *soporis*: qui veterno, aut lethargo corripiuntur , ii pungi solent, ut a somno excitentur. *Oculos* , Deuter. 29. 4. ad videndum.

9. (*f*) Psalm. 68. Altare eorum quod adeo venerantur ob sacrificia, quippe præ illius zelo nolunt Evangelio credere. *In laqueum*. Ut cibus oblatus avibus in exitium cedit. Sic quæ sunt optima , in perniciem vertuntur iis qui Dei abutuntur beneficiis ; aut in *laqueum* : quæcumque in hac vita optant magis, vertuntur in contrarium.

10. (*g*) Præ amore rerum terrenarum , adeo ut cælestia iis non sapiant.

11. (*h*) Sine ulla spe resurgendi. *Absit*. Non enim abjectio Judæorum erit perpetua, & citra ullum fructum: horum quippe occasione Gentiles salutem sunt consecuti, quando Judæis Evangelium rejicientibus assumpti sunt. *Ut illos æmulentur*, Gentiles Judæos, aut Judæi Gentiles : cum promissiones sibi factas ad Gentes transiisse videant, æmulationis zelo excitentur ad fidem amplectendam.

12. (*i*) Quod si abjectio Judæorum ob sua scelera, *divitiæ sunt mundi*, tanta Gentibus intulerunt commoda; *quanto magis plenitudo eorum* , cum Judæi ad fidem conversi , Gentes vicissim ad imitandum provocabunt?

13. (*k*) Inceptum sermonem interrumpit : *Honorificabo*: Græc. *illustrabo* munus meum prædicandi Gentibus.

14. (*l*) Ut ex Gentilium laudibus quosdam e Judæis provocem ad imitationem

15. (*m*) Si Judæorum abjectio per occasionem reconciliatio est mundi, *quæ est assumptio*? quanta futura est eorum restitutio, quæ lætitia, quasi ii revixerint?

16. (*n*) Gr. *ἀπαρχὴ*, primitiæ ; *& massa*, quod si Apostoli, & primi discipuli sancti sunt , & massa ipsa sancta erit : sunt enim ejusdem naturæ primitiæ & massa ipsa. *Radix sancta est* , Patres & Patriarchæ, *& rami* , Judæi ex iis prognati.

17. (*o*) Vetat Gentiles gloriari, quod in bonam oleam sint insiti. Nam si ramus oleastri præter naturam oleæ insertus est, multo potiori ratione Judæi tamquam rami in eam inserentur.

20. & 21. (*p*) Noli superbire , *sed time* : hoc utique est Dei beneficium , non tuum meritum: Cave ne Deus tibi non parcat , ut non pepercit ramis.

22. 24. 26. & 27. (*q*) In iis quæ tibi donavit. *Insertus es*: non enim solet oleaster in oleam inseri. *Salvus fieret*, in fine sæculorum , cum plenitudo Gentium intraverit ; *Sicut scriptum est*. Isaiæ 59. 20. *Cum venerit Sion* , cum Redemptor venerit Sion. *Testamentum*, Jerem. 31. fœdus, aut pactum, ut vertunt septuaginta Interpretes.

23. Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur: potens est enim Deus iterum inserere illos.

24. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam olivam: quanto magis ii, qui secundum naturam inserentur suæ olivæ?

25. Nolo enim vos ignorare fratres myste-
*Prov. 3. 7. Isa. 5. 21. rium hoc, * (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret,

26. Et sic omnis Israel salvus fieret, sicut
* Isai. 59. 20. scriptum est: * Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem a Jacob.

27. Et hoc illis a me testamentum: cum abstulero peccata eorum.

28. Secundum (r) Evangelium quidem, inimici propter vos, secundum electionem autem, charissimi propter patres.

29. Sine pœnitentia (s) enim sunt dona, & vocatio Dei.

30. Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum:

31. Ita & isti (t) nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur.

32. Conclusit (u) enim Deus omnia in incredulitate: ut omnium misereatur.

33. O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!

* Sap. 9. 13. Isa. 40. 13. 1. Cor. 2. 16. 34. * Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit?

35. Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?

36. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula. Amen.

CAPUT XII.

Hactenus Apostolus quæ ad doctrinam & fidei dogmata pertinent, exposuit; nunc mores ad præscriptum Christianæ religionis informandi rationem docturus, primum eos adhortatur ad cultum spiritalem & rationalem exhibendum Deo; ut & corpora sua offerant Deo, tamquam hostias viventes, non mactando, ut legales victimas, sed iis utentes sancte & pie.

1. Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, * ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium (a) vestrum. * Phil. 4. 18.

2. Et nolite conformari (b) huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri: * ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. * Ephes. 5. 17. 1. Thess. 4. 3.

3. Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos: Non plus sapere quam oportet sapere (c), sed sapere ad sobrietatem: * & unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. * 1. Cor. 12. 11. Ephes. 4. 7.

4. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus (d), omnia autem membra non eumdem actum habent:

5. Ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.

6. Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes: sive prophetiam (e) secundum rationem fidei,

7. Sive ministerium (f) in ministrando, sive qui docet in doctrina,

8. Qui exhortatur (g) in exhortando: qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate.

9. Dilectio (h) sine simulatione. * Odientes malum, adhærentes bono: * Amos 5. 15.

10. * Charitate fraternitatis invicem diligentes: Honore invicem prævenientes: * Ephes. 4. 3. 1. Pet. 2. 17

11. Solli-

28. (r) Propter Evangelium: *Propter vos*, o Gentiles: illis enim neglectis assumpsit vos Deus: *Secundum electionem autem*, qua Deus olim eos elegit, in populum suum, *charissimi*. quoad Judæos qui a Deo sunt electi. Augustin. L. de Prædest. SS. cap. 16. Inimici, quia permisit Deus ut interficerent Christum, & sic redemptio in omnes redundaret: sed secundum electionem, idest, prædestinationem, amici propter patres, quia tandem convertentur.

29. & 30. (s) Deus non revocat quod promisit. *Incredulitatem*; Illud fuit divinæ misericordiæ: cum enim aliis stantibus, alii exciderint; qui stant in fide, dubitare non possunt, quin eorum salus sit divinæ misericordiæ opus.

31. (t) Ad vestram misericordiam, ut Deus vestri misereretur. *Consequantur*, ut exemplo vestro provocati crederent in Christum; & Deus omnium misereatur. Gentes olim fuerunt infideles, nunc Judæi. Futurum est ut Judæi nunc increduli, credant in Christum; incredulitas non caussa, sed occasio fuit cur Deus Gentibus misericordiam præstiterit: nam semper habere voluit, in quos beneficia sua conferret.

32. (u) Permisit Deus, ut omnes non simul, sed successive essent increduli, quo misericordiam suam exerceat. Nam ab initio homines Deum colebant, tum Gentes in idololatriam lapsi sunt; fœdus cum Abrahamo, & cum ejus posteris sancivit Deus, tum Judæi Christum & ejus Evangelium respuerunt, quod apud Gentes translatum fuit, itque in fine sæculorum majori ex parte fient increduli, ut docet Apostolus Epist. 2. ad Thessalon. cap. 3. tumque Judæos ad fidem vocaturus est. Sic duos populos ante inimicos in unum adducet corpus: ne sibi justitiam tribuerent homines, permisit Deus eos esse miseros, quo digni essent misericordia

CAP. XII. 1. (a) Gr. Rationalem cultum, seu spirituale novæ in Christo vitæ sacrificium, prout recta exigit ratio: quod alii turpitudini, vos date honestati.

2. (b) Quoad mores, consuetudines, & vivendi rationem: *Sed reformamini*: Gr. *transformemini*, dissimiles omnino sitis huic sæculo per renovationem mentis vestræ.

3. (c) Nolite altius de vobis existimare, quam par sit: *Ad sobrietatem*, cum modestia de se, & sobrie sentire: *Et unicuique*, deest in Græco conjunctio, καὶ, sicque commodior est connexio: videtur Paulus fidem pro donis gratuitis & visibilibus hoc loco sumere.

4. (d) In corpore mystico, seu in Ecclesia singuli homines, ut diversa membra diversas obeunt functiones juxta diversas donationes sibi concessas; omnes ad bonum commune æque conspirant, ac unusquisque dono accepto contentus manere in eo debet, neque adversus alium non habentem insolescere. Usus donorum sit communis, ut aliis pro doni sui ratione subveniant.

6. (e) Ad prædicenda futura, vel ad Scripturarum interpretationem. *Secundum rationem fidei*: Gr. *Analogiam*, seu proportionem, aut mensuram fidei, aut donorum visibilium.

7. (f) Gr. διακονίαν, ministerii Ecclesiastici gratiam. *In ministrando*, Gr. *In ministerio*, supple, maneat, ita ut se ad laborem, non ad honorem vocatum sciat. Ministerium illud, character, aut potestas qua Deus pastorem instruxit, recte intelligitur. *In doctrina*, se exerceat, ut magis ac magis proficiat; de Catechistis videtur loqui, qui fidei elementa docent.

8. (g) Concionando: quique ad bene agendum alios excitat. *In simplicitate*, bona fide, sine ostentatione, aut personarum acceptione distribuat eleemosynas sibi creditas, vel ex propriis bonis, vel ex alienis, liberaliter. Cum vigilantia, & cura præsit. *In hilaritate*. Qui curandis ægris pauperibus vacat, id præstet hilari animo, non tristi & moroso.

9. (h) A ministeriis Ecclesiæ transit ad officia Christianis omnibus communia, quorum illud est primum, ut universum malum odio habeamus, bono adhæreamus; tum ut proximum sincere diligamus, honorifice de eo sentiamus.

11. Sollicitudine non pigri (*i*) Spiritu ferventes: Domino servientes:

12. Spe gaudentes: In tribulatione patientes: Orationi instantes:

13. Necessitatibus (*k*) sanctorum communicantes: * Hospitalitatem sectantes. * Hebr.13.2. 1.Petr.4.9.

14. Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere.

15. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus:

16. Idipsum invicem sentientes (*l*) Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos:

* 2.Cor.8.21. 17. Nulli malum pro malo reddentes: * providentes (*m*) bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

* Hebr.12.14. 18. * Si fieri potest (*n*), quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes:

* Eccli.28.1.2. & 3. 19. * Non vosmetipsos defendentes (*o*) charissimi, sed date locum iræ: scriptum est
* Matth.5.39. enim: * Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus.

* Deut.32.35. 20. * Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones (*p*) ignis congeres super caput
Hebr.10.30. ejus.

* Prov.25.21. 21. * Noli vinci a malo, sed vince in bono malum (*q*).

CAPUT XIII.

Quod Potestatibus & Magistratibus parendum sit; quid proximo debeamus; summa legis est dilectio proximi; vitia fugienda; Christum induamus.

* Sap.6.4. 1 Petr.2.13. 1. Omnis anima potestatibus (*a*) sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt.

2. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

3. Nam principes non sunt timori (*b*) boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac: & habebis laudem ex illa:

4. Dei enim minister est tibi in bonum (*c*). Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.

5. Ideo necessitate (*d*) subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

6. Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.

7. * Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. * Matth.22.21.

8. Nemini quidquam debeatis (*e*), nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit.

9. Nam: * Non adulterabis: Non occides: * Exod.20.14.
Non furaberis: Non falsum testimonium dices: Deut.5.18.
Non concupisces (*f*): & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: * Diliges pro- * Levit.19.18.
ximum tuum sicut te ipsum. Matth.22.39.

10. Dilectio proximi malum non operatur Marc.12.31.
(*g*). Plenitudo ergo legis est dilectio.

11. Et hoc scientes tempus (*h*): quia hora Gal.5.14.
est jam nos de somno surgere. Nunc enim pro- Jac.2.8.
pior est nostra salus, quam cum credidimus.

12. Nox (*i*) præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

13. Sicut in die honeste ambulemus: * non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis (*k*), non in contentione & æmulatione. * Luc.21.34.

14. * Sed induimini (*l*) Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis. * Gal.5.16. 1.Petr.2.11.

CA-

11. (*i*) Habita nostri ratione, ut officio quisque suo fungatur, excussa omni socordia: *Spiritu ferventes*, cum fervore animi Deo servientes: memineritis vos Deo ipsi servire.

13 (*k*) Gr. *usibus Sanctorum*, necessariis, non supervacaneis, subvenientes. Origenes; nam usibus sanctorum honeste & decenter, non quasi stipem indigentibus præbere, sed censum nostrum cum ipsis quodammodo habere communem conveniens videtur.

16 (*l*) Invicem concordes & unanimes, *Humilibus consentientes*: Gr. *accommodantes* vosmetipsos humilibus & abjectis, vel obsecundantes.

17. (*m*) Non solum in conscientia, *Sed etiam coram hominibus*, ut nullam iis scandali occasionem præbeatis.

18. (*n*) Salva justitia, veritate, pietate. Vox Græca *προνοούμενοι*, significat consulere, aut prospicere.

19 (*o*) Gr. *Ulciscentes*, quod cum sequentibus convenit. *Date locum iræ*, irato cedite.

20. (*p*) Charitatem accendes, ad redamandum eum provocabis, ac mutua charitas hinc accendetur. Congeres carbones, quibus ejus odium in te ut glacies resolvetur.

21. (*q*) Gr. τὸ *κακὸν*, non hominem malum, sed malitiam hominum benignitate tua vince.

CAP. XIII. 1 (*a*) Publicis Magistratibus. Nam ex Judæis conversis quidam in hoc errore versabantur, ut alium principem a Deo nollent agnoscere, idque in primis postquam Messias advenisset, quod ex se malum erat, & Christianam religionem in invidiam vocabat. Subditos eos esse oportere docet, quia omnis potestas est a Deo instituta. Sic Christus religionem constituit, ut civilem ordinem non mutaret. Tertull. ad Scap. *Colimus Imperatorem sic & quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, & solo Deo minorem.*

3. (*b*) *Sed mali*: Potestates sunt institutæ ut bonum promoveant; quod malum est puniant: Gr. *Non sunt terrori bonorum*: In bonorum gratiam sunt constitutæ, in terrorem improborum.

4. (*c*) Ut pacifice vivamus, juvat & tuetur bonos: *Vindex in iram*, ut puniat, & vice Dei justitiam exerceat.

5 & 7. (*d*) Non solum timore pœnæ: *Sed etiam propter conscientiam*, quia id justum est. *Tributum*, pro prædiis: *Vectigal*, pro mercibus exportandis. *Timorem*, reverentiam.

8. (*e*) Ad officia erga proximum transit Apostolus, quæ omnia ad charitatem revocat. Charitatis debitum perpetuum est. *Sola etiam reddita semper debitorem tenet; nec cum redditur, amittitur, sed potius reddendo multiplicatur; habendo enim redditur, non carendo.* Augustin. Epist. 62.

9. (*f*) Quo quidem mandato omne desiderium injustum adversus proximum prohibetur. *Instauratur*, Gr. summatim colligitur, eaque velut ad caput, seu ad summam redigitur. Augustin. recapitulatur, & consummatur.

10. (*g*) Gr. proximo non nocet.

11. (*h*) Opportunitatem adesse id faciendi, ut diligatis invicem. *Quam cum credidimus*: cum credere incepimus, cum baptizati sumus.

12. (*i*) Jam peccatorum tenebræ depulsæ sunt, dies autem æternitatis appropinquavit velut in diluculo; nondum adest, sed mox aderit: forte legendum, *Nox processit*: id enim vox Græca προέκοψεν significat.

13. (*k*) Illicitos omnes concubitus, & petulantiam omnem, uti & epulas, non honestatis, sed voluptatis caussa & gulæ, ut & violentiam damnat.

14. (*l*) Ejus virtutes & exempla vita & moribus exprimite. *Ne feceritis*; nec prætexentes corporis necessitatem, cupiditates & inordinata desideria expleatis.

CAPUT XIV.

Inter fideles ex Judæis & Gentibus converſos orta erat diſſenſio de ciborum delectu, & feſtorum obſervatione. Qui æmulatores Legis erant, his cibos immundos edere religio erat: alii vero per Chriſtum ab eo jugo ſe immunes, atque ex Concilio Jeroſolymis coacto liberos ſe prædicabant, & Judæos ut infirmos in fide contemnebant. Apoſtolus fideles e Gentibus converſos hoc in capite adhortatur, ne Judæis ſint offendiculo.

1. INfirmum autem in fide aſſumite (*a*), non in diſceptationibus cogitationum.

2. Alius enim credit (*b*) ſe manducare omnia: qui autem infirmus eſt, olus manducet.

3. Is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non judicet (*c*): Deus enim illum aſſumpſit.

* Luc. 4. 13. 4. * Tu quis es, qui judicas (*d*) alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.

5. Nam alius judicat (*e*) diem inter diem: alius autem judicat omnem diem: unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.

6. Qui ſapit (*f*) diem, Domino ſapit. Et qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.

7. Nemo enim noſtrum ſibi vivit (*g*), & nemo ſibi moritur.

8. Sive enim vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.

9. In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit: ut & mortuorum & vivorum dominetur (*h*).

10. Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? * Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti. * 2. Cor. 5. 10.

11. Scriptum eſt enim: * Vivo ego, dicit Dominus (*i*), quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. * Iſ. 45. 24. Phil. 2. 10.

12. Itaque unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo.

13. Non ergo amplius invicem judicemus: ſed hoc judicate (*k*) magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum.

14. Scio, & confido in Domino Jeſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt.

15. Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur: jam non ſecundum charitatem ambulas. * Noli (*l*) cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. * 1. Cor. 8. 11.

16. Non ergo blaſphemetur bonum (*m*) noſtrum.

17. Non eſt enim regnum (*n*) Dei eſca, & potus: ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto:

18. Qui enim in hoc ſervit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus.

19. Itaque quæ pacis ſunt, ſectemur: & quæ ædificationis ſunt, in invicem cuſtodiamus:

20. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei: * Omnia quidem ſunt munda: ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat (*o*). * Tit. 1. 15.

21. * Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. * 1. Cor. 8. 13.

22. Tu fidem habes (*p*)? penes temetipſum habe coram Deo: Beatus, qui non judicat ſemetipſum in eo quod probat.

23. Qui autem diſcernit (*q*), ſi manducaverit, damnatus eſt: quia non ex fide. Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

CA-

CAP. XIV. 1. (*a*) Tolerate, nolite abjicere, quod infirmus ſit in fide; ſed eum benigne ſuſcipite. *Cogitationum*, Gr. non ad certamina diſceptationum, nec tempus teratis in altercationibus diſceptationum.

2. & 3. (*b*) Credit licere ſibi de quibuslibet cibis veſci: *Manducet*, Gr. manducat, idque ex conſcientia ſcrupuloſa; vel ſi exiſtimet periculum eſſe in carnibus edendis, veſcatur oleribus. Sic litem dirimit, ut unicuique libertatem relinquat ſuam. *Aſſumpſit*, non abjecit: ſed ad fidem vocavit, ac quiſque pro conſcientiæ ſuæ dictamine agat.

3. (*c*) August. Lib. 2. ſerm. in monte, cap. 18. *Maxime autem hi temere judicant de incertis, & facile reprehendunt, qui magis amant vituperare & damnare, quam emendare & corrigere: quod vitium vel ſuperbiæ eſt, vel invidiæ.*

4. (*d*) Judæos primum in eo reprehendit, quod Gentiles converſos damnarent ob libertatem edendi de quibuslibet cibis. *Domino ſuo*. Hoc nihil ad te. Domini judicio eſt relinquendum. *Statuere illum*, eum ſtabilire, & efficere ne cadat: Domini eſt judicare, reus ſit, necne.

5. (*e*) Alius exiſtimat diſcrimen eſſe inter diem & diem, ſecundum Legem Moſaicam: alius cenſet omnem diem eſſe cuilibet rei gerendæ non male idoneum: ſic libertatem Gentilium tuetur Apoſtolus. *Unuſquiſque*. Græc. *Unuſquiſque ſit certus mentis ſuæ*, ſeipſum conſulat, & agat quod ſibi dictat conſcientia: ſeu de ciborum delectu agat Apoſtolus, ut videtur Chryſoſtomo, ſeu de dierum & feriarum obſervatione, non ſtatim avocandos cenſet a conſuetis obſervationibus, ne deſerant fidem ad tempus tolerandos jubet.

6. (*f*) Qui dierum habet rationem, ad honorem Domini id facit, aut facere debet.

7. (*g*) Ad Dei gloriam vivere & mori debemus.

9. (*h*) Ut ex morte & reſurrectione ſua dominium in vivos & mortuos exerceat.

11. (*i*) Vox Hebræa apud Iſaiam, *Jehova*, eſt nomen Dei, quod Apoſtolus Chriſto Domino tribuit; *Et omnis lingua confitebitur Deo*, laudabit, me Deum agnoſcet.

13. (*k*) Hoc potius decernite, ne fratribus ſitis ſcandalo; nec judicate vos invicem, ſaltem in rebus non omnino manifeſtis. Temeraria judicia multis rationibus condemnat, quod Deus ſibi uni cordis intentionem & arcam reſervavit. Qui temere judicat, ſæpe eum damnat, quem Deus abſolvit; in rebus quæ ſunt indifferentes, unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, & ex conſcientiæ dictamine agat.

15. (*l*) Qui contra conſcientiam edit cibos in lege vetitos, aut ſcandalo offenſus redit ad Judaiſmum.

16. (*m*) Fides noſtra, ne ea ſit opprobrio infidelibus propter diſſenſiones. Gr. *bonum veſtrum*, ne libertas veſtra infirmorum maledictis ſit obnoxia; ne licentia potius immoderata, quam libertas ab iis habeatur.

17. & 18. (*n*) Quo regnat in nobis, vel ſummum bonum non poſitum eſt in eſca & potu, ſed in juſtitia & gratia Dei, in pace cum proximo, & in ſpirituali gaudio, quod a Spiritu Sancto proficiſcitur. Unde qui abſtinet a cibis ob infirmorum ſcandalum, nihil veri & ſolidi amittit: immo multum is lucratur, qui in hoc placet Deo. *Vel qui in hoc ſervit Chriſto*, Gr. *per hæc*, nempe per juſtitiam, pacem, & gaudium in Spiritu Sancto; nec tamen delectus ciborum rejicitur, quem ſervat Eccleſia: tum non cibus & potus & ſecundum ſe, ſed obedientia præcepti ad regnum Dei pertinet.

20. (*o*) Quod fidem illius infirmare poteſt, aut lædere.

22. (*p*) Græca ſcholia recte admonent hoc in loco non agi de fide circa dogmata: *Penes teipſum*, tibi ſerva cum nulla erit occaſio ſcandali. *Beatus*. Quem propria conſcientia non condemnat in eo quod eligit, & perſuaſum habet id non adverſari religioni Chriſtianæ.

23. (*q*) Qui dubitat an ſibi liceat veſci tali cibo, & comedit tamen: *Damnatus eſt*; peccat, ſeipſum condemnat, quod agat contra conſcientiam. *Quia non ex fide*, ſubaudi, manducat, nec credit hoc ſibi licitum eſſe. *Omne autem, quod non eſt ex fide*, quod ſit contra propriam conſcientiam: Gr. πίστιν, quod perſuaſionem etiam ſignificat: *peccatum eſt*; vel ſi de fide proprie dicta illud intelligamus, quidquid ſit contra fidei regulam, peccatum eſt.

CAPUT XV.

Concludit Gentiles converſos infirmitatem Judæorum portare debere, & de ſcientia ſua non ita ſibi placere, ut alios contemnant, ſed ad eorum imbecillitatem in delectu ciborum, & dierum ſe dimittere; in iis quæ bona ſunt, & ædificationis, non ſuis tantum commodis ſervire, ſed ad utilitatem proximi vitæ ſuæ rationem componere, & bonum proximi ſpiritale procurare.

1. DEbemus autem nos firmiores (*a*) imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.

2. Unuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum (*b*), ad ædificationem.

3. Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſi-
* *Pſ.68.10.* cut ſcriptum eſt (*c*). * Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me.

4. Quæcumque (*d*) enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: ut per patientiam, & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus.

* *1. Cor. 4. 10.* 5. Deus autem patientiæ & ſolatii * det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum Jeſum Chriſtum:

6. Ut unanimes, uno ore honorificetis Deum, & Patrem (*e*) Domini noſtri Jeſu Chriſti.

7. Propter quod ſuſcipite invicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei.

8. Dico enim Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis (*f*) propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum:

9. Gentes autem ſuper miſericordia (*g*) ho-
* *2. Reg. 22. 50. Pſ. 17. 50.* norare Deum, ſicut ſcriptum eſt: * Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo cantabo.

10. Et iterum dicit: Lætamini Gentes cum plebe ejus.

* *Pſ. 116. 1.* 11. Et iterum: * Laudate omnes Gentes Dominum: & magnificate eum omnes populi.

* *Iſa. 11. 10.* 12. Et rurſus Iſaias ait: * Erit radix Jeſſe, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt.

13. Deus (*h*) autem ſpei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo: ut abundetis in ſpe, & virtute Spiritus ſancti.

14. Certus ſum autem fratres mei & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita ut poſſitis alterutrum monere.

15. Audacius (*i*) autem ſcripſi vobis fratres ex parte, tamquam in memoriam vos reducens: propter gratiam, quæ data eſt mihi a Deo,

16. Ut ſim miniſter (*k*) Chriſti Jeſu in Gentibus: ſanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto.

17. Habeo (*l*) igitur gloriam in Chriſto Jeſu ad Deum.

18. Non enim audeo (*m*) aliud loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam Gentium, verbo & factis:

19. In virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti: ita ut ab Jeruſalem per circuitum uſque ad Illyricum repleverim Evangelium Chriſti.

20. Sic autem prædicavi (*n*) Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem: ſed ſicut ſcriptum eſt:

21. * Quibus non eſt annuntiatum de eo, * *Iſa. 52. 15.*
videbunt: & qui non audierunt, intelligent.

22. Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc.

23. Nunc vero ulterius locum non habens (*o*) in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis:

24. Cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quod præteriens videam vos, & a vobis deducar illuc, ſi vobis primum ex parte (*p*) fruitus fuero.

25. Nunc igitur proficiſcar in Jeruſalem miniſtrare Sanctis.

26. Pro-

CAP. XV. 1. (*a*) Chryſoſt. *Rependе Deo mercedem qui talem te fecit; tunc autem rependes quando infirmitatem ægrots correxeris.*

2. (*b*) In his quæ proximum ædificare poſſunt, huic obſequaris.

3. (*c*) Non ſua ſpectavit commoda, non ſibi indulgens, imbecillitates infirmorum ipſe portavit. *Scriptum eſt;* Ellipſis hoc loco quædam videtur ineſſe ac ſuppl[illegible]ndum, tolli. *Non ſibi placuit, ſed Patri. Improperia.* Pſalm. 68. Illatas tibi, o Pater, contumelias meas eſſe duxi; peccata populi expiare volui, & eorum ſubire pœnas.

4. (*d*) Id obiter ad[illegible], quæ ſcripta ſunt in veteri Teſtamento, ad [illegible] noſtram & inſtitutionem ſcripta eſſe, ut patientia & conſolatione, quam nobis ſuppeditant Scripturæ adverſus hujus vitæ tentationes, ſpes noſtra confirmetur. Chryſoſt. *Nam [illegible] hæ duæ, altera parit alteram, tolerantia ſpem, ſpes tolerantiam; utraque vero ex Scripturis naſcitur*

6. & 7. (*e*) Deum, qui eſt Pater D. N. J. Chriſti. *Suſcipite:* Vos invicem amate ob gloriam Dei: ſitis inter vos conjunctiſſimi, vos præ[illegible] Gentiles.

8 (*f*) Hinc manifeſtum eſt, vos ab eo ſuſceptos eſſe, quia utrique populo profuit: Judæis Evangelium miniſtravit: *Propter veritatem Dei*, ex juſtitia quadam & fide, qua implevit quod eorum patribus promiſerat, ut ſe veracem eſſe oſtenderet. Unde quamdiu vixit, intra Judæorum fines ſe continuit

9. 10. 11. & 12. (*g*) Ex vera gratia & miſericordia ſua gentes aſſumpſit, quod variis probat Scripturæ teſtimoniis: ex Pſalm. 17. 50 *Propterea confitebor:* Laudes tuas celebrabo. Ex Deut. 32. 43 juxta LXX. verſionem: *Lætamini gentes cum plebe ejus*, cum populo Iſraëlitico, ut idem corpus efficiatis; ex Pſalmo 116. *Laudate Dominum omnes gentes;* ex Iſaiæ cap 11. 10. *Erit radix Jeſſe.* Chriſtus, ex ſtirpe Jeſſe; idem eſt, *qui exurget regere gentes. Iſa.* 22.

13 (*h*) Auctor & objectum ſpei noſtræ. *In virtute.* Per virtutem Spiritus ſancti.

15. (*i*) Paullo liberius, non vos increpandi gratia, ſed ut in memoriam revocarem quæ vobis non erant incognita, atque ut ſatisfacerem officio Apoſtolatus mihi a Deo delegati.

16. (*k*) [illegible], Sacerdotio fungens, rem ſacram faciens eſt gratia mihi data, ut ſim gentium Apoſtolus: *Sanctificans Evangelium*, ut Evangelii docendi munere defungar. *Oblatio*, ut Gentiles inſtar ſacrificii ſiant Deo accepti. Alludit ad ritum veteris Sacerdotii, in quo hoſtiæ Deo offerendæ ſanctificabantur. Chryſoſt. *Sacerdotii vero nemo [illegible], quod immaculatam hoſtiam offerre ſatagit. Machæra ſiquidem mea Evangelium eſt, prædicationis videlicet ſermo. Propterea omnia facio ne ignis iſte extinguatur: hoc enim in mandatis habeo.*

17. (*l*) Gr. *Habeo quod in Chriſto glorier*, in his quæ ad Deum pertinent. Quod opus mihi a Deo impoſitum [illegible] habuerit exitum.

18. (*m*) Non enim audeo gloriari, aut loqui, niſi de iis quæ per me Chriſtus effecit: *In obedientiam gentium;* ut per me gentes Evangelio obedientes faceret, tum verbis quæ iis annuntiavi, tum factis, quorum ipſi teſtes fuerunt.

20. (*n*) Sic laboravi, ut Evangelium prædicarem iis tantum in locis, ubi Chriſtus non erat annuntiatus, ne viderer alienum labores mihi tribuere. *Sed ſicut ſcriptum eſt;* hoc loco eſt Ellipſis, ac ſuppliendum, in iis locis ubi Chriſtus nondum erat cognitus, ſicut ſcriptum eſt futurum eſſe.

23. (*o*) In oriente diutius manendi.

24. (*p*) Aliquantulum veſtra conſuetudine. Gr. *Impletus fuero*, deſiderium meum ceperitis.

26. Probaverunt enim Macedonia & Achaja, collationem (*q*) aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem.

27. Placuit enim eis: & debitores sunt eorum. * Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles: debent & in carnalibus ministrare illis. * 1. Cor. 9. 11.

28. Hoc igitur cum consummavero, & assignavero (*r*) eis fructum hunc: per vos proficiscar in Hispaniam.

29. Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Evangelii Christi veniam.

30. Obsecro ergo vos fratres per Dominum nostrum Jesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, ut adjuveris (*s*) me in orationibus vestris pro me ad Deum,

31. Ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæa, & obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem Sanctis,

32. Ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer (*t*) vobiscum.

33. Deus autem pacis (*u*) sit cum omnibus vobis. Amen.

CAPUT XVI.

Commendationes aliquot & salutationes familiares hoc postremo capite continentur: simul & admonet cavendum esse a seductoribus simplicium, sapientes esse oportere in bonis operibus.

1. COmmendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio (*a*) Ecclesiæ, quæ est in Cenchris:

2. Ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis: & assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit: etenim ipsa quoque astitit multis, & mihi ipsi.

* Act.18.2. 3. Salutate * Priscam (*b*) & Aquilam adjutores meos in Christo Jesu;

4. (Qui pro anima mea suas cervices supposuerunt: quibus non solus ego gratias ago, sed & cunctæ Ecclesiæ Gentium)

5. Et domesticam Ecclesiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiæ in Christo.

6. Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis.

7. Salutate Andronicum & Juniam, cognatos (*c*) & concaptivos meos: qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo.

8. Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino.

9. Salutate Urbanum adjutorem nostrum in Christo Jesu, & Stachyn dilectum meum.

10. Salutate Apellem probum in Christo.

11. Salutate eos, qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex Narcissi (*d*) domo, qui sunt in Domino.

12. Salutate Tryphænam & Tryphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persidem charissimam, quæ multum laboravit in Domino.

13. Salutate Rufum electum in Domino, & matrem ejus, & meam (*e*),

14. Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, & qui cum eis sunt, fratres.

15. Salutate Philologum & Juliam, Nereum & sororem ejus, & Olympiadem, & omnes, qui cum eis sunt, sanctos.

16. Salutate invicem in osculo (*f*) sancto. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi.

17. Rogo (*g*) autem vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; & declinate ab illis.

18. Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri: & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium.

19. Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis (*h*). Sed volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.

20. Deus autem pacis conterat (*i*) Satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum.

21. * Salutat vos Timotheus adjutor meus, & Lucius, & Jason, & Sosipater, cognati mei. * Act.16.1.

22. Saluto

26. (*q*) Seu de bonis suis largiri. Hujus collationis meminit in utraque Epistola ad Corinth. adeo ut illæ scriptæ videantur ante hanc Epistolam: nam de incœpta collatione in sanctos non perfecta, in utraque Epistola ad Corinth. mentionem facit.

28. & 29. (*r*) Græc. Consignavero, *Benedictionis*, Græc. *εὐλογίας*, quæ largitatem & munificentiam significat cum copiosa fructu donorum spiritualium.

30. & 31. (*s*) Græc. ut simul contendatis, ut certetis mecum. *Infidelibus*, A Judæis qui non credunt Evangelio. *Oblatio*, Græc. Ministerium meum; eleemosynæ quas detuleram, acceptæ sint fidelibus Judæis.

32. (*t*) Ut mutua consuetudine nos consolemur.

33. (*u*) Amator & auctor pacis. Hic videtur Apostolus finem imponere voluisse Epistolæ: sed postea quæ sequuntur adjecisse.

CAP. XVI. 1. & 2. (*a*) Erga fideles bene affecta, & bonis officiis plena: Græc. *Ministram*, forte diaconissam: quæ diaconissæ olim in Ecclesia fuere institutæ in subsidium mulierum. *Quæ est in Cenchris*: oppidum erat & statio navalis Corinthiorum. *Sanctis*, Ut sanctos suscipere æquum est. *Astitit multis*, Græc. *προστάτις*, patrona: Sic dicebantur Athenis peregrinorum defensores.

3. 4. & 5. (*b*) Gr. Priscillam uxorem Aquilæ. *Primitivus*, Gr. *Primitiæ*, Achajæ.

7. (*c*) Vel ejusdem generis, vel sanguine propinquos: *Qui sunt nobiles in Apostolis*: Insignes inter Evangelii præcones.

11. (*d*) Qui, ut verisimile est, fuit libertus Claudii.

13 & 14. (*e*) Affectu, & piis officiis, *Hermam*. Is forte est auctor libri, qui Pastor inscribitur: Ita suspicatur Origenes.

16. (*f*) Sic Judæi se invicem salutabant. *Salutant vos omnes Ecclesiæ*: Theodoretus, Totius ut semel dicam, terrarum orbis nomine eam civitatem salutavit, quæ universo terrarum orbi præsidet.

17. (*g*) Rogat ut pseudo-apostolos & seductores fugiant, qui dissensiones faciunt, & sanam doctrinam pervertunt. Origenes in hunc locum: Et ideo diligenter oportet intendere, quo prospectu doceat ille qui docet, utrum gratiam & honorem ab auditoribus quærens, an mercedem a Domino pro instructione & profectu discentium sperans.

19. (*h*) De vobis: *Sed volo vos sapientes esse in bono*: nam prudentia sine simplicitate, astutia est; simplicitas sine prudentia, stultitia. Cavendum igitur vobis, ne a bono quod accepistis, seductorum adulationibus, & benedictionibus excidatis. Itaque id opto, ut in discretione bonorum & usu sitis prudentes, simplices in malo & innoxii. Origenes: Paulus indiscretam & facilem Romanorum obedientiam notat; filii hujus seculi in malo sunt sapientes, intenti ad malum. Contra Apostolus vult nos esse in bono sapientes; ut, quod bonum est, id sapienter efficiamus, tempus & occasiones illud faciendi captantes, ut eo modo fiat, quo faciendum est.

20. (*i*) Gr. conteret omnem adversarium, & dæmonem in primis, cujus caput conteres, si primam peccati suggestionem repellas.

22. Saluto vos ego Tertius (*k*), qui scripsi epistolam in Domino.

23. Salutat vos Cajus hospes meus, & universa Ecclesia. Salutat vos Erastus arcarius civitatis, & Quartus, frater (*l*).

24. Gratia (*m*) Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

25. Ei autem, qui potens (*n*) est vos confirmare juxta Evangelium meum, & prædicationem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti,

26. (Quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti,

27. Soli sapienti Deo, per Jesum Christum, cui (*o*) honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

22. (*k*) Hic fuit quasi scriba, aut amanuensis Apostoli; hanc saltem exscripsit.

23. (*l*) Græc. œconomus, cui commissa erat cura publici ærarii.

24. (*m*) Hec subscriptio erat consueta Apostolis: nam in ipsa fronte Epistolæ nomen erat inscriptum.

25. (*n*) Longum hyperbaton sensum efficit subobscurum: Hic vero est sensus: Ei qui potest vos stabilire in fide suscepta, per quam adhæretis Evangelio de Christo Jesu; qua quidem Evangelii prædicatione manifestatur mysterium omnibus retro sæculis tacitum: *Quodque nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum*: qui Christum, & vocationem gentium prædixerunt, prout Deus æternus ordinaverat, ut scilicet fidei ab omnibus obediatur; sit illi, inquam, honor & gloria. *Secundum præceptum*: ex mandato Dei.

27. (*o*) Hoc pronomen superfluum videtur. Idem significat, quod, *illi*: pleonasmus est frequens apud Hebræos, & relativum abundat, cum antecedens expressum fuit.

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS PRIMA.

PAULUS Corinthi circa annum Christi 52. ut multis videtur, primus Evangelium prædicavit, tum diversis temporibus Petrus Apostolus & Apollo Corinthios in fide confirmarunt: Urbs erat Achajæ in Isthmo, qui Peloponnesum cum Græcia jungit, posita. In ea urbe Apostolus sesquiannum exegerat, & magam hominum multitudinem ad Christi fidem adduxerat. Circa annum 57. Corinthii ad eum cum esset Ephesi miserunt Stephanum, Fortunatum, & Achaicum, qui illum de statu Ecclesiæ suæ certiorem facerent, quique aliquas circa matrimonium, virgines & viduas proponerent quæstiones. Iidem, ut verisimile est, abusus inductos eum edocuerunt, quos in hac Epistola libertate Apostolica corrigit, simul & difficultates propositas solvit. Priorem ad Corinthios Epistolam Ephesi datam conscripsit. Quæ ad mores pertinent, fusius, & ad omnium captum accommodate persequitur; quæ pastorum in Deum, & in plebem, quæ fidelium in Deum, in seipsos, & in pastores constare debeant officia, ac duo præ ceteris Christianæ religionis Mysteria, Eucharistiam nimirum & corporum resurrectionem, apertius exponit Corporis Christi realem præsentiam & manducationem, ut fidelibus notas, & ab omnibus receptas, paucis quidem verbis, sed ita claris edisserit, ut in contrarium sensum trahi non possint. Mitto quæ de linguarum & prophetiæ donis subjicit, quæque in nascentis Ecclesiæ exordio erant vulgata.

CAPUT PRIMUM.

Præmissa congratulatione, eorum reprehendit dissidia.

1. AULUS, vocatus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, & Sosthenes (*a*) frater,

2. Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsorum, & nostro (*b*).

3. Gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo.

4. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia (*c*) Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu:

5. Quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia:

6. Sicut (*d*) testimonium Christi confirmatum est in vobis:

7. Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, expectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi,

8. Qui & confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Jesu Christi.

9. * Fidelis (*e*) Deus: per quem vocati estis in societatem filii ejus Jesu Christi Domini nostri. * 1 Thess. 5. 24.

10. Obse-

CAPUT I. 1. (*a*) Qui ante conversionem ad Christi fidem princeps Synagogæ extiterat, & coram tribunali Gallionis Proconsulis, a Judæis ipsis multis verberibus est affectus.

2. (*b*) Per aquas baptismi, & fidem in Christum; *Vocatis sanctis*; vocatione sanctis

3. (*c*) Ob gratiam Dei: *In Christo Jesu*, per Christum Jesum.

6. (*d*) Gr. καθώς. quod exponunt, *per quæ*, nempe sermonem & intelligentiam mysteriorum Dei, testimonium Christi in vobis confirmatur. Ex quibus donis palam est veram vos accepisse fidem. Atque hæc sunt divinitatis Christi, quæ vobis est annuntiata, & Spiritus sancti præsentiæ testimonia.

6. (*e*) Verax est Deus; certum illud est & indubitatum fore ut opus inceptum perficiat. *In societatem*, ejusdem felicitatis. Hactenus congratulatio Apostoli, quæ ad corpus Ecclesiæ Corinthiorum universim pertinet, in qua multi erant donis sancti Spiritus locupletati, tametsi complures erant in eadem Ecclesia his donis destituti.

10. Obſecro (*f*) autem vos, fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti: ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.

11. Significatum eſt enim mihi de vobis fratres mei, ab iis qui ſunt Chloes (*g*), quia contentiones ſunt inter vos.

12. Hoc autem dico, quod unuſquiſque veſtrum dicit: Ego quidem ſum Pauli (*h*): ego
* Act. 18. 24. autem * Apollo: ego vero Cephæ: ego autem Chriſti.

13. Diviſus (*i*) eſt Chriſtus? Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?

14. Gratias ago Deo, quod neminem ve-
* Act. 18. 8. ſtrum baptizavi, * niſi Criſpum & Cajum:

15. Ne quis dicat quod in nomine meo baptizati eſtis.

16. Baptizavi autem & Stephanæ domum: ceterum neſcio ſi quem alium baptizaverim.

17. Non enim miſit me Chriſtus baptizare,
* 2. Petr. 1. 16. Inf. 2. 1. & 7. 13. ſed evangelizare: * non in ſapientia verbi (*k*), ut non evacuetur crux Chriſti.

18. Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt
* Rom. 1. 16. nobis, * Dei virtus eſt.

19. Scriptum eſt enim: * Perdam ſapientiam
* Iſai. 29. 14. ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.

* Iſ. 33. 18. 20. * Ubi ſapiens (*l*)? ubi ſcriba? ubi conquiſitor hujus ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi?

21. Nam quia in Dei ſapientia non cognovit (*m*) mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.

22. Quoniam & Judæi ſigna (*n*) petunt, & Græci ſapientiam quærunt:

23. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum (*o*), Gentibus autem ſtultitiam;

24. Ipſis autem vocatis Judæis (*p*), atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam:

25. Quia quod ſtultum (*q*) eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.

26. Videte enim vocationem (*r*) veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles:

27. Sed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia:

28. Et ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt (*ſ*), ut ea quæ ſunt deſtrueret.

29. Ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.

30. Ex ipſo (*t*) autem vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapientia a Deo,
& * juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio: * Jer. 23. 5.

31. Ut quemadmodum ſcriptum eſt: * Qui * Jer. 9. 23. & 24
glorietur, in Domino glorietur. 2. Cor. 10. 17.

CAPUT II.

Apoſtolus non in humanæ ſapientiæ verbis ſe Corinthios docuiſſe declarat, ſed miraculis, tamquam invictis uſum eſſe argumentis, ſapientiam loqui mundo abſconditam.

1. ET ego, cum veniſſem ad vos, fratres,
veni * non in ſublimitate ſermonis, aut * Sup. 1. 7.
ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti.

2. Non enim judicavi (*a*) me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.

3. * Et ego in infirmitate (*b*) & timore, * Act. 18. 1.
& tremore multo fui apud vos:

4. Et ſermo meus, & prædicatio mea, * * 2. Pet. 1. 16.
non in perſuaſibilibus (*c*) humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis:

5. Ut fides (*d*) veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.

6. Sa-

10. (*f*) Diſſidia primum inter Corinthios orta commemorat, eoſque obſecrat, ut omnia diviſionis ſemina abjiciant. *Sitis autem*. Ut ſitis concordes in eadem ſententia.

11. (*g*) Ex familia piæ mulieris; aut forte locus aliquis deſignatur.

12. (*h*) Eos non reprehendit, quod quiſque ſuo præceptore gauderet, ſed quod ſalutem uni Deo acceptam non referant, eamque neglecto Chriſto ſuis magiſtris tribuant. *Ego autem Apollo*, qui poſt Apoſtolum fidem Corinthiorum confirmavit: *Ego vero Cephæ*, propter ejus auctoritatem: ſeu Petrus Corinthum venerit, ſeu quoſdam Judæos Romæ, ut multis videtur, ad fidem converterit, qui propter edictum Claudii Corinthum ſe receperint.

13. (*i*) Quod uni debetur Chriſto in plures dividitis. Merito id metuebat Apoſtolus, ne inter Chriſtianos ſchiſmata, aut diſſidia orirentur, ut inter Philoſophos, qui nomina ſua ex cujuſque ſectæ auctore ſumpſerant. An plures ſunt Chriſti? unus ille eſt magiſter noſter. *Numquid*. Redemptio hominum, & Sacramentorum inſtitutio ad unum Chriſtum pertinent, non ad Paulum, aut ad Petrum.

17. (*k*) Non in humana Eloquentia. *Evacuetur*. Ne homines ſalutem ſuam humanæ eloquentiæ tribuant, non paſſioni Chriſti.

20. (*l*) Iſaias cap. 33. 18. *Ubi ſapiens*, ubi profeſſor & doctor ſapientiæ? *Ubi ſcriba*, legiſperitus. *Ubi conquiſitor hujus ſæculi*, ubi Philoſophus, aut naturæ indagator? *Non ſtultam fecit*, Inanem prorſus, cum ad pravos mores corrigendos, & ad veram Dei cognitionem informandam Deus non elegerit hujus ſæculi ſapientes.

21. (*m*) Cum Dei ſapientia in hujus mundi conditione & regimine ubique fulgeat, perpauci tamen ad eam intenderunt animum, ac nulli fere ex operum Dei aſpectu fructum aliquem perceperunt. Placuit Deo aliam inire viam, rationi fidem, doctis abjectos & humiles ſubſtituere, & ſalvare homines prædicando Deum crucifixum, quod ſtultitiæ ſpeciem præferebat; *Et ſalvos facere credentes*. Id vero parum videbatur idoneum perſuadendis hominibus.

22. (*n*) Miracula: *Et Græci ſapientiam quærunt*; Philoſophi rationes & ornatum orationis Judæi auctoritate, Gentiles ratione perſuaderi volunt.

23. (*o*) Quod aliis infimum, alii ſtultum videtur; illis horrori eſt, his contemptui.

24. (*p*) Qui ſigna petunt, & prodigia, Chriſtum Dei virtutem; Græcis, qui rationes quærunt, Dei ſapientiam.

25. (*q*) Salvare homines per crucem: *Sapientius eſt hominibus*, qui per ſuam ſapientiam vel unum hominem probum efficere numquam potuerunt. *Fortius eſt*; nullis enim obicibus a fine ſibi propoſito deduci potuit.

26. (*r*) Multitudinem vocatorum, & per quos vocati ſunt: *Non multi ſapientes ſecundum carnem*, humana ſapientia: *Non multi nobiles*, generis claritate.

28. (*ſ*) Quæ pro nihilo habentur. Ut ea quæ videntur ſublimia, deſtrueret.

30. (*t*) Per Dei gratiam vos eſtis vocati: *Et ſanctificatio, & redemptio*; Per quem ſanctificati ſumus & redempti.

CAP. II. 2. (*a*) Non enim aliud vos docere ſtatui, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Ita me geſſi apud vos, ac ſi non aliud ſcirem. Quæ duo neque eloquentiam, neque humanam requirunt ſapientiam: ſed ea ſimplici fide & humili ſermone prædicari oportuit. *Chriſtus crucifixus & lac ſugentibus, & cibus eſt proficientibus*. Auguſt. Tract. 98. in Joann.

3. (*b*) Quod utique cum ſermonis, aut ſapientiæ humanæ oſtentatione, & pompa non convenit.

4. (*c*) Non verbis exquiſitis, & ad perſuadendum appoſitis. *Sed in oſtenſione*; Sed eluſi Spiritus ſancti donis, & miraculis, tamquam demonſtrationibus invictis, Evangelii prædicationem comprobante. Qua quidem agendi ratione uſus ſum.

5. (*d*) Ut fidem veſtram non humanæ ſapientiæ, ſed virtuti Dei per nos operanti tribueretis: nec tamen deeſt ſermonibus noſtris vera ſapientia.

6. Sapientiam autem loquimur inter perfectos (*e*): ſapientiam vero non hujus ſæculi, neque principum hujus ſæculi, qui deſtruuntur;

7. Sed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita (*f*) eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram,

8. Quam nemo principum hujus ſæculi cognovit (*g*): ſi enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.

* Iſ. 64. 4. 9. Sed (*h*) ſicut ſcriptum eſt: * Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum:

10. Nobis autem revelavit (*i*) Deus per ſpiritum ſuum: Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.

11. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi ſpiritus Dei.

12. Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis:

* Sup. 1. 17. & 2. 4. 2. Pet. 1. 16. 13. * Quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina (*k*) ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes.

14. Animalis (*l*) autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere: quia ſpiritualiter examinatur.

15. Spiritualis autem judicat (*m*) omnia: & ipſe a nemine judicatur.

* Sap. 9. 13. Iſ. 40. 13. Rom. 11. 34. 16. * Quis enim cognovit (*p*) ſenſum Domini, qui inſtruat eum? Nos autem ſenſum Chriſti habemus.

CAPUT III.

Studium partium, & diſſenſionum radices evellendæ: carnales vocat contentionis amantes. Plantat & rigat miniſter, ſed Deus dat incrementa. Chriſtus eſt Eccleſiæ fundamentum. Nemo glorietur in hominibus.

1. ET ego, fratres non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus (*a*). Tamquam parvulis in Chriſto,

2. Lac (*b*) vobis potum dedi non eſcam; nondum enim poteratis: ſed nec nunc quidem poteſtis: adhuc enim carnales eſtis.

3. Cum enim ſit inter vos zelus, & contentio: nonne (*c*) carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?

4. Cum enim quis dicat: Ego quidem ſum Pauli; alius autem: Ego Apollo: nonne homines eſtis? Quid igitur eſt Apollo? quid vero Paulus?

5. Miniſtri ejus, cui credidiſtis, & unicuique ſicut Dominus dedit.

6. Ego plantavi (*d*), Apollo rigavit: ſed Deus incrementum dedit.

7. Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incrementum dat, Deus.

8. Qui autem plantat, & qui rigat, unum ſunt. * Unuſquiſque autem (*e*) propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. * Pſ. 61. 13. Matth. 16. 27.

9. Dei enim ſumus adjutores (*f*): Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis. Rom. 2. 6. Gal. 6. 5.

10. Secundum gratiam Dei, quæ data eſt mihi, ut ſapiens architectus (*g*) fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat. Unuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet.

11. Fundamentum (*h*) enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.

12. Si

6. (*e*) Inter fideles jam divinis imbutos myſteriis: ſapientiam loquimur juxta cujuſque ſtatum & conditionem, non humanam: *Neque principum*, non potentum; aut forte dæmonum, quorum imperium magis ac magis quotidie exoleſcit.

7. (*f*) In myſterio Incarnationis; quam Deus ab æterno præparavit, ut nos gloriæ ſuæ participes efficeret.

8. (*g*) Non Philoſophi, non Oratores, & juxta Chryſ. non Herodes, aut Pilatus, aut Judæorum principes; nec juxta Ambroſ dæmones ipſi, qui ſi cognoviſſent Chriſtum eſſe Deum, & redemptorem, numquam ejus mortem procuraſſent: adeo ut hæc Dei ſapientia in non ſeipſa modo, ſed etiam in mediis, quæ elegit, omnino fuerit abſcondita. *Dominum gloriæ*. Sic Deus vocari ſolet in Scripturis, ac Paulus eodem titulo Chriſtum deſignat.

9. (*h*) Particula *Sed*, in pleriſque codicibus Latinis deeſt, & ea ſublata non minus commodius videtur ſenſus. *Loquimur Dei ſapientiam*, abſconditam rationi humanæ, aut ſenſibus inacceſſam: *Sicut ſcriptum eſt. Quod oculus non vidit*, Iſaiæ 6 *Quæ præparavit Deus*, vitam æternam ſolis Chriſtianis cognitam, & præparatam in Filii ſui Incarnatione. *Quod promittitur in futuro, non cernitur in præſenti*: Hieron. Epiſt. 148. ad Marcellam.

10. & 12. (*i*) Nempe per Spiritum ſanctum. *Accepimus*, Non humana ſapientia & mundana ſumus inſtituti, ſed divina. Nec fas eſt res divinas ad humanam rationem exigere.

13. (*k*) Quam nobis ſuggerit Spiritus ſanctus. *Spiritualia comparantes*, Si quæ oritur obſcuritas, unum Scripturæ locum cum alio apertiore conferimus: Chriſti reſurrectionem, ut exemplo utar Chryſoſtomi, cum Jonæ typo, qui ventri ceti per triduum incluſus fuit.

14. (*l*) Qui ſenſibus tantum, & humanæ rationis lumine ducitur. *Examinatur*, Gr. *Dijudicatur*, lumine tantummodo ſpirituali.

15. (*m*) Quid bonum ſit, quid malum, ex lumine fidei dijudicat: *Et ipſe a nemine judicatur*; Chryſ. arguitur, vel diſcutitur: non a fidelibus, quod ab iis non diſſideat: non ab incredulis, cum eorum examine ſit ſuperior, quæque ſunt ſpiritualia, captum hominis carnalis ſuperent.

16. (*n*) Id vero ex teſtimonio Iſaiæ cap 40. confirmat: ſoli ergo nolunt conſilia Dei, qui ejus Spiritum acceperunt ut Apoſtoli, quique Spiritu Chriſti animantur.

CAP. III. 1. (*a*) Carnales vocat, quos antea animales dixit, quibus ſublimia & ſupra eorum captum prædicare non debuit, ſed ad eorum infirmitatem ſe demittere. *Tamquam parvulis in Chriſto*. Tamquam infantibus.

2. (*b*) Gr. Γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, *potavi vos lacte*, Non ſolidum cibum, ſed facilem & ſimplicem doctrinam dedi, ut in catechiſmis fieri ſolet; in ſacris concionibus ſolidior traditur cibus. Altiora Dei myſteria nondum vos docere potui.

3. & 5. (*c*) Cujus rei contentiones veſtræ & æmulationes magno ſunt argumento. *Cui crediſtis*. Gr. *per quem crediſtis*: alii cod. *per quos crediſtis*; non ii ſunt auctores fidei, ſed per eos tamquam per canales ad vos illa manavit.

6. (*d*) Primus omnium vobis Chriſtum annuntiavi, & fidei elementa tradidi. *Apollo rigavit*, ſermonis ubertate, & præceptis fidem aluit veſtram. *Sed Deus*. Fidei veſtræ ut plantis incrementum dat, quam ſerunt ejus miniſtri, & rigant verbo prædicationis, orationibus ſuis & Sacramentorum adminiſtratione.

8. (*e*) Ambo nihil aliud ſunt quam miniſtri unius & ejuſdem Domini.

9. (*f*) Operarii a Deo miſſi; vos autem Dei opus eſtis, & ejus agricultura, ad quam ille nos applicat; ager eſtis quem ipſe colit, ædificium quod noſtris manibus extruit.

10. (*g*) Ædificii ſpiritualis, fidem in Jeſum Chriſtum: Templum illud Eccleſia eſt, cujus fundamentum Chriſtus, Architecti ſunt Apoſtoli.

11. (*h*) Ac ne hæretici quidem commenta ſua, niſi ſub Chriſti nomine, commendant: vel non aliud poteſt legitimum ſubſterni hujus ædificii fundamentum, quam Chriſti doctrina.

12. Si quis autem superædificat (*i*) super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam.

13. Uniuscujusque opus manifestum erit: Dies (*k*) enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.

14. Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet.

15. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur (*l*): ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem.

16. Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus (*m*) Dei habitat in vobis?

17. Si quis autem templum Dei violaverit
* Inf.6.19. (*n*) disperdet illum Deus. * Templum enim
2.Cor.6.16. Dei sanctum est, quod estis vos.

18. Nemo se seducat (*o*): si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens.

19. Sapientia enim hujus mundi, stultitia
* Job 5.13. est apud Deum. Scriptum est enim: * Comprehendam sapientes in astutia eorum.

* Ps.93.11. 20. Et iterum: * Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt.

21. Nemo itaque glorietur in hominibus.

22. Omnia enim vestra (*p*) sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: omnia enim vestra sunt:

23. Vos autem Christi (*q*): Christus autem Dei.

CAPUT IV.

Cum ex occasione prædicatorum Evangelii orta esset inter Corinthios dissensio, quid de his sentiendum sit docet: non eos ut salutis auctores, sed ut Dei ministros, & Sacramentorum dispensatores spectari oportere.

2.Cor.6.4. 1. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.

2. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur (*a*).

3. Mihi autem pro minimo (*b*) est ut a vobis judicer, aut ab humano die: sed neque meipsum judico.

4. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus (*c*) sum: qui autem judicat me, Dominus est.

5. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita (*d*) tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique a Deo.

6. Hæc autem, fratres, transfiguravi (*e*) in me, & Apollo, propter vos: ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio.

7. Quis enim te discernit (*f*)? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

8. Jam saturati (*g*) estis, jam divites facti estis: sine nobis regnatis: & utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus.

9. Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos (*h*): quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.

10. Nos (*i*) stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles.

11. Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles (*k*) sumus,

12. Et * laboramus operantes manibus no- * Act.20.34.
stris: maledicimur, & benedicimus: persecutio- 1.Thess.2.9.
nem patimur & sustinemus.

13. Blasphemamur, & obsecramus: tamquam 2.Thess.3.8.
purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.

14. Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo.

15. Nam

12. (*i*) Doctrinam puram, & sanam, is mercedem amplam accipiet. Ligna, fœnum, stipulæ, sunt doctrinæ pravæ, aut inanes.

13. (*k*) Dies extremi judicii, qui illucescet cum igne. Vox *Domini*, deest in Græco. Unde quidam interpretantur, tempus futurum. Sed longe probabilior est prior expositio de die extremi judicii.

15. (*l*) Ut Architectus qui parietem male coagmentatum erexit, is mulctabitur: *Sic tamen quasi per ignem*: Quod quidem de doctrina non prava, sed plus satis curiosa nonnulli interpretantur. *Salvus erit quasi per ignem*. Ut qui ex incensa domo elabuntur: at non item qui templum Dei falsis doctrinis evertunt, ut pseudo-apostoli & hæretici. Vox, *quasi*, apud Hebræos & Hellenistas interdum est affirmans.

16. (*m*) Ergo Spiritus sanctus est Deus: nam Deus solus templum habet.

17. (*n*) Profanaverit per falsas doctrinas, aut corruptos mores, Deus æternis suppliciis illum condemnabit. *Templum*: *Hoc Templum*, inquit Augustin serm. 20. de verbis Apost. *credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur*.

18. (*o*) Ne forte sibi blandientes de humana sapientia, respondeant satis se esse instructos, ut sanam doctrinam a perversa secernant: hos admonet mundi hujus sapientiam stultitiam esse coram Deo; idque probat ex cap. 5. Job, & ex Psalm. 93.

22. (*p*) Ad vestram salutem ordinata; nulli enim addicti estis, immo omnia vestra sunt.

23. (*q*) Ut Dei & hominis: *Christus autem Dei*, ut homo ad Deum ordinatur. Vel Christo in omnibus placere, & parere debetis, ut ipse Patri placuit.

CAP. IV. 2. (*a*) Ut non desit muneri suo, vel utilitati proximi, non rebus suis serviat.

3. (*b*) Quod ad me attinet, non reformido hominum de me judicia; *Aut ab humano die*, hominum favore approbari. Sic Jeremiæ 17. *Tu es laus mea, & diem hominis non desideravi, tu scis*: dies quoque pro judicio subeundo in tribunali sumitur. Sic dies dicitur hominis ut judicio se sistat: dies Domini in Scripturis pro extremi Dei judicio sumitur. *Judico*: Gr. *dijudico*, ut me cum aliis conferam.

4. (*c*) Fieri enim potest, ut quædam mihi peccata insint, quæ me fugiant. Vel in iis, quæ sunt ministerii mei, nihil mihi conscius sum.

5. (*d*) Obscuras & tenebrosas hominum cogitationes, actiones, & quo sint facta.

6. (*e*) Meo & Apollo nomine usus sum propter vos, ne si vestrorum Doctorum, aut Pseudo-apostolorum nomina appellarem, majorem vobis præberem dissensionum occasionem; atque id etiam feci ut vestro pudori consulerem. Gr. *In figuram*, transtuli in typum, aut in exemplum eorum me & Apollo constitui. *Ut in nobis discatis*, non cuiquam nostrum plus tribui oportere quam ministris Dei.

7. (*f*) Quis te ab aliis, quibus te anteponis, secernit, nisi ipse Deus? *Accepisti*: Aliquis forsan respondeat se suo labore, aut studio ab aliis fuisse secretum; id pressius urget Apostolus; si accepisti a Deo ipso naturæ, aut gratiæ dona, *quid gloriaris?* Ex superiori versiculo, & ex iis qui sequuntur, palam est hæc ad Corinthios, seu ad discipulos, non ad pseudo-apostolos, quos in secunda Epistola reprehendit, omnino referri oportere.

8. (*g*) Jam cælestibus donis repleti estis, cum antea pauperes essetis.

9. (*h*) Ut qui feris sunt expositi, quos Tertull. bestiarios vocat.

10. (*i*) Hominum judicio. *Vos autem prudentes*: Vestro quidem judicio. Hæc autem sunt verba indignantis, & ironice dicta.

11 & 13 (*k*) Nullam certam sedem habentes. *Purgamenta*. Quasi sordes: *Omnium peripsema*, instar pulveris, aut scobis e ligno abrasæ. Aut juxta alios; ut victimæ expiandis populi peccatis destinatæ.

15. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.

16. Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

17. Ideo misi (*l*) ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino, qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubique in omni Ecclesia doceo.

18. Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam.

19. Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit: & cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem.

20. Non enim in sermone est regnum (*m*) Dei, sed in virtute.

21. Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?

C A P U T V.

De incestuoso primum agit, quem excommunicari jubet, tum de aliis peccatis; pravos Christianos vitari oportere.

Levit. 18. 7. & 20. 11. 1. OMnino auditur (*a*) inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.

2. Et vos inflati estis: & non magis luctum habuistis ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.

* Col. 2. 5. 3. * Ego quidem absens corpore, præsens (*b*) autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est,

4. In nomine (*c*) Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu,

5. Tradere (*d*) hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.

* Gal. 5. 9. 6. Non est bona gloriatio vestra. * Nescitis quia modicum fermentum (*e*) totam massam corrumpit?

7. Expurgate (*f*) vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.

8. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ: sed in azymis sinceritatis & veritatis.

9. Scripsi (*g*) vobis in epistola: Ne commisceamini fornicariis.

10. Non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiisse.

11. Nunc autem scripsi vobis non commisceri; si is, qui frater nominatur (*h*), est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum ejusmodi nec cibum sumere.

12. Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis?

13. Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum (*i*) ex vobis ipsis.

C A P U T VI.

Lites fugiendas: ac præsertim coram Judice Ethnico; iniquitatem omnem, quæque cæli aditu prohibeat, fornicationem in primis exagitat, qua proprium corpus dedecorat.

1. AUdet (*a*) aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, & non apud sanctos?

2. An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis?

3. Nescitis quoniam Angelos judicabimus? quanto magis sæcularia?

4. Sæcularia igitur judicia si habueritis: contemptibiles (*b*) qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.

5. Ad verecundiam (*c*) vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum?

6. Sed

17. (*l*) Ut ab eo discatis vitæ meæ rationem. *Fidelis in Domino*: in iis quæ ad cultum Dei pertinent.

20. (*m*) Christiana perfectio: sed in morum sanctimonia, & in potenti operatione.

CAP. V. 1. (*a*) Constans & certa fama; paulo ante quasi optionem iis dederat, utrum veniret ad vos cum severa & paterna correptione, ut decet venire Patrem ad filios pravæ indolis: an cum lenitate, ut ad filios bene moratos. Atque hinc occasionem sumit puniendi incestuosum & adulterum: Flagitium erat publicum, & inter Ethnicos, saltem ejus loci & temporis pene inauditum.

3. (*b*) Seu mente sancto Spiritu Dei illustrata, sed potestate & auctoritate Apostolica munitus. *Judicavi*, Sententiam excommunicationis tuli adversus hunc hominem.

4. (*c*) Formam excommunicationis & anathematis, Christi auctoritate sibi concessa pronuntiat, quasi in cœtum fidelium esset spiritu translatus. Cum hæc punitio sit omnium maxima, in paucos atque ob gravia scelera est decernenda. Multi erant Corinthi scelerum rei, unus tamen ab Apostolo abscinditur, quod excommunicatio ex Tertull. Apolog. cap. 39. *Summum sit futuri judicii præjudicium, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis & conventus, & omnis sancti commercii relegetur*. Itaque non passim & temere, sed circumspecte fulmen illud vibrandum. *Et in spiritu & in nomine Domini nostri Jesu Christi*, ut ait Apostolus.

5. (*d*) Vel obsidendum ad aliorum terrorem, vel ab Ecclesiæ consortio eum repellendo, ita ut in potestatem satanæ veniat inde. *In interitum carnis*, ut carne sit afflictus, sive per pœnitentiæ labores, sive per vexationem confidentis dæmonis: *Ut spiritus salvus fiat*, qui finis est excommunicationis, salus nimirum animæ pœnitentis, & Ecclesiæ utilitas.

6 (*e*) Aut malæ doctrinæ, uti Dominus de fermento Pharisæorum dixit: vel pravi exempli, uti de hoc incestuoso; *Totam massam corrumpit*: Gr. *conspersionem fermentat*; suo sapore inficit.

7. & 8. (*f*) Alludit ad ritum Judæorum, qui circa festum Paschatis fermentatum omne e domibus suis abjiciebant. *Immolatus*: Gr. *pro nobis*; isque semper pro nobis, & in usus nostros immolatur, in altari; vita Christianis, quos panes azymi adumbrabant, & pura & sancta agenda est, omni malitia & hypocrisi abjectis.

9. & 10. (*g*) Quæ forsan excidit: *Ne commisceamini*. Non gentilibus, & ab Ecclesia alienis: Chrysostomus, Theodoretus & alii existimant, In hac ipsa Epistola id scriptum esse.

11 (*h*) Qui tam manifeste peccat, ut talis nominetur, & passim audiat ut fornicator.

13. (*i*) Gr. τὸν πονηρόν, quod ad malum, & ad fornicatorem, qui novercam suam pro concubina habebat, referri potest.

CAP. VI. 1. 2. & 3. (*a*) Adversus litigantes, qui apud Infideles caussas suas agebant, usque ad vers. 15. invehitur, eoque acriter reprehendit, quod res indigna videretur, & Ecclesiæ injuriosa: quasi deessent idonei inter Christianos arbitri, qui has lites dirimerent. *Et si in vobis*, Si per vos judicabitur mundus; indigni estis, *qui de minimis judicetis? Quanto magis sæcularia?* Quæ ad vitæ hujus usum pertinent, quæque sunt peritura.

4. (*b*) Cum de rebus minimis agatur. Quod ironice, & quasi indignans dicit, ut iis pudorem incutiat.

5. (*c*) Non ut ea de re statuat abjectos homines, quique nullo habentur loco, judices constitui oportere, qui lites ortas componant: at si nulli sint judices domestici, malim apud infimos Christianos litem dijudicari, quam apud infideles vel potentissimos.

6. Sed frater cum fratre judicio contendit: & hoc apud infideles?

*Matth. 5. 39. Luc. 6. 29. Rom. 12. 17. 1.Thess.4. 6. 7. * Jam quidem omnino delictum (*d*) est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?

8. Sed vos injuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus.

9. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri,

10. Neque molles (*e*), neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.

11. Et hæc quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.

12. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt (*f*): Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.

13. Esca ventri, & venter escis (*g*): Deus autem & hunc, & has destruet: corpus autem non fornicationi, sed Domino: & Dominus corpori.

14. Deus vero & Dominum suscitavit: & nos suscitabit per virtutem suam.

15. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens (*h*) ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.

16. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? * Erunt enim (inquit) duo in carne una. *Gen.2.24. Matth. 19. 5. Marc.10.8. Eph. 5.31.

17. Qui autem adhæret (*i*) Domino, unus spiritus est.

18. Fugite (*k*) fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.

19. An nescitis quoniam * membra vestra, templum (*l*) sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, & non estis vestri? *Sup.3.17. 2.Cor.6. 16.

20. * Empti enim estis pretio magno. Glorificate (*m*), & portate Deum in corpore vestro. *Infr.7.23. 1.Pet.1.18.

CAPUT VII.

Quatuor quæstiones de matrimonio sibi propositas solvit Apostolus, & nuptis dat consilia, illud in primis ut quisque maneat in quo vocatus est statu; virginitatis affert comoda, nuptiarum incomoda; de viduis quoque edisserit.

1. De quibus autem scripsistis (*a*) mihi: Bonum est homini mulierem non tangere.

2. Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat (*b*).

3. * Uxori vir debitum (*c*) reddat: similiter autem & uxor viro. *1.Pet.3.7.

4. Mulier (*d*) sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

5. Nolite fraudare (*e*) invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsum: ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.

6. Hoc autem dico secundum indulgentiam (*f*), non secundum imperium.

7. Volo

7. (*d*) Gr. defectus, imbecillitas, & impotentia animi, qua cupiditati succumbitis.

10. & 11. (*e*) Illi sunt qui se ultro polluunt, vel qui turpia patiuntur; hi vero turpia peragunt; utrique in crimen abominandum incurrunt. *Neque maledici*: vox Græca eos significat, qui alios conviciis insectantur. *Fuistis*, alii alio vitio inquinati.

12. (*f*) Unicuique licet, quod suum est, judicio repetere; idque per se malum non est, nec præcepto vetitum: sed sæpius non expedit. *Potestate*, quod fit cum lites sequimur: nolim vos sub infidelium potestate redigi; idque ob bona temporalia, quæ corpori tantum serviunt. Multa nobis licent, sed ad populorum, aut ad nostram utilitatem non expediunt. *Sapienter enim illicita superat, qui didicerit etiam non uti concessis*. Gregor. M. Lib. 7. Epist. 39.

13. (*g*) Sibi mutuo facta sunt. Sed earum usum Deus abolebit: duo vitia sibi cognata impudicitiam cum intemperantia jungit Apostolus: nam, ut præclare Tertull. L. de Jejuniis, cap. 1. *Monstrum scilicet haberetur libido sine gula: cum hæc duo tam unita, atque concreta sint*. *Corpus autem non fornicationi*: Ne forte simplicem fornicationem inter res indifferentes & usus promiscui haberent: *Sed Domino*, ut membrum capiti suo subditum esse debet, & illi servire; *Et Dominus corpori*, August. serm. 28. de verbis Apost. *Si ergo unusquisque cupiens fornicari, vilescat sibi, & in seipso contemnat seipsum, saltem non in se contemnat Christum*: Corpus itaque non fornicationi; sed Domino servire debet, ac Dominus illud suæ gloriæ particeps efficiet.

15. (*h*) Id sine quodam sacrilegio fieri nequit, quod tamen fit, cum fornicatione corpus contaminatur.

17. (*i*) Nam unusquisque id fit, quod vehementer amat: *Unus est spiritus*, voluntatum conjunctione, gratia, charitate.

18. (*k*) Hoc vitium potius fugiendo, quam pugnando vincitur. *In corpus suum peccat*; quod ignominia afficit.

19. (*l*) Ergo Spiritus sanctus est Deus: nam uni Deo templum & altare consecrantur.

20. (*m*) Græce. *In corpore vestro, & spiritu vestro*, quæ sunt Dei, non vestri: corporis & animi puritate Deum colite; castum servate corpus vestrum in obsequium Dei. Flagitium est, iis quæ Dei sunt, contra ipsum prave uti.

1. (*a*) Postquam Apostolus de iis, quæ corrigenda in Corinthiorum Ecclesia videbantur, sermonem habuit, nunc quæstionibus in Epistola quæ excidit, propositis sigillatim respondet. Prima ex iis quæstionibus hæc fuit, utrum matrimonio jungi bonum esset, & ad salutem utile. Generatim respondet continentiam matrimonio anteponi oportere. Aliis tamen videtur quæstionem de conjugatis esse propositam, an post fidem acceptam a re uxoria esset abstinendum. Sic enim respondet: *Bonum est homini mulierem non tangere*: Gr. *mulieri non adhærere*, si per utriusque consensum liceat τὸ κ... , res esset egregia, si id fieri posset sine periculo. Ita Græcorum scholia. Scripserant Paulo, si oporteret ab uxore abstinere, an non? Theodoretus in hunc locum. *Scribis autem, continentiam quidem laudans, fornicationem vero vituperans, conjugalem autem conjunctionem concedens*. CAP. VII.

2. (*b*) Non relinquat, ea utatur. Quem locum exponens Hieron. L. 1. contra Jovin. *Non dixit, unusquisque propter fornicationes ducat uxorem, sed unusquisque suam uxorem habeat, suam, inquit, habeat, sua utatur, quam habebat antequam crederet*. Item Chrysost. *Habeat, id est, utatur sua*. Gr. *Propter fornicationes*, propter varias libidinum species vitandas.

3. (*c*) Mutua viri & uxoris officia designat; primum est ut sibi mutuum amoris conjugalis debitum reddant: Gr. *debitam benevolentiam*, quæ omnia conjugii officia complectitur, debitum in primis conjugalis copulæ, cum exigitur.

4. (*d*) Uxor, eadem voce Græca γυνή, utitur, qua prius, cum ait: *Bonum est homini mulierem non tangere*.

5. (*e*) Debito conjugali: adeo ut semper de conjugatis loquatur: *Ut vacetis orationi*: diebus præcipue Dominicis, & solemnibus, cum Eucharistiam sumebant. Tum enim fiebat oratio publica: Græce additur, *& jejunio*. *Propter incontinentiam vestram*; ne Satanas vos in peccatum inducat propter vestram continendi impotentiam.

6. (*f*) Nempe ut se invicem non fraudent. *Et iterum revertantur*: Hæc autem non ut præceptum tradit, ut illud, Non occides: *Sed secundum indulgentiam*, quasi ad infirmitatem eorum se demittens, & secundum concessionem: non utique matrimonium indulgentia eget, cum sit sanctum; sed conjuges, cum limites ipsos & finem institutionis conjugii excedunt.

7. Volo (*g*) enim omnes vos esse sicut meipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic.

8. Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis si sic permaneant (*h*), sicut & ego.

9. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere (*i*), quam uri.

10. Iis autem, qui matrimonio juncti (*k*) sunt, præcipio non ego, sed Dominus, * uxorem a viro non discedere: *Matth. 5. 32. & 19. 9. Marc. 10. 9. Luc. 16. 18.

11. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.

12. Nam ceteris ego dico, non Dominus (*l*). Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.

13. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum:

14. Sanctificatus (*m*) est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.

15. Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi: in pace (*n*) autem vocavit nos Deus.

16. Unde enim scis mulier, si virum salvum facies (*o*)? aut unde scis vir, si mulierem salvam facies?

17. Nisi (*p*) unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, & sicut in omnibus Ecclesiis doceo.

18. Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat (*q*) præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur.

19. Circumcisio nihil est, & præputium nihil est: sed observatio mandatorum Dei.

20. * Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. *Eph. 4. 1.

21. Servus vocatus es? non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis utere (*r*).

22. Qui enim in Domino vocatus (*s*) est servus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, servus est Christi.

23. * Pretio empti estis, nolite (*t*) fieri servi hominum. *Sup. 6. 20. 1. Petr. 1. 18.

24. Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum.

25. De virginibus autem præceptum (*u*) Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.

26. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem (*x*), quoniam bonum est homini sic esse.

27. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem.

28. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit: tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco.

29. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: reliquum est, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes sint:

30. Et qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non possidentes:

31. Et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura (*y*) hujus mundi.

32. Volo

7. (*g*) Vellem vos esse continentes, sicut ego sum, virgines nempe.

8. (*h*) Quod autem præmisit: *Dico non nuptis, & viduis*; hinc colligi potest de conjugatis ante locutum fuisse.

9. (*i*) Quam libidinis flammis non tentari modo, sed & superari, & vastari. Nam pugnare & vincere gloriosum est: idque intelligi debet de iis, quibus licet nubere. Si continere se non possint, nubant. Nec propterea licet nubere, si continentiam voverit. Sed is jejunium, orationem, & alia adhibeat remedia. Cum ait postea Apostolus, *Si nupserit virgo, non peccat*, de virginibus sacris non loquitur.

10. (*k*) De conjugatis tantummodo Christianis agit, ut videtur Augustino. Nam alteri quæstioni a Corinthiis propositæ respondet, quæ ad divortia spectat. Si quæ justa separationis caussa occurrat, ne conjuges alterum ineant matrimonium. *Caussa vero una est, adulterium. Ceteras vero universas molestias, si quæ forte extiterint, jubet pro fide conjugali, & pro castitate fortiter sustinere*. August. L. 1. de serm. Domin. in monte, cap. 14.

12. (*l*) Dubium tertium de conjugio inter fidelem & infidelem proponit, idque in Evangelio non esse definitum ait, sed Apostolus negat ejusmodi matrimonia dirimi; aut infidelem abjici oportere, dummodo is consentiat, neque ullum sit fidei periculum. Quod autem ait, *Dico ego non Dominus*, consilium tantum esse existimat Augustinus, ut fidelis infidelem consentientem retineat. Præceptum esse contendit Theodoretus: adeo ut Apostolus dicat se non invenire ea de re præceptum in Evangelio, sed eam legem ferri. Id vero advertit Theodoretus post Chrysostomum, non statuere Apostolum, nec jubere ut mulier fidelis infideli jungatur: nam contrarium præcipit: paullo post enim viduis legem ferens subjungit: tantum in Domino, hoc est, fideli.

14. (*m*) Vetus est & certimus matrius. Fidelis etiam consuetudine ad fidem præparatur infidelis. *Immundi essent*, haberentur adulterini, non legitimi; vel filii velut in fide educati infideles fierent, ii potissimum, qui facto divortio parentem infidelem sequerentur: conjux ipse a fideli conjuge munitatur: unde qui nascuntur filii, ad Baptismum præparantur bona institutione, conjugis fidelis pietate, & exemplis: ob alterius sanctitatem sanctificatur matrimonii usus.

15. (*n*) Ad pacem nos vocavit. Quod si infidelis habitare simul non consentit, nec sine periculo salutis id fieri potest, tum discedendum est; ne tranquillitas animi, & pax, ad quam nos vocavit Deus, continuis jurgiis turbetur, ac fides ipsa periculo exponatur.

16. (*o*) Occurrit tacitæ objectioni. Forsan virum infidelem lucrabor. *Unde scis*, inquit, *si virum salvum facies?* Cum te ad defectionem a fide solicitet, tutius est ab eo discedere.

17. (*p*) Græci legunt, *an non*, idque referunt ad præcedentia: unde scis si uxorem salvam facies, an non? Unde speras fore ut uxorem salvam facias? *Nisi unicuique sicut divisit Dominus*, supple, *gratiam*: ita quisque ambulet, sicut unumquemque vocavit. Vox, *nisi*, idem significare potest, quod verumtamen. De discensione & divortio fidelis ab infideli dixit: si pax esse non possit sine divortio; alioquin vult unumquemque in vocatione sua & statu permanere. Nam fides conditionem cujusque non mutat. *Sicut in omnibus Ecclesiis doceo*: Gr. *præcipio*: quod variis postea illustrat exemplis.

18. (*q*) Quod fieri posse tradit *Epiphanius* Lib. de ponderibus & mensuris, & Census, Lib. 7. cap. 25. uno verbo, non id afferat, ut incircumcisus videatur. Hoc enim, ut ait Chrysost. ad fidem nihil confert.

21. (*r*) Servitute utere ad animi salutem, in usum bonum eam confer: vel ut aliis videtur, si te offerat occasio consequendæ libertatis, illa utere, & in libertatem te assere. Aliter Chrysost. *Magis utere, magis serva, volens ostendere, quod nihil lædit servitus*; sed magis prodest.

22. (*s*) A Christo in libertatem filiorum Dei est ascitus, & manumissus; atque hæc verba ad præcedentia referuntur: *Non sit tibi curæ*.

23. (*t*) Non de civili servitute loquitur Apostolus, juxta S. Chrysost. sed de vitiorum servitute: *Non eam tollit servitutem, sed eam quæ est a vitio, in qua sunt etiam liberi*.

25. (*u*) Quæsitum ab eo fuerat, an perpetua virginitas a Domino præcepta fuerit. Id vere negat: sed tamen hanc suadet iis qui in eo sunt statu, ut virginitatem suam Deo consecrare possint. *Ut sim fidelis*: gratiam Apostolici muneris in Gentes consecutus, ut fideliter iis consulam.

26. 28. 29. (*x*) Ob difficultates & incommoda, quibus obnoxii sunt conjugati. *Peccasti*, Hieron. Lib. 1. contr. Jovin. Non *illa virgo*, inquit, *quæ semel Deo cultui dedicaverit*. Virgines enim, quæ post consecrationem nupserint, non tam sunt adulteræ quam incestæ. *Tribulationem*, Dolores partus, & mille incommoda matrimonii, quæ quidem obstant, quominus pietati penitus incumbant. Ab iis vellem vos immunes esse: *Vobis parco*. *Non habentes*, Ob brevitatem vitæ, non magnopere iis sint addicti.

31. (*y*) Gr. Σχῆμα, species, dispositio, habitus: *Incassum cor quasi amantes figitis, dum fugit ipse quem amatis*, Gregor. Pastor. part. 3. cap. 27.

32. Volo (z) autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.

33. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus (aa) est.

34. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.

35. Porro hoc ad utilitatem vestram dico: non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.

36. Si quis autem turpem se videri existimat (bb) super virgine sua, quod sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat: non peccat, si nubat.

37. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem (cc), potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit.

38. Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.

* Rom. 7. 2. 39. * Mulier alligata est legi (dd) quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat: tantum in Domino.

40. Beatior autem erit si sic permanserit, secundum meum consilium: puto (ee) autem quod & ego Spiritum Dei habeam.

C A P U T VIII.

Aliam solvit quæstionem de idolothyto; illud non esse illicitum per se de idolothytis edere, nisi id contra conscientiam, vel cum aliorum scandalo fiat.

1. DE iis autem, quæ idolis sacrificantur (a), scimus quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas vero ædificat.

2. Si quis autem se existimat scire (b) aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire.

3. Si quis autem diligit (c) Deum, hic cognitus est ab eo.

4. De escis autem, quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum (d) in mundo, & quod nullus est Deus, nisi unus.

5. Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cælo, sive in terra (siquidem sunt dii multi, & domini multi):

6. Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia (e), & nos in illum: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.

7. Sed non in omnibus est scientia (f). Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant: & conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur.

8. Esca autem nos non commendat (g) Deo. Neque enim si manducaverimus, abundabimus: neque si non manducaverimus, deficiemus.

9. Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis.

10. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio (h) recumbentem: nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?

11. * Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? * Rom. 14. 15.

12. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.

13. * Quapropter si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo (i) carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. * Rom. 14. 21.

C A-

32. (z) *Velim vos esse sine sollicitudine*: unde & continentiam suadeo. Hieron. Lib. 1. adversus Jovin. *Ut nihil aliud esset, ut nulla merces amplior Virginem sequeretur, sufficeret hæc sola prælatio, cogitare quæ Domini sunt.*

33. & 35. (aa) In varias distractus curas. *Injiciam*, non ut vobis necessitatem imponam. *Dominum obsecrandi*, vel observandi. Ut in obsequio assidui sitis: Græc. *Assidui adeste Domino, sine distractione.*

36. (bb) Quod si quis in animum suum induxerit sibi probro esse, quod filiam jam ætate provectam non collocet. *Et ita oportet fieri*, quod filia nolit virginitatem servare: *Non peccat, si nubat.*

37. (cc) Eam collocandi in matrimonium: *Potestatem autem habens*, nec movetur vulgi sermonibus, & huic proposito consentit filia; *Bene facit.*

39. (dd) Matrimonii, vivente viro; adeo ut alteri nubere non possit; quamdiu vir ejus vivit: sed eo mortuo, *liberata est a lege*; Gr. libertatem habet nubendi cui volet: *Tantum in Domino*, secundum Dominum; Christiano, non infideli, castis & honestis nuptiis, juxta leges Christianæ religionis.

40 (ee) Ea voce utitur ex modestia; non enim dubitabat quin spiritu Dei ageretur in consiliis dandis. Simul id insinuat in consiliis quæ dedit, sibi fidem potius adhibendam, quam iis qui diversa consulebant.

CAP. VIII. 1. (a) Consultus fuerat Apostolus, an liceret de idolothytis edere; erant enim qui sibi videbantur aliis peritiores, qui citra scrupulum & cum scandalo infirmorum idolothyta palam edere non dubitabant, de sua scientia nimirum præsumentes. Hunc abusum hoc in capite & in duobus, quæ proxime sequuntur, evellere volens Apostolus, primum a præjudicata eorum opinione, qua de scientia sua nimium sibi tribuebant, eos deducit. *Scientiam habemus*, qua novimus idola nihil esse. Verum id nec sufficit: *nam scientia inflat*, cum sola est, & a charitate secreta; *charitas vero ædificat*; aliorum salutem promovet. *Scientiam habemus omnes*; pars major fidelium.

2. (b) In quo sibi blandiatur, hic necdum scit, quis sit finis & usus scientiæ, ut scilicet aliis prosit, obsit nemini, nec de sua scientia superbiat.

3. (c) Deum; & proximum propter Deum; *Hinc cognitus est ab eo*; approbatus ac dilectus.

4. (d) Nihil est in eo numinis, nihil divinum exprimit, aut repræsentat.

6 (e) Prodierunt: *Et nos in illum*, redimus per veram religionem. *Et unus Dominus Jesus Christus*, *per quem omnia*, creata sunt, & nos per ipsum conditi sumus, & redempti. Hæc summa fidei nostræ. Deus Creator, unus Christus Redemptor: de Spiritu Sancto non loquitur, de quo alibi sæpe.

7. (f) Hæc scientia quod idolum nihil sit: Quidam autem cum conscientia erronea carnes idolis oblatas edunt, seu idolothyta, & repugnante conscientia manducant alienis exemplis inducti. Itaque propter infirmorum conscientiam, qui putant escas illas inquinatas esse, omnino ab iis abstinere debetis.

8. & 9. (g) Per se nos non commendat Deo: qui ex idolothytis edunt, non propterea Deo sunt gratiores. Unde ab iis facile possunt & debent abstinere, cum infirmis sint offendiculo. Abstinentia, quidem sæpe est actus virtutis; sed esus idolothyti pietatem nostram non promovet: immo infirmis est ruinæ occasio.

10. & 11 (h) In loco ubi de idolothytis convivia faciebant. *In tua scientia*. Per tuam scientiam.

13 (i) Paratus sum per totam vitam abstinere a carnibus potius, quam fratribus infirmis esse offendiculo: Maligni & invidi sunt contemnendi, Christi exemplo Matth. 15. Sed cavendum ne infirmis simus scandalo.

CAPUT IX.

Exemplo suo docet quam vitandum sit scandalum, & promovenda proximi ædificatio; se omnibus omnia factum; in hoc niti, ut præmium propositum assequatur.

1. NON sum liber (*a*)? Non sum Apostolus? Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi? Nonne opus meum, vos estis in Domino?

2. Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum: nam signaculum (*b*) Apostolatus mei vos estis in Domino.

3. Mea defensio (*c*) apud eos, qui me interrogant, hæc est.

4. Numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi?

5. Numquid non habemus potestatem mulierem (*d*) sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?

6. Aut ego solus, & Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi?

7. Quis militat suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?

8. Numquid secundum hominem (*e*) hæc dico? An & lex hæc non dicit?

* Deut. 25. 4. 1. Tim. 5. 18. 9. Scriptum est enim in lege Moysi: * Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus (*f*) cura est Deo?

10. An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi,

* Rom. 15. 27. 11. * Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?

12. Si alii potestatis (*g*) vestræ participes sunt, quare non potius nos? sed non usi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi.

13. * Nescitis quoniam qui in sacrario (*h*) operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deserviunt, cum altari participant? * Deut. 18. 1.

14. Ita & Dominus ordinavit (*i*) iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.

15. Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi hæc ut ita fiant (*k*) in me: bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.

16. Nam si evangelizavero, non est mihi gloria (*l*): necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non evangelizavero.

17. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio mihi credita est.

18. Quæ est ergo merces (*m*) mea? Ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio.

19. Nam cum liber (*n*) essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem.

20. Et factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer,

21. Iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem: iis, qui sine lege erant, tamquam sine lege esse (cum sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant.

22. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus (*o*) omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.

23. Omnia autem facio propter Evangelium (*p*): ut particeps ejus efficiar.

24. Nescitis quod ii qui in stadio currunt (*q*), omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis.

25. Omnis autem, qui in agone contendit (*r*), ab omnibus se abstinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam,

26. Ego

CAP. IX. 1. (*a*) Objectionem occupat durum esse libertate sua non uti in iis quæ sunt concessa, ne infirmos offendamus; qui infirmi debent & falsas persuasiones exuere. Exemplo suo eos retellit, quave charitate & œconomia erga infirmos usus fuerit, cum esset Apostolus, ostendit: sed prius Apostolatum suum, & potestatem sibi a Christo traditam adversus pseudoapostolos constituit. *Non sum liber*? Non sum mei juris? *Non sum Apostolus?* quod duplici probat argumento. *Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi*: qui me immediate misit. Deinde ex ipsa Corinthiorum ad fidem conversione id probat. *In Domino*. In iis, quæ ad Christianam pertinent religionem.

2. (*b*) Quasi sigillum quo litteræ mei Apostolatus sunt obsignatæ; apud quos Apostolatus opera edidi, ac dona Spiritus Sancti, quæ accepistis, sunt velut sigilla & characteres mei Apostolatus.

3. (*c*) Gr. Apologia hæc est apud eos qui discutiunt an sim Apostolus. Quæ apud vos per me Deus operatus est miracula, id ipsum evincunt.

5. (*d*) Mulieres pias quæ Apostolis ministrabant, quales Christum sequebantur; qui mos erat Judæorum.

8. (*e*) An tantummodo humanis rationibus hanc potestatem asserimus? An non potius jus illud lege ipsa sancitum est?

9. (*f*) An propter boves hæc facta est lex? An potius propter homines in sensu sublimiori, & intento a Spiritu Sancto?

12. (*g*) Facultatum, aut bonorum vestrorum. *Sed non usi sumus*: Ne moram afferremus prædicationi Evangelii.

13. (*h*) In templo, *operantur*: Bernardus de vita & mor. Cleric. *De altari, inquam, vivat, non superbiat, non luxurietur, denique non ditetur.*

14. (*i*) Constituit, & eo præcepto ii tenentur quibus Evangelium annuntiatur, Matth. 10. Bernardus ibidem: *Nec enim ordinavit Deus his qui Evangelio serviunt, aut habere delicias, vel ornatum: sed vivere, ait Paulus, ex eo, ut videlicet sint contenti alimenta corporis, non irritamenta gulæ, aut incitamenta libidinis, & quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere.*

15. (*k*) Ut mihi a vobis sumptus exhiberi velim. Id unum mihi assumo, hanc unam mihi tribuo gloriam ex meo ministerio.

16. (*l*) Non est cur gloriari possim, qui ad hoc ministerium ex mera Dei gratia vocatus sum: quod jubeor facere, id facio: *Necessitas enim mihi incumbit*; ne ut servus inutilis abjiciar. *Væ enim mihi si non evangelizavero*: cum sim pastor a Deo constitutus, cui munus prædicandi est impositum: sed majorem recipiam mercedem si ultro & volens hoc munere defungar. *Si autem invitus*, id est, jussus, & ex mandato, nihil est cur glorier: sed munus mihi impositum exequi debeo.

18. (*m*) Quod meritum singulare, nempe ut gratuito & sine sumptu prædicem Evangelium: *Ut non abutar potestate mea*, libertate sumptus exigendi, quod Evangelii fructum remorari potuisset. Sed non de hoc tantummodo jure decedere volui, quin & memetipsum vobis addixi, & meam libertatem ultro abdicavi.

19. (*n*) Ab omnibus; cum nulli essem obnoxius.

22. (*o*) August. Epist. 9 *Non mentiendo, sed compatiendo, non simulantis astu, sed commiserantis affectu.*

23. (*p*) Propagandum: *Ut ejus particeps efficiar*: ut assequar ea bona, quæ promittit, ut fructus ejus percipiam, Evangelium annuntians.

24. (*q*) Christianos, qui in cælum contendunt, cum athletis comparat, ex quibus pauci præmium propositum consequuntur, & ii soli qui perseveranter ad metam sibi propositam perveniunt: *Ut comprehendatis*: assequamini.

25. (*r*) Græc. in publico aliquo certamine. *Ab omnibus se abstinet*: Temperanter vivit, cibis & rebus omnibus parce utitur. Alludere videtur ad olympica certamina, quæ Corinthi celebrabantur, in quibus pugiles decertabant. *Ab omnibus*, quæ obesse possunt.

26. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans (*f*).

27. Sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus (*1*) efficiar.

CAPUT X.

Prosequitur Apostolus quod cœperat superiori capite, de recta vivendi ratione; ac primum vitia quæque, ac potissimum idololatriæ speciem omnem vitari oportere; per Eucharistiam fideles unum esse corpus ostendit.

1. NOlo (*a*) enim vos ignorare fratres,
* Exod. 13. 21. quoniam patres nostri omnes * sub nu-
Num. 9. 11. be fuerunt, & omnes * mare transierunt;
* Exod. 14. 22. 2. Et omnes in Moyse (*b*) baptizati sunt, in nube, & in mari:
* Exod. 16. 15. 3. * Et omnes eamdem escam (*c*) spiritalem manducaverunt,
* Exod. 17. 6. 4. * Et omnes eumdem potum spiritalem
Num. 20. 11. biberunt: (bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus.)
5. Sed non in pluribus eorum beneplacitum
* Num. 26. 64. & 65. est Deo: * nam prostrati sunt in deserto.
6. Hæc autem in figura (*d*) facta sunt no-
* Ps. 105. 14. stri, ut non simus concupiscentes malorum, * sicut & illi concupierunt.
7. Neque idololatræ efficiamini, sicut qui-
* Exod. 32. 6. dam ex ipsis: quemadmodum scriptum est: * Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.
* Num. 25. 1. 8. Neque fornicemur, * sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die viginti tria millia.

9. Neque tentemus (*e*) Christum: * sicut * Num. 21. 5. & 6.
quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt.
10. * Neque murmuraveritis, sicut quidam * Num. 11. 1. & 14. 1.
eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.
11. Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.
12. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat (*f*).
13. Tentatio vos non apprehendat nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere.
14. Propter quod charissimi mihi, fugite (*g*) ab idolorum cultura:
15. Ut prudentibus loquor (*h*), vos ipsi judicate quod dico.
16. Calix benedictionis, cui benedicimus (*i*), nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?
17. Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, (*k*) omnes qui de uno pane participamus.
18. Videte (*l*) Israel secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?
19. Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid?
20. Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum:

21. Non

26. (*f*) Sed certis ictibus hostem meum, seu carnem, ferro & lumgo. Hac similitudine ostendit quam pauci sint, qui ad destinatum præmium & magnis laboribus perveniant, quod capite sequenti usque ad v. 14. prosequitur, ne Corinthii superbia elati inertem vitam agant.

27. (*1*) Dignus qui ejiciar, si vivendi ratio verbis non respondeat.

CAP. X. 1. (*a*) Quod in extrema parte superioris capite proposuit, id probat exemplo Israelitarum, qui ex Ægypto sunt educti, ut terram promissam adirent, quique variis a Deo beneficiis affecti Christianorum statum figurabant. *Sed nube*. Quæ tabernaculum & populum ab æstu solis defendebat, ac Dei singularem in eos providentiam & curam exprimebat.

2. (*b*) Gr. *In Moysen*: duce Moyse: typice sunt baptizati *in nube*, quæ Spiritus sancti gratiam, *& in mari*, quod aquas Baptismi exprimebat.

3. & 4. (*c*) Manna e cælo demissum; Eucharistiæ typum, unde & Esca spiritalis dicitur, uti & aqua quæ e rupe manavit: utraque corporis & sanguinis Domini figura fuit mystica: *Consequente eos petra*: Gr. *Per petram iter comitante*; quod aquæ quas fundebat Petra percussa in rivos divisæ longo itinere profluerent: Psalm. 77. *Et deduxit tamquam flumina aquas, & torrentes inundaverunt*. Non Petra eos consequebatur, sed Christus in petra figuratus. Unde mox subdit: *Bibebant autem de spiritali*: Id est, credebant in Christum, in eum sperabant: *Petra autem erat Christus*, de cujus latere in cruce percusso sanguis & aqua exierunt, quibus potati sumus, & redempti, ac cælestis gratiæ aqua viva in nos exundavit. *Beneplacitum est Deo*: tot affecti beneficiis in terram promissionis non pervenerunt, nisi Josue & Caleb.

6. (*d*) Ut ab eorum vitiis abstineamus; alioquin in deserto perpetuæ vastitatis perituri.

9. & 11. (*e*) Diffidentia, ut Israelitæ, qui Deum, & suum ducem tentaverunt, cum dixerunt, *Cur eduxit nos de Ægypto*? quasi experiri illius potentiam volentes. *Tentaverunt*, Adeo ut supplendum sit, eum, id est, Christum Dominum. *Pervenerunt*, Qui ad ultimam mundi ætatem devenimus.

12. & 13 (*f*) Alienis exemplis sapiat. *Tentatio*, Leves, & humanas non experiri est impossibile: sed eas non foveatis, ne fiant gravius insuperabiles: Gr. *Non vos apprehendit*: nondum experti estis vehementes tentationes; & tamen in Deo confidite. *Sed faciet*, Felicem dabit exitum; adeo ut nullum ex tentatione damnum, sed potius lucrum reportemus.

14 (*g*) Iterum ab idolothytis, & ab omni specie idololatriæ eos deterret, vel ex eo maxime, quod in quavis religione, quicumque ex immolatis edit, altaris, & cultus illius religionis particeps fiat; idque ex cultu Christianæ religionis probat.

15. (*h*) Theod. *Una cum laude affert reprehensionem bonis verbis, ut ea bene accipiantur*.

16. (*i*) Quem cum gratiarum actione sumimus: vel calix qui prius benedicitur, quam consecretur, & sumatur. *Frangimus*. Seu corpus Christi quod sub specie panis sumimus, nonne declarat nos communicare cum vero Christi corpore, & vero ejus sanguine? Sacrificia infidelium cum sacrificio Christianorum, altare cum altari, calicem cum calice comparat, & instar principii id ponit, Eucharistiam verum esse Sacramentum, & sacrificium, ac communionem corporis & sanguinis Domini. Chrys. in hunc locum, valde fideliter dixit & terribiliter; hoc est autem quod dicit: *Id quod est in calice, est id quod fluxit a latere, & illius sumus participes* .... *Qui amant quidem, in possessionibus, pecuniis & vestibus suam ostendunt liberalitatem, & magnificentiam, in sanguine autem nullus umquam: quod tamen Christus fecit in hoc Sacramento, ut amorem suum in nos ostenderet*. *Participamus*: Gr. nam participamus.

17. (*k*) Quæ communicatio adeo est vera & realis, ut omnes qui eumdem panem manducamus, idem corpus mysticum efficimur. Hinc concludendum relinquit eos, qui idolothyta comedunt, participes fieri sacrificii idolis oblati; ut qui de pane Eucharistico edunt, ii fiunt participes sacrificii Eucharistici. Chrysostom. *Quid autem sunt, qui sumunt corpus Christi? non corpora multa, sed unum corpus*.

18. (*l*) Idipsum illustrat ex cultu Judaico. *Participes*, Nonne ostendunt se colere eum Deum, cujus est altare, & in ejus societatem venire? Quæ argumentatio Apostoli probat per esum idolothytorum, altaris & cultus idolorum eos quodammodo participes fieri, eaque hoc nititur principio: corporis & sanguinis Christi Dominici participationem veram esse & realem, ut participatio carnium Judæorum sacrificiis est realis. Quod si participatio illa in typicam, quæ fit per fidem tantummodo, commutetur, nulla erit Apostoli consecutio.

21. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ (*m*) dæmoniorum.

22. An æmulamur (*n*) Dominum? Numquid
*Sap.6.11. fortiores illo sumus? * Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.

23. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant (*o*).

24. Nemo quod suum est quærat (*p*), sed quod alterius.

25. Omne quod in macello vænit, manducate (*q*), nihil interrogantes propter conscientiam.

*Ps 23.1. 26. * Domini est terra, & plenitudo ejus.
Eccli. 37. 31. 27. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.

28. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum, qui indicavit, & propter conscientiam (*r*).

29. Conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius (*s*). Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia?

30. Si ego cum gratia participo, quid blasphemor (*t*) pro eo quod gratias ago?

*Colo.3.17. 31. * Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam (*u*) Dei facite.

32. Sine offensione estote Judæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei:

33. Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.

CAPUT XI.

Primum de mulierum agit velamine; tum de Eucharistia, ne quis ad eam indigne accedat, atque ut quisque seipsum probet.

1. IMitatores (*a*) mei estote, sicut & ego Christi.

2. Laudo (*b*) autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.

3. Volo autem vos scire, * quod omnis viri caput (*c*) Christus est: caput autem mulieris, vir: caput vero Christi, Deus. *Eph.5.23.

4. Omnis vir orans (*d*) aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.

5. Omnis autem mulier (*e*) orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum: unum enim est ac si decalvetur.

6. Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum.

7. Vir quidem non debet velare (*f*) caput suum: quoniam * imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. *Gen.1.26.

8. Non enim vir ex muliere est, sed mulier (*g*) ex viro.

19. * Ete-

---

21. (*m*) Altaris dæmoniorum: ergo mensa Domini est ipsum altare, in quo offertur corporis & sanguinis Domini sacrificium: mensæ iisdem est cum sumitur ut Sacramentum.

22. (*n*) Græc. an illum ad zelum & iram provocare volumus? *Omnia mihi licent*: rem esse licitam obtendebant: *Sed non omnia expediunt*, habita ratione temporis, loci & personarum.

23. (*o*) Nec licent, cum utilitati proximi adversantur. Is enim ædificari debet, non offendi.

24. (*p*) Nemo vesci velit Idolothytis cum aliorum offensione.

25. (*q*) Eo utitur temperamento, ut securitati infirmorum caveat: ne scrupulose quærant, unde carnes illæ quæ veneunt in macello prodierint: cum cuncta ad Dominum pertineant; id cavendum ne conscientia cujusquam, vel sua ipsa lædatur.

28. (*r*) Ejus scilicet, qui indicavit carnes esse immolatitias, vel propter infirmi conscientiam, abstinendum. Et propter conscientiam: particula. Et, idem exprimit, atque id est, explicationis vim habet, non conjunctionis.

29. (*s*) Qui te admonuit: non enim libertate mea uti debeo in fratris mei scandalum.

30. (*t*) Cur tamquam idololatra traducor? In his & superior hus ostendit se idolothyta sua prohibere, nisi quatenus subjectionem afferunt cultus idolorum, & infirmi offenduntur. Si per Dei gratiam quolibet cibo vesci possunt, & pro hac libertate gratias Deo ago, quid est cur blasphemer? Quid me sino blasphemari? & male audire apud Gentiles, qui, ut ait Chrysost. videntes Christianos idola aversari, & tamen ad eorum mensas accurrere, accusabunt eos simulationis & gulæ. Vel etiam apud fideles, qui propterea me condemnant, sicque objectioni occurrit; sed charitatis in primis vult habendam esse rationem: quæ omnia ad Dei gloriam & proximi ædificationem revocat.

31. & 33. (*u*) Cuncta ex ejus amore profluunt, cuncta ex amore nostro ad eum sunt referenda; de omni bono opere laudetur Deus. *Placeo*, ut veritas ipsa placeat.

CAP. XI. 1. (*a*) Hic versiculus ad superioris capitis finem pertinet. *Imitatores mei estote*, in eo maxime, quod non meam, sed aliorum utilitatem quæro. Chrysost. *Nihil enim æque potest facere imitatorem Christi, ac curam gerere proximorum.*

2. (*b*) Quod multi ex iis doctrinam ejus servarent. *Præcepta*: Græc. παραδόσεις, traditiones, seu instituta, quæ vobis tradidi. Omnes quidem eas traditiones, aut præcepta non servaverant; eos tamen universim laudat: *Sic enim*, inquit Chrysost. *& auditores fortiores reddebat, ac firmiores, & eorum qui adversabantur, detrahebat fastum.* Hac præmissa præfatiuncula, aliud qui obrepserat abusum reprehendit, qui in eo positus erat, quod mulieres aperto capite in Ecclesia aut prophetarent, aut Scripturas interpretarentur. Id vero & naturæ fini, & receptæ ubique consuetudini adversari docet, atque hoc veluti fundamentum ponit Christum esse caput viri, & virum mulieris.

3. (*c*) Qui virum regit, huic imperat, ac per Spiritum sanctum motus omnes efficit, & in sensus influit, ut caput in membra corporis; atque in similem fere modum vir est caput mulieris, quatenus mulier viro subjecta ab eo regitur: caput vero Christi, quatenus est Homo-Deus. Etsi Pater quoque dici potest caput Christi ratione principii, licet Christus Filius ejusdem sit essentiæ cum Patre, & illi consubstantialis, ut docet Chrysostom. caput autem est ejusdem essentiæ, cujus corpus: caput autem Christi est Deus. Sed ut optime advertit Theodoretus, Paulus, non divina decreta tradens, neque Theologia utens, aut de divinitate loquens hunc ordinem composuit, quo nimirum ritu viros & mulieres orare in Ecclesia oporteat. *Omnis viri caput*; omnium fidelium, de quibus loquitur.

4. (*d*) In cœtu publico aut prophetans, seu divina mysteria edisserens, velato capite, deturpat caput suum, dedecore afficit: caput autem illud, vel est ipsius hominis, vel Christus ipse, cui injuriam facit, quod id sit indecens: cumque immediate Christo subjaceret, hoc velamine profitetur se uxori subjici: nam velamen tum temporis subjectionem ex omnium consensu indicabat.

5. (*e*) Contra, si mulier oret in cœtu publico non velato capite, deturpat caput suum, & ignominia afficit, aut virum ipsum, cum hoc signo subjectionem ejus excutiat, aut caput proprium: nam perinde est, *ac si decalvetur*, seu radatur. Tam enim indecorum est mulieri sic orare in cœtu publico, quam tonsam incedere. Id quippe est mulieri peplum, quod naturale capillorum velum. Hinc videtur mulieribus optionem dare, ut orent velato capite, aut radantur: quod utique valde exhorrebant. Capilli enim sunt a natura concessi tamquam naturæ monitum quoddam, id omnino decere ut velo caput tegant, quod pudor & honestas imponunt. Illud judicabat Apostolus valde interesse ad salutem cum mulierum, tum virorum; ut mulieres magnam in vestibus modestiam ostenderent: *Orant aut prophetant*: In publico cœtu psalmos aut cantica recitant.

7. (*f*) Virum inter & mulierem hoc discriminis ponit: *Quod vir sit imago & gloria Dei*: Imago est Dei non tantum ob animam intellectualem (sic enim mulier est etiam imago & gloria Dei) sed ob principatum in cuncta viventia, atque in hoc principatu elucet imago & gloria Dei. Mulier autem gloria viri est, subjectionis suæ professione. Quod potius ex ipsa mulieri ob peccatum pœna a Deo inflicta: nam si virum non seduxisset, in omnibus viro æquaretur: post peccatum merito audit, ait Chrysost. *Ad virum tuum conversio tua*: quamquam id quoque probat ex creatione mulieris.

8. (*g*) Nam mulier e viro formata est in ejus adjutorium, ad vitæ societatem, & prolis propagationem, unde in viri gloriam creata est, non vicissim: siquidem vir est origo & finis mulieris. Sed & mulieris modestia viri gloria est, cum castitatis sit indicium.

*Gen.2.23. 9. * Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.

10. Ideo debet mulier potestatem (*h*) habere supra caput propter Angelos.

11. Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in Domino.

12. Nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem: omnia autem ex Deo.

13. Vos ipsi judicate: decet mulierem non velatam orare Deum?

14. Nec ipsa natura (*i*) docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi:

15. Mulier vero si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.

16. Si quis autem videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus (*k*), neque Ecclesia Dei.

17. Hoc autem præcipio (*l*): non laudans, quod non in melius, sed in deterius convenitis.

18. Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras (*m*) esse inter vos, & ex parte credo.

19. Nam oportet & hæreses (*n*) esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.

20. Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare.

21. Unusquisque enim suam cœnam præsumit (*o*) ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.

22. Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis: Laudo (*p*) vos? in hoc non laudo.

23. Ego enim accepi (*q*) a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem,

24. Et gratias agens (*r*) fregit & dixit: * Accipite & manducate: hoc est corpus meum, *Matth.26.26.
quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam Marc.14.22.
commemorationem. Luc.22.17.

25. Similiter & calicem (*s*), postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.

26. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis (*t*) donec veniat.

27. * Itaque quicumque manducaverit panem *Joan.6.59.
hunc, vel biberit calicem Domini indigne (*u*): reus erit corporis & sanguinis Domini.

28. * Probet autem seipsum homo, & sic *2.Cor.13.5.
de pane illo edat, & de calice bibat.

29. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium (*x*) sibi manducat & bibit: non dijudicans corpus Domini.

30. Ideo inter vos multi infirmi (*y*) & imbecilles, & dormiunt multi.

31. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.

32. Dum judicamur (*z*) autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

33. Itaque, fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate.

34. Si

10. (*h*) Decet mulierem velamen gestare, quod signum est potestatis viri in mulierem. *Propter Angelos*, qui sacris intersunt cœtibus, & testes sunt pudoris mulierum; vel ut aliis videtur, propter sacerdotes & ministros Ecclesiæ, quos mulierum inverecundia offenderet: ii vero sunt velut Angeli a Deo missi. Quamquam ut Christianis, sic Judæis persuasum est, Angelos ut Dei ministros actionibus nostris & cœtibus interesse. *Potestatem habere*, signum subjectionis; res significata pro signo.

14. & 15. (*i*) Id quoque ex recepta ubique consuetudine a natura ipsa profecta ostendit, non decere mulierem non velato capite orare; cum mulieribus capilli instar velamenti dati sint, non item viro. *Qui si comam nutriat, ignominia est illi*. Nam capillitium longius mollis animi indicium præbet. Contra in muliere, *si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt*: quod tamen aliud exigit velamen ab ipsa natura insinuatum: nam ut pulcre Tertull. Lib. de velind. virg. cap. 15. *Scriptura legem condidit, natura contestatur, disciplina exigit.*

16. (*k*) Contradicendi, vel quod mulier oret sine velamine, & aperto capite. Omnem amputat disceptationi locum ex recepta Ecclesiarum consuetudine. Quid ergo dicturi sunt, qui universæ Ecclesiæ consuetudines rejiciunt, neque Ecclesiæ Dei ubique diffusæ acquiescunt? Chrysost. Est ergo contentionis, non rationis, his resistere & contendere. *Ecclesiam Dei* Gr. Ecclesiæ.

17. (*l*) Gr. hoc autem præcipiens ne mulieres aperto capite orent; simul valde improbo alium quorumdam abusum multo deteriorem; *Quod non in melius, sed in deterius convenitis*, adeo ut cœtus vestri sæpe plus detrimenti, quam emolumenti afferant.

18 (*m*) Gr. *Schismata*, dissensiones; quibus de rebus inter se dissentirent, Apostolus non declarat.

19. (*n*) Tam in fide, quam in moribus: *Ut qui probati sunt*, qui firmi sunt & stabiles, *manifesti fiant in vobis*. Particula, ut, eventum, non caussam designat. Qua quidem ratione videtur innuere dissensiones illas circa mysteria ipsa & eorum fidem ibi ortas esse; unde institutionem Eucharistiæ refert ex ordine, & nuda fidei expositione disceptationes omnes eludit. Theodoretus tamen post Chrysostomum existimat per hæreses intelligi contentiones, non diversitates dogmatum. Quidam graviter errabant, sed magis ex ignorantia, quam ex pervicacia; & tamen hæreses cedunt in bonum Ecclesiæ, ut præter cæteros docet Augustin. Lib. 16. de Civit. cap. 2. *Multa quidem ad fidem Catholicam pertinentia dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius prædicantur, & ab adversario mota quæstio discendi existit occasio.*

21. (*o*) Ante Eucharistiæ sumptionem, communem cœnam instruebant divitibus & pauperibus communem, Christum imitantes: sed has agapas aut charitatis convivia non, ut par erat, celebrabant: divites cum aliis divitibus cœnabant, exclusis pauperibus. *Ebrius*, id est, large epulatur: Dicitur, si epulari vultis, cur privatim id domi non facitis? Cur his comessationibus Ecclesiam profanatis, aut contemnitis, & pauperes cum ignominia rejicitis?

22. (*p*) Quod conveniatis in unum. *In hoc non laudo*, quod pauperes contemnatis, & laute in Ecclesia epulemini: nam mysterio corporis & sanguinis Domini ea ratione injuriam facitis.

23 (*q*) Per revelationem accepi quod vos docui viva voce, cum apud vos essem.

24. (*r*) Cum gratias egisset: *Quod pro vobis tradetur*: Gr. κλώμενον, frangitur, quod frangendo nunc distribuitur, idem corpus tradetur in mortem. *Hoc facite in meam commemorationem*: Quod nunc facio, id a vobis fieri volo in memoriam passionis & mortis meæ, in qua sanguis a corpore fuit divisus.

25. (*s*) Accepit: *Testamentum*: Confirmat & continet novum Testamentum meo sanguine obsignatum; id meo sanguine, qui hoc continetur calice, sancitur. *Hoc facite*, vos Apostoli & Sacerdotes, consecrate, offerte, sumite, id facite quod jam feci.

26. (*t*) Gr. καταγγέλλετε, annuntiatis: Ecclesia ubique & perpetua successione per hoc Sacramentum annuntiat, & repræsentat mortem Christi ad extremum usque judicium, adeo ut hic sacer ritus ad mundi usque finem sit duraturus.

27. (*u*) Hinc colligitur, 1. sub una specie sumi posse Sacramentum; 2. eum qui conscius est peccati mortalis, & irreverenter accedit, reum esse corporis & sanguinis Domini violati & indigne suscepti. Petrus Blesensis Epist. 123. *Quam perditus ergo est qui redemptionem in perditionem, qui sacramentum in sacrilegium, qui mysterium in parricidium, qui vitam convertit in mortem?*

29. (*x*) Reatum damnationis incurrit: *Non dijudicans corpus Domini*: sed eo utens quasi cibo promiscuo: ergo verum est corpus Domini, non tantum ejus signum.

30. (*y*) Multi inter vos variis morbis & præmatura morte puniuntur.

32. (*z*) In hac præsenti vita. *Corripimur*, Dei misericordia castigamur.

34. Si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis. Cetera (*aa*) autem, cum venero, disponam.

C A P U T XII.

De donis Spiritus sancti, iisque gratis datis. Ecclesia unum est corpus; sua cuique membro functio, & membra mutua ope egent.

1. DE spiritualibus (*a*) autem, nolo vos ignorare, fratres.

2. Scitis quoniam cum Gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini (*b*) euntes.

* Marc. 9. 38. 3. Ideo notum vobis facio, * quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema (*c*) Jesu. Et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.

4. Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus:

5. Et divisiones ministrationum (*d*) sunt, idem autem Dominus:

6. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.

7. Unicuique autem datur (*e*) manifestatio Spiritus ad utilitatem.

8. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ (*f*): alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum:

9. Alteri fides (*g*) in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu:

10. Alii operatio virtutum (*h*), alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.

* Rom. 12. 3. & 6. Eph. 4. 7. 11. * Hæc autem omnia operatur (*i*) unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

12. Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus (*k*).

13. Etenim in uno Spiritu (*l*) omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi: & omnes in uno Spiritu potati sumus.

14. Nam & corpus non est unum membrum (*m*), sed multa.

15. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore?

16. Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore?

17. Si totum corpus oculus: ubi auditus? Si totum auditus: ubi odoratus?

18. Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, sicut voluit.

19. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus?

20. Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.

21. Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii.

22. Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt:

23. Et quæ putamus ignobiliora (*n*) membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.

24. Honesta (*o*) autem nostra nullius egent: sed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem,

25. Ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra.

26. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.

27. Vos

34. (*aa*) Quæ ad dignam Eucharistiæ sumptionem & certum sacrificii ritum spectant, *disponam*, viva voce, non scriptis.

CAP. XII. 1. (*a*) Inter Corinthios orta erat dissensio, quæ Spiritus sancti dona essent præstantiora, & in quem usum fidelibus essent concessa. De iis enim nonnulli insolescentes aliis se anteponebant: primum eos docet Apostolus quomodo hæc dona a dæmonum præstigiis discernantur, & quantum sit discriminis inter Christianam Religionem, & eam quam ante secuti fuerant.

2. (*b*) Nempe ut Ariolos & Pythones consuleretis, vel audiretis, *euntes*, Græce abducti ibatis, seu abducebamini: nam Hebræis & Græcis frequens est participium pro verbo. Ne igitur Spiritus sancti operationes cum dæmonum ludificationibus confunderent, hanc illis certam designat discretionis notam.

3. (*c*) Gr. Jesum: nemo Jesum execratur, aut illi maledicit, nisi maligno spiritu agitatus: *Dominus Jesus*; Potest quis nomen Jesu pronuntiare, & ore confiteri sine Spiritu sancto, Matth. 7. 21. At si ultro confiteatur Dominum, Jesum, eumque invocet cum pietate, seu ex pio voluntatis affectu, is Spiritu sancto movente loquitur. Si blasphemat, impuro spiritu agitatur. *Nomen illud*, inquit Bernard. serm. 15. in Cantica, *est lux, cibus, medicina; lucet prædicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit & ungit*.

5. & 6. (*d*) In Hierarchia Ecclesiastica sub eodem Christo Domino. *Operationum*. Miraculorum, aut insignium virtutum.

7. (*e*) Quæ præsentia Spiritus sancti ostenditur ad utilitatem Ecclesiæ, qui communis est usus horum charismatum finis. Atque ex iis donis externis notum fiebat Spiritu sancto eos afflari, qui iis instructi erant.

8. (*f*) Varia ejusmodi charismata recenset; *Sapientiam*; Per quam, ex Augustino, divina in se cognoscimus: sermo sapientiæ est facultas eloquendi res divinas & abditas a Deo revelatas; sermo scientiæ est donum exponendi res fidei modo quodam familiari per exempla & humanas rationes. Gr. *sermonem sapientiæ* de rebus altissimis, ut de mysteriis Trinitatis, aut Incarnationis: *Scientiam*, de rebus inferioribus interpretantur.

9. (*g*) Fides pro constanti in Deum fiducia hoc loco accipitur, quam donum miraculorum comitatur: *Alii gratia sanitatum*: curatio morborum.

10. (*h*) Miraculorum: *Alii prophetia*, seu in futurorum prædictione; seu in expositione Scripturarum. *Discretio*; divini spiritus, & humani, aut diabolici, donum quo dignoscebantur ii, qui divino erant afflati spiritu, a Magis & impostoribus. *Linguarum*, variarum linguarum cognitio & loquela. *Interpretatio*. Gr. *Linguarum*, qua scilicet aliqui non intelligentibus linguam alia lingua iis nota interpretabantur.

11. (*i*) August. Tract. 32 in Joann. *Accepimus & nos Spiritum sanctum, si amamus Ecclesiam; tolle invidiam, & meum est quod habes; livor separat, charitas jungit*.

12. (*k*) Christus totus; caput & corpus, seu Ecclesia, vel Christus unum habet corpus mysticum, quod multis membris constat.

13. (*l*) Per unum & eumdem spiritum: Corpus, quod est Ecclesia: *Baptizati sumus*; per Baptismum Christo insiti sumus: similitudinem corporis mystici cum naturali prosequitur. Primum quoad membrorum diversitatem: nam Judæi, Gentiles, servi, liberi, & omnis conditionis homines, per Baptismum Christo sunt insiti, in eam unitatem cum suo capite formantur. *In uno spiritu*. In Eucharistiæ Sacramento admirabilis illa unitas membrorum cum suo capite perficitur. Vel eumdem spiritum in Baptismo accepimus; quod metaphorica loquendi ratione exprimit.

14. (*m*) Immo ex multis est membris compactum, quæ inter se consentiunt. Unde & in corpore mystico vitanda esse schismata & obmurmurationes, subinde admonet; neque perfectiores adversus infirmiores ob accepta dona debent insolescere, ac vicissim infirmiores sua sorte contentos esse oportet: cum in corpore naturali membra debiliora plerumque fiant magis necessaria. Uti solet Apostolus exemplis & similitudinibus ex natura ipsa desumptis, ut sublimiora mysteria modo quodam familiari exponat.

23. (*n*) Ut pedes, ut venter, & viscera, hæc majori studio tegimus & vestimus.

24. (*o*) Ut facies & manus non egent ascititiis ornamentis.

27. Vos autem estis corpus Christi, & membra (*p*) de membro.

* Eph. 4. 11. 28. * Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolus (*q*), secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.

29. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores?

30. Numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?

31. Æmulamini autem charismata meliora (*r*). Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.

CAPUT XIII.

Sine charitate dona quæque gratuita, immo & martyrium ipsum, sunt infructuosa: charitatis dotes.

1. SI linguis hominum (*a*) loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.

2. Et si habuero prophetiam (*b*), & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.

3. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

4. Charitas patiens (*c*) est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur,

5. Non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum,

6. Non gaudet (*d*) super iniquitate, congaudet autem veritati:

7. Omnia suffert (*e*), omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

8. Charitas numquam excidit (*f*): sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.

9. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus.

10. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.

11. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.

12. Videmus nunc per speculum in ænigmate (*g*): tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.

13. Nunc autem manent, fides, spes, charitas: tria hæc: major autem horum est charitas.

CAPUT XIV.

De Prophetiæ & linguarum donis; his ad ædificationem utendum, uti & aliis donis.

1. SEctamini charitatem, æmulamini spiritalia (*a*): magis autem ut prophetetis.

2. Qui enim loquitur lingua (*b*), non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit. Spiritu autem loquitur mysteria.

3. Nam

27. (*p*) Membra invicem connexa, quæ a se mutuo pendent; Gr. *ex parte*: quod non sibi solis sint membra; vel pro suæ cujusque functionis munere; vel singillatim.

28. (*q*) Qui instar capitis omnes eas dotes possident, quique primitias Spiritus acceperunt. *Secundo Prophetas*, qui sunt quasi oculi occulta & futura prævidentes, quique olim frequentes erant in Ecclesia. *Tertio Doctores*, Prophetis in hoc erant inferiores, quod in illis donum esset a Deo omni ex parte profectum: Doctores autem inter erudiendum humanam adhiberent industriam, multo de suo admiscentes, quæ tamen cum fide & Scripturis consentiebant. Hi Doctores erant instar linguæ. *Deinde virtutes*: Gr. *Potestates*, abstractum pro concreto more Hebræorum: qui patrant miracula; iique sunt instar manuum: *Opitulationes*: Qui miseris opitulantur: *Gubernationes*, qui bona Ecclesiæ administrabant, aut cuncta ordinabant.

31. (*r*) Quandoquidem æmulamini charismata Ecclesiæ utilioia, adhuc *excellentiorem viam vobis demonstro*, hanc mox ostendam, quæ ad vitam æternam secta ducit; nempe charitatis viam.

CAP. XIII. 1. (*a*) Omnium gentium; *Angelorum*, seu facundissima, quæ est hyperbole: Sic elegantem hominis faciem, Angelicam vulgo dicimus. *Charitatem*; Linguarum donum, quo in primis gloriabantur Corinthii, quodve præ ceteris ambiebant, quod forte exteri eo frequentes convenirent, cum charitate ipsa, quæ, ut docet Augustinus, cordis lingua est, sic confert, ut donum illud linguarum charitate destitutum sit instar cymbali, vel æris tinnientis, seu edentis inconditum sonum, ut vox Græca exprimit. August. tract. 9. in Joann. *Quanta est ergo charitas, quæ si desit, frustra habentur cetera; si adsit, recte habentur omnia?*

2. (*b*) Seu futura & occulta prædicendi gratiam, seu Scripturas interpretandi donum; *Mysteria*, dona Prophetiæ, scientiæ, & fidei perfectæ miracula facientis, quam Dominus cum grano sinapis comparat, longe abesse a perfectione charitatis docet, cujus imaginem & effectus pulcre exprimit. Quin & martyrium ipsum cum affectu peccati lethalis, aut propter inanem gloriam susceptum, si absit charitas, nullius esse apud Deum momenti, aperte declarat.

4. & 5. (*c*) Gr. Longanimis: *Benigna*, comis, non aspera, non morosa. *Non æmulatur*, non invidet; *Perperam*, Gr. *non est procax*, nec præceps, sed lenis & placida: nihil agit inordinate: nihil tumultuarie. *Ambitiosa*: Gr. *Non se gerit indecore*, aut impudenter; *non quærit*; non sui, sed aliorum commodis servit; *non irritatur*, non exacerbatur; *non cogitat malum*; Gr. de proximo nihil mali suspicatur, non illi malum imputat, non ultionem petit, vel impuras cogitationes & desideria expellit.

6. (*d*) Non gaudet, si quis malum egerit; *veritati*, cum quis juste & pie vivit: nam veritas pro æquitate hoc loco & alibi sæpe sumitur.

7. (*e*) Gr. *continet*, aliorum facta silentio tegit, & benigne interpretatur. *Credit*, quæ prudenter credenda sunt, divinæ auctoritati in omnibus se subjicit; *Sustinet*, aliorum defectus patienter tolerat.

8. (*f*) Jam charitatis excellentiam præ aliis donis commendare incipit. Primum non intermoritur, nec cessat in patria, ut dona cetera. Hæc vero virtutum omnium finis est, & perfectio, quæ in hac vita, quantum est ex se, non excidit. Cetera dona Deus concessit, ut fidem constitueret, ea constituta non sunt amplius necessaria: scientia, & Prophetiæ cessabunt, quatenus imperfectionem habent adjunctam.

12. (*g*) Velut per radios e creaturis reflexos, & *in ænigmate*, obscure.

1. (*a*) Spiritus sancti dona sic consectari debetis, ut fratribus prodesse possint. Prophetiam & linguarum dona sic inter se confert, ut Prophetiæ donum anteponat, multas ob rationes, quas deinceps prosequitur. Illud Prophetiæ donum multi Scripturarum intelligentiam, aut prædicationis munus ædificandæ Ecclesiæ idoneum intelligunt, quod Prophetiæ dono est finitimum, cum zelo & spiritu Prophetarum est animatum CAP. XIV.

2. (*b*) Peregrina & incognita; *Loquitur*, cum nemo eam linguam intelligat, iis Deo tantum loquitur, non ad aliorum, sed ad sui ipsius ædificationem: mysteria loquitur, quæ explicare vix potest; cum sæpe difficile sit linguam peregrinam in vulgarem vertere: *Spiritu*, Græce τῷ πνεύματι, *Spiritus loquitur*: in Dei laudem, vel illi per Spiritum sanctum loquuntur mysteria, seu res aliis absconditas; nec tam magno fructu. Quæ est prima ratio cur donum Prophetiæ linguarum dono sit præferendum, cum sit utilius, & pluribus prosit. Qui autem linguis loquitur, nisi interpretationis donum acceperit, Ecclesiam non ædificat, quemadmodum is qui futura præscit, aut Scripturæ obscuriora evolvit loca, & speciali sancti Spiritus motu alios ad pietatem excitat, aut afflictos consolatur.

3. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem.

4. Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat: qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat.

5. Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare. Nam major est qui prophetat, quam qui loquitur linguis: nisi forte interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat.

6. Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens (c): quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina?

7. Tamen quæ sine anima (d) sunt vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint: quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur?

8. Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum?

9. Ita & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis; quomodo scietur id quod dicitur? eritis enim in aera loquentes (e).

10. Tam multa, ut puta, genera linguarum sunt in hoc mundo: & nihil sine voce est.

11. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus:

12. Sic & vos, quoniam æmulatores estis spirituum (f), ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut abundetis.

13. Et ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretetur.

14. Nam si orem lingua (g), spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.

15. Quid ergo est? Orabo (h) spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente.

16. Ceterum si benedixeris spiritu: qui supplet (i) locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit.

17. Nam tu quidem bene gratias agis: sed alter non ædificatur.

18. Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor.

19. Sed in Ecclesia volo quinque (k) verba sensu meo loqui, ut & alios instruam: quam decem millia verborum in lingua.

20. Fratres, nolite pueri (l) effici sensibus, sed malitia parvuli estote: sensibus autem perfecti estote.

21. In lege (m) scriptum est: * Quoniam in aliis linguis & labiis aliis loquar populo huic: & nec sic exaudient me, dicit Dominus. *Isa. 28. 11.

22. Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus (n): prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus.

23. Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles: nonne dicent quod insanitis?

24. Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur (o) ab omnibus, dijudicatur ab omnibus:

25. Occulta cordis ejus manifesta (p) fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit.

26. Quid ergo est, fratres? cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.

27. Sive

6. (c) Id vero exemplo suo confirmat: nam licet sit Apostolus, si loquatur linguis peregrinis, nihil eis proderit, nisi interpretetur, aut doceat per Prophetiam revelatione acceptam, aut scientiam studio, aut labore partam. Quatuor illa, revelatio, prophetia, scientia, & doctrina, ad duo revocari possunt, ad scientiam, & prophetiam; scientia quippe cum doctrina, prophetia cum revelatione confunditur. Nisi per scientiam mysteriorum nostram, per doctrinam fidei veritates, & regulas morum intelligamus: In revelatione, seu expositione rerum sublimium, aut in scientia, seu in explicatione rerum, quæ in Scripturis sunt intellectu faciliores, cujusmodi sunt historiæ sacræ, quæ facile intelliguntur.

7. (d) Ut instrumenta musica, quæ pulsantur, aut vento inflantur, nisi sonorum & modulorum distinctionem dederint, ex iis quid canatur scire non possumus. Sic donum simplex linguarum, nisi id cum interpretatione sit conjunctum, pene frustra est. Quæ est secunda ratio e vocis usu deprompta, cur linguarum donum sit infra prophetiæ gratiam.

9. & 10. (e) Frustra: nemo enim intelliget. Puta, Verbi gratia: Vide quot sint genera linguarum in hoc mundo. Nihil est sine voce distincta & intelligibili; cuique nationi sua est peculiaris lingua, qua quidem constant hominum commercia, & societas omnis. Atque hæc est tertia ratio, ex mutua hominum societate ducta, quæ omnino dissolvitur, cum homines non sese mutuo intelligunt, atque sibi invicem sunt barbari, & contemptui.

11. (f) Donorum: Ad ædificationem Ecclesiæ: hæc quærite, non ad ostentationem, sed quæ ad splendorem Ecclesiæ sunt utiliora.

14. (g) Publice: Spiritus meus orat, voluntas mea movente Spiritu sancto, Mens autem mea, sine fructu est auditorum, tametsi ego intelligo quæ dico: Sunt qui per Spiritum donum ipsum intelligunt.

15. (h) De publica oratione loquitur, cum aliquis divino afflatus Spiritu, aut affectu orabat aliis audientibus: Orabo spiritu, voce ipsa: orabo & mente, ut ego & alii intelligant; aut demum, orabo spiritu, devotionis, & zelo: orabo & mente, ut alii ad pietatem excitentur.

16. (i) Græc. qui tenet locum idiotæ, qui est illiteratus, quomodo dicet, Amen, tuam orationem probaturus? Toto hoc capite id quidem vetat Apostolus, ne instructiones, aut exhortationes fiant in lingua peregrina: sed non prohibet, quominus oremus in lingua peregrina. Aliis datum erat donum linguarum, aliis sæpe donum intelligentiæ, aut interpretationis. Atque ut concedimus de oratione facta in lingua non vulgari Apostolum disserere hoc in loco, tamquam de re minus utili, cum lingua est penitus ignota, ac nemo adest qui interpretari possit: res aliter se habet cum pastores non desunt, qui exponant preces publicas, præsertim si in vulgarem linguam sint versæ, ut in Ecclesia Catholica ubique est usitatum. Neque Apostolus usquam vetat orare in lingua vulgari, ut contendunt Novatores; sed neque id ipsi jubet preces publicas & Liturgias Hebraice, seu Syriace, Græce & Latine jam ab ipsis Ecclesiæ exordiis fuisse celebratas, quæ tum erant linguæ vulgares in majori orbis parte; quæque jam erant consecratæ mysteriis religionis celebrandis, ac deinceps permanserunt puræ: cum vulgares linguæ quotidie mutentur, neque adeo unitati & communioni Ecclesiæ tuendæ sint idoneæ. Secus verba ipsa, quibus incruentum Sacrificium conficitur, crebris mutationibus essent exposita, uti & forma Baptismi.

19. (k) Perpauca: Sensu meo, quæ intelligam, & aliis exponam; in lingua, peregrina. Ambrosiaster suspicatur ab Apostolo designari quosdam Judæos ad fidem conversos qui in Ecclesia Corinthi lingua Hebraica, aut Syriaca loquebantur.

20. (l) Defectu prudentiæ, sed sapiatis ut viri perfecti, ac rerum pretia, ut par est, æstimetis.

21. (m) In Scriptura Isaiæ 28. 11. Nec sic exaudient me: Non credent verbis meis, quæ ad intima cordis non penetrabunt.

22. (n) Nam fideles fidem suam doctrina sana ali volunt & confirmari. donum linguarum infideles convincit, & ad fidem adducit, ut miraculorum donum ex Chrysostomo.

24. (o) Errores revincuntur, ac de veritate Christianæ religionis persuasus e Scripturis & Prophetiis, quæ exponuntur, omnino dijudicatur; omnes eum cogunt fateri quam falsa sit religio Gentilium.

25. & 26. (p) Quod cordis intima penetrentur. Convenitis, Quando in Ecclesiam convenitis. Jam de usu utriusque doni, Prophetiæ, & linguarum, multa præscribit Apostolus, Psalmum habet. Psallendi, seu hymnos cantandi, aut componendi donum, aut docendi, aut linguis loquendi, aut scientiam revelatione infusam; Omnia ad ædificationem: Chrysost. Quemodo enim est artificis officium ædificare, ita etiam Christiani proximis prodesse per omnia.

27. Sive lingua quis loquitur, secundum duos, aut ut multum (q) tres, & per partes, & unus interpretetur.

28. Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia, sibi autem loquatur, & Deo.

29. Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & ceteri dijudicent (r).

30. Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat.

31. Potestis enim omnes per singulos prophetare: ut omnes discant, & omnes exhortentur:

32. Et spiritus prophetarum prophetis subjecti (f) sunt.

33. Non enim est dissensionis Deus, sed pacis: sicut & in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo.

34. Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim
*Gen. 3. 16. permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut * & lex dicit.

35. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.

36. An a vobis verbum Dei processit (t)? aut in vos solos pervenit?

37. Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.

38. Si quis autem ignorat, ignorabitur.

39. Itaque fratres æmulamini prophetare: & loqui linguis nolite prohibere.

40. Omnia autem honeste, & secundum ordinem fiant.

CAPUT XV.

Quibusdam e Corinthiis, circa inanis Philosophiæ placita occupatis, de futura resurrectione dubitantibus, prædicatum a se Evangelium, & ab iis ultro susceptum, in memoriam revocat Apostolus: eamque probat variis argumentis.

Gal. 1. 11. 1. NOtum autem vobis facio (a), fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod & accepistis, in quo & statis,

2. Per quod & salvamini: qua ratione prædicaverim vobis, si tenetis (b), nisi frustra credidistis.

3. Tradidi enim vobis in primis (c) quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris * secundum Scripturas: *Is. 53. 5.

4. * Et quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum Scripturas (d): *Jonæ 2. 1.

5. Et quia visus est Cephæ (e), & post hoc * undecim: *Joann. 20. 19.

6. Deinde visus est plus quam quingentis (f) fratribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt:

7. Deinde visus est Jacobo (g), deinde Apostolis omnibus:

8. Novissime autem omnium tamquam abortivo, * visus est & mihi. *Act. 9. 3.

9. * Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. *Ephes. 3. 8.

10. Gratia (h) autem Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum:

11. Sive enim ego, sive illi: sic prædicamus (i), & sic credidistis.

12. Si autem Christus prædicatur (k) quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?

13. Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.

14. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra:

15. Invenimur (l) autem & falsi testes Dei: quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt.

16. Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.

17. Quod

27. (q) Tres ad summum loquantur, idque alternis, dummodo adsint qui interpretentur.

29. (r) Per discretionem spirituum, ne irrepat spiritus mendacii: *Alii*, aut doctores, aut Prophetæ dijudicent.

32. (f) Non enim aguntur cæco impetu, ut pythonissæ, sed cum volunt, & Spiritus sancti aspiratione.

36. & 38. (t) Itaque morem Ecclesiarum imitari debetis. *Ignorat*, Quis non vult agnoscere hanc legem, suo malo id faciet; tria vero præscribit; primum, ut Prophetiæ donum æmulentur, nec tamen linguarum donum negligant, atque omnia honeste & ex ordine faciant. Illa autem Apostoli verba: *Si quis ignorat, ignorabitur*, non ad Prophetas, aut ad spirituales, sed ad eos, qui tales sibi videbantur, omnino dicuntur: nam veri Prophetæ hac admonitione non egebant, sed ii tantum, qui constitutum in Ecclesia ordinem, aut quæ ad fidei ædificationem spectant, insuper habebant. Non autem ea est mens Apostoli, ut intelligentiam mysteriorum ad salutem necessariam velit: nam ut pulcre Chrys. *Si propterea solos Christus mortuus est, qui eorum intelligentia possunt ista discernere, frustra in Ecclesia laboramus.*

CAP. XV. 1. (a) Idque ab iis exigit, tamquam depositum.

2. (b) Si modo teneatis, qua ratione prædicaverim vobis. Nullum fere est mysterium, quod Christus & Apostoli majori cura constituerint, quam mysterium resurrectionis.

3. (c) Inter præcipua fidei capita id vobis tradidi, *quod & accepi*, distinitus, quemadmodum cap. 11. loquitur de Eucharistia: Resurrectionem omnium ex Christi resurrectione probat.

4. (d) Oseæ 6. 3. quæ est prima resurrectionis probatio e Prophetis ducta, quorum verba non profert, quod iis essent notissima.

5. (e) Secunda hujus mysterii probatio e variis Christi apparitionibus desumitur: primum ex ea quæ facta est Petro, qui princeps erat Apostolorum. Sic primus fuit inter Apostolos testis resurrectionis Christi, tametsi Magdalenæ prius apparuit, quæ majore animo & sollicitudine Christum requirere visa est. Et post hoc *undecim*; Græc. *duodecim*: quo quidem numero Apostolorum collegium designatur, sub vesperam Dominicæ, & octava die congregatum.

6. (f) In Galilæa, cujus mentionem facit, Matth. c. 27. vers. 7. & 10. Chrysost. *Et cur non simul visus est omnibus? ut fidei semina prius jaceret.*

7. (g) Alpæi: *Deinde Apostolis omnibus*, in die Ascensionis, & antea sæpe.

10. (h) Necessitatem gratiæ & ejus effectus designat. Quidquid boni agimus, a gratia Dei proficiscitur. Effectus statim indicat. *Et gratia ejus in me vacua non fuit*; sed illis ea non fuit; *sed abundantius illis omnibus laboravi*, quam unusquisque illorum: liberum arbitrium cum gratiæ efficacia conciliat: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*, gratia quidem prævenit; sed Paulus eam non abjecit, ejus impressionem excepit: Augustin. *Non quia ipse nihil boni ageret, sed quia nihil ageret, si ille non adjuvaret.* Sic Chrysostomus in hunc locum: *Delicta quidem sibi attribuit, ex recte autem factis nihil, sed totum Deo adscribit.*

11. (i) Sic ego & illi prædicamus: quæ est alia probatio, ex consensu Apostolorum sumpta. *Et sic credidistis*; quam prædicationem ultro amplexi estis.

12. (k) Hic igitur constituto fundamento resurrectionem corporum possibilem esse, & revera futuram demonstrat: cum Christus caput Ecclesiæ resurrexerit, ergo & membra illius sunt resurrectura. Resurrectio Christi est Christianæ religionis fundamentum, nec dubitare possumus de iis omnibus quæ ipse promisit. Sic enim ostendit se Deum esse verum, quod seipsum a mortuis excitavit.

15. (l) Hoc uno Apostoli testimonio evincit Augustinus, Epist. ad Hieron. numquam licere, præsertim in materia religionis, mentiri, aut falsas historias comminisci.

17. Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra; adhuc enim (*m*) estis in peccatis vestris.

18. Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt.

19. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.

20. Nunc autem Christus resurrexit a mor-
* Col. 1. 18. Apoc. 1. 5. tuis (*n*) primitiæ * dormientium:

21. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio (*o*) mortuorum.

22. Et sicut in Adam omnes moriuntur (*p*), ita & in Christo omnes vivificabuntur.

* 1. Thess. 4. 15. 23. * Unusquisque autem in suo ordine, primitiæ (*q*) Christus: deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt.

24. Deinde finis (*r*): cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem.

* Ps. 109. 1 Hebr. 1. 13. & 10. 13. 25. Oportet autem illum regnare (*s*), * donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.

26. Novissima autem inimica destruetur mors
* Ps. 8. 8 Hebr. 2. 8 (*t*): * Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicat:

27. Omnia subjecta sunt ei: sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia.

28. Cum autem subjecta fuerint illi omnia: tunc & ipse Filius subjectus (*u*) erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.

29. Alioquin quid facient qui baptizantur (*x*) pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?

30. Ut quid & nos periclitamur omni hora?

31. Quotidie morior per vestram (*y*) gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro.

32. Si (secundum (*z*) hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? * manducemus, & bibamus; * Sap. 2. 6. Isa. 22. 13. & 56. 12.
cras enim moriemur.

33. Nolite seduci (*aa*): Corrumpunt mores bonos colloquia mala.

34. Evigilate justi, & nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidem habent, ad reverentiam (*bb*) vobis loquor.

35. Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient?

36. Insipiens, tu quod seminas (*cc*) non vivificatur, nisi prius moriatur.

37. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus ceterorum.

38. Deus autem dat illi corpus sicut vult: & unicuique seminum proprium corpus.

39. Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piscium.

40. Et corpora cælestia (*dd*), & corpora terrestria: sed alia quidem cælestium gloria, alia autem terrestrium:

41. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate:

42. Sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.

43. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: Seminatur in infirmitate, surget in virtute:

44. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Si est corpus animale, est & spiritale (*e*), sicut scriptum est:

45. * Fa-

17 (*m*) Deest in Græco particula caussalis: Justificatio nostra ab ejus resurrectione pendet.

20. (*n*) Multis itaque argumentis probatum fuit Christum a mortuis resurrexisse. *Primitiæ dormientium*, & totius massæ sanctificatio, & generalis resurrectionis, velut pignus, ac vitæ gloriosæ: nam primus sic resurrexit, ut non amplius esset moriturus.

21. (*o*) Beata, ex iis quæ sequuntur, sic intelligenda videtur. Eaque sola est vera resurrectio.

22. (*p*) Sicut omnes qui moriuntur, non nisi in Adam moriuntur: ita & omnes qui vivificabuntur, per Christum vivificabuntur.

23. (*q*) Caput nimirum prius dignitate & tempore: *Deinde ii qui sunt Christi*; qui scilicet vivificabuntur: resurrectio reproborum pro nihilo habetur: ordo autem dignitatis & meriti hoc loco censetur. *Crediderunt*; hæ voces desunt in Græco.

24. (*r*) Sæculi hujus, seu consummata omnium resurrectio; *Regnum*, electorum congregationem, quam ab omni perturbatione, & ab insidiis dæmonum liberam reddet Patri. Nec tamen *regnare cessabit*: Sed perfectius cum Patre regnabit, & electos hujus regni participes efficiet. *Cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem dæmonum*, qui electos nunc exercent: sed post generalem resurrectionem nullum ab hostibus Ecclesiæ erit periculum, tumque Christus Ecclesiæ regnum suæ custodiæ demandatum reddet Patri; sic tamen ut ipsum Ecclesiæ regnum a se non abdicet, uti nec Patri substulit, cum illud ab eo accepit.

25. (*s*) Vox illa, *donec*, non ponitur ut terminus temporis, sed pro *semper*. Non enim indicat finem imperii Christi futurum, subjectis inimicis; tunc quippe magis est imperaturus.

26. (*t*) Diabolus in cruce victus est, per gratiam peccatum destruitur; mors ultima in resurrectione debellanda.

28. (*u*) In suis membris, quibus tunc plane dominabitur. Nunc enim multa sunt ejus membra inter Catholicos, immo & inter infideles, nondum plane subjecta: *Ut Deus sit omnia in omnibus*.

29. (*x*) Locus obscurus est, quem variis modis exponunt; sensus ille quem insinuat Gagnæus, & proponit Auctor Analyseos Gallicæ, satis est verisimilis, Baptismi nomine labores, molestias, quas Apostoli, & Evangelii prædicatores pro infidelibus perferebant, metaphora a Christo ipso usurpata insinuari. Apud Pharisæos hoc erat usitatum, ut si quis cum immunditia legali decederet, alius se purificaret, iique existimabant hujusmodi baptisma mortuo imputandum in ipsa resurrectione. Sic preces & sacrificia offerebant pro mortuis. Theodoretus existimat Apostolum de Sacramento Baptismi loqui, quo a morte ipsa excitamur, & in quo mortuorum resurrectionem profitemur. Quod si mortuorum resurrectionem non creditis, cur eum symboli articulum palam in Baptismo professi estis?

31. (*y*) Græci legunt *nostram* gloriationem; idque obtestatur se quotidie mori pro illis in eam spem resurrectionis. Sed is quoque videtur verborum sensus: nullus est dies, in quo me morti non exponam pro vestra gloria & salute. Quod si nulla sit expectanda resurrectio, id facio impudenter, & insipienter.

32. (*z*) Si propter hominum gloriam, non propter spem futuræ resurrectionis. *Pugnavi*; Vox Græca θηριομαχεῖν, exponit Gagnæus pugnare usque ad extremum vitæ spiritum, *Secundum hominem*. Photius exponit, quantum est homini possibile: Vel ut more humano loquar, cum feris hominibus, ut cum bestiis pugnavi Ephesi. *Manducemus & bibamus*, junge cum his verbis, si mortui non resurgunt; si nulla est spes post mortem: Sic enim impii, qui resurrectionem negant, philosophantur.

33. (*aa*) Impiis sermonibus, quasi mortui non resurgant. *Corrumpunt bonos mores*. Senarius jambicus, e Menandro depromptus.

34. (*bb*) Gr. *Ad pudorem*, ut vos pudeat: *Justi*; Gr. *Juste*, seu recte, ad justitiam faciendam.

36. (*cc*) Chrys. *Propterea te voco insipientem, quod ignores quæ a te fiunt quotidie; & cum ipse sis opifex resurrectionis, de Deo dubitas*.

40. (*dd*) Homines resurrecturos in duas classes dividit, in justos, & injustos; illorum corpora vocat cælestia; tum discrimina inter justos ipsos exemplo cælestium corporum insinuat.

44 (*ee*) Spiritui subjectum: Objectioni factæ vers. 35. *qualive corpore venient*; an scilicet corpora post resurrectionem alterius naturæ futura sint; sic respondet, ut per varias similitudines ostendat alias fore suscitati corporis dotes, non aliam naturam. Nam inter corpora mortalia & suscitata hoc erit discriminis, quod illa sint corruptibilia, hæc incorruptibilia; illa sint vilia & abjecta, hæc gloriosa: ita ut penes meritorum diversitatem sit quoque gloriæ diversitas; illa sint infirma, hæc firma; illa animalia & variis affectionibus obnoxia, hæc spiritalia & terrenis affectibus soluta; illa egeant alimentis, hæc non item.

* Gen. 2. 7. 45. * Factus est primus homo Adam in animam viventem (*ff*), novissimus Adam in spiritum vivificantem.

46. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale: deinde quod spiritale.

47. Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cælo, cælestis (*gg*).

48. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes.

49. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni (*hh*), portemus & imaginem cælestis.

50. Hoc autem dico, fratres: quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit.

51. Ecce mysterium (*ii*) vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.

52. In momento, in ictu (*kk*) oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur.

53. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem.

54. Cum autem mortale hoc induerit immor-
* Osee 13. 14. talitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: *
Heb. 2. 14. Absorpta est mors in victoria (*ll*).

55. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus (*mm*) tuus?

56. Stimulus autem mortis peccatum est: virtus vero peccati lex.

* 1 Joann. 5. 5. 57. * Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.

58. Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles: abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.

CAPUT XVI.

De collectis faciendis pro fidelibus, qui erant Jerosolymæ. Timotheum & alios iis commendat, alios salutat; vigilandum, & viriliter agendum. Qui Christum non amat, sit anathema.

1. DE collectis (*a*) autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite.

2. Per unam (*b*) sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit: ut non, cum venero, tunc collectæ fiant.

3. Cum autem præsens fuero: quos probaveritis (*c*) per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem.

4. Quod si dignum fuerit ut & ego eam, mecum ibunt.

5. Veniam (*d*) autem ad vos, cum Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo.

6. Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo: ut vos me deducatis quocumque iero.

7. Nolo enim vos modo in transitu videre: spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit.

8. Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten.

9. Ostium (*e*) enim mihi apertum est magnum, & evidens: & adversarii multi.

10. Si autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos: opus enim Domini operatur, sicut & ego.

11. Ne quis ergo illum spernat: deducite autem illum in pace, ut veniat ad me: expecto enim illum cum fratribus.

12. De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogavi eum ut veniret ad vos cum fratribus: & utique non fuit voluntas ut nunc veniret: veniet autem, cum ei vacuum fuerit.

13. Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini.

14. Omnia vestra in charitate (*f*) fiant.

15. Obsecro autem vos fratres, nostis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam sunt primitiæ Achajæ, & in ministerium sanctorum ordinaverunt seipsos:

16. Ut & vos subditi sitis ejusmodi, & omni cooperanti, & laboranti.

17. Gaudeo autem in præsentia (*g*) Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam id, quod vobis deerat, ipsi suppleverunt:

18. Refecerunt enim & meum spiritum, & vestrum. Cognoscite ergo qui hujusmodi sunt.

19. Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multum, Aquila & Priscilla, cum domestica sua Ecclesia: apud quos & hospitor.

20. Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in osculo sancto.

21. Salutatio, mea manu (*h*) Pauli.

22. Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maran Atha (*i*).

23. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum.

24. Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Jesu. Amen.

---

45. (*ff*) Datum est illi corpus vivens vita animali, aut data est vita, qua ipse viveret. *In spiritum vivificantem*, adeo ut vitam impertiat nostris corporibus, eamque incorruptam. Primus Adam creatus est cum anima vivente; secundus spiritu vivificante repletus est.

47. (*gg*) Cujus origo divina est; per resurrectionem factus est corpore cælestis, omni ex parte gloriosus.

49. & 50. (*hh*) Ab allegoriis transit ad tropologiam: *Portemus*, Gr. *portabimus*, ut membra capiti respondeant. *Corruptio*, corpus quale est in hac vita.

51. (*ii*) Rem absconditam, & paucis cognitam. *Omnes resurgemus*: Nam soli electi a miseria ad gloriam transibunt. Græca lectio valde diversa est. *Quiescemus*: Cum electi, qui tum adhuc in vivis futuri sunt, post mortem statim sint resurrecturi, quasi in momento temporis mortem experturi.

52. (*kk*) Forte in nutu, aut in ictu oculi: Gr. in jactu oculi, *Immutabimur*. A corruptione ad incorruptionem.

54. (*ll*) Per integram victoriam, Isaiæ 54. 55. & Osee 13. 14.

55. & 58 (*mm*) Quo solet pungere & necare. *Stimulus autem mortis peccatum*: Hoc stimulo nos mors transfigit. *Immobiles*, In fide resurrectionis constantes.

CAP.XVI. 1. (*a*) De eleemosynis, quæ in pauperes Ierosolymitanos conferri solebant: hi vero Paulo & Barnabæ commendati fuerant.

2. (*b*) Primo die hebdomadæ: nempe die Dominica. *Quod ei bene placuerit*: Gr. *quod Deus prosperaverit*: E facultatibus suis, quas Deus ei contulit.

3. (*c*) Quos ipsi delegeritis, mittam cum Epistola. *Gratiam vestram*. Œcumenius: *Gratiam dixit; nam misterum erat eleemosynæ vocabulum, & indignum sanctis qui illud accepturi erant.*

5. (*d*) Eo venit, & mansit tribus mensibus, Act. 20. post scriptam secundam Epistolam.

9 (*e*) Occasio se offert valde opportuna Evangelii prædicandi.

14. & 15. (*f*) Ex charitate, non ex contentione. *Fortunati*, Hi duo in textu Græco non nominantur, sed v. 17. ex quo fortassis in hunc locum sunt translati. *Achajæ*, Stephanus primus a Paulo baptizatus cum domo sua, ex cap. 1. *Et in ministerium*, Ministerio sanctorum seipsos addixerunt.

17. (*g*) Ob præsentiam: Gr. *In adventu suppleverunt*: Gr. *defectum præsentiæ vestræ*.

21. (*h*) Scripta est hæc salutatio manu Pauli: reliquum Epistolæ, ab amanuensi, dictante Paulo, exceptum.

22. & 24. (*i*) Dominus venit, aut potius Dominus veniat, qui eos judicabit, vox Syriaca *Mea*, Charitas qua vos diligo.

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS SECUNDA.

HÆC Epistola videtur multis eodem anno scripta quo prior, nempe anno 58. æræ communis. In Græco textu data est Philippis in Macedonia: ubi Titum expectavit, qui brevi post tempore eo venit: Timotheus enim ante adventum Stephanæ & sociorum, qui priorem Epistolam detulerant, Corintho discesserat. Paulus vero Titum miserat, qui de hujus Ecclesiæ, & aliarum statu, nec non de Timotheo certiorem se faceret. Troadem profectus, Titum ibi, ut speraverat, non invenit; nec diu in ea urbe commoratus, ac de Epistolæ, quam miserat, sollicitus eventu, in Macedoniam se conferre statuit, atque inde Corinthum proficisci. Titus Philippis eum convenit, quid Corinthi ageretur, quæ perversi doctores adversus Paulum garrirent, eum edocuit. Ægre id ferebant, se in ea Epistola magna libertate fuisse reprehensos: Apostolum quasi morosiorem & ambitiosum, laudum avidum calumniabantur, eum quoque levitatis & inconstantiæ insimulabant. Itaque veritus ne exacerbati præsentia sua adversariorum animi hinc occasionem sumerent alienandi a se fidelium animos, hanc secundam ad eos scripsit Epistolam, ut qui calumniis adversariorum erant occupati, in viam redirent.

Hanc Epistolam Titus cum duobus aliis discipulis ad Corinthios detulit, in qua apologiam suam primum sic exequitur, ut ministerium suum potius & collegas, quam seipsum extollat; tum ad collectas faciendas eos adhortatur; tandem pseudoapostolos libertate apostolica sic refellit, ut apertam sui defensionem prosequatur: ita fere de hujus Epistolæ argumento vir doctus sæpe a nobis citatus.

CAPUT PRIMUM.

Amorem erga Corinthios suum, & sincerum animum declarat: non est apud eum ulla inconstantis animi labes, quod apud eos non venerit.

1. PAULUS, Apostolus Jesu Christi
per voluntatem Dei, & Timotheus
frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Co-
rinthi, cum omnibus sanctis, qui
sunt in universa Achaja.
2. Gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro,
& Domino Jesu Christo.
* Eph. 1. 3. 1 Pet. 1. 3. 3. * Benedictus Deus, & Pater Domini no-
stri Jesu Christi, Pater misericordiarum, &
Deus totius consolationis,
4. Qui consolatur (*a*) nos in omni tribula-
tione nostra: ut possimus & ipsi consolari eos,
qui in omni pressura sunt, per exhortationem,
qua exhortamur & ipsi a Deo.
5. Quoniam sicut abundant passiones (*b*)
Christi in nobis: ita & per Christum abundat
consolatio nostra.
6. Sive autem tribulamur (*c*) pro vestra
exhortatione & salute, sive consolamur pro ve-
stra consolatione, sive exhortamur pro vestra
exhortatione & salute, quæ operatur toleran-
tiam earumdem passionum, quas & nos patimur.
7. Ut

CAPUT I. 4. (*a*) Vox Græca exhortationem & consolationem significat; sic habet textus Græcus: *Per eam ipsam consolationem, qua consolamur & ipsi a Deo; ita ut vos, consolamur, possimus firmare*; sic Deus temperat afflictiones temporales, & consolationes, ut ex utrisque magnus fructus decerpat: nec semper liberat suos a persecutione: sed consolatur, & roborat.

5. (*b*) Quas pro Christo perferimus, quasque ut sustinuit Christus, ut magnæ sunt, ita & abundat consolatio nostra, quæ in fideles ipsos exundat, dum iisdem malis & laboribus constituti recreantur.

6. (*c*) Sive affligimur, sive consolamur, id omne cedit ad vestram salutem: *Operatur*, juxta textum Græcum hæc verba, *quæ operatur*, proxime legenda sunt post eam vocem, *& sa-*
lute;

7. Ut spes (*d*) nostra firma sit pro vobis: scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis.

8. Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem (*e*), ita ut tæderet nos etiam vivere.

9. Sed ipsi in nobismetipsis responsum (*f*) mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos:

10. Qui de tantis periculis nos eripuit & eruit: in quem speramus quoniam & adhuc eripiet,

11. Adjuvantibus & vobis in oratione pro nobis: ut ex multorum personis (*g*), ejus quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.

12. Nam gloria (*h*) nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo: abundantius autem ad vos.

13. Non enim alia scribimus vobis, quam quæ legistis (*i*), & cognovistis. Spero autem quod usque in finem cognoscetis,

14. Sicut & cognovistis nos ex parte, quod gloria vestra sumus, sicut & vos nostra, in die Domini nostri Jesu Christi.

15. Et hac confidentia volui (*k*) prius venire ad vos, ut secundam gratiam haberetis:

16. Et per vos transire in Macedoniam (*l*), & iterum a Macedonia venire ad vos, & a vobis deduci in Judæam.

17. Cum ergo hoc voluissem, numquid levitate usus sum? Aut quæ cogito (*m*), secundum carnem cogito, ut sit apud me Est & Non?

18. Fidelis (*n*) autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo Est & Non.

19. Dei enim Filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Silvanum, & Timotheum, non fuit Est & Non, sed Est (*o*) in illo fuit.

20. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Est (*p*): ideo & per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram.

21. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus (*q*):

22. Qui & signavit (*r*) nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

23. Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis, non veni ultra (*f*) Corinthum: non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri: nam fide statis.

CAPUT II.

Incestum pœnitentem absolvit a pœnis debitis, eumque commendat fidelibus Corinthiis. Apostolus aliis vitæ, aliis odor mortis.

1. Statui (*a*) autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos.

2. Si enim ego contristo vos: & quis est, qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me?

3. Et hoc ipsum scripsi vobis, ut non cum venero, tristitiam super tristitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium vestrum est.

4. Nam

iute; nam quod occurrit in Latino textu *sive exhortamur*, est mera repetitio; atque ea verba desunt in Græco textu. *Operatur*. Est vox passiva, qua salus perficitur: *Per tolerantiam*. Similium afflictionum quales patimur; est quædam lectionis varietas cum in Græco textu, tum in Latina versione; sed idem est utrobique sensus.

7. (*d*) Adeo ut spem firmam de vobis habeamus; Gr. *Et spes nostra firma est de vobis*: de vestra scilicet constantia, & patientia. *Sic eritis & consolationis*, quam in malis nostris accepimus. Quæ afflictiones permagnæ fuerunt.

8. (*e*) Supra vires naturales & corporis & animi: *Tæderet*; Gr. ita ut desperaremus de vita tuenda.

9. (*f*) Sententiam mortis in nos ipsos, tamquam omnino conclamatos, protulimus, ut morti addicati, non tantum aliorum opinione, sed etiam judicio nostro deplorati: *Fidentes*, ut dicamus spem omnem in eo collocare.

11. (*g*) Gr. *Ut a multis*; ut beneficium a Deo in nos collatum per multos gratiarum actionibus celebretur. Speramus fore ut Deus nos eripiat, si vestris orationibus nos adjuvetis, ut per multos de dono in nos collato Deo gratiæ agantur. Nam Græci exponunt, *a multis personis*; & quæ sequuntur, *διὰ πολλῶν*, *multis modis*, ut tot fideles gratias Deo agentes beneficii magnitudini quodammodo respondeant.

12. (*h*) Eorum precibus vel ex hoc maxime se adjuvandum sperat, quod se iis indignum non existimet, nec propria eum reprehendat conscientia, in iis maxime quæ ad Corinthios spectant. Atque hinc sibi aditum parat ad propositum suum, & justam sui defensionem, nihil commodi sui caussa egisse. *Sinceritate Dei*. Quasi Deo præsente, & sincero animo Evangelium annuntiasse non in sapientia carnali & humana, *sed in gratia Dei*, per dona Spiritus sancti, & miracula. *Abundantius autem ad vos*, ea ubique sinceritate animi usi sumus, sed in vos maxime.

13. & 14. (*i*) In priori Epistola, *Et cognovistis*. Gr. *recognoscitis*, quæ experientia & longa consuetudine didicistis, ipsa rerum evidentia persuasi. *Spero*. Perfecte id cognoscetis, Gr. *ἕως τέλους*. *Ex parte*. Quamvis adhuc imperfecte; nimirum quod nos gloria vestra simus: *Sicut & vos nostra*, ut de me doctore vestro gloriari possitis, & ego de vobis, qui dociles adeo fuistis in excipiendo verbo Dei, & fideles in observando; *In die*, extremi judicii. Hanc sui defensionem ad caput usque octavum perducit: ac primum agit de iis quæ sunt facti, tum de jure sui Apostolatus; quæ suæ sunt personæ, usque ad finem cap. 4. ac demum quæ sui sunt ministerii, ad finem usque capitis 7. prolequitur.

15. (*k*) Volebam, ut in priori Epistola cap. 16. testatus est, ut *secundam gratiam haberetis*, ut vos in fide confirmarem, atque hæc novum sumeret incrementum.

16. (*l*) Id quidem in alia Epistola, quæ intercidit, vel per nuntium, videtur pollicitus, & justis de caussis mutasse consilium: quod adversarii levitati animi falso tribuebant.

17. (*m*) Quæ delibero & statuo, an secundum homines, qui leves sunt & instabiles, hæc statuo? An aliud dico, aliud facio, ut *sit apud me, est, & non*, ut sit in me inconstantia quædam in meis promissionibus, ac modo affirmem, modo negem; aut *secundum carnem cogito*, commodi mei gratia?

18. (*n*) Deum, qui verax est, testor: *Quia sermo noster*; primum ne forte falsis præjudiciis indulgeant, obtestatur eos, & affirmat nullam fuisse inconstantiam in prædicatione Evangelii, quod ipse una cum Timotheo, & Silvano iis annuntiavit: sed fixa & constans fuit ejus de Christo prædicatio. *Non est in illo, est, & non* voces, *in illo*, non sunt in textu Græco: e versiculo sequenti proximo potuerunt in hunc versum irrepere.

19. (*o*) Christus quem prædicavit, nec falli potest, nec fallere, cum sit æterna veritas: In eo cuncta sunt firma.

20. (*p*) *Est*, Gr. *τὸ ναί*: promissiones Dei constantes sunt & veraces: *Ideo & per ipsum Amen*: Per ipsum Christum omnes Dei promissiones confirmantur.

21. (*q*) Supple, Deus est, qui Spiritus sui unctione nos docuit; qui unxit nos sua gratia, & stabiles facit.

22. (*r*) Qui quasi sigillo suo impressit per crebra miracula & eximia in nos charismata Evangelicam prædicationem obsignavit, ac dedit nobis pignus Spiritus sancti, & velut arrham vitæ æternæ.

23. (*f*) Gr. *Nondum veni*, ne scilicet vos tristitia afficerem. Cum autem plus esset ea voce, parcendi, ne imperiosus nimis iis videretur, mox subjicit: *Non quia dominamur fidei vestræ*. Non quasi fidei vestræ, caussa, quam accepistis a nobis, potestatem in vos nobis sumere volumus: *Immo adjutores sumus gaudii vestri*; ac gaudium illud de constantia vestra in fide, confirmare tantummodo, & adjuvare volumus.

1. (*a*) Caussam affert retardatæ profectionis.

CAP. II.

4. Nam ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas: non ut contristemini: sed ut sciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis.

5. Si quis autem contristavit, non me contristavit: sed ex parte, ut non onerem omnes vos.

6. Sufficit (*b*) illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus:

7. Ita ut e contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui ejusmodi est.

8. Propter quod obsecro vos, ut confirmetis (*c*) in illum charitatem.

9. Ideo enim & scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis.

10. Cui autem aliquid donastis (*d*), & ego: nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi,

11. Ut non circumveniamur (*e*) a satana: non enim ignoramus cogitationes ejus.

12. Cum venissem autem Troadem propter Evangelium Christi, & ostium (*f*) mihi apertum esset in Domino,

13. Non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum, sed valefaciens eis, profectus (*g*) sum in Macedoniam.

14. Deo autem gratias, qui semper triumphat (*h*) nos in Christo Jesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco:

15. Quia Christi bonus odor (*i*) sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt:

16. Aliis quidem odor mortis (*k*) in mortem: aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus?

17. Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes (*l*) verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.

CAPUT III.

Hoc præcipue Apostolo in hoc capite est propositum, ut doceat ministros novi Testamenti Legis Mosaicæ ministris præferri oportere.

1. Incipimus iterum nosmetipsos commendare? aut numquid egemus (sicut quidam) commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis:

2. Epistola (*a*) nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur, & legitur ab omnibus hominibus:

3. Manifestati (*b*) quod epistola estis Christi, ministrata a nobis, & scripta non attramento, sed spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.

4. Fiduciam (*c*) autem talem habemus per Christum ad Deum:

5. Non quod sufficientes (*d*) simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est:

6. Qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti; non littera, sed Spiritu (*e*): littera enim occidit, Spiritus autem vivificat.

7. Quod si ministratio mortis (*f*) litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria; ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur:

8. Quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria?

9. Nam si ministratio damnationis (*g*) gloria est: multo magis abundat ministerium justitiæ in gloria.

10. Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte (*h*), propter excellentem gloriam.

11. Si enim quod evacuatur, per gloriam est: multo magis quod manet, in gloria (*i*) est.

12. Ha-

6. (*b*) Incesti ab Ecclesia separatio, quæ a Corinthiis facta est, sufficit, eumque recipi vult pœnitentem.

8. & 9. (*c*) Gr. *Ut ratam faciatis in illum charitatem*, ex publico consensu eum Ecclesiæ restituentes. *Experimentum vestrum*, ut experiret.

10. (*d*) Gr. *donatis. Et ego*. Ut condemnando eum vobis prævivi, sic & in condonando, propter vos Ecclesiæ utilitati consulens. *In persona Christi*, vices gerens Christi, cujus auctoritate id facimus: utitur voce *donandi*; quod non otiosum esse notat Theophylactus.

11. (*e*) Ne Satanas hanc rapiat animam, & perdat.

12. (*f*) Cum aditus patet & ad prædicationem Evangelii. Troas urbs est Phrygiæ non procul ab eo loco, in quo Troja fuit.

13. (*g*) Obviam Tito, trajecto Hellesponto; adeo me angebat Ecclesiæ vestræ status; atque ibi multa passus sum.

14. (*h*) Triumphare nos facit per Christum: *Manifestat*. Famam Evangelii, & sui cognitionem bene fragrantem per nos spargit, dum persecutiones nos cogunt ea una regione in aliam commeare.

15. (*i*) Prædicatio nostra Deo accepta est, seu credentibus, seu incredulis prædicemus: nam omnes salvos esse volumus.

17. (*k*) Mortem generans; *Idoneus*. Perpauci quidem ad hæc intelligenda, aut efficienda sunt idonei: vox, tam, deest in Græco.

17. (*l*) Gr. *cauponantes*, ut caupones solent vinum quæstus caussa pigmentis corrumpere: ita pseudoapostoli sanam doctrinam alienæ doctrinæ admixtione adulterant.

CAP. III. 2. (*a*) Animis vestris Evangelium inscripsi, ac satis me commendat conversio vestra. *Cordibus*; hanc cordi meo impressam ubique circumfero.

3. (*b*) Manifestum quippe est hanc Epistolam gratia Christi esse dictatam, ut ministerio nostro descriptam. *Non atramento*, quod deleri potest, *Sed spiritu Dei vivi*; *Non in tabulis lapideis*; ut olim lex per Mosem data, *sed in tabulis cordis carnalibus*, seu carneis, ut Deus per Prophetas suos, Jeremiam cap. 31. & Ezechielem cap. 36. promiserat. Cordis carnei nomine cor docile intelligit, non cupiditatibus addictum, non lapideum.

4. (*c*) Hinc nobis gloriari licet, *quod Epistola nostra estis, ministrata a nobis per Christum ad Deum*: non id nostris meritis, sed gratiæ Christi tribuimus; cujus rei mox rationem affert.

5. (*d*) Quod ad salutem conferat. Eaque cogitatione, quæ voluntatem afficiat. Piæ cogitationes sunt bonorum operum velut semina a Deo sparsa.

6. (*e*) Non secundum litteram, sed secundum spiritum. Gr. non *litteræ, sed Spiritus*: non legis Mosaicæ, quæ mortem operatur ex occasione, dum concupiscentiam irritat: *Spiritus autem vivificat*: cum lex Evangelica vitam gratiæ largiatur & gloriæ. Hinc adeo ministerii nostri dignitas colligitur.

7. (*f*) Lex vetus, quæ prævaricatores capite plectebat; quæque ex occasione augebat peccata, cum data fuit per Mosem. *Ea litteris deformata*, insculpta lapidibus, *fuit in gloria*: adeo ut in faciem Mosis intueri non possent filii Israel: *Quæ evacuatur*, quæ cito evanuit. Quanto magis ministerium Evangelii gloriosum est, quod vitam tribuit æternam?

9. (*g*) Si ministerium legis, quæ condemnat, gloriosum est, multo erit gloriosius ministerium novæ legis, quæ justificat, & vivificat.

10. (*h*) Quanquam legis Mosaicæ nulla pene fuit gloria, si cum lege Evangelica comparetur: *Propter excellentem gloriam*, Legis novæ: Græci has voces, *in hac parte*, referunt ad, *glorificatum est*, non ad vocem, *claruit*. Ex quo quidem illud sequitur, ministerium Evangelicum longe esse præstantius ministerio Levitico.

11. (*i*) Si lex, aut vetus testamentum, quod antiquatur, & abrogatur per Christum, gloriosum fuit: *Multo magis*, Lex gratiæ, quæ in hac vita inchoatur, & in altera perficitur, *in gloria est*.

12. Habentes (*k*) igitur talem spem, multa fiducia utimur:

* Exod. 34. 33. 13. * Et non sicut Moyses (*l*) ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus, quod evacuatur,

14. Sed obtusi (*m*) sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum, (quoniam in Christo evacuatur)

15. Sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.

16. Cum autem conversus (*n*) fuerit ad Dominum, auferetur velamen.

* Joan. 4. 24. 17. * Dominus autem Spiritus est: Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.

18. Nos vero omnes, revelata (*o*) facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.

CAPUT IV.

De ministerii Evangelici usu sic dicere aggreditur, ut administrationem suam ab omni simulatione puram esse ostendat, non dolosam & quæstuosam, ut in pseudoapostolis, qui externam pietatis speciem præ se ferentes, intus erant impuri, & turpis lucri amantes.

1. IDeo habentes administrationem (*a*) juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus,

2. Sed abdicamus occulta dedecoris (*b*), non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo.

3. Quod si etiam opertum est Evangelium (*c*) nostrum: in iis qui pereunt, est opertum:

4. In quibus Deus hujus sæculi (*d*) excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.

5. Non enim nosmetipsos prædicamus (*e*), sed Jesum Christum Dominum nostrum: nos autem servos vestros per Jesum:

6. Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere (*f*), ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu.

7. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus (*g*): ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.

8. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur (*h*): aporiamur, sed non destituimur:

9. Persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus:

10. Semper mortificationem (*i*) Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.

11. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum: ut & vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali.

12. Ergo mors in nobis operatur (*k*), vita autem in vobis.

13. Habentes (*l*) autem eamdem spiritum fidei, sicut scriptum est: * Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, propter * Ps. 115. 10.
quod & loquimur:

14. Scien-

12. (*k*) Excellentis & permanentis gloriæ spem. *Fiducia*: magna libertate Evangelium prædicamus.

13. (*l*) Non velata facie, ut Moses, sed aperte & libere: quam historiam allegorice exponit. Nam velamen illud cæremoniarum legalium observationem, & temporales promissiones adumbrabat: quod velamen evacuatur per Christum.

14. (*m*) Nec claram & apertam veteris Testamenti cognitionem habet.

16. (*n*) In fine sæculorum. *Velamen*, Per fidem ea cernent, quæ cordis cæcitas nunc iis abscondit; nunc Christum ignorant, & manet velamen in lectione Mosis & veteris Testamenti, quod non aufertur nisi per Christum, quamdiu conversum fuerit cor eorum: populus Judaicus in persona Mosis exprimitur.

18. (*o*) Christianos cum Judæis confert, aut potius ministros novi Testamenti cum veteris Testamenti ministris. *Speculantes*: aperte, quasi in speculo inspicientes; Græc. κατοπτριζόμενοι, quæ vox optime, ositum Apostolicum exprimit: significat enim exceptam in se imaginem instar speculi in alios reflecti sublato velamine; *a claritate*, radiantes fiunt imagines per vivam transformationem, & claritatem, quam prædicatione & exemplo suo in fideles trajiciunt; mysteria aperte docent, quæ Moses figuratum velamine involuta proponebat. Transformamur in eamdem imaginem, per impressionem ejus gloriæ, quæ fit in nobis. *Tamquam*, a Domini Spiritu profectam.

CAP. IV. 1. (*a*) Prout misericordiam Dei consecuti sumus, cum ad hoc ministerium ex pura sua misericordia nos vocavit. *Non deficimus*, non succumbimus malis quæ nobis accidunt; neque in functionibus nostri ministerii negligentes sumus, & socordes.

2. (*b*) Turpe lucrum, & alia vitia, quæ hominum oculis occultari solent; *Neque adulterantes verbum Dei*: Gr. *dolose tractantes*; falsa veris admiscentes: *Conscientiam*, veritatem sincere & aperte profitentes, quales sumus, tales Deo, & hominibus, qui de nobis recte judicant, apparere volumus, non vana ostentatione, sed morum integritate iis probari cupientes, qui non ex præjudicatis, aut opinione, aut affectu, sed ex suæ conscientiæ testimonio de nobis judicabunt.

3. (*c*) Solvit objectionem, quæ fieri posset adversus ea, quæ de manifestatione veritatis hoc loco, & superiore capite dixit, tot nimirum hominibus incognitum esse Evangelium, & opertum: ac subinde respondet, per eorum infidelitatem stare, quominus lumen tam illustre non videant.

4. (*d*) Diabolus quem Christus principem hujus mundi vocat, & Apostolus Deum hujus sæculi, ob infirmitatem eorum qui se diabolo subjiciunt: quemadmodum & ventrem Deum appellat in iis, qui ventri se devovent. Atque hæc est verborum constructio pene Hebraica: in quibus infidelibus Deus hujus sæculi mentes eorum excæcavit. *Evangelii gloriæ Christi*; Evangelii gloriosi & fulgentis, quo Christus ipse manifestatur.

5. (*e*) Jam probat verbum Dei a se non adulterari, nec se vana gloria duci, cum seipsum non prædicet, sed Christum: non suam, sed Christi gloriam quærat. *Per Jesum*, Gr. *Propter Jesum*: Nos servos vestros profitemur propter Jesum, ut ejus Evangelium vobis annuntiemus.

6. (*f*) Qui jussit verbo suo, ut lux e tenebris prodiret in creatione mundi; *Illuxit*, lumine fidei; *ad illuminationem*, ut alios cognitione Dei clara, & gloriosa illustremus; *in facie Christi*, quæ in Christo apparuit. Græce, *in persona Christi*, ut vice Christi ejus cognitionem aliis impertiamur. Vel gloria Dei fulget in Christo ut in viva Patris imagine.

7. (*g*) In corpore caduco & fragili: *Ut sublimitas*. Ut Deus hujus tam excellentis doni solus auctor habeatur, qui fictilibus vasis tantum sapientiæ thesaurum credere dignatus est, & in tot periculis ac persecutionibus tueri.

8. & 9. (*h*) Græc. non coarctati, tot rebus adversis; sed non opprimimur, non succumbimus. *Aporiamur*, perplexi sumus: *sed non destituimur*, non propterea de vita desperamus: Deus exitum nobis ostendit, & viam qua evadimus: ut vasa fictilia ex edito loco dejicimur. *Sed non perimus*, non frangimur. Libertas animi, & firmitas inconcussa manet, spes & fiducia in Deum.

10. (*i*) Similitudinem & impressionem mortis Christi ubique circumferentes. *Manifestetur*: adeo ut vita nostra in tantis angustiis conservata, sit vitæ & resurrectionis Christi firmissimum argumentum: vel, ut vitæ Christi beatæ & immortalis imaginem in corporibus nostris portemus, ut cum illo resurgamus.

12. (*k*) Exercetur, aut vim suam in nobis exerit: atque hinc concludit Apostolus mori ob Evangelium, ut fideles vitam consequantur æternam, & per mortem nostram salus vestra perficiatur, dum laboramus, & crescit fides vestra.

13. (*l*) Quandoquidem habemus eamdem fidem cum Davide, ubi ait: *Credidi: & nos credimus*, cum illo, *propter quod & loquimur*, & confidenter prædicamus Christi resurrectionem nobis & vobis salutarem. *Habentes eamdem spiritum fidei*, sicut a Spiritu sancto nobis donatam.

14. Scientes quoniam qui suscitavit Jesum, & nos cum Jesu suscitabit, & constituet vobiscum.

15. Omnia enim propter vos (*m*): ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei.

16. Propter quod non deficimus (*n*): sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.

17. Id enim, quod in præsenti est momentaneum (*o*) & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis,

18. Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.

CAPUT V.

Totus est in hoc capite, ut ostendat, nos in hac vita, ut in exilio positos, ad cælestem patriam contendere, ac vivere illi omnes oportere, qui pro omnibus mortuus est, urgente ad hoc charitate, ut omnes reconcilientur Christo, qui nos reconciliavit Deo Patri.

1. SCimus (*a*) enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.

2. Nam & in hoc ingemiscimus (*b*), habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes:

* Apoc. 16. 15. 3. * Si tamen vestiti (*c*), non nudi inveniamur.

4. Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est, a vita.

5. Qui autem efficit (*d*) nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus.

6. Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur (*e*) a Domino:

7. (Per fidem enim ambulamus, & non per speciem)

8. Audemus (*f*) autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum.

9. Et ideo contendimus, sive absentes (*g*), sive præsentes, placere illi.

10. * Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit (*h*), sive bonum, sive malum. * Rom. 14. 10.

11. Scientes ergo timorem (*i*) Domini hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem & in conscientiis vestris manifestos nos esse.

12. Non iterum commendamus (*k*) nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis: ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde.

13. Sive enim mente excedimus (*l*), Deo: sive sobrii sumus, vobis.

14. Charitas (*m*) enim Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt:

15. Et pro omnibus mortuus est Christus: ut, & qui vivunt, jam non sibi vivant (*n*), sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.

16. Itaque nos ex hoc (*o*) neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum: sed nunc jam non novimus.

17. Si

15. (*m*) Perferimus: ut effusa in vos Dei gratia exuberet in ejus gloriam, multis propter tot & tanta beneficia Deo gratias agentibus.

16. (*n*) Propter eam spem non deficimus, tot malis non succumbimus; vel a continua prædicatione non desistimus. Licet corpus nostrum corrumpatur tot malis & laboribus obnoxium, mutus est luteus, qui perfectam hominis interioris instaurationem remoratur.

17. (*o*) Afflictio nostra levis & momentanea, eaque immensum & æternum gloriæ pondus operatur. *In sublimitate* mire, & supra modum, quasi excellentem & sublimem gloriam operatur: qui Hebraismus est: nam pro superlativo ingeminant positivum.

CAP. V. 1. (*a*) Intimos animi sui sensus profert Apostolus, ut ostendat non vanæ gloriæ, aut turpis lucri caussa indeficientes suos labores commemorasse. Ac primum quidem ex omnibus quæ adiit periculis, vitæ hujus exitum, & æternæ delicias exprimit: *Domus*, postquam exterior homo tot laboribus & malis solutus fuerit; *ædificationem*, siinum ædificium, quod terrestri domui & luteæ, Gr. *tabernaculo*, opponit; seu corpus post resurrectionem gloriosum, & incorruptum.

2. (*b*) In hoc corpore; vel propter hoc ipsum ingemiscimus, quia speramus æternam domum; gloria quidem superindui cupientes, non spoliati vita mortali; quod in primo homine contigisset, si in originali justitia perstitisset.

3. & 4. (*c*) Bonis operibus, non nudi inveniamur. *Absorbeatur*, Nolentes mortem experiri, sed vita superindui.

5. (*d*) Gr. *efficit nos*, in hunc finem, ut immortales efficimur. *Deus*, supple, est, *qui dedit nobis pignus spiritus*, gratiam suam, ut arrhabonem futuræ gloriæ.

6. (*e*) Ceterum dolemus, & nos, a patria abesse, & vitam præsentem ægre toleramus. Quapropter de hac immortali gloria confidentes.

8. (*f*) Malumus peregrinari a corpore, quam diutius abesse a Domino.

9. (*g*) In vita & in morte, id unum volumus, ut Deo placeamus. Ita fere Apostolus ratiocinatur: dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino: nam per fidem ambulamus, non per speciem: ut igitur præsentes simus ad Dominum, illud nobis optabile est peregrinari a corpore. Quæ ratiocinatio minus firma esset, si ad speciem ipsam non perveniretur, nisi post corporum resurrectionem.

10. (*h*) Hic bonorum operum merita, ut malorum demerita apertissime declarantur.

11. (*i*) Tremendi illius judicii timore perculsi nihil magis optamus, quam puram habere conscientiam, atque hominibus suadere sincerum affectum nostrum, & integritatem. Quod si efficere non possimus, non aliud restat, nisi ut Deo ipsi exponatur, cui nihil est absconditum: *Manifestos*, quod plane nos cognoscitis. Hæc dicit propter aliquos a pseudo-apostolis deceptos.

12. (*k*) Hæc utique non eo dico, quod ambitiose expetam vestram existimationem, quasi eam amiserim: *Habeatis*; ut iis respondere possitis, *qui in facie gloriantur*, qui vera conscientiæ suæ gloria destituti fallacem quærunt gloriam. *Facie*, Specie exteriori. Hæc erat justissima sui commendandi caussa, ne per ejus contemptum fructus Evangelii periret.

13. (*l*) Si rationis limites videamur egressi, magnifice de nobis ipsis loquentes, aut sublimia mysteria meditantes: *Deo*, hoc propter Dei honorem facimus, ne quis nos spernat; *sive sobrii sumus*, Gr. *modesti*, seu modum servantes, ad mediocria & humilia nos demittimus: *vobis* vestri caussa; & in exemplum modestiæ id facimus: illud paucis convenit, hoc bonis omnibus pastoribus.

14. (*m*) Charitas, qua Christus nos dilexit, ea nos impellit, ut omnia ad honorem Dei, & utilitatem vestram faciamus. *Mortui*, mortui fuerant: quin & nos veteri vitæ & peccato, immo & commodis nostris temporalibus, & nobis ipsis mortuos existimare debemus.

15. (*n*) Quod empti magno pretio jam non sint sui, sed Christi. Huic vitam nostram consecrare & devovere debemus, qui morte sua nos redemit: resurrectio ejus est sanctifici consummatio, per quam nos ad Deum trahit, & sanctificat.

16. (*o*) Gr. *ex nunc*: neminem colimus ob humanas dotes, qui omnibus ex æquo prodesse volumus, sive Judæi sint, sive Gentiles, sive nobiles, sive ignobiles, neminem novimus, commodi nostri habita ratione. *Et si cognovimus*: & si aliquando in nobis gloriosum judicavimus, quod ex eadem gente natus esset Christus, & apud nos versatus: hunc tantum novimus, huic servimus secundum spiritum, ut Redemptori nostro, gratiæ & salutis auctori, terrenis affectibus plane mortui: nec Christum ipsum jam cogitamus ut mortalem, sed ut immortalem.

17. Si qua ergo in Christo nova creatura (*p*), vetera transierunt: * ecce facta sunt omnia nova. * *Is. 43. 19. Apoc. 21. 5.*

18. Omnia (*q*) autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum: & dedit nobis ministerium reconciliationis.

19. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis (*r*).

20. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.

21. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum (*s*) fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.

CAPUT VI.

Hortatur eos ne in vacuum gratiam recipiant; tum quales esse oporteat ministros Christi docet: ad mutuam charitatem excitat Corinthios.

1. ADjuvantes (*a*) autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

2. Ait (*b*) enim: * Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. * *Isa. 49. 8.*

3. * Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum: * *1. Cor. 10. 32.*

4. Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos * sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, * *1. Cor. 4. 1.*

5. In plagis, in carceribus, in seditionibus (*c*), in laboribus, in vigiliis, in jejuniis,

6. In castitate (*d*), in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta,

7. In verbo (*e*) veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ a dextris, & a sinistris,

8. Per gloriam & ignobilitatem: (*f*) per infamiam & bonam famam: ut seductores, & veraces; sicut qui ignoti & cogniti:

9. Quasi morientes (*g*), & ecce vivimus: ut castigati, & non mortificati:

10. Quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.

11. Os nostrum patet (*h*) ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est.

12. Non angustiamini in nobis: angustiamini (*i*) autem in visceribus vestris:

13. Eamdem autem habentes remunerationem (*k*), tamquam filiis dico, dilatamini & vos.

14. Nolite jugum ducere cum infidelibus (*l*). Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras?

15. Quæ autem conventio Christi ad Belial (*m*)? Aut quæ pars fideli cum infideli?

16. Qui autem consensus templo Dei cum idolis? * Vos enim estis templum Dei vivi, * *1. Cor. 3. 16. 17. & 6. 19.*
sicut dicit Deus: * Quoniam inhabitabo (*n*) in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum * *Lev. 26. 12.*
Deus, & ipsi erunt mihi populus.

17. * Propter quod exite (*o*) de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis: * *Isa. 52. 11.*

18. Et ego recipiam vos: * & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens. * *Jer. 31. 9.*

CA-

17. (*p*) Si quis in Christum credit, hic nova est creatura; huic vetera transierunt, & humanos affectus penitus exuit. *Si qua:* Gr. *Si quis ergo:* Si quis in Christo mortuus cum eo resurrexit, is nova est creatura.

18. (*q*) Hæc omnia nova ex Dei gratia profecta sunt, cogitata, affectus, opera.

19. (*r*) Dedit nobis Apostolis ministerium prædicandæ reconciliationis cum Deo.

21. (*s*) Hostiam pro peccatis nostris: *Justitia Dei*, Justi ea justitia, quam Deus in nobis efficit per Christum: eadem justitia dicitur Dei & nostra: Dei, qui eam donat; nostra, quia nos eam recipimus, & justos nos efficit.

CAP. VI. 1. (*a*) Gr. *Cooperantes;* munus suum legati exponit; ut Dei cooperator eos adhortatur, ne oblatam gratiam rejiciant, aut frustra recipiant.

2. (*b*) Isaiæ cap. 49. *Tempore accepto exaudivi te*, tempore legis novæ, cui auxilium suum peculiare Deus addixit; vel Pater loquitur ad Filium: Exaudiam te pro membris tuis deprecantem: futurum pro præterito more Prophetarum.

5. (*c*) In perferendis populi adversus nos concitati tumultibus: *In laboribus;* pœnas commemorat ultro susceptas.

6. (*d*) Postea quibus ornati virtutibus oporteat legatos & ministros Christi edisserit; in castitate in primis, & morum integritate: *In scientia*, rerum quæ ad fidem pertinent, ut alios ædificent: *In longanimitate*, animi lenitate: *In suavitate:* Gr. *benignitate*, seu comitate, cui opponitur morum asperitas: *In Spiritu sancto*, in donis & fructibus Spiritus sancti, & præsertim in sincera charitate.

7. (*e*) Mox subjicit eorum munera, quorum primum est Evangelii prædicatio: *In verbo veritatis*, quæ prædicari debet sincera, & pura, ac prudenter administrari: *In virtute Dei;* qua miracula efficiuntur, aut refractarii coercentur: *Per arma justitiæ;* per bona opera; *a dextris & a sinistris;* in prosperis & adversis cum pietate semper, & in omni occasione penitus inflexibili.

8. (*f*) Gr. *ignominiam*, seu laudemur, seu vituperemur: seu bene, seu male audiamus: *Ut seductores, & veraces*, seu nos fallaces existiment, seu veraces. Sic nos exhibeamus ut Christi ministros. *Ignoti;* sive ut obscuri, atque ut ignobiles habeamur, cum tamen per miracula & doctrinam simus cogniti.

9. (*g*) Ob innumeras afflictiones quotidie pro mortuis habemur: *Ut castigati*, per Magistratus cædimur: *Et non mortificati*, & tamen morti non addicti sumus.

11. (*h*) Gr. *patefecit se;* & præ affectu libere vos sum allocutus. *Dilatatum est:* amor noster in vos omnes diffusus est.

12. (*i*) In corde nostro, tamquam in amplo domicilio habitatis: cum vestræ charitatis visceribus nimium angustis, nec mutua benevolentia me, ut par est, excipiatis: amor emitur amore.

13. (*k*) Parem gratiam referentes, & meam benevolentiam pari amore rependentes. *Dilatamini;* & vos me redamate, & diligite, ut vos diligo; exhortationes meas, ut a patre filii, sic excipite.

14. (*l*) Hinc occasionem sumit eos admonendi, ne matrimonia cum infidelibus contrahant, uti ab iis facultati ex Tito forsan acceperat. Vel saltem vetat ne nimiam cum infidelibus societatem ineant, ob pericula quæ inde oriantur.

15. (*m*) Quæ vox *sine jugo*, seu *exlegem* significat. *Conventio*, Gr. *consonantia;* quæ participatio: mundi corruptione cor inficitur, mens ejus tenebris obducitur.

16. (*n*) Quod olim Deus dixit de tabernaculo Levit. 26. hoc fidelibus applicat Apostolus, ut probet eorum animas esse templa Dei, quæ profanari non debent per connubia cum infidelibus juncta, aut per nimiam cum iis societatem, ne forte mensis eorum & sacrificiis se inferant.

17. (*o*) Isaiæ 52. 11. quem locum aptat Apostolus ad vitulos idololatras, affectu saltem, atque ut consuetudinem nimis familiarem cum illis inhibeat, ac multo magis mutua cum illis connubia.

CAPUT VII.

Corinthiorum pœnitentiam iis gratulatur, & eorum in se studium.

1. HAs ergo habentes promissiones (*a*), charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.

2. Capite (*b*) nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus.

3. Non ad condemnationem vestram dico (*c*): prædiximus enim quod in cordibus nostris estis, ad commoriendum, & ad convivendum.

4. Multa mihi fiducia (*d*) est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.

5. Nam & cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris (*e*) pugnæ, intus timores.

6. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi.

7. Non solum autem in adventu ejus, sed etiam in consolatione, qua consolatus (*f*) est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem.

8. Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me pœnitet: etsi pœniteret (*g*), videns quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit,

9. Nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum (*h*) patiamini ex nobis.

* 1 Petr. 2. 10. 10. * Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem (*i*) operatur.

11. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem: sed (*k*) defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam: in omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio.

12. Igitur, etsi scripsi vobis, non propter eum qui fecit injuriam (*l*), nec propter eum, qui passus est: sed ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam habemus pro vobis

13. Coram Deo: ideo consolati sumus. In consolatione autem nostra, abundantius magis gavisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus ejus ab omnibus vobis.

14. Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus (*m*): sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita & gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est,

15. Et viscera ejus abundantius in vobis sunt: reminiscentis omnium vestrum obedientiam: quomodo cum timore & tremore excepistis illum.

16. Gaudeo quod in omnibus confido (*n*) in vobis.

CAPUT VIII.

Hortatur Corinthios ut conferant eleemosynas in subsidium fidelium, qui sunt Jerosolymis.

1. NOtam (*a*) autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ:

2. Quod in multo experimento tribulationis (*b*), abundantia gaudii ipsorum fuit; & altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum:

3. Quia secundum virtutem (*c*) testimonium illis reddo, & supra virtutem voluntarii fuerunt,

4. Cum

CAP. VII. 1. (*a*) Ut simus templum Dei, & inhabitet in nobis: quas promissiones in lege nova accepimus. *Inquinamento*, ab omnibus peccatis, quæ carne, aut sola voluntate committuntur. *Perficientes*: ut simus sancti; ut opus sanctificationis perficiatur in nobis cum timore Dei sancto & religioso: ut sanctitas in Baptismo inchoata perficiatur.

2. (*b*) Responsurus vanis accusationibus, quas pseudo-apostoli in eum conjiciebant, rogat ut attente audiant quæ mox dicturus est. *Neminem corrupimus*, aut perversa doctrina, aut malis exemplis, *neminem circumvenimus*, nihil cupide extorsimus: idque vox Græca [illegible] significat, neminem præ avaritia fraudavimus.

3. (*c*) Quasi vos eam de me opinionem habueritis: nam in primis nobis chari estis, & parati sumus vobiscum mori & vivere.

4. (*d*) Sed ea libertate utor, ut apud filios, certus de vestra benevolentia: gaudio repletus ob adventum Titi, qui correctione vestra mihi nuntiata, omnem excussit tristitiam.

5. (*e*) Cum hostibus Ecclesiæ: *Intus timores*, ob novas quæ subinde exurgebant persecutiones. Vel intus ab hostibus occultis & domesticis.

7. (*f*) Passive, per quam consolationem de vobis magnam habui, ob vestri emendationem, & magnum in me amorem: hoc enim significat per æmulationem, ob desiderium vestrum me videndi.

8. (*g*) Gr. *Etsi pœnitebat*: tum incipit alia periodus: video enim quod Epistola illa etsi ad breve tempus vos contristavit; supplendum videtur, & tamen profuit vobis: nam tristitia quæ ex pœnitentia oritur, est semen salutis æternæ.

9. (*h*) Cum melior factus fuerit fornicarius; adeo ut nullo detrimento affecti fueritis per nos, qui vobis causa tristitiæ fuimus.

10. (*i*) Animæ, quam obmurmurat, & ultionem expetit.

11. (*k*) Immo & defensionem; Gr. apologiam, seu excusationem: Tristitia illa vobis attulit sollicitudinem, & vigilantem nostri defensionem. *Indignationem*, adversus incestum, aut contra seipsos, quod ita se gesserint, ut merito ab Apostolo reprehenderentur. *Sed desiderium*, videndi Apostoli; *Sed vindictam*, cum a sua communione incestum ejecerunt: *Incontaminatos*, ostendistis vos immunes esse a peccato fornicationis. Initio quidem illud punire neglexistis, sed illam negligentiam purgastis. *Negotio*, in crimine incesti, quod non exprimit, quia deletum erat.

12. (*l*) Patri suo, non solum propter eum scripsi, ut ei consulerem, sed ut ostenderem meam pro vestra salute sollicitudinem, quæ sollicitudo ex charitate profecta est: *Coram Deo*, atque hæc fuit præcipua excommunicantis intentio, ut a peccati contagio totum corpus servaretur illæsum.

14. (*m*) Quasi inaniter gloriatus essem de vobis apud eum. *Veritas*, vera inventa est.

16. (*n*) Id gaudeo, quod absque periculo offensionis possim libere & monendo & increpando vobiscum agere, atque omnia de vobis possim polliceri. Sic aditum sibi præparat ad ea, quæ mox ab iis est postulaturus.

CAP. VIII. 1. (*a*) Quod secundo loco sibi proposuerat, aggreditur, nempe ut pauperes fideles, qui Jerosolymæ erant, suis eleemosynis sublevent. Ac primo eos Macedonum exemplo excitat, quorum patientiam in variis afflictionibus perferendis, & liberalitatem in erogandis eleemosynis, gratiam, seu beneficium Dei appellat, quod hæc sint divinæ gratiæ dona.

2. (*b*) Id erat insigne divinæ gratiæ argumentum, quod cum calamitatibus, & bonorum spoliatione vexati, id tamen magnum gaudium, & sinceram liberalitatem cum acerba vexatione, & altissima paupertate conjungerent. *Simplicitatis*; quæ paupertas, Gr. [illegible], a fundo exhausta, redundavit in copiosam liberalitatem, a simplici & candido animo profectam.

3. (*c*) Pro viribus, reddo, ut ego testis sum; immo & supra vires, ultro benigni fuerunt & liberales.

4. Cum multa exhortatione obsecrantes (*d*) nos gratiam, & communicationem ministerii, quod fit in Sanctos.

5. Et non sicut speravimus (*e*), sed semetipsos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei:

6. Ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam.

7. Sed sicut in omnibus abundatis fide, & sermone (*f*), & scientia, & omni sollicitudine, insuper & charitate vestra in nos, ut & in hac gratia abundetis.

8. Non quasi imperans (*g*) dico: sed per aliorum sollicitudinem, etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans.

9. Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.

10. Et consilium in hoc do: hoc enim vobis utile est, qui non solum facere, sed & velle cœpistis (*h*) ab anno priore:

11. Nunc vero & facto perficere: ut quemadmodum promptus (*i*) est animus voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis.

12. Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet.

13. Non enim ut aliis sit remissio (*k*), vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate.

14. In præsenti tempore vestra abundantia (*l*) illorum inopiam suppleat: ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est:

* Exod. 16. 18. 15. * Qui multum, non abundavit (*m*): & qui modicum, non minoravit.

16. Gratias autem Deo, qui dedit eamdem sollicitudinem pro vobis in corde Titi,

17. Quoniam exhortationem quidem suscepit (*n*): sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos.

18. Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus (*o*) est in Evangelio per omnes Ecclesias:

19. Non solum autem, sed & ordinatus (*p*) est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ, in hanc gratiam, quæ ministratur a nobis ad Domini gloriam, & destinatam voluntatem nostram:

20. Devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine (*q*), quæ ministratur a nobis.

21. * Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. * Rom. 12. 17.

22. Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probavimus in multis sæpe sollicitum esse: nunc autem multo sollicitiorem, confidentia multa in vos,

23. Sive pro Tito (*r*), qui est socius meus, & in vos adjutor, sive fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi.

24. Ostensionem ergo, quæ est charitatis vestræ, & nostræ gloriæ pro vobis, in illos ostendite in faciem Ecclesiarum.

CAPUT IX.

Continuata est exhortatio ad eleemosynas liberaliter & hilare largiendas. Qui parce seminat, parce & metet: res est Deo grata, & pauperibus utilis.

1. NAm de ministerio, quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis.

2. Scio enim promptum animum vestrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaja parata est ab anno præterito, & vestra æmulatio (*a*) provocavit plurimos.

3. Misi autem fratres: ut ne quod gloriamus de vobis, evacuetur in hac parte, ut (quemadmodum dixi) parati sitis:

4. Ne cum venerint Macedones mecum, & invenerint vos imparatos, erubescamus nos (ut non dicamus vos) in hac substantia (*b*).

5. Ne-

4. (*d*) Instantissime orantes ut hanc acciperemus gratiam, ex Græco textu eleemosynas; *Sanctos*, ut ad sanctos deferremus quæ ad sublevandam pauperum inopiam dona offerebant.

5. (*e*) Non ii modo facultates suas licet egeni & pauperes, sed & semetipsos dederunt primum Domino; deinde nobis, *per voluntatem Dei*, Deo ipso hanc mentem aspirante.

7. (*f*) Loquendi facultate, & scientia, cognitione mysteriorum Dei: *Ut & abundetis*; facite, ut in hoc quoque abundetis.

8. (*g*) Exemplum Macedonum vobis propono, non quasi ex imperio: sed ut per aliorum, nempe Macedonum, sollicitudinem Gr. *studium*, affectum, *comprobans*, explorans, vestræ charitatis sinceritatem exciterm. Gr. *ingenuitatem*, generosam animi indolem provocem vel exploratam habeam.

10. (*h*) Ultro, & nullo adhuc provocati exemplo; itaque Is auctor est, ut opere perficiant quod anno superiori decreverant, & juxta facultatum suarum modum indigentibus succurrant ex eo quod habent. *Sed & velle* nullo exhortante, & suapte voluntate.

11. (*i*) Quemadmodum anno superiori promptam habuistis voluntatem benefaciendi sanctis, sic ad perficiendum vos promptos & alacres exhibete.

13. (*k*) Supplendum, exigo, non ut alii vestra liberalitate ditati delicatius vivant, & penes vos sit rei familiaris angustia; aut aliis nihil conferentibus, & vobis *largientibus* sit tribulatio: *æqualitate*: sed solo ut per quamdam æqualitatem vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut iis non desint necessaria, & vos deest superflua.

14. (*l*) In bonis spiritualibus vestræ penuriæ sit supplemento; æqualitas quædam inter divitem & pauperem constituitur, cum dives suis bonis pauperem juvat, pauper multum orat pro divite.

15. (*m*) Quem locum Exodi aptat æqualitati; nam si divites de superfluis necessaria Sanctis suppeditent, tum fit quædam æqualitas, dum quisque sorte sua contentus erit. Quæ vero interjacent de compensatione bonorum spiritualium & temporalium, Gagnæus existimat per parenthesem scripta esse, cum voce Græca ἰσότης, æqualitas, non compensatio designetur.

17. (*n*) Ad hoc quidem illum exhortati sumus, & sua sponte Corinthum reversus est: *Cum sollicitior esset*; cum vestri studio teneretur.

18. (*o*) Videtur Silas hoc loco intelligi, ex tempore quo scripta est hæc Epistola.

19. (*p*) Ab Apostolis & Pastoribus: Gr. χειροτονηθεὶς, suffragiis electus. *Gratiam*; ad colligendas fidelium eleemosynas in sanctos: *Et destinatam voluntatem nostram*; Græce, juxta promptam animi vestri voluntatem exequendam.

20. (*q*) In hanc eleemosynarum abundantiam omnem pravæ administrationis suspicionem amovet, quod ii, qui huic muneri præficiuntur, sint notæ probitatis.

23. (*r*) Sic legunt nonnulli: sive per Titum, qui est socius meus, sive per fratres nostros Apostolos: ita ut hic sit sensus: misimus alium fratrem studiosum vestri, & confidentem de vobis; vel potius nominativo pro accusativo utitur; confidentia in illos, ut par est, excipiatis, sive ob Titum ipsum sive propter fratres, qui sunt Apostoli Ecclesiarum, quique vitæ suæ sanctitate & doctrina Ecclesiæ sunt ornamento. Ellipsim hoc loco esse alii suspicantur, quæ per verbum *est* suppletur: Si de Tito agitur, is est socius meus: Sive de Apostolis, quos fratres vocat, ii sunt gloria Christi.

CAP. IX. 2. (*a*) Gr. æmulatio ex vobis orta; id vero ab iis postulat, ut suam largitionem accelerent ante Macedonum adventum. *Evacuetur*; ne gloriatio nostra de vobis inanis fiat.

4. (*b*) Gr. additur *gloriationis*; in hoc genere gloriandi ne erubescamus, quod tam confidenter de vobis hac in parte gloriati simus.

5. Necessarium ergo existimavi rogare fratres, ut præveniant (c) ad vos, & præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non tamquam avaritiam.

6. Hoc autem dico: Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.

7. Unusquisque prout destinavit (d) in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: * hilarem enim datorem diligit Deus.

* Eccli. 35. 14.

8. Potens (e) est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum,

* Ps. 111. 9.

9. Sicut scriptum est: * Dispersit, dedit pauperibus: justitia (f) ejus manet in sæculum sæculi.

10. Qui autem administrat semen seminanti (g): & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum justitiæ vestræ:

11. Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo.

12. Quoniam ministerium (h) hujus officii, non solum supplet ea, quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino,

13. Per probationem (i) ministerii hujus, glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ, in Evangelium Christi, & simplicitate communicationis in illos, & in omnes.

14. Et in ipsorum obsecratione (k) pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis.

15. Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.

CAPUT X.

Superior Epistola quosdam offenderat e Corinthiis, qui a pseudo-apostolis decepti auctoritatem Apostolicam, cujus ubique in ea epistola prodeunt indicia, impatienter ferebant. Quatuor his capitibus fortius eos repellit pseudoapostolos, idque suo quidem, non amplius Timothei nomine. Ipse autem Paulus, cujus ministerium & personam pseudo-apostoli deterrere ausi fuerant, propria obtrectatorum verba refert.

1. Ipse autem ego Paulus obsecro vos, per mansuetudinem & modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis.

2. Rogo (a) autem vos ne præsens audeam, per eam confidentiam, qua existimor audere, in quosdam, qui arbitrantur nos tamquam secundum carnem ambulemus.

3. In carne (b) enim ambulantes, non secundum carnem militamus.

4. Nam arma militiæ nostræ non carnalia (c) sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes,

5. Et omnem altitudinem (d) extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi,

6. Et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia (e).

7. Quæ secundum faciem sunt, videte (f). Si quis confidit sibi Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se: quia sicut ipse Christi est, ita & nos.

8. Nam, & si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram: non erubescam.

9. Ut autem non existimer tamquam terrere vos per epistolas:

10. Quoniam quidem epistolæ, inquiunt, graves sunt & fortes: præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis:

11. Hoc

5. (c) Ut ante veniant ad vos; ut præparent ante promissam benedictionem: vox, *esse*, videtur abundare.

7. (d) Non coactus, aut tristis: *Hilarem enim datorem diligit Deus*, Proverb. 22. juxta LXX. versionem: in vulgata sic habemus: *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur*. August. in Psalm. 42. *Si panem dederis tristis, & panem & meritum perdidisti*.

8. (e) Nihil est cur egestatem timeatis. *Potens est enim Deus*, &c. ut habeatis unde beneficentiam vestram exerceatis.

9. (f) Beneficentia non perit, sed instar seminis in terram jacti fructus affert uberrimos: is laudem apud homines, & mercedem apud Deum consequitur.

10. & 11. (g) Qui vobis tribuit unde pauperibus subveniatis. *Simplicitatem*, liberalem largiendi voluntatem, propter quam Deo gratias agimus.

12. (h) Eleemosynarum administratio; Gr. λειτουργίας, sacri ministerii, quod sit velut oblatum Deo sacrificium. Id efficit ut a multis Deo gratiæ agantur.

13. (i) Qui vestræ beneficentiæ sunt participes, Deum glorificant. *Obedientia*, quod facile hinc appareat vos Christianam legem sequi; *Et simplicitate*, quod sincero animo eos participes feceritis bonorum vestrorum.

14. (k) Dum preces pro vobis offerunt, Deum glorificant, & magno desiderio tenentur vos videndi propter tam excellentem Dei gratiam in vos collatam.

CAP. X. 2. (a) Ne cogar uti potestate illa, quam existimor a quibusdam nimis insolenter usurpare.

3. (b) In mortali quidem corpore vitam agimus: *Militamus*, non ut ambitiosi hominis nitimur præsidiis, non terrena emolumenta sectamur. Non demum nobis est ulla personarum acceptio, ut alios excommunicatione feriamus, aliorum crimina dissimulemus. Hoc enim pseudo-apostoli videntur exprobrasse: uti in calce c. 12. insinuat.

4. (c) Illius infirmitatem & forsan humilem corporis habitum secundo loco exprobrabant. Apostolus vero docet, arma, quibus utitur, ut dæmonis imperium destruat, altam mysteriorum scientiam, Apostolicam auctoritatem, non carnalia esse & infirma, cujusmodi sunt humanæ disciplinæ, artes politicæ, aut opes, aut magnatum favor, vel astutiæ: *sed potentia Deo*, sed validissima, quibus Deus utitur ut instrumentis ad destructionem munitionum, quibus confidunt homines; cujusmodi sunt humana eloquentia & Philosophia; *Consilia destruentes*: Gr. λογισμοὺς, ratiocinationes, quas Philosophi adhibent ad evertendam fidem.

5. (d) Ad destruendas omnes machinas politicæ, Philosophiæ, & eloquentiæ. *In obsequium Christi*, ut Christo subjiciatur & pareat. Altitudinem vocat quidquid in scientia, aut sermone sæculari apud homines admirationem movet.

6. (e) Hæc adversus pseudo-apostolos, quibus ad tempus parcit, ne eadem censura simplices Corinthios ab iis deceptos & inobedientes involvat.

7. (f) Vox Græca βλέπετε, *videte*, & *videtis*, ex æquo significat. *Si videtis*, legimus cum interrogatione, ironice est intelligendum: an tantummodo secundum faciem exteriorem nos consideratis, nam potestatem nostram Apostolicam? Si, *videte*, legimus, id quoque ironice interpretari licet: ite nunc, & secundum faciem judicate. *Iterum*, Gr. vicissim, ex seipso hoc perpendat. *Ita & nos*; adeo ut hac in parte illo inferiores non simus.

11. Hoc cogitet qui ejuſmodi eſt, quia quales ſumus verbo per epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto.

12. Non enim audemus (*g*) inſerere, aut comparare nos quibuſdam, qui ſeipſos commendant: ſed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, & comparantes noſmetipſos nobis.

13. Nos autem non in immenſum (*h*) glo-
Eph.4.7. riabimur, * ſed ſecundum menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus, menſuram pertingendi uſque ad vos.

14. Non enim quaſi non pertingentes ad vos, ſuperextendimus (*i*) nos: uſque ad vos enim pervenimus in Evangelio Chriſti.

15. Non in immenſum glorianres in alienis laboribus: ſpem autem habentes creſcentis (*k*) fidei veſtræ in vobis magnificari ſecundum regulam noſtram in abundantiam,

16. Etiam in illa, quæ ultra vos ſunt, evangelizare (*l*), non in aliena regula in iis quæ præparata ſunt gloriari.

* Jer 9.23. 1.Cor.1.31. 17. * Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.

18. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat.

CAPUT XI.

Veniam ſubinde petit, quod laudum ſuarum mentionem facere cogatur, idque inſipientiam vocat: quod gloriari, & laudes ſuas prædicare, niſi gravis cauſſa ſubeſt, quoddam videatur eſſe inſipientiæ, vel imprudentiæ genus; ſed nulla potuit eſſe cauſſa gravior, quam ut Evangelium ſuum adverſus pſeudo-apoſtolos defenderet; nam ſui ipſius commendatio, vera eſt ſapientia, ubi Dei cauſſa agitur.

1. UTinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ: ſed & ſupportate me:

2. Æmulor (*a*) enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.

* Gen 3.4. 3. Timeo autem, ne * ſicut ſerpens Hevam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant a ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.

4. Nam ſi is qui venit, alium Chriſtum prædicat, quem non prædicavimus: aut alium ſpiritum accipitis, quem non accepiſtis: aut aliud Evangelium, quod non recepiſtis: recte pateremini.

5. Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe a magnis Apoſtolis (*b*).

6. Nam etſi imperitus (*c*) ſermone, ſed non ſcientia: in omnibus autem manifeſtati ſumus vobis.

7. Aut numquid peccatum feci, meipſum humilians (*d*), ut vos exaltemini? quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis?

8. Alias Eccleſias expoliavi, accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum.

9. Et cum eſſem apud vos, & egerem, nulli oneroſus fui: nam quod mihi deerat, ſuppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia: & in omnibus ſine onere me vobis ſervavi, & ſervabo.

10. Eſt veritas (*e*) Chriſti in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achajæ.

11. Quare? Quia non diligo (*f*) vos? Deus ſcit.

12. Quod autem facio, & faciam: ut amputem occaſionem eorum, qui volunt occaſionem, ut in quo gloriantur, inveniantur ſicut & nos.

13. Nam ejuſmodi pſeudo apoſtoli, ſunt operarii ſubdoli (*g*) transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti.

14. Et non mirum: ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis.

15. Non eſt ergo magnum, ſi miniſtri ejus transfigurentur velut miniſtri juſtitiæ: quorum finis erit ſecundum opera ipſorum.

16. Iterum dico, (ne quis me putet inſipientem (*h*) eſſe, alioquin velut inſipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier)

17. Quod loquor (*i*) non loquor ſecundum Deum, ſed quaſi in inſipientia, in hac ſubſtantia gloriæ.

18. Quo-

12. (*g*) Quod ironice dictum multi exiſtimant. Non audemus nos iis annumerare, aut comparare cum quibuſdam, qui ſe adeo extollunt: *Sed in nobis noſmetipſos metientes*: ſed nos noſtro pede metimur.

13. (*h*) Non ſupra modum: *Sed ſecundum menſuram regulæ*: non ultra fines excurro, ſed vere glorior de multitudine provinciarum, quas Chriſtus mihi admenſus eſt. *Menſuram pertingendi uſque ad vos*; quod Evangelium prædicando per interjectas provincias pervenerimus Corinthum uſque; glorientur illi ut volent, de hoc tantummodo gloriabimur, noſtram prædicationem ad vos uſque perveniſſe. Ac forte pſeudo-apoſtoli jactabant ſe variis terrarum orbis partes prædicando obiiſſe; quibus reſpondet Apoſtolus ſe non ultra modo gloriaturum, ſed ſecundum menſuram regulæ a Deo præſcriptæ, qua diviſit Apoſtolis ſingulis regiones peragrandas.

14. (*i*) Progrediendo ultra fines noſtros, quaſi fines excedamus Apoſtolatus noſtri.

15. (*k*) Sperantes creſcente fide veſtra, *Magnificari*; ſpem habentes, fore ut Evangelium ulterius proferamus, adeo ut majorem de vobis laudem adipiſcamur. *Secundum regulam noſtram*, id eſt, menſuram laboris noſtri.

16. (*l*) Etiam in regionibus ultra Corinthum poſitis: *Non in aliena regula*, non attingendo alienos limites, ubi Evangelium ab aliis jam fuit annuntiatum; in locis quæ ab aliis ſunt occupata, & præparata ad ferendum fructum. Vel in iis quæ a Deo nobis ſunt commiſſa.

CAP. XI. 2. (*a*) Vos enim ardenter amo, ac zelotypia quadam laboro, ſed zelo Dei, qui nihil aliud quam Dei gloriam ſpectat. Vos quippe deſpondi Chriſto quaſi paranymphus, per fidem & baptiſmum, ut integros & puros vos exhibeam in die judicii.

5. (*b*) Præ magnis Apoſtolis: *Gr.* nihilo me inferiorem fuiſſe magnis Apoſtolis: pſeudo-apoſtolos perſtringit, qui nihil præter ſermonis nitorem & eloquentiam affectabant.

6. (*c*) Verborum ornatu; cum tamen doctrinæ ubertate excellerct. *Manifeſtati ſumus*, ſe nihilo iis inferiorem fuiſſe, cum in rerum divinarum ſcientia vis omnis prædicationis poſita ſit; neque alios hujus rei teſtes poſtulat, quam Corinthios ipſos, quibus apprime erat cognitus, quique optime noverant Apoſtolum ſincere & aperte cum iis egiſſe.

7. (*d*) An forte id mihi vitio vertitur, quod proprio labore apud vos vivens, artificium vile exercerem? *Ut vos exaltemini*; ut vos ſpiritualibus divitiis locupletarem.

10. (*e*) Veritatem dico, teſtis mihi eſt Chriſtus; *Infringetur*, nemo mihi hanc gloriandi materiem adimet, ut Evangelium gratis prædicem; ne pſeudo apoſtoli hic gloriandi occaſionem ſumant, quod Evangelium gratis prædicent. Quod ſi Paulus ſumptus acciperet, ſe illi æquarent, ut v. 12. indicat: paſtor quantum poteſt, libertatem ſuam tueri debet.

12. (*f*) Quod utique feci non ex ira, aut odio, ſed ne pſeudo-apoſtolis hanc adimam gloriandi occaſionem, & jactandi ſe in omnibus ſe eſſe ſimiles Paulo.

13. (*g*) Qui ſumptus non palam, ſed clam ſumebant.

16. (*h*) De laudibus ſuis dicturus, iterum rogat, ne hoc inſipientiæ tribuatur, aut certe malle id ipſum ad inſipientiam verti, quam non gloriari cum Evangelii detrimento; ita Gagnæus.

17. (*i*) Exiſtimate me non loqui ex humilitate Chriſtiana, ſed quaſi ex inſipientia, ut ſolent vani & ſtulti homines. *In hac ſubſtantia gloriæ*, In hac materia gloriæ; me minus prudenter hanc gloriandi occaſionem ſumere.

18. Quoniam multi gloriantur secundum carnem (*k*): & ego gloriabor.

19. Libenter enim sufertis insipientes (*l*): cum sitis ipsi sapientes.

20. Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit (*m*).

21. Secundum ignobilitatem (*n*) dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego:

22. Hebræi sunt, & ego (*o*): Israelitæ sunt, & ego: Semen Abrahæ sunt, & ego:

23. Ministri (*p*) Christi sunt, (ut minus sapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.

* Deut. 25. 24. A Judæis quinquies, * quadragenas, una minus, accepi.

* Act. 16. 22. 25. * Ter virgis cæsus sum, * semel lapida-
* Act. 14. 18. tus sum, * ter naufragium feci, nocte & die
* Act. 27. 41. in profundo maris fui,

26. In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere (*q*), periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus:

27. In labore (*r*) & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore, & nuditate:

28. Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.

29. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?

30. Si gloriari oportet: quæ infirmitatis (*ſ*) meæ sunt, gloriabor.

31. Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quod non mentior.

* Act. 9. 24. 32. * Damasci præpositus Gentis Aretæ regis, custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet:

33. Et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus ejus.

CAPUT XII.

De raptu Pauli in tertium cælum, de stimulo carnis: neque ille, aut discipuli ejus sua quæsierunt commoda.

1. SI gloriari (*a*) oportet (non expedit quidem:) veniam autem ad visiones & revelationes Domini.

2. * Scio hominem (*b*) in Christo ante annos quatuordecim, (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium cælum. * Act. 9. 3.

3. Et scio hujusmodi hominem, (sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit:)

4. Quoniam raptus est in Paradisum: & audivit arcana (*c*) verba, quæ non licet homini loqui.

5. Pro hujusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis.

6. Nam, & si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam: parco (*d*) autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me.

7. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus (*e*) carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet.

8. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me.

9. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur (*f*). Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.

10. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: Cum enim infirmor, tunc potens (*g*) sum.

11. Factus sum insipiens, vos me coegistis. Ego enim a vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli: tametsi nihil sum:

12. Signa tamen Apostolatus mei facta sunt super (*h*) vos, in omni patientia, in signis, & prodigiis, & virtutibus.

13. Quid

18 (*k*) De generis nobilitate, de rebus externis. *Et ego gloriabor:* ut eorum jactantiam reprimam, & meam apud vos auctoritatem defendam. S. Thom

19. (*l*) Ironia est; potestis insipientiam meam ferre, qui graviora multo a falsis doctoribus, & imperiosam eorum dominationem tam patienter fertis.

20. (*m*) Aut colaphis, aut contumeliis vos afficit, quod S. Thomas de servitute legis Mosaicæ interpretatur, aut de contumeliis intelligendum a pseudo-apostolis illatis.

21. (*n*) Gr. *Ignominiam*, seu rem ignominiosam dico, nempe ita contumeliis vos affici, quamquam hoc iterum videor per insipientiam dicere. Quæcumque illi sibi arrogant ut gloriosa, ego quoque mihi arrogabo.

22. (*o*) Se nulla in re iis inferiorem esse mox ostendit, neque in his quæ a natura sunt data, neque in donis spiritualibus, neque in susceptis laboribus, nec demum in perferendis pro Christi nomine variis tormentorum generibus.

23 & 25. (*p*) Ut demus esse tales. *Profundo*, Seu naufragio facto tabulæ supernatans, aut fluctibus jactatus diem noctemque exegerit; seu divinitus in mari fuerit servatus sine tabula. *In profundo egi*: Syriace, in mari fui sine navi.

26. (*q*) Ex Judæis, qui sæpe illi struxerant insidias. *Fratribus*; ab iis qui se falso Christianos dicebant.

27. & 28. (*r*) Gr. in defatigatione & ærumna; quæ est ægritudo laboriosa. *Instantia*, Moles negotiorum quotidie incumbentium, quibus pene obruor.

30 & 31. (*ſ*) De his malis, quæ pro Christo passus sum, propter quæ ab adversariis vituperor. *Præpositus*, Constitutus ab Areta rege Arabiæ Petrææ præfectus.

CAP. XII. 1. (*a*) Gr. Gloriari sane non expedit mihi, sed id cogor facere utilitatis vestræ caussa ad coercendam pseudo-apostolorum insolentiam, ne cum fides periculo despiciar a vobis.

Revelationes, Quæ sunt singularia Dei beneficia. Visio dicitur, cum aliquid videtur, cujus latet intelligentia, ut visio Pharaonis; cum autem rei visæ aperitur intelligentia, tum est revelatio.

2. (*b*) De se in tertia persona loquitur modestiæ caussa; *In Christo*. Gr. per Christum, aut ejus virtutem; *Ante annos quatuordecim*, forte quando una cum Barnaba initiatus est doctor Gentium, Act. 13. aut cum Lystris lapidibus fuit obrutus. *Corpore*; sive in corpore una cum anima translato; *Sive extra corpus*; sine ullo corporis sensu, aut motu, in sola animi minime separata contigerit, ut videtur S. Thomæ 2. 2. quæst. 175. art. 5. se nescire ait Paulus, quod non satis intellexerit quæ circa se agerentur. *Cælum*; usque ad sedem Beatorum.

4. & 5. (*c*) Gr. Et ineffabilia. *Infirmitatibus*: In passionibus, quæ me hominibus abjectum reddant.

6. (*d*) Mihi tempero. *Existimet*: ne quis me præstantiorem putet, quam ipse vel viderit, vel audierit.

7. (*e*) Gr. *Surculus infixus carni*, ad libidinem stimulandam, ut minister Satanæ; cui data est hæc potestas, ne vana gloria ob revelationum magnitudinem extolleretur: *Colaphizet*; ut hac velut ignominia affectus, non superbiam, sed mihi ipsi vilis efficiar.

9. (*f*) Potentia mea hoc fit illustrior, quo major est hominis infirmitas: *Ut habitet in me virtus Christi*. Ergo Christus ipse est Deus.

10. & 11. (*g*) Non mea, sed Christi virtute. *Apostoli*. Seu de veris loquatur Apostolis, cum falsi doctores negarent eum esse Apostolum, seu ironice de pseudo-apostolis hæc intelligamus: *Tametsi nihil sum*, ex meipso.

12. (*h*) Apud vos. *Signa* vocat opera, quæ probant ipsum esse Apostolum, ut miracula.

13. Quid est enim, quod minus habuistis præ ceteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos: Donate mihi hanc injuriam.

14. Ecce tertio (*i*) hoc paratus sum venire ad vos: & non ero gravis vobis. Nec enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.

15. Ego autem libentissime impendam, & superimpendar (*k*) ipse pro animabus vestris: licet plus vos diligens, minus diligar.

16. Sed esto: ego vos non gravavi: sed cum essem astutus, dolo vos cepi.

17. Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumveni vos?

18. Rogavi Titum, & misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis?

19. Olim putatis (*l*) quod excusemus nos apud vos? Coram Deo in Christo loquimur: omnia autem charissimi propter ædificationem vestram.

20. Timeo (*m*) enim, ne forte cum venero, non quales volo, inveniam vos: & ego inveniar a vobis, qualem non vultis: ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos:

21. Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos: & lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam (*n*) super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt.

CAPUT XIII.

Hortatur eos ne potestate, quam accepit a Christo, uti cogatur in delinquentes.

* Deut. 19. 15. Matth. 18. 16. Joann 8. 17. Heb. 10. 28.

1. Ecce tertio (*a*) hoc venio ad vos. * In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.

2. Prædixi, & prædico, ut præsens, & nunc absens (*b*) iis, qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam.

3. An experimentum quæritis (*c*) ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis?

4. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate (*d*): sed vivit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi sumus in illo: sed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis.

5. Vosmetipsos tentate (*e*) si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis.

6. Spero autem quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi (*f*).

7. Oramus autem Deum ut nihil mali faciatis, non ut nos probati (*g*) appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis: nos autem ut reprobi simus.

8. Non enim possumus (*h*) aliquid adversus veritatem, sed pro veritate.

9. Gaudemus enim, quoniam nos infirmi (*i*) sumus, vos autem potentes estis. Hoc & oramus vestram consummationem.

10. Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam, secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.

11. De cetero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini (*k*), idem sapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.

12. Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti.

13. Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

14. (*i*) Lucas Act. 18. primi adventus meminit; tertium commemorat Act. 20. non satis liquet quandonam secunda vice venerit; an forte cum esset Ephesi? an potius Lucas secundum Pauli adventum omisit, ut plures alias vitæ ejus circumstantias? an forte hæc verba: *Ecce tertio paratus sum*, ita sunt interpretanda, ut tertia vice se compararet ad iter faciendum?

15. (*k*) Non tantum res meas, sed & vitam vestri caussa libens profundam.

19. (*l*) Gr. πάλιν, *rursum*: occupat objectionem, se ideo excusare, ut eorum gratiam sibi concilient; id vero ait, ex veritate & charitate, seu ex suo in illos amore apologiam suam scribere, cujus tertiam & postremam partem ingreditur.

20. (*m*) Id metuit ne illos inveniat a pristinis vitiis non emendatos, atque eum ut severum patrem experiantur; *ne forte contentiones, æmulationes*, invidiæ, *animositates*, Gr. iræ: *inflationes*; fastus: *seditiones*, tumultus, *sint inter vos*.

21. (*n*) August. de publica pœnitentia id interpretatur; *Super immunditia*, mollitie, & aliis libidinibus contra naturam: *fornicatione*, quæcumque illa sit, aut adulterium, aut incestus, aut simplex fornicatio: *Et impudicitia*, vox Græca ἀσελγείᾳ, petulantiam, libidinem & lasciviam in oculis libidinosis & tactibus significat. Nullum est vitium, quod contagio magis serpat; nullum quod tenacius adhæreat, & corpus velut peste quadam magis inficiat.

CAP. XIII. 1. (*a*) Tertia hac vice paratus sum ad vos venire. *Omne verbum*, Eos qui non egerunt pœnitentiam, secundum legem Deut. 17. vindicabo, excommunicationem, aut rigorem pœnitentiæ minatur: hoc ipsum est, quod superiori capite ait se timere, ne ab iis talis inveniatur, qualem non optarent. Non vagas & occultas sine testibus accusationes admittet: novit enim pacem Ecclesiarum judiciorum ordine contineri, & cavendum esse ab occultis delatoribus.

2. (*b*) Scripto nunc admonet ut absens, quod prædixerat verbo cum adesset.

3. (*c*) An per vestram impœnitentiam vultis experiri utrum Christus in me loquatur, utrum in me, ut in aliis Apostolis, sit potestas puniendi peccata? *Non infirmatur*, non est imbecillis, sed per signa & miracula se manifestat.

4. (*d*) Propter infirmitatem carnis: *Sed vivit*, vita immortali. *Ex virtute Dei*, ex Dei potentia. *In illo*, cum illo, vel ad illius similitudinem: *Ex virtute Dei in vobis* a quæ apud vos se prodit.

5. (*e*) Vos ipsos examinate, si acceptam fidem retineatis: *In vobis*; in Ecclesia vestra, ubi tot Dei dona, tot miracula coruscant. Reprobi; Gr. ἀδόκιμοι, minime probi, aut probati: vox enim illa hoc loco non accipitur ut opponitur prædestinatis. Videtur Apostolus non de singulis, sed de Ecclesia Corinthiorum loqui.

6 (*f*) Gr. ἀδόκιμοι, *auctoritate dejecti*: Vel non sumus validis probationibus destituti.

7. (*g*) Non ut mundo probi videamur: oramus autem ut recte agatis: non interim, si id opus est, tamquam inglorii mundo existimemur, aut omni potestate destituti, quod nobis nihil occurrat vindicandum.

8. (*h*) Nam potestas nullum habebit usum, si quod bonum est, faciatis: *Veritatem*, pro eo quod rectum est, usurpat.

9 (*i*) Contra vos a scelere puros: *Consummationem*: perfectionem: id optamus ut infirmi videamur, nec potestate nostra utamur.

11. & 13. (*k*) Gr. παρακαλεῖσθε, vos invicem consolamini. *Domini*: Tres sanctæ Trinitatis personas commemorat: gratuita Christi Redemptoris beneficentia, charitas, qua Deus Pater nos dilexit, & larga effusio donorum Spiritus sancti.

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD GALATAS.

Quo tempore scripta fuerit hæc Epistola, incertum videtur, id tamen verisimile est a Paulo ante priorem ad Corinthios Epistolam scriptam fuisse, in qua cap. 16. Corinthios hortatur ut de eleemosynis in sanctos qui Jerosolymæ erant conferendis eodem se gerant modo, quem Ecclesiis Galatiæ præscripsit. Sic loquitur cap. 6. v. 10. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, *ubi fideles Jerosolymæ videtur insinuare. Scribendi caussa ea fuit, quod Galatas ad fidem conversos quidam pseudo-apostoli e Judæis pravis imbuerint doctrinis, observandæ legis necessitatem inducentes. Cum autem doctrinam a Paulo traditam Galatæ accepissent, ipsum doctorem Gentium, non ut Apostolum, sed ut Apostolorum discipulum, quique ab iis dissideret, habebant pseudo-apostoli, quæ acta fuerant Antiochiæ inter eum & Petrum, in sui erroris patrocinium afferentes. Ac tandem id effecere ut Galatæ complures circumcisionem reciperent, quod erat exempli pessimi: cum Gentiles jugum illud non ferendum a fide Christi deterruisset.*

Quamobrem Apostolus hanc scripsit Epistolam, in qua eum damnat errorem, ne in perniciem Ecclesiarum latius spargatur, Apostolatum suum adversus calumniatores adstruit, legales cæremonias ut inutiles rejicit, pseudo-apostolorum calumnias diluit, quæ Antiochiæ acta fuerint, commemorat; multos qui irrepserant abusus condemnat.

CAPUT PRIMUM.

Dum falsi doctores Paulum ut missum tantummodo ab Apostolis, non ut Apostolum haberent, primum ille characterem suum & auctoritatem constituit, ac subinde docet se a Christo ipso jam glorioso, & a mortuis suscitato, proxime missum; tum conversionis suæ circumstantias enarrat.

1. PAULUS, Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per (*a*) Jesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis:

2. Et qui mecum sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ.

3. Gratia vobis, & pax (*b*) a Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo,

4. Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam, secundum voluntatem Dei & Patris nostri,

5. Cui est gloria (*c*) in sæcula sæculorum: Amen.

6. Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium:

7. Quod

CAPUT I. 1. (*a*) Cujus divinitatem insinuat cum humanitate conjunctam: in Græco textu præpositio *διὰ*, ex æquo Patrem & Filium afficit. Id enim Paulo convenit, ut constitutus fuerit Apostolus a Jesu Christo glorioso & immortali.

3. (*b*) Reconciliatio cum Deo; vel omnis prosperitas in Christo. Pastoribus auctoritatem, quibus pacem per Christum, & gratiam impartitur.

5. & 7. (*c*) Qui propter tantum beneficium, oblationem nimirum Jesu Christi, & ejus in vos tam benignam voluntatem, in æternum laudandus est. Hactenus prima pars exordii, quæ salutationem continet; mox factum ipsum & immutationem eorum, quæ fuit scribendæ Epistolæ caussa, exponit. Convertere, Græce *μεταστρέψαι*, subvertere; ab iis scilicet seducti, fidem Evangelii ad Mosis legem revocatis.

7. Quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi.

8. Sed licet nos, aut Angelus (*d*) de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.

9. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.

10. Modo enim hominibus suadeo (*e*), an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.

* 1. Cor. 15. 1. 11. * Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem:

* Eph. 3. 3. 12. * Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.

13. Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo; quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei: & expugnabam illam,

14. Et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.

15. Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam,

16. Ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus: continuo non acquievi carni & sanguini,

17. Neque veni Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos: sed abii in Arabiam (*f*) & iterum reversus sum Damascum:

18. Deinde post annos tres veni Jerosolymam (*g*) videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim.

19. Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.

20. Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.

21. Deinde veni in partes Syriæ & Ciliciæ (*h*).

22. Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo:

23. Tantum autem auditum habebant: Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizet fidem, quam aliquando expugnabat:

24. Et in me clarificabant Deum.

CAPUT II.

Doctrinam suam cum Apostolorum doctrina omnino consentire ostendit. Ita enim in Concilio Jerosolymitano fuit judicatum. Tertius ille fuit ejus adventus Jerosolymam. Petri reprehensio.

1. Deinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito.

2. Ascendi autem secundum revelationem: & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid (*a*) esse: ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.

3. Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi (*b*):

4. Sed propter subintroductos (*c*) falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent.

5. Quibus neque ad horam cessimus subjectione (*d*), ut veritas Evangelii permaneat apud vos:

6. Ab iis autem, qui videbantur (*e*) esse aliquid, (quales aliquando fuerint, nihil mea interest. * Deus personam hominis non accipit) mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. * Deut. 10. 17. Job 34. 19. Sap. 6. 8. Eccli. 35. 15. Act. 10. 34. Rom. 2. 11. Eph. 6. 9. Colo. 3. 25. 1. Pet. 1. 17.

7. Sed contra cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis:

8. (Qui enim operatus (*f*) est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes)

9. Et cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras (*g*) dederunt mihi, & Barnabæ societatis: ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem:

10. Tantum ut pauperum (*h*) memores essemus: quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere.

11. Cum

8. (*d*) Etiamsi per impossibile, vel nos ipsi, vel Angelus Evangelizaret vobis, *præterquam*, quæ contraria sunt Evangelio, quod accepistis, *anathema sit*, maledictus & excommunicatus. Quod vers. 9 repetit, ne hoc ipsum sibi excidisse crederent: doctrinam Evangelio contrariam damnat, non aliam Evangelio consentaneam, non traditiones Apostolicas, cum ipse multa eos viva voce docuerit.

10. (*e*) Chrysostomus hæc verba sic interpretatur: an apud homines, vel apud Deum caussam dico? vel divina, an humana suadeo? an ipsis tantum hominibus probari volo? an forte hoc fungor munere, ut hominibus morem geram, non Deo? *Si adhuc hominibus placerem*, si hominum gloriam captarem, Christi servus non essem. Vox Græca ἀρέσκειν, pro affectare sumitur: nam pseudo-apostoli jactabant Paulum prædicare legalia: Si solis hominibus placerem, excluso Deo, ministerium meum non sincere obirem.

17. (*f*) Statim a conversione sua profectus est in Arabiam, seu in loca Damasci finitima, quæ Arabum ditioni tunc erant subjecta; hinc Damascum rediit, per triennium Evangelium prædicans; tum demissus est per murum: Hanc profectionem Pauli in Arabiam Lucas omisit.

18. (*g*) Ut videret Petrum, ob ejus primatum inter Apostolos: ex iis optime colligitur Paulum nec doctrinam, nec missionem suam ab aliis Apostolis, sed a Christo solo accepisse.

21. (*h*) Post 15. dies, quibus mansit Jerosolymæ.

CAP. II. 2. (*a*) Gr. *Qui magni erant nominis, & auctoritatis*, τοῖς δοκοῦσι, *ne forte in vanum currerem*; ne inanis esset prædicationis nostræ fructus, si quibusdam videretur doctrina mea Apostolis non probari, ut pseudo-apostoli jactitabant: Itaque doctrinam meam cum Apostolis contuli, ut eorum auctoritate muniretur.

3. (*b*) Quod Apostoli id minime necessarium judicarent.

4. (*c*) Gr. παρεισάκτους, subinductitios fratres. Vocem, *sed*, abundare existimat Hieronymus; vel particula, *neque*, est subintelligenda; & repetenda ex versu superiori: sed neque falsis fratribus, qui in Ecclesiam irrepserant, etiamsi multum urgerent, tum cessimus, ut veritas & libertas Evangelii integra maneret.

5. (*d*) Ad subjectionem; vel cum Græcis legendum, τῇ ὑποταγῇ, subjectioni; quorum subjectioni neque ad horam cessimus; non iis nos subjecimus.

6. (*e*) Qui magnæ erant auctoritatis, subaudi, nihil accepi: quam sententiam mox repetit per hyperbaton, atque inceptam periodum longa parenthesi interrumpit.

8. (*f*) Qui vim suam ostendit in Petro, ut Judæis prædicaret Evangelium: *Operatus est mihi inter Gentes*. Sic ut Judæos quoque ad fidem adducam: sed Deus voluit ut Gentes potissimum, quemadmodum Petrus Judæos, ad fidem perducerem, qui utrique nationi suus adesset pastor, diversis utriusque populi moribus obsecundans, dum unicuique proprium dedit pastorem.

9. (*g*) In Apostolatu socios asciverunt: quod utique non fecissent, si quid ab eorum doctrina alienum a nobis esset prædicatum.

10. (*h*) Qui a Judæis expoliati fuerant, *memores essemus*.

11. Cum autem venisset Cephas Antiochiam (*i*), in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.

12. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens (*k*) eos qui ex circumcisione erant.

13. Et simulationi ejus consenserunt ceteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.

14. Sed cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cum Judæus sis, gentiliter vivis, & non judaice (*l*), quomodo Gentes cogis judaizare?

15. Nos natura Judæi, & non ex Gentibus peccatores.

16. Scientes autem (*m*) quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi: & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi,
* Rom. 3. 20. & non ex operibus legis: * propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.

17. Quod si quærentes justificari in Christo, inventi sumus & ipsi peccatores (*n*), numquid Christus peccati minister est? Absit.

18. Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico (*o*): prævaricatorem me constituo.

19. Ego enim per legem, legi mortuus (*p*) sum, ut Deo vivam: Christo confixus sum cruci.

20. Vivo (*q*) autem, jam non ego: vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne: in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

21. Non abjicio (*r*) gratiam Dei. Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.

CAPUT III.

Postquam Apostolus fidei dogma constituit, legales ceremonias justificare non posse, Galatas ipsos compellat, & stultitia non ferenda eos revincit, quod adversus veritatem sibi notam in tam crassum errorem se a falsis doctoribus induci paterentur, quasi mentis oculis fascinatis; zelo quidem aculeato, & vivo, sed & veritate ipsa animata Galatas increpat, non ut lædat, sed ut sanet.

1. O Insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus (*a*) est, in vobis crucifixus?

2. Hoc solum a vobis volo discere: Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu (*b*) fidei?

3. Sic stulti (*c*) estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?

4. Tanta passi (*d*) estis sine causa? si tamen sine causa.

5. Qui ergo tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei?

6. Sicut scriptum est: * Abraham credidit * Gen. 15. 6.
(*e*) Deo, & reputatum est illi ad justitiam. Rom. 4. 3. Jac. 2. 23.

7. Cognoscite (*f*) ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ.

8. Providens (*g*) autem Scriptura, quia ex fide justificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ: * Quia benedicentur in te omnes * Gen. 12. 3.
Gentes. Eccli. 44. 20.

9. Igi-

11. (*i*) Cum Petrus Antiochiæ degens promiscue una cum Gentibus ageret, cum quibuslibet cibis uteretur, supervenerunt ab Jerosolymis Judæi Christiani, nondum plane legem Mosis dedocti, quique pauliatim a superstitione sua erant avocandi. Petrus ne eos offenderet, a Gentilium mensa se subducens, Gentiles offendit, quod velut impuri haberentur. Quin & plerique Judæi fideles, ex hoc Petri facto nutare cœperunt. Paulus utrique nationi consultum volens, Petrum aperte reprehendit, ea ratione usus, qua sententiam suam valde confirmat. *Reprehensibilis*; cui reprehensioni serio & aperte, non simulate, aut ex composito factæ, Petrus silentio suo acquievit, cum de cæremoniis legalibus ageretur.

12. (*k*) Ne scilicet eos offenderet timens eis. Libertas in Paulo, humilitas cum mira docilitate conjuncta in Petro emicuit: Deus Petrum docere noluit per Angelum, aut revelationem, ut ejus humilitate Ecclesiam erudiret.

14. (*l*) Quod si legi ipse renuntiasti: *quomodo Gentes cogis judaizare?* cogis nimirum exemplo tuo. Id enim facile sibi persuadebunt a cibis per legem vetitis esse abstinendum, dum times, ne Judæis infirmis sis offendiculo. Gentilium conscientiam vulneras, qui hunc ciborum delectum ad salutem necessarium non esse arbitrantur. Judæos infirmos in hoc errore confirmas, qui Gentilium conversioni, & Evangelii propagationi obstat maxime. Concilio Jerosolymitano sic adversaris, quo quidem Gentiles ab observatione legis liberos esse pronuntiatum fuit teipso auctore. Petro itaque resistit Paulus, ut Judæi ex ipso Petri silentio intelligerent nihil jam esse immundum, nullam amplius esse legis obligationem. Ceterum non erravit Petrus opinione, sed imprudentia tantum facti, quia simulatione sua errandi occasionem præbebat Gentibus.

16. (*m*) Particula, *autem*, textui Græco deest. *In Christo:* Græc. *In Christum Jesum credimus;* nos, inquit, natura Judæi, & ex parentibus Judæis orti sumus, & non proselyti ex Gentilibus nati; ceterum scimus neminem justificari ex operibus legis. *Nisi*, sed per fidem. Quomodo igitur judaizare Gentes exemplo tuo compellis? *Propter quod;* propterea quod alioquin nihil erat caussæ cur novam religionem amplecteremur, si ex operibus legis justitiam haberemus.

17. (*n*) Cum legis ceremonias abdicamus, nonne Christus peccati minister & auctor erit, cum ipse nos a Lege ad se abduxerit? quod omnino est absurdum; & Christo injurium. Si quærimus justitiam a Christo, ergo non eam habuimus ex Lege.

18 (*o*) Si enim qui in Christum credunt, adhuc manerent peccatores, lex jam destructa esset restituenda: neque exemplo nostro destruamus quod verbo prædicationis statuimus.

19. (*p*) Una cum Christo crucifixus sum per baptismum, qui mortem Christi exprimit.

20. (*q*) Quod juste vivam in hoc corpore, id non legi, sed fidei in Christum tribuendum est.

21. (*r*) Græc. Non *irritam facio*; non adeo sum ingratus, ut gratiam Dei per Christum mihi datam rejiciam, cum per legem salvari non possim.

CAP. III.

1. (*a*) Gr. descriptus & depictus, prædicationis meæ pictura velut oculis vestris subjectus, & quasi vobis intuentibus crucifixus, ut vos & a legis jugo & a prævaricationibus liberaret.

2 (*b*) An ex fide quam audistis, vel ex obedientia fidei? Pergit demonstrare veram justitiam, qua justi sumus, non ex ritibus in lege præscriptis, sed ex ipsa fide in Christum, seu ex ejus religione proficisci. Ex eodem fonte justitiam habuistis, ex quo tot Spiritus sancti dona, quæ utique non ex legis operibus, sed ex fide manarunt. Si quidem prius dona Spiritus sancti accepistis, quam ad legem Mosis intenderetis animum.

3. (*c*) Ut cum fides vestra a spiritualibus donis cœperit, nunc eam a carnalibus cæremoniis perfici posse existimetis.

4. (*d*) Si lex vos salvare potest, frustra pro Christo tanta perpessi estis; nihil vobis profuere tot afflictiones: *Si tamen sine caussa*; nec tamen frustra, si resipiscere vultis: quod subjicit, ne desperent, quasi diceret: sed spero de vobis meliora.

6. (*e*) Spiritum sanctum, & virtutem tot patrandi miracula, non ex operibus legis se accepisse fateri coguntur, sed ex auditu fidei. Quod utique non exprimit, sed facile intelligitur; idque probat exemplo Abrahæ, qui ex fide, non ex legis operibus fuit justificatus, cum promissis divinis credidit. Unde & Abrahæ filii per eamdem fidem justificantur. Verba illa, *sicut scriptum est*, desunt in Græco.

7. (*f*) Gr. intelligitis: *ex fide*, qui fideles sunt, & justitiam suam ex fide deprompserunt, hi sunt veri Abrahæ filii, & ex eodem fonte veram justitiam percipiunt.

8. (*g*) Cum longe antea prævidisset auctor Scripturæ Deus fore ut justificaret homines per fidem, idcirco jam olim in Scriptura narratur dictum id fuisse Abrahamo.

9. Igitur qui ex fide (*h*) sunt, benedicentur cum fideli Abraham.

10. Quicumque enim ex operibus (*i*) legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim :
* Deut 27. 26. * Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in Libro legis, ut faciat ea.

11. Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est: * quia justus ex fide vivit (*k*).
* Hab. 2. 4. Rom. 1. 17.

12. Lex autem non est ex fide (*l*), sed,
* Lev. 18. 5. * Qui fecerit ea, vivet in illis.

13. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum (*m*) : quia
* Deut. 21. 23. scriptum est : * Maledictus omnis qui pendet in ligno:

14. Ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem (*n*) Spiritus accipiamus per fidem.

* Heb. 9. 17. 15. Fratres (secundum hominem (*o*) dico)* tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat.

16. Abrahæ dictæ sunt promissiones (*p*), & semini ejus. Non dicit : Et seminibus, quasi in multis : sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus.

17. Hoc autem dico, testamentum confirmatum (*q*) a Deo : quæ post quadringentos & triginta annos facta est Lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem.

18. Nam si ex lege hæreditas, jam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus.

19. Quid igitur lex (*r*)? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos in manu mediatoris.

20. Mediator (*s*) autem unius non est: Deus autem unus est.

21. Lex ergo adversus promissa Dei? Absit (*t*). Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia.

22. * Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato (*u*), ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. * Rom. 3. 9.

23. Prius autem quam veniret fides (*x*), sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat.

24. Itaque lex pædagogus (*y*) noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur.

25. At ubi venit (*z*) fides, jam non sumus sub pædagogo.

26. Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu.

27. * Qui-

9. (*h*) Fideles, qui Christi fidem & religionem amplectuntur, fidem benedicentur cum Abraham, cujus exemplum imitantur illi, qui terrenis rebus non illigati, ab uno Deo expectant omnia per fidem justitiæ fontem, & omnis benedictionis spiritualis. Qui autem justitiam quærunt in ritibus legis, ab ea benedictione excluduntur; quod ea Scriptura iterum probat.

10. (*i*) Lex adeo non est benedictionis caussa, ut qui in ea confidunt, maledicto, aut pœnis eo in loco intentatis, seu execrationi sint obnoxii, quod lex sine gratia impleri non possit. Vox *omnis*, in texto Hebræo, Deuteronomii cap. 27 deest, sed addita est a septuaginta Interpretibus ut necessaria, quod propositio indefinita in iis quæ ad doctrinam spectant, universali exæquetur.

11. (*k*) Habacuc cap. 2. 4. non fides est justitiæ fundamentum: unde in lege, seu per legem, aut ejus cæremonias nemo fit justus: eo enim dicit, Justus ex lege vivit, sed ex fide, ex qua prodit oratio, ex oratione gratia.

12. (*l*) Non nititur fide, sed operibus & præceptis, quæ si quis fecerit, *vivet in illis*, & mortem vitabit, in quam incurrunt legis transgressores. Sed is vita tantummodo temporali vivet, non spirituali, de qua loquitur Scriptura cum ait: *Justus ex fide vivit*, non ex lege. Fides vitam animæ tribuit, lex a morte corporis tantummodo tuetur, nisi per fidem impleatur.

13. (*m*) Factus pro nobis maledictum, seu execratio; nostram in se suscipiens maledictionem. *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, qui ob scelera sua post mortem pendet in ligno, ut sit populo ostentui. Christus pro nostra salute crucifixus similitudinem gessit hominis a Deo maledicti.

14. (*n*) Ut promissum Spiritum ad priorīs accipiamus per fidem: Gentibus: Gr. in Gentes. 17. Gentes per Christum benedictionem sibi in Abrahamo promissam accipiant. Christus a Judæis spretus, ut fructum crucis Gentes perciperent, & fides omnibus communis in locum legis succederet.

15. (*o*) Exemplo utor humano & familiari. *Nemo spernit*, Gr. rescindit testamentum hominis debita auctoritate munitum; *aut superordinat*, Gr. *adjungit*, nec quicquam illi adjicit. Multo minus testamentum hoc, seu promissio Abrahæ facta irritari potest.

16. (*p*) Illa promissio sæpius iterata, Genes. 12. 13. 15. 17. 21. antiquari nequit. *Multis*; Græce de multis: nihil nisi Christo, & per Christum est promissum. Fideles omnes sunt unum in Christo, in eo cuncta implentur, in capite & in membris.

17 & 18. (*q*) Fœdus instar testamenti cum Abrahamo initum. Post quadringentos & triginta annos (qui a promissione facta Abrahæ ad legem usque excurrunt,) ac posterius legis fœdus, prius cum Abrahamo initum rescindere non potest. Non enim promissione Dei priores, aut pactiones a posterioribus rescinduntur, ut fit in humanis pactionibus. Vox illa, *τοῦτο δὲ*, *hoc autem*, ad testamentum quod in Græco est feminini generis, non refertur: sed sensus hic est: Hoc autem assero, per legem posteriorem infirmari non posse promissionem Abrahæ factam. *Hæreditas*, Si per legem nos cælestem adiremus hæreditatem, jam non promissionis vi ea esset hæreditas. Nam Deus non ex conditione legis, sed irrevocabili dono hanc promisit hæreditatem.

19. (*r*) Quorsum igitur lata est lex, si prorsus erat inutilis, si non conferebat justitiam? *Propter transgressiones posita est*: primum, ut innotescerent, deinde ut coercerentur, denique ut ex lege data abundans prævaricatio occasionem daret confugiendi ad Christi gratiam, & Redemptoris necessitatem agnoscendi: *Ordinata per Angelos*. Angelorum ministerio data est, cum promissio Abrahæ facta fuerit per Deum ipsum. *In manu mediatoris*. Moysis nimirum, qui hac in re mediator fuit Deum inter & Israelitas, & typus Christi. Quæ quidem ex diverso ritu, quo lex & promissio factæ sunt, probat hæreditatem promissam Abrahæ non esse legem ipsam; cum illa a Deo immediate data fuerit, hæc ministerio Angelorum, & Moysis. *Donec veniret semen, cui promiserat*; quæ verba per parenthesim videntur legi oportere. Lex inducta fuit, non ut semper, sed ad tempus vigeret; per ministros suos exteriorem legem imposuit Deus, per seipsum legem interiorem charitatis impartitur.

20. (*s*) Locus videtur obscurior, quem sic explicat Auctor Analyseos Gallicæ: *Mediator unius non est*: in contractu gratuito, atque ex mera liberalitate inito, nihil loci est mediatori, *Deus autem unus est*, Deus solus in promissione facta Abrahæ se adstringit. Alia est legis ratio, pactum est inter Deum & homines, iique onera, & conditiones acceptant; ex utraque parte consensus adsit necesse est. Unde & mediatoris interventu opus fuit: Angelus Deum, Moyses populum repræsentabant. Quamquam alii vocem illam, *Mediatoris*, de Christo intelligunt, qui medius intercessit inter legem & Evangelium, ut illius esset finis, hujus initium & summa. Sic interponens se inter Deum & homines, ut ipse naturam utramque complecteretur; utramque alteri conciliaturus, Deum placans sua morte, & homines doctrina & gratia ad Dei cultum perducens.

21. (*t*) Objectionem occupat, quæ ultro se offert: si ex lege peccatum, aut transgressio abundat: ergo lex promissis Dei est contraria. Hanc consecutionem negat Apostolus, & respondet legem promissis Dei fore contrariam, si homines legis beneficio justitiam acciperent, ut existimabant Galatæ; aut data esset lex, quæ justos homines efficeret: tum enim promissio Dei esset irrita: sed lex justitiam dare nequit; hæc adeo promissionem magis confirmat, quam destruit: quod si lex benedictionem afferret, promissionem ipsam excluderet.

22. (*u*) Lex Mosaica conclusit omnes sub peccato ea occasione, ut ii tandem agnoscerent promissam hæreditatem ad fidem in Christum pertinere; vel Scriptura declarat omnes esse peccato involutos, tam Judæos, quam Gentiles.

23. (*x*) Quis fuerit legis usus, declarat Apostolus: custodis nimirum & pædagogi munus obiit; antequam Christus veniret, lege tamquam vallo quodam Judæi continebantur, ne ad cultum idolorum diffluerent: *In eam fidem*, usque ad eam fidem. Quæ quidem fides est omnium sæculorum.

24. (*y*) Quapropter velut lascivienti puero lex tamquam pædagogus data est Judæis, quæ illos in Dei timore contineret, eos velut manu duceret ad Christum; timore manum cohibebat, donec cor ipsum emolliret.

25. (*z*) Ubi adfuit Christus, cujus fidei traditi sumus: *Jam non sumus sub pædagogo*; jam legis minas & terrores evasimus, & Gentiles inprimis, quales erant Galatæ.

* Rom. 6. 3. 27. * Quicumque enim in Christo (*aa*) baptizati estis, Christum induistis.

28. Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.

29. Si autem vos Christi: ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes.

CAPUT IV.

Statum Judæorum sub lege comparat cum statu filii, qui minor est annis; idque ut jam ante probatum ponit, populum christianum verum esse promissionum hæredem, qui quamdiu est parvulus, nihil differt a servo, neque agit ut hæres.

1. Dico autem: Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium:

2. Sed sub tutoribus & actoribus (*a*) est, usque ad præfinitum tempus a patre:

3. Ita & nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes.

4. At ubi venit plenitudo temporis (*b*), misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege,

5. Ut eos, qui sub lege erant, redimeret (*c*), ut adoptionem filiorum reciperemus.

6. Quoniam autem estis (*d*) filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.

7. Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius: & hæres (*e*) per Deum.

8. Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui natura non sunt dii, serviebatis (*f*).

9. Nunc autem cum cognoveritis Deum (*g*), immo cogniti sitis a Deo: quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo servire vultis?

10. Dies observatis (*h*), & menses, & tempora, & annos.

11. Timeo vos (*i*), ne forte sine caussa laboraverim in vobis.

12. Estote sicut ego, quia & ego sicut vos: fratres obsecro vos: Nihil me læsistis.

13. Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem: & tentationem vestram in carne mea.

14. Non sprevistis, neque respuistis: sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum.

15. Ubi est ergo beatitudo (*l*) vestra? Testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.

16. Ergo inimicus (*m*) vobis factus sum, verum dicens vobis?

17. Æmulantur (*n*) vos non bene: sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini.

18. Bonum (*o*) autem æmulamini in bono semper: & non tantum cum præsens sum apud vos.

19. Filioli mei, quos iterum parturio (*p*), donec formetur Christus in vobis.

20. Vellem autem esse apud vos modo, & mutare vocem meam: quoniam confundor (*q*) in vobis.

21. Dicite (*r*) mihi qui sub lege vultis esse, legem non legistis?

22. Scriptum est enim: Quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, * & unum de libera. * Gen. 16. 15.

23. Sed qui de ancilla, secundum carnem (*f*) natus est: qui autem de libera, per repromissionem:

24. * Quæ

27. & 28. (*aa*) Primæ nativitatis nostræ pudorem tegit secunda per Baptismum nativitas, cum Christum induimur. *Judæus*, Lex nova ex æquo ad nationes omnes pertinet.

CAP. IV. 2. & 3. (*a*) Gr. *œconomis*, seu rei domesticæ curatoribus. *Ita & nos*, Judæi legis ritibus serviebamus, rudioribus cultus divini elementis instituti.

4. (*b*) Tempus a Deo Patre definitum. *Factum ex muliere*; ex sola matris virginis substantia, sine Patre; *Factum sub lege*, cui se subjecit, licet huic non esset obstrictus.

5. (*c*) Ut e servis filios faceret quasi statu pretio.

6. (*d*) Vos, o Galatæ, qui legi subjecti, & sub tutoribus non fuistis, utpote Gentiles, tamen filii facti estis, ut Judæi: *Spiritum accepistis*, qui vos jam filios effectos clamare faciat, ardenter desiderare, & toto corde in Deum ferri. In tribus his versiculis Mysterium SS. Trinitatis exprimitur. *Misit Deus Filium suum*, ab æterno genitum, antequam eum emitteret; item misit *Deus Spiritum Filii sui*, qui a Patre procedit, a quo mittitur, & a Filio, cujus est Spiritus; quique in tempore ad sanctificationem nostram missus est. Effusio illa S. Spiritus in cordibus nostris fructus est Incarnationis Filii Dei, & titulus nostræ adoptionis: orationem, quæ est cordis clamor ad Deum ut ad Patrem, Spiritus ipse format, & perficit.

7. (*e*) Per Christum jam non sumus servi, sed filii, & hæredes.

8. (*f*) Quam præpostere Galatæ ad ritus Judaicos se conferant, mox ostendit, quasi majores anni in tutelam redire velint, qui antea falsis diis serviebant.

9. (*g*) Ut Patrem: *Immo cogniti sitis a Deo*, ut filii: *elementa*; ad ritus gratiæ & veritatis vacuos; *quibus denuo servire vultis*; a ritibus paganis ad ritus Judaicos, qui æternam conferre non possunt, convertimini, non ad eosdem, sed ad similes pene ritus, & vacuos.

10. (*h*) Judaicos ritus, sabbata, novilunia, annos sabbaticos.

11. & 12. (*i*) Vos timeo vel vobis. *Sicut ego*. Judaicas observationes abjicit. Quia ego, sicut vos, olim legis zelator fui, vel [illegible] in [illegible] habetote, quo vos prosequor. Obsecro, jam vos ut infensatos non objurgo, sed ut fratres obsecro; *nihil me læsistis*, non ex odio, aut ira vos increpo. Vel loquitur de tempore, quo apud illos est conversatus, non de doctrina sua quam detrectabant.

13 & 14 (*k*) Me tot malis vexatum, quod vobis tentationis loco esse poterit; Gr. experimentum mei, seu probationem. Non *sprevistis*, tentationem meam, vincula, carceres, plagas non aspernati estis: *Angelum*: ut legatum Dei, immo ut Christum ipsum excepistis.

15. (*l*) Gr. *Beatificatio*, ubi sunt vestræ de me voces & laudes? Et vos omnino beatos existimabatis. *Eruissetis*. Si opus id fuisset; quæ hyperbole summum in se Galatarum amorem exprimit.

16. (*m*) An me ut inimicum vestrum existimatis, quod libere verum dicam?

17. (*n*) Quod Galatæ sint in se male affecti, caussam rejicit in pseudo apostolos, qui Galatarum gratiam ambiebant, ut & sibi eos addicerent, alios vero excluderent.

18. (*o*) Illud est laudabile, erga magistros suos bene affici, dummodo sint boni, & constans sit amor ille: *Et non tantum cum præsens sum apud vos*; in quo eos leviter insimulat. Gr. bonum est æmulari semper in bono, & non solum ad tempus.

19. (*p*) Ut vos a Judaismo revocem: quæ propositio præ affectu manet elliptica. *Formetur*, qui ob pravam doctrinam, quam a falsis doctoribus accepistis, ex animis vestris pene deletus est. Vel perfectam ejus formam, seu rectam de illo fidem habeatis, qua Christum vobis ad salutem sufficere credatis.

20. (*q*) Gr. *dubius sum animi*, quid dicam ut fiat de vobis, nescio; quomodo loquar vobiscum præsens? Vel pudore afficior propter vos, qui recessistis ab eo quod vos docui.

21. (*r*) Jam ad probationes redit, quibus ostendat ... legi observationes, quibus se subjiciebant, non alio tendere, quam ut ab Ecclesia excluderentur: idque probat ex veteris & novæ legis discrimine. *Legistis*, Gr. non *auditis*? non attenditis? veteram vos amare servitutem, cum legis jugum vultis.

23. (*f*) Juxta consuetum naturæ ordinem.

* Gen. 21. 2. 24. * Quæ sunt per allegoriam (t) dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sina, in servitutem generans: quæ est Agar:

25. Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus (u) est ei, quæ nunc est Jerusalem, & servit cum filiis suis.

26. Illa autem, quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra.

* Is. 54. 1. 27. Scriptum est enim: * Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis (x): quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum.

* Rom. 9. 8. 28. * Nos autem fratres, secundum Isaac promissionis (y) filii sumus.

29. Sed quomodo (z) tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum: ita & nunc.

* Gen. 21. 10. 30. Sed quid dicit Scriptura? * Ejice ancillam, & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.

31. Itaque fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberavit.

CAPUT V.

Apostolus Galatas a Circumcisione deterret: summam legis in dilectione proximi positam esse docet; carnis & spiritus colluctationem, & utriusque fructus describit.

1. STate (a), & nolite iterum jugo servitutis contineri.

2. * Ecce ego Paulus (b) dico vobis: quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. * Act. 15. 1.

3. Testificor (c) autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.

4. Evacuati (d) estis a Christo, qui in lege justificamini: a gratia excidistis.

5. Nos enim spiritu (e) ex fide, spem justitiæ expectamus.

6. Nam in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per charitatem operatur (f).

7. Currebatis bene: quis vos impedivit (g) veritati non obedire?

8. Persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos.

9. * Modicum fermentum totam massam corrumpit. * 1. Cor. 5. 6.

10. Ego

24. (t) Allegoria tum dicitur, cum manente historiæ veritate aliud verbis exprimitur, aliud sensu intelligitur: hanc allegoriam evolvit Apostolus. *Servitutem;* videbatur mox additurus alterum Testamentum in monte Sion in libertatem generare: sed propter hyperbaton id omisit, quod ultro animo occurrit. *Quæ est Agar:* quod testamentum per Agar figuratur. Itaque in sensu allegorico Agar & Sara sunt Synagoga & Ecclesia Christi, ac cælestis Jerusalem, sive ut triumphans in cælo, sive ut militans in terra spectetur, ob fidem in Christum, spem æternæ beatitudinis: & castum in Deum amorem. Duo Abrahæ connubia, unum cum ancilla, alterum cum libera, duo testamenta, seu fœdera exprimunt, unum in monte Sina cum Synagoga, alterum in monte Sion cum Ecclesia initum. Ismael filius Agar populum Judaicum, Isaac populum Christianum adumbrat; ille Deum colebat timore servili, hic amore.

25. & 26. (u) Gr. congruit cum Jerosolymis: cum Judæis cognationem habet, cum terrena Jerusalem, quoad mysticam significationem. Utraque vetus Testamentum significat, ut Sara libera figura est novi Testamenti. *Quæ sursum est:* Una est Ecclesia: quæ tota cælestis est, & sursum tendit, quæque mater est omnium qui corda sursum tollunt. In Græco textu post *Sina* additur *Agar*, id est, Sinæ nomen idem est quod Agar: *Sina* apud Arabes Agar dicitur, Plinius meminit urbis Agaræ in iis locis positæ.

27. (x) Hic locus Prophetæ exponi solet de Ecclesia e Gentibus congregata, quæ ante sterilis erat & deserta, quæque per Saram figuratur. Negat tamen Auctor Analyseos Gallicæ hæc Isaiæ c. 54. v. 1. verba ad infidelem Gentilitatem referri posse, quæ tum temporis nec sterilis, nec deserta, nec sponsa Christi concipitur. Itaque Estius & Auctor identidem laudatus sponsam illam sterilem & desertam, Ecclesiam ipsam fuisse sub veteri Testamento existimant justorum societatem, nullo quidem visibili signo a Synagoga secretam, sed fide tantum in Christum venturum ut hominum redemptorem, & mandatorum observatione ex amore, non ex timore servili a Synagoga distinctam. Sterilis erat, quod numero pauci essent fideles, ac fecunditatis spiritalis duo principia, sacerdotium nempe, & Cathedræ auctoritas, illi deessent. Huic Deus numerosam prolem, & majorem quam Synagogæ, promisit, quod in prædicatione Evangelii & Gentium conversione impletum est. Quamobrem Estius hæc Prophetæ verba Ecclesiæ ipsi Christianæ aptat, & justorum societati, quæ ab initio mundi in paucis fidelibus semper fuit conservata, quæque cum Synagoga unum & idem corpus visibile efficiebat, tametsi ad novum Testamentum pertineret propter easdem virtutes, quæ nos Christianos efficiunt, fidem nempe, spem & charitatem. Hæc societas Isaiæ temporibus exstabat, licet in paucis fidelibus: nam de illa in tempore præsenti loquitur: *Lætare sterilis quæ non paris*, nisi perpaucos fideles. Jam erat ab initio mundi, ex August. Lib. 1. de Baptismo, & Lib. 18. de Civit. cap. 5. in Abel, Henoc, Noe, Abraham, Mose, & in aliis justis, quos peperit ante Christum natum. Nam fides in Christum jam ab initio mundi fuit ad salutem necessaria, quique fide Christiana fuerant instructi, quibuscumque vixerint temporibus, ad Ecclesiam pertinent, quæ Synagoga longe est antiquior, ut Sara, quæ Agar erat vetustior, & libera. Synagoga filios Deo non peperit, sed servos. Hæc quidem fuse & docte Auctor citatus; neque tamen negaverim utrumque intellectum verbis Isaiæ aptari commode posse, & Ecclesiæ priorum temporum, ac futuræ post Christi adventum. Tu, inquit, Ecclesia quæ usque ad Christi adventum sterilis fuisti, quæque e gentibus perpaucos, e Judæis plures quidem Christo filios, eosque sub servitutis velamine latitantes enixa es, lætare: nam multo plures filios Christo viro tuo paries, quam Synagogam Legi Mosaicæ ut viro conjuncta, veteris Testamenti temporibus filios peperit. Neque illud dimiseris Synagogam umquam defecisse: semper enim visibilis fuit in Templo, sacrificiis, sacerdotio, Prophetis, fidelibus.

28. (y) Hoc mysterium est Judæis incognitum, qui cum originem a Sara per Isaac ducerent, secundum spiritum ab Agar per Ismaelem descendebant. Gentiles vero, qui secundum carnem e neutra nascebantur, regenerati per fidem, ut filii Saræ & Isaac habentur vi promissionis factæ Abrahamo, fore ut omnes gentes in ejus semine benedicerentur, ut Isaac præter naturæ ordinem vi promissionis factæ Abrahamo natus est. Itaque juxta typum & similitudinem, ut Isaac filii Ecclesiæ sumus, ex virtute & promissione Dei. Ideo ex libera nati non debemus legi servire.

29. (z) Genes. 21. Ismael lusisse cum Isaac, hoc est illusisse, phrasi Hebraica dicitur, vel lusus ille fuit persecutio, sive ad idololatriam, sive ad lasciviam eum vellet inducere, ex S. Thoma.

CAP. V. 1. (a) Firmi estote, non vacillantes. Jugo, Gr. ne immiscemini iterum jugo servitutis, legalis, vel ne obnoxii sitis huic jugo. Quod ait, *iterum*, non propterea innuit eos aliquando sub lege fuisse: sed ab idolorum servitute liberatos esse.

2. (b) Cujus auctoritas pro ratione omni vobis esse debet: *Si circumcidamini*, ac Circumcisionem vobis ad salutem necessariam esse credatis, Christus, quem sperneretis, nihil vobis proderit. Judæis quidem ad tempus circumcidi fas erat, non item Gentilibus.

3. (c) Denuntio eum, qui amplectitur Circumcisionem, quæ est caput legis, & aperta illius professio, totius legis observationi se obnoxium reddere, quod omnia illi sint connexa.

4. (d) Ab illius gratia excidistis, qui vultis per legem justificari.

5. (e) Per spiritum ex fide expectamus justitiam, & illius præmium: non ex Lege, aut ex Circumcisione.

6. (f) Gr. perficitur, vel fit efficax, cum scilicet charitate animata, & incitata ad opus, non torpet otio: adeo ut non sola fides, sed cum charitate & bonis operibus conjuncta nos justos efficiat.

7. & 9. (g) Gr. *Cursum inhibuit*. *Corrumpit*, Gr. fermentat, suo velut odore inficit.

10. Ego confido in vobis (*h*) in Domino, quod nihil aliud sapietis: qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque est ille.

11. Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico (*i*): quid adhuc persecutionem patior? Ergo evacuatum est scandalum crucis.

12. Utinam & abscindantur (*k*) qui vos conturbant.

13. Vos enim in libertatem vocati estis (*l*) fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus servite invicem.

14. Omnis enim lex in uno sermone impletur: * Diliges proximum tuum sicut teipsum. * Lev. 19. 18. Mat. 22. 39. Rom. 13. 8.

15. Quod si invicem mordetis, & comeditis: videte ne ab invicem consummamini.

16. Dico autem: * Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. * 1. Pet. 2. 11.

17. Caro enim concupiscit adversus spiritum (*m*): spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur: ut non quæcumque vultis, illa faciatis.

18. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege (*n*).

19. Manifesta sunt autem opera carnis: quæ sunt fornicatio (*o*), immunditia, impudicitia, luxuria,

20. Idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ,

21. Invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes (*p*), & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

22. Fructus autem Spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas,

23. Mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est lex (*q*).

24. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.

25. Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.

26. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

CAPUT VI.

Quæ ad mores ex Christi lege informandos pertinent, prosequitur, idque in primis, ut alii aliorum portent onera, & in spiritu lenitatis adhibeatur correctio; ut in cruce Christi tantummodo gloriemur.

1. FRatres, & si præoccupatus (*a*) fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.

2. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis (*b*) legem Christi.

3. Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.

4. Opus autem suum probet (*c*) unusquisque, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero.

5. * Unusquisque enim onus suum portabit. * 1. Cor. 3. 8.

6. Communicet (*d*) autem is, qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.

7. Nolite errare: Deus non irridetur (*e*).

8. Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua: de carne (*f*) & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu: de spiritu metet vitam æternam.

9. * Bonum autem facientes, non deficiamus (*g*): tempore enim suo metemus non deficientes. * 2. Thess. 3. 13.

10. Ergo dum tempus (*h*) habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.

11. Vide-

10. (*h*) De vobis, per gratiam Domini fore ut nihil sentiatis præter ea quæ vos docui.

11. (*i*) Pseudo apostoli Galatis persuadebant Circumcisionis necessitatem a Paulo prædicari, quod ante aliquot annos Timotheum circumcidi jussisset, & legales cæremonias observaret, quod utique nihil ad propositam quæstionem attinebat. Nam de Gentilibus agebatur. Quod si, inquit, Circumcisionem ut Gentilibus necessariam prædico, quid adhuc persecutionem patior a Judæis? Timotheus vero natus erat ex matre Judæa, at ut ad quorumdam Judæorum infirmitatem se demitteret, jussit eum circumcidi. *Evacuatum*; non enim Judæos tam offendebat prædicatio Christi crucifixi, quam legis per crucem abrogatæ.

12. (*k*) Ab Ecclesia, & vestro consortio. Mox ad præcepta morum transit.

13. (*l*) Ne forte existimarent sibi licere quæcumque vellent, eos admonet ne abutantur ea libertate; simul aliud, sed levius jugum iis imponit, nempe charitatis; ex Chrysostomo non dixit, diligite, sed servite, intensam ac vehementem declarans amicitiam.

17. (*m*) Carnalis concupiscentia excitat in nobis prava desideria Spiritui sancto, vel rationi ipsi contraria, quæ desideria non sentire optaretis: *velletis*, sed hoc assequi non potestis. Innata illa ad malum propensio, & jugis pugna hominis cum seipso, est peccati originalis fructus.

18. (*n*) Cogente & terrente: sed libere facitis quod lex jubet.

19. (*o*) Gr. scortatio, adulterium, & *immunditia*, mollities, qua se molles contra naturam contaminant. *Luxuria*, vox Græca quævis libidinem petulantiorem significat, ἀσέλγεια, protervia.

21. & 22. (*p*) In re gravi. Inter carnis opera non ea tantum quæ corpore; sed etiam quæ solo animo perficiuntur, ut invidiam, & inimicitias, reponit. Alia ex iis quæ enumerantur, sunt mortalia ex genere, ut fornicatio; alia ex consummatione, ut ira, cujus consummatio est grave nocumentum proximi: si consensus accesserit, peccatum erit lethale.

23. (*q*) Quæ hos fructus arguat: charitas est primus S. Spiritus fructus; vita ceterorum. In Græco tantummodo novem fructus Spiritus numerantur: In vulgata editione 12. Fieri id potest ut exscriptores ejusdem vocis Græcæ duas posuerint synonymas.

CAP. VI. 1. (*a*) Hebraismus, si quis in delicto imbecillitate victus, aut seductus repertus fuerit; vel ex Græco textu, si quis opinione præsumitur alicujus peccati reus, vos qui spirituales, aut firmiores estis, nolite acrius eum objurgare, sed potius instruite eum. Gr. restituite eum. *Considerans*, σκοπῶν, singularis numerus loco pluralis: eos præcipue alloquitur, qui se aliis perfectiores existimabant, seipsos cum aliis comparantes, eosque durius tractantes.

2. (*b*) Gr. adimplete legem Christi, patienter ferentes, & ultro ignoscentes.

4. (*c*) Actiones suas ad regulam, seu ad legem divinam exigat, non se aliis præponens; lapsus suos consideret.

6. (*d*) Qui in doctrina fidei instruitur, doctori suo bona temporalia & necessaria tribuat: de fidelibus adhuc rudioribus agit, qui plenius erant instruendi, ac deinde ministrorum honorarium ex jure divino debeatur.

7. (*e*) Vanæ excusationes apud Deum non valent; novit vestras facultates. Metaphoram seminis, seu sumptus ad doctorum sustentationem omnibus vitæ actionibus applicat.

8. (*f*) Qui suis cupiditatibus servit, de his corruptionem metes, mortem æternam: *qui autem seminat in spiritu*, Gr. *in spiritum*, qui seminat spiritualia. In bonis operibus velut in semine vita æterna continetur.

9. (*g*) Non defatigemur, non desides simus: *non deficientes*, in bono perseverantes; tempus serendi, & tempus metendi; serimus in tempore, metemus in æternitate.

10. (*h*) Gr. opportunitatem: *Domesticos*; quos una fides velut in eadem domo continet: Viri boni sunt aliis præferendi; sed alii non sunt excludendi.

11. Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu (*i*).

12. Quicumque enim volunt placere (*k*) in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur.

13. Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt: sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur (*l*).

14. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

15. In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura (*m*).

16. Et quicumque hanc regulam (*n*) secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei.

17. De cetero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata (*o*) Domini Jesu in corpore meo porto.

18. Gratia Domini nostri Jesu Christi, cum spiritu vestro, fratres. Amen.

11. (*i*) Qui aliena manu scribere soleo, hanc Epistolam scripsi mea manu, ut hinc discatis quantum vestra salus mihi chara sit. Vel attendite qualem vobis scripserim Epistolam.

12. (*k*) Judæis *in carne*, per carnalem Circumcisionem. Præcipuum Epistolæ argumentum resumit, & novam subjicit rationem, quod falsi doctores eos circumcidi cogerent, non zelo legis adducti, sed tantum ne persecutiones paterentur a Judæis, qui non tam persequebantur fidem Crucifixi, quam doctrinam legis abrogandæ.

13. (*l*) Quod suæ auctoritatis impressa habeatis signa, & carnaliter de vobis glorientur, tamquam de suis discipulis.

15. (*m*) Anima fide & baptismo renovata, ut in novitate spiritus ambulans, non in vetustate literæ.

16. (*n*) Hanc vivendi rationem ut secundum Christum ambulent: *Et super Israel Dei*; super populum Christianum.

17. (*o*) Loco Circumcisionis cicatrices e vulneribus propter Christum acceptis. Hanc Circumcisionem, quæ est participatio dolorum Christi, opponit Circumcisioni Judæorum, quæ eorum servitutem sub lege designabat.



EPI-

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD EPHESIOS.

Ex cap. quarto & sexto hujus Epistolæ liquet eam scriptam fuisse Romæ; sed utrum in prioribus, an in posterioribus Pauli vinculis ea perscripta fuerit, dubitatur. Per Tychicum quidem missa fuit, uti & Epistola ad Colossenses: sed ex epistola 2. ad Timotheum, quæ posteriorum vinculorum tempore scripta est, discimus eumdem Tychicum ab Apostolo missum esse Ephesum; cumque titulus nomen tantummodo Pauli, non Timothei nomini sociatum præ se ferat, videtur viris doctis scripta in posterioribus vinculis.

Ephesus erat Asiæ minoris Metropolis, templo Dianæ celebris: eo confluebant totius Orientis populi: per tres annos Paulus Evangelium ibi prædicaverat, ut Mileti hujus Ecclesiæ & circumjectæ regionis Pastoribus testatus est; idque repetitis vicibus, ut verisimile est: seditione ab argentariis exorta hinc exire coactus est. Missa est hæc Epistola per Tychicum ex Græca subscriptione. Hanc Epistolam scripsit, ut fideles in suscepta fide & in mutua dilectione confirmaret; atque eos adversus turbam Philosophorum, magorum, Simonis discipulos, & falsos fratres e Judæis male conversos muniret. In duas dividitur partes: in priori, quæ est dogmatica, de gratuita prædestinatione ad fidem, justitiam, & salutem differit, ut firmi perstarent in doctrina, quam prædicaverat. Beneficia Incarnationis Dominicæ & Redemptionis in memoriam revocat. In posteriori epistolæ parte, quæ a capite quarto incipit, præclara morum tradit præcepta. Epistola sublimis est ob materiæ dignitatem, stylus paullo obscurior; nulla enim Pauli epistola tanta habet mysteria reconditis sensibus involuta, teste Hieronymo.

CAPUT PRIMUM.

Præmissa solito more salutatione, mysterium voluntatis Dei in vocatione & prædestinatione nostra veneratur; tum gratias agit Deo pro tot beneficiis per Christum in nos collatis.

1. PAulus Apostolus Jesu Christi
per voluntatem (a) Dei, omnibus
sanctis, qui sunt Ephesi,
& fidelibus in Christo Jesu.
2. Gratia vobis, & pax a Deo
Patre nostro, & Domino Jesu Christo (b).

3. * Benedictus (c) Deus & Pater Domini * 2 Cor. 1. 3.
nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni 1. Pet. 1. 3.
benedictione spirituali in cælestibus in Christo.
4. Sicut elegit (d) nos in ipso ante mundi
constitutionem, ut essemus sancti & immaculati
in conspectu ejus in charitate.

5. Qui

CAPUT I.

1. (a) Non ex meis meritis: *Omnibus sanctis*, ob vitæ innocentiam.

2. (b) Præpositio ἀπὸ, ex æquo ad Patrem & Filium pertinet, quod SS. Patres adversus Arianos observarunt.

3. (c) Laudetur Deus: homines Deo benedicunt laudando; Deus benedicit, hominibus bene faciendo. *Benedixit*, bonis spiritualibus, quæ in cælo sunt reposita, nos cumulavit. Gratias Deo agit, qui effudit in nos tot bona sua spiritalia, remissionem peccatorum, fidem & virtutes, quæ ad cælestem & æternam vitam nos perducunt: In quo fidelium dona spiritalia a Judaicis benedictionibus, quæ ad terrestria spectant bona, distinguit.

4. (d) Atque hæc est electionis nostræ, seu prædestinationis caussa; amor Dei in nos: quo quidem præ aliis innumeris hominibus nos elegit: *In ipso*, per Christum, *ut essemus sancti & immaculati*; Gr. *Inculpati, & irreprehensibiles*; non quia eramus, sed ut essemus: *In conspectu ejus*, non modo coram hominibus, qui ex facie tantum judicant: *Sed in conspectu ejus in charitate*, irreprehensibiles per charitatem.

5. Qui prædestinavit nos in adoptionem (e) filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ,

6. In laudem (f) gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo.

7. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus,

8. Quæ superabundavit in nobis, in omni sapientia & prudentia:

9. Ut notum faceret nobis sacramentum (g) voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo,

10. In dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, in ipso:

11. In quo etiam & nos sorte (h) vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ:

12. Ut simus in laudem (i) gloriæ ejus nos, qui ante speravimus in Christo:

13. In quo & vos, cum audissetis verbum veritatis, (Evangelium salutis vestræ) in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto.

14. Qui est pignus (k) hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.

15. Propterea & ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Jesu, & dilectionem in omnes sanctos,

16. Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis:

17. Ut Deus, Domini nostri Jesu Christi pater gloriæ (l), det vobis spiritum sapientiæ, & revelationis, in agnitione ejus:

18. Illuminatos (m) oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis,

19. Et quæ sit supereminens (n) magnitudo
* Inf. 3. 7. virtutis ejus in nos, qui credimus * secundum operationem potentiæ virtutis ejus,

20. Quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus,

21. Supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro.

22. * Et omnia subjecit sub pedibus ejus: & * Ps. 8. 8.
ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam,

23. Quæ est corpus ipsius, & plenitudo (o) ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.

CAPUT II.

Statum peccatoris mentis oculis subjicit, ut hominis coram Deo mortui, pravis affectibus, & carnali suæ voluntati traditi, ut filii iræ, qui mundi spiritu agitur, qui dæmonis imperio subest.

1. ET vos, cum essetis mortui delictis & peccatis vestris, Col. 2. 13.

2. In quibus aliquando ambulastis secundum sæculum (a) mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ,

3. In quibus & nos (b) omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filii iræ, sicut & ceteri:

4. Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos,

5. Et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, (cujus gratia estis salvati)

6. Et conresuscitavit (c), & consedere fecit in cælestibus in Christo Jesu:

7. Ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate (d) super nos in Christo Jesu.

8. Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est:

9. Non

5. (e) Qui juxta æternam prædestinationem sibi per Jesum nos adoptavit in filios, adoptione perfecta, quæ incœpta est per generationem ad gratiam, sed in ultima resurrectione perficietur per Jesum Christum: *In ipsum*, Gr. *In se*, prædestinavit ut sibi filios adoptaret: *Propositum*; Gr. *ευδοκιαν*, beneplacitum ex bona voluntate sua, eaque gratuita.

6. (f) Ut laus omnis pro gratia ejus in nos collata, ei tribuatur per Filium, cui innititur nostra prædestinatio, sive ad gratiam, sive ad gloriam. *Gratificavit*, Gratos nos effecit per merita Filii sui.

9. & 10. (g) Adeo ut nobis notum fecerit arcanum, seu mysterium illud, quod a sola ejus voluntate pendebat: qua quidem voluntate statuerat ab æterno instaurare omnia per Christi Incarnationem, quæ omnium gratiarum fons est: *Instaurare*, vox Græca, significat in unum summatim colligere; in unum corpus, & sub eodem capite Angelos & homines adduxit. *In ipso*, per ipsum.

11. (h) In eam sortem & hæreditatem asciti sumus, non ex meritis nostris præcedentibus.

12. (i) Ut laus omnis reddatur Deo. Nam merita sunt dona Dei. *Speravimus*; nos scilicet Judæi, qui priores vocati sumus, & conversi ad fidem Christi. *In quo* Christo, & vos Ephesini & Gentiles speratis, in eamdem societatem vocati, nullo inter vos & Judæos discrimine. Quod probat ex Spiritus super eos effusione: *Signati*; Gr. *Obsignati*, & sigillati estis; quasi sigillo apposito vestram fidem approbavit.

14. (k) Et quasi arrha, seu pars anticipata redemptionis nostræ, quam ipse perficiet in futura vita. *In redemptionem acquisitionis*: hoc pignore accepto certi sumus populum ejus acquisitum omni ex parte redemptum iri: *Pignus* est usque ad perfectam redemptionem.

17. (l) Qui est Hebraismus, ut Deus gloriosus Pater Jesu Christi; vel Deus auctor gloriæ; vel denique Deus Christi, ratione humanitatis, Pater ratione divinitatis. Aut forte est quædam transpositio in his vocibus Deus, & Pater; Deus gloriæ, Pater Domini J. C.

18. (m) Ut mentem vestram illustret: *Vocationis*, ad quam vos vocavit spem, quidve ab eo vocati sperare debeatis; *Et quæ divitiæ*; & quanta sit gloria hæreditatis vestræ.

19. 20. 21. & 22. (n) In nos qui credimus, quos a mortuis excitatos gloriosos efficit. *Operationem*; Per eandem virtutem, qua Christum excitavit a mortuis. *Nomen*. Dignitatem omnem & potestatem. *Ecclesiam*. Græci legunt, *Dedit illum caput super omnia, visibilia & invisibilia*.

23. (o) Nam caput corpore, & corpus capite perficitur. *Qui omnia*, Gr. *omnia in omnibus adimplentis*; vel potius, complentur, seu perficitur omnibus corporis mystici sui membris in unum collectis. Horum est plenitudo, & robur; his vitam fidei, motum spei, & charitatis operationem impartitur.

CAP. II.

2. (a) Secundum ejus desideria; *aeris*, qui in hoc aere, ut in ventis diversatur. Vox, *hujus*, deest in Græco; unde legitur, secundum principem potestatis aeris; *Spiritus* juxta impulsum ejus Spiritus, qui dominantur potestatibus, quæ degunt in hoc aere.

3. (b) Ex quibus increduli & nos fuimus aliquando facientes voluntatem, Gr. *voluntates carnis*, corpore & animo peccantes. *Natura*, a nativitate, ob peccatum originis, iræ Dei obnoxii; idque etiam ex propensione quadam miraculi.

6. (c) Suscitavit per Christi gratiam, qua mors ejus, resurrectio & ascensio nobis applicantur, & novam in nobis vitam operantur.

7. (d) Per bonitatis suæ effusionem, *Gratia*, non ex meritis præcedentibus, cum fides, quæ Dei donum est, meritorum sit initium.

9. Non ex operibus (e), ut ne quis glorietur.

10. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.

11. Propter quod memores estote, quod aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini (f) præputium ab ea, quæ dicitur circumcisio in carne, manu facta:

12. Quia eratis illo in tempore sine Christo (g), alienati a conversatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.

13. Nunc autem in Christo Jesu, vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.

14. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque (h) unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua:

15. Legem mandatorum (i) decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem,

16. Et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso:

17. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, & pacem iis, qui prope.

* Rom. 5. 2. 18. * Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.

19. Ergo jam non estis hospites (k), & advenæ: sed estis cives Sanctorum, & domestici Dei:

20. Superædificati super fundamentum (l) Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu:

21. In quo omnis ædificatio (m) constructa crescit in templum sanctum in Domino,

22. In quo & vos coædificamini (n) in habitaculum Dei in Spiritu.

CAPUT III.

Mysterium Gentilium cum Judæis reconciliationis Paulo revelatum, cujus mysterii se ministrum esse merito gloriatur.

1. HUjus (a) rei gratia, ego Paulus vinctus Christi Jesu, pro vobis Gentibus,

2. Si tamen (b) audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis:

3. Quoniam secundum revelationem notum mihi factum (c) est sacramentum, sicut supra scripsi in brevi:

4. Prout potestis (d) legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi:

5. Quod aliis generationibus (e) non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus, & Prophetis in Spiritu:

6. Gentes esse cohæredes (f), & concorporales, & comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium:

7. Cujus factus sum minister, secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi * secundum operationem (g) virtutis ejus: Sup. 1. 19.

8. * Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare (h) investigabiles divitias Christi, * 1. Cor. 15. 9.

9. Et illuminare (i) omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit.

10. Ut innotescat principatibus (k) & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei,

11. Secundum præfinitionem (l) sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro.

12. In quo habemus fiduciam (m), & accessum in confidentia per fidem ejus.

13. Propter quod peto ne deficiatis (n) in tribulationibus meis pro vobis: quæ est gloria vestra.

14. Hujus

9. & 10. (e) Quæ fidem præcesserint. Factura, nova creatura: Creati in Christo Jesu, per Christum Jesum regenerati ad bona opera facienda, quæ ipsa sunt dona Dei. Creatio ad Deum solum pertinet, ea, quæ est ex nihilo.

11. (f) Quos Judæi probri loco dicunt Incircumcisos: Gentes in carne, utrobique hæc verba subjicit Apostolus, ut insinuet nec Gentibus obesse præputium, nec Judæis circumcisionem.

12. (g) Alienos tum fuisse vos a Christo recordemini, Conversatione, alium ab iis vivendi morem, aliud institutum sequentes; illi enim unum Deum, vos idola colebatis. Hospites, alieni a fœderibus cum Abraham, Isaac, & Jacob, sancitis; ad vos nihil spectabant ea fœdera: Et eratis sine Deo, verum Deum ignorantes, & falsos colentes.

14. (h) Ex Judæis & Gentibus unum effecit corpus fidelium: Maceriæ. Gr. sepimenti; seu legem abrogando, quæ Judæos a Gentibus separabat, vel inimicitias Judæorum & Gentilium.

15. (i) Legem Mosaicam, quæ innumeris constabat præceptis: hanc sidei decretis, & novæ legis documentis abrogans: In semetipso; ut duos populos tamquam unum hominem condat. Gr. creet.

19. (k) Gr. [illegible], extranei & advenæ; & hospites civibus, advenas opponit domesticis.

20. (l) Doctrinam Apostolorum. Lapide, qui totum ædificium spirituale innititur. Sic ædificium illud veteris & novo Testamento [illegible] Jesus Christus instar lapidis angularis connectit, & firmat.

21. (m) Ecclesiæ: In Domino, ut fitis templum Deo consecratum, cujus Christus est fundamentum, & lapis angularis.

22. (n) Vos simul cum aliis Christianis ædificamini, ut sitis Dei habitaculum per Spiritum sanctum.

CAP. III. 1. (a) Ut vos ædificio illi spirituali aptarem. Ego Paulus vinctus Christi Jesu, pro Christo vinctus sum. Ex nonnullis MSS. quædam supplent hanc vocem, postulo, Deum precor; quod iis videatur in his verbis ellipsis, sublata hac voce.

2. (b) Gr. Εἴγε, siquidem. intellexistis dispensationem gratiæ Dei mihi creditam, ut eam gentibus prædicarem, atque hæc vocatio vobis nota est. Particula, Si, non tam est dubitantis hoc loco, quam affirmantis.

3. (c) Gr. notum mihi fecit, supple, Deus; sacramentum, Gr. mysterium; nimirum de gentium vocatione: In brevi, Gr. paucis, in superiori capite, vel paullo ante.

4. (d) Quatenus potestis capere intelligentiam meam: id enim voce Græca exprimitur, circa mysterium Christi.

5. (e) Superioribus sæculis non est revelatum, quemadmodum sanctis Apostolis, & Prophetis novi Testamenti: In Spiritu, per Spiritum sanctum.

6. (f) Nimirum id revelatum iis fuit, Gentes ad possessionem ejus hæreditatis vocari, ut idem corpus fidelium cum Judæis efficiant, & ejusdem promissionis per Christum sint participes.

7. (g) Gr. ἐνέργειαν, efficaciam, potentiam ejus in patrandis miraculis.

8. (h) Ut evangelizem; investigabiles, impervestigabiles, nec comprehensas, divitias Christi.

9. (i) Ut illuminem; dispensatio, Gr. communicatio; quæ sit tanti sacramenti administratio, seu œconomia.

10. (k) Seu bonis, seu malis Angelis, boni quidem longe clarius ab Ecclesia didicerunt, atque in ea velut in speculo inexhaustam Dei sapientiam sunt contemplati, per ea quæ in Ecclesia geruntur.

11. (l) Ut perficeret per Christum, quod ab æterno proposuerat.

12. (m) Gr. libertatem Deum ipsum adeundi; Per fidem ejus, per quam licet nobis libere & confidenter ad eum accedere.

13. (n) Ne animo concidatis ob tribulationes, quas vestra caussa perfero. Gloria; immo gloriemini potius quod ego præcipue vestræ dignus factus fuerim, qui pro Christo contumelias patiar.

14. Hujus rei gratia (e) flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi,

15. Ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur,

16. Ut det vobis secundum divitias (p) gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem,

17. Christum habitare (q) per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati, & fundati,

18. Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum:

19. Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem (r) Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

20. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quæ operatur (f) in nobis.

21. Ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo Jesu, in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.

CAPUT IV.

Ad morum præcepta descendit, quæ ex principiis jam positis de structura ejusdem ædificii & nova eorum in eodem corpore societate ducuntur.

* 1. Cor. 7. 17. Phil. 1, 27.
1. OBsecro itaque vos ego vinctus in Domino (a), * ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis,

2. Cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate,

3. * Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. * Rom. 12. 10.

4. Unum corpus, & unus Spiritus (b), sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.

5. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.

6. * Unus Deus & Pater (c) omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. *Mal. 2. 10.

7. * Unicuique autem nostrum data est gratia (d) secundum mensuram donationis Christi. *Rom. 12. 3. 1. Cor. 12. 11.

8. Propter quod dicit: * Ascendens (e) in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus. 2 Cor. 10. 13. *Ps. 67. 19.

9. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit (f) primum in inferiores partes terræ?

10. Qui descendit (g), ipse est & qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia.

11. Et ipse dedit quosdam quidem * Apostolos (h), quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, * 1. Cor. 12. 28.

12. Ad consummationem (i) sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi:

13. Donec occurramus (k) omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi:

14. Ut jam non simus parvuli (l) fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.

15. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus (m) in illo per omnia, qui est caput Christus:

16. Ex

14. & 15. (e) Ne deficiatis. *Paternitas*: Gr. πατριὰ, *familia*, cognatio, affinitas: ex quo tota tas omnis tam hominum, quam Angelorum originem suam ducit.

16. (p) Per gratiam suam & potentiam; *virtute corroborari*, ut det vobis secundum interiorem hominem, qui intus a Deo formatur, per virtutem Spiritus sui, corroborari.

17. & 18. (q) Det vobis, ut per fidem Christus in vobis habitet: ut in *charitate radicati, firmi & constantes, possitis comprehendere*, immensa Dei in vos beneficia, & mysterii quod vobis prædico velut dimensiones omnes: quanta sit ejus latitudo per totum orbem diffusa, quanta longitudo in omnes futuras ætates, quæ altitudo ad cælum usque & vitam æternam porrecta; *& profundum*, in vocatione, justificatione & electione Sanctorum.

19. (r) Summum ejus in nos amorem, qui exuperat humanam scientiam: *Ut impleamini*, ut donis omnibus abundetis.

20. (f) Gr. secundum vim & potentiam, quæ efficaciter agit in nobis: secundum gratiam & Spiritum, qui vos potenter ad virtutem movet.

CAP. IV. 1. (a) Propter Dominum; *digne*; ut pro dignitate vocationis vestræ vos geratis, ut decet eos, qui tantis sunt cumulati beneficiis.

4. (b) Sitis per mutuam charitatem. *Vocati*, ad eamdem Dei possessionem vocati.

6. (c) Qui est Pater omnium, qui est super omnes, omnibus præest; *& per omnia*, providentia, & substantia sua omnibus intime præsens est; *& in omnibus nobis*: Gr. vobis. Per gratiam suam vobis omnibus adest: adeo ut in unum corpus sitis coagmentati, eodem spiritu animati, eadem spe freti, eumdem Dominum Jesum agnoscentes, eadem fide instructi, eodem baptismo abluti, eidem Deo subjecti, atque adeo eamdem esse oporteat animorum consensionem.

7. (d) Varia sunt dona, & dispares gratiæ in corpore mystico, ut Christus ea variè partitus est; quæ dona unitatem Ecclesiæ non scindunt, sed augent.

8. (e) Id vero probat ex Psalm. 67. ubi secundam personam mutat in tertiam: *Ascendens in altum*, cum in cælum ascenderet, dæmone & morte devictis: *Captivam*, nos ipsos a diaboli tyrannide liberavit, & dona sua hominibus distribuit, quorum alia illuminant, alia sanctificant Ecclesiam.

9. (f) E cælo in terram; sicque Simonis Magi errorem refellit, qui negabat Christum ante Incarnationem extitisse: quem errorem Ebion & Photinus postea amplexi sunt. Immo & descendit in partes inferiores terræ, unde captivos eduxit. Quid enim aliud sibi vult quod Propheta ait de Christo, nempe quod ascendit, nisi quod ipse prius descenderit in terram, vel in Limbum?

10. (g) Per Incarnationem; *Impleret*; & persona sua, & donis; vel ut omnia quæ de illo scripta erant, impleret veritate sua. Ecclesiam donis, terram gloria nominis sui, cælum præsentia sua.

11. (h) Quibus jure divino succedunt Episcopi: *Alios vero Evangelistas*, qui Apostolos juvabant in prædicando Evangelio: *Alios Pastores & Doctores*, adeo ut iidem sint pastores & doctores: non enim, ait, alios Pastores, alios Doctores, qui doctrinam Christianam tradunt; ut Prophetæ intelligentiam verbi Dei, quod Evangelistæ annuntiant cæteris, doctores fidei domesticis.

12. (i) Gr. ad coagmentationem sanctorum. *In opus*; ut operentur & laborent in suis ministerii functionibus, atque in unum corpus perfectum coalescant.

13. (k) Gr. *Perveniamus*: hic finis est ordinum, qui in Ecclesia sunt constituti, ut omnes agnoscant Filium Dei. Quosdam dedit Deus in Ecclesia Apostolos, Prophetas, pastores, qui nos regant, & instruant, donec evadamus in viros perfectos fide, & sanctitate vitæ, & consummata sit membrorum Ecclesiæ cooptatio, quemadmodum Christus ad perfectam ætatem pervenit; idque futurum est post resurrectionem. Interim ordo Hierarchicus in Ecclesia perstabit, donec Christus in nobis plane formatus fuerit, ac novus homo virilem ætatem & staturam sit adeptus. Qui mysteria Religionis imperfecte norunt, hos pueris, qui perfecta donantur notitia, illos cum viris comparat.

14. (l) Ut desinamus esse parvuli, opinionum procellis obnoxii, quos impii & subdoli homines incautos decipiunt! *In nequitia*, per nequitiam.

15. (m) Non aliud nobis sit propositum, quam idipsum quod fidei & veritati est consonum; non aliud sit incitamentum affectuum nostrorum, quam amor Dei & charitas ipsa.

16. Ex quo totum corpus (*n*) compactum, & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.

* Rom. 1. 21. 17. * Hoc igitur dico, & testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui,

18. Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati (*o*) a vita Dei, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum,

19. Qui desperantes (*p*), semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.

20. Vos autem non ita didicistis Christum,

21. Si tamen (*q*) illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu.

* Col. 3. 8 22. * Deponere (*r*) vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris.

* Rom. 6. 4. 23. * Renovamini (*s*) autem spiritu mentis vestræ,

* Col. 3. 12. 24. * Et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.

* 1. Pet. 2. 1. 25. * Propter quod deponentes (*t*) mendacium,
* Zach. 8. 16. * loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra.

* Ps. 4. 5. 26. * Irascimini, & nolite peccare (*u*): sol non occidat super iracundiam vestram.

* Jac. 4. 7. 27. * Nolite locum dare diabolo (*x*):

28. Qui furabatur (*y*), jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.

29. Omnis sermo (*z*) malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.

30. Et nolite contristare (*aa*) Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.

31. Omnis amaritudo (*bb*), & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia.

32. * Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes (*cc*) invicem, sicut & Deus * Col. 3. 13.
in Christo donavit vobis.

C A P U T V.

Moralia prosequitur; Christus in primis imitationem, castum & prudentem sermonem, prudentiam, charitatem commendat, ut mulieres sint subditæ viris.

1. Estote ergo imitatores (*a*) Dei, sicut filii charissimi:

2. * Et ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis. * Joan. 13. 34. & 15. 12. 1. Joan. 4. 11.

3. * Fornicatio (*b*) autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; * Col. 3. 5.

4. Aut turpitudo (*c*), aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio.

5. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus (*d*), non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.

6. * Nemo vos seducat inanibus verbis (*e*): *Matth. 24. 4.
propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Marc. 13. 5. Luc. 21. 8. 2. Thess. 2. 3.

7. Nolite ergo effici participes eorum.

8. Eratis enim aliquando tenebræ (*f*); nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate:

9. Fructus enim lucis est in omni bonitate (*g*), & justitia, & veritate:

10. Pro-

16. (*n*) Corpus Ecclesiæ ex fidelibus quasi ex totidem membris apte compactum a Christo tamquam a capite suo vitam & spiritum excipit, ministerio Pastorum crescit, donec membra sint inter se & cum suo capite connexa: Christus est hujus corporis caput, fideles membra, quæ fide & charitate cum inter se, tum una cum suo capite sunt devincta; per Sacramenta tamquam per venas aluntur; crescit, inquam, corpus in ipsa membrorum proportione, atque illud augmentum in Christi corpore mystico fit per charitatem, quæ est instar caloris innati vitam impartientis.

18 (*o*) Ab ea vivendi ratione, quam Deus præcepit: *Cæcitatem*, Gr. *obdurationem*, quorum conscientia velut callum induxit.

19 (*p*) Gr. qui cum dolere desierint, morbum suum & conscientiæ stimulos non sentiunt, desperant plane de salute sua, atque omni cupiditatum generi semetipsos tradunt.

21. (*q*) Siquidem: adeo ut ea sit vox confirmantis, ut videtur Chrysostomo: alii putant vocem esse dubitantis. Si tamen docti estis in ipso. *Sicut est veritas*; non aliud didicistis ab eo, quam juxta ejus doctrinam juste & pie vivere, atque illud in primis.

22 (*r*) Ex more veteres affectus: *Qui corrumpitur secundum desideria erroris*, cupiditates illicitas. Hinc secretum intus nos docet Christus, & pastores extrinsecus, in Ecclesiæ schola; fructus hujus doctrinæ est veteris hominis & pravorum affectuum depositio, atque interioris hominis renovatio.

23. & 24. (*s*) Gr. renovari, id quoque deinceps. *Creatus*, Qualis a Deo creatus est, & renovatus a Christo, in vera justitia & sanctitate.

25. (*t*) Ad actus particulares descendit, at primum ut lingua procul sit ab omni mendacio & dolo: cum simus invicem membra, nec membrum unum alterum fallat; veritas adsit in verbis, & in actionibus nostris.

26. (*u*) Cor ipsum affectuum sedes sit regendum, ut ira, si forte exurgit, ad effectum usque non prorumpat, neque ad crastinum usque diem proferatur.

27. (*x*) Ne vobis dominetur, si ira in odium degeneret, si diutius duret.

28 (*y*) Exteriores actus & manus ipsius cohibet: *Eleemosynam præscribit.*

29. (*z*) Græc. obscœnus, fœtidus: *Ut det gratiam audientibus*, non scandalum afferat, sed ædificationi, & proximi utilitati consulat.

30. (*aa*) Offendere, *Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis*, obsignati per Confirmationis Sacramentum; *In diem redemptionis*, quem Spiritum ad diem usque resurrectionis, cum ab omnibus malis liberi eritis, custodire debetis.

31. (*bb*) Verba acerba & blasphema, maledictum omne: *Et clamor*, rixantium: *Cum omni malitia*, malevolentia erga alios.

32. (*cc*) Condonantes; injuriarum oblivione Deum imitamur, & debita nostra magna ex parte exsolvimus: nihil magis nos misericordia Dei indignos facit, quam immitis animus, & durus, aut ulciscendi avidus.

1. (*a*) Ut Pater vester cælestis peccata condonat, ita vos offensas debetis invicem remittere, & charitatis officia exercere. CAP. V.

3. (*b*) Scortatio, omnis concubitus cum aliena; *Omnis immunditia*, obscœnitas.

4. (*c*) Verborum: *Stultiloquium*, quod ad ineptas fabulas refert Hieronymus; *aut scurrilitas*, urbanitatis excessus, cum quis facetiis ultra modum indulget, & ambiguis utitur verbis, ut risum moveat: *Quæ ad rem non pertinet*; Græc. quæ non conveniunt, non decent; ac forte particula, *enim*, exscriptoris incuria excidit: ita Christianis minime conveniunt: si urbanitas, aut facetiæ modum excesserint.

5. (*d*) Græci legunt, *qui est idololatra*, idolorum cultor: *aut avarus*: vox Græca eum quoque significat, qui voluptatum est appetentior. Id colimus quod amamus: pecuniam ut Deum suum colit, qui in ea felicitatem suam ponit.

6. (*e*) Falsa Philosophorum doctrina, quæ mores pervertit, *Diffidentiæ*, Incredulos, contumaces, veritati rebelles.

8. (*f*) Cæci, flagitiorum tenebris involuti: *Lux in Domino*, fide & doctrina Christi illustrati, per bonæ vitæ exempla aliis prælucentes.

9. (*g*) Gr. benignitate, quam iræ opponit, ut veritatem mendacio, justitiam fraudibus.

10. Probantes (*h*) quid sit beneplacitum Deo:

11. Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.

12. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe (*i*) est & dicere.

13. Omnia autem, quæ arguuntur, a lumine manifestantur (*k*): omne enim, quod manifestatur, lumen est.

14. Propter quod dicit (*l*): Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus.

* Col. 4. 5. 15. Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis: * non quasi insipientes,

16. Sed ut sapientes: redimentes (*m*) tempus, quoniam dies mali sunt.

* Rom. 12. 2. 1. Thess. 4. 3. 17. * Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.

18. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria (*n*): sed implemini Spiritu sancto,

19. Loquentes vobismetipsis in psalmis (*o*), & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino,

20. Gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo & Patri.

21. Subjecti invicem in timore Christi.

* Gen. 3. 16. Coloss. 3. 18. 1. Petr. 3. 1. 22. * Mulieres (*p*) viris suis subditæ sint, sicut Domino:

* 1. Cor. 11. 3. 23. * Quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ: Ipse, salvator corporis ejus (*q*).

24. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.

* Col. 3. 19. 25. * Viri diligite (*r*) uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea,

26. Ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ,

27. Ut exhiberet (*f*) ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.

28. Ita & viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit.

29. Nemo enim umquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam.

30. Quia membra sumus corporis (*t*) ejus, de carne ejus, & ossibus ejus.

31. * Propter hoc relinquet (*u*) homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & * erunt duo in carne una. * Gen. 2. 24. Matt. 19. 5. Marc. 10. 7. * 1. Cor. 6. 16.

32. Sacramentum (*x*) hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.

33. Verumtamen (*y*) & vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.

CAPUT VI.

De mutuis inter parentes, & liberos, inter dominos & servos officiis, de lucta adversus dæmones; de perseverantia in Oratione.

1. Filii, obedite parentibus vestris in Domino (*a*). Hoc enim justum est.

2. * Honora (*b*) patrem tuum, & matrem tuam: quod est mandatum primum in promissione: * Exod. 20. 12. Deut. 5. 16. Eccli. 3. 9. Matt. 15. 4. Marc. 7. 10. Col. 3. 20.

3. Ut bene (*c*) sit tibi, & sis longævus super terram.

4. Et vos patres (*d*) nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina, & correptione Domini.

5. * Servi obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: * Col. 3. 22. Tit. 2. 9. 1. Petr. 2. 18.

6. Non ad oculum (*e*) servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo.

7. Cum

10. (*h*) Expendentes, *quid sit beneplacitum Deo*; quid Deo placeat, quid a vobis exigat.

12. (*i*) De peccatis carnis cum magna cautela loquendum: cedendum est necessitati, sed pudori parcendum.

13. (*k*) Tum enim arguuntur, cum in lucem proferuntur; *lumen*, id est luce illustratum; lumen reliquis manifesta, & seipsum: doctrina & exemplo aliis prælucentis.

14. (*l*) Vel ex incerto auctore, aut potius ex Isaia 60. 1. vel ex cap. 26. 21. hæc verba desumuntur. *Dormit*, aut potius mortuus est, qui Dei & propriæ salutis obliviscitur; Deus unus eum excitat.

16. (*m*) *Redimentes*; novis negotiis ne impliciti sitis; opportunitatem bene agendi præterlabi ne sinatis: *Dies mali sunt*; vita est periculis & tentationibus plena.

18. (*n*) Intemperantia, morum dissolutio: *Sed implemini*, sobria, & sancta ebrietate. Illicitæ corporis voluptates, & spirituales animæ deliciæ sunt insociabiles.

19. (*o*) Relaxantes animos, non profanis cantilenis, sed psalmis, & hymnis non lingua solum, sed intimo cordis affectu: ut Deo loquentes, ad ejus gloriam cuncta referentes.

22. (*p*) Post officia omnibus fidelibus communia, ad ea particularia descendit: ac primum mulieribus præcipit, ut viris suis subjectæ sint, *sicut Domino*, ut Ecclesia Christo subest tamquam suo capiti: vir enim est caput uxoris.

23. (*q*) Pro, *sui*; Christus corporis sui, seu Ecclesiæ salutem confert influendo, & regendo. Quamquam vox, *ejus*, ad maritum quoque referri potest.

25. & 26. (*r*) Hunc exemplo Christi illustrat, qui seipsum morti tradidit pro Ecclesia, quam mundavit baptismo aquæ, & verbo vitæ, seu per vivificam baptismi formam.

27. (*f*) Per resurrectionem sine peccati macula, aut ruga vetustatis. Ex quibus id concludendum relinquit, mutuum viri & uxoris amorem ab omni Gentilium fœditate purum esse oportere.

30. (*t*) Seu Ecclesiæ, aut Christi, qui est caput nostrum. *De carne ejus*; similem cum ea carnem habens.

31. (*u*) Huc pertinent quæ legimus Gen. 2. 24. ut arctum Christi cum Ecclesia vinculum manifestum fiat; Nam & *adhærebit uxori suæ*, arctissimo amoris vinculo, & nexu indissolubili.

32. (*x*) Illa conjunctio viri & uxoris magnum est mysterium & sacramentum, sub quo latet Christi & Ecclesiæ indissolubilis conjunctio. Nam Christus quodammodo reliquit Patrem, ut ipse ait: *Exivi a Patre, & veni in mundum*; reliquit & matrem, aut Synagogam, ut Ecclesiæ tamquam uxori adhæreat.

33. (*y*) Hinc concludit uxorem a viro diligendam tamquam propriam carnem. *Uxor autem timeat*, revereatur ut caput suum. Non nihil supplendum videtur his verbis, *Et vos & singuli*, nempe id præstate: *Ut unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat*.

CAP. VI. 1. (*a*) Propter Dominum, quatenus lex Christi id præcipit, Luc. 14. 26. primum quia justum est, ut iis honorem & reverentiam præstemus, a quibus vitam accepimus: nam Deus & natura filios parentibus subjiciunt; sic tamen ut filiorum erga parentes pietas, ad eum quem Deo debent cultum, omnino referatur.

2. (*b*) Non solum cultu, sed & subsidio, ut Christus Ipse interpretatur Matth. 15. 6. *In promissione*: huic mandato adjuncta est promissio boni temporalis in veteri lege, spiritualis in nova.

3. (*c*) Atque hæc est tertia ratio, cur parentum reverentiæ, longioris vitæ & felicis promissio adjecta fuerit, quatenus æternæ saluti est utilis, & ad eam perducit.

4. (*d*) Vicissim patres admonet, primum ne duriores sint in liberos, neve nimia severitate eos reddant indociles, & rebelles; deinde ne eos nimia indulgentia solutiores efficiant, sed justum servent modum severitatis & indulgentiæ. *Sed educate*. Gr. erudiotione, & correptione, ac monitis sanctis, juxta Domini præcepta & doctrinam. Instruendi & formandi sunt eorum mores ad pietatem Christianam, ad vitæ honestæ & civilis officia: quo eos natura ferat, quæ sit illorum indoles, diligenter inquirendum: ob graviores tantum culpas puniendi; idque moderate, non ex impetu, aut ira castigandi.

6. (*e*) Non tantum in præsentia. *Placentes*, ita ut presentes revereamini, absentes spernatis: sed ut Christi servi, qui cor ipsum intuetur.

7. Cùm bona voluntate (*f*) servientes, ficut Domino, & non hominibus:

8. Scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, five servus, five liber.

9. Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas: fcientes quia & illorum, & vester Dominus est in cælis: * & perfonarum acceptio non eft apud eum.

* Deut. 10. 17. 2. Par. 19. 7. Job 34. 19. Sap. 6. 8. Eccli. 35. 15. Act. 10. 34. Rom. 2. 11. Coloss. 3. 25. 1. Pet. 1. 17.

10. De cetero fratres, confortamini (*g*) in Domino, & in potentia virtutis ejus.

11. Induite vos armaturam (*h*) Dei, ut possitis ftare adverfus infidias diaboli.

12. Quoniam non eft nobis colluctatio (*i*) adverfus carnem & fanguinem: fed adverfus principes, & poteftates, adverfus mundi rectores tenebrarum harum, contra fpiritualia nequitiæ, in cæleftibus.

13. Propterea accipite armaturam Dei, ut poffitis refiftere in die malo (*k*), & in omnibus perfecti ftare.

14. State ergo fuccincti lumbos veftros in veritate (*l*), & induti loricam juftitiæ,

15. Et calceati (*m*) pedes in præparatione Evangelii pacis:

16. In omnibus fumentes fcutum (*n*) fidei, in quo poffitis omnia tela nequiffimi ignea extinguere:

17. * Et galeam (*o*) falutis affumite: & gladium fpiritus (quod eft verbum Dei) * Isa. 59. 17. 1. Th. 5. 8.

18. Per omnem orationem (*p*), & obfecrationem, orantes omni tempore in fpiritu: & in ipfo * vigilantes in omni inftantia, & obfecratione pro omnibus fanctis: * Col. 4. 2.

19. * Et pro me, ut detur (*q*) mihi fermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere myfterium Evangelii. * Colo. 4. 3. 2. Thess. 3. 1.

20. Pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipfo audeam, prout oportet me, loqui.

21. Ut autem & vos fciatis quæ circa me funt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus, chariffimus frater, & fidelis minister in Domino:

22. Quem mifi ad vos in hoc ipfum, ut cognofcatis quæ circa nos funt, & confoletur corda veftra.

23. Pax fratribus, & charitas cum fide, a Deo Patre, & Domino noftro Jefu Chrifto.

24. Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum noftrum Jefum Chriftum in incorruptione (*r*). Amen.

7. (*f*) Gr. Cum *benevolentia*, ex animo fervientes.

10. (*g*) Conftanti & forti animo eftote adverfus tentationes, fortitudinem in Dei gratia quærite ut arma hoftibus debellandis: fimplicitatem in primis Chriftianam, & humilitatem.

11. (*h*) Gr. Univerfum armorum apparatum: Sic Chriftum induamus, ut nulla pars noftri vulneri pateat.

12. (*i*) Adverfus carnem & fanguinem, adverfus mortales homines: *Sed adverfus principes*, Gr. principatus: *Rectores*, hominum impiorum; pauci enim funt ab iis liberi: *Contra fpiritualia nequitiæ*, fpirituales nequitias, quæ funt in hoc caliginofo aere.

13. (*k*) In tempore difficili & periculofo, in ipfo certamine.

14. (*l*) Doctrinæ, quodam velut baltheo renes fuccingite, ut affectus omnes carnis animo fubjectos habeatis: *Et induti loricam juftitiæ*; quæ inftar thoracis vitæ omnes actiones tegat, & omni ex parte hominem muniat.

15. (*m*) Ad confitendum & annuntiandum Evangelium prompti & alacres, Evangelium, inquam, pacis Deum inter & homines.

16. (*n*) Impenetrabile omnibus telis inimici.

17. (*o*) Galeam falutarem affumite, quæ caput tuetur; fpem de falute æterna: *Et gladium Spiritus*, quem Spiritus fanctus fubminiftrat. Verbum Dei fcriptum, & non fcriptum; eo muniti, omnes errores, & ingenii humani figmenta deftruimus.

18. (*p*) Atque hæc arma oratio comitetur: *In fpiritu*, ex interiori cordis affectu. Ubique, & in omni tempore: *In fpiritu*, pietatis & religionis. *Vigilantes*, ne diftrahatur animus: *In omni inftantia*, cum perfeverantia, & fervore cordis: *Pro omnibus fanctis*, in fanctorum communione, pro univerfa Ecclefia orantes.

19. (*q*) Ut mihi Deus os aperiat; ut fuggerat quæ loquar.

24. (*r*) Qui diligunt fincere & incorrupte, vitam puram degunt, aut forte hanc vocem addidit ob Simonis Magi & ejus difcipulorum flagitia.



EPI

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD PHILIPPENSES.

PHILIPPENSES primi inter Macedonas ad fidem Christi conversi, in ea tuenda, & in Pauli dilectione constantissimi fuerunt; pseudo-apostolos ne audire quidem voluerunt. Certiores facti Apostolum Romæ esse in vinculis, Epaphroditum una cum muneribus misere, qui eum suo nomine salutaret & consolaretur. Epaphroditus longi itineris molestias perpessus, Romæ in morbum incidit; postquam is convaluit, ad suos rediit cum hac Epistola, in qua Philippensibus gratias agit Paulus; iisque gratulatur de perseverantia in fide, constantia in persecutionibus perferendis, de pseudo-apostolorum contemptu; eosque ad virtutes omnes, humilitatem in primis, mutuam dilectionem, & Dei timorem sic adhortatur, ut hæc Epistola ubique hunc amorem spiret, quo ipse ardebat Apostolus.

CAPUT PRIMUM.

Post solitam salutationem, & studii erga Philippenses sui declarationem, vincula sua ad propagationem Evangelii multum profuisse testatur, dubitat an sibi vivere satius sit, an mori; eosque ad patientiam adhortatur.

1. PAULUS, & Timotheus (*a*), servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis, & Diaconibus.

2. Gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

3. Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri,

4. Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens,

5. Super communicatione vestra in Evangelio Christi, a prima die usque nunc.

6. Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.

7. Sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis: eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione, & confirmatione Evangelii, socios gaudii mei omnes vos esse.

8. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi.

9. Et hoc oro ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu (*b*):

10. Ut probetis potiora, ut sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi,

11. Repleti fructu justitiæ per Jesum Christum, in gloriam & laudem Dei.

12. Scire autem vos volo (*c*) fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii:

13. Ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, & in ceteris omnibus;

14. Et

CAPUT I. 1. (*a*) In Epistolis quas Romæ scripsit. Timotheum sibi adjungit ob benevolentiam singularem. *Philippis;* urbs erat Macedoniæ, quam Philippus Alexandri pater instauravit, & suo donavit nomine: *Cum Episcopis & Diaconibus*, Presbyterorum nullam facit mentionem: seu presbyteri tum Episcopi vocarentur, quod plebis curam haberent: seu plures Presbyteri in una & eadem urbe Episcopi ordinarentur, iique in varias regiones ab Apostolis, cum opus erat, mitterentur; seu denique in circumjectis locis plures essent Episcopi, cum in eadem civitate unus tantum esset Episcopi auctoritate & jurisdictione instructus. An forte, ut nonnullis videtur, primis illis temporibus nondum erant Presbyteri ab Episcopis distincti, cum idem Episcopus omnia obire munera facere posset.

9 & 10. (*b*) Prudentia, vel intelligentia: *Potiora*, ut meliora eligatis: *Ut sitis sinceri*, ab omni vitio puri; *& sine offensa*, & nemini sitis offendiculo, nec ipsi impingatis, ut cursu non impedito usque ad diem Christi ambuletis in viis Domini.

12. (*c*) Post exordium, quo gratulatio de præteritis, spes & vota de futuris continentur: quæ circa se acta sunt, quæque ad religionem spectant, singillatim exponit, ne forte existiment illius vincula Christianæ Religioni detrimentum attulisse.

14. Et plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.

15. Quidam quidem & propter invidiam & contentionem (*d*): quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant,

16. Quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum.

17. Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.

18. Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem (*e*), sive per veritatem Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.

19. Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem, & subministrationem Spiritus Jesu Christi.

20. Secundum expectationem (*f*), & spem meam, quia in nullo confundar: sed in omni fiducia sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.

21. Mihi enim vivere Christus est, & mori lucrum.

22. Quod si vivere in carne (*g*), hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro.

23. Coarctor (*h*) autem e duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius;

24. Permanere autem in carne, necessarium propter vos.

25. Et hoc confidens scio quia manebo, & permanebo (*i*) omnibus vobis, ad profectum vestrum, & gaudium fidei:

26. Ut gratulatio (*k*) vestra abundet in Christo Jesu in me, per meum adventum iterum ad vos.

27. * Tantum digne Evangelio Christi conversamini: ut sive cum venero, & videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii: * Eph. 4. 1. Col. 1. 10. 1. Thess. 2. 12.

28. Et in nullo terreamini ab adversariis (*l*): quæ illis est caussa perditionis, vobis autem salutis, & hoc a Deo.

29. Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini:

30. Idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me.

CAPUT II.

Ad mutuam charitatem & humilitatem eos adhortatur.

1. Si qua ergo consolatio (*a*) in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis:

2. Implete gaudium meum, ut idem sapiatis eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes,

3. Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes,

4. Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum.

5. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo (*b*) Jesu:

6. Qui cum in forma (*c*) Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo:

7. Sed semetipsum exinanivit (*d*) formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.

8. * Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. * Heb. 2. 9.

9. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen:

10. * Ut in nomine Jesu omne genuflectatur cælestium, terrestrium, & infernorum: * Isa. 45. 24. Rom. 14. 11.

11. Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria (*e*) est Dei Patris.

12. Itaque charissimi mei, (sicut semper obedistis) non ut in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu (*f*) & tremore vestram salutem operamini.

13. Deus est enim, qui operatur (*g*) in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.

14. * Omnia autem facite sine murmurationibus, & hæsitationibus (*h*): * 1. Pet. 4. 9.

15. Ut

---

15. & 17. (*d*) Ut Neronem adversum me exacerbarent, quod legem abrogarem. *Non sincere*, Non sincero animo Christum annuntiant: *Suscitare*, Gr. addere, *vinculis meis*, usurpato prædicandi ministerio.

18. (*e*) Gr. *Sive specie*, *sive veritate*: seu ambitioni suæ quidvis prætexant, seu sincere id faciant, nihil moror.

20. & 21. (*f*) Ut vehementer spero; *In corpore meo*, in afflictionibus meis, seu corpus impendam in Evangelii prædicatione, sive illud Christo exhibeam ut hostiam moriendo, seu vivam, seu moriar: *Christus est*: nam Christo uni vivo: *Et mori lucrum*; vita æterna mortem excipiet.

22. (*g*) *Et*, pro *sane*; utrum eligam ignoro, vitam, in mortem: voluntati Dei hoc ipsum relinquo.

23. & 24. (*h*) Quid eligam: Sic cor ejus divisum erat inter desiderium fruendi Christo, & suæ Ecclesiæ præstandi officia.

25. (*i*) Gr. *Una cum omnibus vobis*: hinc liquet scriptam fuisse hanc Epistolam in prioribus vinculis: Nam sperat, & confidit se ereptum iri ex his vinculis.

26. & 27. (*k*) Gr. *Gloriatio vestra*. *Collaborantes*, Græc. *simul certantes*, quasi in eadem acie contra Evangelii hostes pugnatis.

28. (*l*) Sive ethnicis, sive hæreticis: *Quæ illis est caussa perditionis*; Gr. ἔνδειξις, indicium.

CAP. II. 1. (*a*) Si quæ sit in vobis erga me consolatio propter Christum: *Si quod solatium*; si me in vinculis sublevare vultis: *Si qua societas*, & communicatio in eodem spiritu; si quis erga afflictum in vobis est tener affectus.

5. (*b*) Quod fuit in Christo Jesu, vel de vobis hoc sentite, quod Christus de seipso; humilitatem nempe Christi exemplo iis commendat, illis præsertim, qui naturæ, aut gratiæ donis instructi inferioribus ægre cederent.

6. (*c*) In natura, aut majestate Dei, & verus Deus: *Non rapinam arbitratus est*: cum sciret se æqualem Patri, nec velut ex rapto rem alienam usurpare, cum se æqualem Patri assereret.

7. (*d*) Assumendo quod non erat. In unitate personæ, quæ seipsam exinanivit ob idiomatum communicationem. *Formam servi accipiens*, ita ut verus sit homo, ut verus est Deus: *Factus*, vere homo, & similis aliis hominibus: *Et habitu*, Gr. σχήματι, *forma*, figura corporis, vero corpore & anima rationali constans.

11. (*e*) Æqualis cum Patre: ita ut eadem persona quæ Deus erat tantummodo, jam sit Deus & homo.

12. (*f*) Ob indignitatem propriam. *Et tremore*, ne Deum deserentes ab eo deseramur.

13. (*g*) Deus in nobis operatur velle & perficere, ac liberrime tamen volumus, & agimus. Non sine nobis cooperantibus: *Pro bona voluntate*, Gr. ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, pro benevolentia: *Syrus*, *Deus agit ut velitis*, & *perficiatis id quod vultis*.

14. (*h*) Gr. *Disceptationibus*: ut vestra bona opera, nulla circumstantia prava vitientur.

15. Ut ſitis ſine querela (*i*), & ſimplices filii Dei, ſine reprehenſione, in medio nationis pravæ & perverſæ: inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo,

16. Verbum vitæ continentes (*k*) ad gloriam meam in die Chriſti, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi.

17. Sed & ſi immolor (*l*) ſupra ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis.

18. Idipſum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi.

* Act. 16.1. 19. Spero autem in Domino Jeſu, * Timotheum me cito mittere ad vos: ut & ego bono animo ſim, cognitis quæ circa vos ſunt.

20. Neminem enim habeo tam unanimem (*m*), qui ſincera affectione pro vobis ſollicitus ſit.

* 1. Cor. 13. 5. 21. * Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt (*n*), non quæ ſunt Jeſu Chriſti.

22. Experimentum autem ejus cognoſcite (*o*), quia ſicut patri filius, mecum ſervivit in Evangelio.

23. Hunc igitur ſpero me mittere ad vos, mox ut videro quæ circa me ſunt.

24. Confido autem in Domino, quoniam & ipſe veniam ad vos cito.

25. Neceſſarium autem exiſtimavi Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, veſtrum autem apoſtolum (*p*), & miniſtrum neceſſitatis meæ, mittere ad vos:

26. Quoniam quidem omnes vos deſiderabat: & mœſtus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum.

27. Nam & infirmatus eſt uſque ad mortem: ſed Deus miſertus (*q*) eſt ejus; non ſolum autem ejus, verum etiam & mei, ne triſtitiam ſupra triſtitiam haberem.

28. Feſtinantius ergo miſi illum, ut viſo eo iterum gaudeatis, & ego ſine triſtitia ſim.

29. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & ejuſmodi cum honore habetote.

30. Quoniam propter opus Chriſti uſque ad mortem acceſſit, tradens animam ſuam, ut impleret id, quod ex vobis deerat (*r*) erga meum obſequium.

CAPUT III.

In hoc capite agit Paulus contra Judaizantes, & Simoniacos hæreticos, de juſtitia legis & fidei. Qui ſint vere circumciſi, exponit.

1. De cætero fratres mei gaudete in Domino. Eadem vobis ſcribere (*a*), mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium.

2. Videte canes (*b*), videte malos operarios, videte conciſionem.

3. Nos enim ſumus circumciſio (*c*), qui ſpiritu ſervimus Deo, & gloriamur in Chriſto Jeſu, & non in carne fiduciam habentes.

4. Quamquam ego habeam confidentiam & in carne. Si quis alius videtur confidere in carne (*d*), ego magis,

5. Circumciſus octavo die, ex genere (*e*) Iſrael, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, * ſecundum legem Phariſæus, * Act. 23. 6.

6. Secundum æmulationem perſequens Eccleſiam Dei, ſecundum juſtitiam, quæ in lege eſt, converſatus ſine querela.

7. Sed quæ mihi fuerunt lucra (*f*), hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta.

8. Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam (*g*) Jeſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam,

9. Et inveniar (*h*) in illo, non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu: quæ ex Deo eſt juſtitia in fide,

10. Ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis ejus, & ſocietatem paſſionum illius: configuratus morti ejus.

11. Si quo modo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis.

12. Non quod jam acceperim (*i*), aut jam perfectus ſim: ſequor autem, ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum a Chriſto Jeſu.

13. Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Unum, (*k*) autem, quæ quidem retro ſunt obliviſcens, ad ea vero, quæ ſunt priora, extendens meipſum,

14. Ad

15. (*i*) Gr. irreprehenſibiles, inculpati, & ſimplices ſine fictione.

16. (*k*) Conſervantes: *Ad gloriam*; in gloriationem, in gaudium meum.

17. (*l*) Si fidei veſtræ oblationi & ſacrificio meum ſanguinem *instar libaminis* addam, id gaudeo.

20. (*m*) Quod pari ſtudio quærat ea quæ ſunt Jeſu Chriſti, & pro vobis ſit ſollicitus.

21. (*n*) Propriis commodis ſerviunt valde multi potius quam aliorum ſaluti.

22. (*o*) Experimento illum cognoſcetis, & invenietis eum *γινώσκετε*, talem eſſe, qualem dico: vel ex Græco, *noſtis*, ſcitis.

25. (*p*) Legatum a vobis ad me miſſum. Per quem mihi neceſſaria ſubminiſtratis, aut potius Epiſcopum veſtrum.

27. (*q*) Hinc colligit vir doctus Apoſtolos raro uſos eſſe poteſtate ſanandi infirmos erga fideles, ſed erga infideles, ne patientiæ probationem his curationibus interciperent: orationibus ad Deum fuſis ſanitatem eorum impetrabant. Id ſaltem ut plurimum factum fuiſſe veriſimile eſt.

30. (*r*) Ut veſtras vices obiret, & id ſuppleret, quod vos abſentes perficere non poteratis, vitæ ſuæ adiit diſcrimen.

CAP. III. 1. (*a*) Quæ & vobis & aliis inculcavi, ut a Judaicis prædicatoribus caveatis: *Neceſſarium*, ad ſecuritatem veſtram, ut vox Græca inſinuat: *ὑμῖν δὲ ἀσφαλές*, *vobis autem tutum*.

2. (*b*) Qui adverſus veram doctrinam oblatrant: *Conciſionem*, carne, non corde circumciſos.

3. (*c*) Circumciſi: *Qui ſpiritu ſervimus* Deo; aut ſpiritu Dei, ut alii legunt: *Et non in carne*, non in carnis circumciſione.

4. (*d*) Nec tamen hac in re mihi præponere ſe poſſunt, & de Circumciſione ipſa gloriari, immo & ego magis quam illi jure meo poſſum.

5. (*e*) Non proſelytus, *Hebræus ex Hebræis*; qui linguam Hebraicam retinui, cum alii diſperſi in gentibus eam dedidicerint.

7. (*f*) Quæ exiſtimabam lucra, hæc ut detrimenta judicavi, quod a Chriſti religione homines abducerent.

8. (*g*) Præ fidei & cognitionis Chriſti excellentia.

9. & 10. (*h*) Ut habeam juſtitiam, quæ ex Deo eſt, cujus fides eſt fundamentum. Quæ feci lucra, legis carnales cæremonias & prærogativas dimittendo, fidem in Chriſtum, ſeu eminentem ejus cognitionem, veram juſtitiam, quæ ex Deo eſt, *virtutem*, ſeu effectum reſurrectionis in nobis & ſocietatem paſſionum Chriſti. *Configuratus*, Græc. dum conformis fio morti ejus, ut particeps ejus reſurrectionis.

12. (*i*) In hoc ſtudio curſum meum perſequor; donec ad metam, cui a Deo ſum deſtinatus, perveniam. *Comprehendam*, illud bravium: *In quo comprehenſus ſum*, in quod Chriſtus velut manu ſua me deduxit, ut illud aſſequerer.

13. (*k*) Id unum ago, ut quæ antea feci, obliviſcens, ad perfectiora contendam; ne inani gloria efferar: *Priora*, potiora: *Extendens meipſum*, ad præſtantiora contendo. Quod reſtat iter conficiendum magis quam decurſum conſidero.

14. Ad destinatum persequor (*l*), ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.

15. Quicumque ergo perfecti (*m*) sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit.

16. Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula.

17. Imitatores mei estote fratres, & observete (*n*) eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.

* Rom. 16. 17. 18. * Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi:

19. Quorum finis interitus: quorum Deus venter est: & gloria in confusione (*o*) ipsorum, qui terrena sapiunt.

20. Nostra autem conversatio (*p*) in cælis est: unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum,

21. Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem (*q*), qua etiam possit subjicere sibi omnia.

CAPUT IV.

Concordiam, pietatem, modestiam, orationem, & alias virtutes Christianas commendat; omnia potest in Christo.

1. ITaque fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea: sic state (*a*) in Domino, charissimi.

2. Evodiam (*b*) rogo, & Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino.

3. Etiam rogo & te germane compar (*c*), adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & ceteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.

4. Gaudete (*d*) in Domino semper: iterum dico, gaudete.

5. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus prope est.

6. Nihil solliciti sitis: sed in omni (*e*) oratione & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.

7. Et pax Dei, quæ (*f*) exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, in Christo Jesu.

8. De cetero (*g*) fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.

9. Quæ (*h*) & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiscum.

10. Gavisus (*i*) sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut & sentiebatis: occupati autem eratis.

11. Non quasi propter penuriam (*k*) dico: ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse:

12. Scio & humiliari (*l*), scio & abundare: (ubique & in omnibus institutus sum) & satiari, & esurire: & abundare, & penuriam pati.

13. Omnia possum in eo, qui me confortat.

14. Verumtamen bene fecistis communicantes tribulationi meæ.

15. Scitis autem & vos Philippenses, quod in principio Evangelii, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati & accepti, nisi vos soli:

16. Quia & Thessalonicam semel & bis in usum mihi misistis.

17. Non quia quæro datum (*m*), sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.

18. Ha-

14. (*l*) Scopum mihi a Christo propositum sequor.

15. & 16. (*m*) Aut spirituales, quique ad perfectionem tendimus, sublimiori intelligentia donati. *Sapitis*, Deus hoc vos docebit: nam diversæ opiniones, dummodo in eadem permaneamus regula fidei & charitatis, nec lædatur concordia, obesse non possunt.

17. (*n*) Vox Græca σκοπεῖν, cum sit anceps, (nam cavese & honorare significat,) ex eis quæ sequuntur, determinanda est, ex iis scilicet verbis: *Sicut habetis formam nostram*, Gr. τύπον, exemplum, ut nos tamquam exemplum & regulam imitemini.

19. (*o*) In his gloriantur, de quibus eos confundi oporteret, qui terrena tantummodo sapiunt præ avaritia.

20. (*p*) Gr. πολίτευμα, vitæ ratio, vel administratio, in cælum tendit; terrena sapientibus, & ventris sui cultoribus, spem beatæ immortalitatis opponit.

21. (*q*) Gr. ἐνέργειαν, *Efficaciam*; potentiam efficacem: eo spectare debent desideria nostra, ubi est hæreditas nostra: summam Christi auctoritatem in res omnes exprimit.

CAP. IV. 1. (*a*) Perseverate, ut cœpistis, in vera doctrina in sanctioris vitæ instituto.

2. (*b*) Quæ erant mulieres de Ecclesia bene meritæ, inter quas nonnulla orta erat dissensio; iis ipsis applicat, quæ superiori capite docuit de iis, qui cum sint minus perfecti, a ipsa fidei & charitatis regula discedere non debent.

3. (*c*) Gr. σύζυγε, seu collega ingenue, qui fidei operibus mihi fuisti conjunctissimus, adjuva illas, nempe Evodiam, & Syntychen: *Quæ mecum laboraverunt*, ut credibile est, feminis instituendis. *Cum Clemente*, Romano postea Pontifice, ut est verisimillimum.

4. & 5. (*d*) Etiam in adversis. *Prope est*. Ut opem vobis ferat: Vel tempus retributionis non longe abest; vel denique, Deus ubique præsens est, sub ejus oculis & præsentia vivimus, & operamur.

6. (*e*) Negotio & tempore; *Oratione*, per orationes & obsecrationes, *Petitiones vestræ*, quibus necessaria a Deo postulatis; *Innotescant apud Deum*: non quod eos Deus ignoret, sed ut eas quasi præsentes intueatur.

7. (*f*) Quæ vincit omnem intellectum, custodiat, Gr. custodiet: adeo ut animi tranquillitatem & pacem conservet.

8. (*g*) Quod reliquum est: præcepta morum, & officia quædam generalia attingit. *Vera*, in verbis, promissis, juramentis; vel rectitudinem cordis & sinceritatem commendat. *Quæcumque pudica*, gravitatem & honestatem morum præscribit: *Quæcumque justa*, In negotiis & pactis: *Quæcumque sancta*; variant lectiones Græcæ; aliæ sanctitatem, aliæ castitatem innuunt; *Quæcumque amabilia*, quæ gratiosos efficiunt & comes; *Quæcumque bonæ famæ*, quæ aliis est necessaria, ut eos ædificet vitæ nostræ ratio: *Si qua laus disciplinæ*, quidquid in bonis moribus laudem meretur; *hæc cogitate*, in his estote, hæc meditemini.

9. (*h*) Hæ sunt fidei & vitæ Christianæ regulæ, verbum Dei scriptum, aut prædicatum ab Apostolis, traditio ab iis profecta, & eorum exemplum, fidei vivendi ratio.

10. (*i*) Gratias iis agit, quod eum subsidio per Epaphroditum juverint; simul eos leviter pungit, quod tamdiu eum deseruerint: *Refloruistis*: quod vestra pro me sollicitudo, quæ quodammodo arescere visa est, resfloruerit. *Occupati autem eratis*: eos tamen excusat, quod impediti essent, & mittendi deesset opportunitas.

11. (*k*) Non ut egestati meæ, aut penuriæ subveniatis, hæc dico: *Didici*, præsenti statu contentus esse. Vel hoc non dico quod egestatem meam sublevastis, sed quia charitatem vestram exhibuistis.

12. & 15. (*l*) Paupertatem pati. *Scitis*, Illos honorifico ornat testimonio, quod cum a Macedonia transiisset in Achajam, Act. 16. & 17. Ecclesia eorum sola charitatis mutuæ exercuerit officia, dum ob accepta ab eo spiritualia, temporalia subsidia rependit. *Communicavit*. Nisi vos soli, qui mihi semel & iterum subsidium misistis, cum proficiscerer Thessalonicam.

17. (*m*) Gr. *Donum*: non id dico, ut mihi detis: *sed requiro fructum*, vestrum emolumentum, ut vos fructificetis, & meritum æternæ vitæ pro temporalibus referatis. *In ratione vestra*. Græc. *in rationem vestram*: quod in tabulis acceptis, seu in ratiocinario suo Deus vobis assignet: similitudinem e negotiatoribus ducit.

18. Habeo (*n*) autem omnia, & abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorem suavitatis, * hostiam acceptam, placentem Deo.

* Rom. 12. 1.

19. Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum, secundum divitias suas, in gloria (*o*) in Christo Jesu.

20. Deo autem & Patri nostro gloria in sæcula sæculorum: Amen.

21. Salutate omnem sanctum in Christo Jesu.

22. Salutant vos, qui mecum sunt, fratres. Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris (*p*) domo sunt.

23. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

18. (*n*) Gr. In acceptis habeo quæ misistis per Epaphroditum; *Repletus sum*, abunde explevistis egestatem meam.
19 (*o*) Donet vobis gloriam, & vitam æternam per Christum Jesum.

22. (*p*) De Neronis familia; confirmat id ipsum quod cap. 1. vers. 12. & 13. insinuavit. *Prætorio*, seu in aula: magnum quiddam erat in hac aula esse quosdam fideles.

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD COLOSSENSES.

COLOSSÆ civitas erat in Phrygia, vicina Laodiceæ, cujus meminit Plinius lib. 5. cap. 31. ab Epaphra Apostolorum discipulo ad fidem Christi conversa fuerat, quam Simoniani & Judæi corrumpere conati fuerant. Simoniani Angelos colere ut mediatores Deum inter & homines, Judæi ritus veteris legis eos docere tentabant: hos Apostolus ad veram & integram fidem revocat; tum ad omne virtutum genus eos adhortatur.

CAPUT PRIMUM.

Fideles ut sanctos salutat, & laudat. Tum docet Christum esse perfectam Dei Patris imaginem, mundi opificem, & Redemptorem hominum.

1. PAULUS Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater:

2. Eis, qui sunt Colossis, sanctis, & fidelibus fratribus in Christo Jesu.

3. Gratia vobis & pax a Deo Patre (*a*) nostro, & Domino Jesu Christo. Gratias agimus Deo, & Patri Domini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes:

4. Audientes (*b*) fidem vestram in Christo Jesu, & dilectionem, quam habetis in sanctos omnes,

5. Propter spem, quæ reposita est vobis in cælis, quam audistis in verbo veritatis Evangelii.

6. Quod pervenit ad vos, sicut & in universo (*c*) mundo est, & fructificat, & crescit, sicut in vobis, ex ea die, qua audistis, & cognovistis gratiam Dei in veritate,

7. Sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu,

8. Qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu (*d*).

9. Ideo

CAPUT I. 3. (*a*) Deo, qui est Pater Domini nostri Jesu Christi. *Orantes*, cum oramus, gratias Deo agimus pro vobis.
4. & 5. (*b*) Gr. *Postquam audivimus*. *Audistis*. Gr. quam prius audistis: *In verbo*, per verbum Evangelii, quod est verbum veritatis.
6. (*c*) In præcipuis orbis noti partibus Evangelium prædicatum fuit, idem omnino quod ab Epaphra audistis. Hoc subdit Apostolus, quod Judæi & Simoniani iis suaderent purum Evangelium iis prædicatum non fuisse: doctrinam fidei veram ab Epaphra eos ab initio edoctos testatur, adeo ut nihil ei sit detrahendum.
8. & 9. (*d*) Non carnalem, sed spiritualem mei amorem. *Cessamus*. Non cessamus pro vobis orare: *Voluntatis*, ut cognoscatis voluntatem Dei in omnibus negotiis suscipiendis; aut potius voluntatem Dei, qua nos reconciliare voluit, & salvare per Christum, non per Angelos, ut Simoniani docebant; *Et intellectu spirituali*: In custodiendis ejus mandatis. Hæc prima est Dei gratia, nosse quid Deus a nobis exigat.

9. Ideo & nos ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes, & postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia & intellectu spiritali:

10. Ut ambuletis (e) digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei:

11. In omni virtute (f) confortati secundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia & longanimitate cum gaudio,

12. Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine (g):

13. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ;

14. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum:

15. Qui est imago Dei invisibilis (h), primogenitus omnis creaturæ:

*Joann.1.3. 16. * Quoniam in ipso condita sunt universa in cælis, & in terra, visibilia, & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, & in ipso (i) creata sunt:

17. Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.

*1. Cor.15. 20. Apoc. 1. 5. 18. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, * qui est principium, primogenitus (k) ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens.

19. Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem (l) inhabitare:

20. Et per eum reconciliare (m) omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.

21. Et vos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu (n) in operibus malis:

22. Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso:

23. Si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles a spe Evangelii, quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub cælo est, cujus factus sum ego Paulus minister.

24. Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt (o) passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia:

25. Cujus factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos, ut impleam verbum (p) Dei:

26. Mysterium quod absconditum fuit a sæculis & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus,

27. Quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in Gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ,

28. Quem nos annuntiamus corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.

29. In quo & laboro, certando secundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute.

CAPUT II.

Hortatur eos ut firmi sint & stabiles in fide: omnes thesauros sapientiæ & scientiæ in Christo esse absconditos docet: simul eos admonet, ut ab impostoribus, & philosophis sibi caveant, & falsum Angelorum cultum vitent.

1. VOlo enim vos scire qualem sollicitudinem (a) habeam pro vobis, & pro iis qui sunt Laodiciæ, & quicumque non viderunt faciem meam in carne:

2. Ut consolentur (b) corda ipsorum, instructi in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris & Christi Jesu:

3. In quo (c) sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.

4. Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum (d).

5. * Nam etsi corpore absens (e) sum, sed spiritu vobiscum sum: gaudens, & videns ordinem vestrum; & firmamentum ejus, quæ in Christo est, fidei vestræ. *1. Cor 5. 3.

6. Sicut

10. (e) Ut Deo serviamus in spiritu & veritate, quærentes semper quæ Deo magis placent. *Fructificantes*; non in vanis & sterilibus desideriis, sed in bonis operibus vitam agentes.

11. (f) Omni virtute corroborati. Gr. *potentia ejus gloriosa*; vel secundum vim gloriæ ejus, quæ in patientia Christianorum maxime elucet.

12. (g) In partem hæreditatis Sanctorum, quæ futura est clara & non ænigmatica Dei cognitio: *Vel in lumine*, id est, per evangelii lumen. Quo lumine persulos dignos effecit Sanctorum sorte.

15. (h) *Invisibilis*, in genitivo casu, ex Græco textu; ejusdem naturæ cum Patre, per omnia ei similis.

16. & 17. (i) *Per ipsum*, & *in ipso*. Gr. *in ipsum*, *seu propter ipsum creata sunt*. *Ante omnes*, ante omnia.

18. (k) Resurgentium ad vitam immortalem primus.

19. (l) Plenitudinem divinitatis, & donorum: primatum tenet in quovis ordine; ut Deus, est principium omnis creaturæ; ut homo, principium regenerationis, & caput corporis Ecclesiæ: ut mediator Dei & hominum, divinas omnes & humanas dotes possidet.

20. (m) Reconcilians nos per Sacerdotium suum: *Pacificans*, Victima est per mortem suam; Angelos hominibus conciliant.

21. & 22. (n) Gr. *Mente alienati*, a Deo. *Nunc*, Placuit Deo per Christum reconciliare quæ in cælis sunt & in terris; & vos quoque cum essetis inimici Dei, per crucem tamen Christi reconciliari estis: *Exhibere vos sanctos*, ut vos exhiberet sanctos; ut vos offerret Deo jam immolatos per sacrificium Christi, & consecratos per gloriosam ejus resurrectionem.

24. (o) Ambrosiaster, reliquias passionum Christi; ut pro Christo patiamur, sicut pro nobis passus est. *Quæ desunt*, non ex parte Christi, sed ex parte nostra: *Adimpleo*; vices obeo: Quæ in Christi corpore impleta sunt mysteria, in corpore ejus mystico renovari debent.

25. 26. 27. 28. & 29. (p) Ministerium prædicationis; *Dispensationem*, Potestatem mihi a Deo datam: *Mysterium*, Redemptionis in Gentium conversione. *Divitias*, Gloriosas: *Quod est Christus*; caput & corpus Ecclesiæ: *Spes gloriæ*, per quem gloriam speratis æternam. *Corripientes*. Gr. *admonentes*. Ut a peccatis desinant. *Operationem*, Per potentiam gratiæ ejus.

CAP. II.

1. (a) Certamen, seu laborem cum periculo conjunctum. *Quicumque*, ex hoc loco colligit Chrysost. Paulum nec Colossis, nec Laodiceæ Evangelium prædicasse, sed illud annuntiatum fuisse his civitatibus ab Epaphra, qui Apostolum Romæ convenerat.

2. (b) Passive, ut consolationem accipiant: *Instructi in charitate*, conjuncti & firmati in perfecta notitia. *Mysterii*; quod mysterium est reconciliationis mundi per mortem Christi: cum fuerint plene edocti & persuasi de hoc mysterio, & noverint per fidem Deum unum in natura, trinum in personis, & Incarnationem Verbi divini. *Dei Patris*, qui Filium genuit ab æterno, & in B. Virgine per Incarnationem in tempore, qui filios adoptavit in sinu Ecclesiæ per justificationem.

3. (c) In quo, Christo, reconditi sunt thesauri omnes sapientiæ Dei, quos Simoniani Angelis tribuebant. Hinc vera sapientia est haurienda non ab hæreticis & Philosophis.

4. (d) Gr. in artificio persuadendi, quo hæretici, & Philosophi utebantur.

5. (e) Sollicitudinem suam, & anxietatem animi pro eorum salute ostendit, & sermonem inceptum interrumpens, eos admonet, ut adversus hæreticos & Judæos sint cautiores. Bene constitutum inter eos ordinem, & fidei constantiam laudat, quam firmitatem ordo ipse inter corporis mystici membra in primis tuetur.

6. Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate,

7. Radicati (*f*), & superædificati in ipso, & confirmati fide, sicut & didicistis, abundantes in illo, in gratiarum actione.

8. Videte ne quis vos decipiat (*g*) per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum:

9. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*h*):

10. Et estis in illo (*i*) repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis:

11. In quo & circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi:

12. Consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis (*k*) Dei, qui suscitavit illum a mortuis.

* Eph. 2. 1. 13. * Et vos, cum mortui essetis in delictis, & præputio (*l*) carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta:

14. Delens quod adversus nos erat chirographum (*m*) decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.

15. Et expolians principatus, & potestates, traduxit (*n*) confidenter, palam triumphans illos in semetipso.

16. Nemo ergo vos judicet (*o*) in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum:

17. Quæ sunt umbra futurorum: corpus autem Christi.

* Matth. 24. 4. 18. * Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione (*p*) Angelorum, quæ vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ,

19. Et non tenens caput (*q*), ex quo totum corpus, per nexus & conjunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei.

20. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis (*r*) hujus mundi: quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis?

21. Ne tetigeritis (*s*), neque gustaveritis, neque contrectaveritis:

22. Quæ sunt omnia in interitum (*t*) ipso usu, secundum præcepta & doctrinas hominum:

23. Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ (*u*) in superstitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.

CAPUT III.

Ad vitam novam in Christo ducendam, ad bona opera, mutuam tolerantiam, & gratiarum actiones eos adhortatur; conjugum inter se, parentum in liberos, & servorum in dominos, ac vicissim mutua præscribit officia.

1. IGitur, si consurrexistis (*a*) cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens:

2. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

3. Mortui (*b*) enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.

4. Cum Christus apparuerit, vita vestra; tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.

5. Mor-

7. (*f*) Sic Christo indivulse adhæreant ut rami trunco suo, aut arbor radici, aut domus fundamento. *Abundantes in illo*, Gr. *in illa*; in fide scilicet: Crescit fides in memori animo, & in gratiarum actione.

8. (*g*) Gr. deprædetur, per *inanem fallaciam*, fucatam, nihil solidi habentem: *Secundum elementa mundi*, puerilia rudimenta, aut principia quædam a Philosophis conficta, & quasi per manus tradita, quibus fidem nostram convellere moliantur: seu Platonicos, qui cultum Angelicum inducebant, seu Epicureos designet juxta Clementem Alexandrinum Lib. 1. Stromatum, qui in materiam tota erant demersi. In rebus fidei humana ratio conticescat, sequatur ut ancilla, non ducat.

9. (*h*) Non per operationem solum, & donorum effusionem, ut in Sanctis, sed secundum substantiam vere & naturaliter, non ut in umbra, ac figura, sed reipsa. August. Ep. 58. corporis hic non sumitur, ut a spiritu distinguitur, sed ut opponitur umbræ & figuræ.

10. & 11. (*i*) Per illum, non per Angelos, gratia & donis repleti estis, *Circumcisi*. Baptismus est Circumcisio.

12. (*k*) Gr. *energiæ*: credentes in efficacem Dei operationem, qua Christum suscitavit a mortuis, & vos a peccato resurrexistis.

13. (*l*) Per carnalia desideria, & concupiscentias vestras, & cor incircumcisum.

14. (*m*) Quo morti eramus addicti ob peccatum Adæ; alii legem ipsam chirographi nomine intelligunt, Gr. *decretis*, seu dogmatibus: Evangelica scilicet dogmata & præcepta, legis jugum & chirographum deleverunt, & cruci affixa sunt: decretum condemnationis nostræ delevit Christus, quod erat nobis contrarium.

15. (*n*) Diabolo spolia detraxit, & velut in pompa triumphi eum produxit, Gr. *Triumphant*, eos debellans, *in semetipso*; Ostentavit palam: hæc contra Simonianos, nunc contra Judaicas superstitiones eos munit. Vel *in ipso*. Græce ἐν αὐτῷ, in cruce, τῷ σταυρῷ, vers. 14. quo vox illa referri potest.

16. (*o*) Nemo vos condemnet, quasi veritos in lege cibos edere, *aut in parte diei festi*; in designatione festorum, quod dies festos Judæorum partim observarent, partim non observarent; *vel in parte*, quantum ad dies festos. Abstinentiæ Synagogæ, ut partes legis cæremonialis sunt abrogatæ, sed sua Ecclesiæ constat auctoritas; neque a lege præscriptæ observationes confundi debent cum Ecclesiæ præceptis, quæ nihil habent superstitionis Judaicæ, sed aut carni domandæ, aut cultui divino sunt utilia. Atque hæc de Judaicis observationibus: mox ad Philosophos & hæreticos redit, qui cultum superstitiosum Angelorum inducere conabantur.

18. (*p*) In ea regione Phrygiæ hanc labem diu grassatam fuisse constat ex Concil. Laodic. can. 35. Angelos colebant ut deos inter Deum summum & homines medios, ut mundi opifices. *Ambulans*, in his quæ non novit: de officio Angelorum docens quæ ignorat: *Volens in humilitate*, per abjectionem sui fictam se ultro summittens, & arrogans sibi rerum cælestium cognitionem. *Inflatus*, suæ imaginationis figmentis.

19. (*q*) Quia Christum non agnoscit, qui caput est influens in totum corpus Ecclesiæ, vitam illi & sensum impartiens. *In augmentum Dei*, quod a Deo est: *Per nexus & conjunctiones*. Verbi divini, Sacramentorum, & infusionem sancti Spiritus, corda nostra vivificat.

20. (*r*) Soluti a ritibus legis. *Decernitis*, Gr. *docemini*, cum aures vestras pseudo-apostolis præbetis, qui Judaicas cæremonias vos docent.

21. (*s*) Sic ajunt pseudo apostoli: Jugum sibi a nobis impositum ferre nolunt, & aliud gravius sibi ultro imponunt.

22. (*t*) Quæ dogmata & Pharisaicæ in primis traditiones sunt in perditionem ipso usu: vel hæc ipsa pereunt ipso usu.

23. (*u*) Quæ dogmata speciem quidem pietatis præ se ferunt, sed reipsa sunt superstitione & hypocrisi plena. *In humilitate*, Gr. In afflictione, & in austera corporis maceratione, ut nonnulli exponunt: Gr. *Non parendo corpori*. *Honore*, Honoris nomine apud Hebræos sæpe designatur rerum necessariarum subministratio. Quare illa observatio nec voluptatem, nec honorem, nec utilitatem parit, sed nihil nisi falsam pietatis speciem habet, & fucata sunt omnia. Sed manet semper Ecclesiæ auctoritas, cum abstinentiam præscribit, in Quadragesima, & in certis diebus pœnitentiæ destinatis.

1. (*a*) Hactenus quæ ad doctrinam & dogmata, nunc quæ ad mores & virtutum actiones spectant, persequitur. Ac primum ex hoc fundamento, quod Colossenses per Baptismum una cum Christo mortui sint peccato & legis ritibus, liberi sint ab illius oneribus, concludit eosdem cum Christo ita resurrexisse, ut cælestia tantum debeant, non terrena sapere, idque probat ex novæ vitæ, quam in Baptismo acceperunt, conditione. CAP. III.

3. (*b*) Quantum ad veteris hominis affectus, & legem veterem. *Abscondita*, quia spiritualis & invisibilis, sed suo tempore apparebit.

5. Mortificate (c) ergo membra vestra, quæ
* Eph. 5. 3. sunt super terram: * fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est simulacrorum servitus:

6. Propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis (d):

7. In quibus & vos ambulastis aliquando, cum viveritis in illis.

* Rom. 6. 4. Eph. 4. 22. Hebr. 12. 1. 1. Pet. 2. 1. & 4. 2. 8. * Nunc autem deponite & vos omnia; iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.

9. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem (e) cum actibus suis,

10. Et induentes novum (f), eum qui re-
* Gen. 1. 26. novatur in agnitionem, secundum * imaginem ejus, qui creavit illum.

11. Ubi (g) non est Gentilis, & Judæus, circumcisio, & præputium, Barbarus, & Scytha, servus, & liber: sed omnia, & in omnibus Christus.

12. Induite (h) vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam:

13. Supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos.

14. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum (i) perfectionis.

15. Et pax Christi exultet (k) in cordibus vestris, in qua & vocati estis in uno corpore: & grati estote.

16. Verbum (l) Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, &
* Eph. 5. 19. commonentes vosmetipsos, * psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.

* 1 Cor. 10. 31. 17. * Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine (m) Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.

* Eph. 5. 22. 1. Pet. 3. 1. 18. * Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino.

19. Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas.

* Eph. 6. 1. 20. * Filii obedite parentibus per omnia (n): hoc enim placitum est in Domino.

* Eph. 6. 4. 21. * Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.

22. * Servi obedite per omnia dominis car- * Tit. 2. 9. 1. Pet. 2. 18.
nalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum.

23. Quodcumque facitis, ex animo (o) operamini, sicut Domino, & non hominibus.

24. Scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo servite.

25. * Qui enim injuriam facit, recipiet id, * Rom. 2. 6.
quod inique gessit: & non est personarum acceptio apud Deum.

CAPUT IV.

Dominis benignitatem in servos, omnibus perseverantiam in Oratione, sermonem sale & sapientia conditum commendat.

1. DOmini, quod justum est & æquum, servis præstate: scientes quod & vos Dominum habetis in cælo.

2. * Orationi instate, vigilantes in ea in * Luc. 18. 1. 1. Thess. 5. 17.
gratiarum actione.

3. * Orantes simul & pro nobis, ut Deus * Eph. 6. 19.
aperiat (a) nobis ostium sermonis ad loquen- 2. Thess. 3. 1.
dum mysterium Christi (propter quod etiam Colo. 4. 3.
vinctus sum)

4. Ut manifestem illud ita ut oportet me loqui.

5. * In sapientia ambulate ad eos, qui foris * Eph. 5. 15.
(b) sunt, tempus redimentes.

6. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.

7. Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis minister, & conservus in Domino.

8. Quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra,

9. Cum Onesimo charissimo, & fideli fratre, qui ex vobis (c) est. Omnia, quæ hic aguntur, nota facient vobis.

10. Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata: si venerit ad vos, excipite illum.

11. Et

5. (c) Veteris hominis affectus, qui nos in terram deprimunt; sive corpori insint, ut fornicatio, immunditia, libido, Gr. πάθος, unde Pathici dicuntur præposteræ huic & abominandæ libidini dediti; seu animo insideant, ut concupiscentiæ malæ, & prava desideria, ut avaritia quæ idololatræ efficit, cum pecuniæ caussa ea faciunt, quæ propter Deum fieri debent. Sic impudicitia bestias, superbia dæmones facit.

6. (d) In filios incredulos & inobedientes.

9. (e) Ingenitam peccandi consuetudinem, & vetus vitæ genus. Vetus homo non simulatione & hypocrisi tegendus, sed omnino exuendus per veram conversionem.

10. (f) Novam in Christo vitam; In agnitionem, per fidem & cognitionem Dei. Imaginem, secundum mentem quæ est imago Dei, eaque ad exemplar Creatoris sui reformatur.

11. (g) Apud quem non est distinctio Judæi, aut Gentilis: Christus, qui omnium bonorum vices supplet, per quem omnia consequimur bona.

12. (h) Jam ad præcipua fidelium officia descendit, ac primum attingit ea, quæ ad proximum spectant. Viscera, Affectus tenerrimos, charitatem ipsam: Modestiam, Gr. Lenitatem: seu mansuetudinem, aut comitatem; Patientiam, Gr. longanimitatem.

14. (i) Quia ceteræ virtutes continentur, quæque perfectos homines facit, ac nos Deo conjungit.

15. (k) Gr. Regnet in cordibus vestris, palmam ferat, non dissensio, non ira. In qua vocati, ad quam vocati estis, In uno corpore, In unam Ecclesiam, ut sitis unum corpus: Et grati estote, Gr. amabiles, gratiosi, non morosi, vel grati erga Deum.

16. (l) Doctrina & fides Christi: In gratia cantantes: in gratiarum actione, vel per gratiam Spiritus sancti. Docentes, supple estote.

17. & 18. (m) Ad Christi gloriam facite. Domino, Juxta legem Christi.

20. (n) Quæ sunt juris Parentum. Patres, Paterna auctoritas lenitate est temperanda, & exemplo muniendа.

23. (o) Libenter; Sicut Domino, quasi Domino obsequentes.

CAP. IV.

3. (a) Ut facultatem & occasionem præbeat libere Christum prædicandi.

5. (b) Cum infidelibus caute & circumspecte agatis: Tempus redimentes; captantes occasionem eos lucrifaciendi, ac tempus bene collocantes, etiam cum vestro dispendio, ut tempus habeatis Deo serviendi.

9. 10. 11. 12 & 13. (c) Concivis vester. Mandata, De quo vobis scriptum est, futurum ut ad vos veniret, vel mandata, commendatitias litteras. Adjutores, Ex Judæis Christiani: In regno Dei. In promovendo Evangelio. Tres illi nominati, Judæi fuerunt. Justus, tum Romana cognomina sumebant Judæi. Voluntate, Ut quæ sit voluntas Dei in rebus omnibus cognoscatis: ut sitis pleni studio faciendi voluntatem Dei. Laborem, Gr. Zelum.

11. Et Jesus, qui dicitur Justus: qui sunt ex circumcisione: hi soli sunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio.

12. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Jesu, semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei.

13. Testimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis, & pro iis, qui sunt Laodiciæ, & qui Hierapoli.

* 2.Tim.4. 11. 14. Salutat vos * Lucas medicus charissimus, & Demas.

15. Salutate fratres, qui sunt Laodiciæ, & Nympham (*d*), & quæ in domo ejus est, Ecclesiam.

16. Et cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut & in Laodicensium Ecclesia legatur: & eam, quæ Laodicensium est, vos legatis (*e*).

17. Et dicite Archippo: Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas.

18. Salutatio, mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Amen.

15. (*d*) Cum pronomen, ejus, sit masculini generis, palam est Nympham esse viri nomen.

16. (*e*) Epistolam: an Pauli ad Laodicenses, ut videtur Auctori Analyseos Gallicæ dissertatione decima? Colossæ, Hierapolis, & Laodicea erant præcipuæ urbes Phrygiæ: paucis post scriptam hanc Epistolam annis terræmotu corruerunt, teste Orosio. Auctor Analyseos vix illud negari posse putat, quin Apostolus ad Laodicenses scripserit, seu prior ille litteras ad eos miserit, seu illis rescripserit: nec verisimile est, inquit, Paulum Roma misisse ad Colossenses Epistolam, quam Laodicenses ad eum scripserant, cum vicina essent hæc duo oppida. Utramque urbem falsi prædicatores conturbabant, utrumque legis veteris observationem, & cultum Angelorum iis æque persuadere conabantur: utriusque Ecclesiæ cura & sollicitudo Apostolum urgebat, ut ipse testatur capite 2. unde cum utrisque idem periculum immineret, ut sibi mutuo Epistolas communicarent, in calce Epistolæ jussit. Quod autem textus Græcus sic habet: *Et eam quæ ex Laodicea est, vos legatis*: non ait ex Laodicea esse missam ad Apostolum, sed statuit eam Laodicea ad Colossenses esse mittendam. Textus tamen Græcus ἐκ Λαοδικείας, videtur persuadere Apostolum loqui de Epistola, quæ missa est ad eum a Laodicensibus: nam si uno & eodem tempore ad Laodicenses scripsisset, Colossenses non rogaret ut suo nomine Laodicenses salutarent: quæ autem olim Pauli nomine vulgabatur ad Laodicenses Epistola, hæc teste Hieronymo ab omnibus exploditur. Quæ enim nunc eo titulo insignitur, omnino abhorret ab Apostoli stylo. Itaque illud satis est verisimile, Paulum jubere ut a Laodicensibus scripta Epistola a Colossensibus legatur, ut ipsis utilis.

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES PRIMA.

HÆc Epistola scripta est Corinthi, anno, ut videtur 52. eaque inter Pauli Epistolas, si ratio temporis habeatur, prima est. Thessalonica urbs erat Macedoniæ primariæ; nunc Salonica appellatur. Paulus Philippis ejectus Thessalonicam venit, ubi complures ad fidem Christi convertit; sed Judæorum persecutioni cedere coactus, Athenas profectus est, inde Corinthum, ubi Thessalonicæ fideles ab idololatris, cum alia multa, tum bonorum direptionem passos accepit. Eo misit Timotheum, qui illos consolaretur. Hic constantiam eorum in fide, & patientiam Apostolo renuntiavit, qui hanc ad eos scripsit Epistolam consolatoriam, præclaris adhortationibus plenam, & præceptis, quæ ad mores pertinent.

CAPUT PRIMUM.

Paulus Thessalonicensium fidem, constantiam in persecutionibus labores, & charitatem gratulatur.

1. PAULUS (a), & Silvanus, & Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium, in Deo Patre, & Domino Jesu Christo.

2. Gratia vobis, & pax. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione,

3. Memores operis (b) fidei vestræ, & laboris, & charitatis, & sustinentiæ spei Domini nostri Jesu Christi, ante Deum & Patrem nostrum:

4. Scientes fratres, dilecti a Deo, electionem ( ) vestram:

5. Quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute (d), & in Spiritu sancto, & in plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos.

6. Et vos imitatores (e) nostri facti estis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti:

7. Ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaja.

8. A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solum in Macedonia, & in Achaja, sed & in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est, ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui.

9. Ipsi enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus (f) ad vos: & quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo, & vero.

10. Et expectare Filium ejus de cælis (quem suscitavit ex mortuis) Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura.

CA-

CAPUT I. 1. (a) Modesto suo salutat Thessalonicenses; pacem iis & gratiam Dei apprecatur. Silvanum multi Silam esse existimant, cujus frequens est in Actis mentio; ac præ modestia Apostoli titulum omittit, ne supra [illegible] efferre videatur: Jesu Christo, congregatæ in nomine Dei Patris, & Domini nostri Jesu Christi.

3. (b) Quæ in opus prodit, non inanis est & mortua, sed viva; vel operis & fidei vestræ, laboris & charitatis. In Græco deest conjunctio, quæ videtur supplenda, nisi intelligamus laboriosam charitatem; bona quidem opera sunt fructus fidei, ut expectatio futurorum bonorum spei effectus, & charitatis. Et sustinentiæ, patientiæ: & spei Domini nostri; in Domino nostro. In memoriam revocat fidei opera, labores charitatis, & spei constantiam in tot rebus adversis: Ante Deum, in conspectu Dei.

4. (c) Non enim est dubium, quin vestra in tot adversis patientia, & labores, sint electionis vestræ signa & argumenta.

5. (d) Prædicatio nostra non fuit in sermone tantum & verbis; sed in signis & miraculis: *In Spiritu sancto*, in donis Spiritus sancti abunde in vos effusis: *Et in plenitudine multa*, cum plena & certa Evangelii cognitione. Omnibus ad persuadendum & convincendum argumentis munita fuit. Quæ quidem in memoriam revocat, ut ipsi vel eo tacente intelligant se ab ea doctrina tot veritatis divinæ argumentis confirmata deduci numquam oportere.

6. & 8. (e) In tolerandis persecutionibus. *Diffamatus*, Græce ἐξήχηται, *personuit*, divulgatus est: *& in Achaja*, in universa Græcia.

9. (f) Quem fructum vobis attulerit prædicatio nostra, ex vestro de nobis testimonio & fama norunt omnes.

CAPUT II.

In memoriam eorum revocat, quam ſincera & pura fuerit ejus prædicatio, quam procul ab omni adulatione, dolo, & avaritia; quod nemini oneri fuerit.

1. NAm ipſi ſcitis, fratres, introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit:
* Act. 10. 19. 2. Sed ante paſſi, & * contumeliis affecti (ſicut ſcitis) in Philippis, fiduciam (a) habuimus in Deo noſtro, loqui ad vos Evangelium Dei in multa ſollicitudine.
3. Exhortatio (b) enim noſtra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo,
4. Sed ſicut probati (c) ſumus a Deo ut crederetur nobis Evangelium: ita loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra.
5. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione avaritiæ: Deus teſtis eſt:
6. Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis.
7. Cum poſſemus vobis oneri eſſe ut Chriſti Apoſtoli: ſed facti ſumus parvuli (d) in medio veſtrum, tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos.
8. Ita deſiderantes (e) vos, cupide volebamus tradere vobis non ſolum Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras, quoniam chariſſimi nobis facti eſtis.
9. Memores enim eſtis fratres laboris noſtri,
* Act. 10. 34. 1. Cor. 4. 12. 2. Theſ. 3. 8. & fatigationis: * nocte ac die operantes, ne quem veſtrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei.
10. Vos teſtes eſtis, & Deus, quam ſancte (f) & juſte, & ſine querela, vobis, qui credidiſtis, fuimus:
11. Sicut ſcitis, qualiter unumquemque veſtrum (ſicut pater filios ſuos)
12. Deprecantes vos & conſolantes, teſtificati (g) ſumus, ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in ſuum regnum & gloriam.
13. Ideo & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione: quoniam cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed (ſicut eſt vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis.
14. Vos enim imitatores facti eſtis fratres Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Judæa in Chriſto Jeſu: quia eadem paſſi eſtis & vos a contribulibus veſtris, ſicut & ipſi a Judæis:
15. Qui & Dominum occiderunt Jeſum, & Prophetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus adverſantur (h);
16. Prohibentes nos Gentibus loqui ut ſalvæ fiant, ut impleant peccata ſua ſemper: pervenit enim ira Dei ſuper illos uſque in finem.
17. Nos autem fratres deſolati (i) a vobis ad tempus horæ, aſpectu, non corde abundantius feſtinavimus faciem veſtram videre cum multo deſiderio:
18. Quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus, & ſemel, & iterum, ſed impedivit nos Satanas.
19. Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eſtis in adventu ejus?
20. Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.

CAPUT III.

Ex Timothei reditu, quem miſerat Theſſalonicam, permagnam accepit conſolationem: eos adhortatur ad perſeverantiam, & bene iis precatur.

1. PRopter quod non ſuſtinentes (a) amplius, placuit nobis remanere Athenis, ſolis:
2. * Et miſimus Timotheum fratrem noſtrum, & miniſtrum Dei in Evangelio Chriſti, ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide veſtra: * Act. 16. 1.
3. Ut nemo moveatur (b) in tribulationibus iſtis: ipſi enim ſcitis quod in hoc poſiti ſumus.
4. Nam & cum apud vos eſſemus, prædicebamus vobis paſſuros nos tribulationes, ſicut & factum eſt, & ſcitis.
5. Propterea & ego amplius non ſuſtinens, miſi ad cognoſcendam fidem veſtram: ne forte tentaverit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noſter.

6. Nunc

CAP. II.

2. (a) Intrepide & libere egimus: *In multa ſolicitudine*, cum multa anxietate, & multis periculis.
3. (b) Prædicatio noſtra & doctrina pura fuit & ſincera; *non de errore*, falſa non fuit, ut pleraque Philoſophorum dogmata; *neque de immunditia*, non pravis deſideriis favens, aut impura docens, ut Simonianorum perverſa doctrina; *neque in dolo*, non ſimulata, & ad vos circumveniendos, aut ad turpe lucrum compoſita, ut in pſeudo-apoſtolis.
4. (c) Sed ſicut decebat eos, quos Deus approbavit, & dignos fecit, quibus prædicatio Evangelica crederetur, *Placentes*, non ut hominibus, qui de exterioribus tantum judicant, placere cupientes. *Qui probat*, qui intima cordis arcana penetrat.
7. (d) Gr. *Mites*, benigni, humiles, parvulorum ſimplicitatem & veritatem cum nutricis tenero affectu & ſollicitudine conjunximus.
8. (e) Vos amantes, ita ut non ſolum verbi Dei lacte nutriti ſitis: ſed etiam pro ſalute veſtra ad moriendum parati eſſemus.
10. (f) Ab omni rerum terrenarum cupiditate alieni, & cæleſtium amore ſuccenſi. *Juſte*, erga proximum: *Et ſine querela*, irreprehenſibiles.
12. & 13. (g) Obteſtantes & adhortantes vos ad perſeverandum. *Auditus*, Auditionis fidei, qua doctrina fidei auditur: *Verbum Dei*, quod a nobis audiſtis. *Qui operatur*, aut Deus ipſe, qui tot effectus mirabiles in vobis operatur, aut verbum Dei, Gr. λόγος, cum ſit maſculini generis. Latinus interpres ſic reddidit, qui: eſt autem velut ſemen, quod fructum affert bonarum actionum.
15. & 16. (h) Ne ſalvi fiant. *Impleant*. Ut ſemper augeant peccata ſua. Ex iis omnibus inviciſſimum conficitur argumentum, quo Theſſalonicenſes omnino ſibi perſuaderent, manendum eſſe in ſuſcepta religione, quæ omnes doctrinæ divinæ notas habet & characteres; ſeu modum ſpectarent, quo illis fuit annuntiata, tot ſignis & miraculis confirmata; ſeu prædicatorum mores conſiderarent, qui ab omni avaritiæ & ambitionis labe intacti fuerunt; ſeu denique perſecutiones ipſas intuerentur, quas Theſſalonicenſes cum gaudio ſic perpeſſi ſunt, ut aliis nationibus quaſi forma fierent & exemplum.
17. & 19. (i) Græc. orbati vobis ad modicum tempus. *Spes*. Nonne vos eſtis ſpes noſtra.

CAP. III.

1. (a) Cum diutius ferre non poſſimus hanc animi anxietatem de veſtro omnium ſtatu, placuit nobis Athenis remanere: & Timotheum ad vos mittere, qui vos conſolaretur, & in fide ſuſcepta confirmaret.
3. (b) Ne afflictiones & turbæ in vos concitatæ quemquam a fide dimoveant: *Poſiti*, hæc enim eſt conditio noſtra, hæc voluntas Dei, ea lege vivimus, ut pro fide patiamur, & nos Apoſtoli præ ceteris, ut vobis prædiximus: *Sicut & factum eſt, & ſcitis*.

6. Nunc autem veniente (*c*) Timotheo ad nos a vobis, & annuntiante nobis fidem & charitatem vestram, & quia memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos videre, sicut & nos quoque vos:

7. Ideo consolati (*d*) sumus fratres in vobis, in omni necessitate & tribulatione nostra, per fidem vestram,

8. Quoniam nunc vivimus (*e*), si vos statis in Domino:

9. Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante (*f*) Deum nostrum,

10. Nocte ac die abundantius orantes, ut videamus faciem vestram, & compleamus ea quæ desunt fidei vestræ?

11. Ipse autem Deus & Pater noster, & Dominus noster Jesus Christus dirigat viam nostram ad vos.

12. Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram in invicem, & in omnes, quemadmodum & nos in vobis:

13. Ad confirmanda (*g*) corda vestra sine querela in sanctitate, ante Deum & Patrem nostrum, in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus. Amen.

CAPUT IV.

Vitanda est omnis immunditia; conjugio sancte & honeste utendum; ut se invicem diligant, manibus operentur; ne mortuos lugeant Gentilium more, sed ut Christiani resurrectionem sperantes.

1. DE cetero (*a*) ergo, fratres, rogamus vos & obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis, ut abundetis magis.

2. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum (*b*) Jesum.

3. * Hæc est enim voluntas (*c*) Dei, sanctificatio vestra: ut abstineatis vos a fornicatione, * Rom. 12. 2. Eph. 5. 17.

4. Ut sciat unusquisque vestrum vas (*d*) suum possidere in sanctificatione, & honore;

5. Non in passione desiderii, sicut & Gentes, quæ ignorant Deum:

6. Et ne quis supergrediatur, (*e*) neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus.

7. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.

8. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum: qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis (*f*).

9. De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: * ipsi enim vos a Deo didicistis (*g*) ut diligatis invicem. * Joan. 13. 34. & 15. 12. 17. 1. Joan. 2. 10 & 4. 12.

10. Etenim illud facitis in omnes fratres in universa Macedonia. Rogamus autem vos fratres, ut abundetis magis,

11. Et operam detis ut quieti (*h*) sitis, & ut vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis: & ut honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt: & nullius aliquid desideretis.

12. Nolumus autem vos ignorare (*i*) fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent.

13. Si enim credimus quod Jesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum (*k*), adducet cum eo.

14. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, * quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt. * 1 Cor. 15. 23.

15. Quoniam ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba (*l*) Dei descendet de cælo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.

16. Deinde nos, qui vivimus (*m*), qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.

17. Itaque consolamini invicem in verbis istis.

CA-

6. (*c*) Gr. Nuper: Unde colligitur hanc Epistolam non Athenis, sed Corinthi scriptam fuisse.

7. (*d*) Passive, consolationem accepimus: *Per fidem vestram*: Ob fidem vestram.

8. (*e*) Jam nulla est in nobis gravis afflictio, cum certiores facti simus de fide vestra.

9. & 12. (*f*) Sincero animo, non ficto. *In vobis*, Gr. in vos augeat mutuam charitatem vestram, quemadmodum & charitate abundamus erga vos.

11. (*g*) Hæc jungi debent his verbis: *Abundare faciat charitatem*, ut corda vestra confirmet, & irreprehensibilia efficiat per veram sanctitatem, & interiorem animi puritatem.

CAP. IV. 1. (*a*) Quod est reliquum Epistolæ, ea complectitur morum præcepta, quæ postulabat præsens eorum conditio, de qua a Timotheo certior factus fuerat. Hæc partim ad omnes fideles æque pertinent, partim ad Thessalonicenses spectabant, ut res eorum tunc erant. Primum eosdem hortatur, ut quæ ab eo viva voce acceperant præcepta, observarent, iisque quantum fieri posset, opera supererogationis adderent: *Ut abundetis*, Evangelica consilia implentes, ut majores progressus faciatis.

2. (*b*) A Domino accepta, & majori reverentia observanda, in memoriam illorum revocat. Traditionis Apostolicæ meminit, ut divinas & a Christo profectas, commendat: quæ ad fidem conjugalem spectabant, quam forte nonnulli ex iis violaverant, aut illa fluxæ obligationis non esse falso sibi persuaserant.

3. (*c*) Circa matrimonii usum, quod cum sanctitate tractandum est. *Sanctificatio vestra*, ut sancti sitis, & mundi. Ex Bernardo serm. 2. in Cantica, hoc loco significat temperantiam, ut omnis arceatur fornicatio, quæ lege naturali prohibetur, & a Christiana religione fuit renovata: Hinc Philosophi ethnici condemnati sunt verbis, non vita.

4. (*d*) Vel corpus proprium, vel uxoris: *In sanctificatione & honore*, non in efferata libidine. *Gentes*, quæ solius voluptatis caussa utuntur propria conjuge. Finis proximus conjugii est filios Deo, & membra Christo generare: ultimus Deum glorificare; hoc fine proposito usus matrimonii dirigi debet.

6. (*e*) Quod nonnulli intelligunt de adulterio, cum quis malis artibus pudicitiam conjugis alterius expugnat: vel *ne quis supergrediatur*; ne per vim, aut fraudes proximum suum opprimat, & circumveniat.

8. (*f*) Ut in nobis tamquam in templo suo inhabitet; vel qui has pietatis regulas contemnit, & pro nihilo ducit vitam impudicam agere, aut leges justitiæ perrumpere, hic Deum & Spiritum sanctum spernit.

9. (*g*) Charitatem per Filium, qui hanc legem nobis præscripsit, & exemplo suo docuit.

11. (*h*) Quod forte nonnulli plus satis inquieti & curiosi essent, aut otio indulgerent, hos ad laborem adhortatur, ne aliis sint oneri. *Desideretis*, Gr. *Nulla re ejus habeatis*, ut nulli addicti sitis.

12. (*i*) Cum plus satis de morte suorum dolerent, hos admonet ut luctui suo modum ponant; cum ii velut dormientes ad vitam perpetuam sint excitandi: mors enim somnus est & quies iis, qui saluti suæ consulentes in peccato non moriuntur.

13. & 14. (*k*) In Jesu, eique per fidem & charitatem sint conjuncti; hos adducet cum Christo, ut membra cum capite suo, *Verbo*, Juxta Dei sententiam & decretum. Hæc dicimus quæ a Domino accepimus.

15. (*l*) Vocem Archangeli cum tuba comparat, sive ea sit expressio metaphorica, seu potius quia vox tubæ personabit. *Resurgent primi*. Gr. primum, ut simul cum vivis ascendant.

16. (*m*) Loquitur in persona electorum, qui tunc vivent.

C A P U T V.

Dies Domini, seu extremi judicii, incertus. Qui sint diei & tenebrarum filii: tum ad morum praecepta descendit.

1. DE temporibus (*a*) autem, & momentis fratres non indigetis ut scribamus vobis.

*2. Pet. 3. 10. Apoc. 3. 3. & 16. 15. 2. * Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.

3. Cum enim dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient.

4. Vos autem fratres non estis in tenebris (*b*), ut vos dies illa tamquam fur comprehendat:

5. Omnes enim vos filii lucis estis, & filii diei: non sumus noctis, neque tenebrarum.

6. Igitur non dormiamus (*c*) sicut & ceteri, sed vigilemus, & sobrii simus.

7. Qui enim dormiunt, nocte (*d*) dormiunt: & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt.

*Isa. 59. 17. Eph. 6. 14. 17. 8. Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus, * induti loricam fidei (*e*) & charitatis, & galeam spem salutis:

9. Quoniam non posuit nos Deus in iram (*f*), sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum,

10. Qui mortuus est pro nobis: ut sive vigilemus, sive dormiamus (*g*), simul cum illo vivamus.

11. Propter quod consolamini invicem, & aedificate alterutrum, sicut & facitis:

12. Rogamus autem vos fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & praesunt vobis in Domino, & monent vos,

13. Ut habeatis (*h*) illos abundantius in charitate propter opus illorum: pacem habete cum eis.

14. Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.

15. * Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est sectamini in invicem, & in omnes. * Prov. 17. 13. & 20. 22. Rom. 12. 17. 1. Pet. 3. 9.

16. Semper gaudete.

17. * Sine intermissione orate (*i*). * Eccli. 18. 22. Luc. 18. 1. Col. 4. 2.

18. In omnibus gratias agite: haec est enim voluntas (*k*) Dei in Christo Jesu, in omnibus vobis.

19. Spiritum nolite extinguere (*l*).

20. Prophetias (*m*) nolite spernere.

21. Omnia autem probate (*n*): quod bonum est tenete.

22. Ab omni specie mala abstinete vos.

23. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: ut integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.

24. * Fidelis est, qui vocavit vos: qui etiam faciet. *1. Cor. 1. 9.

25. Fratres orate pro nobis.

26. Salutate fratres omnes in osculo sancto.

27. Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola haec omnibus sanctis fratribus.

28. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Amen.

CAP. V. 1. 2. & 3. (*a*) Cum generalis hujus revolutionis tempus Thessalonicenses ab Apostolo quaerere possent, id scitu minime esse necessarium docet, nec sciri posse. Fur, ita de improviso veniet; *Aut sicut dolor in utero habentis.*

4. & 5. (*b*) Seu in peccatis, nec estis filii tenebrarum, adeo ut dies extremi judicii vos ex improviso non deprehendat. Filii tenebrarum & noctis huic timori sunt obnoxii, non filii lucis, aut filii diei, quibus sol justitiae illuxit.

6 (*c*) Non segnes sitis, & vestrae salutis negligentes, sed vigilate.

7. (*d*) In eadem perstat metaphora eorum, qui noctis tempus quaerunt, ut vino & libidini indulgeant: sed qui in veritatis luce versantur, hi vigilant, & sobrii sunt, non solum a vino, sed & a pravis affectibus, qui rationem conturbant.

8 (*e*) Ephes. 6. 14. vocat *loricam justitiae*: nam vera justitia fide & charitate constat. Stare oportet in armis, & vigilandum adversus insidias inimici; per fidem mens in bona caelestia sit intenta, quae in hac saeculi caligine intueatur; spes sit inconcussa & humilis, quae illa expectet bona; & charitas bonis operibus faecunda eadem promereatur.

9. (*f*) Deus nos non creavit, neque ad fidem & religionem vocavit, ut nos aeterna morte damnaret: *Sed in acquisitionem salutis*; sed ut nos per charitatem sibi acquireret & salvaret.

10. (*g*) Sive vivimus, sive morimur, simul cum *illo vivamus*; in hac vita vivamus cum illo per gratiam, post mortem in gloria.

13 & 14. (*h*) Ut summopere eos diligatis. *Inquietos* Graeco *ataktous*, turbidos. Qui fracto sunt animo, aut demisso, erigendi, cum iis benigne agendum; qui ex infirmitate peccant, aut ex ignorantia, hos sublevare debemus.

17. (*i*) Qui voluntatem Dei, aut patiendo, aut agendo propter illum, exequitur; qui semper Deum amat & proximum; qui statis horis Deum invocat, & identidem occupationes suas interrumpit, ut Deum deprecetur, is sine intermissione orat.

18. (*k*) Ut Deum per Jesum Christum Mediatorem nostrum obsecremus, eique gratias agamus.

19. (*l*) Spiritus sancti dona & gratiam nolite extinguere prae inertia, aut abusu, ea dona vel in vobis, vel in aliis per invidiam ne comprimatis.

20 (*m*) Cum donum illud Scripturas interpretandi, vel futura praedicendi, aliis datum sit ad aedificationem Ecclesiae.

21. (*n*) Ad normam fidei cuncta sunt exigenda, & miracula, & revelationes.



EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES SECUNDA.

HANC secundam Epistolam non multo post priorem Corinthi scripsit Apostolus. Hæc scribendi fuit occasio, quod cum Paulus in superiori Epistola de futura resurrectione egisset, ut eos de morte parentum, vel amicorum solaretur, illi aut mente Apostoli non bene intellecta, aut a falsis doctoribus decepti, extremam instare judicium sibi persuaserant. Paulus vero ab eo errore illos deducit, & docet prius adfuturum Antichristum, cujus mores & exitium redarguit, omnes ad patientiam hortatur: neque illud abhorret a vero quamdam a falsis doctoribus suppositam fuisse illius Epistolam, in qua extremum judicium instare prædicebat. Apostolus, ne deinceps in errorem eo nomine inducerentur, hac utitur cautione: Salutatio, mea manu Pauli; quod est signum in omni Epistola: ita scribo.

CAPUT PRIMUM.

Gratias Deo agit ob fidem & mutuam Thessalonicensium charitatem, necnon ob patientiam in persecutionibus. Quod præmium bonos maneat, quæ supplicia malos.

1. PAULUS (*a*), & Silvanus, & Timotheus: Ecclesiæ Thessalonicensium, in Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.
2. Gratia vobis & pax a Deo
Patre nostro, & Domino Jesu Christo.
3. Gratias agere debemus semper Deo pro
vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem:
4. Ita ut & nos ipsi in vobis gloriemur in
Ecclesiis Dei, pro patientia vestra, & fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis
5. In exemplum (*b*) justi judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini.
6. Si tamen (*c*) justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant:
7. Et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione (*d*) Domini Jesu de cælo cum Angelis virtutis ejus,
8. In flamma (*e*) ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi.
9. Qui pœnas dabunt in interitu (*f*) æternas a facie Domini, & a gloria virtutis ejus:
10. Cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt: quia creditum (*g*) est testimonium nostrum super vos in die illo.

11. In

CAPUT I. 1. 2. & 3. (*a*) Consimile est superioris Epistolæ exordium, neque Apostoli titulo utitur, ob eamdem rationem: Gratias Deo agit, quod fides eorum & charitas tantum inter persecutiones incrementum ceperint.

5. (*b*) Gr. Ἔνδειγμα, indicium, aut documentum, quod scilicet Deus per tot persecutiones purgare eos velit, & regno suo dignos efficere.

6. (*c*) Particula, *si*, non est dubitantis, sed affirmantis, Gr. *siquidem*: quod si enim bonos sic castigat, quæ mala improbi expectare debent?

7. (*d*) In extremo judicio, ubi Christus se manifestabit ut Judicem omnium, Angelis suis comitatus.

8. (*e*) Gr. *In igne flammæ*: vox *dantis*; non refertur ad flammam, cum sit masculini generis, sed ad illud quod præcessit, *in revelatione Domini dantis vindictam*: Ps. 96. *Ignis ante ipsum præcedet & inflammabit in circuitu inimicos ejus.*

9. (*f*) Gr. in interitum æternum: *A facie Domini*, Chrys. a Domini præsentia, vel ab ira Domini; facies Hebræis quandoque iram & indignationem significat. Psalm 50. *Averte faciem tuam a peccatis meis*, indignationem: *A gloria virtutis*, a potentia majestatis ejus punientur: a Domino, qui gloria & fortitudine præcellens apparebit.

10. (*g*) Quia prædicationi nostræ credidistis: *In die illo*, quo præmia bonis, supplicia improbis reddentur: quandoquidem testimonium, quod verbo ejus reddidimus, a vobis exceptum est cum expectatione diei illius, in quo Christi corpus mysticum ex fidei semine formatum, perfectum & integrum ex membrorum omnium cum suo capite societate apparebit.

11. In quo (*h*) etiam oramus semper pro vobis : ut dignetur vos vocatione sua Deus noster, & impleat omnem voluntatem bonitatis *, & opus fidei in virtute, * Sup.

12. Ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, & vos in illo (*i*), secundum gratiam Dei nostri, & Domini Jesu Christi.

C A P U T II.

De secundo Christi adventu agit, quem brevi futurum nonnulli falso prædicabant ; prius hominem peccati manifestatum iri docet. Traditiones cum scriptas, tum etiam non scriptas recipi oportet.

1. ROgamus autem vos fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, & nostræ congregationis (*a*) in ipsum:

2. Ut non cito moveamini (*b*) a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini.

* Eph. 5.6. 3. * Ne quis vos seducat ullo modo : quoniam nisi venerit discessio (*c*) primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis,

4. Qui adversatur (*d*), & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus.

5. Non retinetis (*e*) quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis?

6. Et nunc quid detineat (*f*) scitis, ut reveletur in suo tempore.

7. Nam mysterium jam operatur iniquitatis: tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.

8. Et tunc revelabitur ille iniquus, * quem Dominus Jesus interficiet spiritu (*g*) oris sui, & destruet illustratione adventus sui eum: * If. 11. 4.

9. Cujus est adventus secundum operationem satanæ (*h*), in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus,

10. Et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt : eo quod charitatem (*i*) veritatis non receperunt ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio,

11. Ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

12. Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit vos Deus primitias (*k*) in salutem, in sanctificatione spiritus, & in fide veritatis:

13. In qua & vocavit vos per Evangelium nostrum, in acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi (*l*).

14. Itaque fratres state : & tenete traditiones (*m*), quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.

15. Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, & Deus & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia,

16. Exhortetur (*n*) corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.

C A-

11. (*h*) Gr. *ad quod* ; ut Christus in vobis glorificetur, ut fidem vestram conservet ; *Bonitatis*, voluntatem bonam ; *Opus fidei in virtute* ; confessionem fidei perficiat in vobis cum animi constantia, & patientia in adversis. vel opus fidei, est salus æterna, quam Potenti gratia Dei consequemur. Oramus ut vos dignos efficiat vocatione sua, & perficiat in vobis consilium bonitatis suæ, & salutis æternæ.

12. (*i*) Ejus gloriæ sitis participes, quod fit per gratiam Christi.

CAP. II. 1. (*a*) Per aggregationem ad ipsum, ex Græco textu, seu per salutem vestram, ex Zachar. 14. *Ecce veniet Dominus meus, omnes Sancti ejus cum ipso*: Nam in adventu Domini omnes electi congregabuntur ad caput suum.

2. (*b*) Non deerant qui eos terrerent, quasi instaret extremum Dei judicium. Quin etiam ex verbis Apostoli, cap. 5. superioris Epistolæ, conturbati videntur, ne forte eos imparatos dies ille inveniret. Hos itaque rogat Apostolus, ne a priori sententia discedant. *Spiritum* ; per fictas revelationes, aut prophetias : *Neque per sermonem* ; quem falsi doctores Paulo affingebant ; neque per Epistolam itidem confictam. Ecclesiæ porro munus est suppositilias Epistolas & Scripturas a genuinis secernere per Dei Spiritum : non est privati cujusque id tentare per proprium spiritum

3. (*c*) Gr. *Apostasia*, defectio ab universali Ecclesia, & fide Catholica: *Et revelatus fuerit homo peccati*, nisi Antichristus manifestatus fuerit, homo quasi ex peccato concretus: Quæ duo erunt mox venturi judicii signa; *Filius perditionis*, tot malorum caussa. Nisi ergo venerit discessio, &c. Non veniet Dominus ad judicium, ubi est ellipsis. Itaque Antichristus homo quidam est, non series hominum, qualem fingunt Novatores quidam, omni pudore detracto: illius exitum indicat & finem, cum vocat filium perditionis, æternis pœnis destinatum.

4. (*d*) Gr. *Adversarius*, scilicet Dei : *Deus*, super omnem cultum aut verum, aut falsum : id enim vox Græca, σέβασμα, significat : *Sedeat*, In Ecclesia, in omnibus Dei templis. Recte id annotat vir doctissimus, Novatores qui temere jactant Antichristum esse summum Pontificem, vel ex hoc ipso fateri se esse extra Ecclesiam. An sancti Pontifices Leo Magnus, Simplicius, &c se extulerunt *supra omne quod dicitur Deus* ; aut quidquam egerunt eorum, quæ Apostolus Antichristo, ut uni homini, & singulari tribuit, non continuatæ per tot consequentes ætates Pontificum successioni ? Nam homo ille peccati juxta Apostolum venturus est paulo ante secundum Christi adventum.

5. (*e*) Gr. *An non meministis*, quod vobis dicebam ; non venturum Christum, nisi prius venerit Antichristus, seu homo peccati ? Chrys. tractans hæc verba, *Et nunc quid detineat scitis* : Quoniam, inquit, hæc dicit de Romano Imperio, merito etiam ænigmatice & obscuritate est locutus. Quod autem ait Apostol. *Tantum ut qui tenet*, &c. Hoc est, inquit Chrysostomus, quando Romanum Imperium de medio fuerit sublatum, tunc ille veniet. Sic Hieron. in cap. 25. Jeremiæ in eadem videtur esse sententia.

6. & 7. (*f*) Quid obstet, quominus veniat? An forte quod Evangelium nondum toto orbe sit prædicatum ? *Reveletur*, qui tamen in suo tempore aderit. An potius illud ipsum, quod Apostolus de caussis hujus moræ tradidit Thessalonicensibus, nos latet, & conjecturis tantummodo id assequimur ? nisi forsan obex ille est fides orthodoxa, & publica ejus professio nondum ubique propagata ? Multa tradiderunt viva voce Apostoli, quorum pars tantummodo ad nos pervenit per traditionem ; pars occultata est, ut caussa hujus moræ. *Iniquitatis* ; suos enim habet præcursores Antichristus.

8. (*g*) Nutu, aut jussu suo; sententia sua condemnabit. *Illustratione*, Gr. *apparitione præsentiæ suæ*, fulgore suo; cum, vox illa videtur redundare. Hæc sane, uti & superiora in unum hominem cadunt.

9. (*h*) In Adventu Antichristi Satanas vim omnem suam exeret per falsa prodigia ; cujus generis fuerunt magorum Ægypti prodigia.

10 & 11 (*i*) *Amorem veritatis*, Evangelii veritatem. *Mittet*, Sinet eos decipi : & inducentur in errorem Deo deserente.

12. (*k*) Deus vos ab initio elegit, Gr. ἀπ' ἀρχῆς, velut primos Ecclesiæ fructus, qui Deo offerri solebant. *In sanctificatione Spiritus*, per sanctificationem Spiritus in Baptismo. *Et in fide veritatis*, in cognitione Evangelii.

13. (*l*) Ad quam fidem, vel sanctificationem. *Vocavit quæ in acquisitionem gloriæ*, ut vos fiat in gloriam Domini nostri Jesu Christi acquireret ; vel ut vos ipsi hanc gloriam adipiscamini.

14. (*m*) Ergo Apostoli tradiderunt præcepta & scripta & non scripta, & utraque sunt æque observanda. Quod si Thessalonicenses, quæ de extremo judicio Paulus iis tradiderat, memoria tenuissent, Apostolus hæc ipsis Epistola non scripsisset, adeo ut ex occasione tantum scripsisse videatur quæ viva voce tradiderat.

15. (*n*) Gr. Παρακαλέσαι, *consoletur*. Christus ergo, qui una cum Patre operatur in cordibus nostris, verus est Deus.

C A P U T III.

Qui præ otio & nimia curiositate publicum turbant orbem, vitandi; prospera omnia iis apprecatur.

Eph. 6. 19. Coloss. 4. 3. 1. DE cetero fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat (*a*), & clarificetur, sicut & apud vos:

2. Et ut liberemur ab importunis & malis hominibus: non enim omnium est fides (*b*).

3. Fidelis (*c*) autem Deus est, qui confirmabit vos, & custodiet a malo.

4. Confidimus autem de vobis, in Domino, quoniam quæ præcipimus, & facitis, & facietis.

5. Dominus autem dirigat corda vestra in charitate (*d*) Dei, & patientia Christi.

6. Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate ( ), & non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis.

7. Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos:

* Act. 20. 34. 2 Cor. 4. 12. 1. Thess. 2. 9. 8. Neque gratis (*f*) panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus.

9. Non quasi non habuerimus potestatem (*g*), sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.

10. Nam & cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet.

11. Audivimus (*h*) enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes.

12. Iis autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio (*i*) operantes, suum panem manducent.

13. * Vos autem fratres nolite deficere (*k*) benefacientes. * Gal. 6. 9.

14. Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur:

15. Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.

16. Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis.

17. Salutatio, mea manu (*l*) Pauli: quod est signum in omni epistola: ita scribo.

18. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

CAP. III. 1. (*a*) Ut cum fructu ac feliciter propagetur, & illustretur, quemadmodum apud vos factum est.

2. (*b*) Cum ea sit donum Dei, non omnibus datum, aut forte sunt multi falsi fratres, neque omnes sunt ejusmodi, ut nos iis credere debeamus.

3. (*c*) Ne forte Thessalonicenses, qui adhuc infirmi erant, hæc postrema verba conturbarent, quasi ad eos spectarent, mox subjicit. Deum constantem esse in suis promissis, ac futurum ut eos in fide confirmet, & a maligno, seu a dæmone tueatur, qui eorum fidei struebat insidias.

5. (*d*) Per charitatem Dei, Gr. *ad charitatem Dei*, & patientem ejus expectationem.

6. (*e*) Ab omni fratre turbido & inquieto. In superioris Epistolæ cap. 5. v. 14. interpres inquietos vertit: & v. proximo: Non inquieti *fuimus*, non turbidi, & insolentes.

8. (*f*) Ut vobis essemus exemplo: non otiosam & mollem apud vos vitam egimus, sed laboriosam.

9. (*g*) Sumendi a vobis quæ ad vitam sunt necessaria, ex jure ipso naturæ, & ex Christi mandato.

11. (*h*) Gr. audimus: *Inquiete*, Gr. inordinate, uti solent otiosi homines, qui aliena curiose investigant, se suaque negligunt; aliisnegotia facessunt, cum ipsi in otio marcescant.

12. (*i*) Placide & quiete; ut Deo & æternitati laborent, non in superbia, & ostentatione.

13. (*k*) Perseverate in bono, nec vos prava exempla transversos agant: nec tamen a misericordiæ & charitatis operibus cessetis.

17. (*l*) Propria manu subscribit Epistolis: *Gratia Domini Jesu*; quibus verbis propria manu scriptis Epistolas claudebat: nomen ejus initio Epistolæ more tum temporis usurpato præfixum est.



EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM PRIMA.

QUO loco, quove tempore, hæc scripta fuerit Epistola, non consentiunt Interpretes. Quidam Laodiceæ scriptam esse volunt, Græca subscriptione persuasi: cum tamen Paulus in Epistola ad Colossenses nondum eo se contulisse testetur. Alii in Macedonia exaratam censent, post priora Pauli vincula, quibus solutus, una cum Timotheo in Judæam profectus est, & ambo regiones, quibus Evangelium prædicaverant, obierunt, ita ut Timotheo Ephesi relicto Paulus Græciæ Provincias lustraverit, a Macedonia incipiens, unde hanc priorem ad Timotheum misit Epistolam. Verum ea de re in argumento posterioris epistolæ redibit sermo. In persona Timothei pastores omnes sic instruit, ut quæ sint eorum officia, cum privata, tum publica, quæ docendi, quæ vivendi ratio erga Clerum, domesticos, exteros, singillatim exponat, eosque magis ut doctores, quam ut discipulos instituat.

CAPUT PRIMUM.

Quæ sint muneris Episcopalis; ut quæstiones inutiles, & genealogias infinitas, quibus Judæi indulgent, vitet omnino. Finis legis est charitas.

1. PAULUS Apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, & Christi Jesu spei (a) nostræ:

* Act. 16. 1. 2. * Timotheo dilecto filio in fide. Gratia, misericordia, & pax a Deo Patre, & Christo Jesu Domino nostro.

3. Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi (b) cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam ne aliter docerent,

* Inf. 4. 7. 2 Tim. 2. 23. Tit. 3. 9. 4. Neque * intenderent fabulis, & genealogiis (c) interminatis: quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide.

5. Finis (d) autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

6. A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium.

7. Volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

8. * Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur (e): * Rom. 7. 12.

9. Sciens hoc quia lex justo (f) non est posita, sed injustis, & non subditis, impiis, & peccatoribus, sceleratis, & contaminatis, patricidis, & matricidis, homicidis,

10. Fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur,

11. Quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.

12. Gra-

CAPUT I. 1. & 2. (a) Chrysost. Patimur multa, sed magna nitimur spe: Dilecto, Gr. γνησίῳ, Germano filio, per fidem genito.

3. (b) *Cum irem in Macedoniam*. supplendum videtur, *sicut rogavi te*, & nunc rogo: ellipsis frequens in Epistolis Pauli: *Cum irem in Macedoniam*, (unde scriptam esse hanc Epistolam post priora Romæ vincula admodum est probabile) *Ut denuntiares quibusdam*, e Judæis male conversis; *ne aliter docerent*, diversam ab ea quam prædicaveram, doctrinam. Sic prima periodo nondum ad finem perducta, divino afflatus Spiritu usque ad v. 18. eos refellit falsos doctores.

4. (c) Ut probarent se genus ab Abrahamo ducere, cujus posteris vera justitia promissa ab æterno fœdere. Ab Ecclesia procul amandari debet omnis incerta, & fabulis conspersa doctrina, quidquid est inutile, & pacem turbare magis potest, quam ædificium Dei fidei superstruere, cujusmodi sunt quæstiones quædam, quæ contentiones alunt, non pietatem. *Quam ædificationem*, Chrysostomus legit œconomiam, seu dispensationem.

5. (d) Finis legis est charitas, eo tota refertur; neque istæ genealogiæ & fabulæ charitatem alunt, aut ædificationem in fide promovent sed altercationes & lites. Augustin. serm. 39. de Temp. *Tene charitatem, & in ea invenies omnem scientiam.*

8. (e) Tamquam pædagogo quæ ad Christum ducit, dum quisque propriæ infirmitatis conscius ad Christum tamquam ad medicum se recipit, atque in eo spem omnem ponit.

9. & 10. (f) Neque adeo sanctificato: per Christum lex adstringit: vel terrore legis jam non opus est homini justificato, qui sponte sua, & ob Dei amorem ea facit, quæ lex jubet: *Contaminatis*, Gr. profanis. *Plagiariis*, qui aliena mancipia furto subducunt. *Mendacibus*, perniciose.

12. Gratias ago ei, qui me confortavit (*g*), Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio.

13. Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans (*h*) feci in incredulitate.

14. Superabundavit autem gratia Domini nostri, cum fide, & dilectione, quæ est in Christo Jesu.

15. Fidelis (*i*) sermo, & omni acceptione
* Matth.9.13. Marc.2.17. dignus: * quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere: quorum primus ego sum.

16. Sed ideo misericordiam consecutus sum: ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam.

17. Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

18. Hoc præceptum (*k*) commendo tibi fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam,

19. Habens fidem (*l*), & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt:

20. Ex quibus est Hymenæus, & Alexander: quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.

CAPUT II.

Præcipit Timotheo ut fiant obsecrationes pro Regibus & Magistratibus; immo ut orationes fundantur pro omnibus hominibus: vult enim Deus omnes homines salvos fieri.

1. Obsecro igitur primum (*a*) omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus:

2. Pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate (*b*).

3. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo,

4. Qui omnes homines vult (*c*) salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

5. Unus (*d*) enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus:

6. Qui dedit redemptionem (*e*) semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis:

7. In quo positus (*f*) sum ego prædicator, & Apostolus (veritatem dico, non mentior,) doctor Gentium in fide & veritate.

8. Volo ergo viros orare in omni (*g*) loco, levantes puras manus sine ira & disceptatione.

9. * Similiter & mulieres in habitu ornato * 1.Pet.3.3.
(*h*), cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa:

10. Sed quod decet mulieres, promittentes (*i*) pietatem per opera bona.

11. Mulier in silentio discat cum omni subjectione.

12. * Docere (*k*) autem mulieri non permitto, neque dominari in virum: sed esse in silentio. * 1.Cor.14.34.

13. * Adam (*l*) enim primus formatus est, * Gen.1.27.
deinde Eva:

14. * Et

12. (*g*) Fortem reddidit. *Et fidelem*. Dum misericordia operante divina fidelis factus sum, & intimo vires suppeditavit.

13. (*h*) Ignorantia tamen culpabili, sed bona fide errabat, & misericordiam est consecutus. Qui veritatem sibi notam oppugnat, vix convertitur.

15. & 16. (*i*) Certus & indubitatus, omni approbatione dignus. *Primus ego sum*: Qui vere humilis est, ad proprios tantum defectus attendit animum.

18. (*k*) Illud de quo v. 3. ut Episcopatum Ephesinum susciperet, falsis doctoribus resisteret. *Præcedentes*, Quibus revelatum fuerat eum electum a Deo esse verbi divini ministrum. *Milites*, Sic te geras in hoc ministerio, ut reipsa comprobes vera extitisse quæ de te fuerunt prædicta. Alii *Prophetiæ* nomine divinarum Scripturarum cognitionem intelligunt: sensus erit, hoc præceptum tibi commendo, ut quemadmodum a puero sacras Litteras didicisti, ita in illis te exerceas, prædicandi munere rite defungaris.

19. & 20. (*l*) Quæ duo juncta esse oportet ad boni & strenui militis Christi munus obeundum: *Quam*, bonam conscientiam ab omni crimine alienam, *quidam repellentes*, ut Alexander & Hymenæus: *Circa fidem naufragaverunt*, fidem amisere. Alexander ille est, cujus mentionem facit in posteriori Epist. cap. 4. *Tradidi*; Excommunicati, & ab Ecclesia ejecti, Satanæ traditi sunt. *Ut discant non blasphemare*: Ut resipiscant. Quicumque fidem evertunt, illa excommunicatione plectuntur; quisquis est extra Ecclesiam, ei potestati Satanæ subjicitur.

CAP. II. 1. (*a*) Ante omnia te hortor, *fieri obsecrationes*, &c. Gr. δεήσεις, supplicationes ad removenda mala, deprecationes quidam interpretantur: *Orationes*, προσευχὰς, bonorum petitionem, *postulationes*, ἐντεύξεις, cum interpellamus Deum pro aliorum salute. Sic voces Græcas exponunt.

2. (*b*) Gravitatem morum & honestatem vox Græca significat. Bene pacem optat Ecclesiæ, quæ fit cum honestate & pietate conjuncta, non otiosam & mollem.

4. (*c*) Ex parte sua, si homines velint præstare quæ ab iis requiruntur. August. Lib. de Spir. & Litt. cap. 33. *Misericordiæ divinæ nulli sunt fines præscribendi*.

5. (*d*) Sicut est unus Deus, ita & unus mediator, non intercessionis modo, sed & redemptionis: de hac quippe nunc agitur, ut ex proxime sequenti versu colligitur. Non ait, & unus mediator, *sed unus & mediator*: utrumque ad Christum Jesum referens: adeo ut verba ita sint disponenda: unus enim Deus, unus Christus Jesus homo, isque mediator Dei & hominum. Ex quo illud probat, quod ante præmisit, Deum velle omnes homines salvos fieri, voluntate quidem antecedenti, sed seria & vera; unus creator, unus redemptor; pro omnibus incarnatus, ut esset pro omnibus mediator, solus & omnibus necessarius, qui nullo eget alio mediatore.

6. (*e*) Gr. pretium redemptionis; *Semetipsum pro omnibus*; nam pro omnibus satisfecit. *Testimonium temporibus suis*; cujus testimonium temporibus suis confirmatum est; se pretium dedit pro omnibus; quæque dixit, cuncta evenerunt; atque hæc redemptio est testimonium divinæ charitatis, & Evangelicæ veritatis, idque tempore a Deo constituto, & a Prophetis prædicto.

7. (*f*) Gr. ad quod testimonium gentibus publicandum positus sum, & missus doctor gentium fidelis & verax.

8. (*g*) Publice destinato: non solum Jerosolymæ, sed ubique. *Sine ira*, & disceptatione, ut animus omnis odii & contentionis sit expers. Itaque manus sint puræ ab omni scelere, cor omni odio vacet: quæ effectum orationis inhibent.

9. (*h*) Decenti & modesto, non neglecto; pudore, modestia & castitate ornentur. Luxus, & insani temporis sæcularis fastus in mulieribus spiritum humilitatis, & compunctionis, quo ut fundamento preces nituntur, penitus extinguunt: sed habenda tamen est ratio status & conditionis, quæ ne in certis occasionibus exigit prudentia, præcepto Apostoli non advertantur.

10. (*i*) Sic videtur oratio construenda: sed per opera bona, ut decet promittentes, seu profitentes pietatem, ita se ornent. Alii hæc verba, *Per opera bona*, jungunt cum his verbis, *Ornantes se non in tortis crinibus*, &c. sed per bona opera: quæ verba legunt per parenthesim.

12. (*k*) Mox rationem subjicit cur mulieres docere non debeant.

13. (*l*) Et mulier post virum, eaque viri caussa formata, post peccatum viro subjecta: neque id æquum esset, ut mulier posteriori loco creata virum sibi subjiceret.

*Gen. 3. 6. 14. * Et Adam non est seductus (*m*): mulier autem seducta in prævaricatione fuit.

15. Salvabitur autem per filiorum generationem (*n*), si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.

CAPUT III.

Quæ sint Episcopi, & Diaconi dotes, quæ conditiones: Ecclesia est columna & firmamentum veritatis.

1. FIdelis (*a*) sermo: si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.

*Tit. 1. 7. 2. * Oportet ergo episcopum irreprehensibilem (*b*) esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem,

3. Non vinolentum (*c*), non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, sed

4. Suæ domui (*d*) bene præpositum, filios habentes subditos cum omni castitate.

5. Si quis autem domui suæ præesse (*e*) nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?

6. Non neophytum (*f*): ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.

7. Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium (*g*) incidat, & in laqueum diaboli.

8. Diaconos (*h*) similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes:

9. Habentes mysterium fidei in conscientia (*i*) pura.

10. Et hi autem probentur primum: & sic ministrent, nullum crimen (*k*) habentes.

11. Mulieres similiter pudicas (*l*), non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.

12. Diaconi sint unius uxoris (*m*) viri: qui filiis suis bene præsint, & suis domibus.

13. Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent (*n*), & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu.

14. Hæc tibi scribo, sperans (*o*) me ad te venire cito.

15. Si autem tardavero, ut scias quomodo oportet te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.

16. Et manifeste (*p*) magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

C A-

14. (*m*) Non credidit verbis serpentis, sed ne uxorem contristaret, fructum vetitum comedit. *Prævaricatione*, prævaricata est, & seductam se fuisse confessa est. Adam sciens & volens, amore in uxorem victus, cum illa perire voluit. Itaque doctrina huic sexui, qui præceptum Dei tam male est interpretatus, committi non debet. Semel mulier docuit virum, quod fructus esset pulcher visu, & gustu suavis, atque omnia pervertit.

15. (*n*) Educationem & institutionem: *Si permanserit*, Gr. *Si permanserint in fide*, filii nim rum, aut etiam mulieres: si fidem sibi traditam conservent: *Cum sobrietate*; castitate, & temperantia ab illecebris, & omni libidine, quod vox Græca σωφροσύνης, significat.

CAP. III. 1. (*a*) Res est sine dubio. *Episcopatum*, præclarum opus & periculis plenum desiderat. Quibus virtutibus ornatus esse debeat Episcopus ante electionem, primum exponit, tum ad illius functiones descendit.

2. (*b*) Ab omni criminis suspicione alienum. Hoc unico verbo omne virtutum genus expressit: Chrysost. ante omnia procul sit ab incontinentiæ vitio, cujus indicium quoddam est secundas inire nuptias. Unde si aliquem e sæcularibus eligere necesse sit, monogamus assumatur, non is qui uxori mortuæ alteram superinduxerit. Itaque Episcopus is se debet, qui gregi suo invigilet & prospiciat. *Prudentem*, Gr. σώφρονα, quæ vox prudentem & pudicum significat; *Ornatum* Gr. compositum, moderatum, atque hæ dotes sint homines in se ipso spectati: sed aliorum habita ratione, exteros hospitio excipiat, *hospitalem*; omnino aliis instruendis sit idoneus, *doctorem*. Quomodo reget sine prudentia, aut ædificabit alios sine modestia, aut quomodo docebit indoctus?

3. (*c*) Eædem virtutes præscribuntur, cum vitia opposita prohibentur; Non vino deditum; Non *cupidum*, aut ad rem plus satis attentum; non pecuniæ amantem. Gr. αἰσχροκερδῆ, non *turpis lucri cupidum*.

4. (*d*) Domum suam bene regentem: *Filios habentem subditos*, si quos ante Episcopatum genuerit, *cum omni castitate*: vox Græca castitatem, gravitatem, honestatem significat.

5. (*e*) Si paucos & suos non potest regere: quomodo tam multorum, & tam diversi status, sexus, conditionis, curam geret?

6. (*f*) Quasi nuper natum, aut recens insitum Christo per baptismum. Bernard serm. 18. in Cantica: Disce tu non nisi de pleno effundere, ne Deo largior esse velis. *Elatus*, quod jam magna dignitate auctus sit: *Diaboli*; perinde ut diabolus, qui præ superbia periit, condemnetur; vel ne in potestatem diaboli incurrat, aut hominum calumniis exponatur.

7. (*g*) Ne scandalo sit gentibus. Ad Diaconos deinde progreditur.

8. (*h*) Consimiles pene dotes in diaconis exigit, seu in seipsis, seu in familia sua spectentur: *Pudicos*, non *bilingues*, in sermone inconstantes, mendaces, aliud in ore, aliud in pectore habentes. De presbyteris tacet: nam quæ de Episcopis dixit, ea quoque Presbyteris congruunt. Chrysost. Virtutes exigit in Diaconis, quæ eorum officiis congruunt; Sacra Mysteria, & cura virginum impudico committi non debent: in Ecclesiæ negotia vinolento, aut patrimonium pauperum avaro.

9. (*i*) Cum fide mysteriorum firma puram conscientiam conjunctam habeant, & morum integritate palam faciant se puram habere fidem.

10. (*k*) Vox Græca criminationem significat, ita se gerant, ut data occasione, in jus non vocentur, nec quidquam illis objici possit.

11. (*l*) Quod si diaconi sint conjugio adstricti, horum uxores sint pudicæ; vel loquitur de Diaconissis Ecclesiæ ministerio addictis Non *detrahentes*: Gr. non *calumniatrices*. Tum enim Ecclesiam linguæ intemperie conturbabunt, aut si minus castæ fuerint, Ecclesiæ erunt dedecori, aut detrimento, si fideles non sint.

12. (*m*) Neque in Episcopis, neque in Diaconis quidquam tolerat Ecclesia quod sacri conjugii Christi cum Ecclesia obstet imagini.

13. (*n*) Vel apud Deum, vel in Ecclesia gradum sibi facient ad dignitatem majorem, ad Presbyterii, aut Episcopatus munus: *Fiduciam*, Gr. libertatem bene agendi, juxta fidei præscripta: quod munus intrepide & confidenter gerant.

14. & 15. (*o*) Spero me ad te venturum Ephesum. *Ut scias*, Hæc tibi scribo, ut si tardavero, *scias conversari*. in Ecclesia quæ est domus Dei vivi. In ea sola est unitatis Cathedra adversus idololatriam, veritatis doctrina adversus hæreses, & vita charitatis. Idololatria unitatem, hæresis veritatem, schisma charitatem evertit. *Columna & firmamentum veritatis*: quæ veritatem tuetur; quid a Deo sit revelatum, & quo sensu, exponit. Quicumque huic columnæ firmiter non adhæsebit, erroris vento abripietur.

16. (*p*) Gr. haud dubie: Magnum est Incarnationis mysterium: *Manifestatum*; Græce relativum, quod, deest; sed loco ejus est, *Deus*, nempe, Christus Deus, qui est magnum illud pietatis & religionis Sacramentum. *Qui manifestatus est in carne*; qui per carnis assumptionem hominibus innotuit. *In Spiritu*, per Spiritum sanctum, & plenitudinem gratiæ sanctificatus: vel qui justus apparuit, & declaratus est per Spiritum sanctum. Vox illa. *justificatus*; apud LXX. Interdum id ipsum significat quod *declaratus*, aut confirmatus, virtutem scilicet Spiritus sancti, qui in discipulos effusus est. *Apparuit Angelis*, Græc. *visus est*, ab Angelis in præsepio; Deus homo quem antea non viderant. *Assumptus in gloria*, in die Ascensionis. Mysterium illud amoris totum Christum complectitur, caput & membra: mysterium pietatis & veritatis, quo religio omnis continetur; ab æterno absconditum in decretis divinis, & in figuris Veteris Testamenti occultatum, id manifestatum fuit hominibus, cum Verbum caro factum est.

CAPUT IV.

Futuras prædicit hæreses circa conjugium, & ciborum delectum; corporali exercitationi pietatis exercitationem anteponit; ac demum monet Episcopum ut aliis sit exemplo, ut gratiam suæ ordinationis non negligat.

1.Tim.3. 2. 2. Pet. 3. 3. Jud. 18.

1. SPiritus autem manifeste dicit (a), quia * in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.

2. In hypocrisi loquentium (b) mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam,

3. Prohibentium nubere (c), abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem.

4. Quia omnis creatura Dei bona (d) est, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur:

5. Sanctificatur (e) enim per verbum Dei, & orationem.

6. Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, enutritus (f) verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam assecutus es.

* Sup. 1. 4. 2. Tim. 2. 23. Tit. 3. 9.

7. * Ineptas (g) autem, & aniles fabulas devita: exerce autem teipsum ad pietatem.

8. Nam corporalis exercitatio (h), ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.

9. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus.

10. In hoc enim laboramus (i), & maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.

11. Præcipe (k) hæc, & doce.

12. Nemo adolescentiam (l) tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.

13. Dum venio, attende lectioni (m), exhortationi, & doctrinæ.

14. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.

15. Hæc meditare, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus.

16. Attende (n) tibi, & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.

CAPUT V.

Quomodo Episcopus se gerere debeat erga seniores, juvenes, viduas, virgines; peccantes increpet; non facile manus imponat.

1. SEniorem ne increpaveris, sed obsecra (a), ut patrem: juvenes, ut fratres.

2. Anus, ut matres, juvenculas, ut sorores, in omni castitate (b):

3. Viduas honora, quæ vere viduæ sunt.

4. Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet (c): discat primum domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo.

5. Quæ autem vere vidua (d) est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die.

6. Nam quæ in deliciis est, vivens mortua (e) est.

7. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint.

8. Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.

9. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum (f), quæ fuerit unius viri uxor,

10. In operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.

11. Ado-

CAP. IV. 1. (a) Per revelationem nobis, aut Prophetis factam; Novissimis, Gr. *In posterioribus temporibus*, *discedent*; in Timothei persona Episcopos admonet; ut ab hæreticis qui erant futuri sibi caveant, iisque sanam opponant doctrinam.

2. (b) Loquentes, vitæ sanctitatem simulantes: *Cauteriatam*; habentes inustam velut cauterio & igne concupiscentiæ conscientiam, vitiorum quasi stigmate adustam & notatam, ut servi diabolo addicti.

3. (c) In hanc censum postea venerunt Marcionitæ, *Encratitæ*, Manichæi, qui legitimum matrimonium & carnium usum sine discrimine prohibebant. *Abstinere*, præcipientes abstinentiam a cibis; adeo ut sit ellipsis quædam, ac supplendum sit verbum, præcipientes: *Creavit*; atque utut cibi ex accidente, & abusu infidelium vitiarentur; fidelibus tamen, qui iis utuntur, ut par est, quique ob accepta a Deo beneficia gratias agant, minime obsunt. Abstinere ab eis ciborum, vel ex superstitione quadam instar Ethnicorum, vel ex ritu Judaico, aut ex heretica pertinacia, nefas est: sed abstinere vel ex obedientia, vel ex pœnitentiæ, aut subigendæ carnis studio, virtutis est, & pietatis officium.

4. (d) Ex natura sua. Quidquid ad Deum, ut ad principium suum, aut finem referri potest, bonum est.

5. (e) Purgatur per orationem quæ adhibetur a fidelibus, & per fidem in corde credentium vigentem, qua bene utimur donis Creatoris.

6. (f) Innutritus, & sana doctrina imbutus; *Assecutus*, in qua es exercitatus a pueritia.

7. (g) Gr. *profanas*. *Et aniles fabulas devita*. Gr. *rejice*, quæque ab hæreticis jactabantur, potissimum a Simonianis, & Gnosticis.

8. (h) Quod nonnulli ad jejunia perperam referunt, cum jejunium sit spiritualis exercitatio. Vox Græca palæstricas exercitationes designat, quæ ad corporis tantummodo valetudinem, aut robur prosunt. Exercitationis corporalis nomine Apostolus intelligit id omne, quod ad corpus tantum spectat, non ad animum. *Pietas ad omnia utilis est*. Nam rebus omnibus bene utimur; & remuneratur etiam in hac vita, saltem per ejus augmentum, & dona spiritualia.

10. (i) Ob hanc caussam, seu ob vitam æternam, tot mala perferimus, tam magnos labores toleramus.

11. (k) De quibus dixi; cum auctoritate præcipue, cum charitate doce.

12. (l) Gr. *Juventutem contemnat*: sic te gere exemplo & verbo, in sermone gravi, ut in vivendi ratione: *Nemo te contemnat*; Vitæ sanctitas ætatis defectum supplet.

13. & 14. (m) Scripturæ sacræ. *Gratiam*, Gr. *donum*, Episcopalis muneris: *Presbyterii*: cum a multis Episcopis juxta Spiritus sancti revelationem ordinatus fuisti; vel in cœtu eorum qui præsunt Ecclesiæ.

16. (n) Vitæ tuæ rationi, & aliorum instructioni, ut bene vivas, & alios recte instituas. *Insta in illis*; tibi & aliis consulendo in his persevera.

CAP. V. 1. (a) Vox Græca etiam significat *hortare*. Quædam ætatis habenda est reverentia. Chrys. *Grave quidam molestum est arguis; oportet molestiam rei, mansuetudinis temperamento lenire*.

2. (b) Pure & circumspecte cum iis agendum: castitas sit in corde, in oculis, in auribus, in sermone, in gestu; habenda est ratio loci & temporis.

4. (c) Vox Græca hæc duo significat, *discant*, & *doceant*: utrique sua ratio constat. Discant filii matres viduas alere, ne gravetur Ecclesia; vel doceant viduæ familias suas pie & religiose vivere, ac mutuam parentibus vicem reddere, idque potissimum cum iis sunt filii, qui parentes alere possint, aut juvare. Parentes a liberis fructum bonæ institutionis, ut vicissim liberi pietatis suæ erga parentes fructus percipiant.

5. (d) Omni præsidio destituta: quales erant plurimæ e Judaismo; aut Paganismo ad fidem Christi conversæ.

6. & 8. (e) Quoad vitam æternam, aut coram Deo, *Fidem negavit*, factis, *Et est infideli deterior*, qui natura quodam impulsu suorum curam gerit.

9. & 10. (f) Eligatur ut sit Diaconissa. *Subsecuta*, Si in omne opus bonum intenta fuerit.

11. Adolescentiores autem viduas devita. Cum enim luxuriatæ (*g*) fuerint in Christo, nubere volunt:

12. Habentes damnationem (*h*), quia primam fidem irritam fecerunt.

13. Simul autem & otiosæ discunt circuire domos: non solum otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet.

14. Volo ergo juniores nubere (*i*), filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.

15. Jam enim quædam conversæ sunt retro satanam (*k*).

16. Si quis fidelis habet viduas (*l*), subministret illis, & non gravetur Ecclesia: ut iis quæ vere viduæ sunt, sufficiat.

17. Qui bene præsunt presbyteri, duplici (*m*) honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina.

18. Dicit enim Scriptura: * Non alligabis os bovi trituranti. Et: * Dignus est operarius mercede sua.

* *Deut.* 25. 4. 1 *Cor.* 9. 9. * *Matth.* 10. 10. *Luc.* 10. 7.

19. Adversus presbyterum (*n*) accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.

20. Peccantes coram omnibus argue: ut & ceteri timorem habeant.

21. Testor coram Deo & Christo Jesu, & electis Angelis, ut hæc custodias sine præjudicio (*o*), nihil faciens in alteram partem declinando.

22. Manus cito nemini imposueris (*p*), neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi.

23. Noli adhuc (*q*) aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.

24. Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium: quosdam autem & subsequuntur.

25. Similiter & facta bona (*r*) manifesta sunt: & quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

CAPUT VI.

Quæ servorum in dominos constare debeant officia: novorum dogmatum auctores; verborum pugnæ; quæstus magnus est pietas cum sufficientia; radix omnium malorum cupiditas; divites ne sperent in incerto divitiarum.

1. QUicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur (*a*).

2. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt: sed magis serviant, quia fideles sunt & dilecti, qui beneficii participes sunt. Hæc doce, & exhortare.

3. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ:

4. Superbus est, nihil sciens, sed languens (*b*) circa quæstiones, & pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ,

5. Conflictationes hominum mente corruptorum (*c*), & qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.

6. Est autem quæstus (*d*) magnus, pietas cum sufficientia.

7. * Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus. * *Job* 1. 21. *Eccli.* 5. 14.

8. * Habentes (*e*) autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. * *Prov.* 17. 26.

9. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.

10. Radix enim omnium malorum est cupiditas (*f*): quam quidam appetentes erraverunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis.

11. Tu autem o homo Dei hæc fuge: sectare (*g*) vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.

12. Certa

11. (*g*) Cum adversus fidem Christo datam lascivierint, aut fornicatæ fuerint: *Devita*, in numerum aliarum ab Ecclesia admitti non debent ob scandali periculum, postquam oneri fuerunt Ecclesiæ, & ejus expensis educatæ, volunt nubere.

12. & 13. (*h*) Quod votum continentiæ fregerint. *Otiosæ*, vitam agunt otiosam & inutilem, curiosam plane.

14. (*i*) Malim juniores viduas nubere, quam votum violando peccare, & aliis esse offendiculo: non legem præscribit, sed remedium proponit, ac minus bonum, sed necessarium, majori bono anteponendum.

15. (*k*) Jam præ incontinentia viam salutis deseruerunt, ut Satanæ adhæreant per apostasiam, aut nubentes post votum emissum.

16. (*l*) Sibi propinquitate conjunctas: *Ut iis quæ vere viduæ sunt, sufficiat*; quæ omni subsidio sunt destitutæ.

17. (*m*) Abundantiori præmio; apud Hebræos honorare non tam est revereri, quam præbere necessaria: hinc etiam apud Latinos munus honorarium dicitur.

19. & 20. (*n*) Ne Presbyteri pateant calumniis in dedecus Ecclesiæ. Presbyter dicitur non ætate, sed gradu. *Argue*. Aut publice peccantes, aut judicio convictos.

21. (*o*) Sine personarum acceptione, vel citra anticipationem animi sententiam feras, ut Syrus vertit. Locus alteri dandus est objecta diluendi; non occupato animo, aut cum præcipitatione judicandum.

22. (*p*) Per ordinationem. *Communicaveris*, Si indignos ordinaveris. *Castum*, justum, purum ab omni culpa, aut propria, aut aliena; vel de castitate proprie dicta loquitur.

23. & 24. (*q*) *Gr. amplius, deinceps aquam bibere*, *Ad judicium*. Hæc videntur eo referenda, manus cito nemini imposueris: quorumdam peccata ita sunt manifesta, ut examine non egeant, tam facile dignoscuntur; alia non nisi accurato examine indicata innotescunt, sed abscondi tamen diutius non possunt.

25. (*r*) Quorum bona opera non sunt adeo manifesta; nec tamen diu latere possunt, *quæ aliter se habent*.

CAP. VI.

1. & 2. (*a*) Quasi servorum in dominos obsequium detraheret. Fides Christianæ reipublicæ & familiarum ordinem non turbat, sed tuetur, & confirmat. *Participes*, Ejusdem gratiæ participes.

4. (*b*) Gr. *ægrotans*: *Nihil sciens*, quod ad veram pietatem pertineat, ut hæretici & plerique Catholici, qui circa inutiles quæstiones languescunt. *Blasphemiæ*, convicia: *Suspiciones malæ*, cum semper aliquid mali de aliis suspicantur.

5. (*c*) Gr. *Inanes disputationes*, perversæ exercitationes; *hominum*, qui pietate Christiana abutuntur ad quæstum: *Vitius parandi occasionem & subsidium, hanc ordinem esse judicantes*. Nazianz. Apol. 1.

6. (*d*) Vera pietas efficit, ut eo contenti simus, quod sufficit, Gr. pietas cum suæ sortis probatione.

8. (*e*) Bernard. Utinam *superfluis ponatur modus; utinam non cupiamus in infinitum*.

10. (*f*) Avaro nihil est scelestius: Gr. φιλαργυρία, *amor pecuniæ*.

11. (*g*) Has virtutes cupiditati avarorum opponit; *justitiam*, quæ alienis bonis non invidet; *pietatem*, quæ Deo non servit quæstus caussa; *fidem*, quæ bona temporalia contemnit; *charitatem*, quæ illa largitur; *patientiam & mansuetudinem*, in iis amittendis.

12. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus (*h*) es, & confessus bonam confessionem coram multis testibus.

13. Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & Christo Jesu, qui testimonium (*i*)
* *Matth.* 27. 11. — reddidit * sub Pontio Pilato, bonam confessionem:
Joan. 18. 33. 37. 14. Ut serves mandatum sine macula irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi:

* *Apoc.* 17. 14. & 19. 16. 15. Quem suis temporibus ostendet * beatus & solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium:

16. Qui solus habet immortalitatem, & lu-
Joann. 1. 18. 1. *Joan.* 4. 12. cem inhabitat inaccessibilem: * quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest: cui honor & imperium sempiternum. Amen.

17. Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, * neque sperare in incerto divi- * *Luc.* 12. 15. v.
tiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum)

18. Bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare (*k*),

19. Thesaurizare sibi fundamentum (*l*) bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.

20. O Timothee, depositum (*m*) custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ,

21. Quam quiddam promittentes (*n*), circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.

12. (*h*) Gr. *Ad quam vocatus es*. *Confessionem*. In variis pro fide tuenda certaminibus, ac potissimum Ephesi in persecutione a Demetrio excitata.

13. 15. & 16. (*i*) Testimonium veritatis. *Quam*, Græc. *quam*, scilicet manifestationem, seu adventum Domini, *Nec videre potest*, naturæ viribus.

18. (*k*) Cum aliis opes suas; humanos esse erga indigentes: ex charitate, & libenter tribuere; quæque sunt superflua, ut ex justitia, ut partem hæreditatis communis pauperibus dividentes.

19. (*l*) Cælestis & in æternum duraturi ædificii.

20. (*m*) Depositum traditæ doctrinæ, vel dona gratiæ in ordinatione tua tibi tradita. *Oppositiones*, contrarias opiniones, quæ falso scientiæ nomine teguntur. *Novitates*, Græc. *κενοφωνίας*, inanitates vocum, loquacitatem inanem.

21. (*n*) Quam scientiam quidam profitentes exciderunt a fide, Gr. *aberrarunt a scopo*; ab integritate fidei defecerunt.



EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM SECUNDA.

Hanc Epistolam Romæ scriptam fuisse omnes consentiunt; sed utrum in primis, ut Baronius, Estius, & alii opinantur, an in secundis vinculis, cum jam ad subeundam martyrii palmam se pararet, ut veteres post Eusebium, lib. 2. histor. cap. 22. credidere, magna est dissensio.

CAPUT PRIMUM.

Quæ hoc capite continentur, eo spectant, ut Timotheus exsuscitet in se gratiam Dei, quam accepit per impositionem manuum, ut spiritu fortitudinis indutus, doctrinam Christi annuntiet, & in adversis roboretur.

1. PAULUS Apostolus Jesu Christi
per voluntatem Dei, secundum
promissionem vitæ (*a*), quæ est
in Christo Jesu.
2. Timotheo charissimo filio,
gratia, misericordia, pax a Deo Patre, & Chri-
sto Jesu Domino nostro.
3. Gratias ago Deo, cui servio a progenito-
ribus (*b*) in conscientia pura, quod sine inter-
missione habeam tui memoriam in orationibus
meis, nocte ac die
4. Desiderans te videre, memor lacrymarum
(*c*) tuarum, ut gaudio implear,
5. Recordationem accipiens ejus fidei, quæ
est in te non ficta, quæ & habitavit primum
in avia tua Loide, & matre tua Eunice, certus
sum autem quod & in te.
6. Propter quam causam admoneo te, ut re-
suscites (*d*) gratiam Dei, quæ est in te per
impositionem manuum mearum.
* Rom. 8. 15. 7. * Non enim dedit nobis Deus spiritum
timoris (*e*); sed virtutis, & dilectionis, & so-
brietatis.
8. Noli itaque erubescere (*f*) testimonium
Domini nostri, neque me vinctum ejus, sed
collabora Evangelio secundum virtutem Dei:
9. Qui nos liberavit (*g*), & vocavit voca-
tione sua sancta, * non secundum opera nostra, * Tit. 3. 5.
sed secundum propositum suum, & gratiam,
quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempo-
ra sæcularia.
10. Manifestata (*h*) est autem nunc per illu-
minationem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui
destruxit quidem mortem, illuminavit au-
tem vitam & incorruptionem per Evange-
lium:
11. In quo * positus (*i*) sum ego prædica- * 1. Tim. 2. 7.
tor, & Apostolus, & magister Gentium.
12. Ob quam caussam etiam hæc patior, sed
non confundor. Scio enim cui credidi (*k*), &
certus sum quia potens est depositum meum
servare in illum diem.

13. For-

CAPUT I. 1. (*a*) Apostolatus sui hæc duo ponit fundamenta, Dei voluntatem, & vitæ æternæ promissionem; ad prædicandam salutem æternam, quæ nobis datur per Christum, voluntas Dei est vocationis principium & regula; finis, annuntiare vitæ æternæ promissionem.

3. (*b*) Quem progenitores mei coluerunt.

4. & 5. (*c*) Quibus me abeuntem es prosecutus. *Accipiens*, Dum sinceræ fidei tuæ recordor.

6. (*d*) Non intermori sinas gratiam Dei, quam accepisti, cum ordinatus es Episcopus, gratiam scilicet annuntiandi Evangelium, edendi miracula, & Ecclesiam regendi, idque cum robore animi instar strenui ducis. Itaque gratiam confert Sacramentum Ordinationis, & cavendum ne ignis ille extinguatur; labore & actione subinde est excitandus.

7. (*e*) Spiritum timidum: *Sed virtutis*, sed fortitudinis ad versus varios timores: *Et dilectionis*, seu charitatis erga proximum; *Et sobrietatis*, Gr. *moderationis*, vel sapientiæ: ne nimio zelo abripiamur, atque ut constantes in prosperis, & adversis nos geramus.

8. (*f*) Noli erubescere doctrinam, quam nobis tradidit Christus Dominus, nec vincula mea. *Sed collabora*, Græc. comparere afflictis pro *Evangelio*, par ic... persecutionum; spem omnium collocans in potentia Dei, & secundum vires tibi a Deo datas.

9 (*g*) A peccato & morte æterna: *Et vocavit*, ad vitam æternam: *Ante tempora sæcularia*, in sua prædestinatione æterna: *In Christo Jesu*, per Christum.

10 (*h*) Gr. *per apparitionem*, seu adventum Domini Jesu Christi declarata, cum Christus nobis illuxit. *Qui destruxit quidem mortem*, morte sua; *illuminavit*, in lucem protulit per Evangelii prædicationem.

11. (*i*) Ad illud prædicandum ego sum constitutus Apostolus.

12 (*k*) Neque officii mei, nec vinculorum me pudet. *Scio*, Fides quidem tenebris admixta est: sed tamen scio quis ille sit, in quem credidi, qui fidei meæ & actor & objectum est. *Depositum meum servare*; fidei & bonorum operum mercedem, quam expecto in tempore retributionis.

13. Formam (*l*) habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide & in dilectione in Christo Jesu.

14. Bonum depositum custodi (*m*) per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.

15. Scis hoc, quod aversi (*n*) sunt a me omnes, qui in Asia sunt, ex quibus est Phigellus, & Hermogenes.

* Inf. 4. 19. 16. Det misericordiam Dominus: * Onesiphori domui: quia sæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit:

17. Sed cum Romam venisset, sollicite me quæsivit (*o*), & invenit.

18. Det illi Dominus invenire misericordiam (*p*) a Domino in illa die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti.

CAPUT II.

Timotheo præcipit, ut idem doctrinæ depositum, quod coram multis testibus acceperat ab Apostolo, aliis itidem commendet. Illud in primis, ut tamquam bonus miles laboret, contentiones vitet, uti & profana quæque.

1. TU ergo fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu:

2. Et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.

3. Labora (*a*) sicut bonus miles Christi Jesu.

4. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus (*b*): ut ei placeat, cui se probavit.

5. Nam & qui certat in agone (*c*), non coronatur nisi legitime certaverit.

6. Laborantem agricolam (*d*) oportet primum de fructibus percipere.

7. Intellige quæ dico: dabit (*e*) enim tibi Dominus in omnibus intellectum.

8. Memor (*f*) esto Dominum JESUM CHRISTUM resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum,

9. In quo laboro (*g*) usque ad vincula, quasi male operans: sed verbum Dei non est alligatum.

10. Ideo omnia sustineo propter electos (*h*), ut & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum gloria cælesti.

11. Fidelis sermo: Nam si commortui sumus, & convivemus (*i*):

12. Si sustinebimus, & conregnabimus: * si negaverimus (*k*), & ille negabit nos: * Matth. 10. 33. Marc. 8. 38.

13. Si non credimus (*l*), ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. Rom. 3. 3.

14. Hæc commone, testificans coram Domino. Noli contendere (*m*) verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.

15. Sollicite cura (*n*) teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis:

16. Profana autem, & vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem (*o*):

17. Et sermo eorum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenæus & Philetus,

18. Qui a veritate exciderunt, dicentes (*p*) resurrectionem esse jam factam, & subverterunt quorumdam fidem.

19. Sed firmum fundamentum (*q*) Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus qui sunt ejus: & discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini.

20. In magna autem domo (*r*) non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.

21. Si

13. (*l*) Vivam imaginem, & exemplar doctrinæ, qua fuisti a me institutus. *Quæ a me audisti*, Doctrinam verbo traditam conserva, in iis maxime, quæ ad mysteria & mores pertinent.

14. (*m*) Sanam illam doctrinam, quæ Scripturis & traditione continetur: per duplicem illum canalem fides a Deo ad nos usque manat.

15. (*n*) Gr. aversati sunt me Judæi omnes profecti ex Asia minori, seu per defectionem a fide, seu ob periculi consortium.

17. (*o*) Cum essem in militari custodia, & in amplissima civitate.

18. (*p*) Forsan jam suum diem obierat Onesiphorus, cum hæc scriberet Apostolus; idque ex vers. 16. colligi videtur: unde ex hoc loco orationes pro mortuis confirmari possunt.

CAP. II. 3. (*a*) Vox Græca significat mala perferre, & obfirmari in adversis.

4. (*b*) Civilibus negotiis eadem enim fere est ratio hominis qui se Deo consecret; atque illius qui inter principis alicujus milites adscribitur; *Cui se probavit*, in cujus militiam se tradidit, a quo miles electus est. Ministrum Christi cum milite qui principi se addixit, cum athleta, cum agricola comparat.

5. (*c*) Gr. *Si quis etiam certet*; in ejusdem rei probationem utitur similitudine pugilis, qui non coronatur, nisi præscriptas certaminis leges servaverit, atque omnia abjecerit, quæ obstare possint, quominus victoriam reportet.

6. (*d*) Exemplo denique agricolæ eum excitat ad laborem, spe ipsa fructuum quos primus percipit agricola, dummodo is laboret. Episcopus est instar Agricolæ, vineam Christi & agrum Evangelii excolentis; in cælo præmium nos manet.

7. (*e*) Gr. Det tibi; Evangelium ministerium adeundum est instar militis, qui omnibus relictis se in militiam tradidit; instar athletæ, qui non coronatur nisi post pugnam; instar agricolæ, qui messe confecta labore suo fruitur.

8. (*f*) Exemplum Christi ob oculos ponit, qui præmii loco vitam immortalem non solum est consecutus; sed ita resurrexit, ut resurrectionis futuræ & spei nostræ sit firma & fundamentum. Hæretici illius temporis, resurrectionem nostræ religionis fundamentum impugnabant: *Secundum Evangelium meum*, quod doceo.

9. (*g*) Gr. *affligor*, quasi essem sceleratus. *Sed verbum Dei non est alligatum*, pedes quidem vinculis continentur, non item lingua, quæ Evangelium prædicare non cessat.

10. (*h*) Qui nostris laboribus ad fidem sunt adducendi.

11. (*i*) Non moritur qui miseram vitam cum beata & immortali commutat.

12. (*k*) Negamus Christum vita & moribus magis quam lingua.

13. (*l*) Gr. *si infidi sumus*; Si non credimus in Deum, nihil propterea illi decedit; idem semper est & æterna veritas, stat promissis suis. Non potest, semper idem est in suos: si eum negaverimus, infidelitas nostra de ejus fide in promissis præstandis & veritate nihil potest detrahere.

14. (*m*) Ex pertinacia, aut superbia. *Ad subversionem*: contentiones nihil aliud quam veritatem obscurant; conferre inter se debent servi Dei, non contendere. Opus Dei non promovent, sed subvertunt litigiosæ concertationes.

15. (*n*) Probabilem te exhibere, dignum quem Deus probet. *Operarium inconfusibilem*, Gr. qui non erubescat, crucem Christi; vel cujus mores & doctrina non sint Ecclesiæ pudori: *Recte tractantem verbum veritatis*, Gr. recte secantem, utilia a noxiis, aut superflua bene secernentem, & verbi Dei cibum recte partientem.

16. (*o*) Qui profana verba proferunt.

18. (*p*) Qui spiritualem animorum resurrectionem in Baptismo fieri ut sensibili & palpabili resurrectioni substituunt, vel qui dicunt resurrectionem jam esse factam in Christo.

19. (*q*) Ecclesia Dei manet inconcussa; vel electi manent immoti; *habens signaculum hoc*, hoc velut sigillo obsignatur. *Cognovit Dominus qui sunt ejus*, Num. 16. 5. Dei præscientia falli non potest, suos novit & amat, præsens iis adest. *Discedat*. Habent quique ex fidelibus hoc Dei præceptum in animo fixum, ut ab iniquitate discedat; quod magnum est singulis fidelibus prædestinationis indicium. *Qui nominat*, qui profitetur Christianam Religionem.

20. (*r*) Quin etiam bonos exercent & probant mali, ut ignis argentum; iique transeunt per ignem instar auri, non consumantur, aut franguntur, ut ligna & vasa fictilia.

21. Si quis ergo emundaverit (*f*) se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.

22. Juvenilia autem desideria (*t*) fuge, sectare vero justitiam, fidem, charitatem, & pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro.

* 1. Tim. 1. 4. & 7. Tit. 3. 9. 23. * Stultas (*u*) autem, & sine disciplinâ quæstiones devita: sciens quia generant lites.

24. Servum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem (*x*), patientem,

25. Cum modestia (*y*) corripientem eos, qui resistunt veritati: nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem,

26. Et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

CAPUT III.

In extremis temporibus hæc futura sunt hominum hæreticorum in primis vitia, falsa pietas, mentis corruptio, homines seipsos amantes. Hortatur Timotheum ad subeundas forti animo afflictiones, & ad studium Scripturarum.

* 1. Tim. 4. 1. 2. Pet. 3. 3. Jud. 18. 1. HOc autem scito, quod in * novissimis diebus (*a*) instabunt tempora periculosa:

2. Erunt homines seipsos amantes (*b*) cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti,

3. Sine affectione (*c*), sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate,

4. Proditores, protervi (*d*), tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei:

5. Habentes speciem (*e*) quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita:

6. Ex his enim sunt, qui penetrant domos (*f*), & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis:

7. Semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis pervenientes.

8. Quemadmodum autem * Jannes & Mambres (*g*) restiterunt Moysi: ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, * Exod. 7. 11.

9. Sed ultra non proficient (*h*): insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.

10. Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam,

11. Persecutiones, passiones; * qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii, & Lystris: quales persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me Dominus. * Act. 4. 2.

12. Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.

13. Mali autem homines, & seductores, proficient in pejus (*i*); errantes, & in errorem mittentes.

14. Tu vero permane in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciens a quo didiceris.

15. Et quia ab infantia sacras litteras (*k*) nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu.

16. * Omnis scriptura (*l*) divinitus inspirata, utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: * 2. Pet. 1. 20.

17. Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

CAPUT IV.

In hoc postremo capite Paulus Timotheum adhortatur, ut prædicationi instet, & sanam doctrinam adversus hæreticos tueatur, ministerium suum impleat.

1. TEstificor (*a*) coram Deo, & Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, per adventum ipsius, & regnum ejus:

2. Prædica verbum, insta opportune, importune (*b*): argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.

3. Erit

21. (*f*) Ab istis erroribus, de quibus vers. 16. *Utile Domino*, usibus Domini aptatur, idoneum ad omne opus bonum.

22. (*t*) Gr. *Concupiscentias*, inanem gloriam, voluptates, & alia juvenum vitia. Bernard. Lib. 2. de Consider. cap. 13. *Inter sæculares nugæ, nugæ sunt, in ore sacerdotis blasphemiæ: sæpe ad cachinnos moveris, fœdius moves.*

23. (*u*) Gr. *ineruditas*: Ecclesiæ pacem quæstiones inutiles perturbant, ea tantummodo quæ ad fidem, & mores spectant, sunt depromenda, in iis immorandum.

24. (*x*) Gr. *idoneum*, aut paratum ad docendum, aut docilem esse.

25. (*y*) Gr. *Cum mansuetudine*. *Nequando*, Si quando; nam vox Græca utrumque significat: ut misericordiæ Dei, si quando veritatem iis dignetur aperire, obsecundent.

CAP. III. 1. (*a*) Quæ futura sunt usque ad finem mundi, prædicit Apostolus; *Instabunt tempora periculosa*, Gr. *difficilia & molesta*.

2. (*b*) Qui amor inordinatus in his, quæ mox subjicit, se prodet; pecuniæ & inanis gloriæ cupidi; Gr. *pecuniæ amantes*; *elati*, arrogantes, *superbi*, in verbis jactabundi, *blasphemi*, contumeliosi, maledici.

3. (*c*) Erga proximos & fratres, absque pietate: *sine pace*, Gr. *fœdifragi*, in pactis infidi, aut qui nemini amicitia juncti sunt: *criminatores*, innocentium, Gr. *calumniatores*: *Incontinentes*, Gr. *intemperantes*, gulæ & libidinibus dediti: *Sine benignitate*, Gr. *osores bonorum*. Ex iis pravis affectibus fit catena vitiorum, cujus primus annulus est amor sui præposterus. Hinc enim prodit pecuniæ sitis, quod ea sit explendis affectibus instrumentum, & quasi fidejussor. Qui seipsos immodice amant, nihil se aliis debere putant, aut ex jure naturæ, aut ex honestate, aut ex charitate.

4. (*d*) Gr. *insiabiles*: leves, præcipites, quæ Dei sunt, ambitioni suæ, aut libidinibus postponunt.

5. (*e*) Gr. *formam*, simulatam pietatem: *virtutem autem ejus negantes*; vim illius abnegant; aliis præscribunt leges pietatis, a quibus longe absunt.

6. & 7. (*f*) Sui compendii caussa in familias se ingerunt. *Mulierculas*, quas sibi adulatione, superstitione & lenociniis devinciunt. *Variis desideriis*, cupiditatibus. Chrys. fortassis & fœdiores alias concupiscentias signat. *Discentes*, ab iis magistris qui errores tantum docent.

8. (*g*) Sunt duo Magi, qui Mosi restiterunt, & quorum nomina Paulus aut ex traditione, aut ex revelatione accepta recenset: *Homines corrupti mente*, quibus judicium præ affectibus pravis corruptum est; *Reprobi circa fidem*; Gr. *non probati*, sed errantes.

9. (*h*) In fucata illa pietate, quin fraus eorum se prodat.

13. (*i*) Procedent in sua impietate seducti & seducentes.

15. (*k*) Huic veneno Scripturarum lectionem ut alexipharmacum opponit.

16. & 17. (*l*) Sacræ Scripturæ auctoritas summa est, cum sit divinitus inspirata: utilis est *ad docendum*, quod fidei doceat dogmata; *ad arguendum*, ad errores refellendos: *ad corripiendum*, depravatos mores: *ad erudiendum*, in pietate & justitia. Quibus pastor instructus perfectionem consequi potest, & omne genus bonorum obire. Hominem Dei vocat doctorem Evangelicum, neque id dicit Paulus, solam Scripturam ad hæc esse utilem, cum traditio ipsa, Sacramenta, bona opera sint etiam utilia & necessaria. Quatuor officia pastoris insinuat, docere, refellere, corrigere, & erudire, seu instituere.

CAP. IV. 1. (*a*) Adjuro te, obtestor: *Per adventum ipsius*: Gr. *per eandem apparitionem suam*.

2. (*b*) Quocumque tempore, & assidue, patientia utendo adversus omnia quæ obstant, & viam veritatis demonstrando. Licet intempestive aliquando loqui videamur iis, qui non libenter audiunt, id utile tamen sæpe futurum est. Nam ut Augustinus in fine expositionis, Epist. ad Galatas pulcre nos admonet: *Multi postea cogitantes quæ audierint, & quam juste audierint, ipsi se gravius & severius arguerunt, & sanati sunt.*

3. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt (*c*), sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus:

4. Et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.

5. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius (*d*) esto.

6. Ego enim jam delibor (*e*), & tempus resolutionis meæ instat.

7. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.

8. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt adventum ejus. Festina ad me venire cito.

9. Demas (*f*) enim me reliquit, diligens hoc sæculum, & abiit Thessalonicam.

10. Crescens in Galatiam (*g*), Titus in Dalmatiam.

* Col. 4. 14. 11. * Lucas (*h*) est mecum solus. Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerium.

12. Tychicum (*i*) autem misi Ephesum.

13. Penulam (*k*), quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas.

14. Alexander (*l*) ærarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundum opera ejus:

15. Quem & tu devita: valde enim restitit verbis nostris.

16. In prima mea defensione (*m*) nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.

17. Dominus autem mihi astitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes: & liberatus sum de ore Leonis.

18. Liberavit (*n*) me Dominus ab omni opere malo: & salvum faciet in regnum suum cæleste, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

19. Saluta Priscam, & Aquilam, & * Onesiphori domum. * Sup. 1. 16.

20. Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.

21. Festina ante hiemem venire. Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes.

22. Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.

3. (*c*) Cur pastor instanter & assidue docere & instituere debeat, hanc affert caussam, quod futurum sit, ut sanam doctrinam in iis quæ ad mores spectant, & fidem, falsi doctores pervertant; iique ex hominum corruptione & infirmitate, qui veritatis lucem ferre non possunt, omnino oriettur. Hi quippe ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus: vox *prurientes*, Græce est in recto casu, qui pruriunt auribus, & quærunt doctores sibi blandientes, qui aures scalpant & demulceant, pravis eorum desideriis serviant. Hos coacervabunt magistros, & alios super alios inducent, non ab Episcopis missos, sed eos qui se ultro obtruserint.

5. (*d*) Hæc verba desunt in Græco: Et quidem Timotheus plus æquo erat sobrius, nec videbatur ad sobrietatem invitandus. Sed tamen Apostolus potuit in persona Timothei pastores omnes ad sobrietatem adhortari, ne vitam mollem & otiosam agant, sed ut gregi sibi commisso invigilent, ut laborent, & ministerium suum impleant omni ex parte.

6. (*e*) Gr. pro libamine immolor: sanguine meo tamquam libamine aspergor mox immolandus.

9. (*f*) Jam cap. 2. vers. 15. ad finem usque docere Timotheum conatur quæ sibi acciderant Romæ, illud in primis se ab Asianis desertum, ab Onesiphoro adjutum; nunc hortatur Timotheum ut ad se veniat. *Diligens*. Vitæ præsenti plus satis addictus, & privatis suis commodis serviens.

10. (*g*) Forte in Galliam, quæ a Græcis hoc nomine donabatur. Utcumque ea res sit: abiit a Paulo missus in Galliam, ut legit Theodoretus post Epiphanium.

11. (*h*) Lucas Evangelista. *Marcum assume*, Joannem cognomento Marcum, Barnabæ consobrinum, de quo Act. 12. & 15.

12. (*i*) Ut Timothei absentis vices obiret.

13. (*k*) Vox Græca [illegible], vestem, qua adversus imbres & frigus utimur, significat. Alii *arculam* interpretantur. *Maxime autem membranas*; pergamenas sua manu exaratas.

14. (*l*) Faber ærarius: *Multa mala mihi ostendit*, intulit: Psalm. 4. *Quis ostendit nobis bona?* id est, fecit.

16. (*m*) Cum primum de me quæstio habita est, in secundis meis vinculis: quæ enim jam in primis vinculis evenerunt, Timotheo erant notissima.

18. (*n*) Græc. *liberabit*: *In regnum suum cæleste*, ut consequar cæleste regnum.



EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD TITUM.

TITUM eximie sibi charum Apostolus ordinaverat Cretæ, & vicinarum Insularum Archiepiscopum; ad eum scribit non tam ut illum sui muneris admoneat, quam ut omnes Ecclesiæ pastores instituat. Scripta est hæc Epistola circa annum Christi 66. ut viris eruditis videtur, e loco qui non procul aberat Nicopoli Epiri, vel, ut aliis placet, Macedoniæ. Paulus, ut verisimile est, Titum Cretæ reliquit, cum post prima vincula Roma profectus in Graciam se contulit.

CAPUT PRIMUM.

Præfatus se Apostolum missum a Christo, qui veram edoceret fidem, quos Titus ordinare debeat, Presbyteros primum admonet. Quæ sint Episcopi virtutes, Judaicis fabulis non attendendum, nec delectui ciborum, cum omnia sint munda mundis.

1. PAULUS servus (a) Dei, Apostolus autem Jesu Christi secundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est:

2. In spem (b) vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur, Deus, ante tempora sæcularia:

3. Manifestavit (c) autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum Salvatoris nostri Dei:

4. Tito dilecto (d) filio secundum communem fidem, gratia & pax a Deo Patre, & Christo Jesu Salvatore nostro.

5. Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates presbyteros (e), sicut & ego disposui tibi.

6. * Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles (f), non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. * 1. Tim. 3.

7. Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum (g), non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum:

8. Sed hospitalem, benignum (h), sobrium, justum, sanctum, continentem,

9. Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere (i).

10. Sunt

CAPUT I. 1. (a) Ministerium Apostolicum in ipsa humilitate fundatur: Aug. *Non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente, felicem.* *Secundum fidem*, qui finis est Apostolatus, ut fideles omnes & electi maxime credant, & agnoscant veritatem, cujus agnitionis fundamentum est fides. *Pietatem*, veritatis norma est pietas, & verus Dei cultus, in quo ab humana Philosophia secernitur, quæ naturales tantum veritates, & vitæ civilis officia considerat. Finis Evangelii est vitæ æternæ acquisitio.

2. (b) Spem vitæ æternæ habens. In quo a lege Mosis distinguitur, quæ promittit tantummodo bona temporalia; *sed* fides Christiana sibi annexam habet spem æternæ vitæ, quæ solida est, & non frustratoria: *Ante tempora sæcularia*: in æterno suo decreto. *Veritas enim nec falli potest, nec fallere.* Alii vertunt, ante multa sæcula, nempe per Prophetas, ut Rom. 1.

3. (c) Definito tempore eam declaravit: spem vitæ æternæ promissam, manifestam fecit per prædicationem mihi creditam; vel etiam manifestavit Verbum suum incarnatum.

4. (d) Græc. *Germano filio: Secundum communem fidem*; & spiritum quo ego te genui in Christo, *Gratia & pax*, tibi multiplicetur.

5. (e) In majoribus oppidis Episcopos, quorum dotes mox exponit. Paulus in ea Insula jam fidei fundamenta jecerat; regimen illius Ecclesiæ Tito commisit, ut Pastores constitueret juxta traditionem & spiritum Apostolicum, varios Pastorum gradus distinguit.

6. (f) Is sit, cujus fama non laboret, neque in se neque in liberis suis, qui sint fideles, seu Christiani. *Non in accusatione luxuriæ*, vox Græca immoderatum rerum omnium luxum significat, in comessationibus & compotationibus, quæ luxuriam comitari solent. *Aut non subditos*, parentibus.

7. (g) Gr. *Non sibi placentem*, non arrogantem: *Non vinolentum*, Hieron. in hunc locum: *Nunquam ego ebrium castum putabo*.

8. (h) Gr. bonorum amantem; *Sobrium*, in actionibus suis moderatum: Græc. *prudentem*. *Continentem*. Hieron. *Ut non solum ab opere immundo abstineat, sed etiam a jactu oculorum, & a cogitationis errore, mens Christi corpus confectura sit libera.*

9. (i) Convincere Chrysost. *Hoc est, quod maxime doctorem exprimit, posse scilicet verbis instruere, & confutare adversarios.*

10. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores; maxime qui de circumcisione (*k*) sunt:

11. Quos oportet redargui (*l*): qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.

12. Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces malæ bestiæ, ventres pigri.

13. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos dure (*m*), ut sani sint in fide,

14. Non intendentes Judaicis fabulis, & mandatis (*n*) hominum, aversantium se a veritate.

* Rom. 14. 20. 15. * Omnia munda mundis (*o*): coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens, & conscientia.

16. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cum sint abominati, & incredibiles (*p*), & ad omne opus bonum reprobi.

C A P U T II.

Quomodo docendi sint senes, mulieres, juvenes, servi; tum de gratia Salvatoris, & bonis operibus.

1. TU autem loquere (*a*) quæ decent sanam doctrinam:

2. Senes, ut sobrii (*b*) sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia:

3. Anus similiter in habitu (*c*) sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, bene docentes:

4. Ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant,

5. Prudentes (*d*), castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei:

6. Juvenes similiter hortare ut sobrii sint,

7. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina (*e*), in integritate, in gravitate,

8. Verbum sanum, irreprehensibile: ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis,

9. * Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, * Eph. 6. 5. Col. 3. 22. 1. Pet. 2. 18.

10. Non fraudantes (*f*), sed in omnibus fidem bonam ostendentes: ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.

11. * Apparuit (*g*) enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, * Inf. 3. 4.

12. Erudiens (*h*) nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobrie, & juste, & pie vivamus in hoc sæculo,

13. Expectantes beatam spem, & adventum (*i*) gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi:

14. Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem (*k*), sectatorem bonorum operum.

15. Hæc loquere & exhortare, & argue cum omni imperio (*l*). Nemo te contemnat.

C A-

10. (*k*) Judæi apud Cretenses nati, & male conversi, qui Judaismum cum Christiana religione retinendum censebant.

11. & 12. (*l*) Græc. Os obturare. *Proprius*, Epimenides, qui teste Cicerone, Lib. 1. de divinatione, & Laertio, ut Propheta a suis habitus est, & librum scripsit de oraculis. *Malæ bestiæ*, quod essent ad nocendum proclives; *Ventres pigri*, quod otio & ventri indulgerent.

13. (*m*) Gr. præcise arguo, charitate non molli, sed salutari, quæ in peccatore veternum excutiat.

14. (*n*) Qui veritatis loco fabulas Judaicas venditabant, & ritus legis Mosaicæ retinebant. *Aversantium*, avertentium a veritate; quæ alienabant a veritate.

15. (*o*) Si quando quibusdam cibis abstinent Christiani, non ut immundis, sed ut lege Ecclesiastica vetitis abstinent. *Conscientia*, Mens errore corrupta, dum prohibitos lege Mosis cibos comedunt, contra conscientiam erroneam.

16. (*p*) Gr. *Increduli*, inobedientes: *Reprobi*, ad omne bonum inutiles, propter errorem, in quo versantur; ad quodvis opus bonum sunt inepti.

CAP. II. 1. (*a*) Quæ docere debeat Titus circa morum informationem, ita præscribit, ut cujusque conditionis & ætatis officia paucis perstringat verbis.

2. (*b*) In victu, tametsi vox Græca & sobrios & vigilantes significat: *Pudici*, Græc. sint graves & compositi in vitæ actionibus; *Sani in fide*, integri, adeo ut fides eorum nihil habeat erroris admixtum. *In dilectione*, ut charitas sit sincera, & sine simulatione: *In patientia*, ut spes eorum sit cum patientia conjuncta; senectutis incommoda patienter ferant.

3. & 4. (*c*) In eo habitu, qui sacras & Deo dicatas mulieres decet; non vestibus solum, sed etiam gestu & incessu, quæ sanctimoniam & religionem earum redoleant. *Non criminatrices*. Gr. διαβόλους, *calumniatrices*: *Bene docentes*, bona docentes & honesta, non futilia, aut turpia; sed virtutes omnes, quæ ætatem, sexum, & conditionem earum spectant, juniores edoceant.

5. (*d*) Supple, esse, Gr. *temperantes*: *Ut non blasphemetur verbum Dei*, quasi vitia foveat; per anus vult adolescentulas initiari.

7. & 8. (*e*) Ut puram & solidam & gravem doctrinam prædices: Gr. *Exhibe in doctrina tua integritatem*, gravitatem, ut non sit de rebus inutilibus, non sit hæreticorum veneno infecta. *Vereatur*, Græc. *ut confundatur adversarius*, Gentilis, aut Judæus. Doctrinæ puritatem, vitæ integritatem, & morum gravitatem in Pastoribus exigit; doctrina pura sit in fide, & in moribus informandis. Errores in fide hæreticos, ut in morali pravos efficiunt Christianos: sed nisi doctrinæ puritati vitæ integritas accedat, nullus sequitur effectus. Gravitas in vestitu, in incessu, in verbis, pastorem in primis commendat estque teste Ambrosio, Lib. 1. de Offic. cap. 18. *Pudicitiæ comes, cujus societate castitas ipsa tutior est*.

10. (*f*) Græc. non furtim aliquid decerpentes, non suffurantes. *Ornent in omnibus*: apud alios commendatam reddant.

11. (*g*) Quo minus miremur, si Apostolus ad servorum instructionem descendat. *Apparuit*, Græc. *illuxit* gratia Dei Salvatoris nostri incarnati. Hactenus veri Pastoris characteres expressit, nunc veri Christiani progressus describit. *Omnibus hominibus*; non uni populo, ut lex Judaica, & ad certum tempus, sed omnibus hominibus & in omne ævum.

12. (*h*) Non solum verbo & exemplo, sed mentes etiam veritate sua illuminans, & cordibus charitatem infundens. *Impietatem*, qua neglecto Deo rebus creatis tamquam idolis adhæremus. *Et sæcularia desideria*, non solum pravos affectus, sed etiam sæculi hujus cupiditates. *Sobrie*, erga nos ipsos, *juste* erga proximum, *& pie* erga Deum: *Vivamus in hoc sæculo*.

13. (*i*) An potuit clarius Christi divinitatem exprimere? Primum itaque omnis impietas abneganda, deinde sæcularia desideria; Christianæ vitæ officia, sobrietas nempe, justitia, pietas, colenda sunt, ac tandem in beatitudinis speratæ expectatione ad perfectionis statum contendere debemus. Expectantes adventum gloriosum Jesu Christi magni Dei, & Salvatoris nostri. Cum enim in Græco textu nullus sit articulus inter magnum Deum & Salvatorem, hæc duo conveniunt Jesu Christo.

14. (*k*) Acceptum & gratum, peculiari modo dilectum; vocem Græcam περιούσιον, negat Hieronym. alibi quam in Scripturis reperiri. *Sibi acceptabilem*, Deo consecratum per charitatem, quæ stare non potest bonis operibus destituta.

15. (*l*) Cum auctoritate, quasi Dei nomine: ita ut nemo te contemnat; sic te gere, ut nemo possit te despicere.

CAPUT III.

Primum id præcipiendum jubet fidelibus, ut principibus & potestatibus subditi sint: tum de gratia Spiritus sancti in nos effusa disserit; ac demum de bonis operibus, & vitandis hæreticis.

1. ADmone (*a*) illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse:

2. Neminem blasphemare (*b*), non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.

3. Eramus enim aliquando & nos insipientes (*c*) increduli, errantes, servientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invicem.

4. Cum autem benignitas (*d*) & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei;

* 1. Tim. 1. 9. 5. * Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum (*e*) regenerationis & renovationis Spiritus sancti,

6. Quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum:

7. Ut justificati (*f*) gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.

8. Fidelis (*g*) sermo est: & de his volo te confirmare: ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona & utilia hominibus.

9. * Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita (*h*): sunt enim inutiles, & vanæ. * 1. Tim. 1. 4. & 4. 7. 2. Tim. 2. 23.

10. Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem (*i*) devita:

11. Sciens quia subversus (*k*) est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.

12. Cum misero ad te Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim (*l*): ibi enim statui hiemare.

13. Zenam legisperitum, & Apollo solicite præmitte, ut nihil illis desit.

14. Discant autem & nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi (*m*).

15. Salutant te qui mecum sunt omnes: saluta eos, qui nos amant in fide (*n*). Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

CAP. III. 1. (*a*) Ut subditorum erga principes & magistratus officiis non desint: *Paratos esse*, ut exequantur quidquid justum est. Subditorum erga principes officia ad hæc refert capita, ut eorum auctoritatem revereantur, jussis obtemperent, prompto & parato sint animo ad exequendum omne bonum opus sibi injunctum.

2. (*b*) Nemini maledicere: Non *litigiosos esse*, non rixarum amantes, *sed modestos*: Gr. ἀμάχους, mites: ita ut innocentiæ & benevolentiæ præcepta observent. *Mansuetudinem*: August. *Mitem autem esse & humilem, charitatis conservatio est*, in exposit. Epist. ad Galat.

3. (*c*) Ac ne forte quis objiciat, plerosque homines adeo injustos esse & violentos, ut pacem cum iis habere non liceat; huic occurrit objectioni, meminisse oportere nos olim fuisse iis similes, & cum iis sic agendum esse, ut nobiscum agi tum optavimus; *Odibiles*, odio digni.

4. (*d*) Postquam *Deus* ipse tam benigne nobiscum egit, an possimus erga proximum inhumane nos gerere?

5. (*e*) Per aquas baptismi, quibus filii Dei efficimur: *Et renovationis Spiritus sancti*, & Sacramentum Confirmationis, per renovationem Spiritus sancti.

7. (*f*) Qui quidem est effectus illius divinæ gratiæ, quam in nos effudit. *Hæredes*, Nondum enim sumus hæredes in re, sed in spe: atque hic est finis ejusdem gratiæ tam salutaris.

8. (*g*) Hæc certa sunt & indubitata, ut curent bonis operibus præesse.

9. (*h*) Hieron. in hunc locum: *Exerceatur sensus, mens quotidie divina lectione pascatur, & quæstiones nostræ stultæ non erunt quæstiones.*

10. (*i*) Vox Græca νουθεσίαν, ex Hieron. commonitionem magis & doctrinam absque increpatione significat.

11. (*k*) Gr. *Eversus est*, qui seipsum ab Ecclesia sejunxit, & proprio judicio condemnavit; neque illi ulla fit injuria, cum a fidelium consortio separatur.

12. & 13. (*l*) Urbem Epiri. *Præmitte*. Honoris gratia deducas subministratis ad iter necessariis.

14. (*m*) Hier. *Infructuosos vocat quicumque Evangelistis non ministraverint.*

15. (*n*) Qui amat in fide, & secundum fidem, is amat propter æternitatem; amor ille sacer est, nec perit: nullum est majus mutuæ benevolentiæ vinculum, quam eadem fides, eadem charitas.



EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD PHILEMONEM.

PAULUS, cum Romæ esset vinctus, hanc scripsit Epistolam ad Philemonem virum nobilem inter Colossenses, & insigni pietate spectabilem. Hanc una cum Epistola ad Colossenses misit per Onesimum, qui servus erat Philemonis, quique corrogatis quibusdam heri sui rebus Romam confugerat, ubi ad fidem Christianam conversus est ab Apostolo. Hic in prioribus suis vinculis magno fuit solatio & adjumento. Itaque Paulus in hac brevi quidem Epistola, sed charitatis & divinæ eloquentiæ plena, Philemonem rogat, ut ignoscat Onesimo, benigne eum excipiat: quod non modo præstitit Philemon, sed & fugitivum servum libertate donavit; isque tantos in religione christiana progressus fecit, ut post Timotheum Ephesi Episcopus ordinatus fuerit. Hunc Ignatius martyr in Epistola ad Ephesios magnis effert laudibus.

CAPUT UNICUM.

Philemoni, cujus charitatem ac fidem collaudat, Onesimum servum ipsius remittit; quem illi commendat, & ejus culpam in se recipit; indicans se cupere ipsum habere, ut sibi ministret in Evangelii prædicatione.

1. PAULUS vinctus Christi (a) Jesu, & Timotheus frater, Philemoni dilecto, & adjutori nostro.
2. Et Appiæ (b) sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ, quæ in domo tua est.
3. Gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.
4. Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis,
5. Audiens (c) charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Jesu, & in omnes sanctos:
6. Ut communicatio (d) fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Jesu.
7. Gaudium enim magnum habui, & consolationem in charitate tua: quia viscera sanctorum requieverunt (e) per te, frater.
8. Propter (f) quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet:
9. Propter charitatem (g) magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem & vinctus Jesu Christi:

10. Obse-

CAPUT UNICUM

1. (a) Pro Christo Jesu: sic excire per hæc vincula obsecrat Philemonem; *Et Timotheus frater, Philemoni dilecto, & adjutori nostro*, in promovendo Evangelio; cum prædicatores hospitio exciperet, & opibus suis juvaret fideles: unde cum eo fructus laborum suorum communicat.

2. (b) Hæc fuit Philemonis uxor, & christiana; *Et Archippo commilitoni nostro*, qui, ut creditur, Colossensium erat Episcopus, aut certe inter præcipuos Ecclesiæ ministros, Philemonis amicus; *Et Ecclesiæ quæ in domo tua est*. Sic totam Philemonis familiam, ut pro Onesimo deprecentur, prudenter involvit.

5. (c) Gratias ago Deo meo de his quæ audio, tum de fide tua in Christum, tum de charitate erga sanctos: sic Philemonis laudes in gratiarum actiones & gratulationem convertit.

6. (d) Ut beneficentia ex fide tua profecta, *evidens fiat in agnitione omnis operis boni*; ut appareat omnibus, nec latere possit. Interpres legit evidens, Chrysost. efficax operosa; ut fides quæ ex largitate tua omnibus apparet, magis ac magis fructuosa fiat operibus bonis; ex quibus divinæ in vos effusæ gratiæ divitias omnes recognoscant. Quæ liberalitas a fide profecta, vere Christiana est: hujus fructus sunt opera charitatis; finis & ratio Christi amor.

7. (e) Quorum inopiam beneficentia tua recreasti.

8. (f) Propterea cum jus habeam & libertatem per Christum imperandi tibi quod officii tui est, quod decet, nempe ut eamdem charitatem, qua usus es in sanctos, erga servum exerceas.

9. (g) Propter charitatem, qua te ut fratrem diligo, rogare magis velim: *Cum sis talis ut Paulus*, uterque senex: senex autem obtemperandi sunt: *Nunc autem & vinctus Jesu Christi*: cujus adeo preces non aspernaberis, Apostoli senis, & vincti pro Christo. *Cum sis talis*: Gr. *cum sim talis*, senex tamen rogo.

10. Obsecro (*h*) te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo,

11. Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi utilis (*i*),

12. Quem remisi tibi. Tu autem illum, ut mea viscera, suscipe (*k*):

13. Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii:

14. Sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.

15. Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut æternum illum reciperes (*l*):

16. Jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem, maxime mihi: quanto autem magis tibi & in carne, & in Domino (*m*)?

17. Si ergo habes me socium (*n*), suscipe illum sicut me:

18. Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet: hoc mihi imputa.

19. Ego Paulus scripsi mea manu (*o*): ego reddam, ut non dicam tibi, quod & teipsum mihi debes:

20. Ita (*p*) frater. Ego te fruar in Domino: Refice viscera mea in Domino.

21. Confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam & super id, quod dico, facies.

22. Simul autem & para mihi hospitium (*q*): nam spero per orationes vestras donari me vobis.

23. Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu,

24. Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas, adjutores mei.

25. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

10. (*h*) Priusquam Onesimum designet, filium nominat a se institutum & baptizatum: Hieron. in hunc locum: *Non sentit injuriam, non dolore cruciatur, nihil novit aliud nisi de Christi Evangelio cogitare.*

11. (*i*) Alludit ad nomen Onesimi, quod *utilem* significat: nec tamen utitur Græca voce 'Ονήσιμος, quod nimis affectatum videri posset; sed voce εὔχρηστον. Et quidem utilis admodum Ecclesiæ postea factus est. De fide servi, qui fide regitur, & pietate constare potest; non item de illo, qui Deo fidem non servat.

12. & 14. (*k*) Ut mihi intime charum. *Sine consilio autem tuo:* citra consensum tuum.

15. (*l*) Tecum in æternum futurum, cum in hac vita, tum in futura.

16. (*m*) Excipies autem ut fratrem charissimum utique, *maxime mihi;* qui eum institui, & baptizavi: *quanto autem magis tibi, & in carne;* qui fidelis erat in domesticis tuis rebus: nam fides eum promptiorem ad obsequium effecit; *& in Domino,* & in Domini negotiis, quæ servus tuus promovebit.

17. & 18. (*n*) Tibi in fide conjunctissimum. *Hoc mihi imputa.* Furtum ejus & debitum in me transfer.

19. (*o*) Hæc Epistola mea manu scripta erit loco chirographi.

20. (*p*) Gr. certe: reddam quidquid ille debet; vel quæso te, frater, ut Onesimum in gratiam recipias. *Ego te fruar in Domino:* Gr. hunc fructum ex te referam, alludens ad nomen Onesimi.

22. (*q*) Ut Apostolo, ad quem plures quotidie confluunt; atque hoc ipsum efficacissimum erat ad flectendum Philemonis animum: Hieron. *Non puto tam divitem fuisse Apostolum, & tantis facultatibus occupatum, ut præparatio ejus ei hospitii, & non una contentus cellula: sed ut dum eum expectat Philemon ad se venturum, magis faciat quod rogatus fuit.*



EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD HEBRÆOS.

SCRIPTA est hæc Epistola ad Judæos Jerosolymæ & in Palæstina degentes. Nam alii Judæi per Græciam dispersi Hellenistæ dicebantur; unde Paulus in fine hujus Epistolæ se una cum Timotheo ad eos venturum pollicetur. Hi quidem ad fidem conversi fuerant, sed legis ritibus plus satis addicti moleste ferebant gentiles ab observatione legalium factos immunes in synodo Jerosolymitana. Bonis suis spoliati in fide ipsa nutabant, existimantes se in lege Mosis eadem commoda subituros, quæ cum bonorum & libertatis & vitæ periculo in Religione Christiana possidebant. Eleemosynis quidem in Macedonia collectis Apostolus mærorem eorum lenierat, sed veneratio Legis Mosaicæ & Gentilium ab ejus jugo solutio eos vehementer angebat. Scripsit ad eos Apostolus e primis Romæ vinculis hanc Epistolam Hebraica, seu patria lingua, quæ forsan Græce versa est a Luca Evangelista, ut videtur Clementi Alexandrino; vel ut aliis placet, a Clemente Romano, cujus Epistola ad Corinthios & stylo & sententiis ab hac Epistola non multum abhorret. Canonicam illam Græci pene omnes paucis exceptis agnoverunt: Atque ad eam videtur Petrus alludere, Epist. 2. cap. 3. Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, *Judæis nimirum: Nomen suum Epistolæ non præfixit, ne forte eos offenderet, quod Paulum minus æquum esse cæremoniis Judaicis persuasum haberent: sed in calce Epistolæ satis se prodit. Clemens Romanus quædam hujus Epistolæ citat testimonia. Ariani posteriores eam rejecerunt, quod sibi adversa videretur: hanc citat Tertull. sed ut Barnabæ. Eusebius L. 5. cap. 26. testatur quædam ejus testimonia ab Irenæo referri. Hilarius & Ambrosius eam citant ut Pauli Apostoli. August. Lib. 2. de Doctr. christ. cap. 8. & passim aliis in locis ut canonicam agnoscit, uti & Conc. Carthag. Innoc. I. Gelasius. Ab Ecclesiis omnibus Græcis & a meliori parte Latinarum semper ut genuina Pauli Epistola recepta est: tametsi tertio sæculo ab omnibus non agnita est ut canonica.*

Ex Italia scriptam esse, ex c. 13. 23. colligitur: Cognoscite fratrem nostrum Timotheum, cum quo, si celerius venerit, videbo vos. *Quæ circumstantiæ non in alium, quam in Paulum Apostolum convenire possunt. Paulo familiaris stylus quidem sublimior videtur, & tersior quam in aliis Epistolis, quod ad Judæos subtiliores, & in Scripturis ac ritibus veteris legis magis exercitatos scriberet. Neque aliud ex styli diversitate colligi potest, quam hanc Epistolam lingua apud Hebræos usitata scriptam fuisse, & Græce translatam a Luca, aut ab alio. Paulus in hac Epistola Jesum Christum ut Deum & hominem præ Angelis omnibus, præ Abrahamo & Mose extollit; sacerdotium ejus, quod est secundum ordinem Melchisedech, Sacerdotio Levitico longe anteponit; sacrificium ejus victimis legalibus, novum testamentum veteri longe præstantius esse demonstrat: atque hæc in prima parte suæ Epistolæ fusius prosequitur, quod Judæi legem Angelorum ministerio datam: Mosis auctoritatem, Aaronis Pontificatum. Levitici sacerdotii perpetuam successionem, veteris testamenti promissa & miracula a Deo facta opponerent; in secunda Epistolæ parte, fidei necessitatem sanctorum exemplis confirmat, consolationes denique subjicit, ac mores instruit.*

CAPUT PRIMUM.

Apostolus hoc in capite Christi excellentiam præ Angelis & divinitatem ejus demonstrat.

1. MULTIFARIAM (*a*), multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime

2. Diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit (*b*) hæredem universorum, per quem fecit & sæcula.

* Sap. 7. 26. 3. * Qui cum sit splendor (*c*) gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis:

4. Tanto melior (*d*) Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit.

* Ps. 2. 7. 5. Cui enim dixit aliquando Angelorum: * Filius meus es tu, ego hodie genui (*e*) te?
* 2. Reg. 7. 14. Et rursum: * Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium?

6. Et cum iterum introducit (*f*) primogenitum in orbem terræ, dicit: * Et adorent eum omnes Angeli Dei. * Ps. 96. 7.

* Ps. 103. 4. 7. Et ad Angelos (*g*) quidem dicit: * Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.

* Ps. 44. 7. 8. Ad filium (*h*) autem: * Thronus tuus Deus, in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui.

9. Dilexisti (*i*) justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis.

* Ps. 101. 26. 10. Et: * Tu in principio, Domine, terram fundasti (*k*): & opera manuum tuarum sunt cæli.

11. Ipsi peribunt (*l*), tu autem permanebis, & omnes ut vestimentum veterascent:

12. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

13. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: * Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? * Ps. 109. 1. 1. Cor. 15. 25.

14. Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?

CAPUT II.

Probata Christi divinitate, concludit Apostolus legem ejus servari oportere; tum agit de passione Christi, per quam de morte & diabolo triumphavit.

1. PRopterea (*a*) abundantius oportet observare nos ea, quæ audivimus, ne forte pereffluamus.

2. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem:

3. Quo-

CAPUT I. 1. (*a*) Deus voluntatem suam sæpe & variis modis olim aperuit, adeo ut alia quibusdam prophetis, alia aliis revelaverit, nec omnibus uno & eodem modo ea retexerit, nonnullis per imagines, aut verba, aut ænigmata, aliis inter dormiendum, aliis inter vigilandum. *Novissimis diebus istis locutus est nobis in Filio:* Sed nuper nobis locutus est per Filium suum Deum & hominem; sic Hebræos & fideles longe majori gratia dignatus est in nova lege per Incarnationem: Nam Prophetæ per figuras & ænigmata certis temporibus locuti sunt.

2. (*b*) Qui ut homo hæres & possessor Universi a Patre est constitutus, cum ab æterno ut Deus rerum omnium sit conditor & Dominus.

3. (*c*) Seu paternæ gloriæ, & divinæ majestatis, ut radius est splendor solis, a quo emanat: Patri coæternus: sed ne cum expertem naturæ divinæ crederemus, mox subdit, *Et figura substantiæ ejus:* Gr. *Character*, seu imago paternæ substantiæ sic expressa, ut per omnia sit illi similis & æqualis omnino, ejusdem naturæ: *Portansque*, tenens, conservans, & continens omnia nutu suo, & potentia; *Purgationem peccatorum faciens;* Græc. per semetipsum purgationem faciens peccatorum nostrorum, non per exteriores victimas, sed per proprium corpus. *Sedet;* Apostolus Christi prærogativas recenset, tum ratione æternæ generationis, quod per eum ut Deum & æternam sapientiam mundus sit conditus; sit gloriæ paternæ splendor; ut imago illius viva, sustentet & regat omnia nutu suo & voluntate; tum ut homo nos proprio sanguine abluerit, quod supra res omnes creatas positus, thronum gloriæ adeptus fuerit; ut hæres universorum, & judex, atque in cælum ascendens, sacerdotis, victimæ & mediatoris munus apud Patrem obire non desinat.

4. (*d*) Jam Christum Angelis longe præstantiorem esse probat ex Scripturis. Primum quidem ex ipso Filii Dei nomine, quod ab æterno accepit; deinde per incarnationem factus est homo Dei Filius, cum Angeli servi tantummodo sint & ministri Dei; si Filius est, Deus quoque est.

5. (*e*) Cui ab æterno dixit Deus, Hodie genui te; non adoptione, aut gratia, sed natura filium meum ab æterno genui te; quod iterum in ipsa incarnatione, & in resurrectione ad immortalem gloriam a Patre fuit iteratum, uti docet Paulus, Act. 13. *Et rursum, ego ero illi in patrem;* de temporali filiatione loquens; quæ verba de Christo, cujus Salomon typus erat, Apostolus cum Hebræis ad fidem conversis intelligit.

6. (*f*) Indicit vel in ipsa Incarnatione, cum Filius mundi possessionem adiit, vel cum in fine sæculorum iterum introducit primogenitum suum in orbem terrarum, ut pro dignitate sua honoretur. *Et adorent eum omnes Angeli Dei*, Psalm. 96.

7. (*g*) Id est, de Angelis. *Qui facit Angelos suos spiritus*. Psalm. 103. qui facit Spiritus Angelos, seu nuntios: nam Angelus est nomen officii, ut Spiritus naturæ ignis; id est, igneæ quodammodo & actuosæ naturæ, cujusmodi sunt fulgura jussa Dei exequentes summa celeritate.

8. (*h*) Longe aliud est Filii munus regnandi, scilicet, in æternum: unde & eum vocat Deum: *Thronus tuus Deus;* o Deus Christe, in vocandi casu, thronus tuus æternus erit. *Virga æquitatis*, sceptrum tuum erit justitiæ sceptrum. Psalmus 44.

9. (*i*) Amor justitiæ, & odium iniquitati, judiciorum lex & norma futura est. Hæc Regis sunt ornamenta, thronus & sceptrum, quæ ministro non conveniunt. *Unxit te Deus*, in vocandi casu, *Deus tuus, oleo exultationis*, gratia Spiritus sancti secundum humanitatem unxit te, *præ participibus tuis*, non ad mensuram, sed ad plenitudinem, non oleo materiali unctus es a Patre, sed ipsa divinitate. Alludit ad nomen Messiæ, aut Christi, seu uncti.

10. (*k*) Postquam de humanitate Christi, quæ uncta est Spiritu sancto, locutus est, ad illius divinitatem redit, ne quis forte existimet Christum incœpisse, cum assumpta carne in orbem terrarum inductus est, Christi itaque excellentiam & deitatem ex ipsius opere demonstrat, & verba Psalmi 101. ei tribuit.

11. & 13. (*l*) In formam novam mutati. *A dextris meis*, in plenitudine majestatis meæ. *Donec ponam*, vox illa non finem temporis, sed æternitatem significat: vel donec, ut ponam: sic Psalm. 122. *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum: donec misereatur nostri*, ut misereatur nostri.

CAP. II. 1. (*a*) Ex iis, quæ de Christi excellentia præ Angelis docuit Apostolus, id concludit, majori reverentia & cura observari a nobis oportere, quæ ab ipso Christo accepimus: *Ne forte pereffluamus*, ne forte hæc doctrina minus attentis animis excepta, instar aquæ e vase rimarum pleno perfluat.

3. Quomodo (*b*) nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est,

* Marc. 16. 20. 4. * Contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.

5. Non enim Angelis subjecit Deus orbem (*c*) terræ futurum, de quo loquimur.

6. Testatus est autem in quodam loco quis,
* Ps. 8. 5. dicens: * Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum?

7. Minuisti (*d*) eum paullo minus ab Angelis: gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum.

* Matth. 28. 18. 8. * Omnia subjecisti (*e*) sub pedibus ejus.
1. Cor. 15. 26. In eo enim quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei.

* Phil. 2. 8. 9. * Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum: ut gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem.

10. Decebat (*f*) enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.

11. Qui enim sanctificat (*g*), & qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens:

* Ps. 21. 23. 12. * Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.

* Ps. 17. 3. 13. Et iterum: * Ego ero fidens in eum.
* Is. 8. 18. Et iterum: * Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus.

14. Quia ergo pueri communicaverunt (*h*) carni & sanguini, & ipse similiter participavit iisdem: * ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum: * Osee 13. 14. 1. Cor. 15. 54.

15. Et liberaret (*i*) eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.

16. Nusquam (*k*) enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.

17. Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis pontifex (*l*) ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.

18. In eo enim, in quo passus (*m*) est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.

CAPUT III.

Moses in domo Dei ut famulus, Christus ut Filius. Ne corda nostra obduremus, ut Judæi.

1. UNde, fratres sancti, vocationis cælestis participes, considerate (*a*) Apostolum & pontificem confessionis nostræ Jesum:

2. Qui fidelis est ei, qui fecit illum (*b*), sicut & * Moyses in omni domo ejus. * Num. 12. 7.

3. Amplioris (*c*) enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam.

4. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus est.

5. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus (*d*), in testimonium eorum, quæ dicenda erant:

6. Christus vero tamquam filius in domo (*e*) sua: quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.

7. Qua-

3. (*b*) Quomodo judicium Dei effugiemus, si Evangelicam doctrinam, quæ nobis salutem attulit, spernamus? Ac ne forte obtenderent legem novam non sibi, ut par erat, traditam fuisse: mox subjicit eam a Domino ipso prædicatam; tum ab ejus Apostolis & discipulis ad nos & ad nostram usque ætatem esse promulgatam, atque innumeris miraculis confirmatam. Quæ miracula cum certa sint, & comperta, religionis nostræ firma sunt argumenta: Quod si fides eis non habeatur, *Hoc nobis unum erit grande miraculum, quod terrarum orbis sine ullis miraculis Christo credidit*, August. Lib. 22. de civitate cap. 5. & cap. 8. *Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum ipse est prodigium, qui mundo credente non credit. Quamquam nec desunt his temporibus vera miracula: Nam etiam nunc fiunt miracula in ejus nomine, sive per Sacramenta ejus, sive per orationes, vel memorias Sanctorum ejus*: tum publica & manifesta profert miracula per sancti Stephani reliquias facta. Cum autem illud Hebræis venire in mentem posset, populum Hebræum, seu Synagogam olim subjectam fuisse Angelorum regimini: hanc statim objectionem diluit Apostolus.

5. (*c*) Ecclesiam, seu mundum innovatum.

7. (*d*) Si de Christo intelligimus, hoc de illo ut mortali & tempore mortalitatis suæ interpretari licet. *Paullo minus*: quidam interpretantur, ad modicum tempus.

8. & 9. (*e*) Nihil enim excipit, atque hanc prophetiam Christo applicat, juxta communem Judæorum, qui tunc erant, sententiam: Sic passioni Christi aptat illa prophetæ verba: *Minuisti eum paullo minus ab Angelis*; ut ad resurrectionem ejus quæ sequuntur, prophetæ verba referuntur: *Gloria & honore coronasti eum*. Ac ne conditio illa mortalis Judæos offenderet, qui Angelos impassibiles Christo passibili & mortali anteponerent, necessitatem mortis Christi probat, primum ex fine, quem sibi Christus proposuit, *ut gratia Dei*, ex mera charitate sua pro salute omnium, & ad breve tempus, *gustaret mortem*.

10. (*f*) Hoc & ipsi Patri conveniebat: *Adduxerat*, qui hanc ad salutem viam ab æterno hominibus statuit; *Consummare*, perfecte gloriosum reddere: cum e summa crucis ignominia ad summam resurrectionis & ascensionis gloriam pervenit.

11. 12. & 13. (*g*) Christus scilicet. *Et qui sanctificantur*, fideles utique: *Ex uno omnes*; ex communi parente prognati eamdem naturam participant, propterea non confunditur *eos vocare fratres, dicens*; et probat ex Psalm. 17.

14. (*h*) Homines ex carne & sanguine constant, atque hujus naturæ voluit esse particeps: *Ut per mortem destrueret eum*, qui invecta per peccatum morte tyrannum agebat.

15. (*i*) Per mortem suam, & spem vitæ æternæ, eos qui nimium perhorrescentem mortem instar servorum in perpetuo timore versabantur. Itaque vos ab ea servitute Christus liberavit. *Christianum expeditum mortis genus*. Tertull. Lib. de Spectaculis.

16. (*k*) Sed hominem fugientem & reluctantem quasi manu injecta in libertatem asseruit.

17. (*l*) Vel miseriarum nostrarum sensu motus nos Deo Patri reconciliaret.

18. (*m*) Ex morte sua & passione vim illam nobis in tentationibus & probationibus opitulantem deprompsit.

CAP. III. 1. (*a*) Postquam Christum longe excellentiorem esse Angelis Scripturarum auctoritate demonstravit, nunc eum cum Mose comparat. Ac primum ratione ministerii probat Christum Pontificem & Apostolum esse confessionis nostræ, seu fidei nostræ, quam profitemur, cum interpellat pro nobis apud Deum: unde & Pontifex est & Apostolus, seu legatus Dei, ad oves, quæ perierant domus Israel, missus. Ut Apostolus, Ecclesiæ fundamentum posuit fidem; ut Pontifex, Sacramentorum gratiam hominibus impertitus, se obtulit in sacrificium pro omnibus.

2. (*b*) Juxta Græcum textum sic legendum videtur: Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Jesum fidelem fuisse ei qui fecit illum, qui ad eam dignitatem illum evexit. Ita quidem sermoni suo moderatur, ut Christum pridem assimilet Mosi, ne Hebræos offendat, qui Mosen ultra quam par erat, extollebant.

3. (*c*) Nunc habita honoris & dignitatis ratione Christum Mose longe præstantiorem esse hinc probat, quod Moses minister tantum domus fuerit; domus illa fuit Synagoga, cujus pars erat Moses: Ecclesiæ vero opifex ac Dominus Christus est, qui totum hoc Universum condidit.

5. (*d*) Ne Mosen videatur contemnere, fidem & fidelitatem ejus commendat, sed ut famuli, qui Domini voluntatem domesticis Dei bona fide aperiret.

6. (*e*) Supra domum suam, quam ipsemet regit. *Quæ domus sumus nos*, vel etiam Christi domus sumus nos: *Si fiduciam*, Græce παῤῥησίαν, *firmam retineamus*: si nihil trepidantes, libere Christum prædicemus, ac spem omnem nostram in eo collocemus, & de illa spe gloriemur, ex Græco textu secus si ab ea spe exciderimus, ab ejus domo ejiciemur. Quod Patrum exemplo probat, qui ex Ægypto egressi cum spe promissam terræ sanctæ hæreditatem adeundi, ab ea fuerunt exclusi, atque in eam rem citat Psalm. 94. ut probet non magis eos cælestem patriam adituros, si Christo non paruerint quam patres eorum terram promissam ingressi sunt.

* Ps. 94. 8. Inf. 4. 7. 7. Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: * Hodie si vocem ejus audieritis,

8. Nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum (f) diem tentationis in deserto,

9. Ubi tentaverunt me patres vestri: probaverunt & viderunt opera mea

10. Quadraginta annis: Propter (g) quod infensus fui generationi huic, & dixi: Semper errant corde. Ipsi autem non cognoverunt vias meas,

11. Sicut juravi (h) in ira mea: Si introibunt in requiem meam.

12. Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo:

13. Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur (i), ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.

14. Participes (k) enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus.

15. Dum (l) dicitur: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione.

16. Quidam enim audientes (m) exacerbaverunt: sed non universi qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen.

17. Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis, qui peccaverunt, * quorum cadavera prostrata sunt in deserto? * Num. 14. 37.

18. Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt?

19. Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.

CAPUT IV.

Quid sit sabbatum spiritale ingredi, & in Deo quiescere: perstat in exemplo allato eorum, qui perierunt in deserto, quibus facta fuerat promissio, ut nobis per Christum facta est.

1. Timeamus (a) ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse.

2. Etenim & nobis nuntiatum (b) est, quemadmodum & illis: sed non profuit illis sermo auditus, non admistus fidei ex iis, qui audierunt.

3. Ingrediemur (c) enim in requiem, qui credidimus, quemadmodum dixit: * Sicut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab institutione mundi perfectis. * Ps. 94. 11.

4. Dixit enim in quodam loco (d) de die septima sic: * Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis. * Gen. 2. 2.

5. Et in isto (e) rursum: Si introibunt in requiem meam.

6. Quo-

8 (f) Ubi accidit populo Dei in deserto, & in loco, qui dictus est contradictio, seu exacerbatio.

10. (g) In Hebræo desunt hæ duæ voces in Psalm. 94 unde illa verba sumuntur. *Quadraginta annis*, videntur jungi oportere cum sequentibus, *infensus fui*: in Psalterio Romano legimus, *proximus fui*: nimirum ad puniendum: *Infensus fui*: ægre tuli, molestus mihi fuit hic populus vel si jungas cum præcedentibus, probaverunt me annis quadraginta.

11. (h) Itaque juravi, in Psalterio Romano: *Quibus juravi; in requiem meam*, quam daturus eram, ut requiescerent a laboribus suis.

13 (i) Seu vocatur, quamdiu præsenti vita fruimur, & tempus pœnitendi adest. *Fallacia peccati*, fallente & blandiente peccato. Bernard. lib. 1. de consid. cap. 2. Cor durum *ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicia furdum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, &c.*

14 (k) Periculosam securitatem amolitur, ac subinde monet nihil eis prodesse, quod per fidem Christo ut capiti suo sint conjuncti, si ab eo discedant. *Si tamen*, si fidem Christi, quæ per charitatem operatur, per quam spiritaliter vivimus, ut corpus per animam, ad finem usque vitæ habeamus. *Initium substantiæ*, quam initio accepimus, per quam subsistimus, vel quæ initium vitæ novæ, quam accepimus a Deo, nobis dedit.

15. (l) Particula *dum*, in Græco deest; Latini quidem eam jungunt cum superioribus. Unde videtur id supplendum post hæc verba, *usque in finem retineamus*, ne idem infortunium nobis accidat, quod Hebræis, ne similiter pereamus, cum intelligimus nobis dictum, *Hodie si vocem ejus, &c.* quamdiu vivimus, & audimus vocem Dei per ejus ministros.

16 (m) Gr. qui audierant; *Exacerbaverunt, sed non universi*: hæc per interrogationem legi oportere existimant Chrysostomus, Theodor. quos sequitur auctor Analyseos Gallicæ dissert. 52. Chrysostomus hunc locum exponens hæc habet: Cum tursus attulisset testimonium (nempe ex Psalmo 94. citatum vers. 15.) Subjungit interrogationem, scilicet vers. 16. Quod quidem claram efficit orationem, unde hunc versiculum & sequentes, per interrogationem exponit. Quosnam, inquit, meminit Scriptura, qui indurati fuere? nec ipse quidquam addit, quod ad illam pertineat restrictionem. Quidam exacerbaverunt, sed non omnes. Theodoretus hunc vers. 16. in duo membra secat: Primum, inquit, legendum per interrogationem; secundum autem non enuntiatur; sed per responsionem: Quæ enim sequuntur, efficiunt ut ita intelligamus: Nam præter Caleb, & Jesum Nave, sexcenta millia perierunt. Eodem quoque argumento utitur Apostolus 1. Cor. 10. ut pium & humilem timorem incutiat fidelibus exemplo Judæorum, qui ex Ægypto egressi perierunt in deserto, quod Deum multis seditionibus irritarant: & paucos ex iis Deo placuisse docet.

CAP. IV. 1. (a) Ne forte neglecta & spreta promissione divina de introitu in requiem Dei, seu in regnum cælorum, deesse huic promissioni aut deficere, eaque frustratus inveniatur.

2. (b) Hebræos hac in re cum patribus confert, quod utrisque promissio Dei annuntiata fuerit, & promulgata: *Sermo auditus*, in genitivo casu, sermo auditionis, quem audierunt; *Non admistus fidei*, non attemperatus fidei, aut conjunctus cum fide eorum, qui crediderunt, Josue scilicet & Caleb; sed ab exploratoribus missis decepti in Ægyptum remeare voluerunt. Suspicatur Grotius vitio librariorum positum fuisse, *quæ*, pro, *qui*; non perinde crediderunt ut Josue & Caleb: Christus annuntiatus fuit Judæis, sed figuris adumbratus.

3. (c) Hebræi falso sibi persuaserant hanc requiem a Deo promissam non aliam esse præter terræ promissæ possessionem, qua excludi non poterant. Itaque Apostolus hanc eis falsam detrahit opinionem, & probat requiem illam quam fideles expectant, non aliam esse quam Dei ipsius possessionem: de qua reque Propheta loquitur Psalm 94. *Sicut juravi, &c.* Quæ quidem requies est Dei ipsius, quæ negata tantummodo fuit incredulis: credentibus non requies tantum sabbati, vel terræ promissæ, sed regni cælestis possessio promittitur. Hanc Hebræi nondum erant adepti, quamvis in requiem sabbati absoluto creationis opere homines jam ingressi fuerint. Interpretes plerique post Chrysostomum requiem illam, cujus fit mentio Psalm. 94. ab ea distinguunt, cujus fit mentio Gen. 2. *Requievit Deus die septima*; priorem fidelibus esse promissam volunt, non posteriorem. Auctor Analyseos Gallicæ, dissert. 13. multis probat argumentis duplici illius requiei distinctione textum Apostoli omnino perturbari, cum unicus sit sensus & intellectu facilis, si unam & eamdem Dei requiem Genes. 2. & Psalm. 94. memoratam agnoscamus. Ab ea exciderunt increduli, & hanc fideles expectant. Hoc utique videtur Apostolo propositum, ut probet Judæos incredulos a vera Dei requie, in qua eos collocaturus erat, excidisse, & fideles in eam admissum iri; idque sic ostendit.

4 (d) Nempe Genes. 2. *De die septima*. *Et requievit Deus, &c.* En loco de requie Dei loquitur Scriptura. Eaque est exemplar æternæ nostræ quietis.

5. (e) In hoc scilicet Psalm. 94. quem locum adducit Apostolus, ut testimonium Genes. 2. confirmet, & probet incredulos ab illa requie, cujus fit mentio Genes. 2. *Si introibunt in requiem meam*, quæ scilicet post creationem Universi est confecuta, atque ejus quietis ii futuri sunt participes, qui se totos Deo devoverint, & a rebus creatis abstraxerint: nec duplici requie fruitur Deus, sed una: Moyses Genes. 2. Deo requiem tribuit absolutis ejus operibus: ergo requies illa, a qua exciderunt Judæi infideles Psalm. 94. eadem est cum illa, cujus mentionem facit Moyses. Deus in opere creationis quasi extra seipsum prodiit, & per requiem in seipsum rediit, in quo finis est rerum omnium, & summa perfectio, dum cuncta ad ejus gloriam referuntur.

6. Quoniam ergo ſupereſt (*f*) introire quoſdam in illam, & ii, quibus prioribus annunciatum eſt, non introierunt propter incredulitatem:

7. Iterum terminat (*g*) diem quemdam, Hodie, in David dicendo, poſt tantum temporis, ſicut ſupra dictum eſt: * Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra. * Sup. 3. 7.

8. Nam ſi eis Jeſus (*h*) requiem præſtitiſſet, numquam de alia loqueretur, poſthac, die,

9. Itaque relinquitur ſabbatiſmus (*i*) populo Dei.

10. Qui enim ingreſſus eſt in requiem ejus: etiam ipſe requievit ab operibus (*k*) ſuis, ſicut a ſuis Deus.

11. Feſtinemus (*l*) ergo ingredi in illam requiem: ut ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum.

12. Vivus eſt enim ſermo (*m*) Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.

* Pſ. 33. 16. Eccli. 15. 20.

13. * Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo (*n*).

14. Habentes (*o*) ergo pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jeſum filium Dei, teneamus confeſſionem.

15. Non enim habemus pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.

16. Adeamus (*p*) ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

CAPUT V.

Superiori capite Apoſtolus illud inſinuavit, Chriſtum novæ legis ſummum eſſe Pontificem: idque in hoc capite fuſius probandum ſuſcipit.

1. OMnis namque Pontifex (*a*) ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis:

2. Qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate:

3. Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis.

4. * Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. * Exod. 28. 1. 2 Par. 26. 18.

5. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut pontifex fieret: ſed qui locutus (*b*) eſt ad eum: * Filius meus es tu, ego hodie genui te. * Pſ. 2. 7.

6. Quemadmodum & in alio loco dicit: * Tu es ſacerdos in æternum (*c*), ſecundum ordinem Melchiſedech. * Pſ. 109. 4.

7. Qui in diebus (*d*) carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere a morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.

8. Et quidem cum eſſet Filius (*e*) Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam:

9. Et

6. (*f*) Cum igitur promiſſio a Deo facta irrita eſſe non poſſit, nec voluntas ejus fruſtrari, neceſſe eſt ut quidam introeant in eam requiem, aut Judæi, aut nos ipſi; illi quibus nuntiatum eſt, non introierunt propter incredulitatem; *Ingredimur ergo*; quæ concluſio eſt ipſa propoſitio quam probatam oportuit.

7 (*g*) Gr. *Præfigit*, & determinat quoddam temporis ſpatium, *poſt tantum temporis*: poſt 400 & amplius annos a Joſue temporibus, cum facta eſt promiſſæ terræ partitio, & David adhuc ad illam requiem nos excitat his verbis: *Hodie ſi vocem ejus*, &c. manifeſtum itaque eſt ſupereſſe aliam requiem, in quam tendere debemus. *Hodie*, quamdiu vivimus, præter illam quam populus Hebræus adeptus eſt in terra Chanaan, eaque eſt æterna, & beatorum felicitas. *Hodie* dicitur, quod brevi deſinat vita noſtra, quaſi dies unus.

8. (*h*) Seu hodie, *requiem præſtitiſſet*, diem alium Deus non deſignaret, quo ingreſſuri eſſent. Non igitur illa fuit Dei requies obtemperantibus propoſita. Nam ſi Joſue temporibus illam conſecuti fuiſſent requiem, cujus meminit David, numquam de alia loqueretur: *Poſt hac*, &c, qua poſtea Jeſus Chriſtus, cujus Joſue erat typus, introducturus eſſet fideles: vel non loqueretur poſtea de alia die, ſi Joſue in ea requie eos ſtatuiſſet.

9. (*i*) Cum ceſſet ab operibus ſuis: huic relinquitur celebratio veri ſabbati.

10 (*k*) Poſt mundi creationem hæc requies exemplar eſt quietis illius, quæ fideles manet. Qui vitam ingrediuntur immortalem, ut fruantur æterna Dei quiete. Ex his efficitur eamdem eſſe requiem, quæ Pſalm. 94. & Geneſ. 2. memoratur, regnum ſcilicet cælorum paratum electis a conſtitutione mundi, cujus poſſeſſione adipiſcentur.

11. (*l*) Enitamur per fidem & bona opera in illam ingredi requiem, ne quis cum Judæis incidat in idem incredulitatis crimen, & excludatur ab illa quiete æterna.

12. (*m*) Idem quidem de Verbo increato, & de verbo inſpirato intelligi poteſt, quod mutari nequit, quæque Deus pollicetur, eadem præſtat. Quamquam de verbo Dei generatim, ſive promittat, ſive minetur, hæc commode intelligi poſſunt, idque ad intima uſque animæ penetrat.

13 (*n*) De quo nobis ſermo futurus eſt, vel de quo nunc loquimur.

14. & 15. (*o*) Iterum eos hortatur, ut in fide firmi ſint & ſtabiles. Cum ergo, inquit, cum habeamus Pontificem in cælis, qui interpellat pro nobis, qui in æternam quietem nos inducet, non deſpondeamus animum: nam Pontifex noſter compatitur infirmitatibus noſtris. *Tentatum*, qui licet ab omni peccato purus eſſet, omnibus tamen modis tentatus eſt. Gr. *aſſimilatus*: Nihil in templo offerri poterat, niſi per ſacerdotes, nihil in cælo Deus accipit, niſi per Filium ſuum.

16 (*p*) Promiſſionibus ejus confidentes, *ad thronum gratiæ ejus*, ad tribunal pænitentiæ accedamus; *ut miſericordiam conſequamur*, remiſſionem peccatorum, *& gratiam inveniamus*, in hac ſcilicet vita, dum pœnitentiæ locus eſt, & tempus impetrandi divini auxilii; ille indigentiæ noſtræ ſubveniet. Hic enim eſt fructus ſacrificii Chriſti in terra, & functio æterni ejus ſacerdotii in cælo.

1. & 2. (*a*) Ante omnia, quæ eſſent Pontificis in veteri lege conditione exponit: prima ex natura ipſa deſumitur; quæ nimirum ſimilis eſt aliorum hominum, atque in iis conſtituitur, quæ ad cultum Dei pertinent. 2. Ut offerat dona ſponte oblata & ſacrificia pro peccatis populi & pro ſuis, quoniam ipſe eſt circumdatus infirmitate. 3. *Qui condolere poſſit*: Græc. moderate ferre aliorum infirmitates & delicta, adeo ut non plus ſatis ſit indulgens, nec plus æquo ſeverus: Gr. memor ſuæ fragilitatis miſericors eſſe debet. 4. Nec ſeipſum intrudit, aut ingerit, ſed vocari a Deo debet tamquam Aaron, vel per ſe, vel per ſucceſſionem a Deo ordinatam. CAP. V.

5. (*b*) Hunc honorem ipſi tribuit Pater, qui dixit ad eum, *Filius meus es tu*; teſtimonium divinitatis Chriſti præmittit, ne ſimilem pretiis aliis pontificibus exiſtimarent. Neque id mirari debemus, quod Chriſtus ſummus Pontifex a Deo ſit conſtitutus, cum ſit filius Dei. Adeo ut ſacerdotii illius dignitas, naturali ejus filiationi quodammodo ſit inita. Ac poſt reſurrectionem ſuam in ſancta ſanctorum, ſeu in cælum introivit, & regni ſui adiit poſſeſſionem.

6. (*c*) Summus novæ legis Pontifex ad redimenda hominum peccata a Patre miſſus eſt, & ordinatus, *Secundum ordinem Melchiſedech*, ſeu ritum a Deo inſtitutum, quo panem & vinum obtulit Melchiſedech.

7. (*d*) Dixerat id proprium eſſe ſacerdotis, ut pro ſe & pro aliis hoſtias offerat; id factum eſſe a Chriſto in vita ſua, & præcipue in cruce, pro ſua reſurrectione, & noſtra: *Cum clamore valido*, non vocis tantum, ſed & deſiderii: *Reverentia*, pro ſua pietate & veneratione in Patrem, vel pro ipſius dignitate: unde Chriſtus inducitur Pontifex, ut orans pro ſe & aliis, & circundatus infirmitate noſtra.

8. (*e*) Gr. *Et ſi Filius Dei eſſet*: *Didicit*, experientia didicit, quam difficilis virtus eſſet obedientia, & quam arduum foret, Deo pro peccatis hominum ſatisfacere. Bernar. *Dedit vitam, ne perderet obedientiam.*

9. Et consummatus (*f*), factus est omnibus obtemperantibus sibi, caussa salutis æternæ,

10. Appellatus (*g*) a Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech.

11. De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.

12. Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus (*h*): rursum indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.

13. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ: parvulus (*i*) enim est.

14. Perfectorum autem est solidus cibus: eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem (*k*) boni ac mali.

CAPUT VI.

Quam difficile est Christianos, qui post tot Dei beneficia lapsi sunt, & Filium ejus rursus in semetipsis crucifixerunt, renovari ad pœnitentiam.

1. QUapropter intermittentes (*a*) inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum,

2. Baptismatum (*b*) doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & judicii æterni.

3. Et hoc faciemus (*c*), si quidem permiserit Deus.

4. * Impossibile (*d*) est enim, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, *Matth. 12. 45. 1. Jo. 5. 16. 2. Petr. 2. 20.

5. Gustaverunt (*e*) nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi,

6. Et prolapsi sunt: rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes (*f*) sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.

7. Terra (*g*) enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, a quibus colitur: accipit benedictionem a Deo.

8. Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima: cujus consummatio in combustionem.

9. Confidimus (*h*) autem de vobis dilectissimi meliora, & viciniora saluti: tametsi ita loquimur.

10. Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis.

11. Cupimus autem unumquemque vestrum eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem (*i*) spei usque in finem:

12. Ut

9. (*f*) Gr. perfectus, vel immolatus. *Caussa salutis æternæ*, quam in cruce operatus est, ad summum gloriæ gradum de cruce evectus.

10. (*g*) Declaratus verus Pontifex, qui quo delictis populi se Deo obtulit, qui sacrificium instituit in postrema cœna ad finem usque mundi duraturum, in quo sub speciebus panis & vini corpus suum & sanguinem consecravit; de quo quidem mysterio multa & grandia dicenda essent; sed plures erant ex iis, ad quos scribit, qui hæc capere non poterant.

12. (*h*) Quia doctum est, ex quo credidistis. *Elementa*, quæ sint prima doctrinæ Evangelicæ rudimenta, cum in fide nutarent, & ad doctrinam sacram, non ut par erat, intenderent animum.

13. (*i*) Est quædam infantia Christiana, quæ malum nescit; est alia, quæ in bono est satis instructa: illa crescere debet, ex hac autem exeundum est. *Justitiæ* perfectæ justitiæ; sublimem religionis perfectionem non capit.

14. (*k*) Quod sit vere bonum, quod secus; quæ sit sana doctrina, quæ erronea.

CAP. VI. 1. (*a*) In gratiam perfectorum, de quibus mox fecit mentionem, omissis instructionibus Christianæ religionis, quæ cum Catechumenis & Neophytis haberi solent, cujusmodi sunt pœnitentia baptismi prævia, prima in Deum fidei elementa, ad sublimiora nos tollamus: cujusmodi est æternum Christi sacerdotium.

2. (*b*) Quæ tradi solent tyronibus; forsan vocat Baptismata propter trinam immersionem, vel ad varias ablutiones veteris legis alludit: *Impositionis quoque manuum*, in sacramento Confirmationis; sed his enim jamdudum instructi estis, uti & de resurrectione mortuorum, & de extremo judicio. Hæc igitur omittamus, quæ sunt initia, ac prima velut fundamenta Christianæ religionis. Quamquam horum obliti videmini, & opus esse, ut iterum illa ædificetis.

3. (*c*) Sublimiora docebimus, si Deus siverit.

4. (*d*) Rationem affert cur hæc omittet, quod impossibile sit, eos qui per apostasiam defecerant a fide post Baptismum, per secundi Baptismi pœnitentiam renovari. Nam per Baptismum renovamur ab omni culpa & pœna; nec tunc deerant qui variis Baptismatibus assueti confidentius peccarent, sperantes fore ut per iterata Baptismata peccata omnia condonarentur. Id vero prorsus impossibile esse declarat Apostolus, quod per Baptismum plenus mortis Christi effectus quoad culpam & pœnam nobis applicetur, ac Christus semel mortuus non amplius moriatur, idque impossibile sit ut iterum cruci affigatur. Unde impossibile prorsus est, non tantum difficile, ut per iterata Baptismata renovetur. Baptismus enim nobis est vice mortis Christi, cujus est similitudo: non igitur est tantummodo difficultas magna renovationis integræ, quæ fit per Baptismum, sed ea plene est impossibilis, cum Baptismus non iteretur, uti nec mors Christi. Renovatio itaque per secundum Baptismum est plane impossibilis, non item renovatio per pœnitentiam, de qua hoc loco non agit Apostolus, quæ semper est possibilis, & peccatoribus exposita. *Gustaverunt*, in Eucharistia; vel qui verbo Dei sunt nutriti, fide in Christum illuminati, vel gustarunt donum spiritualium consolationum, quique acceperunt peccatorum remissionem, ex qua magna oritur conscientiæ tranquillitas. *Participes*, in sacramento Confirmationis, vel participes facti sunt charismatum & donorum Spiritus sancti.

5. (*e*) Et gustaverunt doctrinam christianam, quæ bona cælestia pollicetur, in qua instructi & educati sumus, ubi & spe futuræ beatitudinis firmati. *Virtutesque sæculi venturi*, immortalem gloriam edocti.

6. (*f*) Qui iterare volunt Baptismum, quantum est in se volunt iterum sibi crucifigi Christum, qui pro unoquoque nostrum quodammodo mortuus; nam per Baptismum mors ejus nobis applicatur cum plena & perfecta redemptione: cum semel mortuus sit, pro singulis semel tantummodo vult mori, quantum ad illam perfectam mortis suæ applicationem per Baptismum, præterquam Christus vivit in justis. *Et ostentui habentes*, Gr. *Ludibrio habentes*; moritur in iis qui post Baptismum in peccata relabuntur. Origenes, Homil. 2. in c. 2. Jud. Derisus est Jesus in illis sine dubio, qui sæpe pœnitendo, & iterum delinquendo, velut insultare morti Jesu dicuntur; *&* ostentui *habentes*, ludibrio, aut certe infidelium derisioni eum exponentes, quasi mors Christi in Baptismo peccata omnia non deleverit.

7. & 8. (*g*) Illos, qui renovari volunt per secundum Baptismum post apostasiam, cum terra sterili & infructuosa comparat, quæ imbrem cælestis prædicationis excipiens, nihil aliud quam spinas profert, quæque idcirco ab agricolis rejicitur. *Cujus consummatio in combustionem*; cujus finis est æterna damnatio. Contra, qui per bona opera, & bonum prædicationis & Sacramentorum usum proficiunt in melius, similes sunt terræ imbre cælesti perfusæ, quæ herbas utiles profert: itaque hæc expositio, qua impossibile pro difficili sumit, non videtur Apostoli proposito convenire: cum de pœnitentia, quæ antecedit Baptismum aperte loquatur, non de renovatione per Sacramentum Pœnitentiæ, quæ nec impossibilis est, nec difficultatem habet adeo invincibilem. Præterquam hæc difficultas cum iis quæ præcedunt non cohæret: non enim iis qui post Baptismum peccaverunt est inutile judicium extremum, beatam resurrectionem, & alia fidei dogmata in memoriam redigere: cum terra imbre salutari divinæ gratiæ irrigata *Accipit benedictionem*, herbas bonorum operum gignit, tumque accipit benedictionem a Deo: sed ubi spinas tantum generat, tum illa est maledicto proxima.

9. (*h*) Jam consolatur Hebræos, & in spem eos erigit ob bona opera & labores, quos perpessi sunt; ad perseverandum eos adhortatur. *Et viciniora saluti*, Gr. *conjuncta cum salute*.

[11.] (*i*) Ut spes vestra impleatur, quam perseverantia in tuto collocat.

12. Ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditabunt (*k*) promissiones.

13. Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum,

* Gen. 22. 16. 14. Dicens: * Nisi benedicens (*l*) benedicam te, & multiplicans multiplicabo te.

15. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem.

16. Homines enim per majorem sui jurant: & omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem, est juramentum.

17. In quo abundantius (*m*) volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum:

18. Ut per duas res immobiles (*n*), quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem:

19. Quam sicut anchoram (*o*) habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis:

20. Ubi præcursor (*p*) pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.

CAPUT VII.

Cum quidam ex Hebræis Leviticum sacerdotium adhuc vigere, & semper duraturum, uti & legem Mosis, neque aliter expiari posse peccata quam sacrificiis & ritibus in Lege præscriptis persuasum haberent, utrumque hunc errorem sic refellit Apostolus, ut quod initio capitis superioris receperat, sive ut subliniora religionis mysteria iis exponeret, hoc capite & sequentibus præstet.

Gen. 14. 18. 1. HIc enim Melchisedech (*a*), rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso a cæde regum, & benedixit ei:

2. Cui & decimas omnium divisit Abraham: primum quidem qui interpretatur (*b*) rex justitiæ: deinde autem & rex Salem, quod est, rex pacis,

3. Sine patre (*c*), sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.

4. Intuemini autem quantus (*d*) sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha.

5. Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes, * mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem, id est, a fratribus suis: quamquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ. * Deut. 18. 3. Jos. 14. 4.

6. Cujus autem generatio non annumeratur (*e*) in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromissiones, benedixit.

7. Sine ulla autem contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur.

8. Et hic (*f*) quidem, decimas morientes homines accipiunt: ibi autem contestatur, quia vivit.

9. Et (ut ita dictum (*g*) sit) per Abraham & Levi, qui decimas accepit, decimatus est:

10. Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech.

11. Si ergo consummatio (*h*) per sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech, alium surgere sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici?

12. Translato (*i*) enim sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat.

13. In

12. (*k*) Gr. hæreditant non segnes, sed fortes, & generosi, quæ fortitudo ex fide orta in patientiam desinet.

14. (*l*) Particula, *nisi*, non est dubitantis, sed asseverantis, pro certo habens fore ut tibi benedicam.

17. (*m*) In quibus verbis Deus volens consilii sui & propositi immobilitatem abundantius ostendere, interposuit jusjurandum: vel ex abundanti volens ostendere quam immutabile esset id quod promisit Abrahæ.

18. (*n*) Seu immutabiles, nimirum per promissionem & juramentum, *habeamus*, nos qui in hac vita spe vitæ æternæ sustentamur, non enim nobis aliud est perfugium, quam spes propositæ æternorum bonorum.

19. (*o*) Hanc inter hujus vitæ procellas firmam tenemus, ne adversa nos dejiciant, aut prospera nimium efferant: *Et incedentem*, penetrantem intra velum, in ipsa sancta sanctorum, quæ jure in bonis æternis figitur.

20. (*p*) Viam ad illud sanctorum munivit Jesus. *In æternum*, non semel unoquoque anno introivit in sancta, sed in æternum ibi habitat. Christus in cælo est spei nostræ firmamentum.

CAP. VII. 1. (*a*) Cujus historiam Gen. c. 14. a Mose descriptam summatim attingit, ut ostendat Christi sacerdotium longe præstantius esse sacerdotio Levitico: hujus typum fuisse in Melchisedech, qui in Scriptura sic designatur, ut Abrahamum dignitate superaret. Quod si typus Christi Abrahamo & Levi honore & dignitate superior est, quanto magis Christus ipse sacerdotes omnes ex Abraham prognatos antecellit?

2. (*b*) Melchisedech primum ex nomine ipso, quod regem justitiæ exprimit: *Melech* enim regem, *Sedech* justitiam significat: Item ex civitatis suæ nomine commendat: erat enim rex Salem, quæ postea *Jerusalem* dicta est, quod pacem significat: quibus nominibus Christus veræ justitiæ & pacis rex exprimitur: cum sit justitia ipsa in æternitate, factus est nostra justitia in tempore. 2. Dignitatem Melchisedech insinuat, quod esset sacerdos Dei summi, & benedictionem impertiit Abrahæ a cæde Chodorlahomor redeunti, decimas prædæ omnes Abrahamus Melchisedech obtulerit. Hæc Paulus sic commemorat, ut ostendat Melchisedech multiplici nomine Christi sacerdotium adumbrasse, & in hoc maxime quod de illius ortu & genealogia nullam faciat Scriptura mentionem, in quo etiam Filii Dei est typus.

3. (*c*) Sic Christus secundum humanitatem, patrem nullum habet, nec matrem ut Deus: utramque generationem ejus quis enarrabit? Neque initium dierum, neque in finem vitæ habens: Melchisedecis ortus & interitus ignorantur: *Assimilatus*. In his omnibus quæ commemoravit: *Manet sacerdos in perpetuum*, non in se, sed in Christo, cujus est figura. Has omnes characteres leviter attingit Paulus, atque in his duobus potissimum immoratur, qui Melchisedecis sacerdotium præ Levitico extollunt, quod Abrahamus decimas huic dederit, & benedictionem ab eo acceperit.

4 & 5. (*d*) Ut figura Christi. *De filiis*. Ordo quidem Leviticus in magno erat honore, cum a suis fratribus ex eodem patre Abrahamo oriundis decimas acciperet. Qui e stirpe Levi sacerdotes erant, decimas a populo accipiendi jus habebant.

6. (*e*) Melchisedech nimirum, qui ex eo genere non erat, quique decimas ab Abrahamo recepit. *Benedixit*, ut superior inferiorem; is adeo longe excellentius habuit sacerdotium, quam Leviticum: *A meliore benedicitur*, solemni benedictione.

8. (*f*) In sacerdotio Levitico: *Homines decimas accipiunt*, iique sunt morti obnoxii, alii aliis succedunt. *Ibi autem*, scilicet in sacerdotio secundum ordinem Melchisedech: *Quia vivit*, hoc in loco exprimitur ut vivens, testatur Scriptura Christum, cujus Melchisedech erat figura, semper vivere, cum ait: *Tu es sacerdos in æternum*.

9. & 10. (*g*) Ut ita dicam: *Per Abraham, & Levi*, ipse, qui decimas solet accipere: *Decimatus est*, in Abrahamo decimas solvit; in eo quippe erat quodammodo, ut in stirpe sua.

11. (*h*) Gr. perfectio: quod si sacerdotium Leviticum vim habuit justificandi, *quid adhuc necessarium fuit*? Cur necesse erat, ut alius Sacerdos fieret secundum ordinem Melchisedech, & non secundum ordinem Aaron? Nihil opus erat sacerdotio Christi, si Leviticum sacerdotium justitiam attulisset: Christus solus est victima, & sacerdos Dei; *sub ipso*, vox Græca ἐπί, quæ præpositionem *sub* significat, interdum etiam *propter* significat; tumque hic sensus erit, legem Israelitis datam, ut hoc genus sacerdotii stabiliretur.

12. (*i*) Novum quippe sacerdotium legis mutationem secum habet adjunctam, & translato sacerdotio, necesse est ut

legis

13. In quo (*k*) enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit.

14. Manifestum est enim quod ex Juda ortus sit Dominus noster: in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est.

15. Et amplius adhuc manifestum (*l*) est: si secundum similitudinem Melchisedech exurgat alius sacerdos,

16. Qui non secundum legem mandati carnalis (*m*) factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis.

* Ps.109.4. 17. Contestatur (*n*) enim: * Quoniam tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

18. Reprobatio (*o*) quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem:

19. Nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio (*p*) vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum.

20. Et quantum (*q*) est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt;

21. Hic autem cum jurejurando, per eum, * Ps.109.4. qui dixit ad illum: * Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum.)

22. In tantum (*r*) melioris testamenti sponsor factus est Jesus.

23. Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere:

24. Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum (*s*) habet sacerdotium.

25. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis.

26. Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus (*t*) a peccatoribus, & excelsior cælis factus:

27. Qui non habet necessitatem quotidie (*u*), quemadmodum sacerdotes, * prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo. * Lev. 16. 6.

28. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.

CAPUT VIII.

Idem prosequitur argumentum, & Christi sacerdotii præ Aaronico excellentiam commendat ex templo ipso, & ministerio.

1. CApitulum (*a*) autem super ea, quæ dicuntur: Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis,

2. Sanctorum minister (*b*), & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.

3. Omnis enim pontifex (*c*) ad offerendum munera & hostias constituitur: unde necesse est & hunc habere aliquid, quod offerat.

4. Si ergo esset super terram (*d*), nec esset sacerdos: cum essent qui offerrent secundum legem munera,

5. Qui exemplari (*e*), & umbræ deserviunt cælestium. Sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum: * Vide (inquit) omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte. * Exod. 25. 40. Act. 7. 44.

6. Nunc

legis quoque translatio fiat. Nam hæc duo lex & sacerdotium sunt indivisibiliter conjuncta, neque a se invicem separantur. Sacerdos est fœderis, seu Testamenti mediator; hujus sigillum est sacrificium; lex ipsa est pacti initi conditio: per Christum itur ad Deum: non amplius a Mose, sed a Christo legem accipimus, quæ cordibus nostris inscribitur.

13. (*k*) Gr. *ad quem*, seu de quo hæc dicuntur: *Tu es Sacerdos, &c.* Christus utique, *de alia tribu est*, nempe de tribu Juda: adeo ut sacerdotium Christi de tribu regia orti sit etiam regale, non ut Leviticum, quod legale tantummodo erat.

15. (*l*) Legis & Sacerdotii simul esse translationem. *Si exurgat alius Sacerdos*, Christus scilicet, cujus typus fuit Melchisedech.

16. (*m*) Cujus cæremoniæ pene omnes sunt carnales: *Insolubilis*, qui non secundum carnalem successionem, quæ argumentum est vitæ periturae; *sed secundum virtutem vitæ insolubilis*; qui non institutus est ut Sacerdotes Levitici, sed qui vitam dat credentibus æternam. Origenes in cap. 27. Numer. *Propinquis agrorum & prædiorum relinquatur hæreditas; gubernatio populi Dei illi tradatur, quem Deus elegerit.*

17. (*n*) Pater Filio: *Tu es Sacerdos in æternum*; postquam eum a morte excitavit, qui & ante luciferum eum genuit, Sacerdotem esse in æternum, & vitæ indissolubilis. Veteri Sacerdotium in carnali successione, novum in vita Christi immortali & resuscitata fundatur.

18. (*o*) Antiquatio veteris legis. *Propter infirmitatem.* Cum perficere non possit, aut justitiam conferre. Vetus sacerdotium in promissis & figuris positum erat, novum efficax est, & sanctum.

19. (*p*) Introducta est lex nova, quæ in spem meliorem nos adduxit, per quam, *proximamus Deo*; per quam propius accedimus ad Deum.

20. (*q*) Græc. *Quatenus*, vel in quantum non sine jurejurando institutum est sacerdotium Christi; qui institutionis ritus sacerdotium Christi præ Levitico extollit. Nam prius firmum futurum non erat, ut novum, quod jurejurando fuit constitutum, & immutabile factum.

22. (*r*) Adeo verum est, novum Testamentum veteri esse præstantius. *Sponsor.* Quod utique probat Jesum præstantioris fœderis mediatorem factum, quod ejus sacerdotium jurejurando firmatum fuerit, non item Leviticum: idque hoc juramento testabatur Deus, æternum fore Christi sacerdotium.

24 & 25. (*s*) Non migrans ad alios per successionem. *In perpetuum*, Gr. *plene & perfecte*: *Per semetipsum*, Gr. *per ipsum*; Mors Sacerdotum ministerii finis erat; Christus per mortem & resurrectionem suam iniit sacerdotium.

26. (*t*) Vitæ puritate, nihil habens cum peccatoribus commune; *excelsior cælis factus*: qui ratione assumptæ naturæ supremum tenet locum.

27. & 28. (*u*) Sæpe: *Sacerdotes*, Gr. *Summi Pontifices*. *Legem*, Qui post legem fuit pronuntiatus. Psalm. 109. *Consummatum*, Vox eadem consecratum significat.

1. (*a*) Gr. Summa eorum quæ dicta sunt de abrogatione legis veteris, de sacerdotii Christi & regalis præ Levitico excellentia, eo spectat, ut agnoscamus nos talem habere Pontificem sanctum, innocentem, impollutum, qui introivit in sanctuarium tabernaculi non manu facti; sed ad dexteram majestatis Dei sedet, & in plenitudine divinæ majestatis habitat, ubi sacerdotii sui munus exequitur. CAP.VIII.

2. (*b*) Sanctuarii minister: vox Gr. λειτουργὸς, sacrum ministrum, nec sanctum solum sed sanctuarium etiam significat. Est igitur Christus cælestis sanctuarii sacerdos, veri tabernaculi non a Mose, sed a Domino extructi Ecclesiæ nimirum. Christus cum Ecclesia caput, cum corpore est victima, eo sanctuario & sacerdote digna maxime.

3. (*c*) Utriusque sacerdotii victimas confert inter se. Cum Pontifex omnis offerat hostias & munera pro populo. Christus vero habeat quid offerat, non vitulorum sanguinem, sed proprium corpus & sanguinem, semel in ara crucis oblata, quæ Deo Patri pro nobis jugiter offert, vel incruentum altaris sacrificium.

4. (*d*) Auctor Analyseos Gallicæ hæc ad verbum immediate præcedens revocat: si quod offert sacerdos, esset de iis quæ sunt super terram, ἐπὶ γῆς. Si terrena tantummodo offerret munera, nullus esset novi sacerdotii ministerio locus, cum huic rei tot sacerdotes Levitici generis destinentur.

5. (*e*) Hi quidem Deum colunt, sed cultu qui umbra tantum est cælestium.

6. Nunc autem melius sortitus est ministerium (*f*), quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.

7. Nam si illud prius culpa vacasset: (*g*) non utique secundi locus inquireretur.

*Jer. 31. 31. 8. Vituperans (*h*) enim eos dicit: * Ecce dies venient, dicit Dominus: & consummabo super domum Israel, & super domum Juda, testamentum novum;

9. Non secundum testamentum, quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum ut educerem illos de terra Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo: & ego neglexi eos, dicit Dominus:

10. Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum:

11. Et non docebit (*i*) unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: quoniam omnes scient me a minore usque ad majorem eorum:

12. Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non memorabor:

13. Dicendo autem novum, veteravit (*k*) prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.

CAPUT IX.

Novum Testamentum cum meliores habeat promissiones, perfectius quam vetus esse. Christus est melioris Testamenti minister, eoque adveniente vetus cessare oportuit. Novum Testamentum morte Testatoris fuit confirmatum.

1. HAbuit quidem & prius (*a*), justificationes culturæ, & Sanctum sæculare.

2. * Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur Sancta (*b*). * Exod. 26. 1. & 36. 8.

3. Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum (*c*).

4. Aureum habens * thuribulum (*d*), & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, * & tabulæ testamenti, * Levit. 16. Num. 16. * 3. Reg. 8. 9. 2. Par. 5. 10.

5. Superque eam erant Cherubim gloriæ (*e*) obumbrantia propitiatorium: de quibus non est modo dicendum per singula.

6. His vero ita compositis; in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes:

7. In secundo autem * semel in anno solus pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua, & populi ignorantia: * Exod. 30. 10. Lev. 16. 2.

8. Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam (*f*) esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.

9. Quæ parabola (*g*) est temporis instantis: juxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, & in potibus,

10. Et

6. (*f*) Græc. λειτουργίας, sacri ministerii, seu sacrificii: *Sancitum est*; cum æterna promittat & conferat novum Testamentum, vetus terrena tantummodo: Novi Testamenti sacrificium insinuat, quod veteris legis sacrificiis longe præstat. Id enim plane ostenditur, figuris veteris legis adumbratum; exemplar Mosi in monte expositum, quod promissionibus novi fœderis respondet. Quæ omnia uni Christo, seu corpori ejus & sanguini conveniunt. Ex iis efficitur aliud a sacerdotio Levitico institutum a Deo fuisse sacerdotium, idque longe excellentius, seu capitis ipsius, seu efficaciæ & virtutis ratio habeatur, aut jurisjurandi solemnitas, aut Pontificum dotes, aut sanctuaria, aut sacrificia, aut cultus ipse totus spectetur: Leviticum sacerdotium omnino antiquatur, neque adeo perpetuum esse potest.

7. (*g*) Gr. si esset irreprehensibile: si lex vetus perfecta foret, absque ullo defectu: *Non utique secundi locus inquireretur*: nihil necesse foret novo fœdere. Pergit ostendere, in veteri sacerdotio, aut in antiquo fœdere non eam esse vim & efficaciam, quam Hebræi complures ei tribuebant, ex c. 31 Jeremiæ hoc ostendit, ubi Deus novum Testamentum se daturum domui Israel spirituale pollicetur, idque non lapidibus sed cordibus fidelium insculptum. *Propter veteris hominis noxam, quæ per litteram jubentem & minantem minime sanabatur, dicitur illud Testamentum vetus; hoc autem novum propter novitatem spiritus, quæ hominem novum sanat a vitio vetustatis*. Aug. *De Spiritu & Littera*, c. 20. & eodem in loco: *Quid sunt leges Dei scriptæ in cordibus nostris, nisi ipsa præsentia Spiritus sancti, qui est digitus Dei, quo præsente diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo legis est, & præcepti finis?*

8. (*h*) Eos qui veterem acceperant legem.

11. (*i*) Quod vel ad tempora Apostolorum, in quibus fideles accepto Spiritu sancto, nullo labore docebantur, vel ad omnes vere Christianos referri potest, quod dogmata ad salutem necessaria ad pauca capita revocentur, ac pueris & rudibus nota esse possint. Id ipsum Christus nos docuit Joann. 6. *Erunt omnes docibiles Dei*: hinc August. Tract. 26. in Joann. *Quid faciunt homines forinsecus annuntiantes? quid facio modo, cum ego loquor? Strepitum verborum ingero auribus vestris. Nisi ergo revelet ille qui intus est, quid dico, quid loquor? exterior cultor arboris, interior est Creator*, &c.

13. (*k*) Gr. vetus esse declaravit, abrogavit.

CAP. IX. 1. (*a*) Testamentum, seu fœdus; Gr. *Tabernaculum*. *Cultura*, Gr. λατρείας, quod cultum divinum significat. *Leges* habuit vetus Testamentum, & ritus colendi Dei: Quod utique præmittit iis quæ mox dicturus est de Levitico sacerdotio, ne illud damnare videatur: tametsi demonstrabit illud ad vestram justitiam consequendam inutile extitisse. *Et sanctum sæculare*, Gr. *mundanum*, seu caducum & terrestre, aut temporale, idque erat pars anterior tabernaculi, quæ juxta Theodoretum hunc mundum, ut pars altera cælum ipsum exhibebat.

2. (*b*) Relativum, *quæ*, refertur ad tabernaculum σκηνὴ, feminini generis; *Sancta*. Vel quæ pars tabernaculi dicitur sancta: Tabernaculum erat velut templum portatile, quod Ecclesiam militantem, in terra peregrinantem, exhibebat.

3. (*c*) Hæc pars tabernaculi sanctior a parte altera sejuncta erat velo secundo. Nam prius velum ad ostium tabernaculi erat pensile. Vox igitur, *secundum*, ex textu Græco ad velum referri debet, non ad tabernaculum.

4. (*d*) In altari thymiamatis prope velum, quod duas partes tabernaculi dividebat: adeo ut thuris incensum per superiorem veli partem subiret sancta sanctorum: *In qua*, juxta quam ex Lev. Num. 17. 10. & 3. Reg. 8. vel etiam in arca, urna & virga primum erant intra arcam inclusæ, & postea a Salomone fuerunt eductæ ex arca; *Et tabulæ Testamenti*, Legis datæ in monte Sinai, quæ revera erant in arca.

5. (*e*) Plena gloriæ & majestatis, vel eximie fabricata, vel auro micantia, & splendida.

8. (*f*) Prior quidem tabernaculi pars sacerdotium legale & cultum religionis Judaicæ exprimebat, sed sanctuarium cælum ipsum, & religionem quæ ad illud ducit, nondum patuisse, nec verum ad illud iter per fidem, gratiam & justitiam esse reseratum; necdum ad cælum ipsum, quod verum est sanctuarium, patebat accessus, nisi summo sacerdoti, qui Christum adumbrabat.

9. (*g*) Vel similitudo est temporis instantis, seu labentis sub lege Mosaica, vel futuri temporis; *Juxta quam*, Græce *juxta quod*, quo quidem tempore sacrificia & oblata munera justificare homines, & in cælum inducere non poterant: *Servientem solummodo in cibis, & potibus*; Græc. λατρεύοντα, cultorem, seu hujusmodi hostias offerentem; quæ sacrificia cum carnalia tantum essent, mundam non efficiebant animam. *In cibis & potibus*, in abstinentia quorumdam ciborum, & in ritibus qui ad corpus tantummodo pertinebant: *Non possunt*, coram Deo justificare.

10. Et variis baptismatibus (*h*), & justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.

11. Christus autem assistens (*i*) pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non hujus creationis:

12. Neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa (*k*).

* Lev. 16. 15. 13. * Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem (*l*) carnis:

* 1. Pet. 1. 19. 1 Joann. 1. 7. Apoc. 1. 5. 14. * Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?

* Gal. 3. 15. 15. Et ideo novi testamenti mediator (*m*) est: * ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis.

16. Ubi enim testamentum est; mors necesse est intercedat testatoris (*n*).

17. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est.

18. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum (*o*) est.

19. Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccinea, & hyssopo: ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit,

* Exod. 24. 8. 20. Dicens: * Hic sanguis testamenti (*p*), quod mandavit ad vos Deus.

21. Etiam tabernaculum, & omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit.

22. Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur: & sine sanguinis effusione non fit remissio (*q*).

23. Necesse est ergo exemplaria (*r*) quidem cælestium his mundari: ipsa autem cælestia melioribus hostiis quam istis.

24. Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria (*s*) verorum: sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis:

25. Neque ut sæpe offerat (*t*) semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno:

26. Alioquin oportebat (*u*) eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit.

27. Et quemadmodum (*x*) statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium:

28. * Sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundo sine peccato apparebit expectantibus se in salutem. * Rom. 6. 9. 1. Pet. 3. 18.

CAPUT X.

Lex umbram tantummodo habebat futurorum bonorum; Jesus sacerdos & victima peccatis omnibus expiandis sufficit; ad eum plena fide accedendum.

1. UMbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem (*a*) rerum: per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere:

2. Alio-

10. (*h*) Ablutionis; Et *justitiis carnis*, in certis ritibus, qui ab immunditiis corporis mundabant: *Usque ad tempus correctionis*: usque ad Christi adventum, qui melioribus institutis vetera correcturus erat.

11. (*i*) Gr. *adveniens*, accedens. Quam infirmum esset sacerdotium Leviticum, hactenus ostendit; mox exponit[illegible] vim & efficaciam sacerdotii Christi, qui est verus Pontifex futurorum bonorum, non ut veteris legis Pontifices, qui bona tantum hujus vitæ procurabant. *Tabernaculum*: In quo habitat plenitudo divinitatis, per proprium corpus: *Non hujus creationis*, non more usitato rerum creatarum conditum, sed Spiritus sancti opera in utero Virginis formatum.

12. (*k*) In proprio sanguine nobis acquisita, non exteriorem modo & momentaneam expiationem, ut veteris legis Pontifices, sed perfectam justificationem, & in æternum redimendi homines rationes invenit.

13. & 14. (*l*) Ad legalem munditiam. *Obtulit*, Filius ipse Deo offertur: Spiritus sanctus est sacer ignis: vis illius sacrificii ex virtute infinita victimæ dimanat, nos Deo consecrat.

15. (*m*) Prævaricationes etiam ab electis in veteri Testamento factæ expiari non potuerunt nisi Christi sanguine; cumque esset novi testamenti, aut promissi fœderis mediator, necesse fuit, ut prius ipse moreretur: *in redemptionem*, ut sua morte redimeret prævaricationes factas, durante veteri Testamento.

16. (*n*) Alioqui jus nullum est ad hæreditatem: unde morte Christi ratum fuit novum Testamentum, atque illius sanguine confirmatum, ut in veteri lege; quod statim subjicit.

18. & 19. (*o*) Celebratum, vel confirmatum est. *Mandato*. Scilicet illa mandatorum, quæ Exod. 20. ad caput usque 24. referuntur. *Vitulorum*, omnem populum aspersit; atque ut figura veritati responderet, necesse fuit populum Christianum, cujus populus Judaicus figura fuit, interius aspergi Christi sanguine, cujus typus erat sanguis animalium. Quamquam sanguis Christi non est simplex aspersio, sed fons vivus animas nostras mundans. Addit quædam Apostolus quæ cap. 24. Exodi non continentur; sive illa ex traditione, sive ex revelatione acceperit.

20. (*p*) Quod fœdus populi cum Deo sancitum confirmat. Atque ad id respexit Christus in extrema cum discipulis cœna, Matth. 26. *Quod mandavit ad vos Deus*; quod vobiscum sanxit Deus.

22. (*q*) Non purgantur peccata sine sanguinis effusione.

23. (*r*) Tabernaculum nempe, quæque erant in tabernaculo, ut imagines rerum spiritalium. *Cælestia*; Ecclesiam scilicet a Deo electam perfectioribus hostiis & sacrificiis spiritualibus mundari oportuit. Id enim per cælestia intelligit Apostolus ex Chrysostomo: *Nam cælum, aut Angelus? Nihil horum, sed nostra: nostra ergo sunt in cælis, & nostra sunt cælestia, etiamsi peragantur in terra. Si ergo nos quoque sumus prope Deum, sumus in cælo*: ita Chrysostomus.

24. (*s*) Imagines & typos veri sacrarii; *Sed in ipsum cælum*, per illa figuratum.

25. (*t*) Christus semel tantum semetipsum obtulit hostiam in ara crucis.

26. (*u*) Quod si enim mors una non sufficiebat delendis omnium peccatis, quoties electi ab initio mundi peccaverunt, toties oportuisset illum pati: nunc autem *Semel*, numquam postea per cruentum corporis sacrificium, quod quotidie per incruentum renovatur. *In consummatione sæculorum*, in ultima ætate mundi per sui ipsius immolationem, *apparuit*.

27. (*x*) Atque ut homines semel tantum morti addicuntur, sic Christus semel immolatus est ad multorum exhaurienda peccata.

CAP. X. 1. (*a*) In lege vim nullam esse, aut efficaciam remittendi peccata, & mundandi conscientiam; hinc probat Apostolus, quod umbram tantum haberet, non substantiam verorum bonorum: cujusmodi sunt vera justitia, solidæ virtutes, quæ bona erant adhuc futura iis qui legis imperio subdebantur; vel futura illa bona sunt cælestis felicitatis gaudia. [illegible] imago est lex Evangelica: lex vetus umbram tantummodo, & rudem habebat delineationem, non imaginem vivam & solidam cælestium bonorum; nec poterat justos & perfectos facere. Hoc utique probat ex victimis quæ singulis annis expiationis die mactabantur, & ex quotidianis sacrificiis, quæ toties repetita justos non efficiebant offerentes. *Accedentes*, ad tabernaculum, ut Deo cultum suum exhiberent.

2. Alioquin cessassent (*b*) offerri: ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati:

3. Sed in ipsis commemoratio (*c*) peccatorum per singulos annos fit.

4. Impossibile (*d*) enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.

* Ps. 39. 7. 5. Ideo ingrediens (*e*) mundum dicit: * Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi.

6. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt.

* Ps. 39. 8. 7. Tunc dixi: Ecce venio: * in capite (*f*) libri scriptum est de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam.

8. Superius dicens: Quia hostias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur,

9. Tunc (*g*) dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert primum, ut sequens statuat.

10. In qua voluntate sanctificati sumus (*h*) per oblationem corporis Jesu Christi semel.

11. Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata:

12. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet (*i*) in dextera Dei,

13. De cætero expectans * donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. * Ps. 109. 1. 1. Cor. 15. 25.

14. Una enim oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos (*k*).

15. Contestatur (*l*) autem nos & Spiritus sanctus. Postquam enim dixit:

16. * Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, Dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas: * Jer. 31. 31. Sup. 8. 8.

17. Et peccatorum, & iniquitatum eorum jam non recordabor amplius.

18. Ubi autem eorum remissio: jam non est oblatio pro peccato (*m*).

19. Habentes (*n*) itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi,

20. Quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id est, carnem suam,

21. Et

2. (*b*) Quod si Lex vere justificare posset per hostias, quæ quotannis offeruntur in festo expiationis, pro iisdem peccatis offerri desiissent, neque eorum commemoratio, aut accusatio singulis annis fuisset iteranda, quæ tot sacrificiis jam essent expiata. Nam semel mundati conscientiam haberent perpurgatam a veteribus peccatis: sed quotannis renovatur memoria eorumdem delictorum, pro quibus hostiæ oblatæ sunt: ergo lex per illas hostias singulis annis oblatas non justos efficit offerentes. Quæ ratio evincit hostias iisdem peccatis applicari non debuisse, si hæ justificarent: sed de cessatione sacrificiorum non concludit, aut probat illa iteranda non fuisse. Ratio quippe communis sacrificium instituendi, ut suprema Dei majestas, & creaturæ ab eo dependentia, id exigebat; ut sacrificia continuarentur, si illa erant utilia. Sola itaque eorum inutilitas in caussa fuit, cur abolita fuerint ex Apostolo, c. 7. *Reprobatio quidem fit præcedentis propter inutilitatem*. Perperam igitur ex hoc Apostoli loco Novatores concludunt, post Crucis sacrificium, Missæ sacrificium iterari non oportere. Non enim aliud docet Apostolus, nisi sacrificium expiationis cessaturum fuisse post primam oblationem pro iisdem peccatis, quæ jam expiata essent in prioribus sacrificiis; cum justificati homines non amplius iisdem egerent victimis. Quamobrem, ut fuse probat Auctor Analyseos Gallice dissert. 15. Apostolus non agit de sacrificiis minime iterandis, sed de applicatione sacrificiorum toties repetita, si ea justificarent, cum nihil esset caussæ, cur iisdem peccatis jam expiatis adhiberentur. Atque illa utitur facti probatione, ut demonstret sacrificia veteris legis justos non effecisse offerentes, nec conscientiam eorum mundasse, cum sæpius pro iisdem peccatis, quasi adhuc extarent, eadem iterarentur, & memoriam eorum renovarent, quod delicta non fuerint per præcedentes hostias: id vero est quod subjicitur.

3. (*c*) Vox Græca, ut notat Menochius, sign. fit per annum. Per sacrificia quæ die expiationis pro peccatis offerebantur, quæ quotannis admissa sacrificiis fuerant expiata.

4. (*d*) Cum peccata animam ipsam afficiant, hæc delere non potest sanguinis taurorum & vitulorum aspersio, quæ corpus tantum externe attingit.

5. (*e*) Scriptura ipsa probat abrogata esse veteris legis sacrificia; idque ex Psalm. 39. quem suo loco exposuimus: ubi Christus corpus suum in locum sacrificiorum substituit, idque offert, ut Patris voluntati obsequatur. *Ingrediens mundum*, ut peccata deleret factus homo: *Hostiam & oblationem noluisti*, me venturo reprobasti: *Holocautomata pro peccato*, Gr. *& pro peccato*, sacrificia pro peccatis.

7. (*f*) Hebræi habent in volumine libri sui, in Scriptura, vel in lege ipsa, & in Prophetis: quæ me venturum esse testantur.

9. (*g*) Græce *Dixit*, Patris voluntati obediendo. Proprium corpus offerendo, quod veteris legis sacrificia significabant. *Aufert primum, ut sequens statuat*: priora legis sacrificia abrogat, ut secundum, nempe sui corporis sacrificium, statuat & stabiliat.

11. (*h*) Pergit ostendere quantum sacrificium Christi præstet sacrificiis veteris legis, cum una sit hostia semel in cruce oblata, innumerabilia vero sint veteris legis sacrificia, quæ non sufficerent ad delenda peccata, quod sacrificii Christi utilitatem cum efficacia & mira fecunditate conjunctam demonstrat.

12. (*i*) Postquam perfecit illam in cruce oblationem, instar regnantis sedet, donec expleto electorum numero inimici ejus Dominum gloriæ agnoscant, eique plane subjiciantur.

14 (*k*) Reparatos in suo sanguine perfecit in sempiternum per unam oblationem sui corporis; vel perfectum solvit pretium redemptionis & sanctificationis nostræ. Apostolus opponit Christi oblationem cruentam sacrificiis legalibus. Hoc Pauli testimonio perperam rursus abutuntur Novatores adversus Missæ sacrificium. Unam, inquiunt, Christi oblationem eamque efficacem hoc in loco & superiori capite variis in locis commendat, adeo ut illa oblatio minime sit iteranda. Huic, inquiunt, unitati, & fecunditati innumerabilis Missarum multitudo opponitur, adeo ut Missa non sit verum sacrificium, nec vera oblatio. Responsio in promptu est, Apostolum hoc in loco agere de sacrificio cruento in crucis altari oblato, quod unum est; non enim sæpius moritur Christus: de sacrificio autem incruento ne verbum quidem dicit, adeo ut perperam hinc concludant nullum esse incruentum sacrificium. Sacrificia legis alia aliis succedebant quasi in priorum subsidium; ob virtutis & efficaciæ defectum semper erant iteranda, cum posteriora non essent magis efficacia, quam priora. Sed altaris victima non est supplementum victimæ Crucis, cum sit eadem prorsus, quæ merita & gratias sacrificio cruento acquisitas nobis applicat; cumque omnes incruenti sacrificii oblationes ad cruentam in Cruce factam referantur, pro una & eadem oblatione habentur. Atque ut ut sint diversæ oblationes, nihil propterea adversus toties iteratas Missæ oblationes est Apostoli loco superius exposito: *Alioquin cessassent offerri*, concludi potest. Nam sacrificium Crucis caussa est universalis ad omnia peccata auferenda; sed ut salutem in hominibus operetur, necesse est ut per caussas particulares applicetur. Id vero fit per oblationem corporis & sanguinis Domini in altari, & per alia Sacramenta. Præterquam Apostolus loquitur non de beneficiis ipsis, quæ si utilia essent, iterari utique possent & deberent, sed de applicatione toties repetita ad eadem peccata. Quod igitur ita cavillantur adversarii: jam pridem desiisset sacrificium Missæ, si reconciliaret homines cum Deo; id inquam, negamus. Quomodo enim illa abrogatio stare potuit cum præcepto Domini: *Hoc facite in meam commemorationem*? Qua auctoritate sacrificium a Christo institutum abolori posset? quod si inutile foret, cum legalibus sacrificiis abrogandum esset; at si utile est, an utilitas ipsa erit justa abrogationis caussa, ne quid de sacrificii cruenti honore detrahat? Verum ista fusius in dissertatione pro argumenti dignitate tractantur, a viro sæpius laudato, amico & populari meo.

15. (*l*) Id probat testimonio Jeremiæ, cap. 31. Hujus rei, inquit, testimonium nobis præbet Spiritus sanctus, qui post certum & constitutum tempus pollicetur fore ut non recordetur amplius peccatorum nostrorum, & legem novam mentibus nostris inscribat.

18. (*m*) Pro iis scilicet quæ jam sunt remissa. Sic in Baptismo, quo plena fit remissio, sacrificium Crucis perfecte applicatur, neque iteratur, si nova emergant peccata, Christi victima semper est offerenda.

19. & 20 (*n*) Jam ad moralem adhortationem descendit, quam ad Catechumenos & Baptizatos dirigit. Cum igitur liber nobis aditus pateat in sancta sanctorum, seu in cælum ipsum per Christi sanguinem, *Quam initiavit nobis viam novam*, ne sacerdotibus quidem antea concessam, *per velamen, id est, carnem suam*, quæ instar velaminis divinitatem ejus occultabat: hanc viam Christus ipse consecravit.

21. Et sacerdotem (o) magnum super domum Dei:

22. Accedamus (p) cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda,

23. Teneamus (q) spei nostræ confessionem indeclinabilem, (fidelis enim est qui repromisit)

24. Et consideremus invicem in provocationem charitatis (r), & bonorum operum:

25. Non deserentes (s) collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, & tanto magis quanto videritis appropinquantem diem.

Sap. 6. 4. 26. * Voluntarie (t) enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia,

27. Terribilis (u) autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.

28. Irritam (x) quis faciens legem Moysi,
* Deut. 17. 6. sine ulla miseratione * duobus vel tribus testibus moritur:
Matth. 18. 16. 29. Quanto magis putatis deteriora mereri
Joann. 8. 17. supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, &
2.Cor.13.1. sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?

* Deut. 32. 35. Rom 12.19 30. Scimus enim qui dixit: * Mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: Quia judicabit Dominus populum suum.

31. Horrendum est incidere in manus Dei viventis.

32. Rememoramini (y) autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum,

33. Et in altero quidem, opprobriis & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem, socii taliter conversantium effecti.

34. Nam & vinctis (z) compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.

35. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.

36. Patientia enim vobis necessaria est: ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.

37. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, & non tardabit.

38. * Justus autem meus ex fide vivit (aa): * Hab. 2. 4.
quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Rom. 1. 17. Gal. 3. 11.

39. Nos autem non sumus subtractionis filii in perditionem (bb), sed fidei in acquisitionem animæ.

CAPUT XI.

Quid sit fides: ea est spei nostræ fundamentum: sancti patriarchæ & prophetæ quanta passi sunt pro fide tuenda.

1. EST autem fides sperandarum substantia (a) rerum, argumentum non apparentium.

2. In hac enim testimonium consecuti sunt senes.

3. * Fide intelligimus aptata (b) esse sæcula * Gen. 1. 3.
verbo Dei: ut ex invisibilibus visibilia fierent.

4. * Fide plurimam hostiam (c) Abel, quam
Cain, obtulit Deo, * per quam testimonium * Gen. 4. 4.
consecutus est esse justus, testimonium perhi- * Matth. 23.
bente muneribus ejus Deo; & per illam de- 35.
functus adhuc loquitur.

5. * Fide

21. (o) Cum habeamus sacerdotem magnum Jesum domui Dei præpositum, eumque immortalem, qui nos excipere, & Patri offerre semper potest: hac igitur spe & fiducia freti, *adeamus*, &c.

22. (p) Cum vero & sincero corde: *In plenitudine fidei*; Catechumenos excludit ut ad Baptismum accedant, non duplici, sed recto & sincero corde, ac plena fide citra ullam hæsitationem: *Aspersi*, puram habentes conscientiam: *Abluti aqua munda*, Baptismate.

23. (q) Baptizatos jam adhortatur, ut in fidei professione, quæ in baptismate facta est, constantes sint, & firmam spem retineant: rationem hanc affert, quod fidelis sit Deus qui repromisit.

24. (r) Incitemus nos ad mutuam charitatem æmulatione laudabili accensi.

25. (s) Non discedentes ab Ecclesiæ communione: *Est quibusdam*, qui Ecclesiam deserunt, ut ad Synagogam se adjungant. Ex quibus forsitan erant plerique Pharisæi ad fidem conversi, quique Synagogam deserere nolebant. Genus enim quoddam hominum huic apostasiæ affine, non singulos videtur designare.

26. (t) Scilicet Hebræis, quibus hanc generalem & communem propositionem applicat: cum de iis potissimum agatur, qui post veritatis notitiam ultro in apostasiam redeunt. *Hostia*, nullum in lege sacrificium restat, quo peccata expientur: nam post Crucis hostiam ab iis neglectam nulla in lege, aut usquam alibi alia superest, qua Deo reconciliari possint.

27. (u) Judicii extremi severitas eos manet, & ardens flamma, quæ consumptura est Dei adversarios, quique se Dei inimicis adjungunt. Itaque Apostolus eos adjurat ne a fidelium communione se subducant. Quod si id fecerint, jam nulla iis relinquitur hostia pro tam atroci apostasiæ crimine, sed judicium terribile & ignem æternum experientur: cum legales victimæ Christi sacrificio sint abrogatæ, neque umquam peccata eluere potuerint. Illud vero addit; *Post acceptam veritatis notitiam*, ut omnem iis excusationem adimat, quam Judæi non conversi possunt obtendere: hanc vero punitionem futuram probat ex variis Scripturæ testimoniis.

28. (x) Quod si enim legis transgressor sine ulla miseratione moritur, quanto graviora meretur supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, qui eum spreverit, sanguinem Testamenti pollutum duxerit, & quasi immundum habuerit: ac demum Spiritui gratiæ, Spiritui sancto, contumeliam fecerit, dum acceptam gratiam rejicit, adeo ut triplici nomine sit reus?

32. (y) In memoriam eorum redigit, quæ pro Christi fide olim pertulerant, adeo ut tot certaminum, tot afflictionum fructus penitus amittant, si ab Ecclesiæ communione discedentes ad Synagogas redierint.

34. & 35. (z) Gr. *vinculis meis*. *Confidentiam*. Firmam constantiam.

38. (aa) Vita justi in fide, charitate & spe animata posita est.

39. (bb) Non sumus perfidi, aut increduli; a Deo discedentes peritum. Sed *fidei*, Sed constantes in fide, ut salutem animæ consequamur.

CAP. XI. 1. (a) Seu fundamentum, Græc. *hypostasis*, quod spem nostram sustentat: vox Græca *sperandarum rerum*, ἐλπιζομένων, seu *sperantium*, ut vertit August. Tract. 14. in Joannem: utrumque enim significare potest participium medium. *Argumentum non apparentium*, firma & certa persuasio, aut convictio: firmissimus assensus rerum, quæ non apparent in se ipsis, sed revelatæ sunt a Deo. Resurrectio v. gr. mortuorum speratur a nobis, ac fides illius efficit, ut jam in animis nostris per firmam spem subsistat. Non enim speramus nisi quæ credimus.

3. (b) Sola fide novimus cuncta quæ in mundo sunt, & subsistunt temporibus, verbo Dei, jussu divino aptata esse, Gr. *coagmentata*, absoluta, in ordinem digesta fuisse: *Ut ex invisibilibus*, ut ex informi & tenebrosa materia primum a Deo creata prodirent cum illa partium distinctione & ornatu, quem cernimus: velut ex nihilo fierent. Hoc utique, non humana ratione sola, sed fide in primis accepimus, qua Philosophi destituti, & aliud rerum principium a Deo quærentes, evanuerunt in suis cogitationibus, & obscuratum est cor insipiens eorum. Hoc uno exemplo refellit Apostolus Protestantium fiduciam præsumptionis plenam. Nihil enim ad rerum conditionem pertinet certa & indubitata de salute nostra fiducia.

4. (c) Græc. *copiosiorem*, seu honoratiorem hostiam Abel quam Cain *obtulit Deo: consecutus est*. Testimonium accepit justitiæ suæ, cum ignis e cælo delapsus hostiam ejus absumpsit; & per illam, scilicet fidem, *defunctus adhuc loquitur*. Vox ejus etiamnum auditur in Scriptura, & fama illius in hominum memoria adhuc vivit. Ab ipso Abele, quem frater interfecit, orditur Apostolus, ut illius exemplo Hebræos consoletur, quod a fratribus suis adeo vexentur.

* Gen. 5. 24. Eccli. 44. 16.

5. * Fide Henoch translatus est ne videret (*d*) mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo.

6. Sine fide autem impossibile (*e*) est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.

* Gen. 6. 14. Eccli. 44. 17.

7. * Fide Noe, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit (*f*) mundum: & justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus.

* Gen. 12. 1.

8. * Fide qui vocatur (*g*) Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exiit, nesciens quo iret.

9. Fide demoratus est in Terra repromissionis, tamquam in aliena, in casulis (*h*) habitando, cum Isaac & Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem.

10. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem (*i*): cujus artifex, & conditor Deus.

* Gen. 17. 19.

11. * Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat.

12. Propter (*k*) quod & ab uno orti sunt (& hoc emortuo) tamquam sidera cæli in multitudinem, & sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis.

13. Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis (*l*) repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram.

14. Qui enim hæc dicunt (*m*), significant se patriam inquirere.

15. Et si quidem ipsius meminissent (*n*) de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi:

16. Nunc autem meliorem appetunt (*o*), id est, cælestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem.

17. * Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones; * Gen. 22. 1. Eccli. 44. 21.

18. Ad quem dictum est: * Quia in Isaac vocabitur (*p*) tibi semen: * Gen. 21. 12. Rom. 9. 7.

19. Arbitrans quia & a mortuis suscitare potens est Deus: unde eum & in parabolam (*q*) accepit.

20. * Fide & de futuris benedixit Isaac Jacob, & Esau. * Gen. 27. 39.

21. * Fide Jacob, moriens, singulos filiorum Joseph benedixit: * & adoravit fastigium (*r*) virgæ ejus. * Gen. 48. 15. * Gen. 47. 31.

22. * Fide Joseph (*s*), moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est, & de ossibus suis mandavit. * Gen 50. 24.

23. * Fide Moyses (*t*), natus, occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem, * & non timuerunt regis edictum. * Exod. 2. 2. * Exod. 1. 17.

24. * Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis. * Exod. 2. 11.

25. Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem,

26. Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium (*u*) Christi: aspiciebat enim in remunerationem.

27. Fide reliquit (*x*) Ægyptum non veritus animositatem regis: invisibilem enim tamquam videns sustinuit.

28. * Fide celebravit Pascha, & sanguinis effusionem (*y*): ne qui vastabat primitiva, tangeret eos. * Exod. 12. 21.

29. * Fide transierunt Mare rubrum tamquam per aridam terram: quod experti Ægyptii, devorati sunt. * Exod. 14. 22.

30. * Fide muri Jericho corruerunt, circuitu dierum septem. * Jos. 6. 20.

31. * Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. * Jos. 2. 3. Jac. 2. 25.

32. Et

5. (*d*) Ne experiretur, ne moreretur: cum autem de fide illius nihil dicat Scriptura, id probat Apostolus, quod in Scriptura testimonium habuerit placuisse Deo, Gen. 5. *Ambulavit Henoch cum Deo. 70. placuit Deo.*

6. (*e*) Id vero sic evincit: qui ad Deum vult accedere, & illi placere, primum credere eum oportet, quod Deus existit, & inquirentibus se remunerator sit; nimirum de existentia illius & justitia persuasus esse debet; illud ad fidem, cum Deus sit invisibilis; hoc ad spem pertinet: utrumque in Henoch refulsit. Credere autem oportet per pium voluntatis affectum, qui ad credendum nos moveat.

7. (*f*) Incredulitatis & impœnitentiæ: *Institutus*, Justitiam possedit, ut hæreditatem: Gen 6 *Metuens*, pietate repletus, & sancto Dei timore.

8. (*g*) Nam antea tantummodo vocabatur Abram, post fidem vero tam illustrem, Abraham, quod multarum gentium futurus esset parens. Multiplici nomine illius commendat fidem, quod eo patre secundum carnem gloriantes illius fidem imitari deberent, Gr. vocatus e patria profectus est.

9. (*h*) Gr. *In tabernaculis*, habitando more viatorum: *Cum Isaac & Jacob* ut postea Isaac & Jacob, qui ejusdem promissionis hæredes fuerunt. Fide itaque Abraham sic placuit Deo, ut totum se illi permiserit.

10. (*i*) Cælestem nimirum civitatem, eamque firmissimam, cujus artifex & conditor Deus. Id subdit Apostolus, ut Hebræos a promissionibus terrenis exemplo Abrahæ ad cælestes transferat.

12. (*k*) Fidem Abrahæ: *Et hoc emortuo*; vis prolifica illi reddita est, uti & Saræ.

13. (*l*) Quæ sequuntur, de bonis cælestibus intelliguntur; sed a longe eas *aspicientes*, in Christo scilicet futuram resurrectionem sperantes. *Juxta fidem defuncti*, Gr. *secundum fidem defuncti*, in qua vixerunt, & mortui sunt.

14. (*m*) Se peregrinos & hospites esse *Significant*. Non terram Chananæorum, quæ non erat eorum patria, & in qua habitabant; sed cælestem patriam inquirere, quam non sunt adepti, nisi post mortem Christi: *a longe aspicientes & salutantes*, instar navigantium, qui portum eminus conspectum salutant.

15. (*n*) Si Abraham, dum se peregrinum esse in terra Chanaan confitebatur, de Chaldæa, unde exierat, cogitasset. *Revertendi*, Abrahamo nimirum & ejus posteris non deerat tempus & opportunitas eo revertendi.

16. (*o*) Id est, cælestem: cum igitur se *Peregrinos* in terra Chanaan agnoscunt, neque ad terram suæ originis revertuntur, eo peregrinorum nomine declarant se meliorem inquirere civitatem a Deo ipso paratam, quæ utramque Ecclesiam in terra & in cælo positam complectitur; non erubescit *vocari Deus eorum*.

18. (*p*) In sola Isaaci posteritate implendæ erant promissiones.

19. (*q*) In figuram, similitudinem & exemplum immolationis Christi in cruce; per illius sacrificii Isaac apparatum, & resurrectionis Christi in liberatione Isaac adumbratam.

21. (*r*) Græc. *adoravit super fastigium virgæ ejus*: dum adoravit innitens baculo, quem auctoritatis titulo gerebat Joseph.

22 (*s*) Prædixit Hebræos in terram Chanaan profecturos, atque hac fiducia subnixus adjuravit fratres, ut ossa sua in terram Chanaan asportarent.

23. 24. & 25. (*t*) Fide parentum: *Negavit*, aula relicta. *Jucunditatem*. Quam relictis fratribus in adversitate, deliciis aulæ regiæ frui ad tempus.

26. (*u*) Futuris Christi opprobriis in antecessum communicare maluit, quam honoribus & opibus terrenis abundare.

27. (*x*) Seu fugiendo post occisum Ægyptium, seu potius cum eduxit populum ex Ægypto; nihil veritus Pharaonis iram: *invisibilem* enim Deum, *Tamquam videns sustinuit*, expectavit, non dubitans Deum sibi affaturum.

28. (*y*) Qua agni Paschalis sanguine postes domorum sunt illiti.

32. Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, & Prophetis:

33. Qui per fidem vicerunt regna (z), operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum,

34. Extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum:

35. Acceperunt (aa) mulieres de resurrectione mortuos suos. Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem.

36. Alii vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres:

37. Lapidati (bb) sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti:

38. Quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ.

39. Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem,

40. Deo pro nobis melius aliquid providente (cc), ut non sine nobis consummarentur.

CAPUT XII.

Propositis Christi & Sanctorum exemplis, eos adhortatur ad tolerandas afflictiones, ad pacem, concordiam, & sanctitatem.

1. IDeoque & nos tantam habentes impositam (a) nubem testium, * deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen:

* Rom. 6. 4. Eph. 4. 22. Col. 3. 8. 1 Pet. 2. 1. & 4. 2.

2. Aspicientes (b) in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet.

3. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.

4. Nondum enim usque ad sanguinem (c) restitistis, adversus peccatum repugnantes:

5. Et obliti estis consolationis (d), quæ vobis tamquam filiis loquitur, dicens: * Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris. * Prov. 3. 11. Apoc. 3. 19.

6. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.

7. In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater?

8. Quod si extra disciplinam (e) estis, cujus participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filii estis.

9. Deinde patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, & reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, & vivemus?

10. Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id, quod utile est in recipiendo (f) sanctificationem ejus.

11. Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur (g) non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet justitiæ.

12. Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite (h),

13. Et gressus rectos (i) facite pedibus vestris: ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.

14. * Pacem (k) sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum: * Rom. 12. 18.

15. Contemplantes (l) ne quis desit gratiæ Dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.

16. Ne quis fornicator, aut profanus * ut Esau (m): qui propter unam escam vendidit primitiva sua: * Gen. 25. 33.

17. Scitote (n) enim quoniam * & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam. * Gen. 27. 38.

18. * Non

33. & 34. (z) Ut Josue & David. *Obturaverunt ora leonum*, ut Daniel. *Extinxerunt*, ut tres pueri in fornace: *Convaluerunt de infirmitate*, ut Ezechias.

35. (aa) Ab Elia & Eliseo resuscitatos. *Non suscipientes redemptionem*, cum possent a cruciatibus liberari.

37. (bb) Ut Jeremias: *secti*, ut Isaias: *tentati sunt*, *distenti*, ut Eleazarus. *Circuierunt in melotis*, in pellibus ovinis.

40. (cc) Voluit Deus ut promissum non reciperent mercedem ante mortem Christi: *Ut non sine nobis*, ut æterna felicitas ad nostra usque tempora differretur: de qua jam v. 13. cœpit disserere.

CAP. XII. 1. (a) Circumjacentem, circumpositam: qui omnes crediderunt quod non cernebant, atque spe bonorum cælestium erecti tanta passi sunt mala: *Deponentes omne pondus*, terrenorum affectuum, omnis impedimenta, Gr. ὄγκον, tristitiam omnem & animi ægritudinem, qua deprimitur animus, deponamus: *Et circumstans nos peccatum*, eorum qui a fide deficiebant, quorum exemplum vos movet & conturbat. *Certamen*, cui cælum præmii loco proponitur, Græc. *Curramus propositum nobis certamen*, & duce Christo hanc vitam cum patientia transigamus, in qua indefinenter pugnandum est nobis cum mundo, carne & diabolo. In Græco textu præpositio, *ad*, deest.

2. (b) In eum intendite animum. qui fidei & spei nostræ auctor est & princeps, qui fidem infudit animis vestris, & eam perficiet. *Sustinuit crucem*, qui loco gaudii sibi propositi, seu felicitatis qua fruebatur, seu pro gaudio sibi proposito (adeo ut præpositio, *pro*, e textu Latino forsan exciderit) vel qui proposita sibi gloria post resurrectionem futura, vel ut Nazianzenus exponit, qui cum posset non gustare mortem, sed paternis frui deliciis, tamen sustinuit crucis ignominiam, atque ob eam sui abjectionem voluntariam in dextera Dei sedet.

4. (c) Adversus peccatum infidelitatis & apostasiæ, quod instar hostis infesti vos indesinenter provocat.

5. (d) Gr. *adhortationis*, quam ex Proverbiorum cap. 3. adducit, ut probet afflictiones nobis a Deo immissas esse paternæ in nos charitatis argumenta: *Num obliti estis?*

8. (e) Omnium afflictionum expertes: ergo spurii & adulterini estis, non legitimi filii: disciplinam pro animadversione & castigatione sumit.

10. (f) Gr. *recipiamus sanctificationem ejus*; ut participes simus sanctitatis ejus.

11. (g) Chrysost. *quis enim mœror, aut quæ tristitia parit gaudium exercitatis?* Nam fortiores reddunt in certamine.

12. (h) In Psalm. 90. *Fides sit tecum, & tecum est Deus in tribulatione.*

13 (i) Recta incedentes, non claudicantes, aut vacillantes. *Erret*, a recta via declinet.

14. (k) Concordiam, & charitatem. *Et sanctimoniam*, corporis & animi puritatem.

15. (l) Græc. *diligenter attendentes, ne quis desit gratiæ Dei*. a fide per apostasiam discedens: *Amaritudinis*, ne quis venenatam doctrinam spargat in alios, ne quis inter vos prava opera, aut dogmata proferat; vel radix amaritudinis est peccatum ipsum.

16. (m) Qui benedictionem Dei Abrahæ promissam nihili duxit.

17. (n) Gr. *scitis*, ex Gen. cap. 27. *Reprobatus est*, a patre, qui ejus postulationem rejecit: *Pœnitentiæ locum*, neque Isaac benedictionem Jacobo datam revocavit. *Lacrymis*, Theodoretus: *Non flevit agens pœnitentiam, sed fratris felicitati invidens.*

* Exod. 19. 12. & 20. 21. 18. * Non enim accessistis ad tractabilem (o) montem, & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam,

19. Et tubæ sonum, & vocem (p) verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum.

* Exod. 19. 13. 20. Non enim portabant (q) quod dicebatur: * Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur.

21. Et ita terribile erat quod videbatur, Moyses dixit: Exterritus (r) sum, & tremebundus.

22. Sed accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam,

23. Et Ecclesiam primitivorum (f), qui conscripti sunt in cælis, & judicem omnium Deum, & spiritus Justorum perfectorum,

24. Et testamenti novi mediatorem Jesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel (t).

25. Videte ne recusetis loquentem (u). Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur: multo magis nos, qui de cælis loquentem nobis avertimus.

* Agg. 2. 7. 26 Cujus vox movit terram tunc: nunc autem repromittit, dicens: * Adhuc semel; & ego movebo non solum terram, sed & cælum.

27. Quod autem, Adhuc semel, dicit: declarat mobilium translationem (x) tamquam factorum, ut maneant ea, quæ sunt immobilia.

28. Itaque regnum immobile suscipientes (y), habemus gratiam: per quam serviamus placentes Deo, cum metu & reverentia.

* Deut. 4. 24. 29. * Etenim Deus noster ignis consumens (z) est.

CAPUT XIII.

Exhortatio ad virtutes vere Christianas, ad charitatem in peregrinos & afflictos, ad castitatem, & obedientiam.

1. Charitas fraternitatis (a) maneat in vobis.

2. * Et hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim * latuerunt (b) quidam, Angelis hospitio receptis. * Rom. 12. 13. 1. Pet. 4. 9. * Gen. 18. 3. & 19. 2.

3. Mementote vinctorum, tamquam simul vincti (c): & laborantium, tamquam & ipsi in corpore morantes.

4. Honorabile (d) connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros judicabit Deus.

5. Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus (e): ipse enim dixit: * Non te deseram, neque derelinquam. * Jos. 1. 5.

6. Ita ut confidenter dicamus: * Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo. * Ps. 117. 6.

7. Mementote præpositorum (f) vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.

8. Jesus Christus heri, & hodie (g): ipse & in sæcula.

9. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis: quæ non profuerunt ambulantibus in eis.

10. Habemus altare (h), de quo edere non habet potestatem, qui tabernaculo deserviunt.

11. * Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. * Lev. 16. 27.

12. Propter quod & Jesus (i), ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.

13. Exea-

18. (o) Gr. *palpabilem*, seu sensibilem: Et *accensibilem ignem*, accensum, ardentem, ut in monte Sinai. Utriusque Testamenti discrimen affert, timorem & amorem: non estis sub lege, sed sub gratia: qui deserunt Christi religionem, minus sunt venia digni, quam Israelitæ, cum peccaverunt.

19. (p) Ad terribilem Dei vocem, e monte loquentis. *Verbum*; ne Deus ad eos ipse loqueretur, deprecati sunt.

20. (q) Ferre non poterant. *Lapidabitur*: si hoc bestiis interminatur, quid de nobis futurum est?

21. (r) Hæc verba ex traditione acceperat, nisi forte tum temporis in libris a Synagoga conservatis ea fuerint conscripta.

23. (f) Qui primi vocati sunt a Deo, & electi: *Et judicem omnium Deum*. Christum scilicet, cui omne judicium dedit Pater. *Et spiritus justorum*, animas justorum, & perfectorum, qui gloriam sunt consecuti.

24. (t) *Abel*; quam sanguis Abel, qui ultionem postulat, Christus vero ut ignoscatur.

25. & 26. (u) Christum. *Movebo*, ut aliam mutationem formam. *Adhuc semel*: Aggæi 2. post modicum tempus: quæ verba de primo & secundo Christi adventu intelligi possunt. *Movit terram*, in monte Sina. *Nunc autem*, tempore legis novæ, *Movebo*. Gr. *moveo*.

27. (x) Immutationem & firmam eorum statum. Alii per mobilia intelligunt tabernaculum, altare, sacerdotium, ritus veteris legis, quæ omnia mutanda erant.

28. (y) Regnum Christi possidere incipientes. *Habemus gratiam*, Gr. *habeamus*; illud beneficium Dei retineamus.

29. (z) Ejus adeo severitatem timeamus: neque enim cum peccato conciliari potest, & peccatores cito consumet. Hier. aut quisquis alius in Psalm. 77. *Lucet & urit: si peccatores sumus, incendit, si justi, lucet nobis.*

CAP. XIII. 1. (a) Fraterna charitas, qua vos ut fratres diligatis: ad virtutes Christianas eos adhortatur.

2. (b) Phrasis est Græca, Latinis insueta; quæ sic verti potest: Per hanc enim hospitalitatem quidam Angelos exceperunt, ut Abraham & Lot, nescientes Angelos esse.

3. (c) His subvenite, ut vobis ipsis, si essetis vincti, subvenire optaretis: *Laborantium*; Gr. *afflictorum*, mementote. *Morantes*, tamquam ejusdem corporis membra, & iisdem malis corpus obnoxium habentes.

4 (d) Supple, sit. *In omnibus*, ita ut nihil fiat præter honestatem connubii, nec fides conjugalis violetur: *Fornicatores*; videtur connubium extollere adversus eos qui nuptias damnabant: servate omnes honorem connubio debitum, a nemine id sperni debet, & sit thorus vester sine macula.

5 (e) Contenti sitis vestra sorte: *Ipse enim dixit*, ad Josue. cap. 1. 5.

7. (f) Sacerdotum & Episcoporum, a quibus accepistis Dei verbum, tamquam a fidei doctoribus. *Quorum intuentes exitum*, finem vitæ gloriosum; cum multi ex iis martyrium obiissent.

8 & 9. (g) Non deerant qui alium Christum, alium Messiam expectarent, eumdem vero Jesum esse, qui fuit antea, & semper erit, & eamdem esse in eum fidem docet. *Ne doctrinis variis & peregrinis*, abducantur a vera fide. Hujus generis erat doctrina de cibis mundis & immundis post acceptum Baptismum. *Optimum est enim*; melius est gratia Evangelica mentem alere & stabilire, quam ciborum discrimina observare, quæ, *nihil profuerunt*, nihil contulerunt ad sanctitatem.

10. (h) Cibum habemus longe excellentiorem, quem edere non possunt sacerdotes Levitici, hostiam scilicet in ara Crucis oblatam, quam edere non licet nisi iis, qui accepto baptismate e Synagoga exierunt: idque probat ex similitudine legalis sacrificii, quod in festo expiationis immolabatur: ut de carne edere non licebat sacerdotibus, sed extra castra deferebatur cremanda: sic qui altari deserviunt, & Judæorum ritus observant, fructum crucis non percipiunt: cum hoc sacrificium extra portam consumptum fuerit: Christianis aliud est altare, alia hostia, de qua iis non licet edere, qui veteres ritus observant.

12. (i) Hæc animalia extra castra cremata allegorice Jesum adumbrabant extra portas Jerusalem igne passionis consumptum, ut sanguine suo populum sanctificaret. Atque hæc est vera hostia, qua vescimur in altari, ubi quotidie immolatur.

13. Exeamus igitur ad eum extra castra (*k*), improperium ejus portantes.

* Mich. 2. 10. 14. * Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.

15. Per ipsum ergo offeramus hostiam (*l*) laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.

16. Beneficentiæ autem, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.

17. Obedite (*m*) præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.

18. Orate pro nobis: confidimus (*n*) enim quia bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes conversari.

19. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar (*o*) vobis.

20. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum,

21. Aptet (*p*) vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum: cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

22. Rogo autem vos fratres, ut sufferatis (*q*) verbum solatii. Etenim perpaucis scripsi vobis.

23. Cognoscite (*r*) fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo (si celerius venerit) videbo vos.

24. Salutate omnes præpositos vestros, & omnes sanctos. Salutant vos de Italia fratres.

25. Gratia cum omnibus vobis. Amen,

13. & 14 (*k*) Extra Synagogam, *improperium ejus portantes*; crucis illius participes, atque ejus vestigiis insistentes. *Manentem*, Stabilem civitatem.

15. (*l*) Pro victimis laudes, *id est fructum labiorum confitentium nomini ejus*: quæ laudes gloriam Deo reddunt. Quod optime potest intelligi de corpore & sanguine Domini, quæ per labia sacerdotum consecrantur. Quæ antecedunt, ad eum terminum nos videntur perducere. Hactenus Lucas, aut alius velut Pauli amanuensis stylum suum viriusest stylo Apostoli commodare. Quæ sequuntur: Apostoli stylum omnino redolent. Beneficentiam, & bonorum, seu facultatum communicationem ante omnia commendat, & obsequium erga pastores.

17. (*m*) Chrysost. *Audiant qui regunt, non solum qui ab iis reguntur, quod sicut eos qui reguntur oportet esse obedientes, ita etiam eos qui regunt esse vigilantes & sobrios.*

18. (*n*) Nullius accusationem formidamus. Unde eorum precibus non indignum se probat, tametsi multis invisus erat, quod iis legem Mosaicam aversari videretur; vel ex conscientiæ nostræ testimonio confidimus hoc unum nobis esse propositum, ut in omnibus prudenter & pie nos geramus.

19. & 20 (*o*) Cum adhuc esset Vinctus Romæ. *Pacis*, auctor; *Qui eduxit*, qui per effusum in cruce sanguinem sibi ac nobis resurrectionis gloriam meruit, & pretio sui sanguinis oves suas acquisivit: *Testamenti æterni*, in pactum æternum nostræ cum Deo reconciliationis, cui nullum aliud succedit; quodque æterna dona promerit.

21 (*p*) Perficiat in omni genere bonorum operum, vos tamquam unius corporis membra aptet & componat: *Cui est gloria in sæcula sæculorum*: idque ad Christum & ad Deum Patrem referri potest.

22. (*q*) Ut æquo animo accipiatis hanc meam consolationem, vel exhortationem: nam perpaucis scripsi verbis, si rei dignitas spectetur: in pauca contraxi, quæ fusius dici poterant.

23 (*r*) Vox Græc. Γινώσκετε, verti etiam potest: Nostis fratrem nostrum Timotheum: *Dimissum*, Gr. *vinculis solutum*.



EPISTOLA CATHOLICA
BEATI JACOBI
APOSTOLI.

HÆC Epistola inter catholicas prima numeratur; scripta fuit a Jacobo Apostolo, qui frater Domini vulgo dicitur, more Hebræis usitato. Jacobus autem ex Alphæo & Maria Cleophæ filia natus, Christi Domini erat consanguineus, eo quo alibi diximus modo. Minor vulgo dici solet, quod Jacobus alter Zebedæi filius & frater Joannis prior ad Apostolatum a Christo vocatus fuerit. Antequam Apostoli toto orbe Evangelium prædicaturi ab urbe Jerosolyma discederent, hic Ecclesiæ Jerosolymitanæ regendæ fuit præpositus, tanta sanctitate conspicuus, ut Josephus urbis excidium injustæ illius neci tribuerit. Jacobum Apostolum & Episcopum Jerosolymitanum hujus Epistolæ auctorem esse communis est Ecclesiæ consensio, Conciliorum & SS. Patrum auctoritate firmata. Ad totius orbis Ecclesias, ut alias Catholicas epistolas dirigi, verisimillimum est: eo quippe nomine censentur, quæ totius Ecclesiæ communia tractant negotia, neque ad fideles unius civitatis, aut regionis, ut Pauli Epistolæ, sed ad omnes omnium locorum & temporum Christianos sunt conscriptæ. Quod enim Jacobus in Epistola sua duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem apprecatur, non Judæis legi Mosaicæ addictis, sed fidelibus tantummodo scribere probabilius videtur. Judæi enim a tempore captivitatis Babylonicæ per varias orbis regiones sparsi vix quidquam de Christi Evangelio audierant; perpauci ex iis quibus annuntiatum erat Evangelium, Christum ut Messiam agnoverant; Jacobus ipse iis ignotus erat penitus, nec liquet quo is modo effecisset ut hæc Epistola ad eos perferretur. Itaque duodecim tribuum nomine Christianos designari omnes existimant viri docti, & inter eos Auctor Analyseos Gallicæ: eodem plane modo loquitur, quo Christus Dominus Apostolis suis prædixit fore ut judicarent 12. tribus Israel, hoc est, Christianos omnes, qui sunt viri Israelitæ spiritu, non carne tantummodo. Sic Joannes in Apocalypsi vidit 12. portas cælestis Jerusalem, quarum singulæ unius tribus nomine erant insignitæ; & c. 7. Angelus duodecim millia signavit ex unaquaque tribu: Quid porro caussæ esse potuit, ut Jacobus Judæis potius, quam Gentilibus ad fidem conversis scriberet? cum utrique & Gentiles conversi, & Judæi iisdem in civitatibus degerent, & in easdem convenirent Ecclesias; quæque ad mores & fidem spectant, utrisque essent communia, ad omnes omnium temporum & locorum fideles æque pertinerent?

Id vero est Jacobo in hac Epistola propositum, ut quædam fidei præcepta & morum iis tradat, cum adversus hæreses quæ tunc temporis emergere incipiebant, tum adversus corruptionem morum, quæ futuris temporibus imminebat. Primum hujus Epistolæ caput instructioni datur: quæ sequuntur usque ad cap. 5. varias hæreses primis Ecclesiæ sæculis exorituras in antecessum damnat, & mores ad pietatem informat; in extrema Epistolæ parte pauperes & afflictos consolatur: ubique tamen videtur non alium sequi ordinem, præter eum, qui animo ejus ultro se offerebat, fere ut in libris Sapientiæ cernimus, in Proverbiis scilicet, Ecclesiaste, & in Ecclesiastico, immo & in Prophetis, ubi Spiritus sancti afflatum sacri Auctores sequuntur.

CAPUT PRIMUM.

In adversis gaudendum; postulanda a Deo sapientia; cum fide orandum; de paupertate; de frænanda lingua; factores legis justificantur, non auditores tantum: veræ religionis nota.

1. JACOBUS (*a*) Dei & Domini no-
stri Jesu Christi servus, duode-
cim tribubus, quæ sunt in dis-
persione, salutem.
2. Omne gaudium existimate (*b*) fratres
mei, cum in tentationes varias incideritis:
* Rom 5.3. 3. * Scientes quod probatio (*c*) fidei vestræ
patientiam operatur.
4. Patientia autem opus perfectum habet
(*d*): ut sitis perfecti & integri, in nullo de-
ficientes.
5. Si quis autem vestrum indiget sapientia
(*e*), postulet a Deo, qui dat omnibus affluen-
ter, & non improperat, & dabitur ei.
* Matt. 7. 7. 6. * Postulet autem in fide nihil hæsitans
& 21. 22. (*f*): qui enim hæsitat, similis est fluctui ma-
Mar. 11 24. ris, qui a vento movetur, & circumfertur.
Luc. 11. 9. 7. Non ergo æstimet homo ille quod acci-
Joann. 14. 13. & 16. 23. piat aliquid a Domino.
8. Vir duplex (*g*) animo, inconstans est in
omnibus viis suis.
9. Glorietur autem frater humilis in exalta-
tione sua;
* Eccli. 14. 18. 10. Dives autem in humilitate (*h*) sua, *
Is. 40. 6. quoniam sicut flos fœni transibit:
1 Pet. 1 24. 11. Exortus est enim sol cum ardore, &
arefecit fœnum, & flos ejus decidit, & decor
vultus ejus deperiit: ita & dives in itineribus
(*i*) suis marcescet.
12. * Beatus vir, qui suffert tentationem * Job 5. 17.
(*k*): quoniam cum probatus fuerit, accipiet
coronam vitæ, quam repromisit Deus diligen-
tibus se.
13. Nemo cum tentatur (*l*), dicat, quo-
niam a Deo tentatur: Deus enim intentator
malorum est: ipse autem neminem tentat.
14. Unusquisque vero tentatur a concupi-
scentia sua abstractus, & illectus (*m*).
15. Deinde concupiscentia cum conceperit,
parit peccatum: peccatum vero cum consum-
matum fuerit, generat mortem.
16. Nolite itaque errare (*n*), fratres mei
dilectissimi.
17. Omne (*o*) datum optimum, & omne do-
num perfectum desursum est, descendens a Pa-
tre luminum, apud quem non est transmuta-
tio, nec vicissitudinis obumbratio.
18. Voluntarie (*p*) enim genuit nos verbo ve-
ritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.
19. Scitis (*q*) fratres mei dilectissimi. * Sit * Prov. 17.
autem omnis homo velox ad audiendum: tar- 27.
dus autem ad loquendum, & tardus ad iram.
20. Ira

CAPUT I. 1. (*a*) Apostoli nomen præ humilitate reticet, ut Paulus scribens ad Philippenses & ad Thessalonicenses. *Dispersione*, Fidelibus per orbem sparsis, non Judæis tantummodo inter gentes per varia regna dispersis. Nam per duodecim tribus fideles omnes designari, uti jam diximus, videtur admodum probabile. Quamquam illud etiam satis probabiliter dici potest, Jacobo ut Jerosolymæ Episcopo Judæos ad fidem conversos præcipuæ curæ fuisse. Unde & eo titulo ad eos scribit hanc Epistolam. *Salutem*, Gr. χαίρειν. Idem est salutandi modus Actor. 15. adeo ut hæc videatur Epistola encyclica, & quasi synodica.

2. (*b*) Plenum & perfectum gaudium vobis accidere existimate, cum in varias afflictiones incideritis: quod paradoxum mox probare aggreditur hoc genere argumenti, quod sorites dici solet.

3. (*c*) Exploratio, quæ fit per castigationes: *Patientiam operatur*; patientiæ materiam & occasionem præbet, eamque auget & perficit; probatio patientiam vicissim efficit; per patientiam probatur homo, per probationem patientia perficitur.

4. (*d*) Gr. *habeat*. constanter patiatur, & perseveret fidelis usque in finem. *Perfecti*, ita ut nihil vobis desit in omni bonorum genere, dummodo adsit perseverantia, quæ hujus alacritatis in afflictionibus est fundamentum.

5. (*e*) Qua novimus quid faciendum sit, quæque ad salutem est necessaria; quæ si desit, perseverare non possumus, & patienter ferre afflictiones. *Postulet a Deo*. Ecclesiastici 1. *Omnis sapientia a Domino est*. Ad petendum nos in primis excitat. Latum est illud discrimen, quod inter beneficia Dei & hominum intercedit. Homines quippe parum dant petentibus, quæque dederunt sæpe exprobrant. Contra Deus dat *omnibus affluenter*, & copiose, Gr. *simpliciter*; non restricta est ejus & maligna benignitas ut in hominibus, sed larga & iterum poscentibus exposita: si modo utilia ad salutem, ut par est, postulent.

6. (*f*) Sed cum fiducia impetrandi: nam de benevolentia Dei dubitare non debemus. *Fluctui maris*. animus hominis dubitantis est instar fluctus maris, isque variis cogitationibus ut ventis huc illuc distrahitur; modo Deum ut omnipotentem & misericordem ex fidei principiis sibi exhibet, modo in contrarias partes flectitur, ac de illius misericordia, aut omnipotentia videtur ambigere.

8. & 9. (*g*) Fluctuans inter diversas sententias, incerti est animi. *Humilis*. Gr. *abjectus*: *In exaltatione sua*, quam promisit Christus, quamquam fidis largitur.

10 (*h*) In fide, quæ aliis tenuioris sortis eum exæquat; glorietur solummodo in eo quod sit Christianus. Alii supplendum putant: confundatur in humiliatione sua & moderate se gerat, ad rerum inconstantiam convertat oculos: quæ sequuntur, huic sententiæ favent.

11. (*i*) In tot occupationibus suis & laboribus, quos in acquirendis divitiis exhaurit.

12. (*k*) Ibi desinit hæc instructio, unde incepit. Beatus qui non succumbit rebus adversis.

13. (*l*) A tentatione probationis ad tentationem pravam transit, simul ex occasione de boni & mali origine disserit, quæ ab hæreticis postea fuit variis erroribus obducta. Illud in primis statuit neminem a Deo tentari aut ad peccatum induci: nam Deus ut peccare nequit, ita nec ad peccandum inducere.

14. (*m*) Quibus gradibus peccatum perficiatur, paucis explicat. Primus est concupiscentia ipsa, aut prava suggestio, quæ nos illicit ad peccatum: secundus est delectatio quædam in ipsa cogitatione, quam non statim repellimus, quæque peccatum jam inchoat, in concupiscentiæ sinu velut conceptum: tertius est peccati partus, qui fit cum plena & deliberata voluntatis consensione: sed consummatio illius est ipsa executio, & pravi desiderii expletio, quæ mortem æternam efficit, cum usque ad finem vitæ in eo perstamus, neque idonea pœnitentia eluitur peccatum.

16. (*n*) Ut vos a Deo tentari persuasum habeatis: rejiciendæ sunt tentationes, quæ nos ad peccatum alliciunt.

17. (*o*) Adeo non tentat Deus, ut dona omnia & virtutes, quibus ad bene beateque vivendum accendimur, ab eo ipso dimanent. Sic de boni origine adversus Philosophos & hæreticos statuit, ut charismata cœlestia, gratia sanctificans cum virtutibus conjuncta, lumen ipsum naturale, & fides, a Patre luminum, ut radii a sole dimanent.

18. (*p*) Non necessitate ulla: *Ut simus initium aliquod creaturæ ejus*: ut simus quasi primitiæ creaturarum ejus, & novæ regenerationis, quæ inchoata per Baptismum, in gloriosa resurrectione perficietur: particula, *enim*, deest in Græco.

19. (*q*) Satis scitis quæ dixi vera esse, Gr. ὥστε *Quapropter* videtur legisse interpres. *scitis*. *Ad audiendum*, Jam morum præceptis nos informare incipit, atque ab ipsius linguæ moderatione ducit exordium. Primus enim disciplinæ gradus est præcepta Dei libenter audire; sit promptior ad audiendam doctrinam Evangelii, quam ad docendam.

20. Ira enim viri, justitiam Dei non operatur (r).

21. Propter quod abjicientes omnem immunditiam (s), & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.

* Matth. 7. 21. Rom. 2. 13.
22. * Estote autem factores (t) verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos.

23. Quia si quis auditor est verbi, & non factor: hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis (u) suæ in speculo:

24. Consideravit (x) enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.

25. Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis (y), & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit.

26. Si quis autem putat se religiosum (z) esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.

27. Religio (aa) munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est: Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

CAPUT II.

Fides non admittit personarum acceptionem; Lex in nullo violanda; Fides sine operibus est inanis.

Levit. 19. 15. Deut. 1. 17. & 16. 19. Prov. 24. 23. Eccli. 42. 1.
1. FRatres mei, nolite (a) in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ.

2. Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida (b), introierit autem & pauper in sordido habitu,

3. Et intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hic bene: pauperi autem dicatis: Tu sta illic; aut sede sub scabello pedum meorum:

4. Nonne judicatis (c) apud vosmetipsos, & facti estis judices cogitationum iniquarum?

5. Audite fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?

6. Vos autem exhonorastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad judicia?

7. Nonne ipsi blasphemant (d) bonum nomen, quod invocatum est super vos?

8. Si tamen legem perficitis (e) regalem secundum scripturas: * Diliges proximum tuum sicut teipsum; bene facitis: * Levit. 19. 18 Matth. 22. 39. Mar. 12. 31. Rom. 13. 9. Gal. 5. 14.

9. * Si autem personas accipitis, peccatum operamini redarguti a lege (f) quasi transgressores. * Sup. 1.

10. * Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. * Matt. 5. 19.

11. Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit &, Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.

12. Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis (g) incipientes judicari.

13. Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam: superexaltat (h) autem misericordia judicium.

14. Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?

15. * Si autem frater & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, * 1. Joan. 3. 17.

16. Dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & saturamini: non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?

17. Sic

20. (r) Vir iracundus non paret Dei mandatis, sed suam opinionem cum pertinacia tuetur, & alios acriter reprehendit. Ira enim falsis præjudiciis animum obducit.

21. (s) Omnem cupiditatem, quæ iram fovet & quidquid fœdare potest animam: Et abundantiam malitiæ, Hebraismus, id est, abundantem malitiam, seu malignitatem, ex præjudiciis sensuum, & pravis affectibus ortam. Insitum, Græc. verbum implantatum, seu doctrinam Evangelicam per prædicationem quasi insitam. Mansuetudo dociles & attentos nos reddit, Isaiæ 6. Ad annuntiandum mansuetis misit me.

22. (t) Ut qui fidem solam saluti necessariam sine bonis operibus, sibi & aliis falso persuadent.

23. (u) Nativam faciem suam: In speculo; Qui non novit mysteria, neque ad formam Evangelii vivit, similis est homini, qui inspexit faciem suam in speculo nihil sollicitus ut maculas ejus abstergat: sic ille qui auditor tantum est Verbi divini, statim obliviscitur qualis sit.

24. (x) In Evangelio quidem qualis esse debeat, videt: sed ad illius normam non studet se componere: quæ vidit, statim obliviscitur. Itaque ut speculum nihil prodest homini, cujus facies est luto inquinata, neque eam abluit: sic verbum Dei non prodest auditori, qui eluere culpas suas negligit: nam ex animo statim deletur impressa sui effigies.

25. (y) Divini amoris: Et permanserit in ea, & intento animo in eam defixus, non obiter tantum, sed propius eam intuitus fuerit: Beatus, non in sola fide, sed in eadem bonis operibus [illegible]

26. (z) Sed Christiani perfecti munus obire, & ordinem a Christo constitutum servare: Non refrænans linguam suam; immo in convicia, & calumnias se effundens: Sed seducens cor suum; quidquid libuerit animo versans, & temere effutiens. Hujus vana est religio: de sua fide & religione inaniter gloriatur. Atque hæc est prima conditio, quam religioni vult esse conjunctam: altera est ut duas justitiæ partes impleat, bonum faciendo, & malum vitando.

27. (aa) Beneficentiam exemplo peculiari illustrat: Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum: eleemosynis eos sublevare; & immaculatum se custodire ab hoc sæculo: hoc est, omne genus mali, & vitia quæque fugere.

CAP. II.
1. (a) Hebraismus: nolite cum personarum acceptione conjungere fidem Christianam, ita ut in bonorum distributione, personæ, non meriti habeatis rationem. Quod Augustinus iis applicat, qui in distribuendis muneribus Ecclesiasticis divites, aut nobiles, aut amicos dignioribus anteponunt, Epist. 29. In iis quæ sunt religionis, nullus sit inter vos personarum respectus. Jesu Christi gloriæ, gloriosi.

2. & 3. (b) Gr. splendida, nitenti. Bene, Loco commodo & honorifico; aut sede sub scabello, quod pedibus sedentis subjicitur.

4. (c) Græc. Nonne convicti estis a propria conscientia, quod sitis iniqui judices, aut perversi ratiocinantes? Vox enim Græca ratiocinationem significat, dum judicatis hunc esse honorandum, quia dives est, illum spernendum, quia pauper: discrimen inter divites & pauperes in his quæ religionis sunt facitis, & judices estis iniqui, cum pauperes ob paupertatem contemnitis, qui ex specie externa hominum merita æstimatis.

7. (d) Nonne ii sunt, qui Christianam religionem traducunt? vel, in caussa sunt, cur Christianum nomen blasphemetur ab infidelibus, cum vident Christianos divites inique cum pauperibus agere, & ad tribunalia eos trahere. Invocatum est; unde Christiani vocati estis.

8. (e) Nec tamen intercedo quominus divites honoretis, cum ipsi id merentur; & legem charitatis etiam erga divites, qui in auctoritate posita sunt, custodiatis: sed divitiarum intuitu eos pauperibus male anteponere & hos contemnere non debetis. Legem charitatis erga omnes regalem vocat, quia est communis omnibus a Christo in primis data.

9 & 10. (f) Quo prohibet acceptionem personarum. Levit. 19 Omnium reus. Quod legislatoris auctoritatem contemnat, idque ob nexum virtutum inter se, & in vinculo charitatis.

12. (g) Ita vos geratis & verbis & factis, quasi per legem Evangelicam judicandi, per legem amoris & charitatis, per eam legem Levit. 19 Diliges proximum tuum.

13. (h) Gr. κατακαυχᾶται. superexultat, Vatablus gloriatur vertit. Exaltat se misericordia adversus judicium. Aliqui opinantur errore Librarii pro superexultat irrepsisse superexaltat.

17. Sic & fides (*i*), si non habeat opera, mortua est in semetipsa.

18. Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo: ostende (*k*) mihi fidem tuam sine operibus: & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.

19. Tu credis quoniam unus est Deus: Bene facis: & dæmones credunt, & contremiscunt.

20. Vis autem scire o homo inanis (*l*), quoniam fides sine operibus mortua est?

* Gen. 22. 9. 21. * Abraham pater noster nonne ex operibus (*m*) justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?

22. Vides quoniam fides cooperabatur (*n*) operibus illius: & ex operibus fides consummata est?

* Gen. 15. 6. Rom. 4. 3. Gal. 3. 6. 23. Et suppleta (*o*) est Scriptura dicens: * Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, & amicus Dei appellatus est.

24. Videtis quoniam ex operibus (*p*) justificatur homo, & non ex fide tantum?

* Jos. 2. 4. Hebr. 11. 3. 25. Similiter * & Rahab meretrix, nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuntios, & alia via ejiciens?

26. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.

CAPUT III.

Quæ mala afferat lingua praeceps; fructus arbori convenit: sapientia, alia terrena, alia divina est.

Matt. 23. 8. 1. NOlite (*a*) plures magistri fieri fratres mei: scientes quoniam majus judicium sumitis.

2. In multis enim offendimus (*b*) omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir: potest etiam fræno circumducere totum corpus.

3. Si autem equis fræna (*c*) in ora mittimus ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus.

4. Ecce & naves, cum magnæ sint, & a ventis validis minentur, circumferuntur a modico gubernaculo, ibi impetu dirigentis voluerit.

5. Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit!

6. Et lingua ignis est, universitas (*d*) iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata a gehenna.

7. Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & ceterorum (*e*) domantur, & domita sunt a natura humana:

8. Linguam (*f*) autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero.

9. In ipsa benedicimus Deum & Patrem: & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt.

10. Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet (*g*) fratres mei, hæc ita fieri.

11. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam?

12. Numquid potest, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam.

13. Quis sapiens & disciplinatus (*h*) inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.

14. Quod si zelum amarum (*i*) habetis, & contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse adversus veritatem.

15. Non est enim ista sapientia desursum descendens: sed terrena (*k*), animalia, diabolica.

16. Ubi

17. (*i*) Si non habeat opera sibi conjuncta, mortua est in semetipsa, ac bona opera sunt aperta vitæ spiritalis indicia, ut motus in animali est vitæ ipsius signum. Atque ut nuda illa verba, *Ite in pace*, nihil prosunt egentibus, nisi cibum iis præbeas: sic fides sola bonis operibus destituta nihil juvat habentem: ostendit enim quæ facienda sunt, non facit.

18. (*k*) Sensum ab operibus: sic enim legendum videtur in Græco textu, non *sine operibus*, ut alia habet lectio; is enim ab eo petit, qui vacuus est bonis operibus, ut fidem suam probet. Ex eo contendit illum fidem suam demonstrare non posse, quod fides sit per se invisibilis, ac per bona opera se prodat: etsi fidem habeat, hæc erit inutilis ad justificationem, cum sit communis dæmonibus: ejusmodi homini fidem jactanti sine operibus licebit dicere, *Ostende*, &c.

20. (*l*) Qui de nuda fide gloriaris, fructu bonorum operum destitutus.

21. (*m*) Augmentum gratiæ justificantis ex bonis operibus est consecutus, cum jam esset justus *Offerens Isaac*, Græcum offerre paratus esset: neque opera sine fide, nec fides sine operibus prosunt.

22. (*n*) Fides non erat otiosa, sed actuosa. *Consummata est*. Robcrata: fides hujus sacrificii principium fuit, & sacrificium ipsum, quo contra omnem naturæ sensum filium immolabat, fidem ejus perfecit.

23. (*o*) Gr. *Impleta est*, cum ad fidem ipsius accesserunt bona opera, Scripturæ sensus impletus est: *Credidit*; Paulus excludit opera ante fidem facta, illa exigit quæ ex fide manant: fides Abrahæ ex obedientia ultimam suam accepit perfectionem. *Et amicus Dei appellatus est*; Isaiæ 41. vers. 8. & Lib. 2. Paral. 20. 7.

24. (*p*) Quæ post fidem fiunt, quæque sanctitatis incrementum afferunt. Nec Jacobus Paulo adversatur, sed negat fidei soli justificationem tribui oportere: opera intelligit quæ ex fide nascuntur, quæque Spiritu sancto operante fiunt.

CAP. III. 1. (*a*) Ambitiosam docendi pruriginem & doctrinarum varietatem prohibet, quod multi alios docendi munus non satis instructi usurparent, ac novis subinde opinionibus Ecclesiam conturbarent. Plures igitur fiunt magistri, cum diversa docent, & contraria: cum autem idem docent omnes, tum unius magistri auctoritate docent, & unus Magister sunt. *Majus judicium sumitis*, Gr. *sumemus*, in majus periculum incurremus. Judæi doctores vocabant, qui cætibus illis præerant.

2. (*b*) Nam linguam regere perfecti est viri. Eccli. 19. 17. *Quis est enim, qui non deliquerit in lingua sua?*

3. 4. & 5. (*c*) Græc. *Ecce autem*: Quemadmodum fræno equum, & gubernaculo navem licet mole magna circumagimus; *Minentur*, agantur: verum est priscæ Latinitatis: sic lingua quæ modicum quidem est membrum, *& magna exaltat*, Gr. *magnifice gloriatur*, seu exultat, si ut par est, eam regimus, nos præcipites non agit, neque in profundum demergit, sed omnibus cupiditatibus, & corporis actionibus facile moderamur.

6. (*d*) Gr. *mundus iniquitatis*, lingua, instrumentum omnis generis sceleribus admittendis aptatum. *Totum corpus*, vitiis inficit, & *rotam*, totum vitæ cursum contaminat, ab initio ad finem usque: *Inflammata a gehenna*; ob latæ naturæ vitium a diabolo insitum.

7. (*e*) Gr. *marinorum*: fors est ut Interpres verterit. *Et cetorum*, ac Librarii lapsu ceterorum vox irrepserit.

8. (*f*) Naturæ viribus, August. Lib. de natura & gratia, cap. 15. Non ait, *linguam nullus domare potest*, sed *nullus hominum*, ut cum domatur, Dei misericordia, Dei adjutorio, Dei gratia fieri fateamur. *Inquietum malum*, Gr. coerceri nequit.

10. & 12. (*g*) Uti lingua ad maledicendum. *Uvas*, Gr. *olivas*: ita legit Beda. *Sic neque salsa*, neque fons salsus, aquæ salsæ non possunt fieri dulces; Gr. *Sic nullus fons salsam & dulcem facere*.

13. (*h*) Gr. *scientia præditus*, ostendat ex bona conversatione sua, ex vitæ tenore & moribus, *operationem suam*, Gr. opera sua, quæ sapientiam mansuetam in respondendo, docendo, & arguendo prodant.

14. (*i*) Ex ira, aut invidia prodeuntem, & contentionis plenum. *Nolite gloriari*, contra veritatem, aut pro tuenda falsa nominis existimatione.

15. (*k*) Qualis est in avaris, qui terrenis bonis inhiant; *animalis*, seu carnalis: sic dicta ab anima, quatenus spiritui opponitur: sic Paulus: *Animalis homo non percipit quæ Dei sunt*. *Diabolica*, qualis est superbia vitæ, quæ a diabolo proficiscitur.

16. Ubi enim zelus & contentio, ibi inconstantia (*l*) & omne opus pravum.

17. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non judicans, sine simulatione.

18. Fructus autem justitiæ, in pace seminatur, facientibus pacem (*m*).

CAPUT IV.

Contentiones omnes ex concupiscentia, quæ malorum omnium est origo: fugienda detractio, & superbia: cavendum a judiciis temerariis.

1. Unde bella (*a*) & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?

2. Concupiscitis, & non habetis (*b*): occiditis, & zelatis: & non potestis adipisci: litigatis, & belligeratis, & non habetis, propter quod non postulatis.

3. Petitis, & non accipitis: eo quod male petatis (*c*): ut in concupiscentiis vestris insumatis.

4. Adulteri (*d*), nescitis quia amicitia hujus mundi, inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.

5. An putatis quia inaniter scriptura dicat: Ad invidiam (*e*) concupiscit spiritus, qui habitat in vobis?

6. Majorem autem dat gratiam. Propter quod
* Prov. 3. 34. dicit: * Deus superbis resistit (*f*), humilibus
1. Pet 5. 5. autem dat gratiam.

7. Subditi (*g*) ergo estote Deo, resistite autem diabolo, & fugiet a vobis.

8. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores: & purificate corda, duplices animo.

9. Miseri estote (*h*), & lugete, & plorate: risus vester in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem.

10. * Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos. *1. Pet. 5. 6.

11. Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit (*i*) fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem. Si autem judicas legem: non es factor legis, sed judex.

12. Unus est legislator, & judex, qui potest perdere, & liberare.

13. * Tu autem quis es, qui judicas proximum? * Rom. 14. 4.
Ecce (*k*) nunc qui dicitis: Hodie, aut crastino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus:

14. Qui ignoratis quid erit in crastino.

15. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit; &: Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.

16. Nunc autem exultatis in superbiis (*l*) vestris. Omnis exultatio talis, maligna est.

17. Scienti (*m*) igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.

CAPUT V.

Avaris divitibus exitium minatur; pauperes ad patientiam adhortatur, Christi & prophetarum exemplis propositis: Juramento abstinendum; de oratione, & extrema unctione.

1. Agite nunc divites (*a*), plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis.

2. Divitiæ vestræ putrefactæ (*b*) sunt: & vestimenta vestra a tineis comesta sunt.

3. Aurum, & argentum vestrum æruginavit (*c*): & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.

4. Ecce

16. & 17. (*l*) Gr. *tumultus*, perturbatio. *Desursum*: quæ a Deo datur: *Primum quidem pudica est*, Gr. ἁγνή, casta, pura ab omni libidine, errore, & scelere: *modesta*, Græce, ἐπιεικὴς, moderata, mansueta, æquabilis, humana: *suadibilis*, cui facile persuadentur bona, Gr. *tractabilis*, *bonis consentiens*, deest in Græco, & videtur esse explicatio verbi præcedentis: *Non judicans*, perperam & temere; *Sine simulatione*: Gr. nec dissimulans, neque aliena facta condemnans.

18. (*m*) Quæ pacem conciliant, ex iis seminatur fructus justitiæ, quem in futura vita metent.

CAP. IV. 1. (*a*) Dissensiones, discordiæ: *Ex concupiscentiis vestris*: Gr. ex *voluptatibus*, aut libidinibus, quas ut expleatis, divitias ardenter expetitis.

2. (*b*) Quod alii iisdem hujus vitæ bonis acquirendis studeant, eaque occupent: hinc zelo & invidia arderis: *Occiditis*, alii in alios sævitis, & male tractatis: *Litigatis*, commoda hujus vitæ contentionibus & litibus adipisci frustra tentatis, cum a Deo sint postulanda.

3. (*c*) Si a Deo illa petitis ob pravum finem, eadem postulatis, nempe ad explendas libidines vestras, ideo non accipitis.

4. (*d*) Gr. addit, *& adulteræ*, qui Deo relicto fidelium animarum sponso, ad res terrenas deflectitis.

5. (*e*) Locus ille e Cantico Mosis videtur desumptus: *Ipsi provocaverunt me in eo qui non erat Deus*: Spiritus ille qui habitat in vobis, quo terrena concupiscitis, zelum Dei & ultionem provocat.

6. (*f*) Locus ille Scripturæ ex parte Proverb. 3. vers. 34. occurrit juxta septuaginta Interpretes: sed 1. Petr. 5. vers. 5. integer continetur, adeo ut Epistola Petri videatur scripta ante hanc Epistolam Jacobi: Deus superbis gratiam denegat, humilibus largiorem præbet.

7. & 8. (*g*) Ut gratiam Dei uberiorem recipiatis: Vos qui longe a Deo recessistis: *Appropinquate Deo*, per fidem, humilitatem, & pœnitentiam; *Emundate manus*, externas actiones: *& purificate corda*, per interiores animi affectus: *duplices animo*, divisi inter Deum & creaturas: vox Græca δίψυχοι, homines vacillantes, & instabilis propositi significat.

9 (*h*) Gr. *affligite vos*, per pœnitentiam, vos qui antea in voluptates demersi fuistis, & in rebus prosperis nimia elati lætitia.

11. (*i*) Ex odio, *aut qui judicat fratrem suum*, temere, *detrahit legi*, quæ id vetat; *& judicat legem*: damnat legem, quasi ipse supra legem esset: legem Evangelicam non intelligit.

13. (*k*) Agite nunc qui dicitis: est transitio ad novam sermonis materiam, & negotiatores in primis reprehendit, quod non attendant ad vitæ humanæ conditionem, quæ a nutu divino pendet, & instar vaporis dissipatur. Longiorem vitam & ingentia lucra sibi promittunt, neque ut Christiani hanc addunt exceptionem: *Si Dominus voluerit*; neque ut homines brevis & incerti ævi memores, hac exceptione utuntur. *Si vixerimus*: sed sibi ipsis fidentes, ut futurorum securi, gloriantur.

16. (*l*) In divitiis, & in iis quæ superbe jactatis & facitis. *Omnis exultatio talis*, gloriatio, *maligna est*, & improba.

17. (*m*) Hebræos in primis, qui aliorum magistri videbantur, compellat, quibus Dei voluntas, aut lex non erat incognita, quique adeo ignorantiam obtendere non poterant.

CAP. V. 1. (*a*) Itaque divites, qui inhumani estis in pauperes, plorate ejulantes ob miserias sempiternas, quæ vobis imminent propter duritiem cordis, & injustitias vestras.

2. (*b*) Malitiis opes vestras, triticum, vinum, oleum, & alia quæque a vobis congesta perire, quam pauperes ex iis sublevare.

3. (*c*) Æruginem contraxit, post longum temporis spatium: tametsi id æri proprie accidit, quod auro & argento numismatis immisceri solet. Aut forte Apostolus his verbis id tantum significare voluit, a divitibus avaris opes suas & argentum in terra defodi: atque illa ærugo in testimonium erit eorum avaritiæ: *Et manducavit carnes vestras*, exedet carnes vestras, in caussa erit cur ignis gehennæ vos excruciet. *Thesaurizastis vobis iram*: hæc vox, *iram*, in textu Græco deest, ac forsan ex cap. 2. vers. 5. Epist. ad Roman. in hunc locum, translata est: adeo ut hic sensus verborum sit; in novissimis vitæ diebus thesauri congesti sunt, quibus frui divitibus non licuit.

4. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.

5. Epulati (*d*) estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra, in die occisionis.

6. Addixistis (*e*), & occidistis justum, & non restitit vobis.

7. Patientes igitur estote fratres, usque ad adventum (*f*) Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum, & serotinum.

8. Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra: quoniam adventus Domini appropinquavit.

9. Nolite ingemiscere (*g*) fratres in alterutrum, ut non judicemini. Ecce judex ante januam assistit.

10. Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ (*h*), Prophetas: qui locuti sunt in nomine Domini.

11. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Job (*i*) audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, & miserator.

* Matth. 5. 34. 12. Ante omnia autem fratres mei * nolite jurare (*k*), neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester: Est, est: Non, non: ut non sub judicio decidatis.

13. Tristatur (*l*) aliquis vestrum? oret: Æquo animo est? psallat.

14. Infirmatur (*m*) quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini:

15. Et oratio fidei salvabit infirmum (*n*), & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.

16. Confitemini (*o*) ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.

17. Elias homo erat similis (*p*) nobis passibilis: * & oratione oravit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. * 3 Reg. 17. 1. Luc. 4. 25.

18. Et rursum oravit: & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum.

19. Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, & converterit quis eum:

20. Scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam (*q*) ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum.

5. (*d*) *Gr. deliciati estis, in diem occisionis:* In diem quo velut victimæ sacrificiis destinatæ mactandi eritis: vel epulati estis, ut fieri solebat a Judæis in festis solemnioribus, cum sacrificia offerebant.

6. (*e*) Morti, *Græc. condemnastis justum;* forsan de Christo loquitur, ut Stephanus Act. 6. aut si de aliis justis & innoxiis loquitur, vox illa occidistis, id significat quod Eccli. 34. 25. spoliastis: *Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.*

7. (*f*) Ad judicium, vel usque ad mortem & privatum cujusque judicium. *Temporaneum*, imbrem germinandi seminibus, & maturandis segetibus necessarium, Gr. matutinum imbrem, qui mense Octobri, & serotinum, qui Aprili decidit: gratia vocationis est imber matutinus, quo Evangelii granum germinat in nobis justitiam; in spicam attollunt bona opera: imber serotinus est perseverantiæ gratia.

9. (*g*) Nolite vobis mutuo irasci, aut aliorum offensas impatienter ferre: *Ut non judicemini*, a Domino ob impatientiam vestram. *Ecce judex*, hic adest præ foribus.

10. (*h*) Sanctorum patientiam, & persecutiones, mortem eorum considerate.

11. (*i*) Quomodo illius patientia fuit remunerata a Domino. Alii postrema verba de morte Christi ignominiosa, & de gloriosa ejus Resurrectione interpretantur: Syrus Interpres de Job ea intelligit: finem quem præstitit ei Dominus, vidistis.

12. (*k*) Levem, frequentem & indiscretam jurandi consuetudinem vetat: ac locus ille ex cap. 5. 34. Matthæi desumitur. *Decidatis*, Gr. *sub judicium*, ne in condemnationem incurratis.

13. (*l*) Gr. *affligitur: æquo animo est:* si sit animo hilari, psallat: gratias agat in canticis spiritualibus.

14. (*m*) Vox Græca graviorem morbum significat: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, aut plures, aut unum e pluribus, qui hujus Sacramenti, nempe Extremæ Unctionis est minister; *& orent super eum:* hæc est forma & ritus Sacramenti: *Ungentes eum oleo*, olivarum, eoque benedicto ab Episcopo, quæ est materia applicata ægroto per orationem: *In nomine Domini:* vice Christi Domini, aut invocato nomine Domini.

15. (*n*) Effectus Sacramenti est corporis sanitas, ut saluti animæ utilis fuerit: *Et alleviabit eum Dominus*, Gr. eriget *ejus animum*, in spem scilicet divinæ misericordiæ: *Et si in peccatis sit*, etiam lethalibus, quorum non meminerit: *Remittuntur ei*, vi hujus Sacramenti.

16. (*o*) Non soli Deo, sed alter alteri; oves pastoribus. *In hac sententia*, inquit Beda, *debet esse illa discretio, ut quotidiana leviaque peccata invicem coæqualibus confiteamur, eorumque quotidiana credamus oratione salvari. Porro gravioris lepræ immunditiam juxta legem sacerdoti pandamus, atque ejus arbitrium, qualiter & quanto tempore jusserit, purgationem peccatorum procuremus.* Satis est probabilis hujus loci interpretatio de confessione levium peccatorum, quæ fit consilii capiendi, vel auxilii gratia. Quamquam & commode de Sacramentali confessione, quæ fit Sacerdotibus, ea verba intelliguntur. Quin etiam cum desunt Sacerdotes in extremis periculis, utilis est illa confessio, quæ fit Laicis, non ut Sacramentalis absolutio detur, sed ut actus pœnitentiæ exerceantur. Orationis vim & efficaciam exemplo Eliæ mox commendat.

17. (*p*) Passibilis, vox Græca ὁμοιοπαθὴς, significat eum similiter fuisse affectibus & hujus vitæ ærumnis obnoxium.

20. (*q*) Ejus, quem ab errore deduxit, & a morte eripuit.



EPI-

EPISTOLA
BEATI PETRI
APOSTOLI
PRIMA.

PETRUM Apostolum hujus Epistolæ auctorem esse ex ipsa inscriptione, & traditione & consensu universalis Ecclesiæ sic constat, ut ea de re nemo ex veteribus umquam dubitaverit. Romæ scriptam esse, quam Babylonem vocat ob colluviem omnium religionum, & falsorum deorum cultum, plerique existimant: tametsi non desunt qui eam Babylone conscriptam pertendant. Cum autem Marci mentionem faciat, qui tertio Claudii anno, ut multis videtur, Alexandriam missus est a Petro, palam est hanc Epistolam juxta hanc opinionem anno ejusdem Imperatoris secundo, aut ineunte tertio, circa annum salutis 43. perscriptam fuisse.

Quinque Asiæ provinciis inscribitur his verbis: Petrus Apostolus Jesu Christi electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithiniæ. *Illud admodum est probabile, Petrum Apostolum his provinciis lumen Evangelii intulisse. Unde Act. 16. prohibuit Spiritus Sanctus Paulum, ne verbum Dei in ea Asiæ provincia annuntiaret, neve in Bithynia intraret, quod forte in iis provinciis jam annuntiatum esset Christi Evangelium; ac jussit Dominus ut in Macedoniam se conferret, quæ illius ope magis indigebat. Ita suspicatur Auctor Analyseos Gallicæ, qui dissertatione 18. multis suadet rationibus hanc Epistolam non solis Judæis per eas provincias dispersis, sed Christianis omnibus, cum e Judæis tum e Gentilibus ad fidem conversis inscriptum fuisse. Primum enim hæc Epistola in cœtu fidelium, qui e Judæis & Gentilibus constabat, legenda erat, neque æquum videtur Gentilibus omissis, qui numero erant potiores, solos Judæos esse salutatos. Et quidem complura sunt loca, quæ in Judæos non conveniunt, cujusmodi est ille cap. 1. v. 14.* Non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis; *quæ ignorantia Judæis vix umquam fuit exprobata. Sic illud Osee vaticinium ad Gentium vocationem pertinet, quo utitur cap. 2. v. 10.* qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. *Mitto alia in eam sententiam loca, quæ idem Auctor prosequitur.*

Quod autem cap. 3. v. 6. mulieres fideles compellans, eas esse ait filias Saræ, id utique intelligi potest secundum spiritum, ex imitatione virtutum Saræ, cujus estis filiæ benefacientes. *Textus Græcus factas esse filias Saræ indicat:* bene facientes; *per bona opera, & constantiam animorum,* & non pertimescentes ullam perturbationem.

Hujus Epistolæ argumentum partim est dogmaticum, idque maxime in primo capite, & aliis sparsim locis, ubi admirandum Dei consilium in mysterio Incarnationis, & beneficium redemptionis, atque hæreditatem regni cælestis, ad quam vocati sunt fideles, in primis commendat; partim est paræneticum & exhortatorium, cum universim ad omne virtutum genus, ad innocentiæ in Baptismo acceptæ custodiam, ad charitatem, temperantiam, obedientiam, orationem, tum sigillatim ad cujusque conditionis statum descendit, a servis incipiens, de mutuis conjugum officiis, de pastorum vigilantia, de juvenum moribus ad legem divinam informandis stylo brevi & contracto, sed sublimi sic differit, ut ubique pastoris auctoritas cum eximia charitate conjuncta elucescat: sed nunc ad textum ipsum veniamus.

CAPUT PRIMUM.

Incipit a salutatione, & a gratiarum actione, tum quæ ad doctrinam, quæque ad mores spectant prosequitur.

1. ETRUS Apostolus Jesu Christi electis advenis (*a*) dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ Asiæ, & Bithyniæ.

2. Secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, & aspersionem sanguinis Jesu Christi: Gratia vobis & pax multiplicetur.

* 1. Cor. 1. 3. Eph. 1. 3. 3. * Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit (*b*) nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis,

4. In hæreditatem (*c*) incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conservatam in cælis in vobis,

5. Qui in virtute Dei custodimini (*d*) per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo.

6. In quo (*e*) exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus:

7. Ut probatio (*f*) vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem & gloriam, & honorem, in revelatione Jesu Christi:

8. Quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis (*g*): credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata:

9. Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum.

10. De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt:

11. Scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi: prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias.

12. Quibus revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant (*h*) ea, quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis, Spiritu sancto misso de cælo, in quem desiderant Angeli prospicere.

13. Propter quod succincti lumbos (*i*) mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelationem Jesu Christi:

14. Quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis:

15. Sed secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum (*k*): & ipsi in omni conversatione sancti sitis:

16. Quoniam scriptum est: * Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum. * Lev. 11. 44. & 19. 2. & 20. 7.

17. Et si patrem invocatis eum, qui * sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini. * Deut. 10. 17. Rom. 2. 11. Gal. 2. 6.

18. Scientes (*l*) quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis:

19. * Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati: * 1. Cor. 6. 20. & 7. 23. Heb. 9. 12. 1. Joan. 1. 7.

20. Præcogniti (*m*) quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos,

21. Qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides vestra, & spes esset in Deo:

22. Animas vestras castificantes (*n*) in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius:

23. Renati non ex semine corruptibili (*o*), sed incorruptibili per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum.

24. * Quia omnis caro ut fœnum: & omnis gloria ejus tamquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos ejus decidit. Apoc. 1. 5. * Eccli. 14. 18 * Isa. 40. 6 Jac. 1. 10

25. Verbum autem Domini manet in æternum: hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos.

CA-

CAPUT I. 1. & 2. (*a*) Fidelibus recens conversis, qui in iis provinciis Asiæ minoris variis temporibus sunt dispersi. Quinque provincias designat, in quibus Evangelium Christi prædicaverat. In his prima loco ponit Pontum. Provincia est Ponto Euxino adjacens; Asiam quoque strictissime sumptam recenset, quæ septem urbes Apocal. cap. 2. memoratas continet; electos vocat fideles ad fidem & gratiam ex præscientia, seu ex electione, aut ex prædestinatione Dei Patris tamquam ex caussa. *In sanctificatione Spiritus:* Græc. *In sanctificatione*, per Spiritum sanctificantem; vel, ut sanctificarentur Spiritus sancti gratia, ut fidei obedirent, & mundarentur Christi sanguine.

3. (*b*) In spem vitæ æternæ, quam resurrectio Christi in nobis excitat, & fovet, cum sit caput nostrum.

4. (*c*) Quæ non perit, ut terrenæ hereditates, nec marcescit; *In vobis;* Gr. *in vos;* quæque ideo est extra omne periculum corruptionis, Syr. quæ parata est vobis.

5. (*d*) Fide quasi firmo præsidio ad salutem æternam consequendam custodimini.

6. (*e*) Qua in re. *exultabitis*, Græc. *exultatis: modicum nunc si oportet vos contristari;* etsi ad breve tempus vos affligi necesse est: *In variis tentationibus*, Græc. *experimentis*.

7. (*f*) Ut fides vestra probata, quæ multo est pretiosior auro: Gr. additur, *quod perit; inveniatur in laudem*, cedat vobis in gloriam.

8. & 9. (*g*) Græc. *Ne nunc quidem videntes, credentes exultatis. In finem*, mercedem fidei vestræ.

12. (*h*) Non tam sibi, quam vobis: hæc mysteria per Apostolos vobis annuntiata prædicebant. *In quem*, in Christum, vel in Spiritum sanctum, Gr. *in quæ*, seu in Christi mysteria, quæ quidem Angeli prospiciunt, sed nunquam satiantur.

13. (*i*) Coercentes illicitas cogitationes, & pravos affectus, expediti & alacres in via veritatis ambulate; *In revelatione Jesu Christi*, in adventu Christi.

15. (*k*) Sed ipsi sancti sitis, ut ille, qui vocavit vos, sanctus est.

18. (*l*) Id sciatis, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis. Hortatur eos, ut hujus vitæ, quæ est velut peregrinatio quædam, his temporibus in timore versentur, ne tanto pretio redempti a jugo legalium & vanis traditionibus seniorum, deinceps tantis se exponant periculis. *Paternæ traditionis*, de prava vivendi traditione, quam a parentibus accepistis.

20. (*m*) Prædestinati quidem ab æterno, & novissimis temporibus. *Manifesti propter vos*, propter salutem vestram.

22. (*n*) Gr. *purificastis*, per spiritum; & loco *charitatis*, Gr. est *veritatis*: *Simplici ex corde*, Gr. *non dissimulato*: *In vicem diligite attentius*, Gr. *perseveranter*, & citra interruptionem: alii *impense* vertunt.

23. (*o*) Sed incorruptibili. *Per verbum Dei vivi:* cum itaque fratres sitis regenerati verbo Dei, mutuus inter eos amor cessare non debet.

CAPUT II.

Omni malitia & dolo depositis, lac spiritale, ut modo geniti infantes, desideremus, in quo crescamus in viros perfectos ad imitationem Christi.

Rom. 6. 4. Eph. 4. 22. Coloss. 3. 8. Hebr. 12. 1.

1. DEponentes (*a*) igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & invidias, & omnes detractiones,

2. Sicut modo geniti (*b*) infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite: ut in eo crescatis in salutem:

3. Si tamen gustastis (*c*), quoniam dulcis est Dominus.

4. Ad quem accedentes lapidem (*d*) vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, & honorificatum:

5. Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini (*e*), domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum:

*Isa 28.16. Rom 9.33.

6. Propter quod continet (*f*) Scriptura: * Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum: & qui crediderit in eum, non confundetur.

* Ps. 117. 22. Isa. 8. 14. Matth. 21. 42. Act. 4. 11.

7. Vobis igitur honor (*g*) credentibus: non credentibus autem, * lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli,

8. Et lapis offensionis (*h*), & petra scandali his, qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt.

9. Vos autem genus electum (*i*), regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.

*Osee 2.24. Rom. 9.25.

10. * Qui aliquando non populus (*k*), nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.

* Rom. 13. 14. * Gal. 5.16.

11. * Charissimi, obsecro (*l*) vos tamquam advenas & peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam,

12. Conversationem vestram inter Gentes habentes bonam: ut in eo, quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.

13. * Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ (*m*) propter Deum: sive regi, quasi præcellenti; * Rom. 13. 1.

14. Sive ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum:

15. Quia sic est voluntas Dei, ut bene facientes obmutescere faciatis imprudentiam hominum ignorantiam:

16. Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei.

17. Omnes honorate: * fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate. * Rom. 12. 10.

18. * Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis (*n*). * Eph. 6. 5. Col. 3. 22. Tit. 2. 9.

19. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias (*o*), patiens injuste.

20. Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis; hæc est gratia apud Deum.

21. In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.

22. * Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. * Is. 53 9.

23. Qui cum malediceretur, non maledicebat (*p*): cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste:

24. * Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: cujus livore sanati estis. * Is. 53 5. 1. Joan. 3. 5.

25. Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum.

C A-

CAP. II.

1. (*a*) Deposita igitur omni malitia, in Baptismo videlicet.

2. (*b*) Per verbum Dei & baptismum regenerati estote per novæ nativitatis gratiam, & infantes per ætatis naturam, expertes omnis doli: *Lac concupiscite*, de matris Ecclesiæ uberibus doctrinam vobis alendis idoneam, ab omni errore puram: *In salutem*; ut per illud crescatis in viros perfectos, & salutem adipiscamini. *Rationabile*. *Syr. spirituale*, doctrinam Evangelicam: Gr. λογικὸν.

3. (*c*) Gustatis in Baptismo; ac forte alludit ad Eucharistiam: quam in Baptismo accipiebant; vel, siquidem gustatis.

4. (*d*) Christum scilicet a Judæis reprobatum, sed electum a Deo, teste Isaia, cap. 24. *Ecce servus meus, suscipiam eum, electus meus*; quique est novi ædificii, seu Ecclesiæ fundamentum.

5. (*e*) Gr. ædificemini; *Domus spiritualis*; In domum spiritualem, in qua Spiritus sanctus habitet: *Sacerdotium sanctum*; ut sitis Sacerdotes sancti, qui Deo orationes, pia opera, & spirituales hostias, non instar legalium sacerdotum carnales hostias offeratis.

6. (*f*) Habemus in Scriptura Isaiæ 28. *Ecce pono in Sion*, in Ecclesia; *Lapidem summum angularem*. Gr. in summo angulo positum; qui duos populos Judæorum & Gentilium conjungit: *Non confundetur*: Sic vertunt LXX. id est, spe sua non excidet, in Hebr. *Non festinet*, patienter expectet.

7. (*g*) Fons est honoris & gloriæ credentibus: non credentibus autem iis vel invitis, lapis quem reprobaverunt ædificantes, seu Judæorum principes, *hic factus est in caput anguli*.

8. (*h*) Iis qui sua culpa impingunt in verbum Evangelii, aut in Christum ipsum: *In quo positi sunt*. Græc. *in quod proprio nempe vitio positi*, sunt propter incredulitatem a Deo deserti.

9. (*i*) Quod Scriptura Israelitis tribuit Exod. 19. & Isaiæ 41. *Regale sacerdotium*, illius corporis adunati, qui simul rex est, & sacerdos. Leviticum sacerdotium non regium fuit, ut sacerdotium Christi; *Populus acquisitionis*: Christi sanguine acquisitus, Gr. *populus in acquisitionem*. *Ut virtutes annuntietis ejus*, ut memores sitis tanti beneficii.

10. (*k*) Osee 2. vix ille locus de Judæis dispersis intelligi potest: adeo ut vel ex eo loco concludi possit hanc Epistolam ad fideles e Gentibus & Judæis conversis scriptam fuisse, non ad solos Judæos.

11. & 12. (*l*) Hortor vos, ut cives cælestes, peregrinos in terra: *In die visitationis*; Cum Deus per gratiam suam eos ad fidem convertere dignabitur.

13. (*m*) Vocem creaturæ usurpat Apostolus pro potestate humana; *Sive Regi, quasi præcellenti*, habenti potestatem.

18. (*n*) Vox Gr. σκολιοῖς, asperos significat. Voce alia Græca reddit interpres, quæ morosos & difficiles significat.

19. (*o*) Is studet conscientiam habere apud homines bonam, qui nihil agit quod eos merito offendat. At si quod Deo gratum est, displiceat hominibus, eorum conscientia est negligenda. Vox Græca διὰ συνείδησιν, non modo significat certum esse apud se de re aliqua, sed id una cum alio scire.

23. (*p*) Gr. *maledicta non regerebat*. *Tradebat autem judicanti se injuste*; nempe Pilato. In Græco, *tradebat juste judicanti*; Deo scilicet, qui juste judicat causam ejus, & tamen sensus Vulgatæ bonus est: nam Pilato injuste judicanti ultro se tradidit: *Oblatus est quia ipse voluit*.

CAPUT III.

Conjugatorum mutua in se officia: ad charitatem & patientiam eos adhortatur; modestiam in vestitu, misericordiam & pacem iis commendat.

* Eph. 5. 22. Col. 3. 18. 1. Similiter & mulieres (a) subditæ sint viris suis: ut & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant,

2. Considerantes in timore castam conversationem vestram.

* 1. Tim. 2. 9. 3. * Quarum non sit extrinsecus capillatura (b), aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus:

4. Sed qui absconditus (c) est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.

5. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris.

* Gen. 18. 12. 6. * Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cujus estis filiæ (d) benefacientes, & non pertimentes ullam perturbationem.

* 1. Cor. 7. 3. 7. * Viri (e) similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam & cohæredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes vestræ.

8. In fine autem omnes unanimes (f), compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles:

* Prov. 17. 13. Rom. 12. 17. 1. Thess. 5. 15. 9. * Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed econtrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis.

* Ps. 33. 13. 10. * Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, & labia ejus ne loquantur dolum.

11. * Declinet a malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam: * Is. 1. 16.

12. Quia oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum: Vultus autem Domini super facientes mala.

13. Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores (g) fueritis?

14. * Sed & si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem (h) autem eorum ne timueritis & non conturbemini. * Matt. 5. 10.

15. Dominum autem Christum sanctificate (i) in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe.

16. * Sed cum modestia, & timore conscientiam habentes bonam: ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. * Sup. 2. 12.

17. Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes.

18. * Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret (k) Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. * Rom. 5. 6. Heb. 9. 28.

19. In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit (l):

20. Qui increduli (m) fuerant aliquando, * quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca: in qua pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. * Gen. 7. 7. Mat. 24. 37. Luc. 17. 26.

21. Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma (n): non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi,

22. Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem ut vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cælum, subjectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus.

CA-

CAP. III. 1. & 2. (a) De servorum in dominos antea, nunc de uxorum erga maritos officiis agit Apostolus: his viris subditas esse jubet, ut ex sola mulierum conversatione tam pura & casta ad fidem Christi convertantur viri: *Considerantes in timore castam conversationem vestram*, cum honore & reverentia conjunctam vestram vivendi rationem considerantes.

3. (b) Capillatura, Gr. *capillorum plicatura*, & crispatura, *aut circumdatio auri*, circumpositio ornamentorum, quæ sunt ex auro texta: *Cultus*, ornatus in vestium amictu.

4. (c) Sed qui interior est homo, vice illius mundani cultus; *In incorruptibilitate*, situs sit in spiritus quieti & tranquilli integritate: *Locuples*, qui spiritus pacis & tranquillitatis est coram Deo pretiosus & magnificus ornatus.

6. (d) Saræ nimirum, cujus mulieres ad fidem conversæ cum sint filiæ secundum spiritum, eam imitari debent in bonis operibus, & maxime in subjectione, quam illa marito suo exhibuit, atque in robore animi adversus afflictiones, aut eas perturbationes, quibus mulieres facile commoventur: *Non pertimescentes*, Gr. *non timentes ullum pavorem*, qui solet mulierum animos dejicere.

7. (e) Moderate se habeant erga uxores; *Impartientes honorem*, ne uxores despiciant. Hebræi solent vas appellare id omne, quo utimur. Quamobrem utrumque commode de conjugii usu moderato, & de uxore honeste tractanda intelligi potest, quod in conjugio & in gratia sit compares.

8. (f) In summa, omnes invicem eodem modo sint affecti, *modesti*, Gr. *affabiles, mansueti*.

13. (g) *Si boni*, in neutro genere, ut in Græco textu; nocere vobis non possunt infideles, si in bono constantes sitis.

14. (h) Vanas eorum minas, aut mala ab iis profecta ne timueritis.

15. (i) Eum colite ex animo, & intimo corde: *Parati semper ad satisfactionem*, Gr. *apologiam*, religionis scilicet veritæ, quam Gentiles infamabant.

18. (k) Gr. *adduceret*, reconciliaret Deo: *Mortificatus*. Mortuus quidem corpore, *vivificatus autem spiritu*, per animam, aut Spiritum sanctum. Mortis primus effectus fuit propriі corporis resurrectio, quæ eumdem in fidelibus effectum procreabit: iis quibus meruit resurrectionem, ut sibi ipsi.

19. (l) Locus perdifficilis, de quo fuse Auctor Analyseos Gallicæ, dissert. 19. *In quo*, seu per quem Spiritum, seu per suam animam cum divinitate conjunctam Christus *prædicavit*, animabus quæ in divinæ justitiæ carceribus, sive in expiationis, aut purgatorii loci, expectabant adventum Redemptoris, annuntiavit se esse Christum, itsque efficaciam suæ mortis demonstravit, ac potissimum iis, de quibus mox locuturus est Petrus.

20. (m) Quique postea in diluvio perituri, hortatu & prædicatione Noemi ad Deum conversi sunt instante diluvio. *Quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe*, Gr. *quando expectabat Dei patientia*. Hanc lectionem meruit Hieronymus, eaque in Missali Romano servata est: *Cum fabricaretur arca*: quæ fuit prædicatio, hæc erat efficacior, quod facta acrius moveant, quam verba, & tamen solutionem a vinculis, post mortem his annuntiavit Christus, eosque participes suæ gloriæ effecit.

21. (n) Argumento videtur uti a majori ad minus. Quod si mors Christi adeo efficax fuit, ut incredulos in extremo periculo conversos salvos faceret: quanto magis primitias fidelium per Baptismi aquas renovatas suæ resurrectionis participes efficiet? neque adeo mortem & martyrium timere debetis. Hoc exemplo utitur Apostolus, quod Dei insignem misericordiam præ ceteris maxime commendet a morte Christi inexhausta fecunditate desumptam, cujus velut arrham in Baptismo acceperunt: quo tamquam diluvio peccatorum sordes sunt detersæ. Et quidem illud longe probabilius est, homines complures qui diluvio perierunt, ad extremum usque non fuisse incredulos, postquam exitium certum iis fuit: alioqui prorsus amentes hi fuissent. Salvos nos facit baptisma, non ut carnis, sed ut animæ sordes abluat. *Interrogatio*; non aqua sola est salutis caussa, sed fides interior, quam palam catechumenus profitetur, dum ad interrogata respondet, ex meritis passionis Christi, cujus complementum est ejus resurrectio. *Vel conscientiæ bonæ interrogatio*, est solemnis in Baptismo facta promissio fore ut puram & sanctam vitam agamus, cum Christo resurgentes.

CAPUT IV.

Arma Christianis sunt passio & exemplum Christi; vigilare in orationibus; invicem diligere, & pro Christo pati.

1. CHristo (*a*) igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit a peccatis:

* Eph. 4. 23. 2. * Ut jam non desideriis (*b*) hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis.

3. Sufficit enim præteritum tempus (*c*) ad voluntatem Gentium consummandam, his qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, commessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus.

4. In quo admirantur (*d*) non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem, blasphemantes.

5. Qui reddent rationem ei, qui paratus est judicare vivos & mortuos.

6. Propter hoc enim & mortuis evangelizatum (*e*) est: ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in Spiritu.

7. Omnium autem finis appropinquavit (*f*). Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus.

8. Ante omnia autem, mutuam in vobismet-
* Prov. 10. 12. ipsis charitatem continuam habentes: quia * charitas operit (*g*) multitudinem peccatorum.

* Rom. 12. 13. Heb. 13. 2. 9. * Hospitales invicem * sine murmuratione (*h*):

* Phil. 2. 14. 10. * Unusquisque, sicut accepit gratiam,
* Rom. 12. 6. in alterutrum illam administrantes, sicut bo-
* 1. Cor. 4. 2. ni * dispensatores multiformis (*i*) gratiæ Dei.

11. Si quis loquitur (*k*), quasi sermones Dei: si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum: cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum: Amen.

12. Charissimi, nolite peregrinari (*l*) in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat:

13. Sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.

14. Si exprobramini (*m*) in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus Spiritus, super vos requiescit.

15. Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.

16. Si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine.

17. Quoniam tempus est ut incipiat judicium (*n*) a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio?

18. * Et si justus vix salvabitur (*o*), impius & peccator ubi parebunt? * Prov. 11. 31.

19. Itaque & hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.

CAPUT V.

Pastores primum, tum juvenes instruit; illos ut gregi invigilent, hos ut subditi sint pastoribus.

1. SEniores (*a*) ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior & testis Christi passionum: qui & ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator:

2. Pa-

CAP. IV. 1. (*a*) Vos igitur, qui per Baptismum mortis Christi fructum, atque illius impressionem accepistis, & pravis desideriis jam mortui estis, vos inquam, peccato omnino mori debetis; ut deinceps vivatis Deo, exemplo Christi vos pati oportet, & carnis affectus cruci affigere.

2. (*b*) Adeo ut quod reliquum est vitæ, non secundum desideria & concupiscentias hominum, sed secundum Dei voluntatem exigatis.

3. (*c*) Sufficit vobis more gentium vixisse hactenus & majorem vitæ partem in luxu, lascivia, & petulantia exegisse.

4. & 5. (*d*) Quod infidelibus miraculo est, vos cum illis in eamdem confusionem, aut profusionem rerum omnium non concurrere, ac propterea maledictis & conviciis vos incessunt, quæ Apostolus silentio premit: forte nocturnos cœtus ut profanos & sacrilegos jam accusabant. *Judicare*. Rationem reddent hujus tam [illegible] calumniæ Christo Domino, qui judicaturus est vivos & mortuos: reddent, inquam, hujus calumniæ, & aliorum scelerum rationem: Ac Christus illius judicii initium dedit, quando statim post mortem secundum animam descendit ad inferos.

6. (*e*) Locus est perdifficilis, quem multi referunt ad v. 19. superioris capitis, cui affinis hic videtur. Cornelius a Lapide de descensu Christi ad inferos, cum aliis Patribus nuntium liberationis attulit, hunc locum interpretatur; licet illis a mundanis hominibus æstimatus plane interiisse, tamen revera vivunt in spiritu, seu anima coram Deo. Quod autem contigit impiis in inferno conclusis, id ipsum accidet impiis omnibus, ut crucientur æterno supplicio; vel hoc Christi judicium apud inferos est sententia illius, quæ sanctos Patres adjudicavit cælo, & justam damnatorum sententiam manifestam fecit.

7. (*f*) Prope enim adest omnium, fidelium juxta & infidelium finis. Estote ergo prudentes. Gr. *temperantes*: aut modesti aut sobrii.

8. (*g*) Gr. *operiet*: hæc ad motivum charitatis spectant, propria peccata accusare, aliena excusare & condonare, quod est exercitium charitatis, Proverb. 10. 12.

9. (*h*) Solent enim avari queri de hospitum multitudine, aut edacitate, aut de nimia libertate.

10. (*i*) Quæ varia est pro diversitate talentorum, quæ Deus liberaliter impertit: eaque sunt aut verbi, aut ministerii dona.

11. (*k*) Ut doceat aut consoletur afflictos: *Quasi sermones Dei*: supple, loquatur ut Dei organum. Si quis instruendi munus & donum accepit a Deo. *Si quis ministrat*, si quis in Ecclesia pauperum, aut ægrorum habet curam. *Ex virtute quam administrat Deus*: ut manifestum sit Deum in eo operari.

12. (*l*) Nolite ut rem novam mirari, aut percelli, si Deus probandi vestri gratia vos exploret: illa enim voces Græcæ significant.

14. (*m*) Si nomen Christi vobis opprobrio vertitur, *Quod est honoris*: nam Deus in vobis glorificatur. *Spiritus*, qui est Spiritus fortitudinis & virtutis Dei super vos requiescit, ut stabiles vos & inconcussos efficiat: Græci addunt: *Qui per illos blasphematur, per vos glorificatur*.

17. (*n*) Beda id interpretatur de afflictionibus, quæ fidelibus imminebant.

18. (*o*) Gr. [illegible], cum labore & molestia; *Impius & peccator*: Gr. *ubi comparebit*? nempe in judicio; Prov. 11. 31. juxta septuaginta Interpretes.

CAP. V. 1. (*a*) Presbyteros & pastores, seu Episcopos, qui in vobis sunt, obsecro: *Consenior*, Compresbyter, & Episcopus, cui suas oves supremus Pastor commisit pascendas. Pro humilitate se aliis æquat pastoribus, sic tamen ut dictis suis & adhortationibus, ex dignitate sibi a Christo data, & vis & pondus maximum accedat; tum etiam testimonium illum ex eo multum auctoritatis habet, quod ut testis ocularis passionum Christi & ejus gloriæ, pastores omnes alloquatur: *Communicator*, seu particeps, quod illi gloria resurrectionis Christi fuerit manifestata in monte Thabor; quæ quidem gloria in membra Christi aliquando se effundet.

2. Pascite (*b*) qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie:

3. Neque ut dominantes (*c*) in cleris, sed forma facti gregis ex animo.

4. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.

5. Similiter adolescentes subditi estote senio-
* Rom. 12. ribus. * Omnes autem invicem humilitatem
10. insinuate. * quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

* Jac. 4. 6. 6. * Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis (*d*):

* Jac. 4. 6. 7. * Omnem sollicitudinem vestram proji-
* Jac. 4. 10. cientes in eum, quoniam ipsi cura est de vo-
* Ps. 54. 23. bis.
Matt. 6. 25.
Luc. 12. 22. 8. Sobrii estote, & vigilate: quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret:

9. Cui resistite fortes in fide: scientes (*e*) eamdem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri:

10. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.

11. Ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

12. Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter scripsi: obsecrans (*f*) & contestans, hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis.

13. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone (*g*) coelecta, & Marcus filius meus.

14. Salutate invicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Jesu. Amen.

2. (*b*) Hinc liquet seniores ab eo dici non tam ætate, quam dignitate, & sacerdotio. Pastores obsecrat, ut gregem Dei sibi commissum sic regant, ut non inviti, *sed spontanee*, & ex amore Dei; solam illius gloriam spectantes eum regant; non turpe lucrum sectantes, ut mercenarii, *sed voluntarie*, prompto & alacri animo, atque ex charitate sincera.

3. (*c*) Non pro imperio & ex potestatis suæ ostentatione. *Sed forma*, adeo ut se præbeant velut formam & exemplar recte vivendi, ut quod jubent, primi exequantur; *Idque ex animo*, citra simulationem, sed vere & sincere. *In cleris*, Gr. *In cleros*, in greges, qui vobis quasi sorte quadam obtigerunt.

6. (*d*) In die judicii, Gr. *in tempore opportuno*.

9. (*e*) Eos consolatur; vel quia soli non patiuntur persecutionem, cum id commune sit omnibus fidelibus; vel quia Deus illis adest, qui patientiam eorum confirmet, quodque opus cœpit, perficiat, & adversus tentationes stabiliat.

12. (*f*) Adversus Judæos prævaricatores eos munit; simul testatur veram esse & genuinam fidem, quæ iis fuit annunciata.

13. (*g*) Simul vobiscum electa ad fidem & salutem. Aut Romam forte vocat Babylonem, non solum ob urbis amplitudinem, sed propter idolorum confusionem, & superstitionum omnium colluviem: *Et Marcus filius meus*, quem fide & doctrina mea imbui; hic est Marcus Evangelista.

EPI-

EPISTOLA BEATI PETRI APOSTOLI SECUNDA.

De Auctore hujus Epistolæ an fuerit Petrus Apostolus; etsi olim dubitarunt nonnulli, & etiamnum plerique e Protestantibus id in dubium revocant ob styli, inquiunt, diversitatem, ea tamen est constans Ecclesiæ sententia, Conciliorum & Sanctorum Patrum firmata consensu, hanc Epistolam a Sancto Petro ultimo suæ vitæ anno esse conscriptam: unde nihil mirum est, si stylus ejus aliquantum diversus est a priori epistola ante 20. & amplius annos exarata. Magdeburgenses ipsi a stylo superioris Epistolæ hanc non adeo dissidere concedunt, ac potuit Petrus alio uti Interprete. Inscriptio ipsa, quæque cap. 1. v. 16. de transfiguratione Domini ut testis oculatus inserit, quodque initio cap. 3. præmittit secundam se ad eos scribere epistolam, hujus Epistolæ Auctorem esse Petrum omnino persuadent. Unde in Canone Sacrorum Librorum apud Concilium Laodicenum & Concilia quarti & quinti sæculi, & apud Patres fere omnes ut Canonica habetur. Scripta creditur anno salutis 67. ad fideles omnes, non ad Judæos tantum, ut multis videtur; quæ enim in hac Epistola continentur, ad Gentes in primis pertinent: cujusmodi sunt exhortationes ad Christianas virtutes & pericula, quæ Ecclesiæ imminebant ab Hæreticis.

CAPUT PRIMUM.

Petrus hortatur fideles ut ad cælestia promissa contendant, & electionem suam per bona opera certam faciant; doctrinam iis traditam veram esse ex divinis oraculis confirmat.

1. SIMON (*a*) Petrus, servus & Apostolus Jesu Christi, iis qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem in justitia Dei nostri, & Salvatoris Jesu Christi.

2. Gratia (*b*) vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei & Christi Jesu Domini nostri:

3. Quomodo (*c*) omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem donata sunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria & virtute,

4. Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit (*d*): ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ: fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.

5. Vos autem curam omnem subinferentes (*e*), ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam,

6. In

CAPUT I. 1. (*a*) Antiquum Simonis nomen cum posteriori Petri conjungit, ne quis dubitet hanc Epistolam ab eo ipso fuisse præscriptam: *Iis qui coæqualem*, Græc. *candem pretii*, aut pretii, quod fideles omnes manet, quodque est ipsa Dei fruitio. *In justitia*, quæ hanc fidem constituit, quamque Deus fidelibus impartitur; *Dei nostri, & Salvatoris Jesu Christi*; Articulus vocis Salvatoris non præfigitur, adeo ut divinitas Christi hinc confirmetur.

2. (*b*) Crescat & multiplicetur. *In cognitione Dei*, per cognitionem.

3. (*c*) Constructio Latina non parum videtur involuta: in Græco planior est sensus. Quemadmodum omnia, supple dona, quæ ad vitam & pietatem pertinent, donata sunt nobis; *Propria gloria & virtute*, per propriam gloriam & virtutem. Unde in textu Græco hæc verba: *Divinæ virtutis suæ*, per ablativum reddi debent: adeo ut hic sensus sit apertus: Gratia in vobis & pax impleatur, eadem ratione qua dona pietatis reliqua vobis sunt donata, nimirum per fidem & cognitionem Dei & Salvatoris Jesu Christi. Atque ex eo salutandi modo occasionem sumit propositum argumentum pertractandi, & varios Christianæ pietatis progressus exponendi, a prima vocatione ad perseverantiam usque; vocationem eorum divinæ virtuti tribuit, quæ corda ipsa mutat per gratiam.

4. (*d*) Per quem, Jesum Christum; Græci legunt, per quæ, virtutem scilicet Dei & gloriam: *Divinæ consortes naturæ*, per infusionem Spiritus sancti, & gratiam sanctificantem: *Fugientes*. Si vitaveritis eam quæ hominibus inest corruptionem.

5. (*e*) Omni cura & diligentia adhibita: *Ministrate in fide*. Gr. *suppeditate*, vel exhibete virtutem, seu bona opera cum fide conjungite.

6. In ſcientia autem abſtinentiam (*f*), in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem,

7. In pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.

8. Hæc enim ſi vobiſcum adſint (*g*), & ſuperent; non vacuos, nec ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri Jeſu Chriſti cognitione.

9. Cui enim non præſto (*h*) ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum.

10. Quapropter (*i*) fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.

11. Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus (*k*) in æternum regnum Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti.

12. Propter quod incipiam (*l*) vos ſemper commonere de his, & quidem ſcientes & confirmatos vos in præſenti veritate.

13. Juſtum autem arbitror quamdiu ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare vos in commonitione:

14. Certus quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundum quod & Dominus noſter
* Joan. 21. Jeſus Chriſtus * ſignificavit mihi.
19. 15. Dabo (*m*) autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.

* 1. Cor. 1. 16. * Non enim doctas fabulas ſecuti, notam
17. fecimus vobis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem & præſentiam: ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis.

17. Accipiens enim a Deo Patre honorem & gloriam, voce delapſa ad eum hujuſcemodi a
* Matth. 17. magnifica gloria: * Hic eſt Filius meus dilectus,
5. in quo mihi complacui, ipſum audite.

18. Et hanc vocem nos audivimus de cælo allatam, cum eſſemus cum ipſo in monte ſancto.

19. Et habemus firmiorem (*n*) propheticum ſermonem: cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris:

20. Hoc primum intelligentes, * quod omnis propheticia Scripturæ propria interpretatione * 2. Tim. 3.
(*o*) non fit. 16.

21. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: Sed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.

CAPUT II.

Prophetis, de quibus ſuperiori capite egit, falſos doctores opponit, ut Simonianos, & alios Hæreſiarchas, qui mox exorituri erant; eorum dogmata, corruptos mores, & imminens exitium animis fidelium ſubjicit, ut ab iis caveant.

1. FUerunt vero & pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas (*a*) perditionis, & eum qui emit eos, Dominum negant, ſuperducentes ſibi celerem perditionem.

2. Et multi ſequentur eorum luxurias (*b*), per quos via veritatis blaſphemabitur:

3. Et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur (*c*): quibus judicium jam olim non ceſſat; & perditio eorum non dormitat.

4. * Si enim Deus Angelis (*d*) peccantibus * Job 4. 18.
non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos Judæ 6.
in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reſervari;

5. Et originali (*e*) mundo non pepercit, * * Gen. 7. 1.
ſed octavum Noe juſtitiæ præconem cuſtodivit, diluvium mundo impiorum inducens.

6. * Et

6. (*f*) Seu temperantiam: vox Græca ab omnibus illicitis continentiam ſignificat, & moderationem. *In patientia autem pietatem*, cultum Dei verum.

8. (*g*) Gagnæus ſuſpicatur ſic vertiſſe Interpretem: *Hæc enim vobis cum adſint*; ſed exſcriptionem disjunctam conjunxiſſe, & addidiſſe particulam *Si*. *Et ſuperent*, idque copioſe, non vacuos, non bonorum operum inanes vos conſtituant. Hujus ædificii ſpiritalis, quod gradatione quadam deſcripſit; fundamentum eſt fides bonis operibus ſociata. Virtutum exercitio adjicit ſcientiam, ſeu prudentiam, aut cognitionem vanitatis rerum, ea qua cognitione oritur abſtinentia ab illicitis voluptatibus, quam ſequitur patientia, dum ſenſuum illecebris reſiſtitur: Vera pietas, amor proximi, & illius ſublevatio, ac demum amor Dei ſincerus faſtigium imponit huic ædificio. Hæ virtutes ſi vobis inſint, & in dies creſcant, id efficient, ut cognitio Chriſti in vobis non ſit ſterilis, ſed omnino fructuoſa.

9. (*h*) Cui hæc non adſint, *cæcus eſt*; quod bonum eſt, a malo non valet ſecernere, nec meminit ſe a veteribus delictis purgatum fuiſſe, cum in eadem vitia relabatur.

10. (*i*) Nunc ad perſeverantiam eos adhortatur, ut per bona opera certam ſuam faciant electionem in his quæ ad ejus executionem ſpectant. Nam per bona opera electio Dei nobis innoteſcit, hæc velut ſigillum electioni divinæ imponunt. *Non peccabitis aliquando*, peccato lethifero: Illud vitabimus, ſi cælum ipſum quo tendimus, & viam quæ in illud nos ducit, in oculis ſemper habeamus. *Non peccabitis*. Gr. *Non offendetis*, non impingetis.

11. (*k*) Ea ratione aditus ad æternum Chriſti regnum vobis patebit: nam bona opera inſtar clavis cælum reſerant, & electionem noſtram ſtabiliunt.

12. (*l*) Gr. Non *negligam*, curabo vos commonefacere; hæc in memoriam veſtram revocabo.

15. (*m*) An forte alias iis ſcripſit Epiſtolas, quibus regnum illud Chriſti æternum in eorum memoriam revocavit; an potius idipſum mox præſtitit, transfigurationis hiſtoriam, cujus teſtis fuit oculatus, eorum animis ſubjiciens, et gloriæ Chriſti & ejus regni apertiſſimum teſtimonium, quod a Deo Patre accepit. *Accipiens*, cum accepiſſet. *Voce delapſa ad eum*, e nube illa ſplendida, in qua magnifica Dei gloria fulgebat. Tum enim Chriſtus gloria & honore indutus eſt a Patre. *Ipſum audite*, unus enim eſt magiſter noſter, quem audimus in Eccleſia, ut in monte ſancto Dei.

19. (*n*) Poſſumus, inquit Gagnæus, hic *firmiorem*, non comparative, ſed poſitive ſumere, quomodo ſæpe Græce & Latine ſumitur; vel *firmiorem propheticum ſermonem*, hominum opinione, qui noſtrum teſtimonium tanti non faciunt.

20. & 21. (*o*) Nemini privato jus eſt Scripturas propria auctoritate interpretandi, ſed hoc uni convenit Eccleſiæ, cui Sanctus Spiritus a Chriſto promiſſus fuit. *Prophetia*. Is genuinus eſt Prophetæ character, ut & Spiritus S. afflatu ſcribat, & loquatur. Non de ſolis Prophetarum, ſed de Scripturis omnibus hoc loco agitur.

CAP. II. 1. (*a*) Sectas perniciosas. *Dominum negant*, hominum cum Deo reconciliationem transferentes in Angelos: quod Simoniani præ ceteris faciebant, divinam Chriſto filiationem & ſummum imperium detrahentes, quique varias fingebant fabulas circa Angelorum ſyſtema. *Superinducentes*, accerſentes ſibi celerem perditionem. Sæpius in hæreſiarchis cor ante corrumpitur per libidinem, quam animus per errorem.

2. (*b*) Græc. *Perditiones*, exitialem doctrinam. *Per quos*, in cauſſa erunt, cur infideles de religione Chriſtiana, quæ eſt una veritatis via, male ſentiant, & loquantur.

3. (*c*) Inſtar mercatorum verbis compoſitis ſua ornabunt prava dogmata, ut incautos decipiant; idque ut ſuam expleant avaritiam. *Non ceſſat*, Gr. *Non intermittitur*, horum damno inſtat, nec torpeſcit manus *Dei*, quæ de iis ſumet ſupplicium.

4. (*d*) Longum hic videtur eſſe hyperbaton ad verſ. 9. uſque. Græc. ſi enim Angelis, cum peccaſſent, non pepercit, ſed catenis caliginis in infernum detruſos tradidit ad judicium reſervatos, Auguſtinus ſic exponit, quoſdam ab initio Angelos peccaſſe, & in hujus caliginoſi aeris ima detruſos ad diem judicii reſervari amplius puniendos.

5. (*e*) Gr. *Antiquo*. vel rudi & imperito; *inducens*, mundo impiis pleno. Id vero concludendum relinquit fore ut Deus paucis hominibus non parcat, qui alios ab ipſa veritate abducunt: eos tantum a diluvio ſervavit incolumes, qui a mundi corruptione erant immunes.

* Gen. 19. 25. 6. * Et civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit (f): exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens:

7. Et justum Lot oppressum a nefandorum injuria ac luxuriosa conversatione eripuit:

8. Aspectu enim, & auditu justus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant (g).

9. Novit (h) Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos:

10. Magis (i) autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes:

11. Ubi Angeli (k) fortitudine & virtute cum sint majores, non portant adversum se execrabile judicium.

12. Hi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem (l) & in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt,

13. Percipientes mercedem injustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias: coinquinationes (m), & maculæ deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes vobiscum,

14. Oculos habentes plenos adulterii (n), & incessabilis delicti. Pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii:

15. Derelinquentes rectam viam erraverunt, * Judæ 11. * secuti viam Balaam (o) ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit:

16. Correptionem vero habuit suæ vesaniæ: subjugale mutum animal, * hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam. * Num. 22. 28.

17. * Hi sunt fontes (p) sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur. * Judæ 12.

18. Superba (q) enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paullulum effugiunt, qui in errore conversantur:

19. Libertatem illis promittentes (r), cum ipsi servi sint corruptionis: * a quo enim quis superatus est, hujus & servus est. * Joan 8. 34. Rom. 6. 16. & 20.

20. Si enim refugientes (s) coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi, * his rursus implicati superantur: facta sunt eis * posteriora deteriora prioribus. * Heb. 6. 4. * Matth. 12. 45.

21. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.

22. Contigit enim eis illud veri proverbii: * Canis (t) reversus ad suum vomitum; & Sus lota in volutabro luti. * Prov. 26. 11.

CAPUT III.

Primum eorum refellit errorem, qui judicium futurorum negabant. Tum judicium differri docet, ut detur locus pœnitentiæ: postea laudat Paulum, & ejus epistolas ait esse intellectu difficiles.

1. HAnc ecce vobis, charissimi, secundam (a) scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem:

2. Ut

6. & 7. (f) Penitus evertit. Eripuit, Et justum Lot. Nefariorum hominum flagitiosam consuetudinem ferre amplius non valentem eripuit; durum est viro justo inter impios vitam agere.

8. (g) Cum enim is esset casto auditu, atque aspectu, Sodomitæ iniquis suis operibus virum justum cruciabant.

9. (h) Usque ad hunc locum hyperbaton esse, aut ellipsim, & ita supplendum existimat Gagnæus. Quod si neque Angelis, neque originali, seu primitivo mundo, neque Sodomæ & Gomorrhæ pepercit Deus, his doctoribus mendacibus non parcet: novit enim Deus pios eruere e tentationibus, quibus probantur; iniquos vero ad diem judicii reservare cruciandos, non quod ante judicium pœnas non luant, sed graviores erunt pœnæ assumptis corporibus.

10. (i) Gr. præcipue eos, qui in concupiscentiis immunditiæ ambulant, cujusmodi erant falsi doctores, Sodomitarum abominationes, & impura desideria imitantes, ut Dæmonum superbiam, & originalis mundi insatiabilem avaritiam cum injustitia conjunctam. Dominationemque contemnunt, rebellio est hæresis comes; Audaces. sibi placentes, Græc. pertinaces, & præfracti, uti & Dæmones: sectas. Gr. opiniones, vel etiam Magistratus, quorum est gloriosa potestas, non verentur blasphemare, & conviciari: vox enim Græca opinionem & dignitatem ex æquo significat, adeo ut videatur explicatio horum verborum, dominationemque contemnunt.

11. (k) Cum tamen sancti Angeli, licet potentissimi & fortissimi, in malis principibus Dei auctoritatem revereantur, numquam homines impellunt ad rebellionem. Quin & Michael Dæmonem cum maledicentia & execratione non condemnavit, sed ad judicium Dei provocavit, ut testatur Judas vers. 9. Quid ergo? an impurus homo & apostata a Christi Apostolos conviciari & blasphemare audebit?

12. (l) Gr. natura in servitutem, & interitum genita, ut muta animalia, quæ in servitutem, & hominum alimoniam condita sunt. Sic hæretici Dæmonum prædæ futuri sunt; atque ut animalia irrationabilia, cum in rabiem aguntur, sine discrimine notos & ignotos invadunt; sic hæretici, quæ ignorant mysteria, hæc adoriuntur, & blasphemant; omnes sine discrimine invadunt: peribunt, ob corruptos mores.

13. (m) Inquinati, & maculati, ut sceleratum vocemus scelus; in conviviis suis, una vobiscum se oblectantes, cum agapæ celebrantur. In vestra convivia licet casta & moderata se ingerunt, ut castitati mulierum insidientur; uti factum fuit a Gnosticis. Corruptio a corde in animum, & vicissim manat.

14. (n) Græci legunt adulteræ, nihil aliud quam mulieres adulteras spectantes, explendæ libidinis caussa. oculos habentes plenos. incessabilis, seu indesinentis delicti: pellicientes, Gr. Inescantes animas nutantes, nec bene firmatas; avaritiæ & rapinis sunt dediti, digni maledictione & execratione: ut filius mortis, dicitur reus mortis, Impudicorum libidines foras se proferunt, & vix tegi possunt. Avaritia, vox Græca πλεονεξία omnem libidinem effrænem etiam significat.

15. (o) Viam Balaam, seu avaritiam relicta veritate secuti sunt; ex Bosor, Gr. filium Bosor, seu Beor; nam in ejusmodi nominibus interdum variant Græci & Hebræi.

17. (p) Nam aquam vitæ perdiderunt, quam veri Apostoli puram profundunt. Hæretici sunt fontes exarescentes, & nebulæ turbidæ, ventis & turbinibus, seu variis & peregrinis doctrinis agitatæ.

18. (q) Has scilicet aquas effundunt fontes lutulenti, fastuosam & vanitate plenam doctrinam; pelliciunt, hos fructus proferunt hæ nubes, accendunt libidines, luxuriæ desideria in iis qui paullo ante ab erroribus idololatriæ, & prava hujus sæculi consuetudine soluti fuerant, qui paullulum effugiunt, illas qui in errore conversantur, Græc. per carnalia desideria eos inescant, qui hominum in errore versantium consortia plane, seu revera, ὄντως, vitaverant.

19. (r) Libertatem ii promittunt in omnibus, cum interim servi sint corruptionis, seu immunditiæ, liberior vivendi & sentiendi potestas sub libertatis Christianæ larva in errorem plures inducit, quam exquisita eloquentia, aut quævis alia ratio.

20. (s) Qui enim refugerunt coinquinationes mundi, per cognitionem Domini Jesu, his rursus implicati superantur. His facta sunt posteriora deteriora prioribus; nam scientes & volentes prævaricantur, & omnino voluntate peccant.

22. (t) Proverbium est, cap. 26. Prov. Et sus lota: aliud est proverbium, ac supplendum, reversa ad cœnum: frustra enim lota est.

1. (a) Ergo utraque est Petri Apostoli genuina Epistola. In quibus, Epistolis, vestram excito sinceram, puram, & incorruptam, mentem in commonitione, per commonitionem. CAP. III.

2. Ut memores (*b*) sitis eorum, quæ prædixi verborum a sanctis Prophetis, & Apostolorum vestrorum, præceptorum Domini & Salvatoris.

3. Hoc primum scientes (*c*), quod venient * in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, (* 1. Tim. 4. 1. 2. Tim. 3. 1. Judæ 18.)

4. Dicentes (*d*): * Ubi est promissio, aut adventus ejus? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ. (* Ezech. 12. 27.)

5. Latet (*e*) enim eos hoc volentes, quod cæli erant prius, & terra, de aqua & per aquam consistens Dei verbo:

6. Per quæ (*f*), ille tunc mundus aqua inundatus periit.

7. Cæli (*g*) autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, & perditionis impiorum hominum.

8. Unum (*h*) vero hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus.

9. Non tardat (*i*) Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.

10. * Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cæli magno impetu (*k*) transient, elementa vero calore solventur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. (* 1. Thess. 5. 2. Apoc. 3. 3. & 16. 15.)

11. Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus, & pietatibus,

12. Expectantes (*l*), & properantes in adventum diei Domini, per quem cæli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent?

13. * Novos vero cælos (*m*), & novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat. (* Isa. 65. 17. & 66. 22. Apoc. 21. 1.)

14. Propter quod charissimi hæc expectantes, satagite immaculati, & inviolati ei inveniri in pace.

15. Et * Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini: sicut & charissimus frater noster Paulus (*n*) secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis. (* Rom. 2. 4.)

16. Sicut & in omnibus epistolis (*o*), loquens in eis de his: in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.

17. Vos igitur fratres præscientes custodite (*p*): ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate.

18. Crescite vero in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria & nunc, & in diem æternitatis. Amen.

2. (*b*) Verborum, quæ a sanctis Prophetis accepistis, & mandatorum, quæ a sanctis Apostolis, quæque sunt Domini Salvatoris nostri.

3. (*c*) Apostolus superiori capite fideles sui temporis admonuit, ut caverent ab Hæreticis, qui tum in Ecclesia grassari cœperant; nunc munit Christianos omnes qui futuri sunt, adversus hæreses quæ ad extremum usque judicium sunt proditura. præmissa præfatiuncula primo & secundo versiculo comprehensa. *Hoc primum scientes*; illud ante omnia scitote futuros in novissimis temporibus, *in deceptione illusores*, decipientes, & illudentes præcipua Christianæ religionis dogmata, resurrectionis in primis, & extremi judicii.

4. (*d*) Irrisorie: *ubi est promissio adventus ejus*, secundi nimirum Christi adventus: *dormierunt*, ex quo prisci mortui sunt, omnia sic permanent, ut a principio condita sunt. Hæ sunt usitatæ impiorum voces, quibus fidem infringere conantur, & peccatores jactare solent, quasi nulla huic mundo accedat umquam mutatio.

5. (*e*) Ignorare volunt quæ nescire tamen non possunt. *Quod cæli erant prius*. Quod cæli & terra verbo Dei consistant, & per idem verbum aboleri possint; terra de aqua tertia die emersit jussu divino, cum omni ex parte aquis operiretur: *& per aquam*, quidam vertunt, *& in aqua*.

6. (*f*) Cælum nimirum & terram, cuncta perierunt animalia: per cælum, cum apertis cataractis vis ingens aquarum effusa est, per terram; cum rupti sunt fontes abyssi magnæ.

7. (*g*) An eos latet, quod ut cælum, seu aer, & terra diluvio mundum, nempe viventia cuncta inundaverunt ad ulciscendum impiorum flagitia; ita *celi*, servati sunt ut igne conflagrent, *in diem judicii*, aut impiorum perditionem. Itaque ut mundus olim per aquam periit, sic per ignem peribit, ac cælum & terra per idem verbum Dei sunt reservata ad perditionem impiorum. Iudicium illud Dei ignorare volunt, ac propterea alios seducunt, quasi non futurus sit secundus Christi adventus, nec futura corporum resurrectio; atque per eum errorem apostasia illa, cujus meminit Paulus 2. Thessal. 2. & secessio amplum sibi patefaciet aditum Antichristi temporibus.

8 (*h*) Illam vero impiorum irrisionem, quod adventus ille Christi retardetur, sic elidit Apostolus: Non retardat Dominus promissionis suæ effectum, quem constituto tempore præstabit; sed saluti hominum sua providentia consulit; neque apud eum est distinctio temporum, cui præsentia sunt omnia: *Sicut mille anni*; Deus nec locis, nec temporibus continetur: nulla temporis mora apud eum diuturna est, aut brevis.

9. (*i*) Ille non retardat, qui constituto tempore præstat quæ promisit; dilatio illa non aliud est quam Dei longanimitate; *propter vos*, Gr. *propter nos*.

10 & 11. (*k*) Gr. *Cum sibilo*, instar procellæ, cum strepitu: opus Dei semper perstabit, quo voluerit modo: sed ignis opera hominum destruet. *Oportet*, Nisi velimus cum rebus perituris perire.

12. (*l*) Quasi obviam euntes cum festinatione Christi adventui. *Tabescent*, Gr. *Liquescent*, instar metallorum in fornace. *Per quem*, adventum, aut diem; utrumque enim in Græco textu est feminini generis.

13. & 14. (*m*) Non igitur peribunt cæli quoad substantiam, quæ in meliorem statum est mutanda. Quamobrem *Justitia habitat*; præsens pro futuro, habitabit: terrorem bonorum sitim extinguat cælestium expectatio. An soli justi in hoc mundo renovato habitabunt?

15. (*n*) Id referendum videtur ad caput 2. Epist. ad Rom. nisi forte in alia scriptum sit Epistola, quæ temporum injuria interciderit.

16. (*o*) Sicut scripsit vobis in omnibus Epistolis: *de his*, nempe de adventu Domini, & de illius longanimitate. *In quibus*, non forte Epistolis, (cum articulus non sit generis feminini) sed verbis: inter quæ Pauli verba sunt quædam difficilia intellectu, quæ hæretici *depravant, sicut & ceteras Scripturas*.

17 (*p*) Cavete ne impiorum erroribus abducti, *excidatis a propria firmitate*, in qua estis constituti per doctrinam Apostolorum.

EPISTOLA BEATI JOANNIS APOSTOLI PRIMA.

EX tribus Epistolis Joannis Apostoli primam esse genuinam, & a Joanne Evangelista scriptam veterum omnium est una consensio: idem omnino styli character, qui in Evangelio, eadem utrobique charitas, eadem unctio in verbis prope singulis se prodit. Augustinus & alii nonnulli eam citant ut ad Parthos scriptam: sed cum nulli nationi præ ceteris sit inscripta, cumque doctrinam contineat, quæ ad omnes omnino Christianos spectat, alii pertendunt eam neque ad Parthos, neque ad fideles ex Judæis in Perside dispersos, sed ad fideles omnes scriptam fuisse, eamque ut titulo, sic reipsa esse Catholicam.

Circa secundam & tertiam Epistolam primis Ecclesiæ temporibus dubitatum fuit a nonnullis de utriusque auctore. Quidam enim Joanni Presbytero, seu seniori, cujus Papias meminit, ut Apostolorum discipulo, utramque tribuerunt. Irenæus L. 1. secundam laudat, ut Joannis Christi discipuli. Clemens Alex. Lib. 2. Stromatum locum citat ex prima Epistola, quam majorem appellat, adeo ut duas alias eidem Auctori omnino tribuere videatur, nempe Joanni Apostolo. Idem est ubique stylus, eædem sententiæ, omnes eamdem charitatem & proximi dilectionem spirant. Unde Patres quarti & quinti sæculi utramque in Canone novi Testamenti reponunt.

Argumentum primæ Epistolæ est divinitatis Christi contra Ebionis & Cerinthi hæreses, quæ nuper emerserant; tum humanitatis contra Basilidem assertio; simul mandatorum Dei observationem, & bonorum operum, charitatis in primis erga proximum, necessitatem contra Simonem Magum, & alios, qui postea extiterunt. Hæreticos, qui solam fidem ad salutem esse necessariam pertendebant, omnino adstruit, & sæpius inculcat.

CAPUT PRIMUM.

De Incarnatione Verbi; de luce & tenebris; nullum esse sine peccato; sed sanguis Jesu Christi mundat nos.

1. QUOD fuit (*a*) ab initio, quod au-
divimus, quod vidimus oculis no-
stris, quod perspeximus, & ma-
nus nostræ contrectaverunt de ver-
bo vitæ:
2. Et vita manifestata (*b*) est, & vidimus,
& testamur, & annuntiamus vobis vitam æter-
nam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis:
3. Quod vidimus & audivimus, annuntia-
mus vobis, ut & vos societatem (*c*) habeatis
nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, &
cum Filio ejus Jesu Christo.

4. Et

CAPUT I. 1. (*a*) Gr. *erat*, uti in Evangelio, *In principio erat Verbum*: ipsum Verbum vitæ, seu vivum & vivificum, quod fuit ab æterno, annuntiamus vobis, & ejus divinitatem prædicamus.

2. (*b*) Particula, *Et*, sæpe in Scripturis pro causali sumitur, quia: hoc ipsum Verbum vitæ, seu vita ipsa per Incarnationem se manifestam fecit, eamque vidimus, & testamur, & annuntiamus vitam illam æternam, quæ in patre erat abscondita, quæque apparuit vobis: id est velut summa Evangelii, quam vobis prædicamus nos Christi Apostoli, testes oculati miraculorum, quæ vidimus, & doctrinæ cælestis quam audivimus. Quod more suo repetit, ut omnem suspicionem adversus hoc testimonium adeo luculentum testium multitudine confirmatum amoveat.

3. (*c*) Gr. *Communionem*. In eadem fide & religione: Idcirco tam faustum nuntium vobis annuntiamus, ut tanti boni sitis participes per Spiritum sanctum, qui hujus sanctæ societatis est nexus, quique nos cum Patre & Filio arctissime conjungit. Christiana Religio societas est hominum cum Christo, & per Christum cum Deo, & cum aliis hominibus per fidem.

4. Et hæc scribimus vobis ut gaudeatis (*d*), & gaudium vestrum sit plenum.

5. Et hæc est annuntiatio (*e*), quam audivimus ab eo, & annuntiamus vobis: * Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. *Joan. 8. 12.

6. Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus (*f*).

7. Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, * & sanguis (*g*) Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato. *Heb. 9. 14. 1 Pet. 1. 19. Apoc. 1. 5.

8. * Si dixerimus (*h*) quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. *3 Reg. 8. 46. 2 Par. 6. 36. Prov. 20. 9. Eccl. 7. 21.

9. Si confiteamur peccata nostra; fidelis (*i*) est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.

10. Si dixerimus quoniam non peccavimus; mendacem facimus eum, & verbum (*k*) ejus non est in nobis.

C A P U T II.

Abstinendum a peccatis; Jesus Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi; qui mundum diligit, Deum non diligit: multi Anti-Christi Anti-Christum præcedent.

1. Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccaverit, advocatum (*a*) habemus apud Patrem, Jesum Christum justum:

2. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

3. Et in hoc scimus (*b*) quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus.

4. Qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.

5. Qui autem servat verbum (*c*) ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est: & in hoc scimus quoniam in ipso sumus.

6. Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.

7. Charissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio (*d*): Mandatum vetus est verbum, quod audistis.

8. * Iterum (*e*) mandatum novum scribo vobis, quod verum est & in ipso, & in vobis: quia tenebræ transierunt, & verum lumen jam lucet. *1 Joan. 13. 34. & 15. 12.

9. Qui dicit se in lucem esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.

10. * Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum (*f*) in eo non est. *Inf. 3. 14.

11. Qui autem odit (*g*) fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat: quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.

12. Scribo (*h*) vobis filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus.

13. Scribo vobis patres, quoniam cognovistis eum, qui ab initio est. Scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum.

14. Scribo vobis infantes, quoniam cognovistis patrem. Scribo vobis juvenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum.

15. Nolite (*i*) diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo:

16. Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia (*k*) carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.

17. Et

4. (*d*) Propterea hanc scribit Epistolam, ut in illa firmum habeant & solidum gaudium, quod in eam societatem una cum Apostolis, cum Christo, cum Deo ipso admissi fuerint; atque illud gaudium ex fide, & bonorum cælestium expectatione profectum, tam plenum est & verum, quam vana est & fallax ex bonis terrenis lætitia.

5. (*e*) Annuntiatio, quam audivit a Christo ipso, quæque in Evangelio continetur, hæc est: *Quoniam Deus lux est*, lux mentium, lux intelligibilis, pura veritas, sanctitas & justitia, quam sequi & imitari debemus, cui nullum est cum tenebris peccatorum commercium. Atque hæc prima est societatis illius, in quam accersi sumus, conditio, ut lumen illud peccatorum tenebris obscuratum excitemus.

6. (*f*) Non ex fide vivimus, si promissa in Baptismo facta non præstamus.

7. (*g*) Iterum conjunctio, Et, caussalis est, quia sanguis Christi emundat nos a peccatis, quæ ante fidem, & post acceptum Baptismum contraximus.

8. (*h*) Quisquis se asserit expertem peccati, de se nimium præsumit, & peccat. Itaque sincera infirmitatis suæ confessio est altera hujus societatis conditio: sola humilitas sincera est & vera, superbia est continuata dissimulatio. Voce metaphorica *luminis* puram & sanctam vivendi rationem, & Christi imitationem videtur intelligere.

9. (*i*) In nobis, quia pareat vere pœnitentibus id promisit. *Justus*, nam Christus hanc nobis veniam promeruit, & illi debita est hæc peccatorum remissio: hic est fructus sanguinis Christi. Vox etiam illa, *justus*, interdum misericordem & benignum significat.

10. (*k*) Non intelligimus, hanc ejus doctrinam mente non retinemus: nam in Scripturis & in oratione Dominica contrarium nos docet.

CAP. II. 1. & 2. (*a*) Solus Christus est victima propitiationis pro peccatis nostris, non solus intercessor, ut docet August. in hunc locum. Apostolus peccati deformitatem simul & remedium mentis oculis subjicit.

3. & 4. (*b*) Fides ex bona vita & mandatorum observatione dignoscitur. *Quoniam cognovimus eum*, non sterili scientia, sed cum affectu conjuncta: non novimus Deum ut veri Christiani, cum mandata ejus non servamus; vita nostra est fidei probatio, cum ex fide vivimus.

5. (*c*) Non quodvis verbum, sed mandatum dilectionis intelligit ex Augustino; tumque perfecta est charitas, cum illa dominatur affectibus nostris, atque amamus quod amari debet, & tantum diligimus, quantum est diligendum.

7. (*d*) Cum primum Evangelium audistis. Quin etiam ab initio dictum est antiquis, *diliges proximum tuum*.

8. (*e*) Gr. Πάλιν, *e contrario*; immo vero, aut verumtamen, novum est mandatum: *Quod verum est, & in ipso*, scilicet in Christo, qui hujus dilectionis exemplum seipsum præbuit; *& in vobis*, etiam in vobis, quorum cordibus illud per Spiritum sanctum inscripsit; atque illa charitas fugatis tenebris lucere cœpit in mentibus vestris, ac verum lumen Evangelii.

10. (*f*) Is non impingit, neque ex aliorum peccatis occasionem ruinæ sumit, ut solent qui in tenebris ambulant.

11. (*g*) Qui odit fratrem suum, is peccatorum tenebris involutus oberrat; pravo affectu corruptus male de fratre suo judicat, atque ita excæcatur, ut cæcitatem suam non sentiat: quæ bona sunt in aliis, non videt.

12. 13. & 14. (*h*) Filiolos vocat omnes, ad quos scribit, & pueros, & juvenes, & senes; eosque in tres velut classes dividit. Senibus, qui ut plurimum nosse vetera gloriantur, gratulatur, quod Christum qui ab initio est, cognoverint; adolescentibus, qui de fortitudine sua sibi blandiuntur, quod malignum vicerint; pueris, quod Patrem, a quo omnia sperare possunt, ut verum Patrem qui dat omnibus affluenter, invenerint.

15. (*i*) Vetat mundi amorem, quod ambo illi amores Dei & mundi inter se pugnent; quantum de uno detrahitur, tantum accedit alteri.

16. & 17. (*k*) Mundi corruptio ad tria capita revocatur: ad voluptatem sensuum, quam Aug. vocat *libidinem sentiendi*; ad divitiarum, & ad inanem rerum visibilium cupiditatem; ac demum ad libidinem excellendi, Vox Gr. ἀλαζονεία, *insolentiam*, aut *arrogantiam* significat, quæ & dignitatum ambitionem, ac laudum humanarum aucupium includit. Hæc corruptio ex mundo est, & non ex Deo. Mundus vero, & quidquid in eo nobis blanditur, brevis est ævi, cito transit, & ejus dilectores secum abripit. Qui vero divinæ voluntati obtemperat, ejus immutabilitatis fit particeps.

17. Et mundus transit, & concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

18. Filioli, novissima hora (*l*) est: & sicut audistis quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt: unde scimus, quia novissima hora est.

19. Ex nobis prodierunt (*m*), sed non erant ex nobis: nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis.

20. Sed vos unctionem (*n*) habetis a Sancto, & nostis omnia.

21. Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam: & quoniam omne mendacium ex veritate non est.

22. Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Jesus est Christus? Hic est Antichristus (*o*), qui negat Patrem, & Filium.

23. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet.

24. Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat (*p*). Si in vobis permanserit quod audistis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis.

25. Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam.

26. Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos.

27. Et vos unctionem (*q*), quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo.

28. Et nunc filioli manete in eo: ut cum apparuerit, habeamus fiduciam (*r*), & non confundamur ab eo in adventu ejus.

29. Si scitis quoniam justus est, scitote quoniam & omnis qui facit justitiam (*s*), ex ipso natus est.

CAPUT III.

Felix illa novitas per Baptismum, qua filii Dei nominamur & sumus: qui non diligit, manet in morte; diligendum vere, & operibus, non verbo tantum.

1. Videte (*a*) qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus. Propter hoc mundus non novit nos: quia non novit eum.

2. Charissimi, nunc filii Dei sumus: & nondum apparuit (*b*) quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.

3. Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat (*c*) se, sicut & ille sanctus est.

4. Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem (*d*) facit: & peccatum est iniquitas.

5. Et scitis quia ille apparuit ut peccata nostra tolleret: * & peccatum in eo non est. * Is. 53.9. 1 Pet. 2.22.

6. Omnis qui in eo manet, non peccat: & omnis qui peccat, non vidit (*e*) eum, nec cognovit eum.

7. Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus (*f*) est: sicut & ille justus est.

8. * Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. * Joan. 8.44.

9. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.

10. In hoc manifesti (*g*) sunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum:

11. Quo-

18. (*l*) Instat novissimum tempus, multi quoque sunt Antichristi præcursores, seu hæretici, Christi hostes: itaque adversus hæreticos, quibus dæmon ut ministris suis utitur, fideles munit. Ut Christus suos habet membra ab initio mundi, ita & Antichristus ab initio nascentis Ecclesiæ. *Antichristus venit*; articulus voci Græcæ præpositus, singularem designat Antichristum qui venturus est.

19. (*m*) Gr. Exierunt: *Sed non erant ex nobis*; hic est Ellipsis, quæ a Græcis sic impletur; hoc illis contigit ut manifestum fiat eos non fuisse ex nobis, sed hypocritas; neque eos fuisse nobiscum sentientes. Erant quidem de Ecclesia, & in Ecclesia visi sunt: sed non erant ejus membra viva, aut fuerunt tantum ad tempus.

20. (*n*) Spiritus sancti gratiam, quæ vos docet omnia ad salutem necessaria, & hæreticorum vafritiem detegit: ex plenitudine Christi vos estis sanctificati, & per fidem nostis omnia: est enim fides compendiaria rerum omnium cognitio.

22. (*o*) Hæc est Judaica hæresis, negare Jesum esse Christum: nam hoc est simul negare Patrem & Filium. Ea fuit prima hæresis, ac postrema futura est: in hoc Antichristi capitale dogma alia omnes hæreses desinent: indivisa est personarum divinarum cognitio & fides.

24. (*p*) Constantiam in fide, quæ viva voce iis annuntiata fuerat, quamque ab initio acceperant, quæ per traditionem ad eos pervenerat, ut præcipuum adversus hæreses alexipharmacum iis proponit, ac fore ut in Filio & Patre inconcussi permaneant, si constantes in fide fuerint; ac vitam æternam ut mercedem iis pollicetur.

27. (*q*) Spiritus sancti: intus nos docet qui cathedram habet in cælo; homines pulsant aures corporis, Spiritus sanctus oculos cordis aperit. *Et vos unctionem*; verba sic videntur disponenda, Quam vos accepistis unctionem ab eo, hæc maneat in vobis.

28. (*r*) Conscientia nos non reprehendente, intrepidi erimus in extremo Dei judicio.

29. (*s*) Qui Deum imitatur faciendo opera justa.

CAP. III. 1. (*a*) Considerate quantum nos Deus dilexit, qui ad filiorum dignitatem nos evexit; neque id vos conturbet, quod mundus ut viles vos habeat & contemptibiles, quia nec vos novit, nec Deum: *Et simus*, deest in Græco: apud Deum idem est vocari & esse.

2. (*b*) Etsi nunc sumus filii Dei per adoptionem, nondum tamen apparuit quid in gloria futuri simus, nimirum similes Christo per gloriam corporis & animæ. *Videbimus eum sicuti est*; hoc majus quiddam est, quam id omne quod dici potest; videbimus Deum facie ad faciem. *Cum apparuerit Jesus Christus.*

3. (*c*) Qui in hanc spem firmam & solidam erigitur, omne peccatum fugere debet, ut Christus sanctus est, & purus ab omni peccati labe; spes omnis alia non fallit. *Sanctificat se*, purum se custodit.

4. (*d*) Divinæ legis prævaricationem: hoc enim est peccatum, legis transgressio. Qui legem Dei violat, hic Christo adversatur, qui venit in mundum, ut auferret peccatum, tamquam victima Deo digna.

6. (*e*) Qui peccat, is Christum non novit, ea cognitione quæ ad salutem confert; quæ sit Christus, quod pro nobis passus effecerit, obliviscitur; *Nec cognovit*, cum fide viva.

7. 8 & 9. (*f*) Justitia quæ ex operibus manifestatur. *Peccatum*, per charitatem sumus filii Dei, hanc adoptionem tueamur: peccatum mortale cum charitate & gratia habituali, quæ est velut semen Dei, simul esse nequit. *Non potest peccare*: quamdiu charitas in eo est, peccatum odio habet: vel insigne aliquod peccatum intelligit, cujusmodi est affectata infidelitas, agnitæ veritati non acquiescere; ac de hoc peccato loquitur Christus, Joann. 16. *De peccato quidem, quia non crediderunt in me*: qui in Filium Dei est adoptatus, & natus ex Deo, peccatum non facit infidelitatis illius affectatæ; *quia semen Dei*, seu fides viva in eo est, *& non potest peccare*: Per gratiam Dei in peccatum illud non labitur. Ita Gagnæus: alii de peccato impœnitentiæ finalis intelligunt hunc locum; vel non potest peccare, quatenus est filius Dei, vel abhorret a peccato.

10. (*g*) Hoc indicio manifesti fiunt: charitas Filios Dei a filiis diaboli secernit.

11. Quoniam hæc est annuntiatio (*h*), quam audistis ab initio, * ut diligatis alterutrum. *Joann. 13. 34. & 15. 12.

12. Non sicut * Cain, qui ex maligno (*i*) erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant: fratris autem ejus, justa. *Gen. 4. 8.

13. Nolite (*k*) mirari fratres, si odit vos mundus.

14. Nos scimus quoniam translati (*l*) sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. * Qui non diligit, manet in morte: *Lev. 19. 17. Sup. 2. 10.

15. Omnis, qui odit fratrem suum, homicida (*m*) est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.

16. * In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus (*n*) pro fratribus animas ponere. *Joan. 15. 13.

17. * Qui habuerit substantiam (*o*) hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? *Luc. 3. 11. Jac. 2. 15.

18. Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.

19. In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus: & in conspectu (*p*) ejus suadebimus corda nostra.

20. Quoniam si reprehenderit (*q*) nos cor nostrum: major est Deus corde nostro, & novit omnia.

21. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum:

22. * Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus. *Matth. 21. 22.

23. * Et hoc est mandatum ejus: Ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi: & * diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis. *Joan. 6. 29. & 17. 3. * Joan. 13. 34. & 15. 12.

24. Et qui servat mandata ejus, in illo manet, & ipse in eo: & in hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu (*r*), quem dedit nobis.

CAPUT IV.

Cum primis Ecclesiæ temporibus multi se in Christi nomine venire, ac se spiritu Dei afflatos jactarent, Apostolus fideles admonet, ut probent spiritus, utrum ex Deo sint; atque ex duobus indiciis spiritum Dei cognosci posse docet.

1. CHarissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.

2. In hoc cognoscitur (*a*) spiritus Dei: omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est:

3. Et omnis spiritus, qui solvit (*b*) Jesum, ex Deo non est: & hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, & nunc jam in mundo est.

4. Vos ex Deo estis filioli, & vicistis (*c*) eum, quoniam major est qui in vobis est, quam qui in mundo.

5. * Ipsi de mundo sunt: ideo de mundo loquuntur (*d*), & mundus eos audit. *Joan. 8. 47.

6. Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit (*e*) nos: qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, & spiritum erroris.

7. Charissimi, diligamus nos invicem: quia charitas (*f*) ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum.

8. Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus charitas est.

9. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam * Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. *Joan. 3. 16.

10. In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.

11. Cha-

11. (*h*) Hoc est quod vobis nuntiatum fuit jam ab initio Evangelii prædicati; vel amor proximi vetustissimum est Dei præceptum, cordibus nostris insculptum manu Creatoris, & renovatum verbo, exemplo & gratia Salvatoris.

12. (*i*) Diabolo, illud primum est peccatum filiorum Adam, idque ex invidia, quod opera ejus essent mala, & Abelis bona.

13. (*k*) Si mundus, si homines mundo addicti, qui eodem spiritu reguntur quo Cain, vos oderint, vos persequantur.

14. (*l*) A morte ad vitam gratiæ Dei sumus translati, cum fratrem diligimus, & Deum in proximo.

15. (*m*) Qui odit fratrem suum, sibi ipsi vitam gratiæ adimit, & fratrem in corde suo interimit, cujus vita ipsi displicet, & cujus morte lætatur.

16. (*n*) Veræ charitatis exemplar in Christo moriente proponit nobis imitandum.

17. (*o*) Facultates; cum frater in egestate est, aut necessitatem patitur, tum exercendi operis charitatis tempus maxime adest, eaque eleemosyna ex vero cordis affectu, & ex christiana pietate, non ex vanitate facienda. *Viscera*, charitas, benignitas.

19. (*p*) Non vocis tantum, aut desiderio, sed reipsa sit vera charitas; id nobis ipsis omnino persuadebit, nos sincero animo, non verbis tantummodo, erga fratres bene esse affectos, & vera pietate duci. Hæc illius est merces, ut in conspectu Dei, & in extremo judicio securi simus; si corde & opere fratres nostros diligimus, conscientiam nostram tranquillam & securam reddemus in conspectu Dei.

20. (*q*) Si conscientia nostra nos condemnaverit, aliud ore gerentes, aliud in pectore, quomodo Deum omniscium latere poterimus? Vel si cor nostrum jam nos condemnat & terret, quid nobis futurum est in extremo Dei judicio?

24. (*r*) Per Spiritum sanctum & charitatem ipsam novimus charitatem. Alii de missione visibili Spiritus sancti, qualis erat in primitiva Ecclesia, hæc verba interpretantur; id, ut ex iis quæ sequuntur, colligunt.

CAP. IV.

2. (*a*) Primum argumentum Spiritus Dei in nobis manentis est mysterii Incarnationis aperta professio, nam ea est prima orthodoxæ fidei nota. In veteri testamento Deuter. 13. veri a falsis Prophetis, qui præstigiis & fictis miraculis populum decipiebant, hoc ipso dignosci dicuntur, quod falsi Prophetæ unitatem Dei impugnarent. In novo testamento vera m[illegible] prædicatorum hoc ipso fuit confirmata, quod Verbum incarnatum profitentes, quam annuntiabant fidem, hanc adstruebant per miracula.

3. (*b*) Quod si aliqua ex parte hujus mysterii fides violetur, negando Christum ante Incarnationem extitisse, tum divinitas ejus negatur, ut a Cerintho, & Ebione factum: si autem quis carnis humanæ tollat veritatem, ut Basilides, is solvit Christum, seu ejus Deitas, seu humanitas illi detrahitur. Una est in Christo persona, in qua divina & humana natura indivisibiliter uniuntur. *Qui solvit Jesum*, Græc. *Qui non confitetur Jesum Christum venisse in carne; est Antichristus*, ex Græco, & hic spiritus est Antichristi, *de quo audistis*, *quoniam venit*, per suos præcursores nimirum; aut qui venturus est.

4. (*c*) Hoc rejecistis, & eorum doctrinam, Deus qui in nobis pugnat, fortior est mundo, & diabolo, qui princeps hujus mundi nuncupatur.

5. (*d*) Hinc etiam pseudoprophetæ dignoscuntur, quod iis utantur [illegible], quas mundus ultro recipit, quæque ultra naturæ vires non patent, quod exempli gratia nihil exstat antequam nascatur, & alia ejusmodi. Sed apud Christi Apostolos omnia ex Deo manant; missionis eorum auctoritas miraculis stabilitur.

6. (*e*) Doctrina Apostolorum ex Deo est; principiis utitur, quæ digna sunt Deo, & ejus omnipotentia.

7. (*f*) Ad charitatem in se spectatam redit, & ejus originem a Deo ipso repetit, qui est charitas increata; ex eo velut semine nos regenerat: *Et cognoscit Deum*, cognitione experimentali; nihil est majus charitate, quæ ex Deo manat, quæ Dei filios efficit, & veram Dei cognitionem gignit.

11. Charissimi, si sic Deus dilexit nos : & nos debemus alterutrum diligere.

* Joan. 1. 18. 1. Tim. 6. 16. 12. * Deum nemo (*g*) vidit umquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est.

13. In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis : quoniam de Spiritu (*h*) suo dedit nobis.

14. Et nos vidimus, & testificamur, quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi.

15. Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.

16. Et nos cognovimus, & credidimus charitati quam habet Deus in nobis. Deus Charitas est : & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

17. In hoc (*i*) perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii : quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.

18. Timor (*k*) non est in charitate : sed perfecta charitas foras mittit timorem : quoniam timor pœnam habet : qui autem timet, non est perfectus in charitate.

19. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.

20. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?

* Joan. 13. 34. & 15. 12. 21. * Et hoc mandatum habemus a Deo : ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

CAPUT V.

Joannes in hoc capite divinitatem Christi & mysterium Incarnationis sic adstruit, ut ad id quod maxime ipsi cordi est, amorem scilicet Dei & proximi, de quo ante differuerat, identidem digrediatur.

1. OMnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus (*a*) est. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo.

2. In hoc cognoscimus (*b*) quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, & mandata ejus faciamus.

3. Hæc est enim charitas Dei, ut mandata (*c*) ejus custodiamus : & mandata ejus gravia non sunt.

4. Quoniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum : & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides (*d*) nostra.

5. * Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit (*e*) quoniam Jesus est Filius Dei? * 1. Cor. 15. 57.

6. Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Jesus Christus : non in aqua solum, sed in aqua & sanguine (*f*). Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas.

7. Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo : Pater, Verbum, & Spiritus sanctus : & hi tres unum (*g*) sunt.

8. Et tres (*h*) sunt, qui testimonium dant in terra : Spiritus, & aqua, & sanguis : & hi tres unum sunt.

9. Si

12. (*g*) Etsi nemo viderit Deum in hac vita, est tamen in iis qui charitatem habent, quæ in nobis est perfecta.

13. (*h*) Ex diversis Spiritus sancti donis cognoscimus Deum manere in nobis. Cum enim Deus sub sensus nostros non veniat, de præsentia sua nos certos facere voluit per effectus Spiritus sancti, per miracula, per donum linguarum, & alia exteriora dona, quorum ipse Joannes & alii Apostoli sunt testes oculati : vel ex bonis operibus & amore æternum cælestium Spiritum Dei in nobis esse novimus.

17. (*i*) Ob hoc consummata fuit Dei in nos charitas : *Ut fiduciam habeamus*, ut intrepidi simus in die judicii. *Quia sicut ille est*, charitate plenus, & summe nos diligit, ita & nos summe illum, & propter eum fratres perfecte diligamus ; sic tamen ut particula, *sicut*, non omnem similitudinem exprimat ; & sicut ille manet in nobis, ita & nos sumus manentes in illo ; crescente in nobis charitate, crescit in nobis humilis fiducia : *Sicut ille est*.

18. (*k*) Perfecta charitas expers est timoris mere servilis : nam ubi solus est timor ex conscientia peccatorum, ibi non est perfecta charitas ; hic timor pœnam habet, excruciat conscientiam, neque illi cum gaudio & fiducia perfectæ charitatis convenit : timore casto & filiali hoc timemus, ne Deo ipsi displiceamus. *Pœnam habet*, Gr. κόλασιν, punitionem, fiduciam non habet. Hæc quoque verba, *Timor non est in charitate*, sic exponi possunt ; qui charitatem habet perfectam, non id timet, ne pro Deo pœnas & supplicia subeat : secus amor ille est adhuc imperfectus.

CAP. V. 1. (*a*) Fidelem scilicet qui credit in Christum ; qui amat Christum, ejus membra odisse non potest.

2. (*b*) Amoris quo diligimus Deum, amor noster erga proximum est certissimum argumentum : ac vicissim cum mandata Dei observamus, eum diligimus, & natos ex Deo : ita ut amores illi duo una sint conjuncti, nec unus sine altero stare possit. Vere non diligitur proximus, nisi cum Deus amatur, & proximus propter Deum.

3. (*c*) Amor enim Dei, mandatorum ejus observatione continetur, quæ magna ex parte ad amorem proximi referuntur : *Gravia non sunt* ; nihil enim amori grave est. Ex vitæ nostræ ratione, & ex ipsis operibus an vere Deum & proximum diligamus, expendere debemus.

4. (*d*) Quod impossibile existimas mundus, id fides verum esse convincit. Hæc humilitati, & orationi conjuncta nos invictos facit ; ea nos docet quid amandum sit, quid fugiendum : Vincimus mundum, cum desideria carnis superamus, cum pravos subigimus affectus.

5. (*e*) Fides qua divinitatem Christi, & incarnationem ejus credimus, victoriam de mundo & ejus incredulitate reportavit. Utrumque probat trium testium auctoritate, primum quidem incarnationis mysterium, & naturæ humanæ veritatem in Christo probat ex descensu Spiritus sancti, aqua, & sanguine.

6. (*f*) Venit enim Christus per aquam Baptismi nos salvaturus, non cum aqua sola, quam adhibebant Judæi, cui Joannes addidit pœnitentiam : sed in aqua & sanguine in cruce effuso. *Quoniam Christus est veritas*. Accessit Spiritus testimonium in Christi Baptismate. Joann. 1. *Super quem videris Spiritum descendentem, hic est qui baptizat in Spiritu sancto* : Spiritus testificatur Christum esse verum hominem, & Messiam. Itaque Christus nostra est victima, cujus sanguis nos redemit in cruce ; purgat in Baptismo & in Sacramento pœnitentiæ, alit in Eucharistia. Hoc testimonium Spiritus sanctus reddit veritati Divinitatis & Incarnationis Christi.

7. (*g*) Hic versiculus in quibusdam codicibus Græcis deest, ac verisimile est hunc erasum esse ab Arianis ; observat vir doctus hunc locum frequentius in Latinis exemplaribus occurrere. Ab Eugenio quidem Carthaginis Episcopo anno 484. in confessione fidei, quam Hunnerico Vandalorum regi exhibuit, a Fulgentio quoque ad objectionem decimam Arianorum citatur : ac subinde Fulgentius existimat a B. Cypriano in Lib. de unitate Ecclesiæ ea verba laudari. Qua de re fusius disserit Franciscus Lucas, Annot. 612. neque ea de re dubitare licet post decretum Concil. Trident. Sess. 4. Quin etiam in veteri vulgata editione habetur. Pater Christum agnovit ut Filium per voces Prophetarum, per vocem in Baptismo Christi, & in ejus transfiguratione emissam ; Filius divinitatem suam verbo, miraculis, resurrectione ipsa comprobavit ; Spiritus sanctus donorum suorum effusione : *Et hi tres unum sunt*, in natura ; Gr. *in unum sunt*, de uno & eodem Christo testificantur. Vel *unum sunt*, in essentia, aut unum in testimonio ; quod utut concederemus, inquit Hammondus, voces Græcas significare consensum testimonii, attamen is non excludit unitatem testium : nam ex unitate testium sequitur necessario consensus in testimonio, quamvis ex consensu testimonii colligi nequeat unitas testium.

8. (*h*) Tres sunt in cælo, qui de Christi divinitate ; tres in terra, qui de veritate naturæ humanæ testificantur ; spiritus quem moriens cum valido clamore emisit, aqua quæ de ejus latere fluxit, sanguis quo redempti sumus.

9. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus (i) est, quoniam testificatus est de Filio suo.

*Joan. 3. 36. 10. * Qui credit in Filium Dei, habet testimonium (k) Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.

11. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus est.

12. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet.

13. Hæc scribo vobis: ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis (l) in nomine Filii Dei.

14. Et hæc est fiducia (m), quam habemus ad eum: Quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.

15. Et scimus quia audit nos quidquid petierimus: scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo.

16. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem (n), petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.

17. Omnis iniquitas (o) peccatum est: & est peccatum ad mortem.

18. Scimus (p) quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat: sed generatio Dei conservat eum, & malignus non tangit eum.

19. Scimus (q) quoniam ex Deo sumus: & mundus totus in maligno positus est.

20. Et scimus quoniam Filius Dei venit, * & dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus (r), & vita æterna. * Luc. 24. 45.

21. Filioli, custodite vos a simulacris. Amen.

9. (i) Hæc verba, *Quod majus est*, desunt in Græco. *Quoniam si testimonium hominum accipimus*, an testimonium Dei ipsius rejiciemus?

10. & 11. (k) Quod Deus testificatus est de Christo. *Testimonium*, Illud testimonium quod Pater Filio reddidit, est vita æterna, quam nobis per Filium donavit; atque ex hoc ipso testatur Christum esse Deum: nam solus Deus largiri potest vitam æternam. Post peccatum vitam recipimus, quæ vera est animæ resurrectio; hanc accipimus a Deo ut a Patre, qui nos in filios adoptat in Christo, tamquam ejus membra, & in æternum, ut electos, si perseveremus.

13. (l) In Græco textu hæc adduntur: *Et ut credatis in nomine Filii ejus*.

14. & 15. (m) Alterum est de Filio Patris testimonium; fiducia nimirum, quam ad eum per Filium habemus: *Audit nos*, Semper exauditur justus, qui nihil aliud quam Dei voluntatem desiderat: at Deus tum exaudit, cum ea quæ saluti non sunt utilia, denegat. Cum postulationes nostras benigne audierit, cum confidimus fore ut deinceps eas exaudiat, idque per Jesum Christum.

16. (n) Non de omni peccato lethali loquitur; quæ enim ex ignorantia, aut infirmitate admittimus, facilius remittuntur: sed de peccato ex pura malitia interpretari licet, & de obduratione, quod sæpius ad inferos ducit. Græca Scholia peccatum illud de finali impœnitentia exponunt, quod plane est irremissibile. Ejusmodi peccatum esse volunt, quo quis est tenax injuriarum, nec vult illatas remittere; eumque pro desperato habet Joannes. *Non pro illo dico ut quis roget*: Ecclesiast. cap. 28. v. 3. & 5. *Homo homini reservat iram, & a Deo quærit medelam. Quis exorabit pro delictis illius?* Alii peccatum ad mortem interpretantur peccatum infidelitatis, quo quis post agnitum Deum ad idola revertitur; de quo Jerem. 14. 11. *Tu ergo noli orare pro populo isto*, &c. Quod spectat ad aliorum peccata, quæ ducunt ad damnationem, non audet Joannes fideles hortari, ut cum eadem fiducia Deum deprecentur: ab hoc tamen charitatis officio eos non deterret, quod utile semper est, saltem ei qui illud præstat. Et quidem preces a fidelibus pro iis, qui e peccati sordibus tentant emergere, sunt perutiles, easque cum spe magna & fiducia quadam fundunt: motus enim doloris & pœnitentiæ opera sunt quædam vitæ initia; sed ubi peccator mortem ipsam amat, & nihil magis timet, quam ne pravi habitus moriantur, non oratur cum fiducia pro eo qui non gemit, & mortem ipsam amat.

17. (o) Quod legi Dei repugnat: *Ad mortem*, cum in eo quis perseverat: qui peccatum suum odit, atque ex eo quam primum tentat emergere, huic auxilium denegari non debet; sed qui ruinam non sentit suam, frustra exspectat tempus mortis: id quidem est Deo possibile: at vix ullus est sperandi locus, nisi Deus singulari quodam modo ei succurrat.

18. (p) Hic versiculus eodem modo exponi potest, quo versic. 3. Atque immunitas illa a peccato mortali non est absoluta, cum justus omnis a justitia possit excidere, & sæpe excidat: sed post Baptismum justi non sunt amplius in eo statu corruptionis, in quo ante Baptismum fuerant, cæcatum cor habentes: sed in eo sunt statu, ut a lethali peccato possint facilius abstinere. Itaque de renatis per Baptismum loqui videtur comparate ad priorem eorum statum; cujus rationem mox affert: *Sed generatio Dei conservat eum*, Græc. *Qui genitus est ex Deo, servat seipsum*: qui in fide viva perseverat: *Et malignus non tangit eum*, lethali vulnere.

19. (q) Hujus discriminis inter duos illos status ea est ratio, quod regno gratiæ Dei jam simus subditi, illius imperio regamur.

20. (r) Hoc est insigne divinitatis Christi testimonium; veram Dei cognitionem mundo attulit & amorem. *Et simus in vero Filio ejus*: Gr. *& sumus in illo vero, in Filio ejus Jesu Christo*, id est, in Deo, & in Filio ejus: vel per Filium ejus.



EPISTOLA BEATI JOANNIS APOSTOLI SECUNDA.

Diligere alterutrum est mandatum semper novum; hæreticis ne Ave quidem dicendum.

1. SENIOR Electæ (a) dominæ, & natis ejus, quos ego diligo in veritate, & non ego solus, sed & omnes, qui cognoverunt veritatem,

2. Propter veritatem quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternum.

3. Sit vobiscum gratia (b), misericordia, pax a Deo Patre, & a Christo Jesu Filio Patris, in veritate & charitate.

4. Gavisus sum valde, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus a Patre.

5. Et nunc rogo te domina, non tamquam mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, * ut diligamus alterutrum.

* Joan. 13. 34. & 15. 12.

6. Et hæc est charitas (c), ut ambulemus secundum mandata ejus. Hoc est enim mandatum, ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis:

7. Quoniam multi seductores exierunt (d) in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem: hic est seductor, & antichristus.

8. Videte vosmetipsos, ne perdatis (e) quæ operati estis: sed ut mercedem plenam accipiatis.

9. Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic & Patrem & Filium habet.

10. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis.

11. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.

12. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui: ut gaudium vestrum plenum sit.

13. Salutant te filii sororis tuæ Electæ.

1. (a) Ex hujus Epistolæ inscriptione quæstio oritur non contemnenda, an vox illa, *Electa*, sit nomen proprium Matronæ, cui Apostolus hanc scribit Epistolam; eaque est communis & magis recepta interpretum sententia, cum ex more tem temporis usitato propria eorum, quibus scribebatur, nomina initio Epistolæ ponerentur: sic Paulus ad Timotheum & Titum in ipso limine Timothei & Titi exprimit nomina. Alii tamen volunt eam vocem esse honoris aut dignitatis, quemadmodum vox *Senior* est dignitatis, eaque pro Episcopo interdum usurpatur. Nam Presbyteri & Episcopi nomen in ipsis nascentis Ecclesiæ exordiis promiscue interdum usurpari valde est probabile; idque colligi potest ex Actorum cap. 20. itaque iis videtur nomen, *Electa*, non esse nomen proprium, sed appellativum, quo personæ cui scribitur qualitas designatur. Immo in ea est sententia Oecumenius, hac voce aliquam designari Ecclesiam, cui suppresso nomine certas ob rationes scribit Joannes Apostolus. Sententiam Oecumenii sequitur, atque in eam sententiam valde propendet Auctor Analyseos Gallicæ, dissert. 23. quæ consuli potest.

3. (b) Adoptionis, qua Pater nos in filios adoptavit: *Misericordia*, hoc meritorum Christi, qui pro nobis mortuus est, [illegible] fructus est, ut pax Spiritus sancti: *In veritate*, cum fides veritate.

6. (c) In hoc posita est charitas, ut mandatis obsequamur.

7. (d) Gr. *Introierunt*: exierunt qui prius latebant. *Qui non confitentur; hic est seductor, & Antichristus.* Antichristi præcursor.

8. 9. 11. 12. & 13. (e) In textu Græco, *Ne perdamus*, ne fructum laborum amittamus; juxta vulgatam sententiam eos admonet, ne fructum bonorum operum perdant, si non perseverent; non enim operum merita confirmat Apostolus. *Recedit*, Qui fidem Christi deserit: *Deum non habet*, alienus est a Deo. *Communicat*, Cum criminis particeps, aut fraternum scandalo. *Futurum*, Venturum. *Filii*, Aut filii sororis Electæ, aut fideles Ecclesiæ, ubi tum erat Joannes.

EPISTOLA BEATI JOANNIS APOSTOLI TERTIA.

Laudat Gajum propter hoſpitalitatem : quæ virtus eſt Chriſtiana. An Gajus is eſt, cujus meminit Paulus, Rom. 16. verſ. 23.

1. SENIOR Gajo chariſſimo, quem ego diligo in veritate.
2. Chariſſime, de omnibus (*a*) orationem facio proſpere te ingredi, & valere, ſicut proſpere agit anima tua.
3. Gavisus ſum valde venientibus fratribus, & teſtimonium perhibentibus veritati tuæ, ſicut tu in veritate ambulas.
4. Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.
5. Chariſſime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos,
6. Qui teſtimonium reddiderunt charitati tuæ in conſpectu Eccleſiæ : quos, benefaciens, deduces digne (*b*) Deo.
7. Pro nomine enim ejus profecti ſunt, nihil accipientes a Gentibus:
8. Nos ergo debemus ſuſcipere hujuſmodi, ut cooperatores (*c*) ſimus veritatis.
9. Scripſiſſem forſitan Eccleſiæ : ſed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos.
10. Propter hoc ſi venero, commonebo (*d*) ejus opera, quæ facit: verbis malignis garriens in nos : & quaſi non ei illa ſufficiant ; neque ipſe ſuſcipit fratres : & eos qui ſuſcipiunt, prohibet, & de Eccleſia ejicit.
11. Chariſſime, noli imitari malum, ſed quod bonum eſt. Qui benefacit, ex Deo eſt: qui malefacit, non vidit Deum.
12. Demetrio teſtimonium redditur ab omnibus, & ab ipſa veritate, ſed & nos teſtimonium perhibemus : & noſti quoniam teſtimonium noſtrum verum eſt.
13. Multa habui tibi ſcribere: ſed nolui per atramentum & calamum ſcribere tibi.
14. Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

2. 3. 4. & 5. (*a*) Ante omnia. *Veritati*, Sinceræ pietati tuæ, *Gratiam*, Gr. *Gaudium*. *Fideliter facis*, Rem fideli dignam.

6. (*b*) Pro dignitate, quæ ſervos Dei decet: Gr. *Bene facies deducens*, ſi eos deduxeris.

8. (*c*) Verbi Dei præcones: *Veritatis*, Gr. *Veritati*, Evangelii propagationi.

10. (*d*) In memoriam reducam. Bedæus. Judicabo. Veriſimile eſt hunc Diotrephem hæreticum fuiſſe, quem ut ambitioſum, & calumniatorem, ac durum in fratres Apoſtolus reprehendit.



EPISTOLA CATHOLICA
BEATI JUDÆ
APOSTOLI.

JUDAS *Thaddæi & Lebbæi cognomine, frater Jacobi minoris, hanc scripsit Epistolam, quæ Catholica nominatur, quod illa ad fideles omnes orbis Christiani scripta sit. Stylus est figuratus, idem fere qui secundæ Epistolæ Petri Apostoli, cujus est velut epitome; iisdem pene verbis utitur, easdem adhibet figuras. Adversus eosdem hæreticos est perscripta. Atque inde colligit Auctor Analyseos Gallicæ priorem Petri Epistolam ad omnes sine discrimine Catholicos exaratam fuisse: nam duæ Petri Epistolæ ad eosdem diriguntur, ut concludi potest ex cap. 3. secundæ Epistolæ:* Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo Epistolam. *Ad eos ipsos Epistola Judæ dirigitur, ut liquet ex v. 17. & 18.* Memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores. *Cum itaque Epistola Judæ ad fideles omnes dirigatur, hinc sequi videtur Petri quoque Epistolas ad omnes Christianos sine discrimine scriptas fuisse. Unde Judas fideles ad quos scribit, in horum memoriam redigit, quæ princeps Apostolorum de hæreticis, qui extremis temporibus venturi sunt, admonuerat. Sic ambo Apostoli duas extremas hæreses indicant, primam Simonianorum, & Antichristi ultimam. Quod quidem Ecclesiæ perpetuitatem sine interruptione continuatam demonstrat. Omnes enim hæreses adversus Ecclesiam catholicam prodierunt; atque adeo hæc ad finem usque sæculorum perstabit. Hanc Epistolam citat Origenes Tomo 9. & 17. in Matthæum, Clemens Alex. in L. Hypotyposeon & alibi. Patres pene omnes quarti sæculi eam ut Canonicam agnoverunt: etsi nonnulli, teste Eusebio L. 2. cap. 23. an esset genuina, dubitarunt. Hinc Hieron. L. de viris illustr.* Et qui de libro Henoch, qui apochryphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque rejicitur, & tamen auctoritatem vetustate jam & usu meruit, atque inter sanctas Scripturas computatur.

Quod autem librum apocryphum Henoch, & alterum itidem de ascensione Mosis in montem citat, nihil propterea de ejus auctoritate decedit. Nam in libris apocryphis quædam vera esse potuerunt, quæ aspirante Spiritu sancto Judas a fabulis sejunxit. Libri erant tum temporis celebres, quos citare potuit ut ab omnibus receptos, quo eorum animis altius imprimeret, quæ adversus hæreticos scribebat: ita vir perdoctus. Adde illud quoque, hanc Prophetiam Henoch traditione majorum ad Judam usque fortassis pervenisse, vel tum extitisse librum aliquem Henoch *nomine inscriptum, diversum ab apocrypho, cui absurda quædam sunt inserta. Jam ad textum ipsum veniamus.*

Monet,

Monet, ut firmi sint in tradita semel fide adversus insurgentes impios ac lascivos, subdens de horum supplicio in modum Judæorum ac Sodomorum futuro.

1\. JUDAS Jesu Christi servus, frater autem Jacobi, his qui sunt in Deo Patre dilectis (*a*), & Christo Jesu conservatis, & vocatis,

2\. Misericordia vobis, & pax, & charitas adimpleatur (*b*).

3\. Charissimi, omnem sollicitudinem (*c*) faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis: deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei.

4\. Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti (*d*) sunt in hoc judicium) impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem, & Dominum nostrum Jesum Christum negantes.

5\. Commonere autem vos volo, scientes semel (*e*) omnia, quoniam Jesus populum de
* Num. 14. 37. terra Ægypti salvans, * secundo eos, qui non crediderunt, perdidit:

6\. Angelos (*f*) vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis
* 2. Pet. 2. 4. æternis sub caligine * reservavit.
* Gen. 19. 24. 7. * Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.

8\. Similiter & hi (*g*) carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant.

9\. * Cum Michael Archangelus cum diabo- * Zach. 3. 2.
lo disputans altercaretur (*h*) de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ: sed dixit: Imperet tibi Dominus.

10\. Hi autem, quæcumque quidem ignorant, blasphemant: quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur (*i*).

11\. Væ illis, quia (*k*) in * via Cain abie- * Gen. 4. 8.
runt, & * errore Balaam mercede effusi sunt, * Num. 22. 21.
& in contradictione * Core perierunt: * Num 16. 32.

12\. Hi sunt in epulis (*l*) suis maculæ, convi-
vantes sine timore, semetipsos pascentes, * nubes * 2. Pet. 2. 17.
sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ,

13\. Fluctus feri (*m*) maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia: quibus procella tenebrarum servata est in æternum.

14. Pro-

1\. (*a*) A Deo Patre dilectis: Erasmus legit sanctificatis. *Et Christo Jesu conservatis*, per Christum Jesum conservatis & vocatis. Electos triplici charactere, vocatione nimirum, justificatione, & perseverantia insignitos designat. *Vocatis*, qui ex mera Dei voluntate ad fidem vocati sunt.

2\. (*b*) *Gr. multiplicetur:* misericordia sua Pater in conversione nostra nos prævenit. Filius qui est pax nostra, sua merita nobis applicat, & Spiritus sanctus charitatem diffundit in cordibus nostris.

3\. (*c*) Cum semper id valde optaverim de communi vestra salute ad vos scribere, nunc id omnino necessarium judicavi, quod res ipsa dilationem amplius non ferat. *Deprecans*, Gr. *adhortans* vos ut decertetis adversus religionis hostes pro fide, quæ semel tradita est Sanctis; nec aliam inquiratis, præter eam quam ex traditione accepistis, eamque propugnetis contra hæreticos, qui clam irrepserunt in Ecclesiam, ut eam doctrinæ & morum perversitate corrumpant.

4\. (*d*) De quibus ante scriptum & prænuntiatum fuit fore ut in hunc reprobum sensum inciderent, aut hoc adversus se judicium subirent, *qui Dei nostri gratiam transferentes;* qui libertate Christiana abutentes in luxuriam, in dissolutos mores eam transferunt. & Christi divinitatem negant; vel *præscripti sunt*, sententia supremi Judicis condemnati.

5\. (*e*) In memoriam revocare volui, non ut ignorantes docere, quod olim accepistis. *Quoniam Jesus*, seu *Josue*, ut nonnullis videtur: sed de Christo Jesu Judam loqui verisimilius est. *Salvans*. Græc. cum salvasset Dominus: *secundo*, postea, eos *qui non crediderunt perdidit*, in priorem incredulitatem lapsos. Filii Israel in deserto semper rebelles, & pervicaces, semel & iterum omnino increduli fuerunt, primum ante transitum maris rubri, Exodi 14. vers. 12. seq. cum iis instaret Pharao: quod peccatum iis dimisit Deus: sed Num. 14. vers. 3. cum redire vellent in Ægyptum, & ducem alium a Mose sibi constituere, acerbas dederunt pœnas. Hoc justitiæ divinæ exemplum iis proponit Apostolus. Sic fideles, quos primum Deus salvavit per Baptismum, secundo perdet, si ad hæreticos deficiant.

6\. & 7. (*f*) Apostasiam rebellium Angelorum iis in secundum proponit exemplum; *Qui non servaverunt suum principatum*, primævam suam dignitatem, vel originem: eadem esse sententia, & iisdem pene verbis expressa in secunda Petri Epistola, c. 2. Tertium exemplum affert Sodomæ & Gomorrhæ. *Post carnem alteram*, quo quidem loquendi genere abominationes contra naturam indicat, in quas hæretici ipsi incurrebant. *Exfornicatæ*, pessima libidine abrepti. *In exemplum*, divinæ ultionis; ignis supplicium ardori libidinis respondet.

8\. (*g*) Gr. additur [illegible], *consopiti*. id est, somniis suis & vanis illusionibus delusi corpus omni spurcitia fœdant, ut Sodomitæ. *Dominationem*, Christo divinitatem detrahunt. Qui verborum sensus cum vers. 4. consentit; vel juxta alios interpretes, Dei & ministrorum ejus dignitatem spernunt, publicam potestatem & leges omnes contemnunt; primi illi Hæresiarchæ libidinibus dediti, & legitimis potestatibus infensi, quæ in religione sunt sanctiora, impugnabant.

9\. (*h*) Michael autem Archangelus cum altercaretur cum diabolo: moderationem Michaelis opponit hæreticorum audaciæ; ille namque convicio & maledictis uti noluit adversus diabolum, sed his tantum usus est verbis: *Imperet tibi Dominus*, Gr. increpet, aut coerceat te Dominus. Corpus Mosis sublatum fuisse ab Angelo, ex cap. ultimo Deuter. colligitur: sunt qui putent Apostolum id sumpsisse ex scriptura apocrypha, ita Gagnæus: *Quam quidem historiam*, tum in libris apud Judæos celebratis contineri valde probabile est. Serrarii conjectura est probabilis diabolum contendisse, ut corpus Mosis in terram promissionis inferretur, ne in terra Moab regione sibi addicta sepeliretur, neve ab ejus reliquiis damnum aliquod acciperet. *Judicium inferre blasphemiæ*, eum condemnare cum execratione. Verus enim Dei zelus cum modestia conjunctus est.

10\. (*i*) In his quæ non noverunt, blasphemos sermones texunt; quæcumque naturali instinctu ut muta animalia norunt, in iis corrumpuntur; ventri tantummodo serviunt, & cupiditatibus; seipsos ingluvie & obscœnis libidinibus fœdant.

11\. (*k*) Cum veneno errorum fideles interimunt, Caini invidiam & pravos mores sectantur. *Balaam*, quæstus caussa prava docent dogmata. *Peribunt* ut Core, qui detrectans legitimam Mosis auctoritatem, misere periit: sic illi adversus Ecclesiam rebelles peribunt.

12\. (*l*) Gr. *agapis*; eorum intemperantiam exprobrat, qui charitatis convivia in comessationes convertebant. *Maculæ*, vox Gr. [illegible], cavernosas maris rupes significat, quæ non prævisæ naufragium afferunt. Sic impostores illi, dum simulata amicitia cum fidelibus epulantur, nisi ab iis caveatur, naufragium creant. *Nubes sine aqua*, & hoc ipso leviores, a ventis circumactæ, nec salutari doctrina fideles irrigant: *Arbores autumnales*, Gr. *deficientes autumni*, quæ florent in autumno: *Bis mortuæ*, fructu spoliatæ & foliis; in radice & ramis omni humore destitutæ. *Eradicatæ*, per schisma ab Ecclesia avulsæ. Hæretici leves & inconstantes nubium flatilium instar, arbores sunt autumnales, quæ fructum afferunt marcidum: Gnosticos forsan indicat.

13\. (*m*) In plurali, feri fluctus maris. Ex Beda fluctus feri maris sunt perversi doctores, in semetipsis inquieti semper, tumidi, tenebrosi, & amari, qui pacem Ecclesiæ impugnare non cessant. Sed tales recte dicuntur despumantes confusiones suas, quia instar tumentium undarum quanto se superbientes attollunt, tanto amplius confusi, quasi in spumas levissimas dissolvuntur, & pereunt. *Sidera errantia*, vel stellæ discurrentes, vel ut cometæ nullum certum iter insistentes cito evanescunt. Hæretici cum fluctibus, quod sint turbulenti, comparantur, despumantes sua dedecora, præ superbia attolluntur: sed detumescunt, & in spumam libidinis abeunt. *Procella tenebrarum*, Gr. obscuritas, vel caligo tenebrarum, in inferno nimirum.

14. Prophetavit (n) autem & de his septi-
* Apoc. 1. 7. mus ab Adam Henoch, dicens: * Ecce venit
Dominus in Sanctis millibus suis,
15. Facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii.
16. Hi sunt murmuratores (o) querulosi,
* Ps. 16. 10. secundum desideria sua ambulantes, * & os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causa.
17. Vos autem charissimi, memores (p) esto-
* 1. Tim. 4. 1. te verborum, * quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi,
2. Tim. 3. 1. 2. Pet. 3. 3. 18. Qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus.
19. Hi sunt, qui segregant (q) semetipsos, animales, Spiritum non habentes.
20. Vos autem charissimi, superædificantes (r) vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu sancto orantes,
21. Vosmetipsos in dilectione Dei servate (s), expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam.
22. Et hos quidem arguite (t) judicatos:
23. Illos vero salvate, de igne rapientes: Aliis autem miseremini in timore: odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.
24. Ei autem, qui potens est vos conservare sine peccato: & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione in adventu Domini nostri Jesu Christi;
25. Soli Deo Salvatori nostro, per Jesum Christum Dominum nostrum, gloria & magnificentia, imperium & potestas ante omne sæculum, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

14. (n) Hoc Prophetiæ Henoch fragmentum, quod solum nunc superest, ad omnes hæreticos pertinet. *Millibus*, Stipatus innumeris Angelorum legionibus.

16. (o) Adversus Ecclesiæ doctrinam & leges, quibus eorum licentia coercetur: *Ambulantes*, libidini suæ omnino servientes; *Superba*, varios sermones, & doctrinam horrendam, quam personant cum fastu, & ostentatione, & adulatione: *Mirantes personas quæstus caussa*, aliis adulantes.

17. (p) In memoriam fidelium revocat quæ ab Apostolis didicerunt, & secundam in primis Epistolam Petri: nam scripta Apostolorum fideles adversus hæreticorum venenum muniunt.

19. (q) Vox *semetipsos* in Græco deest, segregantes fideles ab Ecclesia; vitam animalem & libidinosam ducentes, Spiritu Dei omnino destituti. Adversus hanc doctrinæ & morum corruptionem Apostolus fideles munit. Hæretici seipsos ab Ecclesiis separant. *Animales*, sensuum voluptatibus dediti: hos ut duces sequuntur. Gnostici se solos spirituales jactabant, libidinum servi.

20 (r) Proficientes in fide, quæ est fundamentum ædificii Christiani; vel jactis fidei fundamentis, nunc superstructionem bonorum operum erigite, spes ipsa quæ est fidei fructus, ad cælum usque illud attollit ædificium, charitas summum huic imponit fastigium. *In Spiritu sancto orantes*, Spiritus sancti gratia roborati.

21. (s) Continete vos in dilectione Dei, *In vitam æternam*, ut vitam æternam habeatis: qui est Hebraismus.

22. 23. & 24. (t) Ex Græco textu illi sunt vel desperati, quorum status est omnino miserabilis; Gr. *Horum commiseramini*; vel aliorum qui pravis exemplis abducti sunt a veritate, hos jubet Apostolus terrore æterni supplicii ab incendio quod iis imminet, revocare, & omnium abominanda horrere flagitia. Alii aliter exponunt juxta Vulgatam. Qui non sunt penitus desperati; *hos arguite*, seu corripite *judicatos*, qui condemnati & indurati videntur; neque enim de eorum conversione desperandum: vel *judicatos*, postquam erroris convicti fuerint. Qui in libidines sunt demersi, hos magis percellunt quæ sensus afficiunt, ii terrore divinorum judiciorum quasi ab igne sunt vi quadam abducendi: sed omnino desperati plangendi sunt. *Aliis autem miseremini*, metuentes ne in hæc flagitia incurratis. Menochius paullo aliter hunc versiculum exponit. *Illos vero salvate*, qui in periculo sunt, ne decipiantur ab hæreticis; *De igne rapientes*, qui in periculo versantur. *Aliis autem*, alios in periculum pronos non sine casto timore miseratione complectimini. *Maculatam tunicam*; turpem vivendi morem & sordidum: cavete ne candidam innocentiæ vestem, quam accepistis in Baptismo, corruptis moribus contaminetis; propriæ infirmitatis conscii caveamus ne nos ipsos corrumpamus: dum alios a mundi corruptione abducere conamur. *Odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam*; nulla vobis sit cum impuris illis hominibus societas, vitate eos ut lepra infectos. *Sine peccato*: Gr. *sine offensione*.



APO-

APOCALYPSIS BEATI JOANNIS APOSTOLI.

DUPLICEM hujus Libri explicandi esse rationem, recte admonet Illustriss. Meldensis Episcopus D. Bossuet in Præfatione sua; una est generalis & expedita, cui lucem præfert Augustinus, cum multis in locis, tum maxime L. 20. de Civit. Dei, cap. 8. Duas ille civitates, aut duo imperia sibi mutuo permixta & confusa, si corporis ratio habeatur, sed spiritu separata, distinguit. Unum est imperium Babylonicum, quod perturbationem & confusionem; alterum est regnum civitatis Jerusalem, quæ pacem designat. Ibi est regnum Satanæ hic Christi; illic est spiritalis idololatria, atque ibi regnant cupiditas & avaritia. Sed in civitate Jerusalem est patientia & fides Sanctorum. *Hæc exponendi ratio per Christi Ecclesiam in Sanctis suis, & diaboli societatem in impiis, facilis est & utilis huic Prophetiæ explicandæ; eaque est fidelium ædificationi aptissima. Hæc adeo secura est & vera, a Spiritu sancto prævisa & probata, uti & omnes Scripturæ sensus, & boni, & saluti fidelium accommodati. At si id unum esset Joanni Apostolo propositum, hic liber inter propheticos vix haberetur. Quæ futura erant in Ecclesia & imperio Romano prædixit, ut novi Testamenti Propheta:* Ne signaveris verba Prophetiæ hujus, tempus enim prope est, *cap. 22. v. 10. Quod ab initio revelationis suæ præmiserat:* Beatus qui legit & audit verba Prophetiæ hujus & servat ea quæ in ea scripta sunt; tempus enim prope est; *Gr.* opportunitas, *nempe ut Ecclesia se pararet ad ea quæ imminebant mala. Neque id est verisimile Joannem præter omnium Prophetarum morem ea tantummodo prædixisse, quæ in extremis temporibus ventura erant, ita ut casus omnes adeo memorabiles cum Judæorum, tum Gentilium in pœnam spreti Evangelii & vexatæ Ecclesiæ venturos omitteret: cum ea scire id esset Ecclesiæ perutile. Hujus generis sunt totius pene orbis conversio. Idolorum destructio, Romæ & ejus imperii ruina, quam a Joanne designatam fuisse sub nomine Babylonis testatur Irenæus Lib. 5. cap. 30. Romam ipsam vivis coloribus exprimit Joannes cap. 17. v. 9.* Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet: *& v. 18.* Mulier quam vidisti, est civitas magna, quæ habet regnum super reges terræ. *Hinc August. loco citato:* Liber Apocalypsis totum hoc tempus complectitur, quod a primo adventu Christi usque in sæculi finem, quo erit secundus adventus, excurrit. *Cum autem jam a primo adventu 17. sæcula effluxerint, fieri id non potest, quin Prophetiæ hoc libro comprehensæ magna ex parte impletæ non fuerint.*

Verum ista in decursu hujus operis fient apertiora, cum singillatim eventus quique magis insignes in Apocalypsi designati notabuntur. Qua in re Illustriss. Meldensem Episcopum præ ceteris sequemur, quod nobis videatur intima hujus divini Libri arcana, magna probabilitate exposuisse, salva quæ veteribus debetur reverentia, quorum interpretationes itidem veræ esse possunt; tametsi ii potius moralem sensum fidelium pietati & instructioni magis accommodatum persequi solent, quam litteralem, quem eventus ipsi probant potius quam solæ conjecturæ, quantumvis eæ sint verisimiles. Illud tamen concedam ubique sensum litteralem & historicum quæri non oportere, cum is sæpe sit allegoricus & figuratus more Prophetarum.

Hieronymi temporibus hic Liber nondum ab omnibus Orientis Ecclesiis ut canonicus habebatur. Basilius, Gregorius uterque Nazianzenus, & Nyssenus, Concilium Laodicense eum inter divinos non recensent. Sed a Justino Martyre, Irenæo, Clemente Alexandrino inter Scripturas divinitus inspiratas, atque ab universis Occidentis Ecclesiis semper habitus est. Nunc omnes cum Orientis, tum Occidentis Eccle-

Ecclesiæ Canonicum & ab Apostolo Joanne conscriptum, magna consensione agnoscunt.

Cum hæc typis mandarentur, incidi in commentarios jam pridem editos, sed mihi incognitos viri docti juxta & pii D. de la Chetardie, *quibus divina hæc revelatio ex historia Ecclesiastica præclare exponitur. Opus ipsum in partes septem partitur: prima usque ad caput quartum est velut apparatus quidam ad revelationes mox secuturas; in secunda septem ætates, aut status Ecclesiæ summatim describuntur per septem libri sigilla, & septem tubas delineata. Primum libri obsignati sigillum reseratur: prima itidem tuba personat; & ita deinceps de reliquis sigillis & tubis usque ad sigillum septimum, & tubam itidem septimam, quibus diversæ ætates Ecclesiæ, & persecutiones designantur. Prima ætas est victricis Ecclesiæ per Martyres, qui sui sanguinis effusione & patientia de persecutoribus suis triumpharunt & terrarum orbem Christi fide impleverunt; ad Constantini usque tempora ea producitur. Hanc excipit secunda ætas, in qua Ecclesia varias debellat hæreses. In tertia ætate barbari in Romanum grassantur imperium, & magna ex parte evertunt. Sed in quarta ætate Mahumetani & Turcæ in primis id penitus delent, ut quinta Ecclesiæ ætate hæreses cum veteres, tum novæ ubique fere subolescunt. Quid in sexta futurum sit ætate, quid in septima, conjecturis vix assequi possumus, si Judæorum conversionem, quæ capite septimo, Henoch & Eliæ adventum, regnum Antichristi, quod capite undecimo insinuatur, exceperis. Hoc loco Joanni videtur ad sua redire tempora, ac jussu Angeli regum & nationum fata prædicere. Capite 12. usque ad 17. & 18. imperii idololatriæ excidium describitur cum omnibus circumstantiis: tum capite 19. barbaris nationibus ad Christi fidem conversis, Agni nuptiæ celebrantur: ac tandem homo peccati prodit, & ultima instat Ecclesiæ ætas, & Antichristi persecutio: hic cum Satana & Angelis ejus præceps ruet in abyssum: Sancti vero una cum Christo regnaturi sunt cap. 21. Illud vero Hieronymi in caput 2. Abdiæ Prophetæ tenere debemus:* In Prophetica interpretatione, ut primum historiæ fundamenta jaciamus, deinde sequamur intelligentiam spiritalem.

CAPUT PRIMUM.

Septem Asiæ minoris Ecclesiis liber inscribitur. Jesus Christus primogenitus e mortuis; prologus primæ visionis.

1. POCALYPSIS (*a*) Jesu Christi,
quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito: & significavit, mittens per Angelum suum servo suo Joanni,
2. Qui testimonium perhibuit verbo (*b*) Dei, & testimonium Jesu Christi, quæcumque vidit.
3. Beatus, qui legit, & audit (*c*) verba prophetiæ hujus: & servat ea, quæ in ea scripta sunt: tempus enim prope est.
4. Joannes septem Ecclesiis (*d*), quæ sunt in Asia. Gratia vobis, & pax ab eo, *qui est, * Exod. 3. 14.
& qui erat, & qui venturus est: & a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt,
5. Et a Jesu Christo, qui est testis fidelis,
* primogenitus mortuorum, & princeps regum * 1.Cor. 15. 20.
terræ: qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis Col. 1. 18.
nostris * in sanguine suo, * Heb. 9. 14. * 1.Pet. 1. 19 1. Joan. 1. 7.

6. Et

CAPUT I. 1. (*a*) Cum dicitur, *Apocalypsis Jesu Christi*, sensus non est, ut multis videtur, revelationem factam esse Jesu Christo; sed factam esse a J. C. adeo ut æternæ illæ & adorandæ veritates a Patre ut a fonte, a Christo ut a doctore nostro & magistro uno profectæ, per Angelos ut divinæ providentiæ administros, ad Apostolos & Episcopos, quibus sunt instar depositi traditæ, ad fideles usque transmittantur.

2. (*b*) Qui annuntiavit verbum Dei, & testimonium perhibuit de his omnibus, quæ ipse vidit; qui Evangelium suum a verbo Dei exorsus est: adeo ut vel ex hoc loco manifestum sit Apocalypsim a Joanne Apostolo & Evangelista fuisse conscriptam; id enim solemne est Joanni admonere se illa scribere quæ ipse vidit.

3. (*c*) Cum fide, quique per bona opera servat, *verba Prophetiæ hujus*, ea præcipue quæ adversus idololatriam præscribit, quæque ad morum informationem pertinent. *Tempus enim prope est*, Gr. καιρὸς. *Opportunitas*, nempe fructum ex ea prophetia capiendi: vel tempus persecutionis prope est, ut ad eam se præparent fideles; vel quæ in hac revelatione continentur, ea cito, saltem ex parte, sunt eventura.

4. & 5. (*d*) Quas capite 2. & 3. sigillatim compellat: Quæ autem iis scribit, omnibus scribit. *Quæ sunt in Asia* minore: *Gratia vobis & pax*; ea est salutatio Apostolica, quæ bonum omne fidelibus apprecatur. *Ab eo qui est*: ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, ab eo cujus hoc est nomen *Qui est*. Exod. 3. Quo quidem modo quæ sequuntur, sunt exponenda: *Et qui venturus est*, in judicium, quod proprie Christo convenit: *Et a septem spiritibus*, an forte ab iis spiritibus, qui adstant in conspectu Dei, ex quibus unus est Raphael. Tob. 12. Quod si datur etiam Joannes ab Angelis quasi ab administris Dei, non ut ab auctoribus gratiam hanc suis apprecatur: nam omnis gratia ex meritis Christi ad nos usque dimanat: vel a septem spiritibus, qui septem illis Ecclesiis sunt præpositi. *Fidelis*: seu verax. *Primogenitus mortuorum*, qui primus resurrexit non amplius moriturus; primus ad vitam beatam resurrexit. Christus Angelis postponitur; ut inceptus sermo melius continuetur in iis quæ sequuntur.

6. Et fecit nos regnum (*e*) & sacerdotes Deo & Patri suo: ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum: Amen.

* Is. 3. 13. Matth. 24. 30. Judæ 14. — 7. * Ecce venit cum nubibus, & videbit (*f*) eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ: Etiam: Amen.

* Isa. 41. 4. & 44. 6. & 48. 12. Inf. 21. 6. & 22. 13. — 8. * Ego (*g*) sum α & ω, principium, & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens.

9. Ego Joannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Jesu; fui in Insula, quæ appellatur Patmos (*h*), propter verbum Dei, & testimonium Jesu.

10. Fui in spiritu in Dominica die, & audivi post me vocem magnam tamquam tubæ,

11. Dicentis: Quod vides, scribe in libro: & mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Epheso (*i*), & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ:

12. Et conversus sum, ut viderem vocem (*k*) quæ loquebatur mecum: Et conversus vidi septem candelabra aurea:

13. Et in medio septem candelabrorum aureorum similem (*l*) filio hominis, vestitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea:

14. Caput (*m*) autem ejus & capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix, & oculi ejus tamquam flamma ignis,

15. Et pedes ejus similes aurichalco (*n*), sicut in camino ardenti, & vox illius tamquam vox aquarum multarum:

16. Et habebat in dextera sua stellas (*o*) septem: & de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat: & facies ejus sicut sol lucet in virtute sua.

17. Et cum vidissem eum, cecidi (*p*) ad pedes ejus tamquam mortuus. Et posuit dexteram suam super me, dicens: Noli timere: * ego sum primus, & novissimus; — * Is. 41. 4. & 44. 6. & 48. 12. Inf. 22. 13.

18. Et vivus, & fui mortuus; & ecce sum vivens in sæcula sæculorum, & habeo claves (*q*) mortis, & inferni.

19. Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt (*r*), & quæ oportet fieri post hæc.

20. Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea: septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum: & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt.

CAPUT II.

Angelis, seu Episcopis septem Ecclesiarum quæ sunt nominatæ, scribere Joanni præcipitur.

1. ANgelo Ephesi (*a*) Ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum:

2. Scio opera (*b*) tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos: & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt: & invenisti eos mendaces:

3. Et patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.

4. Sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti (*c*).

5. Memor esto itaque unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.

6. Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.

7. Qui habet aurem (*d*), audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.

8. Et

6. (*e*) Gr. *Reges & sacerdotes*; reges ut de mundo & diabolo triumphemus, *sacerdotes*, ut quæ in nobis sunt omnia, Deo consecremus. Atque ut Christiani omnes, non ita sunt reges, ut regalis potestas aboleatur in ipsis regibus; sic non ita sunt omnes sacerdotes, ut iis insit dignitas sacerdotalis, cum in conficiendis Sacramentis, tum in offerendo incruento sacrificio altaris; *Sed ut omnes offerant spirituales hostias acceptabiles Deo*, ex 1. Petri Epist. cap. 2. vers. 5.

7. (*f*) Etiam *qui eum pupugerunt*, alludit ad cap. 12. Zachariæ, cujus adeo prophetia in extremo die judicii perfecte implebitur. Interpres Lat. in eo Zachariæ loco vertit *transfixerunt*: in passione Domini hæc prophetia impleri cœpta est: *Super eum*, propter eum; *Etiam, amen*: utrumque adverbium est affirmantis; omnino ita erit.

8. (*g*) Caussam reddit, cur istud adeo affirmaverit, dicens; *Etiam, Amen*: quemadmodum omnes homines condidi, ita etiam ego sum finis, ad quem omnes venturi sunt, ut judicentur: ut ego sum principium, ex quo omnia fluxerunt: ita sum finis, ad quem omnia referuntur.

9 & 10. (*h*) Tempus ipsum designat Irenæus Lib. 3. & 5. nempe sub Domitiano Imperatore. *In Dominica*; Sola Apostolorum auctoritate exclusum est sabbatum, & inductus dies Dominicus; magno quidem argumento non ea solummodo tenenda esse, quæ Scripturis continentur, sed etiam traditionis Apostolicæ summam habendam esse rationem, seu de credendis, seu de ritibus, seu de moribus agatur. Tertullian. de præscript. cap. 36. & Clemens Alexandr. Lib. Quis dives salvetur. Num. 425. hujus exilii meminerunt.

11. (*i*) Quæ est Asiæ minoris metropolis, ut Smyrna est Joniæ civitas, Pergamum Troadis, Thyatira Lydiæ, Philadelphia Mysiæ, Laodicia est in Asia stricte sumpta. *Quod vides*: quod mox visurus es.

12. (*k*) Ut auctorem vocis agnoscerem, vel potius ut intelligerem. Exod. 20. vers. 18. *Cunctus populus videbat voces*, id est, audiebat: *Septem candelabra*, quæ postea dicit esse septem Ecclesias; lumen fidei, aurum charitatis extra Ecclesiam frustra quæsieris; in ea sola veritas est religionis, & templum charitatis.

13. (*l*) Tamquam Filium hominis, seu hominem; *Vestitum podere*, veste talari, ad pedes usque demissa. *In medio* Ecclesiæ stat Christus, ut eam illuminet, & sanctificet; ut regat eam, & tueatur. Vestis illa Christi sacerdotium exhibet, ut zona aurea regiam ejus potestatem. Hæc visio omnino similis est visioni Danielis 10. vers. 5. sic veteri Testamento cum novo pulcre convenit.

14. (*m*) Regnum Christi æternum canis capillis adumbratur. Ita & Danielis 7. utrobique Filius coæternus Patri insinuatur: oculi ignei vigilantiam ejus, zelum, ac lumen exprimunt.

15. (*n*) Ob eorum firmitatem & splendorem. *Pedes*, Sunt Apostoli, Ecclesiæ fundamenta. *Vox illius*, prædicatio Evangelii, quæ in omnem terram exivit.

16. (*o*) Septem Episcopi Asiæ sunt septem illæ stellæ. *Gladius*, Verbum Dei, quo bonum a malo, veritas ab errore secernitur.

17. (*p*) Quasi exanimatus præ pavore. *Primus & novissimus*, principium & finis. Ego sum Deus, ut vers. 8. Hæc divina est proprietas, quæ Christo convenit.

18. (*q*) Penes me sunt claves vitæ & mortis; nihil adeo est cur timeatis a persecutoribus.

19. & 20. (*r*) Quæ geruntur in Ecclesiis. *Sacramentum*, Mysterium; *Angeli*, Episcopi. Scribe quid significent stellæ; septem stellæ sunt septem Episcopi.

CAP. II. 1. (*a*) Quis ille fuerit, incertum est. Joannes quidem Ephesi Ecclesiam regebat, ut Apostolus constituens Episcopos per civitates. Quæ vitia reprehendit, magis ad Ecclesias ipsas, aut ad plebem, quam ad Episcopos videntur pertinere, nisi quatenus nonnullam in his negligentiam agnoscit.

2. (*b*) Hoc est boni Pastoris munus, non otiosam vitam ducere, sed actuosam & vigilem, ne seductores obrepant.

4. & 6. (*c*) Quod de primo charitatis fervore non nihil remiseris: id futurum est, nisi ad priora redieris bona opera. Quamobrem ex operibus bonis de charitatis magnitudine judicatur. *Nicolaitarum*, Qui promiscuum mulierum usum permittebant.

7. (*d*) Spiritalem ad intelligendum, & ad obediendum dispositum: *De ligno vitæ*, quod nobis in Christo est redditum, Joann. 6. quodque immortalitatem nobis confert.

8. Et Angelo Smyrnæ (*e*) Ecclesiæ scribe : Hæc dicit primus, & novissimus, qui fuit mortuus, & vivit:

9. Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, sed dives es : & blasphemaris ab his, qui se dicunt (*f*) Judæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga satanæ.

10. Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini : & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

11. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Qui vicerit, non lædetur a morte secunda (*g*).

12. Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe : Hæc dicit qui habet rhomphæam (*h*) utraque parte acutam:

13. Scio ubi habitas (*i*), ubi sedes est satanæ : & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi satanas habitat.

14. Sed habeo adversus te pauca : quia habes illic tenentes doctrinam * Balaam (*k*), qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, & fornicari.

*Num. 24. 3. & 25. 2.

15. Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.

16. Similiter (*l*) pœnitentiam age : si quo minus veniam tibi cito, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.

17. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo manna (*m*) absconditum, & dabo illi calculum candidum: & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.

18. Et Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tamquam flammam ignis, & pedes ejus similes aurichalco (*n*):

19. Novi opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua novissima plura prioribus.

20. Sed habeo adversus te pauca : quia permittis mulierem Jezabel (*o*), quæ se dicit propheten, docere, & seducere servos meos, fornicari, & manducare de idolothytis.

21. Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret: & non vult pœnitere a fornicatione sua.

22. Ecce mittam (*p*) eam in lectum: & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint.

23. Et filios ejus interficiam (*q*) in morte, & scient omnes Ecclesiæ, * quia ego sum scrutans renes, & corda : & dabo unicuique vestrum secundum opera sua. Vobis autem dico,

*1 Reg. 16. 7. Ps. 7. 10. Jer. 11. 20. & 17. 10. & 20. 12.

24. Et ceteris qui Thyatiræ estis : Quicumque non habent doctrinam (*r*) hanc, & qui non cognoverunt altitudines satanæ, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus:

25. Tamen id, quod habetis, tenete (*s*) donec veniam.

26. Et qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes (*t*),

27. Et reget eas in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringentur,

28. Sicut & ego accepi a Patre meo: & dabo illi stellam matutinam (*u*).

29. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

C A P U T III.

Cum Episcopo Sardensi, deinde, cum Philadelphensi, postremo cum Laodicensi agit.

1. ET Angelo Ecclesiæ Sardis (*a*) scribe : Hæc dicit qui habet septem Spiritus Dei, & septem stellas: Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es.

2. Esto vigilans, & confirma cetera (*b*), quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.

3. In

8. (*e*) Qui vulgo creditur fuisse Polycarpus; hic laudatur citra ullam reprehensionem.

9. & 10. (*f*) Nam Christiani soli sunt verum semen Abrahæ: *Dicitur decem*; multis diebus; ut Job 19. 3. *En decies confundistis me*. Alii pro certo tempore illud interpretantur.

11. (*g*) Mors prima est mors corporis, secunda est mors animæ; prior nos a rebus creatis separat, mors secunda a Creatore.

12. (*h*) *Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, Hebr. 4. vers. 12.

13. (*i*) Gr. *Scio opera tua, & ubi habitas. Ubi est sedes Satanæ*. Græc. *Thronus*: quod Pergamum urbs esset cultrix idolorum.

14. (*k*) Sectam Nicolaitarum, qui ut diximus, promiscue utendum uxoribus docebant. Balaami doctrinam appellat ob simile studium flagitiorum.

16. (*l*) Hoc gladio, nempe verbo Dei & scripto tradito, utrique hæretici confunduntur. His armis instructus debet esse Episcopus. Alludit etiam ad Israelitas, qui consilium secuti Balaami gladio perierant.

17. (*m*) Græce additur, *comedere*: pro impuris Nicolaitarum cibis dabo vobis panem vitæ, seu Eucharistiam, vel intelligentiam Scripturarum religiosam, quæ est manna absconditum. *Calculum candidum*; Beatitudo, qua Christus eos donabit, qui vicerint. Calculus candidus apud veteres faustum erat signum, ut in comitiis, ubi magistratus suffragiis eligebantur, aut absolutionis: nam judices in absolvendo calculis albis utebantur. Vel alludit ad morem in ludis publicis usitatum, quo victoribus lapilli candidi dari solebant: iis inscriptum erat præmium certaminis.

18. & 19. (*n*) Cujus actiones sunt splendidæ: Ministerium; officia tua in fideles, & præsertim in pauperes.

20. (*o*) Turpe Jezabel hæreticos, qui sibi Spiritum sanctum, & Scripturarum intelligentiam vindicant, exprimit. Quin etiam nos admonet; ut a falsis revelationibus, quæ in sexu debiliori sunt frequentiores, caveamus. *Fornicari*, sive hoc peccatum superbiæ socius est, & in idololatriam desinit impietatem: erat forte potens femina e secta Nicolaitarum.

22. (*p*) Gravi morbo eam feriam.

23. (*q*) Dira morte eos percutiam. *Scrutans*, scient omnes intima cordium arcana mihi esse perspecta: in renibus secretas voluptates Scriptura collocare solet, in corde abditas cogitationes.

24. (*r*) Qui doctrinam Jezabel non sequuntur, nec probant Satanæ *altitudines*, seu profunda, ut ipsi loquuntur: nam illi hæretici doctrinam suam ut sublimem jactabant. Vos autem profunda illa & callida consilia, quæ Satan invenit, non probatis.

25. (*s*) Quæ vobis præcepi per Apostolos meos: *Donec veniam*, usque ad extremum judicium, quod vesci idolothytis non liceat propter scandalum. Fide & humilitate tuti eritis ab illusionibus Satanæ: fides enim est immobilis, semper eadem, numquam nova.

26. (*t*) De iis judicabunt; vel populos ad fidem conversos horum regimini & potestati committam.

28. (*u*) Claram Dei visionem: dum æternum, cui nullus erit occasus; vel splendorem phosphori, seu stellæ matutinæ, quæ soli præcurrit, huic impertiam.

1. (*a*) Quæ est Lydiæ Metropolis, Spiritus cum stellis conjungit, id est, Angelos, qui præsunt Ecclesiis, ad quorum similitudinem Episcopi etiam *Angeli* nominantur. *Mortuus es*, præ negligentia tua & socordia in munere Episcopali; vel potius Ecclesiæ Sardicensis membra alloquitur, eaque in majori sui parte mortua reperit. Vel *mortuus es*, non ea capietate, qua instructus esse debes. CAP. III.

2. (*b*) Ceteros confirma in fide & in bonis operibus, quibus destituta fides mortua est. *Opera tua plena*, seu perfecta: sunt ergo quædam bona opera & perfecta, non solum coram hominibus, sed etiam coram Deo, plena sunt, cum ex amore Dei manant.

3. In mente (c) ergo habe qualiter acceperis, & audieris, & serva, & pœnitentiam
* 1. Thess. 5. age. Si ergo non vigilaveris, * veniam ad te
2. Petr. 3. 10. tamquam fur, & nescies qua hora veniam
Inf. 16. 15. ad te.

4. Sed habes pauca nomina (d) in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua: & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.

5. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro (e) vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.

6. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

7. Et Angelo Philadelphiæ (f) Ecclesiæ scri-
* Isa. 22. 22. be: Hæc dicit Sanctus & Verus, * qui habet
* Job 12. 14. clavem David: * qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit:

8. Scio opera tua. Ecce dedi coram te ostium apertum (g), quod nemo potest claudere: quia modicam habes virtutem, & servasti verbum meum, & non negasti nomen meum.

9. Ecce dabo de synagoga satanæ, qui dicunt se Judæos esse, & non sunt, sed mentiuntur: Ecce faciam illos ut veniant, & adorent ante pedes tuos: & scient quia ego dilexi te,

10. Quoniam servasti verbum patientiæ meæ, & ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra.

11. Ecce venio cito: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.

12. Qui vicerit (h), faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cælo a Deo meo, & nomen meum novum.

13. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

14. Et Angelo Laodiciæ (i) Ecclesiæ scribe:
* Hæc dicit: Amen, testis fidelis, & verus, * Joan. 14. 6.
qui est principium creaturæ Dei.

15. Scio opera tua, quia neque frigidus (k) es, neque calidus: utinam frigidus esses, aut calidus:

16. Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.

17. Quia dicis: Quod dives (l) sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.

18. Suadeo tibi emere a me aurum (m) ignitum probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, ut videas.

19. * Ego quos amo, arguo, & castigo. * Prov. 3.
Æmulare (n) ergo, & pœnitentiam age. 12.
Heb. 12. 6.

20. Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit (o) vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.

21. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno (p) meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.

22. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

CAPUT IV.

Thronus Dei, viginti quatuor seniores, quatuor animalia mystica, viginti quatuor seniorum adoratio, quatuor animalium Canticum.

1. POst hæc vidi: & ecce ostium apertum in cælo; & vox prima (a) quam audivi, tamquam tubæ loquentis mecum, dicens: Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc.

2. Et

3. (c) Gr. Memento. *Qualiter acceperis*, quomodo fueris institutus, & Apostolicas traditiones in memoria habe. *Tamquam fur*, de improviso.

4. (d) Paucos justos: Sic Act. 1. *Erat autem turba hominum simul fere centum viginti*, Græce est, *nominum*. *Vestimenta sua*, corpora sua: *In albis*, induti stola immortalitatis & gloriæ.

5. (e) Qui baptizati sunt, iidem scripti sunt in Libro vitæ, quoad præsentem justitiam.

7. (f) Quæ est Mysiæ civitas, prope Lydiam. *Sanctus*, divinitate ipsa qua unctus est: *& verus*, æterna veritate; Sanctus & Verus in se ipso, in Ecclesia, in Verbo, in suis promissis; fons sanctitatis omnis & veritatis. *Clavem David*, cujus est disponere de iis omnibus, quæ ad Ecclesiam pertinent. Alii interpretantur plenam gubernandæ Ecclesiæ potestatem. *Et nemo claudit*; ratum est quidquid egerit.

8. & 9. (g) Ad prædicationem Evangelii. *Dabo*, Gr. do, ex Synagoga extrahens quosdam, qui ad pedes tuos provoluti me adorabunt. *Dilexi te*, quantumvis infirmum.

12. (h) Mundum, & diabolum: fortem eum faciam, & firmum in Ecclesia. *Et scribam super eum*: ex Græco verti potest *super eam*: nam columnis inscribi solent victorum nomina. *Et nomen meum novum*, Jesu nomen, ac nomen etiam filiorum Dei: *Civitatis*, Ecclesiæ, cujus fidem Martyres profitentur.

14. (i) Quæ urbs est Cariæ: *Hæc dicit Amen*, Græc. *Ille qui est Amen*, qui est ipsa veritas, & stabilitas, cujus verba sunt firma: quam vocem mox explicat, *Testis fidelis, & verus, qui est principium*, id est, *creaturæ Dei*, quia per ipsum omnia creata sunt: vel qui dominatur omni creaturæ; principium novæ creaturæ per Incarnationem; primogenitus in gloria per resurrectionem suam.

15. & 16. (k) Is est qui gratiam, aut fidem nondum habet: *Calidus*, qui spiritu fervet, aut insignem habet fidem. *Tepidus*, qui studio rerum sæcularium gratiam extingui sinit, aut qui non audet fidem suam profiteri. Tepidus etiam est qui honesta vivendi ratione contentus, a vitiis fœdioribus abstinet quidem, sed vitam ducit mollem & languidam. Itaque tepidi sunt inutiles & ignavi, ad nullam rem idonei. *Quia tepidus es*, mihi nauseam paris, procul te ab amicitia mea abjiciam. Magna quippe scelera sæpe terrent peccatorem, & expergefaciunt; tepor cum somno opprimit, & veterno. Qui Deum fastidit, dignus est quem Deus intelligat, & illi sit fastidio. Tepidi nimirum parti addicti inter sæculum & Evangelium incedunt: *Tepidus es*, quidam exponunt, parum liberalis, & vacillans.

17. (l) Summa miseria non est egere, sed egestatem suam non agnoscere, & divitias misericordiæ divinæ per superbiam aspernari omni subsidio, omni virtute, & ipsa veritatis luce privari: qui tepidi sunt, si sibi videntur boni, quod magna non admittant scelera.

18. (m) Charitatem tribulationum igne probatam: Hinc languet animus & tepet, quod Deum simul & creatura amare volumus. *Collyrium* est propriæ fragilitatis agnitio recuperandis sic et oculis; sæculi cupiditas amovenda, ut videas paupertatem tuam.

19. (n) Zelus Dei extinctus, crebris orationibus & serviis dis renovandus; nos tepore & nigritia sepultos Deus per salutarem castigationem excitat simul & consulatur; ne animum despondeamus.

20. (o) Felix qui præ peccati morte, aut teporis somno, adventus Christi vocem non obaudierit. Similis est Christi exhortatio Matthæi 25. Marci 13. Lucæ 12. 1. Thessal. 5. *Cœnabo cum illo*; particeps erit gaudii mei. Deus indesinenter admonet peccatores.

21. (p) Thronus Filii est sinus Patris; faciam cum regni mei consortem. Quæ septem Ecclesiis dantur monita, ad omnes Christi Ecclesias spectant, & ad omnes fidelium conditiones; in nonnullis charitatis imminutionem, in aliis quod malum permitterent, redarguit, ac tandem tepidos, desides, & languidos acriter reprehendit.

CAP. IV. 1. (a) Filii hominis, quem primum audierat; ex ordine revelationum docemur mores nostros ante sol emendari oportere, quam in futura mysteria animum intendere. Ostendam; jam incipiunt Joannis Prophetiæ. Per ostium cæli apertum intelligimus eum admissum a Deo ad rerum quæ futuræ sunt cognitionem. Prophetiæ omnes quæ hoc libro continentur, contendunt, uti fuse prosequitur Illustriss. Meldensis Episcopus, ut

Chri-

2. Et ſtatim fui in ſpiritu (*b*): & ecce ſedes poſita erat in cælo, & ſuper ſedem ſedens.

3. Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis jaſpidis & ſardinis: & iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni ſmaragdinæ.

4. Et in circuitu ſedis ſedilia (*c*) vigintiquatuor: & ſuper thronos vigintiquatuor ſeniores ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.

5. Et de throno procedebant fulgura (*d*), & voces, & tonitrua: & ſeptem lampades ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei.

6. Et in conſpectu ſedis tamquam mare (*e*) vitreum ſimile cryſtallo: & in medio ſedis, & in circuitu ſedis, quatuor animalia plena oculis ante & retro.

7. Et animal primum ſimile leoni, & ſecundum animal ſimile vitulo, & tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile aquilæ volanti.

8. Et quatuor animalia, ſingula eorum habebant alas (*f*) ſenas: & in circuitu, & intus plena ſunt oculis: & requiem non habebant
* *Iſ.* 6. 3. die ac nocte, dicentia: * Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.

9. Et cum darent illa animalia gloriam & honorem, & benedictionem (*g*) ſedenti ſuper thronum, viventi in ſæcula ſæculorum,

10. Procidebant vigintiquatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viventem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum, dicentes:

11. Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem (*h*): quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.

C A P U T V.

Joannes videt librum ſeptem ſigillis obſignatum, quem ſolus Agnus, qui occiſus eſt, aperit. Propterea quatuor animalia, & vigintiquatuor ſeniores Deum laudant & Agnum.

1. ET vidi in dextera ſedentis ſupra thronum, librum ſcriptum intus (*a*) & foris, ſignatum ſigillis ſeptem.

2. Et vidi Angelum fortem (*b*), prædicantem voce magna: Quis eſt dignus aperire librum & ſolvere ſignacula ejus?

3. Et nemo poterat, neque in cælo, neque in terra, neque ſubtus terram, aperire librum, neque reſpicere illum.

4. Et ego flebam (*c*) multum, quoniam nemo dignus inventus eſt aperire librum, nec videre eum.

5. Et unus de ſenioribus dixit mihi: Ne fleveris: ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.

6. Et vidi: & ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio ſeniorum, agnum (*d*) ſtantem tamquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem: qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi in omnem terram.

7. Et venit, & accepit de dextera ſedentis in throno librum.

8. Et

Chriſti & Eccleſiæ victoriis, quæ de inimicis fidei poſt Joannis tempora mox erant interpturæ, evolvat. Roma quoque Domina gentium, & idololatriæ velut centrum, tot Martyres fecit, atque inſtar Babylonis populo Dei fuit per trecentos annos infeſtiſſima, digna erat quæ juſtitiæ divinæ foret toti univerſo ſpectaculum. Hunc mirabilem eventum Romæ nimirum, ſimul & idololatriæ ruinam Deus Joanni aperto cæli oſtio hac voce oſtendit, *Aſcende huc*: Sic enim Deus poſuit inimicos Chriſti ſub ſcabello pedum ejus, Romanos in primis, ex quibus tamen multos longe diverſa ratione ſubjecit Evangelio; quodque Prophetæ omnes prædixerant, ſeriem quamdam eventuum in longum tempus productum. Infirme hoc Dei opus, & Chriſti de inimicis ſuis victoria in Romanæ idololatriæ everſione, in Eccleſiæ ipſius augmento, quod deinceps toti orbi palam futurum erat, Joanni oſtenditur: Hæc Prophetia eſt inſtar hiſtoriæ, in qua Imperii Romani varios caſus legimus: ſub figura Babylonis Romam idolis ſuis addictam, quæ populum Dei ſub jugo captivitatis tenebat, repente a Deo proſtratam ſic deſcribit, ut ex certis notis id omne facile innoteſcat, ut ex capite 17. manifeſte colligitur.

2. & 3. (*b*) Raptus in extaſim, in viſione ſpirituali. *Et ecce ſedes*: cum de judicio in Romam ethnicam pronuntiando hoc in loco agatur, Joanni omnis judicii apparatus, judex & ejus aſſeſſores exhibentur, ut Danielis 7. 9. *Et iris*, ſignum propitiationis divinæ, quam gemmarum colores oculis etiam inſinuant. Iris circa thronum Dei ſymbolum eſt Dei cum Eccleſia æterni fœderis.

4. (*c*) Conſeſſus ipſe deſcribitur; 24. *ſeniores*, veteris & novi Teſtamenti ſancti omnes per 12. Patriarchas & 12. Apoſtolos deſignantur, ut cap. 21. verſ. 12. & 14. Eccleſia univerſa per ſuos duces adumbratur. Itaque Chriſtus miniſtros ſuos poteſtatis ſuæ & regni ſui facit participes; 24. ſeniores, ſeu Presbyteri Epiſcopos forte nobis exhibent, qui Eccleſiæ ſunt judices & quaſi Dei aſſeſſores.

5. (*d*) Miraculorum, & comminationum tonitrua. *Quæ ſunt ſeptem ſpiritus Dei*, ſeptem Angeli, qui decreta divina exequuntur.

6. & 7. (*e*) Thronus Dei quaſi per mare immenſum ab omni alio loco ſecretus eſt. Sed mare illud profundum veritatum & myſteriorum, quæ a Deo ſunt revelata, quatuor Evangeliſtæ penetrarunt luce divina illuſtrati: *Quatuor animalia*. Primum ex iis ante thronum, tria reliqua circa thronum: his 4. animalibus 4. Evangeliſtas adumbrari communior eſt SS. PP. ſententia. *Plena oculis ante & retro*; quæ præterita ſunt, nobis enarrant, futura prænuntiant: lux Evangelii legis ænigmata & figuras illuſtrat. De his quidem Græci a Latinis nonnihil diſſentiunt; ſed ex omnium conſenſu Aquilæ forma Joanni convenit, qui ab æterna Verbi divini generatione Evangelium ſuum exorditur. Quatuor etiam inſignes Sanctorum virtutes in iis adumbrantur, in leone fortitudo, in bove patientia, in homine prudentia, in aquila cognitionis ſublimitas.

8. (*f*) Ut Seraphim Iſaiæ 6. *Et in circuitu*, alarum quæ circumpoſitæ ſunt corpori, ex Græco textu. *Et requiem non habebant*, non ceſſabant, ſtylo in Scripturis uſitato.

9. & 10. (*g*) Gr. *gratiarum actionem*, aut laudes. Coronas Deo offerebant cum gratiarum actione virtutes omnes ſuas, victoriæ decus & dignitatem ad eum referentes.

11. (*h*) Græc. *potentiam*, laudes potentiæ tuæ debitas. *Erant*. Græce, *ſunt*: Eſtius advertit Græcos interdum vocem, *erant*, pro, *ſunt*, uſurpare, per Dei voluntatem factum eſt, ut eſſent in ipſo temporum initio.

1. (*a*) Hunc librum plerique omnes interpretantur univerſam Scripturam, cujus duplex eſt intelligentia, litteralis & ſpiritalis; hæc interior de Chriſto, & Eccleſia, illa eſt exterior: Volumen erat more veterum convolutum. Septem ſigilla ſunt arcana Dei judicia, aut myſteria, quæ Chriſtus Joanni mox revelavit, quæque antequam revelarentur, erant obſignata: vel ſeptem Eccleſiæ ætates deſignant. Numerus vero ſeptenarius ubique in hoc libro, ut in univerſa pene Scriptura, perfectionem & univerſitatem quamdam ſignificat. Septem ſigilla quidam ſeptem proxime ſequentes viſiones intelligunt. CAP. VI.

2. & 3. (*b*) Primæ Hierarchiæ. *Terram*, juſtorum animæ ſunt omnes, vel in cælo, vel in purgatorio; adeout hæ voces, *ſubtus terram*, Purgatorii locum deſignare videantur. Nulla creatura poterat obſignatum librum aperire: Gregor. Homil. 33. *Quia ſeptem diebus omne tempus comprehenditur, recte ſeptenario numero univerſitas deſignatur.*

4. (*c*) Myſteria Dei & ſalutis humani generis obſignata erant ante Chriſtum; in quo ſunt theſauri omnes ſcientiæ & ſapientiæ Dei abſconditi.

6. (*d*) Præ ſe ferentem figuram ejus, qui ante occiſus fuerat. Agnus ille Chriſtus eſt: dicitur tamquam occiſus, quia revixerat. Qui occiſus eſt, jacet, non ſtat. Leo vocatur ob fortitudinem, Agnus ob manſuetudinem. Leo factus eſt agnus, & ſtat in victimæ modum in medio Eccleſiæ ſuæ. *Cornua ſeptem*, totidem ſunt victoriæ, quas de perſecutoribus Eccleſiæ reportabit. *In medio throni*, ut mediator Dei & hominum inter thronum & quatuor animalia. *Miſſi in omnem terram*: Angeli providentiæ divinæ adminiſtri Eccleſiæ invigilant. *Cornua ſeptem*, victoriæ ſunt de ſeptem tyrannis, qui præ ceteris perſecuti ſunt Eccleſiam, de quibus poſtea.

8. Et cum aperuisset (e) librum, quatuor animalia, & vigintiquatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum:

9. Et cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo, in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione:

10. Et fecisti (f) nos Deo nostro regnum & sacerdotes: & regnabimus super terram.

11. Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum: & erat numerus eorum * millia
* Dan. 7. 10. millium,

12. Dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere (g) virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.

13. Et omnem creaturam, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo: omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.

14. Et quatuor animalia dicebant: Amen. Et vigintiquatuor seniores ceciderunt in facies suas: & adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.

CAPUT VI.

Apertis sigillis septem, ex quatuor primis exeunt equi diversi coloris.

1. ET vidi quod aperuisset (a) Agnus unum de septem sigillis, & audivi unum de quatuor animalibus, dicens, tamquam vocem tonitrui: Veni, & vide.

2. Et vidi: & ecce equus (b) albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vincens ut vinceret.

3. Et cum aperuisset sigillum secundum (c), audivi secundum animal, dicens: Veni, & vide.

4. Et exivit alius equus rufus: & qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, & ut invicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus.

5. Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal, dicens: Veni, & vide. Et ecce equus niger: & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua.

6. Et audivi tamquam vocem in medio quatuor animalium dicentium: Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum, & oleum ne læseris.

7. Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis: Veni, & vide.

8. Et ecce equus pallidus (d): & qui sedebat super eum, nomen illi Mors, & infernus sequebatur eum, & data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ.

9. Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare (e) animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant,

10. Et clamabant voce magna, dicentes: Usquequo (f) Domine, (sanctus, & verus) non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra?

11. Et datæ sunt illis singulæ stolæ (g) albæ: & dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi.

12. Et vidi cum aperuisset sigillum sextum: & ecce terræmotus magnus factus est, & sol (h) factus est niger tamquam saccus cilicinus: & luna tota facta est sicut sanguis:

13. Et

8. (e) Cum cœpisset aperire, & sigilla reserare. *Citharas*, ut cæleste gaudium significent, quemadmodum phialæ aureæ odoramentorum plenæ sunt Sanctorum orationes igne charitatis accensæ, quas Deo offerunt.

10. (f) Gr. *fecisti nos reges & Sacerdotes*. *Super terram*, novam: totus enim mundus erit justorum possessio. Christiana religio est regnum Messiæ in terra.

12. (g) Ut celebretur potestas tua: *Divinitatem*. Gr. *divitias*, dona Spiritus sancti, quæ Christus hominibus ex merito passionis suæ distribuit. *Qui occisus est*; quia occisus est, hanc virtutem, seu potestatem accepit: divinitatem meruit accipere, ut quam habuit ab æterno, eam manifestam faceret hominibus, & cognosceretur ipsa Dei sapientia. Christus morte sua meruit gloriæ suæ manifestationem, potestatis suæ exercitium, & usum.

CAP. VI. 1. (a) Christo mysteria regni Dei declarat: *Unum de septem sigillis*, primum sigillum, more Hebraico. *De quatuor animalibus*; Auctores sacri ac potissimum quatuor Evangelistæ ad res objectas & executionem decretorum Dei nos efficiunt attentos: nam ad leges nobis in Evangelio propositas cuncta sunt expendenda, atque Evangelium instar tonitrui homines ad Christum vocat, & ad extremos usque terræ fines intonat.

2. (b) Sic triumphantes equis albis insidentes urbem intrare soliti: Christus victor equo albo insidet, ut cap. 19. v. 11. *Habebat arcum*, ut impios eminus feriret. Ipse rex regum & victor per resurrectionem omnia sibi subjecit: *Et exivit*, Gr. *Exivit vincens, & ut vinceret*, ut victoriam suam continuaret: qui jam victor erat, exivit rursum ut vinceret.

3. & 4. (c) Cum prophetiæ magis ac magis complerentur: *Ut sumeret pacem*: ut auferret: tyrannorum adversus Martyres alia hæreticorum persecutio excepit, eaque in secunda Ecclesiæ ætate efferbuit. *Gladius magnus*, adversus Catholicos, ut æquus niger in tertia Ecclesiæ ætate, terribilis est barbarorum incursio. An potius æquus rufus cruenta bella Romanorum designat, aut Imperatores Romanos, qui Christianos per 300. annos sunt persecuti? *Et qui sedebat super illum*; agitator eorum diabolus. *Datum est ei ut sumeret*, ut tolleret, *pacem de terra*, tamquam dissensionis auctor; & data est illi magna nocendi potestas. Atque hoc primum est iræ Dei flagellum, bella scilicet, quæ equi rufi, & sanguine cruenti imagine, ut fames, v. 5. equi nigri typo signatur: Unde v. 6. parva tritici mensura vulgo, ut *litron de blé*, magno emitur, & cavendum monet ut vinum & oleum magna cura conserventur: futura enim est ingens eorum penuria.

8. (d) An tertium Dei flagellum pestem, aut mortalitatem, quam hic equus pallidus exprimit, animal quartum quarta Ecclesiæ ætate designat? *Data est illi potestas*; iis nimirum qui tribus equis insidebant, potestas data est interficiendi gladio, fame & morte. *Et super quatuor partes terræ*. Gr. *super quartam partem terræ*. At potius, ut videtur viro docto, quem in præfatione laudavimus, equus ille pallidus est Mahumetismus ultima Romani Imperii labes, regni Antichristi typus & præcursor. Incursioni barbarorum succedens Mahumetismus tertiæ a quarta ætatis distinctionem manifeste indicat.

9. (e) Christus simul est altare, & vera Dei victima; vita nostra abscondita est cum Christo, sanguis Martyrum ad pedem altaris fusus est: sunt enim tamquam victimæ.

10. (f) Sancti qui in cælo sunt, non ultionem in seipsa, sed destructionem regni peccati, conversionem impiorum, manifestationem justitiæ Dei, & secundum Christi adventum exoptant. Illud desiderium ultionis divinæ contra impios justitiæ amore concipitur a Sanctis.

11. (g) Quæ est gloria Sanctorum ante resurrectionem, Christi sanctitate & gloria tamquam veste induuntur: *Donec impleantur*, impiorum punitionem differt Deus, quamdiu id postulat electorum bonum, quorum multi sunt reprobis permisti.

12. (h) Prophetæ solent magnas calamitates sic describere, quasi totius naturæ confusionem: nam pereuntibus pereunt omnia.

13. Et stellæ (*i*) de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cum a vento magno movetur.

14. Et cælum recessit sicut liber involutus: & omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt.

15. Et reges terræ, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis servus, & liber, absconderunt se in speluncis, & in petris montium:

* Isa. 2. 19. Osee 10. 8. Luc. 23. 30.

16. Et dicunt montibus, & petris: * Cadite (*k*) super nos, & abscondite nos a facie sedentis super thronum, & ab ira Agni:

17. Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: & quis poterit stare?

CAPUT VII.

Ex singulis tribubus signantur duodecim millia electorum. Post hæc Joannes vidit innumerabilem multitudinem e Gentibus laudantium Deum.

1. POst hæc vidi quatuor Angelos (*a*) stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem.

2. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum (*b*) Dei vivi: & clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari,

3. Dicens: Nolite (*c*) nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.

4. Et audivi numerum signatorum (*d*), centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel.

5. Ex tribu Juda duodecim millia signati: Ex tribu Ruben duodecim millia signati: Ex tribu Gad duodecim millia signati:

6. Ex tribu Aser duodecim millia signati: Ex tribu Nephthali duodecim millia signati: Ex tribu Manasse duodecim millia signati:

7. Ex tribu Simeon duodecim millia signati: Ex tribu Levi duodecim millia signati: Ex tribu Issachar duodecim millia signati:

8. Ex tribu Zabulon duodecim millia signati: Ex tribu Joseph duodecim millia signati: Ex tribu Benjamin duodecim millia signati.

9. Post hæc vidi turbam (*e*) magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum:

10. Et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo (*f*) nostro, qui sedet super thronum, & Agno.

11. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium: & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adoraverunt Deum,

12. Dicentes, Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen.

13. Et respondit unus de senioribus, & dixit mihi: Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & unde venerunt?

14. Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.

15. Ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in templo ejus: & qui sedet in throno, habitabit (*g*) super illos.

16. * Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus: * Isa. 49. 10.

17. Quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, * & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. * Is. 25. 8. Inf. 21. 4.

CA-

13. & 14. (*i*) Tum cadunt de cælo stellæ, cum animæ fide & sanctitate conspicuæ a pietate excidunt, & in peccatorum abyssum præcipites ruunt. Universam naturam Deus tam facile quatit, quam ventus vehemens arbores. *Involutus*, in quo nihil apparebat.

16. (*k*) Osee 10. 8. & Lucæ 23. 30. hæc quoque ad extremam judicii diem referuntur, quem Christus Matth. 24. cum excidio Jerosolymæ, & Prophetæ interdum cum extremis calamitatibus conjungunt. Quæ porro insania, sibi persuadere justitiam Dei vitari posse, si nos ipsos abscondamus? Iram Agni non alia ratione vitabimus, quam si ad illius misericordiam confugiemus.

CAP. VII. 1. (*a*) Ministros divinæ justitiæ, & misericordiæ. Quæ Apostolus universim & confuse superiori capite insinuavit, [illegible], nunc distincte & quasi cominus videnda proponit. *Tenentes*, qui res humanas commovere, ut Danielis 6. v. 2. Angeli qui ventos arcebant, ne perflarent, & cuncta commoverent, eosdem jussu divino emittunt.

2. (*b*) Gr. *sigillum*, quo scilicet electi erant obsignati.

3. (*c*) Cur ultio divinæ justitiæ suspendatur, rationem affert, quod inter Judæos multi sint electi, quibus signum Dei est inurendum. Signum & character fidelium, crux ipsa est, quæ cordi magis quam fronti imprimitur; constans fidei & vitæ Christianæ professio est illius signum externum. Hoc sigillo cum interiori, tum externo electi a reprobis separantur. *Servi Dei nostri*: Atque hæc est sexta ætas Ecclesiæ in qua Antichristus Judæos delere penitus tentabit. Sed occasione Judæorum, qui ad Christum convertentur, Jerusalem cælestem Joannes complectitur, non solos Judæos. An vero visionum interpella[illegible] sextæ & septimæ ætatis singulares eventus Joanni [illegible] ut videtur novissimo, sed sagaci interpreti [illegible].

4. (*d*) Gr. *sigillo obsignatorum*: numerus certus 144000. pro incerto ponitur: certum tamen esse electorum numerum insinuat. Sic Ezechiel. 9. 4. signo *tau*, τ, quod crucem Christi figurabat, fronti impresso signantur, qui ab exitio erant immunes. Itaque Angelus obstat, quominus Angeli exterminatores ultionem divinam in aliqua regione exequantur, donec electi in Ecclesiam convenerint cum aliis fratribus, & sigillo gregis selecti obsignentur. Ita Meldensis Episcopus, qui docet Jerosolymæ Ecclesiam fidelium ab excidio urbis ad Adriani usque tempora perstitisse, atque eo complures Judæos convenisse, ex quibus plerique Christianam religionem amplexi sunt; cum omnes a Deo prævisi & electi ingressi fuissent, tunc Judæi sunt exterminati & dispersi; tumque liber antea involutus consilii divini apertus est, sigillis reserata, atque ira Dei in Judæos effusa. Neque in Apocalypsi numeri præcisi & exacti quærendi sunt, quasi ex unaquaque tribu 12000. electi fuerint, sed numerus duodenarius in Scripturis est ubique sacer: nam & 12 sunt Patriarchæ, & 12 Apostoli; atque fides Patriarcharum & Apostolorum in suis successoribus adeo est multiplicata, ut in eo numero perfecte quadrato promissionem Dei æterna immutabilitas designetur. Unde & cap. 14. electorum universitas hoc numero exprimitur. Omissa est tribus Dan, quod tribus Joseph bis recenseatur, Joseph & Manasse, cum duo filii Joseph Ephraim & Manasse duas tribus effecerint, ac numerum duodenarium conservarum oportuerit. Nonnullis placet tribum Dan idcirco esse prætermissam, quod ex illa Antichristus sit nasciturus. Ambrosius L. de Patriarchis, cap. 7. *Antichristus*, inquit, *futurus e tribu Dan*. An sola hæc tribus perfidiam suam non deseret in sexta ætate? sed hæc mysterium est.

9. (*e*) Nunc martyrum, qui in variis persecutionibus passi sunt, innumerabilem multitudinem e gentibus collectam commemorat, postquam electos e Judæis recensuit.

10. (*f*) Salus nostra Deo & Agno est referenda sedenti in throno.

15. & 16. (*g*) Proteget eos. *Æstus*, Ventus urens.

CAPUT VIII.

Sigillum septimum reseratur, & exeunt septem Angeli cum tubis, quarum sonos plagæ singulæ excipiunt.

1. ET cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium (*a*) in cælo, quasi media hora.

2. Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei: & datæ sunt illis septem tubæ (*b*).

3. Et alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei.

4. Et ascendit fumus incensorum de orationibus (*c*) sanctorum de manu Angeli coram Deo.

5. Et accepit (*d*) Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræmotus magnus.

6. Et septem Angeli, qui habebant septem tubas (*e*) præparaverunt se ut tuba canerent.

7. Et primus Angelus tuba cecinit, & facta est grando, & ignis, mista in sanguine, & missum est in terram, & tertia pars terræ combusta (*f*) est, & tertia pars arborum concremata est, & omne fœnum viride combustum est.

8. Et secundus Angelus tuba cecinit: & tamquam mons (*g*) magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tertia pars maris sanguis,

9. Et mortua est tertia pars creaturæ eorum quæ habebant animas in mari, & tertia pars navium interiit.

10. Et tertius Angelus tuba cecinit: & cecidit de cælo stella magna, ardens tamquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum:

11. Et nomen stellæ dicitur Absinthium (*h*): & facta est tertia pars aquarum in absinthium: & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt.

12. Et quartus Angelus tuba cecinit: & percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum: ita ut obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis similiter.

13 Et vidi, & audivi vocem unius aquilæ (*i*) volantis per medium cæli, dicentis voce magna: Væ, væ, væ habitantibus in terra, de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba cani turi.

CAPUT IX.

Quintus & sextus Angelus tubis insonantes, plagas secuturas denuntiant.

1. ET quintus (*a*) Angelus tuba cecinit: & vidi stellam de cælo cecidisse in terram, & data est ei clavis putei abyssi.

2. Et aperuit puteum abyssi: & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ: & obscuratus est sol, & aer de fumo putei:

3. Et de fumo putei exierunt locustæ (*b*) in terram, & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ:

4. Et præceptum est illis ne læderent (*c*) fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem: nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis:

5. Et datum est illis ne occiderent eos: sed ut cruciarent (*d*) mensibus quinque: & cruciatus eorum, ut cruciatus scorpii cum percutit hominem.

6. * Et

CAP. VIII. 1. (*a*) Illud fuit stupoiis, quod sententia supremi Judicis cum veneratione mox esset excipienda, aut potius silentium est temporis intervallum inter primam & secundam visionem. Sigillum illud est mysterium judicii divini adversus impios.

2. & 3. (*b*) Quæ mox futura bella indicant. *Altare*. Alludit ad Altare thymiamatis, quod erat ante sancta sanctorum: *Duo sunt*, ut Deo offerret. Ergo Angeli orationes nostras offerunt Deo, eique commendant, ut eas exaudire dignetur: Christus est altare ipsum, in quo fit oblatio Deo, & charitas est hujus sacrificii ignis.

4. (*c*) Quo nostræ orationes ad Deum ascendant, eas cum meritis Christi conjunctas esse oportet, & cui ipsum suffitum tollendum est.

5. (*d*) Post ignem qui erat in thuribulo, consumptum, & exhalationem thymiamatis: *Et facta sunt tonitrua*: hæc prænuntia fuerunt ingentium calamitatum. *De igne altaris*, holocaustorum: hinc enim sumebantur carbones, quibus incenderentur aromata in altari thymiamatis.

6. (*e*) Mox revelatio earumdem rerum incœpta est sub aliis signis, ut videtur illustri Anonymo, quem in præfatione laudavimus, nempe sub 7 tubis significata. August. lib. 20 de civitate, cap. 17. *Sic eadem multis modis repetit, ut alia, atque alia dicere videatur: cum aliter atque aliter hæc ipsa dicere investigetur.*

7. (*f*) Populus herbæ virentis figura Isaiæ 40. v. 7. exprimitur, ac juventus in primis quæ in bellis perire solet.

8. & 10. (*g*) Potentia Romana, quæ, ut placet Meldensi Episcopo, instar Æthnæ ardentis in perniciem Judæorum incubuit, nec populus Judaicus omnino absumptus est, sed pars illius magna. Sed non minus est probabile de ultima Universi subversione hoc loco agi, non de solis Judæis.

11. (*h*) Hic est illius character; cuncta rebellionis igne implet, quam ruina & luctus consequuntur, residuum aquarum amaritudine perfusum.

13. (*i*) Gr. *Angeli*: sæpe Deus eximium aliquem donorum mittit, qui calamitates imminentes prænunciet, ut flagella Dei gentibus, regnis, & pœnitentia avertant homines. Tria hæc illud væ, tres quæ sequuntur acerbissimas calamitates exprimit.

CAP. IX. 1. (*a*) Quinta hac visione ingens Ecclesiæ persecutio continetur, quam de hæreticis qui Antichristi temporibus futuri sunt, plerique interpretantur. Sed hæreticis qui secundo & tertio sæculo e Judæis orti Ecclesiam divexarunt, Meldensis Episcopus hanc prophetiam applicat. Primum quidem Cerinthus & Ebion Christum ut merum hominem, & in Deo unicam esse personam docuerant: quam hæresim Joannes Apostolus initio sui Evangelii profligavit. Sed post ejus obitum hæc Judaica hæresis Ecclesiam in paticlade afflixit: tum enim exorti sunt hæretici, qui Verbum Dei non agnoscebant, unde & *Alogi* dicti sunt apud Epiphanium hæresi 51.

3. (*b*) Hi quidem hæretici instabiles, quique alia ex aliis quæstiones terunt, nec firmo gradu incedunt, nec in sublime feruntur, sed continuo saltitant, & Ecclesiæ messem exedunt, optime adumbrantur. Pleræque hæreses non diu vivunt, sed instar locustarum cito intereunt, cum tamen aliæ ex aliis renascantur. *Sed ultra non proficient, insipientia enim illorum manifesta erit omnibus*, 2. Tim. 3. v. 9. *Exierunt locustæ in terram*, Gagnæus: Prodierunt hæretici locustarum similes, qui per elationem in altum saliunt, & per cupiditatem in terram recidunt, terrenis voluptatibus & deliciis addicti. *Ut scorpiones terræ*: qui blandi sunt in speciem, sed cauda serunt venenata; sic hæretici specie tenus blandi, sed recessus eorum est venenatus: quos per sævitiam nequeunt, per occultas insidias perimunt.

4. (*c*) Hæ locustæ non ut aliæ agrorum herbas, sed homines ipsos; non corpora, sed animas veneno suo interimunt. *Qui non habent*, qui constanti & firma fide sunt destituti, a venenatis hæreticorum morsibus tuti non erunt.

5. (*d*) Hæresis invidia & odio excruciat infectos ea labe totius vitæ decursu, quæ infantia, pueritia, adolescentia, juventute, & senectute continetur. Tamquam ictu scorpii; sic verme conscientiæ & stimulis punguntur. Quinque mensibus scorpii maxime sæviunt: cum percutiunt homines, sub initium non vehemens est dolor, sed sensim augetur. Deus paullatim & per gradus nos ponit, ut ad pœnitentiæ asylum confugiamus.

* Is. 2.19. Osee 10.8. Luc.23.30. 6. * Et in diebus (e) illis quærent homines mortem, & non invenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.

* Sap.16.9. 7. * Et similitudines locustarum, similes equis paratis in prælium: & super capita earum tamquam coronæ similes auro: & facies earum tamquam facies hominum.

8. Et habebant capillos (f) sicut capillos mulierum: & dentes earum, sicut dentes leonum erant:

9. Et habebant loricas (g) sicut loricas ferreas, & vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum:

10. Et habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum: & potestas earum nocere hominibus mensibus quinque: & habebant super se

11. Regem Angelum abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon (h), Græce autem Apollyon, Latine habens nomen Exterminans.

12. Væ (i) unum abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ post hæc.

13. Et sextus Angelus tuba cecinit, & audivi vocem (k) unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei,

14. Dicentem sexto Angelo: qui habebat tubam: Solve (l) quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.

15. Et soluti sunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam, & diem, & mensem, & annum, ut occiderent tertiam (m) partem hominum.

16. Et numerus equestris exercitus vicies (n) millies dena millia: Et audivi numerum eorum.

17. Et ita vidi equos in visione: & qui sedebant super eos, habebant loricas (o) igneas, & hyacinthinas, & sulphureas, & capita equorum erant tamquam capita leonum: & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur.

18. Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & sulphure, quæ procedebant de ore ipsorum.

19. Potestas (p) enim equorum in ore eorum est, & in caudis eorum: nam caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita: & in his nocent.

20. Et ceteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia, & simulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare:

21. Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque a veneficiis suis, neque a fornicatione sua, neque a furtis suis.

CAPUT X.

Videt Joannes Angelum, qui pedem dextrum ponit in mari, sinistrum in terra; sequuntur tonitrua: tum Joannes librum datum ab Angelo jubetur devorare.

1. ET vidi (a) alium Angelum fortem descendentem de cælo, amictum nube, & iris in capite ejus, & facies ejus erat ut sol, & pedes ejus tamquam columnæ ignis:

2. Et habebat in manu sua libellum (b) apertum: & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram:

3. Et clamavit voce magna, quemadmodum cum leo (c) rugit. Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas.

4. Et cum locuta fuissent septem tonitrua (d) voces suas, ego scripturus eram: & audivi vocem de cælo dicentem mihi: Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere.

5. * Et

6. (e) De improbis hoc plerique intelligunt ob contextus ordinem: nam hi videntur esse qui non habent signum Dei in frontibus suis; vellet impius ut omnia cum ipso perirent.

8. (f) Habent mulierum capillos, eum sint effeminati: Et *dentes earum*, ut dentes Leonum, quibus Ecclesiam discerpunt.

9. (g) Ob induratam pertinaciam. *Vox alarum*, propter strepitum verborum, & disceptationum confusionem: cor habent lapideum, & contumax.

11. (h) *Perdentem* significat Gr. exterminantem, 'Απολλύων, *Latine exterminans*, Angelus ille, abyssi diabolus est, qui homicida fuit ab initio, cum primos parentes seduxit. Verba autem illa. *Latine exterminans*, videntur ab Interprete adiecta: nam Joannes scripsit Græce. Hæ locustæ videntur ex cap. 1. & 2. Joelis depromptæ.

12 (i) Prima calamitas. quæ non fidelibus modo, sed etiam infidelibus luctuosa fuit, quod hæresis illa Judaica veritatis solem iis obduxerit.

13. (k) Vocem unam, imperium aliud permagni momenti a Deo profectum. Alii unam vocem interpretantur Christianæ doctrinæ concordiam ex quatuor Evangeliis Christi, qui est altare illud aureum; ex illo altari judicium adversus impios prodiit, ut gratia in electos.

14. (l) Ex Episcopo Meldensi temporum seriem Apostolus sequitur. Post secundum væ, aut secundam calamitatem Ecclesiæ a Paulo Samosateno perturbatæ, Persæ qui hactenus Euphratem non transierant, a Romanis semper repulsi in Romanum Imperium exundarunt, quod tum gravi vulnere afflictum est devicto Christianorum acerbo persecutore Valeriano. a Sapore Persarum Rege, & in captivitatem redacto. Tum imperium misere discerptum externis & civilibus bellis: undequaque Barbari Occidentale Imperium invaserunt. *Solvite quatuor Angelos*, seu boni, seu mali sunt Angeli, jussu divinio illigati, obstabant ne Persæ hos limites transilirent. Euphrates Romani limes erat Imperii.

15. (m) Hac loquendi ratione Apostolus solet exprimere cladem, quæ cum magna sit, non est tamen excidium plenum.

16. (n) Non determinatus, sed ingens numerus designatur, ut Danielis 7. Sunt qui per equestrem illum exercitum Dæmones & impios intelligant, ac frustra mystica numerorum significatio quæritur

17 & 18. (o) Persæ ferro omni ex parte corporis tegebantur, eoque tetro, & coloris cærulei. *Igneas*, Colorem igneum præ se ferebant. *Tamquam capita leonum*: instar leonum erant efferata. *Et de ore eorum*, militum ardor, aut impetus exprimitur, ut Nahum 2. 3. Quamquam ignis, fumus & sulphur, iram, superbiam, ultionem, bellorum omnes fontes satis apte adumbrant.

19. (p) Parti, quibus hic constabat exercitus, a fronte & a tergo pugnabant. *Caudæ eorum*, hostes jaculis confodiebant averso capite, & fugiendo. Vel capita illa sunt pedites, qui equorum tergo pone equitem insidebant.

CAP. X. 1. (a) Quidam Angelum forte Christum ipsum magni consilii Angelum interpretantur, virtutem Dei, qui de cælo descendit; indutus est humanitate nostra tamquam nube; in cujus capite est iris, reconciliatio nempe generis humani; qui est splendor paternæ gloriæ: Pedes ejus sunt Apostoli, & prædicatores qui Christi nomen per universum orbem proseminant, ut Petrus, Paulus, &c firmi in fide, tamquam columnæ; afflictionum igne probati: *tamquam columnæ ignis*. Sicque secundum Christi adventum, qui venturus est per ignem exprimunt, *cum elementa calore solventur*, ex Petri Epist. 2. cap 3. Sed non minus commode hæc de alio Angelo intelliguntur, eoque septimo, qui ultimam ultionem comminatus piis quidem pacem promittit: *Iris in capite ejus*: sed resipiscere nolentibus supplicia minatur, qui ejus pedibus subjicientur.

2 (b) Non amplius obsignatum, iisque sententiam jam prolatam continet, qua non modo imperium persecutorum mox fractum iri, terraque mari decernitur; sed etiam Antichristi regnum annuntiatur futurum

3 (c) Rugitu leonis, stylo Prophetico ultio magna & proxima exprimitur. Liæ Dei comminationes sunt quasi totidem tonitrua.

4. (d) Quæ vocem ediderunt cum ingenti fragore, iisque judiciis Dei abscondita, nec revelanda continentur; nam circumstantiæ & tempora divinæ ultionis, Dei cognitioni reservantur. *Scripturus eram*, videtur Joannes eam sibi revelatam statim pugillari excepisse.

*Dan. 12. 7. 5. * Et Angelus, quem vidi stantem super mare, & super terram, levavit (e) manum suam ad cælum:

6. Et juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cælum, & ea quæ in eo sunt: & terram, & ea quæ in ea sunt; & mare, & ea quæ in eo sunt: Quia tempus non erit amplius:

7. Sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur (f) mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos Prophetas.

8. Et audivi vocem de cælo iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade, & accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare, & super terram.

9. Et abii ad Angelum, dicens ei, ut daret mihi librum. Et dixit mihi: * Accipe librum, & devora (g) illum: & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tamquam mel. *Ezech. 3. 1.

10. Et accepi librum de manu Angeli, & devoravi illum: & erat in ore meo tamquam mel dulce: & cum devorassem eum, amaricatus est venter meus:

11. Et dixit mihi: Oportet te iterum prophetare (h) Gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.

CAPUT XI.

Joannes jubetur metiri templum: duobus testibus potestas datur terram variis plagis percutiendi: occisi reviviscunt; tuba canit septimus Angelus; Christi regnum; Canticum 24. Seniorum.

1. ET datus est mihi calamus (a) similis virgæ, & dictum est mihi: Surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo.

2. Atrium autem, quod est foris templum, ejice foras, & ne metiaris illud: quoniam datum est Gentibus, & civitatem sanctam calcabunt mensibus (b) quadraginta duobus.

3. Et dabo (c) duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.

4. Hi sunt duæ olivæ (d), & duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes.

5. Et si quis voluerit eos nocere, ignis (e) exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum: & si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi.

6. Hi

5. & 6. (e) Dan. cap. 12. vers. 7. Angelus jurat utraque manu sublata: sed hoc in loco Angelus libellum altera manu tenebat: *Quia tempus non erit amplius*, peracto judicio, ut plerique interpretantur; vel nullus est amplius dilationi locus; instat divina ultio; post ultimum vitæ tempus nullus est amplius pœnitentiæ locus.

7. (f) Liber apertus disruptis septem sigillis, & consummata mysteria septem tubarum sono ostenduntur utrisque & sigillis & tubis res easdem designari, & ad finem usque mundi nos perducere.

9. (g) Idem legimus Ezech. 3. 1. *Devorare* hoc loco cum aviditate non intelligendi percipere significat; alte menti infige: tot tantarumque rerum cognitio te valde delectabit; sed cum videris futuras Ecclesiæ persecutiones, tum acerbo animi dolore cruciaberis.

11. (h) Necesse est ut singillatim hæc regibus & populis annunties, quæ capite sequenti Joannes facturus est, postquam ingentes exposuerit Ecclesiæ persecutiones, quæ iram Dei in Romanum imperium provocarunt.

CAP. XI. 1. (a) Alludere videtur Apostolus ad locum Ezechielis cap. 40. v. 3. Calamus est arundo mensoria sex cubitorum, & unius palmi. Per templum Dei designatur atrium sacerdotum, in quo erat altare holocaustorum. *Adorantes in eo*, an sacerdotes in altari victimas offerentes? Sed templum ipsa est Ecclesia, cujus membra electi numerantur. Meldensis Episcopus hæc de Ecclesiæ persecutione sub Diocletiano interpretatur, quæ ab eversione Ecclesiarum incepit. Joannes nobis exhibet templum & altare, quod ab hominibus destrui non potest: multum quidem sanguinis in ea persecutione effusum est: plures facti sunt apostatæ: sed Ecclesia in electis suis stetit invicta; qui intus erant juxta æternam electionem, non perierunt: hi sunt *Adorantes in eo*. *Et metire templum*, electorum societatem, ex quibus nullus perit; fide ipsa ut calamo, aut virga mensoria. Dei opera metiri & æstimare debemus. His verbis statum Ecclesiæ, & Judæorum in primis in extremis temporibus videtur exprimere, ut vers. sequenti seductores, & seductos ab Antichristo.

2. (b) Cuilibet persecutioni certi præscribuntur termini: non sævient tyranni quantum vellent, sed intra certum tempus a Deo præfixum: sic Daniel 7. vers. 25. Antiochi persecutioni idem tempus præfigitur, nempe trium annorum cum dimidio, cum ait: *Tradentur in manus*, nempe Antiochi, quod alii de Antichristo intelligunt; *Usque ad tempus*, seu annum: *Et tempora*, hoc est, per annos duos; *Et dimidium temporis*, seu anni. Qui numerus mysticus in hoc libro diversis verbis exprimitur, & sæpius iteratur: ut regnum etiam Antichristi, Juliani temporibus figuratum, cap. 13.

3. (c) Spiritum meum, *duobus testibus meis*; major pars interpretum hunc locum de Antichristi persecutione exponit, idque satis commode: Henoch & Eliam duos esse testes volunt. *Diebus mille ducentis sexaginta*: qui sunt 40. menses, quorum singuli 30. diebus constant. Ac numerus ille Ecclesiæ persecutionibus videtur consecratus. Primum enim Antiochi persecutione fuit figuratus, & Scripturæ stylo *tempus* anni revolutionem significat, ut septem tempora Nabuchodonosoris Danielis 4. Ac Joannes ad locum Danielis citatum manifeste alludit, ut genuinum persecutionum characterem designet: certos nimirum his præfigit terminos ob electorum salutem, qui revera in ultima persecutione Ecclesiæ sunt constituti. Sic Valeriani persecutio per tres annos cum semisse est continuata. Qui sint duo illi testes in eorum sententia qui hanc prophetiam ad Antichristi tempora referunt, explicatu facilius est: nam Henoch & Elias juxta Ecclesiæ traditionem ad extrema usque tempora reservantur. Dei Henoch testimonium illustre videtur Eccli. 44. 16. Eliæ vero adventus Malach. 4. vers. 5. Eccli. 48 vers. 10. eumque Malachiæ locum Christus Joanni Baptistæ aptavit, Matth. 11. 14. & cap. 17 v. 11. 12. Sed priorem intellectum prophetiæ non excludit: nam ut Chrysostomus Hom. 5. in Matth. observat, Elias jam venisse dicitur in figura Joannis Baptistæ; & venturus est in propria persona, extremis temporibus. Ambo enim sunt præcursores, Joannes primi, Elias secundi Christi adventus. Utrum hæc prophetia de Henoch & Elia hoc capite contineatur, cum res ipsa sit in conjecturis posita, neque ad fidei dogma pertineat, & ea de re varient interpretes, liberum est unicuique ea de re judicium; ac fieri potest ut persecutio Antichristi, Diocletiani aut Juliani persecutione figuretur, & utraque una conjungatur. Quemadmodum Christus Dominus cum excidium Jerosolymæ prædixit, extrema mundi tempora, hoc est, rem figuratam cum figura ipsa simul conjunxit. Præterquam ejusdem Scripturæ loci potest esse sensus multiplex, etiam litteralis, ut in prolegomenis veteris Testamenti diximus. Itaque his quæ ventura sunt hic locus aptari potest, sine præjudicio alterius intellectus, de his quæ jam evenerunt in Diocletiani & Maximiani, immo & in Juliani persecutione, quæ nobis sunt clariora, quam futura, quæ vix penetrari possunt quoad circumstantias & singulares eventus. *Amicti saccis*, ut iram Dei placare possint, aut homines ad pœnitentiam exemplo suo provocent. Sic prophetabunt cum prædicendo futura, tum consolando & exhortando. Nihil etiam prohibet, quominus hunc locum de extremis temporibus intelligamus: tum enim Prophetas mittet Deus, qui Ecclesiæ ædificium absolvent, ut Prophetas misit & Apostolos, qui ejus fundamenta posuerunt.

4. (d) Hæc desumpta sunt ex cap. 4. Zachariæ, ubi Jesus filius Josedech summi Pontificis, & Zorobabel, qui populum Judaicum in captivitate Babylonica confirmarunt, & consolati sunt, ita designantur; ac Joannes ubique Ecclesiam in Synagogæ figura exprimit, eamque cælesti unctione & doctrina in persecutionis æstu roborandam tradit. *In conspectu Domini terræ stantes*, quæ verba ex eodem Zachariæ loco sunt desumpta: Ac nihil prohibet omnes fidelium adhortatores per Jesum Josedech filium, & per Zorobabelem exhiberi ex eo Zachariæ loco. Verbi divini prædicatores sunt pacis legati & divinæ unctionis ministri: *Stantes*; vivunt ergo.

5. (e) Verbi divini, qui adversario contemptus est, ut Eliæ temporibus; sic persecutores Ecclesiæ male peribunt: per ignem quippe ultio divina recte intelligitur.

6. Hi habent potestatem claudendi (*f*) cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum: & potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga quotiescumque voluerint.

7. Et cum finierint (*g*) testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.

8. Et corpora eorum jacebunt in plateis (*h*) civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus est.

9. Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & Gentibus corpora eorum per tres dies, & dimidium (*i*): & corpora eorum non sinent poni in monumentis.

10. Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, & jucundabuntur: & munera mittent invicem, quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant super terram.

11. Et post dies tres, & dimidium, spiritus (*k*) vitæ a Deo intravit in eos. Et steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos.

12. Et audierunt vocem magnam de cælo, dicentem eis: Ascendite (*l*) huc. Et ascenderunt in cælum in nube: & viderunt illos inimici eorum.

13. Et in illa hora factus est terræmotus (*m*) magnus, & decima pars civitatis cecidit: & occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia: & reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam Deo cæli.

14. Væ (*n*) secundum abiit: & ecce væ tertium veniet cito.

15. Et septimus (*o*) Angelus tuba cecinit: & factæ sunt voces magnæ in cælo dicentes: Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri & Christi ejus, & regnabit in sæcula sæculorum: Amen.

16. Et vigintiquatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adoraverunt Deum, dicentes:

17. Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti.

18. Et iratæ sunt Gentes, & advenit ira (*p*) tua, & tempus mortuorum judicari, & reddere mercedem servis tuis Prophetis, & sanctis, & timentibus nomen tuum pusillis, & magnis, & exterminandi eos qui corruperunt terram.

19. Et apertum (*q*) est templum Dei in cælo: & visa est arca testamenti ejus in templo ejus, & facta sunt fulgura, & voces, & terræmotus, & grando magna.

CAPUT XII.

Bonorum Angelorum adversus malos pugna, draco e cælo in terram dejectus, mulierem persequitur.

1. ET signum (*a*) magnum apparuit in cælo: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.

2. Et

6. (*f*) Sterilitate & fame puniendi Religionis hostes; quæ potestas data est Eliæ 3 Regum, cap. 17. *Et convertendi eas in sanguinem*, ut fecit Moyses Exodi 7.

6. (*g*) Finis itaque tum erit persecutionis: *Bestia quæ ascendit de abysso*; de qua nondum mentionem fecit, quæque cap. 13 & 17. prodibit, sic vocatur ob crudelitatem, qua desæviet in Christianos, quorum nomen & stirpem penitus delere conabitur Diocletianus, aut Julianus, ut typi Antichristi. Alii de Antichristo ipso hæc intelligunt, & recte, ut ex dicendis cap. 13. vers. 7. & 8. item ex capitibus 17. 19. & 20. colligi potest.

8 (*h*) Græc. *In platea*, Martyrum corpora manebant insepulta *Civitatis magnæ*, Romæ nimirum, si de persecutione Diocletiani sit sermo, aut Jerosolymæ, si de Antichristi crudelitate: Sodomam vocat ob impura flagitia, Ægyptum ob tyrannidem & superstitionum colluviem; ubi Christus potestate Romana fuit crucifixus, & in martyribus suis crucifigetur. An civitas illa magna est ipsa Jerosolyma, quam Judæi reædificabunt? Hieron. in cap. 2. Sophoniæ. *In Apocalypsi Joannis Jerosolyma, in qua crucifixus est Dominus, vocatur spiritualiter Sodoma.*

9. (*i*) Quæ pars est dimidia hebdomadæ, per breve tempus: tempus integrum a persecutoribus speratum non implebitur: sic persecutio per dimidium hebdomadæ annorum est duratura: interfectorum corpora per dimidiam hebdomadam dierum, seu per breve tempus manebunt insepulta, nisi hæc de Henoch & Elia intelligi oporteat ab Antichristo occisis ad breve tempus.

11. (*k*) Anima vivificans. Ex Meldensi Episcopo restitutio populi fidelis resurrectione signatur; ut Ezech. 37. *Intravit in eos*, præteritum pro futuro: nam Joannes ut Propheta loquitur. Prosper in libro cui titulus est, *Dimidium temporis*: *Elias*, inquit, *& Henoch martyrium consummabunt .... & ascendentes in cælum ibunt in occursum Christo vero Regi & Judici*. Tert. lib. de anima: *Translatus est*, inquit, *Henoch, & Elias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet: cæterum morituri reservantur, ut Antichristum sanguine suo extinguant*. Quod variis Scripturæ locis, & SS. PP. testimoniis confirmat vir perdoctus D. de la Chetardie, identidem a nobis citatus, qui negat his duobus Prophetis clerum & populum, sed duas personas singulares intelligi oportere: numerus quippe, *duo testes*, prædicationis tempus, mortuorum corpora exposita, resurrectio eorum, persecutorum punitio &c. sunt characteres personarum: secus facta quæque illustria in allegoriam torqueri possent.

12. (*l*) Ecclesiæ gloria sub Constantino statim post persecutionem prædici videtur, vel potius Eliæ, & Henoch mox futura gloria.

13. (*m*) Romanum imperium Imperatorum inter se dimicantium atrocibus bellis concussum fuit. *Decima pars civitatis*: strages magna in toto imperio facta: *Nomina hominum*, ingens hominum multitudo in his bellis cecidit: *Et dederunt gloriam Deo cæli*, post conversionem innumerabilium infidelium, & Ecclesiæ victorias. Sed hæc melius forsan in postremam Antichristi persecutionem videntur convenire; septem tubarum sonus, uti & septem sigilla, in extremis tantum temporibus implebuntur. Circumstantiæ omnes ad extrema tempora referuntur.

14 (*n*) Secunda persecutio post Valeriani tempora, quæ inter publicas calamitates numeratur a Meldensi Episcopo, huc pertinet, uti & væ tertium. *Veniet cito*: Roma ab Alarico expugnata & direpta: in Romani Imperii ruina idololatria punitur, & pene deletur. Sed non minori probabilitate illustris noster Antonius væ secundum & tertium ad finem usque mundi, & ad mortuorum resurrectionem producit, idque per anticipationem, quæ frequens est in Scripturis. Sic væ secundum est sexta persecutio, ut tertium væ ultima est. Res eadem modis, verbis, & figuris plane diversis designatur: apertio sexti sigilli & sonus sextæ tubæ omnino inter se conveniunt.

15. (*o*) Ad universam populorum conversionem, idololatriæ destructionem, & Christi gloriam annuntiat? Gr. facta sunt regna mundi Domini nostri, supple, cuncta regna, Christi imperio subjiciuntur.

18. (*p*) Tempus, quo Roma destruetur. *Et tempus mortuorum*; Apostolus extremum & universale judicium cum Romæ ipsius ruina videtur conjungere, figuram cum veritate, qui mos est Scripturæ usitatus, *Judicari*, quo vindicentur mortui, puniantur impii, Sancti coronentur, frumentum a palea separetur.

19. (*q*) Ecclesia gentilibus patebit, ibi arca in aperto erit, & Dei præsentia omnibus erit manifesta. *Et visa est arca testamenti*; Arca Incarnationis ejus toto panditur orbe, ait Beda in hunc locum. Aut forte arca ipsa in monte Horeb olim abscondita, tum manifesta fiet Judæis ad fidem conversis, juxta Prophetiam Jeremiæ Lib. 2. Machab. cap. 2. *Et facta sunt fulgura*: hostes Ecclesiæ magna manent supplicia.

1. (*a*) Prodigium magnum. Pergit Apostolus persecutionem Diocletiani, juxta Meldensem Episcopum, describere. *Mulier amicta sole*: Ecclesia quæ per Baptismum Christum CAP. XII.

in-

2. Et in utero habens, clamabat (*b*) parturiens, & cruciabatur ut pariat.

3. Et visum est aliud signum in cælo (*c*): & ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem: & in capitibus ejus diademata septem:

4. Et cauda (*d*) ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram, & draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura: ut cum peperisset, filium ejus devoraret.

5. Et peperit filium masculum (*e*), qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea: & raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus.

6. Et mulier fugit in solitudinem (*f*) ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.

7. Et factum est prælium (*g*) magnum in cælo: Michael, & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli ejus.

8. Et non valuerunt (*h*), neque locus inventus est eorum amplius in cælo.

9. Et projectus est draco ille magnus, serpens (*i*) antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas, qui seducit universum orbem: & projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo missi sunt.

10. Et audivi vocem magnam in cælo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus: quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.

11. Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem (*k*) Agni, & propter verbum testimonii sui, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem.

12. Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis. Væ (*l*) terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.

13. Et postquam vidit draco quod projectus esset in terram, persecutus (*m*) est mulierem, quæ peperit masculum:

14. Et datæ sunt mulieri alæ (*n*) duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis, a facie serpentis.

15. Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tamquam flumen (*o*), ut eam faceret trahi a flumine.

16. Et adjuvit terra (*p*) mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo.

17. Et iratus est draco in mulierem: & abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Jesu Christi.

18. Et stetit (*q*) supra arenam maris.

C A-

indit, ac Christi lumine tota splendescit. *Et Luna*, humana sapientia tenuis & instabilis; *sub pedibus ejus*, ut vilis calcatur, quemadmodum & terrena omnia. *Corona stellarum duodecim:* Ecclesiæ Apostolorum cœtu tamquam corona stellarum ornatur. Græci mulierem illam Beatam Virginem esse volunt. Nihil obstat, quominus sensus sit multiplex a Spiritu Sancto intentus. Videtur Apostolus propria relegere vestigia, & præcipuos Ecclesiæ eventus delineare post septem illius ætates summatim decursas.

2. (*b*) Id Ecclesia cum B. Virgine commune habet, quod Virgo pariat: sed in eo a B. Virgine discrepat, quod illa filios pariat cum dolore: nam sanguine Martyrum fecundatur; adque maxime primis & extremis Ecclesiæ temporibus.

3. (*c*) In sublimi aere: *Et Ecce Draco magnus rufus:* Diabolus crudelis, & madens sanguine: *Habens capita septem*, præcipuos fidelium persecutores, hi fuerunt Nero, Domitianus, Decius, Valerianus, Aurelianus, Diocletianus, quibus addi potest Julianus apostata: textum interpretatur. cap. 17. vers. 9. *Septem capita*, septem reges sunt, & *cornua decem*, totidem sævissimas persecutiones, quas Severus Sulpitius, Hieron. & alii recensent. Prima fuit sub Nerone, secunda sub Domitiano, tertia sub Trajano, quarta sub Aurelio Vero, quinta sub Severo, sexta sub Maximino, septima sub Decio, octava sub Valeriano, nona sub Aureliano, decima sub Diocletiano: alii paulo aliter eas disponunt. Ipsi dæmones tyrannidem exercent suam in homines: unde & Satanas princeps hujus mundi a Christo Domino Joann. 12. appellatur.

4. (*d*) Cum malis Angelis, qui eum secuti sunt, & fideliter quos pecllavit; mulieri pariture minatur.

5. (*e*) An Christum ipsum in cordibus fidelium formatum; qui gentes regit in virga ferrea & inflexibili? an cœtum fidelium, non mollem, sed virilem, quem Deus in clientelam suam accepit, & suæ potestatis participem fecit? nam Constantino ad imperium evecto fideles summam in gentes potestatem brevi erant habituri, ii.ce eum Christo, qui verbi sui gladio omnes subegit gentes, regnabunt, & ad ejus thronum rapientur. Vel *ad Deum:* quo Christus post mortem suam ascendit: cum Patre regnaturus.

6. (*f*) Ut Synagoga Antiochi temporibus, ubi tamdiu mansit, quamdiu persecutio Antiochi duravit: sic Ecclesia in suis membris infirmioribus in varias solitudines se recepit.

7. (*g*) Adversus Ecclesiam vires omnes suas & conatus exeruit Diabolus, cum videret, infideles turmatim ad fidem converti. *Michael*, qui Ecclesiam tuetur, ut olim Synagogam, Danielis 12.

8. (*h*) Dæmonum affectata gloria una cum idololatria cecidit: *Neque locus*, non amplius dæmones ut dii habiti sunt.

Galerius Maximianus, qui primus fuit persecutionis auctor, morti proximus, inter graves morbi cruciatus edicto pacem Ecclesiæ reddidit anno 311. quod edictum Constantinus, cujus potentia in dies crescebat, roboravit: e cælo cadunt qui Ecclesiam deserunt.

9 & 10. (*i*) Qui olim primos parentes decepit. *Audivi*. Canticum gratiarum actionis ob profligatam idololatriam, & pacem Ecclesiæ datam. *Accusator*, ut Job 1.

11. (*k*) Per fidem & meritum passionis Christi: *Et per verbum testimonii sui:* per apertam fidei confessionem, nec vitæ propriæ pro Christo pepercerunt. Victoria de peccato & diabulo, ac salus nostra Agni sanguini refertur accepta.

12. (*l*) Nam is novo furore actus persecuturus est Ecclesiam: expulsus a Sanctis atrocius in ceteros sævier, idque majori ira, quia regnum suum brevi destructum iri novit; Cum tot homines converterentur ad fidem, & Constantinus qui favebat Ecclesiæ, tantos progressus faceret; *Descendit*, descendet; more Prophetarum.

13. (*m*) Maximinus in Orientem persecutionem renovavit; adeo ut mulier iterum in desertum secedere coacta fuerit, & in consimili persecutione simile quæsiverit perfugium, idque magna celeritate. Diabolus in sponsam Christi, & in ejus filios iram suam effundit.

14. (*n*) Fides, ex qua prodit oratio, & charitas, ex qua bona opera, sunt alæ duæ, quas Ecclesia aut fidelis quæque anima a Christo accipit; hæc in deserto ducit; suo corpore alit, spiritu suo roborat, verbo illuminat. *Per tempus*, per annum, *& tempora*, summa est trium annorum cum dimidio anni. *Aquila magna*, qua Catholica adumbratur Ecclesia, in Romano diffusa imperio. Unde & mox nomen sibi sumet Romanæ religionis.

15 (*o*) Persecutionum, quæ in Scripturis per aquas designantur. Tum vero hujus sæculi potestates. Constantinus, & Licinius. Ecclesiæ auxilio fuere. Pravæ cupiditates instar fluminis ex ore serpentis erumpunt.

16. (*p*) Principes terræ Constantinus & Licinius tum primum adjuverunt Ecclesiam: *Aperuit terra os suum*. Constantinus scriptis ad Maximinum litteris ejus temeritatem repressit, qui persecutionem moliebatur. *Hæc ille volens*, ait Lactantius, Constantini *litteris deterretur*, *dissimulavit ergo;* sic draconis furor potestate terrena delibutis cap.... brevi postea tempore recrudiut.

18. (*q*) Codices Græci habent *stetit*, ut videret quæ sequuntur: vel stetit Draco in maris littore, ut bestiæ ascendenti e mari daret virtutem suam, in postrema persecutione Licinii; cujus classis ad Hellespontum submersa est, & ejecta in littus, ita ut ex 130000. vix 30000. evaserint, teste Zozimo.

CAPUT XIII.

Bestia, quæ septem habet capita, & cornua decem, adoratur ab hominibus.

1. ET vidi de mari bestiam (*a*) ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua ejus decem diademata, & super capita ejus nomina blasphemiæ.

2. Et bestia (*b*), quam vidi, similis erat pardo, & pedes ejus sicut pedes ursi, & os ejus sicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem suam, & potestatem magnam.

3. Et vidi unum (*c*) de capitibus suis quasi occisum in mortem: & plaga mortis ejus curata est. Et admirata est universa terra post bestiam.

4. Et adoraverunt (*d*) draconem, qui dedit potestatem bestiæ: & adoraverunt bestiam, dicentes: Quis similis bestiæ? & quis poterit pugnare cum ea?

5. Et datum est ei os (*e*) loquens magna, & blasphemias: & data est ei potestas facere menses quadraginta duos.

6. Et aperuit os suum in blasphemias (*f*) ad Deum, blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos qui in cælo habitant.

7. Et est datum illi bellum facere cum Sanctis, & vincere (*g*) eos. Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem,

8. Et adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram: quorum non sunt scripta nomina in Libro vitæ Agni (*h*), qui occisus est ab origine mundi.

9. Si quis habet aurem, audiat.

10. Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet (*i*): * qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic est patientia, & fides Sanctorum. *Gen. 9. 6. Mat. 26. 52.

11. Et vidi (*k*) aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia Agni, & loquebatur sicut draco.

12. Et

CAP. XIII. 1. (*a*) Hæc bestia juxta communiorem interpretum sententiam est Antichristus: cum autem Apocalypsis sit Prophetia continuata, quæ Ecclesiæ persecutiones non multo post futuras, & illius de idololatria victorias complectitur; cumque Babylonis nomine Roma ipsa idolis dedita ex omnium pene consensu designetur, atque insignes eventus hujus civitatis, & persecutionum suis divisi temporibus apprime consentiant, illud videtur probabile, bestiæ nomine Diocletianum, qui in id totus incubuit, ut Christianum nomen deleret, & persecutionem ab eversione Ecclesiarum incepit, omnino designari, non Antichristum, qui ad extrema usque mundi tempora differtur. Nam Joannes initio suæ Prophetiæ tempus instare declarat: *Tempus enim prope est*. Hanc quidem Episcopi Meldensis interpretationem hujus loci nobis sequi licet, qui bestiæ nomine Diocletianum, seu Romam ipsam sub Diocletiano designari existimat, potius quam Antichristum. Sic Daniel cap. 7. quatuor magna Imperia quatuor bestiarum figura exprimit, quæ itidem e mari, seu ex rerum humanarum agitatione ascendunt. Vel juxta Interpretationem clariss. viri, postquam Joannes Satanæ ruinam & idololatriæ, quam vetus ille seductor in orbem terrarum invexerat, quæque ad Licinium usque duravit, paucis descripsit; Romani Imperii exitium a Juliani temporibus inceptum ad Alaricum usque Romæ eversorem aggreditur. *Habentem capita septem*: Apostolus cap. 17. quæ sint hæc septem capita exponit, nempe septem Romæ montes, & septem ejus reges, & Augustos. Hi sunt Diocletianus, Maximianus Herculius, Constantius Chlorus Constantini Pater, Galerius, Maximianus, Maxentius filius primi Maximiani, Maximinus, & Licinius. Diocletiani nomen edicto adversus Christianos primum erat inscriptum, isque initio solus erat Imperator: nam ex eo ad alios pervenerat Imperatoria majestas. Inter septem illos Imperatores magis insignes fuere; cornua reges significant c. 17. v. 12. ut Danielis cap. 7. v. 7. una ex quatuor bestiis decem habebat cornua; sed de his cap. 17. agendum: unde non mediocriter illustrantur quæ hoc capite recensentur. *Et super capita ejus nomina blasphemiæ*: Septem montes nomina habebant falsorum deorum, quibus erant consecrati, hisque Imperatores se decoratos putabant. Sic Diocletianus Jovis, Maximianus Herculis nomen sibi tribuit.

2. (*b*) Apostolus una Bestia unum exprimit Imperium; sed quæ in Danielis bestiis erant magis terribilia, complectitur, eamque ex Leone, Urso, & Leopardo conflat. Lact. de Mort. persecut. 26. *Ab oriente usque ad occasum tres acerbissimæ bestiæ sævierunt*. Dira hæc persecutio cœpit ab ipso Diocletiano, & duobus Maximianis. Sic Roma persecutrix conflata erat e tribus feris, seu imperiis quæ designantur Danielis 7. *Similis erat pardo*: corpus erat Leopardi, qui colorum varietate Maximiani Herculii inconstantiam repræsentat. Is abdicat imperium, tum repetit; cum filio suo init societatem, mox ejus mortem machinatur, uti & Galerii Maximiani, & Constantini generi sui; sævire in Christianos cœperat in Occidente ante generalem persecutionem. *Et pedes ejus sicut pedes ursi*: immanitate morum, & deformitate corporis ursum exprimebat: immo & ursos alebat, teste Lactantio. *Habebat*, inquit, *ursos ferociæ ac magnitudinis suæ simillimos*: rapacitate quoque & aviditate ursum referebat. *Et os ejus sicut os Leonis*: primus alios adoptaverat, & cruentum illud edictum Galerio instigante promulgaverat.

3. (*c*) Primo bestiam vidit cum septemplici capite, sed postea evanescebant: septem illis Imperatoribus decedentibus, quasi lethali vulnere confixa est bestia, ac tandem unum ex iis supererat caput, quod gravi vulnere percussum fuit, adeo ut bestia quasi occisa videri debuerit; idque evenit Maximini temporibus, cum prioribus mortuis solus superesset, qui Ecclesiam persequeretur; tumque idololatriæ Imperium una cum illo extinctum visum est. *Et plaga mortis ejus curata est*. An Licinio imperante? sed ea persecutio levior fuit sub Licinio; quam ut instar gravis vulneris haberetur. *Res*, inquit Severus Sulpitius, *levioris negotii, quam ut ad Ecclesiæ vulnera pertineret*, Lib. 2. cap. 10. Itaque bestia sub Juliano apostata post quinquaginta annos quasi revixit: is enim idololatriæ Imperium restituit.

4. (*d*) Nam universo imperio sub ejus potestatem redacto: *Adoraverunt draconem. Quis similis bestiæ*: Tum idololatriam invictam esse, & profanam religionem quasi mortuam revixisse, gentes sibi persuaserunt.

5. (*e*) Superbia Juliani ubique etiam apud Ammianum Marcellinum, & apud ipsum Julianum, atque jactantia ejus se prodit. *Et data est ei potestas*; id permisit Deus in bonum electorum, *menses quadraginta duos*: quæ potestas parum duravit, & finita est morte Juliani. Numerus ille definito mensium numero exprimitur ob rationes superius allatas: sed mulier non se recepit in desertum, cum publicus Dei cultus non fuerit interruptus, ut cap. 12.

6. (*f*) In Christum, in Ecclesiam, quæ tabernaculi nomine designatur, & in Sanctos: *Et eos qui in cælo habitant*, in Christianos omnes, qui ad cælum ut ad patriam suam tendunt.

7. (*g*) Cum multi in ea persecutione ceciderint; quæ persecutio fuit universalis. *Vincere eos*, lingua, scriptis, sævitia, pravis artibus, uti de altera Antichristi figura Antiocho Daniel cap. 8. prædixerat. *In omnem tribum*: Imperium Romanum in unum collegit Julianus.

8. (*h*) Quorum nomina ab omni ævo non sunt scripta in libro vitæ Agni; vel occisus est ab origine mundi, quia sacrificia quæque legis naturæ & Mosaicæ eum significabant, & ejus sanguinis virtute justi omnes sunt justificati. *Ab origine mundi*; multis videtur hoc loco esse hyperbaton; adeo ut hic sit verborum intellectus: quorum nomina non sunt scripta ab origine mundi in libro vitæ agni, qui occisus est.

10. (*i*) Sic Valerianus, qui tot fideles in captivitatem abduxerat, idem a Rege Persarum in miseram captivitatem redactus fuit, & alii persecutores misere perierunt: *Hic est patientia*; id vero fideles consolatur: nam si nullum malum sit impunitum, nullum etiam bonum futurum est sine remuneratione. Vel Roma, quæ tot Christianos neci dedit, barbaris gentibus præda futura est. Vel exponente viro clariss. a nobis identidem laudato: *Hic est patientia*; non despondeant animum fideles: Julianus non omnem in eos sævitiam expromet: huic tantummodo fidem adversus cavillos, & patientiam adversus persecutiones opponent.

11. (*k*) Illa bestia, juxta Meldensem Episcopum, est falsa & fallax Philosophia, quæ tum temporis e Schola Pythagoræ emarsit, quamque Hierocles & Porphyrius, ac postea Maximus cum multis aliis magno verborum fastu, & aliis præstigiis publicabant. Unde c. 16. v. 13. hanc bestiam falsum Prophetam vocat. Tum Porphyrius & Hierocles libros adversus Christianam Religionem scripserunt, in quibus idololatriam & Philosophiam Pythagoræ propugnarunt; quosdam ritus superstitiosos & abstinentias placandis malis spiritibus induxere; Apollonium Tyanæum, qui e secta Pythagoræ Domitiani temporibus vigebat, qui que falsis miraculis & abstinentia plebem decipiebat, ut virum eximiæ sanctitatis colebant. Hi Philosophi Imperatores adversos Christianos incendebant, uti ex Lactantio & Eusebio discimus. Hæc bestia, seu ementita sapientia

12. Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat (*l*) in conspectu ejus : & fecit terram, & habitantes in ea, adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis.

13. Et fecit (*m*) signa magna, ut etiam ignem faceret de cælo descendere in terram in conspectu hominum.

14. Et seduxit habitantes in terra, propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem (*n*) bestiæ, quæ habet plagam gladii, & vixit.

15. Et datum est illi ut daret spiritus (*o*) imagini bestiæ, & ut loquatur imago bestiæ : & faciat ut quicumque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur.

16. Et faciet omnes pusillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & servos habere characterem (*p*) in dextera manu sua, aut in frontibus suis.

17. Et ne quis possit emere (*q*), aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus.

18. Hic sapientia (*r*) est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est : & numerus ejus sexcenti sexagintasex.

CAPUT XIV.

Agnus in monte Sion, quem sequuntur virgines. Qui bestiam & imagines ejus adoraverunt, cruciantur.

1. ET vidi (*a*) : & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.

2. Et audivi vocem de cælo, tamquam vocem aquarum (*b*) multarum, & tamquam vocem tonitrui magni : & vocem, quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.

3. Et

ria animalis, terrena & diabolica, e terra prodiisse dicitur. *Et habebat duo cornua similia agni* : Cornua vim & robur ubique designant. Agni cornua doctrina & miraculis continentur : hæc duo pseudosapientes simulabant sublimitate sermonis, aut doctrinæ, ac præstigiis, aut magicis artibus, quibus præter ceteros Julianus apostata addictus erat, ut illius pseudopropheta Maximus. Vivendi rationem Christianorum, & disciplinam in sacerdotum & pontificum ordinatione, in largitione eleemosynarum, in xenodochiorum constructione imitari conabantur : *Et loquebatur sicut draco* : specie quadam sublimis sapientiæ idololatria tegebatur. Ut ut sit, bestia illa secunda, quæ ascendit de terra, seu de abysso, insignem impostorem designat, qualis erat Maximus.

12. (*l*) Gr. *facit*, prioris bestiæ, Romæ scilicet, profanæ; seu Romani Imperii potestatem exercet : hinc auctoritatem suam desumebant Hierocles & alii, qui magistratuum obibant munera. *Adorare bestiam primam*, Romam ipsam quæ colebatur ut Deus : nam templa illi dicata erant, quin & ipsa in suis Imperatoribus colebatur. Plena est historia hujusmodi exemplis, & fidelibus Imperatorum imagines colendæ, & una cum deorum imaginibus adorandæ erant proposit æ, ut videre est in Epist. 97. Lib. 10. Plinii junioris ad Trajanum. Hoc erat inter arcana imperii, ut nominis Romani veneratio omnium animis altius maneret insculpta. *Cujus curata est plaga mortis*. In Juliano apostata, qui Diocletiani sævitiam in Christianos post reditum e bello Persico renovare, & Christianum nomen penitus extinguere statuerat. Hæc Philosophia tot adoratores Juliano conciliabat magicis artibus soberta : nam Julianus Porphyrium ubique celebrabat ut sectæ auctorem & Deum. Libanius eum inter deos recenset; ac Julianus ipse his Philosophis tamquam administris imperii utebatur, idque auctores omnes cum Christiani, tum ethnici ut rem certam tradunt, Maximus & alii, quos consulebant magi, ad invadendum imperium hunc impulerant.

13. (*m*) Philosophia cum arte magica conjuncta : his præstigiis Porphyrii & Jamblici libri referti erant : *Ut etiam ignem faceret de cælo descendere in terram* : Historiam refert Eunapius in Maximo, ut & alia falsa miracula. Fieri etiam potuit, ut fulgura arte magica demitterent, atque in fulminibus præsertim prodigia sua explicabant. Illud propterea consiliarium fulmen vocitabant, quod deorum consilia iis aperiret. Hanc potestatem arcessendi fulmina Maximus insignis Juliani seductor sibi vindicabat. Ita Sozomenus Lib 5. c. 2. Zosimus Lib 2.

14. (*n*) Ut instar Dei coleretur Julianus, & in eo Roma ipsa; nam Juliani imago est constituta una cum Marte, Mercurio, & Jove, qui ei coronam imponebat. Unde fideles recusabant illi in deorum comitatu honorem deferre. *Quæ habet plagam gladii, & vixit*, Sic curabat plagam idololatriæ inflictam, & mortuam, quæque ejus opera revixerat. *Seduxit*, simulata primum mansuetudine, præstigiis Maximi ipse seductus.

15 (*o*) An forte idola respondebant rogantibus, eaque Julianus semper consulebat, quæ cum victoriam de Persis promitterent, iis Christianorum sanguinem vovit; magorum præstigiis deorum statuæ velut animatæ apparebant. *Occidantur*, Id Julianus clam jusserat; qui que id recusabant, falsorum criminum prætextu necabantur. Nazianzenus Orat. 3. *Ubi præscientia nostra & signa, viscerumque haruspicina*?

16. (*p*) Qui se quibusdam diis devovebant, eorum notas, aut nominum primas litteras fronti, aut pugno inustas ferebant ut milites & servi : sic cap. 7. vers. 3. electi signum Dei gerunt in frontibus suis. Atheismus, impietas, hæresis, sunt bestiæ characteres, qui frontibus impiorum inuruntur.

17. (*q*) Diocletianus omni commercio Christianis & jus suum persequendi actione omni interdixerat, nisi diis ante immolassent; quam legem renovare statuerat Julianus, quæ juxta Sozomenum Lib. 5. 18. in antecessum executioni mandabatur. Videtur Apostolus ad Diocletianum redire, quem Julianus imitabatur : *Aut numerum nominis ejus*; nomen numero expressum.

18. (*r*) Ad hoc opus est sapientia & intellectu, tamquam in re ænigmatica numerum nominis hujus hominis quem indicat, assequi, eum esse Diocletianum existimat Meldensis Episcopus. Illius charactere inurendus erat omnis, qui vendere, aut emere, seu commercium cum aliis inire volebat. *Diocles* ante vocabatur; factus imperator *Augustr* nomen proprio nomine subjecit : Latinis litteris ut decebat Romanum Imperatorem, numerus DCLXVI. prodit DIOCLES AUGUSTUS. Itaque DCLXVI. videtur esse numerus quæsitus. Vir clariss. & doctus in Juliano Apostata, vel potius Atheo, ut a viro sancto tum fuit cognominatus, eumdem quærit numerum in lingua dominatrice. Tria sunt ejus nomina nativitatis, Julianus, Claudius, Flavius : duorum tantum primæ litteræ C. F. numismatis inscripta erant. Secundum nomen erat dignitatis a Constantino concessum Cæsari; August. nomen postea usurpavit. Cognomento erat Atheus, vel Antichristus, cujus regnum fuit typus. Itaque litteræ numerales in his nominibus *Julianus Cæsar Antichristus* continentur DCLXVIII. Opus est indagatione sagaci, ut nomen illius hominis reperiatur, cui insint hæ numerales litteræ, quæ prædictum 666. efficiant numerum. 1 Ut hic ipse homo sit Imperator, qui vetet quidquam emere, aut vendere, seu omne vitæ civilis commercium omnibus prohibeat, nisi ante falsorum deorum cultu se commaculaverint. 3. Postquam id uni Diocletiano, aut Juliano convenire palam factum est, hoc nomen sumendum fuit, quale habuit cum privatus esset, eique adjungendum Imperatoris insigne : postremo numerus ille in litteris numeralibus, iisque Latinis contineatur, quod de Romano Imperatore agatur. Nicolaus Lyranus in glossa ordinaria numerum illum in Latina numerandi ratione quærens, hunc maxime idoneum reperit, DCLXVI. nempe 666. isque de industria ab eo fuit excogitatus, qui cum nomine Diocles optime convenit; cum autem Joannes Græce scripserit, plerique putant hunc numerum in Græca lingua, non in Latina quæri oportere. S Irenæus, Lib. 5 in hoc nomine *Lateinos*, eumdem reperit numerum per Græcos characteres expressum, adeo ut ipse conjiciat Imperium Romanum, & Romanam idololatriam eo numero designari. Verum Apostolus nos admonet nomen hominis quæri oportere, sed inveniri non posse nisi adhibita magna industria, vel attentione.

1. (*a*) Visione spirituali. Tristi spectaculo tot persecutionum aliud subjicit valde lætum, nempe Sanctorum gloriam, quorum universitas, & Martyrum in primis numero 144000. exprimitur. *Et ecce Agnus*, Christus Jesus stabat : *Supra montem Sion*, Ecclesiam, paratus ad opem illi ferendam. Alii per montem Sion cælum intelligunt, quod Sionis nomine sæpe designatur in Scripturis. *Habentes nomen ejus*, Agni, *& nomen Patris ejus*, ut servi Dei, cui se devoverunt, & pietatis Christianæ professionem ad finem usque intrepide tenentes, & profitentes. CAP. XIV.

2. (*b*) Alludit ad sonum vehementem aquarum, quæ in rupem illiduntur. *Tamquam vocem tonitrui*, valde sonoram ob lætitiæ magnitudinem; sed ordinatam tamen, & certis numeris temperatam, sicut citharœdorum.

3. Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores: & nemo poterat dicere (c) canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra.

4. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati (d): Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno,

5. Et in ore eorum non est inventum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei.

6. Et vidi alterum Angelum (e) volantem per medium cæli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum,

7. Dicens magna voce: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii (f) ejus: & adorate eum, * qui fecit cælum & terram, mare & fontes aquarum.

*Ps. 145. 6. Act. 14. 14

*Isa. 21. 9. Jer. 51. 8

8. Et alius Angelus secutus est: dicens: * Cecidit, cecidit Babylon (g) illa magna: quæ a vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes.

9. Et tertius Angelus secutus est illos, dicens voce magna: Si quis adoraverit bestiam, & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua:

10. Et hic bibet de vino (h) iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni:

11. Et fumus (i) tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam, & imaginem ejus, & si quis acceperit characterem nominis ejus.

12. Hic patientia (k) sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Jesu.

13. Et audivi vocem de cælo, dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur (l). Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.

14. Et vidi, & ecce nubem (m) candidam: & super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.

15. Et alius (n) Angelus exivit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem: * Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ.

*Joel. 3. 13. Matt. 13. 39.

16. Et misit qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, & demessa (o) est terra.

17. Et alius (p) Angelus exivit de templo, quod est in cælo, habens & ipse falcem acutam.

18. Et alius Angelus exivit de altari, qui habebat potestatem supra ignem (q): & clamavit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ sunt uvæ ejus.

19. Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum:

20. Et calcatus (r) est lacus extra civitatem, & exivit sanguis de lacu usque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta.

CAPUT XV.

Qui vicerunt bestiam, stant super mare vitreum, & cantant canticum Moysis & Agni: tum aperto cælo exeunt septem Angeli, quibus dantur septem phialæ plenæ ira Dei.

1. ET vidi aliud signum in cælo magnum, & mirabile, Angelos septem (a), habentes plagas septem novissimas: Quoniam in illis consummata est ira Dei.

2. Et

3. (c) Gr. discere: non enim in cor hominis ascendit quid Deus præparavit diligentibus se. *Quasi*: vox illa, quasi, rei veritatem adstruit, non negat, ut illa Joannis verba: *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti. Qui empti sunt de terra*; pretioso sanguine Agni de terrena conversatione redempti. Videtur Apostolus hæc referre ad Judæos, qui extremis temporibus ad Christi fidem convertentur. Id suadet numerus ipse 144000.

4. (d) Membra sunt Ecclesiæ, quæ virgo est casta; Mulieres in primis qui ab idololatriæ crimine sunt puri. Hæc quippe in Scripturis fornicationis nomine solet designari; tametsi hæc prærogativa perpetuæ continentiæ a Joanne etiam fuit designata, cum cantico novo, tum his quæ sequuntur verbis, non solum præceptis ejus, sed etiam consiliis parendo. Sed de omnibus Sanctis, qui mundi voluptatibus non sunt coinquinati, hæc commode intelliguntur. Quamquam Virginum prærogativæ in eis optime etiam intelligi possunt, quod [illegible] voluptatibus spretis Christum sint imitatæ, Angelicam vitam in terris egerint, Agni sponsæ, ut primitiæ puræ illi consecratæ.

6. (e) Qui judicium Dei adversus incredulos annuntiat; *Habentem Evangelium æternum*, quod mutationi non est obnoxium, ut Lex Mosaica; quodque bona æterna promittit.

7. (f) Quod in Romam fidelium persecutricem mox exercebit, quodque futurum est extremi judicii typus: sed & venit hora, ac Deus colendus est sine procrastinatione, utpote principium & finis omnium adorandus.

8. (g) Prior Angelus judicia Dei generatim annuntiat; secundus & tertius Romani imperii & idololatriæ [illegible] prædicunt ruinam, quod Gentes vino suæ prostitutionis, & iram Dei provocantis, potaverit.

10. (h) Ita Psalmo 74. iræ divinæ calicem ad fæces usque bibent; *mero*, non vino diluto, & sine misericordia pleno calice vindictæ divinæ. Vivam suppliciorum æternorum imaginem subjicit oculis, hæc collata cum Beatorum [illegible] longe majora futura sunt, ex Christi & crucis conspectu majorem in modum augebuntur.

11. (i) Ut justitiæ divinæ æternum sacrificium: non est pax impiis neque in hac vita, neque in futura.

12. (k) Hinc discunt Sancti pœnas temporales ferre, ut æternas vitent. *Et fidem Jesu*: ergo fides non sufficit, nisi mandatorum observatio huic adjuncta fuerit.

13. (l) Qui in fide & confessione Domini moriuntur: *Sequuntur illos*: [illegible] hujus vitæ, cum de æterna quiete in Domino [illegible].

14. (m) Judicii divini executionem jam aggreditur, quam messis & vindemiationem nominibus primum designat: *Similem Filio hominis*; an Christum ipsum, qui Danielis 7. ita designatur? an forte quod externus vidit, non spirituali solum visione, Angelum qui personam Christi gerebat tamquam Judicis, sedentis super nubem in magna potestate & majestate, ut Matth. 25. cum regni insignibus. *Coronam auream*: ad puniendos impios paratum; *Falcem acutam*; & ea Romam mox gravi ictu percussurum, vel impios a societate Sanctorum separaturum.

15. (n) Diversus ab illis, quorum mentio facta est: *Mitte falcem*; sua quæque temporibus peraguntur: Angelus judicii nuntiat cuncta esse parata; vel, ut aliis placet, tempus annuntiandi Evangelii venit.

16. (o) Roma ab Alarico eversa anno 410. ut videtur Meldensi Episcopo.

17. (p) Non Filius hominis, sed diversus ab iis qui hoc capite numerantur. *Falcem acutam*, quæ [illegible] parandis est apta, ut in vindemia.

18. (q) Qui bellorum incendia excitat: eadem fortasse actio varie depingitur.

20. (r) Imperium ab Attila vastatum: sed Romæ pepercit. *Exivit sanguis*, per stadia mille sexcenta; per 67. leucas commeatus: nam Attila Occidentem pene totum devastavit annis 451. & 452. Atque hoc in loco est manifesta hyperbole: quæ forte cladem magnam Gentilium designat.

CAP. XV. 1. (a) Seu Angelorum universitas septenarii nomine, ut septem plagis omnia suppliciorum genera designantur: seu septem illi [illegible] spiritus, de quibus cap. 1. seu ad imperii Romani calamitates, quæ a Valeriano cœperunt, & executionem judiciorum Dei spectant, hæc sit quædam præparatio.

2. Et vidi (*b*) tamquam mare vitreum mistum igne, & eos qui vicerunt bestiam, & imaginem ejus, & numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei:

3. Et cantantes canticum (*c*) Moysi servi Dei, & canticum Agni, dicentes: Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: justæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum.

Jer. 10. 7. 4. * Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia solus pius (*d*) es: quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt.

5. Et post hæc vidi, & ecce apertum (*e*) est templum tabernaculi testimonii in cælo:

6. Et exierunt septem Angeli habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.

7. Et unum (*f*) de quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum.

8. Et impletum est templum fumo a majestate (*g*) Dei, & de virtute ejus: & nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem Angelorum.

CAPUT XVI.

Effunduntur septem phialæ: beatus qui custodit vestimenta sua.

1. ET audivi vocem magnam de templo, dicentem septem Angelis: Ite, & effundite (*a*) septem phialas iræ Dei in terram.

2. Et abiit primus (*b*), & effudit phialam suam in terram, & factum est vulnus sævum & pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ, & in eos qui adoraverunt imaginem ejus.

3. Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare (*c*), & factus est sanguis tamquam mortui: & omnis anima vivens mortua est in mari.

4. Et tertius effudit phialam suam super flumina (*d*), & super fontes aquarum, & factus est sanguis.

5. Et audivi Angelum aquarum dicentem: Justus es Domine, qui es, & qui eras sanctus, qui hæc judicasti:

6. Quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt.

7. Et audivi alterum ab altari dicentem: Etiam Domine Deus omnipotens, vera & justa judicia tua.

8. Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem (*e*), & datum est illi æstu affligere homines, & igni:

9. Et æstuaverunt homines æstu magno, & blasphemaverunt (*f*) nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam ut darent illi gloriam.

10. Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ: & factum est regnum ejus tenebrosum, & commanducaverunt linguas suas præ dolore.

11. Et blasphemaverunt (*g*) Deum cæli, præ doloribus, & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.

12. Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphraten: & siccavit (*h*) aquam ejus, ut præpararetur via regibus ab ortu solis.

13. Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ spiritus (*i*) tres immundos in modum ranarum.

14. Sunt

2. (*b*) Mare suo, tristi spectaculo læta admiscet, gloriam nempe Martyrum, populum igne amoris [illegible] inflammatum; Martyres Baptismo fidei [illegible] abluti, & igne Spiritus sancti animati, ac demum variis probati suppliciis, & instar [illegible] [illegible] ut in fornace vitraria.

3. (*c*) [illegible] [illegible] Moysi; quod Martyres per effusum sanguinem mare rubrum transierint. Et canticum Agni; [illegible] [illegible], hæc ut prototypus, utriusque Testamenti [illegible] laudatur Deus: *Justæ viæ tuæ*: nihil nisi justum præcipis, nihil nisi verum promittis, ac justam de impiis sumis vindictam; *Rex sæculorum*, Gr. *sanctorum*.

4. (*d*) Gr. *Sanctus*: manifesta *sunt judicia*, quibus impios punis, & bonos remuneras.

5. & 6. (*e*) An quod figuræ omnes veteris Testamenti impletæ sunt? Arca testimonii cap. 11. templum & tabernaculum hoc loco cælum designant; Angelorum quoque est templum, ut hinc exeant septem Angeli cum [illegible] apparatu; Vestiti *lino*, Gr. *propter munditiam*. [illegible] tabernaculi sanctuarium exponunt, unde prodibant oracula.

7. (*f*) Quatuor animalia ubique fere occurrunt, quando Deus magna revelet arcana: cum sigilla sunt aperta. Joannem ut adesset accersunt, quod omnia juxta Evangelium sint intelligenda.

8. (*g*) Sic in *dedicatione* templi, hoc fumo impletum est ex divinæ majestatis [illegible].

CAP. XVI. 1. (*a*) Apostolus, juxta Mellensem Episcopum, postquam Romæ & Romani imperii ruinam universim prædixit, tum explicatius eam & expressioribus lineamentis descripturus, non omnem ab altiori ducit principio, & a Væ secundo, cujus cap. 9. fecit mentionem, sumit exordium. *Septem phialas*: jussum illud magna voce a Deo immediate [illegible], ad septem Angelos perfertur, ut eodem pene tempore phialas iræ Dei effundant. In aliis visionibus, ut in sigillorum apertione, in septem tubis, cuncta continuata [illegible] [illegible]; hoc loco simul fiunt omnia; vox una personat ad septem Angelos simul perlata: septem illas plagas, [illegible] a morte Juliani recenset vir clariss. a [illegible] [illegible], usque ad Romani imperii excidium, postquam Roma sæpius expugnata & direpta fuit.

2. (*b*) Imperium divinum non prius ad primum Angelum pervenit, quam ad alios, ita ut omnes phialas suas, quo illos justitia divina misit, huc, illuc effuderint; *Vulnus sævum*, anthracem pestiferum. Gr. *ulcus malignum*: *In homines*, idololatras, quique Imperatoris ut Dei colebant imaginem: an phiala effusa a primo Angelo Julianum lethali vulnere confixit, uti & illius consanguineos, & imperii usurpatores, magos in primis. *Qui habebant characterem bestiæ*; Maximus præ ceteris, qui jussu Valentiniani occisus fuit: *In terram*, Imperium Romanum.

3. (*c*) Hæc bella sunt, quibus Romanum ubique ardebat imperium. *Tamquam mortui*, quod omni auctoritate destitutum esset instar cadaveris. *Sanguis*, ater & coagulatus: cum tyrannus Maximus idolorum patronus classem amisit, duce Andragatio in mare demersam.

4 & 5. (*d*) Bellis civilibus Provinciæ omnes arserunt.

8. (*e*) Æstu vehementi terra exaruit, hinc fames exorta. *Angelus*, qui in aquas phialam effuderat, & imperii provincias ad Boream positas vastaverat, solis calorem auxit, qui terræ fructus adureret. Legendus Hieron. in Epist. ad Heliodorum. Provinciæ ad Austrum positæ, Africa, & Hispania a Vandalis, Alanis, Gothis, imperio Romano adimuntur, & vastantur.

9 & 10. (*f*) Tot malis afflicti gentiles in Christianos hæc mala rejiciebant. *Bestiæ*, Barbari tandem sedem ipsam imperii invadunt, Italiam & Romam in primis. *Tenebrosum*, Clarissimum terrarum omnium lumen extinctum est: immo Romani imperii truncatum caput, & ut verius dicam, in una urbe totus orbis interiit: Hieron. præfat. in Ezechiel. *Linguas suas*, præ dolore & fame.

11. (*g*) Obsessa est urbs Roma, & expugnata, & non defecerunt blasphemi, ac furiosi esse Romani, Salvianus Lib. 6.

12. (*h*) Ut via regi Persarum, Scythis, Saracenis & aliis copiis auxiliaribus [illegible] pateret: *Ut præpararetur via regibus*, qui futuris temporibus imperium Romanum deleturi sunt.

13. (*i*) Draco ibi resistebat, ubi Joannes eum viderat: ex tribus illis impuris spiritibus unus ex ore Draconis exiit, alter ex ore bestiæ, tertius ex ore pseudo-prophetæ: bestia est imperium idolis addictum, cujus sunt ea septem capita, decem cornua; Cui datum os loquens magna. *In modum ranarum*, quales erupuerunt inter Ægypti plagas.

14. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa (k), & procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.

*Matth. 24. 43. Luc. 12. 39. Sup. 3. 3. 15. * Ecce venio (l) sicut fur. Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.

16. Et congregabit (m) illos in locum, qui vocatur Hebraice Armagedon.

17. Et septimus (n) Angelus effudit phialam suam in aerem, & exivit vox magna de templo a throno, dicens: Factum est.

18. Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus factus est magnus, qualis (o) numquam fuit ex quo homines fuerunt super terram: talis terræmotus, sic magnus.

19. Et facta est civitas (p) magna in tres partes: & civitates Gentium ceciderunt: & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus.

20. Et omnis insula (q) fugit, & montes non sunt inventi.

21. Et grando magna sicut talentum descendit de cælo in homines: & blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis: quoniam magna facta est vehementer.

CAPUT XVII.

Joannes videt meretricem purpuratam, cujus nomen est Babylon: Angelus illi aperit mysterium mulieris, & bestiæ.

1. ET venit unus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, & locutus est mecum, dicens: Veni, ostendam (a) tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas,

2. Cum qua fornicati (b) sunt reges terræ, & inebriati sunt qui inhabitant terram de vino prostitutionis ejus.

3. Et abstulit me in spiritu in desertum. Et vidi mulierem (c) sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem.

4. Et mulier erat circumdata purpura (d), & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus:

5. Et

14. (k) Arioli nempe & Magi, qui persecutiones adversus Ecclesiam commovebant, & Imperatores ad suscipienda bella impellebant, victoriam iis promittentes, dummodo Christianos persequerentur. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium Lib. 7. commemorat insignem magum, qui Valerianum decepit pollicitus victoriam adversus Persas ea conditione ut Christianum nomen deleret. Idem docet Lactantius de Diocletiano: sic per falsa miracula & oracula Theotecnus Maximinum adversus fideles incitavit, ex Eusebio Lib. 9. 2. & 3. de Juliano idem supra diximus ex Eunapio. Maximus, isque insignis magus certam illi victoriam de Persis promiserat; hic immundus spiritus e secunda bestia magicis artibus addicta prodiit; iique tres spiritus hominibus illudebant per falsa oracula, ementitia miracula, & perversa ratiocinia. *Ad diem magnum*: ad pugnam insignem, de qua vers. 16. Grotio, *dies ille magnus omnipotentis Dei*, est dies, quo Constantinus Magnus Romam cepit. Tum enim Deus pro Constantino pugnavit.

15. (l) Quod de improvisa morte, & de publicis calamitatibus, quæ extremi judicii sunt imagines, intelligitur, & per parenthesim inseritur; nam Christus ipse loquitur, & idem est contextus vers. 15. & 16. Vestimenta Christiana sunt justitia, charitas, & Christus ipse.

16. (m) Gr. *Congregavit illos in locum, qui vocatur Hebraice Armagedon*, ubi magni perierunt exercitus, in monte Maggedon, ubi Sisara Reges Chananæos delevit, Judic. c. 5. vers. 19. Ibi Ochozias rex Juda interiit, 4. Reg. 9. 27. Ibi occisus est Josias, 4. Reg. 3. 29. Sic Imperatores Valerianus primum, tum Julianus a magis suis incitati bella suscipient, in quibus sunt perituri, & cladem eorum luctus publicus consequetur, qualis fuit Josiæ temporibus. *Congregavit illos*, Spiritus dæmoniorum, de quibus vers. 14. Hæc intelligi commode possunt de Persarum, Saracenorum, Scytharum innumerabili multitudine, qui Theodosii Junioris temporibus ex Socrate Lib. 7. c. 18. Theodoreto Lib. 5. c. 28. Imperii terras invaserunt, & misere perierunt: hac forsan figuram cum re figurata conjungit Apostolus, ultimam Antichristi persecutionem prædicit.

17. (n) Phialam effudit in aerem, ubi fulgura & tempestates excitantur: hinc ingens commotio Imperii. *Factum est*: Valeriano deleto, Barbari & Gothi in primis Romani Imperii fines invaserunt, ac magna facta est rerum conversio, Imperio Romano instabat exitium. *Factum est*, fuit Roma, pestis & fames præcurrentes Romæ excidio.

18. (o) Figurata locutio Prophetis usitata, qua Romanum imperium Barbaris subditum iri insinuat Apostolus.

19. (p) Apostolus tandem nos ad imperii ruinam deduxit, cum Occidentis Imperium in tres partes fuit divisum. Honorius Ravennæ, Attalus Romæ, Constantinus Galliæ jura dicebant; *Et civitates gentium ceciderunt*: Gallia, Hispania, magna Britannia Gothis prædæ fuerunt. *Et Babylon magna*, Roma ab Alarico capta & direpta, quam Augustin. Lib. 18. de civit. cap. 23. vocat Babylonem Occidentalem.

20. & 21. (q) Terrarum orbis concussus est: *Et montes non sunt inventi*; in terra marique suum amisit imperium Roma. *Talentum*, Ultionis divinæ pondus: *Blasphemaverunt*, Christianis hoc Romæ excidium tribuebant Ethnici, quæ occasio fuit Augustino scribendi Libros de civitate Dei.

Primo itaque Imperium a Persis concussum fuit, quæ Barbaris Occidentis Imperium invadendi fuit occasio: nam viribus Imperii adversus Orientis reges conversis Occidentem multarum Barbari invaserunt. Itaque jam sub Valeriano gravi ictu percussum fuit, adeo ut repercussu ipso Roma tandem corruerit ab Alarico obsessa, ac tandem expugnata anno 410. a Totila incensa. Quæ capite proxime insequenti distincte & aperte describit Apostolus.

CAPUT XVII. 1. (a) Unus e septem Angelis, quibus justitiæ divinæ executio est demandata: quæ ventura sunt, magis explicate & per singula Joannem docturus, simul capitis 13. visionem expositurus. *Damnationem meretricis magnæ*. Babylonis scilicet, quam plerique interpretamur civitatem Diaboli: sed meretricis magnæ & Babylonis nomine Romam profanam & illius imperium veteres intelligunt. *Quæ sedet super aquas multas*, quæ tot populis dominatur. Atque inter alios eventus Romæ excidium ab Alarico & Gothis hoc capite & proxime consequenti tam aperte describitur, ut in oculos ipsos pene incurrat. Roma in meretricis figura, stylo Scripturæ usitato, quæ prostitutionis nomine idololatriam passim designat, vivis coloribus exprimitur, uti mox palam fiet.

2. (b) Apostolus voce Græca utitur, quæ publicam prostitutionem, non adulterium, aut violatam connubii fidem significat. Itaque hoc nomine Romam ethnicam, quæ Deo numquam fuit desponsata, non Christianam signat Apostolus; ac numquam Scriptura Gentilium societates adulteras vocat, cum fidem suam Deo non dederint, neque adeo illam violaverint. Unde Joannes cum *meretricem* appellat, non eam dicit esse *adulteram*, sed πόρνην, ubique asserit, ut in hoc versiculo, *Cum qua fornicati sunt Reges terræ*. ἐπόρνευσαν. *Et inebriati sunt*, nec veteris Testamenti Prophetæ Tyrum nimirum, aut Babylonem adulterii crimine, sed Judam, Israelem, Samariam eo nomine condemnant, quod fidem violaverint. Quare videant Protestantes, quam temere, ne atrociori utar verbo, asserant meretricem illam esse infidelem sponsam, violatæ fidei ream, Ecclesiam Romanam & corruptam. Sed Romam ipsam profanam designat, Sanctorum persecutricem, Babylonem, Sodomam Ægyptum, & quemvis alium populum, ab affinitate cum Deo inita maxime alienum, idque vers. 18. apertissime exprimit: *Mulier est civitas magna, quæ habet regnum super reges terræ*: Et quidem Reges terræ non solum deos Romanos, sed Romam ipsam & Imperatores coluerunt, & cum ea meretrice fornicati sunt.

3. (c) Hanc solam vidit in deserto; *Coccineam*; hæc bestia ea ipsa est, quæ capite 13. describitur; eadem est mulier, quæ Roma cum Imperio suo. *Plenam nominibus blasphemiæ*: nam urbem æternam appellabant; *Habentem capita septem*, nempe septem montes, ut vers. 9. Apostolus ipse exponit. Sic illa mulier est urbs eadem quæ Regibus dominatur, ex vers. 18. mulieris nomen & prostitutionem ejus, seu idololatriam melius exprimit. Quo quidem sensu inter meretrices Roma primas obtinuit: nam omnium gentium colebat deos.

4. (d) Qua Imperatores & magistratus ornabantur: *Inaurata auro*, ob immensas ejus opes: *Habens poculum aureum*, ut Jeremias cap. 51. 7. describit Babylonem: hæc suorum errorum vino terrarum orbem infecit.

5. Et in fronte ejus nomen scriptum: Mysterium (*e*): Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ.

6. Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine martyrum Jesu. Et miratus (*f*) sum cum vidissem illam admiratione magna.

7. Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris, & bestiæ, quæ portat eam, quæ habet capita septem, & cornua decem.

8. Bestia, quam vidisti, fuit, & non est, & ascensura est de abysso, & in interitum ibit: & mirabuntur inhabitantes terram (quorum non sunt scripta nomina in Libro vitæ a constitutione mundi) videntes bestiam, quæ erat, & non est.

9. Et hic est sensus, qui habet sapientiam (*g*): Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, & reges septem sunt.

10. Quinque ceciderunt, unus est, & alius nondum venit: & cum venerit, oportet illum breve tempus manere.

11. Et bestia, quæ erat, & non est: & ipsa octava (*h*) est: & de septem est, & in interitum vadit.

12. Et decem cornua, quæ vidisti, decem (*i*) reges sunt: qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tamquam reges una hora accipient post bestiam.

13. Hi unum consilium (*k*) habent, & virtutem & potestatem suam bestiæ tradent.

14. Hi cum Agno pugnabunt (*l*), & Agnus vincet illos: * quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum, & qui cum illo sunt, vocati, electi, & fideles. * 1. Tim. 6. 15. Inf. 19. 16.

15. Et dixit mihi: Aquæ quas vidisti ubi meretrix sedet, populi sunt, & Gentes, & linguæ.

16. Et decem cornua, quæ vidisti in bestia: hi odient fornicariam (*m*), & desolatam facient illam, & nudam, & carnes ejus manducabunt, & ipsam igni concremabunt.

17. Deus enim dedit in corda eorum ut faciant (*n*) quod placitum est illi: ut dent regnum suum bestiæ donec consumentur verba Dei

18. Et

5. (*e*) Hoc nomen fronti inscriptum, impia Gentilium mysteria significat, quibus Roma dominationem suam adstruebat. *Mysterium*, Joannis temporibus ænigma fuit, nunc illud est explicatum. *Babylon magna*; meretricia nomine, & sub nomine Babylonis Roma ipsa designatur. Nam Babylonis idola, incantationes, maleficia, auguria apud Prophetas passim occurrunt. Nationibus utraque dominabatur, plena erat idolis & ariolis, utraque Sanctos est persecuta. Irenæus Lib. 5. c. 30. Imperium Romanum a Joanne hoc nomine designatum asserit, atque illius ruinam prænuntiat. Petrus Apostolus Epistola 1. cap. 5. Romam eo nomine designat. Hieronymus cum alibi passim, tum Lib. 2. adversus Jovinianum, Romam Babylonis nomine in Apocalypsi a Joanne maledictam esse testatur; & alibi in Epist. 151. eam esse meretricem docet, cujus fronti inscriptum est nomen blasphemiæ. Idem inculcat Epist. 17. & in Isaiæ cap. 24. eam esse, cujus supplicium in Apocalypsi legimus: & brevi post tempore impletas esse illas Prophetias accepit, cum in Ezechielem scriberet.

6. & 8. (*f*) Cum vidisset hoc tam insigne miraculum. *Bestia*. Erat quidem cum hæc videbat Joannes: septem phialarum effusione destructa est; aut forte, *quæ erat, & non est*. Romæ idolis addicta: Gr. *& tamen est*: Syr. *& prope est*.

9. & 10. (*g*) Hæc exposita sunt ad caput 13. Septem capita septem montes figurabant, seu Romam, uti & septem reges. *Quinque*. Numerus septenarius est definitus & certus, nam a Joanne recensentur: *Unus est*, *& alius nondum venit*: ex septem Imperatoribus, qui Ecclesiæ bellum indixerant, de quibus cap. 13. dictum fuit, quinque transierunt, seu ceciderunt, Diocletianus; Maximus, Constantius Chlorus, Galerius Maximianus, & Maxentius. *Unus est*: nempe Maximinus; *Et alius nondum venit*: an Licinius qui jam erat Imperator; sed character ille ceteris communis, adhuc ei deerat, nondum exercuerat privatim & suo nomine persecutionem; eo ipso tempore quod Apostolus designat, inter Licinium & Constantinum jam convenerat; & edicta in gratiam Christianorum facta, utriusque nomine erant publicata, ex Lactantio de morte Persec. num. 48. & Eusebio Lib. 10. 5. Quamdiu vixit Maximinus, in eadem fuit sententia Licinius; qui post quinque Imperatorum persecutionem elapsam nondum venerat; solus Maximinus in Ecclesiam sæviebat: circa annum 312. Maxentius a Constantino victus est, & crux Romæ a Constantino erecta. Tum Galerius Maximianus ferale edictum abrogaverat: Constantinus & Licinius Christianis aperte favebant. Hæc tempora Joanni aperte ostensa sunt. Satana e cælo dejecto audita est vox de cælo: *Nunc facta est salus, & virtus & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus*. Ex iis versiculis octavus hujus capitis facilius intelligitur, *Bestia quam vidisti, &c.* quæ antea cum septem capitibus visa est, cum uno tantum capite prodiit, post quam alia capita cito evanuerant: sextum supererat ac bestia non diu duratura videbatur; sed in interitum itura. Hinc bestia illa quasi jam non esset, apparebat, unde in fine ait, *Videntes bestiam, quæ erat, & non est*: Gr. *& si est*: adeo ut Joannes eam posset contemplari ut extinctam, cum septimus persecutor brevi extinguendus foret: *Et cum venerit, oportet illum breve tempus manere*: per triennium duravit persecutio Licinii, qui anno 322. periit. An potius hæc verba; *Alius nondum venit*, cum nuperrimo interprete de Juliano sunt intelligenda, qui tertio Imperii sui anno mortuus est ex Socrate Lib. 3. c. 21. *Et mirabuntur*: quod idololatria quasi revixerit, & ascenderit de abysso.

11. (*h*) An bestia integra cum septemplici capite est bestia ex omnibus suis partibus compacta? *De septem est*; e septem nata. Hæ voces, *& ipsa octava est* populo ipsi recte attari potest; nam sæpe populus non expectato Imperatorum jussu Martyres interemit. *In interitum vadit*; idololatriæ in perium Diocletiani temporibus ruinæ suæ proximum fuit. Huic successit Constantinus evertor idololatriæ.

12. (*i*) Auctor commentarii in Apocalypsim, qui falso tribuitur Ambrosio, quem esse Beregaudum scriptorem septimi sæculi Episcopus Meldensis existimat, decem illos reges nominat, a quibus sectum fuit & eversum Romanum Imperium. Sed nihil necesse est definitum hunc numerum Regum intelligere, neque ullum numerum certum, ubi in prophetia, ut proprius rei, aut temporis character non designatur. Satis illud est, quod ex uno & eodem imperio tot regna eximantur, & Barbarorum illuvie Romanum Imperium in Occidente, seu in fonte suo deleatur. Hi reges multiplici charactere designantur. *Qui regnum nondum acceperant*, tempore ab eo indicato, cum pacem Ecclesiæ dedit Constantinus: tum enim hæ nationes e sua quæque patria egressæ alienas terras quærebant: *Sed potestatem tamquam reges una hora accipient post bestiam*: Græce, cum bestia. Reges velut ex condictu in Occidentale Imperium incursionem facturi sunt. *Nondum acceperant*, nondum imperii Romani partem aliquam sibi subjecerunt, sed id fiet brevi post tempore. *Post bestiam*, secundo a bestia gradu, cum qua inibunt fœdera. *Qui regnum nondum acceperunt; sed accipient post bestiam*, cujus ruinis thronos suos superstruent; Hieron. in cap. 66. Isaiæ, rectissime pro regibus cornua ponit: hanc habente Scriptura sacra consuetudinem, ut regnum semper interpretetur in cornibus.

13. (*k*) Non aliud quærunt, quam suas habere sedes, easque magis commodas, quam sit natale solum. *Et potestatem suam bestiæ tradent*: exercitus eorum Romæ stipendia mereri contenti; imminentis ruinæ Imperii hæc est insignis nota, quod exercitum conflare non posset, nec se tueri nisi Barbarorum auxilio, ut Procopius lib. 1. de bello Goth. ait principum Romanorum majestatem adeo fractam fuisse & debilitatam, ut fœdera cum iis inire, & bestiam ipsam sub specie fœderis tradere cogerentur. Sic ruina sua paullulum dilata barbaros in penetralia Imperii admittebant. Imperio infixi, quasi cornua capiti, terras semper poscunt ab Imperatoribus, ut copiæ auxiliares.

14. (*l*) Idololatræ erant, sed postea ad fidem Christianam sunt conversi. Plerorum magna Ariana hæresi sunt contacti, sed inconcussabiles, ut Franci & Burgundiones, Catholicam fidem sunt amplexi: hi tamen postea ad Arianos defecerunt; Saxonum conversio in magna Britannia fuit sincera; & Gothi tandem ad fidem Catholicam pervenerunt. Videndus Orosius Lib. 7. cap 41. & Hieron. in Epist. ad Heliodorum, & ad Lætam.

16. (*m*) Romam scilicet per multas ætates adhuc idololatria inquinatam. Atque una hæc fuit e rationibus, quæ Constantinum impulerunt; ut Constantinopolim extrueret, ut in civitate degeret, quæ pura esset ab idololatria. Ita Orosius Lib. 7. ac Roma Juliani temporibus usque ad excidium suum idolorum valde amans fuit; præsertim magna pars Senatus. *Odio habent fornicariam*, quam tandem diripient: *Et carnes ejus manducabunt*, Provincias ejus vastabunt: *Et ipsam igni concremabunt*: qui est quartus horum regum character, quod præstitit Alaricus, teste Orosio Lib. 7. Aug. serm. 7. de excidio urbis; & Hieron. Epist. 12.

17. (*n*) Deus antea inhibebat Gothos, ut Romanis locum pœnitentiæ daret; postea victoribus frena permisit.

18. Et mulier (o), quam vidisti, est civitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.

CAPUT XVIII.

Romæ Ethnicæ excidium; tum de lapide molari projecto ab Angelo.

1. ET post hæc vidi alium Angelum (a) descendentem de cælo, habentem potestatem magnam: & terra illuminata est a gloria ejus.

* Is. 21. 9. Jer. 51. 8. Sup. 14. 8. 2. Et exclamavit in fortitudine, dicens: * Cecidit (b), cecidit Babylon magna: & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ & odibilis:

3. Quia de vino (c) iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes: & reges terræ cum illa fornicati sunt: & mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt.

4. Et audivi aliam vocem de cælo, dicentem: Exite (d) de illa populus meus: ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.

5. Quoniam pervenerunt (e) peccata ejus usque ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum ejus.

6. Reddite (f) illi sicut & ipsa reddidit vobis: & duplicate duplicia secundum opera ejus: in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum.

7. Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum: quia in

* Isa. 47. 8. corde suo dicit: * Sedeo (g) regina, & vidua non sum: & luctum non videbo.

8. Ideo in una die venient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur (h): quia fortis est Deus, qui judicabit illam.

9. Et flebunt, & plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in deliciis vixerunt, cum viderint fumum incendii ejus.

10. Longe stantes propter timorem tormentorum ejus, dicentes: Væ, væ civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis: quoniam una hora venit judicium tuum.

11. Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam: quoniam merces eorum nemo emet amplius:

12. Merces auri, & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritæ, & byssi, & purpuræ, & serici, & cocci, (& omne lignum thyinum (i), & omnia vasa eboris, & omnia vasa de lapide pretioso, & æramento, & ferro, & marmore,

13. Et cinnamomum) & odoramentorum, & unguenti, & thuris, & vini, & olei, & similæ, & tritici, & jumentorum, & ovium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum.

14. Et poma desiderii animæ tuæ discesserunt a te, & omnia pinguia & præclara perierunt a te, & amplius illa jam non invenient.

15. Mercatores horum, qui divites facti sunt, ab ea longe stabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes, ac lugentes,

16. Et dicentes: Væ, væ civitas illa magna, quæ amicta erat bysso, & purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioso, & margaritis:

17. Quoniam una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ, & omnis gubernator, & omnis qui in lacum navigat, & nautæ, & qui in mari operantur, longe steterunt,

18. Et clamaverunt videntes locum (k) incendii ejus, dicentes: Quæ similis civitati huic magnæ?

19. Et miserunt pulverem super capita sua, & clamaverunt flentes & lugentes, dicentes: Væ, væ civitas illa magna, in qua divites facti sunt omnes, qui habebant naves in mari de pretiis ejus: quoniam una hora desolata est.

20. Exul-

18. (o) Ne ullus superesset dubitandi locus, quæ esset illa mulier fornicaria, Angelus manifeste docet eam esse *civitatem magnam, quæ habet regnum super reges terræ*, Roma scilicet, cujus fatum in hoc capite per singula continetur. In hac Joannis, ut in aliorum Prophetarum prædictione, paullatim ab obscuris ad clariora ducimur, & quasi a lumine ad lumen progredimur, ad magnum illum eventum, de quo jam a capite 11. differere incepit.

CAPUT XVIII. 1. (a) Qui divinam ultionem imminentem, & toti orbi conspicuam mox annuntiabit.

2. (b) Roma gentium domina, cujus idem fatum futurum est, quod Babylonis: unde hæc verba ex Isaiæ cap. 21. 9. & ex Jeremiæ cap. 51. 8. desumpta Romæ aptantur: quæ tamen penitus eversa non fuit, uti nec Babylon a Cyro expugnata & direpta. Hæc enim ad tempora usque Alexandri non omnis expers gloriæ, sed cum pristino splendore minime comparanda fuit; Prophetæ tamen eam ut penitus desolatam & deletam consideraut, quod direpta fuerit, neque Imperium suum retinuerit. Idem Romæ fuit exitus ad Alarico misere vastatæ, adeo ut teste Hieronymo filiorum suorum sepulcrum fuerit: nec solum Imperio & dominatione sua dejecta est, sed nationibus a se devictis prædæ fuit. & ludibrio, Romanum Imperium in frusta dilaceratum; Romam ipsam quadragesimo quinto post anno Genséricus Vandalorum Rex diripuit, tum Odoacer Herulorum rex una cum Italia universa invasit. Italiam Anastasius Theodorico Gothorum regi ut Provinciam Imperii tradere coactus fuit; per 30. annos Romam duces Romani & Barbari alterni occuparunt. *Facta est habitatio dæmoniorum*. stylo Scripturæ usitato, loca desolata spectris & dæmonibus derelicta dici solent.

3. (c) Hebraismus est; error & vinum mentem de sua sede dejiciunt. *Mercatores*, luxum & superbiam eorum punit Deus. *Iræ*, vox eadem venenum significat, vino idololatriæ infecto.

4. (d) Ita Jeremias cap. 51. quod Apostolus Romæ aptat. Deus providentia sua plerosque ab excidio urbis retraxit, ut Innocentium Pontificem, & complures alios, teste Orosio Lib. 7. Romæ Alaricus asylum in Ecclesia S. Petri constituit, ut testatur August. Lib. 1. de civitate c. 1. Christiani complures in totum Orientem, in Palæstinam, in Ægyptum, in Africam se receperunt. Sed qui in ipsa urbis ruina extincti sunt electi, hi præ ceteris omnibus tutius exierunt e Babylone.

5. (e) Gr. secuta sunt ad cælum usque. Idem de Babylone scriptum est Jer. 5.

6. (f) Claudius II. auctore Trebellio Pollione, innumerabilem Gothorum multitudinem internecione deleverat, & paullo ante Romæ excidium Radagasus alter a Regibus Gothorum, sed ethnicus, penitus est debellatus, adeo ut vilissimo pretio Romæ veniret. Itaque non temere Gothis dicitur: *Reddite illi, sicut reddidit vobis*; itque ut omnium nationum ultores spectantur. *In poculo vini iræ Dei*. Hæ voces non sunt optantis, vel jubentis, sed annuntiantis quæ futura sunt.

7. (g) Ita se extollebat Babylon apud *Isaiam*, cap. 47. sic Roma sui imperii æternitatem jactabat. Atque hæc æternæ urbis inscriptio anno ante ejus expugnationem in murorum reparatione facta adhuc legitur. Prorsus hinc liquet, quam periculosa sit prosperitas nulla adversitate diluta.

8. & 10. (h) Id factum ab Alarico. *Væ*, Hoc tertium est væ, quod a versiculo 14. capitis 11. ad hunc usque locum dilatum, in sequentibus v. 16. & 19. iteratur.

12. & 13. (i) Sic vertit Vulgata Lib. 3. Reg. 10. seu odoriferum. *Mancipiorum*: Gr. corporum. Apostolus hoc in loco homines mancipiis opponens, per homines libera capita intelligit: nam in urbe direpta liberi simul & servi vaenierunt.

18. & 20 (k) Gr. *Fumum incendii*. *Exulta*, Vox illa de cælo v. 4. ad Prophetas & Apostolos dirigitur, quod Sancti Deum laudent ob judicia, quæ in terra exercet: de quibus Deum laudant.

20. Exulta super eam cælum, & sancti Apostoli, & Prophetæ: quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa.

21. Et sustulit unus Angelus (*l*) fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultra jam non invenietur.

22. Et vox citharœdorum, & musicorum, & tibia canentium, & tuba non audietur in te amplius, & omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius: & vox molæ (*m*) non audietur in te amplius:

23. Et lux lucernæ non lucebit in te amplius: & vox sponsi & sponsæ (*n*) non audietur adhuc in te: quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes.

24. Et in ea sanguis (*o*) prophetarum & sanctorum inventus est: & omnium, qui interfecti sunt in terra.

C A P U T XIX.

Aguntur gratiæ Deo de meretrice damnata, de die nuptiarum Agni, & Sanctorum remuneratione; Verbum Dei equo albo insidens exercitus cælestes comitantur; impii ab avibus lacerantur.

1. POst hæc audivi (*a*) quasi vocem turbarum multarum in cælo dicentium: Alleluja: Salus, & gloria, & virtus Deo nostro est:

2. Quia vera & justa judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, & vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus.

3. Et iterum dixerunt: Alleluja. Et fumus (*b*) ejus ascendit in sæcula sæculorum.

4. Et ceciderunt seniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes: Amen: Alleluja.

5. Et vox de throno (*c*) exivit, dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus: & qui timetis eum pusilli, & magni.

6. Et audivi quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluja: quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens.

7. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ (*d*) Agni, & uxor ejus præparavit se.

8. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti & candido. Byssinum enim, justificationes sunt Sanctorum.

9. Et dixit mihi: Scribe: * Beati (*e*), qui *Matth.22.
ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt: & di- 2.
cit mihi: Hæc verba Dei vera sunt. Luc.14.16.

10. Et cecidi (*f*) ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne feceris: conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora. Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ.

11. Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur (*g*) Fidelis & Verax, & cum justitia judicat, & pugnat.

12. Oculi autem ejus sicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa, habens nomen (*h*) scriptum, quod nemo novit nisi ipse.

13. * Et vestitus erat veste aspersa sangui- *Is 63. 1.
ne (*i*): & vocatur nomen ejus, Verbum Dei.

14. Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo, & mundo.

15. Et de ore ejus procedit gladius (*k*) ex utraque parte acutus: ut in ipso percutiat Gentes. * Et ipse reget eas in virga ferrea: & *Ps 2. 9.
ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.

16. Et habet in vestimento, & in femore suo
scriptum (*l*): * Rex regum, & Dominus do- *1.Tim 6.
minantium. 15.
Sap.17.14.

17. Et vidi unum Angelum stantem in sole (*m*), & clamavit voce magna, dicens omnibus avibus, quæ volabant per medium cæli: Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei:

18. Ut

21. (*l*) Ita Jerem. 51. v. 63. sic quæ sequuntur, ex c. 25. Jeremiæ, ex c. 27. Ezechielis per imitationem dicuntur.

22. (*m*) Non deinceps tanta frugum erit copia in te subjiciuntur, quanta ante solebat in tanta populi multitudine.

23. (*n*) Non amplius Epithalamia occinent.

24. (*o*) Qui enim in provinciis occisi sunt Martyres, ii jussu, aut exemplis Romanorum sunt interempti.

CAP. XIX. 1. (*a*) Sancti laudant Deum magnifice, & gratias agunt in Ecclesia triumphante: Gr. *Salus, & gloria, & honor, & potestas Domino Deo nostro.* Protestantes in Synopsi Criticorum multa opponunt adversus eam, quam attulimus interpretationem prædictionum, quas Joannes a temporibus Adriani Imperatoris ad excidium usque Romæ sub Alarico perduxit, quæque in hoc caput desinunt: his singillatim respondet Meldensis Episcopus. Primum quidem tidem fatentur Imperii Romani dilacerationem decem Regibus capite 17. designatis prædici: ex quo illud sequitur, Romæ ruinam, quæ hanc Imperii scissionem comitatur, esse ipsum Romæ excidium sub Alarico: secus nulla erit series & connexio rerum in hac Prophetia, & quidquid in mentem venerit, liberum erit in commentarios conjicere. Reliqua videri possunt apud peritissimum Antistitem.

3. (*b*) Meretricis, vel incendii ejus memoria numquam oblivione delebitur. *Ascendit*, est præsentis temporis. *In sæcula sæculorum.* Romæ & Romani Imperii eversio his verbis exprimitur, nisi forte ad pœnas inferni referantur.

5. & 6. (*c*) E Dei majestate. *Regnavit*, In ruina Babylonica se regem esse ostendit.

7. & 8. (*d*) Destructa idololatria sanctificata est Ecclesia in terris & in cælo. *Byssino splendenti & candido*; Græc. puro; fides, bona opera, & in cælo pura sunt ejus splendor in gloria.

9. (*e*) Qui ad cæleste convivium, quod Christus sponsæ suæ præparavit, vocati sunt.

10. (*f*) An Joannes existimabat hunc Angelum gloria splendidum Christum ipsum esse? An potius honorem illi deferre voluit naturæ Angelicæ convenientem, quo Sancti veteris Testamenti Angelos sunt prosecuti? Sed Angelus hunc honorem ab Apostolo accipere recusavit; & conservum se esse ait habentium Spiritum, Prophetiæ largitorem: Spiritus Propheticus tibi datus est ut Evangelium annunties.

11. (*g*) Christi splendida est victoria adumbratur: *Equus albus*, triumphum de hostibus devictis Romano more describit, & Evangelicæ doctrinæ puritatem insinuat. *Fidelis*, Gr. *Sanctus factorum*.

12. (*h*) Hujus nominis dignitatem solus novit qui novit omnia: hujus nominis meminit c. 3. 12.

13. (*i*) An sanguine inimicorum, ut Isaiæ c. 63. an potius proprio sanguine ejus humanitas fuit cruentata? Sic Verbum se Patri offert in sacrificium suo sanguine conspersum; illius sanguis est humani generis remedium.

15. (*k*) Judiciaria ejus potestas; an verbum Dei penetrabilius omni gladio ancipiti, quo solo damnantur impii? *In virga ferrea*: qua fideles tuebitur, & impios conteret. *Furoris*, qui salutarem sanguinem in vinum furoris iræ verterunt.

16. (*l*) Græce additur, *Nomen*: secundum humanitatem a Patre illi data est omnis potestas in cælo, & in terra.

17. (*m*) In eminenti loco, omnibus exposito, impiorum animæ dæmonibus tradentur.

18. Ut manducetis (*n*) carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum, & servorum, & pusillorum, & magnorum.

19. Et vidi (*o*) bestiam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui sedebat in equo, & cum exercitu ejus.

20. Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta: qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi missi sunt hi duo in stagnum (*p*) ignis ardentis sulphure:

21. Et ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius: & omnes aves saturatæ sunt carnibus eorum.

CAPUT XX.

Angelus vinctum draconem in abyssum præcipitem dat: prima resurrectio; mille annorum regnum: solutus satanas seducit populos.

1. ET vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua.

2. Et apprehendit draconem (*a*), serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligavit eum per annos mille:

3. Et misit eum in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius Gentes, donec consummentur mille anni: & post hæc oportet illum solvi modico tempore.

4. Et vidi sedes (*b*), & sederunt super eas, & judicium datum est illis: & animas decollatorum propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei, & qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, neque acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus suis, & vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis.

5. Ceteri (*c*) mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.

6. Beatus (*d*) & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis.

7. * Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, & exibit, & seducet (*e*) Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. *Ezech. 39. 2.

8. Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circuierunt castra sanctorum, & civitatem (*f*) dilectam.

9. Et descendit (*g*) ignis a Deo de cælo, & devoravit eos: & diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia,

10. Et pseudopropheta cruciabuntur (*h*) die ac nocte in sæcula sæculorum.

11. Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem (*i*) super eum, a cujus conspectu fugit terra & cælum, & locus non est inventus eis.

12. Et

18. (*n*) Ita Ezechiel, 39. 17. destructionem eorum, qui persecuti sunt Ecclesiam, annuntiat.

19. (*o*) Est brevis recapitulatio visionum præcedentium.

20. (*p*) Ultionem divinam in terra factam æternum supplicium consequitur: bestia & falsus Propheta in stagnum ignis conjiciuntur: seductio ipsa potissimum in hæresi se prodit. *Pseudopropheta*, singularis numerus loco pluralis figuram cum re figurata conjungit, & Antichristi supplicium per anticipationem exprimit, quæque in fine capitis insequentis dicentur per recapitulationem.

CAP. XX. 2. & 3. (*a*) Quatuor nomina principi dæmonum hoc loco & passim Scriptura tribuit: draconem vocat ob sævitiam; serpentem antiquum ob occultam malitiam; diabolum, seu calumniatorem, a *diaballein*, decipere, calumniari: Hilarius & alii vocant *Zabulum*; ac demum Satanam, seu bonorum omnium adversarium. *Et ligavit eum*: ne fidelibus noceat, ut antea, usque ad finem sæculorum. Hæc videtur esse recapitulatio, quæ referenda est ad idololatriæ & Imperii Romani eversionem. Numerus mille annorum non est certus & definitus: sed tempus omne complectitur, quod ad resurrectionem usque excurret. Sic Psalmo 104. mille generationes dicuntur futuræ omnes generationes. *Donec*, potestas illius prædicatione Evangelii variis modis, coercetur, donec Antichristus venerit: *Tum solvetur modico temporis spatio*: tunc enim ingens erit Ecclesiæ persecutio, sed brevis. Interea seductio quidem & tentatio futura est, sed minus periculosa, neque adeo universalis, & vehemens.

4. (*b*) Martyrum animabus præparatur: in his thronis Martyres ex majori numero exprimit; nam sub Imperio Romano sunt decollati, seu, ut vox Græca *pelekizein* insinuat, *securi percussi*, quod erat supplicium Romanis usitatum: *neque imaginem ejus*. Romæ nimirum & Imperatorum, ex cap. 13. *Et vixerunt*, vita gratiæ, *& regnaverunt mille annis*: non per anticipatam resurrectionem, siquidem de solis animabus agitatur: hæ quidem usque ad extremum judicii diem cum Christo regnant, & gloria eorum in terra & in Ecclesia manifestatur.

5. (*c*) Hæc prima resurrectio ex Meldensi Episcopo est justificatio, quæ resurrectio consummatur in hujus vitæ exitu, eaque vera vita est cum Christo, & beatis animabus convenit: nam de resurrectione corporum dicetur vers. 12. & 13. Hæc autem verba, *Ceteri mortuorum non vixerunt*, non de reprobis interpretatur; sed de aliorum justorum animabus; quæ statim non fruuntur beatitudine, nisi ad certum perfectionis gradum pervenerint. *Non vixerunt*, Gr. *ouk anezēsan*, non revivescent, non statim Deum videbunt, ut Martyres, & perfecti, quorum mentionem facit Paulus Hebr. 12. 23.

6. (*d*) Cum Sancti exeuntes ex hac vita, quæ proprie est mors quædam, novam ineunt vitam in cælo; secunda autem futura est resurrectio in anima & corpore. *In his secunda mors non habet potestatem*: mors prima est, ubi animæ inferno cum epulone divite sepultæ manent; mors secunda, cum totus homo constans corpore & anima in stagnum ignis & sulphuris præceps dejicitur: *Mille annis*; toto hoc decurrente sæculo in terra gloriosi futuri sunt; sed eorum in cælo regnum nullis temporum spatiis finietur. Vel *mille annis*, ad finem usque mundi.

7. (*e*) Seductio illa non extincta erat, sed fræno imposito coercita & ligata, Ecclesiæ in primis habita ratione. Hoc frænum Satanæ impositum usque ad tempora Antichristi duraturum est, tum vero effrænis erit illius licentia. *Gog & Magog*: præ ceteris seducet hos populos, quorum mentionem facit Ezechiel, cap. 38. eosque putat Hieronymus barbaros fuisse, ex intima Scythia ortos. *Congregabit eos in prælium*; utrum adversus Antichristum Reges Christiani prælia committant, nihil temere asserendum: videtur Joannes vers. 3. 7. & 9. cuncta fere ad seductionem referre. Quidam interpretes mille annos a Constantino ad Othomanorum familiam, quæ Mahumetismum mirum in modum propagavit, numerant; sed mille anni bene intelliguntur anni a Deo constituti. Qui cum effluxerint, & Ecclesia Gentium draconem vicerit nondum ligatum, eumdem vincet solutum Judæorum Ecclesia. Ita quidem vir perdoctus, quem identidem laudamos. Idem existimat persecutionem in calce præcedentis capitis expressam eamdem esse cum persecutione, cap. 39. Ezechielis delineata de Gog & Magog, & hanc cum persecutione Antichristi.

8. (*f*) Vix designari potest illa civitas, si ad litteram interpretemur: unde civitas illa spiritaliter intelligi potest, Ecclesia nimirum. *Castra Sanctorum*; societas electorum, qui carne mortali adhuc sunt induti, & in loco tentationis positi, adversus hæreticos & tyrannos decertant. Quod prælii genus in extremo mundi sæculo recrudescet.

9. (*g*) In die conflagrationis cæli, aeris, & terræ, 2. Petri 3. *Et diabolus, qui seducebat eos*; non amplius bestia, seu Roma profana, aut pseudopropheta: idololatria quippe erat abolita.

10. (*h*) Non quod nunc vacent cruciatibus; sed tentandi licentia iis detracta, cruciatus soli iis supererunt.

11. (*i*) Christum ipsum in Ecclesia pura & immaculata habitantem: *A cujus conspectu fugit terra & cælum*: quando terra & elementa calore solventur: *Et locus non est inventus eis*, secundum priorem speciem.

12. Et vidi (*k*) mortuos, magnos & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & alius liber apertus est qui est vitæ: & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.

13. Et dedit mare (*l*) mortuos, qui in eo erant: & mors & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant: & judicatum est de singulis secundum opera ipsorum.

14. Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda.

15. Et qui non inventus est in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

CAPUT XXI.

Post eversum Anti-Christi regnum; cælestis Jerusalem describitur, ejus opes & splendor, muri, portæ, dimensiones, duodecim fundamenta, felicitas denique delineantur.

Is. 65. 17. & 66. 22. 2 Pet. 3. 13.

1. ET vidi cælum (*a*) novum, & terram novam. Primum enim cælum & prima terra abiit, & mare jam non est.

2. Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem (*b*) de cælo a Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.

3. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum (*c*) Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

4. * Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt (*d*). * Isa. 25. 8. Apoc. 7. 17.

5. Et dixit qui sedebat in throno: * Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt & vera. * Isa. 43. 19. 2. Cor. 5. 17.

6. Et dixit mihi: Factum (*e*) est. Ego sum α & ω: initium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis.

7. Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius (*f*).

8. Timidis (*g*) autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure: quod est mors secunda.

9. Et venit unus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis, & locutus est mecum, dicens: Veni, & ostendam tibi sponsam (*h*), uxorem agni.

10. Et

12. (*k*) Alios coram Judice perterritos, alios magno terrore concussos. *Et libri aperti sunt*, conscientia cujusque aperta erit, & manifesta. *Qui est liber vitæ*: divinæ prædestinationis, antea occultus. Vel liber vitæ est Evangelium ipsum.

13. (*l*) In resurrectione corporum: nam vers. 4 & 5. de resurrectione animarum tantummodo sermo erat: tectus jam diu aquæ & sepulcra mortuos suos dedissent. Ex his quædam colligit Meldensis Episcopus, quæ omittere non debemus. Primum ex iis, quæ ad persecutionem Antichristi spectant, quæque futuris temporibus sint involuta, id unum pro certo habendum, qualiscumque sit illius violentia, majorem fore seductionem. Quod Paulus Apostolus 2. Thessal. 2. insinuat his verbis: *Cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt*. Sævitiam ejus non memorat, aut effusionem sanguinis, uti nec Joannes in hoc capite vers. 3. 7. 9 & toto hoc in libro: sed neque Christus Matth. 24. *Surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophetæ: & dabunt signa magna & prodigia; ita ut in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi*. Itaque in persecutione Antichristi signa erunt & prodigia fallacia cum malitia, occulta simulatione & hypocrisi conjuncta; tametsi vis, aut crudelitas non deerit; sed deceptio prævalebit, ut in persecutione Ecclesiæ crudelitas & sanguinis effusio major fuit, quam deceptio, quæ tamen non aberat, sed ex præcipua ejus parte definiri debet. 2. Brevis erit illa persecutio, ut vers. 3. insinuat Joannes: sed utrum per tres annos cum semisse sit duratura, ut plerique e veteribus conjiciunt, certo definiri non potest; atque ut tempus illud ad persecutionem Antiochi esset exigendum, id forte a templi profanatione est numerandum, ex quo magis efferbuit illa Antiochi persecutio, quam Hieron. scribens in caput 8. Danielis probat ex Machabæis & Josepho longioris temporis spatio durasse. 3. Antichristi persecutionem a bestiæ persecutione, & falsi prophetæ seductione, esse diversam, & suos cuique esse distinctos characteres, probatum fuit ex cap. 11. 12. 13. & aliis, nisi anticipatione, & recapitulatione utamur. 4. Illud quoque non prætereundum videtur, Regnum Christi in hoc libro variis usurpari modis. Interdum in strictiori sensu pro eo temporis spatio, quod persecutiones Ecclesiæ est consecutum, & terræ regna Christi jugo colla submiserunt, ut cap. 11. vers. 15. & cap. 12. vers. 10. Interdum absolute, postquam Christus glorificatus regnare cœpit cum Sanctis suis, ut Apoc. cap. 1. 2. 3. 7. & 14. Quo quidem modo hoc caput intelligi debet, cui adjungenda est gloriæ Christi ac Sanctorum in terris manifestatio, & ejus ultima consummatio in fine sæculorum, cum inimicos posuerit scabellum pedum suorum, & electos suos in unum coegerit. Postremo, quod ad Millenarios attinet, eam quidem opinionem a Papia inductam quidam Patres priorum sæculorum secuti sunt, & inter alios Justinus martyr, qui tamen in dialogo cum Tryphone pag. 306. fatetur multos ex iis, qui piam & religiosam doctrinam profitentur, aliter sentire. Quamquam hic locus a quodam e numero Protestantium fœde est adulteratus, qui etiam infideli versioni adhæsit, ut probat Meldensis Episcopus. Sed nullum extat hujus opinionis vestigium apud Patres quarti sæculi; neque ejus meminerunt Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Origenes; eaque oppugnata fuit a Caio apud Eusebium Lib. 3. cap. 28. a Dionysio Alex. ut testatur Hieron. Lib. 18. in Isaiam, & Eusebius Lib. 7. Erroris occasionem præbuit hoc caput vicesimum, quod sensu spirituali intelligi oportere supra diximus: nam prima resurrectio, quam Joannes martyribus tribuit, ad animas felices martyrum spectat, quæ post mortem corporalem statim novam vitam sunt inceperunt. Quæ nonnulli Protestantium adjecerunt commenta, ut triplicem Christi adventum præter unum gloriosum, & Christum regnaturum per mille annos, post ultimum judicium, non amplius regnaturum, & alia opinionum portenta; hæc, inquam, præter ceteros copiose refellit Meldensis Episcopus. Et quidem si ad literam sumimus quæ de regno mille annorum dicuntur, in multa absurda ita nos inducemus, ut ex iis nullum exitum reperiamus. Illud tenendum est, unum Christi adventum visibilem fore, cum in gloria sua apparebit; neque enim per mille annos una cum Sanctis suis in terra futurum; sed cum iis in æternum in cælo regnaturum.

CAP. XXI.

1. (*a*) Hactenus S. Joannes historiam Ecclesiæ militantis, quæque ad extremum Dei judicium pertinent, nobis exhibuit. In postremis his duobus capitibus futuram beatitudinem nobis promissam vivis coloribus exprimit. Ac primum quidem cælum novum & terram novam se vidisse testatur, quæ superiori capite fugisse a facie sedentis dixerat, nova, inquam, qualitate & in statum præstantiorem mutata. *Et mare jam non est*, ut antea fuit, turbidum, inquietum, tempestatibus agitatum, *jam non est*, ut prius, sed renovatum. Nam ex 2. Petri Ep. cap. 3. novos cælos & novam terram expectamus. Alii serenitatis his locutionibus statum Ecclesiæ tranquillum & pacatum exprimi putant: sed in priori expositione potius acquiescimus, ac de Ecclesia triumphante magis quam de militante, quæ variis agitatur tempestatibus, hæc intelligenda nobis videntur. Quamquam utrique expositioni sua constet ratio.

2. (*b*) Vidit in spiritu civitatem in aere pensilem, & ad se paulatim accedentem: sed sensus genuinus Ecclesiam designat, quæ e cælo descendit, quæque inde suam ducit originem; nam sumus cives Sanctorum. *Paratam sicut sponsam ornatam viro suo*; vel a sponso, vel uni sponso suo ornatam: quod Christianæ mulieres præstare debent, ut ornatum modestum propter solum sponsum affectent.

3. (*c*) Id Lev. 26. 11. pollicetur Deus, eaque promissio omnino implebitur. *Et ipse Deus cum eis erit eorum Deus*: est enim Deus viventium, non mortuorum, quomodo, *est Deus Abraham, Isaac & Jacob. Hoc illis est* nomen in æternum. Exod. 3. ergo illi vivent in æternum.

4. & 5 (*d*) Vita mortalis plena ærumnis. *Vera*. Ita evenient, ut prædixi.

6 (*e*) Opus Dei est consummatum, mors ipsa destructa est. Vel præteritum pro futuro, more Prophetarum.

7. (*f*) Electos omnes ut filios suos habebit: hæreditatis suæ participes efficiet.

8. (*g*) Qui timent quod timendum non est. Gr. ignavis, qui persecutoribus cedunt, & *incredulis*, qui fidem divinis promissionibus non habent: *execratis*, qui more Gentilium vivunt, & vitam ducunt a Christiana penitus alienam: mendacium etiam accipitur pro falsa doctrina; aut *mendaces*, qui dolis & fraudibus proximum fallunt.

9. 10. & 11. (*h*) Urbem e cælo descendentem. *In spiritu*. In visione spirituali. *Civitatem sanctam*; Gr. addit, magnam. *Lumen*, Gr. *luminare*, quod illuminat civitatem illam: *Sicut crystallum*; perspicuitatis crystallinæ.

10. Et sustulit me in spiritu in montem magnum, & altum, & ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cælo a Deo,

11. Habentem claritatem Dei, & lumen ejus simile lapidi pretioso tamquam lapidi jaspidis, sicut crystallum.

12. Et habebat murum magnum & altum, habentem portas (*i*) duodecim: & in portis Angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel.

13. Ab Oriente (*k*) portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Austro portæ tres, & ab Occasu portæ tres.

14. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.

15. Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur civitatem, & portas ejus, & murum.

16. Et civitas in quadro posita est, & longitudo (*l*) ejus tanta est, quanta & latitudo: & mensus est civitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia: & longitudo, & altitudo, & latitudo ejus, æqualia sunt.

17. Et mensus (*m*) est murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est Angeli.

18. Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide: ipsa vero civitas, aurum mundum simile vitro (*n*) mundo.

19. Et fundamenta (*o*) muri civitatis, omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum, jaspis: secundum, sapphirus: tertium, chalcedonius: quartum, smaragdus:

20. Quintum, sardonix: sextum, sardius: septimum, chrysolythus: octavum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chrysoprasus: undecimum, hyacinthus: duodecimum, amethystus.

21. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt, per singulas: & singulæ portæ erant ex singulis margaritis: & platea civitatis aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum.

22. Et templum (*p*) non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, & Agnus.

23. * Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus est Agnus. * Is. 6. 19

24. Et ambulabunt gentes (*q*) in lumine ejus: & reges terræ afferrent gloriam suam, & honorem in illam.

25. * Et portæ (*r*) ejus non claudentur per diem: nox enim non erit illic. * Is 60. 11.

26. Et afferent gloriam & honorem gentium in illam.

27. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

CAPUT XXII.

Videt Joannes fluvium aquæ vivæ, qui e throno Dei emanat, & ex utraque ripa arbores: beati qui Agni sanguine mundantur.

1. ET ostendit mihi fluvium aquæ vitæ (*a*), splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni.

2. In medio plateæ ejus (*b*), & ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem Gentium.

3. Et omne maledictum (*c*) non erit amplius: sed sedes Dei & Agni in illa erunt, & servi ejus servient illi.

4. Et videbunt faciem ejus: & nomen (*d*) ejus in frontibus eorum.

5. * Et nox ultra non erit: & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis (*e*), quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum. * Isa. 60. 20.

6. Et dixit mihi: Hæc verba fidelissima sunt & vera. Et Dominus Deus spirituum prophetarum misit Angelum suum ostendere servis suis quæ oportet fieri cito.

7. Et ecce venio velociter (*f*). Beatus, qui custodit verba prophetiæ libri hujus.

8. Et

12. (*i*) Ut Ezech. 48. 32. ut per eas intrent omnes tribus, seu omnes electi. *Murum*, ut cives in tuto sint. *Angelos*, qui portas custodiant, ne hostium pateant incursibus; *Et nomina duodecim tribuum*, totius populi Dei.

13. (*k*) Ex omni regione populi in eam urbem intrant.

16. (*l*) Videtur non de muris, quorum mensuram mox describet, sed de ipsis domibus sermonem facere: eæ quippe ad eumdem modulum factæ dicuntur, adeo ut una alteram non excedat.

17. (*m*) Quoad ipsam altitudinem: Angelus usus est mensura, qualem homines solent adhibere.

18. (*n*) Summa puritas civitatis illius cælestis insinuatur.

19. (*o*) Singulos fundamentorum lapides singulis gemmis, portas margaritis, muros jaspide, civitatem totam auro mundo & pellucido constare ait, ut ex rerum sensibilium consideratione, quibus nihil est in terra pretiosius, ad contemplationem rerum cælestium nos ducat. Sic varias Beatorum dotes, & diversos in iis gloriæ gradus insinuat. Gemmæ, quas nominat, eædem pene sunt quæ in summi Pontificis rationali designantur, Exod. 28.

22. (*p*) Materiale templum non vidit, quia Deus est illis vice templi. Atque hinc colligitur, templum illud apud Ezech. c. 40. & seq. descriptum spirituali modo perfectum iri.

24. (*q*) Quæ salvabuntur, ambulabunt in lumine ejus civitatis: nam vox Græca πόλις est feminini generis.

25. (*r*) Numquam claudentur: nam dies erit perpetuus, ut summa erit securitas.

CAPUT XXII. 1. (*a*) Addunt Græci καθαρὸν purum. Hæc est æterna felicitas, quam aquæ templi apud Ezechielem cap. 47. figurabant; atque non alia est ejus templi ab Ezechiele descripti perfectio ab ea, quam Joannes nobis hoc loco exhibet. Gagnæus per *fluvium* Spiritum sanctum intelligit, quem Joannes vidit *procedentem de sede Dei, & Agni*, a Patre scilicet & Filio procedentem. Verum hæc explicatio non placet Estio, quod hic non agatur de processione Spiritus sancti, sed de exuberante donorum Dei effusione, quæ a Deo, ut ab effectrice caussa dimanant: seu de aquis baptismi, & baptisteriis, quæ sub Constantino & aliis qui consecuti sunt Imperatoribus, magnifice in Ecclesiis sunt extructa; sive de æterna felicitate hæc sint intelligenda.

2. (*b*) Civitatis; *Lignum vitæ*, ita Ezech. cap. 47. v. 12. Arbor vitæ amissam immortalitatem nobis restituit. Lignum vitæ uti & fluvius cælestem beatitudinem significant. Nam, ut bene Menochius, in visionibus ænigmaticis res eadem per diversas figuras significari solet, cum est magni momenti, neque illa uno symbolo, aut figura exprimi potest. *Et folia ligni*: videtur loqui de præsenti Ecclesia, ut cap. 21. sed eadem est Ecclesia, in diverso statu.

3. (*c*) Illa civitas immunis erit ab omni maledicto; nihil erit quod maledictionem mereatur, nullum peccatum, nulla infirmitas.

4. (*d*) Erunt æterna Dei possessio: *Videbunt faciem ejus*. Dei & Agni; videntes mentis oculis essentiam Dei, & oculis corporis faciem Christi Domini: de hominibus a morte suscitatis hoc loco agitur; interim tamen animæ Sanctorum videbunt essentiam Dei.

5. (*e*) Isaiæ 60. v. 20. *Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minuetur*. Hoc loco Deus est sol ipse. Lunæ autem nulla fit mentio, nulla quippe est ibi mutatio. Unde supra cap. 12. mulier, seu Ecclesia lunam habet sub pedibus suis.

7. (*f*) Christus ipse loqui videtur; nolite terreri eorum minis & suppliciis: hæc cito finientur; eo veniam & singulis reddam pro meritis.

8. Et ego Joannes, qui audivi, & vidi hæc. Et postquam audissem, & vidissem, cecidi ut adorarem (g) ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat:

9. Et dixit mihi: Vide ne feceris: conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui servant verba prophetiæ libri hujus: Deum adora.

10. Et dixit mihi: Ne signaveris (h) verba prophetiæ libri hujus: tempus enim prope est.

11. Qui nocet (i), noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui justus est, justificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc.

12. Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.

* Isa. 41. 4. & 44. 6. & 48. 12. Sup. 1. 8. 17 & 21. 6.

13. * Ego (k) sum α, & ω, primus, & novissimus, principium & finis.

14. Beati, qui lavant (l) stolas suas in sanguine Agni: ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem.

15. Foris canes (m), & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat, & facit mendacium.

16. Ego Jesus misi Angelum meum, testificari (n) vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix & genus David, stella splendida & matutina.

17. Et spiritus (o) & sponsa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui sitit, veniat: * & qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis. * Isa. 55. 1.

18. Contestor (p) enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.

19. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate sancta, & de his, quæ scripta sunt in libro isto.

20. Dicit qui testimonium perhibet istorum. Etiam venio cito: Amen. Veni (q) Domine Jesu.

21. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

8. & 9. (g) An forte Angelus ille personam Christi exprimebat? at si ita est, cur prohibetur Joannes adorare Filium Dei in persona Angeli? Cur ei dicitur, *Deum adora*? hoc enim ipsum faciebat. Itaque videtur Angelus hæc dicere, quia revelabat mysteria, ut solent sæpe Prophetæ in persona Dei loqui, etiamsi illud non præmittant: *Hæc dicit Dominus*. *Prophetiæ*, hoc verbum deest in Græco textu.

10. (h) Ne obsignaveris, ne celaveris hæc oracula; scribe potius, & omnibus expone, quæ omnibus sunt utilia.

11. (i) Hæc verba neque præceptive dicuntur, ut patet, neque tantum permissive, ut liquet ex duabus posterioribus membris. *Qui justus est, justificetur adhuc*, &c. sed prædicuntur tantum: injustitiam ad certum tempus tolerat Deus; sed tum nullum erit ejus nocumentum. Aut juxta alios hæc comminatorie & ironice intelligi debent: Si non sufficiunt eis præteritæ sordes, sordescant adhuc, quando illis ita visum est; sed qui sanctus est, curet ut sanctior sit; *quia ecce venio, & merces mea mecum est*: Christus ipse loquitur.

13. (k) Hæc verba Christi divinitatem omnino significant, quod nihil sit eo prius, aut posterius.

14. (l) Qui per pœnitentiam merito passionis Christi maculas animæ abluunt, ut possint fructu ligni vitæ in æternum vesci, & Apostolicam doctrinam sequentes, sunt æternæ vitæ participes: non enim licet intrare in sanctam civitatem nisi per Apostolorum portas.

15. (m) Impudici, impudentes, detractores, quales Joannes temporibus erant Judæi & hæretici: terrores hoc in capite miscentur consolationibus; nam & fluvium gratiæ, quo abluimur, sanguinem Christi, quo mundamur, commemorat.

16. (n) Nota hæc facere Ecclesiis. *Radix & genus David*; ortus ex radice & genere David; *Stella splendida*, cujus nomen est *Oriens*, ex Zach. 6. 12. *Stella matutina*, clarissimum cæli sidus.

17. (o) Spiritus sanctus, qui orare nos docet, & desiderare adventum Christi: *Et sponsa Ecclesia*, quæ gemitibus suis sponsum invitat ut veniat: *Et qui audit*, in se hanc vocem, dicat, *Veni Domine Jesu*: *Et qui sitit*, vitam æternam.

18. (p) Contestando admoneo. *Apposuerit*, adulteraverit addendo, aut demendo.

20. (q) Fidelis anima regnum Christi exoptat. Scriptura orditur a creatione mundi, & desinit in regni Dei consummatione, quæ est nova creatio.

F I N I S.

Oratio Manassæ, necnon Libri duo, qui sub libri Tertii & Quarti Esdræ nomine circumferuntur, hoc in loco, extra scilicet seriem Canonicorum Librorum, quos sancta Tridentina Synodus suscepit, & pro Canonicis suscipiendos decrevit, sepositi sunt, ne prorsus interirent, quippe qui a nonnullis sanctis Patribus interdum citantur, & in aliquibus Bibliis Latinis tam manuscriptis quam impressis reperiuntur.

ORATIO MANASSÆ REGIS JUDA, CUM CAPTUS TENERETUR IN BABYLONE.

OMINE omnipotens, Deus patrum nostrorum, Abraham, & Isaac, & Jacob, & seminis eorum justi, qui fecisti cælum & terram cum omni ornatu eorum, qui ligasti mare verbo præcepti tui, qui conclusisti abyssum, & signasti eam terribili & laudabili nomine tuo: quem omnia pavent, & tremunt a vultu virtutis tuæ, quia importabilis est magnificentia gloriæ tuæ, & insustentabilis ira comminationis tuæ super peccatores: immensa vero & investigabilis misericordia promissionis tuæ: quoniam tu es Dominus, altissimus, benignus, longanimis, & multum misericors, & pœnitens super malitias hominum. Tu Domine, secundum multitudinem bonitatis tuæ, promisisti pœnitentiam & remissionem iis, qui peccaverunt tibi, & multitudine miserationum tuarum decrevisti pœnitentiam peccatoribus, in salutem. Tu igitur Domine Deus justorum, non posuisti pœnitentiam justis, Abraham, & Isaac, & Jacob, iis qui tibi non peccaverunt: sed posuisti pœnitentiam propter me peccatorem: quoniam peccavi super numerum arenæ maris: multiplicatæ sunt iniquitates meæ Domine, multiplicatæ sunt iniquitates meæ, & non sum dignus intueri & aspicere altitudinem cæli, præ multitudine iniquitatum mearum. Incurvatus sum multo vinculo ferreo, ut non possim attollere caput meum, & non est respiratio mihi: quia excitavi iracundiam tuam, & malum coram te feci: non feci voluntatem tuam, & mandata tua non custodivi: statui abominationes, & multiplicavi offensiones. Et nunc flecto genu cordis mei, precans a te bonitatem. Peccavi, Domine, peccavi, & iniquitates meas agnosco. Quare peto rogans te, remitte mihi Domine, remitte mihi, & ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum, iratus, reserves mala mihi, neque damnes me in infima terræ loca: quia tu es Deus, Deus, inquam, pœnitentium: & in me ostendes omnem bonitatem tuam; quia indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam, & laudabo te semper omnibus diebus vitæ meæ: quoniam te laudat omnis virtus cælorum, & tibi est gloria in sæcula sæculorum. Amen.



LIBER ESDRÆ TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Magnificum Phase, quod Josias immolavit, celebrando septem diebus festum Azymorum, cui successerunt in regno Juda Jechonias, Joacim, Joachin, & Sedecias: eorumque ac populi captivitas propter sua scelera, urbisque subversio describuntur.

1. ET fecit Josias Pascha in Jerosolymis Domino, & immolavit Phase quartadecima luna primi mensis.
2. Statuens sacerdotes per vices dierum stolis amictos in templo Domini.
3. Et dixit Levitis sacris servis Israel, ut sanctificarent se Domino in positione sanctæ arcæ Domini, in domo, quam ædificavit Salomon filius David rex.
4. Non erit vobis tollere super humeros eam. Et nunc deservite Domino vestro, & curam agite gentis illius Israel ex parte secundum pagos & tribus vestras,
5. Secundum scripturam David regis Israel, & secundum magnificentiam Salomonis filii ejus, omnes in templo, & secundum particulam principatus paternam vestram, eorum qui stant in conspectu fratrum filiorum Israel.
6. Immolate Pascha, & sacrificia parate fratribus vestris, & facite secundum præceptum Domini quod datum est Moysi.
7. Et donavit Josias in plebem, quæ inventa est, olium, agnorum, & hœdorum, & caprarum triginta millia, vitulos tria millia:
8. Hæc de regalibus data sunt secundum promissionem populo: & sacerdotibus in Pascha, oves numero duo millia, ac vituli centum.
9. Et Jechonias, & Semejas, & Nathanael fratres, & Hasabias, & Oziel, & Coraba, in Phase, oves quinquemillia, vitulos quingentos.
10. Et hæc cum fierent eleganter, steterunt sacerdotes & Levitæ, habentes azyma per tribus,
11. Et secundum partes principatus patrum, in conspectu populi offerebant Domino, secundum ea, quæ in libro Moysi scripta sunt:
12. Et assaverunt Phase igni prout oportebat: & hostias coxerunt in emolis, & in ollis cum benevolentia:
13. Et attulerunt omnibus qui erant ex plebe: & post hæc paraverunt sibi & sacerdotibus:
14. Sacerdotes enim offerebant adipes, usquedum finita esset hora: & Levitæ paraverunt sibi, & fratribus suis filiis Aaron.
15. Et sacri cantores filii Asaph erant per ordinem secundum præceptum David, & Asaph, & Zacharias, & Jeddinus, qui erat a Rege.
16. Et ostiarii per singulas januas, ita ut non prævaricaretur unusquisque suam: fratres enim illorum paraverunt illis.
17. Et consummata sunt quæ pertinebant ad sacrificium Domini.
18. In illa die egerunt Phase, & offerebant hostias super Domini sacrificium; secundum præceptum regis Josiæ.
19. Et egerunt filii Israel, qui inventi sunt in tempore illo, Phase: & diem festum azymorum per dies septem.
20. Et non est celebratum Phase tale in Israel, a temporibus Samuelis Prophetæ.
21. Et omnes reges Israel non celebraverunt tale Pascha quale egit Josias, & Sacerdotes, & Levitæ, & Judæi, & omnis Israel, qui inventi sunt in commoratione Jerosolymis.
22. Octavo decimo anno, regnante Josia celebratum est Phase.
23. Et directa sunt opera Josiæ in conspectu Domini sui in corde pleno metuentis:
24. Et quæ circa illum quidem conscripta sunt, in pristinis temporibus de eis, qui peccaverunt, quique irreligiosi fuerunt in Dominum præ omni gente, & qui non quæsierunt verba Domini super Israel.
25. Et post omnem actum hunc Josiæ, ascendit Pharan rex Ægypti, veniens in Carchamis ab itinere super Euphratem, & exiit obviam illi Josias.
26. Et misit rex Ægypti ad Josiam, dicens: Quid mihi & tibi est rex Judæ?
27. Non sum missus a Domino ut pugnem contra te: super Euphraten enim bellum meum est, festinans descende.
28. Et non est reversus Josias super currum: sed expugnare eum conabatur, non attendens verbum prophetæ ex ore Domini:
29. Sed constituit ad eum bellum in campo Mageddo. Et descenderunt principes ad regem Josiam.
30. Et dixit rex pueris suis, Amovete me a prælio, infirmatus sum enim valde. Et statim amoverunt eum pueri ipsius de acie.
31. Et ascendit super currum secundarium suum: & perveniens Jerosolymam, vita functus est, & sepultus in paterno sepulcro.
32. Et in tota Judæa lugebant Josiam: & qui præsidebant, cum uxoribus lamentabant eum, usque in hunc diem. Et datum est hoc fieri semper in omne genus Israel.
33. Hæc autem præscripta sunt in libro historiarum regum Judæ: & singula gesta actus Josiæ, & ejus gloria & intellectus ejus in lege Domini: quæque gesta sunt ab eo, & quæ non scripta sunt in libro regum Israel & Judæ.
34. Et assumentes, qui erant ex gente, Jechoniam filium Josiæ, constituerunt regem pro Josia patre suo, cum esset annorum triginta trium.
35. Et regnavit super Israel mensibus tribus. Et amovit eum rex Ægypti, ne regnaret in Jerosolymis:
36. Et multavit gentem argenti talenta centum, & auri talentum unum.

37. Et constituit rex Ægypti Joacim fratrem ipsius, regem Judæ & Jerusalem.

38. Et alligavit magistratus Joacim, & Zaraceiem fratrem suum, & apprehendens reduxit in Ægyptum.

39. Annorum erat Joacim vigintiquinque, cum regnare cœpisset in terra Juda & Jerusalem: & fecit malum in conspectu Domini.

40. Post hunc autem ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, & alligans eum in æreo vinculo, perduxit in Babyloniam:

41. Et sacra vasa Domini accepit Nabuchodonosor, & tulit & consecravit in templo suo in Babylonia.

42. Nam de immunditia illius, & irreligiositate scriptum est in libro temporum regum.

43. Et regnavit Joachin filius ejus pro eo. Cum autem constitutus esset rex, erat annorum decem & octo.

44. Regnavit autem menses tres, & dies decem in Jerusalem, & fecit malum in conspectu Domini.

45. Et post annum mittens Nabuchodonosor, transmigravit eum in Babyloniam simul cum sacris vasis Domini.

46. Et constituit Sedeciam regem Juda & Jerusalem, cum esset annorum vigintiunius: regnavit autem annis undecim.

47. Et fecit malum in conspectu Domini, & non est veritus a verbis, quæ dicta sunt ab Jeremia propheta ex ore Domini.

48. Et adjuratus a rege Nabuchodonosor, perjurans discessit: & indurata cervice sua, & corde suo, transgressus est legitima Domini Dei Israel.

49. Et duces populi Domini multa inique gesserunt, & impie egerunt super omnes immunditias gentium: & polluerunt templum Domini quod sanctum erat in Jerosolymis.

50. Et misit Deus patrum ipsorum per Angelum suum revocare eos, propter quod parceret illis, & tabernaculo suo.

51. Ipsi vero subsannabant in Angelis suis: & qua die locutus est Dominus, erant illudentes prophetis ejus.

52. Qui usque ad iracundiam concitatus est super gentem suam, propter irreligiositatem suam, & præcepit ascendere reges Chaldæorum.

53. Hi occiderunt juvenes eorum in gladio, in circuitu sancti templi eorum, & non pepercerunt juveni, & seni, & virgini, & adolescenti.

54. Sed omnes traditi sunt in manus ipsorum: & omnia sacra vasa Domini, & regales apothecas reiumentes, tulerunt in Babyloniam,

55. Et incenderunt domum Domini, & demolierunt muros Jerusalem: & turres ejus incenderunt igne,

56. Et consummaverunt omnia honorifica ejus, & ad nihilum redegerunt: & reliquos a gladio duxerunt in Babylonem.

57. Et erant servi illius usque dum regnarent Persæ in repletione verbi Domini in ore Jeremiæ.

58. Quousque benigne ageret terra sabbata sua, omni tempore desertionis suæ sabbatizavit in applicatione annorum septuaginta.

CAPUT II.

Cyrus rex Persarum Judæos in regno suo captivos remittit in terram suam: qui cum restaurarent Jerusalem, prohibiti sunt ab Artaxerxe propter quorumdam delationem.

1. Regnante Cyro rege Persarum in consummatione verbi Domini in ore Jeremiæ,

2. Suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, & prædicavit in toto regno suo simul per scripturam,

3. Dicens: Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Me constituit regem orbis terrarum Dominus Israel, Dominus excelsus,

4. Et significavit mihi ædificare domum sibi in Jerusalem, quæ est in Judæa.

5. Si quis est ex genere vestro, Dominus ipsius ascendat cum eo in Jerusalem.

6. Quotquot ergo circa loca habitant, adjuvent eos qui sunt in loco ipso, in auro & argento,

7. In dationibus, cum equis & jumentis, cumque aliis quæ secundum vota apponuntur in ædem Domini quæ est in Jerusalem.

8. Et stantes principes tribuum, pagorum, & Judææ, ex tribu Benjamin, & Sacerdotes & Levitæ, quos excitavit Dominus ascendere & ædificare Domum Domini quæ est in Jerusalem, & qui erant in circuitu eorum,

9. Adjuverunt in omni auro & argento ejus, & jumentis, & votis compluribus multi quorum sensus excitatus est.

10. Et Cyrus rex protulit vasa sacra Domini, quæ transtulit Nabuchodonosor rex Babylonis ex Jerusalem, & consecravit ea idolo suo.

11. Et proferens ea Cyrus rex Persarum, tradidit Mithridato, qui erat super thesauros ipsius.

12. Per hunc autem tradita sunt Salmanasaro præsidi Judææ.

13. Horum autem hic numerus. Libatoria argentea duo millia quadraginta, athiscæ argenteæ triginta: phialæ aureæ triginta, item argenteæ duo millia quadringentæ: & alia vasa mille.

14. Omnia autem vasa aurea & argentea quinque millia octingenta sexaginta.

15. Et enumerata sunt Salmanasaro simul cum his qui ex captivitate Babyloniæ venerant in Jerosolymam.

16. In Artaxerxis autem regis Persarum temporibus scripserunt ei de his qui habitabant in Judæa & Jerusalem, Balsamus, & Mithridatus, & Sabellius, & Rathimus, Balthemus, Samellius scriba, & reliqui habitantes in Samaria, & ceteris locis, subjectam epistolam Regi Artaxerxi.

17. Domine, pueri tui Rathimus ab accidentibus, & Sabellius scriba, & reliqui curiæ tuæ judices in Cœlesyria, & Phœnice.

18. Et nunc notum sit domino regi, quoniam Judæi qui ascenderunt a vobis ad nos, venientes in Jerusalem civitatem refugam & pessimam, ædificant furnos ejus, & statuunt muros, & templum suscitant.

19. Quod si civitas ista & muri consummati fuerint, non tantum tributa non sustinebunt pendere, sed etiam regibus resistent.

20. Et quia id agitur circa templum, recte habere arbitrati sumus non despicere hoc ipsum:

21. Sed

21. Sed notum facere domino regi, ut si videbitur, rex, quæratur in libris patrum tuorum,

22. Et invenies in admonitionibus scripta de his, & scies quoniam civitas ista fuit refuga, & reges, & civitates concutiens.

23. Et Judæi refugæ, & prælia committentes in ea ab æterno, ob quam caussam civitas ista deserta est.

24. Nunc ergo notum facimus, domine rex, quoniam si civitas hæc ædificata fuerit, & hujus muri erecti fuerint, descensus tibi non erit in Cœlesyriam, & Phœnicen.

25. Tunc scripsit rex Rathimo, qui scribebat accidentia, & Balchemo, & Sabellio scribæ, & ceteris constitutis, & habitantibus in Syria & Phœnice, ea quæ subjecta sunt.

26. Legi epistolam, quam misistis mihi. Præcepi ergo inquiri, & inventum est, quoniam civitas illa est ab ævo regibus resistens,

27. Et homines refugæ, & prælia in ea efficientes, & reges fortissimi erant in Jerusalem dominantes, & tributa exigentes a Cœlesyria, & Phœnice.

28. Nunc ergo præcepi prohibere homines illos ædificare civitatem, & prohibere ne quid ultra hæc fiat:

29. Sed nec procedant in plurimum ea quæ sunt malitiæ, ita ut regibus molestia importetur.

30. Tunc recitatis his quæ a rege Artaxerxe scripta fuerant, Rathimus, & Sabellius scriba, & qui cum his constituti erant, jungentes festinanter venerunt in Jerusalem cum equitatu, & turba, & agmine.

31. Cœperuntque ædificantes prohibere, & vacabant ab ædificatione templi in Jerusalem, usque secundo anno regni Darii regis Persarum.

CAPUT III.

Dario post splendidam cœnam omnibus suis præfectis factam dormiente, tres corporis ejus custodes problema moverunt, Num vinum, rex, mulier, an veritas præstent: & primum de vino probatur.

1. REx Darius fecit cœnam magnam omnibus vernaculis suis, & omnibus magistratibus Mediæ & Persidis,

2. Et omnibus purpuratis, & prætoribus, & consulibus, & præfectis sub illo ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem provinciis.

3. Et cum manducassent, & bibissent, & satiati reverterentur, tunc Darius rex ascendit in cubiculum suum, & dormivit, & expergefactus est.

4. Tunc illi tres juvenes corporis custodes, qui custodiebant corpus regis, dixerunt alter alteri:

5. Dicamus unusquisque nostrum sermonem qui præcellat: & cujuscumque apparuerit sermo sapientior alterius, dabit illi rex Darius dona magna,

6. Purpura cooperiri, & in auro bibere, & super aurum dormire, & currum aureo fræno, & cydarim byssinam, & torquem circa collum:

7. Et secundo loco sedebit a Dario propter sapientiam suam, & cognatus Darii vocabitur.

8. Tunc scribentes singuli suum verbum signaverunt, & posuerunt subtus cervical Darii regis,

9. Et dixerunt, Cum surrexerit rex, dabimus illi scripta nostra: & quodcumque judicaverit rex e tribus, & magistratus Persidis, quoniam verbum ejus sapientius est, ipsi dabitur victoria sicut scriptum est.

10. Unus scripsit, Forte est vinum.

11. Alius scripsit, Fortior est rex.

12. Tertius scripsit, Fortiores sunt mulieres: super omnia autem vincit veritas.

13. Et cum surrexisset rex, acceperunt scripta sua, & dederunt illi, & legit.

14. Et mittens vocavit omnes magistratus Persarum, & Medos, & purpuratos, & prætores, & præfectos:

15. Et sederunt in concilio: & lecta sunt scripta coram ipsis.

16. Et dixit: Vocate adolescentes, & ipsi indicabunt verba sua. Et vocati sunt, & introierunt.

17. Et dixit illis: Indicate nobis de his quæ scripta sunt. Et cœpit prior, qui dixerat de fortitudine vini,

18. Et dixit: Viri, quam prævalet vinum omnibus hominibus qui bibunt illud? seducit mentem.

19. Itemque regis & orphani facit mentem vanam. Item servi ac liberi, pauperis ac divitis,

20. Et omnem mentem convertit in securitatem & jucunditatem, & non meminit omnem tristitiam & debitum,

21. Et omnia præcordia facit honesta, & non meminit regem, nec magistratum, & omnia per talenta loqui facit.

22. Et non meminerunt, cum biberunt, amicitiam, nec fraternitatem: sed non multum post sumunt gladios.

23. Et cum a vino merserint & surrexerint, non meminerunt quæ gesserunt.

24. O viri, num præcellit vinum? quis sic cogitat facere? Et tacuit hoc dicto.

CAPUT IV.

Probatur excellens fortitudo regis, mulieris, & veritatis: sed data veritati palma, Darius ad petitionem Zorobabel reddit sacra vasa, scribens ut Judæis detur libertas, & impensa ad extructionem Jerusalem.

1. ET inchoavit sequens dicere, qui dixit de fortitudine regis.

2. O viri, num præcellunt homines, qui terram & mare obtinent, & omnia quæ in eis sunt?

3. Rex autem super omnia præcellit, & dominatur eorum: & omne quodcumque dixerit illis, faciunt.

4. Et si miserit illos ad bellatores, vadunt, & demoliuntur montes, & muros, & turres.

5. Jugulantur, & jugulant, & regis verba non prætereunt: nam si vicerint, afferunt regi omnia quæcumque prædati fuerint.

6. Similiter & alii omnes, & quotquot non militant, nec pugnant, sed colunt terram: rursum cum fuerint merentes, afferunt tributa regi:

7. Et ipse unus solus si dixerit occidite, occidunt: dixerit remittite, remittunt:

8. Dixerit percutite, percutiunt: dixerit exterminate, exterminant: dixerit ædificate, ædificant:

9. Di-

9. Dixerit excidite, excidunt: dixerit plantate, plantant:

10. Et omnis plebs & virtutes eum obaudiunt, & super hoc ipse recumbit, & bibit, & dormit.

11. Hi autem custodiunt in circuitu eum, & non possunt ire singuli, & facere opera sua, sed in dicto obaudientes sunt ei.

12. Viri, quomodo non præcellit rex qui sic diffamatur? Et tacuit.

13. Tertius qui dixerat de mulieribus & veritate, hic est Zorobabel, cœpit loqui.

14. Viri, non magnus rex, & multi homines, nec vinum præcellit. Quis est ergo qui dominatur eorum?

15. Nonne mulieres genuerunt regem, & omnem populum, qui dominatur mari & terræ:

16. Et ex illis nati sunt, & ipsæ educaverunt eos qui plantaverunt vineas, ex quibus vinum fit?

17. Et ipsæ faciunt stolas omnium hominum, & ipsæ faciunt gloriam hominibus, & non possunt homines separari a mulieribus.

18. Si congregaverint aurum & argentum, & omnem rem speciosam, & viderint mulierem unam bono habitu & bona specie,

19. Omnia hæc relinquentes in eam intendunt, & aperto ore conspiciunt, & eam alliciunt magis quam aurum & argentum, & omnem rem pretiosam.

20. Homo patrem suum relinquit qui enutriit illum, & suam regionem, & ad mulierem se conjungit.

21. Et cum muliere remittit animam: & neque patrem meminit, neque matrem, neque regionem.

22. Et hinc oportet vos scire: quoniam mulieres dominantur vestri. Nonne doletis?

23. Et accipit homo gladium suum, & vadit in viam facere furta, & homicidia, & mare navigare & flumina,

24. Et leonem videt, & in tenebris ingreditur: & cum furtum fecerit, & fraudes, & rapinas, amabili suæ affert.

25. Et iterum, diligit homo uxorem suam magis quam patrem, aut matrem.

26. Et multi dementes facti sunt propter uxores suas: & servi facti sunt propter illas:

27. Et multi perierunt & jugulati sunt, & peccaverunt propter mulieres.

28. Et nunc credite mihi, quia magnus est rex in potestate sua: quoniam omnes regiones verentur tangere eum.

29. Videbam tamen Ape non filiam Bezacis, mirifice concubinam regis, sedentem juxta regem ad dexteram,

30. Et auferentem diadema de capite ejus, & imponentem sibi, & palmis cædebat regem de sinistra manu.

31. Et super hæc aperto ore intuebatur eam: & si arriserit ei, ridet: nam si indignata ei fuerit, blanditur, donec reconcilietur in gratiam.

32. O viri, cur non sunt fortiores mulieres? Magna est terra, & excelsum est cælum: quis ista agit?

33. Et tunc rex, & purpurati intuebantur in alterutrum. Et inchoavit loqui de veritate.

34. O viri, nonne fortes sunt mulieres? Magna est terra, & excelsum est cælum; & velox cursus solis convertit in gyro cælum in locum suum in una die.

35. Nonne magnificus est qui hæc facit, & veritas magna, & fortior præ omnibus?

36. Omnis terra veritatem invocat, cælum etiam ipsam benedicit, & omnia opera moventur, & tremunt eam, & non est cum ea quidquam iniquum.

37. Vinum iniquum, iniquus rex, iniquæ mulieres, iniqui omnes filii hominum, & iniqua illorum omnia opera, & non est in ipsis veritas, & in sua iniquitate peribunt:

38. Et veritas manet, & invalescit in æternum, & vivit, & obtinet in sæcula sæculorum.

39. Nec est apud eam accipere personas, neque differentias: sed quæ justa sunt facit omnibus, injustis ac malignis, & omnes benignantur in operibus ejus.

40. Et non est in judicio ejus iniquum, sed fortitudo, & regnum, & potestas, & majestas omnium ævorum. Benedictus Deus veritatis.

41. Et desiit loquendo. Et omnes populi clamaverunt, & dixerunt, Magna est veritas, & prævalet.

42. Tunc rex ait illi, Pete, si quid vis amplius, quam quæ scripta sunt, & dabo tibi, secundum quod inventus es sapientior proximis, & proximus mihi sedebis, & cognatus meus vocaberis.

43. Tunc ait regi, Memor esto voti tui, quod vovisti, ædificare Jerusalem, in die qua regnum accepisti:

44. Et omnia vasa quæ accepta sunt ex Jerusalem, remittere, quæ separavit Cyrus, quando mactavit Babyloniam, & voluit remittere ea ibi.

45. Et tu vovisti ædificare templum quod incenderunt Idumæi, quando exterminata est Judæa a Chaldæis.

46. Et nunc hoc est quod postulo domine, & quod peto, hoc est majestas quod a te postulo, ut facias votum quod vovisti Regi cæli ex ore tuo.

47. Tunc surgens Darius rex, osculatus est illum: & scripsit epistolas ad omnes dispensatores, & præfectos, & purpuratos, ut deducerent eum, & eos qui cum illo erant, omnes ascendentes ædificare Jerusalem.

48. Et omnibus præfectis, qui erant in Syria, & Phœnice, & Libano scripsit epistolas, ut traherent ligna cedrina a Libano in Jerusalem, ut ædificarent cum eis civitatem.

49. Et scripsit omnibus Judæis qui ascendebant a regno in Judæam pro libertate, omnem potentem, & magistratum, & præfectum non supervenire ad januas ipsorum,

50. Et omnem regionem quam obtinuerant immunem esse eis, & Idumæi relinquant castella quæ obtinent Judæorum,

51. Et in structuram templi dare per singulos annos talenta viginti, usque dum perædificaretur:

52. Et super sacrarium holocautomata ustulare quotidie, sicut habent præceptum: alia talenta decem offerre per singulos annos,

53. Et omnibus qui procedunt a Babylonia condere civitatem: ut esset libertas tam ipsis quam filiis eorum, & omnibus sacerdotibus qui præcedunt.

54. Scri-

54. Scripsit autem & quantitatem, & sacram stolam jussit dari, in qua deservirent;

55. Et Levitis scripsit dare præcepta, usque in diem qua consummabitur domus, & Jerusalem exstruetur:

56. Et omnibus custodientibus civitatem scripsit dari ei sortes & stipendia.

57. Et dimisit omnia vasa quæcumque separaverat Cyrus a Babylonia, & omnia quæcumque dixit Cyrus, & ipse præcepit fieri, & mitti Jerusalem.

58. Et cum processisset ille adolescens, elevans faciem in Jerusalem, benedixit Regem Cæli.

59. Et dixit, abs te est victoria, & abs te est sapientia & claritas. Et ego servus tuus sum.

60. Benedictus es qui dedisti mihi sapientiam, & tibi confitebor Domine Deus patrum nostrorum.

61. Et accepit epistolas, & profectus est in Babyloniam. Et venit, & nuntiavit fratribus suis omnibus qui fuerunt in Babylonia:

62. Et benedixerunt Deum patrum suorum, quoniam dedit illis remissionem & refrigerium,

63. Ut ascenderent & ædificarent Jerusalem, & templum ubi nominatum est nomen ejus in ipso, & exultaverunt cum musicis & lætitia diebus septem.

CAPUT V.

Redeuntes a Babylonica captivitate in Jerusalem & Judæam recensentur; & restituunt Dei cultum, sed tandem a cœpto opere ad tempus impediuntur.

1. POst hæc autem electi sunt, ut ascenderent principes pagorum per domos, & tribus suas, & uxores illorum, & filii & filiæ eorum, & servi & ancillæ ipsorum, & pecora eorum.

2. Et Darius rex misit una cum eis equites mille, donec deducerent eos in Jerusalem cum pace, & cum musicis & cum tympanis & tibiis.

3. Et omnes fratres erant ludentes, & fecit eos ascendere simul cum eis.

4. Et hæc sunt nomina virorum, qui ascenderunt per pagos suos in tribus, & in partem principatus ipsorum.

5. Sacerdotes: Filii Phinees, filii Aaron, Jesus filius Josedech, Joacim filius Zorobabel filii Salathiel de domo David, ex progenie Phares, de tribu Juda,

6. Qui locutus est sub Dario rege Persarum sermones mirificos in secundo anno regni ipsius mense Nisan primo.

7. Sunt autem hi, qui ascenderunt ex Judæa de captivitate transmigrationis, quos transmigravit Nabuchodonosor rex Babiloniæ in Babylonem, & reversus est in Jerusalem.

8. Et requisivit partem Judææ unusquisque in civitatem suam, qui venerunt cum Zorobabel, & Jesu, Nehemias, Areores, Elimeo, Emmanio, Mardocheo, Beelsuro, Mechpsatochor, Olioro. Emonia unus de principibus eorum.

9. Et numerus a gentilibus eorum, ex præpositis eorum, filii Phares, duo millia centum septuaginta duo:

10. Filii Ares, tria millia centum quinquagintaseptem.

11. Filii Phœmo, centum quadragintaduo: in filiis Jesu & Joabes, mille trecenti duo:

12. Filii Demu, duo millia quadringenti septuaginta: filii Choraba, ducentiquinque: filii Banica, centum sexagintaocto:

13. Filii Bebech, quadringenti tres: filii Anchac, quadrigenti vigintiseptem:

14. Filii Cham trigintaseptem: Filii Zoroar, duo millia sexagintaseptem: filii Adin, quadringenti sexagintaunus:

15. Filii Aderectis, centum octo: filii Ciaso & Zelas, centum septem: filii Azoroc, quadringenti trigintanovem:

16. Filii Jedarbone, centum trigintaduo: filii Ananiæ, centum triginta: filii Asoni, nonaginta:

17. Filii Macsar, quadringenti vigintiduo: filii Zabarus, nonagintaquinque: filii Sepolemon, centum vigintitres:

18. Filii Nepopas, quinquagintaquinque: filii Nechanatus, centum quinquagintaocto: filii Cebethamus, centum trigintaduo:

19. Filii Crearpatros, qui Enocadies & Modie, quadringenti vigintitres: qui ex Gramas & Gabea, centum vigintiunus:

20. Qui ex Bessclon & Ceagge, sexagintaquinque: qui ex Bastaro, centum vigintiduo:

21. Qui ex Bechenobes, quinquagintaquinque: filii Liptis, centum quinquagintaquinque: filii Labonni, trecenti quinquagintaseptem:

22. Filii Sichem, trecenti septuaginta: filii Suadon, & Cliomus, trecenti septuagintaocto:

23. Filii Ericus, duo millia centum quadragintaquinque: filii Anaas, trecenti septuaginta. Sacerdotes.

24. Filii Jeddus, filii Euther, filii Eliasib, trecenti septuaginta duo: filii Emerus, ducenti quinquagintaduo:

25. Filii Phasurii, trecenti quinquagintaseptem: filii Carce, ducenti vigintiseptem.

26. Levitæ: Filii Jesu in Caduhel, & Bamis, & Serebias, & Edias, septuagintaquatuor, omnis numerus a duodecimo anno, triginta millia quadringenti sexagintaduo,

27. Filii, & filiæ, & uxores, omnis computatio, quadragintamillia ducenti quadragintaduo.

28. Filii sacerdotum, qui psallebant in templo: filii Asaph, centum vigintiocto.

29. Ostiarii vero: filii Esmenni, filii Aser, filii Amon, filii Accuba, Topa filii Tobi, omnes centum trigintanovem.

30. Sacerdotes servientes in templo: filii Sel, filii Gaspha, filii Tobloch, filii Cariæ, filii Su, filii Hellu, filii Labana, filii Armacha, filii Accub, filii Utha, filii Cetha, filii Agab, filii Obai, filii Anani, filii Canna, filii Geddu,

31. Filii An, filii Radin, filii Desanon, filii Nachoba, filii Casiba, filii Gaze, filii Ozui, filii Sinone, filii Attre, filii Hasten, filii Asiana, filii Manei, filii Nasissim, filii Accusu, filii Agista, filii Azui, filii Favon, filii Phasalon,

32. Filii Meedda, filii Phusa, filii Carce, filii Barcus, filii Sarce, filii Coesi, filii Nasit, filii Agisti, filii Pedon,

33. Salomon filii ejus, filii Asophot, filii Phasiada, filii Celi, filii Dedon, filii Gaddahel, filii Sephegi,

34. Filii Aggia, filii Sachareth, filii Sabathen, filii Caroneth, filii Maltith, filii Amæ, filii Safus, filii Addus, filii Suba, filii Eura, filii Rahotis, filii Phasphat, filii Malmon.

35. Omnes sacro servientes, & pueri Salomonis, quadringenti octogintaduo.

36. Hi sunt filii qui ascenderunt a Thelmela, Telharsa: principes eorum, Carmellam, & Careth:

37. Et non poterant edicere civitates suas, & progenies suas, quemadmodum sint ex Israel. Filii Dalari, filii Tubal, filii Nachodaici,

38. Ex Sacerdotibus, qui fungebantur Sacerdotio: & non sunt inventi filii Obia; filii Achisos, filii Addin, qui accepit uxorem ex filiabus Phargeleu:

39. Et vocati sunt nomine ejus, & horum quæsita est generis scriptura in prædatura, & non est inventa, & prohibiti sunt Sacerdotio fungi.

40. Et dixit illis Nehemias & Astharas: Ne participentur sancta, donec exurgat Pontifex doctus in ostensionem & veritatem.

41. Omnis autem Israel erat, exceptis servis & ancillis, quadragintaduo millia trecenti quadraginta.

42. Servi horum & ancillæ, septem millia trecenti triginta septem. Cantores & cantatrices, ducenti sexagintaquinque.

43. Cameli, quadringenti trigintaquinque. Equi septem millia trigintasex. Muli, ducenta millia quadragintaquinque. Subjugalia, quinque millia vigintiquinque.

44. Et de præpositis ipsis per pagos, dum venirent in templum Dei, quod erat in Jerusalem, voverunt suscitare templum in loco suo, secundum suam virtutem:

45. Et dare in templum thesaurum operum aerum auri mnas duodecim millia, & mnas argenti quinque millia, & stolas sacerdotales centum.

46. Et habitaverunt sacerdotes & Levitæ, & qui exierant de plebe in Jerusalem & in regione, & sacri cantores, & ostiarii, & omnis Israel in regionibus suis.

47. Instante autem septimo mense, cumque essent filii Israel unusquisque in suis rebus, convenerunt unanimes in atrium, quod erat ante januam Orientalem.

48. Et stantes Jesus filius Josedec, & fratres ejus sacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel, & hujus fratres, paraverunt altare,

49. Ut offerrent super illud holocautomata, secundum quæ in libro Moysi hominis Dei scripta sunt.

50. Et convenerunt ibi ex aliis nationibus terræ, & erexerunt sacrarium in loco suo omnes gentes terræ, & offerebant hostias, & holocautomata Domino matutina.

51. Et egerunt scenopegiam, & diem solemnem, sicut præceptum est in lege: & sacrificia quotidie sicut oportebat:

52. Et post hæc oblationes institutas, & hostias sabbatorum, & neomeniarum, & dierum solemnium omnium sanctificatorum.

53. Et quotquot vovebant Domino a neomenia septimi mensis, cœperunt hostias offerre Deo, & templum Domini nondum erat ædificatum.

54. Et dederunt pecuniam lapidariis & fabris, & potum & pabula, cum gaudio.

55. Et dederunt carra Sidoniis & Tyriis, ut transveherent illis de Libano trabes cedrinas, & facerent rates in Joppe portu, secundum decretum quod scriptum erat eis a Cyro rege Persarum.

56. Et in secundo anno venientes in templum Dei in Jerusalem, mense secundo, inchoavit Zorobabel filius Salathiel, & Josue filius Josedec, & fratres ipsorum, & sacerdotes & Levitæ, & omnes qui venerant de captivitate in Jerusalem:

57. Et fundaverunt templum Dei, novilunio secundi mensis secundi anni cum venissent in Judæam & Jerusalem.

58. Et statuerunt Levitas a viginti annis, super opera Domini: & stetit Jesus & filius ejus, & fratres omnes Levitæ conspirantes, & executores legis, facientes opera in domo Domini.

59. Et steterunt sacerdotes habentes stolas cum tubis: & Levitæ filii Asaph, habentes cymbala,

60. Collaudantes Dominum, & benedicentes secundum David regem Israel.

61. Et cantabant canticum Domino, quoniam dulcedo ejus, & honor in sæcula super omnem Israel.

62. Et omnis populus tuba cecinerunt, & proclamaverunt voce magna, collaudantes Dominum in suscitatione domus Domini.

63. Et venerunt ex sacerdotibus & Levitis, & præsidentibus secundum pagos senioribus, qui viderant pristinam domum;

64. Et ad hujus ædificationem cum clamore & planctu magno, & multi cum tubis & gaudio magno:

65. In tantum ut populus non audiret tubas propter planctum populi. Turba enim erat tubis canens magnifice, ita ut longe audiretur.

66. Et audierunt inimici tribus Judæ, & Benjamin, & venerunt scire quæ esset vox tubarum.

67. Et cognoverunt quoniam qui erant ex captivitate, ædificant templum Domino Deo Israel.

68. Et accedentes ad Zorobabel & Jesum, præpositos pagorum, dixerunt eis: Ædificabimus una vobiscum.

69. Similiter enim audivimus Dominum vestrum, & ipsi pariter incedimus a diebus Asbazareth regis Assyriorum, qui transmigravit nos huc.

70. Et dixit illis Zorobabel, & Jesus, & principes pagorum Israel,

71. Non est nobis & vobis ædificare domum Dei nostri; nos enim soli ædificabimus Domino Israel, secundum ea quæ præcepit nobis Cyrus rex Persarum.

72. Gentes autem terræ incumbentes his qui sunt in Judæa, & levantes opus ædificationis & insidias, & populos adducentes prohibebant eos ædificare,

73. Et aggressuras exercentes impedierunt, ne consummaretur ædificium omni tempore vitæ Cyri regis, & protraxerunt structuram per biennium usque ad Darii regnum.

CAPUT VI.

Judæi, annuente Dario, templum Dei extruunt in Jerusalem.

1. IN secundo autem anno regni Darii prophetavit Aggæus & Zacharias filius Addin Propheta apud Judæam & Jerusalem in nomine Dei Israel super eos.

2. Tunc stans Zorobabel filius Salathiel, & Jesus filius Josedec, inchoaverunt ædificare domum Domini, quæ est in Jerusalem:

3. Cum adessent eis prophetæ Domini, & adjuvarent eos. In ipso tempore venit ad illos Sisennes Subregulus Syriæ & Phœnicis, & Satrabuzanes, & sodales ejus,

4. Et dixerunt eis: Quo præcipiente vobis domum hanc ædificatis, & tectum istud, & alia omnia perficitis? & qui sunt structores qui hæc ædificant?

5. Et habuerunt gratiam visitatione facta super eos, qui erant ex captivitate a Domino seniores Judæorum.

6. Et non sunt impediti ædificare, donec significaretur Dario de omnibus istis, & responsum acciperetur.

7. Exemplum epistolæ, quam miserunt Dario. Sisennes subregulus Syriæ & Phœnicis, & Satrabuzanes, & sodales ejus in Syria & Phœnice præsides, regi Dario salutem.

8. Omnia nota sint domino regi, quod cum venissemus in regionem Judææ, & introissemus in Jerusalem, invenimus ædificantes domum Dei magnam:

9. Et templum ex lapidibus politis, & magnis & pretiosis materiis in parietibus,

10. Et opera illa instanter fieri, & suffragare & prosperare in manibus eorum, & in omni gloria quam diligentissime perfici.

11. Tunc interrogavimus seniores, dicentes: Quo permittente vobis ædificatis domum istam, & opera hæc fundatis?

12. Ideo autem interrogavimus eos, ut notum faceremus tibi homines, & præpositos, & nominum scripturam præpositorum postulavimus illos.

13. At illi responderunt nobis, dicentes: Nos sumus servi Domini, qui fecit cælum & terram,

14. Et ædificabatur hæc domus ante annos istos multos a rege Israel magno & fortissimo, & consummata est.

15. Et quoniam patres nostri exacerbantes erant, & peccaverunt in Deum Israel, tradidit eos in manus Nabuchodonosor regis Babyloniæ, regis Chaldæorum.

16. Et domum istam demolientes incenderunt, & populum captivum duxerunt in Babylonem:

17. In primo anno regnante Cyro rege Babyloniæ, scripsit Cyrus rex domum hanc ædificare,

18. Et illa sacra vasa aurea & argentea, quæ extulerat Nabuchodonosor de domo quæ est in Jerusalem, & consecraverat ea in suo templo, rursus protulit ea Cyrus rex de templo quod erat in Babylonia, & tradita sunt Zorobabel & Salmanasaro subregulo:

19. Et præceptum est eis ut offerrent hæc vasa, & reponerent in templo quod erat in Jerusalem, & ipsum templum Dei ædificare in loco suo.

20. Tunc Salmanasarus subjecit fundamenta domus Domini, quæ est in Jerusalem: & exinde usque nunc ædificatur, & non accepit consummationem.

21. Nunc ergo si judicatur a te, o rex, perquiratur in regalibus bibliothecis Cyri regis, quæ sunt in Babylonia.

22. Et si inventum fuerit consilio Cyri regis cœptam esse structuram domus Domini, quæ est in Jerusalem, & judicatur a domino rege nostro, scribat de his nobis.

23. Tunc Darius rex præcepit inquiri in bibliothecis: & inventus est in Ecbathanis oppido, quod est in media regione, locus unus, in quo scripta erant ista:

24. Anno primo regnante Cyro, rex Cyrus præcepit domum Domini quæ est in Jerusalem ædificare, ubi incendebant igni assiduo,

25. Cujus altitudo sit cubitorum decem, & latitudo cubitorum sexaginta, quadratum lapidibus politis tribus, & meniano ligneo ejusdem regionis, & meniano uno novo, & impendia dari de domo Cyri regis:

26. Et sacra vasa domus Domini tam aurea quam argentea, quæ extulit Nabuchodonosor in domum Domini, quæ est in Jerusalem, ubi erant posita, ut ponantur illic.

27. Et præcepit curam agere Sisennem subregulum Syriæ & Phœnicis, & Satrabuzanem, & sodales ejus, & qui ordinati erant in Syria & Phœnice præsides, ut abstinerent se ab eodem loco.

28. Et ego quoque præcepi in totum ædificare: & prospexi, ut adjuvent eos qui sunt ex captivitate Judæorum, donec consummetur templum ædis Domini:

29. Et a vexatione tributorum Cœlesyriæ & Phœnicis, diligenter quantitatem dari his hominibus ad sacrificium Domini, Zorobabel præfecto, ad tauros, & arietes, & agnos.

30. Similiter autem & frumentum, & sal, & vinum, & oleum instanter per singulos annos, prout sacerdotes qui sunt in Jerusalem, dictaverunt consumi quotidie, sine ulla dilatione,

31. Ut offerantur libationes summo Deo pro rege & pueris ejus, & orent pro ipsorum vita:

32. Et denuntietur, ut quicumque transgressi fuerint aliquid ex his quæ scripta sunt, aut spreverint, accipiatur lignum de suis propriis, & suspendantur, & bona ipsorum regi ascribantur.

33. Propterea & Dominus, cujus nomen invocatum est ibi, exterminet omnem regem & gentem, qui manum suam extenderit prohibere, aut male tractare domum Domini illam quæ est in Jerusalem.

34. Ego Darius rex decrevi quam diligentissime secundum hæc fieri.

CAPUT VII.

Domus Dei extructa dedicatur & consecratur, in eaque festum Azymorum celebratur.

1. TUnc Sisennes subregulus Cœlesyriæ & Phœnicis, & Satrabuzanes, & sodales, obsecuti his quæ a Dario rege erant decreta,

2. In-

2. Insistebant sacrosanctis operibus diligentissime, cooperantes cum senioribus Judæorum principibus Syriæ.

3. Et prosperata sunt sacrosancta opera prophetantibus Aggæo & Zacharia prophetis.

4. Et consummaverunt omnia per præceptum Domini Dei Israel, & ex consilio Cyri, & Darii, & Artaxersis regis Persarum.

5. Et consummata est domus nostra usque ad tertiam & vigesimam diem mensis Adar, sexto anno Darii regis.

6. Et fecerunt filii Israel & sacerdotes & Levitæ, & ceteri qui erant ex captivitate, qui appositi sunt secundum ea quæ scripta sunt in libro Moysi.

7. Et obtulerunt in dedicationem templi Domini, tauros centum, arietes ducentos, agnos quadringentos,

8. Et hœdos pro peccatis universi Israel, duodecim, secundum numerum tribuum Israel.

9. Et steterunt sacerdotes & Levitæ amicti stolis per tribus, super omnia opera Domini Dei Israel, secundum librum Moysi, & ostiarii per singulas januas.

10. Et egerunt filii Israel cum his qui erant ex captivitate, illud Phase quartadecima luna mensis primi, quando sanctificati sunt sacerdotes & Levitæ.

11. Omnes filii captivitatis non sunt simul sanctificati, quia Levitæ omnes simul sanctificati sunt.

12. Et immolaverunt Phase universi filii captivitatis, & fratribus suis sacerdotibus, & sibimetipsis.

13. Et manducaverunt filii Israel, qui erant ex captivitate, omnes qui remanserant ab omnibus execrationibus gentium terræ quærentes Dominum,

14. Et celebraverunt diem festum azymorum septem diebus epulantes in conspectu Domini,

15. Quoniam convertit consilium regis Assyriorum in eos, confortare manus eorum ad opera Domini Dei Israel.

CAPUT VIII.

Ascendenti Esdræ a Babylonia Jerosolymam traduntur Artaxerxis litteræ, quæ beneficia Judæis præstita continent: recensentur qui simul ascenderunt; & auro ac argento sacerdotibus commisso, Esdras, facta oratione, commonet populum ad pœnitentiam, quod ab alienigenis se non separassent.

1. ET post hunc regnante Artaxerxe Persarum rege, accessit Esdras filius Azariæ, filii Helciæ, filii Solome,

2. Filii Sadoch, filii Achitob, filii Amerti, filii Azahel, filii Bocci, filii Abisue, filii Phinees, filii Eleazari, filii Aaron primi sacerdotis:

3. Hic Esdras ascendit de Babylonia, cum esset scriba & ingeniosus in lege Moysi, quæ data est a Domino Deo Israel docere & facere.

4. Et dedit ei rex gloriam, quod invenisset gratiam in omni dignitate & desiderio in conspectu ejus.

5. Et ascenderunt simul cum ipso ex filiis Israel, & sacerdotibus, & Levitis, & sacris cantoribus templi, & ostiariis, & servis templi, in Jerusalem.

6. Anno septimo regnante Artaxerxe, in quinto mense, hic annus septimus est regni, exeuntes de Babylonia novilunio quinti mensis,

7. Venerunt Jerosolymam juxta præceptum illius, secundum prosperitatem itineris a Domino ipsorum datam eis.

8. In his enim Esdras magnam disciplinam obtinebat, ne prætermitteret quidquam eorum, quæ essent ex lege Domini & præceptis, & docendo universum Israel omnem justitiam & judicium.

9. Accedentes autem, qui scribebant scripta Artaxerxis regis tradiderunt scriptum quod obvenerat ab Artaxerxe rege ad Esdram sacerdotem, & lectorem legis Domini, cujus exemplum subjectum est.

10. Rex Artaxerxes Esdræ sacerdoti, & lectori legis Domini salutem.

11. Humanior ego judicans in beneficiis, præcepi eis qui desiderant ex gente Judæorum, sua sponte, & ex sacerdotibus & Levitis, qui sunt in regno meo, comitari tecum in Jerusalem.

12. Si qui ergo cupiunt ire tecum, conveniant, & proficiscantur, sicut placuit mihi & septem amicis meis consiliariis.

13. Ut visitent ea quæ aguntur secundum Judæam & Jerusalem, observantes sicut habes in lege Domini,

14. Et ferant munera Domino Deo Israel, quæ vovi ego, & amici Jerusalem, & omne aurum & argentum, quod inventum fuerit in regione Babyloniæ Domino in Jerusalem cum illo,

15. Quod est donatum pro ipsa gente in templum Domini eorum quod est in Jerusalem: ut colligatur hoc aurum & argentum ad tauros, & arietes, & agnos, & hœdos, & quæ his sunt congruentia,

16. Ut offerant hostias Domino super altare Domino ipsorum quod est in Jerusalem.

17. Et omnia quæcumque volueris cum fratribus tuis facere auro & argento, perfice pro voluntate tua, secundum præceptum Domini Dei tui:

18. Et sacrosancta vasa, quæ data sunt tibi ad opera domus Domini Dei tui, quæ est in Jerusalem.

19. Et cætera quæcumque tibi subvenerint ad opera templi Dei tui, dabis de regali gazophylacio:

20. Cum volueris cum fratribus tuis facere auro & argento, perfice secundum voluntatem Domini.

21. Et ego quidem rex Artaxerxes præcepi custodibus thesaurorum Syriæ & Phœnicis, ut quæcumque scripserit Esdras sacerdos, & lector legis Domini, diligenter detur ei usque ad argenti talenta centum, similiter & auri:

22. Et usque ad frumenti modios centum, & vini amphoras centum, & alia quæcumque abundant sine taxatione.

23. Omnia secundum legem Dei fiant Deo altissimo, ne forte exurgat ira in regno regis, & filii, & filiorum ejus.

24. Vobis autem dicitur, ut omnibus sacerdotibus & Levitis, & sacris cantoribus, & servis templi, & scribis templi hujus,

25. Nullum tributum, neque ulla alia inlictio irrogetur, nec habeat quisquam potestatem objicere eis quidquam.

26. In-

26. Tu autem Esdra, secundum sapientiam Dei constitue judices & arbitros in tota Syria & Phœnice: & omnes qui legem Dei tui non noverunt, doce:

27. Ut quotquot transgressi fuerint legem, diligenter plectantur, sive morte, sive cruciatu, sive etiam pecuniæ mulctatione, vel abductione.

28. Et dixit Esdras scriba: Benedictus Deus patrum nostrorum, qui dedit hanc voluntatem in cor regis, clarificare domum suam, quæ est in Jerusalem,

29. Et me honorificavit in conspectu regis, & consiliariorum, & amicorum, & purpuratorum ejus.

30. Et ego constans animo factus sum secundum opitulationem Domini Dei mei, & congregavi ex Israel viros, ut ascenderent mecum.

31. Et hi sunt præpositi secundum suas patrias, & principatus portionales, eorum qui mecum ascenderunt de Babylonia in regno Artaxerxis.

32. Et ex filiis Phares, Gersomus: ex filiis Siemarith, Amenus filiorum David, Acchus filius Scecilix:

33. Ex filiis Phares, Zacharias, & cum eo reversi sunt viri centum quinquaginta:

34. Ex filiis ductoris Moabilionis Zaræi, & cum ipso viri ducenti quinquaginta:

35. Ex filiis Zachues, Jechonias Zecholei, & cum ipso viri ducenti quinquaginta.

36. Ex filiis Sala, Maasias Gotholiæ, & cum ipso viri septuaginta:

37. Ex filiis Saphatiæ, Zarias Micheli, & cum ipso viri octoginta:

38. Ex filiis Job, Abdias Jeheli, & cum ipso viri ducenti duodecim:

39. Ex filiis Baniæ, Salimoth, filius Josaphiæ, & cum ipso viri centum sexaginta:

40. Ex filiis Beer, Zacharias Bebei, & cum ipso viri ducenti octo:

41. Ex filiis Ezead, Joannes Eccetan, & cum ipso viri centum decem:

42. Ex filiis Adonicam ipsis postremis, & hæc sunt nomina eorum, Eliphalam filius Gebel, & Semejas, & cum ipso viri septuaginta.

43. Et congregavi eos ad fluvium qui dicitur Thia, & mutati fuimus illic triduo, & recognovi eos.

44. Et ex filiis sacerdotum & Levitarum non inveni illic.

45. Et misi ad Eleazarum, & Ecelon, & Masman, & Maloban, & Enaathan, & Samea, & Joribum, Nathan, Enuagam, Zachariam, & Mosolamum, ipsos ductores & peritos:

46. Et dixi eis ut venirent ad Loddeum, qui erat apud locum gazophylacii.

47. Et mandavi eis ut dicerent Loddeo, & fratribus ejus, & illis qui erant in gazophylacio, ut mitterent nobis eos qui sacerdotio fungerentur in domo Domini Dei nostri:

48. Et adduxerunt nobis secundum manum validam Domini Dei nostri viros peritos: ex filiis Moholi, filii Levi, filii Israel, Sebebian, & filios & fratres, qui erant decem & octo:

49. Asbiam, & Amin ex filiis filiorum Chananæi, & filii eorum viri viginti.

50. Et ex his qui templo serviebant, quos dedit David, & ipsi principes ad operationem Levitis templo servientium ducenti viginti. Omnia nomina significata sunt in scripturis.

51. Et vovi illic jejunium juvenibus in conspectu Dei, ut quærerem ab eo bonum iter nobis, & qui nobiscum erant, & filiis, & pecoribus, propter insidias.

52. Erubui enim petere a rege pedites & equites in comitatu, tutelæ gratia, contra adversarios nostros.

53. Diximus enim regi, quoniam virtus Domini erit cum eis qui inquirunt eum in omni affectu.

54. Et iterum deprecati sumus Dominum Deum nostrum secundum hæc: quem & propitium habuimus, & compotes facti sumus Deo nostro.

55. Et separavi ex plebis præpositis, & sacerdotibus templi viros duodecim, & Sedebiam, & Asannam, & cum eis ex fratribus eorum viros decem.

56. Et appendi eis aurum & argentum & vasa sacerdotalia domus Dei nostri, quæ donaverat rex, & consiliarii ejus, & principes, & omnis Israel.

57. Et cum appendissem, tradidi argenti talenta centum quinquaginta, & vasa argentea talentorum centum, & auri talenta centum,

58. Et vasorum aureorum septies viginti, & vasa ærea de bono æramento splendentia, duodecim, auri speciem reddentia.

59. Et dixi eis: Et vos sancti estis Domino, & vasa sunt sancta, & aurum, & argentum votum est Domino Deo patrum nostrorum.

60. Vigilate & custodite, donec tradatis ex plebis præpositis, & sacerdotibus, & Levitis, & principibus civitatum Israel, in Jerusalem, in pastophorio domus Dei nostri.

61. Et hi qui susceperunt sacerdotes & Levitæ aurum & argentum & vasa, intulerunt in Jerusalem in templum Domini.

62. Et promovimus a fluvio Thia, die duodecima mensis primi, usquequo introivimus in Jerusalem.

63. Et cum factus fuisset tertius dies, quarta autem die ponderatum aurum, & argentum traditum est in domo Domini Dei nostri, Marimoth filio Jori sacerdoti.

64. Et cum ipso erat Eleazar filius Phinees: & erant cum ipsis Josadus filius Jesu, & Medias, & Banni filius Levitæ: ad numerum, & ad pondus universa.

65. Et scriptum est pondus ipsorum eadem hora.

66. Qui autem venerunt ex captivitate, obtulerunt sacrificium Domino Deo Israel, tauros duodecim pro omni Israel, arietes octoginta sex,

67. Agnos septuaginta duos, hircos pro peccato duodecim, & pro salute vaccas duodecim, omnia in sacrificium Domini.

68. Et relegerunt præcepta regis regalibus dispensatoribus, & subregulis Cœlesyriæ & Phœnicis: & honorificaverunt gentem, & templum Domini.

69. Et consummatis his, accesserunt ad me præpositi, dicentes: Non segregaverunt genus Israel, & principes, & sacerdotes, & Levitæ,

70. Et alienigenæ gentes & nationes terræ, immunditias suas a Chananæis, & Hethæis, & Pherezæis, & Jebuzæis, & Moabitis, & Ægyptiis, & Idumæis.

71. Conjuncti enim sunt filiabus eorum & ipsi, & filii eorum, & mistum est semen sanctum alienigenis gentibus terræ: & participes erant præpositi, & magistratus iniquitatis ejus ab initio ipsius regni,

72. Et mox ut audivi ista, conscidi vestimenta & sacram tunicam: & lacerans capillos capitis, & barbam, sedi dolens & mœstus.

73. Et convenerunt quotquot tunc movebantur in verbo Domini Dei Israel, ad me lugentem super iniquitatem istam, & sedebam tristis usque ad sacrificium vespertinum.

74. Et consurgens a jejunio, conscissa habens vestimenta & sacram tunicam, ingeniculans, & extendens manus ad Dominum.

75. Dicebam: Domine, confusus sum, & reveritus sum ante faciem tuam.

76. Peccata enim nostra multiplicata sunt super capita nostra, & iniquitates nostræ exaltatæ sunt usque ad cælum.

77. Quoniam a temporibus patrum nostrorum sumus in magno peccato usque ad diem hunc.

78. Et propter peccata nostra, & patrum nostrorum, sumus traditi cum fratribus nostris, & cum sacerdotibus nostris, regibus terræ in gladium & captivitatem & deprædationem, cum confusione usque in hodiernum diem.

79. Et nunc quantum est hoc quod contigit nobis misericordia abs te Domine Deus, & relinque nobis radicem, & nomen in locum sanctificationis tuæ,

80. Detegere luminare nostrum in domo Domini Dei nostri, dare nobis cibum in omni tempore servitutis nostræ.

81. Et cum serviremus, non fuimus derelicti a Domino Deo nostro, sed constituit nos in gratia, ponens nobis reges Persarum dare cibum,

82. Et clarificare templum Domini Dei nostri, & ædificare deserta Sion, dare nobis stabilitatem in Judæa, & Jerusalem.

83. Et nunc quid dicimus Domine habentes hæc? Transgressi enim sumus præcepta tua, quæ dedisti in manus puerorum tuorum prophetarum,

84. Dicens: Quoniam terra, in quam introistis possidere hæreditatem ejus, terra polluta est coinquinationibus alienigenarum terræ, & immunditiæ illorum repleverunt eam totam immunditia sua.

85. Et nunc filias vestras non conjungetis filiis eorum, & filias eorum non accipietis filiis vestris.

86. Et non inquiretis pacem habere cum illis omni tempore, ut invalescentes manducetis optima terræ, & hæreditatem distribuatis filiis vestris usque in ævum.

87. Et quæ contingunt nobis, omnia fiunt propter opera nostra maligna & magna peccata nostra.

88. Et dedisti nobis talem radicem, & rursum reversi sumus transgredi legitima tua, ut commisceremur immunditiæ alienigenarum gentium terræ hujus.

89. Nonne irasceris nobis perdere nos, quoadusque non relinquatur radix & nomen nostrum?

90. Domine Deus Israel verax es. Derelicta est enim radix usque in hodiernum diem.

91. Ecce, nunc sumus in conspectu tuo in iniquitatibus nostris. Non est enim adhuc stare ante te in his.

92. Et cum adorando confiteretur Esdras, flens, humi prostratus ante templum, congregati sunt ante eum ex Jerusalem turma magna valde, viri, & mulieres, & juvenes, & juvenculæ. Fletus enim erat magnus in ipsa multitudine.

93. Et tum clamasset Jechonias Jehelî ex filiis Israel, dixit Esdræ: Nos in Dominum peccavimus, quod collocavimus nobis in matrimonium mulieres alienigenas ex gentibus terræ.

94. Et nunc es super omnem Israel. In his ergo fit jusjurandum a Domino, expellere omnes uxores nostras quæ ex alienigenis sunt cum filiis earum.

95. Sicut tibi decretum est a majoribus secundum legem Domini exurgens explica.

96. Ad te enim spectat negotium, & nos tecum sumus: viriliter fac.

97. Et exurgeas Esdras adjuravit principes sacerdotum & Levitas, & omnem Israel facere secundum hæc, & juraverunt.

C A P U T IX.

Jubentur abjicere uxores alienigenas cum filiis, & recensentur qui ex sacerdotibus ac Levitis juncti illis erant. Esdras legit Legem Domini coram populo: quibus peractis, jubentur ut ad propria digressi, lætum diem agant.

1. ET exurgens Esdras ab ante atrium templi, abiit in pastophorium Jonathæ filii Nasabi,

2. Et hospitatus illic non gustavit panem, nec aquam bibit, super iniquitatem multitudinis.

3. Et facta est prædicatio in omni Judæa, & in Jerusalem omnibus qui erant ex captivitate in Jerusalem congregati,

4. Ut quicumque non occurrerit biduo, vel triduo diei, secundum judicium assidentium seniorum, tollerentur facultates suæ, & ipse alienus judicaretur a multitudine captivitatis.

5. Et congregati sunt omnes qui erant ex tribu Juda, & Benjamin in tribus diebus in Jerusalem, hic mensis est nonus, dies mensis vigesimus.

6. Et sedit omnis multitudo in area templi trementes, propter hiemem præsentem.

7. Et exurgens Esdras, dixit illis: Vos inique fecistis collocantes vobis in matrimonium uxores alienigenas, ut adderetis ad peccata Israel.

8. Et tunc date confessionem, & magnificentiam Domino Deo patrum nostrorum.

9. Et perficite voluntatem ipsius, & discedite a gentibus terræ, & ab uxoribus alienigenis.

10. Et clamavit omnis multitudo: & dixerunt voce magna: Sicut dixisti, faciemus.

11. Sed quoniam multitudo magna est, & tempus hibernum, & non possumus insubsidiati stare: & hoc opus non est nobis unius diei, neque bidui: multum enim in his peccavimus:

12. Stent præpositi multitudinis, & omnes qui nobiscum inhabitant, & quotquot habent uxores apud se alienigenas,

13. Et assistant accepto tempore ex omni loco presbyteri, & judices, usquequo solvant iram Domini negotii hujus.

14. Jonathas autem filius Ezeli, & Ozias Thecam susceperunt secundum hæc: & Bosoramus, & Levis, & Sabbathæus simul cooperati sunt cum illis.

15. Et steterunt secundum hæc omnia universi qui erant ex captivitate.

16. Et elegit sibi viros Esdras sacerdos principes magnos de patribus eorum secundum nomina; & consederunt novilunio mensis decimi examinare negotium istud.

17. Et determinatum est de viris qui habebant uxores alienigenas, usque ad neomeniam primi mensis:

18. Et inventi sunt ex sacerdotibus permisti qui habebant alienigenas uxores.

19. Ex filiis Jesu filii Josedech, & fratribus ejus: Maseas, & Eliozerus, & Joribus, & Joadeus,

20. Et injecerunt manus ut expellerent uxores suas: & ad litandum in exorationem, arietem pro ignorantia sua.

21. Et ex filiis Semmeri: Maseas & Esses & Jeelec, Azarias.

22. Et ex filiis Fosere: Limosias, Hismaenis, & Nathanee, Jussio, Reddus, & Thalsas.

23. Et ex Levitis: Jorabdus, & Semeis, & Colnis, & Calitas, & Facteas, & Coluas, & Elionas.

24. Et ex sacris cantoribus, Eliasib, Zaccarus.

25. Et ex ostiariis: Salumus, & Tolbanes.

26. Et ex Israel: ex filiis Foro, Ozi, & Remias, & Geddias, & Melchias, & Michelus, Eleazarus, & Jammebias, & Bannas.

27. Et ex filiis Jolaman: Chamas, & Zacharias, & Jerrelus, & Joddius, & Erimoth, & Helias.

28. Et ex filiis Zatoim: Eliadas, & Liasumus, Zochias, & Larimoth, & Zabdis, & Thebedias.

29. Et ex filiis Zebes: Joannes, & Amanias, & Zabdias, & Emeus.

30. Et ex filiis Banni; Olamus, & Maluchus, & Jeddeus, & Jasub, & Azabus, & Jerimoth.

31. Et ex filiis Addin: Naathus, & Moosias, & Caleus, & Raanas, Maaseas, Mathathias, & Beseel, & Bonnus, & Manasses.

32. Et ex filiis Nuae: Noneas, & Aseas, & Melchias, & Sameas, & Simon, Benjamin, & Malchus, & Marras.

33. Et ex filiis Ason: Carianeus, Mathathias, & Bannus, & Eliphalach, & Manasses, & Semei.

34. Et ex filiis Banni: Jeremias, & Moadias, & Abramus, & Johel, & Baneas, & Pelias, & Jonas, & Marimoth, & Eliasib, & Matthaneus, & Eliasis, & Orizas, & Dielus, & Semedius, & Zambris, & Josephus.

35. Et ex filiis Nobei: Idelus & Mathathias, & Zabadus, & Zecheda, Sedmi & Jessei, Baneas.

36. Omnes isti conjunxerunt sibi uxores alienigenas, & dimiserunt eas cum filiis.

37. Et inhabitaverunt sacerdotes & Levitæ, & qui erant ex Israel, in Jerusalem, & in tota una regione, novilunio mensis septimi. Et erant filii Israel in commemorationibus suis.

38. Et congregata est omnis multitudo simul in aream, quæ est ab Oriente portæ sacræ:

39. Et dixerunt Esdræ pontifici & lectori, ut afferret legem Moysi, quæ tradita est a Domino Deo Israel.

40. Et attulit Esdras Pontifex legem omni multitudini eorum a viro usque ad mulierem, & omnibus sacerdotibus, audire legem novilunio mensis septimi.

41. Et legebat in area, quæ est ante sacram portam templi, a prima luce usque ad vesperam, coram viris, & mulieribus. Et dederunt omnes sensum ad legem.

42. Et stetit Esdras sacerdos & lector legis super ligneum tribunal quod fabricatum erat.

43. Et steterunt ad eum Mathathias, & Samus, Ananias, Azarias, Urias, Ezechias, & Balsamus ad dexteram:

44. Et ad sinistram Faldeus, Misael, Malachias, Abusthas, Sabus, Nabadias, & Zacharias.

45. Et assumpsit Esdras librum coram omni multitudine: præsidebat enim in gloria in conspectu omnium.

46. Et cum absolvisset legem, omnes recti steterunt: & benedixit Esdras Dominum Deum altissimum, Deum sabaoth omnipotentem.

47. Et respondit omnis populus, Amen. Et elevatis sursum manibus procidentes in terram, adoraverunt Dominum.

48. Jesus, & Banacus, & Sarebias, & Jaddimus, & Accubus, & Sabbathæus, & Calithes, & Azarias, & Joradus, & Ananias, & Philias Levitæ,

49. Qui docebant legem Domini, & in multitudine legebant legem Domini: & præferebant singuli eos, qui intelligebant lectionem,

50. Et dixit Atharathes Esdræ Pontifici & lectori, & Levitis qui docebant multitudinem,

51. Dicens, Dies hic sanctus est Domino. Et omnes flebant, cum audissent legem.

52. Et dixit Esdras: Digressi ergo manducate pinguissima quæque & bibite dulcissima quæque, & mittite munera his qui non habent.

53. Sanctus enim est hic dies Domini, & nolite mœsti esse. Dominus enim clarificabit vos:

54. Et Levitæ denuntiabant in publico omnibus, dicentes: Dies hic sanctus est, nolite mœsti esse.

55. Et abierunt omnes manducare, & bibere, & epulari, & dare munera his qui non habebant, ut epularentur. Magnifice enim sunt exaltati verbis quibus edocti sunt.

56. Et congregati sunt universi in Jerusalem celebrare lætitiam, secundum testamentum Domini Dei Israel.

LIBER ESDRÆ QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Mittitur Esdras a Domino multa ingratis Judæis exhibita beneficia exprobraturus.

1. Liber Esdræ Prophetæ secundus, filii Sarei, filii Azarei, filii Helciæ, filii Sadaniæ, filii Sadoch, filii Achitob,

2. Filii Achiæ, filii Phinees, filii Heli, filii Ameriæ, & filii Asiel, filii Marimoth, filii Arna, filii Oziæ, filii Borith, filii Abisei, filii Phinees, filii Eleazar.

3. Filii Aaron ex tribu Levi, qui fuit captivus in regione Medorum, in regno Artaxerxis regis Persarum.

4. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

5. Vade, & nuntia populo meo facinora ipsorum, & filiis eorum iniquitates, quas in me admiserunt, ut nuncient filiis filiorum:

6. Quia peccata parentum ipsorum in illis creverunt. Obliti enim mei sacrificaverunt diis alienis.

7. Nonne ego eduxi eos de terra Ægypti de domo servitutis? Ipsi autem irritaverunt me, & consilia mea spreverunt.

8. Tu autem excute comam capitis tui, & projice omnia mala super illos: quoniam non obedierunt legi meæ. Populus autem est indisciplinatus.

9. Usquequo eos sustinebo, quibus tanta beneficia contuli?

10. Reges multos propter eos subverti. Pharaonem cum pueris suis, & omnem exercitum ejus percussi.

11. Omnes gentes a facie eorum perdidi, & in Oriente provinciarum duarum populos Tyri & Sidonis dissipavi, & omnes adversarios eorum interfeci.

12. Tu vero loquere ad eos, dicens: Hæc dicit Dominus:

13. Nempe ego vos per mare transmeavi, & plateas vobis initio munitas exhibui: ducem vobis dedi Moysen & Aaron sacerdotem:

14. Lucem vobis per columnam ignis præstiti, & magna mirabilia feci in vobis: vos autem mei obliti estis, dicit Dominus.

15. Hæc dicit Dominus omnipotens: Coturnix vobis in signo fuit, castra vobis ad tutelam dedi, & illic murmurastis:

16. Et non triumphastis in nomine meo de perditione inimicorum vestrorum, sed adhuc nunc usque murmurastis.

17. Ubi sunt beneficia, quæ præstiti vobis? Nonne in deserto cum esurieritis, proclamastis ad me,

18. Dicentes: Ut quid nos in desertum istud adduxisti interficere nos? melius nobis fuerat servire Ægyptiis, quam mori in deserto hoc.

19. Ego dolui gemitus vestros, & dedi vobis manna in escam. Panem Angelorum manducastis.

20. Nonne cum sitiretis, petram excidi, & fluxerunt aquæ in saturitate? propter æstus foliis arborum vos texi.

21. Divisi vobis terras pingues: Chananæos, & Pherezæos, & Philisthæos a facie vestra projeci: quid faciam vobis adhuc, dicit Dominus?

22. Hæc dicit Dominus omnipotens: In deserto cum essetis in flumine Amorrhæo sitientes, & blasphemantes nomen meum,

23. Non ignem vobis pro blasphemiis dedi, sed mittens lignum in aquam, dulce feci flumen.

24. Quid tibi faciam Jacob? Noluisti obedire Juda. Transferam me ad alias gentes, & dabo eis nomen meum, ut custodiant legitima mea.

25. Quoniam me dereliquistis, & ego vos derelinquam. Petentibus vobis a me misericordiam, non miserebor.

26. Quando invocabitis me, ego non exaudiam vos. Maculastis enim manus vestras sanguine, & pedes vestri impigri sunt ad committenda homicidia.

27. Non quasi me dereliquistis, sed vos ipsos, dicit Dominus.

28. Hæc dicit Dominus omnipotens, Nonne ego vos rogavi, ut pater filios, & ut mater filias, & ut nutrix parvulos suos,

29. Ut essetis mihi in populum, & ego vobis in Deum, & vos mihi in filios, & ego vobis in patrem?

30. Ita vos collegi, ut gallina pullos suos sub alas suas. Modo autem quid faciam vobis? Projiciam vos a facie mea.

31. Oblationem cum mihi attuleritis, avertam faciem meam a vobis. Dies enim festos vestros, & neomenias, & circumcisiones repudiavi.

32. Ego misi pueros meos prophetas ad vos, quos acceptos interfecistis, & laniastis corpora eorum, quorum sanguinem exquiram, dicit Dominus.

33. Hæc dicit Dominus omnipotens: Domus vestra deserta est: Projiciam vos sicut ventus stipulam.

34. Et filii procreationem non facient: quoniam mandatum meum neglexerunt, & quod malum est coram me, fecerunt.

35. Tradam domos vestras populo venienti, qui me non audientes credunt: quibus signa non ostendi, facient quæ præcepi.

36. Prophetas non viderunt, & memorabuntur iniquitatem eorum.

37. Testor populi venientis gratiam, cujus parvuli exultant cum lætitia, me non videntes oculis carnalibus, sed spiritu credentes quæ dixi.

38. Et nunc frater aspice, quæ gloria: & vide populum venientem ab Oriente,

39. Quibus dabo ducatum Abraham, Isaac, & Jacob, & Osee, & Amos, & Michææ, & Joel, & Abdiæ, & Jonæ,

40. Et

40. Et Nahum, & Habacuc, Sophoniæ, Aggæi, Zachariæ, & Malachiæ, qui & Angelus Domini vocatus est.

CAPUT II.

Synagoga sub figura matris revocatur a malis suis ad vitam rectiorem.

1. HÆc dicit Dominus: Ego eduxi populum istum de servitute, quibus mandata dedi per pueros meos prophetas, quos audire noluerunt, sed irrita fecerunt mea consilia.

2. Mater quæ eos generavit, dicit illis, Ite filii, quia ego vidua sum & derelicta.

3. Educavi vos cum lætitia, & amisi vos cum luctu & tristitia, quoniam peccastis coram Domino Deo vestro, & quod malum est coram eo, fecistis.

4. Modo autem quid faciam vobis? ego vidua sum & derelicta: ite filii, & petite a Domino misericordiam.

5. Ego autem te pater testem invoco super matrem filiorum, qui noluerunt testamentum meum servare.

6. Ut des eis confusionem, & matrem eorum in direptionem, ne generatio eorum fiat.

7. Dispergantur in gentes nomina eorum, deleantur a terra: quoniam spreverunt sacramentum meum.

8. Væ tibi Assur, qui abscondis iniquos penes te. Gens mala, memorare quid fecerim Sodomæ & Gomorrhæ,

9. Quorum terra jacet in piceis glebis & aggeribus cinerum: sic dabo eos, qui me non audierunt, dicit Dominus omnipotens.

10. Hæc dicit Dominus ad Esdram, Nuntia populo meo, quoniam dabo eis regnum Jerusalem, quod daturus eram Israel.

11. Et sumam mihi gloriam illorum, & dabo eis tabernacula æterna, quæ præparaveram illis.

12. Lignum vitæ erit illis in odore unguenti, & non laborabunt, neque fatigabuntur.

13. Ite, & accipietis. Rogate vobis dies paucos, ut immorentur. Jam paratum est vobis regnum: vigilate.

14. Testare cælum & terram. Contrivi enim malum, & creavi bonum, quia vivo ego, dicit Dominus.

15. Mater amplectere filios tuos, educa illos cum lætitia. Sicut columba confirma pedes eorum: quoniam te elegi, dicit Dominus.

16. Et resuscitabo mortuos de locis suis, & de monumentis educam illos, quoniam cognovi nomen meum in Israel.

17. Noli timere mater filiorum: quoniam te elegi, dicit Dominus.

18. Mittam tibi adjutorium pueros meos Isaiam & Jeremiam, ad quorum consilium sanctificavi & paravi tibi arbores duodecim gravatas variis fructibus.

19. Et totidem fontes fluentes lac & mel: & montes immensos septem, habentes rosam & lilium, in quibus gaudio implebo filios tuos.

20. Viduam justifica, pupillos judica, egenti da, orphanum tuere, nudum vesti,

21. Confractum & debilem cura, claudum irridere noli, tutare mancum, & cæcum ad visionem claritatis meæ admitte.

22. Senem & juvenem intra muros tuos serva

23. Mortuos ubi inveneris, signans commenda sepulcro, & dabo tibi primam sessionem in resurrectione mea.

24. Pausa & quiesce populus meus, quia veniet requies tua.

25. Nutrix bona nutri filios tuos, confirma pedes eorum.

26. Servos, quos tibi dedi, nemo ex eis interiet: eos ego enim requiram de numero tuo.

27. Noli fatigari. Cum enim venerit dies pressuræ & angustiæ, alii plorabunt, & tristes erunt: tu autem hilaris & copiosa eris:

28. Zelabunt gentes, & nil adversus te poterunt, dicit Dominus.

29. Manus meæ tegent te, ne filii tui gehennam videant.

30. Jucundare mater cum filiis tuis, quia ego te eripiam, dicit Dominus.

31. Filios tuos dormientes memorare, quoniam ego eos educam de lateribus terræ, & misericordiam cum illis faciam: quoniam misericors sum, dicit Dominus omnipotens.

32. Amplectere natos tuos usque dum venio, & præstem illis misericordiam: quoniam exuberant fontes mei, & gratia mea non deficiet.

33. Ego Esdras præceptum accepi a Domino in monte Oreb, ut irem ad Israel: ad quos cum venirem, reprobaverunt me, & respuerunt mandatum Domini.

34. Ideoque vobis dico gentes, quæ auditis, & intelligitis, Expectate pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis: quoniam in proximo est ille, qui in fine sæculi adveniet.

35. Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis.

36. Fugite umbram sæculi hujus: accipite jucunditatem gloriæ vestræ. Ego testor palam salvatorem meum.

37. Commendatum donum accipite & jucundamini, gratias agentes ei qui vos ad cælestia regna vocavit.

38. Surgite & state & videte numerum signatorum in convivio Domini.

39. Qui se de umbra sæculi transtulerunt, splendidas tunicas a Domino acceperunt.

40. Recipe Sion numerum tuum, & conclude candidatos tuos qui legem Domini compleverunt.

41. Filiorum tuorum, quos optabas, plenus est numerus. Roga imperium Domini, ut sanctificetur populus tuus qui vocatus est ab initio.

42. Ego Esdras vidi in monte Sion turbam magnam, quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabant Dominum.

43. Et in medio eorum erat juvenis statura celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur: Ego autem miraculo tenebar.

44. Tunc interrogavi Angelum, & dixi: Qui sunt hi, Domine?

45. Qui respondens dixit mihi: Hi sunt qui mortalem tunicam deposuerunt & immortalem sumpserunt, & confessi sunt nomen Dei. Modo coronantur, & accipiunt palmas.

46. Et dixi Angelo: Ille juvenis, quis est, qui eis coronas imponit, & palmas in manus tradit?

47. Et respondens dixit mihi: Ipse est filius Dei, quem in sæculo confessi sunt: ego autem magnificare eos cœpi, qui fortiter pro nomine Domini steterunt.

48. Tunc dixit mihi Angelus: Vade, annuntia populo meo, qualia & quanta mirabilia Domini Dei vidisti.

CAPUT III.

In omnibus Adæ posteris, & maxime in Gentibus infidelibus, abundat malitia.

1. ANno trigesimo ruinæ civitatis eram in Babylone, & conturbatus sum super cubiculo meo recumbens, & cogitationes meæ ascendebant super cor meum:

2. Quoniam vidi desertionem Sion, & abundantiam eorum qui habitabant in Babylone.

3. Et ventilatus est spiritus meus valde, & cœpi loqui ad Altissimum verba timorata,

4. Et dixi: O Dominator Domine, tu dixisti ab initio, quando plantasti terram, & hoc solus, & imperasti populo,

5. Et dedisti Adam corpus mortuum: sed & ipsum figmentum manuum tuarum erat, & insufflasti in eum spiritum vitæ, & factus est vivens coram te:

6. Et induxisti eum in paradiso, quem plantaverat dextera tua, antequam terra adventaret.

7. Et huic mandasti diligere viam tuam, & præterivit eam, & statim instituisti in eo mortem, & in nationibus ejus, & natæ sunt gentes, & tribus, & populi, & cognationes, quarum non est numerus.

8. Et ambulavit unaquæque gens in voluntate sua, & mira agebant coram te, & spernebant præcepta tua.

9. Iterum autem in tempore induxisti diluvium super inhabitantes sæculum, & perdidisti eos.

10. Et factum est in unoquoque eorum, sicut Adæ mori, sic his diluvium.

11. Dereliquisti autem unum ex his Noe cum domo sua, & ex eo justi omnes.

12. Et factum est cum cœpissent multiplicari, qui habitabant super terram, & multiplicaverunt filios & populos & gentes multas: & cœperunt iterato impietatem facere plus quam priores.

13. Et factum est cum iniquitatem facerent coram te, elegisti tibi virum ex his, cui nomen erat Abraham.

14. Et dilexisti eum, & demonstrasti ei soli voluntatem tuam:

15. Et disposuisti ei testamentum æternum, & dixisti ei ut non umquam derelinqueres semen ejus. Et dedisti ei Isaac, & Isaac dedisti Jacob & Esau.

16. Et segregasti tibi Jacob, Esau autem separasti. Et factus est Jacob in multitudine magna.

17. Et factum est cum educeres semen ejus ex Ægypto, adduxisti super montem Sina.

18. Et inclinasti cælos, & statuisti terram, & commovisti orbem, & tremere fecisti abyssos, & conturbasti sæculum,

19. Et transiit gloria tua portas quatuor, ignis, & terræmotus, & spiritus, & gelu, ut dares semini Jacob legem, & generationi Israel diligentiam.

20. Et non abstulisti ab eis cor malignum, ut faceret lex tua in eis fructum.

21. Cor enim malignum bajulans primus Adam, transgressus & victus est, sed & omnes qui de eo nati sunt.

22. Et facta est permanens infirmitas, & lex cum corde populi, cum malignitate radicis: & discessit quod bonum est, & mansit malignum.

23. Et transierunt tempora, & finiti sunt anni: & suscitasti tibi servum nomine David,

24. Et dixisti ei ædificare civitatem nominis tui, & offerre tibi in eadem thus & oblationes.

25. Et factum est hoc annis multis, & deliquerunt qui habitabant civitatem,

26. In omnibus facientes sicut fecit Adam, & omnes generationes ejus: utebantur enim & ipsi corde maligno.

27. Et tradidisti civitatem tuam in manibus inimicorum tuorum.

28. Numquid meliora faciunt, qui habitant Babylonem? Et propter hoc dominabitur Sion?

29. Factum est cum venissem huc, & vidissem impietates, quarum non est numerus: & delinquentes multos vidit anima mea hoc trigesimo anno, & excessit cor meum:

30. Quoniam vidi quomodo sustines eos peccantes, & pepercisti impie agentibus, & perdidisti populum tuum, & conservasti inimicos tuos, & non significasti.

31. Nihil memini quomodo debeat derelinqui via hæc. Numquid meliora facit Babylon quam Sion?

32. Aut alia gens cognovit te præter Israel? aut quæ tribus crediderunt testamentis tuis, sicut Jacob?

33. Quarum merces non comparuit, neque labor fructificavit. Pertransiens enim pertransivi in gentibus, & vidi abundantes eas, & non memorantes mandatorum tuorum.

34. Nunc ergo pondera in statera nostras iniquitates, & eorum qui habitant in sæculo: & non invenietur nomen tuum, nisi in Israel.

35. Aut quando non peccaverunt in conspectu tuo, qui habitant terram? aut quæ gens sic observavit mandata tua.

36. Hos quidem per nomina invenies servasse mandata tua, gentes autem non invenies.

CAPUT IV.

Retunditur curiosi scrutatoris præsumptio, adductis variis similitudinibus.

1. ET respondit ad me Angelus, qui missus est ad me, cui nomen Uriel,

2. Et dixit mihi, Excedens excessit cor tuum in sæculo hoc, & comprehendere cogitas viam Altissimi.

3. Et dixi: Ita Domine meus. Et respondit mihi, & dixit: Tres vias missus sum ostendere tibi, & tres similitudines proponere coram te.

4. De quibus mihi si renuntiaveris unam ex his, & ego tibi demonstrabo viam, quam desideras videre, & docebo te, unde sit cor malignum.

5. Et dixi: Loquere Domine meus. Et dixit ad me: Vade, pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi flatum venti, aut revoca mihi diem quæ præteriit.

6. Et

6. Et respondi, & dixi: Quis natorum poterit facere, ut me interroges de his?

7. Et dixit ad me: Si essem interrogans te, dicens: Quantæ habitationes sunt in corde maris, aut quantæ venæ sunt in principio abyssi, aut quantæ venæ sunt super firmamentum, aut qui sunt exitus paradisi:

8. Diceres mihi fortassis, in abyssum non descendi, neque in infernum adhuc, neque in cælum umquam ascendi.

9. Nunc autem non interrogavi te, nisi de igne, & vento, & die, per quem transisti, & a quibus separari non potes: & non respondisti mihi de eis.

10. Et dixit mihi: Tu quæ tua sunt tecum coadolescentia, non potes cognoscere:

11. Et quomodo poterit vas tuum capere Altissimi viam, & jam exterius corrupto sæculo intelligere corruptionem evidentem in facie mea?

12. Et dixi illi: Melius erat nos non esse, quam adhuc viventes vivere in impietatibus, & pati, & non intelligere de qua re.

13. Et respondit ad me, & dixit: Proficiscens profectus sum ad silvam lignorum campi, & cogitaverunt cogitationem.

14. Et dixerunt: Venite, & eamus, & faciamus ad mare bellum, ut recedat coram nobis, & faciamus nobis alias silvas.

15. Et similiter fluctus maris & ipsi cogitaverunt cogitationem, & dixerunt: Venite ascendentes, debellemus silvas campi, ut & ibi consummemus nobisinetipsis aliam regionem.

16. Et factus est cogitatus silvæ in vanum: venit enim ignis, & consumpsit eam.

17. Similiter & cogitatus fluctuum maris: stetit enim arena, & prohibuit eos.

18. Si enim esses judex horum, quæ inciperes justificare, aut quem condemnare?

19. Et respondi, & dixi: Utique vanam cogitationem cogitaverunt: terra enim data est silvæ, & mari locus portare fluctus suos.

20. Et respondit ad me, & dixit: Bene tu judicasti, & quare non judicasti tibimetipsi?

21. Quemadmodum enim terra silvæ data est, & mare fluctibus suis: sic qui super terram inhabitant, quæ sunt super terram intelligere solummodo possunt: & qui super cælos, quæ super altitudinem cælorum.

22. Et respondi, & dixi: Deprecor te Domine, ut mihi detur sensus intelligendi.

23. Non enim volui interrogare de superioribus tuis, sed de his quæ pertranseunt per nos quotidie: propter quid Israel datus in opprobrium gentibus? quem dilexisti populum, datus est tribubus impiis, & lex patrum nostrorum in interitum deducta est, & dispositiones scriptæ nusquam sunt:

24. Et pertransivimus de sæculo, ut locustæ, & vita nostra stupor & pavor, & nec digni sumus misericordiam consequi.

25. Sed quid faciet nomini suo quod invocatum est super nos? & de his interrogavi.

26. Et respondit ad me, & dixit: Si fueris plurimum scrutatus, frequenter miraberis: quoniam festinans festinat sæculum pertransire,

27. Et non capit portare quæ in futuris temporibus justis repromissa sunt: quoniam plenum injustitia est sæculum hoc & infirmitatibus.

28. De quibus autem interrogas, dicam: seminatum enim est malum, & necdum venit destructio ipsius.

29. Si ergo non inversum fuerit quod seminatum est, & discesserit locus ubi seminatum est malum, non veniet ubi seminatum est bonum.

30. Quoniam gramen seminis mali seminatum est in corde Adam ab initio: & quantum impietatis generavit usque nunc, & generat usque cum veniat area?

31. Æstima autem apud te gramen mali seminis, quantum fructum impietatis generavit:

32. Quando secatæ fuerint spicæ, quarum non est numerus, quam magnam aream incipient facere?

33. Et respondi, & dixi: Quomodo, & quando hæc? Quare modici & mali anni nostri?

34. Et respondit ad me, & dixit mihi: Non festines tu super Altissimum. Tu enim festinas inaniter esse super ipsum: nam excessus tuus multus.

35. Nonne de his interrogaverunt animæ justorum in promptuariis suis, dicentes, Usquequo spero sic? & quando veniet fructus areæ mercedis nostræ?

36. Et respondit ad ea Jeremiel Archangelus, & dixit: Quando impletus fuerit numerus seminum in vobis, quoniam in statera ponderavit sæculum:

37. Et mensura mensuravit tempora, & numero numeravit tempora, & non commovit nec excitavit usquedum impleatur prædicta mensura.

38. Et respondi, & dixi: O dominator Domine, sed & nos omnes pleni sumus impietate.

39. Et ne forte propter nos non impleantur justorum areæ, propter peccata inhabitantium super terram.

40. Et respondit ad me, & dixit: Vade, & interroga prægnantem, si quando impleverit novem menses suos, adhuc poterit matrix ejus retinere partum in semetipsa: Et dixi,

41. Non potest Domine. Et dixit ad me, In inferno promptuaria animarum matrici assimilata sunt.

42. Quemadmodum enim illa festinat quæ parit effugere necessitatem partus: sic & hæc festinat reddere ea quæ commendata sunt.

43. Ab initio tibi demonstrabitur de his quæ concupiscis videre.

44. Et respondi, & dixi: Si inveni gratiam ante oculos tuos, & si possibile est, & si idoneus sum,

45. Demonstra mihi, si plusquam præteritum sit habet venire, aut plura pertransierunt supra quam futurum est.

46. Quid pertransivit, scio: quid autem futurum sit, ignoro.

47. Et dixit ad me: Sta super dexteram partem, & demonstrabo tibi interpretationem similitudinis.

48. Et steti, & vidi: & ecce fornax ardens transiit coram me: & factum est, cum transiret flamma, vidi, & ecce superavit fumus.

49. Post hæc transiit coram me nubes plena aquæ, & immisit pluviam impetu multam: & cum transisset impetus pluviæ, superaverunt in ea guttæ.

50. Et dixit ad me: Cogita tibi: sicut crescit pluvia amplius quam guttæ, & ignis quam fumus: sic superabundavit quæ transivit mensura. Superaverunt autem guttæ, & fumus:

51. Et oravi, & dixi: Putas vivo usque in diebus illis? vel quid erit in diebus illis?

52. Respondit ad me, & dixit: De signis, de quibus me interrogas, ex parte possum tibi dicere: de vita autem tua non sum missus dicere tibi, sed nescio.

CAPUT V.

Varia signa de futuris rebus Esdræ per Angelum ostenduntur pro captivorum spe ac consolatione.

1. De signis autem: ecce dies venient, in quibus apprehendentur qui inhabitant terram in censu multo: & abscondetur veritatis via, & sterilis erit a fide regio:

2. Et multiplicabitur injustitia super hanc quam ipse tu vides, & super quam audisti olim:

3. Et erit imposito vestigio quam nunc vides regnare regionem, & videbunt eam desertam.

4. Si autem tibi dederit Altissimus vivere, videbis post tertiam tubam, & relucescet subito sol noctu, & luna ter in die,

5. Et de ligno sanguis stillabit, & lapis dabit vocem suam, & populi commovebuntur.

6. Et regnabit, quem non sperant qui inhabitant super terram, & volatilia commigrationem facient:

7. Et mare Sodomiticum pisces rejiciet, & dabit vocem noctu, quam non noverant multi: omnes autem audient vocem ejus.

8. Et chaos fiet per loca multa, & ignis frequenter remittetur, & bestiæ agrestes transmigrabunt, & mulieres menstruatæ parient monstra,

9. Et in dulcibus aquis salsæ invenientur, & amici omnes semetipsos expugnabunt: & abscondetur tunc sensus, & intellectus separabitur in promptuarium suum:

10. Et quæretur a multis, & non invenietur: & multiplicabitur injustitia, & incontinentia super terram.

11. Et interrogabit regio proximam suam, & dicet, Numquid per te pertransiit justitia justum faciens? Et hoc negabit.

12. Et erit in illo tempore, & sperabunt homines, & non impetrabunt: laborabunt, & non dirigentur viæ eorum.

13. Hæc signa dicere tibi permissum est mihi: & si oraveris iterum & ploraveris, sicut & nunc, & jejunaveris septem diebus, audies iterato horum majora.

14. Et evigilavi, & corpus meum horruit valde: & anima mea laboravit, ut deficeret:

15. Et tenuit me qui venit Angelus, qui loquebatur in me, & confortavit me, & statuit me super pedes.

16. Et factum est in nocte secunda, & venit ad me Salathiel dux populi, & dixit mihi, Ubi eras? & quare vultus tuus tristis?

17. An nescis, quoniam tibi creditus est Israel in regione transmigrationis eorum?

18. Exurge ergo, & gusta panem, & non derelinquas nos, sicut pastor gregem suum in manibus luporum malignorum.

19. Et dixi ei, Vade a me, & non appropies ad me. Et audivit, ut dixi: & recessit a me.

20. Et ego jejunavi diebus septem ululans & plorans, sicut mihi mandavit Uriel Angelus.

21. Et factum est post dies septem, & iterum cogitationes cordis mei molestæ erant mihi valde,

22. Et resumpsit anima mea spiritum intellectus: & iterum cœpi loqui coram Altissimo sermones,

23. Et dixi, Dominator Domine, ex omni silva terræ, & omnibus arboribus ejus, elegisti vineam unicam:

24. Et ex omni terra orbis, elegisti tibi foveam unam: & ex omnibus floribus orbis, elegisti tibi lilium unum:

25. Et ex omnibus abyssis maris, replesti tibi rivum unum: & ex omnibus ædificatis civitatibus, sanctificasti tibimetipsi Sion.

26. Et ex omnibus creatis volatilibus, nominasti tibi columbam unam: & ex omnibus plasmatis pecoribus, providisti tibi ovem unam:

27. Et ex omnibus multiplicatis populis, acquisivisti tibi populum unum: & ab omnibus probatam legem, donasti huic quem desiderasti populo.

28. Et nunc Domine, ut quid tradidisti unum pluribus? Et præparasti super unam radicem alias, & disperdidisti unicum tuum in multis:

29. Et conculcaverunt eum, qui contradicebant sponsionibus tuis, quique tuis testamentis non credebant.

30. Et si odiens odisti populum tuum, tuis manibus debet castigari.

31. Et factum est, cum locutus essem sermones, & missus est Angelus ad me, qui ante venerat ad me præterita nocte,

32. Et dixit mihi, Audi me, & instruam te: & intende mihi, & adjiciam coram te.

33. Et dixi, Loquere Domine meus. Et dixit ad me, Valde tu in excessu mentis factus es pro Israel: an plus dilexisti eum, quam qui eum fecit?

34. Et dixi ad eum, Non Domine, sed dolens locutus sum. Torquent enim me renes mei per omnem horam, quærentem apprehendere semitam Altissimi, & investigare partem judicii ejus.

35. Et dixit ad me, Non potes. Et dixi, Quare Domine? ad quid nascebar, aut quare non fiebat matris meæ mihi sepulcrum, ut non viderem laborem Jacob, & defatigationem generis Israel?

36. Et dixit ad me, Numera mihi quæ necdum venerant, & collige mihi dispersas guttas, & revirida mihi aridos flores,

37. Et aperi mihi clausa promptuaria, & produc mihi inclusos in eis flatus; demonstra mihi vocis imaginem: & tunc ostendam tibi laborem quem rogas videre.

38. Et dixi, Dominator Domine, quis enim est qui potest hæc scire, nisi qui cum hominibus habitationem non habet?

39. Ego autem insipiens: & quomodo potero dicere de his, quibus me interrogasti?

40. Et dixit ad me, Quomodo non potes facere unum de his quæ dicta sunt: sic non poteris invenire judicium meum, aut in fine charitatem quam populo promisi.

41. Et dixi, Sed ecce Domine tu prope es his qui in finem sunt: & quid facient qui ante me fuerunt, aut nos, aut hi qui post nos?

42. Et dixit ad me, Coronæ assimilabo judicium meum. Sicut non novissimorum tarditas, sic nec priorum velocitas.

43. Et respondi, & dixi, Nec poteras facere eos qui facti sunt, & qui sunt, & qui futuri sunt, in unum, ut celerius judicium tuum ostendas?

44. Et

44. Et respondit ad me & dixit, Non potest festinare creatura super creatorem, nec sustinere sæculum eos qui in eo creandi sunt, in unum.

45. Et dixi, Quomodo dixisti servo tuo, quoniam vivificans vivificasti a te creatam creaturam in unum, & sustinebat creatura, poterit & nunc portare præsentes in unum.

46. Et dixit ad me, Interroga meretricem mulieris, & dices ad eam, Et si paris, quare per tempus? Roga ergo eam, ut det decem in unum.

47. Et dixi, Non utique poterit: sed secundum tempus.

48. Et dixit ad me, Et ego dedi matricem terræ his qui seminati sunt super eam per tempus.

49. Quemadmodum enim infans non parit ea, quæ senum sunt: sic ego dispsosui a me creatum sæculum.

50. Et interrogavi, & dixi, Cum jam dederis mihi viam, loquar coram te: nam mater nostra, de qua dixisti mihi, adhuc juvenis est: jam senectuti appropinquat.

51. Et respondit ad me. & dixit, Interroga eam quæ parit, & dicet tibi.

52. Dices enim ei. Quare quos peperisti, nunc non sunt similes his qui ante te, sed minores statura?

53. Et dicet tibi & ipsa, Alii sunt qui in juventute virtuti nati sunt: & alii qui sub tempore senectutis deficiente matrice sunt nati.

54. Considera ergo & tu quoniam minori statura estis præ his qui ante vos:

55. Et post vos, minori quam vos, quasi jam senescentes creaturæ, & fortitudinem juventutis prætereuntes. Et dixi, Rogo Domine, si inveni gratiam ante oculos tuos, demonstra servo tuo, per quem visites creaturam tuam.

CAPUT VI.

Deus omnia novit antequam fiant, & omnia creavit propter hominem, omniumque fines considerat.

1. ET dixit ad me, Initio terreni orbis & antequam starent exitus sæculi, & antequam spirarent conventiones ventorum,

2. Et antequam sonarent voces tonitruum, & antequam splenderent nitores coruscationum, & antequam confirmarentur fundamenta paradisi,

3. Et antequam viderentur decori flores, & antequam confirmarentur motæ virtutes, & antequam colligerentur innumerabiles militiæ Angelorum,

4. Et antequam extollerentur altitudines aeris, & antequam nominarentur mensuræ firmamentorum, & antequam æstuarent camini in Sion,

5. Et antequam investigarentur præsentes anni, & antequam abalienarentur eorum qui nunc peccant adinventiones, & consignati essent, qui fidem thesaurizaverunt.

6. Tunc cogitavi, & facta sunt per me solum, & non per alium: & finis per me, & non per alium.

7. Et respondi, & dixi, Quæ erit separatio temporum? aut quando prioris finis, & sequentis initium?

8. Et dixit ad me, Ab Abraham usque ad Isaac, quando nati sunt ab eo Jacob & Esau, manus Jacob tenebat ab initio calcaneum Esau,

9. Finis enim hujus sæculi Esau, & principium sequentis Jacob.

10. Hominis manus inter calcaneum & manum. Aliud noli quærere Esdra.

11. Et respondi, & dixi, O dominator Domine, si inveni gratiam ante oculos tuos,

12. Oro ut demonstret servo tuo finem signorum tuorum, quorum partem mihi demonstrasti nocte præcedenti.

13. Et respondit, & dixit ad me. Surge super pedes tuos, & audi vocem plenissimam sonitus.

14. Et erit sicut commotio, nec commovebitur locus, in quo stes super eum.

15. Ideo cum loquitur, tu non expaveas, quoniam de fine verbum & fundamentum terræ intelligitur,

16. Quoniam de ipsis sermo tremiscit & commovetur; scit enim quoniam finem eorum oportet commutari.

17. Et factum est, cum audissem, surrexi super pedes meos, & audivi: & ecce vox loquens, & sonus ejus sicut sonus aquarum multarum,

18. Et dixit, Ecce dies veniunt, & erit quando appropinquare incipiam, ut visitem habitantes in terra:

19. Et quando inquirere incipiam ab eis qui injuste nocuerunt injustitia sua, & quando suppleta fuerit humilitas Sion.

20. Et cum supersignabitur sæculum quod incipient pertransire, hæc signa faciam: Libri aperientur ante faciem firmamenti, & omnes videbunt simul,

21. Et anniculi infantes loquentur vocibus suis, & prægnantes immaturos parient infantes trium & quatuor mensium, & vivent, & suscitabuntur.

22. Et subito apparebunt seminata loca non seminata, & plena promptuaria subito invenientur vacua:

23. Et tuba canet cum sono, quam cum omnes audirent, subito expavescent.

24. Et erit in illo tempore, debellabunt amici amicos ut inimici, & expavescet terra cum his: & venæ fontium stabunt, & non decurrent in horis tribus:

25. Et erit, Omnis qui derelictus fuerit ex omnibus istis quibus prædixi tibi, ipse salvabitur, & videbit salutare meum, & finem sæculi vestri.

26. Et videbunt qui recepti sunt homines, qui mortem non gustaverunt a nativitate sua, & mutabitur cor inhabitantium, & convertetur in sensum alium.

27. Delebitur enim malum, & extinguetur dolus.

28. Florebit autem fides, & vincetur corruptela, & ostendetur veritas quæ sine fructu fuit diebus tantis.

29. Et factum est, cum loqueretur mihi, & ecce paulatim intuebar super eum ante quem stabam,

30. Et dixit ad me hæc, Veni tibi ostendere tempus venturæ noctis.

31. Si ergo iterum rogaveris, & iterum jejunaveris septem diebus, iterum tibi renuntiabo horum majora per diem quam audivi.

32. Audita est enim vox tua apud Altissimum. Vidit enim fortis directionem tuam, & providit pudicitiam, quam a juventute tua habuisti:

33. Et propter hoc misit me demonstrare tibi hæc omnia, & dicere tibi, Confide, & noli timere,

34. Et noli festinare cum prioribus temporibus

bus cogitare vana, & non properes a novissimis temporibus.

35. Et factum est post hæc, & flevi iterum: & similiter jejunavi septem diebus, ut suppleam tres hebdomadas, quæ dictæ sunt mihi.

36. Et factum est in octava nocte, & cor meum turbabatur iterato in me, & cœpi loqui coram Altissimo.

37. Inflammabatur enim spiritus meus valde, & anima mea anxiabatur.

38. Et dixi, O Domine, loquens locutus es ab initio creaturæ, in primo die dicens, Fiat cælum & terra: & tuum verbum opus perfectum.

39. Et erat tunc spiritus, & tenebræ circumferebantur, & silentium, sonus vocis hominis nondum erat abs te.

40. Tunc dixisti de thesauris tuis proferri lumen luminosum, quo appareret opus tuum.

41. Et die secundo creasti spiritum firmamenti, & imperasti ei ut divideret & divisionem faceret inter aquas, ut pars quædam sursum recederet, pars vero deorsum maneret.

42. Et tertia die imperasti aquis congregari in septima parte terræ; sex vero partes siccasti & conservasti, ut ex his sint coram te ministrantia seminata a Deo, & culta.

43. Verbum enim tuum processit, & opus statim fiebat.

44. Processit enim subito fructus multitudinis immensus, & concupiscentiæ gustus multiformes, & flores colore immutabili, & odores odoramenti investigabilis, & die tertia hæc facta sunt.

45. Quarta autem die imperasti fieri solis splendorem, lunæ lumen, stellarum dispositionem:

46. Et imperasti eis, ut deservirent futuro plasmato homini.

47. Quinto autem die dixisti septimæ parti, ubi erat aqua congregata, ut procrearet animalia, & volatilia, & pisces: & ita fiebat.

48. Aqua muta, & sine anima, quæ Dei nutu jubebantur, animalia faciebat, ut ex hoc mirabilia tua nationes enarrent.

49. Et tunc conservasti duas animas: nomen uni vocasti Henoch, & nomen secundæ vocasti Leviathan.

50. Et separasti ea ab alterutro. Non enim poterat septima pars, ubi erat aqua congregata, capere ea.

51. Et dedisti Henoch unam partem, quæ siccata est tertio die, ut habitet in ea, ubi sunt montes mille.

52. Leviathan autem dedisti septimam partem humidam, & servasti eam, ut fiat in devorationem quibus vis, & quando vis.

53. Sexto autem die imperasti terræ, ut crearet coram te jumenta, & bestias, & reptilia:

54. Et super his Adam, quem constituisti ducem super omnibus factis quæ fecisti, & ex eo educimur nos omnes, quemque elegisti populum.

55. Hæc autem omnia dixi coram te, Domine, quia propter nos creasti sæculum.

56. Residuas autem gentes ab Adam natas dixisti eas nil esse, & quoniam salivæ assimilatæ sunt, & quasi stillicidium de vase similasti abundantiam eorum.

57. Et nunc Domine, ecce istæ gentes quæ in nihilum deputatæ sunt, cœperunt dominari nostri, & devorare:

58. Nos autem populus tuus quem vocasti primogenitum unigenitum æmulatorem tuum, traditi sumus in manibus eorum:

59. Et si propter nos creatum est sæculum, quare non hæreditatem possidemus cum sæculo? Usquequo hæc?

CAPUT VII.

Absque tribulationibus non pervenitur ad immortalem vitam: & nunc quidem prosunt orationes justorum, post extremum autem judicium nihil immutabitur. Variis vitiis subjiciunt se homines, sed Dominus est misericors.

1. ET factum est, cum finissem loqui verba hæc, missus est ad me Angelus qui missus fuerat ad me primis noctibus.

2. Et dixit ad me, Surge Esdra, & audi sermones quos veni loqui ad te.

3. Et dixi: Loquere Deus meus. Et dixit ad me: Mare positum est in spatioso loco, ut esset altum & immensum:

4. Erit autem ei introitus in angusto loco positus, ut esset similis fluminibus.

5. Quis enim volens voluerit ingredi mare, & videre eum, vel dominari ejus: si non transierit angustum, in latitudinem quomodo venire poterit?

6. Item aliud, Civitas est ædificata, & posita in loco campestri: est autem plena omnium bonorum.

7. Introitus ejus angustus & in præcipiti positus, ut esset a dextris quidem ignis, a sinistris aqua alta:

8. Semita autem est una sola inter eos posita, hoc est, inter ignem & aquam, ut non capiat semita, nisi solummodo vestigium hominis.

9. Si autem dabitur civitas homini in hæreditatem, si nunquam antepositum periculum pertransierit, quomodo accipiet hæreditatem suam?

10. Et dixi, Sic Domine. Et dixit ad me, Sic est & Israel pars.

11. Propter eos enim feci sæculum, & quando transgressus est Adam constitutiones meas, judicatum est quod factum est.

12. Et facti sunt introitus hujus sæculi angusti, & dolentes, & laboriosi: pauci autem & mali, & periculorum pleni: & labore magnopere fulti.

13. Nam majoris sæculi introitus spatiosi & securi, & facientes immortalitatis fructum.

14. Si ergo ingredientes non fuerint ingressi qui vivunt, angusta & vana hæc: non poterunt recipere quæ sunt reposita.

15. Nunc ergo quare tu conturbaris, cum sis corruptibilis? Et quid moveris tu, cum sis mortalis?

16. Et quare non accepisti in corde tuo quod est futurum, sed quod in præsenti?

17. Respondi & dixi, Dominator, Domine, ecce disposuisti lege tua, quoniam justi hæreditabunt hæc, impii autem peribunt.

18. Justi autem ferent angusta, sperantes spatiosa: qui enim impie gesserunt, & angusta passi sunt, & spatiosa non videbunt.

19. Et dixit ad me, Non est judex super Deum, neque intelligens super Altissimum.

20. Pereunt enim multi præsentes, quia negligitur quæ anteposita est Dei lex.

21. Mandans enim mandavit Deus venientibus, quando venerunt, quid facientes viverent, & quid observantes non punirentur.

22. Hi

22. Hi autem non sunt persuasi, & contradixerunt ei, & constituerunt sibi cogitamen vanitatis.

23. Et proposuerunt sibi circumventiones delictorum, & superdixerunt Altissimo non esse, & vias ejus non cognoverunt,

24. Et legem ejus spreverunt, & sponsiones ejus abnegaverunt, & in legitimis ejus fidem non habuerunt, & opera ejus non perfecerunt.

25. Propter hoc Esdra vacua vacuis, & plena plenis.

26. Ecce tempus veniet, & erit quando venient signa quæ prædixi tibi, & apparebit sponsa, & apparescens ostendetur quæ nunc subducitur terra:

27. Et omnis qui liberatus est de prædictis malis, ipse videbit mirabilia mea.

28. Revelabitur enim filius meus JESUS cum his qui cum eo sunt, & jucundabuntur qui relicti sunt in annis quadringentis.

29. Et erit post annos hos, & morietur filius meus CHRISTUS, & omnes qui spiramentum habent homines.

30. Et convertetur sæculum in antiquum silentium diebus septem, sicut in prioribus judiciis, ita ut nemo derelinquatur.

31. Et erit post dies septem, & excitabitur quod nondum vigilat sæculum, & morietur corruptum:

32. Et terra reddet quæ in ea dormiunt, & pulvis qui in eo silentio habitant, & promptuaria reddent quæ eis commendatæ sunt animæ.

33. Et revelabitur Altissimus super sedem judicii, & pertransibunt miseriæ, & longanimitas congregabitur.

34. Judicium autem solum remanebit, veritas stabit, & fides convalescet,

35. Et opus subsequetur, & merces ostendetur, & justitiæ vigilabunt, & injustitiæ non dominabuntur.

36. Et dixi: Primus Abraham propter Sodomitas oravit, & Moyses pro patribus qui in deserto peccaverunt,

37. Et qui post eum pro Israel in diebus Achaz, & Samuelis,

38. David pro confractione, & Salomon pro eis qui venerunt in sanctificationem.

39. Et Elias pro his qui pluviam acceperunt, & pro mortuo ut viveret,

40. Et Ezechias pro populo in diebus Sennacherib, & multi pro multis.

41. Si ergo modo quando corruptibile increvit, & injustitia multiplicata est, & oraverunt justi pro impiis: quare & nunc sic non erit?

42. Et respondit ad me, & dixit: Præsens sæculum non est finis, gloria in eo frequens manet: propter hoc oraverunt pro invalidis.

43. Dies enim judicii erit finis temporis hujus, & initium temporis futuræ immortalitatis, in quo transivit corruptela:

44. Soluta est Intemperantia, abscissa est incredulitas: crevit autem justitia, orta est veritas.

45. Tunc enim nemo poterit salvare eum qui periit, neque demergere qui vicit. Et respondi,

46. Et dixi, Hic est sermo meus primus & novissimus, quoniam melius erat non dare terram Adam, vel cum jam dedisset, coercere eum ut non peccaret.

47. Quid enim prodest hominibus, in præsenti vivere in tristitia, & mortuos sperare punitionem?

48. O tu quid fecisti Adam? Si enim tu peccasti, non est factus solius tuus casus, sed & noster qui ex te advenimus.

49. Quid enim prodest nobis, si promissum est nobis immortale tempus; nos autem mortalia opera egimus?

50. Et quoniam prædicta est nobis perennis spes, nos vero pessimi vani facti sumus.

51. Et quoniam reposita sunt nobis habitacula sanitatis & securitatis: nos vero male conversati sumus.

52. Et quoniam reposita est gloria Altissimi, protegere eos qui tarde conversati sunt: nos autem pessimis viis ambulavimus.

53. Et quoniam ostendetur paradisus, cujus fructus incorruptus perseverat, in quo est securitas & medela.

54. Nos vero non ingrediemur, in ingratis enim locis conversati sumus.

55. Et quoniam super stellas fulgebunt facies eorum qui abstinentiam habuerunt: nostræ autem facies super tenebras nigræ.

56. Non enim cogitavimus viventes quando iniquitatem faciebamus, quod incipiemus post mortem pati.

57. Et respondit, & dixit, Hoc est cogitamentum certaminis quod certabit qui super terram natus est homo,

58. Ut si victus fuerit, patiatur quod dixisti: si autem vicerit, recipiet quod dico:

59. Quoniam hæc est vita quam Moyses dixit cum viveret, ad populum, dicens, Elige tibi vitam, ut vivas.

60. Non crediderunt autem ei, sed nec post eum prophetis: sed nec mihi qui locutus sum ad eos.

61. Quoniam non esset tristitia in perditionem eorum, sicut futurum est gaudium super eos, quibus persuasa est salus.

62. Et respondi, & dixi, Scio Domine, quoniam vocatus est Altissimus misericors in eo, quod misereatur his qui nondum in sæculo advenerunt,

63. Et quod miseretur illis qui conversionem faciunt in lege ejus:

64. Et longanimis est, quoniam longanimitatem præstat his qui peccaverunt quasi suis operibus:

65. Et munificus est, quoniam quidem donare vult pro exigentiis:

66. Et multæ misericordiæ, quoniam multiplicat magis misericordias his qui præsentes sunt, & qui præterierunt, & qui futuri sunt.

67. Si enim non multiplicaverit misericordias suas, non vivificabitur sæculum cum his qui inhæreditabunt in eo.

68. Et donat: quoniam si non donaverit de bonitate sua, ut alleventur hi qui iniquitatem fecerunt, de suis iniquitatibus non poterit decies millesima pars vivificari hominum.

69. Et judex si non ignoverit his qui curati sunt verbo ejus, & deleverit multitudinem contentionum: non fortassis derelinquerentur in innumerabili multitudine, nisi pauci valde.

CA-

CAPUT VIII.

Deus in hoc sæculo misericors agnoscitur propter peccatores; plurimi tamen damnantur: at justis præmia sunt reposita.

1. ET respondit ad me, & dixit: Hoc sæculum fecit Altissimus propter multos, futurum autem propter paucos.

2. Dicam autem coram te similitudinem Esdra. Quomodo autem interrogabit terram, & dicet tibi, quoniam dabit terram multam magis unde fiat fictile, parvum autem pulverem unde aurum fit; sic & actus præsentis sæculi.

3. Multi quidem creati sunt, pauci autem salvabuntur.

4. Et respondi, & dixi: Absorbe ergo anima sensum, & devora quod sapit.

5. Convenisti enim obaudire, & prophetare volens. Nec enim tibi datum est spatium, nisi solummodo vivere.

6. O Domine, si non permittes servo tuo, ut oremus coram te, & des nobis semen cordi, & sensui culturam, unde fructus fiat, unde vivere possit omnis corruptus, qui portabit locum hominis?

7. Solus enim es, & una plasmatio nos sumus manuum tuarum, sicut locutus es:

8. Et quomodo nunc in matrice plasmatum est corpus, & præstas membra: conservatur in igne & aqua tua creatio: & novem mensibus patitur tua plasmatio tuam creaturam quæ in ea creata est.

9. Ipsum autem quod servat, & quod servatur, utraque servabuntur; servataque quandoque iterum reddit matrix, quæ in ea creverunt.

10. Imperasti enim ex ipsis membris, hoc est mamillis præbere lac fructui mamillarum.

11. Ut nutriatur id quod plasmatum est usque in tempus aliquod, & postea disponas eum tuæ misericordiæ.

12. Enutristi eum tua justitia, & erudisti eum in lege tua, & corripuisti eum tuo intellectu:

13. Et mortificabis eum, ut tuam creaturam: & vivificabis eum, & opus tuum.

14. Si ergo perdideris eum qui tantis laboribus plasmatus est: tuo jussu facile est ordinari, ut & id quod fiebat servaretur.

15. Et nunc Domine, dicam, de omni homine tu magis scis: de populo autem tuo, ob quem doleo:

16. Et de hæreditate tua, propter quam lugeo: & propter Israel, propter quem tristis sum: & de Jacob, propter quem doleo:

17. Ideo incipiam orare coram te pro me, & pro eis: quoniam video lapsus nostros qui inhabitamus terram.

18. Sed audivi celeritatem judicis qui futurus est.

19. Ideo audi vocem meam, & intellige sermonem meum, & loquar coram te.

20. Initium verborum Esdræ priusquam assumeretur: & dixi, Domine, qui inhabitas sæculum, cujus oculi elevati in superna & aere:

21. Et cujus thronus inæstimabilis, & gloria incomprehensibilis: cui astat exercitus Angelorum cum tremore,

22. Quorum servatio in vento & igni convertitur: cujus verbum verum, & dicta perseverantia:

23. Cujus jussio fortis, & dispositio terribilis: cujus aspectus arefacit abyssos, & indignatio tabescere facit montes, & veritas testificatur:

24. Exaudi orationem servi tui, & auribus percipe precationem figmenti tui.

25. Dum enim vivo, loquar: & dum sapio, respondebo.

26. Nec respicias populi tui delicta, sed qui tibi in veritate serviunt.

27. Nec intendas impia gentium studia, sed qui tua testimonia cum doloribus custodierunt:

28. Nec cogites qui in conspectu tuo false conversati sunt, sed memorare qui ex voluntate tua timorem cognoverunt.

29. Neque volueris perdere, qui pecudum mores habuerunt: sed respicias eos qui legem tuam splendide docuerunt.

30. Nec indigneris eis qui bestiis pejores judicati sunt: sed diligas eos qui semper in tua justitia confidunt, & gloria.

31. Quoniam nos & patres nostri talibus morbis languemus: tu autem propter nos peccatores misericors vocaberis.

32. Si enim desideraveris ut nostri miserearis, tunc misericors vocaberis, nobis autem non habentibus opera justitiæ.

33. Justi enim, quibus sunt opera multa reposita, ex propriis operibus recipient mercedem.

34. Quid est enim homo, ut ei indigneris: aut genus corruptibile, ut ita amarus sis de ipso?

35. In veritate enim, nemo de genitis est, qui non impie gessit, & de confitentibus, qui non deliquit.

36. In hoc enim annuntiabitur justitia tua, & bonitas tua Domine, cum misertus fueris eis qui non habent substantiam bonorum operum.

37. Et respondit ad me, & dixit: Recte locutus es aliqua: & juxta sermones tuos, sic & fiet.

38. Quoniam non vere cogitabo super plasma eorum qui peccaverunt ante mortem, ante judicium, ante perditionem:

39. Sed jucundabor super justorum figmentum, & memorabor peregrinationis quoque, & salvationis, & mercedis receptionis.

40. Quomodo ergo locutus sum, sic & est.

41. Sicut enim agricola serit super terram semina multa, & plantationes multitudinis plantat, sed non in tempore omnia quæ seminata sunt, salvantur, sed nec omnia quæ plantata sunt, radicabunt: sic & qui in sæculo seminati sunt, non omnes salvabuntur.

42. Et respondi, & dixi: Si inveni gratiam, loquar.

43. Quomodo semen agricolæ si non ascenderit aut non acceperit pluviam tuam in tempore, aut si corruptum fuerit multitudine pluviæ,

44. Sic perit: & similiter homo qui manibus tuis plasmatus est, & tu ei imago nominatus: quoniam similatus es ei, propter quem omnia plasmasti, & similasti semini agricolæ.

45. Non irascaris super nos, sed parce populo tuo, & miserere hæreditati tuæ: Tu autem creaturæ tuæ misereris.

46. Et respondit ad me, & dixit: Quæ sunt præsentia præsentibus, & quæ futura futuris.

47. Multum enim tibi restat, ut possis diligere meam creaturam super me: tibi autem frequenter & ipsi proximavi, injustis autem numquam.

48. Sed & in hoc mirabilis es coram Altissimo,

49. Quo-

49. Quoniam humiliasti te sicut decet te: & non judicasti te, ut inter justos plurimum glorificeris.

50. Propter quod miseriæ multæ, & miserabiles efficientur eis qui habitant sæculum in novissimis: quia in multa superbia ambulaverunt.

51. Tu autem pro te intellige, & de similibus tuis inquire gloriam.

52. Vobis enim apertus est paradisus, plantata est arbor vitæ, præparatum est futurum tempus, præparata est abundantia, ædificata est civitas, probata est requies, perfecta est bonitas & perfecta sapientia.

53. Radix mali signata est a vobis, infirmitas, & tinea a vobis absconsa est: & in infernum fugit corruptio in oblivione.

54. Transierunt dolores, & ostensus est in fine thesaurus immortalitatis.

55. Noli ergo adjicere inquirendo de multitudine eorum qui pereunt.

56. Nam & ipsi accipientes libertatem, spreverunt Altissimum, & legem ejus contempserunt, & vias ejus dereliquerunt.

57. Adhuc autem justos ejus conculcaverunt,

58. Et dixerunt in corde suo non esse Deum: & quidem scientes quoniam moriuntur.

59. Sicut enim vos suscipient quæ prædicta sunt: sic eos sitis, & cruciatus, quæ præparata sunt: non enim voluit hominem disperdi.

60. Sed & ipsi qui creati sunt, coinquinaverunt nomen ejus qui fecit eos: & ingrati fuerunt ei qui præparavit eis vitam.

61. Quapropter judicium meum modo appropinquat.

62. Quæ non omnibus demonstravi, nisi tibi & tibi similibus paucis. Et respondi, & dixi:

63. Ecce nunc Domine, demonstrasti mihi multitudinem signorum, quæ incipies facere in novissimis: sed non demonstrasti mihi quo tempore.

CAPUT IX.

Judicia Dei, sicut & alia ejus opera egregia, præcedent aliqua signa.

1. ET respondit ad me, & dixit: Metiens metire tempus in semetipso: & erit cum videris, quando transierit pars quædam signorum quæ prædicta sunt,

2. Tunc intelliges quoniam ipsum est tempus, in quo incipiet Altissimus visitare sæculum quod ab eo factum est.

3. Et quando videbitur in sæculo motio locorum, & populorum turbatio,

4. Tunc intelliges quoniam de his erat Altissimus locutus a diebus qui fuerunt ante te ab initio.

5. Sicut enim omne quod factum est in sæculo, initium habet, pariter & consummationem, & consummatio est manifesta:

6. Sic & Altissimi tempora initia habent manifesta in prodigiis & virtutibus, & consummationes in actu & in signis.

7. Et erit, omnis qui salvus factus fuerit, & qui poterit effugere per opera sua, & per fidem in qua credidistis,

8. Relinquetur de prædictis periculis, & videbit salutare meum in terra mea, & in finibus meis, quoniam sanctificavi me a sæculo.

9. Et tunc miserebuntur qui nunc abusi sunt vias meas: & in tormentis commorabuntur hi qui eas projecerunt in contemptu.

10. Qui enim non cognoverunt me, viventes beneficia consecuti:

11. Et qui fastidierunt legem meam, cum adhuc erant habentes libertatem,

12. Et cum adhuc esset eis apertus pœnitentiæ locus, non intellexerunt, sed spreverunt: hos oportet post mortem in cruciamento cognoscere.

13. Tu ergo noli adhuc curiosus esse, quomodo impii cruciabuntur: sed inquire quomodo justi salvabuntur, & quorum sæculum, & propter quos sæculum, & quando.

14. Et respondi, & dixi:

15. Olim locutus sum, & nunc dico, & postea dicam quoniam plures sunt qui pereunt, quam qui salvabuntur:

16. Sicut multiplicatur fluctus super guttam. Et respondit ad me, & dixit:

17. Qualis ager, talia & semina: & quales flores, tales & tincturæ: & qualis operator, talis & creatio: & qualis agricola, talis cultura: quoniam tempus erat sæculi.

18. Et nunc cum essem parans eis, his qui nunc sunt, antequam fieret sæculum, in quo habitarent: & nemo mihi contradixit:

19. Tunc enim quisque, & nunc creator in mundo hoc parato, & messe indeficienti, & lege investigabili corrupti sunt mores eorum.

20. Et consideravi sæculum, & ecce erat periculum propter cogitationes quæ in eo advenerunt.

21. Et vidi, & peperci ei valde: & servavi mihi acinum de botro, & plantationem de tribu multa.

22. Pereat ergo multitudo quæ sine causa nata est, & servetur acinus meus, & plantatio mea, quia cum multo labore perfeci.

23. Tu autem si adhuc intromittas septem dies alios, sed non jejunabis in eis:

24. Ibis in campum florum, ubi domus non est ædificata: & manducabis solummodo de floribus campi, & carnem non gustabis, & vinum non bibes, sed solummodo flores:

25. Deprecare Altissimum sine intermissione, & veniam, & loquar tecum.

26. Et profectus sum, sicut dixit mihi in campum, qui vocatur Ardath, & sedi ibi in floribus. Et de herbis agri manducavi, & facta est esca earum mihi in saturitatem.

27. Et factum est post dies septem, & ego discumbebam supra fœnum, & cor meum iterum turbabatur sicut ante.

28. Et apertum est os meum, & inchoavi dicere coram Altissimo, & dixi:

29. O Domine, te nobis ostendens, ostensus es patribus nostris in deserto, quod non calcatur, & infructuoso, quando erant exeuntes de Ægypto: & dicens dixisti,

30. Tu Israel audi me, & semen Jacob intende sermonibus meis.

31. Ecce enim ego semino in vobis legem meam; & faciet in vobis fructum, & glorificabimini in eo per sæculum.

32. Nam patres nostri accipientes legem, non servaverunt, & legitima mea non custodierunt, & factus est fructus legis non parens: nec enim poterat, quoniam tuus erat.

33. Nam qui acceperunt, perierunt, non custodientes quod in eis seminatum fuerat.

34. Et ecce, consuetudo est, ut, cum acceperit terra semen, vel navem mare, vel vas aliquod escam, vel potum: cum fuerit exterminatum id, in quo seminatum est, vel in quod missum est,

35. Simul id quod seminatum est, vel missum est, vel quæ suscepta sunt, exterminantur, & suscepta jam non manent apud nos: sed nobis sic non factum est.

36. Nos quidem qui legem accepimus peccantes perivimus, & cor nostrum quod suscepit eam:

37. Nam lex non periit, sed permansit in suo labore.

38. Et cum loquerer hæc in corde meo, respexi oculis meis, & vidi mulierem in dextera parte, & ecce hæc lugebat, & plorabat cum voce magna & animo dolebat valde, & vestimenta ejus discissa, & cinis super caput ejus.

39. Et dimisi cogitatus, in quibus eram cogitans, & conversus sum ad eam, & dixi ei,

40. Ut quid fles? & quid doles animo? Et dixit ad me,

41. Dimitte me Domine meus, ut defleam me, & adjiciam dolorem: quoniam valde amaro sum animo, & humiliata sum valde.

42. Et dixi ei, Quid passa es? dic mihi. Et dixit ad me,

43. Sterilis fuit ego famula tua, & non peperi, habens maritum annis triginta.

44. Ego enim per singulas horas, & per singulos dies, & annos hos triginta deprecor Altissimum nocte ac die.

45. Et factum est, post triginta annos exaudivit me Deus ancillam tuam, & vidit humilitatem meam, & attendit tribulationi meæ, & dedit mihi filium: & jucundata sum super eum valde ego, & vir meus, & omnes cives mei, & honorificabamus valde Fortem.

46. Et nutrivi eum cum labore multo.

47. Et factum est cum crevisset, & venisset accipere uxorem, feci diem epuli.

CAPUT X.

Per mulierem flentem, rursusque refulgentem, ostenditur figurari Jerusalem.

1. ET factum est, cum introisset filius meus in thalamo suo, cecidit, & mortuus est:

2. Et evertimus omnes lumina, & surrexerunt omnes cives mei ad consolandum me, & quievi usque in alium diem usque nocte.

3. Et factum est cum omnes quievissent ut me consolarentur ut quiescerem: & surrexi nocte, & fugi: & veni sicut vides in hoc campo:

4. Et cogito jam non reverti in civitatem, sed hic consistere: & neque manducare, neque bibere, sed sine intermissione lugere, & jejunare usque dum moriar.

5. Et dereliqui sermones in quibus eram, & respondi cum iracundia ad eam, & dixi:

6. Stulta super omnes mulieres, non vides luctum nostrum, & quæ nobis contingunt?

7. Quoniam Sion mater nostra omni tristitia contristatur, & humilitate humiliata est, & luget validissime.

8. Et nunc quoniam omnes lugemus, & tristes sumus: quoniam omnes contristati sumus, tu autem contristaris in uno filio?

9. Interroga enim terram, & dicet tibi: quoniam hæc est quæ debeat lugere casum tantorum super eam germinantium.

10. Et ex ipsa ab initio omnes nati & alii venient: & ecce, pene omnes in perditionem ambulant, & exterminium fit multitudo eorum.

11. Et quis ergo debet lugere magis, nisi hæc quæ tam magnam multitudinem perdidit, quam tu, quæ pro uno doles? Si autem dicis mihi,

12. Quoniam non est planctus meus similis terræ: quoniam fructum ventris mei perdidi, quem cum mœroribus peperi, & cum doloribus genui;

13. Terra autem secundum viam terræ, abiitque in ea multitudo præsens, quo modo evenit: & ego tibi dico,

14. Sicut tu cum labore peperisti, sic & terra dat fructum suum homini ab initio ei qui fecit eam.

15. Nunc ergo retine apud temetipsam dolorem tuum, & fortiter fer qui tibi contigerunt casus.

16. Si enim justificaveris terminum Dei, & consilium suum recipies in tempore, & in talibus collaudaberis:

17. Ingredere ergo in civitatem ad virum tuum. Et dixit ad me,

18. Non faciam, neque ingrediar civitatem, sed hic moriar.

19. Et apposui adhuc loqui ad eam, & dixi,

20. Noli facere hunc sermonem, sed consenti persuadenti. Quot enim casus Sion? Consolare propter dolorem Jerusalem.

21. Vides enim quoniam sanctificatio nostra deserta effecta est, & altare nostrum demolitum est, & templum nostrum destructum est,

22. Et psalterium nostrum humiliatum est, & hymnus conticuit, & exultatio nostra dissoluta est, & lumen candelabri nostri extinctum est, & arca testamenti nostri direpta est, & sancta nostra contaminata sunt, & nomen quod invocatum est super nos, pene profanatum est: & liberi nostri contumeliam passi sunt, & sacerdotes nostri succensi sunt, & Levitæ nostri in captivitatem abierunt, & virgines nostræ coinquinatæ sunt, & mulieres nostræ vim passæ sunt, & justi nostri rapti sunt, & parvuli nostri perditi sunt, & juvenes nostri servierunt, & fortes nostri invalidi facti sunt:

23. Et quod omnium majus, signaculum Sion, quoniam resignata est de gloria sua: nam & tradita est in manibus eorum qui nos oderunt.

24. Tu ergo excute tuam tristitiam multam, & depone abs te multitudinem dolorum, ut tibi repropitietur Fortis, & requiem faciet tibi Altissimus, requietionem laborum.

25. Et factum est, cum loquebar ad eam, facies ejus fulgebat subito & species, coruscus fiebat visus ejus, ut essem pavens valde ad eam, & cogitarem quid esset hoc.

26. Et ecce, subito emisit sonitum vocis magnum timore plenum, ut commoveretur terra a mulieris sono, & vidi:

27. Et ecce, amplius mulier non comparebat mihi, sed civitas ædificabatur, & locus demonstrabatur de fundamentis magnis: & timui, & clamavi voce magna, & dixi,

28. Ubi est Uriel Angelus, qui a principio venit ad me? quoniam ipse me fecit venire in multitudine in excessu mentis hujus, & factus est finis meus in corruptionem, & oratio mea in improperium.

29. Et cum essem loquens ego hæc, ecce venit ad me, & vidit me.

30. Et ecce eram positus ut mortuus, & intellectus meus alienatus erat, & tenuit dexteram meam, & confortavit me, & statuit me super pedes meos, & dixit mihi,

31. Quid tibi est? & quare conturbatus est intellectus tuus, & sensus cordis tui? & quare conturbaris? Et dixi:

32. Quoniam dereliquisti me, & ego quidem feci secundum sermones tuos, & exivi in campum: & ecce vidi, & video quod non possum enarrare. Et dixit ad me,

33. Sta ut vir, & commonebo te. Et dixi,

34. Loquere Domine meus tu in me, noli me derelinquere, ut non frustra moriar:

35. Quoniam vidi quæ non sciebam, & audio quæ non scio.

36. Aut numquid sensus meus fallitur, & anima mea somniat?

37. Nunc ergo deprecor te, ut demonstres servo tuo de excessu hoc. Et respondit ad me, & dixit,

38. Audi me & doceam te, & dicam tibi de quibus times: quoniam Altissimus revelavit tibi mysteria multa.

39. Vidit rectam viam tuam, quoniam sine intermissione contristabaris pro populo tuo, & valde lugebas propter Sion.

40. Hic ergo intellectus visionis quæ tibi apparuit ante paululum.

41. Quam vidisti lugentem, inchoasti consolari eam.

42. Nunc autem jam speciem mulieris non vides, sed apparuit tibi civitas ædificari.

43. Et quoniam enarrabat tibi de casu filii sui, hæc absolutio est.

44. Hæc mulier quam vidisti, hæc est Sion: & quoniam dixit tibi, quam & nunc conspicies, ut civitatem ædificatam.

45. Et quoniam dixit tibi, quia sterilis fuit triginta annis: propter quod erant anni scilicet triginta, quando non erat in ea adhuc oblatio oblata.

46. Et factum est post annos triginta, ædificavit Salomon civitatem, & obtulit oblationes: tunc fuit quando peperit sterilis filium.

47. Et quod tibi dixit, quoniam nutrivit eum cum labore, hoc erat, habitatio in Ierusalem.

48. Et quoniam dixit tibi, quod filius meus veniens in suo thalamo mortuus esset, & contigisset ei casus, hoc erat, quæ facta est ruina Jerusalem.

49. Et ecce, vidisti similitudinem ejus: & quoniam filium lugeret, inchoasti consolari eam: & de his quæ contigerunt, hæc erant tibi aperienda.

50. Et nunc videt Altissimus, quoniam ex animo contristatus es, & quoniam ex toto corde pateris pro ea, ostendit tibi claritatem gloriæ ejus, & pulcritudinem decoris ejus.

51. Propterea enim dixi tibi, ut maneres in campo ubi domus non est ædificata.

52. Sciebam enim ego, quoniam Altissimus incipiebat tibi ostendere hæc;

53. Propterea dixi tibi ut venires in agrum ubi non est fundamentum ædificii.

54. Nec enim poterat opus ædificii hominis sustineri in loco, ubi incipiebatur Altissimi civitas ostendi.

55. Tu ergo noli timere, neque expavescat cor tuum: sed ingredere, & vidi splendorem & magnitudinem ædificii, quantum capax est tibi visus oculorum videre:

56. Et post hæc audies quantum capit auditus aurium tuarum audire.

57. Tu enim beatus es præ multis, & vocatus es apud Altissimum sicut & pauci.

58. Nocte autem quæ in crastinum futura est, manebis hic:

59. Et ostendet tibi Altissimus ea visiones supremorum, quæ faciet Altissimus his qui habitant super terram a novissimis diebus.

60. Et dormivi illam noctem & aliam, sicut dixerat mihi.

CAPUT XI.

Apparet Esdræ in visione Aquila principatum universi usurpans.

1. ET vidi somnium, & ecce ascendebat de mari aquila, cui erant duodecim alæ pennarum, & capita tria.

2. Et vidi, & ecce expandebat alas suas in omnem terram, & omnes venti cæli insufflabant in eam, & colligebantur.

3. Et vidi, & de pennis ejus nascebantur contrariæ pennæ, & ipsæ fiebant in pennaculis minutis & modicis.

4. Nam capita ejus erant quiescentia, & dimidium caput erat majus aliorum capitum, sed ipsa quiescebat cum eis.

5. Et vidi, & ecce aquila volavit in pennis suis, & regnavit super terram, & super eos qui habitant in ea.

6. Et vidi, quoniam subjecta erant ei omnia sub cælo, & nemo illi contradicebat, neque unus de creatura quæ est super terram.

7. Et vidi, & ecce surrexit aquila super ungues suos, & misit vocem pennis suis, dicens,

8. Nolite omnes simul vigilare, dormite unusquisque in loco suo, & per tempus vigilate.

9. Capita autem in novissimo serventur.

10. Et vidi, & ecce vox non exibat de capitibus ejus, sed de medietate corporis ejus.

11. Et numeravi contrarias pennas ejus, & ecce ipsæ erant octo.

12. Et vidi, & ecce a dextera parte surrexit una penna, & regnavit super omnem terram.

13. Et factum est cum regnaret, venit ei finis, & non apparuit locus ejus: & sequens exurrexit, & regnabat, ipsa multum tenuit tempus.

14. Et factum est cum regnaret, & veniebat finis ejus, ut non appareret sicut prior.

15. Et ecce, vox emissa est illi, dicens,

16. Audi tu quæ tanto tempore tenuisti terram hæc annuntio tibi antequam incipias non apparere.

17. Nemo post te tenebit tempus tuum, sed nec dimidium ejus.

18. Et levavit se tertia, & tenuit principatum sicut & priores: & non apparuit & ipsa.

19. Et sic contingebat omnibus aliis singulatim principatum gerere, & iterum nusquam comparere.

20. Et vidi, & ecce in tempore sequentes pennæ erigebantur a dextera parte, ut tenerent & ipsæ principatum: & ex his erant quæ tenebant, sed tamen statim non comparebant.

21. Nam & aliquæ ex eis erigebantur, sed non tenebant principatum.

22. Et vidi post hæc, & ecce non comparuerunt duodecim pennæ, & duo pennacula:

23. Et nihil supererat in corpore aquilæ, nisi duo capita quiescentia & sex pennacula.

24. Et vidi, & ecce sex pennaculis divisæ sunt duæ, & manserunt sub capite quod est ad dexteram partem. Nam quatuor manserunt in loco suo.

25. Et vidi, & ecce subalares cogitabant se erigere & tenere principatus.

26. Et vidi, & ecce una erecta est, sed statim non comparuit.

27. Et secundæ velocius quam priores, non comparuerunt.

28. Et vidi, & ecce duæ quæ superaverunt, apud semetipsas cogitabant & ipsæ regnare.

29. Et in eo cum cogitarent, ecce unum quiescentium capitum quod erat medium, evigilabat: hoc enim erat duorum capitum majus.

30. Et vidi quoniam completa sunt duo capita secum:

31. Et ecce conversum est caput cum his qui cum eo erant, & comedit duas subalares quæ cogitabant regnare.

32. Hoc autem caput perconterruit omnem terram, & dominabatur in ea his qui habitant terram cum labore multo, & potentatum tenuit orbis terrarum super omnes alas quæ fuerunt.

33. Et vidi post hæc, & ecce medium caput subito non comparuit, & hoc sicut alæ.

34. Superaverunt autem duo capita, quæ & ipsa similiter regnaverunt super terram, & super eos qui habitant in ea.

35. Et vidi, & ecce devoravit caput a dextera parte illud quod a læva.

36. Et audivi vocem dicentem mihi, Conspice contra te, & considera quod vides.

37. Et vidi, & ecce sicut leo concitatus de silva rugiens: & vidi quoniam emittebat vocem hominis ad aquilam. Et dixit, dicens,

38. Audi tu, & loquar ad te, & dicet Altissimus tibi,

39. Nonne tu es qui superasti de quatuor animalibus, quæ feceram regnare in sæculo meo, & ut per eos veniret finis temporum eorum?

40. Et quartus veniens devicit omnia animalia quæ transierunt, & potentatu tenuit sæculum cum tremore multo, & omnem orbem cum labore pessimo, & inhabitavit tot temporibus orbem terrarum cum dolo.

41. Et judicasti terram non cum veritate.

42. Tribulasti enim mansuetos, & læsisti quiescentes, & dilexisti mendaces, & destruxisti habitationes eorum qui fructificabant, & humiliasti muros eorum, qui te non nocuerunt.

43. Et ascendit contumelia tua usque ad Altissimum, & superbia tua ad Fortem.

44. Et respexit Altissimus superba tempora, & ecce finita sunt, & scelera ejus completa sunt.

45. Propterea non appareas tu aquila, & alæ tuæ horribiles, & pennacula tua pessima, & capita tua maligna, & ungues tui pessimi, & omne corpus tuum vanum;

46. Uti refrigeretur omnis terra, & revertatur liberata de tua vi, & speret judicium & misericordiam ejus qui fecit eam.

CAPUT XII.

Ad Esdræ orationem hujus visionis datur explicatio cum membris ipsius.

1. ET factum est, dum loqueretur leo verba hæc ad aquilam: & vidi,

2. Et ecce quod superaverat caput, & non comparuerunt quatuor alæ illæ quæ ad eum transierunt, & erectæ sunt ut regnarent: & erat regnum eorum exile, & tumultu plenum.

3. Et vidi, & ecce ipsa non apparebant, & omne corpus aquilæ incendebatur, & expavescebat terra valde, & ego a tumultu & excessu mentis, & a magno timore vigilavi, & dixi spiritui meo,

4. Ecce tu præstitisti mihi hoc in eo, quod scrutaris vias Altissimi.

5. Ecce adhuc fatigatus sum animo, & spiritu meo invalidus sum valde, & nec modica est in me virtus a multo timore, quam expavi nocte hac.

6. Nunc ergo orabo Altissimum, ut me confortet usque in finem.

7. Et dixi, Dominator Domine, si inveni gratiam ante oculos tuos, & si justificatus sum apud te præ multis, & si certe ascendit deprecatio mea ante faciem tuam,

8. Conforta me, & ostende servo tuo mihi interpretationem & distinctionem visus horribilis hujus, ut plenissime consoleris animam meam.

9. Dignum enim me habuisti ostendere mihi temporum novissima. Et dixit ad me,

10. Hæc est interpretatio visionis hujus.

11. Aquilam quam vidisti ascendentem de mari, hoc est regnum quod visum est in visione Danieli fratri tuo.

12. Sed non est illi interpretatum, quoniam ego nunc tibi interpretor.

13. Ecce dies veniunt, & exurget regnum super terram, & erit timor acrior omnium regnorum quæ fuerunt ante eum.

14. Regnabunt autem in ea reges duodecim, unus post unum.

15. Nam secundus incipiet regnare, & ipse tenebit amplius tempus præ duodecim.

16. Hæc est interpretatio duodecim alarum quas vidisti.

17. Et quam audisti vocem quæ locuta est, non de capitibus ejus exeuntem, sed de medio corporis ejus.

18. Hæc est interpretatio: quoniam post tempus regni illius nascentur contentiones non modicæ, & periclitabitur ut cadat: & non cadet tunc, sed iterum constituetur in suum initium.

19. Et quoniam vidisti subalares octo cohærentes alis ejus,

20. Hæc est interpretatio: exurgent in ipso octo reges, quorum erunt tempora levia, & anni citati, & duo quidem ex ipsis perient.

21. Appropinquante autem tempore medio, quatuor servabuntur in tempore, cum incipiet appropinquare tempus ejus ut finiatur: duo vero in finem servabuntur.

22. Et quoniam vidisti tria capita quiescentia,

23. Hæc est interpretatio: In novissimis ejus suscitabit Altissimus tria regna, & revocabit in ea multa: & dominabuntur terram,

24 Et qui habitant in ea, cum labore multo super omnes qui fuerunt ante hos: propter hoc ipsi vocati sunt capita aquilæ.

25. Isti

25. Isti enim erunt qui recapitulabunt impietates ejus, & qui perficienr novissima ejus.

26. Et quoniam vidisti caput majus non apparens, hæc est interpretatio ejus: quoniam unus ex eis super lectum suum morietur, & tamen cum tormentis.

27. Nam duo qui perseveraverint, gladius eos comedet.

28. Unius enim gladius commedet qui cum eo: sed tamen hic gladio in novissimis cadet.

29. Et quoniam vidisti duas subalares trajicientes super caput quod est in dextera parte,

30. Hæc est interpretatio: Hi sunt quos conservavit Altissimus in finem suum, hoc est regnum exile & turbationis plenum.

31. Sicut vidisti & leonem, quem vidisti de silva evigilantem, & rugientem, & loquentem ad aquilam, & arguentem eam, & injustitias ipsius, per omnes sermones ejus sicut audisti:

32. Hic est ventus quem servavit Altissimus in finem ad eos, & impietates ipsorum: & arguet illos, & incutiet coram ipsis discerptiones eorum.

33. Statuet enim eos in judicio vivos: & erit, cum arguerit eos, tunc corripiet eos.

34. Nam residuum populum meum liberabit cum misericria, qui salvati sunt super fines meos; & jucundabit eos quoadusque veniet finis, dies judicii, de quo locutus sum tibi ab initio.

35. Hoc somnium quod vidisti, & hæ interpretationes.

36. Tu ergo solus dignus fuisti scire Altissimi secretum hoc.

37. Scribe ergo omnia ista in libro quæ vidisti, & pone ea in loco abscondito.

38. Et docebit ea sapientes de populo tuo, quorum corda scis posse capere, & servare secreta hæc.

39. Tu autem adhuc sustine hic alios dies septem: ut tibi ostendatur quidquid visum fuerit Altissimo ostendere tibi.

40. Et profectus est a me. Et factum est, cum audisset omnis populus quoniam pertransierunt septem dies, & ego non fuissem reversus in civitatem, & congregavit se omnis a minimo usque ad maximum: & venit ad me, & dixerunt mihi dicentes:

41. Quid peccavimus tibi, & quid injuste egimus in te, quoniam derelinquens nos sedisti in loco hoc?

42. Tu enim nobis superes solus ex omnibus populis, sicut botrus de vinea, & sicut lucerna in loco obscuro, & sicut portus & navis salvata a tempestate.

43. Aut non sufficiunt nobis mala quæ contingunt?

44. Si ergo tu nos dereliqueris, quanto nobis erat melius si essemus succensi & nos cum incendio Sion?

45. Nec enim nos sumus meliores eorum qui ibi mortui sunt. Et ploraverunt voce magna. Et respondi ad eos, & dixi:

46. Confide Israel, & noli tristari tu domus Jacob.

47. Est enim memoria vestri coram Altissimo, & Fortis non est oblitus vestri in tentatione.

48. Ego enim non dereliqui vos, neque excessi a vobis: sed veni in hunc locum ut deprecarer pro desolatione Sion, ut quærerem misericordiam pro humilitate sanctificationis vestræ.

49. Et nunc ite unusquisque vestrum in domum suam, & ego veniam ad vos post dies istos.

50. Et profectus est populus, sicut dixi ei, in civitatem:

51. Ego autem sedi in campum septem diebus, sicut mihi mandavit: & manducabam de floribus solummodo agri, de herbis facta est esca mihi in diebus illis.

CAPUT XIII.

Altera visio Esdræ ostenditur cum ipsius interpretatione.

1. ET factum est post dies septem, & somniavi somnium nocte.

2. Et ecce de mari ventus exurgebat, ut conturbaret omnes fluctus ejus.

3. Et vidi, & ecce convalescebat ille homo cum millibus cæli: & ubi vultum suum vertebat ut consideraret, tremebant omnia quæ sub eo videbantur.

4. Et ubicumque exibat vox de ore ejus, ardescebant omnes qui audiebant voces ejus, sicut quiescet terra quando senserit ignem.

5. Et vidi post hæc, & ecce congregabatur multitudo hominum, quorum non erat numerus, de quatuor ventis cæli, ut debellarent hominem qui ascenderat de mari.

6. Et vidi, & ecce sibimetipsi sculpserat montem magnum, & volavit super eum.

7. Ego autem quæsivi videre regionem vel locum unde sculptus esset mons, & non potui.

8. Et post hæc vidi, & ecce omnes qui congregati sunt ad eum, ut expugnarent eum; timebant valde, tamen audebant pugnare.

9. Et ecce, ut vidit impetum multitudinis venientis, non levavit manum suam, neque frameam tenebat, neque aliquod vas bellicosum, nisi solummodo ut vidi.

10. Quoniam emisit de ore suo sicut flatum ignis, & de labiis ejus spiritus flammæ, & de lingua ejus emittebat scintillas & tempestates, & commista sunt omnia simul, hic flatus ignis, & spiritus flammæ, & multitudo tempestatis:

11. Et concidit super multitudine in impetu, quæ præparata erat pugnare, & succendit omnes, ut subito nihil videretur de innumerabili multitudine, nisi solummodo pulvis, & fumi odor, & vidi, & extimui.

12. Et post hæc vidi ipsum hominem descendentem de monte, & vocantem ad se multitudinem aliam pacificam.

13. Et accedebat ad eum vultus hominum multorum, quorumdam gaudentium, quorumdam tristantium: aliqui vero alligati, aliqui adducentes ex eis, qui offerebantur, & ægrotavi a multitudine pavoris, & expergefactus sum, & dixi;

14. Tu ab initio demonstrasti servo tuo mirabilia hæc, & dignum me habuisti ut susciperes deprecationem meam:

15. Et nunc demonstra mihi adhuc interpretationem somnii hujus.

16. Sicut enim existimo in sensu meo, væ qui derelicti fuerint in diebus illis: & multo plus væ his qui non sunt derelicti.

17. Qui enim non sunt derelicti, tristes erant.

18. Intelligo nunc quæ sunt reposita in novissimis diebus, & occurrent eis, sed & his qui derelicti sunt.

19. Propter hoc venerunt enim in pericula magna, & necessitates multas, sicut ostendunt somnia hæc.

20. Attamen facilius est periclitantem venire in hunc, quam pertransire, sicut nubem a sæculo, & nunc videre quæ contingunt in novissimo. Et respondit ad me, & dixit:

21. Et visionis interpretationem dicam tibi: & de quibus locutus es adaperiam tibi.

22. Quoniam de his dixisti qui derelicti sunt: hæc est interpretatio.

23. Qui aufert periculum illo tempore, hic se custodivit: qui in periculo inciderunt, hi sunt qui habent opera & fidem ad Fortissimum.

24. Scito ergo quoniam magis beatificati sunt qui derelicti, super eos qui mortui sunt.

25. Hæ interpretationes visionis, quia vidisti virum ascendentem de corde maris.

26. Ipse est quem conservat Altissimus multis temporibus, qui per semetipsum liberabit creaturam suam: & ipse disponet, qui derelicti sunt.

27. Et quoniam vidisti de ore ejus exire, ut spiritum, & ignem, & tempestatem:

28. Et quoniam non tenebat frameam, neque vas bellicosum: corrupit enim impetus ejus multitudinem, quæ venerat expugnare eum: hæc est interpretatio.

29. Ecce dies veniunt, quando incipiet Altissimus liberare eos qui super terram sunt.

30. Et veniet in excessu mentis super eos qui inhabitant terram.

31. Et alii alios cogitabunt debellare: civitas civitatem, & locus locum, & gens adversus gentem, & regnum adversus regnum.

32. Et erit, cum fient hæc, & contingent signa quæ ante ostendi tibi: & tunc revelabitur filius meus, quem vidisti, ut virum ascendentem.

33. Et erit quando audierint omnes gentes vocem ejus: & derelinquet unusquisque in regione sua bellum suum, quod habent ad alterutrum:

34. Et colligetur in unum multitudo innumerabilis, sicut volentes venire, & expugnare eum.

35. Ipse autem stabit super cacumen montis Sion.

36. Sion autem veniet, & ostendetur omnibus parata & ædificata, sicut vidisti montem sculpi sine manibus.

37. Ipse autem filius meus arguet quæ adinvenerunt Gentes, impietates eorum has quæ tempestati appropinquaverunt propter mala cogitamenta eorum, & cruciamenta quibus incipient cruciari.

38. Quæ assimilatæ sunt flammæ, & perdet eos sine labore per legem quæ igni assimilata est.

39. Et quoniam vidisti eum colligentem ad se aliam multitudinem pacificam,

40. Hæ sunt decem tribus, quæ captivæ factæ sunt de terra sua in diebus Osee regis, quem captivum duxit Salmanasar rex Assyriorum: & transtulit eos trans flumen, & translati sunt in terram aliam.

41. Ipsi autem sibi dederunt consilium hoc, ut derelinquerent multitudinem gentium, & proficiscerentur in ulteriorem regionem, ubi numquam inhabitavit genus humanum:

42. Vel ibi observare legitima sua, quæ non fuerant servantes in regione sua.

43. Per introitus autem angustos fluminis Euphraten introierunt.

44. Fecit enim eis tunc Altissimus signa, & statuit venas fluminis usquequo transirent.

45. Per eam enim regionem erat via multa itineris, anni unius & dimidii: nam regio illa vocatur Arsareth.

46. Tunc inhabitaverunt ibi usque in novissimo tempore: & nunc iterum cum cœperint venire,

47. Iterum Altissimus statuet venas fluminis ut possint transire: propter hæc vidisti multitudinem cum pace.

48. Sed & qui derelicti sunt de populo tuo, hi sunt qui inveniuntur intra terminum meum.

49. Factum erit ergo, quando incipiet perdere multitudinem earum, quæ collectæ sunt gentes, proteget eos qui superaverunt populum:

50. Et tunc ostendet eis multa plurima portenta.

51. Et dixi ego, Dominator Domine, hoc mihi ostende, propter quod vidi virum ascendentem de corde maris. Et dixit mihi.

52. Sicut non potes hæc vel scrutari, vel scire quæ sunt in profundo maris: sic non poterit quisque super terram videre filium meum, vel eos qui cum eo sunt, nisi in tempore diei.

53. Hæc est interpretatio somnii quod vidisti, & propter quod illuminatus es hic solus.

54. Dereliquisti enim tuam, & circa meam vacasti legem, & quæsisti.

55. Vitam enim tuam disposuisti in sapientia, & sensum tuum vocasti matrem:

56. Et propter hoc ostendi tibi merces apud Altissimum; erit enim post alios tres dies, ad te alia loquar, & exponam tibi gravia & mirabilia.

57. Et profectus sum, & transii in campum, multum glorificans & laudans Altissimum de mirabilibus quæ per tempus faciebat:

58. Et quoniam gubernat ipsum, & quæ sunt in temporibus illata: & sedi ibi tribus diebus.

CAPUT XIV.

Apparet Dominus Esdræ in rubo, & futura quædam arcana revelat.

1. ET factum est tertio die, & ego sedebam sub quercu.

2. Et ecce, vox exivit contra me de rubo, & dixit: Esdra, Esdra. Et dixi: Ecce ego Domine. Et surrexi super pedes meos. Et dixit ad me:

3. Revelans revelatus sum super rubum, & locutus sum Moysi, quando populus meus serviebat in Ægypto,

4. Et misi eum, & eduxi populum meum de Ægypto, & adduxi eum super montem Sina, & detinebam eum apud me diebus multis.

5. Et enarravi ei mirabilia multa, & ostendi ei temporum secreta & finem, & præcepi ei, dicens:

6. Hæc in palam facies verba, & hæc abscondes.

7. Et nunc tibi dico:

8. Signa quæ demonstravi, & somnia quæ vidisti, & interpretationes quas tu vidisti, in corde tuo repone ea:

9. Tu enim recipieris ab omnibus, converteris residuus cum consilio meo & cum similibus tuis, usquequo finiantur tempora.

10. Quoniam sæculum perdidit juventutem suam, & tempora appropinquant senescere.

11. Duodecim enim partibus divisum est sæculum, & transierunt ejus decima & dimidium decimæ partis.

12. Su-

12. Superſunt autem ejus poſt medium decimæ partis.

13. Nunc ergo diſpone domum tuam, & corripe populum tuum, & conſolare humiles eorum, & renuntia jam corruptelæ,

14. Et dimitte abs te mortales cogitationes, & projice abs te pondera humana, & exue te jam infirmam naturam, & repone in unam partem moleſtiſſima tibi cogitamenta, & feſtina transfinigrare a temporibus his:

15. Quæ enim vidiſti nunc contigiſſe mala, iterum hora deteriora facient:

16. Quantum enim invalidum fiet ſæculum a ſenectute, tantum multiplicabuntur ſuper inhabitantes mala.

17. Prolongavit enim ſe magis veritas, & appropinquavit mendacium. Jam enim feſtinat venire, quam vidiſti viſionem.

18. Et reſpondi, & dixi coram te Domine:

19. Ecce enim ego abibo, ſicut præcepiſti mihi, & corripiam præſentem populum. Qui autem iterum nati fuerint, quis commonebit?

20. Poſitum eſt ergo ſæculum in tenebris, & qui inhabitant in eo ſine lumine.

21. Quoniam lex tua incenſa eſt, propter quod nemo ſcit quæ a te facta ſunt, vel quæ incipient opera.

22. Si enim inveni in te gratiam, immitte in me Spiritum ſanctum, & ſcribam omne quod factum eſt in ſæculo ab initio, quæ erant in lege tua ſcripta, ut poſſint homines invenire ſemitam, & qui voluerint vivere in noviſſimis, vivant.

23. Et reſpondit ad me, & dixit: Vadens congrega populum, & dices ad eos, ut non quærant te diebus quadraginta.

24. Tu autem præpara tibi buxos multos, & accipe tecum Saream, Dabriam, Salemiam, Echanum, & Aſiel, quinque hos qui parati ſunt ad ſcribendum velociter.

25. Et venias huc, & ego accendam in corde tuo lucernam intellectus, quæ non extinguetur quoadusque finiantur quæ incipies ſcribere.

26. Et tunc perfectis quædam palam facies, quædam ſapientibus abſconſe trades: in craſtinum enim hac hora incipies ſcribere.

27. Et profectus ſum, ſicut mihi præcepit, & congregavi omnem populum, & dixi:

28. Audi Iſrael verba hæc:

29. Peregrinati ſunt patres noſtri ab initio in Ægypto, & liberati ſunt inde:

30. Et acceperunt legem vitæ, quam non cuſtodierunt, quam & vos poſt eos tranſgreſſi eſtis:

31. Et data eſt vobis terra in ſortem, & terra Sion, & patres veſtri, & vos iniquitatem feciſtis, & non ſervaſtis vias quas præcepit vobis Altiſſimus:

32. Et juſtus judex cum ſit, abſtulit a vobis in tempore quod donaverat.

33. Et nunc vos hic eſtis, & fratres veſtri introrſum veſtrum ſunt.

34. Si ergo imperaveritis ſenſui veſtro, & erudieritis cor veſtrum, vivi conſervati eritis, & poſt mortem miſericordiam conſequemini.

35. Judicium enim poſt mortem veniet, quando iterum reviviſcemus: & tunc juſtorum nomina parebunt, & impiorum facta oſtendentur.

36. Ad me igitur nemo accedat nunc, neque requirat me uſque dies quadraginta.

37. Et accepi quinque viros ſicut mandavit mihi, & profecti ſumus in campum, & manſimus ibi.

38. Et factus ſum in craſtinum, & ecce vox vocavit me dicens: Eſdra aperi os tuum, & bibe quo te potavero.

39. Et aperui os meum, & ecce calix plenus porrigebatur mihi. Hoc erat plenum ſicut aqua: color autem ejus ut ignis ſimilis.

40. Et accepi, & bibi: & in eo cum bibiſſem, cor meum cruciabatur intellectu, & in pectus meum increſcebat ſapientia. Nam ſpiritus meus conſervabatur memoria.

41. Et apertum eſt os meum, & non eſt clauſum amplius.

42. Altiſſimus dedit intellectum quinque viris, & ſcripſerunt quæ dicebantur exceſſiones noctis, quas non ſciebant.

43. Nocte autem manducabant panem, ego autem per diem loquebar, & per noctem non tacebam.

44. Scripti ſunt autem per quadraginta dies libri ducenti quatuor.

45. Et factum eſt cum compleviſſent quadraginta dies, locutus eſt Altiſſimus, dicens: Priora quæ ſcripſiſti, in palam pone, & legant digni & indigni:

46. Noviſſimos autem ſeptuaginta conſervabis, ut tradas eos ſapientibus de populo tuo.

47. In his enim eſt vena intellectus, & ſapientiæ fons, & ſcientiæ flumen. Et feci ſic.

CAPUT XV.

Prædicuntur multa calamitates ſæculo ſuperventura.

1. Ecce loquere in aures plebis meæ ſermones prophetiæ, quos immiſero in os tuum, dicit Dominus:

2. Et fac ut in charta ſcribantur, quoniam fideles & veri ſunt.

3. Ne timeas a cogitationibus adverſum te, nec turbent te incredulitates dicentium.

4. Quoniam omnis incredulus in incredulitate ſua morietur.

5. Ecce ego induco, dicit Dominus, ſuper orbem terrarum mala, gladium, & famem, & mortem, & interitum:

6. Propter quod ſuperpolluit iniquitas omnem terram, & adimpleta ſunt opera nociva illorum.

7. Propterea dicit Dominus:

8. Jam non ſilebo de impietatibus eorum quæ irreligioſe agunt, nec ſuſtinebo in his quæ inique exercent; ecce ſanguis innoxius & juſtus clamat ad me, & animæ juſtorum clamant perſeveranter.

9. Vindicans vindicabo illos, dicit Dominus, & accipiam omnem ſanguinem innoxium ex illis ad me.

10. Ecce populus meus quaſi grex ad occiſionem ducitur, jam non patiar illum habitare in terra Ægypti.

11. Sed educam eum in manu potenti & brachio excelſo, & percutiam plaga ſicut prius, & corrumpam omnem terram ejus.

12. Lugebit Ægyptus, & fundamenta ejus plaga verberata, & caſtigatione quas inducet ei Deus.

13. Lugebunt cultores operantes terram, quoniam deficient ſemina eorum ab uredine, & grandine, & a ſidere terribili.

14. Væ ſæculo, & qui habitant in eo:

15. Quia appropinquavit gladius & contritio eorum, & exurget gens contra gentem ad pugnam, & rhomphæa in manibus eorum.

16. Erit enim inconstabilitio hominibus, & alii aliis invalescentes non curabunt regem suum, & principes viæ gestorum suorum in potentia sua.

17. Concupiscet enim homo in civitatem ire, & non poterit.

18. Propter superbiam enim eorum civitates turbabuntur, domus exterentur, homines metuent.

19. Non miserebitur homo proximum suum, ad irritum faciendum domos eorum in gladium, ad diripiendas substantias eorum, propter famen panis, & tribulationem multam.

20. Ecce, ego convoco, dicit Deus, omnes reges terræ ad me verendum, qui sunt ab Oriente, & ab Austro, & ab Euro, & a Libano, ad convertendos in se, & reddere quæ dederunt illis:

21. Sicut faciunt usque hodie electis meis, sic faciam, & reddam in sinu eorum. Hæc dicit Dominus Deus.

22. Non parcet dextera mea super peccatores, nec cessabit rhomphæa super effundentes sanguinem innoxium super terram.

23. Exiit ignis ab ira ejus, & devoravit fundamenta terræ, & peccatores quasi stramen incensum.

24. Væ eis qui peccant, & non observant mandata mea, dicit Dominus.

25. Non parcam illis. Discedite filii a potestate. Nolite contaminare sanctificationem meam,

26. Quoniam novit Dominus omnes qui delinquunt in illum: propterea tradidit eos in mortem, & in occisionem.

27. Jam enim venerunt super orbem terrarum mala, & manebitis in illis: non enim liberabit vos Deus, propter quod peccastis in eum.

28. Ecce visio horribilis, & facies illius ab Oriente.

29. Et exient nationes draconum Arabum in curribus multis, & sicut flatus, eorum numerus feretur super terram, ut jam timeant & trepident omnes qui illos audient.

30. Carmonii insanientes in ira, & exient ut apri de silva, & advenient in virtute magna, & constabunt in pugnam cum illis, & vastabunt portionem Terræ Assyriorum.

31. Et post hæc supervalescent dracones nativitatis suæ memores, & convertent se conspirantes in virtute magna ad persequendos eos.

32. Isti turbabuntur & silebunt in virtute illorum, & convertent pedes suos in fugam,

33. Et a territorio Assyriorum subsessor obsidebit eos, & consumet unum ex illis, & erit timor & tremor in exercitu illorum, & contentio in reges ipsorum.

34. Ecce nubes ab Oriente, & Septentrione usque ad Meridianum, & facies earum horrida valde, plena iræ & procellæ,

35. Et collident se invicem, & collident sidus copiosum super terram, & sidus illorum, & erit sanguis a gladio usque ad ventrem,

36. Et fimus hominis usque ad substramen cameli, & erit timor & tremor multus super terram,

37. Et horrebunt qui videbunt iram illam, & tremor apprehendet illos: & post hæc movebuntur nimbi copiosi.

38. A Meridiano & Septentrione, & portio alia ab Occidente.

39. Et superinvalescent venti ab Oriente, & recludent eam, & nubem quam suscitavi in ira, & sidus ad faciendam exterritationem ad Orientalem ventum & Occidentem violabitur:

40. Et exaltabuntur nubes magnæ & validæ plenæ iræ, & sidus, ut exterreant omnem terram, & inhabitantes eam, & infundent super omnem locum altum, & eminentem sidus terribile.

41. Ignem & grandinem, & rhomphæas volantes, & aquas multas, ut etiam impleantur omnes campi, & omnes rivi plenitudine aquarum multarum.

42. Et demolientur civitates, & muros, & montes, & colles, & ligna silvarum, & fœnum pratorum, & frumenta eorum.

43. Et transibunt constantes usque ad Babylonem, & exterent eam:

44. Convenient ad ipsam, & circuibunt eam, & effundent sidus, & omnem iram super eam, & subibit pulvis & fumus usque in cælum, & omnes in circuitu lugebunt eam:

45. Et qui sub ea remanserint, servient his qui exterruerunt.

46. Et tu Asia concors in spem Babylonis, & gloria personæ ejus,

47. Væ tibi misera propter quod assimilasti ei, & ornasti filias tuas in fornicatione, ad placendum & gloriandum in amatoribus tuis, qui tecum cupierunt semper fornicari.

48. Odibilem imitata es in omnibus operibus ejus, & in adinventionibus ejus; propterea dicit Deus,

49. Immittam tibi mala, viduitatem, paupertatem, & famem, & gladium, & pestem, ad devastandas domos tuas a violatione, & morte, & gloria virtutis tuæ.

50. Sicut flos siccabitur, cum exurget ardor qui emissus est super te.

51. Infirmaberis ut paupercula plagata, & castigata a mulieribus, ut non possint te suscipere potentes & amatores.

52. Numquid ego sic zelabor te, dicit Dominus,

53. Nisi occidisses electos meos in omni tempore, exaltans percussionem manuum, & diceas super mortem eorum, cum inebriata esses.

54. Exorna speciem vultus tui?

55. Merces fornicationis tuæ in sinu tuo; propter hoc redditionem accipies.

56. Sicut facies electis meis, dicit Dominus, sic faciet tibi Deus, & tradet te in malum.

57. Et nati tui fame interient: & tu rhomphæa cades, & civitates tuæ conterentur, & omnes tui in campo gladio cadent.

58. Et qui sunt in montibus, fame peribunt, & manducabunt carnes suas, & sanguinem bibent, a fame panis & siti aquæ.

59. Infelix per maria venies, & rursum accipies mala.

60. Et in transitu allident civitatem occisam, & exterent aliquam portionem terræ tuæ, & partem gloriæ tuæ exterminabunt, rursum revertentes ad Babylonem subversam.

61. Et demolita, eris illis pro stipula, & ipsi erunt tibi ignis:

62. Et devorabunt te, & civitates tuas, terram

ram tuam, & montes tuos, omnes silvas tuas & lignum fructiferum igni comburent.

63. Filios tuos captivos ducent, & censum tuum in prædam habebunt, & gloriam faciei tuæ exterminabunt.

CAPUT XVI.

Horrenda universo orbi desolatio in fine futura.

1. VÆ tibi Babylon & Asia, væ tibi Ægypte & Syria.

2. Præcingite vos saccis & ciliciis, & plangite filios vestros, & dolete: quoniam appropinquavit contritio vestra.

3. Immissus est vobis gladius, & quis est qui avertat illum?

4. Immissus est in vobis ignis, & quis est qui extinguat illum?

5. Immissa sunt vobis mala, & quis est qui repellat ea?

6. Numquid repellet aliquis leonem esurientem in silva, aut extinguet ignem in stipula, mox quando cœperit ardere?

7. Numquid repellet aliquis sagittam a sagittario forti missam?

8. Dominus fortis immittit mala, & quis est qui repellat ea?

9. Exiit ignis ex iracundia ejus, & quis est qui extinguat eum?

10. Coruscabit, & quis non timebit? Tonabit, & quis non pavebit?

11. Dominus comminabitur, & quis non funditus conteretur a facie ipsius?

12. Terra tremuit & fundamenta ejus, mare fluctuat de profundo, & fluctus ejus disturbabuntur, & pisces ejus a facie Domini, & a gloria virtutis ejus.

13. Quoniam fortis dextera ejus quæ arcum tendit: sagittæ ejus acutæ quæ ab ipso mittuntur, non deficient, cum cœperint mitti in fines terræ.

14. Ecce mittuntur mala, & non revertentur, donec veniant super terram.

15. Ignis succenditur, & non extinguetur, donec consumat fundamenta terræ.

16. Quemadmodum non redit sagitta missa a valido sagittario, sic non revertentur mala quæ missa fuerint in terram.

17. Væ mihi, væ mihi: quis me liberabit in illis diebus?

18. Initium dolorum & multi gemitus, initium famis & multi interitus, initium bellorum & formidabunt potestates, initium malorum & trepidabunt omnes.

19. In his quid faciam, cum venerint mala?

20. Ecce fames & plaga, & tribulatio & angustia, missa sunt flagella in emendatione.

21. Et in his omnibus se non convertent ab iniquitatibus suis, neque flagellorum memores erunt semper.

22. Ecce, erit annonæ vilitas super terram, sic ut putent sibi esse directam pacem, & tunc germinabunt mala super terram, gladius, fames, & magna confusio.

23. A fame enim plurimi qui inhabitant terram interient, & gladius perdet ceteros qui superaverint a fame,

24. Et mortui sicut stercora projicientur, & non erit qui consoletur eos: Derelinquetur enim terra deserta, & civitates ejus dejicientur.

25. Non derelinquetur qui colat terram, & qui seminet eam.

26. Ligna dabunt fructus, & quis vindemiabit illa?

27. Uva matura fiet, & quis calcabit illam? erit enim locis magna desertio.

28. Cupiet enim homo hominem videre, vel vocem ejus audire.

29. Relinquentur enim de civitate decem, & duo de agro, qui absconderint se in densis nemoribus, & scissuris petrarum:

30. Quemadmodum derelinquuntur in oliveto & singulis arboribus tres aut quatuor olivæ.

31. Aut sicut in vinea vindemiata racemi relinquuntur ab his, qui diligenter vineam scrutantur:

32. Sic relinquentur in diebus illis tres aut quatuor ab scrutantibus domos eorum in rhomphæa.

33. Et relinquetur terra deserta, & agri ejus inveterabunt, & viæ ejus & omnes semitæ ejus germinabunt spinas, eo quod non transient homines per eam.

34. Lugebunt virgines non habentes sponsos, lugebunt mulieres non habentes viros, lugebunt filiæ earum non habentes adjutorium:

35. Sponsi earum in bello consumentur, & viri earum in fame exterentur.

36. Audite vero ista, & cognoscite ea servi Domini.

37. Ecce verbum Domini, excipite illud: ne diis credatis de quibus dicit Dominus:

38. Ecce appropinquant mala, & non tardant.

39. Quemadmodum prægnans cum parit in nono mense filium suum, appropinquante hora partus ejus, ante horas duas vel tres, dolores circumeunt ventrem ejus, & prodeunte infante de ventre, non tardabunt uno puncto;

40. Sic non morabuntur mala ad prodeundum super terram, & sæculum gemet, & dolores circumtenebunt illud.

41. Audite verbum, plebs mea: parate vos in pugnam, & in malis: sic estote, quasi advenæ terræ.

42. Qui vendit, quasi qui fugiat: & qui emit, quasi qui perditurus.

43. Qui mercatur, quasi qui fructum non capiat: & qui ædificat, quasi non habitaturus.

44. Qui seminat, quasi qui non metet: sic & qui vineam putat, quasi non vindemiaturus.

45. Qui nubunt, sic quasi filios non facturi, & qui non nubunt, sic quasi vidui.

46. Propter quod qui laborant, sine causa laborant:

47. Fructus enim illorum alienigenæ metent, & substantiam illorum rapient, & domos evertent, & filios eorum captivabunt, quia in captivitate & fame generant natos suos.

48. Et qui negotiantur in rapina, quantum diu exornant civitates & domos suas, & possessiones & personas suas.

49. Tanto magis adzelabor eos super peccata sua, dicit Dominus.

50. Quomodo zelatur fornicaria mulierem idoneam & bonam valde,

51. Sic zelabitur justitia iniquitatem cum exornat se, & accusat eam in facie, cum venerit qui defendat exquirentem omnem peccatum super terram.

52. Propterea nolite similari ei, nec operibus ejus:

53. Quoniam adhuc pusillum, & tolletur iniquitas a terra, & justitia regnabit in vos.

54. Non dicat peccator se non peccasse: quoniam carbones ignis comburet super caput ejus, qui dicit: Non peccavi coram Domino Deo & gloria ipsius.

55. Ecce Dominus cognoscet omnia opera hominum, & adinventiones illorum, & cogitationes illorum, & corda illorum.

56. Dixit enim: Fiat terra, & facta est: fiat cælum, & factum est.

57. Et in verbo illius stellæ fundatæ sunt, & novit numerum stellarum.

58. Qui scrutatur abyssum, & thesauros illarum: qui mensus est mare, & conceptum ejus.

59. Qui conclusit mare in medio aquarum, & suspendit terram super aquas verbo suo.

60. Qui extendit cælum quasi cameram, super aquas fundavit eum.

61. Qui posuit in deserto fontes aquarum, & super verticem montium lacus ad emittendum flumina ab eminenti petra, ut potaret terram.

62. Qui finxit hominem, & posuit cor suum in medio corporis, & misit ei spiritum, vitam & intellectum,

63. Et spiramen Dei omnipotentis qui fecit omnia, & scrutinat omnia abscondita in absconsis terræ.

64. Hic novit adinventionem vestram, & quæ cogitatis in cordibus vestris, peccantes & volentes occultare peccata vestra.

65. Propter quod Dominus scrutinando scrutinavit omnia opera vestra, & traducet vos omnes,

66. Et vos confusi eritis cum processerint peccata vestra coram hominibus, & iniquitates erunt, quæ accusatores stabunt in die illo.

67. Quid facietis? aut quomodo abscondetis peccata vestra coram Deo & Angelis ejus?

68. Ecce judex Deus, timete eum. Desinite a peccatis vestris, & obliviscamini iniquitates vestras jam agere eas in sempiterno, & Deus educet vos, & liberabit de omni tribulatione.

69. Ecce enim incenditur ardor super vos turbæ copiosæ, & rapiens quosdam ex vobis, & cibabunt idolis occisos:

70. Et qui consenserint eis, erunt illis in derisum, & in improperium, & in conculcationem.

71. Erit enim locis locus, & in vicinas civitates exsurrectio multa super timentes Dominum.

72. Erunt quasi insani nemini parcentes, ad diripiendum & devastandum adhuc timentes Dominum.

73. Quia devastabunt & diripient substantias, & de domibus suis eos ejicient.

74. Tunc parebit probatio electorum meorum, ut aurum quod probatur ab igne.

75. Audite dilecti mei, dicit Dominus: Ecce adsunt dies tribulationis, & de his liberabo vos.

76. Ne timeatis, nec hæsiretis, quoniam Deus dux vester est.

77. Et qui servat mandata & præcepta mea, dicit Dominus Deus, ne præponderent vos peccata vestra, ne superelevent se iniquitates vestræ.

78. Væ qui constringuntur a peccatis suis, & obteguntur ab iniquitatibus suis, quemadmodum ager constringitur a silva, & spinis tegitur semita ejus, per quam non transit homo, & excluditur, & mittitur ad devorationem ignis.

F I N I S.

INDEX

INDEX EPISTOLARUM, ET EVANGELIORUM,

QUÆ EX VETERI ET NOVO TESTAMENTO EXCERPTA, in Ecclesia Dominicis, & aliis festis diebus leguntur, juxta Missalis reformationem, ex decreto Sacro-Sancti Concilii Tridentini restituti, Pii V. Pont. Max. Jussu editi, & Clem. VIII. auctoritate recogniti.

ADVENTUS.

Dominica Prima.

EPISTOLA, Scientes, Rom. c. 13. v. 11. ad v. 14.
Evangelium, Erunt, Luc. cap. 21. v. 25. ad v. 33.

Dominica secunda.

Epist. Quæcumque, Rom. 15. 4. 13.
Evang. Cum audisset, Matth. 11. 2. 10.

Dominica tertia.

Epist. Gaudete in Domino, Philipp. 4. 4. 8.
Evang. Miserunt, Joann. 1. 19. 28.

Feria quarta Quatuor Temporum.

Epist. Erit, Isa. 2. 2. 5.
Item, Epist. Locutus est, Isa. 7. 10. 15.
Evang. Missus est, Luc. 1. 26. 38.

Feria sexta.

Epist. Egredietur, Isa. 11. 1. 5.
Evang. Exurgens, Luc. 1. 39. 47.

Sabbato.

Epist. Clamabunt, Isa. 19. 20. 22.
Item Epist. Lætabitur, Isa. 35. 1. 7.
Item Epist. Super, Isa. 40. 9. 11.
Item Epist. Hæc dicit, Isa. 45. 8.
Item Epist. Angelus, Dan. 3. 49. 51.
Item Epist. Rogamus, 2. Thess. 2. 1. 8.
Evang. Anno, Luc. 3. 1. 6.

Dominica quarta.

Epist. Sic nos, 1. Cor. 4. 1. 5.
Evang. Anno, Luc. 3. 1. 16.

In Vigilia Nativitatis Domini.

Epist. Paulus, Rom. 1. 1. 6.
Evang. Cum esset, Matth. 1. 18. 21.

25. Decembris.

IN NATIVITATE DOMINI.

Ad primam Missam in nocte.

Epist. Apparuit gratia, Tit. 2. 11. 15.
Evang. Exiit, Luc. 2. 1. 14.

Ad Missam in aurora.

Epist. Apparuit, Tit. 3. 4. 7.
Evang. Pastores, Luc. 2. 15. 20.

Ad Missam in die.

Epist. Multifariam, Hebr. 1. 1. 12.
Evang. In principio, Joann. 1. 1. 14.

26. Decembr. *In festo S. Stephani Protomartyris.*

Epist. Stephanus, Act. 6. 8. 10. & cap. 7. 54. 59.
Evang. Ecce ego, Matth. 23. 34. 39.

27. Decembr. *In festo Sancti Joannis Apostoli & Evangelistæ.*

Epist. Qui timet, Eccli. 15. 1. 6.
Evang. Sequere, Joann. 21. 19. 24.

28. Decembr. *In festo SS. Innocentium.*

Epist. Vidi, Apoc. 14. 1. 5.
Evang. Angelus, Matth. 2. 13. 18.

29. Decembr. *In festo S. Thomæ Cantuariensis Episcopi & Martyris.*

Epist. Omnis, Hebr. 5. 1. 6.
Evang. Ego sum, Joann. 10. 11. 16.

Dominica infra Octavam Nativitatis Domini.

Epist. Quanto, Galat. 4. 1. 7.
Evang. Erant, Luc. 2. 33. 39.

In Octava Nativitatis Domini.

Epist. Apparuit benignitas, Tit. 3. 4. 8.
Evang. Pastores loquebantur, Luc. 2. 15. 20.

31. Decembr. *In festo Sancti Silvestri Papæ & Confessoris.*

Epist. Testificor, 2. Tim. 4. 1. 8.
Evang. Sint, Luc. 12. 35. 4.

1. Januarii. *In die Circumcisionis, & Octava Nativitatis Domini.*

Epist. Apparuit, Tit. 2.
Evang. Postquam, Luc. 2. 21. 22.

6. Januarii.

IN EIPHANIA DOMINI.

Epist. Surge, Is. 60. 1. 6.
Evang. Cum natus, Matth. 2. 1. 13.

Dominica infra Octavam Epiphaniæ.

Epist. Obsecro, Rom. 12. 1. 5.
Evang. Cum, Luc. 2. 42. 52.

In Octava Epiphaniæ.

Epist. Surge, Isa. 60. 1. 6.
Evang. Vidit, Joann. 1. 29. 34.

Dominica secunda post Epiphaniam.

Epist. Habentes, Rom. 12. 6. 16.
Evang. Nuptiæ, Joann. 21. 1. 11.

Dominica tertia post Ehiphaniam.

Epist. Nolite, Rom. 12. 16. 21.
Evang. Cum, Matth. 8. 1. 13.

Dominica quarta post Epiphaniam.

Epist. Nemini, Rom. 13. 8. 10.
Evang. Ascendente, Matth. 8. 24. 34.

Dominica quinta post Epiphaniam.

Epist. Induite, Coloss. 3. 12. 41.
Evang. Simile, Matth. 13. 22. 30.

Dominica sexta post Epiphaniam.

Epist. Gratias, 1. Thess. 1. 2. 20.
Evang. Simile, Matth. 13. 31. 25.

Dominica in Septuagesima.

Epist. Nescitis, 1. Cor. 9. 24. 5.
Evang. Simile est, Matth. 20. 1. 16.

Dominica in Sexagesima.

Epist. Libenter, 2. Cor. 11. 19. 9.
Evang. Cum turba, Luc. 8. 4. 15.

Dominica in Quinquagesima.

Epist. Si linguis, 1. Cor. 13. 1. 13.
Evang. Assumpsit, Luc. 18. 31. 43.

Feria quarta Cinerum.

Epist. Convertimini, Joel, 2. 12. 19.
Evang. Cum jejunatis, Matth. 6. 16. 21.

Feria quinta.

Epist. Ægrotavit, Isa. 38. 1. 7.
Evangel. Cum introisset, Matth. 8. 5. 12.

Feria sexta.

Epist. Clama, Isa. 58. 1. 4.
Evang. Audistis, Matth. 5. 38. 7.

Sabbato.

Epist. Si abstuleris, Isa. 58. 9. 14.
Evang. Cum sero, Marc. 6. 47. 58.

Dominica prima in Quadragesima.

Epist. Hortamur, 2. Cor. 6. 1. 10.
Evang. Ductus est, Matth. 4. 1. 11.

Feria secunda.

Epist. Ecce ego, Ezech. 34. 11. 16.
Evang. Cum venerit, Matth. 25. 31. *ad fin.*

Feria tertia.

Epist. Quærite, Isa. 55. 6. 11.
Evang. Cum intrasset, Matth. 21. 10. 17.

Feria quarta Quatuor Temporum Quadragesimæ.

Epist. Ascende, Exod. 24. 12. *ad fin.*
Item Epist. Venit, 3. Reg. 19. 3. 8.
Evang. Magister, Matth. 12. 38. *ad fin.*

Feria quinta.

Epist. Factus, Ezech. 18. 1. 9.
Evang. Egressus, Matth. 15. 21. 28.

Feria sexta Quatuor Temporum Quadragesimæ.

Epist. Anima, Ezech. 18. 20. 23.
Evang. Erat dies, Joann. 5. 1. 15.

Sabbato Quatuor Temporum Quadragesimæ.

Epist. Quando, Deut. 26. 12. *ad fin.*
Item alia Epist. Si custodieritis, Deut. 11. 22. 25.
Item alia Epist. Orationem, 2. Machab. 1. 23. 29.
Item alia Epist. Miserere, Eccli. 36. 1. 10.
Item alia Epist. Angelus, Dan. 3. 49. 51.
Item alia Epist. Rogamus, Thess. 5. 14. 24.
Evang. Assumpsit, Matth. 17. 1. 9.

Dominica secunda in Quadragesima.

Epist. Rogamus, 1. Thess. 4. 1. 17.
Evang. Assumpsit, Matth. 17. 19.

Feria secunda.

Epist. Oravit, Dan. 9. 15. 19.
Evang. Ego vado, Joann. 8. 21. 29.

Feria tertia.

Epist. Factus est, 3. Reg. 17. 8. 16.
Evang. Super, Matth. 13. 1. 12.

Feria quarta.

Epist. Oravit, Esther 15. 8. 16.
Evang. Ascendens, Matth. 20. 17. 28.

Feria quinta.

Epist. Maledictus, Jer. 17. 5. 10.
Evang. Homo quidam, Luc. 16. 19. 31.

Feria sexta.

Epist. Dixit Joseph, Genes. 37. 6. 22.
Evang. Homo erat, Matth. 21. 33. 46.

Sabbato.

Epist. Dixit Rebecca, Gen. 27. 6. 40.
Evang. Homo, Luc. 15. 11. *ad fin.*

Dominica tertia in Quadragesima.

Epist. Estote, Ephes. 5. 1. 9.
Evang. Erat, Luc. 11. 14. 28.

Feria secunda.

Epist. Naaman, 4. Reg. 5. 1. 14.
Evang. Utique, Luc. 4. 23. 30.

Feria tertia.

Epist. Mulier, 4. Reg. 4. 1. 7.
Evang. Si peccaverit, Matth. 18. 15. 22.

Feria quarta.

Epist. Honora, Exod. 20. 12. 24.
Evang. Quare, Matth. 15.

Feria quinta.

Epist. Factum, Jer. 7. 1. 7.
Evang. Surgens, Luc. 4. 38. *ad fin.*

Feria sexta.

Epist. Convenerunt, Num. 20. 2. 13.
Evang. Venit, Joann. 4. 5. 42.

Sabbato.

Epist. Erat vir, Dan. 13. 1. 62.
Evang. Perexit Jesus, Joann. 8. 11.

Dominica quarta in Quadragesima.

Epist. Scriptum, Gal. 4. 21. *ad fin.*
Evang. Abiit, Joann. 6. 13. *ad fin.*

Feria secunda.

Epist. Venerunt, 4. Reg. 3. 16. *ad fin.*
Evang. Prope erat, Joann. 2. 13. *ad fin.*

Feria tertia.

Epist. Locutus est, Exod. 32. 7. 14.
Evang. Jam die, Joann. 7. 14. 13.

Feria quarta.

Epist. Sanctificabo, Ezech. 36. 23. 27.

Item

Item alia Epist. Domini, Isa. 1. 16. 19.
Evang. Præteriens, Joann. 9. 1. 39.
Feria quinta.
Epist. Venit mulier, 4. Reg. 4. 25. 38.
Evang. Ibat, Luc. 7. 11. 15.
Feria sexta.
Epist. Ægrotavit, 3. Reg. 17. 17. *ad fin.*
Evang. Erat quidem, Joann. 11. 1. 45.
Sabbato.
Epist. In tempore, Isa. 49. 8. 15.
Evang. Ego sum, Joann. 8. 12. 20.
Dominica de Passione.
Epist. Christus, Hebr. 9. 11. 15.
Evang. Quis ex, Joann. 9. 46. *ad fin.*
Feria secunda.
Epist. Factum est, Joann. 3. 1. 10.
Evang. Miserunt, Joann. 7. 32. 39.
Feria tertia.
Epist. Congregati, Dan. 14. 27. *ad fin.*
Evang. Ambulabat, Joan. 7. 1. 13.
Feria quarta.
Epist. Loquere, Lev. 19. 10. 19.
Evang. Facta sunt, Joann. 10. 22. 38.
Feria quinta.
Epist. Oravit Azarias, Dan. 3. 34. 45.
Evang. Rogabat, Luc. 7. 36. *ad fin.*
Feria sexta.
Epist. Dixit Jeremias, Jer. 17. 13. 18.
Evang. Collegerunt, Joann. 11. 47. 54.
Sabbato.
Epist. Dixerunt, Jer. 18. 18. *ad fin.*
Evang. Cogitaverunt, Joann. 12. 10. 38.

DOMINICA IN PALMIS

Post benedictionem Palmarum.

Epist. Venerunt, Exod. 15. 17. & 16. cap. 16.
Evang. Cum appropinquasset, Matth. 21. 1. 10.
ad Missam.
Epist. Hoc enim, Phil. 2. 5. 11.
Evang. Passio Domini, Matth. 26. 1. *ad fin.*
Feria secunda majoris Hebdomadæ.
Epist. Dominus, Isa. 50. 5. 10.
Evang. Ante, Joann. 12. 1. 9.
Feria tertia majoris Hebdomadæ.
Epist. Dixit Jeremias, Jer. 11. 18. 20.
Evang. Passio Domini, Marc. 14. 1. *ad fin.* cap. 15.
Feria quarta majoris Hebdomadæ.
Epist. Dicite, Isa. 62. 11. 7.
Alia Epist. Quis credidit, Isa. 53. 1. *ad fin.*
Evangel. Passio Domini, Lucæ 22. 1. 53. cap. 23.
Feria quinta in Cœna Domini.
Epist. Convenientibus, 1. Cor. 11. 20. 32.
Evang. Ante diem, Joann. 13. 1. 15.
Feria sexta in Parasceve.
Epist. In tribulatione, Osee 6. 1. 6.
Alia Epist. Dixit, Dominus, Exod. 12. 1. 11.
Evang. Passio Domini, Joann. 18. 1. *ad fin.* cap. 19.
Sabbato sancto.
Epist. Si consurrexistis, Coloss. 3. 1. 14.
Evang. Vespere, Matth. 28. 1. 7.
Dominica Resurrectionis Domini.
Epist. Expurgate, 1. Cor. 5. 7. 8.
Evang. Maria Magdalene, Marc. 16. 1. 7.
Feria secunda.
Epist. Vos scitis, Act. 10. 37. 43.
Evang. Duo ex, Luc. 24. 13. 35.
Feria tertia.
Epist. Viri fratres, Act. 13. 26. 33.
Evang. Stetit Jesus, Luc. 24. 36. 47.
Feria quarta.
Epist. Deus, Act. 3. 13. 19.
Evang. Manifestavit, Joann. 21. 1. 14.
Feria quinta.
Epist. Angelus, Act. 8. 26. *ad fin.*
Evang. Maria, Joan. 20. 11. 18.
Feria sexta.
Epist. Christus, 1. Pet. 3. 18. 22.
Evang. Undecim, Matth. 28. 16. *ad fin.*
Sabbato in Albis.
Epist. Deponentes, 1. Pet. 2. 1. 10.
Evang. Una sabbati, Joann. 20. 1. 9.

Dominica in Albis, in octava Paschæ.
Epist. Omne, 1. Joann. 5. 4. 9.
Evangelium. Cum sero esset, Joan. 20. 19. *ad fin.*
Dominica secunda post Pascha.
Epist. Christus, 1. Pet. 2. 21. 25.
Evang. Ego sum, Joann. 10. 11. 17.
Dominica tertia post Pascha.
Epist. Obsecro, 1. Pet. 2. 11. *ad fin.*
Evang. Modicum, Joann. 16. 16. 22.
Dominica quarta post Pascha.
Epist. Omne Jacob, 1. 17. 21.
Evang. Vado ad eum, Joan. 16. 5. 14.
Dominica quinta post Pascha.
Epist. Estote, Jacob 1. 22. *ad fin.*
Evang. Amen, Joann. 16. 23. 30.
In Rogationibus.
Epist. Confitemini, Jacob 5. 16. *ad fin.*
Evang. Quis vestrum, Luc. 11. 5. 12.
In Vigilia Ascensionis.
Epist. Unicuique, Eph. 4. 7. 13.
Evang. Sublevatis, Joann. 17. 1. 11.
In die Ascensionis Domini.
Epist. Primum, Act. 1. 1. 11.
Evang. Recumbentibus, Mar. 16. 14. *ad fin.*
Dominica infra octavam Ascensionis.
Epist. Estote, 1. Pet. 4. 7. 11.
Evang. cum venerit, Joan. 15. 26. *ad fin.*
Sabbato in Vigilia Pentecostes.
Epist. Factum est, Act. 19. 1. 8.
Evang. Si diligitis, Joann. 14. 15. 21.
In Dominica Pentecostes.
Epist. Cum complerentur, Act. 2. 1. 11.
Evang. Si quis diligit me, Joan. 14. 15. 21.
Feria secunda.
Epist. Aperiens Petrus, Act. 10. 42. 48.
Evang. Dixit Jesus, Joann. 3. 16. 21.
Feria tertia.
Epist. Cum audissent, Act. 8. 14. 16.
Evang. Amen, Joann. 10. 1. 10.
Feria quarta Quatuor Temporum Pentecostes.
Epist. Stans Petrus, Act. 2. 14. 20.
Alia Epist. Per manus, Act. 5. 12. 15.
Evang. Nemo potest, Joann. 6. 44. 52.
Feria quinta.
Epist. Philippus, Act. 8. 5. 8.
Evang. Convocatis, Luc. 9. 1. 16.
Feria sexta Quatuor Temporum Pentecostes.
Epist. exultate, Joel. 2. 23. 27.
Evang. Factum est, Luc. 5. 17. 26.
Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes.
Epist. Effundam, Joel. 2. 28. 32. *ad med.*
Alia Epist. Locutus, Lev. 23. 9. 15. 21.
Alia Epist. Audi Israel, Deut. 26. 1. 11.
Alia Epist. Si in præceptis, Lev. 26. 3. 12.
Alia Epist. Angelus, Dan. 3. 49. 52.
Alia Epist. Justificati, Rom. 5. 1. 5.
Evang. Surgens, Luc. 4. 38. 44.
In festo sanctissimæ Trinitatis.
Epist. O altitudo, Rom. 11. 33. *ad fin.*
Evang. Data est, Matth. 28. 18. *ad fin.*
Dominica prima post Pentecosten.
Epist. Deus, 1. Joann. 4. 8. *ad fin.*
Evang. Estote, Luc. 6. 36. 42.
In solemnitate Corporis Christi.
Epist. Ego enim, 1. Cor. 11. 23. 29.
Evang. Caro mea, Joann. 6. 56. 59.
Dominica secunda post Pentecosten, quæ est infra Oct. Corporis Christi.
Epist. Nolite, Joann. 3. 13. 18.
Evang. Homo, Luc. 14. 16. 27.
In Octava Corporis Christi.
Epist. Ego, 1. Cor. 11. 23. 29.
Evang. Caro mea, Joann. 6. 56. 59.
Dominica tertia post Pentecosten.
Epist. Humiliamini, 1. Pet. 5. 6. 12.
Evang. Erant, Luc. 15. 1. 10.
Dominica quarta post Pentecosten.
Epist. Existimo, Rom. 8. 18. 22.
Evang. Cum turbæ, Luc. 5. 1. 11.
Dominica quinta post Pentecosten.
Epistol. Omnes, 1. Petr. 3. 8. 15. *ad medium.*
Evang. Amen dico, Matth. 5. 20. 24.
Dominica sexta post Pentecosten.
Epist. Quicumque, Rom. 6. 3. 11.
Evang. Cum turba, Marc. 8. 1. 9.

Dominica septima post Pentecosten.
Epist. Humanum, Rom. 6. 19. *ad fin.*
Evang. Attendite, Matth. 7. 15. 21.
Dominica octava post Pentecosten.
Epist. Debitores, Rom. 8. 12. 17.
Evang. Homo quidam, Luc. 16. 1. 19.
Dominica nona post Pentecosten.
Epist. Non simus, 1. Cor. 10. 6. 13.
Evang. Cum appropinquaret, Luc. 19. 41. 46.
Dominica decima post Pentecosten.
Epist. Scitis, 1. Cor. 12. 2. 11.
Evang. Dixit Jesus, Luc. 18. 9. 14.
Dominica undecima post Pentecosten.
Epist. Notum, 1. Cor. 15. 10. *ad med.*
Evang. Exiens, Marc. 7. 31. *ad fin.*
Dominica duodecima post Pentecosten.
Epist. Fiduciam, 2. Cor. 3. 4. 10.
Evang. Beati, Luc. 10. 23. 37.
Dominica decimatertia post Pentecosten.
Epist. Abrahæ, Gal. 3. 16. 22.
Evang. Dum iret, Luc. 17. 11. 19.
Dominica decimaquarta post Pentecosten.
Epist. Spiritu, Gal. 5. 16. 24.
Evang. Nemo, Matth. 6. 24. 33.
Dominica decimaquinta post Pentecosten.
Epist. Si Spiritus, Gal. 5. 25. 10.
Evang. Ibat, Luc. 7. 11. 16.
Dominica decimasexta post Pentecosten.
Epist. Obsecro vos, Eph. 3. 13. *ad fin.*
Evang. Cum intraret, Luc. 14. 1. 11.
Dominica decimaseptima post Pentecosten.
Epist. Obsecro vos, Eph. 4. 1. 16.
Evang. Accesserunt, Matth. 22. 34. *ad fin.*
Feria quarta Quatuor Temporum Septembris.
Epist. Ecce dies, Amos 9. 13. *ad fin.*
Alia Epist. Congregatus, Nehem. 8. 1. 10.
Evang. Respondens, Marc. 9. 16. 27.
Feria sexta Quatuor Temporum Septembris.
Epist. Convertere, Osee 14. *ad fin.*
Evang. Rogabat, Luc. 7. 36. *ad fin.*
Sabbato Quatuor Temporum Septembris.
Epist. Locutus, Lev. 23. 26. 32.
Alia Epistola, A quinto decimo, Lev. 23. 34. 43.
Alia Epist. Pasce, Mich. 7. 14. *ad fin.*
Alia Epist. Hæc dicit, Zach. 8. 14. 19.
Alia Epist. Angelus, Dan. 3. 49. 51.
Alia Epistola, Tabernaculum, Hebr. 9. 12. 12.
Evang. Dicebat, Luc. 13. 6. 18.
Dominica decimaoctava post Pentecosten.
Epist. Gratias, 1. Cor. 1. 4. 8.
Evang. Ascendens, Matth. 9. 1. 8.
Dominica decimanona post Pentecosten.
Epist. Renovamini, Eph. 4. 23. 28.
Evang. Simile, Matth. 22. 1. 14.
Dominica vigesima post Pentecosten.
Epist. Videte, Eph. 5. 10. 17.
Evang. Erat quidam, Joann. 4. 46. 53.
Dominica vigesimaprima post Pentecosten.
Epist. Confortamini, Eph. 6. 10. 17.
Evangelium. Assimilatum est, Matth. 18. 23. *ad fin.*
Dominica vigesimasecunda post Pentecosten.
Epist. Confidimus, Philipp. 1. 6. 11.
Evang. Abeuntes, Matth. 22. 15. 21.
Dominica vigesimatertia post Pentecosten.
Epist. Imitatores, Phil. 3. 17. 4. 4.
Evang. Loquente, Matth. 9. 18. 7. 25.
Dominica vigesimaquarta & ultima post Pentecosten.
Epist. Non cessamus, Coloss. 1. 9. 14.
Evang. Cum videritis, Matth. 24. 15. 35.

PROPRIUM SANCTORUM.

30. Novembris.

In festo sancti Andreæ Apostoli.

Epist. Corde enim, Rom. 10. 10. 18.
Evang. Ambulans, Matth. 4. 18. 22.
8. Decembr. *In Conceptione B. Mariæ Virginis.*
Epist. Dominus, Prov. 8. 22. 35.

Evang.

Evang. Liber, Matth. 1. 1. 16.
21. Decemb. *In festo sancti Thomæ Apostoli.*
Epistola, Jam non estis, Ephes. 2.
Evang. Thomas, Joann. 20. 24. 29.
27. Januar. *In festo sancti Antonii Abbat.*
Epist. Dilectus, Eccli. 45. 1. 5.
Evang. Ecce nos, Matth. 19. 27. 29.
20. Januarii. *In festo SS. Fabiani & Sebastiani.*
Epist. Sancti, Heb. 11. 33. 38.
Evang. Descendens, Luc. 6. 17. 23.
25. Januarii. *In Conversione sancti Pauli Apostoli.*
Epist. Saulus, Act. 9. 1. 22.
Evang. Ecce, Matth. 19. 27. 29.
2. Febr. *In festo Purificationis B. Mariæ Virginis.*
Epist. Ecce ego, Malac. 3. 1. 4.
Evang. Postquam, Luc. 2. 22.
24. vel 25. Februarii. *In festo sancti Mathiæ Apostoli.*
Epist. Exurgens, Act. 1. 15. *ad fin.*
Evang. Respondens, Matth. 11.
25. Martii. *In festo Annuntiationis B. Mariæ Virginis.*
Epist. Petere tibi, Isai. 7. 10. 15.
Evang. Missus, Luc. 1. 26. 38.
25. Aprilis. *In festo S. Marci Evangelistæ.*
Epist. Similitudo, Ezech. 1. 10. 13.
Evang. Designavit, Luc. 10. 1. 9.
1. Maji. *In festo sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi.*
Epist. Stabunt, Sap. 5. 1. 5.
Evang. Non turbetur, Joann. 14. 1. 13.
3. Maji. *In festo Inventionis sanctæ Crucis.*
Epist. Hoc enim, Philip. 2. 5. 11.
Evang. Erat homo, Joann. 3. 1. 15.
24. Junii. *In festo sancti Joannis Baptistæ.*
Epist. Audite, Isai. 49. 1. 7.
Evang. Elizabeth, Luc. 1. 57. 68.
29. Junii. *In festo sanctorum Apostolorum Petri & Pauli.*
Epist. Misit, Act. 12. 1. 10.
Evang. Venit, Philip. 16. 13. 19.
2. Julii. *In festo Visitationis B. Mariæ Virginis.*
Epist. Ecce iste, Cant. 2. 8. 14.
Evang. Exurgens, Luc. 1. 39. 47.
22. Julii. *In festo sanctæ Mariæ Magdalenæ.*
Epist. Surgam, Cant. 3. 2. 5. & 8. 6. 7.
Evang. Rogabat, Luc. 7. 36. 50.
25. Julii. *In festo sancti Jacobi Apostoli.*
Epist. Puto quod, 1. Cor. 4. 9. 19.
Evang. Accessit, Matth. 20. 20. 23.
26. Julii. *In festo sanctæ Annæ Matris B. Mariæ Virginis.*
Epist. Mulierem, Prov. 31. 20. *ad fin.*
Evang. Simile est, Matth. 13. 44. 52.
6. Augusti. *In festo Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi.*
Epist. Non doctas, 2. Petr. 1. 16. 19.
Evang. Assumpsit, Matth. 17. 1. 9.
10. Augusti. *In festo S. Laurentii Martyris.*
Epist. Qui parce, 2. Cor. 9. 6. 10.
Evang. Amen, amen, Joann. 12. 24. 26.
15. Augusti. *In Assumptione B. Mariæ Virginis.*
Epist. in omnibus, Eccli. 24. 11. 20.
Evang. Intravit, Luc. 10 38. *ad fin.*
24. Augusti. *In festo S. Bartholomæi Apostoli.*
Epist. Vos estis, 1. Cor. 12. 27. *ad fin.*
Evang. Erat, Luc. 6. 12. 19.
25. Augusti. *In festo S. Ludovici Confessoris Regis Francorum.*
Epist. Justum, Sap. 10. 10. 14.
Evang. Homo, Luc. 19. 12. 26.
29. Augusti. *In Decollatione S. Joannis Baptistæ.*
Epist. Factum est, Jerem. 1. 17. *ad fin.*
Evang. Misit, Marc. 6. 17. 29.
8. Septemb. *In Nativitate B. M. Virginis.*
Epist. Dominus, Prov. 8. 22. 35.
Evang. Liber, Matth. 1. 1. 16.
14. Septemb. *In festo Exaltationis S. Crucis.*
Epist. Hoc enim, Philip. 2. 5. 11.
Evang. Nunc judicium, Joann. 12. 31. 36.
21. Septemb. *In festo sancti Matthæi Apostoli & Evangelistæ.*
Epist. Similitudo. Ezech. 1. 10. 15.
Evang. Vidit, Matth. 9. 9. 13.
29. Septembr. *In festo Dedicationis sancti Michaelis Archangeli.*
Epist. Significavit, Apoc. 1. 1. 5.
Evang. Accesserunt, Matth. 18. 1. 10.
4. Octob. *In festo S. Francisci Confessoris.*
Epist. Mihi, Galat. 6. 14. 18.
Evangelium, Respondens, Matth. 11. 25. 30.
9. Octobr. *In festo sanctorum Martyrum Dionysii & sociorum.*
Epist. Stans, Act. 17. 22. *ad fin.*
Evang. Attendite, Luc. 11. 1. 8.
18. Octobr. *In festo sancti Lucæ Evangelistæ.*
Epist. Gratias, 2. Cor. 8. 16. *ad fin.*
Evang. Designavit, Luc. 10. 1. 9.
28. Octobris. *In festo SS. Apostolorum Simonis & Judæ.*
Epist. unicuique, Ephes. 4. 7. 13.
Evang. Hæc, Joann. 15. 17. 25.
1. Novembris. *In festo Omnium Sanctorum.*
Epist. Ecce, Apoc. 7. 2. 12.
Evang. Videns, Matth. 5. 1. 12.
2. Novemb. *In Commemoratione Defunctorum.*
Epist. Ecce, 1. Cor. 15. 51. 57.
Evang. Amen, Joann. 5. 25. 29.
11. Novemb. *In festo S. Martini Episcopi & Confessoris.*
Epist. Ecce, Eccli. 44. & 45.
Evang. Nemo, Luc. 11. 33. 36.
21. Novemb. *In festo Præsentationis B. Mariæ Virginis.*
Epist. Ab initio, Eccli. 24. 14. 16.
Evang. Loquente, Luc. 11. 27. 28.
In festo Sanctæ Catharinæ Virginis & Martyris.
Epist. Confitebor, Eccli. 51. 1. 7.
Evang. Simile est, Matth. 13. 44. 52.

COMMUNE SANCTORUM

In natali Apostolorum.

Epist. Benedictio, Eccli. 44. 25. 9.
Evang. Hoc est, Joan. 15. 12. 16.
In natali unius Martyris Pontificis.
Epist. Beatus, Jacob 1. 12. 17.
Alia Epist. Benedictus, 2. Cor. 1. 3. 6.
Evang. Si quis venit, Luc. 14. 25. 33.
Aliud Evang. Si quis vult, Matth 16 24. 27.
In natali unius Martyris non Pontificis.
Epist. Justum, Sap. 10. 10. 13.
Omne, Jacob 2. 2. 12.
Alia Epist. Memor, 2. Timoth. 2. 8. 9. & 3. 10. 11.
Communicantes, 1. Petr. 4. 17. *ad fin.*
Evang. Nolite, Matth. 10. 34. *ad fin.*
Aliud Evang. Nihil, Matth. 20. 26. 34.
Aliud, Nisi granum, Joann. 12. 24. 26.
De uno Martyre temp. Paschali.
Epist. Stabunt, Sap. 5. 4.
Evang. Ego sum, Joann. 15. 1. 7.
De pluribus Martyribus temp. Paschali.
Epist. Benedictus, 1. Petr. 1. 3. 6. Post hæc, Apoc. 19. 1. 8.
Evang. Ego sum, Joann. 15. 1. 7.
Aliud Evang. Amen amen, Joan. 16. 20. 12.
Commune plurimorum Martyrum. extra tempus Paschale.
Epist. Justorum, Sap. 3. 1. 7.
Alia Epist. Justi autem, Sap. 5. 16. 19.
Alia Epistola, Rememoramini, Heb. 10. 32. 37.
Alia Epist. Reddidit, Sap. 10. 17. *ad fin.*
Alia Epist. Justificati, Rom. 5. 1. 4.
Alia Epist. Non sunt, Rom. 8. 18. 23.
Alia Epist. Exhibeamus, 2. Cor. 6. 4. 9.
Alia Epist. Sancti, Hebr. 11. 33. 38.
Alia Epist. Respondit, Apoc. 7. 13. *ad fin.*
Evang. Cum audieritis, Luc. 21. 9. 19.
Aliud Evangelium, Descendens, Luc. 6. 17. 23.
Aliud Evangelium, Sedente, Matth. 24. 3. 13.
Aliud Evangelium, Videns, Matth. 5. 1. 11.
Aliud Evang. Respondens, Matth. 11. 25. *ad fin.*
Aliud Evang. Væ vobis, Luc. 11. 47. 51.
Aliud Evang. Qui vos, Luc. 10. 16. 22.
Aliud Evang. Attendite, Luc. 12. 1. 8.
Commune Confessoris Pontificis.
Epist. Ecce Sacerdos, Eccli. 44. & 45. quoad sensum, non quoad verba.
Alia Epist. Plures, Hebr. 7. 23. 26.
Alia Epist. Omnis, Hebr. 5. 1. 3.
Alia Epist. Mementote, Hebr. 13. 7. 16.
Evang. Homo, Matth. 25. 14. 27.
Aliud Evangelium, Vigilate, Matth. 24. 42. 47.
Aliud Evang. Nemo, Luc. 11. 33. 36.
Aliud Evang. Videte, Marc. 13. 33. 37.
Commune Doctorum.
Epist. Testificor, 2. Timoth. 4. 1. 8.
Justus, Eccli. 39. 6. 13.
Evang. Vos estis. Matth. 5. 13. 19.
Commune Confessoris non Pontificis.
Epist. Beatus, Eccli. 31. 8. 10.
Alia Epist. Spectaculum, 1. Cor. 4. 9. 15.
Alia Epist. Quæ mihi, Philip. 3. 7. 11.
Evang. Sint lumbi vestri, Luc. 12. 35. 40.
Aliud Evang. Nolite, Luc. 12. 32. 34.
Aliud Evang. Homo, Luc. 19. 12. 26.
Commune Abbatum.
Epist. Dilectus, Eccli. 45. 1. 5.
Evang. Ecce nos, Matth. 19. 27. 29.
Commune Virginum & Martyrum.
Epist. Confitebor, Eccli. 51. 1. 7.
Alia Epist. Exaltasti, Eccl. 51. 13. 17.
Evang. Simile est, Matth. 13. 44. 52.
Aliud Evang. Simile erit, Matth. 25. 1. 13.
Commune Virginum non Martyrum.
Epist. de Virginibus, 1. Cor. 7. 25. 34.
Alia Epist. Qui gloriatur, 2. Cor. 10. 18. 2. cap. 11.
Evangelium, Simile est, Matth. 13. 44. 52.
Aliud Evang. Simile erit, Matth. 25. 1. 13.
Commune Mulierum sanctarum nec Virginum nec Martyrum.
Epist. Mulierem, Prov. 31. 20. *ad fin.*
Alia Epist. Viduas, 1. Tim. 5. 3. 9.
Evangelium, Simile est, Matth. 13. 44. 52.
In Dedicatione Ecclesiæ.
Epist. Vidi, Apoc. 21. 2. 4.
Evang. Ingressus, Luc. 19. 1. 9.
In Sponsalibus.
Epist. Mulieres, Ephes. 5. 22. *ad fin.*
Evang. Si licet, Matth. 19. 3. 6.
Ad tollendum schisma.
Epist. Obsecro, Ephes. 4. 1. 21.
Evangelium, Sublevatis, Joan. 17. 11. 23.
Pro quacumque necessitate.
Epist. Si iniquitates, Jer. 14. 7. 9.
Evang. Habete, Marc. 11. 22. 26.
Pro remissione peccatorum.
Epist. Condelector, Rom. 7. 22. 25.
Evang. Petite, Luc. 11. 9. 13.
Contra Paganos.
Epist. Oravit Mardochæus, Esther 13. 8. 17.
Evangelium, Quis, Luc. 11. 5. 13.
In tempore belli.
Epist. Accesserunt, Jer. 12. 2 1. *ad 2. med. & a 7. ad 12.*
Evang. Dic nobis, Matth. 24. 3. 8.
Pro pace.
Epist. Fratribus, 2. Machab. 1. 1. 5.
Evang. Cum esset, Joann. 20. 19. 23.
Pro vitanda mortalitate, vel tempore pestis.
Epist. Immisit, 2. Reg. 24. 15. 19. *& a med.* 25 *ad finem.*
Evang. Surgens, Luc. 4. 38. *ad fin.*
Pro infirmis.
Epist. Tristatur, Jacob 5. 13. 16.
Evang. Cum, Matth. 8. 5. 13.
Pro peregrinantibus, vel iter agentibus.
Epist. Egressus, Gen. 26. a v. 10.
Evang. Euntes, Matth. 10. 7. 14.

INDEX TESTIMONIORUM
A CHRISTO ET APOSTOLIS
IN NOVO TESTAMENTO CITATORUM EX VETERI,

Quæ huc in id congesta sunt, ut pii lectores nativam quorumdam intelligentiam, quæ ab ipso CHRISTO vero interprete, & spiritu ejus per APOSTOLOS sit tradita, assequantur, perspiciantque in quem usum ea APOSTOLI & EVANGELISTÆ adduxerint.

G E N E S I S.

1. MAsculum & feminam fecit eos, *Matth.* 19. *Marc.* 10.
2. Requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis, *Hebr.* 4.
2. Factus est primus homo Adam in animam viventem, 1. *Cor.* 15.
2. Dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori, *Matth.* 19. *Marc.* 10. *Ephes.* 5. 1. *Cor.* 6.
2. Erunt duo in carne una, *Matth.* 19. *Marc.* 10. 1. *Cor.* 6. *Gal.* 5.
12. Exi de terra tua, & de cognatione tua, *Act.* 7.
12. Et in semine tuo benedicentur omnes gentes, *Act.* 3. *Eph.* 5.
15. Sic erit semen tuum, *Rom.* 4.
15. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, *Rom.* 4. *Jac.* 2. *Gal.* 3.
15. Erit semen tuum peregrinum in terra non sua, *Act.* 7.
17. Quia patrem multarum gentium constitui te, *Rom.* 4.
18. Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius, *Rom.* 9.
21. Ejice ancillam, & filium ejus, *Gal.* 4.
21. In Isaac vocabitur tibi semen, *Rom.* 9.
22. Nisi benedicens benedicam te, & multipl. *Hebr.* 6.
22. Quia benedicentur in te omnes gentes, *Gal.* 3. *Act.* 3.
25. Quia major serviet minori, *Rom.* 9.

E X O D U S.

3. Ego sum Deus Abraham, &c. *Matth.* 22. *Marc.* 12. *Luc.* 20.
9. In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te potentiam meam, *Rom.* 9.
12. Os non comminuetis ex eo, *Joann.* 19.
13. Omne masculinum adaperiens vulvam, *Luc.* 2.
16. Qui multum, non abundavit, &c. 2. *Cor.* 8.
20. Non mœchaberis, *Matth.* 5.
20. Non adulterabis, Non occides, Non furtum facies, Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces, *Rom.* 13.
20. Non concupisces, *Rom.* 7.
20. Non occides, *Marc.* 5. *Luc.* 18.
20. Honora patrem tuum & matrem tuam, *Matth.* 15. *Marc.* 7. *Ephes.* 6.
21. Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur, *Matth.* 15. *Marc.* 7.
21. Oculum pro oculo, dentem pro dente, *Matth.* 5.
22. Principi populi tui non maledices, *Act.* 23.
24. Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus, *Hebr.* 9.
25. Vide, omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est, &c. *Heb.* 8. *Act.* 7.
32. Fac nobis deos, qui præcedant nos, *Act.* 7.
33. Miserebor cui voluero, &c. *Rom.* 9.
34. Non sicut Moyses ponebat velamen super faciem, 2. *Cor.* 3.

L E V I T.

12. Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum, 1. *Petr.* 1.
18. Qui fecerit ea, vivet in ea, *Rom.* 10. *Gal.* 3.
19. Non perjurabis, *Matth.* 5.
19. Diliges proximum tuum sicut te ipsum, *Rom.* 13. *Gal.* 5. *Jac.* 2. *Matth.* 22. *Marc.* 12.
19. Diliges proximum tuum, *Matth.* 5.
20. Qui maledixerit patri & matri, &c. *Matth.* 15.
24. Oculum pro oculo, *Matth.* 5.
26. Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, &c. 2. *Cor.* 6.

N U M E R I.

9. Os non comminuetis ex eo, *Joann.* 19.

D E U T E R.

4. Etenim Deus noster ignis consumens est, *Hebr.* 12.
5. Non concupisces, *Rom.* 7. 13.
5. Non occides, *Matth.* 5. *Luc.* 18.
5. Non mœchaberis, *Matth.* 5. *Luc.* 18.
5. Non furtum facies, *Luc.* 18. *Rom.* 13.
5. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium, *Luc.* 18. *Rom.* 13.
5. Honora patrem & matrem, *Matth.* 15. *Marc.* 7. *Ephes.* 6.
6. Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est, *Marc.* 12.
6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. *Matth.* 22. *Marc.* 12. *Luc.* 10.
6. 10. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies, *Matth.* 4. *Luc.* 4.
6. Non tentabis Dominum Deum tuum, *Marc.* 4. *Luc.* 4.
8. Non in solo pane vivit homo, *Matth.* 4. *Luc.* 4.
10. Deus personam hominis non accipit, *Gal.* 2.
18. Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus, *Act.* 3. 7.
19. In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum, *Matth.* 18. *Joann.* 8. 2. *Cor.* 13.
19. Oculum pro oculo, dentem pro dente, *Matth.* 5.
21. Maledictus omnis qui pendet in ligno, *Gal.* 3.
25. Non alligabis os bovi trituranti, 1. *Cor.* 9. 1. *Tim.* 5.
25. Si quis mortuus fuerit non habens filium, *Matth.* 22. *Marc.* 12. *Luc.* 20.
27. Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, &c. *Gal.* 3.
30. Quis ascendet in cælum? *Rom.* 10.
30. Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, *Rom.* 10.
32. Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, &c. *Rom.* 10.
32. Mihi vindicta, ego retribuam, *Rom.* 12.

J O S U E.

1. Non te deseram, neque derelinquam, *Hebr.* 13.

R E G. II.

7. Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium, *Hebr.* 1.

R E G. III.

19. Domine, prophetas tuos occiderunt, &c. *Rom.* 11.
19. Reliqui mihi septem millia virorum, *Rom.* 11.

J O B.

5. Comprehendam sapientes in astutia eorum, 1. *Cor.* 3.

LIBER PSALM.

2. Quare fremuerunt gentes, *Act.* 4.
2. Filius meus es tu, ego hodie genui te, *Act.* 13. *Hebr.* 1. 5.
3. Reges eos in virga ferrea, *Apoc.* 2. 19.
4. Irascimini, & nolite peccare, *Eph.* 4.
5. Sepulcrum patens est guttur eorum, *Rom.* 3.
6. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem, *Matth.* 7. 25. *Luc.* 13.
8. Ex ore infantium, & lactentium, &c. *Matth.* 21.
8. Quid est homo, quod memor es ejus? *Hebr.* 2.
8. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, 1. *Cor.* 15.
9. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, *Rom.* 3.
13. Non est justus quisquam, non est intelligens, *Rom.* 3.
13. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, *Rom.* 3.
15. Providebam Dominum in conspectu, &c. *Act.* 2.
15. Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem, *Act.* 2. 27.

17. Ego

17. Ego ero fidens in eum, *Hebr.* 2.
17. Propterea confitebor tibi in Gentibus, Domine, *Rom.* 15.
18. Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, *Rom.* 10.
21. Eli, Eli, lamma sabacthani, *Matth.* 27. *Marc.* 15.
21. Diviserunt sibi vestimenta mea, *Matth.* 27. *Joann.* 19.
21. Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, *Hebr.* 2.
23. Domini est terra, & plenitudo ejus, 1. *Cor.* 10.
24. Odio habuerunt me gratis, *Joann.* 15.
30. In manus tuas commendo spiritum meum, *Luc.* 23.
31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, *Rom.* 4.
33. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, 1. *Petr.* 3.
39. Hostiam & oblationem noluisti, *Hebr.* 10.
40. Qui manducat mecum panem, *Joann.* 13.
43. Propter te mortificamur tota die, *Rom.* 8.
44. Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, *Hebr.* 1.
50. Ut justificeris in sermonibus tuis, *Rom.* 3.
54. Jacta super Dominum curam tuam, 1. *Petr.* 5.
61. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet, 1. *Cor.* 3.
67. Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, *Ephes.* 4.
68. Zelus domus tuæ comedit me, *Joann.* 2.
68. Improperia improperantium tibi ceciderunt super me, *Rom.* 15.
68. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, *Rom.* 11.
68. Fiat commoratio eorum deserta, *Actor.* 1.
68. In siti mea potaverunt me aceto, *Joann.* 19.
77. Aperiam in parabolis os meum, *Matth.* 13.
77. Panem cæli dedit eis, *Joann.* 6.
81. Ego dixi, Dii estis, *Joann.* 10.
88. Inveni David servum meum, *Actorum* 13.
90. Angelis suis mandavit de te, *Matth.* 4. *Luc.* 4.
93. Dominus novit cogitationes sapientum, quoniam vanæ sunt, 1. *Cor.* 3.
94. Hodie si vocem ejus audieritis, *Hebr.* 3.
94. Sicut juravi in ira mea, *Hebr.* 4.
96. Et adorent eum omnes Angeli ejus, *Hebr.* 1.
101. Tu in principio Domine terram fundasti, *Hebr.* 1.
103. Qui facit Angelos suos spiritus, *Hebr.* 1.
108. Et episcopatum ejus accipiat alter, *Actor.* 1.
109. Dixit Dominus Domino meo, *Matth.* 22. *Luc.* 20. *Act.* 2.
109. Sed a dextris meis, *Hebr.* 1.
109. Donec ponam inimicos tuos scabellum, &c. *Hebr.* 1. 1. *Cor.* 15.
109. Tu es sacerdos in æternum, *Hebr.* 5. 7.
109. Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, *Hebr.* 7.
111. Dispersit, dedit pauperibus, 2. *Cor.* 9.
115. Credidi, propter quod locutus sum, 2. *Cor.* 4.
115. Omnis homo mendax, *Rom.* 3.
116. Laudate Dominum omnes gentes, *Rom.* 15.
117. Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo, *Hebr.* 13.
117. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, *Matth.* 21. *Marc.* 12. *Actor.* 4. 1. *Pet.* 2.
117. Hosanna filio David, *Matth.* 21.
131. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, *Actor.* 2.
139. Venenum aspidum sub labiis eorum, *Rom.* 3.

PROVERB.

3. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, *Rom.* 12.
3. Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, *Hebr.* 12.
3. Quem diligit Dominus, corripit, &c. *Hebr.* 12. *Apoc.* 3.
10. Charitas operit multitudinem peccatorum, 1. *Petr.* 4.
17. Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat, 1. *Thess.* 5. 1. *Petr.* 3.
20. Qui maledixerit patri, vel matri, *Matth.* 15. *Marc.* 7.
25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, *Rom.* 12.
26. Canis reversus ad vomitum, 2. *Petr.* 2.

ISAIAS.

1. Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, *Rom.* 9.
5. Homo plantavit vineam, *Matth.* 21. *Luc.* 20. *Marc.* 12.
6. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus sabaoth, *Apoc.* 4.
6. Auditu audietis, & non intelligetis, *Matth.* 13. *Marc.* 4. *Luc.* 8. *Actor.* 28. *Joann.* 12. *Rom.* 11.
7. Ecce Virgo in utero habebit, *Matth.* 1.
8. Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus, *Hebr.* 2.
9. Terra Zabulon, & terra Nephthali, *Matth.* 4.
10. Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, *Rom.* 9.
11. Revelabitur ille iniquus, quem Dominus interficiet spiritu oris sui, 2. *Thess.* 2.
11. Erit radix Jesse, *Rom.* 15. *Act.* 13.
21. Cecidit, cecidit Babylon illa magna, *Apoc.* 14.
22. Manducemus & bibamus; cras enim moriemur, 1. *Cor.* 15.
22. Hæc dicit Sanctus, & verus, qui habet clavem David, *Apoc.* 3.
25. Absterget Dominus omnem lacrymam ab oculis, &c. *Apoc.* 7. 21.
28. Quoniam in aliis linguis & labiis aliis loquar populo huic, 1. *Cor.* 14.
28. Ecce pono in Sion lapidem offensionis, *Rom.* 9. 1. *Petr.* 2. *Actor.* 4.
29. Populus hic labiis me honorat, *Matth.* 15. *Marc.* 7.
29. Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam, &c. 1. *Cor.* 1.
33. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi inquisitor hujus sæculi? 1. *Cor.* 1.
40. Vox clamantis in deserto, *Matth.* 3. *Marc.* 1. *Luc.* 3. *Joann.* 1.
40. Omnis caro fœnum, 1. *Petr.* 1. *Jac.* 1.
40. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis instruxit eum? *Rom.* 11.
40. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? 1. *Cor.* 2.
41. 44. Ego sum primus & novissimus, *Apoc.* 1. 22.
42. Ecce puer meus quem elegi, *Matth.* 12.
43. Ecce nova facio omnia, *Apoc.* 21. 2. *Cor.* 5.
45. Numquid dicit figmentum ei qui se, &c. *Rom.* 9.
45. Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, *Rom.* 14.
49. Posui te in lucem Gentium, *Actor.* 13.
49. Tempore accepto exaudivi te, &c. 2. *Cor.* 6.
49. Non esurient, neque sitient amplius, *Apoc.* 7.
50. Tunc expuerunt in faciem ejus, *Matth.* 26.
52. Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, *Rom.* 10.
52. Propter quod exite de medio eorum, & separamini, &c. 2. *Cor.* 6.
52. Nomen Dei per vos blasphematur, *Rom.* 2.
52. Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt, *Rom.* 15.
53. Domine, quis credidit auditui nostro? *Rom.* 10. *Joan.* 12.
53. Ipse infirmitates nostras accepit, *Matth.* 8.
53. Tamquam ovis ad occisionem, *Actor.* 8.
53. Et cum iniquis reputatus est, *Marc.* 15. *Luc.* 22.
53. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus, 1. *Petr.* 2. 1. *Joan.* 3.
53. Qui peccata nostra pertulit in corpore, 1. *Petr.* 2.
54. Lætare sterilis quæ non paris, *Galat.* 4.
54. Et erunt omnes docibiles Dei, *Joann.* 6.
55. Et qui sitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis, *Apoc.* 22.
55. Dabo vobis sancta David fidelia, *Actor.* 13.
56. Domus mea domus orationis vocabitur, *Matth.* 21. *Marc.* 11. *Luc.* 19.
59. Contritio & infelicitas in viis eorum, *Rom.* 3.
59. Galeam salutis assumite, *Ephes.* 6. 1. *Thess.* 5.
59. Veniet ex Sion qui eripiat & avertat impietatem a Jacob, *Rom.* 11.
60. Et portæ ejus non claudentur per diem, *Apoc.* 21.
60. Et civitas non eget sole, neque luna, *Apoc.* 21.
60. Nox ultra non erit, *Apoc.* 21.
61. Spiritus Domini super me, *Luc.* 4.
62. Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit, *Matth.* 21.
64. Quod oculus non vidit, nec auris audivit, &c. 1. *Cor.* 2.
65. Inventus sum a non quærentibus me, *Rom.* 10.
65. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, *Rom.* 10.
65. Novos vero cælos, & novam terram, 2. *Petr.* 3. *Apoc.* 21.
66. Cælum mihi sedes est, *Actor.* 7.
66. Ubi vermis eorum non moritur, *Marc.* 9.

JEREM.

5. Vos autem fecistis illam speluncam latronum, *Matth.* 21. *Marc.* 11. *Luc.* 19.
9. Qui gloriatur, in Domino glorietur, 1. *Cor.* 1. 2. *Cor.* 10.
10. Quis non timebit te Domine? *Apoc.* 15.
17. Ego sum scrutans renes & corda, *Apoc.* 2.
31. Vox in Rama audita est, *Matth.* 2.
31. Ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, 2. *Cor.* 6.
31. Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Juda, testamentum novum, *Hebr.* 8.
31. Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos, &c. Dabo leges meas in cordibus eorum, *Hebr.* 10.
51. Cecidit Babylon magna, *Apoc.* 18.

EZECH.

3. Accipe librum, & devora illum, *Apoc.* 10.
10. Qui fecerit homo, vivet in ea, *Rom.* 10.
32. Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, &c. *Matth.* 24.
36. Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes, *Rom.* 2.

DA-

D A N I E L.

9. Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, *Matth.* 24. *Marc.* 13. *Luc.* 21.

O S E E.

1. Et erit in loco ubi dictum est eis : Non plebs mea vos, &c. *Rom.* 9.
2. Vocabo non plebem meam, plebem meam, *Rom.* 9. 1. *Petr.* 2.
6. Misericordiam volo, & non sacrificium, *Matth.* 9. 12.
10. Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos : & collibus, Operite nos, *Luc.* 23.
11. Ex Ægypto vocavi Filium meum, *Matth.* 2.
13. Absorpta est mors in victoria, 1. *Cor.* 15.

J O E L.

2. Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo, *Act.* 2.
2. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit, *Rom.* 10.

A M O S.

5. Numquid victimas & hostias obtulistis mihi, *Act.* 7.
6. Væ vobis divitibus, *Luc.* 6.
9. Post hæc revertar, & reædificabo tabernaculum David, *Act.* 15.

J O N A S.

2. Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, *Matth.* 12. *Luc.* 11.
3. Pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, *Matth.* 12. *Luc.* 11.

M I C H Æ A S.

5. Et tu Bethlehem terra Juda, *Matth.* 2.
7. Veni separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem, *Matth.* 10. *Luc.* 12.

N A H U M.

1. Quam speciosi pedes evangelizantium pacem. *Rom.* 10.

H A B A C.

1. Videte contemptores, & admiramini, & disperdimini, quia opus operor ego in diebus vestris, *Act.* 13.
2. Justus autem ex fide vivit, *Rom.* 1. *Gal.* 13.

A G G Æ I.

2. Adhuc semel, & ego movebo non solum terram, sed & cælum. *Hebr.* 12.

Z A C H A R.

8. Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, *Ephes.* 4.
9. Ecce rex tuus venit, *Matth.* 21. *Joann.* 12.
11. Et acceperunt triginta argenteos, *Matth.* 27.
12. Videbunt in quem compunxerunt, *Joann.* 19.
13. Percutiam pastorem, *Matth.* 26. *Marc.* 14.

M A L A C H.

1. Jacob dilexi, Esau autem odio habui, *Rom.* 9.
3. Ecce ego mitto Angelum meum, *Matt.* 11. *Marc.* 1. *Luc.* 7. *Joann.* 1.
4. Ipse est Elias qui venturus erat, *Matth.* 11.
4. Quid est quod scribæ dicunt, quod Eliam oportebat primum venire? *Matth.* 17. *Marc.* 19.
4. Ut convertat corda patrum in filios, *Luc.* 1.

HEBRAICORUM,

CHALDÆORUM, GRÆCORUMQUE

NOMINUM INTERPRETATIO.

AARON, Mons, sive Montanus.
Abba, Pater, Syrum est verbum.
Abbarim, Transitus, plur. num. sive Transeuntes.
Abdemelech, Servus regis.
Abdenago, Servus claritatis.
Abdias, Servus Domini.
Abdon, Servus.
Abel, per aleph, Luctus, Civitas.
Abel, per he in principio, Vanitas, Filius Adam.
Abessalom, Pater pacis.
Abia, Pater Domini.
Abjathar, Pater excellens.
Abigail, Pater exultationis.
Abimelech, Pater rex.
Abinadab, Pater spontaneus.
Abisag, Patris ignorantia.
Abner, Patris lucerna.
Abra, Ancilla; Græcum verbum.
Abram, Pater excelsus.
Abraham, Pater multitudinis.
Absalom, Pater pacis.
Acan, Tribulatio.
Accaron, Sterilitas.
Achab, Frater patris.
Achaji, Dolor, vel Tristitia.
Achaz, Apprehendens, sive Possidens.
Achimelech, Frater meus rex.
Achitob, Frater bonitatis.
Adam, Homo, sive Terrenus, aut Rufus.
Adon, Dominus, aut Basis.
Adonai, Domini mei, numero multitudinis : unum est ex nominibus Dei, quod interpres abundando posuit pro nomine Dei tetragammaton.
Adonias, Dominator, Dominus.
Ægyptus, Angustiæ, sive tribulationes ; Hebraice Misraim.
Ænea, Laudatus.
Æthiopia Græce, ardorem significat. Hebraice Cus dicitur, id est Nigredo, vel Nigra.
Agabus, Locusta.
Agag, Tectum.
Agar, Peregrina.
Aggæus, Festivus.
Ahud, Laudans.
Alexander, Auxiliator virilis.
Alexandria, Hebraice dicitur No : quod interpretatur Craulum, sive Irritatio.
Alleluja, Laudate Dominum.
Amalec, Populus lambens.
Aman, Mater, Timor eorum.
Aman, Conturbans.
Amana, Fides, sive Veritas.
Amasia, per aleph, Fortis, vel Robustus.
Amasai, per ain, Populi munus.
Amelech, Rex.
Amen, Fiat. Efficiatur, aut Firmum sit.
Aminadab, Populus spontaneus.
Ammon, populus ejus.
Amnon, Fidelis, aut Verax.
Amorrhæi, Amari, Rebelles.
Amos, per aleph, Fortis; Pater Isaiæ.
Amos, per ain, Oneratus ; unus ex duodecim Prophetis.
Amri, per aleph, Amarus, vel Loquens.
Amri, per ain, Manipulus, vel Dominium, Princeps militiæ Israeliticæ.
Anania, Nubes Domini.
Anathoth, Responsiones, sive Cantica.
Andreas, Fortissimus.
Anna, Gratiosa, sive Misericors.
Antiochia, pro vehiculo.
Aphrica Hebraice Pul dicitur, id est, Casus, vel Ruina, Isaiæ 66. 19.
Aphrica, Nahum 3. 9. Put. Crassa, sive Pinguis.
Apostolus, Missus, Legatus.
Arabes, Vespertini, 2. Par. 26. 2.
Arabes, Psalm. 71. 15. Hebraice Saba, id est, Conversio.
Aram, Celsitudo, Sublimitas.
Ararat, Maledictio tremoris.
Arbee, Quatuor.
Architriclinus, Princeps triclinii.
Areopagita, de colle Martis.
Areopagus, Collis Martis.
Arcuna, Arca, vel Canticum.
Argob, Gleba, vel Glarea.
Armenia, Hebraice dicitur Ararat, Maledictio tremoris.
Arnon, Exultans.
Arphaxad, Sanans.
Artaxerxes, Lumen, sive Maledictio.
Asaph, Congregans.
Aser, per samech, Vinctus, Filius Caath.
Aser, per sin, Beatitudo, sive Felicitas, filius Jacob.
Assuerus, Princeps & Caput.
Assur, Insidians, sive Beatus.
Astaroth, Greges, sive Divitiæ.

Athalia,

Athalia, Tempus Domino.
Athene, Sine cumulo.
Attalia, Augens, vel Nutriens.
Ava, Iniquitas.
Axa, Adornata.
Azarias, Auxilium Domini.
Azor, Adjutor.
Azotus, Hebraice, Asdod, Depraedatio.

B

Baal, Idolum, aut Dominans.
Baal, Osee 10. 24. Arbel legendum, id est, Pugnavit Deus.
Baalim, Idola, Dominantes.
Babel, Confusio, Commixtio.
Bala, Inveterata, Turbata, ancilla Rachel, per he in fine.
Bala, Deglutiens, Destruens, urbs, per ain in fine.
Baalam, Vetustas populi.
Balac, Destruens.
Banajas, Filius Domini.
Barac, Fulgur.
Barachias, Benedicens Dominum.
Bar-jona, Filius columbae.
Barnabas, Filius consolationis.
Barsabas, Filius conversionis.
Barthilmaeus, Filius caecus.
Barthelomaeus, Filius suspendentis aquas.
Baruch, Benedictus.
Bathuel, Filia illo Dei.
Batus, mensura liquidorum.
Beel-phegor, Idolum hiatus.
Beel-zebub, Idolum muscae.
Beera, Puteus.
Behemoth, Jumenta, Quadrupedia.
Bel, Vetustus.
Bela, Deglutiens, Destruens.
Belial, Perversus, Absque jugo.
Ben-ennon, Filius divitiarum suarum.
Benjamin, Filius dexterae.
Ben oni, Filius doloris mei.
Bera, Puteus.
Beresith, In principio. Sic vocatur primus liber Legis.
Bersabee, Puteus juramenti.
Beth-abara, Domus transitus.
Beth anis, Domus obedientiae, vel afflictionis.
Beth-aven, Domus vanitatis.
Beth-dagon, Domus frumenti.
Beth-el, Domus Dei.
Bethel, Divisio.
Beth-lehem, Domus panis.
Beth-phage, Domus oris vallium.
Beth-phogor, Domus hiatus.
Beth-sabee, Domus juramenti, civitas.
Beth-saida, Domus frugum.
Beth-sames, Domus solis.
Bethul, Virgo.
Bezec, Fulgur.
Boanerges, vel juxta S. Hieronymum, Banerem, Filii tonitrui.
Booz, In fortitudine.
Borith, herba, in qua est acrimonia saporis.
Bosor, Munitio.
Bosra, Idem.

C

Caath, Congregatio, Obtusio.
Cades, Sanctitas.
Cain, Possessio, Possessus.
Caleb, Quasi cor.
Cana, Zelus, Aemulatio.
Cananaeus, id est, ex Cana vico Galilaeae.
Capharnaum, Ager poenitentiae.
Cappadoces, Hebraice Caphthorim, id est, Sphaerulae.
Carjathjarim, Civitas silvarum.
Carjath-sepher, Civitas litterarum.
Carmel, Cognitio circumcisionis; vel Agnus circumcisus.

Carthaginenses, Hebraice Tharsis, id est, Contemplatio gaudii.
Cedar, Nigredo, Tristitia.
Cedes, Sanctitas.
Cedron, Denigratus, Tristis.
Cephas, Petrus, a Petra; Syrum.
Cetura, Aromatizans.
Chereas, Laevus.
Chaldaea, Hebraice Chasdim, id est, Quasi daemones.
Cham, Calidus, Calor.
Chanaan, Mercator, Negotiator.
Charmel, idem quod Carmel.
Cherub, Quasi magister.
Chedehod, Jaspis.
Chorazi, Furores.
Christus, Unctus.
Chus, Aethiops.
Cin, Possessio, Emptio.
Cinoth, Lamentationes.
Cis, Durus, Stipula.
Cleophas, Gloria omnis.
Coelesyria, Curva Syria.
Colossenses, supplicio affecti.
Corban, Corbana, Donum, Oblatio.
Core, Calvus, Calvitium, per heth in fine.
Core, per aleph in fine, Vocans, Legens, 1. Par. 9. 19.
Corozaim, Hic est mysterium.
Cosbi, Mendax.
Cyprus, Pulcra.
Cyrus, Quasi miser.

D

Dagon, Frumentum.
Dalila, Paupertas.
Damascus, Sanguinis succus.
Damascus, 1. Reg. 16. Similitudo incendii, Hebr. Dumesec.
Dan, Judicans, sive Judicium.
Daniel, Judicium Dei.
Darius, Requirens.
Darmascus, Generationis Procuratio.
Dathan, Ritus, Lex.
David, Dilectus.
Debora, Apes, Verbum.
Decapolis, Decem civitatum, (sub. regio.)
Diabolus, Criminator, Calumniator.
Diabolus, Habacuc 3. 4. Hebr. Reseph, id est, Volucris, Flamma.
Dibre hajamin, Verba dierum.
Didymus, Gemellus.
Dina, Judicium, vel Judicans.
Dionysius, Divinitus illiatus.
Dithalassum, Duo maria.
Doeg, Soll citus, Anxius.
Dor, Generatio.
Dura, Generatio, vel Habitatio.

E

Ebal, Acervus vetustatis.
Ecclesiastes, Concionator.
Eden, Voluptas, Deliciae.
Edom, Rufus.
Eglon, Vitulus.
Elcana, Deus zelotes.
Eleazar, Dei adjutorium.
Elehanan, Dei gratia, sive misericordia.
Eliachim, Dei resurrectio.
Elias, Deus Dominus.
Eliezer, Dei adjutorium.
Elimelech, Deus meus rex.
Elisabeth, Deus juramenti.
Eliseus, Dei salus, Deus salvans.
Elle haddebarim, Haec sunt verba, sic incipit quintus liber Legis.
Elnathan, Deus dedit.
Emmanuel, Nobiscum Deus.
Emunans, Timens consilium.
Enac, Gigas, Torques.
Encaenia, Renovatio, Dedicatio.
Ennon, Ecce illi.
Enos, Homo, vel Vir.
Ephraim, Frugifer, Crescens.

Ephraim, Hebraice Ephra, id est, pulverulenta, sive Plumbea, 2. Regum 13. 7.
Ephrata, Ubertas, sive Frugifera.
Ephron, Pulvis.
Esau, Faciens, Operans.
Esdras, Adjutor, Atrium.
Esther, Occulta, Abscondita.
Etam, Avis eorum.
Etham, Fortitudo eorum.
Eubulus, Prudens.
Ezechias, Fortitudo Domini.
Ezechiel, Fortitudo Dei.
Ezriel, Auxilium Dei.

G

Gabaa, Collis.
Gabriel, Vir Deus, aut Dei.
Gad, Felix, Accinctus.
Gadgad, Felicitas felicitatis, Accinctus exercitus.
Galaad, Abjectio.
Galaad, Acervus testimonii.
Galatae, Lactantes.
Galgal, Rota, Revolutio.
Galilaea, Volubilis.
Gazer, Praecisio.
Gazophylacium, Ubi thesauri templi servabantur.
Gabal, Terminus.
Gedeon, Conterens.
Gehenna, Vallis tristitiae.
Gehennom, Vallis contristans.
Gelboe, Revolutio investigationis.
Gersom, Advena ibi.
Gerson, Exilium ejus.
Gibli, Termini.
Gihon, Pectus, Exitus.
Gog, Tectum.
Golgotha, Calvaria, ubi capita mortuorum reponuntur.
Goliath, Transmigratio.
Gomor, Genus mensurae.
Gomorrha, Populus rebellis.
Graeci, Hebraice Jevanim, id est, Deceptores.

H

Habacuc, Luctator.
Hananias, Gratia Domini.
Haram, Destructus.
Havoth-jair, Oppida illuminationis.
Hebal, Acervus vetustatis.
Heber, Socius, Particeps, per heth in principio.
Heber, per ain, Transitus.
Hebraus, Transiens.
Hebron, Societas.
Heli, Oblatio.
Heliopolis, Hebraice On, id est, Dolor.
Henoch, Dedicatus.
Hermon, Destructio.
Hesron, Sagitta exultationis.
Heva, Viva, Vivens.
Hierapolis, Sacra civitas.
Hieronymus, Sacrum nomen.
Holofernes, Fortis dux.
Hor, Mons.
Horeb, Desertum.
Horma, Destructio.
Hur, Libertas.
Hus, Consilium.
Hymenaeus, Carmen nuptiale.

I

Jabel, Defluens.
Jabes, Siccitas, per sin in fine.
Jabes, Tristitia, per sade in fine.
Jacob, Supplantator.
Jahel, Ascendens, Damula.
Jahiel, Vivit Deus.
Jairus, Illuminans.
Jamin, Dextera, vel Dexter.
Japheth, Dilatatus.
Jason, Sanans.

Javan, Diripiens.
Ichabod, Ubi gloria, Væ gloriæ.
Idumæa, Rufa, Terrena.
Jebus, Conculcatio.
Jechonias, Præparatio Domini.
Jehu, Ipse, Existens.
Jehus, Tinea Corrosus, per sin.
Jehus, 1. Paral. 8. 10. Consilians, per sade.
Jemini, Dextera, vel Dexter.
Jephthe, Aperiens.
Jerameel, Misericordia Domini.
Jeremias, Celsitudo Domini.
Jericho, Luna, Mensis.
Jerobaal, Impugnans Idolum.
Jeroboam, Impugnans populum.
Jerosolyma, Visio pacis, Visio perfecta.
Jerusalem, idem.
Jesse, Ens, Existens.
Jesboch, Est vacuus.
Jesus, Hebraice, Jehosua, Dominus salvator.
Jethro, Excellens.
Jezonias, Auscultatio Domini.
Jezrahel, Semen Dei.
Indus, id est, de India, Hebraice dicitur Hodu, id est Laudatio.
India, Job 28. 16. Hebraice Ophir, id est Cinis.
Joab, Paternitas, Habens Patrem.
Joachaz, Domini apprehensio.
Joachaz, 2. Par. 34. 8. Apprehendens.
Joachin, Domini præparatio.
Joacim, Domini resurrectio.
Joas, Diffidens, Desperans.
Joas, Domini ignis, 4. Regum 11. 21. Hebr. Jehoas.
Joas, 1. Par. 7. 8. & 27. 28. Tinea corrosus, per sin.
Job, Dolens, Gemens.
Joel, Volens, Incipiens.
Johanan, Gratiosus, Pius, Misericors.
Johannes, Idem.
Jonas, Columba.
Jonadab, Spontaneus.
Jonathan, Domini donum, filius Saul.
Joram, Excelsus.
Jordanis, Fluvius judicii.
Josaphat, Dominus judex.
Joseph, Augmentum.
Joseph, Psal. 80. 2. Domini augmentum Hebr. Jehoseph.
Josias, Ignis Domini.
Josue, Dominus salvator.
Isaac, Risus.
Isai, Munus, aut Ens.
Isai, 1. Par. 2. 13. Vir meus.
Isaias, Domini salus.
Isboseth, Vir confusionis.
Iscariotes, Vir occisionis.
Ismael, Exauditio Dei.
Israel, Prævalens Deo.
Issachar, Est merces, Præmium.
Ithamar, Insula palmæ.
Jubilæus, Buccina.
Judas, Laudatio.
Julius, Lanuginosus.

L

Laban, Albus, Candidus.
Lamech, Pauper, Humiliatus.
Lapidoth, Fulgura.
Lazarus. Dei adjutorium.
Lechi. Maxilla.
Leci, Lex.
Levi, Copulatus.
Leviathan, Copulatio, Societas sua.
Lia, Laboriosa, Fatigata.
Libanus, Candidus,
Libya. Hebraice Lubim, Cor maris.
Lithostrotos, Lapidibus stratus.
Lot, Involutus, Colligatus.

M

Maacha, Attrita.
Maasias, Opus Domini.
Maceda, Incendium.
Madian, Judicium, Litigans.
Magdalena, Magnifica.
Magi, Sapientes, vel Philosophi.
Malachias, Nuncius meus.
Malaleel, Laudans Deum.
Malchus, Rex.
Mammona, Pecunia, Divitiæ.
Mamzer, De scorto natus.
Manahem, Consolator.
Manasses, Oblitus, Oblivio.
Manue, Requies.
Mara, Amara.
Mardochai, Amara contritio.
Maria, Exaltata, Amaritudinis mare.
Martha, provocans.
Massa, Onus.
Masphia, Specula.
Mathusael, Mortem suam postulans.
Matthæus, Donatus.
Melchias, Rex dominus.
Melchisedech, Rex justitiæ.
Melchisua, Rex salvator.
Mesollam, Pacificus.
Mesopotamia, Regio sic dicta, quod duobus fluviis Euphrate & Tigre ambiatur.
Micha, Pauper.
Michael, Quis sicut Deus?
Michæas, idem.
Michol, Quis omnia?
Miphiboseth, De ore ignominia.
Misael, Quis postulatus?
Misle, Proverbia, nomen libri.
Misphat, Judicium.
Mna, Libra, Talentum.
Moab, De patre.
Moria, Amaritudo.
Mola, Azymum, per sade.
Mosa, 1. Par. 8. 9. Onus.
Moyses, Attractus (sub. de aquis.)
Mysia, Scelesta.

N

Naaman. Pulcher.
Nabal, stultus.
Nabo, Loquela, Prophetia.
Naboth, idem.
Nabuchodonosor, Planctus judicii.
Nachor, Raucus, Aridus.
Nadab, Spontaneus.
Nahasson, Coluber, Serpens.
Nahum, Consolator.
Naim, Pulcher.
Nathan, Donatus.
Nathanael, Donum Dei.
Nazaræi, Separati, Sanctificati.
Nazareth, Sanctificata, separata. Si autem per sade scribatur, Custodita, vel Florida interpretatur.
Neapolis, Nova civitas.
Nehemias, Consolatio.
Nehestan, Æneum.
Nemrod, Rebellis.
Nephthali, Æquiparatio.
Ninive, Pulcra.
Noe, Cessatio, Requies.
Noema, Decora.

O

Obadias, Servus Domini.
Obed, Servus.
Obed-edom, Servus hominis.
Ochozias, Apprehensio.
Odollam, Testimonium illis.
Og, Subcinericius panis.
Ola, Elevatio, Holocaustum.
Onam, Dolor.
Onan, Dolor, iniquitas.
Onesimus, Utilis.
Oolla, Tabernaculum.
Ophni, Pugnus, Pugillus.
Oreb, Corvus.
Osee, Salvator.
Oza, Fortitudo.
Ozias, Fortitudo Domini.
Oziel, Fortitudo Dei.

P

Palæstina, Conspersa (sub. cinere.)
Paracletus, Consolator, Advocatus.
Parasceve, Præparatio.
Pascha, transitus.
Pentateuchus, Quinque volumina.
Pentecoste, Quinquagesima (sub. dies.)
Petrus, Saxum, Petra.
Phacee, Aperiens.
Phanuel, Videns Deum.
Pharao, dissipans.
Phares, Divisio, filius Judæ.
Phares, per sin, 1. Paral. 7. 16. Eques.
Pharisæi, Divisi.
Phase, Transitus.
Phasga, Collis.
Philisthæa, Conspersa cinere.
Phinees, Facies confidentiæ.
Phogor. Hiatus.
Phul, Aphrica.
Pigmæi, Hebraice dicuntur Gamadim.
Probatica, Ovina, locus ubi pecora sacrificanda tenebantur.
Proselytus, Advena, Peregrinus.

R

Raab, Psal. 86. 4. Superba, Fortis.
Rabba, Multa, Grandis,
Rachel, Ovis.
Raguel, Pastor Dei.
Rahab, Lata, Dilatata.
Ram, Excelsus.
Ramesses, Tonitruum, Tineæ.
Raphael, Medicina Dei.
Raphaim, Gigantes, Medici.
Rebecca, Saginata.
Rebla, Reblata, Rixa.
Rechab, Quadriga.
Remmon, Malum granatum.
Respha, Extensio.
Roboam, Dilatans populum.
Roma, Excelsa, Sublimis.
Ruben, Videns filium.
Ruma, Excelsa.
Ruth, Saturata.

S

Saaph, Cogitans.
Saba, per sin, Conversio, Captivitas.
Saba, per samech, Circuitio.
Sabaoth, Exercitus, in plurali.
Sabata, Circuitus.
Sabbatismus requies, Cessatio.
Sabbatum, idem.
Sadducæi, Justi.
Sadoc, Justus.
Sale, Missio.
Salem, vel Sallem, Pax.
Salmanasar, Pax ligata.
Salmon, Pacificus.
Salomith, idem, f. g.
Salomon Pacificus.
Salphaad, Umbra formidinis.
Samaria, Custodia, Adamas.
Samson, Sol ejus, Nominis iteratio.
Samuel, Positus a Deo.
Saphan, Hericius, Cuniculus.
Saphat, Judicans.
Sara, per he in fine, Domina, uxor Abrahæ.
Sara, Per heth in fine, Odorans, Domina odoris.
Sarai, Domina mea.
Sarephtha, Angustia Buccellæ.
Saron, sive Sarona, Planities.
Satan, Adversarius.
Saul, Postulatus, Commodatus.
Saul, 1. Reg. 9. 2. Hebraice Sual, Vulpes.
Scenopegia, Festum tabernaculorum.
Schibboleth, Spica.
Sedecias, Justus Domini.
Segor, Parva.
Sehon, Eradicatio.
Sela, Dissolvens, filius Judæ.
Sellum, Pacificus.

Sellum, Manens.
Sem, Nomen, Fama, Positus.
Semei, Obediens.
Semei, 1. Par. 3. 28. Nomen meum.
Sennacherib, Rubus destructionis.
Seon, Sonitus.
Sepharvaim, Libri, vel Scribæ.
Sephora, Pulcra, aut Tuba, Exod. 1. 15. per fin.
Sephora, Exod. 2. 21. Avis Passer, uxor Moysi.
Seth, Positus.
Setim, Expansiones.
Siba, Exercitus, Militia.
Sibboleth, Onus.
Sicera, Ebrietas.
Sichem, Humerus.
Sihor, Niger, Turbidus, Nilus.
Siloe, Missus, Mittens.
Simeon, Audiens, Exauditio.
Simon, Obediens.
Sin, Rubus, Exod. 16. 1. per Samech.
Sin per fade, Arma, Scutum.
Sion, Acervus, 2. Reg. 5. 7.
Sion, Deut. 4. 48. Strepitus.
Sisara, Hirundinem videns.
Sodoma, Secretum eorum.
Somer, Custos.
Sophtin, Judices.
Sorec, Vinea.
Stephanus, Coronatus.
Sulamitis, Pacifica, perfecta.
Sunamitis, Dormiens.
Susanna, Lilium, Rosa.

T

Tarsis, Alata, Pennata.
Thabor, Electio, puritas.
Thaddæus, Laudans.
Thamar, Palma, Dactylus.
Thare, Odorans, Spirans.
Tharsis, Contemplatio gaudii.
Thau, Signum.
Tecua, Spes, Funiculus.
Theraphim, Simulacra.
Thomas, Abyssus, Geminus.
Thopheth, Tympanum, Seductio.
Timæus, Cæcus, Cæcitas.
Timotheus, honor Dei.
Titus, Honorabilis.
Tobias, Bonus dominus.
Tubalcain, Mundana possessio.
Tyrii, Hebraice Sorim, id est, Tribulantes.

V

Vaicra, Et vocavit. Liber Levitici.
Vajedabber, Et locutus est. Liber Numerorum.
Vasthi, Potans, Bibens.
Veelle semoth, Et hæc sunt nomina. Secundus liber Legis, qui Exodus Græce vocatur.
Ur, Ignis.
Urias, Ignis Domini.

Z

Zabad, Dos, Dotatus.
Zabdi, idem.
Zabulon, Habitaculum.
Zachæus, Purus.
Zacharias Memoria Domini.
Zambri, Cantans.
Zara, Oriens.
Zebedæus, Dos, Dotatus.
Zebee, Victima.
Zelotes, Æmulator.
Zelpha, Distillatio oris.
Zorobabel, Alienus a confusione.

INDEX BIBLICUS,

QUI RES EAS,

DE QUIBUS IN SACRIS BIBLIIS AGITUR,

Ad certa Capita, alphabeti ordine digesta, revocatas summa brevitate complectitur.

IN hoc Bibliorum Indice, Candide Lector, primus numerus libri caput denotat; proxime deinde sequentes usque ad hoc signum, † vel (si hoc signum non adsit) ad proximam usque sequentis libri citationem, sunt versuum in eodem capite signatorum notæ. Exempli gratia, in voce AARON, *Exod.* 4. 14. 16. 30. † 5. 1. † 6. 13. † 7. 1. 2. *legendum est: Exodi cap.* 4. *vers.* 14. *vers.* 16. *& vers.* 30. *Item cap.* 5. *vers.* 1. *cap.* 6. *vers.* 13. *cap.* 7. *vers.* 1. *&* 2. *Cum autem asteriscus, seu stella in hunc modum (Levit.* 8. *) numero apponitur, indicium est, rem, de qua agitur, per plures versus in eo capite tractari: vel significat locum illum esse inter reliqua diligentius notandum. Porro si quod quæris, in versu hic notato contingat non adeo perspicue inveniri, tum aliquot ex propinquis versibus antecedentibus, vel sequentibus tibi erunt perlustrandi. In librorum nominibus ad faciliorem, & certiorem distinctionem id observatum est, ut Eccles. Ecclesiasten, Eccli. vero Ecclesiasticum notet.*

A

AARON adjungitur fratri suo Moysi socius, Exod. 4. 14. 16. 30. † 5. 1. † 6. 13. † 7. 1. 2. Mich. 6. 4. Fuit pronepos Levi, Exod. 6. 16. 18. 20. peculiari ritu consecratur cum suis filiis ad ministerium sacerdotii, Levit. 8. † Num. 3. 10. Deuter. 18. 5. Hebr. 5. 4. sicut Dominus præscripserat, Exod. 29. * † 40. 12. Aaronis, & filiorum sacerdotalis ornatus, Exod. 28. * Aaronis sacerdotis auctoritatem, qui noluerunt agnoscere, inusitato genere mortis intereunt, Num. 16. 3. 11. 30. 1. Aaron insigni miraculo ostenditur præ ceteris a Deo in Sacerdotem summum electus, Num. 17. 5. 8. post oblationem factam benedicit extensa manu populo, Levit. 9. 20. jure perpetuo accipit pro officio sacerdotali oblationes & primitias a populo, Num. 18. 8. 9. 11. 12. * & a Levitis decimas decimarum, Num. 18. 28. 8. moritur, Num. 20. 29. † 33. 38. Deut. 10. 6. † 32. 50. succedit ei in summo Sacerdotio Eleazar, Num. 20. 28. Deut. 10. 6. Aaronis laus, Eccli. 45. 7. 8. 9. *

ABARIM mons, unde moriturus jam Moyses terram Chanaan prospexit, Num. 21. 11. † 27. 12. † 33. 41. * Deuter. 32. 49.

ABBA Pater, Marc. 14. 36. * Roman. 8. 15. Galat. 4. 6.

ABDEMELECH propugnator, & patronus Jeremiæ, Jerem. 38. 7. liberatur a gladio Chaldæorum, Jer. 39. 16. 17. 18.

ABDENAGO appellatur Azarias, Dan. 1. 7. mittitur in fornacem ardentem, Dan. 3. 21.

ABDIAS abscondit, & alit prophetas Domini, 3. Reg. 18. 4. 13.

ABDON Judex in Israel, Jud. 12. 13.

ABEL occiditur a fratre Cain, Gen. 4. 8. 1. Joann. 3. 12. de eodem lege Matth. 23. 35. Lucæ 11. 51. Hebr. 11. 4. † 24. 12.

ABIA, ABIAM, vel ABIAS filius Roboam, Rex Juda, 3. Regum 14. 31. † 15. 1. 2. Paralip. 13. 2. 4. 15. 17. * relinquit Asa regni successorem, 3. Reg. 15. 8. Matth. 1. 7.

ABIATHAR sacerdos effugit manus Saulis, 1. Reg. 22. 20. confugit ad Davidem in Ceilam, 23. 6. cum Adonia se conjungit, 3. Reg. 1. 7. amovetur sacerdotio, 2. 27. juxta illud 1. Reg. 2. 30. 32.

ABIDAN dux Benjamin, Num. 1. 11.

ABIGAIL, uxor impii Nabal, 1. Reg. 25. 3. nubit Davidi regi post mortem Nabal, 25. 42.

ABIMELECH rex Geraris aufert Abrahæ Saram, Genes. 20. 2. init pactum cum Abraham, 21. 23. 32. init pactum cum Isaac, 26. 31.

ABIMELECH filius Gedeonis, Jud. 8. 31. occidit 70. suos fratres, & ictu lapidis molaris interficitur, 9. 5. 53. * 2. Reg. 11. 21.

ABIRON effert se contra Moysen, unde & terra dehiscens eum absorbet, Num. 16. * † 26. 10. Deuter. 11. 6. Psalm. 105. 7. Eccli. 45. 22.

ABISAG Sunamitis ducitur ad regem David, 3. Reg. 1. 3. petitur ab Adonia in uxorem, 2. 17.

ABISAI filius Sarujæ, sororis Davidis, 2. Reg. 1. 18. † 16. 9. † 19. 21. † 20. 6. † 23. 18.

ABIU & Nadab filii Aaron igne absumuntur, Lev. 10. 2. † 16. 1. Num. 3. 4. † 26. 61.

ABIUD filius Zorobabel, Matth. 1. 13. appellatur Hanania, 1. Paral. 3. 19.

ABNEGATIO sui ipsius, Genes. 12. 4. † 22. 1. 9. Deuteronom. 33. 9. 3. Regum 19. 19. 2. Machab. 6. 19. 23. Matth. 4. 19. † 5. 29. † 10. 39. † 16. 24. † 19. 21. Marc. 0. 21. Luc. 9. 23. † 14. 26. † 17. 33. Joann. 12. 25.

Abnegatio omnium rerum, Genes. 12. 1. Deut. 33. 9. Ruth 2. 2. Paral. 25. 9. 11. Matth. 4. 19. † 19. 21. 27. Marc. 1. 18. † 10. 28. Luc. 5. 11. † 14. 26. † 18. 22. 1. Cor. 7. 29. Joann. 12. 25. Philip. 3. 7.

ABNER præfectus militum Saulis creat Isboseth regem Israel, 2. Reg. 2. 8. paciscitur cum David, 3. 12. occiditur a Joab, 3. Reg. 27.

ABRA ancilla Judith, Judith 8. 32. † 10. 2. libertate donatur, 16. 28.

ABRAM filius Thare habet Sarai uxorem, Gen. 11. 29. egreditur ex patria in terram Chanaan præcipiente Domino, 12. 4. proficiscitur in Ægyptum, 12. 10. redit inde in Chanaan, 13. 1. liberat Lot fratrem suum ex manibus hostium, 14. 14. accipit promissionem seminis, 15. 4. † 17. 16. 18. 10. concumbit cum Agar, 16. 4. accipit promissionem seminis & signum fœderis, appellaturque Abraham, 17. 5. orat pro Sodomitis, 18. 23. 28. 32. Isaac ei nascitur, 21. 2. paratus est offerre Isaac, 22. 9. mittit servum, qui quærat uxorem filio suo Isaac, 24. 4. moritur, 25. 8. commendatur, Eccli. 44. 20. appellatur pater multarum gentium, & omnium credentium, Gen. 17. 5. Is. 51. 2. Matth. 3. 9. Luc. 19. 9. Joann. 8. 39. Rom. 4. 11. 17. 18. † 9. 7. Galat. 3. 8. De ipso & ejus semine vide Jos. 24. 3. Is. 41. 8. † 51. 2. Ezech. 33. 24. 2. Esdr. 9. 7. Matth. 8. 11. Act. 7. 2. 16. Hebr. 11. 17.

ABRAHÆ filii qui dicantur, Joann. 8. 33. Rom. 9. 7. Gal. 3. 7.

ABSALOM filius David, 2. Regum 3. 3. occidit suum fratrem, & fugit ad Tholomai regem Gessur, 13. 37. revocatur, 14. 21. 23. conatur patris occupare regnum, 15. 6. concumbit cum patris concubinis, 16. 22. juxta prophetiam, 12. 11. tribus hastis transfigitur a Joab, 18. 14.

ABSTINENTIA a quibuſdam cibis, Geneſ. 1. 29. 30. † 2. 17. † 3. 11. † 9. 4. Exod. 12. 9. * † 13. 6. † 21. 18. † 22. 31. † 29. 33. Levit. 6. 24. † 7. 18. * † 11. 4. * † 17. 27. * † 19. 7. * 22. 8. * † 23. 14. Num. 6. 4. † 18. 10. Deut. 12. 16. † 14. 3. * Tob. 1. 12. Judith 11. 2. Dan. 1. 8. 2. Mach. 7. 1. Matth. 12. 4. Marc. 2. 23. Luc. 6. 1. Act. 15. 29.

Abſtinentia a vino, Lev. 10. 8. † 11. 34. Num. 6. 3. Jud. 13. 4. 14. Jerem. 35. 6. Ezech. 44. 21. Luc. 1. 15.

Abſtinendum a cibo & potu etiam licito propter ſcandalum alterius, 2. Mach. 6. 21. Rom. 14. 20. 21. 1. Corinth. 8. 13.

Abſtinentiæ præceptum violare nolentes, Jer. 35. 6. * 2. Machab. 6. 19. * † 7. 2. *

ABUSUS veſtium, Iſa. 3. 18. Ezech. 7. 20. Eſther 14. 26. Matth. 11. 8. Marc. 12. 38. Luc. 7. 25. † 16. 19. † 20. 45. 1. Tim. 2. 9. 1. Petr. 3. 3.

ACCEPTIO perſonarum, vide Perſona.

ACCEPTIO munerum, Exod. 23. 8. Num. 35. 31. Deut. 10. 17. † 16. 19. † 27. 25. 1. Paralip. 19. 7. Job 15. 34. † 36. 18. Prov. 14. 22. † 15. 27. † 17. 13. † 19. 6. † 21. 9. † 28. 21. Eccli. 4. 35. † 7. 6. † 20. 31. Iſ. 1. 23. † 5. 23. † 33. 15. Judæ 16.

ACEDIA, 2. Reg. 11. * Prov. 6. 6. † 10. 4. 26. † 12. 21. † 13. 4. † 18. 8. † 19. 15. 24. † 20. 4. 13. † 21. 25. † 24. 30. † 26. 13. † 28. 19. Ezech. 16. 49. Eccli. 33. 26. Rom. 12. 11.

ACHAB impius rex Iſrael, 3. Reg. 16. 29. 30. † 18. * vincit Syrios, 20. 20. 29. init fœdus cum Benadad rege Syriæ, 20. 34. exercet tyrannidem in Naboth, 3. Reg. 21. 2. trajicitur telo, & ſanguinem ejus canes lambunt, 22. 38. ſecundum verba Eliæ, 21. 19. filii ejus pereunt. 4. Reg. 10. 7. 11. ſecundum illud, 3. Reg. 21. 21. 4. Reg. 9. 7.

ACHAJA, Act. 18. 12. 27. † 19. 21. Rom. 15. 26. 1. Cor. 16. 15. 2. ad Cor. 1. 1. † 9. 2. † 11. 10. 1. ad Theſſ. 1. 7.

ACHAN lapidatur, Joſ. 7. 25. 1. Paralip. 2. 7. in valle Achor, Joſ. 7. 24. † 15. 7. Iſaiæ 65. 10. Oſee 2. 15.

ACAZ filius Joathan impius rex Juda, 4. Reg. 16. * 2. Paral. 28. * Iſai. 7. * Matth. 1. 9. appellatur Eliezer, Luc. 3. 29. Ezechias filius in regnum patri ſuccedit, 2. Paralip. 28. 27. Matth. 1. 10.

ACHIAS filius Achitob, ſacerdos Domini, 1. Reg. 14. 3. 18. appellatur Achimelech, 21. 1.

ACHIMELECH ſacerdos dat Davidi panes propoſitionis, 1. Reg. 21. 6. & gladium Goliath, 21. 9. transfigitur, 22. 18. appellatur Abias, 14. 3. vocatur Abjathar, Marc. 2. 26.

ACHIOR dux Ammonitarum, Judith 5. 5. traditur in manus filiorum Iſrael, 6. 7. fit Judæus, 14. 6.

ACHIS rex Geth donat Davidi civitatem Siceleg, 1. Reg. 27. 6.

ACHITOPHEL Davidi a conſiliis adhæret Abſaloni, 2. Reg. 15. 12. dat impium conſilium, 16. 21. ſuſpendit ſe, 17. 23.

ADAM creatur, Gen. 1. 27. collocatur in paradiſo, & ligni ſcientiæ uſus ei interdicitur. 2. 15. perſuaſione Evæ præceptum violat, & paradiſo pellitur, 3. 6. 23. Oſee 6. 7. moritur, Gen. 5. 5. Rom. 5. 14. 1. Cor. 15. 22.

ADHORTARI ad bonum, Gen. 13. 8. † 45. 24. Joſ. 22. 5. 2. Paral. 30. 6. † 32. 7. 2. Eſdr. 5. 6. 9. Act. 11. 23. † 14. 21. † 20. 17. * 1. Theſſ. 5. 11. Tit. 2. * † 3. 1. Hebr. 3. 12.

ADONIAS affectat regnum Patris ſui, 3. Regum 1. 5. uxorem petit Abiſag, & occiditur, 2. 17. 25. 34.

ADONIBEZEC capitur, Jud. 1. 6.

ADORATIO Angelis, & hominibus tributa, Gen. 18. 2. † 19. 1. † 23. 12. † 27. 29. † 33. 3. * † 42. 6. † 41. 26. Exod. 18. 7. Num. 22. 31. 1. Reg. 20. 41. † 25. 23. † 28. 14. 2. Reg. 9. 6. † 14. 3. * 3. Reg. 1. 16. 23. Judith 10. 20. Eſther 3. 2. Dan. 2. 46. Act. 10. 25.

ADRAMELECH idolum, 4. Reg. 17. 31.

Adramelech filius ſubſidio fratris ſui Saraſar occidit patrem Sennacherib, 4. Reg. 19. 37. Iſai. 37. 38.

ADVENTUS Domini expectandus, Matth. 24. 42. † 25. 13. † 26. 40. Marc. 13. 33. Luc. 12. 40. † 21. 34. Rom. 13. 12. Epheſ. 6. 18. Coloſſ. 4. 2. 1. Theſſ. 5. 6. 1. Petr. 4. 7. † 5. 8. Apoc. 3. 3. † 16. 15.

ADULTERIUM, luxuria, & fornicatio, Geneſ. 6. 2. † 19. 5. 31. 33. * † 38. 15. Exod. 22. 16. Lev. 18. * † 19. 29. † 20. 13. † 21. 9. Num. 25. 1. 6. Deut. 22. 13. 22. 23. † 23. 17. Jud. 19. 2. 25. 1. Reg. 2. 22. Tob. 4. 13. Prov. 2. 16. † 5. * † 7. 10. * † 22. 14. † 23. 27. † 29. 3. Eccl. 7. 27. Eccli. 23. 25. * † 25. 4. Ezech. 22. 10. Act. 25. 20. Rom. 1. 26. 1. Cor. 5. 1. † 6. 9. 15. † 10. 8. Eph. 5. 5. Coloſ. 3. 5. 1. Theſſ. 4. 3. 1. Tim. 1. 10. Hebr. 13. 4.

Adulterium carnale, & ſpirituale prohibetur, committitur, & punitur, Gen. 20. 2. † 26. 7. Exod. 20. 15. Lev. 18. 8. † 20. 10. Num. 5. 13. Deut. 5. 18. † 22. 22. 30. 5. 7. † 13. 16. Oſee 2. 4. † 42 Sap. 3. 16. Jud. 19. 2. 2. Reg. 11. 2. 4. † 12. 1. 9. Job 24. 15. † 31 1. 9. Pſ. 72. 27. Prov. 5. 3. 8. 22. † 6. 24. 32. † 7. * Iſai. 57. 1. Jerem. 2. 36. † 3. 1. † 5. 7. † 13. 26. Oſee, 2. 4. † 4. 2. Sap. 3. 16. Matth. 5. 27. † 14. 3. † 19. 9. Joann. 8. 3. 1. 1. Cor. 6. 10. 1. Theſſ. 4. 3. Hebr. 13. 4. Jacob 4. 4.

ADURAM, ſuper tributa, ſeu quæſtor ærarius Davidi, 2. Reg. 20. 24. poſtea a tributis ipſi Roboam, lapidatur, 3. Reg. 12. 18.

ÆGYPTIACA captivitas prædicitur, Gen. 15. 13. incipit, Exod. 1. 8. 13. Act. 7. 18.

De Ægypto exitus, & liberatio Iſraelis promittitur, Gen. 15. 16. † 48. 21. † 50. 24. Exod. 3. 17. † 6. 6. adimpletur, & exeunt viri 600000. Exod. 12. 37. 51. † 13. * 14. * Num. 33. 1. Deut. 16. 1. Oſ. 13. 4. Mich. 6. 4.

In Ægyptum redire improbe flagitat Iſraeliticus populus, Exod. 14. 11. † 16. 3. † 17. 3. Num. 3. 11. 5. † 14. 4. † 20. 3.

Contra Ægyptum prophetatur, Iſaiæ 19. 1. † 11. 18. † 10. 3. Jerem. 43. 20. † 44. 30. † 46. * Ezech. 29. * † 30. * † 31. * † 32. *

Ægyptiaca redemptio frequenter in memoriam revocatur tamquam ſummum beneficium, Exod. 20. 2. Lev. 22. 33. 26. 13. Deut. 4. 37. † 5. 6. † 7. 8. † 8. 14. † 16. 6. Jud. 2. 1. † 6. 8. 1. Reg. 10. 18. 4. Reg. 17. 7. Mich. 6. 4.

Ægyptus affligitur plagis variis, Exod. 7. * 8. * 9. * 10. * 11. * ut prædixit Dominus, Exod. 3. 19.

Ægyptus expugnatur a rege Babyloniæ, 4. Reg. 24. 7. Jerem. 46. 2.

Ægyptii prodeunt in pugnam contra Judam, 2. Paral. 12. 2.

Ægypto potitur Antiochus, 2. Mach. 1. 17. in Ægyptum fugit Chriſtus Herodem, Matth 2. 13.

ÆGROTATIO, & morbus pœna peccati, Exod. 15. 26. Levit. 26. 16. Num. 12. * Deut. 17. 15. † 28. 27. 60. 2. Reg. 24. 15. 4. Reg. 5. 27. 2. Paral. 21. 18. Joann. 5. 14.

Ægroti viſitandi ſunt, & conſolandi, Gen. 48. 1. 4. Reg. 8. 29. † 13. 14. Job 2. 11. Pſal. 40. 4. Eccl. 7. 3. Eccli. 7. 38. Matth. 25. 37. 40. Joann. 11. 3. † 12. 9. 2. Cor. 1. 4.

Quomodo ſe viri ſancti in morbo, & deceſſu ab hac vita habuerint, Gen. 49. * † 50. 14. Deut. 31. 1. 6. Joſ. 13. * † 23. * † 24. * 1. Reg. 12. * 3. 2. 1. 7. 2. Paral. 32. 21. Tob. 4. * Iſ. 38. 1. 1. Machab. 2. 49. 6. 1.

ÆNEAS ſanatur, Act. 9. 33.

AGABUS imminentem famem prædicit, Act. 11. 28. & Paulo manus injiciendas, 21. 11.

AGAG rex Amalecitarum capitur a rege Saule, 1. Reg. 15. 8. jubente Samuele occiditur, 15. 33. juxta prophetiam, Num. 24. 20.

AGAR ancilla Saræ parit Iſmaelem, Geneſ. 16. 15. expellitur cum filio ſuo, 21. 14. Galat. 4. 30.

Agareni e ſua terra per Rubenitas profligantur, 1. Paralip. 5. 19.

AGGÆUS prophetat Judæis, Agg. 1. 3. 1. Eſdr. 5. * † 6. 14.

AGRIPPA audit Paulum, Act. 26. 2.

AHIAS propheta in Silo ſecat pallium in 12. partes, 3. Reg. 11. 30. mala prædicit uxori Jeroboam, 14. 6. 10. ſcripſit prophetias, 2. Paral. 9. 29.

AHIRA dux Nephthali, Num. 1. 15.

ALCIMUS perjurus Judæus adeptus eſt ſacerdotium, 1. Machab. 7. 5. 2. Machab. 14. 3. 13. periit ſubita morte, 1. Machab. 9. 55. 56.

ALEXANDER rex Græcorum, occiſo Dario regnum ſuum filiis diviſit, 1. Mach. 1. 7. vide Dan. 7. 6. † 8. 8. † 11. 4.

ALPHA & omega, principium, & finis, primus, & noviſſimus eſt Dominus, Iſai. 41. 4. † 44. 6. † 48. 12. Apoc. 1. 8. † 2. 8. † 21. 6. † 22. 13.

ALPHÆUS, pater Jacobi Apoſtoli, Matth. 10. 3. Marc. 3. 18. Luc. 6. 15. Act. 1. 3.

ALTARE holocauſti, Exodi 27. 1. † 38. 1. Num. 7. * 2. Reg. 24. 25. 3. Reg. 12. 32. 4. Reg. 16. 15. 2. Paral. 1. 5. † 4. 1. † 15. 8. 1. Eſdr. 3. 2. Ezech. 43. 13. 1. Mach. 4. 47. 53.

Altare incenſi, Exod. 30. 1. 10. † 37. 25. † 40. 10.

AMALECH filius Eſau naſcitur, Gen. 36. 12. 16. pugnat contra Iſrael, Exod. 17. 8. Num. 14. 43. Jud. 6. 3. cæditur, 7. * 1. Reg. 14. 48. funditus deletur, 1. Reg. 15. 2. 8. juxta verba Exod. 17. 14. Num. 24. 20. Deut. 25. 19.

AMAN poſtquam ad honores fuit evectus, fit lethalis hoſtis Judæorum, Eſther 3. * ſuſpenditur, 7. 10. eodem ſupplicio afficiuntur & decem filii ejus, 9. 13.

AMASA filius Abigail ſororis Davidis, 1. Paral. 2. 17. fit dux militiæ apud Abſalonem, 2. Reg. 17. 25.

Poſt militiæ Davidis præficitur, 19. 13. tandem a Joab per fraudem occiditur, 20. 10. cauſa cædis ponitur, 2. Reg. 19.

AMASIA filius Joas recenſet populum, 4. Paralip. 25. 5. ulciſcitur cædem patris ſui, 4. Reg. 12. 21. † 14. 15. bello devincit Idumæos, 14. 7. capitur, & occiditur, 14. 13. relinquit ſucceſſorem filium Azariam regem, 15. 1. appellatur Levi, Luc. 3. 29.

AMICI veri, & ficti, Deut. 13. 6. † 33. 9. 2. Reg. 3. 27. † 13. 14. † 15. 19. † 20. 8. Pſ. 40. 10. † 54. 14. Prov. 14. 20. † 18. 24. † 27. 10. 19. Eccli. 6. 7. † 7. 22. † 9. 12. † 12. 14. † 22. 25. † 37. 10. Jerem. 9.

Jerem. 9. 4. † 12. 6. † 41. 1. Dan. 11. 26. Mich. 7. 5. Matth. 10. 35. Luc. 12. 53. Joann. 13. 18. 1. Thess. 2. 14.

AMINADAB filius Aram, Matth. 1. 4. hunc Naasson filius ejus in regno secutus est. Num. 1. 7. † 7. 12. † 10. 14.

AMMON filius Lot, & filiæ ejus, Gen. 19. 38. Ammonitæ prohibentur ab ingressu templi, Deut. 23. 3. 2. Esd. 13. 1. cæduntur ab Israel, Jud. 11. 32. 1. Reg. 11. 11. 2. Reg. 8. 12. † 10. * † 12. 26. adversus Ammon prophetatur, Psal. 82. 8. Jer. 49. 1. Ezech. 21. 20. † 25. 2. Amos 1. 13. Soph. 2. 8.

AMNON filius David opprimit sororem suam Thamar, 2. Reg. 13. 14. unde & ab Absalone fratre suo confoditur, 13. 28.

AMON filius Manasse rex Juda occiditur, 4. Reg. 21. 19. 23. ei in regno succedit filius Josias, 4. Reg. 22. 1.

AMORI filius Chanaan, Genes. 10. 16. Amorrhæi non patiuntur Israelem per suos terminos proficisci, Num. 21. 21. 23. Jud. 11. 19.

AMRI impius rex Israel, 3. Reg. 16. 16. 17. † 21. 23. contra Amri, Mich. 6. 16.

ANAMELECH idolum Sepharvaim, 4. Reg. 17. 31.

ANANIAS prophetat contra Jeremiam, Jer. 28. 1.

Ananias cum uxore Saphira subito moritur, Act. 5. 5. 10.

ANATHOTH civitas Benjamin, Jerem. 32. 7. ubi Jeremias est natus, Jerem. 1. 1. † 29. 27. & sacerdos Abjathar, 3. Reg. 2. 26.

Anathothitæ nolunt Jeremiam audire, Jer. 11. 21.

ANDREAS a Christo vocatur, Matth. 4. 18. Marc. 1. 16. Joann. 1. 42.

ANDRONICUS vicarius Antiochi occiditur, 2. Machab. 4. 38.

ANGELI horumque ministerium, & natura, Gen. 16. 7. * 18. * 19. * 21. 17. † 22. 11. † 24. 7. † 28. 12. † 31. 11. 65. † 32. 24. † 48. 16. Exod. 3. 2. † 13. 21. † 14. 19. † 23. 20. † 32. 34. † 33. 2. Num. 20. 16. † 22. 22. Jos. 5. 13. Jud. 2. 1. † 5. 23. † 6. 11. † 14. 20. † 13. 3. 6. 9. 1. Reg. 29. 9. 2. Reg. 14. 17. † 19. 27. † 24. 16. 3. Reg. 13. 18. † 19. 5. 4. Reg. 1. 3. 15. † 19. 35. 1. Par. 21. 15. 2. Par. 32. 21. Psal. 33. 8. † 90. 11. † 102. 20. † 103. 4. † 148. 2. Isa. 6. 6. † 37. 36. Dan. 3. 49. † 6. 22. † 8. 16. † 9. 21. † 10. 5. † 10. 16. † 12. 1. Zach. 2. 3. † 3. 1. 6. † 4. 1. † 5. 5. 10. † 6. 4. Malach. 2. 7. † 3. 1. Judi. 13. 20. Tob. 5. 27. † 6. * 9. * 12. * Tob. 7. 5. † 8. 3. † 10. 11. † 11. 2. Bar. 6. 6. 2. Mach. 11. 8. Marc. 1. 20. † 2. 13. 19. † 4. 11. † 11. 10. † 13. 39. 49. † 16. 27. † 18. 10. † 22. 23. 30. † 24. 31. † 26. 53. † 28. 2. Marc. 13. 32. Luc. 1. 13. 19. 28. † 2. 9. 15. † 12. 8. † 16. 22. † 22. 43. Joann. 1. 51. † 5. 4. † 20. 12. Act. 1. 10. † 5. 19. † 6. 15. † 7. 30. † 8. 26. † 10. 3. † 11. 13. † 12. 7. † 11. 23. † 23. 9. † 27. 23. Rom. 8. 38. Gal. 1. 8. † 3. 19. † 4. 14. Col. 2. 18. 2. Thess. 1. 7. 1. Tim. 3. 16. † 5. 21. Hebr. 1. * † 2. 2. † 12. 22. † 13. 2. 1. Petr. 1. 12. † 3. 22. 2. Petr. 2. 11. Judæ 9. Apoc. *

Angelorum ruina, Job 4. 18. † 15. 15. Isai. 14. 9. Ezech. 28. 2. 14. 17. Joann. 8. 44. 2. Petr. 2. 4. Jud. 6.

Angelorum nomine appellantur doctores, & prædicatores, Isai. 33. 7. Malach. 2. 7. † 3. 1. Matth. 11. 10. Marc. 1. 2. Lucæ 7. 27. Gal. 4. 14. Apoc. 2. * 3. *

ANIMÆ quorumdam piorum statim post mortem sunt cum Christo, 2. Cor. 5. 8. Phil. 1. 24. Apoc. 14. 13. contra eos, qui putant illas usque in diem judicii quiescere.

ANNA parit prophetam Samuelem, 1. Reg. 1. 20.

Anna prophetissa laudat Dominum Deum, Luc. 2. 35.

ANNAS socer Caiphæ, Lucæ 3. 2. Joann. 18. Act. 4. 6.

ANTICHRISTUS, & ejus regnum, Isai. 11. 4. Ezech. 38. * 39. * Dan. 7. 7. 19. 24. † 8. 9. 23. † 9. 27. † 12. 1. Zach. 11. 15. Matth. 24. 24. Marc. 13. 6. Joann. 5. 43. Act. 20. 29. 2. Thess. 2. 3. 1. Tim. 4. 1. 2. Tim. 3. 2. 2. Petr. 2. * 1. Joann. 2. 18. 22. † 4. 3. 2. Joann. 1. 7. Judæ, 20. Apoc. 11. 7. † 12. 8. † 13. * † 14. 9. † 17. * † 19. 20. 2. 8.

ANTIOCHIA suscipit Apostolorum de Christo prædicationem, Act. 11. 19. 19. 26. † 13. 1.

ANTIOCHUS illustris proficiscitur in Ægyptum, 1. Mach. 1. 18. destruit templum, & subvertit civitatem Jerusalem, 1. Mach. 1. 23. 33. 2. Mach. 5. 16. erigit idolum super altare Domini, 1. Mach. 1. 57. moritur, 6. 16. 2. Mach. 9. *

Antiochus Eupator, filius prædicti Antiochi, fit rex, 1. Mach. 6. 17. cum exercitu tendit in Judæam, 6. 31. non servat Israeli fidem, 6. 62. cæditur, 7. 4.

ANTIQUÆ viæ inquirendæ, & observandæ, & a novis declinandum, Jer. 6. 16. Prov. 22. 28. Eccli. 8. 11. † 39. 1. Rom. 16. 17. Gal. 1. 6. 7. 8. 1. Tim. 6. 20. 2. Tim. 4. 3. 2. Petr. 3. 17. 1. Joann. 2. 24. 2. Joann. v. 7. Judæ v. 18. 19. 20.

APOLLO vir facundus, & Scripturarum peritus, Act. 18. 24. 1. Cor. 1. 12. † 3. 4. † 16. 12.

APOLLONIUS dux in Syria, 1. Mach. 3. 12. † 10. 69.

APOSTOLUS magnus est Christus, Hebr. 3. 1.

Apostoli eliguntur ex discipulis, Luc. 6. 13. mittuntur ad annuntiandum regnum Dei in Judæa, Matth. 10. * Luc. 9. 24. 46. revertuntur, 9. 10. mittuntur in universum mundum ad evangelizandum, Matth. 28. 19. Marc. 16. 15. Lucæ 24. 41. Joann. 15. 16. 27. † 20. 22. Act. 1. 8. † 10. 42.

Apostoli usi sunt membranis, seu libris, 2. Tim. 4. 13. hortantur ad studium legendi, 1. Tim. 4. 13. 15. Opifices autem, qui noctes, & dies aliis occupantur, jubentur non immiscere se Ecclesiasticis rebus, Eccli. 38. 26. 37.

Apostoli & Prophetæ habuerunt spiritum Dei, Exod. 4. 12. 2. Reg. 23. 2. Dan. 9. 10. Zach. 7. 7. Matth. 10. 20. Marc. 13. 11. Joann. 14. 17. Act. 1. 1. † 2. 4. † 4. 31. † 9. 17. † 19. 6. 1. Cor. 2. 12. † 12. 3. 2. Cor. 13. 3. 1. Thess. 4. 8. 2. Tim. 3. 16. 1. Petr. 1. 11. 2. Petr. 1. 21.

APPARITIONES Dei, Angelorum, & hominum, Gen. 32. 24. Exod. 3. * Num. 21. 21. Jos. 5. 13. 1. Reg. 38. 11. Matth. 17. 3. † 28. 2. 9. Marc. 9. 3. † 16. 5. 9. 12. 14. Luc. 9. 30. † 24. 4. 15. 36. Joann. 20. 12. 14. † 19. 26. † 21. 1. Act. 1. 10. † 16. 9. † 18. 9.

AQUA nihil nocumenti, vel impedimenti affert electis Dei, Exod. 14. 22. Psalm. 65. 6. Isaiæ 43. 2. Jonæ 2. 5.

Aqua nominatur persecutio, Psalm. 68. 16. † 143. 7. Prov. 17. 14. Matth. 7. 25. Luc. 6. 48. Apoc. 12. 17.

Aquæ assimilantur cognitio Dei, & dona Spiritus sancti, Isaiæ 11. 9. † 12. 3. † 35. 6. † 43. 20. † 44. 3. Ezech. 47. * Zach. 14. 8. Joann. 4. 10. † 7. 38.

Aqua benedicta: vide Benedictio.

ARAD rex Chananitarum pugnat contra Israel, Num. 21. 1.

ARAM, qui & Ram nominatur, filius Esron, genuit Aminadab, Ruth 4. 19. 1. Paral. 2. 10. Matth. 1. 4. Lucæ 3. 33.

ARAN frater Abraham, & pater Lot, Gen. 11. 27.

ARCA Noe, Gen. 6. 14. † 7. * † 8. * Sap. 10. 4. † 14. 6. Matth. 24. 38. Luc. 17. 27. Hebr. 11. 7. 1. Petr. 3. 20.

Arca fœderis Domini paratur, Exod. 25. 10. 21. assumitur in castra contra Philisthæos, 1. Reg. 4. 5. capitur, 4. 11.

Arca quid continebat, Exod. 16. 34. Deut. 10. 2. † 31. 26. 3. Reg. 8. 2. Paral. 5. 10. Hebr. 9. 4.

ARCHELAUS regnat loco patris sui Herodis, Matth. 2. 22.

ARIOLI, & aruspices, Daniel. 2. 2. 27. † 4. 6. † 5. 7. 11. Act. 19. 13. vide incantatores.

ARISTARCUS socius sancti Pauli & in itinere, & in vinculis, Act. 19. 29. † 20. 4. † 27. 2. Coloss. 4. 10.

ARPHAXAD rex Medorum, a Nabuchodonosor victus, Judith 1. 1. 5. 6.

ARSACES rex Persarum, & Medorum superat Demetrium, 1. Mach. 14. 3.

ARTAXERSES rex Persarum recipit litteras plenas querelis adversus Judæos, 1. Esdr. 4. 7. 17. respondet, jubet ædificationem templi impediri, 4. 21. permittit Israeli ædificare templum, 1. Esdr. 7. *

ASA filius Abiam rex Juda tollit idola, 3. Reg. 15. 8. 12. subsidium quærit a Syris, & moritur, 15. 19. 24. Josaphat filius ejus rex post eum, 1. Paral. 3. 10.

ASAPH cantor Davidis, 1. Paral. 6. 39. † 16. 5.

ASARHADDON, postquam pater ejus Sennacherib confossus est, succedit in regnum, 4. Regum 19. 37. Isaiæ 37. 38.

ASENETH parit ipsi Joseph, Ephraim, & Manassen, Genes. 41. 50. † 46. 20.

ASIA subjicitur Romanorum Imperio, 1. Machab. 8. 6.

ASSUERUS rex Persarum instruit splendidam cœnam, Esther 1. 3. accipit Esther uxorem, 9. 2. 17. relinquit Darium filium suum successorem, Dan. 9. 1.

ASSUR filius Sem filii Noe constituit regnum Assyriorum, Genes. 10. 22. 1. Paral. 1. 17.

Assur virga furoris Domini, Isaiæ 10. 5. contra Assyrios prophetatur, Num. 24. 24. Isaiæ 10. 5. † 14. 21. † 17. 3. † 30. 28. 31. † 31. 8.

Rex Assur expugnat Israelitas, & transfert in Assyriam, 4. Reg. 15. 29. * † 16. * † 17. * expugnat civitates Juda, 4. Reg. 18. * 2. Paral. 32. * Ezech. 36. *

ASSYRIORUM exercitus ab angelo cæditur, 4. Reg. 19. 37. 2. Par. 32. 21. Isaiæ 37. 36. Eccli. 48. 24. 1. Mach. 7. 41. 2. Mach. 8. 19 Tob. 1. 21. Jonæ 2. 5.

ASTAROTH, Jud. 2. 13. † 10. 6. 1. Reg. 7. 3. † 12. 10.

ATHALIA filia Amos regis Israel, 4. Reg. 8. 26. perdit totam fere regiam stirpem, 11. 1. regnat sex annis in Judæa, 2. Par. 22. 12. interimitur, 4. Reg. 11. 16. 20.

ATHENOBIUS mittitur ad Simonem, 1. Machab. 15. 28.

AVARITIA, Jos. 7. 20. 1. Reg. 8. 3. † 25. 3. 10. 3. Reg. 21. 2. 4. Reg. 5. 20. 22. Ps. 36. 16. 21. Prov. 1. 19. † 11. 28. † 12. 27. † 15. 6. 16. 27. † 28. 16. 22. † 30. 15. Eccles. 2. 26. † 4. 8. † 5. 9. † 6. 1. Is. 5. 8. † 56. 11. Jer. 6. 13. † 8. 10 Ezech. 22. 13. Amos 8. 4. Mich. 6. 10. Habac. 2. 9. Eccli. 14. 3. † 31. 3. † 41. 4. 2. Mach. 4. 50. † 10. 20. Matth. 6. 19. † 26. 14. 46. † 27. 3. Marc. 8. 36. Luc. 12. 15. Joann. 12. 4. Act. 5. 1. † 8. 19. † 24. 26.

1. Cor.

2. Cor. 6. 10. Ephes. 5. 3. Philipp. 4. 21. Coloss. 3. 5. 2. Tim. 6. 9. ad Titum 1. 7. 11. Hebr. 13. 5.

AUDIENDUM verbum Dei. Vide Verbum Dei.

AXA filia Caleb traditur Othonieli in uxorem, Jos. 15. 17. Jud. 1. 13.

AZARIAS filius Amasiæ rex Juda fit leprosus, 4. Reg. 15. 5. 2. Paral. 26. 19. relinquit filium Joathan regem, 4. Reg. 15. 32. 2. Paral. 3. 12. appellatur Ozias, 2. Paral. 26. 19. Matth. 1. 9. Mathat, Luc. 3. 29.

Azarias propheta mittitur ad regem Asa, 2. Par. 15. 2.

B

BAAL idolum Samaritanorum, 3. Reg. 16. 31. altare Baal destruitur, Jud. 6. 25. 30. Sacerdotes Baal occiduntur, 3. Reg. 18. 40. 4. Reg. 10. 25. † 23. 5.

BAANA & Rechab suspenduntur, 2. Reg. 4. 12.

BAASA impius rex Israel pugnat contra Asa regem Juda, 3. Reg. 15. 16. * cum omni progenie sua extirpatur, 16. 4. 11. secundum verbum Jehu, 16. 1. 2. 3.

BABYLONICA captivitas 70. annorum prædicitur, Levit. 26. 13. Deuter. 4. 26. † 28. 36. 49. 4. Reg. 20. 17. Isai. 5. 13. 19. Jer. 13. 19. 24. † 16. 9. † 20. 4. 6. † 25. 8. Ezech. 7. * 12. * 22. 5. Mich. 3. 12. † 4. 10. Habac. 1. 6. Baruch 6. 1.

Babylonicæ captivitatis initium, 2. Reg. 24. * 25. * 2. Paralip. 35. * 3. Esdr. 2. 40. 51.

Finis captivitatis promittitur, & prophetatur, Levit. 26. 41. 1. Deut. 4. 29. † 30. 3. Reg. 8. 33. 2. Paralip. 6. 24. 37. Isai. 14. 1. † 40. 1. † 48. 20. Jer. 2. 15. † 16. 15. † 24. 5. † 25. 12. † 29. 10. † 30. * † 31. 9. † 32. 37. † 16. 27. Ezech. 11. 17. Deut. 2. 25. Baruch 6. 2. Liberatio fit, 1. Esdr. 1. * 2. * 3. Esdr. 2. 1.

Babylonicæ captivitatis caussa, 4. Reg. 17. 7. 13. 18. contra Babylonem, Psalm. 36. 8. Isai. 13. * † 14. 2. 4. † 21. 2. 9. † 47. * Jerem. 25. 12. † 50. * 51. * Baruch 4. 27. Apoc. 14. 8. † 16. 19. † 17. * 18. *

BACCHIDES dux Demetrii, 1. Machab. 7. 8. occidit Judam ex præcepto Demetrii, 9. 18.

BALAAM conducitur ad maledicendum Israel, Num. 22. * † 23. * docetur a Domino, quid illi loquendum sit, 23. 5. 26. Balaam doctrina, 2. Petr. 2. 15. Apoc. 2. 14.

BALAC rex Moabitarum mittit nuntios ad Balaam, Numer. 22. 5. Josue 24. 9. vide Judic. 11. 25. Michææ 6. 5. Apoc. 2. 14.

BALTHASSAR videt manum scribentem, Daniel 5. 5. occiditur, & regnum ejus delabitur ad manus Darii, 5. 36. † 6. 1.

BANAJAS dux Cerethi, & Phelethi, 2. Reg. 20. 23. Davidi a consiliis, 23. 23. 1. Paralip. 11. 25. Postea præfectus militum Salomonis, 3. Reg. 2. 35.

BAPTISMUS a Christo præceptus, Matth. 28. 19. Marc. 16. 16. Joann. 3. 5.

Baptismum docuerunt Apostoli, & administrarunt, Act. 2. 38. 41. † 8. 12. 36. † 9. 18. † 10. 47. † 16. 15. 33. † 19. 4. † 22. 16. Rom. 6. 3. 1. Cor. 1. 14. Galat. 3. 17. Ephes. 4. 5. Hebr. 6. 2.

Baptismus salvat, 1. Petr. 3. 21. baptismus est lavacrum regenerationis, Tit. 3. 5.

Baptismus tollit omnia peccata, Gen. 17. 14. Is. 44. 3. Ezech. 36. 25. Zachar. 13. 1. Matth. 28. 14. † 28. 19. Marc. 1. 4. † 16. 16. Joann. 1. 33. † 3. 5. Actor. 2. 38. † 8. 12. 38. † 16. 33. † 18. 8. Rom. 6. 3. 4. 5. 6. * 1. Cor. 6. 11. Eph. 5. 26. Coloss. 2. 12. * Tit. 3. 5. * Hebr. 10. 22. 1. Petr. 3. 21.

Baptismus non est iterandus, Ephes. 4. 5. Hebr. 6. 6. † 10. 26. Idem declarat ipsius figura, Genes. 17. 14. 1. Cor. 10. 2.

Baptismus Joannis, Matth. 3. 6. † 21. 25. Marc. 1. 4. † 11. 30. Luc. 3. 16. † 7. 29. † 20. 4. Joann. 1. 25. 33. † 3. 23. Actor. 1. 5. † 11. 16. † 13. 24. † 19. 3.

Baptismus pœnitentiæ prædicatur, Marc. 1. 4. Luc. 3. 3. Actor. 2. 38. † 13. 24. † 19. 3. Rom. 6. 3. Coloss. 2. 12.

Baptismi nomine significatur passio, Matth. 20. 22. Marc. 10. 38. Luc. 12. 50.

Baptismus in Spiritu Sancto & igne, Matth. 3. 11. Marc. 1. 8. Luc. 3. 16. Joann. 1. 33. Actor. 1. 5. † 2. 4. † 11. 15.

BAPTIZANDI sunt parvuli, Gen. 17. 14. Exod. 4. 24. 25. 26. Matth. 11. 28. † 18. 14. † 19. 13. Marc. 10. 14. Luc. 18. 15. Joann. 3. 5. Actor. 2. 39. 41. † 16. 15. 33. † 18. 8. 1. Cor. 1. 16. † 10. 2. † 15. 22. 1. Tim. 2. 4.

Baptizari in Scripturis aliquando exprimitur per verbum Illuminari, Hebr. 6. 4. aliquando per Renovari, Hebr. 6. 6.

Baptizatur Christus, Matth. 3. 15. Marc. 1. 9. Luc. 3. 21. in baptizatum delabitur Spiritus Sanctus, Matth. 3. 16. Marc. 11. 8. Luc. 3. 21. Joann. 1. 33.

Baptizat Christus per discipulos, Joann. 3. 22. † 4. 2.

Baptizata integra domus, 1. Cor. 1. 16. Actor. 16. 15. 33. † 18. 8. † 16. 33.

Baptizati accipiunt Spiritum Sanctum, Actor. 2. 38. † 19. 3. induunt Christum, Galat. 3. 27. in morte ipsius baptizantur, Roman. 6. 3. in unum corpus baptizantur, 1. Cor. 12. 13. 27.

Baptizatus Simon Magus, Actor. 8. 13.

Baptizatus Eunuchus, Actor. 8. 38.

Baptizatus Cornelius gentilis, Actor. 10. 47.

BARABBAS, latro dimittitur, Matth. 27. 26. Marc. 15. 15. Luc. 23. 25. Joann. 18. 40. Actor. 3. 14.

BARJESU a Deo per Paulum usu oculorum privatur, Actor. 13. 11.

BARNABAS ponit pretium agri ante pedes Apostolorum, Actor. 4. 37. ducit Paulum ad Apostolos, 9. 27. mittitur Antiochiam, 11. 22. redit in Jerusalem, 11. 30. iterum recepit se Antiochiam cum Paulo, 12. 25.

BARTIMÆUS visu donatur, Marc. 10. 46. 52.

BARUCH filius Neriæ, Jerem. 32. 12. dictante Jeremia scribit librum, qui comburitur, 36. * conscribit alium, qui populo prælegitur, 45. 1. Baruch. 1. 3.

BARZELAI providet regi David de cibis, 2. Reg. 17. 27. deducit eum usque ad Jordanem, 19. 31. * David præcepit, ut filiis Barzellai benefiat, 3. Reg. 2. 7.

Barzellai, quoniam suæ genealogiæ scripturam demonstrare non poterat, rejicitur a Sacerdotio, 1. Esdr. 2. 61. 2. Esdr. 7. 64.

BASEMATH filia Salomonis, uxor Achimaas, 3. Reg. 4. 15.

BATHUEL filius Nachor pater Rebeccæ, Genes. 22. 23.

BEATITUDO, seu beatorum gaudium, & vita æterna, Sap. 3. 7. † 5. 1. 16. Isaiæ 25. 9. † 30. 29. † 49. 10. † 60. * 64. 2. Jerem. 31. 3. 8. 13. Daniel 12. 13. Matth. 13. 43. † 19. 28. † 25. * Marc. 12. 25. Luc. 9. 33. † 16. 22. † 22. 29. Joann. 16. 20. † 17. 2. 24. Rom. 8. 30. 1. Corinth. 2. 9. † 15. 41. 2. Cor. 12. 3. 2. Timoth. 4. 8. 1. Petr. 1. 4. 8. † 5. 4. Hebr. 10. 35. † 12. 23. Jacob. 1. 12. Apoc. 2. * 3. * 7. 9. 15. † 14. 1. † 21. * 22. *

Beatitudo quomodo comparetur, Isai. 25. 9. Matth. 20. 23. † 25. 34. Marc. 10. 40. Joann. 3. 15. 16. 36. † 5. 24. † 20. 29. Actor. 2. 21. † 15. 11. † 16. 31. Roman. 1. 16. † 10. 4. Ephes. 1. 13. † 2. 6. 1. Thess. 5. 9. 2. Thess. 2. 13. 2. Tim. 1. 9. Tit. 1. 1. † 3. 5. 1. Petr. 1. 9. Hebr. 5. 12.

BELIS, & Draconis historia, Dan. 14. *

BELLUM est pœna peccati, Lev. 26. 24. Deuter. 28. 36. 49. Judic. 2. 13. † 3. 1. 8. † 4. 1. † 6. 1. † 10. 6. † 13. 1. Isaiæ. 5. 25. Jerem. 5. 15.

In belli necessitate quomodo se quis habere debeat, Exod. 17. 8. 12. 1. Reg. 17. 20. * 2. Paralip. 12. 2. 6. † 14. 9. 12. † 18. * 20. 1. † 32. 6. Judith 8. 9. * 1. Machab. 3. 16. 20. † 4. 6. 10. † 7. 41. 45. 2. Machab. 8. 16. 19. Deus pugnat pro suis, Exod. 14. 13. Deut. 1. 30. † 3. 22. 1. Reg. 17. 46. 2. Paral. 20. 15. Psalm. 17. 35. † 143. 1. Isai. 30. 15. Quære Victoria.

Bellandum animis quoque spiritualibus, Rom. 13. 12. 2. Cor. 10. 4. Ephes. 6. 11. Galat. 5. 17.

Bellum quibus de caussis susceperint olim fideles, Genes. 14. 14. Judith 9. 27. † 20. * Josue 10. 1. 7. 1. Reg. 30. 1. 8.

BENEDICTIO, qua homo homini benedicit, Gen. 24. 19. † 27. 4. * † 28. 4. † 48. 9. Exod. 12. 32. 39. 43. Lev. 9. 22. Num. 24. 9. * Deut. 10. 8. † 33. 1. Josue 8. 33. † 14. 13. † 15. 19. † 22. 6. 1. Reg. 2. 20. 2. Reg. 6. 18. † 13. 26. † 14. 22. † 9. 29. 3. Reg. 1. 47. † 8. 14. 4. Reg. 10. 14. 1. Paral. 16. 2. 2. Paralip. 6. 3. Judic. 15. 10. Psalm. 117. 26. † 118. 8. Prov. 27. 14. 1. Machab. 2. 69. Luc. 2. 34. † 6. 28. Rom. 12. 14. Hebr. 7. 2.

Benedictio, qua creaturæ consecrantur & sanctificantur, Exod. 28. 2. † 29. 6. 27. Levit. 21. 10. † 22. 2. † 17. 28. 29. 30. Num. 5. 17. † 31. 6. Josue 6. 24. Jud. 17. 3. 1. Reg. 21. 5. 1. Paral. 18. 11. 3. Esdr. 1. 41. 1. Timoth. 4. 5. * Hebr. 9. 2. 3. Hinc consecratio sacerdotum, vestium, altarium, templorum, ceterorum, aquæ lustralis, & cetera,

BENHADAD servat fidem & pactum cum rege Asa, 3. Reg. 15. 20. obsidet Samariam, 20. 1. 4. Reg. 6. 24. ægrotat, & moritur, 8. 7. 15.

Benhadad filius Azael fit rex Syriæ, 4. Reg. 3. 24. subjicit sibi Jerusalem, 13. 3.

BENJAMIN filius Jacob nascitur, Genes. 35. 16.

BENJAMITÆ abutuntur uxore Levitæ, Judic. 19. 25. puniuntur, 20. 41.

BESELEEL insignis artifex, Exod. 31. 2. † 35. 30.

BESTIÆ & bruta animantia non crudeliter tractanda, Genes. 33. 13. Exod. 23. 12. Num. 22. 23. 28. Deuter. 5. 24. † 22. 10. Prov. 12. 10. Eccli. 7. 24.

BETHSABEE filia Eliam uxor Uriæ a David cognoscitur, & parit, 2. Reg. 11. 4. 27. puer ægrotat, & moritur, 12. 15. 18.

ſit uxor Davidis, parit ei Salomonem, 12. 24. 1. Par. 3. 5. Matth. 1. 6.

BETHSAIDA urbs nativa Andreæ, & Philippi, Joann. 1. 44. † 12. 21. deploratur, Matth. 11. 21. Luc. 10. 13.

BETHSAMITÆ graviter puniuntur, 1. Reg. 6. 19.

BONA opera, pietasque vera in Deum commendantur, Exod. 19. 5. † 20. * † 23. 19. 25. Deut. 5. 6. 11. 16. † 10. 12. Jos. 22. 5. 1. Reg. 15. 22. Psalm. 2. 10. † 39. 7. † 49. 14. Prov. 3. 1. † 14. 31. † 1. 3. Isai. 1. 16. † 58. 6. Jer. 22. 3. Ezech. 18. 6. Osee 6. 11. Mich. 6. 8. Zach. 7. 9. † 8. 16. Eccli. 35. 12. Matth. 5. 24. 29. 39. Luc. 1. 75. † 3. 11. Joann. 12. 26. Rom. 12. * 13. * 14. 17. Philipp. 3. 3. Jac. 1. 27. vide Opera.

Bonitas & benignitas Dei erga ſuos, Geneſ. 18. 26. 30. Exod. 6. 1. † 9. 26. † 11. 7. † 20. 6. † 34. 6. Num. 20. 8. Deut. 4. 29. † 5. 10. † 7. 9. † 10. 18. † 28. 1. † 30. 3. 3. † 32. 10. 2. Reg. 7. 12. † 12. 13. † 24. 14. 3. Reg. 8. 23. 4. Reg. 20. 5. 2. Eſdr. 9. 8. Sap. 11. 24. Eccle. 2. 12. † 18. 1. Pſalm. 11. 5. † 35. 9. † 36. 25. † 85. † 102. * † 135. * † 144. 8. Iſai. 30. 18. † 54. 5. 7. † 55. 7. Jerem. 12. 15. † 18. 8. Ezec. 18. 27. 33. 17. Oſee 2. 21. Joel. 2. 13. Jonæ 4. 2. Matth. 11. 28. † 18. 19. Luc. 1. 30. † 6. 36. † 15. 20. 27. † 23. 43. Rom. 11. 4. 31. 2. Cor. 1. 3. Epheſ. 2. 4. 1. Tim. 1. 13. 16.

C

CÆCITAS tum corporis, tum animi, Geneſ. 19. 11. Deut. 28. 28. 4. Reg. 6. 18. Pſalm. 68. 24. † 145. 8. Iſ. 6. 10. † 42. 7. 16. 18. † 35. 5. † 29. 18. † 43. 8. † 56. 10. † 59. 10. Sap. 2. 21. Tob. 2. 11. 2. Mach. 10. 30. Matth. 15. 14. Marc. 8. 18. Luc. 4. 19. Joann. 9. 1. 4. † 2. 40. Actor. 9. 8. 18. † 13. 11. Rom. 1. 21. † 11. 10. 2. Cor. 4. 4. Eph. 4. 18. 2. Petr. 1. 9. 1. Joann. 2. 11. Apoc. 3. 17.

Cæci illuminantur, Tob. 11. 15. Matth. 9. 30. † 20. 34. Marc. 8. 25. † 10. 46. Luc. 18. 35. Joann. 9. 7.

CÆREMONIÆ Eccleſiaſticæ, ſeu cultus externus, Geneſ. 8. 20. † 12. 18. † 15. 9. 17. 10. † 22. * † 26. 5. 28. 11. † 33. 20. † 43. 4. 26. Exod. 12. * † 18. 20. † 19. * Lev. 8. 31. † 9. * † 10. 19. † 12. * † 14. * † 23. * † 24. * Num. 1. 50. † 4. * † 5. * † 6. * † 7. * 8. * 9. * † 15. * 1. Paral. 23. * 1. Eſdr. 6. * Matth. 2. 11.

Cæremoniæ, ſeu ritus certi in orando, 3. Reg. 8. 22. 54. † 17. 21. † 18. 42. 2. Paral. 5. 12. * Matth. 2. 11. † 26. 39. Marc. 14. 35. Luc. 22. 41. 1. Cor. 11. 4. * Tim. 2. 8.

CAIN primus filius Adam naſcitur, Geneſ. 4. 1. occidit ſuum fratrem Abel, 4. 8. Sapient. 10. 3. 1. Joann. 3. 12.

CALEB filius Heſron, 1. Paral. 2. 18. explorator terræ Chanaan, Num. 13. 8. 31. † 14. 6. 24. 30. 38. Poſtulat, & conſequitur terram Hebron, Joſ. 14. 6. 9. 13. † 21. 12. Judic. 1. 20. 1. Paral. 6. 56.

CALIX iræ & furoris, Iſaiæ 51. 17. Jerem. 25. 15. Pſal. 59. 5. † 74. 9. Apoc. 16. 19.

Calix Paſſionis, Matth. 20. 22. † 26. 38. Marc. 10. 38. Luc. 22. 42. Joann. 18. 11.

CAMOS, vide Chamos.

CANA civitas Galilææ, ubi Chriſtus aquam in vinum mutavit, Joann. 2. 1.

CAPHARNAUM, civitas Galilææ, in qua cœpit Jeſus prædicare, Matth. 4. 17. Luc. 4. 31. curat ibidem ſervum Centurionis, Matth. 8. 13. appellatur civitas ejus, 9. 1. increpatur, 11. 13.

CAPTIVOS inviſere, Gen. 14. 14. 1. Reg. 30. 9. Tob. 1. 25. Jerem. 39. 9. Matth. 25. 37. Actor. 12. 5. 2. Timoth. 1. 16. Hebr. 13. 3.

Captivos non deſerit Deus, Geneſ. 39. 21. Sap. 10. 13. Iſa. 42. 7. Actor. 5. 18. † 12. 17. † 16. 24.

Carnem ſuam crucifigere quomodo cuiſque debeat, Eccli. 19. 1. Rom. 6. 22. † 8. 12. 13. 14. Gal. 5. 16. Epheſ. 4. 22. † 5. 3. Tit. 2. 12. 1. 1. Petr. 2. 1. † 4. 2. 6. Hebr. 12. 1.

CASTITAS cœlibum præfertur caſtitati conjugali, Pſ. 44. 15. Sap. 6. 20. Matth. 19. 12. † 22. 30. 1. Cor. 7. 25. 32. 34. 38. * Apoc. 14. 4.

Caſtitas hæc conſulitur, ut perfectio Evangelica, Matth. 19. 12. 1. Corinth. 7. 25.

Caſtitatis laus, 1. Reg. 21. 5. Tobiæ 6. * Judith 15. 11. † 16. 26. Pſalm. 44. 15. Prov. 22. 11. Sap. 3. 13. 14. † 4. 1. 2. † 6. 20. Eccli. 6. 28. † 26. 20. Iſai. 7. 14. † 56. 3. 3. 4. 5. * Zach. 9. 17. 2. Machab. 14. 38. Matth. 5. 8. 48. † 19. 12. † 22. 30. * † 25. 1. Luc. 1. 27. † 20. 35. Actor. 24. 25. Rom. 2. 7. 1. Cor. 7. 25. * 2. Cor. 6. 6. † 11. 2. 1. Timoth. 2. 2. † 3. 2. † 4. 12. † 5. 2. Tit. 2. 5. † 2. 5. Apoc. 14. 4.

CAVENDUM a pſeudoprophetis, Matth. 7. 15. Marc. 8. 15. † 13. 6. Luc. 17. 23.

CAIPHAS ſummus ſacerdos conſilium dat contra Chriſtum, Joann. 11. 49. † 18. 14. prohibet Apoſtolis ne prædicent. Actor. 4. 18.

CEPHAS, vide Petrus.

CEREORUM & lampadum in templis uſus, 2. Paral. 4. 20.

CERTI non ſumus de accepta peccatorum remiſſione, vel vita æterna conſequenda, Eccle. 9. 1. 2. Eccl. 5. 5. Roman. 8. 17. † 11. 20. 1. Corinth. 4. 3. 4. † 9. 27. † 10. 12. Philipp. 2. 12. † 3. 11. 13. 1. Timoth. 1. 19. 2. Petr. 3. 17. Hebr. 3. 14. † 4. 1.

CHAMOS, ſive Camos, idolum Moabitarum, Num. 21. 29. huic Salomon ædificat templum, 3. Reg. 11. 7. deſtruitur, 4. Reg. 23. 13.

CHANAAM filius Noe maledicitur, Gen. 9. 25. † 10. 1. 6. laus terræ Chanaan, Deuter. 11. 19. Terra Chanaan promittitur Abrahamo, & ejus ſemini, Gen. 12. 7. † 13. 15. † 15. 18. † 17. 8. † 26. 4. † 35. 12. Exod. 3. 8. 17. Lev. 20. 24. Deut. 9. 6. datur, Joſue 23. 6. quam ob cauſſam Deus Chananæos expulerit, Lev. 18. 25. Deut. 9. 4. † 18. 12. † 20. 17. quamobrem paullatim, & non ſimul illas nationes profligaverit, Exod. 23. 29. Deut. 7. 22. Judith 2. 23. † 3. 1. deſcriptio, & diviſio terræ Chanaan, Geneſ. 10. 19. Exod. 23. 31. Numer. 26. 52. † 33. 53. † 34. * Joſue 13. * † 14. * † 15. * † 16. * † 17. * † 18. * † 19. * Ezech. 47. 13. 21.

Chananææ mulieris filia a dæmonio liberatur, Matth. 15. 28.

CHARITAS virtus fide præſtantior, Proverb. 10. 12. Matth. 22. 38. † 25. * ubi a nuptiis excluduntur non habentes oleum charitatis, Marc. 12. 33. 1. Corinth. 14. 31. * † 13. 1. 8. 13. * Coloſſ. 3. 14. 1. Timoth. 1. 5. 1. Petr. 4. 8. 1. Joann. 4. 16.

Charitas fraterna, Geneſ. 13. 8. Lev. 19. 18. Deuter. 22. 1. 1. Reg. 18. 1. Eccli. 25. 2. Pſalm. 132. 1. Prov. 10. 12. Matth. 7. 3. † 19. 19. † 22. 38. Joann. 13. 14. 34. † 15. 12. Rom. 12. 10. † 13. 9. 1. Corinth. 13. * Galat. 5. 14. Epheſ. 4. 15. † 5. 1. Philip. 2. 2. Coloſſ. 3. 13. 1. Theſſal. 4. 9. 1. Tim. 1. 5. Hebr. 13. 1. 1. Petr. 4. 8. 1. Joann. 3. 23. † 4. 7. Diligendi etiam inimici, Exod. 23. 4. 1. Reg. 24. 5. 7. † 26. 5. † 30. 11. 2. Reg. 19. 19. 4. Reg. 6. 21. Job 31. 29. Prov. 25. 21. Matth. 5. 44. Luc. 6. 27. 35. † 23. 33. Actor. 7. 60. Rom. 12. 20. vide dilectio.

CHOREAS ducere, Exod. 32. 6. 19. Jud. 11. 34. † 21. 21. 2. Reg. 6. 14. Pſalm. 149. 3. † 150. 4.

CHRISTUS Jeſus verus Deus & Homo promittitur, Geneſ. 3. 15. † 12. 3. † 17. 19. 21. † 22. 18. † 26. 4. † 28. 14. † 49. 10. Num. 24. 17. Deut. 18. 18. 1. Reg. 2. 10. 35. 2. Reg. 7. 13. Pſal. * 2. * 21. * 109. 1. Iſai. 7. 15. † 8. 3. † 9. 6. † 11. 1. 10. † 28. 16. † 40. 9. † 42. 1. † 45. 1. † 46. 13. † 49. 1. 6. 20. † 50. 5. † 52. 10. † 59. 20. † 53. * † 60. 1. † 62. 11. Jerem. 23. 5. † 30. 9. † 33. 15. Ezech. 17. 22. † 34. 11. 15. 23. † 37. 24. Dan. 7. 13. † 9. 24. Mich. 5. 1. Agg. 2. 8. Zach. 2. 10. † 3. 8. † 9. 9. Malach. 3. 1.

Chriſtus ſecundum promiſſum Dei Patris primum in tempore propter nos verus homo factus, & nobiſcum converſatus, Joann. 1. 14. Deus in carne manifeſtatus eſt, 1. Tim. 3. 16. 1. Joann. 4. 2. Deus miſit Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, Rom. 8. 3.

Chriſtus eſt verus Dei Filius, Matth. 3. 17. * 14. 33. † 17. 5. Marc. 1. 11. † 5. 7. † 9. 7. † 15. 39. Luc. 1. 31. † 3. 22. † 9. 3. 5. Joann. 1. 34. 49. † 6. 69. † 9. 36. † 11. 27. † 19. 7. Rom. 1. 4. † 8. 3. Hebr. 1. 2. † 5. 8. † 6. 6. † 7. 3. † 10. 29. 1. Petr. 1. 17. 1. Joann. 3. 8. † 4. 9. † 5. 20.

Chriſtus conceptus de Spiritu Sancto. Matth. 1. 20. Luc. 1. 35.

Chriſtus natus ex Maria Virgine, Matth. 1. 25. Luc. 1. 31. † 2. 6. 11. Galat. 4. 4. Iſai. 7. 14. natus in Bethlehem, Matth. 2. 1. Luc. 2. 6. 11. Joann. 7. 42. Mich. 5. 1.

Chriſtus ſine peccato, Iſai. 53. 12. Joann. 8. 46. 2. Corinth. 5. 21. 1. Petr. 2. 22. 1. Joann. 3. 5. Hebr. 4. 15. † 7. 26. circumciditur, Luc. 2. 21. Baptizatur in Jordane, Matth. 3. 16. Marc. 1. 9. Luc. 3. 21.

Chriſtus manifeſtatur, & demonſtratur certis teſtimoniis, Matth. 1. 1. 16. 23. † 3. 11. † 8. 29. † 11. 5. † 16. 16. † 17. 5. † 22. 44. † 26. 64. † 27. 54. Marc. 9. 7. † 15. 39. Luc. 1. 41. 31. † 2. 2. 10. 16. * † 9. 29. † 22. 68. Joann. 1. 14. 29. 32. 49. † 2. 11. † 3. 2. 13. 16. 35. † 5. 39. † 6. 69. † 7. 40. † 9. 35. † 10. 7. 24. 36. † 11. 27. 41. † 12. 17. † 14. * 7. 15. 25. † 17. 1. † 20. 28. Rom. 1. 2. † 8. 3. † 9. 5. 2. Corinth. 5. 19. Galat. 4. 4. Philipp. 2. 6. Coloſſ. 2. 9. 1. Timoth. 3. 13. Tit. 2. 11. Hebr. 1. * † 5. * 1. Joann. 5. 20.

Chriſtus eſt Agnus Dei, Iſaiæ 53. 7. Joann. 1. 29. Act. 8. 31. 1. Corinth. 5. 7. Apoc. 5. 6. 12. † 7. 9. 17. † 14. 1. † 13. 8. † 17. 14.

Chriſtus eſt Dominus dominantium, & Rex regum, Ezech. 37. 24. Pſalm. 2. 6. † 23. 7. Coloſſ. 2. 10. 1. Tim. 6. 15. Apocal. 1. 5. † 17. 14. † 19. 16. Chriſtus eſt imago Dei, Sap. 7. 26. 2. Cor. 4. 4. Hebr. 1. 3.

Chriſtus eſt lux gentium, & totius mundi, Iſai. 2. 5. † 9. 2. † 42. 6. † 49. 6. † 60. 1. 19. Matth. 4. 16. Luc. 2. 32. Joann. 1.

Joann. 1. 8. † 3. 19. † 8. 12. † 9. 5. † 12. 35. 46. Actor. 13. 47. 1. Joann. 1. 5. † 2. 8. Apoc. 21. 23.

Christus verus pastor, Is. 40. 11. Ezech. 34. * † 37. 24. Mich. 5. 3. Zachar. 13. 7. Matth. 26. 30. Marc. 14. 27. Joann. 10. 11. Hebr. 13. 20. 1. Petr. 2. 25. † 5. 4.

Christus docuit, & prædicavit, Matth. 4. 17. 5. * 6. * 7. * Marc. 1. 14. Luc. 14. 15. † 6. 20. * curavit omnem infirmitatem, Matth. 4. 23. † 8. * † 9. 22. 28. Marc. 8. 23. Luc. 17. 12.

Christus est transfiguratus, Matth. 17. 2. Marc. 9. 2. Luc. 9. 29.

Christus per proditorem traditur. Quære Judas.

Christus passus est, Psalm. 21. * Isai. 53. * Dan. 9. 26. Matth. 16. 21. † 17. 12. 22. † 20. 18. 22. † 26. 37. 66. † 27. * Marc. 8. 31. † 9. 31. Luc. 17. 25. † 18. 31. † 23. * Joann. 18. 28. † 19. * Act. 3. 18. † 8. 32. † 17. 3. Rom. 8. 32. 1. Petr. 2. 21. † 4. 1. Hebr. 2. 18. † 13. 12.

Christus est crucifixus, Matth. 27. 35. Marc. 15. 24. 23. 32. Joann. 19. 18. Actor. 2. 23. † 4. 10. 1. Corinth. 2. 2. 2. Corinth. 13. 4.

Christi passio prædicta & præfigurata est, Gen. 22. 2. Num. 21. 8. Psalm. 21. * Isa. 53. * Dan. 9. 26. Matth. 20. 22. Joann. 3. 14. 16. † 8. 28. † 12. 32.

Christus mortuus est, & sepultus propter peccata nostra, Matth. 27. 49. 58. Marc. 15. 37. 42. Luc. 23. 45. 49. Joann. 19. 30. 40. Actor. 23. 29. Rom. 5. 6. † 6. 10. † 8. 34. † 14. 9. 1. Cor. 15. 3. 1. Cor. 5. 15. 1. Thess. 5. 10. ut prædixerat futurum, Matth. 16. 21. † 20. 22.

Christus tertia die resurrexit a mortuis, Psalm. 15. 19. Matth. 28. 6. Marc. 16. 6. Luc. 24. 5. Joann. 29. 9. Act. 2. 24. 31. † 10. 40. † 13. 30. † 17. 31. Rom. 4. 25. † 8. 34. † 14. 9. 1. Corinth. 15. 4. 12. 2. Timoth. 2. 8. idque prædictum, & præfiguratum est, Psalm. 15. 10. Jonæ 2. 1. Matth. 12. 40. † 16. 21. † 17. 22. † 20. 22. Marc. 8. 31. † 9. 31. † 10. 34. Luc. 11. 30. † 18. 33. Joann. 2. 19.

Christus ascendit in cælum, Marc. 16. 19. Luc. 24. 51. Joann. 3. 13. † 6. 62. Actor. 1. 9. Ephes. 1. 20. † 4. 8. 1. Petr. 3. 22. Hebr. 4. 14. Psalm. 67. 19.

Christus est Deus, & Dei Filius a principio, & ab æterno, Joann. 1. 1. † 8. 58. † 17. 5. 24. Michææ 5. 2. Prov. 8. 22. Coloss. 1. 16. Hebr. 1. 2.

Christus mediator, reconciliator, & advocatus, Joann. 6. 44. 65. † 10. 7. † 14. 6. Actor. 4. 12. Roman. 3. 25. † 5. 2. † 8. 34. Gal. 3. 20. Ephes. 2. 14. 17. Coloss. 1. 19. 1. Timoth. 2. 5. Hebr. 7. 24. † 8. 6. † 9. 15. † 12. 24. 1. Joann. 2. 1. † 4. 10.

Christus sedet ad dexteram Dei Patris, Psalm. 109. 1. Matth. 22. 44. Marc. 16. 19. Luc. 22. 69. Actor. 7. 56. Rom. 8. 34. Ephes. 1. 20. Coloss. 3. 1. 1. Petr. 3. 22. Hebr. 1. 13. † 10. 12. † 12. 2.

Christus venturus est judicare vivos & mortuos, Psal. 95. 13. Matth. 16. 27. † 24. 30. † 25. 21. Luc. 17. 24. 30. † 21. 25. Joann. 5. 22. Actor. 1. 11. † 10. 42. † 17. 31. Roman. 2. 16. 2. Corinth. 5. 10. 1. Thessal. 4. 16. 2. Thessal. 1. 7. 2. Timoth. 4. 1. 1. Pet. 4. 5. Hebr. 9. 28. Jud. 14. Apoc. 1. 7. † 20. 11.

Christo omnia tradita sunt a Patre, & subjecta, Matth. 11. 27. † 28. 18. Luc. 10. 22. Joann. 3. 35. † 17. 2. Ephes. 1. 22.

Per Christum cuncta sunt creata, Psalm. 32. 6. Joann. 1. 3. Ephes. 3. 9. Coloss. 1. 15. Hebr. 1. 2.

Christus manet in æternum, Psalm. 109. 4. Isai. 9. 7. Dan. 7. 14. Mich. 5. 1. Joann. 12. 34.

Christus est leo, Apoc. 5. 5.

Christus est stella matutina, 2. Petr. 1. 19. Apocal. 22. 16.

Christus novit omnia, Joann. 16. 30. † 21. 17. Apoc. 2. 23.

Christus est unum cum Patre, Joann. 10. 30. † 14. 10. 20. † 17. 21.

Christus sibi reputat fieri quod Christianis fit, Zach. 2. 8. Prov. 14. 31. † 17. 5. Matth. 10. 42. † 18. 5. † 25. 35. Marc. 9. 40. Luc. 10. 16. Actor. 9. 4. 1. Thess. 4. 8.

CHRISTIANI appellantur fideles, Actor. 11. 26. † 26. 28. 2. Cor. 10. 7.

Christiani dicuntur Sancti, quia sanctitatem profitentur, Actor. 9. 41. Rom. 1. 7. † 12. 13. † 15. 26. † 16. 2. 15. 1. Corinth. 1. 2. † 6. 1. † 14. 33. 2. Cor. 1. 1. † 9. 1. 12. † 13. 12. Ephes. 1. 1. 15. † 3. 8. 18. † 4. 12. † 6. 18. Phil. 1. 1. † 4. 21. Coloss. 1. * 1. Thessal. 5. 27. 1. Timoth. 5. 10. Hebr. 6. 10. † 13. 24.

Christianis vivendum sicut Christus vixit, Galat. 2. 19. 1. Joann. 1. 7. † 2. 6. † 3. 3.

Christiani erunt cum Christo, Joann. 12. 26. † 14. 3. † 17. 24.

CHUS filius Cham, Gen. 10. 6. 1. Paral. 1. 8.

CHUSAI amicus Davidis, nuntiat Davidi, quid in eum meditetur Absalom, 2. Reg. 15. 32. † 17. 15. 16.

CUSAN Rasathaim rex Syriæ regnat super Israel octo annos, Judic. 3. 8.

CIBUS quis Judæis vetitus, Exod. 21. 28. † 22. 31. Levit. 3. 17. † 7. 23. † 11. 4. † 17. 10. 13. † 19. 26. Deut. 12. 16. 23. † 14. 7. 10. 1. Reg. 14. 32.

Ciborum & potus in conviviis luxus, Is. 5. 12. Ezech. 16. 49. Luc. 21. 34. † 16. 19. Rom. 13. 13. Galat. 5. 21. 1. Petr. 4. 3. 2. Petr. 2. 13. Vide Ebrietas.

Cibare esurientes, seu fame laborantes, Deuter. 23. 4. Jud. 8. 5. 1. Reg. 21. 3. † 35. 8. 23. † 2. Regum 16. 1. Isai. 58. 7. Matth. 25. 35.

Cibus sumendus cum gratiarum actione. Vide Gratia,

CIBI delectus habendus, vide Abstinentia.

CIRCUMCISIO carnalis, & spiritualis, Genes. 17. 10. † 21. 4. † 31. 24. Exod. 4. 25. † 12. 44. Levitic. 12. 3. Deut. 10. 16. † 30. 6. Josue 5. 2. 7. Judith 14. 6. Jerem. 4. 4. † 6. 10. † 9. 25. 1. Mach. 1. 16. 51. 63. 2. Mach. 6. 10. Luc. 1. 59. † 2. 21. Joann. 7. 22. Act. 7. 8. † 15. 1. 24. † 15. 2. Rom. 2. 25. 29. † 3. 1. † 4. 10. 1. Cor. 7. 19. Galat. 2. 3. † 5. 2. † 6. 12. Ephes. 2. 11. Philipp. 3. 2. Coloss. 2. 11. † 3. 11.

CLAUDIUS Cæsar Romanus præcipit, omnes Judæos exire Roma, Actor. 18. 2. hujus tempore magna erat in orbe annonæ caritas, Actor. 11. 28.

CLAUDIUS Lysias mittit Paulum ad Felicem præfectum Cæsareæ, Actor. 23. 23. 30.

CLEOPATRA filia Ptolomæi traditur Alexandro, 1. Machab. 10. 58. huic adimitur, & traditur Demetrio, 11. 12.

CLEOPHAS ibat cum altero discipulo in Emmaus, Lucæ 24. 13. cognovit Christus in fractione panis, 24. 30.

COGITATIONES pravæ, quas odit Dominus, Zachar. 8. 17. Prov. 6. 14. Matth. 15. 19. Marc. 7. 21.

Cogitationes cordis Deus novit, 3. Reg. 8. 39. 2. Paral. 6. 30. Joann. 2. 25. & nulla latet eum, Job 42. 2. Eccli. 42. 19. Isai. 29. 11. Matth. 9. 4. Hebr. 4. 12. noverunt eas & alii, quibus Deus voluerit revelare, 4. Reg. 5. 26. † 6. 12. Dan. 2. 29. *

COGNOSCERE licet subinde homines ex verbis, & factis, Eccli. 19. 27. † 27. 9. Matth. 7. 16. † 12. 33. Luc. 6. 44.

Cognosci Deus humana sapientia non potest, nisi ipse revelet parvulis, & humilibus, Matth. 11. 25. † 16. 17. Luc. 10. 21. Joann. 7. 28. † 8. 19. 27. † 10. 14. † 14. 4. † 15. 15. † 17. 6. Actor. 17. 23. 1. Cor. 1. 17. 18. † 2. 6. 10. † 3. 19. Coloss. 1. 26.

CONCIONATORUM, Pastorum, & Prophetarum officium, 1. Reg. 12. 23. Isai. 58. 1. † 61. 1. Jerem. 1. 5. Ezech. 3. 1. 9. 12. † 33. 2. 7. Act. 3. 18. 24. vide Episcoporum electio, & officium.

CONCORDIA fratrum commendatur, Psalm. 132. 1. Eccli. 25. 2. Rom. 12. 26. idem sapere, idemque sentire jubemur, Rom. 12. 16. † 15. 6. 1. Cor. 1. 10. Ephes. 4. 3. Philipp. 2. 2. † 3. 17. † 4. 2. 1. Petr. 3. 8.

CONCUPISCENTIA prohibetur, & punitur, Exod. 20. 17. Num. 11. 33. † 21. 5. 6. Josue 7. 21. 24. Eccli. 19. 14. † 42. 11. Job 31. 1. Prov. 6. 25. Matth. 5. 28. Marc. 4. 19. Rom. 6. 12. † 7. 8. † 13. 14. Galat. 5. 16. Coloss. 3. 5. 1. Thessal. 4. 3. 1. Timoth. 6. 11. 2. Timoth. 2. 22. 1. Cor. 10. 6. 1. Petr. 1. 15. † 2. 11. † 4. 3. 2. Petr. 1. 4. 1. Joann. 2. 16. Jacobi 1. 14. † 4. 1. Jude 23.

Concupiscentias carnis crucifigere, refrænare, & mortificare jubemur, Eccli. 18. 30. Rom. 6. 12. † 8. 8. 12. † 13. 14. Galat. 5. 16. Ephes. 4. 22. † 5. 3. Coloss. 3. 5. Tit. 2. 12. 1. Petr. 2. 1. † 4. 3. 6. Hebr. 12. 1.

CONDONANDUM fratri in nos peccanti, Eccli. 28. 8. Matth. 5. 23. † 6. 14. † 18. 22. 35. Luc. 17. 3. Eph. 4. 32. Coloss. 3. 13.

CONFESSIO peccatorum in scripturis varia, & multiplex, Genes. 41. 9. Levit. 16. 21. 39. † 26. 40. Num. 5. 6. Jos. 7. 19. 2. Regum 24. 17. 1. Esdr. 9. 6. 2. Esdr. 9. 2. Psalm. 27. 7. † 32. 5. † 37. 19. † 73. 19. † 94. 2. Prov. 16. 3. † 18. 17. † 28. 13. Eccli. 4. 25. 31. † 7. 34. † 17. 27. Isai. 33. 15. Dan. 9. 5. Matth. 3. 6. † 16. 19. Luc. 11. 4. † 18. 13. Joann. 20. 23. Jacob. 5. 16. 1. Joann. 1. 8. 9.

CONFIRMATIONIS Sacramentum, Actor. 8. 17. Hebr. 6. 2.

CONFITERI Christum, & ejus doctrinam, Matth. 10. 32. Luc. 12. 8. Rom. 10. 9. 1. Petr. 13. 15. vide Erubescere Evangelium.

CONJURATIO, & seditio, ejusque punitio, Num. 16. * † 20. 2. Judic. 9. 23. 31. 34. † 12. 1. 4. 2. Regum 20. * 3. Reg. 1. 5. Esther 2. 21. Actor. 5. 36. 37. † 19. 23. † 23. 13. 20.

CONNUBIUM, vide Matrimonium.

Connubium spiritale inter Deum & animam, Cantic. * Isai. 50. 1. † 54. 5. 62. 4. Jerem. 31. 22. Ezech. 16. 7. 8. Osee 2. 20. Matth. 9.

Matth. 9. 15. † 22. 2. † 25. 5. Marc. 2. 19. 2. Cor. 11. 2. Apoc. 19. 7. † 21. 2. 9.

CONSCIENTIÆ bonæ tranquillitas, Proverb. 15. 15. Eccli. 13. 30. 1. Joann. 2. 21. Corinth. 1. 12. conscientiæ malæ perturbatio. Sap. 17. 10. 11.

CONSECRATIO sacerdotum, dierum, altarium, vestium, ceterarumque rerum, quarum est usus in sacris, Exod. 28. 41. † 29. 1. 7. 21. 29. 35. † 32. 29. † 40. 11. Levit. 7. 30. 37. † 8. 9. 22. 31. 33. † 18. 21. † 21. 7. 10. † 22. 2. 3. † 23. 12. † 27. 10. 16. 21. 38. Numer. 3. 3. † 6. 5. 9. 13. † 7. 1. * † 8. 12. † 18. 10. Jos. 6. 24. Judic. 16. 17. † 17. 3. 3. Reg. 15. 13. 1. Paralip. 10. 10. † 18. 11. † 22. 19. 2. Paralip. 2. 4. † 17. 16. † 23. 9. † 26. 18. 1. Esdr. 3. 5. † 8. 25. Eccli. 49. 9.

CONSILIA mala dissipat Deus, Genes. 11. 7. † 37. 18. † 50. 19. Num. 22. * 2. Reg. 15. * † 17. 14. 2. Esdr. 4. 8. 15. Esther 7. 5. * Job 5. 15. Psalm. 2. 4. †. 20. 12. † 32. 10. Isai. 7. 8. † 19. 3. Matth. 27. 62. Actor. 5. 19. † 9. 34. † 23. 12. 19. † 27. 42.

CONSOLATIO pauperum. vide Eleemosyna.

CONSORTIUM bonorum & malorum, vide Societas.

CONSTANTIA fidelium, 1. Regum 13. 13. † 16. 26. * 3. Reg. 18. 4. 13. 4. Reg. 3. 13. Sap. 3. 1. Judith 13. 3. 10. 1. Machab. 1. 65. † 2. 16. 24. † 34. 42. 2. Mach. 6. 10. 19. * † 7. Dan. 13. * Marc. 14. 3. Act. 4. 8. 13. 1. Thess. 1. 6.

CONSTITUTIONES superiorum, potestatem constituendi habentium, servandæ sunt ut ipsius Dei, Exod. 16. 8. Luc. 10. 16. Actor. 16. 4. 1. Thess. 4. 2. 8. Rom. 13. 1. Tit. 3. 1.

CONSULENDUS Deus dubiis in rebus, & ejus vicarii, Genes. 25. 22. Exod. 18. 19. Lev. 24. 11. Num. 9. 7. 26. † 15. 34. † 27. 15. Deut. 1. 17. † 17. 8. Josue 9. 14. Judic. 1. 1. † 18. 5. † 20. 18. 23. † 21. 2. 1. Reg. 10. 22. † 23. 4. 10. 12. † 30. 8. 2. Reg. 2. 1. † 5. 19. 23. † 21. 1. 3. Reg. 14. 2. †. 12. 5. 6. 15. 4. Reg. 3. 11. 16. † 8. 8. † 22. 13. 2. Paralip. 18. 4. 14. † 33. 18. Psalm. 118. 24. Isai. 8. 11. † 30. 1. 45. 11. Jer. 37. 2. 5. † 42. 2. Ezech. 14. 1. 2. Zach. 7. 2. Tob. 4. 19. Eccli. 37. 19. Luc. 16. 29.

Consulendi non sunt divinatores, vel magi, vel incantatores, & arioli, Levit. 19. 31. † 20. 6. Deut. 18. 11. 1. Reg. 28. 7. 9. 3. Reg. 22. 6. 4. Reg. 1. 2. 6. † 3. 13. 2. Paral. 18. 5. Dan. 2. 2. † 4. 5. † 5. 6.

CONTRISTARE Spiritum Sanctum, Ephes. 4. 30.

Contristari ad pœnitentiam commendatur, 2. Corinth. 7. 9.

CONTRITIO vera prædicatur, Jerem. 7. 3. Matth. 3. 2. † 4. 17. Luc. 3. 3. 8. † 13. 5. † 24. 47. Act. 2. 38. † 3. 19. † 8. 22. † 17. 30. † 20. 21. † 26. 20.

Contritioni veræ promittitur remissio, seu venia, Deut. 4. 29. † 30. 2. 1. Reg. 7. 3. 2. Paralip. 7. 14. † 30. 6. † 34. 26. Job 22. 23. Proverb. 28. 13. Psalm. 31. 5. Isai. 1. 16. † 30. 18. † 45. 22. † 55. 7. † 59. 20. Jer. 3. 10. 17. † 18. 8. † 19. 12. † 31. 18. 20. Ezech. 18. 21. 27. † 33. 14. Osee 14. 2. Joel 1. 12. Jon. 3. 8. Zach. 1. 3. Malach. 2. 7. Eccl. 17. 23. Lucæ 15. 18. Actor. 3. 19. † 26. 18. 20.

Contritio quærenda, & amplectenda, dum sani sumus, Eccli. 17. 24. † 18. 25.

Contritionis veræ exempla, Jud. 10. 15. 2. Reg. 12. 13. † 24. 10. 17. 2. Paral. 12. 6. † 33. 12. Jonæ 3. * Judith 8. 4. Matth. 26. 74. Lucæ 7. 37. 43. † 15. 18. † 18. 13. † 89. 8. † 21. 62. † 23. 41. Actor. 2. 37.

Contritionis falsæ exempla, Genes. 4. 13. † 27. 38. Exod. 8. 8. † 9. 27. † 10. 16. Josue 7. 20. Judic. 2. 7. 2. Reg. 15. 24. 30. † 24. 17. 3. Reg. 13. 6. † 21. 27. Sap. 5. 3. 1. Machab. 6. 12. 2. Machab. 9. 12. Matth. 27. 4. Actor. 8. 13. 22. Hebr. 12. 17.

COOPERARI gratiæ Dei, vide Liberum arbitrium.

COR, sive voluntas hominis a Deo pro facto acceptatur, Gen. 4. 4. † 22. 12. Exod. 25. 2. † 35. Deuteron. 19. 5. Matth. 15. 8. Marc. 12. 41. Lucæ 21. 1. 2. Cor. 8. 12. quære Voluntas pro facto.

Cor mundatur & sanctificatur per Christum, Ps. 50. 4. Joann. 13. 10. † 15. 3. † 17. 29. Actor. 15. 9. Cor. 6. 11. Ephes. 5. 26. 1. Pet. 1. 22. 1. Joann. 1. 7. † 3. 3. Hebr. 2. 1. † 9. 14. † 10. 14. † 13. 22.

CORNELIUS Centurio convertitur, Actor. 10. 3. 44.

CORONA vitæ, 4. Esdr. 2. 43. Sap. 5. 17. 2. Timoth. 4. 8. 1. Petr. 5. 4. Jac. 1. 12. Apoc. 2. 10.

CORREPTIO fraterna, Genes. 37. 21. Levitic. 19. 18. Psalm. 140. 5. Proverb. 1. 20. † 9. 7. † 10. 17. † 12. 1. † 13. 1. † 15. 31. † 17. 10. † 24. 25. † 25. 12. † 27. 5. † 28. 23. † 29. 1. Eccl. 7. 6. Eccli. 19. 15. † 20. 1. † 21. 7. † 32. 13. Osee 4. 4. Matth. 18. 15. Luc. 17. 3. Gal. 2. 11. † 6. 3. 2. Timoth. 5. 20. 2. 25. Hebræo 3. 13. Jacob. 5. 19.

Correptio impiorum est piis in timorem & cautionem, vide Impiorum.

Corripiens alterum qualis esse debeat, Matth. 7. 3. Lucæ 6. 41. Joann. 8. 3. 1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 6.

CREATOR omnium rerum Deus, Genes. 1. 1. Exod. 20. 11. 1. Paral. 29. 10. Psalm. 88. 12. † 95. 5. † 113. 15. † 120. 2. † 123. 8. † 145. 6. Isaiæ 37. 16. † 40. 28. † 42. 5. † 44. 24. † 45. 12. † 48. 13. † 51. 13. Jerem. 10. 12. † 32. 17. † 51. 15. Zach. 12. 1. Jonæ 1. 9. Eccli. 1. 8. Baruch 3. 32. Matth. 11. 25. Joann. 1. 3. Actor. 1. 24. † 14. 14. † 17. 24. 1. Corinth. 8. 6. Ephes. 3. 9. Coloss. 1. 16. Hebr. 1. 2. 10. † 3. 4. † 11. 3. Apoc. 4. 11. † 10. 6. † 14. 7.

CRESCERE in scientia, Ephes. 4. 15. Coloss. 1. 10. 2. Petr. 3. 2.

CRUX & tribulatio omnibus pie viventibus, Gen. 4. 8. † 27. 41. † 37. 18. 2. Reg. 16. 5. 13. Eccli. 2. 1. Ps. 33. 20. Proverb. 24. 16. Matth. 10. 16. * † 12. 4. † 16. 24. † 24. 9. Marc. 13. 9. Lucæ 14. 26. † 21. 12. Joann. 15. 20. † 16. 1. Actor. 9. 23. Galat. 4. 29. 1. Thessal. 3. 3. 2. Timoth. 3. 12. 1. Pet. 4. 1. 12. † 5. 10.

Crux a Deo imponitur ad nostram utilitatem, 2. Reg. 7. 14. Job 5. 17. † 33. 16. Prov. 3. 11. Jerem. 46. 28. 2. Machabæor. 6. 12. Tob. 2. 8. † 12. 13. Judith 8. 22. 1. Cor. 11. 31. 1. Pet. 4. 17. Hebr. 12. 5. Apoc. 3. 19.

Per Crucem & res adversas pertingimus ad cognitionem Dei, & ad æternam gloriam, Exod. 1. 12. 2. Par. 33. 11. Jud. 8. 15. 21. Prov. 6. 23. Matth. 7. 24. Lucæ 24. 16. 46. Joann. 12. 25. Actor. 14. 21. Roman. 8. 17. 2. Cor. 4. 8. 17. † 5. 1. Phil. 2. 8. 2. Thess. 1. * Hebr. 2. 9. † 12. 2.

Crux patienter est & læto animo ferenda, Matth. 5. 10. † 10. 38. Joann. 15. 20. † 16. 33. Actor. 5. 51. † 16. 25. 2. Corinth. 8. 2. Coloss. 1. 24. Hebr. 10. 34. Jacob. 1. 2. 12. 1. Petr. 4. 12. 16.

In Cruce & afflictione consolatio, Job 5. 17. * Prov. 18. 12. Isaiæ 26. 12. 19. Thren. 2. 28. Matth. 5. 10. Joann. 15. 20. † 16. 20. 33. Rom. 8. 18. 1. Corinth. 10. 13. Corinth. 1. 4. 8.

Per Crucem experitur nos Dominus, Judith 9. 21. Eccli. 2. 1. † 27. 8. Prov. 17. 3. Sap. 3. 5. 6. 2. Thess. 1. 4. 1. Petr. 1. 7.

CULTUS Dei verus requirit præter opus externum etiam affectum hominis internum, Deut. 5. 19. † 6. 5. † 10. 12. † 11. 13. † 26. 16. † 28. 47. † 30. 2. Josue 22. 5. 1. Reg. 12. 20. Eccles. 7. 31. Isaiæ 29. 13. † 46. 11. Matth. 15. 8. † 22. 36. Joann. 4. 23.

Cultus externus Deo gratus, vide Ceremoniæ.

CYRUS rex Persarum permittit captivos Israelitas in Judæam redire, 2. Paral. 36. 22. 1. Esdr. 1. 1. 3. Esdr. 2. 1. restituit eis vasa quondam a Nabuchodonosor ablata, 1. Esdr. 1. 7. † 5. 14. Dan. 1. 2.

D

DÆMONES expelluntur, Matth. 8. 16. 31. † 9. 33. † 12. 22. † 17. 18. Luc. 4. 35. † 8. 2. 28. † 9. 42. † 10. 17. † 13. 10. Actor. 5. 16. † 8. 7. † 16. 18. etiam per malos, Matth. 7. 22. Marc. 9. 38. Luc. 9. 49. Act. 19. 13.

Dæmones agnoscunt, & credunt Deum, Matt. 8. 29. Marc. 1. 24. † 3. 11. † 5. 7. Lucæ 4. 34. 41. † 8. 28. Actor. 19. 15. Jacob. 2. 19.

Dæmonibus immolare nefas. Levit. 17. 7. Deuteron. 32. 17. 2. Paral. 11. 15. Psalm. 105. 37. Baruch 3. 4. 1. Cor. 11. 20.

DAGON Idolum Philisthinorum, Jud. 16. 23. 1. Reg. 5. 2. 1. Machab. 10. 83. † 11. 14.

DAMASCUS metropolis Syriæ vastatur a Theglath-Phalasar. 4. Regum 16. 9. contra Damascum prophetia, Isai. 17. 1. † 8. 4. Jerem. 49. 23. Amos 1. 3.

DAMNATIO æterna, quæ parata est diabolo, & omnibus impiis, Sapient. 5. * Job 10. 22. † 36. 12. Isaiæ 24. 21. † 30. 33. † 66. 24. Dan. 7. 11. Matth. 3. 12. † 5. 29. † 8. 12. 29. † 13. 50. † 18. 8. † 22. 13. † 23. 33. † 25. 30. 42. Marc 9. 47. Luc. 3. 17. † 16. 23. 25. Hebr. 10. 27. 2. Thess. 1. 8. 2. Petr. 2. 4. Judic. 6. Apoc. 19. 20. † 20. 10. † 21. 8.

DAN filius Jacob, Genes. 30. 6. Tribus Dan quærit sibi possessionem, Jud. 18. 1. pugnat contra Lesem & expugnat, Josue 19. 47.

DANIEL appellatur Balthassar, Dan. 1. 7. interpretatur somnia, 2. 31. † 4. 7. 21. † 18. 25. constituitur gubernator totius regni Babel, Dan. 6. 3. projicitur in lacum leonum, 6. 16. liberat Susannam, 13. 51. 60.

DARE melius, quam accipere, Eccl. 4. 36. Actor. 20.

Dandum sine acceptione personarum, maxime autem domesticis fidei, Eccli. 7. 35. † 12. 8. Matth. 5. 42. Lucæ 6. 30. 38. Rom. 12. 13. Galat. 6. 10. vide Eleemosyna.

DARIUS filius Assueri, Dan. 9. 5. occupat regnum Babel.

Babel, 6. 1. impiam legem statuit, 6. 8. præparat regium convivium, 3. Esdr. 3. 1.

Darius renovat mandatum Cyri, 1. Esdr. 6. 1.

Darius cæditur ab Alexandro rege Macedoniæ, 1. Machab. 1. 1.

DAVID filius Isai (qui Jesse appellatur, Matth. 1. 6.) a Samuele ungitur, 1. Regum 16. 13. interficit leonem, ursum, & Goliat gigantem; 17. 34. 49. pacifcitur cum Jonatha, 18. 3. † 20. 8. 16. 23. † 28. 18. manducat panes propositionis, 21. 3. simulat amentiam coram Achis rege, 21. 13. fugit cum patre & matre in Masphа, 22. 3. præcidit oram chlamydis Saul, 24. 5. mittit ad Nabel decem juvenes, 25. 5. tollit hastam Saulis, 26. 11. fugit ad Achis regem Geth, 27. 2. ungitur in Hebron in regem Juda, 2. Regum 2. 4. ponitque eum regem universus Israel, 2. Reg. 5. 1. Paral. 11. 3. † 12. 38. juxta verbum Jonathæ, 1. Reg. 23. 17. & Saulis 24. 21. committit adulterium, & homicidium, 2. Reg. 11. * pœnitet eum peccati, 12. 13. fugit a facie filii sui Absalom, 15. 14. libavit aquam Domino, 23. 16. recenset populum, 24. 2. emit ab Areuna aream, 24. 24. consilium capit de domo Dei ædificanda, 1. Par. 17. 1. construit operarios, & architectos, 23. * 24. * 25. * 26. * 27. * relinquit sibi successorem Salomonem filium, 3. Regum 1. 30. moritur, & sepelitur, 2. 10. Actor. 2. 29. † 13. 36. commendatur, Eccli. 47. 2.

David spiritualis (qui est Christus) promittitur, Jer. 30. 9. Ezech. 34. 24. † 37. 23.

Davidis filius appellatur Christus, Matth. 1. * † 15. 22. † 22. 45. Marc. 12. 35. Luc. 20. 41. Actor. 2. 29. † 13. 22. 2. Tim. 2. 8. Apoc. 5. 5.

DECIMARUM usus, & decimæ, Genes. 14. 20. † 28. 23. Levitic. 27. 30. Num. 18. 21. 28. Deuteron. 12. 6. † 14. 28. † 26. 12. 1. R. 8. 8. 15. 2. Paral. 31. 5. 2. Esdr. 10. 37. Hebr. 7. 2.

Decimæ debentur sacerdotibus, Deut. 18. 3. 2. Paral. 31. 4. vide Sacerdotes.

DEDICATIO templi, vel altarium, Num. 7. 10. 11. 84. 88. 3. Reg. 8. 26. 63. 65. 2. Paral. 7. 5. 9. † 15. 8. 1. Esdræ 6. 16. 17. 2. Esdr. 12. 27. 3. Esdræ 7. 7. Psalm. 29. 1. 1. Mach. 4. 56. 57. 59. 2. Mach. 2. 9. 12. 20.

DEMETRIUS filius Seleuci exercet tyrannidem, 1. Machab. 7. 1. fœdus inire cupit cum Jonatha, 10. 3. fœdus ictum violat, 11. 53.

Demetrius aurifaber negotium facessit Paulo, Actor. 19. 23.

DETRACTIO, Psalm. 14. 3. † 100. 5. Eccles. 10. 20. Prov. 10. 18. † 11. 13. † 16. 28. † 20. 19. † 26. 20. Rom. 1. 30. 2. Corinth. 12. 20. 1. Petr. 2. 1. 12. Jacobi 4. 11.

DEUS est omnipotens, & nihil apud eum est impossibile, Genes. 17. 1. † 18. 14. † 35. 11. † 43. 14. † 48. 3. Num. 11. 23. 1. Reg. 14. 6. 2. Paral. 14. 11. Sap. 11. 22. Job 42. 2. Isa. 40. 10. * † 45. 9. † 50. 2. † 59. 1. Jer. 32. 17. 27. Zachar. 8. 6. Matth. 19. 26. Marc. 9. 23. † 10. 27. † 14. 36. Luce 1. 37. † 18. 27. Eph. 3. 20. Apoc. 16. 7. 14. † 19. 6.

Deus omnia regit & gubernat pro sua voluntate, Gen. 45. 5. † 50. 19. Deut. 8. 18. 1. Reg. 9. * Sap. 12. 13. Tob. 7. 12. Job 9. 5. † 12. 13. Psalm. 102. 19. † 113. 3. † 126. 1. Prov. 10. 22. † 16. 4. 9. † 19. 21. † 20. 24. † 21. 1. 30. Eccles. 3. 15. Isaiæ 26. 16. † 45. 7. Jer. 10. 23. † 27. 5. Dan. 2. 21. † 5. 18. Matth. 6. 33. † 11. 26. † 20. 14. Luc. 12. 31. Joann. 5. 17. Rom. 9. 15. 2. Cor. 3. 5. Phil. 2. 13. Hebr. 13. 21. Apoc. 4. 11.

Deus est pater omnium fidelium ipsi obtemperantium, Deut. 32. 6. Psalm. 102. 13. Prov. 1. 7. Jerem. 3. 4. 14. 19. Malach. 1. 6. Matth. 6. 9. † 18. 14. † 23. 8. Luc. 11. 2. Joann. 20. 17. Rom. 8. 15. 1. Cor. 8. 6. 2. Cor. 1. 3. † 6. 18. Ephes. 3. 14. † 4. 6. 1. Thess. 1. 3. 2. Thess. 1. 2. † 2. 16.

Deus est verax, & fidelis, Exod. 34. 6. Num. 23. 19. Deut. 7. 9. † 32. 4. 1. 1. Reg. 15. 29. Isai. 49. 7. Joann. 3. 33. † 8. 26. Roman. 3. 4. 1. Cor. 1. 8. † 10. 13. 1. Thessal. 5. 24. 2. Thessal. 3. 3. 2. Timoth. 2. 13. Tit. 1. 2. 1. Joann. 1. 9. † 5. 20. Hebr. 10. 23. Apoc. 3. 7. 14.

Deus est in essentia unus, præter quem non est alius, Exod. 3. 14. Deut. 4. 15. † 6. 4. † 7. 9. † 10. 18. † 32. 39. 2. Regum 7. 22. 3. Reg. 8. 60. † 18. 36. 1. Paral. 19. 20. Sap. 12. 13. Isai. 37. 16. † 43. 10. † 44. 6. 14. † 45. * † 46. 9. Osee 13. 4. Tob. 8. 20. † 13. 4. Eccli. 36. 5. Marc. 12. 29. Joann. 17. 3. 1. Cor. 8. 6. † 12. 6. Galat. 3. 20. Ephes. 4. 6. 1. Tim. 2. 5.

Deus est trinus in personis, & unus in essentia: vide Trinitas.

Deus æternus est, nec principium habet, nec finem, sed est ipse principium & finis, Genes. 21. 33. Exod. 15. 18. Job 36. 26. Isai. 41. 4. † 43. 10. † 44. 6. † 48. 12. 57. 15. Daniel. 7. 9. Roman. 16. 26. Hebr. 1. 8. Apoc. 1. 8. 17. † 21. 6. † 22. 13.

Deus novit, audit, & videt omnia, Exod. 3. 19. Num. 22. 1. Deut. 31. 21. 1. Reg. 2. 3. † 16. 7. 2. Paral. 16. 9. Job 14. 6. † 22. 11. † 28. 24. † 31. 4. † 42. 2. Psalm. 7. 10. † 12. 13. † 37. 10. † 89. 8. † 130. 8. Proverb. 5. 21. † 15. 3. 11. † 24. 12. Isai. 29. 15. † 40. 27. † 48. 4. Jerem. 1. 5. † 7. 11. † 17. 10. † 23. 4. 32. 19. Ezech. 11. 5. Eccli. 16. 15. † 17. 13. † 23. 27. † 39. 24. 27. † 40. 9. Sap. 1. 10. 2. Machab. 9. 5. † 12. 22. Matth. 6. 4. † 21. 2. Marc. 2. 8. † 14. 13. Luc. 22. 10. Joann. 1. 47. † 13. 21. † 16. 30. † 21. 17. Actor. 15. 8. Rom. 8. 27. 1. Thess. 2. 4. 1. Joann. 3. 20. Hebr. 4. 13. Apoc. 2. 23.

Deum nemo videre potest. Exod. 33. 20. Deuter. 4. 12. Joann. 1. 18. † 6. 46. 1. Tim. 6. 16. 1. Joann. 4. 12.

Deus, & divina omnia non possunt humana industria, aut ingenio comprehendi, Exod. 33. 20. 3. Reg. 3. 5. Job 32. 8. Psalm. 93. 10. † 118. * † 142. 8. Isai. 22. 22. † 54. 13. Matth. 11. 25. † 13. 11. † 16. 17. Luc. 8. 10. † 10. 21. † 24. 44. Joann. 1. 10. † 3. 3. † 6. 44. 65. † 14. 8. 17. † 17. 6. Actor. 16. 14. Rom. 1. 19. † 11. 33. 1. Corinth. 2. * Galat. 1. 11. 1. Tim. 6. 16. Apoc. 3. 7.

Deus est immensus & incircumscriptus, 3. Reg. 8. 27. 2. Paral. 2. 6. † 6. 18. Job 11. 8. Psalm. 138. 7. 10. Isai. 6. 3. † 66. 1. Jerem. 23. 23. Amos 9. 2. Sap. 1. 7. Matth. 5. 35. Actor. 7. 48. † 17. 14.

Deus testatur se Deum, id est, salvatorem, & consolatorem Israelis, omniumque eorum, qui rite ipsum colunt, & invocant, Gen. 17. 2. 7. Exod. 6. 2. † 20. 2. † 29. 45. Levit. 26. 11. Psalm. 17. 3. † 49. 6. Isai. 30. 19. Jerem. 31. 33. † 32. 38. Ezech. 37. 23. Joann. 10. 17.

Deus est Dominus, ac creator cæli, & terræ. Vide Creator.

Deus nihil eorum, quæ fecit, odit, Sap. 11. 25.

Deus est judex totius mundi, reddens unicuique mercedem pro merito, Genes. 18. 25. Deuter. 10. 17. Job 34. 11. Psalm. 7. 9. † 61. 13. † 93. 2. † 95. 13. Isai. 11. 3. Eccli. 35. 22. 27. Jerem. 17. 10. † 25. 14. Matth. 16. 27. † 25. 31. Actor. 17. 31. Rom. 2. 6. 2. Timoth. 4. 8. Hebr. 12. 23.

Dei misericordia, patientia, charitas, sapientia, verbum, quære suis quæque locis.

Deo soli attributa, subinde in scripturis, & aliis per communicationem tribuuntur, ut vocabulum, Deus, soli Deo tribuitur, Deuter. 6. 4. † 32. 39. 1. Regum 2. 2. Psalm. 85. 10. 2. Machab. 8. 38. Marc. 12. 29. aliis tribuitur, Exod. 7. 1. † 22. 8. 1. Regum 28. 13. Psalm. 46. 10. † 81. 6.

Deus solus bonus, Matth. 19. 7. Luc. 18. 19. aliis tribuitur bonitas, Genes. 1. 31. † 3. 6. † 49. 15. Num. 14. 7. 1. Reg. 29. 9. 2. Reg. 18. 27. 1. Paral. 28. 8. Tob. 12. 8. Judith 12. 12. 14. Psalm. 110. 10. † 146. 1. Prov. 18. 22. † 22. 1. Eccles. 7. 2. Sap. 8. 19. Eccli. 14. 5. Jerem. 7. 3. Matth. 7. 17. Marc. 9. 50. Luc. 6. 45.

Deus solus sanctus, 1. Reg. 2. 2. aliis sanctitas tribuitur. Exod. 3. 5. † 12. 16. † 22. 31. † 28. 2. † 29. 29. 31. † 30. 29. † 35. 2. Levit. 11. 44. Num. 16. 5. Deut. 7. Josue 5. 15. 2. Reg. 22. 26. 1. Reg. 4. 9. Judith 8. 29. Psalm. 5. 8. Matth. 7. 6. Rom 7. 12.

Deus solus fortis, 1. Reg. 2. 2. aliis fortitudo attributa, Gen. 32. 28. † 49. 14. Psalm. 53. 5. Cant. 3. 7. Isai. 19. 14. Jerem. 9. 23. Matth. 12. 29. Marc. 3. 27. Luc. 11. 21. Hebr. 11. 34. 1. Petr. 5. 9.

Deus solus justus, 2. Machab. 1. 25. alii quoque justi, Genes. 7. 2. † 18. 23. Psalm. 33. 16. † 36. 29. 30. Proverb. 8. 8. Sap. 5. 16. Matth. 1. 19. † 10. 41. † 25. 46. Luc. 2. 6. Roman. 1. 17.

Deus solus pius, Apocal. 15. 4. alii etiam pii, 1. Petri 2. 9.

Deus solus beatus, 1. Tim. 6. 15.

alii beati, Genes. 30. 13. Psalm. 1. 1. † 32. 1. 2. † 40. 1. † 118. 1. † 126. 1. Matth. 5. * † 16. 17. † 24. 46. Luc. 1. 45. † 14. 14. Jacob. 1. 1.

Deus solus potens, 1. Tim. 6. 15.

alii potentes, Exod. 18. 21. Psalm. 111. 2. Luc. 1. 52. Actor. 8. 27. † 18. 24.

Deus solus immortalis, 2. Tim. 6. 16.

aliis tribuitur immortalitas, Sapient. 5. 15. † 4. 1. † 8. 17.

Deus facit mirabilia solus, Psalm. 71. 18. † 135. 4. Eccles. 11. 4.

alii quoque faciunt mirabilia, Deut. 34. 12. Eccli. 31. 9. † 48. 4. 15.

Deus solus novit arcanas animi cogitationes, 3. Regum 8. 39. 2. Paral. 6. 20.

alii quoque noverunt, 1. Reg. 9. 19. 4. Reg. 5. 26.

Deus solus peccata remittit, Luc. 5. 21. dimittunt & alii, Matth. 18. 18. Joann. 20. 23.

Deo soli honor, & gloria, Psalm. 113. 1. Isai. 42. 8. 1. Tim. 1. 17.

aliis quoque tribuuntur, 4. Regum 14. 10. 2. Paralip. 17. 5. Psalm. 139. 9. Eccli. 31. 10. Luc. 14. 10. Joann. 5. 41.

Deus solus adorandus, Exod. 20. 5. Levit. 26. 1. Deuter. 5. 9. Matth. 4. 10.

aliis adoratio tribuitur, Gen. 18. 2. Vide Adoratio.

Deo soli serviendum, Deut. 6. 13. † 10. 20. 1. Reg. 7. 3. Matth. 4. 10. Luc. 4. 8.

aliis etiam post Deum serviendum, Gen. 25. 23. † 29. 20. † 47. 25. 1. Tim. 6. 2.

Deus cujus mali sit caussa, & cujus non sit. Vide Malum.

DIABOLUS studet semper perditioni hominum, Gen. 3. 1. * 1. Par. 21. 1. Job 1. * 2. * Zach. 3. 1. Matth. 4. 3. 9. † 8. 28. † 13. 19. Luc. 8. 12. † 15. 9. 14. † 22. 31. Actor. 5. 3. † 13. 8. 2. Cor. 4. 4. † 11. 14. Ephes. 6. 11. 1. Thess. 2. 18. 1. Petr. 5. 8. Apoc. 2. 10. † 12. 9. † 20. 7.

Diabolus non plura potest, quam ei Deus permittit, 3. Regum 22. 22. 2. Paralip. 18. 20. Job 1. 12. † 2. 6. Matth. 8. 31. Marc. 5. 12. 13. Ephes. 2. 2. Timoth. 2. 26. Apoc. 20. 7.

Diabolus pater & princeps mundi, omniumque impiorum, Matth. 4. 9. Luc. 4. 6. Job 41. 25. Joann. 8. 44. † 12. 31. † 14. 30. † 16. 11. 2. Corinth. 4. 4. Eph. 2. 2. † 6. 12. Coloss. 2. 15.

Diaboli imperium per Christum sublatum, Gen. 3. 15. 1. Reg. 17. * Job 26. 13. Isai. 9. 4. † 14. 8. 12. † 27. 1. † 52. 3. Zach. 3. 2. Matth. 12. 29. Luc. 10. 18. † 11. 22. Joann. 12. 31. Coloss. 1. 13. † 2. 15. 2. Timoth. 1. 10. 1. Joann. 3. 8. Hebr. 2. 14. Apoc. 12. 9. † 20. 2.

Diaboli filii, Joann. 8. 44. Act. 13. 10. 1. Joann. 3. 10.

DIACONI, Act. 6. 3. † 21. 8. Phil. 1. 1. 1. Tim. 3. 8.

DIANA colitur Ephesi, & in universa Asia, Actor. 19. 27.

DIES novissimi, & judicium extremum, 1. Reg. 2. 10. Psalm. 95. 13. Isai. 2. 10. 19. † 13. 4. 6. 13. † 26. 22. † 27. 1. † 30. 30. † 66. 15. 24. Jerem. 30. 23. Daniel. 7. 9. Soph. 1. 2. 14. Malach. 4. 1. 4. Esdræ 2. 27. † 13. 32. Matth. 12. 13. † 13. 42. 49. † 16. 27. † 24. * † 25. 31. 42. Marc. 13. * Luc. 17. 24. 37. Act. 1. 11. † 3. 20. † 17. 31. Rom. 2. 5. 16. † 14. 10. 1. Cor. 15. * 2. Cor. 5. 10. 1. Thess. 4. 16. † 5. 2. 2. Thess. 1. 7. † 2. 1. Tit. 2. 13. 2. Petr. 3. 13. Hebr. 9. 28. Judæ 14. Apoc. 1. 7. † 20. 11.

Dies Domini, Isai. 13. 6. Jer. 30. 7. Amos 5. 18. Joel. 2. 1. 31. Soph. 1. 14. Malach. 4. 1. 4. Esdr. 2. 27. Phil. 1. 6. † 2. 10. 1. Thess. 5. 2. 2. Tim. 4. 8.

Dies Domini, & hora nulli cognita, Matth. 24. 36. 50. Marc. 13. 32. Luc. 17. 24. 30. Actor. 1. 7. 1. Thess. 5. 1. 2. Petr. 3. 10. Apoc. 3. 3. † 16. 15.

DIES pro annis, Num. 14. 34. Ezech. 4. 6.

DILECTIO Dei erga suos, Exod. 20. 5. † 34. 14. Deuter. 4. 24. † 6. 15. † 7. 8. Josue 24. 19. Prover. 8. 17. Eccli. 4. 18. Jer. 31. 3. Joann. 3. 16. † 10. 11. † 13. 1. 18. † 15. 9. † 16. 27. Rom. 5. 8. Gal. 2. 21. Eph. 3. 19. † 5. 2.

Diligendus est Deus super omnia, Gen. 22. 2. 9. Exod. 20. 6. Deut. 5. 10. † 6. 5. † 10. 12. † 11. 1. 13. 22. † 30. 6. Jos. 22. 5. Eccl. 7. 32. † 34. 19. † 47. 11. Matth. 10. 37. † 22. 36. Marc. 12. 30. Luc. 7. 47. † 10. 27. Joann. 21. 15. Rom. 5. 5. † 8. 28. 35. 1. Cor. 10. 21. Joann. 4. 17.

Dilectio, vide Charitas.

DINA filia Jacob, Genes. 30. 21. violatur a Sichem, cap. 34. 2.

DIONYSIUS Areopagita convertitur, Act. 17. 34.

DISCORDIA vitanda, Prov. 6. 19. † 10. 12. † 15. 18. † 16. 28. † 17. 11. † 18. 6. † 30. 33. Matth. 12. 24. * Luc. 11. 17. 1. Cor. 14. 33. Gal. 5. 15. 2. Tim. 2. 23.

DIVINI, vide Incantatores.

DIVITES quomodo se erga pauperes habere debeant, Lev. 15. 35. Deut. 15. 7. 10. Job 31. 16. Psalm. 61. 11. Prov. 14. 31. † 17. 5. † 29. 17. † 21. 13. † 22. 7. † 28. 27. † 30. 7. Eccles. 11. 1. Eccli. 4. 4. † 7. 35. † 11. 10. † 29. 12. † 31. 8. Isai. 23. 18. Matth. 6. 19. † 19. 21. Luc. 14. 13. † 16. * † 18. 22. Act. 2. 45. † 4. 34. 1. Tim. 6. 18. vide Eleemosyna.

Divitiarum vanitas & contemptus, & quemadmodum in divitiis non sit sperandum. Psalm. 38. 7. † 48. * † 51. 9. Prov. 10. 2. † 11. 4. 28. † 15. 16. † 18. 11. † 22. 16. † 23. 4. † 28. 11. † 30. 7. Eccles. 5. 9. 12. † 6. 2. Isai. 2. 7. Jer. 17. 3. 11. † 22. 13. Ezech. 7. 19. Soph. 2. 18. Eccli. 5. 1. 10. † 10. 10. † 11. 7. † 14. 1. † 31. 3. Matth. 3. 22. † 19. 21. Luc. 8. 1. 14. † 12. 15. 1. Timoth. 6. 9. Jac. 1. 11.

contra Divites impios, 1. Reg. 25. 2. Job 20. 19. † 27. * Prov. 23. 4. † 28. 8. 20. 27. Eccl. 6. 1. Isai. 5. 8. † 32. 9. Jer. 15. 13. Amos 6. 1. † 8. 4. Habacuc 2. 5. Luc. 6. 24. † 16. 19. 20. Jacob. 5. 1. vide Avaritia.

DOCTRINA Apostolica scripta, & non scripta firmiter tenenda, Rom. 16. 17. Galat. 1. 8. 11. 2. Thessal. 2. 15. 1. Cor. 11. 3. 34.

Doctrina Apostolorum est Christi doctrina, Luc. 10. 16. 1. Cor. 14. 37. 2. Cor. 2. 14. 17. † 7. 20. 1. Thessal. 2. 2. 13. Gal. 1. 11.

DOEG servus Saulis credit sacerdotem Abimelech, 1. Reg. 22. 9. 18. cædit Sacerdotes Domini, 22. 18.

DOLUS, Jer. 9. 6. Psalm. 34. 20. † 9. 28. Prov. 12. 17. Marc. 7. 22. Act. 5. 1. Rom. 1. 29.

DOMUS ædificata super petram firmam manebit, Psal. 45. 2. Matth. 7. 24. † 16. 18. Luc. 6. 48. Rom. 8. 35.

Domus corporis nostri, 2. Cor. 5. 1. 2. Petr. 1. 14.

DOMINI, & dominæ erga servos & ancillas totamque familiam officium & potestas, Exod. 21. 2. 20. 26. Lev. 29. 13. † 25. 38. Deut. 5. 14. 21. † 15. 12. 16. † 24. 15. Job 31. 13. Prov. 29. 19. Jerem. 34. 9. 14. Eccli. 7. 22. † 33. 31. † 42. 16. Ephes. 6. 9. Col. 4. 1.

DONARIA recipere, sine prohibitum, Genes. 14. 22. Exod. 18. 21. † 23. 8. Num. 22. 18. Deut. 10. 17. † 27. 25. 1. Reg. 8. 3. † 12. 3. 3. Reg. 13. 7. 4. Regum 5. 16. 2. Par. 19. 7. Job 15. 34. Psalm. 14. 5. † 25. 10. Proverb. 15. 27. † 17. 23. Isai. 1. 23. † 5. 53. † 33. 15. † 45. 13. Ezech. 13. 19. † 22. 12. Dan. 5. 17. Mich. 3. 11. Eccli. 8. 3. † 20. 31. Act. 20. 35.

DRUSILLA uxor Felicis præfecti, audit doctrinam Evangelicam a Paulo, Act. 24. 24.

E

EBRIETAS & gula, Gen. 9. 21. † 19. 32. 35. † 25. 29. Lev. 10. 9. 1. Reg. 25. 36. 2. Reg. 11. 13. † 13. 28. 3. Reg. 20. 12. 16. Prov. 20. 1. † 21. 17. † 23. 1. 2. 3. 20. 29. † 31. 4. Eccli. 19. 1. † 23. 6. † 31. 12. 17. * 31. 35. † 37. 32. * Isai. 5. 11. 22. † 22. 13. † 28. 7. † 56. 12. Ezech. 16. 49. Dan. 5. 2. Osee 4. 11. Joel 1. 5. Mich. 2. 11. Habac. 2. 5. 16. Jud. 13. 4. Sap. 2. 7. 1. Machab. 16. 16. Luc. 12. 45. † 21. 34. Rom. 13. 13. 1. Corinth. 5. 10. † 6. 10. † 15. 32. Galat. 5. 21. Ephes. 5. 18. 1. Thess. 5. 7. 1. Timoth. 3. 3. Tit. 1. 7. 1. Petr. 4. 3. Hebr. 12. 16. vide Jejunium.

Ebrietas iram Dei provocat, Isa. 5. 11. 22. † 28. 1. Dan. 5. 1. Joel. 1. 4. 5. 1. Cor. 6. 10. mentem alienat, Prov. 23. 31. Eccli. 19. 2. Isai. 28. 1. 7. Osee 4. 11. ad libidinem incendit, Prov. 20. 1. Ephes. 5. 18. facultates dissipat, Prov. 25. 20. Eccli. 29. 1. secretum detegit, Prov. 31. 4. Habac. 2. 15. ad furorem & rixas excitat, Prov. 20. 1. † 23. Eccli. 31. 38. 40. Osee 7. 5.

EBRON Vide Hebron.

ECCLESIA accipitur pro templo materiali, Deut. 23. 1. Jud. 20. 2. Jud. 6. 21. Psalm. 67. 27. Thren. 1. 10. Joel. 2. 16. 1. Cor. 11. 28. † 14. 34.

Ecclesia accipitur pro cœtu fidelium, Numer. 19. 20. † 20. 4. 1. Reg. 17. 47. 3. Reg. 8. 14. 55. 1. Paral. 29. 1. * 2. Paral. 1. 5. Psalm. 21. 26. † 2. 5. † 34. 18. † 106. 32. † 149. 1. Machab. 4. 37. † 5. 16. † 14. 19. Matth. 16. 18. Act. 5. 11. † 8. 1. † 16. 4. Rom. 16. 16. 1. Cor. 6. 5. † 11. 16. † 12. 28. † 14. 5. 2. Cor. 8. 18. 23. 24. † 11. 8. † 12. 13. Ephes. 5. 23. Philip. 4. 15. Col. 1. 15. 1. Timoth. 3. 5. 15. Jacob. 5. 14. Apoc. 1. 11. † 22. 16.

Ecclesia pro cœtu unius provinciæ, 3. Reg. 8. 14. Act. 9. 31. † 11. 2. 6. † 12. 1. † 13. 2. † 15. 4. † 19. 32. † 20. 17. Rom. 16. 2. 1. Cor. 1. 2. † 16. 1. 2. Cor. 8. 2. Gal. 1. 2. 2. Thess. 1. 1. * 1. Petr. 5. 13. Apoc. 2. 1. * † 3. 1.

Ecclesia pro Prælatis, & Præpositis, 3. Regum 8. 14. Matth. 18. 17.

Ecclesia est una & visibilis, præfigurata per unam & visibilem arcam Noe, Genes. 6. 14. 1. Petr. 3. 20. per civitatem sanctam Jerusalem, Apoc. 21. 2. per hortum conclusum, & fontem signatum, Cant. 4. 12. per unam columbam, 6. 8. per vineam, Psalm. 79. 9. Cant. 2. 15. Isaiæ 5. 2. * Jerem. 2. 21. † 12. 10. Matth. 20. 1. * Marc. 12. 1. Luc. 20. 9. Apoc. 14. 15. per navem, Luc. 5. 3. per sagenam comprehendentem bonos, & malos pisces, Matth. 13. 47. per agrum, Matth. 13. 24. per regnum cælorum, Matth. 13. * † 25. *

Ecclesia firmamentum veritatis errare non potest, Isa. 59. 21. Matth. 16. 16. 18. † 28. 20. Luc. 22. 32. Joann. 14. 16. † 16. 13. † 17. 11. 20. 1. Tim. 3. 15. * 1. Joann. 2. 27.

Ecclesia est Corpus Christi, Cant. 4. 7. 9. 11. 12. Ephes. 1. 22. † 4. 4. † 5. 23. 1. Cor. 12. 27.

Ecclesia fidelium nascitur, & propagatur per sanam doctrinam, Joann. 1. 12. † 3. 3. Roman. 8. 13. † 9. 8. Gal. 3. 26. † 4. 19. Eph. 1. 5. Tit. 1. 1. Cor. 4. 15. Philem. 10. 1. Petr. 1. 23. 1. Joann. 3. 9. † 5. 1. 18. Jac. 1. 18.

Ecclesia, seu fidelium cœtus, tenetur sacerdotibus, pastoribusque suis, quæ ad vitam sunt tuendam necessaria suppeditare, Deut. 12. 19. † 14. 27. † 16. 11. † 25. 4. 1. Esdr. 7. 23. Matth. 10. 10. Luc. 10. 7. Roman. 15. 27. 1. Corinth. 9. 7. 11. Galat. 6. 8. Philipp. 2. 29. † 4. 10. 16. 1. Thess. 5. 12. Hebr. 13. 7. Tenetur etiam pro suis præfectis orare, Actor. 4. 29. † 12. 5. Rom. 15. 30. Ephes. 6. 18. Philip. 1. 19. Coloss. 4. 2. 2. Thess. 3. 1. Hebr. 13. 18.

Ecclesia est sponsa Christi, Psalm. 44. 11. Ezech. 16. 9. 2. Cor. 11. 2. Ephes. 5. 26. Apoc. 19. 8. † 21. 10.

Ecclesiæ caput est Christus, Osee 2. 2. 1. Cor. 12. 27. Ephes. 1. 22. † 4. 15. † 5. 23. Coloss. 1. 18. † 2. 10.

Ecclesiæ quasi membra quædam sunt veri fideles, eidem capiti Christo, ejusque vicario subjecti, cujuscumque nationis fuerint, sive Judæi, sive Gentiles, Isai. 43. 9. Joann. 10. 16. 1. Cor. 12. 12. Ephes. 3. 8.

Ecclesiæ claves promittuntur, & potestas, Matth. 16. 19. traduntur, Joann. 20. 23. exercentur. Matth. 18. 17. vide Excommunicatio, & Confessio.

Ecclesiam sibi Christus comparavit, & emit Sanguine suo, Actor. 20. 28. 1. Corinth. 6. 20. † 7. 23. Ephes. 2. 23. Coloss. 1. 14. 1. Pet. 1. 18. Hebr. 9. 12. 1. Joann. 1. 7. Apoc. 1. 5. † 5. 9. † 14. 4.

Ecclesiam suam Deus protegit, & custodit, Exod. 13. 21. † 29. 45. Levitic. 16. 12. Deuteron. 7. 20. † 23. 14. † 31. 3. 3. Reg. 6. 13. Psalm. 90. 1. 11. † 131. 13. Isaiæ 43. 2. Jerem. 46. 28. Matth. 18. 20. † 28. 20. Joann. 14. 23. 2. Cor. 6. 16.

EDOM frater Jacob, filius Isaac, appellatur Esau, Gen. 25. 25.

Edumæi negant Israelitis transitum per suam regionem, Num. 20. 14. cæduntur, & fiunt servi domui Israel, 2. Regum 8. 14. deficiunt ab Israel, & creant sibi regem, 4. Regum 8. 20. superantur a Juda, 14. 7. 2. Paralipp. 25. 12.

Contra Edumæos prophetia, Num. 24. 18. Psal. 136. 7. Isaiæ 21. 11. † 34. 5. Jerem. 49. 7. Thren. 4. 22. Ezech. 25. 13. 14. † 32. 29. † 35. * † 36. 5. Amus 1. 11. Abdiæ 1. 1. * vide Esau.

ELEAZAR filius Aaron, Exod. 6. 23. † 28. 4. partitur cum Josue terram Chanaan, Josue 14. 1. juxta præceptum Domini, Numer. 34. 17. consecratur Sacerdos, Lev. 8. 24. * fit post mortem patris summus Sacerdos, Num. 20. 26. Deuter. 10. 6. moritur, & sepelitur, Josue 24. 33. filium habet cui Phinees nomen erat, Exod. 6. 25. quem in demortui patris locum sufficiunt, Num. 25. 7. 12.

ELEAZAR filius Saura occidit elephantem, quo in vulnere procumbente, ipse oppressus suffocatur, 1. Mach. 6. 41.

ELEAZARI senis martyrium, 2. Mach. 6. 18. 24.

ELEEMOSINA pauperibus eroganda, Exod. 22. 25. † 23. 11. Lev. 19. 10. † 23. 22. † 25. 35. Deuteron. 15. 7. 10. † 24. 19. 3. Reg. 17. 10. 2. Esdr. 8. 11. Esther 9. 22. Psalm. 40. 1. † 81. 4. † 111. 9. Prov. 3. 9. 28. † 11. 18. 25. † 14. 21. 31. † 18. 17. † 21. 13. 21. † 22. 9. † 28. 27. † 31. 20. Eccles. 11. 1. Isaiæ 58. 7. Ezech. 16. 49. † 18. 7. Dan. 4. 29. Eccli. 4. 2. † 7. 35. † 12. 1. † 13. 31. † 29. 12. † 35. 4. Tob. 1. 4. † 4. 7. 17. † 12. 9. † 14. 12. Matth. 6. 3. † 10. 42. † 19. 21. † 25. 35. 42. Luc. 3. 11. † 6. 35. † 11. 41. † 12. 33. † 14. 13. † 16. 9. 21. † 19. 8. † 21. 1. Act. 2. 42. † 6. 2. † 9. 39. † 10. 2. † 11. 29. † 20. 35. Rom. 12. 8. † 15. 26. 1. Cor. 16. 2. * 2. Cor. 8. 4. 15. † 9. * Ephes. 4. 28. Hebr. 13. 16. 1. Joann. 3. 17. Jacob. 2. 15. quære Misericordia.

ELI sacerdos in Silo, 1. Reg. 1. 3. filii ejus reprehenduntur, 2. 12. 22. e folio lapsus fractis cervicibus moritur, 4. 18.

ELIAS, vide Helias.

ELISEUS ungitur Propheta, 3. Reg. 19. 19. juxta præscriptum Domini, 19. 16. transit Jordanem, 4. Reg. 2. 14. sanat aquam, 2. 21. revocat puerum ad vitam, 4. 32. mundat Naaman a lepra, 5. 14. percutit Syros cæcitate, 6. 18. prædicit rerum abundantiam, 7. 1. ægrotat, & moritur, 13. 14. 20. mortuum ejus corpus excitat mortuum, 13. 21. commendatur, Eccli. 48 13.

ELYMAS magus fit cæcus, Actor. 13. 8.

EMERE, & vendere quomodo oporteat, Gen. 23. 9. 14. † 25. 31. † 33. 19. † 41. 57. † 42. * Levit. 19. 13. 35. † 25. 14. 46. Deut. 15. 1. † 25. 11. 2. Reg. 4. 21. Eccli. 27. 3. † 42. 25. Prov. 11. 1. 26. † 16. 11. † 20. 10. 23. Isaiæ 23. 18. Jerem. 32. 6. Ezech. 45. 10. Mich. 6. 10. Matth. 7. 2. Luc. 14. 18. 1. Cor. 7. 30. 1. Thess. 4. 6.

EPHRON, quia negabat Judæ transitum, funditus perdita est, 1. Mach. 5. 46. 2. Mach. 12. 27.

EPISCOPI, eorum electio, & officium, Matth. 20. 23. 26. Luc. 4. 16. † 22. 26. Joann. 10. 4. 14. † 21. 15. Actor. 1. 24. † 6. 3. † 11. 22. † 14. 20. 28. Roman. 13. 16. 25. 1. Cor. 3. 5. † 4. 1. † 16. 1. 9. 2. Cor. 3. 6. † 4. 5. 10. 8. † 6. 4. Ephes. 1. 15. † 3. 2. Col. 1. 23. 1. Tit. 3. 1. † 4. 6. 2. Timoth. 2. 1. 15. 24. Tit. 1. 5. 1. Pet. 5. 2. vide Concionator.

ERUBESCERE nullus debet Evangelium, Psalm. 39. 21. Eccli. 42. 9. 21. Marc. 8. 38. Luc. 9. 26. Rom. 1. 16. 2. Tim. 1. 8.

Erubescendum propter peccata, Ezech. 16. 52. Eccli. 42. 11.

ESAIAS, vide Isaias.

ESAU filius Isaac nascitur, Genes. 25. 24. vendit sua primogenita, 25. 31. Hebr. 12. 16. supplantatur a fratre suo Jacob, Gen. 27. * ducit filiam Ismaelis, 28. 9. † 36. 3. procedit contra Jacob cum 400. viris, 32. 6. osculatur suum fratrem Jacob, 33. 4. in Esau pugnare prohibetur Israel, Deut. 2. 4. vide Edom.

ESDRAS Scriba proficiscitur ex Babylone, 1. Esd. 7. 6. separat mulieres Gentiles ex Israel, 9. * † 10. † legit coram multitudine librum Legis, 2. Esdræ 8. 2. 3. Esdræ 9. 39. appellatur Josedec, 1. Paral. 6. 15.

ESURIRE justitiam, Isaiæ 55. 1. Psalm. 106. 9. Matth. 5. 6. Luc. 1. 53. † 6. 21. Apoc. 21. 6. † 22. 17.

EVA formatur ex costa Adæ, Gen. 2. 21. comedit fructum vetitum. 3. 6.

EVANGELIUM Christi, ejusque prædicatio, Genes. 3. 15. Isal. 53. 1. † 55. 5. † 61. 1. Matth. 1. 21. † 11. 28. † 28. 19. Marc. 16. 15. Luc. 2. 10. † 24. 46. Joann. 3. 16. † 6. 35. † 8. 2. † 10. 9. † 12. 46. Rom. 1. 16. † 3. 21. 24. † 8. 3. 1. Cor. 1. 15. 29. † 4. 15. † 15. 1. 2. Cor. 5. 18. Galat. 1. 6. 11. Ephes. 1. 13. 1. Timoth. 1. 15. 2. Tim. 1. 8. † 2. 8. 1. Petr. 4. 17.

Evangelium affert fiduciam, simul & timorem, consolationem, & terrorem, Matth. 3. 7. * † 5. 20. 23. † 7. 13. 19. 23. † 8. 12. † 9. 15. † 10. 33. † 11. 12. † 12. 37. 41. † 13. 29. 40. 50. † 15. 13. † 16. 27. † 18. 6. 7. † 20. 16. † 22. 13. 14. † 24. 12. 24. * † 25. 12. 13. 30. 41. * Marc. 10. 25. 31. † 13. * Luc. 3. 17. † 8. 24. 25. † 9. 62. † 12. 20. 40. 48. † 13. 5. 26. 30. † 16. 22. † 17. 30. 34. † 19. 22. * † 20. 47. † 21. * Joann. 5. 28. † 15. 16. Actor. 5. 5. 6. * Roman. 1. 18. † 2. 5. 6. † 6. 23. † 9. 18. * † 11. 20. 22. † 13. 2. 3. 4. † 14. 12. 1. Cor. 3. 13. 17. † 5. 5. † 10. 8. † 11. 29. * † 15. 51. † 16. 22. 2. Corinth. 7. 1. 8. 10. † 13. 5. Galat. 5. 21. 24. Ephes. 5. 5. Philem. 2. 12. 1. Tim. 5. 24. Hebr. 9. 27. † 10. 26. 27. * Jac. 4. 9. † 5. 1. 1. Pet. 4. 18. † 5. 8. 2. Pet. 1. 10. † 2. 4. * † 3. 10. * Judæ 15.

Evangelizanti debetur necessaria vitæ sustentatio, Matth. 10. 9. Marc. 6. 8. Lucæ 9. 4. † 10. 7. Rom. 15. 26. 1. Cor. 9. 7. 11. 13. Galat. 6. 6. 1. Timoth. 5. 17. 2. Tim. 2. 6.

EUCHARISTIA, Matth. 26. 26. Marc. 14. 22. Luc. 22. 19. 1. Corinth. 11. 34. * † 10. 16. frequenter sumenda, Actor. 2. 42. † 20. 7. præfiguratur, Exod. 16. 15. *

Eucharistia sub altera tantum, nimirum panis, specie, Joann. 6. 58. data a Christo, Luc. 24. 30. 31. ab Apostolis, Actor. 2. 42. † 20. 7.

In Eucharistia non remanet substantia panis post consecrationem, sed est verum Christi Corpus & Sanguis, Matth. 26 26. Marc. 14. 22. Luc. 22. 19. Joann. 6. 51.

Eucharistiam in publicis Supplicationibus circumferendam esse præfiguratum, Jos. 6. 6. 7. 11. * 20. 1. Reg. 4. 3. 2. Reg. 6. 4. 5. 6.

Eucharistia adoranda, Psalm. 21. 28. 30. † 98. 5. Joann. 9. 18.

EXACTIO, census, & tributum debetur Principibus, Matth. 17. 24 † 22. 17. Marc. 12. 16. Luc. 20. 22. Rom. 13. 7.

EXCOMMUNICATIO a Christo instituta, & præcepta, Matth. 5. 29. † 16. 19. † 18. 8. Marc. 9. 42. Joann. 20. 23.

Excommunicatio in usu fuit Apostolis, 1. Cor. 5. 3. 10. 2. Thess. 3. 6. 14. 1. Tim. 1. 20. Tit. 3. 10.

Excommunicatio exercenda ad ædificationem, & mundationem Ecclesiæ, & ad correctionem ejus, qui excommunicatur, 1. Cor. 5. 4. 1. Tim. 1. 20. 2. Thess. 3. 14. ut spiritus ejus salvus fiat. 1. Cor. 5. *

Excommunicatio Pharisæorum, Joann. 9. 22. 34. † 12. 42. † 16. 22.

Excommunicandi, qui in moribus, aut doctrina graviter errantes admoniti, nolunt resipiscere, Prov. 22. 10. Matth. 18. 17. Rom. 16. 16. 1. Corinth. 5. * 2. Corinth. 2. 8. 2. Thessal. 3. * 1. Tim. 1. 20. † 6. 2. Timoth. 2. 17. 21. † 3. 5. Tit. 3. 10. Joann. epist. 2. 10.

Excommunicati vitandi, Matth. 18. 17. 1. Cor. 5. * Tit. 3. 10.

EXEQUIÆ celebrantur, Gen. 23. 2. 3. † 50. 10. Deut. 38. 8. 2. Reg. 3. 31. *

EZECHIAS filius impii Achaz cum esset rex, tamen pius fuit, 4. Reg. 18. 20. frangit serpentem æneum, 18. 4. deficit ab Assyriis, 18. 7. mittit nuntium ad Isaiam prophetam, 19. 2. Isai. 37. 2. decumbit ex gravi morbo, 4. Reg. 20. 1. Isai. 38. 1. ostendit Babyloniis suum thesaurum, & reprehenditur, 4. Reg. 20. 12. 14. Isai. 39. 1. 5. commendatur, Eccli. 48. 19.

EZECHIEL cum aliis captivis vehitur in Babylonem, Ezech. 1. 1. vocatur, & mittitur, 2. 3. commendatur, Eccli. 49. 10.

F

FACERE pro sacrificare in Scripturis, Lev. 15. 15. 30. Num. 6. 11. 16. † 8. 12. † 9. 2. 4. 10. 14. Jud. 13. 16. Lucæ 22. 19.

Fama bona præstantior divitiis, Prov. 22. 1. Eccles. 7. 2. Eccli. 41. 15. 16.

FAMES, & annonæ caritas, Genes. 12. 10. † 26. 1. † 41. * 42. * 43. * 44. * 45. * 47. * Exod. 16. 3. Deut. 28. 53. † 32. 24. Ruth 1. 1. 2. Regum 21. 1. † 24. 13. 3. Reg. 8. 37. † 18. 2. 4. Reg. 4. 38. † 6. 25. † 8. 1. † 25. 3. 2. Paral. 6. 28. † 20. 9. 2. Esdr. 5. * Psal. 36. 19. Isa. 5. 13. Jerem. 14. 1. 12. 15. † 15. 2. † 29. 17. † 34. 17. Ezech. 5. 12. 16. † 6. 11. Joel. 1. * Amos 4. 6. Agg. 1. 6. 10. † 2. 17. Matth. 24. 7. Luc. 4. 25. † 15. 14. Actor. 7. 11. † 11. 28. Rom. 8. 35. 2. Cor. 8. 14. † 11. 27. Apoc. 6. 8. † 18. 8.

Fames verbi Dei, 1. Reg. 3. 1. 2. Paralip. 15. 3. Osee 3. 4. † 4. 1. Amos 8. 11.

FAMULORUM famularumque officium, Gen. 16. 4. 6. † 24. * † 30. 25. † 31. 4. † 39. 1. 6. Exod. 21. 2. 20. 4. Reg. 5. 20. 25. Prov. 14. 35. † 17. 2. † 19. 10. † 29. 19. Eccles. 2. 7. Eccli. 5. 22. † 10. 28. Jer. 31. 8. Joel. 2. 29. Luc. 12. 37. 45. Actor. 12. 13. 1. Corinth. 7. 21. Ephes. 6. 5. Coloss. 3. 22. 1. Timoth. 6. 1. Tit. 2. 9. 1. Petr. 2. 18.

FELIX Præfectus Judææ, Act. 23. 24. † 24. *

FERMENTUM, mala doctrina, Levit. 2. 11. † 6. 16. Deuteron. 16. 3. Matth. 16. 6. Marc. 8. 15. Luc. 12. 1. 1. Cor. 5. 5. Galat. 5. 9.

FESTA Judæorum, & in primis festum Paschæ, vide Pascha.

Festum Pentecostes, Exod. 21. 16. † 34. 22. Num. 28. 26. Deut. 16. 9. Joann. 5. 1. Act. 2. 1. † 20. 16.

Festum tubarum, Levit. 23. 24. Num. 29. 1. 2. Paral. 5. 3.

Festum expiationum, Levit. 16. 30. † 23. 27. Numer. 29. 7. 8.

Festum tabernaculorum, Exod. 21. 16. Levitic. 23. 34. Num. 22. 12. Deuteron. 16. 13. † 31. 10. 1. Esdr. 3. 4. 2. Esdr. 8. 15. 17. 2. Machab. 1. 9. † 10. 6. Joann. 7. 2.

Festum Sabbati, vide Sabbatum.

Festum neomeniæ, Num. 28. 11. 1. Reg. 20. 5. Ezech. 45. 18.

Festorum violatio, quam graviter puniatur, Numer. 15. 32.

FESTUS Præfectus Judææ, Act. 24. 27.

FIDES in Scripturis varie accipitur, videlicet pro fidelitate & veritate Dei in servandis promissis, Psal. 32. 4. Isaiæ 11. 5. Thren. 3. 23. Osee 2. 20. † 5. 9. Roman. 3. 3. Pro veritate & constantia verborum inter homines, Gen. 39. 16. † 44. 32. Levitic. 6. 2. Eccli. 22. 28. Jer. 42. 5. 1. Machab. 10. 27. 1. Tim. 2. 7. pro virtute Theologica, Sap. 1. 2. † 3. 14. Habac. 2. 4. Matth. 8. 13. † 9. 22. † 17. 20. Marc. 5. 34. Luc. 5. 20. Rom. 3. 21. † 4. 3. † 5. 1. pro fide viva & formata per charitatem, Habac. 2. 4. Matth. 9. 22. † 15. 28. Marc. 5. 34. † 10. 52. Luc. 7. 50. Rom. 3. 22. Galat. 5. 6. * Hebr. 11. * pro fide mortua absque charitate, Matth. 7. 21. 22. 1. Corinth. 13. 2. † 15. 2. Jacob. 2. 26. pro sponsione, seu voto, 1. Tim. 5. 12. pro fiducia, Jacob. 1. 6.

Fides charitate interior, vide Charitas.

Fides viva, quæ per charitatem operatur, magnæ virtutis est, Matth. 9. 2. 22. 29. † 21. 22. Marc. 16. 16. Luc. 18. 42. Joann. 1. 12. † 3. 15. 16. 36. † 6. 35. † 6. 38. † 11. 25. † 14. 12. † 20. 29. Actor. 3. 16. † 10. 43. † 15. 9. † 16. 31. Rom. 1. 26. † 3. 22. Gal. 3. 8. Ephes. 2. 7. Hebr. 11. 6.

Fides non facit nos certos, aut securos de accepta peccatorum remissione, aut consequenda vita æterna, vide Certi.

Fides sine operibus non justificat, 1. Cor. 13. 2. Galat. 5. 6. Jac. 2. 24.

Fides ipsa etiam appellatur opus bonum, Philipp. 1. 6.

Fides est una, Ephes. 4. 5.

Fidei vivæ & operanti tribuitur justitia & salus, Gen. 15. 6. Marc. 16. 16. Luc. 1. 45. † 8. 48. † 23. 41. Joann. 5. 24. † 17. 3. Actor. 13. 38. † 16. 31. Rom. 3. 22 † 4. 3. 22. † 5. * † 10. 1. 10. Phil. 3. 9. 1. Pet. 2. 6. Hebr. 4. 3.

Fidei prædicatio ad eorum, qui præsunt in Ecclesia, judicium referenda est, Galat. 2. 2.

Fidem Gentilium etiam respicit Deus, Jerem. 39. 18. Matth. 8. 5. 13. † 15. 28. Luc. 7. 9. † 10. 33. † 17. 16. Joann. 4. 47 Actor. 10. 3. † 8. 25.

Fideles Deus liberat a communi perditione & internecione impiorum, Gen. 6. * 7. * 8. * 19. * Exod. 8. 22. † 9. 4. 6. 26. † 10. 23. † 11. 7. Num. 16. 20. 26. 31. Jerem. 39. 18. Dan. 6. 22. 2. Petr. 2. 7.

Infidelitas, seu incredulitas punitur, Genes. 19. 11. 17. 26. Num. 11. 2. 11. † 14. 21. † 20. 12. Deut. 9. 20. 4. Reg. 7. 2. 17. 4. Esdr. 15. 4. Psal. 77. 23. Eccli. 2. 15. Matth. 8. 28. † 14. 30. † 17. 17. Marc. 16. 16. Luc. 1. 16. † 24. 24. Joann. 3. 18. 36. † 6. 7. † 8. 24. † 12. 48. † 20. 27. Rom. 11. 20. Hebr. 3. 18. † 4. 2. † 11. 6. Apoc. 21. 8.

FILIORUM officium erga parentes, Gen. 9. 23. † 22. 2. 7. † 27. 1. † 28. 7. † 37. 14. * Exod. 20. 12. † 21. 17. Levit. 19. 3. 32. † 30. 9. † 21. 9. Deut. 5. 16. † 21. 18. † 27. 16. Jud. 14. 1. 1. Regum 2. 11. 18. 22. † 3. 1. 7. † 8. 1. † 18. 5. 3. Reg. 2. 19. 4. Reg. 2. 13. † 12. 2. † 22. 1. 2. Paral. 34. 3. Eccli. 3. 1. 8. † 6. 18. † 7. 29. † 8. 7. 11. † 22. 3. † 23. 18. † 25. 10. † 32. 24. Tob. 4. 1. † 14. 5. Job 1. 4. † 8. 4. † 32. 4. 6. Prov. 1. 8. † 4. 1. † 6. 20. † 10. 1. † 13. 1. † 15. 20. † 19. 26. † 20. 11. 20. † 23. 15. † 23. 19. 25. † 28. 24. † 30. 17. Jer. 35. 16. Ezech. 27. 7. Matth. 4. 20. † 10. 35. † 15. 4. † 19. 19. Marc. 10. 19. Luc. 2. 48. † 18. 20. Actor. 7. 14. † 22. 3. Ephes. 6. 1. Coloss. 3. 20. 1. Tim. 5. 1. 1. Pet. 5. 5.

FŒNUM & herba cito transiens omnis homo, Psalm. 89. 6. † 128. 6. Isa. 40. 6. Eccli. 14. 14. 15. 1. Pet. 1. 24. Jac. 1. 10.

FŒNUS, vide Usura.

FORNICATIO iram Dei provocat, Deut. 22. 21. Prov. 23. 27. Eccli. 10. 3. Jerem. 5. 7. Osee 4. 14. 1. Cor. 6. 9. 13. 15. Coloss. 3. 5. Hebr. 13. 4. corpus enervat, & facultates absumit, Job 31. 12. Prov. 23. 27. † 29. 3. † 31. 3. Eccli. 9. 6. infamiam affert, Eccli. 9. 10. † 41. 21. fornicationis occasiones vitandæ, Eccli. 9. 4. 12. † 42. 12. fornicatio non solum in opere externo, sed & in affectu prohibetur, Exod. 20. 17. Matth. 5. 28.

Fornicatio spiritualis, quæ est hæresis, & idololatria. Deuter. 31. 16. Jud. 2. 17. † 27. 33. Isa. 1. 21. † 57. 3. Jer. 3. 1. Ezech. 6. 9. † 16. * Osee 1. 2. † 2. 4. † 4. 15. Apoc. 18. 3.

FRATRES & sorores Christi, qui sint, Matth. 12. 49. † 28. 10. Marc. 3. 33. Luc. 8. 21. Joann. 20. 17. Hebr. 2. 12. Psalm. 21. 23.

FRAUS, quære Dolus.

FRUCTUS boni operis, quære Opus.

FUNDAMENTUM est Christus, 1. Cor. 3. 11. Ephes. 2. 20. 1. Pet. 2. 6. fundamentum etiam Apostoli, Ephes. 25. 20. Apoc. 21. 14.

& peculiariter Petrus, Matth. 6. 18. * Joann. 21. 15. 17. cujus fides nunquam deficiet, Luc. 22. 31.

FURTUM prohibetur, committitur, & punitur, Exod. 20. 15. † 21. 17. † 22. 1. Levit. 19. 11. Deuter. 5. 19. † 24. 7. Jos. 7. 1. 19. Tob. 2. 21. Prov. 6. 30. Osee 4. 2. Machab. 12. 40. Matth. 19. 18. Joann. 12. 6. 1. Corinth. 6. 10. Apoc. 9. 21.

Fures dicuntur, verbum Dei, & doctrinam veram adulterantes, Jerem. 23. 30. Joann. 10. 1.

G

GAAL opponit se Abimelech, Jud. 9. 26. 35. 39.

GABAONITÆ redimunt vitam astu quodam, Josue 9. * obsidentur, & obsidione liberantur, 10. 5. * Propter ipsos injuste a Saule occisos suspenduntur filii Saulis, 2. Reg. 21. 1. 6. 9.

GABELUS venit cum Raphael ad nuptias Tobiæ, Tob. 9. 7.

GABRIEL apparet prophetæ Danieli, Daniel. 8. 16. † 9. 21. Zachariæ sacerdoti, Luc. 1. 11. Virgini Mariæ, 1. 26.

GAD filius Jacob ex Lia, Gen. 30. 11. † 23. 26.

Gadditæ recipiunt suam hæreditatem, Numer. 32. * Deut. 3. 12. Jos. 13. 24.

Gad propheta admonet David, ut non maneat in terra Moabitarum, 1. Reg. 22. 5.

Nuntiat Davidi iram Dei, 2. Reg. 24. 11. 18.

GAJUS, 1. Corinth. 1. 14. capitur, Actor. 19. 29. deducit Paulum in Asiam, 20. 4. hospitio eum suscipit, Rom. 16. 23.

GALGAL, sive Galgala, civitas Israel, Jos. 4. 19. in Galgal circumciditur populus, & celebrat Pascha, 5. 2. 7. 10. egreditur inde ad liberandos Gabaonitas, 10. 7. revertitur, 10. 43.

GALILÆA recipit Christum, Joann. 4. 45. in Galilæa incipit Christus prædicare, Matth. 4. 12. Actor. 10. 37.

GAMALIEL, vir peritus Legis, Actor. 5. 34. † 22. 3.

Gamaliel dux Manassitarum, Num. 1. 10.

GAUDERE & lætari honeste licet, 1. Paral. 29. 9. * 2. Esdr. 12. 42. Psalm. 67. 4. Luc. 1. 14. 1. Thess. 1. 6. † 5. 16.

Gaudendum non est more Gentilium, Eccles. 2. 2. † 7. 3. Osee 9. 1. Amos 6. 8. Prov. 2. 14. Jac. 4. 9. Gaudium in persecutione,

cutione, Matth. 5. 12. Actor. 5. 41. † 20. 24. Rom. 5. 3. Coloſſ. 1. 24. Hebr. 10. 34. † 12. 25.

Gaudium Spiritus, Luc. 10. 21. Rom. 12. 12. † 14. 17. Galat. 5. 22. Philipp. 4. 4. 1. Theſſ. 5. 16.

Gaudium ſalutis æternæ, Iſa. 25. 18. † 35. 1. † 33. 20. † 65. 12. Sap. 3. 1. 7. vide Beatitudo.

GEDEON dux, & judex in Iſrael, Jud. 6. * † 7. * † 8. *

GEMITUS quis probandus, quis improbandus, Exod. 2. 23. Ezech. 9. 4. Tob. 3. 1. 2. Mach. 6. 30. Rom. 8. 22. Jac. 5. 9.

GENTIUM vocatio, Gen. 49. 10. Num. 21. 17. Deut. 32. 43. 2. Reg. 23. 44. 50. 3. Reg. 8. 41. Pſalm. 2. 8. † 21. 28. † 67. 32. † 71. 10. 17. † 85. 9. † 86. 4. Iſa. 2. 2. † 11. 10. † 19. 18. † 25. 7. † 27. 13. † 29. 17. † 35. * † 41. 25. † 43. 5. † 45. 14. † 49. * † 51. 5. † 54. * † 55. * † 56. 3. 6. † 60. 3. 9. † 65. 1. † 66. 19. 20. Jer. 9. 24. † 12. 16. † 16. 19. Oſee 2. 1. 24. Joel. 2. 28. Mich. 4. 2. Soph. 3. 9. Zach. 2. 11. † 8. 20. † 9. 10. Matth. 2. 2. 7. † 8. 11. † 21. 31. 43. † 22. 9. Joann. 10. 16. Act. 8. 26. 30. † 10. * 1. Cor. 12. 13. Epheſ. 2. 10.

Gentilium mores non ſunt nobis imitandi, Lev. 18. 3. † 20. 23. Jer. 10. 2.

GENU omne flectendum Domino, Pſal. 21. 20. Iſa. 45. 23. Rom. 14. 11. Phil. 2. 10.

GERSON filius Levi, Num. 3. 17. Gerſonitarum miniſterium, 3. 25. † 4. 22.

GIEZI miniſter Eliſei, 4 Regum 4. 25. fit leproſus, 5. 26.

GLADIUS non cuivis permittendus, Matth. 26. 51. Marc. 14. 47. Luc. 22. 49. Joann. 18. 10.

GLADIUS ſpiritus eſt verbum Dei, 4. Eſdr. 13. 9. 27. Iſaiæ 11. 4. † 27. 1. † 31. 8. † 49. 2. † 66. 16. Eph. 6. 17. Hebr. 4. 12. Apoc. 1. 16. † 2. 16. † 19. 15. 2. Theſſ. 2. 8.

GLORIA Dei in omnibus quærenda, Joſ. 7. 19. Pſal. 115. 1. Matth. 6. 9. Joann. 9. 24. † 17. 4. Actor. 3. 12. † 12. 23. 1. Cor. 6. 20. † 10. 31. Philipp. 1. 20. Col. 3. 17. Tit. 2. 10. quære Honor.

Gloria beatorum, vide Beatitudo.

GODOLIA filius Ahicam gladio interimitur, 4. Reg. 25. 25. Jerem. 41. 2.

GRATIA in Scripturis accipitur pro beneficio, Ruth 2. 20. 2. Reg. 2. 6. † 15. 20. Prov. 4. 9. Eccli. 7. 37. † 29. 20. pro favore, Geneſ. 6. 8. † 18. 3. † 19. 19. † 39. 21. Exod. 12. 36. Tob. 3. 13. Eſth. 2. 17. Prov. 13. 15. Eccli. 4. 25. Dan. 1. 19. Act. 2. 47. † 14 27. † 25. 9. pro præmio, quod a Deo expectatur, Prov. 1. 9. † 12. 2. 2. Mach. 12. 46. Luc. 6. 33. 1. Petr. 2. 19. pro dono aliquo gratis dato, Eſth. 15. 17. Pſal. 44. 3. Prov. 3. 22. † 10. 23. † 22. 11. 1. Cor. 12. * Epheſ. 4. 7. 1. Petr. 4. 10. pro dono ſupernaturali Dei gratum faciente. Pſalm. 83. 12. Luc. 1. 28. † 2. 40. Joann. 1. 15. Rom. 1. 7. 1. Cor. 16. 23. 2. Cor. 1. 12. Gal. 5. 5. Hebr. 13. 19. Jac. 4. 6. pro re grata, pulcra, accepta, & amabili, Prov. 31. 30. Eccl. 10. 12. Eccli. 27. 1. † 11. 19. † 26. 16. 19. † 40. 22. Luc. 4. 22. Epheſ. 4. 29.

Gratiæ donum quam ſit occultum, & reconditum, quodque nemo facile illud ſibi arrogare debet, Job 9. 20. 21. Pſal. 2. 11. † 18. 13. † 142. 2. Prov. 14. 12. † 20. 9. Eccl. 9. 1. 2. 12. Eccli. 5. 5. Jer. 17. 9. Corinth. 4. 4. 2. Cor. 10. 14. † 13. 5. Gal. 6. 3. Phil. 2. 12. 1. Petr. 4. 18. 2. Petr. 1. 10. 1. Joann. 4. 1.

Gratia, qua quis hominibus gratus eſt, etiam illa a Deo eſt, Exod. 3. 21. † 11. 3. † 12. 36. 4. Reg. 25. 27. 2. Eſdr. 2. 5. Pſal. 105. 46. Jer. 40. 2. 3. 4. Dan. 1. 9. Tob. 1. 13. Actor. 24. 23. † 27. 3. † 28. 19.

Gratus animus erga Deum & homines commendatur, Geneſ. 4. 3. † 6. 20. † 14. 21. † 23. * 24. 48. † 26. 25. Exod. 15. 1. Lev. 25. 6. Num. 15. 17. † 31. 48. Deut. 2. 9. † 6. 5. Jud. 5. 1. 1. Regum 2. 1. † 14. 35. † 31. 11. 2. Reg. 10. 2. † 19. 33. 3. Reg. 2. 7. 1. Par. 29. 10. 20. 2. Paral. 15. 11. † 20. 26. Eſther 9. * Tob. 9. 1. † 12. 2. 7. Eccli. 7. 22. † 32. 28. † 35. 13. 1. Mach. 4. 24. † 5. 54. 2. Mach. 3. 33. Matth. 11. 25. Marc. 5. 10. Luc. 18. 43. Joann. 11. 40. Actor. 4. 21. † 27. 35. Rom. 6. 17. 2. Cor. 6. 1. Epheſ. 5. 19. Philipp. 4. 6. Col. 2. 7. † 3. 15. 1. Theſſ. 5. 18. 2. Theſſ. 1. 3. 1. Tim. 4. 3.

Gratiæ agendæ ante & poſt cibum ſumptum, Deut. 8. 10. 1. Regum 9. 13. Iſa. 62. 9. Matth. 14. 19. † 15. 36. † 26. 25. Marc. 6. 41. † 8. 6. † 14. 22. Luc. 9. 16. Joann. 6. 11. 23. Actor. 27. 35. Rom. 14. 6. 1. Corinth. 10. 30. 1. Tim. 4. 3.

GULA, vide Ebrietas, & Ciborum luxus.

H

HERETICOS, & Infideles relinquit Deus ad juſtorum probationem, Jud. 3. 1. 1. Cor. 11. 19.

Hæretici jam inde a temporibus Apoſtolorum extiterunt, 1. Timot. 1. 20. 2. Tim. 2. 18. 1. Joann. 2. 18. 2. Joann. 7. Apoc. 2. 15.

Hæreticos futuros etiam noſtris temporibus prædictum eſt, Matth. 24. 5. 24. Joann. 5. 43. 1. Tim. 4. 1. 2. Tim. 3. 1. 2. Petr. 2. 1. † 3. 3. Judæ 18.

Hæreticorum mores, & doctrina, ibid.

Hæretici vitandi, Deut. 13. 1. Matth. 7. 15. Rom. 16. 17. 2. Timoth. 2. 17. † 3. 5. Tit. 3. 10. 2. Theſſalon. 3. 14. Joann. 2. 10.

Hæretici male tolerantur a perfectis, Apoc. 2. 14.

Hæretici tollendi e medio, Deuteron. 13. 5. † 18. 20. 3. Reg. 18. 40. * 4. Reg. 10. 25. *

Hæreſis, fornicatio ſpiritalis, vide Fornicatio.

HAZAEL famulus Benhadad regis Syriæ, 4. Regum 8. 11. 15. juxta mandatum Domini, 3. Reg. 19. 15. percuſſit Iſrael in univerſis finibus ſuis, 4. Reg. 10. 32. † 12. 17. † 13. 3. quemadmodum prophetatum eſt, 4. Reg. 8. 11. 13. moritur, 13. 24.

HELIAS vir piloſus, & zona pellicea cinctus renibus, 4. Reg. 1. 8.

Heliæ orationis efficacia, 3. Reg. 17. 1. Jac. 5. 17. 18. alitur miniſterio corvi, 3. Regum 17. 2. excitat puerum mortuum, 17. 19. occidit prophetas Baal, 18. 40. fugit Jezabel, 19. 3. mittitur in Damaſcum, ut ungeret Hazael regem Syriæ, 19. 15. mittitur ad Achab, 21. 17. ad Heliam miſſi principes quinquagenarii cum ſuis, igne cælitus demiſſo conſumuntur, 4. Reg. 1. 10. aſſumitur per turbinem in cælum, 2. 11. apparet in transfiguratione Domini, Matth. 17. 3. Luc. 9. 30.

HELIODORUS a cubiculis Seleuco, tentat theſaurum templi auferre, 2. Mach. 3. 7. 13. punitur a Deo, 3. 24.

HELISEUS, Vide Eliſeus.

Herodes Aſcalonita occidit Innocentes pueros, Matth. 2. 16. & moritur, 2. 19.

Herodes Antipas filius Herodis, tetrarcha Galilææ, Luc. 3. 1. occidit Joannem Baptiſtam, Matth. 14. 9. Herodes & Pilatus morte Chriſti inter ſe reconciliantur, Lucæ 23. 12. Actor. 4. 27.

HERUS, & Hera, vide Dominus, & Domina.

HESRON filius Phares, Gen. 46. 12. Matth. 1. 3. relinquit poſt ſe Aram, & appellatur Jephone, 1. Paralip. 4. 15.

HESTHER fit uxor Aſſueri, Eſther 2. * precibus ſuis apud Aſſuerum latam de Judæis uno die occidendis ſententiam revocat, Eſther 8. 3. 8.

HIEREMIAS, vide Jeremias.

HIERUSALEM, vide Jeruſalem.

HOLOFERNES dux Nabuchodonoſor mittitur contra Iſrael. Jud. 2. 4. blaſphemat Deum, 6. 1.

obſidet Bethuliam, 7. 1. proprio gladio cervix ei præciditur, 13. 8.

caput ejus conſpiciendum ponitur in muris civitatis, 14. 4. totus Aſſyricus exercitus ſe in fugam dedit, 15. 1.

HOMO creatus eſt ad imaginem Dei, Gen. 1. 26. † 1. 7. † 5. 1. † 9. 6. Sap. 2. 23. Eccli. 17. 1. Job 10. 8. Pſal. 118. 73. Jac. 3. 9.

Homo maledicitur, Gen. 3. 17.

benedicitur in Chriſto, Gen. 12. 3. † 22. 18. Galat. 3. 8.

Hominis regeneratio, Matth. 18. 3. Joann. 1. 13. † 3. 3. 6. † 4. 14. † 7. 31. 1. Cor. 4. 15. Galat. 4. 19. Eph. 4. 22. Coloſ. 3. 8. Tit. 3. 5. 1. Petr. 1. 23. † 2. 2. Jac. 1. 18.

Homo pulvis, & lutum, Gen. 2. 7. † 3. 19. † 18. 27. Eccleſ. 12. 7. Eccli. 17. 1. † 18. 8. † 41. 13. Job 4. 19. † 10. 8. † 34. 15. Pſal. 77. 39. † 102. 14. † 143. 4. Iſa. 40. 6.

Homicidium, latrocinium, & ſanguinis effuſio, Gen. 4. * † 9. 6. † 37. 18. Exod. 2. 12. † 20. 13. † 22. 2. Levit. 24. 21. Num. 25. 7. * Deuter. 5. 17. † 19. 4. 11. † 11. 1. † 27. 24. Joſ. 20. 3. Jud. 9. 5. 1. Reg. 18. 17. 2. Regum 3. 27. † 4. 7. 12. 3. Regum 3. 5. 25. 34. 46. 4. Reg. 14. 5. † 21. 16. Prov. 6. 17. † 28. 17. Eccli. 34. 25. 27. Thren. 4. 53. Ezech. 11. 6. † 22. 2. † 24. 6. Oſee 4. 2. Matth. 5. 21. † 19. 18. † 23. 24. † 26. 11. Joann. 8. 44. Roman. 13. 9. Galat. 5. 21. Joann. 3. 22. Apoc. 13. 10.

HONOR, qui ab hominibus proficiſcitur, non magni faciendus, Num. 16. 1. Jud. 9. 1. 1. Reg. 10. 27. 2. Reg. 15. 1. 3. Reg. 1. 5. Eſth. 3. 1. * † 6. 6. Eccli 9. 15. † 10. 29. Jer. 9. 23.

Matth. 6. 1. † 8. 4. † 9. 30. † 17. 9. † 20. 21. 26. Marc. 1. 44. † 5. 43. † 7. 36. † 8. 26. † 9. 8. † 10. 35. 43. Lucæ 22. 24. Joann. 6. 15. † 8. 50. † 12. 43. Act. 10. 26. † 14. 15. Gal. 6. 2. Phil. 2. 3. 1. Thessal. 2. 6. 1. Petr. 5. 3. 3. Joann. 9. Apoc. 19. 10. † 22. 9.

Honor Dei, quære Gloria.

Honorandi parentes, vide Parentes.

HOSPITALITAS commendatur, Isa. 5. 8. 7. Matth. 25. 36. Luc. 14. 13. Roman. 12. 13. 1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 8. 1. Pet. 4. 9. 3. Joann. 5. 9. Hebr. 13. 2. Jac. 1. 27.

Hospitalitatis exempla, Gen. 18. 3. † 19. 2. † 24. 31. Jos. 2. * Jud. 13. 15. † 19. 4. 9. 3. Regum 17. 10. 17. 4. Reg. 4. 8. Job 1. 4. † 31. 17. Tob. 2. 1. Luc. 10. 58. † 19. 6. Act. 16. 15. † 2. 7.

Inhospitalitas, Jud. 8. 5. † 19. 18. 1. Reg. 25. 9. 14. Sap. 19. 13.

HUMILITAS Deo grata est, Genes. 18. 27. † 29. 31. † 21. 40. Jud. 6. 15. 1. Reg. 1. * † 2. 1. 8. † 7. 9. 10. 2. 2. Reg. 6. 16. 21. 2. Paral. 12. 6. 8. † 32. 26. † 33. 12. † 34. 26. Jud. 4. 7. 11. Psalm. 33. 19. Prov. 11. 2. † 16. 19. † 18. 12. † 22. 22. † 25. 7. † 29. 23. Eccli. 3. 18. † 7. 19. Isa. 37. 1. † 57. 15. † 66. 2. Jerem. 1. 6. Jon. 3. 5. † 9. 16. Matth. 3. 11. † 5. 3. † 8. 8. † 11. 20. † 15. 27. † 18. 4. † 20. 26. † 11. 5. † 23. 7. 11. Marc. 9. 34. † 10. 43. Luc. 1. 48. † 9. 42. † 14. 7. 11. † 15. 19. † 18. 13. † 22. 26. Joann. 13. 4. Act. 10. 26. Rom. 11. 20. † 12. 16. 1. Corinth. 4. 6. † 15. 8. Philipp. 2. 3. Coloss. 3. 12. Hebr. 11. 24. 1. Pet. 5. 5. Jac. 1. 9. † 4. 10. Apoc. 4. 1. † 19. 10.

HYMENÆUS pseudo-apostolus, 2. ad Tim. 2. 17.

HYPOCRISIS 1. Reg. 15. 11. * † 18. * 2. Reg. 15. 2. 7. 4. Reg. 1. 6. 9. Job 8. 13. † 13. 16. † 15. 34. † 20. * † 27. 8. † 36. 13. Proverb. 30. 13. Eccli. 1. 36. † 19. 24. Isaiæ 29. 13. † 38. 2. Jerem. 9. 8. Ezechiel. 33. 30. Malach. 3. 13. 2. Mach. 6. 24. Matth. 2. 7. 16. † 6. 2. 16. † 7. 5. † 15. 7. † 16. 3. † 22. 18. † 23. * † 24. 51. Matth. 7. 6. Luc. 11. 41. † 12. 1. 56. † 18. 11. Act. 5. 1. † 8. 18. † 13. 8. Roman. 2. * Gal. 2. 13. 1. Tim. 4. 2. 2. Tim. 3. 5. 1. Thessal. 5. 22. 1. Pet. 2. 1.

I

JABES in Galaad opprimitur ab Israel, Jud. 21. 10. obsidetur, 1. Reg. 11. 1. viri Jabes Galaad exhibent misericordiam Sauli, & filio ejus, 31. 12.

JACOB filius Isaac nascitur, Gen. 25. 23. emit a fratre Esau primogenita, Genes. 25. 31. præripit Esau benedictionem, 27. 5. * proficiscitur ad Laban, 28. 10. videt scalam, & vovet votum, 28. 12. 20.

servit Laban pro duabus filiabus, 29. 18. revertitur in patriam, 31. 17.

luctatur cum Angelo, 32. 25. vocatur Israel, 32. 28. † 35. 10. 3. Regum 18. 31. mittit filios in Ægyptum, 42. 1.

migrat cum tota sua familia in Ægyptum, 46. * Deut. 10. 22. filios Joseph adoptat in suos, 48. 5. 8.

benedicit duodecim filiis, & moritur, 49. 33. sepellitur cum patribus suis in terra Chanaan, 47. 7. secundum promissionem, 47. 29. & secundum mandatum, 49. 29. commendatur, Eccli. 44. 24. vide Israel.

Jacobus Zebedæi filius vocatur, Matth. 4. 20. occiditur, Act. 12. 2.

JEBUS appellatur Jerusalem, Jos. 15. 8. Judic. 19. 10. 1. Paralip. 11. 4.

Jebusæos expugnare non poterat Israel, Jud. 1. 21. superantur tamen a David, 2. Reg. 5. 8.

JEHU filius Hanani prophetæ arguit regem Josaphat, 2. Paralip. 19. 2.

mittitur ad Baasa regem Israel, 3. Reg. 16. 1. 7.

Jehu filius Josaphat filii Namsi ungitur, ut rex esset Israel, ad delendam domum Achab, 4. Reg. 9. 1. 6.

juxta prædictum, 3. Reg. 19. 16.

occidit Jezabel, 4. Reg. 9. 30. 33.

occidit septuaginta filios Achab, 10. 1. jubet comprehendi, & jugulari fratres Ochoziæ regis Juda, 10. 14. perdit servos Baal, 4. Regum 10. 17. 25. moritur, 10. 35.

JEJUNIUM, & jejunandum esse, Joel 2. 12. Tobiæ 12. 8. Matth. 6. 16. * Marc. 2. 20. Luc. 2. 36. † 5. 35. Rom. 13. 13. 1. Cor. 7. 5. 2. Cor. 6. 5. † 11. 27. Actor. 13. 2. 3. 14. 22. Ephes. 5. 18. 1. Thess. 5. 6. Tit. 2. 2. 1. Pet. 1. 13. † 5. 8. vide Quadragesima.

Jejunii meritum, Jerem. 35. 14. 19. Jon. 3. 7. 9. 10. Judith 4. 8. † 8. 6. Matth. 17. 21. † 6. 17. Lucæ 2. 37.

Jejunatur pro mortuis, 1. Reg. 31. 13. 2. Reg. 1. 12. † 3. 36. 1. Paral. 10. 12.

Jejunii exempla, Exod. 24. 18. † 34. 28. Deuter. 9. 9. 18. Jud. 25. 1. Reg. 7. 6. † 31. 13. 2. Reg. 3. 35. † 12. 16. 2. Paral. 20. 3. 1. Esdr. 8. 21. 2. Esdr. 1. 4. Esther 4. 3. Psalm. 34. 13. Jerem. 36. 9. Daniel. 10. 3. Jon. 3. 5. Jud. 4. 7. † 8. 5. Tob. 3. 10. Matth. 4. 2. † 9. 14. Luc. 2. 37. † 5. 33. Act. 10. 30. † 13. 3. † 14. 23.

Jejunium indictum a rege Saule, 1. Reg. 14. 24. a Josaphat, 2. Paralip. 20. 3. a Ninivitis, & eorum rege, Jon. 3. 5. 7. ab Esdra, 1. Esdr. 8. 21. ab Esther, & Mardochæo, Esth. 4. 16. vide Abstinentia.

JEREMIAS propheta ex Anathoth, Jer. 29. 27. vocatur, & a Deo mittitur, 1. 4.

Jeremias persecutionem patitur, Jerem. 18. 19. † 20. 1. † 26. 7. † 33. 1. † 37. 12. † 38. 4. 7.

Jeremias invenit gratiam apud Nabuchodonosor, Jer. 39. 11.

Jeremias vinculis solvitur a Nabuzardan, Jerem. 40. 1.

Jeremias luget Josiam, 2. Paral. 35. 25.

JERICHO expugnatur, & exuritur, Jos. 6. 20. 24. reædificatur ab Hiel, 3. Reg. 16. 34. appellatur civitas Palmarum, Deut. 34. 3. 2. Paral. 28. 15.

JEROBOAM filius Nabat, servus Salomonis, fit inimicus Israeli, 3. Regum 11. 26. 2. Paralip. 13. 6. fit rex decem tribuum, 3. Regum 12. 20. juxta verbum Ahiæ, 11. 29. erigit duos aureos vitulos, & falsum cultum Dei, 12. 28. 31. ideoque punitur, & exprobratur, 14. 7. † 15. 25. † 16. 19. 26. 4. Reg. 3. 3. † 10. 19. 32. † 13. 2. † 6. 11. † 14. 24. † 15. 9. 18. 24. † 17. 22. † 23. 15.

manus ejus exarescit, 3. Reg. 13. 4.

curatur, 13. 6. moritur, 14. 20. tota ejus domus perditur, 15. 29. juxta quod prædictum fuerat, 14. 10. contra Jeroboam, Amos 7. 10.

Jeroboam filius Joas fit rex Israel, 4. Regum 13. 13. † 14. 16. moritur, 14. 29.

Jerosolymitani quæ tribus Jacob inhabitaverint, 1. Par. 9. 3. 2. Esdr. 11. 1.

JERUSALEM expugnatur a filiis Judæ, Judic. 1. 8. eligitur a Deo in habitaculum, 3. Reg. 8. * 2. Par. 6. 2. † 7. 16.

Jerusalem appellatur Jebus, Jos. 15. 8. Judic. 19. 10. 1. Paral. 11. 4.

Jerusalem appellatur Salem, Psalm. 75. 3.

Jerusalem obsidetur a rege Syriæ, & Israelis, 4. Regum 16. 5. a rege Nabuchodonosor, 4. Regum 24. 10. † 25. 1.

Jerusalem exuritur, & evertitur, 4. Reg. 25. 9. iterum excolitur, & reparatur, 2. Esdr. 3. * † 6. 15.

contra Jerusalem, & ejus cives, 4. Reg. 21. 12. † 23. 27. Isai. 1. 6. † 3. 1. † 22. 1. 8. † 29. 1. 7. † 65. 2. Jerem. 4. 3. 9. † 7. * † 13. * † 17. 19. † 19. 3. 6. † 21. 3. † 23. 39. † 25. 8. † 31. 3. 2. † 34. 1. † 38. 3. † 39. 8. Ezech. 3. 6. † 4. * † 5. * † 10. 2. † 15. * † 21. 6. † 22. * † 13. * Soph. 3. 1.

Jerusalem destruenda per Romanos, Dan. 9. 26. Zach. 14. 1. Matth. 24. 1. 15. Luc. 13. 35. † 9. 41. † 20. 16. † 21. 6. Joann. 11. 48.

Jerusalem spiritualis, Ecclesia sancta, Psalm. 92. 1. 2. Isaiæ 33. 20. † 54. 11. † 60. * 62. 6. † 65. 16. 18. Tob. 13. 19. Baruch 5. 1. 7. Galat. 4. 26. Hebr. 11. 10. † 12. 22. Apoc. 3. 12. † 21. 2. 10.

JEZABEL impia, impii Acab conjux, 3. Reg. 16. 31. † 21. 5. 7.

occidit prophetas Domini, 18. 4. 14. minatur Eliæ prophetæ mortem, 19. 2. a canibus dilaceratur, 4. Regum 9. 33. juxta verbum Eliæ prophetæ, 3. Regum 21. 23.

ILLUMINATI dicuntur baptizati, Hebr. 6. 4.

IMAGINES jussit Deus fieri, Exod. 25. 18. * Numer. 21. 8 *

Imagines fecit Salomon, 3. Reg. 6. 35. † 7. 25. 29. 36. † 10. 19. 2. Paral. 3. 10. 14. † 4. 3.

Imaginum usus, Num. 21. 8. Sap. 16. 6. Jos. 2. 26. * de altari in testimonium, & memoriam extructo.

IMMISERICORDIA, & ejus punitio, Exod. 1. 12. Deuteronom. 23. 3. Judic. 8. 6. 15. 1. Regum 21. 15. 38. Job 20. 19. Proverb. 21. 10. Eccli. 12. 13. Amos 1. 6. Matth. 18. 30. 34. † 25. 42. Luc. 16. 21. 23. Jacobi 2. 13.

IMPATIENTIA, & ejus punitio, Exod. 14. 11. † 15. 24. † 16. 2. 7. † 17. 2. Numer. 11. 1. 10. † 14. 1. 26. † 21. 5. Job 3. 1. Prov. 12. 16. Eccli. 2. 16.

IMPIORUM dicta, facta, & cogitata contra pios, Sap. 2. * Psalm. 9. * 10. * 11. * 13. * Prov. 4. 14.

Impiorum prosperitas, Job 10. 3. † 21. 7. 10. Psalm. 72. 2. 8. † 91. 8. 4. Esdr. 3. 28. 31. Jerem. 12. 1. Hab. 1. 13. 2. Machab. 6. *

Impiorum prosperitas bonis admirationem parit, Job 21. 7. 13. Psalm. 72. 2. Eccles. 7. 16. Jerem. 12. 1. Habac. 1. 13. Malach. 3. 15.

Impii incidunt in mala, quæ piis parant, 1. Reg. 17. 42. † 31.

† 31. 4. Judith 13. 4. Esth. 7. 10. Psalm. 7. 16. † 9. 16. † 34. 8. † 36. 14. Prov. 26. 17. Eccles. 10. 8. Eccli. 27. 28. * Isai. 33. 1. Jerem. 48. * Daniel 3. 22. † 6. 24. † 13. 62. Apoc. 18. 6.

Impii incidunt frequenter in malum quod timent, Job 6. 16. Prov. 1. 26. † 10. 24. Isai. 66. 4.

Impiorum subita & improvisa punitio, dispersio, & reversio, Genes. 7. 21. † 14. 15. † 19. 24. † 14. 25. Exod. 14. 24. Levit. 10. 2. Num. 11. 33. † 16. 31. Jos. 10. 9. † 11. 7. Jud. 4. 20. † 7. 12. 15. 21. † 8. 11. † 16. 23. 1. Reg. 30. 16. 2. Reg. 13. 28. 3. Reg. 16. 2. † 18. 40. † 20. 13. 19. Job 4. 8. † 5. 3. † 8. 13. † 15. 20. † 18. * † 20. * † 27. 14. † 3. 12. Psalm. 1. 5. † 36. * Proverb. 1. 27. † 6. 15. † 10. 25. † 12. 7. Isaiæ 5. 24. † 47. 9. Jerem. 15. 8. Dan. 5. 30. 1. Mach. 2. 62. † 4. 3. Matth. 24. 38. Lucæ 12. 20. 45. † 16. 23. 25. † 17. 27. 29. 1. Thess. 5. 3.

Impiorum punitio bonis est ad timorem & cautionem, Deuter. 13. 11. † 17. 18. † 19. 20. † 21. 21. Proverb. 19. 25. † 21. 11. Eccli. 23. 37. Actor. 5. 11. 1. Tim. 5. 20.

Impios deridebit Deus, Psalm. 2. 4. † 36. 13. † 58. 9. Prov. 1. 26. Sap. 4. 12.

IMPOSITIO manuum varia in veteri Testamento, Gen. 48. 14. Exod. 19. 10. Lev. 1. 4. † 3. 2. Num. 27. 23. Dan. 13. 34. Marc. 10. 16.

Impositio manuum in Sacramento Ordinis & Confirmationis, Act. 6. 6. † 8. 17. † 13. 3. † 19. * 1. Tit. 4. 14. † 5. 22. 2. Tim. 1. 6.

IMPUDICITIA contra naturam, Gen. 19. 5. † 38. 7. Lev. 18. 22. † 20. 13. Jud. 19. 22. 30. Rom. 1. 27. 1. Corinth. 6. 10. Ephes. 5. 12. 1. Tim. 1. 10. 2. Petr. 2. 7. 8.

INCANTATIONES & maleficia, Exod. 7. 11. † 8. 18. † 22. 18. Lev. 19. 31. † 20. 6. 27. Num. 23. 23. Deut. 18. 10. 1. Reg. 28. * 4. Reg. 17. 17. † 21. 6. Isaiæ 2. 6. † 44. 25. † 47. 13. Jerem. 10. 2. Dan. 2. 2. 10. Mich. 5. 12. Act. 8. 8. † 13. 6. † 16. 16. † 19. 19. Galat. 5. 20. Apoc. 18. 23. † 21. 8.

INCESTUS grave peccatum, Lev. 18. 6. 7. † 20. 11. 14. Deut. 22. 30. 1. Cor. 5. 1. 2.

INDULGENTIÆ 2. Cor. 2. 10.

INFERNUS & damnatio parata diabolo & angelis ejus, vide Damnatio.

Inferni pœna varia & horribilis, Deut. 32. 22. Job 24. 10. Psalm. 10. 6. † 20. 10. † 48. 15. † 139. 10. Sap. 11. 17. Eccli. 21. 10. Isaiæ 30. 33. † 33. 11. 13. 14. † 34. 9. Jer. 9. 15. Mal. 4. 1. Matth. 8. 12. Luc. 13. 27. † 16. 23. Apoc. 14. 9. † 18. 7. † 20. 14. numquam terminanda, Isai. 66. 24. Matth. 25. 41. 46. Marc. 9. 47. 2. Thess. 1. 9.

INFIDELITAS, vide Fides.

INFIRMITAS corporalis, vide Ægrotatio.

INGRATITUDO, & ejus punitio, Gen. 31. 1. † 40. 23. Exod. 1. 8. Deut. 23. 3. * Jud. 2. 1. † 6. 8. † 8. 33. † 12. 1. 1. Reg. 18. † 12. 8. † 25. 3. 10. 2. Reg. 10. 30. 2. Par. 24. 21. Prov. 17. 13. Isai. 1. 2. † 5. 4. Jer. 2. 5. 6. Ezech. 16. * Osee 10. 1. † 13. 2. 6. Mich. 6. 3. Sap. 16. 29. 1. Mach. 16. 16. 19. Matth. 11. 20. Luc. 17. 18. Joann. 11. 46. Rom. 1. 21. 2. Tim. 3. 2.

INIMICUS non passim contemnendus est, 1. Reg. 24. 14. † 17. 43. 2. Reg. 21. 20. 3. Reg. 20. * 4. Reg. 14. 8.

Inimico reconciliato non temere credendum est, 1. Reg. 24. 17. † 26. 21. 2. Reg. 3. 26. 1. Mach. 12. 24.

INIQUITAS abundabit, 4. Esdr. 5. 2. † 14. 16. Matth. 24. 12. 1. Joann. 5. 19. vide Impii & Mali.

INNOCENTIA sua cuique tuenda, & Malæ suspiciones amovendæ, Jos. 22. 22. 1. Reg. 1. 14. 3. Reg. 18. 17. Jerem. 37. 12. Act. 2. 14. † 6. 14. † 7. 2. † 18. 17.

INOBEDIENTIA ejusque punitio, Genes. 3. 16. 17. † 19. 17. 26. Levit. 10. 1. † 26. 14. * Num. 14. 28. 41. † 16. 31. † 20. 24. Deut. 11. 16. 28. † 17. 12. † 18. 19. 20. † 27. 15. * † 28. 15. * 1. Reg. 12. 15. † 13. 13. † 15. 24. † 28. 16. 2. Reg. 6. 6. 3. Reg. 11. 9. † 12. 15. 21. † 14. 17. † 20. 35. † 2. Paralip. 7. 19. † 26. 16. 17. Isai. 24. 5. Jerem. 11. 3. 8. † 13. 8. † 17. 27. † 26. 4. † 35. * Joann. 3. 3. Matth. 17. 17. Actor. 7. 39. Rom. 2. 8. Gal. 3. 10. 2. Thess. 1. 8.

INVIDIA, & odium, Gen. 4. 5. † 26. 14. † 27. 41. † 30. 1. † 37. 4. 11. Exod. 2. 8. † 20. 17. Lev. 19. 17. Num. 12. 1. † 35. 20. 23. Deut. 19. 11. 1. Reg. 18. 7. 11. Sap. 2. 24. Prov. 10. 12. 18. Ezech. 25. 15. Dan. 6. 3. Luc. 15. 28. Joann. 12. 4. Rom. 1. 29. † 13. 13. Gal. 5. 15. 20. Jac. 3. 14. † 4. 2. 1. Petr. 2. 1. 1. Joann. 3. 11. 15. † 4. 20.

JOAB filius Sarvjæ, 2. Reg. 2. 13. confodit Abner, 3. 27. reconciliat Absalonem per Thecuam, 14. * confodit Amasa, 20. 9. confoditur ipse, 3. Reg. 2. 28. 34. juxta mandatum David, 2. 5. 7.

JOACHAZ filius Jehu, rex Israel, 4. Regum 10. 35. † 13. 1.

Joachaz filius Josiæ exuitur regno, & vehitur in Ægyptum, ubi & moritur, 4. Reg. 23. 24. captivitas ejus prædicitur, Ezech. 19. 4. appellatur Johanam, 1. Paralipom. 3. 15. post ipsum creatur rex frater ejus Eliachim, 4. Reg. 23. 34.

JOACHIM filius Joacim fit rex Juda, 4. Reg. 24. 8. ducitur captivus a Nabuchodonosor in Babyloniam, 24. 12. 15. dimittitur ex carcere, & ad honores evehitur, 25. 24. appellatur Jechonias, Jerem. 37. 1. appellatur Neri, Luc. 3. 27. ei succedit patruus Mathanias, 4. Reg. 24. 17.

JOACIN, antea dictus Eliacim, filius Josiæ, fit rex Juda, 4. Reg. 23. 34. 3. Esdr. 1. 37. combussit libros sermonum Jeremiæ, Jer. 36. 21. appellatur Melchi, Luc. 3. 24. moritur, 4. Reg. 24. 1. 5. post ipsum constituitur rex filius Joachim, 4. Reg. 24. 6.

JOANNA uxor Chusæ sequitur Christum, Lucæ 8. 3.

JOANNES Baptista filius Zachariæ, Luc. 1. 55. 59. 67. Evangelium regni denuntiat & baptizat, Matth. 3. 1. Marc. 1. 4. 5. Joann. 1. 28. † 3. 22. 26. vestitus ejus ex pilis camelorum, & victus locustæ, & mel silvestre, Marc. 1. 6. noluit haberi maior, quam erat, Joan. 1. 49. 20. 25. † 3. 28. mittit discipulos ad Christum, Matth. 11. 2. capite truncatur, Matth. 14. 8. dicitur Elias, Mal. 4. 5. Matth. 11. 14. † 17. 10. Lucæ 1. 17.

Joannes filius Zebedæi vocatur, Matth. 4. 22. unice a Christo diligitur, Joann. 13. 23. † 19. 26. † 20. 2. † 21. 7. 20. scribit quæ vidit, Joann. 19. 35. † 21. 24. 1. Joan. 1. 1.

JOAS filius Ochoziæ solus evadit, dum senatus regius occiditur, 4. Reg. 11. 2. coronatur rex in Juda, 11. 12. occidit Zachariam filium Jojadæ, 2. Paralipom. 24. 21. Matth. 23. 35. occiditur a suis ministris, 2. Paralipom. 24. 25. 4. Reg. 12. 20. post ipsum filius ejus Amasias rex constitutus est, 1. Paralip. 3. 12. 2. Paralip. 23. 27.

Joas filius Joachaz rex Israel, 4. Reg. 13. 9. pugnat contra Amasiam, subvertit mœnia Jerusalem, destruit templum, & moritur, 4. Reg. 14. 13. 16.

JOJADA Sacerdos jubet occidi Athaliam reginam, 4. Reg. 11. 15. 2. Par. 24. 14. moritur, 24. 15.

JONAS prophetat, 4. Reg. 14. 25. præcipitatur in mare, Jonæ 1. 15. deglutit eum piscis a Domino præparatus, 2. 1. in cujus ventre erat tribus diebus & tribus noctibus, ibid. Matth. 12. 40.

JONATHAS filius Saulis prosternit Philisthæos, 1. Reg. 14. 3. † 13. 2. 11. liberatur per populum a patre ob mel degustatum occidendus, 14. 45. ferit fœdus cum David, 18. 3. † 20. 8. † 23. 18. caditur, 31. 7.

Jonathas filius Mathathiæ, præfectus militaris Judæorum, 1. Mach. 9. 31. fœdus init cum Demetrio, 10. 3. 15. capitur, 12. 48. occiditur cum suis filiis, 13. 23.

JORAM filius Josaphat rex Juda, 3. Reg. 22. 51. occidit sex fratres suos, 2. Paralip. 21. 4. moritur, 4. Reg. 8. 24. 2. Paral. 21. 19.

Joram rex Israel, 4. Reg. 1. 17. † 3. 1. procedit contra Hazael regem Syriæ, 8. 28. accepto vulnere curatur in Jezrael, 9. 15. moritur 9. 24.

JOSAPHAT filius Asæ rex Juda, 3. Reg. 22. 41. mittit qui verum Dei cultum doceant in civitates Juda, 2. Paral. 17. 7. fœdere jungitur cum impio Achab, 18. 3. ideoque arguitur a Propheta, 19. 2. jungit se Ochoziæ, 2. Paral. 20. 35. moritur, 21. 1. habuit successorem filium Joram, 1. Paral. 3. 11.

JOSEPH filius Jacob, Gen. 30. 23. videt somnium, 37. 5. 9. venditur a fratribus Ismaelitis, 37. 26. Ps. 104. 17. falso accusatur, Genes. 39. 17. mittitur in carcerem, 39. 20. † 41. 14. constituitur dominus universæ Ægypti, 41. 40. datur ei filia Putipharis uxor, 41. 45. detegit se fratribus suis, 45. 1. moritur, 50. 14. ossa ejus transferuntur ex Ægypto, Exod. 13. 19. sepelitur in Sichem, Josue 24. 32.

Joseph conjux B. Virginis Mariæ, Matth. 16. fugit in Ægyptum, 2. 14.

JOSIAS filius Amon rex Juda, 4. Reg. 21. 24. † 22. † ejus nativitas prædicta est, 3. Reg. 13. 2. legit librum Legis, 4. Reg. 23. 2. celebrat Pascha, 23. 21. vulneratur a sagittariis, & moritur 2. Paral. 35. 23. 24. 4. Reg. 23. 29. lugetur, 2. Paral. 35. 14. ei succedit Joachaz, 4. Reg. 23. 30. 34.

JOSUE pugnat contra Amalech, Exod. 17. 9. 13. mittitur exploraturus terram Chanaan, Num. 13. 2. eam populo commendat, 14. 6. constituitur loco Moysi dux populi, 27. 18. Deut. 3. 21. 31. † 3. 7. 14. Josue 1. 6. mittit exploratores, 2. 1. transit Jordanem, 3. 16. erigit duodecim lapides in Galgal, 4. 3. 8. 20. angelus Domini apparet ei, Jos. 5. 13. benedicit populo, 8. 32. ascendit Josue ad liberandos Gabao-

Gabaonitas, 10. 7. Sol & Luna ſteterunt ad imperium Joſue, 10. 12. revertitur Joſue in Galgal poſt liberatos Gabaonitas, 10. 43. percutit 31. reges, 12. * accipit ſuam portionem in diviſione terræ, 19. 47. moritur, 24. 29. Jud. 2. 8. commendatur, Eccli. 46. 1.

IRACUNDIA, quantum mali pariat, Gen. 4. 5. Job 5. 2. Proverb. 12. 16. † 14. 3. † 15. 18. † 17. 19. † 19. 19. † 27. 3. † 29. 22. Eccleſ. 7. 10. Eccli. 25. 22. † 28. 6. 14. † 30. 25. Matth. 5. 22. Luc. 4. 28. Galat. 5. 20. Epheſ. 4. 26. Coloſſ. 3. 8. Tit. 1. 7. Jacobi 1. 19.

IRÆ alterius cedendum potius, quam repugnandum, Geneſ. 27. 41. Proverb. 22. 24. † 29. 22. Eccli. 8. 19. Matth. 2. 13.

ISAIAS filius Amos, Iſai. 1. 1. vocatur, & mittitur, 6. 8. † 49. 1.

ISMAEL filius Abrahæ ex Agar naſcitur, Gen. 16. 15. moritur, 25. 17.

Iſmael filius Nathaniæ occidit Godoliam, alioſque Judæos, Jerem. 41. 2. 6.

ISRAEL appellatur, qui ante Jacob dicebatur; quære Jacob.

Iſrael populus, & hæreditas Domini, Exod. 3. 7. † 5. 1. † 6. 7. † 10. 5. Levit. 30. 26. Deut. 4. 20. † 7. 6. † 9. 29. † 10. 15. † 14. 2. † 26. 18. † 32. 9. 1. Reg. 10. 1. † 12. 22. 1. Reg. 7. 23. 3. Reg. 8. 53. Iſai. 29. 25. † 43. 1. Jerem. 23. 12.

decem tribus Iſrael ſeparant ſe a domo David, 3. Reg. 11. 3. 9. 16. ſecundum verba Ahiæ prophetæ, 11. 29. transferuntur in Aſſyriam, 4. Reg. 15. 29. † 17. 6. ſecundum prophetiam, Deut. 4. 26. multi ex Iſrael ſequuntur Levitas in Jeruſalem, 2. Paral. 11. 13.

contra decem tribus, vide Samaria.

JUDÆORUM cæremoniæ erant umbra futurorum, Exod. 13. 29. 14. Num. 25. 38. Deuteron. 16. 1. Ezech. 20. 10. 1. Cor. 10. 1. 2. Cor. 3. 13. Hebr. 7. 27. † 8. 5. † 9. 1. 10. 23. † 10. 1.

Judæorum quædam certæ conſuetudines, Geneſ. 32. 32. Jud. 11. 40. Ruth 4. 7. 2. Paral. 35. 25.

JUDAS filius Jacob naſcitur, Gen. 29. 35. neſcius concumbit cum filii ſui uxore Thamar, 38. 15. ſpondet pro fratre ſuo Benjamin, 43. 9. prædicitur ſceptrum non auferendum de Juda, donec veniat Meſſias, 49. 10. Deuter. 33. 7. Jud. 1. 2. 2. Reg. 7. 12. 2. Par. 6. 6.

contra Judam & Jeruſalem, vide Jeruſalem.

Judas Machabæus eligitur dux fratrum ſuorum, 1. Machab. 2. 66. pugnat ſtrenue, 3. * † 4. * † 5. * † 7. 25. 2. Machab. 8. 2. † 10. 26. * † 11. 6. † 12. * † 13. * † 14. * † 15. * ceditur, 2. Mach. 9. 17.

Judas Iſcariotes eligitur in Apoſtolum, Matthæi 10. 4. init pactum cum Phariſæis, Luc. 22. 4. prodit Chriſtum, Matth. 26. 20. 46. Marc. 14. 43. Joann. 18. 5. ſecundum Prophetiam, Pſalm. 40. 10. † 54. 24. † 108. 8. Joann. 6. 70. † 12. 4. † 13. 2. * ſuſpendit ſe, Matth. 27. 4. Actorum 1. 18.

Judas Galilæus diſperſus cum ſuis, Act. 5. 37.

Judas & Silas cum Paulo & Barnaba, Antiochiam mittuntur, Act. 15. 22. 27.

JUDICABUNT Sancti de hoc mundo, Sap. 3. 8. † 5. 1. Matth. 19. 28. 1. Cor. 6. 2. Jud. 14.

Judicium perverſum, Eccl. 21. 9. Matth. 7. 1. † 12. 7. Luc. 6. 37. † 7. 33. Joann. 7. 24. † 9. 26. Actor. 28. 4. Rom. 2. 1. † 14. 4. 13. 1. Cor. 4. 5. 2. Timoth. 5. 21. Jacobi 4. 11.

Judicium Dei extremum, & quemadmodum Chriſtus in fine mundi judicaturus ſit, 1. Reg. 2. 10. &c. vide Dies noviſſimi.

Judicium debet præcedere deliberatio & cognitio cauſæ, Geneſ. 3. 11. † 11. 5. † 18. 21. Exod. 3. 8. † 23. 2. Deuteron. 16. 6. † 17. 9. † 19. 18. Joſ. 7. 19. † 22. 13. Jud. 20. 3. 12. Proverb. 18. 13. Eccli. 11. 7. Dan. 13. 51. 1. Mach. 7. 7.

Judicium hominum, vide Opinio.

Judicum officium & auctoritas, Exod. 18. 13. 22. † 21. * † 22. * † 23. * Lev. 19. 15. † 24. 11. 23. Deuter. 1. 13. 16. † 17. * † 28. 15. † 25. 1. † 27. 19. Joſ. 7. 19. 1. Reg. 8. 1. † 12. 5. 2. Par. 19. 6. Eccli. 4. 50. † 10. 1. † 42. 12. Pſ. 81. * Prov. 18. 5. 19. † 24. 23. † 28. 15. Iſa. 5. 15. † 10. 1. Jer. 5. 26. Luc. 18. 2. † 23. 1. 13. 23. Joann. 7. 24. † 8. 15. Jac. 2. 4.

Judices Iſrael rexerunt circa 350. annos, Act. 13. 20.

Judex univerſi mundi eſt Deus, vide Deus.

JUDITH vidua Bethuliæ dives & honeſta, Judith 8. 1. * præcidit Holoferni caput, 13. 10. moritur 16. 28.

JURARE quatenus liceat, vel non liceat, & quam variis modis contingat, Gen. 14. 22. † 21. 24. † 22. 16. † 24. 3. † 25. 33. † 26. 3. 31. † 31. 53. † 42. 15. † 47. 31. † 50. 5. Exod. 13. 19. † 20. 7. † 22. 11. † 23. 13. Lev. 5. 4. † 19. 12. Num. 14. 21. † 30. * Deut. 6. 13. † 7. 8. † 10. 20. Joſ. 2. 12. † 6. 22. † 9. 15. † 23. 7. Judic. 21. 1. 7. 18. 1. Reg. 14. 24. † 19. 6. † 24. 23. † 25. 34. † 28. 10. † 30. 15. 2. Reg. 3. 35. † 19. 7. † 21. 7. 17. 3. Reg. 1. 13. 29. † 2. 8. † 8. 31. † 19. 2. 2. Par. 6. 22. † 15. 14. † 36. 13. 1. Eſdr. 10. 5. 2. Eſdr. 10. 29. Job 17. 1. Pſal. 14. 2. † 23. 4. † 62. 12. † 88. 4. † 94. 11. † 101. 9. † 109. 4. Iſ. 14. 24. † 19. 18. † 45. 23. † 49. 18. † 54. 9. † 65. 15. Jer. 4. 2. † 5. 2. 7. † 12. 16. † 22. 5. † 44. 26. † 51. 14. Oſee 4. 15. Amos 6. 8. † 8. 7. Soph. 1. 5. Zach. 8. 17. Jud. 2. 12. Eccli. 23. 9. 17. Matth. 5. 33. † 23. 16. 18. 20. 21. 22. Hebr. 6. 13. 16. Apoc. 10. 5.

Jurandum non eſt temere, nec per cælum, nec per terram, nec per aliquid quod in eis eſt, Matth. 5. 34. Jac. 5. 12.

JUSTI vere in hac vita, Lucæ 1. 6. † 13. 7. Joann. 8. 36. † 17. 27. 19. 1. Cor. 6. 11. Hebr. 12. 23. * 2. Petr. 2. 7. 1. Joann. 2. 1. 7. Apoc. 3. 4. † 14. 3. vide Peccatum.

JUSTITIÆ ſumma perfectio non habetur in hac vita, in qua ſine peccato non vivimus, Geneſ. 6. 5. † 8. 21. Exod. 34. 7. Num. 14. 18. 3. Reg. 8. 46. 1. Par. 6. 36. Job 4. 17. † 9. 2. 15. 20. † 25. 4. Pſal. 13. 1. † 50. 7. † 52. 1. † 129. 3. * 142. 2. Prov. 10. 9. Eccleſ. 7. 21. Iſaiæ 62. 4. Jer. 2. 19. 20. † 30. 11. Mich. 7. 2. Nah. 1. 3. Sap. 12. 10. Matth. 6. 12. Luc. 17. 3. 20. Rom. 3. 9. 23. † 7. * Galat. 3. 22. Epheſ. 2. 3. 1. Joann. 1. 8. vide Peccatum.

Juſtitia noſtra eſt per Chriſtum, & primam juſtificationem, peccatorumque remiſſionem nulla præcedunt merita, Gen. 15. 6. Iſa. 45. 15. † 53. 8. 23. Jer. 23. 6. † 33. 16. Dan. 6. 22. Hab. 2. 4. Zach. 9. 12. Actor. 20. 43. † 13. 39. Rom. 1. 17. † 3. 22. 24. † 5. 1. 18. † 10. 4. 10. 1. Cor. 1. 30. Gal. 2. 16. † 3. 11. † 5. 5. Phil. 3. 9. Tit. 3. 7. 1. Petr. 3. 18.

JUSTIFICATIO, qua quis ex juſto fit juſtior, adſcribitur bonis operibus, Eccli. 18. 22. Rom. 2. 13. Jacobi 2. 22. 24. Apoc. 22. 11.

Juſtificatio impii non ſolum fidei adſcribitur, ſed etiam aliis virtutibus, ut Spei, Rom. 8. 23. Charitati, Exod. 20. 6. Prov. 10. 12. Luc. 7. 47. 1. Cor. 13. 4. Gal. 5. 6. 1. Petr. 4. 8. 1. Joann. 4. 7. 8. 9. Timori, Eccli. 1. 27. 28. Pœnitentiæ operibus, Sap. 11. 24. Ezech. 18. 22. 22. Matth. 3. 2. 8. Lucæ 7. ubi ponitur exemplum Magdalenæ, 15. exemplum filii prodigi, 18. exemplum Publicani.

L

LABAN hoſpitio excipit famulum Abrahæ, Gen. 24. 12. mercede conducit Jacob, 29. 14. 20. perſequitur Jacob, 31. 22.

LABOR & dolor communis omnibus hominibus, Geneſ. 3. 17. Exod. 20. 9. † 34. 21. Deut. 5. 13. Tob. 2. 19. Pſal. 127. 2. Prov. 6. 6. † 10. 4. † 14. 4. † 20. 4. Eccl. 5. 11. Eccli. 29. 19. Joann. 21. 3. Act. 18. 3. † 20. 34. 1. Cor. 4. 12. Epheſ. 4. 28. 1. Theſſ. 2. 2. † 4. 1. 2. Theſſ. 3. 8. 12.

Labor non ditat ſine Dei benedictione, Geneſ. 3. 17. † 26. 3. 12. † 30. 27. Deut. 8. 18. Job 42. 12. Prov. 10. 22. Eccli. 11. 6.

Laboranti merces debent, Levit. 19. 13. Deut. 24. 15. † 25. 4. Tob. 4. 15. Eccl. 7. 22. † 34. 25. 26. Jerem. 22. 13. Mal. 3. 5. Matth. 10. 10. Lucæ 10. 7. 1. Cor. 9. 9. 14. 2. Timoth. 5. 18. Jac. 5. 4.

Laboris manuum & agriculturæ laus & utilitas, Proverb. 12. 11. † 13. 4. † 14. 23. † 24. 27. † 28. 19.

LACHIS traditur in manus Iſraelis, Joſ. 10. 32. extruitur, 2. Par. 11. 9.

LAICI ne ſe ſacris præter officium miſceant, Lev. 20. 1. * Num. 1. 51. † 3. 10. nec vaſa ſacrata temere contingant, Num. 1. 51. † 4. 15. 19. 20. † 18. 7. 2. Reg. 6. 6. 2. Par. 26. 18.

LAIS oppugnatur a Danitis, expugnatur, ædificatur, & appellatur Dan, Judith 18. 27. appellatur Leſem, Joſue 19. 47.

LAUDANDUS Deus ante & poſt ſumptum cibum, Deut. 8. 10. vide Gratia.

Laudare Deum pro merito non poſſumus, Pſalm. 95. 4. † 105. 2. † 118. 154. † 144. 3. Eccli. 43. 2. 32.

Laudes Deo canendæ, Pſalm. 46. 2. † 146. 7. † 149. 1. Iſaiæ 12. 4. Epheſ. 5. 19. Col. 3. 16. Heb. 13. 15. Jac. 5. 13.

LAZARUS jacet ante oſtium divitis Epulonis, Luc. 16. 20.

Lazarus ſuſcitatur a morte, Joann. 11. 43. perſecutionem ſuſtinet a Judæis, 12. 10.

LEBBÆUS cognomine Thaddæus diſcipulus Chriſti, Matth. 10. 3. appellatur Judas filius Jacobi, Lucæ 6. 16.

LEPRA quomodo cognoſcatur, Lev. 13. * 14. *

Lepram mittit Deus propter peccatum, Exod. 4. 4. Numer. 12. 8. 4. Reg. 5. 1. 27. † 21. 5. 2. Par. 26. 28. 19. 22.

Lepra mundatur, Exod. 4. 7. Num. 12. 15. 4. Reg. 5. 14. Matth. 8. 2. Luc. 17. 14.

Leproſorum ſegregatio, Levit. 13. 49. Num. 5. 2. 4. Regum 5. 5.

LEVI nafcitur, Gen. 29. 34.
occidit cum fratre fuo Simeone Sichemitas, 34. 35.
punitio iftius facti, 49. 5.
Levitarum habitatio, jus & deb'ta vitæ fuftentatio, Lev. 10. 12. † 25. 32. Num. 18. 21. 24. † 35. 2. 7. Deut. 10. 8. † 12. 12. 19. † 14. 27. † 18. 1. † 26. 11. Jof. 13. 14. 33. † 18. 7. † 21. * 2. Efdr. 10. 33. 37. † 13. 10. Ezech. 48. 13. Eccli. 7. 32.
Levitarum minifterium & officium, Num. 1. 49. † 3. * † 4. 1. † 8. * † 18. 2. 21. Deut. 10. 9 Jof. 3. 6. 1. Par. 6. 31. * † 9. 14. * 2. Par. 19. 8. Ezech. 44. 11.
Levitas affumit fibi in minifterium Deus pro primogenitis Ifraelis, Num. 3. 12. 4c. † 8. 16.
Levitæ puniunt peccatum crecti vituli, Exod. 32. 26.
Levitæ expelluntur ex Ifrael, 2. Par. 11. 4.
LEX prima & præceptum datur, Gen. 2. 16. violatur, 3. 4. 6.
Lex decem mandatorum datur Moyfi, Exod. 20. * Deuter. 5. *
Legis tabulæ dantur, Exod. 31. 18. Deuter. 5. 22. franguntur, Exod. 32. 19. Deut. 9. 17. dantur aliæ tabulæ, Exod 34. 27. Deut. 10. 1.
Legis natura, officium & operatio, Rom. 3. 20. † 4. 18. † 5. 20. † 7. 1. 7. Galat. 3. 19. 1. Timoth. 1. 8. Hebr. 7. 18. 27.
Legem Dei fine fpiritu ejus non poffumus implere, Deuter. 5. 29. Pfalm. 118. 24. Lucæ 18. 22. Act. 15. 10. Roman. 8. 1.
Punitio vel merces eorum, qui Legem Dei prævaricantur, vel obfervant, vide Obedientia, & Inobedientia.
Legis cæremonialæ abrogantur per Chriftum, Matt. 11. 13. Marc. 15. 38. Actor. 13. 38. † 15. 11. Rom. 6. 14. † 7. 4. † 8. 3. Gal. 3. 13. † 4. 5. Ephef. 2. 13. Col. 2. 14. 1. Petr. 1. 11. 18.
Lex legitur, Deut. 1. 5. † 31. 9. 11. Jofue 8. 33. 4. Reg. 23. 2. 2. Efd. 8. 8. † 9. 3. 3. Efdr. 9. 39. 2. Mach. 8. 19. 23.
Lex nova Chriftianorum confiftit potiffimum in Charitate, Matth. 5. 44. † 7. 12. † 22. 36. Joann. 13. 34. Rom. 13. 10. Gal. 5. 14. † 6. 2. 1. Tim. 1. 5.
LIA nubit Jacob patriarchæ, Genef. 29. 21. gignit ei multos liberos, 29. 31.
LIBER vitæ, Exod. 32. 32. Pfalm. 68. 29. Phil. 4. 3. Apoc. 3. 5. † 20. 12. † 21. 27.
LIBERUM arbitrium etiam poft lapfum in homine manfit, Gen. 4. 7. Deut. 30. 19. Jofue 24. 15. Pfalm. 26. 9. Sap. 9. 10. Eccli. 15. 18. † 31. 10. 1. Cor. 3. 9. † 7. 37.
Liberum arbitrium cooperatur gratiæ Dei, 1. Reg. 7. 3. 2. Par. 2. 14. Pfalm. 9. 17. † 72. 13. Prov. 16. 1. 5. 9. Eccli. 2. 20. Ifa. 1. 16. 17. 18. † 40. 3. † 46. 8. † 55. 6. 7. Jer. 3. 1. 22. 22. † 4. 3. 4. 14. † 7. 3. † 18. 8. 11. † 25. 5. † 26. 13. † 35. 15. Ezech. 18. 21. 22. 27. 28. 30. 31. † 33. 14. 15. 16. 19. Zach. 1. 3. Malach. 3. 7. Matth. 3. 2. 3. † 11. 33. † 12. 28. Marc. 1. 3. Luc. 3. 4. Joan. 1. 23 † 7. 17. Act. 13. 19. † 8. 22. † 9. 6. Rom. 10. 13. 3. 1. Cor. 3. 9. † 15. 10. 2. Cor. 7. 1. Eph. 5. 14. Phil. 2. 12. 13. † 4. 13. Col. 1. 29. † 3. 9. 10. 1. Tim. 4. 16. 2. Tim. 2. 21. Hebr. 4. 16. † 12. 12. 13. Jac. 4. 8. 1. Pet. 1. 22. 1. Joann. 3. 3. Apoc. 3. 20.
Libertas Evangelica, Joan. 8. 32. Rom. 6. 18. † 8. 2. 21. Gal. 5. 13. 1. Pet. 2. 18. † 2. 16. * 1. Petr. 2. 19.
Libertas prava, & improbanda, Job 11. 12. Jer. 34. 15. Ofee 7. 16. 2. Petr. 2. 15.
A LINGUA mala cavendum, Levit. 19. 16. Job 5. 21. Pfalm. 51. 4. † 139. 4. 20. † 140. 3. Prov. 4. 24. † 10. 18. † 11. 9. † 12. 13. 19. † 15. 2. † 16. 27. 28. † 17. 20. † 18. * † 20. 19. † 21. 23. † 26. 20. † 30. 11. Ecclef. 5. 2. Sap. 1. 11. Eccli. 5. 16. † 25. 13. † 28. * 1. Cor. 15. 33. 1. Petr. 2. 1. Jac. 1. 19. † 3. 5. 8. † 4. 11. vide Detractio.
Lingua difcrete moderanda, Prov. 10. 19. † 12. 14. † 13. 2. 3. † 13. 17. † 18. 21. † 21. 23. Eccli. 14. 1. † 20. 5. † 22. 33. † 23. 17. Matth. 12. 36. Luc. 6. 45. Jac. 1. 19. † 3. 2. 2. Petr. 3. 10. vide Loquenda.
LOBNA occupatur, Jofue 10. 29. deficit a Juda, 4. Reg. 8. 22. oppugnatur ab Affyriis, 19. 8.
LONGANIMITAS, vide Patientia.
LOQUENDA funt vera, honefta, & quæ audientibus prodeffe queant, Exod. 23. 28 Pf. 14. * Prov. 13. 2. † 24. 26. † 25. 11. † 29. 20. Ecclef. 5. 2. Eccli. 7. 37. Matth. 5. 37. † 12. 36. Eph. 4. 29. † 5. 3. Col. 3. 8. 1. Petr. 3. 10.
Loquendi tempus & opportunitas, Prov. 15. 23. † 25. 11. Ecclef. 8. 5. Eccli. 11. 8. † 20. 6. † 32. 9. † 33. 4. quomodo loquendum, Job 6. 29. Prov. 15. 4. † 16. 20. 22. † 29. 11. Eccli. 4. 34. † 5. 16. † 6. 5. Col. 4. 6.
LOT liberatur ab incendio Sodomorum, Gen. 19. 15. 17. 2. Petr. 2. 7. uxor ejus mutatur in ftatuam falis, Gen. 19. 26. Sap. 10. 7. Luc. 17. 32. concubuit cum duabus filiabus fuis, Gen. 19. 31. 35.
LOTIO pedum, Gen. 18. 4. † 19. 2. 24. 32. † 43. 24. Joann. 13. 4. 14. 1. Tim. 5. 10.
LUCAS medicus, Col. 4. 14. manet cum Paulo, 2. ad Tim. 4. 11.
LUCIFER, cecidit e cælo, Ifaiæ 14. 12.
Lux eft Chriftus, Ifaiæ 9. 2. † 42. 6. † 60. 1. 19. † 49. 6. Joann. 1. 5. † 8. 12. † 9. 5. † 12. 35. 46. 1. Joan. 1. 5. † 2. 8.
Lux funt Chriftiani, Prov. 4. 18. Ifaiæ 62. 1. Matth. 5. 15. Rom. 2. 19. Phil. 2. 15.
LYDIA purpuraria credit in Chriftum, Act. 16. 14.
LYSIAS dux exercitus Antiochi, 1. Mach. 3. 32. pactum init cum Judæis, 6. 58. capitur & juffu Demetrii occiditur, 7. 2.

M

MAACHA filia Tholmai regis in Geffur, mater Abfalonis, 2. Reg. 3. 3.
MAACHA filia Abeffalom, mater Abiam regis Juda, 3. Reg. 15. 2.
appellatur Michaja, 2. Par. 13. 2.
MACEDONIA mittit eleemofynas pauperibus Jerofolymitanis, Rom. 15. 26. 2. Cor. 8. 1.
Paulus vocatur in Macedoniam, Act. 16. 9.
MADIAN filius Abraham, Gen. 25. 2. Deus præcipit ut cædantur Madianitæ, Num. 25. 16. Madianitæ cæduntur cum fuo rege, 31. 7.
oppriment Ifraelem, Judic. 6. 1. irruit in eos Gedeon, 7. *
MAGDALENA, vide Maria.
MAGI Pharaonis virgas fuas vertunt in colubres, Exod. 7. 12.
Magi primitiæ Gentium Chriftum adorant, Matth. 2. 11.
Magia, vide Incantationes.
MALALEEL, nafcitur, Gen. 5. 12.
MALCHO, præcidit Petrus auriculam, Joann. 18. 10.
MALEDICTIO & Benedictio, Gen. 3. 14. 17. † 8. 21. † 9. 25. † 24. 41. † 27. 18. † 48. 15. 20. † 49. 7. Numer. 5. 21. Deut. 11. 26. † 27. 15. Jof. 8. 34. Jud. 9. 20. 1. Reg. 17. 43. 2. Reg. 2. 5. † 16. 7. 4. Regum 2. 24. 2. Efdr. 5. 13. Prov. 26. 2. Jerem. 29. 22. † 49. 13. Zach. 8. 13.
Maleficia, vide Incantationes.
MALUM dicens bonum, punietur, Ifa. 5. 20. Mal. 2. 17. Prov. 24. 24.
Malum declinandum, & bonum faciendum, Prov. 3. 7. Ifaiæ 1. 16. Ezech. 18. 21.
Malorum confortium vitandum, Pfalm. 1. * † 25. 4. Prov. 1. 10. † 14. 7. † 24. 21. † 29. 24. Eccli. 8. 18. † 13. * 2. Cor. 6. 14. 2. Joann. 10. Apoc. 18. 4.
Malum non eft reddendum pro malo, Prov. 20. 22. † 24. 29. Rom. 12. 14. 17. 1. Cor. 4. 12. 1. Theff. 5. 15. 1. Petr. 3. 9.
Malum pœna eft a Deo, Deut. 32. 23. 3. Reg. 9. 9. † 21. 29. Ifaiæ 46. 7. Jerem. 11. 11. † 32. 42. Baruch 2. 2. Amos 3. 6. Jonæ 3. 10. Mich. 1. 12. † 2. 3.
Malum culpæ fumme adverfatur Deus, tantum abeft, ut eum auctorem habeat, Exod. 23. 7. 2. Par. 19. 7. Jud. 5. 21. Job 34. 10. Pfalm. 5. 5. 7. † 44. 8. Prov. 15. 8 9. Sap. 4. 9. Eccli. 15. 21. Ofee 13. 9. Rom. 9. 14. 2. Cor. 6. 15. Jac. 1. 13.
Malos rectores & præpofitos permittit Deus ob peccata populi, 3. Reg. 12. 24. Job 30. 34. Ifa. 29. 10. Ezech. 14. 8. Ofee 13. 11. 2. Theff. 2. 11.
jubetque obedientiam illis præftare, Matth. 23. 3.
Malorum etiam minifterorum opera utitur Deus, Matth. 7. 22. Marc. 9. 38. Lucæ 9. 49.
MANAHEM rex Ifrael, 4. Reg. 15. 24.
MANASSES primogenitus Jofeph nafcitur, Genef. 41. 51. † 48. 14.
Manaffes impius, filius pii Ezechiæ, rex Juda, 4. Reg. 21. 1. 6. 2. Paralip. 32. 33. † 33. 1. Jerem. 15. 4. ducitur vinctus in Babylonem, & per pœnitentiam convertitur ad Dominum, & exauditus recuperat Regnum, 2. Paralip. 33. 11. 13. relinquit poft fe Amon, 4. Regum 21. 18. Matth. 1. 10. appellatur Her, Lucæ 3. 28.
MANENDUM eft nobis in Chrifto, Joann. 15. 4. Rom. 8. 1. 1. Cor. 4. 15. † 12. 13. Col. 2. 6. 1. Joann. 2. 6. 28. † 3. 24. † 4. 13.
MANNA, Exod. 16. * Num. 11. 7. Deut. 8. 3. Jof. 5. 12. Pfal. 77. 24. Sap. 16. 20. Joann. 6. 31.
MANSUETUDO, Jof. 7. * 19. 1. Reg. 25. * 2. Reg. 16. 10. Prov. 15. 1. Eccli. 1. 29. Matth. 5. 4. † 11. 29. Galat. 5. 25. † 6. 1. Ephef. 4. 2. Col. 3. 12. 2. Tim. 2. 25. Tit. 3. 2.
MARDOCHÆUS defenfor & tutor Efther, captivus abductus in Babylonem, Efther 2. 5. 7. a rege fummo

mo honore affectus, 6. 10. revertitur de captivitate in Jerusalem, 1. Eſdr. 2. 2. Eſdr. 7. 7.

MARE creatur, Geneſ. 1. 9. concluditur ſuis terminis, 1. 9. Job 26. 10. † 38. 26. Prov. 8. 29. Jer. 5. 22. cedit filiis Iſrael, Exod. 14. 21. ſedatur verbis Chriſti, Matth. 8. 26.

MARIA ſoror Aaron laudat Dominum, Exod. 15. 21. fit leproſa, Numer. 12. * Deut. 24. 9. moritur, Num. 20. 1.

Maria virgo prænuntiata, Geneſ. 3. 15. Num. 24. 17. Pſalm. 18. 6. † 44. 10. † 45. 5. † 48. 2. † 86. 3. † 131. 8. Prov. 31. 10. 29. † 9. 1. Cantic. 1. * 2. * 3. * 4. * 5. * 6. *. Eccli 24. * Iſaiæ 7. 14. † 11. 1. † 19. 5. † 45. 8. Jerem. 31. 22.

Maria vocatur, & eſt mater Domini, Luc. 1. 43. mater Jeſu, Matth. 2. 13. Joann. 19. 25.

Mariæ perpetua virginitas ſignificatur, Exod. 3. 2. Judic. 6. 37. 38. 39. 40. Pſal. 18. 6. Cant. 2. 2. † 4. 7. † 6. 9. II. 7. 14. † 11. 1. † 35. 1. 2. † 66. 7. Ezec. 44. 2. Dan. 2. 33. Matth. 1. 20. Lucæ 1. 35.

Maria virgo multis dotata virtutibus, fide dives, Prov. 31. 18. Luc. 1. 38. 45. Joan. 2. 5. ſpe plena, Eccli. 24. 24. Joann. 2. 5. charitate perfecta, Eccli. 24. 24. Luc. 1. 56. † 2. 7. Joann. 2. 3. † 19. 25. caſta, vide ſupra, Mariæ perpetua virginitas, caſtitas, caſtitatem vovit perpetuam, Luc. 1. 35. humilis, Lucæ 1. 38. 48. miſericors, Joan. 2. 3. prudens, Luc. 2. 19. modeſta, Luc. 1. 48. pia, Luc. 1. 47. benigna, Luc. 1. 40. fortis, Prov. 31. 10. * Joann. 19. 25. ſapiens, Prov. 31. 26. Joann. 2. 5.

pauper, Matth. 2. 11. Luc. 2. 7. 24. patiens, Matth. 2. 13. Lucæ 2. 35. virtute præcellens omnes, Prov. 31. 29. Eccli. 24. 25. Lucæ 1. 28. 42.

Maria ſalutatur ab Angelo, Lucæ 1. 28. viſitat Eliſabeth, & laudat Deum, Lucæ 1. 39. 46. proficiſcitur cum Joſeph in Bethlehem, Lucæ 2. 4. in Ægyptum, Matth. 2. 14. revertitur inde in terram Iſrael, Matth. 2. 14. invenit Chriſtum in templo, Lucæ 2. 46. aſſiſtit cruci, & Apoſtolo Joanni commendatur, Joann. 19. 25. manet cum Apoſtolis, Act. 1. 14.

Maria Magdalena deflet ſua peccata, Lucæ 7. 38. obtinet peccatorum remiſſionem, Lucæ 7. 48. liberata a ſeptem dæmoniis, adhæret, & miniſtrat Chriſto, Luc. 8. 2. 3. ungit Dominum, Matth. 26. 6. Marc. 14. 3. Joann. 11. 2. † 12. 3. adeſt Chriſto in Cruce morienti, Joann. 19. 25. ſtat ad monumentum plorans, Joann. 20. 11. Chriſtus ei apparet poſt reſurrectionem, Marc. 16. 9. Joann. 20. 14. nuntiat reſurrectionem diſcipulis, Joann. 20. 18.

MARITI officium, & auctoritas in uxorem, Gen. 3. 16. Num. 5. 12. 8. † 30. 7. 13. Deut. 22. 5. 13. † 24. 1. Prov. 5. 18. † 18. 22. † 31. 10. Eccl. 9. 9. Eccli. 7. 28. † 9. 1. † 25. 2. 27. † 26. 1. Mal. 2. 14. 16. 1. Cor. 7. * † 11. 3. 10. Eph. 5. 21. Col. 3. 18. Tit. 2. 4. 1. Tim. 2. 11. 1. Petr. 3. 1.

MARTHA hoſpitio excipit Dominum, Lucæ 10. 38. oſtendit ſuam fidem, Joann. 11. 27.

MATHAN ſacerdos Baal occiditur, 4. Regum 11. 18. 2. Paral. 23. 17.

MATHIAS eligitur in Apoſtolum, Act. 1. 26.

MATHUSALEM filius Henoc naſcitur, Gen. 5. 21. vivit 969. annis, & moritur, Gen. 5. 27.

MATRIMONIUM, Gen. 1. 27. 28. † 2. 21. 22. 23. 24. † 3. 6. 12. 17. † 4. 1. 17. † 9. 1. † 19. 25. † 23. 3. † 21. 51. Exod. 2. 1. † 20. 17. Lev. 18. † 20. 10. Deut. 5. 21. † 7. 3. † 22. 23. † 24. 1. Joſ. 23. 12. Jud. 3. 6. † 14. 2. 7. 15. 1. Eſdr. 9. 2. 2. Eſdr. 13. 23. Eſther 2. 17. Tob. 4. 13. † 6. 17. † 7. 15. 16. † 8. 9. Prov. 18. 22. † 19. 14. Eccli. 15. 2. Jer. 3. 1. Matth. 5. 32. † 19. 3. 7. † 22. 24. 30. Marc. 6. 18. † 10. 2. 6. 7. 8. 9. † 12. 20. * Luc. 2. 5. † 3. 19. † 16. 18. † 20. 34. Joann. 2. 1. 2. Rom. 7. 2. 3. 1. Cor. 7. * Epheſ. 5. 31. 32. 1. Tim. 3. 2. † 5. 9. Hebr. 13. 4. 1. Petr. 3. 1.

Matrimonium indiſſolubile, Gen. 2. 24. Matth. 5. 32. † 19. 7. Marc. 10. 11. Luc. 16. 18. 1. Cor. 7. 10.

Matrimonium ſpiritale, quære Connubium.

Matrimonium cujus rei ſacramentum, Eph. 5. 32. confert gratiam & ſanctificationem, 1. Theſſ. 4. 4.

MATTHÆUS publicanus vocatur, Matth. 9. 9. † 10. 3. appellatur Levi filius Alphæi, Marc. 2. 14. Lucæ 5. 27.

MATHANIA patruus Joachim conſtituitur rex Juda, appellabatur Sedecias, 4. Reg. 24. 17.

MATHATHIAS Sacerdos oſtendit ſtudium pro tuenda religione, 1. Mach. 2. 24. pugnat ſtrenue, 2. 41. monet filios ſuos ad obſervationem legis Dei, 2. 49. 64.

MEDI occupant regnum Babyloniæ, Daniel 5. 31.

MELCHISEDECH ſacerdos, & Rex Salem, Gen. 14. 18. Pſal. 109. 4. Heb. 7. 1.

MENDACIUM, Gen. 3. 4. † 37. 19. † 39. 17. Lev. 19. 11. 2. Reg. 1. 2. 7. 4. Reg. 5. 25. Prov. 6. 19. † 12. 22. Sap. 1. 11. Eccl. 7. 13. † 20. 26. 28. † 25. 4. Oſee 4. 2. Joann. 8. 44. Act. 5. 4. 3. Eph. 4. 25. Coloſſ. 3. 9. vide Teſtimonium.

MENELAUS proditor patriæ uſurpat ſibi ſummum ſacerdotium, 2. Machab. 4. 24. extremo ſupplicio afficitur, 2. Machab. 13. 4. 5. 6.

MENSURA, qua menſi fuerimus, remetietur nobis, Exod. 21. 23. Jud. 1. 7. 1. Reg. 15. 33. 2. Reg. 22. 25. Pſ. 17. 21. Prov. 22. 23. Iſaiæ 33. 1. † 65. 6. † 66. 4. Jerem. 50. 15. 29. † 51. 47. Ezech. 16. 59. Joel. 3. 7. Matth. 7. 2. Marc. 4. 24. Lucæ 6. 38.

Menſuræ & pondera debent eſſe juſta, Levit. 18. 35. Deut. 25. 13. Ezech. 45. 10. Michææ 6. 11. Amos 8. 5. Prov. 16. 11. † 20. 10.

MERARI filius Levi, Num. 3. 17.

Meraritarum officium, 3. 33. † 4. 42.

MERCES debetur operibus, Gen. 4. 7. † 15. 1. Pſal. 118. 112. Prov. 11. 18. Sap. 5. 16. † 10. 17. Eccli. 2. 8. † 11. 24. † 18. 22. † 36. 18. † 51. 30. 38. Iſaiæ 3. 10. Jerem. 31. 16. Matth. 5. 12. † 6. 1. † 10. 41. 32. † 20. 8. Marc. 9. 41. Luc. 6. 35. † 10. 7. Joann. 4. 36. Rom. 4. 4. 1. Cor. 3. 8. 1. Tim. 5. 18. Apoc. 22. 12.

MERITA operum, Eccli. 28. 31. † 16. 15. † 38. 18. vide Opera.

MEROB filia Saulis, 1. Reg. 14. 49. promittitur Davidi in uxorem, 18. 17.

MESSIAS, id eſt, Chriſtus, & verus unctus eſt Dominus noſter Jeſus, Joan. 1. 41. † 41. 25. † 7. 41. † 11. 27. Matth. 26. 64. Marc. 14. 62. Luc. 22. 67. Act. 17. 3. † 18. 28. † 19. 4. 1. Joan. 5. 1.

MICA parat ephod idolo matris ſuæ, Jud. 17. 5. conducit Levitam, 17. 7. 10. idolum & ephod auferuntur, ſimiliter & Sacerdos abducitur, 18. 13. 18. 20.

Micha, filius Miphiboſeth, 2. Reg. 9. 12.

MICHÆAS prophetat contrarium pſeudoprophetis, 3. Reg. 22. 13. 15. 23. 2. Paral. 18. 14.

MICHAEL pugnat cum diabolo, Dan. 10. 13. Judæ 9. Apoc. 12. 7.

MICHOL ſive Michal filia Saulis, datur Davidi in uxorem, 1. Reg. 18. 27. juxta promiſſionem regis, 17. 25. conſervat Davidi vitam, demittens eum per feneſtram, 19. 12. ſubducitur ei, & datur Phalti, ſive Phaltiel, 25. 44. redditur ei, 2. Reg. 3. 14. 15. deridet ipſum ſaltantem coram Domino, 6. 16.

MILITARE, vide Bellum.

MINISTRORUM etiam malorum opera dignatur uti Dei bonitas, Matth. 7. 22. Marc. 9. 38. Lucæ 9. 49. quos, & jubet audiri, Matth. 23. 3.

MIPHIBOSETH filius Jonathæ, 2. Reg. 4. 4. invenit gratiam coram Davide, 9. 7. * parcit ei David, 21. 7. appellatur Meribbaal, 1. Paral. 9. 40.

Miphiboſeth filius Saulis ſuſpenditur, 2. Reg. 21. 8.

MIRACULA operatur Deus per Sanctos & eorum reliquias. Vide Sancti & reliquiæ.

MISERICORDIA, vide Bonitas Dei, item Charitas.

Miſericordia opera proximo exhibenda, 1. Regum 15. 6. 2. Paral. 28. 9. 15. Pſal. 111. 5. 9. Prover. 24. 21. 31. † 19. 7. 25. 21. Eccli. 4. 2. 29. † 35. 28. Iſai. 58. 7. Oſee 6. 11. Mich. 6. 8. Zach. 7. 8. Matth. 5. 7. † 9. 13. † 10. 42. † 18. 33. † 25. 41. Marc. 9. 40. Luc. 6. 35. † 11. 33. Rom. 12. 13. Galat. 6. 52. Coloſſ. 3. 12. 1. Tim. 5. 10. quære Eleemoſyna.

MISSÆ ſacrificium olim prædictum, & prænuntiatum, Lev. 28. 9. 10. 11. 12. Pſal. 22. 5. † 107. 4. Iſai. 2. 2. 3. † 19. 19. 20. † 56. 7. † 61. 6. † 65. 19. 20. 21. Jer. 31. 31. † 33. 16. 17. 18. Dan. 12. 11. Amos 9. 11. Malac. 1. 10. 11.

Miſſæ ſacrificium per varias figuras veteris Teſtamenti ſignificatum, Geneſ. 14. 18. † 16. 6. † 22. 13. Exod. 12. 5. 24. † 25. 30. † 29. 2. 15. Levit. 2. 1. 13. † 3. 11. † 4. 23. † 5. 7. 12. † 6. 15. † 9. 8. † 14. 4. † 16. 3. † 19. 21. Num. 15. 24. † 18. 17. 1. Reg. 21. 4. 3. Reg. 19. 6. 4. Reg. 4. 41. Dan. 8. 12. appellaturque juge ſacrificium, Dan. 11. 31. † 12. 11. nec interibit offerens ſacrificium, Jerem. 33. 18. 21.

Miſſæ ſacrificium a Chriſto inſtitutum, Lucæ 22. 19. & ab ejus diſcipulis uſitatum, Actor. 13. 2. λειτουργούντων δ' αὐτῶν.

Miſſæ ſacrificii mentionem facit Paulus, 1. Cor. 10. 16. † 11. 23. *

MOAB filius Lot, & filiæ ejus natu majoris, Geneſ. 19. 37. contra Moabitas pugnare, Iſraeli a Deo prohibetur, Deutron. 2. 8. factus eſt Moab ſerviens Davidi ſub tributo, 2. Reg. 8. 2. deficiunt Moabitæ ab Iſrael, 4. Reg. 1. 1. † 3. 5. irruunt latrunculi de Moab in terram Iſrael, 13. 20. non admittebantur in eccleſiam, Deut. 23. 3. 2. Eſdr. 13. 1. contra Moab prophetatur, Numer. 21. 29. † 24. 17. Pſalm. 59. 10. † 107. 10. Iſai. 16. * † 25. 10. Jerem. 48. 1. Ezech. 25. 8. Amos 2. 1. Sophon. 2. 8.

MOLOCH idolum, Levit. 18. 21. † 20. 2. appellatur

Mel-

Melchom, 1. Paralip. 20. 2. Jerem. 49. 1. Amos 1. 15. Sophon. 1. 5. de Moloch, vide item 3. Reg. 11. 5. 7. 4. Reg. 23. 10.

MORBUS, vide Ægrotatio.

MORS est pœna peccati, Gen. 2. 17. † 3. 19. Rom. 5. 12. 17. † 6. 23. 1. Cor. 15. 21. Eph. 2. 2. Coloss. 2. 13. 1. Tim. 5. 6. Jacobi 1. 15.

Mors & certus dies mortis omni homini constitutus est, Deut. 31. 14. Jos. 23. 14. 1. Reg. 26. 10. Job 14. 5. Psalm. 88. 49. Eccles. 3. 3. † 8. 8. † 9. 5. Eccli. 17. 3. † 41. 1. Joann. 7. 30. † 8. 20. Rom. 5. 12. † 6. 23. Hebr. 9. 27.

Mortis hora incertissima, Eccles. 9. 12. Matth. 24. 43. Luc. 12. 40. 1. Thess. 5. 2. Thess. 2. 2. Jac. 4. 13.

Mors corporis, justis est quasi somnus quidam, & dormitio, Deut. 31. 16. 2. Reg. 7. 12. 3. Reg. 2. 10. † 11. 21. 43. † 14. 20. Sap. 3. 3. Matth. 9. 4. Joann. 11. 11. Act. 7. 60. † 13. 36. 1. Cor. 11. 29. 1. Thess. 4. 13.

Mortem nostram sua morte devicit Christus, Isai 25. 8. Oseæ 13. 14. Rom. 6. 9. 1. Cor. 15. 54. 2. Timot. 1. 10. Hebr. 2. 14. Apoc. 21. 4.

Mortem, qui sibi intulerit, Judic. 9. 54. † 16. 29. 1. Reg. 31. 4. 2. Reg. 17. 23. 3. Reg. 16. 18. 2. Mach. 10. 13. † 14. 41. Matth. 27. 5. Actor. 1. 18.

Mortuos lugere quatenus permittatur, aut prohibeatur, Levit. 19. 28. Deut. 14. 1. † 34. 8. 2. Reg. 11. † 3. 31. † 10. 2. † 12. 16. † 14. 2. † 19. 1. † 21. 10. 13. Eccli. 22. 10. † 38. 16. 1. Machab. 9. 20. † 12. 52. † 13. 26. Matth. 9. 3. Luc. 7. 13. Joann. 11. 33. Actor. 8. 2. † 9. 39. 2. Thess. 4. 13.

Mortui ad vitam revocantur, 3. Reg. 17. 20. 4. Reg. 4. 33. † 13. 21. Matth. 9. 25. † 27. 52. Marc. 5. 41. Luc. 7. 23. † 8. 54. Joann. 11. 11. 43. Act. 9. 40. † 20. 10.

Mortuorum sepultura, vide Sepeliendi mortui.

Mortuorum suffragia, vide Purgatorium.

MOYSES nascitur ex Levi, Exod. 2. 1. † 6. 20. Actor. 7. 20. percutit Ægyptium, & fugit in Madian, Exod. 2. 15. accipit Sephoram Madianitem uxorem, Exod. 2. 21.

mittitur ad Pharaonem in Ægyptum, 3. 10. * † 5. 1. † 6. 12. † 7. * † 8. * † 9. * † 10. * revertitur cum uxore, & liberis in Ægyptum, 4. 20. orat pro Pharaone, 8. 12. 30. † 9. 28. 33. † 10. 17.

orat pro populo, 14. 15. † 17. 4. 11. † 32. 11. 13. 31. Num. 11. 2. † 14. 13. 17. † 21. 7. Deut. 9. 18. 26. accipit primo tabulas, Exod. 31. 18. has confringit videns populi idololatriam, Exod. 32. 19.

accipit iterum novas, 34. 28.

in faciem ejus intueri non poterat populus Israeliticus, 34. 30. 2. Cor. 3. 7.

Mittit exploratores in terram Chanaan, Numer. 13. 2. probat se a Deo esse missum, Num. 16. 28. 31. videt terram promissionis, & moritur, 20. 12. † 27. 12. Deut. 34. 1. 5. apparet in transfiguratione Christi, Matth. 17. 3. Luc. 9. 30. commendatur, Eccli. 45. 1.

diabolus altercatur cum Angelo Michaele de Moysi corpore, Jud. 9.

MUNDI corde, Psal. 23. 4. † 50. 12. † 72. 1. Matth. 5. 8. 1. Petr. 1. 22.

Munditıes interior, & exterior commendatur, Matth. 23. 25. Luc. 11. 39. 2. Cor. 7. 1.

MURMURATORES quos inveniuntur, & quæ illis pœna metuenda, Exod. 14. 11. † 15. 24. † 16. 2. 7. 8. † 17. 2. Numer. 11. 1. 1. * † 12. 1. 9. 10. † 14. 2. 27. * † 16. 3. † 17. 13. † 20. 2. † 21. 5. * Deuteron. 1. 27. Jos. 9. 18. Judic. 8. 10. Sap. 1. 11. Matth. 20. 12. Luc. 15. 2. † 19. 7. Joann. 6. 41. * Actor. 6. 1. 1. Corinth. 10. 10. Judæ, 16.

N

NAAMAN militum Præfectus apud regem Syriæ mundatur a lepra, 4. Reg. 5. 14. Luc. 4. 27.

NAAS rex Ammonitarum pugnat contra Jabes, 1. Reg. 11. 1. moritur, 2. Reg. 10. 1.

Naas pater Abigail, 2. Reg. 17. 25.

NABAL vir iniquus, 1. Reg. 25. 25. 26.

NABOTH, quia regi Achab vineam negabat, lapidatur, 3. Reg. 21. 2. 13.

NABUCHODONOSOR potentissimus rex Babylonis, Jerem. 27. 6. invadit Ægyptum, 4. Reg. 24. 7. Jerem. 46. 2. ascendit in Jerusalem, 4. Reg. 24. 1. 10. † 25. 1. Jerem. 39. 1. juxta prophetiam, Jerem. 25. 8. † 32. 28. erigit auream statuam, Dan. 3. 1. habitat septem annos inter feras, 4. 28. 30. ingens superbia ejus, amplitudo dominii, & crudelitas explicatur, Isai. 14. 2. 8.

NABUZARDAN dux militiæ regis Babylonis destruit domum Dei, muros Jerusalem, & populum qui remanserat, transfert cum omnibus vasis templi, in Babylonem, 4. Reg. 25. 8. Jer. 39. 9. 11. † 52. 12.

NACHOR avus Abraham, Gen. 11. 23. 25.

NADAB & Abiu igne consumuntur, Lev. 10. 1. † 16. 1. Num. 3. 4. † 26. 61.

Nadab rex Israel, 3. Reg. 14. 20. cæditur, 15. 28.

NAHASSON filius Aminadab princeps, & dux tribus Juda, Num. 1. 7. † 2. 3. † 7. 12.

NAHUM prædicat in Ninive, Nahum 1. * † 2. * † 3. *

NATHAN filius Davidis, 2. Regum 5. 14. appellatur Mathata, Luc. 3. 31.

Nathan propheta mittitur ad Regem David, 2. Reg. 7. 4. † 12. 1.

NATHANAEL dux tribus Issachar, Num. 1. 8.

Nathanael videtur a Christo, Joann. 1. 47.

Christus manifestat se ipsi Nathanaeli, 21. 2.

NECHAO rex Ægypti, 4. Reg. 23. 29. 2. Paralip. 35. 20. † 36. 3.

NEGOTIATIO, vide Emere, & Vendere.

NEHEMIAS pincerna Artaxerxis, 2. Esdr. 1. 11. mittitur in Judæam ad ædificandum, quæ erant destructa, 2. 9. appellatur Athersata, 8. 9.

NEMROD potens erat, & robustus venator, Genes. 10. 8.

NICANOR dux Lysiæ, 1. Mach. 3. 38. & etiam dux exercitus Demetrii, 7. 26. minatur se succensurum templum, 7. 43. cæditur, 7. 43. 2. Mach. 15. 28.

NICODEMUS occultus discipulus Christi, Joann. 3. 1. 7. 50. † 19. 39.

NINIVE ædificatur ab Assur, Genes. 10. 11. pœnitentiam agit de peccatis suis, Joann. 3. 7. * desolatio & destructio Ninive, Nahum 1. * † 2. * † 3. * Sophon. 2. 13. Tob. 14. 5.

stabit in judicio, & condemnabit obcæcatos Judæos, Matth. 12. 41.

NOE filius Lamech, Gen. 5. 30.

præco divinæ justitiæ, 2. Petr. 2. 5.

ædificat arcam, Genes. 6. * ingreditur arcam, 7. 1. 7. egreditur, 8. 15.

accipit signum fœderis, 9. 8. 14.

commendatur, Eccli. 44. 17.

NOEMI uxor Elimelech, Ruth 1. 2.

NOVUM Testamentum, Jerem. 31. 31. Matth. 26. 28. Marc. 14. 24. Luc. 22. 20. 1. Cor. 11. 24. Hebr. 8. 8. † 9. 15. † 10. 16. † 13. 20.

Novum cælum, & nova terra post mundi innovationem, Isai. 65. 17. † 66. 22. 2. Petr. 2. 13. Apocal. 21. 1.

NUDI vestiendi, Isai. 58. 7. Ezech. 18. 7. Tob. 1. 17. Matth. 25. 5. 26. 39. vide Misericordia.

O

OBED filius Booz ex Ruth, Ruth 4. 17. Matth. 1. 5.

OBEDIENDUM Deo, ejusque præceptis, & quæ obedientibus sit constituta merces, Gen. 12. 4. † 17. 9. 23. † 22. * † 26. 5. Exod. 1. 17. † 15. 26. † 19. 51. † 20. 6. † 23. 22. 25. Lev. 20. 22. † 26. 3. 11. Deut. 4. 40. † 7. * † 11. * † 13. 4. † 17. 13. † 18. 15. † 28. 4. † 27. 10. † 28. 1. 12. Jos. 22. 1. 1. Reg. 12. 14. † 15. 22. 4. Reg. 10. 30. 2. Par. 7. 17. Prov. 1. 8. 33. † 15. 31. Isai. 1. 19. † 48. 18. † 55. 2. Jer. 7. 23. † 11. 4. † 17. 24. † 35. * Dan. 3. 16. Eccli. 35. 7. 2. Mach. 7. 30. Matth. 4. 19. † 7. 24. † 8. 21. † 15. 3. † 17. 5. † 25. 3. Luc. 5. 4. † 10. 16. Joann. 2. 7. Act. 4. 19. † 5. 32. Rom. 16. 19. Phil. 2. 8. 12. 1. Thess. 4. 3. † 5. 18. 1. Petr. 1. 22. Jac. 22.

Obedientia inferiorum erga superiores, vide Subditorum officium.

OBLATIO omnis debet esse sine vitio, aut macula, Lev. 1. 3. † 3. 1. † 22. 19. Num. 28. 3. 31. Deut. 15. 21. Eccli. 35. 14. Ezech. 43. 23. Malach. 1. 8. 14.

Oblationes Deo gratæ cælitus accenduntur, Gen. 4. 4. † 8. 20. † 15. 17. Levit. 9. 24. Jud. 6. 21. † 13. 19. 3. Reg. 18. 38. 1. Paral. 22. 26. 2. Paral. 7. 1. 2. Mach. 1. 22. † 2. 10.

Oblationes quotidianæ, Exod. 29. 38. Numer. 28. 3. 1. Esdr. 3. 2.

Oblationes propriorum filiorum, Lev. 18. 21. † 20. 2. Deuter. 12. 31. † 18. 10. Jud. 11. 39. 4. Reg. 3. 27. † 16. 3. † 17. 17. † 21. 6. 2. Paralip. 28. 3. Psalm. 105. 37. Isa. 57. 5. Jerem. 7. 31. † 19. 5. Ezech. 16. 20. 36. † 20. 31. † 23. 37.

Oblationum convivia cum gaudio celebrabantur, Gen. 31. 46. Exod. 18. 12. † 32. 6. Num. 25. 2. Deuter. 12. * † 27. 7. 1. Reg. 1. 4. † 9. 12. * † 16. 5. 2. Reg. 15. 12. 3. Reg. 1. 9. † 3. 15. 1. Paral. 29. 11.

Oblationes impiorum, Gen. 4. 3. 1. Reg. 15. 21. Ps. 39. 7.

† 49. 7. † 50. 18. Prov. 15. 8. † 21. 27. Eccli. 35. 15. Isa. 1. 10. † 42. 23. † 61. 8. † 66. 3. Jer. 6. 20. † 7. 20. † 14. 12. Osee 5. 6. † 8. 13. † 9. 4. Amos 5. 22. Mich. 6. 7. Malac. 1. 7. 13. Matth. 9. 13. † 22. 7. Marc. 12. 33. Hebr. 10. 5.

OCCIDERE, vide Homicidium.

OCHOZIAS filius Joram rex Juda, 4. Reg. 8. 24. fugit in Maggedo a facie Jehu, & ceditur, 9. 27.

habet sibi successorem Joas regem, 1. Par. 3. 11.

OCULUS simplex & rectus, Eccli 35. 12. Matth. 6. 22. Luc. 11. 34.

Oculus nequam, Genes. 6. 2. Prov. 6. 13. Eccles. 4. 8. Eccli. 14. 8. † 31. 14. Matth. 6. 22. Marc. 7. 22. Lucæ 11. 34. 1. Joann. 2. 16.

Oculorum custodia quantopere sit necessaria ad vitandum peccata, Gen. 3. 6. † 6. 2. † 34. 2. † 38. 15. † 39. 7. 2. Reg. 11. 2. * † 13. 1. Prov. 23. 26. 33. Eccli. 9. 5. 7. 8. 9. 11. * † 25. 28. * † 41. 25. † 42. 12. Judith 10. 17. 18. * † 12. 16. Dan. 13. 8. * Matth. 5. 28. 2. Pet. 2. 14.

Oculus mentis, vel intellectus, Num. 24. 3. Deut. 29. 4. Isa. 6. 9. Luc. 24. 29. Actor. 26. 18. Ephes. 1. 18.

ODIUM, Vide invidia.

Odio habenda malitia, Psal. 96. 10. † 138. 21. Amos 5. 15. † 6. 8. Rom. 12. 9.

OFFERRE pro defunctis, 2. Mach. 12. 13.

OFFICIUM subditorum, vide infra, Subditorum.

OG rex Basan cæditur, Num. 21. 33. Deut. 2. 2. † 29. 7. † 31. 4. Psalm. 135. 20.

ONESIPHORO optat Paulus misericordiam, 2. Tim. 1. 16.

ONIAS summus sacerdos offert pro Heliodoro, 2. Mach. 3. 32. cæditur, 4. 34.

OPERUM merita, & retributio seu merces, Psal. 118. 112. Prov. 11. 18. Eccli. 36. 18. Isai. 3. 10. Matth. 5. 12. † 10. 42. † 16. 27. † 25. 34. Rom. 2. 6. 1. Cor. 15. 28. 2. Cor. 5. 10. 2. Tim. 4. 8. Heb. 6. 10. † 10. 35. † 11. 26. Jac. 2. 24. Apoc. 20. 7. 8. † 22. 12.

Opera mala Deo displicent, & pœnam merentur, Genes. 3. 11. † 4. 7. † 6. 3. 5. 6. 7. † 7. 4. † 9. 6. † 11. 4. * † 17. 14. † 18. 20. † 19. 11. 24. 26. † 20. 3. † 42. 21. † 44. 16. Exod. 3. 9. † 7. * 8. * 9. * 10. * 11. * 21. * 14. * 20. * 21. * 22. * † 31. 13. † 32. 9. 27. 28. 33. Lev. 10. 12. & deinceps per omnes sacræ Scripturæ libros.

Opera bona Deo grata sunt, & præmium merentur, Genes. 4. 4. 7. † 5. 24. † 6. 8. 9. † 8. 20. 21. † 20. 7. † 22. 16. * † 26. 4. 5. † 29. 32. Exod. 1. 20. † 20. * † 23. 22. 25. Lev. 11. 43. 44. 45. & sic deinceps per totam Scripturam.

Operari bene propter mercedem & retributionem licitum est, Psalm. 118. 112. Matth. 5. 12. 2. Tim. 4. 8. Hebr. 11. 26.

non in quolibet Opere homo peccat, 1. Petr. 1. 10. 1. Joann. 3. 6. 9. † 5. 18.

Operum bonorum commemoratio, 4. Regum 20. 3. Job 6. 2. 3. Psalm. 17. 21. 22. 25. † 131. 1. Isai. 38. 3.

Opera bona quæ sint, vide Bona opera.

Opera a nobis proximo exhibita tamquam sibi facta reputat Deus, sive bona sint, sive mala, Isaiæ 37. 23. Jerem. 1. 19. Zach. 2. 8. Matth. 25. 40. Act. 9. 5. 1. Cor. 8. 12.

OPINIONES & cogitationes hominum frequenter sunt erroneæ, Lev. 10. 1. Num. 15. 39. Deut. 12. 8. † 19. 19. 1. Reg. 15. 9. 2. Reg. 6. 6. Prov. 12. 15. † 14. 12 † 21. 2. Isaiæ 5. 21. † 7. 12. † 14. 13. † 55. 8. Matth. 3. 14. † 26. 22. Marc. 8. 31. Joann. 12. 4. † 13. 8.

ORARE in nomine Jesu, Joann. 14. 23. † 15. 16. † 16. 23. 26. 1. Joann. 5. 14.

Orare quemadmodum oporteat, frequenter ignoramus, Matth. 20. 20. Marc. 10. 35. Rom. 8. 26. Jac. 4. 3.

Orare noctes & dies, Psalm. 118. 62. Luc. 18. 1. 1. Thess. 3. 10. 1. Tim. 5. 5. 2. Tim. 1. 3.

Orare sine intermissione, Matth. 7. 7. Luc. 11. 9. † 18. 1. Act. 10. 2. Ephes. 6. 18. Col. 4. 2. 1. Thess. 5. 17.

Orare ut fidei prædicatio successus habeat felices, Eph. 6. 19. Col. 4. 3. 2. Thess. 3. 1.

Orare alium pro alio, Jer. 42. 2. 20. Baruch 1. 13. 2. Mach. 1. 6. Ephes. 6. 18. Col. 4. 2. 1. Thess. 5. 25. 2. Thess. 3. 1. 1. Tim. 2. 1. Jac. 5. 16.

Orare pro inimicis, Num. 16. 22. 46. 2. Mach. 3. 33. Matth. 5. 44. Luc. 6. 28. † 23. 34. Act. 7. 60.

Orare Sanctos cum Christo regnantes, vide Sanctos.

Orare pro defunctis, vide Purgatorium.

Oratio quomodo, quando, cui, & ubi fieri debeat, & quid petendum, Num. 11. 16. 24. Deut. 4. 7. Jud. 10. 10. 15. 1. Reg. 1. 11. 2. Reg. 21. 2. 7. 3. Reg. 3. 7. Isa. 63. 24. Amos 7. 2. Eccli. 35. 26. Tob. 3. 11. * Jud. 4. 11. Matth. 6. 5. 9. † 7. 7. † 18. 19. † 20. 20. † 21. 22. † 26. 38. Marc. 11. 24. † 13. 33. Luc. 11. 2. 9. † 18. 1. † 22. 40. Joann. 4. 23. † 9. 31. † 14. 13. † 15. 7. † 16. 23. Actor. 1. 14. † 2. 42. † 4. 24. 31. † 10. 2. † 1. 23. Rom. 8. 26. † 12. 12. 1. Cor. 14. 13. Eph. 6. 18. Coloss. 4. 1. Thessal. 5. 17. 1. Tim. 2. 1. Hebr. 13. 18. 1. Petr. 3. 12. 1. Joann. 5. 4. Jac. 1. 6. † 4. 3. † 5. 13. Apoc. 19. 10. † 22. 9.

Orationes quæ fiunt quemadmodum oportet, exaudit Deus, Gen. 16. 11. † 21. 17. Exod. 1. 24. † 3. 7. † 6. 5. † 22. 23. 27. Deut. 4. 7. † 15. 9. 1. Reg. 7. 9. 10. † 9. 16. † 12. 18. 2. Reg. 22. 4. 7. 3. Reg. 13. 6. † 17. 22. † 18. 36. 4. Reg. 23. 5. † 20. 5. 2. Paral. 12. 22. † 33. 13. 4. Esdr. 15. 7. Jud. 4. 8. 12. Tob. 3. 24. Psal. 3. 5. † 4. 4. † 9. 13. † 17. 7. † 21. 25. † 33. 7. † 49. 15. † 54. 17. † 117. 5. † 119. 1. † 144. 19. Prov. 15. 29. Eccli. 4. 9. † 21. 6. † 36. 24. 26. † 48. 22. Isai. 30. 19. † 37. 15. 21. † 55. 7. Jer. 29. 12. Thren. 3. 56. Dan. 13. 42. Jonæ 2. 3. Zach. 13. 9. 2. Mach. 3. 22. Joann. 9. 31. Actor. 10. 4.

Orationes quorundam quare non exaudiat Deus, Deuter. 1. 45. † 31. 18. Jud. 10. 1. 1. Reg. 8. 18. Psal. 17. 42. Prov. 1. 28. † 15. 29. † 21. 13. † 28. 9. Eccli. 34. 29. 31. Isaiæ 1. 15. Jer. 7. 16. † 11. 11. 14. † 14. 12. † 15. 1. Ezech. 8. 18. † 14. 16 20. Michææ 3. 4. Zach. 7. 13. 4. Esdr. 1. 26. 2. Mach. 9. 13. Joann. 9. 31. Hebr. 12. 17. Jac. 4. 3.

Orationum Sanctorum exempla, Gen. 32. 9. Exod. 32. 11. 13. Numer. 14. 19. Deuteron. 9. 26. 3. Reg. 8. 15. * 4. Reg. 20. 3. 1. Paral. 9. 16. * † 14. 11. † 20. 6. 12. 1. Esdr. 9. 6. † 2. Esdr. 1. * Sap 9. * Eccli. 23. 2. † 36. 1. 11. † 51. * Baruch 1. 17. 21. † 2. 6. * † 3. 1. Tob. 3. 1. 12. † 8. 7. † 13. 1. Judith 9. 2. † 16. * Esther 14. 3. Isai. 33 2. † 37. 16. † 64. * Jer. 10. 24. * 17. 13. 14. † 18. 19. † 32. 16. Thren. 5. * Dan. 9. 6. † 13. 42. Jonæ 2. * Habac. 3. * 3. Esdr. 8. 74. 4. Esdr. 3. * † 6. 38. * 1. Mach. 7. 37. 2. Machab. 6. 30. Actor. 4. 24.

ORDINIS Sacramentum, Joann. 20. 22. 1. Tim. 4. 24. † 5. 22. 2. Tim. 1. 6. Tit. 1. 5.

OREB & Zeb interficiuntur, Jud. 7. 25.

OSCULUM pudicum, pacis & charitatis symbolum, Gen. 29. 13. † 45. 15. † 48. 10. Exod. 4. 27. Lucæ 15. 20. Act. 10. 37. Rom. 16. 15. 1. Cor. 16. 20. 2. Cor. 13. 12. 1. Thess. 5. 26. 1. Petr. 5. 14.

OTIUM, vide Acedia.

OZIAS sacerdos recipit Achior in domum suam. Judith 6. 19.

præscribit Domini miserationi tempus quinque dierum, 7. 23.

Ozias, vide Usia.

P

PACTUM cum quibus non sit ineundum, Exod. 23. 32. † 34. 15. Deuter. 7. 3. † 20. 13. 3. Regum 20. 36. 42.

Pactum contra Dei voluntatem cum infidelibus initum, punitur, Jud. 2. 24. 27. † 3. 5. 3. Reg. 20. 34. 41. 2. Paralip. 19. 2.

Pactum init Deus cum populo, Gen. 17. 2. 7. Exod. 19. 5. Deut. 5. 2. Jer. 31. 31. 33.

Pactum init populus cum Deo, Jos. 14. 25. 4. Reg. 23. 3. 2. Par. 15. 12. † 23. 16. 2. Esdr. 10. 29.

PARENTUM officium, Gen. 18. 19 † 21. 19. † 24. 2. † 27. 6. † 34. 4. 29. † 49. * Exod. 0. 2. † 12. 26. † 13. 13. 14. † 21. 10. Levit. 19. 29. Num. 30. 6. Deut. 4. 9. † 6. 7. 20. † 11. 19. † 21. 19. † 22. 15. 19. † 32. 46. Josue 4. 21. 1. Reg. 2. 32. † 3. 13. 3. Reg. 2. 1. Job 1. 5. Psal. 77. 3. Prov. 1. 8. † 4. 1. † 5. 7. † 11. 19 † 13. 14. † 19. 18. † 20. 7. † 22. 6. 15. † 23. 13. † 29. 17. Eccli. 4. 23. † 7. 25. † 8. 11. † 17. 1. † 25. 10. † 26. 13. † 30. 1. 12. † 33. 32. † 42. 5. Tob. 1. 10. † 4. * † 10. 13. † 14. 5. 11. 1. Mach. 1. 49. 64. 2. Mach. 6. 24. 28. † 7. 20. 21. 27. Dan. 13. 3. Matth. 10. 37. Eph. 6. 4 Col. 3. 21. 2. Tim. 3. 15. Tit. 2. 4.

PASCHÆ festi institutio & celebratio, Exod. 12. * † 13. 6. † 23. 15. † 34. 18. Lev. 23. 5. Num. 9. 2. 11. † 28. 17. Deut. 16. 1. 5. Jos. 5. 10. 4. Reg. 23. 21. 2. Paral. 30. 1. 15. † 35. 1. 1. Esdr. 19. 3. Esdr. 1. 10. † 7. 10. Ezech. 45. 21. Matth. 26. 19. Marc. 14. 12. Luc. 22. 7.

PASTORES, præceptores, & alii præfecti qua debeant esse sollicitudine & cura in eos quos sub fidei commissos habent, Prov. 27. 23. 24. Sap. 6. 23. 26. Ezech. 34. 4. * Matth. 18. 12. † 24. 45. Luc. 15. 4. Joann. 10. 11. * † 13. 1. * † 17. 9. 11. * † 18. 8. Act. 20. 22. 28. 31. Rom. 9. 2. 3. † 12. 7. 8. 1. Cor. 4. 14. 2. Cor. 11. 28. 29. Gal. 3. 29.

PATIENS & longanimis est Deus, Gen. 6. 3. Exod. 34. 6. Num. 14. 18. Psal. 85. 15. † 102. 8. † 144. 8. Eccl. 8. 32. Isai. 30. 18. Joel 2. 13. Jonæ 4. 2. Nahum 1. 3. Sap. 11. 24. † 15. 1. Matth. 18. 27. Rom. 2. 4. 1. Tim. 1. 16. 2. Petr. 4. 9.

Patientia & longanimitas fidelium in omni genere afflictionum, Gen. 18. 4. 6. 2. Reg. 16. 10. Job 1. 20. † 2. 9. † 7. 7. 2. Prov. 3. 11. † 1. 29. † 15. 1. † 16. 32. † 25. 15. Eccli. 1. 29. † 2. 4.

† 1. 4. 4. Esdr. 10. 15. Tob. 2. 8. 2. Mach. 6. 20. † 7. * Matth. 5. 39. Rom. 5. 3. † 12. 12. † 15. 4. 2. Cor. 6. 4. Gal. 5. 22. Eph. 4. 2. 1. Thess. 5. 14. 2. Thess. 1. 4. 7. 1. Tim. 6. 11. 2. Tim. 2. 3. 12. 1. Petr. 1. 6. † 2. 19. † 3. 14. 17. † 4. 1. 2. Petr. 1. 6. Hebr. 10. 36. † 11. 25. † 12. 1. Jacobi 5. 7.

Impatientia & ejus punitio, Exod. 14. 11. † 15. 24. † 16. 2. 7. † 17. 2. Num. 11. 1. 10. † 14. 1. 28. † 21. 6. Job 3. 1. Eccli. 2. 16.

PAULUS Judæus ex tribu Benjamin, Roman. 11. 1. Phil. 3. 5. natus & educatus Tarsi, Act. 22. 3. Persequitur Christianos, 9. 1. Gal. 1. 13. 1. Timot. 1. 13. conversio ejus singularis, Act. 9. *

Paulus doctor gentium, Rom. 11. 13. † 15. 16. Galat. 2. 2. 8. 1. Timot. 2. 7. 2. Tim. 1. 11. prædicat Antiochiæ, Actor. 13. 16. * Iconii, 14. 1. Lystris, 14. 6. 7. Thessalonicæ, 17. 1. Berœæ, 17. 10. Athenis, 17. 22. 28. Corinthi, 18. 1. vocatur in Macedoniam, Actor. 16. 9. capitur, 21. 27. deducitur Cæsaream, 23. 23. 30. vehitur Romam, 27. * 28. * sistitur Neroni, 2. Tim. 4. 22.

Paulus nemini voluit esse oneri, Act. 20. 33. 2. Cor. 11. 9. 11. † 12. 13. 1. Thess. 2. 9. 2. Thessal. 3. 8. vocabatur olim Saulus, Act. 7. 59. † 9. 1. † 13. 1.

PAUPERES, vide Eleemosyna.

PAX quædam temporalis, quædam æterna, Gen. 1. 3. 6. 8. † 26. 22. † 45. 24. Lev. 26. 6. Num. 6. 27. Jer. 29. 7. Eccli. 25. 2. † 28. 15. 19. Matth. 5. 9. Marc. 9. 50. Lucæ 14. 32. Act. 9. 31. Rom. 12. 18. 1. Corint. 14. 33. Ephes. 4. 3. 2. Tim. 2. 22. 1. Petr. 3. 11. Hebr. 12. 14. Jac. 3. 18. Apoc. 6. 4.

Pax interna qualis est inter Deum & ejus amicos, Isaiæ 2. 4. † 9. 6. † 11. 6. 7. † 66. 12. Osee 2. 14. 20. Mich. 4. 3. Zach. 9. 10. Luc. 2. 14. † 24. 36. Joann. 14. 27. † 16. 33. † 20. 19. Act. 10. 36. Rom. 5. 1. Eph. 2. 14. Phil. 4. 7.

Pacem & misericordiam promittunt mendaces prophetæ, Jer. 6. 14. † 8. 8. 12. † 14. 13. † 23. 16. Ezech. 13. 10. 16. Mich. 3. 5. 1. Thess. 5. 3.

PECCATI origo, Gen. 2. 17. † 3. 6. Rom. 5. 12. 1. Cor. 15. 21.

Peccatum originale, Job 14. 4. † 15. 14. Psalm. 50. 7. Rom. 3. 9. 23. † 5. 12. * effectus ejus, Gen. 8. 21. Eccli. 17. 30. Roman. 5. 12. 17. † 6. 23. † 7. 8. 11. 13. 17. * Gal. 5. 17. Eph. 2. 3. tollitur ejus reatus per Christum, Joann. 1. 29. Rom. 3. 23. 24. † 5. 9. 15. 17. 18. 19. † 6. 3. † 7. 24. † 8. 1. 2. Gal. 3. 22. Ephes. 2. 5.

Peccatum solus Deus propria auctoritate remittere potest, Exod. 34. 7. Psal. 18. 13. † 31. 5. † 102. 12. Isaiæ 43. 25. † 44. 22. † 33. * Jer. 31. 34. † 33. 8. Mich. 7. 18. Matth. 9. 2. Marc. 2. 5. Lucæ 5. 20. † 7. 48.

Peccatum Sacerdos remittit auctoritate divina, Matth. 18. 18. Joann. 20. 23.

Peccatum remittitur per Christum, Isa. 53. * Dan. 9. 24. Matth. 1. 21. † 9. 2. † 11. 28. † 20. 28. † 26. 27. Marc. 2. 5. Luc. 24. 46. Joann. 1. 29. Act. 2. 38. † 4. 12. † 10. 35. 43. † 13. 38. Rom. 4. 25. † 5. 9. 1. Cor. 6. 11. † 15. 3. 2. Cor. 5. 21. Gal. 1. 4. Col. 1. 14. Eph. 1. 7. † 5. 25. 1. Timot. 1. 15. Tit. 2. 14. 1. Petr. 1. 18. † 2. 14. † 3. 18. † 4. 1. Hebr. 1. 3. † 9. 12. 14. 1. Joann. 1. 7. † 2. 12. † 3. 5. Apoc. 1. 5.

Peccatum in Spiritum sanctum, Matth. 12. 31. Marc. 3. 28. Luc. 11. 55. † 12. 10. Hebr. 6. 6. † 10. 26. 1. Joann. 5. 16.

Peccatum vindictam clamans, Genes. 4. 10. † 18. 20. Exod. 22. 23. 27. Eccli. 35. 18. Jac. 5. 4.

Peccanti in nos fratri condonandum, vide Remittendum.

Propter peccatum unius aut paucorum puniuntur multi, Gen. 3. * Num. 26. 20. Jos. 7. * Jud. 19. 25. 2. Reg. 24. *

Peccatum contra naturam, Genes. 19. * Jud. 19. 22. * Levit. 20. 13. Rom. 1. 27. 1. Cor. 6. 10. 1. Tim. 1. 10.

Peccatum ex ignorantia, Lev. 4. 2. † 5. 15. Num. 15. 27. Luc. 23. 34. Joann. 9. 41. † 15. 24. Act. 3. 17. 1. Tim. 1. 13.

Peccatum ex malitia & data opera, Numer. 15. 30. Eccli. 10. 14. Matth. 22. 13. Joann. 21. 49. Act. 4. 18. Hebr. 6. 5. † 10. 16.

Peccatorum confessio, vide supra Confessio.

Peccatum non solum non imputatur, sed etiam vere remittitur, & anima abluitur, ac mundatur. Psal. 50. 12. Actor. 2. 38. 1. Cor. 6. 11. 2. Petr. 1. 9. 1. Joann. 1. 9.

PECULIUM Dei ejus populus, Exod. 19. 5. Deut. 7. 6. † 14. 2. Joann. 1. 11. Ephes. 1. 14. 1. Petr. 2. 9.

PEDUM lotio, vide supra Lotio.

PEREGRINIS benefaciendum est, Gen. 18. 2. Exod. 22. 21. † 23. 9. Lev. 19. 33. † 23. 22. Num. 15. 14. Deut. 10. 18. † 14. 21. † 24. 14. 17. † 26. 11. Ezech. 22. 29. † 47. 21. Zach. 7. 10.

Peregrini sumus & advenæ in hac vita, Genes. 15. 13. † 23. 4. † 47. 9. 1. Paral. 29. 15. Psalm. 38. 13. † 118. 19. 2. Cor. 5. 8. Phil. 3. 20. Hebr. 11. 13. 1. Petr. 2. 11.

Peregrinationes pietatis gratia susceptæ sunt utiles, 3. Reg. 8. 41. 4. Reg. 5. 10.

PERJURII & falsi crimen, Exod. 8. 8. 15. 28. Lev. 5. 4. 1. Reg. 19. 6. * 3. Reg. 8. 31. Jer. 7. 9. Zach. 5. 3. Mal. 3. 5. 1. Mach. 6. 61. † 7. 15. 18. † 11. 53. † 13. 16. 19. 2. Mach. 4. 34. † 12. 3. Matth. 26. 72. 1. Tim. 1. 10.

PERSÆ invadunt Babylonem, Dan. 5. 28. juxta prophetiam Isaiæ, 21. 9. Jerem. 51. 8. 11. 41. 55.

PERSEVERANTIA, Gen. 19. 15. 16. Job 2. 3. Prov. 3. 31. † 23. 17. Ezech. 18. 24. † 33. 23. Eccli. 2. 2. † 11. 11. † 35. 9. Matth. 10. 22. † 15. 22. † 24. 13. Luc. 9. 54. Joann. 6. 62. Act. 2. 42. † 11. 23. † 13. 43. † 14. 21. Hebr. 3. * 2. Petr. 2. 20. 1. Joann. 2. 24. Apoc. 2. 15.

PERSECUTIO, vide Crux.

PERSONARUM acceptio illicita, nec Deus personam respicit. Levit. 19. 15. Deuter. 1. 17. † 10. 17. † 17. 2. 1. Reg. 16. 7. 2. Par. 19. 7. Sap. 6. 8. Job 34. 19. Prov. 28. 5. † 24. 23. † 28. 21. Eccli. 35. 15. 16. Isaiæ 11. 3. Malach. 2. 9. Matth. 22. 16. Marc. 12. 14. Lucæ 20. 21. Act. 10. 34. Rom. 2. 11. Gal. 2. 6. Ephes. 6. 9. Col. 3. 25. 1. Petri 1. 17. Jac. 2. 9.

PETERE, vide Orare.

PETRUS a Christo vocatur, Matth. 4. 18. confitetur Christum, 16. 16. appellatur Simon, 4. 18. † 10. 2. Joann. 20. 2. appellatur Cephas, Joann. 1. 42. 1. Cor. 1. 12. † 3. 22. † 9. 5. Galat. 2. 9. appellatur Simon Barjona, & Simon Joannis, Matth. 16. 17. Joann. 21. 15. negat Christum, & de negatione facta pœnitentiam agit, Matth. 26. 69. 70. 72. 75. prædicat, & loquitur, Act. 1. 16. † 2. * † 3. 12. * † 4. 1. † 10. 34. sanat claudum, 3. 4. conjicitur in carcerem, 12. 3.

Petrus primus Apostolorum, Matth. 10. 2. † 16. 18. † 16. 24. * Luc. 22. 31. * Joann. 21. 17. *

PHACEE filius Romeliæ, postquam occidit Phaceiam, fit rex Israel, 4. Reg. 15. 25. 27. pugnat contra Jerusalem, Isaiæ 7. 1. occidit de Juda centum viginti millia virorum uno die, 2. Paral. 28. 6.

PHACEJA filius Manahem fit rex Israel, 4. Reg. 15. 22. 23.

PHANUEL turris subvertitur a Gedeone, occisis habitatoribus civitatis, Jud. 8. 8. 13. 17.

PHARAO affligitur propter Saram uxorem Abraham, Genes. 12. 17.

Pharao somnia videt, Gen. 41. 1. quæ ei a Joseph explicantur, 41. 25.

Pharao Israelem opprimit servitute, Exod. 1. 8. * submergitur cum omni suo exercitu, 14. 24. 28.

Pharaonis filiam accipit Salomon uxorem, 3. Regum 23. 34.

Pharao Nechao capit regem Joachaz, 4. Reg. 23. 34.

PHARISÆUS invitat Christum, Luc. 7. 36.

Pharisæus & Publicanus orant simul in templo, Lucæ 18. 10.

Pharisei graviter increpantur, Matth. 3. 7. † 7. 1. † 16. 4. † 23. * Joann. 8. 44. Act. 7. 52. † 23. 3. Phil. 3. 2.

PHASSUR percutit Jeremiam prophetam, Jer. 20. 2.

PHEGIEL dux tribus Aser, Num. 1. 13.

PHIGELLUS & Hermogenes avertuntur a Paulo, 2. ad Tim. 1. 15.

PHILIPPUS vocatur a Christo, Joann. 1. 43. recensetur inter Apostolos, Matth. 10. 3. cupit videre Patrem, Joann. 4. 8.

Philippus diaconus eligitur, Act. 6. 5. prædicat in Samaria, Act. 8. 5. baptizat Æthiopem eunuchum, Act. 8. 37. suscipit Paulum & socios ejus hospitio, Act. 21. 8.

PHILISTHÆI persequuntur Israel, Jud. 3. 3. † 10. 7. † 15. 9. 1. Reg. 4. * † 5. * † 13. 5. † 17. * † 23. 1. † 28. 1. † 29. 1. † 31. 1. 2. Reg. 5. 17. 22. † 21. 15. 18.

Philisthæi cæduntur, Jud. 3. 31. 1. Reg. 7. 11. † 13. 3. † 14. * † 17. 50. † 18. 27. † 19. 8. † 23. 5. 2. Reg. 5. 24. † 8. 1. 4. Reg. 18. 8.

contra Philisthæos, vide Isai. 14. 29. Jerem. 47. 1. Ezech. 25. 15. Amos 1. 6. Soph. 2. 5. Zach. 9. 6.

PHINEES filius Eleazari, Exod. 6. 25. Jud. 10. 28. placat Deum zelo suo, Num. 25. 7. 12. Psalm. 105. 30. mittitur in terram Galaad, Jos. 22. 13.

Phinees filius Heli, 1. Reg. 1. 3. periit propter sua peccata, 4. 11.

PHUL rex Assyriorum copias adducit contra Jerusalem, 4. Reg. 15. 19.

PIETAS, vide Bona opera.

PIGNUS salutis nostræ est Spiritus sanctus, Rom. 8. 16. 2. Cor. 1. 22. † 5. 5. Ephes. 1. 13. † 4. 30.

PIGRITIA, vide Acedia.

PILATUS & Herodes fiunt amici, Luc. 23. 12.

Pilatus Christum innocentem morti addicit, Matth. 27. 26. Joann. 19. 16.

PLAGA Dei, seu vindicta, Exod. 7. * 8. * 9. * 14. * 4. Reg. 8. 28. 2. Par. 6. 28. Psal. 77. 44. † 104. 27. Jer. 15. 2.

PŒNA peccati non statim universa remittitur remissa culpa, Num. 14. 20. 22. 23. 2. Reg. 12. 13. 14. * † 24. † 1. Paral. 21. *

PŒNITENTIA & satisfactio pro peccatis, Psal. 6. 7. Matth. 3. 8. Luc. 3. 8. Actor. 2. 38. † 8. 22. 2. Corint. 7. 10.

Pœnitentia prædicatur, Jer. 7. 3. Matth. 3. 2. † 4. 17. Luc. 3. 3. 8. † 13. 3. † 24. 47. Act. 2. 38. † 3. 19. † 21. † 17. 30. † 20. 21. † 26. 20.

Pœnitentiæ veræ & non fictæ, promissa est venia, Deuter. 4. 29. † 30. 2. 1. Reg. 7. 3. 2. Palipom. 7. 14. † 20. 6. † 34. 26. Job 22. 23. prov. 28. 13. Psal. 31. 5. Eccli. 17. 13. Isai. 1. 16. † 30. 18. † 45. 22. † 55. 7. † 59. 20. Jerem. 3. 10. 17. † 18. 8. † 29. 12. † 31. 18. 10. Ezech. 18. 21. 27. † 33. 14. Osee 14. 2. Joel. 2. 12. Jon. 3. 8. Zach. 1. 4. Malach. 3. 7. Luc. 15. 18. Act. 3. 10. † 26. 18. 20.

Pœnitentia agenda est dum sani sumus, Eccli. 17. 24. † 18. 25.

Pœnitentiæ veræ exempla, Jud. 10. 15. 2. Reg. 12. 13. † 24. 10. 17. 2. Paral. 12. 6. † 33. 12. Jonæ 3. * Judith 4. 8. Matth. 26. 75. Luc. 7. 37. 44. † 15. 18. † 12. 13. † 19. 8. † 22. 62. † 13. 41. Act. 2. 37.

Pœnitentiæ falsæ exempla, Gen. 4. 13. † 27. 38. Exo. 8. 8. † 9. 27. † 10. 16. Jos. 7. 20. Jud. 1. 7. 1. Reg. 15. 24. 30. † 14. 19. 3. Reg. 13. 6. † 21. 26. Sapient. 5. 3. 1. Mach. 6. 12. 2. Machab. 9. 12. Matth. 27. 4. Act. 8. 13. 23. Hebr. 12. 17.

PRÆDICATORES, vide Concionatores.

PRÆFECTI, vide Superiores & Pastores.

PRECARI, vide Orare.

PRIMITIÆ fructuum debentur Deo ejusque Sacerdotibus, Exod. 23. 19. † 34. 26. Lev. 23. 10. Num. 18. 13. Deut. 18. 4. † 26. 2. 10. 2. Paral. 31. 5. 2. Esdr. 10. 35. 37. Prov. 3. 9. Tob. 1. 7.

PRIMOGENITA omnia Ægyptiorum moriuntur, Exo. 12. 29. Psalm. 77. 51. † 134. 8. † 135. 10.

Primogenitum omne Deo consecratur, Exo. 13. 2. † 22. 29. † 34. 20. Lev. 27. 26. Num. 3. 13. † 8. 17. Deut. 15. 19. 1. Reg. 1. 24. Luc. 2. 23.

Primogenitorum jura, privilegia, & prærogativæ, Gen. 25. 31. † 49. 3. Deut. 21. 15. 2. Paral. 21. 3.

Primogeniti aliquando a Deo rejiciuntur, Gen. 48. 17. † 49. 3. Rom. 9. 13.

PRODITIO, & ejus punitio, Gen. 37. 23. Jud. 1. 24. 2. Reg. 2. 19. Isaiæ 21. 15. 2. Mach. 3. 4. † 4. 1. † 10. 20. † 13. 21. Matth. 26. 14. 47.

PROMISSIO, vide Votum.

Promissiones Dei cum conditione fiunt, Deuter. 19. 8. † 28. * † 33. 4. Lev. 26. * 1. Reg. 2. 30. Ezech. 18. * † 33. 15. 19. Marc. 16. 16. Joann. 3. 16. 36. † 6. 47. † 8. 31. † 13. 17. † 15. 7. 14. Rom. 8. 17. Col. 1. 23. Hebr. 3. 14. 2. Petr. 1. 4. Apoc. 2. * † 3. * † 21. 7.

PROPHETÆ, vide Concionatores.

PROVIDENTIA, vide Dei gubernatio & providentia.

PSEUDO-PROPHETÆ: & eorum punitio, & quod non sint audiendi, Deut. 23. 1. † 18. 20. 3. Reg. 13. 11. † 18. 40. † 22. 6. 10. 4. Reg. 10. 19. Prov. 28. 10. Isai. 3. 11. † 28. 7. † 56. 10. Jer. 14. 13. 15. † 23. * † 27. 9. † 28. * † 29. 8. 21. 25. Ezech. 13. * † 14. 9. † 22. 25. † 34. 2. 8. 18. Amos 7. 10. Mich. 3. 5. Zach. 13. 2. Matth. 7. 15. † 24. 11. Luc. 12. 1. Actor. 20. 29. 1. Cor. 15. 12. Phil. 3. 2. Coloss. 2. 8. 1. Tim. 4. 1. 2. Tim. 1. 17. † 3. 1. 2. Petr. 2. * 1. Joann. 4. 1. Jud. 4. 8. *

Pseudoprophetæ habentur qui currunt antequam per ordinariam potestatem mittantur, Jer. 14. 14. † 23. 32. † 27. 15. Ezech. 13. 6.

PTOLEMÆUS oppugnatur ab Antiocho, 1. Machabæor. 1. 19. iniit amicitiam cum Alexandro filio Antiochi, 10. 51. pugnat cum Alexandro, & moritur, 11. 1. 18.

Ptolemæus Macer veneno vitam suam finivit, 2. Mach. 10. 12. 13.

PUBLIUS suscipit hospitio Paulum, Act. 28. 8.

PURGATORIUM, id est, locum ubi sunt animæ, quæ vivorum precibus & operibus juvari possint, & purgantur, esse confirmatur, 2. Mach. 12. 43. 46. * Matth. 5. 25. † 12. 32. 1. Cor. 3. 16. Phil. 2. 10. 2. Tim. 1. 18. 1. Joann. 5. 16. Apoc. 5. 3. 13.

Q

QUADRAGESIMALIS jejunii exempla, Moyses, Exod. 24. 18. † 34. 28. Deut. 9. 9. 18. Elias, 3. Reg. 19. 8. Christus, Matth. 4. 2. vide Jejunium.

QUÆSTIONES inutiles quæ sunt vitandæ, Gen. 3. 1. 5. Proverb. 25. 27. Eccles. 7. 11. Eccli. 3. 21. Matth. 24. 3. Joann. 6. 52. † 21. 21. Actor. 1. 6. 1. Tim. 1. 4. † 6. 3. 2. Tim. 2. 16. Tit. 3. 9.

QUIESCENDUM a peccatis, Rom. 6. 6. * Gal. 2. 18.

Quies continget populo Dei, Hebr. 4. 9.

Quietem & pacem certam consequentur justi, Sap. 3. 3. † 4. 1. Is. 57. 2. Luc. 16. 22. Apoc. 14. 13.

Quietem invenite animæ suæ, Jer. 6. 17. Matth. 11. 29.

R

RABBA obsidetur, 2. Reg. 11. 1. † 12. 26. 1. Paralip. 20. 1.

RABSACES Sennacherib archipincerna, 4. Reg. 18. 17. Isai. 36. 37.

RACHEL pascit oves patris sui, Gen. 29. 9. traditur Jacob in uxorem, 29. 29. clam tollit idola patris sui, 31. 19. ob difficultatem partus periclitatur, 35. 17.

RAHAB exploratores missos in urbem Jericho, excipit hospitio, Jos. 2. 1. Jac. 2. 25. servatur cum suis, Jos. 6. 17. 23.

Rahab uxor Selmon, 1. Par. 2. 11. Matth. 1. 5.

RAPHAEL Angelus Domini medicus & dux Tobiæ, Tob. 5. 5. † 6. * † 12. 12.

RATIONEM Deo quisque pro se redditurus est, Matth. 12. 36. † 18. 23. † 25. 31. * Rom. 14. 12. 2. Cor. 5. 10.

RAZIAS Judæus gladio se interimit, 2. Machab. 14. 37. 41.

RAZON adversarius Israelis, 3. Reg. 11. 23.

REBECCA filia Bathuelis, Genes. 22. 23. uxor Isaac, 24. 50. parit geminos, 25. 24.

RECHAB pater Jonadab, amici Jehu regis Israel, 4. Reg. 10. 15.

REDIMERE novit Deus suos multis modis ex angustia, Gen. 19. * Exod. 14. * † 18. 8. 1. Reg. 23. 14. 26. 4. Reg. 7. * 2. Paral. 18. 31. † 20. 24. 1. Esdr. 8. 22. Psalm. 4. 9. † 90. 9. Esther 7. 5. Isai. 41. 10. † 43. 1. Dan. 3. 91. † 6. 21. 23. 2. Petr. 2. 9.

REFUGII civitates, Exod. 21. 13. Num. 35. 11. Deut. 4. 41. † 19. 2. 7. Jos. 20. * 3. Reg. 1. 50. † 2. 28.

REGENERATIO, vide Homo.

Regeneratio est immutatio carnis in spiritum, 3. Joann. 5. carnalium affectuum in spiritalem affectum, Rom. 8. 5. 13. infidelitatis in fidem, Joann. 1. 12. Galat. 3. 26. 1. Joann. 5. 1. innovatio mentis per Spiritum sanctum, Tit. 3. 5. Gal. 4. 6. atque adeo carnalis naturæ in divinam naturam, 2. Petr. 1. 4. Coloss. 2. 11. ut qui mali fuimus, sanctificemur, 1. Corinth. 6. 11. Ephes. 5. 8.

Regenerati interius, etiam exterius in novitate vitæ ambulabunt, Rom. 6. * † 7. 6. † 12. 1. Ephes. 4. 22. Coloss. 3. 9. 1. Corinth. 5. 7. 2. Corinth. 5. 15. 1. Petri 4. 1.

REGES quid facere, quidve fugere debeant, Deuter. 17. 19. 1. Reg. 8. * 3. Reg. 2. 2. † 10. 9. 2. Paralip. 9. 1. † 19. 5. Sapient. 6. * † 9. * Job 34. 30. Psalm. 2. 10. † 100. * Proverb. 14. 23. † 19. 12. † 20. 8. 26. † 28. 15. † 29. 4. 14. † 31. 4. Jerem. 22. 2. vide Superiorum officium.

REGNUM Dei vim patitur, Matth. 11. 12. Luc. 16. 16. Galat. 5. 16. Apoc. 2. * † 3. * † 21. 7.

Regnum Dei spiritale, internum & externum, Genes. 49. 10. Num. 24. 17. 1. Reg. 2. 10. † 7. 9. 10. 1. Paral. 18. 12. † 29. 2. 4. Psal. 2. 2. 6. † 9. 8. † 21. 28. † 44. 7. † 71. 1. † 109. * † 144. 11. Isa. 9. 6. † 11. * † 31. 15. † 40. 9. † 42. 1. Jerem. 23. 5. 6. † 33. * Ezech. 34. 23. † 37. 21. Dan. 2. 44. † 4. 33. † 7. 14. 27. † 9. 24. 25. Osee 3. 5. Mich. 4. 1. 4. † 5. 1. Zach. 9. 9. Matth. 13. * Luc. 1. 28. † 12. 31. 32. † 22. 19. † 23. 2. Joann. 6. 14. † 12. 14. 34. † 18. 33. 36. 1. Tim. 1. 17. Hebr. 1. 8. † 2. 9.

RELINQUENTES omnia propter Christum, centuplum recipient, Matth. 19. 29. Marc. 10. 29. Lucæ 18. 29.

RELIQUIÆ, & vestes Sanctorum quam vim a Deo habeant, quidque per eas operatur Deus, ut pallium Eliæ, 4. Reg. 2. 14. ossa Elisæi, 4. Reg. 13. 21. fimbria Christi: Matth. 9. 20. † 14. 36. sudaria Pauli, Act. 19. 11. umbra Petri, Act. 5. 15.

REMITTENDUM proximo in nos peccanti, Eccl. 28. 2. Matth. 5. 23. † 6. 13. † 18. 22. 35. Lucæ 17. 3. Ephes. 4. 32. Coloss. 3. 13.

REPUDII libellus, Deut. 24. 1. Isa. 50. 1. Jerem. 3. 1. Malach. 2. 16. Matth. 5. 30. † 19. 7. Marc. 10. 4.

RESPHA concubina Saul, ad quam ingressus est Abner, 2. Reg. 3. 7.

custodit corpora eorum, qui in crucem sublati erant, 21. 10.

RESURRECTIO mortuorum, & carnis ad gloriam facta immutatio, Exod. 3. 6. Job 14. 13. † 19. 26. † 21. 30. Isa. 26. 19. † 66. 14. Ezech. 37. 1. 9. Dan. 12. 12. Jonæ 2. 11.

Ninive

Sophon. 3. 8. 4. Esdr. 2. 16. † 14. 35. 2. Machab. 7. 9. 14. 23. Matth. 22. 23. 31. Luc. 20. 35. Joann. 5. 21. 28. † 6. 39. † 11. 24. Act. 24. 15. 1. Cor. 15. * 2. Corinth. 4. 14. † 5. * Col. 3. 4. Philip. 3. 21. † 4. 3. 1. Thess. 4. 13. 16. 2. Tim. 2. 11. Apoc. 20. 12.

REVELATIONES & visiones, Jos. 5. 13. 4. Reg. 17. 9. 2. Machab. 3. 24. † 5. 2. † 10. 29. † 11. vide Apparitiones.

ROBOAM filius Salomonis, rex Juda constituitur, 4. Reg. 12. 1. deficit Israel a Roboam ad Jeroboam, 12. 19. præcipit ei Deus ne pugnet contra Israel, 2. Paral. 11. 2. oppugnatur a Sesac rege Ægypti, 12. 2. 9.

moritur, 3. Reg. 14. 31. regnat Abias filius ejus pro eo, 15. 1.

ROMANI cum Judæis pacis & societatis fœdera ineunt, 1. Machab. 8. 14. 17. 27. † 12. 1. † 14. 17. 20.

Romanorum Gentilium laus, 1. Mach. 8. 2. 9.

Romanorum Christianorum laus, Rom. 1. 8.

Romanos destructuros Jerusalem & templum Domini, Num. 24. 24. Isa. 5. 26. † 6. 11. Dan. 9. 26. † 11. 30. 31. Luc. 19. 41. † 21. 20. Joann. 11. 48.

RUBEN primogenitus Jacob nascitur, Genes. 29. 32. violat thorum patris sui, 35. 22. dantur ob id primogenita ejus filiis Joseph, 49. 4. 1. Paralip. 5. 1. nititur fratrem suum Joseph liberare, Gen. 37. 21. 22. 29.

Dicit patri, Duos filios meos interfice, si non reduxero Benjamin, 42. 37. filiis Ruben primo requies datur, Num. 32. * Deut. 3. 12. † 29. 8. Josue 1. 12. † 13. 23. cæduntur, 4. Reg. 10. 33. transferuntur ad terram Assyriorum, 15. 29. 1. Paral. 5. 26. secundum prophetiam, Gen. 49. 4. ædificant altare, Josue 22. 10. dimicaverunt contra Agarenos, 1. Paral. 5. 19.

RUTH Moabitis, Ruth 1. 4. accipit eam uxorem Booz, & parit Obed, 4. 13. 1. Paral. 2. 12. Matth. 1. 5.

S

SABBATUM, Gen. 2. 2. Exod. 16. 23. † 20. 8. † 23. 12. † 31. 14. 17. † 34. 21. † 35. 2. Lev. 19. 3. † 23. 3. 15. † 25. 4. Num. 15. 32. † 28. 9. Deut. 5. 12. Isa. 56. 2. 4. † 58. 13. † 66. 23. Jer. 17. 21. 27. Ezech. 20. 12. † 22. 8. 2. Esdr. 13. 16. 22. 1. Machab. 1. 47. † 2. 33. 41. 2. Mach. 15. 1. Matth. 12. 1. 10. Marc. 2. 23. † 3. 2. † 6. 2. Lucæ 4. 15. 31. † 6. 1. † 13. 11. 14. † 14. 1. Joann. 5. 10. † 7. 22. † 9. 14. Actor. 13. 14. 27. 42. † 15. 21. † 16. 4. † 20. 7. 1. Cor. 16. 2. Hebr. 4. 4. 10.

SACERDOTES Legis, & horum munus, Exod. 29. 44. † 30. 7. Lev. 10. 1. 6. 9. † 21. * † 22. * † 24. 3. Num. 3. 10. † 4. 5. 11. † 10. 8. † 18. 1. 7. Deuter. 21. 5. 1. Reg. 2. 28. 35. 1. Paralip. 6. 49. 2. Paral. 26. 17. Ezech. 44. 15. 20. Hebr. 5. 7. † 10. 11.

Sacerdotum multitudo in veteri Lege, 1. Paral. 23. 3. ubi numerantur 38000.

Sacerdotum Legis indumenta, ornamenta, & ordinatio, Exod. 28. * † 29. 1. † 39. 1. † 40. 12. Lev. 8. 1. 8.

Sacerdotibus dabantur decimæ & primitiæ, Num. 5. 9. 10. † 18. 8. 11. * Deut. 18. 3. ut liberi a sollicitudine comparandi victum, possent vacare Legi Dei, 2. Paralip. 31. * † vide Decimæ.

Sacerdotibus Legis assignabatur necessaria vitæ sustentatio, Exod. 29. 26. Levit. 2. 3. 10. † 5. 13. † 6. 9. 19. † 7. 6. 32. † 10. 13. † 24. 9. Num. 3. 48. 5. 9. † 18. 8. 11. 28. Deut. 18. 1. 1. Reg. 2. 28. 4. Reg. 12. 16. 1. Par. 6. 54. 2. Paral. 31. 4. 2. Esdr. 10. 36. Eccli. 45. 25.

Sacerdotes mali, & eorum punitio, Num. 16. * 1. Reg. 2. 22. * † 3. 13. 3. Reg. 2. 26. Isa. 3. 11. Jerem. 2. 5. † 8. 7. Osee 4. 6. 9. † 5. * Malach. 1. * † 2. 1. 8. 1. Mich. 7. 5. 9. 21.

Sacerdos, non Lex, aut Scriptura sola, est judex quæstionum exorientium, Deut. 17. 9. 12. Malach. 2. 7.

SACRIFICIUM novi Testamenti appellatur Juge sacrificium, Dan. 11. 31. † 12. 11. celebrabitur donec veniat Dominus, 1. Cor. 11. 26. quære Missæ sacrificium, & Oblatio.

SADDUCÆI negant mortuorum resurrectionem, Matth. 22. 23. Act. 4. 1. † 23. 8.

SALMANASAR Rex Assyriorum egreditur primo contra Samariam, & transfert Israel cum Osee rege in Assyrios, 4. Reg. 17. 6. secundo capit Samariam, 18. 9.

SALOMONIS filii Davidis nativitas promittitur, 2. Reg. 7. 12.

Nascitur, 2. Reg. 15. 14. † 12. 24. ungitur in regem super Israel, 3. Reg. 1. 33. Dominus apparuit ei per somnium nocte in Gabaon, a quo sapientiam postulat, 3. 5. 9. 2. Paral. 1. 7. dirimit litem meretricum, 3. Reg. 3. 16. 14. de ejus sapientia, magnitudine divitiarum, potestate & ministris, 2. Paralip. 9. 3. init fœdus cum Hiram rege Tyri, 3. Reg. 5. 12.

postquam ædificavit templum, dedit Hiram viginti oppida, 9. 11. venit ad eum regina Saba, 10. 1. Matth. 12. 42. Luc. 11. 31. ædificavit fanum Chamos idolo Moab in monte, 3. Reg. 11. 7.

Chananæos facit sibi tributarios, 1. Paral. 8. 7. ungitur secundo in regem, 2. Paral. 29. 22. moritur, 3. Reg. 11. 43. succedit ei filius Roboam, 14. 21.

SALUS, vide Beatitudo.

SAMARIA, quæ postea metropolis fuit decem tribuum Israel, extruitur, 3. Regum 16. 17. obsidetur a Syriis, 4. Regum 6. 24. obsidetur ab Assyriis usque ad tertium annum, capitur, & abducitur populus, 4. Regum 17. 5.

contra Samariam prophetatur, Isa. 7. 30. † 9. 7. Ezech. 23. * Osee 8. * † 13. * Amos 3. 12. Mich. 1. 5.

Samaria nolebat recipere verbum Dei, Luc. 9. 52. recipit verbum Dei, Actor. 8. 5.

Samaritanus miseretur vulnerati, Luc. 10. 33.

Samaritana loquitur cum Christo apud puteum, Joann. 4. 7.

SAMSON nascitur, Judic. 13. 24. juxta promissionem Angeli, 13. 3. uxorem accipit in Thamnata, & dilacerat leonem, 14. 1. 5. 10.

nocet Philisthæis, eisque vim infert, 15. 4. 8. moritur, 16. 29. 30.

SAMUEL, 1. Regum 1. 20. adducitur ad domum Domini in Silo, 1. 24. vocatur a Domino, 3. 4. 10. congregat universum Israel in Masphat, & clamat ad Dominum pro Israel, 7. 5. 9. posuit filios suos Judices Israel, 8. 1. probat se innocentem, 12. 3. interficit Agag, 15. 33.

David regem ungit, 16. 13. moritur, 25. 1. prophetat Sauli post mortem, 28. 15. 16. Eccli. 46. 23. laudatur, Eccli. 48. 16.

SANABALLAT præfectus Samariæ conatur impedire templi ædificationem, 2. Esdr. 2. 10.

SANCTUS est Deus, Isa. 6. 3. Apoc. 4. 8.

Sancti & mundi esse debemus, Levit. 11. 44. † 19. 2. † 20. 7. 26. † 21. 6. Deut. 26. 19. Ephes. 5. 26. 1. Thess. 4. 3. 1. Petr. 1. 16. qui sanctus, sanctificetur adhuc, Apoc. 22. 11.

Sanctum Domini, Exod. 35. 2. Levitic. 16. * Psalm. 113. 2. Matth. 7. 6. Luc. 1. 31.

Sancti pro nobis orant, Jerem. 14. 1. 2. Machab. 15. 14. Apoc. 5. 8. † 8. 3. propter eorum preces & merita multa nobis largitur Deus, quamvis illi vita functi sint, Gen. 26. 5. 14. Exod. 32. 13. 14. 3. Regum 11. 12. 13. 32. 34. † 15. 4. 5. 4. Reg. 19. 34. † 20. 6. Isa. 37. 35. Eccli. 44. 24.

Sanctos oramus sine injuria Mediatoris, ut pro nobis orent, sicut & petimus ab aliis hominibus preces, ut Paulus, Rom. 15. 30. Coloss. 4. 3. Ephes. 6. 19. 1. Thess. 5. 25. 2. Thess. 3. 1. Hebr. 13. 18. Nec mirum Sanctos nostras preces cognoscere: quia sunt sicut Angeli Dei, Matth. 22. 30. Luc. 15. 10. & offerunt Deo nostras preces, Tob. 12. 12. Apoc. 5. 8. † 8. 3. Nec huic contrarium est, quod Deus solus est inspector cordis, quia & homines cognoverunt secreta cordium Deo revelante, Daniel. 2. 19. 4. Reg. 5. 26. † 6. 12.

Sanctorum ministerio aliquando tribuitur quod soli Deo præcipue convenit, Matth. 18. 16. 18. Joann. 20. 13. Rom. 11. 14. 1. Cor. 9. 20. 21. 1. Tim. 4. 16. Jacobi 5. 19. vide titulum, Deo soli attributa, &c.

in Sanctorum memoriam Deum orare, docent nos majorum exempla, Genes. 31. 9. † 45. 16. Exod. 32. 13. Deuter. 9. 27. 3. Reg. 18. 36. 1. Paral. 29. 18. 2. Paral. 5. 42. Tob. 7. 15. Esther 13. 15. † 14. 18. Isa. 63. 17. Dan. 3. 35.

Sancti sunt cum Christo in cælis regnantes, Joann. 12. 26. † 17. 24. 2. Cor. 5. 8. Philip. 1. 23. Apocal. 3. 11. † 7. 9. † 14. 13.

Sancti etiam vita defuncti recte a nobis laudantur, Eccli. 44. * Joann. 12. 26.

in Sanctis suis Deus laudatur, Psalm. 150. 1.

Sancti judicabunt, quære Judicabunt.

Sancti faciunt miracula, ut Moyses & Aaron, Exod. 7. † 8. † 9. † 10. † 11. Elias excitat puerum mortuum, 3. Reg. 17. 22. claudit cælum ne pluat, 17. 1. Jacobi 5. 17. aperit clausum, 3. Reg. 18. 81. 45. Jacobi 5. 18. Eliæ pallium dividit aquas, 4. Reg. 2. 8. 14. Eliseus excitat puerum viduæ mortuum, 4. Reg. 4. 35. sanat aquas misso in eas sale, 2. 21. 22. oleum multiplicat, 4. 6. mittit farinam in ollam, 4. 41. Naaman Syrum sanat, 5. 24. facit natare ferrum, 6. 6. Eliseus mortuus per contactum ossium suorum operatur, 13. 21.

Apostoli ejiciunt dæmonia, Marc. 6. 13. † 16. 17. Lucæ 10. 17. Joannes & Petrus sanant claudum, Actor. 3. 6.

Petrus excitat Tabitam, 9. 41.

etiam

etiam sola sua umbra sanat, 5. 15.

Paulus restituit claudum, 14. 9.

etiam per sudaria curat infirmos, 19. 12. reddit vitæ puerum ex lapsu mortuum, 20. 10.

Sancti plura quoque alia facere miracula, quæ longum esset enumerare, ad Hebr. 11. 32. *

SANGUINIS conspersio, Exod. 24. 6. † 29. 20. Lev. 1. 5. 11. † 3. 2. 8. 13. † 4. 6. 16. † 7. 2. † 8. 19. 30. † 9. 18. † 16. 14. 18. † 17. 6. 2. Paral. 30. 16. Ezech. 43. 20. Hebr. 9. 13. 14. 19. 21. 22.

Sanguinis Christi conspersio, Hebr. 9. 14. † 10. 29. † 12. 24. 1. Petr. 1. 22.

Sanguinis esus prohibitus, Gen. 9. 4. Lev. 3. 17. † 7. 26. † 17. 20. 14. † 19. 36. Deut. 12. 16. 23. † 15. 23. 1. Reg. 14. 32. Act. 15. 20. † 21. 25.

Sanguinis fluxus sistitur, Matthæi 9. 20.

Sanguinis innocentis effusio, Deut. 19. 5. 11. † 27. 24. 2. Reg. 20. 9. 3. Reg. 21. 13. 4. Reg. 21. 16. † 24. 4. 2. Par. 24. 22. Prov. 6. 17. † 28. 17. Isa. 26. 11. Jer. 7. 6. † 22. 3. Ezech. 21. 4. 4. Esdr. 1. 32. Matth. 23. 34. Luc. 11. 50. Apoc. 6. 10. † 18 24.

Sanguinis innocentis effusio clamat vindictam coram Deo, Gen. 4. 10. 4. Esdr. 15. 8. Apoc. 6. 10.

Sanguine Christi empti sumus, 1. Cor. 6. 20. † 7. 23. Act. 20. 28. 1. Petr. 1. 18. Apoc. 5. 9.

SAPIENTIÆ divinæ origo, proprietas, laus, & utilitas, Deut. 4. 6. † 29. 9. Job 28. 20. † 32. 7. Eccles. 7. 12. † 9. 13. Sap. 6. 13. 16. † 7. * 8. * 9. * 10. * Eccli. 1. * † 1. 3. 31. † 4. 12. 28. 29. † 21. 12. † 24. * † 39. 14. Luc. 21. 15. Rom. 11. 33. 1. Cor. 1. 17. † 2. 6. 10. † 3. 19. Col. 2. 3. Jacobi 1. 5. † 3. 15.

SAPHIRA mentitur Spiritui sancto, & cadit in terram mortua, Actor. 5. 1. 8.

SARA filia Raguelis Tobiæ in uxorem traditur, Tob. 7. 10. 15.

SARUJA, vide Zaruja.

SATISFACTIO, vide Pœnitentia.

SAUL de tribu Benjamin quærit asinas, 1. Reg. 9. 3. ungitur in regem a Samuele, 10. 1. † 11. 14. Act. 13. 21. juxta mandatum, 1. Reg. 9. 15. percutit Ammon, 11. 11. obtulit holocaustum, 13. 9. a regno rejicitur, 13. 13. † 15. 22. 26. 28. † 16. * exagitat eum spiritus nequam, 16. 14. † 18. 10. † 19. 9. nititur David configere, 18. 10. † 19. 10. persequitur eum, 23. * trucidat sacerdotes Domini, 22. 18. mulierem habentem pythonem consulit, 28. 7. seipsum interficit, 31. 4. sepelitur, 31. 13. filii ejus in crucem tolluntur, 2. Reg. 21. 9.

SCANDALUM, seu offendiculum proximo, nec in vita, nec in doctrina ponendum, Lev. 4. 3. Num. 31. 16. 2. Reg. 11. 14. 1. Esdr. 8. 22. Prov. 28. 10. 2. Mach. 6. 24. Matth. 17. 27. † 18. 6. Marc. 9. 42. Luc. 17. 1. Rom. 14. 1. 15. 1. Cor. 8. * † 10. 32. 2. Cor. 6. 3. 1. Thess. 5. 22.

quicumque nobis scandalo esse possent, vitiabimus, Exod. 34. 12. Deut. 7. 2. 16. † 13. * Matth. 5. 29. † 16. 22. Marc. 9. 42. Rom. 16. 17.

SCIENTIA Dei, vide Dei.

SCRIPTURA sacra unde sit, & quis ejus usus, Exod. 17. 14. † 34. 27. Deut. 4. 1. † 17. 18. † 31. 9. Jos. 1. 8. Isa. 8. 9. † 30. 8. † 34. 16. Jer. 30. 2. † 36. 2. 10. † 45. 1. Baruch 1. 3. 14. † 4. 1. 2. Esdr. 8. 2. 3. Esdr. 9. 39. 4. Esdr. 15. 1. Dan. 10. 21. Matth. 4. 4. † 22. 29. Luc. 4 4. † 16. 29. Joann. 5. 39. † 10. 44. † 20. 30. Act. 15. 21. † 17. 11. Rom. 1. 2. † 4. 23. † 15. 4. 1. Cor. 9. 9. † 10. 11. † 15. 3. 2. Tim. 3. 15. 2. Petr. 1. 20. † 3. 1. Apoc. 1. 19.

Scriptura difficilis intellectu, 2. Petr. 3. 16. nec omnia scriptis Apostoli mandarunt, Joann. 10. 30. † 21. 25. 1. Cor. 11. 34. 2. Thessalon. 3. 15. Joann. epist. 2. 12. † epist. 3. 13.

Scriptura, nec lex est judex, sed sacerdos, Deut. 17 13. Ezech. 44. 24. * Malac. 2. 7. quære Sacerdotum officium.

SEB & Oreb interficiuntur, Jud. 7. 25.

SEBÆ, quia regnum affectarat, caput præciditur, 2. Reg. 20. 22.

SECURITAS perfecta de peccatorum remissione, aut salute consequenda non habetur in hac vita, Eccles. 9. 1. 2. vide Certi.

SEDECIAS pseudopropheta, 3. Reg. 22. 11. 2. Par. 18. 10. comburitur, Jer. 29. 22.

SEDECIAS, vide Zedecias.

SEDITIOSI puniuntur, Num. 16. 31. * vide Murmuratores.

SELEUCUS Asiæ rex, 2. Mach. 3. 3.

SEMAJA mittitur ad Roboam, 3. Reg. 12. 22. 2. Par. 11. 2. † 12. 5. 7.

SEMEI maledicit Davidi, 2. Reg. 16. 5. 13. veniam impetrat a David, 2. Reg. 19. 23. occiditur ex præcepto David, 3. Reg. 2. 9. 42. 46.

SENNACHERIB oppugnat universas civitates Juda munitas, 4. Regum 18. 13. 2. Paralipom. 31. 2. blasphemat Deum, Isai. 36. * interimitur a filiis, 4. Reg. 19. 37. Isaiæ 37. 37. secundum verba Isaiæ, 10. 33. † 31. 8. † 33. 1.

SEPELIRE mortuos, opus misericordiæ, Gen. 23. 19. † 25. 9. † 35. 19. 20. † 50. 5. 13. 25. Num. 20. 1. Deut. 10. † 21. 23. Jos. 24. 30. Jud. 12. 7. 1. Reg. 25. 1. † 31. 13. 2. Reg. 2. 32. † 3. 31. 3. Reg. 2. 10. 31. 34. † 11. 43. † 13. 29. † 14. 31. 4. Reg. 13. 20. 2. Paral. 16. 14. † 24. 16. † 35. 24. Tob. 1. 20. † 2. 3. 7. † 4. 3. 18. † 8. 14. † 12. 12. † 14. 13. 16. 4. Esdr. 2. 23. Eccli. 7. 37. † 38. 16. Matth. 14. 12. † 27. 58. Joann. 19. 39. Actor. 13. 29. 1. Cor. 15. 4.

SEPHORA, vide Ziphora.

SERMO Christianorum, vide Loquenda.

SERPENS æneus erigitur, Num. 21. 8. tollitur, & appellatur Nehustan, 4. Reg. 18. 4. cujus typum gesserit, Joann. 3. 14.

SIBA, vide Ziba.

SICELEG, vide Ziceleg.

SICHEM filius Hemor Dinam rapit & concumbit cum illa, Gen. 34. 2. necatur, 34. 26.

SIGNA futurorum, Gen. 9. 12. Exod. 31. 13. Jos. 2. 18. 1. Reg. 2. 34. † 10. 2. 2. Reg. 5. 24. 4. Reg. 19. 29. Isai. 38. 7. Tob. 5. 3. Luc. 2. 12.

Signa in memoriam præteritorum, Exod. 12. 3. 8. Num. 15. 38. † 16. 38. 40. † 17. 10. Jos. 4. 6. *

Signa & miracula fiunt, ut per ea omnipotentia, veritas, justitia, & bonitas Dei innotescat, Exod. 4. 2. 6. † 7. 17. † 16. 12. Jos. 3. 10. 14. 3. Reg. 13. 4. † 17. 14. † 18. 38. † 22. 13. 28. 4. Reg. 5. 14. † 20. 9. Matth. 8. 26. † 9. 2. † 14. 28.

SIHON rex Amorrhæorum concedere noluit, ut Israel transiret per fines suos, Num. 21. 23. Deut. 2. 30. percussus est in ore gladii, Num. 21. 24.

SILAS cum Paulo mittitur Antiochiam, Actor. 15. 27. profectus est cum Paulo, 15. 40. remansit Berœæ, 17. 14.

SILERE est utile, Prov. 17. 20. Eccles. 3. 7. Eccli. 20. 6. † 32. 12.

SILO locus, in quo fuit domus Dei, Jos. 18. 31. Judic. 18. 31. † 20. 18. 1. Reg. 1. 3. convenerunt omnes in Silo propter Rubenitas, Jos. 22. 12. de Silo affertur arca, 1. Reg. 4. 4. Jerem. 7. 12. † 26. 6.

SIMEON nascitur, Genes. 29. 33. interficit cum Levi Sichemitas, 34. 25. eam ob rem arguuntur a patre, 49. 5. in vinculis tenetur in Ægypto, 42. 25.

SIMON in Bethania excipit Dominum, Matth. 25. 6. Marc. 14. 3. Joann. 12. 1.

SIMONIA, vide Vendi dona Dei.

SIMPLICIBUS & humilibus revelat subinde Deus, quod abscondit iis, qui sibi videntur sapientes, Isa. 29. 18. 24. † 32. 4. Eccli. 9. 15. Matth. 11. 25. Luc. 2. 9. 5. † 5. 8. † 10. 21. Act. 4. 13. 1. Cor. 1. 24. † 2. 1.

Simplex & rectus, Gen. 20. 6. Job 1. 8. Matth. 10. 16. Act. 2. 46. Rom. 16. 18. Eph. 6. 5. Col. 3. 22.

SIMULATIO, & hypocrisis cavenda, Eccli. 1. 36. Isai. 32. 6. Jer. 9. 6. Job 15. 34. 2. Machabæor. 6. 24. Matth. 23. *

SOBRIETAS, vide Temperantia.

SOCIETAS bonorum quærenda, malorum vitanda, Gen. 19. 15. Lev. 7. 17. Num. 16. 25. † 23. 4. Jos. 23. 12. 2. Par. 19. 2. Job 31. 1. Psal. 25. 4. 8. † 36. 2. Prov. 1. 10. † 4. 14. † 6. 25. † 13. 20. † 20. 19. † 22. 10. 24. † 23. 6. 17. † 24. 1. 21. † 29. 27. Jerem. 16. 8. Eccli. 6. 35. † 8. 1. 15. † 9. 21. † 12. 10. * 13. 1. 20. Tob. 1. 5. Matth. 7. 15. 2. Tim. 4. 14. Apoc. 18. 4.

SODOMA & Gomorrha amœnissimo loco sita, Genes. 13. 10. spoliantur. Gen. 14. 11. subvertuntur a Domino, Gen. 19. 25. Deut. 29. 23. Sap. 10. 6. 7. secundum verba Domini, 18. 20. causa, Ezech. 16. 49.

SOL & luna creantur, Genes. 1. 16. steterunt ad imperium Josue, Jos. 10. 12. retrocessit sol decem gradibus ad petitionem Ezechiæ, & preces Isaiæ, 4. Regum 20. 11. amittit lumen, Matth. 25. 45. Marc. 15. 33. Luc. 23. 45.

SOLLICITUDO nimia, Exod. 34. 21. Levit. 25. 10. Deut. 8. 3. Job 7. 8. Psal. 54. 23. † 144. 15. 16. Prov. 10. 3. † 15. 25. Matth. 6. 25. † 10. 9. 23. † 13. 22. † 16. 7. Luc. 8. 14. † 12. 22. † 14. 18. † 21. 31. 1. Cor. 7. 32. Phil. 4. 6. Hebr. 13. 5. 1. Petr. 5. 7.

SOMNIA & visiones, in quibus olim Deus suam voluntatem aperiebat, Gen. 20. 3. † 28. 12. † 31. 24. † 37. 5. 9. † 40. 8. † 41. 1. † 46. 2. Num. 12. 6. Jud. 7. 13. 15. 1. Reg. 3. 4. 8. 15. † 28. 6. 2. Reg. 7. 4. 3. Reg. 3. 5. 15. Job 7. 13. † 33. 15. Dan. 2. 1. † 7. 1. 2. Mach. 15. 11. Matth. 1. 20. † 2. 12. 13. Act. 16. 9. † 18. 9. † 23. 11. † 27. 23.

Somnia,

Somnia, & visiones, quæ non conveniunt cum doctrina Christi, & Ecclesiæ sunt contemnenda, Deuter. 13. 1. Eccl. 5. 2. Eccli. 34. 1. * Jer. 23. 16. 25. † 27. 9. † 29. 8.

SOROBABEL filius Salathiel, 2. Esdr. 12. 1. Marc. 1. 13. Luc. 3. 27. instaurat templum Domini Jerosolymis, 1. Esdr. 3. 3. 3. Esdr. 6. 2. Eccli. 49. 13. genuit Abiud, Matth. 1. 13.

SORORES Christi, vide Fratres.

SORS, Levit. 16. 8. Num. 17. * † 26. 55. † 33. 54. Josue 7. 14. † 18. 10. 1. Reg. 10. 20. † 14. 17. 42. 1. Paral. 25. 5. 2. Esdr. 11. 1. Prov. 16. 33. † 18. 18. Ezech. 21. 19. Jonæ 1. 7. Act. 1. 17.

SOSIPATER comes Pauli, Act. 20. 4.

SOSTHENES princeps Synagogæ percutitur, Act. 18. 17.

SPES justorum non in temporalibus rebus, sed in Deo, ejusque promissionibus fundatur, Gen. 26. 5. Judic. 7. 2. 4. 1. Reg. 4. 3. † 17. 45. † 22. 1. 3. Reg. 20. 28. 1. Paral. 19. 13. 2. Paral. 25. 7. † 32. 7. † 16. 7. † 20. 15 20. Jud. 9. 13. Psalm. 9. 1. 21. † 13. 6. † 21. 5. 16. † 4. 2. † 30. 2. † 39. 7. † 61. * † 70. 1. † 92. 2. † 113. 9. 10. 11. † 141. 6. † 145. 5. Prov. 3. 5. † 22. 19. † 28. 25. † 30. 5. Sap. 3. 4. 9. Eccli. 2. 6. 12. † 13. 9. † 34. 14. Isai. 26. 4. † 29. 19. † 30. 1. 15. † 31. 1. † 36. 7. † 40. 30. Jer. 2. 33. † 7. 4. † 9. 22. † 17. 7. † 39. 18. Thren. 3. 24. Ezech. 29. 6. Osee 12. 6. Mich. 7. 5. 7. Nahum 1. 7. 1. Mach. 3. 18. Matth. 10. 37. † 12. 21. Rom. 5. 2. † 8. 24. 2. Cor. 5. 2. Col. 1. 27. 1. Thessal. 1. 3. 1. Tim. 1. 1. † 6. 17. Hebr. 3. 6. 1. Petr. 1. 13.

Spes non facit nos securos, nec excludit timorem, vide Timor.

Spes impiorum evanescit, & in quibus confidunt, vana sunt omnia, 4. Reg. 18. 21. Job 8. 13. † 11. 20. † 14. 19. † 20. 4. Prov. 10. 28. † 11. 7. 23. † 25. 19. Sap. 5. 15. Eccli. 5. 1. 10. Isa. 20. 15. 18. † 30. 2. 12. † 57. 11. Jer. 9. 12. † 17. 7. 1. Mich. 2. 62.

SPINÆ appellantur sollicitudines hujus mundi, divitiæ, & voluptates vitæ, Matth. 13. 7. 22. † 19. 22. Marc. 4. 7. 18. † 10. 22. Luc. 8. 7. 14. † 18. 22.

SPIRITUS sanctus promittitur, Isai. 44. 3. Ezech. 11. 19. † 36. 26. † 39. 29. Joel. 2. 28. Matth. 3. 11. Joann. 7. 39. † 14. 16. 23. † 15. 26. † 16. 7. mittitur, Act. 2. 1.

Spiritus Dei edocet mentes, Exod. 4. 12. Psalm. 31. 8. Isai. 59. 13. Matth. 10. 20. Marc. 13. 11. Luc. 12. 11. † 21. 14. Joann. 6. 45. † 24. 16. 26. † 15. 26. † 16. 13. Rom. 8. 16. 26. 2. Cor. 1. 22. † 5. 5. Eph. 1. 13. † 4. 20. 21. 1. Joann. 2. 27.

Spiritus probandi sunt, utrum a Deo sint, Judic. 8. 29. 1. Cor. 14. 29. 1. Thess. 5. 21. 1. Joann. 4. 1.

SPONSUS spiritualis est Christus, Isai. 54. 5. † 62. 4. Jerem. 31. 22. Ezech. 16. 8. Matth. 9. 15. † 25. 1. Marc. 2. 19. Lucæ 5. 34. Joann. 3. 29. 2. Cor. 11. 2. Ephes. 5. 24. Apoc. 19. 7. † 21. 2.

Sponsa Christi, vide Ecclesia.

STEPHANUS eligitur, Act. 6. 5. accusatur, 6. 11. respondet ad accusationem, 7. * lapidatur, 7. 57.

STULTITIA, Proverb. 14. 29. † 20. 3. † 26. 1. † 27. 22. Baruch 3. 23. Eccles. 10. 2. Eccli. 33. 5. Matth. 7. 26. † 25. 2. Marc. 7. 22. Ephes. 5. 4.

Stultitia est apud Deum sapientia hujus mundi, 1. Cor. 1. 18. * † 3. 19.

Stultorum corda in eorum sunt ore, & contra sapientum os in corde est, Eccli. 21. 23.

SUBDITORUM officium, Exod. 10. 28. † 22. 28. Num. 16. * Josue 1. 16. 2. Esdr. 5. 16. Baruch 1. 11. Prov. 13. 13. † 20. 2. † 24. 21. † 25. 6. Eccles. 8. 2. † 10. 16. Jer. 29. 7. Matth. 17. 24. † 22. 16. 21. Luc. 20. 22. Rom. 13. 1. 7. 1. Thess. 5. 12. 1. Tim. 2. 1. Hebr. 1. 3. 17. Tit. 3. 1. 1. Pet. 2. 13.

SUPERIORUM judicium, & rectorum officium, & potestas in subditos, Gen. 9. 6. Exod. 1. 8. * † 5. * † 18. 13. 17. † 22. 8. Lev. 24. 10. 23. Num. 11. 16. 24. † 25. 4. † 27. 15. 18. Deut. 1. 13. 17. † 17. 1. † 19. 17. Jos. 1. 10. Jud. 2. 7. 16. 1. Reg. 10. 24. 3. Reg. 3. 7. 2. Paral. 19. 5. 8. Job 29. * † 34. 30. Psalm. 81. * Prov. 8. 15. † 11. 14. † 12. 24. † 16. 10. † 20. 8. † 28. 15. † 29. 4. 14. † 31. 4. Eccles. 10. 1. 12. Sap. 1. 1. † 6. * Eccli. 7. 4. † 10. 1. 24. † 17. 18. Isa. 1. 23. 26. † 3. 2. † 10. 1. † 33. 1. Jerem. 5. 26. † 22. 2. † 23. * Ezech. 22. 6. 12. † 45. 9. Daniel. 2. 21. Osee 13. 10. Mich. 3. 1. 9. Matth. 22. 17. 21. † 26. 51. Luc. 20. 22. Joann. 3. 31. † 19. 11. 1. Cor. 15. 24. Rom. 12. 8. † 13. 1. 2. Tit. 2. 1. Tit. 3. 1. Hebr. 13. 17. 1. Petr. 2. 13. Vide Rex. Judex.

SUPERBIA prohibetur, committitur, & punitur, Gen. 3. 17. † 11. 5 7. Exod. 5. 2. † 14. 26. 1. Reg. 17. * 4. Reg. 18. 19. * † 19. 35. Tob. 4. 14. Jud. 9. 16. † 12. * Prov. 6. 17. † 11. 2. † 13. 10. † 15. 25. † 16. 5. 18. † 18. 12. † 25. 6. † 29. 23. Eccli. 10. 9. 11. 15. † 25. Isa. 3. 15. 17. † 9. 8. † 10. 8. † 14. 9. † 36. * † 37. 10. 24. † 39. 2. 5. † 47. 84. Jer. 48. 29. † 49. 16. Ezech. 16. 49. † 28. 2. † 31. 10. Dan. 4. 19. 27. † 5. 22. Abdiæ 1. 3. Malach. 2. 11. 2. Mach. 9. 4. 6. Luc. 1. 47. † 10. 15. † 14. 7. 11. † 18. 11. † 21. 24. Act. 12. 21. Rom. 1. 30. † 11. 20. 2. 2. Tim. 3. 2. 1. Pet. 5. 5. 2. Pet. 2. 18. Judic. 16. Apoc. 18. *

SUSANNÆ historia, Dan. cap. 13.

SYRI imperant Israeli, Judic. 3. 8. opprimuntur ab Othoniel, 3. 10. cæduntur a Davide, eique fiunt tributarii, 2. Reg. 8. 5. juvant filium Ammon contra David, 10. 6. fugientes a facie Israel, occiduntur a David, 10. 13. 18. Samariam obsidentes cæduntur, 3. Reg. 20. 29. pugnant contra Israel, 4. Reg. 6. 8. mentis stupore immisso, quasi cæci ducuntur in Samariam, 6. 18. 19.

Obsident Samariam, 6. 24. territi a Deo solvunt obsidionem, 7. 6. 7. vastantur a rege Assyriorum, & transferuntur Cyrenen, 4. Reg. 16. 9. desolatio eorum prænuntiatur, Isa. 17. 1. Jerem. 49. 23. Amos 1. 3.

T

TABITHA suscitatur a mortuis, Act. 9. 36. 40.

TEMPERANTIA in cibo, potu, & concubitu, Tob. 6. 15. Eccl. 3. 6. Eccli. 31. 18. † 32. 7. Dan. 1. 8. 11. Rom. 13. 13. † 14. 17. 1. Cor. 7. * Gal. 5. 23. 1. Tim. 3. 2. 2. Tim. 1. 7. Tit. 1. 8. † 2. 6. 12. 1. Pet. 1. 13. † 5. 8. 2. Pet. 1. 6.

TEMPLUM Salomonis, quando, quanto tempore, & qua forma sit extructum, 3. Reg. 6. * † 7. * 2. Paral. 3. * 4. * promissio ejus, 2. Regum 7. 13. extruitur ope Gentilium, 3. Reg. 5. * consecratur, 8. * 2. Paral. 7. 7. profanatur per Achaz, 2. Paralip. 28. 21. iterum consecratur per Ezechiam, 2. Paralip. 29. * profanatur, & denuo consecratur per Manassen, 2. Paral. 33. 7. 15. exuritur, 4. Reg. 25. 9. prout prædictum erat, 2. Paral. 7. 20. iterum extruitur, 1. Esdr. 1. * 3. * 4. * 5. * † 6. 3. 7. spoliatur, & incenditur, 1. Machab. 1. 23. 33. profanatur, 1. 49. 57. mundatur, & consecratur, 4. 36. 2. Mach. 10. 1. ejus devastatio, Daniel. 9. 26. Matth. 24. 2. Marci 13. 2. Luc. 19. 41.

contra templum prophetatur, Lev. 26. 31. 3. Reg. 9. 7. 4. Reg. 21. 12. 2. Paral. 7. 20. Psalm. 73. 6. Isa. 66. 1. Jer. 7. 3. 17. † 26. 6. 12. Amos 9. 1. Mich. 3. 12. Zach. 11. 2.

Templum spirituale, & domus Dei, 2. Regum 7. 13. Prov. 9. 1. Aggæi 2. 8. Matth. 7. 24. † 16. 18. Joann. 1. 19. 1. Cor. 3. 16. † 6. 19. 2. Cor. 6. 16. Ephes. 2. 20. 1. Tim. 1. 15. Hebr. 3. 6. 1. Pet. 2. 5. vide Ecclesia.

Templa Idolorum, 1. Reg. 5. 2. † 31. 9. 3. Reg. 11. 7. 4. Reg. 10. 21. † 17. 32. † 19. 37. 1. Paral. 11. 10. Baruch 6. 16. 30. 54. Isa. 37. 38. Jerem. 43. 12. Dan. 14. * 1. Mach. 1. 50. † 6. 2. † 10. 83. 2. Mach. 6. 2. Act. 19. 27.

Templum domus Dei, & domus orationis vocatur, Isa. 56. 7. Matth. 21. 13. Christus ipse, & omnes fideles frequenter in templo versabantur, Matth. 24. 1. Marc. 11. 11. † 12. 35. Luc. 2. 30. † 19. 45. Act. 2. 46. † 3. 1. † 5. 20. 21. † 21. 26. † 22. 27.

in Templo oratur Deus, & exaudit, 3. Reg. 9. 3. † 8. 29. 2. Paral. 6. 19. Matth. 21. 13.

Templa manufacta non inhabitat Deus, quasi iis concludi possit, vel illis indigeat, ut homo ædibus, 3. Reg. 8. 27. 2. Par. 6. 18. Isa. 66. 1. Jer. 23. 24. Act. 7. 48. † 17. 3.

alioqui Deus in Templis materialibus habitare dicitur, 3. Reg. 6. 13. † 8. 12. 1. Paralip. 23. 25. Psal. 77. 60. † 131. 13. Jerem. 7. 3. 7. Matth. 23. 21. Act. 7. 46.

Templum dicitur locus sanctus, Gen. 28. 17. Exod. 3. 5.

Templum magnis muneribus dotatum, 2. Paral. 1. * 2. * 3. * 4. * 5. * 2. Mach. 3. 2.

Templi profanatores a Deo puniuntur, Isai. 56. 5. * 2. Mach. 1. 25. 26. * Matth. 21. 12. Joann. 2. 2. 15.

TEMPORIS opportunitas in omnibus rebus observanda, Eccles. 3. 1. † 8. 5. Eccli. 20. 6. † 32. 20. Rom. 12. 11.

TENEBRÆ trium dierum in Ægypto, Exod. 10. 22. Psalm. 104. 28. Sap. 17. 2. † 19. 16.

in Tenebris versatur mundus, & amat eas, 4. Esdr. 14. 20. Isa. 9. 1. † 59. 9. † 60. 2. Joann. 1. 5. † 3. 19. † 8. 12. † 12. 35. Act. 26. 17. 1. Thess. 5. 7. 1. Joann. 2. 11.

TENTARE Deum non licet, Exod. 14. 11. † 17. 2. Deut. 6. 16. Jud. 8. 11. Matth. 4. 7. 1. Cor. 10. 9.

Tentat, seu verius probat Deus suos variis modis, Genes. 22. 1. * Exod. 15. 25. † 16. 4. † 20. 20. Deuter. 82. † 13. 3. Judic. 2. 22. † 3. 1. 2. Paral. 32. 21. Tob. 2. 8. Job 1. 12. * Sap. 3. 5. Eccles. 2. 4. † 27. 18. Zach. 13. 9. Rom. 5. 4. 2. Pet. 2. 9. Jac. 1. 2.

Tentari non patitur Deus suos supra id, quod possunt, 1. Cor. 10. 13. 2. Pet. 2. 9. Apoc. 2. 10.

TERTULLUS Orator accusat Paulum, Act. 24. 2.

TESTAMENTUM, Coloss. 4. 24. Hebr. 9. 1. † 13. 20. vide Novum Testamentum.

TESTIMONIUM tum verum, tum falsum, Exod. 10. 16. † 23. 2. Num. 35. 30. Deuter. 5. 20. † 17. 11. † 19. 15. 18. 3. Reg. 21. 10. Psalm. 26. 12. † 34. 11. Prov. 6. 19. † 14. 5. † 19. 5. 9. † 21. 28. † 24. 28. † 25. 18. Dan. 13. 34. * Matth. 18. 16. † 19. 18. † 26. 59. † 28. 13. Marc. 10. 19. Joann. 8. 17. Act. 6. 11. Rom. 13. 9. 2. Cor. 13. 1. 1. Tim. 5. 19. Hebr. 10. 28. vide Mendacium.

THAD-

THADDÆUS, vide Labbæus.

THAMAR concumbit cum Juda suo socero, Gen. 38. 15. gignit geminos Phares, & Zara, 38. 27. † 46. 12.

THAMAR violatur ab Amnon fratre suo, 2. Reg. 13. 14.

Thamar filia Absalonis, 2. Reg. 14. 27.

THARE pater Abraham, Gen. 11. 26.

THEBES obsidetur, Jud. 9. 50.

THEBNI rex Israel, 3. Reg. 16. 21.

THECUITIS mittitur ad regem David, ut impetret reductionem Absalon, 2. Reg. 14. 2. *

THEGLATH-Phalasar devictam magnam partem Israelitarum transtulit in Assyrios, 4. Reg. 15. 29. *

THEODAS occisus est, Act. 5. 37.

THESAURUS minus diligendus magis diligitur, Osee 9. 1. Matth. 6. 19. † 19. 22. Marc. 10. 21. Luc. 12. 22. 33. † 18. 23. Joann. 6. 26. 2. Cor. 4. 18.

THOLA dux in Israel, Jud. 10. 1.

THOLOMAI rex Gessur, 2. Reg. 13. 37.

THOMAS Didymus paratum se offert cum Christo ire in mortem, Joann. 11. 16. erat incredulus, 20. 25. 27.

TIMENDUS est Deus, & ante oculos habendus, Gen. 22. 12. † 31. 49. Exod. 1. 17. † 20. 20. Deut. 4. 9. † 6. 13. 24. † 10. 12. 20. † 13. 4. Josue 24. 14. Judic. 6. 14. 4. Regum 17. 36. 2. Paralip. 20. 15. Job 1. 8. † 28. 28. Psalm. 26. 1. † 32. 8. † 33. 8. 10. † 110. 5. † 111. 1. † 127. 1. Prov. 1. 7. † 3. 7. † 9. 10. † 14. 2. 27. † 15. 16. † 16. 6. † 22. 4. † 23. 21. Eccles. 12. 21. Eccli. 1. 11. * † 2. 7. 12. 18. † 7. 31. † 10. 23. † 15. 1. † 25. 16. † 33. 1. † 34. 16. † 41. 16. Isa. 8. 5. † 41. 10. † 43. 1. † 51. 12. Jerem. 10. 7. † 32. 29. Baruch 3. 7. 4. Esdr. 16. 68. Matth. 10. 28. Luc. 12. 5. 1. Pet. 2. 17. † 3. 15. Apoc. 14. 7.

Timoris Dei fructus, utilitas, & laus, Genes. 20. 9. Psalm. 102. 17. † 124. 1. 117. * Prov. 10. 27. † 14. 27. † 19. 23. † 22. 4. ejus defectus, caussa peccandi, Gen. 20. 11.

Timore punit Deus, & terrore, Gen. 25. 5. Exod. 23. 27. Levit. 26. 36. Deuter. 2. 24. † 11. 25. † 28. 10. 65. Jos. 2. 9. † 10. 10. Jud. 4. 5. † 7. 21. 1. Regum 7. 10. 4. Reg. 7. 6. 1. Paralip. 15. 17. 2. Paralip. 14. 14. † 17. 10. † 20. 29. Psalm. 3. 20. Jerem. 49. 37. Judic. 14. 14. † 15. 1. 2. Machab. 3. 24.

Timoris Dei exempla, Exod. 1. 17. † 14. 31. 3. Reg. 8. 3. 2. Paral. 19. 7. Tob. 1. * † 2. 9. 13. † 3. 18. † 9. 12. Judi. 8. 8. Job 31. 23. Jonæ 1. 16. Proverb. 31. 30. 2. Machab. 6. 30. Luc. 2. 25. Act. 8. 2. † 9. 31. † 10. 2. 35.

Timor & sollicitudo non repugnat fidei, aut spei, Psalm. 2. 11. Eccles. 9. 1. 2. Eccli. 5. 5. Rom. 11. 21. * 1. Cor. 9. 27. † 10. 12. Philipp. 2. 12. † 3. 11. 13. Hebr. 3. 14. † 4. 1. * 2. Pet. 3. 17.

Timent & reverentur bonos etiam mali, Gen. 28. 8. Exod. 14. 25. 25. 1. Reg. 18. 12. 4. Reg. 1. 14. 2. Esdr. 6. 16. 1. Machab. 3. 25. † 12. 28. Marc. 6. 20. Act. 5. 13. † 16. 29.

TIMOTHEUS circumciditur, & proficiscitur cum Paulo, Act. 16. 3. mittitur cum Paulo in Macedoniam, 19. 22. accepit gratiam per impositionem manuum, 1. Tim. 4. 14. 2. Tim. 6. 6.

TITUM Gentilem noluit Paulus circumcidi, Gal. 2. 3. Titus a Paulo constitutus Episcopus Cretensis, Tit. 1. 5.

TOBIAS vir pius, & in pietate constans, Tob. 1. 1. * fit cæcus, 2. 11. visum recipit, 11. 14.

TRADITIONES etiam sine scripto ab Apostolis acceptæ, servandæ nobis sunt, 2. Thess. 2. 15.

Tradiderunt Apostoli quædam viva tantum voce, 1. Cor. 11. 34. epist. Joann. 2. v. 12. & 3. v. 13. 14.

TRIBULATIO, vide Crux.

TRIBUTUM, vide Exactio.

TRINITAS figurata, & declarata, Gen. 1. 26. † 18. 2. Exod. 3. 6. 15. 16. † 4. 5. Psalm. 32. 6. Isa. 6. 3. † 34. 16. † 48. 16. † 61. 1. Matth. 3. 16. † 10. 20. † 17. † 28. 19. Luc. 4. 18. Joann. 3. 35. † 14. 16. 26. † 15. 26. † 16. 3. 1. Joann. 5. 3.

TRIPUDIARE, vide Choreas ducere.

TRISTARI immoderate propter temporalia, minime laudandum, Prov. 12. 25. † 15. 13. † 17. 22. Eccli. 30. 22. † 38. 19. 1. Machab. 6. 8. 2. Cor. 7. 10.

TRYPHON partium Alexandri transit ad Emalchuel Arabem, 1. Machab. 11. 39. cupiens regnum Antiochi occupare, & fingens se amicum apud Ptolemaida, dolo cepit Jonathan, 12. 39. 49. a Simone accepta pecunia Jonathan occidit cum filiis, 13. 19. 23. interimit Antiochum filium Alexandri, 13. 31.

TUBA clangent angeli in consummatione sæculi, Matth. 24. 31. 1. Cor. 15. 52. 1. Thess. 4. 16.

V

VÆ, væ, quibus, & quas ob caussas interminetur Scriptura, Numer. 21. 29. Eccles. 4. 10. † 10. 16. Isa. 1. 4. 24. † 3. 9. 11. † 5. 8. 18. † 6. 5. † 10. 1. † 17. 12. † 18. 1. † 24. 16. † 28. 1. † 29. 1. 30. 1. † 31. 1. † 33. 1. † 45. 9. Jer. 4. 31. † 13. 27. † 22. 13. † 23. 1. † 45. 3. † 48. 1. Ezech. 6. 11. † 13. 3. 18. † 16. 23. † 30. 2. † 34. 2. Osee 7. 13. Joel. 1. 15. * Amos 5. 18. † 6. 1. Mich. 2. 1. Nahum 3. 1. Habac. 2. 6. 12. Sophon. 2. 5. † 3. 1. Jud. 16. 20. Eccli. 2. 14. † 41. 11. Matth. 11. 21. † 18. 7. † 23. 13. * Luc. 6. 24. † 10. 13. † 11. 42. † 17. 1. 1. Cor. 9. 16. Judæ 11. Apoc. 8. 13. † 9. 12. † 11. 14. † 12. 12. † 18. 10. 16.

VASTHI spernit regis imperium, & ab eo repudiatur, Esther 1. 9. 19.

VENDI non debent dona Dei, 4. Reg. 5. 22. 26. * Dan. 5. 17. Matth. 10. 8. Act. 8. 20. † 10. 35. 1. Cor. 9. 15. 2. Cor. 11. 9. † 12. 13. quære Emere.

VENTER pro Deo eligitur, Rom. 16. 18. Philipp. 3. 19.

VERBUM Dei semper ob oculos ponendum, Deut. 4. 1. † 6. 6. 17. † 11. 18. Num. 15. 39. Psalm. 1. 2. Proverb. 3. 1. † 4. 1. 20. † 6. 20. † 7. 1.

a Verbo Dei non recedendum, Deut. 4. 2. † 5. 32. † 28. 14. Jos. 1. 7. † 23. 6. Proverb. 4. 27. Isaiæ 30. 21.

Verbum Dei universum non est scriptis traditum, Joann. 14. 26. † 20. 21. † 21. 25. 1. Cor. 11. 34. 2. Thessal. 2. 15. 2. Joann. 12. 3. Joann. 18.

Verbum Dei, non audiendum solum, & loquendum, sed & corde credendum, & factis præstandum. Deut. 5. 1. 27. † 6. 1. † 31. 12. Is. 29. 13. Ezech. 33. 31. Matth. 5. 22. † 7. 24. † 15. 8. † 28. 20. Luc. 6. 47. † 11. 28. † 12. 47. Joann. 13. 17. Hebr. 4. 2. Jacobi 1. 22.

Verbi Dei contemptus, & punitio ejus, 3. Reg. 13. 4. 4. Reg. 17. 14. 19. 2. Paralip. 30. 6. 10. † 36. 15. Prov. 1. 24. 28. † 28. 9. Isaiæ 28. 14. † 30. 9. 14. † 65. 10. † 66. 4. Jerem. 2. 5. † 5. 12. 20. † 7. 13. † 16. 9. † 19. * † 25. 4. Ezech. 33. 30. Matth. 10. 14. † 11. 20. Luc. 10. 10. Actor. 13. 45. † 18. 6. Rom. 1. 21. 30. 2. Thess. 2. 10. Hebr. 2. 3. vide inobedientia.

Verbum Dei manet in æternum, Numer. 23. 19. Tob. 14. 6. Psal. 32. 11. † 116. 2. † 118. 89. Isa. 40. 8. † 51. 6. † 51. 10. Matth. 5. 18. 24. 35. Marc. 13. 31. Lucæ 16. 7. † 21. 31. 1. Pet. 1. 25.

Verbum Dei quantæ sit virtutis, & efficacitatis, Gen. 1. * Psalm. 32. 9. Job 38. 11. Isa. 46. 10. † 55. 11. Matth. 8. 13. 26. Marc. 1. 27. Luc. 13. 24. † 8. 24. † 18. 42.

Verbum Dei est cibus animæ, Deut. 8. 3. Sap. 16. 26. Jer. 15. 16. Ezech. 3. 3. Matth. 4. 4. Luc. 4. 4.

Verba sunt ponderanda, & non leviter effutienda, Psalm. 111. 5. Prov. 15. 2. 23. † 13. 3. † 17. 27. † 7. 20. 15. † 21. 23. † 25. 11. Eccles. 5. 2. † 12. 10. Eccli. 5. 12. † 20. 7. † 23. 7. † 28. 29. † 32. 18. Matth. 12. 36. Coloss. 4. 6. Jacobi, 1. 19.

VERITAS, Isa. 59. 15. 3. Esdr. 3. 12. † 4. 33. 4. Esdr. 1. 17. Zach. 8. 16. Ephes. 4. 21.

VESTIENDI sunt nudi, Isai. 58. 7. Tob. 1. 17. Ezech. 18. 7. Matth. 25. 36. Vide Eleemosyna.

Vestium abusus, vide Abusus.

Vestes scindere, Gen. 44. 13. Josue 7. 6. Judic. 11. 35. 1. Reg. 4. 12. 2. Reg. 13. 31. 3. Reg. 21. 27. 4. Reg. 5. 7. † 6. 30. † 11. 14. † 18. 37. † 19. 1. † 21. 11. 19. Esther 4. 1. Jer. 36. 24. Joel. 2. 13. 1. Mach. 2. 14. † 3. 47. † 4. 31. † 11. 71. Matth. 26. 65. Act. 14. 13. † 16. 22.

VIA, per quam justi ambulant, quæ, & qualis sit, Psalm. 118. 5. Prov. 3. 6. 17. † 16. 5. 17. Eccli. 5. 12. Isa. 26. 7. † 30. 3. † 35. 8. † 40. 3. Jerem. 31. 21. Osee 14. 10. 1. Thess. 4. 1. Hebr. 12. 13.

Via justorum a Domino dirigitur, Tob. 4. 20. Psalm. 16. 5. † 24. 4. † 118. 35. Prov. 4. 12. 18. † 13. 6. † 16. 9. † 20. 24. Isa. 48. 17. Jerem. 10. 23. Mich. 4. 2.

Via justorum remunerationem a Deo expectat. Psalm. 24. 12. Prov. 12. 28. Jer. 6. 16. † 7. 3.

Via impiorum qualis, Psalm. 118. 3. Prov. 4. 19. 26. 27. † 12. 15. † 21. 2. † 22. 5. Isa. 57. 10.

Viæ impiorum exitus, & finis, Job 6. 18. Prov. 14. 12. † 28. 18. Eccli. 2. 16. † 21. 11. Jer. 2. 36. † 4. 18.

VICTORIA a Deo expectanda est, Gen. 14. 14. Exod. 17. 9. Deuter. 7. 18. Jos. 11. 6. Jud. 7. 7. 1. Reg. 14. 6. † 17. 45. 2. Paralip. 14. 11. † 16. 8. † 24. 24. † 25. 8. Psalm. 117. 16. Prov. 21. 31. Judic. 9. 15.

Victoria potiuntur pauci contra multos, Gen. 14. 14. * Jud. 7. 4. Jos. 11. 1. 7. 1. Reg. 14. 6. 14. 2. Paralip. 13. 14. † 14. 11. 12. † 24. 24. 1. Mach. 3. 16. 22. post partam victoriam triumphus instituitur, Num. 31. 13. Judic. 11. 34. 1. Reg. 18. 6. 2. Mach. 3. 7.

VIDUIS benefaciendum est, Exod. 22. 22. Deuter. 16. 14. † 24. 17. 19. † 26. 12. † 27. 19. Judith 16. 28. Job 24. 3. † 31. 16. Eccl. 4. 10. Isa. 1. 27. Jer. 22. 3. Zach. 7. 10. Malach. 3. 5. Matth. 23. 14. 1. Timoth. 5. 3. 16. Jac. 1. 27.

Viduas pias quid deceat, Jud. 8. 4. Luc. 2. 37. 1. Tim. 5. 3. 5. Tit. 2. 3.

VIGILARE, vide Adventus Domini.

VINDICTA soli Deo, ejusque ministris, ac magistratui,

tui commissa, unde & aliis est prohibita. Genes. 15. 14. Lev. 19. 18. Deut. 32. 35. Jud. 8. 20. † 16. 20. Psalm. 7. 7. † 9. 13. † 93. 3. * prov. 17. 11. † 10. 22. † 24. 29. † 28. 22. Eccli. 28. 1. Ezec. 25. 12. 14. Nahum, 1. 2. Matth. 5. 29. Luc. 9. 52. † 18. 6. 7. 8. Rom. 12. 19. Gal. 5. 10. Thess. 5. 15. 2. Tim. 4. 14. Hebr. 10. 30. 1. Petr. 3. 9. Jac. 5. 4. Apoc. 6. 10. vide Remissio.

VINEA, Genes. 9. 20. Deut. 13. 24. Isa. 5. 1. Cant. 8. 11. Matth. 20. 1. † 21. 33.

VIRGINITAS commendatur, Matth. 19. 12. 1. Cor. 7. 25. † Apoc. 14. 4.

Virginitas præfertur conjugio, 1. Cor. 7. 38. 40.

Virgines servantur, Num. 31. 18. † 11. 11.

Virgines olim, ut nunc conclusæ, 2. Mach. 3. 19.

VISITARE & consolari infirmos, seu ægrotos, opus misericordiæ, Gen. 48. 1. 4. Reg. 8. 29. † 13. 14. Job 2. 11. Psalm. 40. 4. Ecclef. 7. 3. Eccl. 7. 38. † 38. 13. Matth. 25. 37. 40. Joann. 11. 3. † 12. 9. 2. Cor. 1. 4.

VISERE Sanctos desiderat Paulus, Rom. 1. 11. † 15. 23. 32. Gal. 4. 20. 1. Thess. 2. 17.

VITA fidelium ad quam regulam sit instituenda, Genes. 17. 1. Exod. 20. 12. * Lev. 11. 44. † 19. 1. † 20. 7. 29. † 21. 8. Matth. 5. 48. † 11. 29. Luc. 3. 36. Joann. 12. 16. † 13. 13. † 15. 12. † 21. 15. Roman. 6. 4. † 8. 29. † 13. 14. † 15. 2. Ephes. 2. 9. † 4. 1. 23. † 5. 1. 9. Philip. 1. 27. † 2. 5. 14. Coloss. 2. 6. † 3. 9. 12. * 1. Thess. 4. 3. Tit. 2. 11. † 3. 8. Hebr. 12. 1. 1. Petr. 1. 15. † 2. * † 3. 17. † 4. 1. 1. Joann. 1. 7. † 5. 6.

Vitæ humanæ brevitas & vanitas, Gen. 3. 19. 2. Regum 14. 14. 1. Par. 29. 15. Job 3. 20. † 7. 6. † 8. 9. † 9. 11. 25. † 13. 18. † 14. 1. Ps. 38. 6. † 85. 5. 9. † 101. 4. 11. † 101. 15. † 108. 23. † 143. 4. Ecclef. 2. 23. † 3. 3. 10. † 9. 1. Sap. 1. 5. † 5. 9. Eccli. 14. 18. † 17. 31. † 18. 8. 40. 6. 41. 1. Tob. 4. 13. Isa 40. 6. Luc. 12. 28. Ephes. 5. 16. Hebr. 13. 14. 1. Petr. 1. 24. Jac. 1. 10. † 4. 14.

Vitam pro fratribus ponere, Esth. 4. 15. Jud. 13. 3. 25. Joann. 15. 13. 1. Joann. 3. 16.

VITIS, Gen. 49. 11. Jud. 9. 12. Zach. 3. 10. 1. Mach. 14. 12. Joann. 15. 1.

Vitis palmes appellatur populus Israeliticus, Osee 10. 1. Joann. 15. 5.

VITULUS erigitur in Idolum, Exod. 32. 4. Deuteron. 9. 16. 3. Reg. 12. 28. 4. Reg. 10. 29. † 17. 16. Psalm. 105. 19. Osee 8. 5. Actor. 7. 40.

VIVENDUM Deo, non sibi, Rom. 14. 7. 2. Corinth. 5. 15. Gal. 2. 20. 2. Thess. 5. 10. 1. Petr. 4. 2.

UNCTIONIS extremæ Sacramentum, Jac. 5. 14.

VOLUNTAS nostra accommodanda voluntati divinæ, 1. Reg. 3. 18. 2. Reg. 10. 12. † 15. 20. 1. Mach. 3. 60. Matth. 6. 10. † 26. 39. Marc. 14. 36. Luc. 22. 42. Act. 21. 14. 1. Cor. 4. 19. Hebr. 6. 3. Jac. 4. 15. vide Abnegatio.

Voluntas Dei, Matth. 7. 21. † 12. 50. Marc. 3. 35. Joann. 6. 39. Rom. 12. 2. Ephes. 5. 17. Coloss. 1. 9. 1. Thess. 4. 3. 1. Tim. 12. 4. 1. Joann. 2. 17.

Voluntas Dei non est, ut aliquis pereat, Ezech. 18. 23. Joann. 6. 39. 1. Tim. 2. 4. 2. Petr. 3. 9.

Voluntatem pro opere acceptat Deus, Gen. 20. 3. 6. † 21. 9. 2. Reg. 11. 14. † 12. 9. 3. Reg. 21. 29. vide Cor.

VOLUPTAS carnis, vide Concupiscentia.

VOTUM, Gen. 28. 20. Levit. 27. 1. Numer. 6. * † 25. 2. † 30. * Deut. 23. 21. Judic. 11. 30. 1. Reg. 1. 11. 2. Reg. 15. 8. Psal. 75. 12. Ecclef. 5. 3. Baruch 6. 34. Matth. 14. 7. Act. 18. 18. † 21. 23. † 23. 12.

Votum castitatis servandæ, seu non cognoscendi virum, Lucæ 1. 34.

non sine damnatione violatur, 1. Tim. 5. 12.

URIAS defert litteras Davidis ad Joab, 2. Regum 11. 14.

URIAS prophetat contra Jerusalem, ideoque eductus de Ægypto, occiditur a Joacim, 26. 20. 23.

Urias Sacerdos juxta præceptum Regis Achaz extruit altare, 4. Reg. 16. 11.

URIEL angelus Dei, 4. Esdr. 4. 1. † 5. 20.

USIA rex Juda pugnat adversus Philisthæos, sumit sibi officium Sacerdotum, adolere volens Incensum, lepra punitur, moritur, 2. Paral. 26. 17. 20. 23. appellatur Azarias, 4. Regum 15. 1. appellatur Ozias, Matth. 1. 9.

USURA, Exod. 22. 25. Lev. 25. 35. Deut. 23. 19. 2. Esdr. 5. 7. Psal. 14. 5. Prov. 26. 16. † 28. 8. Jer. 15. 10. Ezech. 18. 8. 13. † 21. 12. Luc. 6. 34. † 19. 8.

UXORIS officium, Genes. 2. 22. † 3. 16. Num. 30. 7. 13. Deuter. 22. 5. Esther 1. 10. * Tob. 10. 12. Proverb. 11. 16. † 12. 4. Isai. 3. 15. 17. 1. Cor. 7. * † 11. 5. 9. † 14. 34. Ephes. 5. 11. Col. 3. 18. 1. Tim. 2. 11. † 5. 11. † 5. 2. 10. Tit. 2. 4. 1. Petr. 3. 1. vide Mariti officium.

Z

ZACHÆUS excipit Christum suis ædibus, Luc. 19. 6.

ZACHARIAS filius Jojadæ, sive Barachiæ sacerdotis lapidatur, 2. Par. 24. 20. Matth. 23. 38.

Zacharias prophetat tempore Darii, Zach. 1. 1.

Zacharias pater Joannis Baptistæ, Luc. 1. 5.

ZADOCH filius Abiathar fit summus Sacerdos, 3. Regum 2. 35.

ZALPHAAD filiæ postulant hæreditatem, Num. 27. 1. 7. † 36. 2. Josue 17. 3.

ZARUJA filia Isai soror Davidis genuit Abisai, Joab, & Asael, 2. Reg. 2. 18. 1. Paral. 2. 16.

ZEBEDÆUS pater Jacobi & Joannis, Matth. 4. 21. uxor ejus Salome intercedit pro filiis apud Christum, Matth. 20. 20.

ZEBEE & Salmana reges Madianitarum capiuntur. Jud. 8. *

ZEDECIAS, qui & Mathanias, patruus Joachim substituitur pro eo in regno Juda, 4. Regum 24. 17. Jerem. 37. 1. obsessa a Nabuchodonosor Jerusalem, Zedecias, effossis oculis, ac vinctus, necatisque coram se filiis, in Babylonem ducitur, 4. Regum 25. 1. 6. 7. Jerem. 39. 4. 7. † 52. 3. quemadmodum ei prædictum erat, Jerem. 27. 12. † 27. 16. Ezech. 12. 3. † 17. 16. † 21. *

ZELUS & Zelotypia, Genes. 35. 2. 25. 27. Exod. 32. 19. 27. Num. 25. 7. Jud. 20. 1. 8. 1. Reg. 11. 6. † 15. 11. 32. 3. Reg. 18. 40. † 19. 20. 14. 4. Reg. 10. * 1. Mach. 2. 14. Matth. 11. 12. Joann. 2. 17. Actor. 9. 1. Phil. 3. 2.

ZIBA servus Saulis constituitur procurator Miphiboseth, 2. Reg. 9. 9. donantur ipsi omnia bona Miphiboseth, 16. 1. procedit obviam Regi David, 19. 17.

ZICELEG donatur regi David, 1. Reg. 27. 5. exuritur ab Amalecitis, 30. 1.

ZIPHORA uxor Mosis, Exod. 2. 21. circumcidit filium suum, 4. 25.

ZOROBABEL, vide Sorobabel.

INDEX
GEOGRAPHICUS,
QUI

Situs & nomina locorum in Scripturis Sacris occurrentium complectitur: ex Euſebio, ſancto Hieronymo, & quibuſdam Geographis recentioribus excerptus.

INDICEM Geographicum Terræ ſanctæ non ex aliis auctoribus majori fide dignis, quam ex Euſebio Cæſareæ Epiſcopo, quæ erat illius regionis metropolis, & ex ſancto Hieronymo, qui diutiſſime in ea vixit, & loca ejus luſtravit, contexere poſſumus. Quibus recentiorum quoque, ut Adricomii, Samſonis utriuſque, P. Lubin & aliorum ſolers diligentia addi poteſt. *Euſebius enim*, ut Hieronymus in Præfatione de ſitu & nominibus locorum Hebraicorum teſtatur, *poſt Chorographiam Terræ Judææ, & diſtinctas tribuum ſortes, congregavit nobis de Sancta Scriptura omnium pene Urbium, Montium, Fluminum, Viculorum, & diverſorum Locorum vocabula, quæ vel eadem manent, vel immutata ſunt poſtea, vel aliqua ex parte corrupta. Unde & nos admirabilis viri ſequentes ſtudium, ſecundum ordinem litterarum, ut ſunt in Græco poſita, tranſtulimus: relinquentes ea, quæ digna memoriæ non videntur, & pleraque mutantes.* Cum autem utriuſque, nempe Euſebii & Hieronymi opus temporum lapſu effugere non potuerit aliarum lucubrationum ſortem, vocum nempe plurimarum mutationes, aut omiſſiones, aut additiones, viri doctiſſimi Bonfrerius olim & nuperrime Martianæus, ille ex S. J. Presbyter, hic vero ex Ordine Sancti Benedicti, ſuis notis valde eruditis, quantum fieri potuit, iis mederi conati ſunt. Plura ex Geographis recentioribus, ut e Nicolao Samſon, & P. Lubin, quæ Euſebio & Hieronymo deeſſe videbantur, præſertim in locis præcipuis, quæque in Scripturis magis celebrantur, adjiciemus: in his omnibus ordinem alphabeticum obſervamus.

A

ABANA, fluvius Damaſci, per planitiem Archadob defluens.

ABARIM, mons in tribu Ruben, in quo mortuus eſt Moſes, dicitur autem & mons eſſe Nabau, in terra Moab contra Jericho ſupra Jordanem in ſupercilio Phaſga.

ABDON, Abran, Madon, unius & ejuſdem urbis diverſa nomina: loco Abran alii legunt Acran, aut Achran in tribu Aſer: urbs Levitica, inter Chabul & Rohob.

ABEL vinearum, ubi dimicavit Jephte, in terra filiorum Ammon, ætate ſancti Hieronymi, in ſeptimo lapide Philadelphiæ, villa Abela videbatur vinetis conſita: alia quoque erat civitas nomine Abela, vini fertilis, in duodecimo a Gadatis milliario contra orientalem plagam: necnon & tertia in Phœnice Abela inter Damaſcum & Paneadem. Ex iis unicam facit Nicolaus Samſon in Mappâ.

ABELA, Abel Maacha, Abel Beth Maacha, Beth-Maacha, Abel domus Maacha, & Abel-Maim, una & eadem urbs a priori diverſa, in tribu Nephthali.

ABELMAULA, urbs unius de principibus Salomonis in dimidia tribu Manaſſe intra Jordanem: unde fuit & Eliſeus Propheta.

ABELSATIM, locus in deſerto ad meridiem Moabitarum, poſtea in tribu Ruben; ibi de Beth-Simoth Iſraelitæ caſtrametati ſunt.

ABEN BOEN, i. e. Lapis Boen filii Ruben, in tribu Benjamin, in finibus Tribus Juda, prope mare Salſiſſimum & Jordanem.

ABENEZER, quod interpretatur, lapis adjutorii, ſive lapis auxiliator, unde tulerunt Philiſthiim arcam Teſtamenti, inter Æliam & Aſcalonem, juxta villam Bethſamis.

ABES, civitas in Tribu Iſſachar, inter Ceſion & Ramoth.

ABETHARIM, ubi adverſum Chananæum, qui ab auſtro contra Iſrael erupera, in ſolitudine dimicatur.

ABILINA, Syriæ, ſeu Phœniciæ tractus, Liſaniæ toparchia.

ABRAHÆ nemus, ab eo plantatum in Berſabee, poſtquam fœdus cum Abimelech pro puteo juramenti iniiſſet, hoc demum in meridionali parte tribus Simeon fuit.

ACCAIN, civitas tribus Judæ, ad deſertum Thecuæ, non longe a Zanoe & Sabaa.

ACCARA, vicus in deſerto ſitus, in poſſeſſione tribus Juda.

ACCARON, in tribu Dan: ſive ut arbitratur Euſebius, in tribu Juda ſub nomine Acron, ad lævam Chananæorum: urbs una de quinque olim Satrapiis Paleſtinæ: & decreta eſt quidem tribui Juda, nec tamen tenta ab ea, quia habitatores priſtinos nequivit expellere. Quidam putant Accaron turrim Stratonis, poſtea Cæſaream nuncupatam.

ACCHO, Acco, Accon, Aſaph, ſive Azaph, unius ejuſdemque civitatis diverſa nomina, quæ nunc Ptolemaïs appellatur, fortis Aſer, de qua habitatores priſtinos nequivit expellere.

ACHAD, una ex urbibus, quas ædificavit Nemrod in terra Sennaar, inter Arach, & Chalanne, ad confluentem Tigridis & Euphratis, ad ripam orientalem.

ACHAJA, Græciæ pars de qua tantum in Actibus Apostolorum, & in Epistolis Pauli mentio.

ACHASELUTH, civitas tribus Issachar.

ACHAZIB & Acziba, civitas in tribu Aser, de qua pristinos habitatores nequivit expellere.

ACHOR, in tribu Juda, Hebraice dicetur EMECACHOR: quod interpretatur, Vallis tumultus, vel turbarum: eo quod ibi tumultuatus & turbatus sit Israel: in qua lapidaverunt quondam Achan, propter furtum anathematis.

ACHSAPH, vide ACCHO.

ACHRAN, in tribu Aser: vide ABDON.

ACHZIB, civitas in tribu Juda, non longe a Ceila & Maresa.

ACRABBI, terminus Judææ provinciæ ad Orientem respiciens, tribus Juda.

ADADA, civitas tribus Juda, inter Dimona & Cades-Asor, ad radices montium Seir.

ADAD REMMON, civitas in campo Mageddon, in dimidia tribu Manasse, intra Jordanem.

ADAMA, in terra Chanaan, una de quinque civitatibus Sodomorum, eversa cum ceteris.

ADAMI, quæ & Neceb, in orientali regione tribus Nephthali, ad dexteram ripam Jordanis, utriusque nominis nulla amplius mentio.

ADAR, quæ & Daram & Addar, villa, & quibusdam civitas in meridionali limite tribus Judæ, non longe ab Idumæa.

ADASA, vel Adarsa, & Adazer, urbs, vel locus in tribu Ephraim.

ADDARA, in tribu Juda, juxta desertum.

ADER, urbs, quam expugnavit Josue, rege illius interfecto,

ADIADA, urbs ædificata & munita a Simone Machabæo in Sephela.

ADITHAIM, in sorte tribus Juda, ad fines tribus Dan.

ADOLLAM, in tribu Juda; sancti Hieronymi tempore, vicus non parvus ad Orientem Eleutheropoleos, in decimo ejus milliario, hoc nomine vocabatur.

ADOMMIM, ascensus rufforum, & rubentium dictus, propter sanguinem, qui illic crebro a latronibus fundebatur, tribus Benjamin, & in confinio tribus Judæ, non longe a Jericho, ibi postea castrum conditum fuit in viatorum auxilium.

ADULLAM-SOCHO, urbs olim regia in tribu Juda, inter Jerimoth & Azecha.

ÆGYPTUS, Africæ regio amplissima & fertilissima non procul a Judæa, Meridiem inter & Occidentem: inde Israelitas durissimis operibus oppressos Moses post multa signa in conspectu Pharaonis & totius Ægypti facta, sicco vestigio per mare Rubrum in terram promissam deduxit.

ÆLAM, vide Ailath.

ÆLIA, quæ est Jerusalem, vide Jerusalem.

ÆLIM, castra filiorum Israel, & locus in deserto, in quo duodecim fontes, & septuaginta palmarum arbores, Moses de mari Rubro exiens reperit.

ÆLMON, civitas Levitica, tribus Benjamin.

ÆLUS, in deserto, ubi filii Israel castrametati sunt.

ÆMATH, urbs quæ cecidit in sortem filiorum Ruben.

ÆMES, in sorte tribus Issachar.

ÆNGANNIM, vide Engannim.

AEN, Ain, & Asan, unius & ejusdem urbis diversa nomina, civitas Levitica, in sorte tribus Judæ, sed postea tribui Simeon concessa, in cujus septentrionali parte erat, non longe a tribu Dan.

ÆNAN, sancti Hieronymi tempore desertus locus & proximus Thamnæ vico grandi, inter Æliam & Diospolim. Fuit & fons in supradicto Ænan loco: unde & Aenam, id est, fontis nomen accepit. Porro Hebræi affirmant Ænam non locum significare, sed bivium, ubi certo intuitu necessarium sit ad unam e duabus viis eligendam.

ÆNDA, hujus expugnator atque subversor Asa rex fuit.

AENDOR, ubi filii Israel se ad prælium præparantes, castra posuerunt. Fuit autem ætate sancti Hieronymi grandis vicus Aendor, juxta montem Thabor, ad meridiem, in quarto milliario.

ÆNON, locus ubi baptizabat Joannes in octavo lapide Scythopoleos ad meridiem juxta Salim & Jordanem.

ÆTHIOPIA, regio, Africæ pars meridionalior, cujus multoties in veteri testamento mentio.

AFRICA, orbis nostri pars tertia, meridionalior, posteris Chami concessa; duplo ferme Europam excedit, multis in locis deserta, arenis sterilibus obducta, maleficisque animalium generibus infesta, hujus figura ad Peninsulæ fere triangularis instar.

ÆRMON, regio Evæorum, quam obtinuit Josue: montem Ærmon Paneadi imminere affirmat Hieronymus; quem quondam tenuere Evæi & Amorrhæi.

AGAD, sita ad radices montis Aermon.

AGAALB, quæ & Labanath, civitas in tribu Aser, cujus habitatores non delevit; eam multiplicat, & duplicem facit P. Lubin.

AGALLIM, & hujus Isaias meminit in visione contra Moab. Erat autem tempore sancti Hieronymi Ægalim vicus ad australem partem Areopoleos, distans ab ea milliaribus octo.

AGEREHOOZ, in tribu Juda ad septentrionem, non longe ab Emaus.

AGER Fullonis, locus in suburbanis Jerusalem, & hoc in Isaia scriptum est.

AGER Robustorum, in Gabaon ubi duodecim de Tribu Benjamin ex parte Isboseth filii Saul, & duodecim de pueris David, apprehenso unusquisque capite comparis sui, defixoque gladio in latus contrarii, ceciderunt simul.

AGGAI, ad occidentalem plagam vergit Bethelis, non multum ab ea distans. Sita autem euntibus Æliam de Neapoli in leva parte viæ, duodecimo circiter milliario ab Ælia.

AGRI specula, mons est Moabitarum, in quem adduxit Balac filius Sephor Balaam divinum ad maledicendum Israel super verticem, qui propter vehemens præruptum vocatur excisus: & imminet mari Mortuo haud procul ab Arnone.

AJALIM, civitas in terra Zabulon; de qua fuit & ille Ajalon, qui judicavit populum Israel.

AJALON, vallis atque præruptum, super quod orante quondam Josue luna stetit, juxta villam quæ Ailon dicitur, contra Orientem Bethelis, tribus ab ea milliaribus distans, haud procul a Gabaa & Rama Saulis urbibus.

AJALON, urbs sortis Dan, separata Levitis: fuit & vicus alius haud procul a Nicopoli in secundo lapide, pergentibus Æliam seu Jerosolymam. Sciendumque quod pro Ajalon, Septuaginta interpretes ediderunt, *Ubi erant ursi*.

AILATH, in extremis finibus Palæstinæ juncta meridianæ solitudini & mari Rubro in terra Edom; unde ex Ægypto in Indiam, & inde in Ægyptum navigatur. Sedebat autem ibi legio Romana cognomento decima. & olim quidem Ailath a veteribus dicebatur, sancti Hieronymi vero ætate appellabatur Aila. Sed & Elamitarum quondam natio fuit, cui imperavit Chodorlahomor.

AIN, vide Aen & Asan.

ALIMIS, urbs Galaaditis regionis: in tribu Dan, prope saltum Ephraim, ad meridiem.

ALLEABAR Gozan, nomina fluminum in terra Medorum; ad quorum montes captivus ductus est Israel.

ALMATH & Almon, urbs in tribu Benjamin, Levitis ex familia Aaron concessa; hujus duas facit Adricomius.

ALTARE testimonii, in dimidia tribu Manasse, ad ripam Jordanis, quod infinitæ magnitudinis ædificaverunt filii Ruben, filii Gad, & dimidia tribus Manasse, cum ad tabernacula sua redirent trans Jordanem.

ALUS, statio filiorum Israel in deserto, inter Daphcà & Raphidim, in terra Madian.

AMALECITIS regio; in deserto Pharan, prope Madianitas, & ad meridiem.

AMAM SAMA, urbs tribus Judæ, inter Asor & Molada.

AMANA mons, ad Septentrionem totius Terræ promissæ, non longe a fontibus Jordanis.

AMATH regio, terminus septentrionalis Terræ promissæ; hujus pars australior in tribu Nephthali, quæ ob situm Amath Judæ appellabatur; in hac parte australiori condita fuit urbs regia Amath, quæ sequitur.

AMATH, sive Amathis, Emath, Hamath, & Hemat, cujus sicut & regionis diversa nomina, urbs regia in tribu Nephthali, juxta montem Libanum, in confiniis regionis Damasci; unde Amathæi populi, ab Amathæo undecimo & ultimo filiorum Chanaan, qui eam condidit & incoluit.

AMMA, civitas fortis Afer, in medio ejus posita.

AMMAN, quæ & Philadelphia, urbs Arabiæ nobilis, in qua habitaverunt olim Raphaim, gens antiqua, quam interfecerunt filii Lot, habitantes procis in Amman.

AMMON, trans Jordanem in tribu Gad, unde Ammonitæ, sive Ammanitæ; ii ex Ammon quem ex incestu peperit filia minor Lot. Hæc est Amman, de qua supra diximus.

AMON, aut Hamon, in tribu Afer, inter Rohob & Cana posita.

AMONA civitas, in finibus tribus Ruben, ad orientem maris mortui. Hoc nomen esse civitatis, futuræ potius, quam extantis, aut præteritæ, affirmat P. Lubin.

AMORRHÆI populi, ab Amorrhæo quarto filio Chanaan, in plura parva regna divisi, quorum plurimi recensentur reges, *Jos.* 10. v. 5.

AMOSA, aut Amsa, in tribu Benjamin.

AMPHIPOLIS, postea Græcis *Chrisopolis* appellata, civitas in Macedonia, quam perambulavit Paulus solutus ex carcere in Philippis.

AMTHAR, civitas tribus Zabulon, tribui Nephthali finitima, una ex urbibus Leviticis familia Merari assignatis.

ANAB, civitas in tribu Juda in monte sita; sancto Hieronymo vicus in finibus Eleutheropoleos.

ANAHARATH, civitas in tribu Issachar, inter Seon & Rohob.

ANAMA, una ex urbibus, quas habitaverunt Judæi e captivitate Babylonica reducti.

ANATHOTH, civitas sacerdotalis tribus Beniamin, in tertio ab Ælia milliario: de qua & Jeremias Propheta & Achimelech sacerdos fuerunt.

ANEM, vide Engannim.

ANER, quæ & Thenac, Thanac, & Tanac, urbs regia tribui Manasse intra Jordanem data, & Levitis concessa.

ANIM, civitas in tribu Juda, inter Isthemo & Gosen.

ANTHEDON, urbs inter terram promissam & Ægyptum posita.

ANTILIBANUS: ea quæ sunt supra Libanum, ad orientalem plagam respicientia, Antilibanus appellantur, circa regionem urbis Damasci, quæ cecidit in sortem tribus Manasse.

ANTIOCHIA secus Daphnem, civitas totius Syriæ maxima, apud profanos auctores propter Apollinis & Dianæ fanum & lucum nobilissima: ibi Petrus, Paulus, & Barnabas Evangelium prædicaverunt, turbamque multam docuerunt.

ANTIOCHIA Pisidiæ, civitas, ad quam venerunt Paulus & Barnabas, Synagogamque die sabbatorum ingressi, Paulus late de Christo disserit: sed blasphemantibus Judæis, & persecutionem in eos excitantibus, convertuntur ad Gentes.

ANTIPATRIS, in tribu Manasse prope mare Mediterraneum, hanc Apolloniam vocat N. Samson.

ANUA, in tribu Zabulon. Fuit & alia villa Anua, euntibus de Neapoli Æliam, in decimo milliario.

APANDO, civitas, quam in tribu Juda collocat Adrichomius.

APHARA, civitas tribus Benjamin, hanc prope Almath ad aquilonem collocat Adrichomius.

APHEC, tribus Afer, in qua habitatores pristini permanserunt.

APHEC, in tribu Issachar, civitas regia.

APHECA, civitas in sorte tribus Juda, quæ & Afeca.

APHRA, in tribu Benjamin. Tempore sancti Hieronymi vicus Effrem. in quinto milliario Bethelis, ad orientem respiciens.

APHRAIM. civitas tribus Issachar: ætate sancti Hieronymi Affarea nomine, in sexto milliario Legionis contra septentrionem.

AQUÆ MASEREPHOT, in finibus tribus Afer quo usque Josue Jabim regem Afor, multosque reges ipsi socios ad populos ad aquas Merom devictos, persecutus est.

AQUÆ MEROM, inter Cæsaream Philippi, & mare Galilææ, ad orientalem plagam tribus Nephthali, ibi Jabin, & multi reges convenerunt ut pugnarent contra Israelitas, sed in eorum manus tradidit eos Dominus.

ARAB, civitas in tribu Juda, ad austrum.

ARABATHANÆ, aliquando Acrabatane, civitas tribus Juda, in australi parte, in monte posita.

ARABIÆ, regio amplissima Asiæ majoris, in tres divisas partes, Desertam scilicet, Felicem & Petræam, solis posteris Semi possidenda, sed tamen divisa & possessa fuit a filiis Chus, filii Cham, & filiis Jectam, filii Heber, filii Sale, filii Arphaxad, filii Semi.

ARABOTH Moab, ubi secundo numeratus est populus, juxta montem Phogor, euntibus a Libiade in Esebon Arabiæ contra Jericho; locus ita appellabatur tempore sancti Hieronymi.

ARAD, civitas Amorrhæorum vicina deserto Cades: ætate sancti Hieronymi sic appellabatur terminus tribus Juda ad meridiem.

ARADA, Israelitarum mansio in deserto, inter montem Sepher & Maceloth.

ARAMA ASOR, vide Asor.

ARARAT, Armenia, ibi post parricidium Sennacherib fugerunt filii ejus Adramelech & Sarasar. Siquidem in montibus Ararat arca post diluvium sedisse perhibetur.

AREEE, vide Hebron.

ARCEN, hanc esse Petram urbem nobilem Palæstinæ, refert Josephus.

ARCHI, seu Archiataroth, civitas in tribu Ephraim, in confiniis tribus Benjamin, inter montes Ephraim & urbem Ephrem.

AREA ORNE, vide Jerusalem.

AREAATAD, locus trans Jordanem, in quo planxerunt quondam Jacob, tertio ab Jericho lapide, duobus millibus ab Jordane, qui tempore sancti Hieronymi vocabatur Bethgla, quod interpretatur locus gyri, eo quod ibi more plangentium circumierint in funere Jacob.

AREBBA, urbs in tribu Juda, ad occidentalem plagam.

ARECON aut Arecon, civitas in tribu Dan, in termino, qui respicit Joppen.

ARETH, fons, apud quem Gedeon castrametatus est.

ARGOB, regio & urbs, olim Og regis Basan super Jordanem, quæ cecidit in sortem dimidiæ tribus Manasse ultra Jordanem.

ARIEL, montem Dei, seu leonem Dei significat; unde hanc civitatem David, seu Jerusalem multi suspicantur.

ARMATHEM Sophim, civitas Helcanæ & Samuelis in regione Thamnitica, juxta Diospolim: unde fuit Joseph, qui in Evangeliis de Arimathia scribitur.

ARMENIA, quæ est Ararat.

ARNON, urbs, rupes & torrens, in tribu Gad, in finibus Amorrhæorum, inter Moab & Amorrhæos: quondam Moabitarum fuit, postea vero rex Amorrhæorum jure belli eam obtinuit.

AROER, quæ & Ar in confinio Moabitarum, quod situm est super ripam torrentis Arnon, possessum olim a gente veterrima Ommiim, & postea retentum a filiis Lot, id est, Moabitis, cum priores accolas subvertissent. Cecidit autem Aroer in sortem tribus Gad contra faciem Rabba.

ARPHAD, urbs Damasci, quam expugnavit rex Assyriorum.

ASADADA, confinium Judææ respiciens ad aquilonem.

ASAN, civitas primum sortis tribus Juda, postea tribus Simeon, tandem Levitica facta est.

ASARENAM, terminus Judææ ad septentrionem.

ASASON THAMAR, in hac habitabant quondam Amorrhæi, quos interfecit Chodorlahomor: vide Engaddi.

ASCALON, urbs nobilis Palæstinæ: quæ & ipsa antiquitus una fuit de quinque Satrapiis Philisthinorum: separata quidem per sortem tribui Juda, nec tamen retenta ab ea, quia habitatores ejus superare non potuit.

ASDOD, seu Azotus, tribui Juda decreta, sed non retenta ab ea, quia nequaquam veteres accolas potuit expellere.

ASEDOTH, urbs Amorrhæorum, quæ cecidit in sortem tribus Ruben: appellatur autem addito cognomento Asedoth-Phasga.

ASEDOTH, civitas regia, diversa a præcedenti, licet eodem nomine vocetur, cis Jordanem: hanc expugnavit Josue; rege illius interfecto.

ASEMONA, civitas in deserto, ad meridiem Judææ, dividens Ægyptum & sortem tribus Juda, ad mare usque tendentem: ibi filii Israel castrametati sunt.

ASENNA, in tribu Juda, in confiniis tribuum Dan & Simeon.

ASER, una ex tribubus Israel, sub Libano, terræ promissæ

missæ ad aquilonem posita, ab Aser octavo filiorum Jacob ex Zelpha sic appellata.

ASER, civitas in tribu Juda: appellabatur autem vicus prægrandis pergentibus Ascalonem de Azoto ætate sancti Hieronymi.

ASER, civitas, aut locus tribus Manasse.

ASEROTH, pars eremi, ubi Maria & Aaron contra Mosem locuti sunt. Habitaverunt autem quondam Evæi in Aseroth usque ad urbem Gazam. Verum hæc loca non Aseroth, sed Asetim appellari Hebræi putant.

ASION-GABER, civitas & portus ad mare rubrum, mansio Israelitarum in deserto Pharan.

ASOR, civitas in tribu Juda; hujus nominis in tribu Juda tres civitates, alia in Nephthali, altera etiam in Ephraim, diversis tamen nominibus distinctæ; una Cades-Asor, id est, antiqua Asor; altera Baloth-Asor, id est, inferior, sive nova Asor; tertia Carioth-Heston, id est, magna Asor; quarta in tribu Nephthali, Arama-Asor, id est, alta Asor, hanc rex Assyriorum populasse scribitur; quinta in tribu Ephraim, Asar, & Ala, vel Aza, hanc in Benjamin Esdras locare videtur.

ASSUR, civitas Judææ, quam ædificavit Salomon.

ASTAROTH Carnaim, terra Gigantum, quondam in supercilio Sodomorum, quos interfecit Chedorlahomor. Tempore S. Hieronymi duo castella in Batanæa hoc vocabulo, novem inter se milliaribus separata, inter Adaram & Abilam civitates.

ASTAROTH, antiqua civitas Og regis Basan, in qua habitaverunt Gigantes, quæ postea cecidit in sortem tribus Manasse, regionis Batanææ, & sex milliaribus ab Adra urbe Arabiæ separata est. Porro Adra a Bostra vigintiquinque milliaribus distat.

ASTEMOE, in tribu Juda vicus & ipse Judæorum, in Daroma, ad Aquilonem loci Anem.

ASTAHOL, in tribu Juda: tempore sancti Hieronymi sub nomine Astho, inter Azotum & Ascalonem permanebat.

ASYMA, oppidum in terra Judææ, quod ædificaverunt ii, qui ad eam venerant de Emath.

ATHAROTH, civitas olim Amorrhæorum, trans Jordanem, quæ postea cecidit in sortem tribus Gad.

ATHAROTH, civitas tribus Ephraim, cis Jordanem.

ATHAROTH ADDAR, eadem cum præcedenti in tribu Ephraim, licet illas multiplicet Adricomius.

ATHAROTH, civitas tribus Benjamin, haud procul ab Ælia.

ATHENE, urbs Græciæ clarissima, in ea illustris fuit Academia. Athenis Evangelium Paulus prædicavit, multique crediderunt, inter eos Dionysius Areopagita.

AVIM, civitas in tribu Benjamin, inter Bethel & Aphara.

AULON, non Græcum, ut quidam putant, sed Hebræum vocabulum est: appellatur autem vallis grandis atque campestris in immensam longitudinem se extendens: quæ circumdatur ex utraque parte montibus sibi invicem succedentibus & cohærentibus, qui incipientes a Libano & ultra, usque ad desertum Pharan perveniunt. Suntque in ipso Aulone, id est, in valle campestri, urbes nobiles, Scythopolis, Tyberias, stagnumque prope eam: sed & Jericho, mare Mortuum, & regiones in circuitu: per quas medius Jordanis fluit, oriens de fontibus Paneadis, & in mare Mortuum interiens.

AVOTHJAIR, quod interpretatur *ἐπαύλεις ἰαΐρ*, hæc est Basan, in qua sunt vici sexaginta in monte Galaad, qui ceciderunt in sortem dimidiæ tribus Manasse.

AZANOTH Thabor, tribus Nephthali, non longe a Capharnao & a Bethsaida.

AZECA, civitas Chananæorum in parte tribus Juda, ad quam usque quinque reges persequutus est Josue.

AZOTUS, vide Asdod.

B

BAAL, hæc est, Carjathjarim, id est, civitas Silvarum, sive ut quidam putant, civitas Jarib, una de urbibus Gabaonitarum, primo sortis tribus Juda, postea tribui Simeon data. Ætate sancti Hieronymi vicus descendentibus ab Ælia Diospolim Carjathjarim in decimo milliario.

BAAL Ærmon, mons circa Lybanum in finibus Allophylorum.

BAAL Berit, fanum Baal, Israelitis extructum, non longe ab urbe Sichem, in monte positum, tribus Ephraim.

BAALGAD, civitas in campestribus Libani; in finibus tribus Aser, ad radices montis Ærmon, quam & ipsam cepit Josue.

BAALTHAMAR, in tribu Benjamin, juxta Gabaa, ubi filii Israel adversus tribum Benjamin inière certamen, & Bethamari in supradictis locis viculus ætate sancti Hieronymi appellabatur.

BABEL, quæ & Babylon, id est, confusio, Chaldaicarum gentium caput, ad Euphratem fluvium, in campo terræ Senaar. Erat autem civitas regni Nemrod, in qua eorum qui ædificaverunt turrim linguæ divisæ sunt, quorum principem Josephus Nemrod fuisse affirmat.

BÆAN, civitas Amorrhæorum, quæ & ipsa a filiis Ruben tenta est.

BAHURIM, oppidum, seu castrum tribus Benjamin, ad Orientem Jerusalem, quo venit David fugiens a facie Absalon.

BALA; quæ est Segor, a sancto Hieronymo Zoara nuncupatur: sola de quinque Sodomorum urbibus Lot precibus servata, in finibus tribus Juda, imminens mari Mortuo.

BALLATH, urbs in tribu Dan, quam ædificavit Salomon.

BALOTH, ac Asor nova, vide Asor.

BAMA, ubi Saul ungendus in regem, cum Samuele cibum sumpsit.

BAMOTH, civitas Amorrhæorum, trans Jordanem in Armone, quam possederunt filii Ruben.

BANE, urbs in tribu Dan.

BANEIACAN, in deserto castra filiorum Israel.

BARAC, urbs in tribu Dan, usque hodie, inquit Hieronymus, prope Azotum Bareca viculus appellatur.

BARAD, in tribu Simeon, inter Cades & Barad; erat puteus Agar.

BARNE, hæc ipsa est quæ & Cades Barne, hanc vide.

BASAN, vide Avothjair.

BASCATH, in tribu Juda, inter Lachis & Eglon.

BATHNE, in tribu Aser, & tempore sancti Hieronymi vicus Bethbeten, in octavo milliario Ptolemaidis contra Orientem appellatus.

BEELMEON, & Baal maon, trans Jordanem, quam ædificaverunt filii Ruben prope torrentem Arnon. Erat autem vicus ætate S. Hieronymi grandis juxta Baara in Arabia, ubi aquas calidas sponte humus efferebat, cognomento Beelmaus, distans ab Esbus milliaribus novem, unde & Elisæus Propheta fuit.

BEELSEFON, in deserto castra filiorum Israel, juxta mare Rubrum egredientibus Ægyptum.

BEESTHARA, in tribu Manasse, separata Levitis, in regione Basanitidi.

BELA, terminus Judææ, ad Orientem respiciens.

BENJAMIN, una e tribubus filiorum Israel, e Benjamin filio Jacob ultimo & duodecimo, ex Rachele in hujus partu mortua, hoc nomine appellata; describitur inter tribus Juda & Ephraim, Jordane a tribu Ruben separata.

BENIT, quam construxerunt Samaritani, qui de Babylonis regione translati erant.

BERA, ubi cum Abimelech Joathan fugisset, habitavit. Distat autem vicus Bera ab Eleutheropoli octo milliaribus ad Aquilonem.

BEROTH, filiorum Jacan, castra filiorum Israel in deserto, non longe a Maseroth.

BEROTH, in tribu Benjamin, tribui Ephraim vicina.

BEROTH, civitas regis Adarezer; ex ea David multum æris collegit.

BERSABEE, primo in tribu Juda, postea tribui Simeon concessa, ad radicem montis sita, sancti Hieronymi ætate vicus grandis in vigesimo a Chebron milliario vergens ad Austrum. A quo loco termini Judææ terræ incipientes tendebantur usque ad Dan, quæ juxta Paneadem cernitur. Interpretatur vero Bersabee, puteus juramenti, eo quod ibi Abraham & Isaac fœdus cum Abimelech jurantes sociavere.

BESOR, torrens in finibus tribuum Juda & Simeon, ad hunc venit & transiit, Amalecitas qui Siceleg incenderant, persequens David.

BETHABARA, trans Jordanem, ubi Joannes in pœnitentiam baptizabat.

BETHACATH, vicus Samariæ, ad quem venit Jehu rex Israel.

BETHAGAN, via per quam Ochozias fugisse legimus.

BETHAMNARAM, trans Jordanem; hanc ædificavit tribus Gad.

BETHANA, in tribu Nephthali urbs munitissima; erat autem ætate sancti Hieronymi villa nomine Bethanaba, in quintodecimo a Cæsarea lapide, in qua dicebantur lavacra esse salubria.

BETHANIA, in tribu Benjamin, villa in secundo ab Ælia milliario, in latere montis Oliveti: ubi Salvator noster Jesus Christus Lazarum suscitavit.

BETHAPHU, in tribu Juda vicus trans Raphaim millibus quatuordecim euntibus Ægyptum, qui est terminus Palæstinæ.

BETHARABA, locus communis tribuum Benjamin & Juda.

BETHARAM, civitas tribus Gad juxta Jordanem, quæ a Syris dicebatur Bethramtha, & ab Herode in honorem Augusti Libias cognominata fuit.

BETHAUN, & Beth-Aven, in tribu Benjamin, juxta Hai & Bethel contra Machmas: plerique putant eamdem esse ac Bethel; & Bethaun, id est domus idoli, quæ antea vocabatur domus Dei, nomen accepisse, eo tempore, quo ibi a Jeroboam filio Nabath vituli aurei fabricati sunt, & a decem tribubus adorati.

BETHBERA, quod interpretatur domus aquæ, sive putei, quam expeditione bellandi occupavit Gedeon.

BETHCUR, usque ad hunc locum populus Israel fugientes alienigenas persecutus est, appellans eum Lapidem adjutorii.

BETHDAGON, locus in confiniis tribuum Zabulon & Issachar.

BETHEL, vicus in duodecimo ab Ælia lapide ad dexteram euntibus Neapolim, quæ primum Luza, id est, Amygdalon vocabatur: & cecidit in sortem tribus Benjamin juxta Betham & Hai, quam expugnavit Josue, rege illius interfecto; vide Bethaun.

BETHMEC, aut Bethmeth, civitas tribus Aser.

BETHLEBAOTH, primum in tribu Juda, postea tribui Simeon concessa.

BETHLEHEM, civitas David, in sorte tribus Juda; in qua Dominus noster atque Salvator natus est, in sexto ab Ælia milliario contra meridianam plagam, juxta viam quæ ducit Chebron.

BETHLEHEM, in tribu Zabulon: ad cujus distinctionem altera Bethlehem appellatur Bethlehem Judæ.

BETHMAACHA, vide Abela.

BETHNEMRA, urbs tribus Gad juxta Libiadem trans Jordanem.

BETHNATH, in sorte tribus Nephthali; sed nec de hac pristinos accolas valuit expellere.

BETHORON, ad quam usque inimicos persecutus est rege Josue, quæ cecidit in sortem filiorum Joseph, id est, Ephraim. Erant autem tempore sancti Hieronymi duo vici in duodecimo ferme ab Ælia lapide Nicopolim pergentibus, e quibus propter unum unus dicitur Bethoron superior, quem ædificavit Salomon; & alius Bethoron inferior, datur Levitis in possessionem.

BETHPHAGE, villula in monte Oliveti, ad quam venit Dominus Jesus.

BETHPHASES, aut Bethphesez, civitas in tribu Issachar.

BETHPHOGOR, urbs filiorum Ruben trans Jordanem, juxta montem Phogor contra Jericho, sex millibus supra Libiadem.

BETHSAIDA, civitas Galilææ in Decapoli, Andreæ, Petri, & Philippi Apostolorum patria, prope stagnum Genesareth.

BETHSAMES, civitas Sacerdotalis in tribu Benjamin, quæ tempore Sancti Hieronymi demonstrabatur de Eleutheropoli pergentibus Nicopolim, in decimo milliario contra orientalem plagam.

BETHSAMES altera, civitas munita, in tribu Nephthali, in qua & ipsi cultores pristini permanserc.

BETHSAN, dimidiæ tribus Manasse civitas, primo urbs Chananæorum, in ea pristini habitatores permanserunt, appellaturque Scythopolis, urbs nobilis Palæstinæ.

BETHSARISA, unde venit homo cum muneribus ad Eliseum Prophetam. Fuit autem villa in finibus Diospoleos, quindecim ferme ab ea millibus distans contra Septemtrionem in regione Thamnitica.

BETHSUR, in tribu Juda primo, postea tribui Benjamin concessa.

BEZEC, urbs regis Adonibezec; erantque duæ villæ nomine Bezec, vicinæ sibi in septimodecimo lapide a Neapoli descendentibus Scythopolim.

BOSES, rupes, in tribu Benjamin, prope Gabaa ad Orientem.

BOSOR, in deserto trans Jordanem, quæ cecidit in sortem tribus Ruben ad orientalem partem. Jericho, civitas Sacerdotalis, & fugitivorum. Hæc est Bostra metropolis Arabiæ. Appellabatur autem & alia Bosor civitas Esau in montibus Idumææ, cujus Isaias meminit dicens: *Quis est iste qui venit de Edom? fulvida vestimenta ejus ex Bosor.*

BOTNIN, trans Jordanem, civitas tribus Gad.

BUNOS, hoc est, collis præputiorum; locus in Galgalis, ubi circumcidit Josue populum Israel, in secundo ab Jerico lapide.

BUTHAN, castra filiorum Israel in deserto, quæ & Æthan nuncupatur.

BYBLOS, civitas Phœnicis, cujus meminit Ezechiel; pro qua in Hebraico continetur GOBEL.

C

CADEMOTH, desertum, ex quo loco misit legatos Moses ad Sehon regem Amorrhæorum.

CADEMOTH, civitas filiorum Ruben, facta Refugiorum, & data Levitis.

CADES ASOR, vide, Asor.

CADES, ubi fons Judicii: est & Cadesbarne, in deserto, quæ conjungitur civitati Petræ in Arabia; ibi occubuit Maria, & Moses rupe percussa, aquam sitienti populo dedit.

CADUMIN, aut Cadomi, torrens, in media tribu Zabulon enascens, in Austrum decurrit, torrentemque Cison ingreditur, juxta quem Debbora bellum gessit.

CÆSAREA, urbs Maritima, intra limites dimidiæ tribus Manasse.

CAMON, in secunda parte tribus Manasse ultra Jordanem, civitas Jair, in qua & sepultus est, cum primum judicasset populum Israel.

CANA, Galilææ civitas, in tribu Zabulon, inter Ptolemaidem & Carmelum.

CANA, usque ad Sidonem majorem; fuit quippe & altera minor, ad cujus distinctionem major hæc dicitur. Fuit autem Cana in tribu Aser, ubi Dominus noster atque Salvator aquam vertit in vinum.

CANATH, vicus Arabiæ, qui Canatha dictus fuit: quem cum cepisset Nabau, appellavit Naboth. Fuit autem in tribu Manasse in regione Trachonitidis juxta Bostran.

CAPHARNAUM, juxta stagnum Gennezar, in finibus Zabulon & Nephthali.

CAPSEEL, quæ & Cabseel & Gabseel, civitas in tribu Juda.

CARCAR, ubi filii erant Zebee & Salmana, quos interfecit Gedeon.

CARIATH, vicus, qui sub Gaba metropoli fuit.

CARIATHAIM, civitas ultra Jordanem tempore sancti Hieronymi, quam extruxerunt filii Ruben. Vicus Christianis omnibus florens, juxta Medaban urbem Arabiæ, appellabatur Coriathia in decimo milliario supradictæ urbis, contra occidentalem plagam.

CARIATHARBE, vide, Hebron.

CARIATHIARIM, vide, Baal.

CARIOTH Hesron, vide, Asor.

CARMEL, urbs in tribu Juda, ubi & Carmelus mons.

CARTHA, in tribu Zabulon, separata Levitis.

CARTHAM, in tribu Nephthali, civitas Levitica.

CATATA Chrysea, id est, aurea. Sunt autem montes auri fertiles in deserto, procul undecim mansionibus a Choreb, juxta quos Moses Deuteronomium scripsisse perhibetur.

CEDAR, regio in eremo Saracenorum, a filio Ismaelis Cedar ita cognominata; hanc civitatem trans Jordanem in dimidia tribu Manasse facit Adricomius.

CEDES, civitas, quam cepit Josue, rege ipsius interfecto. Est autem in sorte tribus Juda.

CEDES, fortis Nephthali, civitas Sacerdotalis ac fugitivorum, in Galilæa super montem Nephthali. Sed & hanc cepit rex Assyriorum. quæ ætate sancti Hieronymi Cidissus appellabatur, in vicesimo Tyri milliario juxta Paneadem.

CEDRON, torrens, sive vallis Cedron, juxta Jerusalem, ad orientalem plagam.

CEDSON, in tribu Ruben, urbs separata Levitis.

CEILA, in tribu Juda, ubi quondam sedit David.

CENE,

CENE, aut Cenez, regio principum Idumæorum.

CENI, regio Philisthinorum; Zieglerus tamen hanc non regionem, sed urbem in tribu Juda probat.

CETHIM, eadem ac Macedonia, alii Cyprii insulam hanc interpretantur.

CESION, civitas in tribu Issachar, separata Levitis.

CETHRON, in Tribu Zabulon, in qua pristini remansere cultores.

CHABOL, civitas in tribu Aser, ejusque terminus.

CHALAB, de hac cultores pristinos Aser non valuit expellere.

CHALACH, urbs Assyriorum, quam ædificavit Assur egrediens de terra Sennar.

CHALANNE, civitas regni Nemrod in Babylone.

CHAM, terra eadem ac terra Gessen, in orientali parte inferioris Ægypti.

CHAMOAN, villula juxta Bethlehem in terminis tribus Juda.

CHANAAN, terra Chanaan, & Chananæi populi a Chanaan filio Cham nomen habent.

CHARCHAMIS, civitas juxta flumen Euphraten.

CHARRAN, civitas Mesopotamiæ trans Edessam, quæ tempore sancti Hieronymi Charra dicitur: ubi Romanus est cæsus exercitus, & Crassus dux captus.

CHARRI, ad quem locum persecutus est Joab res novas molientem Sabee.

CHASALON, in tribu Juda, & in finibus Æliæ villa pergrandis.

CHAZIB, ubi geminos Judæ filios Thamar edidit.

CHENNERETH, mare ubi est Judææ terminus in tribu Nephthali, Oppidum quod in honorem postea Tiberii Cæsaris Herodes rex Judææ instauratum appellavit Tyberiadem; ferunt hoc primum appellatum nomine.

CHEPHIRA, vicus ad civitatem pertinens Gabaon, in tribu Benjamin.

CHETTHIM, terra Chetthiim, Cyprus dicitur, in qua civitatem condidit Luza.

CHESLON, civitas primum in tribu Juda, postea tribui Dan concessa.

CHOBAA, ad lævam partem Damasci. Erat autem & villa Chobaa, in iisdem regionibus, habens accolas Hebræos, qui credentes in Christum, omnia legis præcepta custodiebant.

CHOREB, mons Dei in regione Madian, juxta montem Sina super Arabiam in deserto: cui jungitur mons & desertum Saracenorum, quod vocatur Pharan. Hieronymo videtur, quod duplici nomine idem mons, tunc Sinai, nunc Choreb vocetur.

CHOROZAIN, oppidum Galilææ, quod Christus propter incredulitatem miserabiliter deplorat & plangit. Desertum vero erat tempore sancti Hieronymi, in secundo lapide a Capharnaüm.

CHESAIM, vide Jecmaan.

CISION, in tribu Issachar, civitas separata Levitis.

CISON, torrens, juxta montem Thabor: ubi contra Sisaram dimicatum est.

COA, urbs est Felicis Arabiæ, unde equi ad Salomonem ducebantur.

COELAS Titanorum, id est, Vallis Gigantum, adversus quos præliatus est David.

COELAS, id est, vallis Josaphat, inter Jerusalem & montem Oliveti.

COROZAIN & Corozain, civitas Galilææ, una ex urbibus Decapoleos, in conspectu Capharnaüm.

COTTA, in tribu Zabulon, civitas separata Levitis, facta refugii, hanc & Thabor eamdem facit N. Samson.

CYRENE, in finibus Ægypti, ad quem locum rex Assyriorum transtulit Damascenos.

D

DABERETH, urbs refugii & Levitica, in tribu Issachar.

DABIR, Carjath-Sephor, id est, civitas litterarum, & Carjath-Senna, ejusdem urbis diversa nomina, in tribu Juda: hanc præoccupavit Gothoniel frater Caleb. interfectis in ea Enacim. Fuit autem & ipsa Sacerdotibus separata. Porro Gothoniel quidam arbitrantur filium fratris Caleb.

DABIR, altera, in tribu Gad super Jordanem civitas Amorrhæorum, ab aliquibus Debir appellata.

DABIRA, civitas in tribu Dan, cujus regem interfecit Josue. Erat autem & alia villula Judæorum in monte Thabor regionis ad Diocæsaream pertinentis.

DABRATH, in tribu Issachar, urbs Levitica.

DALMATIA, Illyrici pars ad Adriaticum mare, regio Europæ, in qua Titus, ad quem scripsit Paulus, Evangelium prædicavit.

DAMASCUS, urbs Syriæ regia.

DANNA, in tribu Zabulon, Levitis separata civitas.

DAN, una ex tribubus Israel, ex quinto filiorum Jacob appellata, cujus sors in parte sortis tribus Juda.

DAN, civitas, vide Lais.

DANNABA, civitas Balac, filii Beor regis Edom, post quem regnavit Job.

DASEM, urbs Assyriorum nobilis, quam extruxit Assur, inter Niniven & Chalach.

DEBLATAIM, desertum in terra Moab, in finibus tribus Ruben.

DEBON, quæ & Dibon, in solitudine castra filiorum Israel. Fuit autem & alia Dibon, villa pergrandis juxta Arnonem, quæ cum prius fuisset filiorum Moab, & post eam Sehon rex Amorrhæorum belli jure tenuisset, a filiis Israel capta atque possessa, in partem venit tribus Gad.

DECAPOLIS, regio circa Jordanem, quæ a decem celeberrimis urbibus nomen habet.

DEDAN, & Dedanim, varia ejusdem urbis nomina in regione Idumææ, in quarto milliario a Metallofeno contra Aquilonem.

DENNA, id est, Carjath Senna, vide, Dabir.

DIBON, vide, Debon.

DORNAPHETH, quod Symmachus transtulit Dor maritima, hæc est Dora in nono milliario Cæsareæ Palæstinæ pergentibus Tyrum, ætate sancti Hieronymi deserta: quæ cum cecidisset in sortem tribus Manasse, eam possidere non potuit, quia habitatores in illa pristini permansere.

DOTHAIM, locus ubi invenit Joseph fratres suos pecora pascentes.

DRYS, id est, quercus, in Ephrata in tribu Manasse, unde fuit Gedeon.

DUMA, in tribu Juda vicus grandis in Daroma, hoc est ad Australem plagam in finibus Eleutheropoleos, decem & septem ab ea milliaribus distans.

DYSMEMOAB, id est, ad Occidentem Moab juxta Jordanem contra Jerichum: ubi Balac rex Moab & majores natu Madian, Israelem insidiis deceperunt, in quo loco & Moses scripsit Deuteronomium.

E

EBRONA in deserto castra filiorum Israel.

ECBATANA, in variis Sacræ Scripturæ locis, modo castrum, modo oppidum, & mons, & civitas appellatur, urbs procul dubio totius Mediæ caput fuit, quæ opibus & operum magnificentia urbes omnes circumvicinarum regionum superabat.

EDEN, sacri Paradisi locus ad Orientem, quod in voluptatem deliciasque transfertur.

EDRAI, ubi interfectus est Og rex Basan, gigas & potens, omnisque illius cæsus exercitus, in dimidia tribu Manasse ultra Jordanem.

EDRAI, civitas in tribu Nephthali muniti.

EGLOM, quæ & Odollam, civitas in tribu Juda.

ELATH, vide Ailath.

ELCATH, in tribu Aser, Levitis separata civitas.

ELEALE, civitas Amorrhæorum in Galaad, quæ cecidit in sortem tribus Ruben.

ELTHECE, Eltheco, & Gabathon, eadem urbs Levitica in tribu Dan.

EMATH, vide, Amath.

EMATHDOR, civitas in tribu Nephthali, separata Levitis.

EMAUS, aut Emmaus, castellum in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem: ubi duo Discipuli in fractione panis Jesum Christum Dominum nostrum post resurrectionem agnoverunt.

EMEC-ACHOR, quod interpretatur vallis Achor, id est, tumultus atque turbarum: ubi Acham lapidibus oppressus est, eo quod quædam de anathemate sustulisset.

EMEC-RAPHAIM, id est, vallis Raphaim, in tribu Benjamin.

ENACIM, in hac interfecit Josue Enacim gigantes de regione montana in Chebron. Sed videtur sancto Hieronymo non esse nomen loci *Enacim*, sed habitatorum Chebron.

ENAIM, in tribu Juda, inter Taphua & Jerimoth.

ENAM, terminus Damasci, ad orientem vergens a Theman & Palmetis; quem ceteri interpretes ediderunt Thamar.

ENASOR, civitas munitissima in tribu Nephthali.

ENDOR, in dimidia tribu Manasse cis Jordanem, ubi Pythonissa a Saule rege Judææ consulitur ut suscitaret Samuelem.

ENGADDI, in tribu Juda juxta mare Mortuum contra Occidentem, ubi abscondditus est David fugiens Saulem, prius Engaddi vocata est, Asason-Thamar, & simpliciter Thamar.

ENGANNIM, in tribu Issachar civitas separata Levitis, inter Rameth & Enhadda.

ENGANNIM, in tribu Juda, vicus juxta Bethel, ætate sancti Hieronymi.

ENHADDA, civitas in tribu Issachar, inter Engannim, & Bethpheses.

EPHRAIM, tribus, a mari ad Jordanem protensa, majorem Samariæ regionis partem obtinet; ab Ephraim secundo filio Joseph nomen habet.

EPHRAIM, mons, magna ex parte est in tribubus Ephraim, Benjamin, & Manasse; terminus regni Juda, illud a regno Israel disterminans.

EPHRAIM, saltus in tribu Gad; ibi Absalom fugiens, mulo insidens, quercui capillis suspensus est, & a Joab confossus periit.

EPHRATA, vide Bethlehem.

EPHRON, civitas in tribu Ephraim, hanc Asa rex Juda cepit.

ERECCON, terminus tribus Dan, juxta Joppen.

EREMMON, vicus Judæorum prægrandis in sextodecimo ab Eleutheropoli milliario contra meridiem in Daroma.

ERGAB, ad quem locum Jonathan filius Saul vero dirigit, militaribus jaculis se exercens.

ERMA, ubi pars populi cæsa est Israelis ab Amalec & Chananæo: quem in Deuteronomio, Amorrhæum Scriptura vocat.

EROUM civitas in Ægypto, ad quam Joseph occurrit patri suo Jacob.

ESAAN, civitas in tribu Juda.

ESEBOM, civitas Sehon regis Amorrhæorum in terra Galaad: quæ cum fuisset ante Moabitarum, ab Amorrhæis belli jure possessa est.

ESTHAMO, civitas tribus Juda, facta refugii, & Levitis data; tempore autem sancti Hieronymi ad Eleutheropoleos pertinebat regionem.

ESTAOL, primum tribus Juda, postea in sorte tribus Dan, ubi mortuus est Samson.

ESTHEMO, vide Esthamo.

ETHAM, Athar, Etam & Ether, nomina unius & ejusdem urbis ubique variata, tribus Simeon; ibi habitavit Samson cum Philisthæorum segetes incendisset; eam munivit Roboam.

ETHAM, alius locus, statio Israelitarum tertia inter Ægyptum & mare rubrum.

ETHER, tribus Simeon. Vide, Etham, Athar.

EVIM, in tribu Juda.

EUPHRATES, fluvius Mesopotamiæ, in Paradiso oriens. Porro Sallustius auctor certissimus asserit tam Tigris quam Euphratis in Armenia fontes demonstrari.

F

FANUEL, locus in quo Jacob tota nocte colluctans, Israelis vocabulum meruit, juxta torrentem Jacob, Fanuel autem interpretatur facies Dei, ab eo quod Jacob ibi Deum viderit.

FANUEL, civitas quam ædificavit Jeroboam.

FANUEL, turris quam subvertit Gedeon, sed & unus de filiis Hor vocatus est Fanuel.

FARAN, aut Pharan, oppidum trans Arabiam junctum Saracenis, id est, Ismaelitis. Per hoc iter fecerunt filiis Israel cum de monte Sina castra movissent, distat ab Aila contra orientem, itinere trium dierum.

FASGA, civitas Amorrhæorum. Fuit autem eodem nomine & mons contra Orientalem plagam Fasga, pro quo Aquila interpretatur excisum.

FATHOXE, regio Ægypti juxta Ezechielem & Jeremiam, in qua profugi habitavere Judæi.

FATHURA, civitas trans Mesopotamiam, unde fuit Balaam ariolus; sed & juxta Eleutheropolim quædam villa nomine Fathura euntibus Gazam nuncupabatur.

FENON, castra filiorum Israel in deserto. Fuit autem quondam civitas principum Edom, postea viculus in deserto: ubi æris metalla damnatorum suppliciis effodiebantur, inter civitatem Petram & Zoaram.

FISON, quod interpretatur caterva, fluvius quem Gangen vocant, de paradiso exiens, & pergens ad Indiæ regiones, post quas erumpit in pelagum. Dicit autem Scriptura circumiri ab hoc universam regionem Evila, ubi aurum præcipuum nascitur, & Carbunculum Lapis, & Prasinus.

FITHOM, civitas Ægypti, quam ædificaverunt filii Israel.

FOGOR, mons Moabitarum, ad quem Balac rex adduxit Balaam ariolum in supercilio Liviadis.

FRAATON, unde fuit Abdon judex populi Israel, in monte Amalec.

FUGO, civitas Adad regis, quæ est in regione Gabalitica.

G

GAAS, mons in tribu Ephraim: in cujus septentrionali plaga sepultus est Josue filius Nave.

GABAATH, in tribu Benjamin, urbs Phinees filii Eleazar: ubi sepultus est Eleazarus.

GABAON, unde Gabaonitæ supplices venerunt ad Josue: erat olim metropolis, & regalis civitas Evæorum, ceciditque in sortem tribus Benjamin.

GABATHON, vide, Eltheee.

GABE, loculis Benjamin; & hæc Levitis civitas separata.

GAD, tribus trans Jordanem, sic vocata a Gad septimo filio Jacob; accepit in sorte mediam terram regni Amorrhæorum.

GADARA, urbs trans Jordanem, contra Scythopolim & Tyberiadem ad orientalem plagam sita in monte, ad cujus radices aquæ calidæ erumpunt, balneis desuper ædificatis.

GADER, turris: ubi habitante Jacob, Ruben patris violavit thorum.

GADER, civitas olim Regia, postea in tribu Juda.

GADERA, in tribu Juda; ætate sancti Hieronymi, ad regionem civitatis Æliensis pertinens, nomine Gadora, circa Terebinthum.

GADEROTH, civitas in tribu Juda; hanc ad Austrum collocat Adricomius.

GADGAD, mons in deserto, ubi castrametati sunt filii Israel.

GAGGADA, locus in solitudine, ubi aquarum torrentes sunt.

GAHEDUR, in tribu Juda, postea nomine Gedrus, vicus pergrandis in decimo milliario Diospoleos pergentibus Eleutheropolim.

GALAAD, mons ad tergum Phœnices & Arabiæ, collibus Libani copulatus: extenditurque per desertum usque ad eum locum, ubi trans Jordanem habitavit quondam Sehon rex Amorrhæorum. Cecidit in sortem filiorum Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse: ad hunc septimo die profectionis e Charris Jacob profugus venit.

GALGALA, eadem ac Gol, ad orientalem plagam antiquæ Jerichus cis Jordanem, ubi Josue secundo populum circumcidit, & Pascha celebravit, & deficiente manna, triticeis panibus usus est Israel. In ipso loco, lapides quoque, quos de alveolo Jordanis tulerant, statuerunt: ibi & tabernaculum testimonii fixum multo tempore fuit. Cecidit autem in sortem tribus Juda.

GALILÆA: duæ sunt Galilææ, e quibus una, Galilæa gentium vocatur, vicina finibus Tyriorum, ubi & Salomon viginti civitates donavit Hiram regi Tyri, in sorte tribus Nephthalis: altera vero Galilæa dicitur circa Tyberiadem & stagnum Genesareth in tribu Zabulon.

GALILOTH, locus juxta Jordanem in tribu Benjamin, ubi altare Domino constituerunt filii Ruben.

GALLIM, unde fuit Phalthi, qui post fugam David Michol uxorem ejus acceperat.

GARGASI, civitas trans Jordanem, juncta monti Galaad quam tenuit tribus Manasse.

GARIZIM, mons super quem steterunt hi qui maledicta resonabant, vide, Gebal.

GASIONGABER, castra in solitudine filiorum Israel, sicut in Numerorum Libro scriptum est. Porro juxta Deuteronomium civitas est Esau, quam Esiam putant nuncupari, juxta mare rubrum & Ailam.

GAU-

GAULON, sive Gaulan, in tribu Manasse, civitas Sacerdotalis, & fugitivorum, in regione Batanitide.

GAZA, civitas Evæorum, in qua habitaverunt Cappadoces, pristinis cultoribus interfectis. Apud veteres erat terminus Chananæorum prope Ægyptum, ceciditque in sortem tribui Juda: sed eam tenere non potuit, quia Enacim, id est gigantes, Allophylorum fortissimi restiterunt.

GAZER, in sorte tribus Ephraim, urbs separata Levitis: quam & ipsam expugnavit Josue, rege illius interfecto. Ædificata fuit autem postea a Salomone.

GEBAL, mons in terra repromissionis, ubi ad imperium Mosi altare constructum est. Fuerunt autem juxta Jericho duo montes vicini, contra se invicem respicientes: e quibus, unus Garizim: alter Gebal dicebantur. Porro Samaritani arbitrantur hos duos montes juxta Neapolim esse; sed vehementer errant: plurimum enim inter se distant, nec possunt invicem benedicentium sive maledicentium inter se audiri voces: quod Scriptura commemorat.

GEPTHAEL, id est, vallis Esthiel, in tribu Zabulon.

GEHENNOM, quod interpretatur vallis Ennom; & ab hac quidam putant appellatam gehennam. Cecidit autem in sortem tribus Benjamin, juxta murum Jerusalem contra Orientem.

GEHON, fluvius, qui apud Ægyptios Nilus vocatur, in Paradiso terrestri oriens, & universam Æthiopiam circumiens.

GELBOE, montes alienigenarum, in tribu Issachar, ubi fugatis Israelitis, Saul & tres filii ejus, Jonathas, Abinadab, & Melchisua, cæsi sunt.

GELMON Deblathaim, castra, id est, mansio filiorum Israel in deserto.

GELON, aut Gilon, civitas in tribu Juda.

GER, locus, in quo percussit Jehu rex Israel Ochoziam regem Judæ, juxta Jeblaam.

GERARA, terminus Chananæorum ad australem plagam, & civitas metropolis Palæstinæ, Scriptura commemorat fuisse eam inter Cades & Sur, hoc est, inter duas solitudines, quarum una Ægypto jungitur, ad quam populus trans fretum Rubri maris pervenit; altera vero Cades, usque ad Saracenorum eremum extenditur.

GERGESÆUS, populus terræ Chanaan, unus ex iis, quos delendos filiis Israel promiserat Deus.

GESSEM, regio Ægypti, in qua habitavit Jacob cum liberis suis.

GESSUR, Syriæ urbs Regia, terminus terræ promissæ ad Septentrionem.

GETH, in tribu Dan; in hac gigantes qui vocabantur Enacim, & Philisthinorum accolæ permanserunt, hanc expugnavit David, & Roboam restauravit.

GETH, Getopher, & Geth Epher, in tribu Zabulon, Jonæ prophetæ patria.

GETHSEMANI, locus ubi Salvator noster Jesus Christus ante Passionem oravit, ad radices montis Oliveti.

GETHTHA, ad quem locum transtulerunt Arcam testamenti de Azoto.

GETREMMON, in tribu Manasse, civitas separata Levitis, cis Jordanem.

GETREMMON, alia civitas in tribu Dan, concessa Levitis.

GILO, civitas tribus Juda, unde fuit Achitophel.

GOLGOL, vide, Galgala.

GOLGOTHA, locus Calvariæ, civitati Jerusalem proximus, ad Occidentem, in quo Salvator noster Jesus Christus pro salute omnium crucifixus est.

GOMORRHA, in terra Chanaan; una de quinque civitatibus Sodomorum, quæ cum reliquis divina ultione subversa est.

H

HACELDAMA, ager sanguinis, ad Meridiem Jerusalem.

HAI, civitas regia, ad Orientem urbis Bethel: capta fuit a Josue, qui eam subvertit, regemque hujus suspendit.

HEBRON, olim Arbee, Carjath-Arbe, & Mambre: corruptæ Arboc, id est quatuor, quod ibi tres patriarchæ, Abraham, Isaac, & Jacob, sepulti sint, & Adam maximus quidam tamen hunc in loco Calvariæ positum suspicantur. Hæc est eadem Chebron, olim metropolis Philisthinorum, & habitaculum Gigantum, regnumque postea David in tribu Juda, civitas Sacerdotalis, & fugitivorum, totius tribus maxima, antiquissima, aliquot annis ante Tanim Ægypti condita.

HERTONA, Statio Israelitarum in deserto.

HELIOPOLIS, civitas solis, urbs in Ægypto inferiori, intra Nilum & Arabiam.

HERMON, mons Libano contiguus, usque ad montes Galaad extensus; post devictum Og regem Basan, cecidit in sortem dimidiæ tribus Manasse trans Jordanem.

HESEBON, urbs celebris & Regia Sehon regis Amorrhæorum, postea in tribu Ruben.

HESRON, quæ & Asor, vide, Asor.

HOR, mons in quo mortuus est Aaron, in finibus terræ Edom, Statio filiorum in deserto.

I

JABES GALAAD, urbs Galaaditidis regionis trans Jordanem, in dimidia tribu Manasse: hanc oppugnaverunt filii Israel.

JABOC, fluvius: quo transmisso, luctatus est Jacob adversus eum, qui sibi apparuerat; vocatusque est Israel: Fluit autem inter Amman, id est, Philadelphiam, & Gerasam, quarto ab ea milliario; & ultra procedens, Jordani fluvio commiscetur.

JAIR, civitas tribus Manasse, vide, Avothjair.

JANNA, quæ est in campo Moab, subtus verticem Phasga, id est, excisi, quod respicit ad desertum, juxta Arnon.

JANUM, civitas in tribu Juda.

JARIMUTH, civitas, quam subvertit Josue, in tribu Juda, quarto distans ab Eleutheropoli lapide, juxta villa Esthaol.

JASSA, ubi adversus Sehon Amorrhæorum regem dimicatur.

JAZER, civitas primum Amorrhæorum, in decimo lapide Philadelphiæ ad solis occasum, trans Jordanem, quæ fuit terminus tribus Gad, extenditurque usque Aroer, quæ & ipsa respicit ad Rabba. Fuit postea separata Levitis, & distat ab Esebon milliaribus quindecim, ex ea magnum flumen erumpens, a Jordane suscipitur.

ICOC, sortis Nephthali, in confinio trium tribuum; id est, in tribu Zabulon ad australem plagam, in tribu Aser ad Occidentem, porro in tribu Juda ad solis ortum.

IDUMÆA, regio Esau: quæ ex eo quod ille Edom vocabatur, nomen accepit.

JEBLAAM, in dimidia tribu Manasse, cis Jordanem, de qua alienigenas non valuit expellere.

JEBUS, ipsa est Jerusalem, vide, Jerusalem.

JECMAAN, aut Cibsaim, civitas in tribu Ephraim, refugii facta, & concessa Levitis.

JECNAL, in tribu Zabulon, Levitis civitas separata.

JECONAM, civitas Carmeli, quam cepit Josue, rege illius interfecto.

JEDNA, in sexto ab Eleutheropoli lapide pergentibus Chebron.

JEPHLETHI, civitas in terminis filiorum Joseph, in tribu Ephraim.

JEPTHAEL, vallis in finibus tribuum Zabulon, & Aser.

JERICHO, urbs, quam Jordane transgresso subvertit Josue, rege illius interfecto: pro qua extruxit aliam Ozam de Bethel, ex tribu Ephraim, quam Dominus noster atque Salvator Jesus Christus sua præsentia illustrare dignatus est. Sed & hæc eo tempore, quo Jerusalem oppugnabatur a Romanis, propter perfidiam civium capta atque destructa fuit.

JERMOTH, in tribu Issachar, urbs Sacerdotibus separata.

JERON, civitas munita in tribu Nephthali.

JERUSALEM, quæ & JEBUS & ÆLIA, aliquando Civitas Sancta, in qua regnavit Adonibezech, & postea eam tenuere Jebusæi, e quibus sortita est vocabulum, quos multo post tempore David exterminans, totius eam Judæ provinciæ Metropolim fecit, eo quod ibi locum templi emerit, & impensas structuræ Salomoni filio dereliquerit. Hanc esse Josephus refert, quæ in Genesi scribitur Salem, sub rege Melchisedech. Fuit autem in tribu Benjamin.

JETABATHA, locus in deserto prope montem Gadgad, ubi torrentes aquarum demonstrabantur; mansio Israelitarum.

JETAN, in tribu Juda, civitas Sacerdotalis, postea vicus prægrandis Judæorum in decimo octavo lapide ab Eleutheropoli ad australem partem in Daroma.

JETHER, in tribu Juda, civitas Sacerdotalis. Ætate sancti Hieronymi villa prægrandis Jethira nomine, in vice-

vicesimo milliario Eleutheropoleos: Sita autem in interiori Daroma, juxta Malathan.

JEZRAEL, in tribu Manasse: tempore sancti Hieronymi grandis vicus ostendebatur in campo maximo inter Scytopolim & Legionem. Fuit autem terminus Issachar. Sed & unus de posteris Ephratæ, sicut in Paralipomenon legimus, vocatus est Jezrael.

INCENDIUM, locus in deserto, ubi quondam partem populi flamma consumpsit.

INTAATH, castra filiorum Israel in deserto.

JOPPE, oppidum Palæstinæ maritimum, in excelso saxo conditum, in tribu Dan.

JORDANIS, maximus & pene unicus Terræ promissæ fluvius, dividens tribus Ruben, Gad, & dimidiam Manasse ab aliis tribubus; usque ad mare Mortuum fluit, & post multos circuitus juxta Jericho, Mortuo commixtus mari, nomen amittit.

IROTH, locus deserti, ad quem venerunt filii Israel, mare Rubrum transfretantes.

ISIMOTH, & Bethsimuth, ubi absconditus est David, Sed & in Regum Libro primo, pro Jesimuth.

ISSACHAR, una e tribubus filiorum Israel, ex nono filiorum Jacob, & ex Lia quinto sic vocata, a Mari magno, ubi Carmel Mons, ad Jordanem usque, ubi lacus Genesareth, extenditur, in australi parte inferioris Galilææ.

ITURÆA & Traconitis regio, cujus Tetrarcha fuit Philippus, sicut in Evangeliis legimus. Traconitis autem dicitur terra juxta desertum Arabiæ, quod Bostræ jungitur.

JUD, civitas in tribu Dan, inter Balaat & Bare.

JUDA, tribus Regia & potentissima, ex qua nasciturus erat Christus, ex ea aliquæ civitates excerptæ, tribubus Simeon & Dan datæ sunt; potentior tamen & amplior ceteris undecim aliis tribubus remansit.

JUDÆA, regio Asiæ pene minima, sed nobilissima, in orientali Mediterranei Maris littore, inter Syriam cujus pars fuit, & Ægyptum a qua desertis Idumææ separatur, posita. Primum vocata fuit Terra Chanaan, 2. Terra promissa, 3. Terra Israel, 4. Judæa.

L

LABANATH, civitas in tribu Aser, vide Ahalab.

LACUM, terminus tribus Nephthali.

LAIS, quæ & Dan, Paneas, & in Novo Testamento Cæsarea Philippi vocatur, a sexcentis viris tribus Dan expugnata & incensa, postea reædificata, & Dan vocata. Fuit autem terminus terræ Judææ, contra Septentrionem, a Dan usque Bersabee porrectæ.

LAMATTHARA, ad quem locum Jonathan jacula dirigebat.

LAPIS EOEN, filiorum Ruben: est autem terminus tribus Judæ.

LASA, terminus Chananæorum circa Sidonem.

LASARON, hanc cepit Josue, rege illius interfecto.

LEBNA, in tribu Juda, civitas Sacerdotalis, quam tenuit Josue, rege illius interfecto: ætate sancti Hieronymi, villa in regione Eleutheropolitana, quæ appellabatur Lobna.

LEBONA, in deserto, castra filiorum Israel.

LESEM, hanc filii Dan vi captam, cognominaverunt Dan.

LEVI, tribus, a Levi filio Jacob tertio ex Lia uxore, sic vocata: sed nullam habens distinctam a reliquis tribubus possessionem, per alias omnes duodecim dispersa fuit, ut populum legem doceret, & sacra administraret.

LIBANUS, omnium Judææ montium celeberrimus, tribus Aser & Nephthali, a Septentrione terminabat.

LOBON, locus solitudinis trans Jordanem, in quo Moyses Deuteronomium legit.

LOCHIS, in tribu Juda: sed & hanc cepit Josue, rege ipsius interfecto. Villa in septimo milliario ab Eleutheropoli euntibus Daroman, tempore sancti Hieronymi.

LODABAR, locus ultra Jordanem in tribu Gad, unde fuit Machir.

LUITH, oppidum Moab, in monte situm, tribus Ruben, penes Oronaim.

LUZA, in tribu Benjamin, quam postea Jacob cognominavit Bethel. Villa, in sinistra parte viæ de Neapoli pergentibus Æliam, tempore sancti Hieronymi.

LUZA, hæc altera est, quæ cecidit in sortem filiorum Joseph, juxta Sichem in tertio lapide Neapoleos.

LUZA altera, juxta Bethel, in terra Cetthim, quam condidit ille, qui abierat de Bethel, sicut narrat historia.

M

MAANAIM, in tribu Gad, separata Levitis, in regione Galaaditide.

MACEDA, in hanc conclusit Josue quinque reges in spelunca, quos interfecit cum rege Macedæ: fuit in tribu Juda.

MACELOTH, castra filiorum Israel in solitudine.

MACHANARATH, terminus urbis Amnam, quæ & Philadelphia dicitur.

MACHATI, urbs Amorrhæorum, postea dimidiæ tribus Manasse super Jordanem juxta montem Ermon, de qua exterminare non valuerunt filii Israel Machathæum.

MACHMAS, civitas tribus Benjamin: ætate sancti Hieronymi vicus grandis in finibus Æliæ, antiquum nomen retinens, novem ab ea milliaribus distans juxta villam Rama.

MADIAN, terra ab uno filiorum Abraham ex Cethura sic vocata. Cujus populi Madianitæ, qui ad fornicationem & idololatriam Israelitas terram promissam ingredientes induxerunt.

MAHON, vide Abdon.

MAGALA, locus in tribu Juda, prope vallem Terebinthi.

MAGDIEL, in tribu Nephthali. Parvus vicus ætate sancti Hieronymi in quinto milliario Doræ pergentibus Ptolemaidem.

MAGDOLUS, ad quem filii Israel, cum exirent de Ægypto pervenerunt, antequam transirent mare Rubrum. Porro Jeremias Judæos, qui secum fugerant, Babyloniorum impetum declinantes, in hac urbe Ægypti habitasse refert.

MAGDON, sive Magron, locus in tribu Benjamin, in extremitate civitatis Gabaa, ubi sedit Saul.

MAGEDAN, locus in dimidia tribu Manasse, ad cujus fines Matthæus Evangelista scribit Dominum pervenisse, post septem panum multiplicationem.

MAGEDDO, urbs Regia, quam cepit Josue, rege illius interfecto, cecidit in sortem tribus Manasse, sed nequaquam possedit eam, quia pristinos habitatores nequivit expellere.

MAMBRE, hæc est Chebron & Hebron, vide Hebron.

MANASSE, tribus in duas partes divisa, prima cis Jordanem, altera trans Jordanem, a Manasse filio Joseph primogenito in benedictione Jacob minori Ephraim postposito sic appellata.

MAON, desertum in tribu Juda, in quod fugit David a facie Saul fugiens.

MAR, fons amarissimus, statio Israelitarum in deserto; hujus Moyses obmurmuranti populo aquas dulces reddidit injecto in eas ligno, quod ostendit ei Dominus.

MARE GALILÆÆ, seu stagnum Tiberiadis, a Galilæa regione vicina sic vocatum, amœnis oppidis circumdatum, multis Jesu Christi Domini Salvatoris nostri miraculis illustratum.

MARE MAGNUM, quod & Mediterraneum vocamus, Asiam, Africam, & Europam interluit, totam Promissionis terram ab Occidente claudit.

MARE RUBRUM, proprie sinus Arabicus, quod inter Africam, ubi Æthiopia, & Ægyptus, & Asia, ubi Arabia, per pluliquam mille & quingenta millia passuum se extendit; hoc sicco vestigio, hinc & inde aquis recedentibus, transierunt Israelitæ, ex Ægypto discedentes.

MARE MORTUUM, quod & mare Salsissimum, deserti & solitudinis dicitur, inter Jericho & Zoaram, vallis olim Silvestris, in qua quatuor urbes igne cælesti succensæ fuerunt.

MASAN, in tribu Aser, juxta Carmelum ad mare; civitas separata Levitis.

MASAPHA, civitas in tribu Gad, separata Levitis.

MASPHA, MASPHAT, & MESPHE, varia ejusdem urbis nomina, in tribu Benjamin, ibi fuit Arca Domini.

MASPHA & MASPHE, civitas tribus Gad, in qua contra Moabitas Israelitæ castrametati sunt.

MASPHA, terra, in tribu Aser, eo usque Chananæos persecutus est Josue.

MASPHAT & MEPHAAT, civitas in tribu Ruben, facta refugii & Levitis concessa.

MASSEPHA in Moab, ad quam profugus David, cum Saulis insidias declinaret, venit.

MEDABA, Ammonitarum primum urbs fuit, postea Amorrhæorum, tandem in tribu Ruben.

MEDEMENA, quæ & Bet-Marchaboth, civitas primo tribus Juda, tribui vero Simeon deinde concessa.

MELLO.

MELLO, civitas vicina urbi Sichem, & quasi illius suburbium, in tribu Ephraim; hanc ædificavit Salomon.

MEMORIÆ, id est, sepulcra concupiscentiæ; castra filiorum Israel in deserto, ubi post esum carnium ascendit ira Dei super illos.

MEMPHIS, civitas Ægypti: Judæi qui cum Jeremia de Jerosolymis profugi exierant, habitaverunt in Memphis.

MESOPOTAMIA, regio Asiæ fertilissima, inter Euphraten & Tigrim posita.

MESSE, regio Indiæ, in qua habitaverunt filii Jectan, filii Heber.

MILETUS, civitas Asiæ, sive Cariæ, non longe ab Epheso.

MISAIDA, filiorum Jacim locus in solitudine, in quo obiit Aaron.

MISOR, civitas tribus Ruben, separata Levitis, in regione Gabalena.

MOAB, filius majoris filiæ Lot ex incestu, ex quo Moabitæ populi, & eorum regio Moabitis, quæ postea tribus Ruben fuit.

MOLADAB, in tribu Juda, postea vero Simeon.

MONS Olivarum, ad Orientem Jerusalem, in quo discipulos erudiebat Jesus.

MORASTI, vicus in tribu Juda, ad Orientem Eleutheropoleos, unde fuit Michæas Propheta.

N

NAALOL, in tribu Zabulon, civitas assignata Levitis.

NAAMA, civitas tribus Juda.

NAARATHA, civitas in tribu Ephraim, ætate sancti Hieronymi Naorath villula Judæorum, in quinto milliario Jerichus.

NABBE, sive Nobba, ad quam ascendit Gedeon, urbs Sacerdotibus separata, Saulis furore subversa.

NABO, civitas filiorum Ruben in regione Galaad.

NAFTHO, nomen fontis in tribu Benjamin.

NAIM, oppidulum in tribu Issachar, non longe a Nazareth, in quo filium viduæ a mortuis Dominus suscitavit.

NAJOTH, locus in Rama, seu Ramatha, tribus Benjamin, versus Bethel, in quem fugit David cum Samuele.

NAZARETH, civitas Galilææ, in tribu Zabulon, in clivo montis sita, B. Mariæ Virginis patria, Jesu Christi salvatoris nostri Incarnatione & incolatu celeberrima, unde & Nazaræus vocatus est.

NECEB, in tribu Nephthali, vide Adami.

NEESIB, in tribu Juda, ætate sancti Hieronymi Nasibi, in septimo milliario Eleutheropoleos pergentibus Chebron.

NEMRA, civitas tribus Ruben, in terra Galaad.

NEMRIM, locus ab aquis nominatus in terra Moab; tempore autem sancti Hieronymi, vicus nomine Bennamarim ad septentrionalem plagam Zoaræ.

NEPHTHALI, tribus ad superiorem Jordanis ripam sita, a Nephthali filio Jacob sexto sic nominata, ad Aquilonem.

NEPHTHALI, civitas in tribu ejusdem nominis, Tobiæ patria.

NERIGEL, hanc extruxerunt in regione Judæa Samaritani, qui de Babylonia sunt profecti.

NEZAB, quam condiderunt Evæi in terra Judæa.

NINIVE, urbs Assyriorum, quam ædificavit Assur egrediens de terra Sennaar, ante & post mortem Sardanapali celeberrima: Ninivitis a Deo missus Jonas, pœnitentiam prædicavit.

NOPHETH, urbs in sorte tribus Manasse, licet tamen diversis tribubus attributa, hujus pars tertia tribui Manasse concessa fuit, aliarum partium non meminit Josue.

O

OBOTH, in deserto, castra filiorum Israel.

ODOLLAM, aut Adullam, civitas Regia, postea tribus Juda.

ON, urbs in Ægypto, quæ Heliopolis Græce dicitur, id est, civitas Solis, quam ædificaverunt filii Israel, sicut septuaginta Interpretes arbitrantur. Alioquin in Hebraicis voluminibus non habetur. Et recte: siquidem antequam Jacob ingrederetur Ægyptum, erat extructa jam civitas, quæ & sacerdotem habuit Petefrem, Patrem Aseneth.

OOTHON, ubi secundo filii Israel castrametati sunt, egredientes de Socoth juxta desertum, quando de Ægypto profecti sunt.

OPHIR, unde triennio aurum afferebatur Salomoni. Fuit autem unus de posteris Heber, nomine Ophir, ex cujus stirpe venientes a fluvio Gophene, usque ad regionem Indiæ, quæ vocatur Hieria, habitasse refert Josephus.

ORONAIM, urbs Moabitarum, in tribu Ruben.

P

PETRA, civitas Arabiæ in terra Edom, quæ cognominata est Jectael, & a Syris Recem dicitur.

PTOLEMAIS, vide, Accho.

PUTEUS JURAMENTI, quem fodit Abraham, vide, Bersabee.

PUTEUS VISIONIS, in deserto, apud quem habitavit Isaac.

R

RABBOTH, in tribu Issachar, eadem ac Dabereth.

RAMA, in tribu Benjamin, civitas Saulis, in colle sita in sexto milliario ab Ælia ad septentrionalem plagam contra Bethel.

RAMESSE, urbs, quam ædificaverunt filii Israel in Ægypto: universa autem provincia, in qua habitavit Jacob una cum liberis suis, sic vocabatur.

RAMMOTH, in tribu Gad, civitas Sacerdotalis & fugitivorum in terra Galaaditide.

RAPHACA, in deserto ubi filii Israel castrametati sunt.

RAPHIDIM, statio filiorum Israel in deserto juxta montem Choreb, in quo de petra fluxere aquæ, cognominatusque est Tentatio: ubi & Josue adversus Amalec dimicavit prope Pharan.

RATHMA, castra filiorum Israel in deserto.

REBLA, in terra Emath contra fontem Daphnim, vinctumque unde victor Pharao adductum Joachaz transtulit in Ægyptum.

REBLATHA, regio Babyloniorum, sive urbs Antiochia vocata.

RECCATH, in tribu Nephthali, civitas munitissima.

RECEM, hæc est Petra civitas Arabiæ, in qua regnavit Recem, quem interfecerunt filii Israel. Dicitur ipse rex quinque Madian.

RECEM, civitas in tribu Benjamin.

REMMAM, civitas regum Syriæ juxta Damascum.

REMMON, urbs primum tribus Juda, postea tribui Simeon concessa.

REMMON, Petra Remmon, in tribu Benjamin, saxum, seu castrum natura munitissimum.

REMMON, civitas tribus Zabulon, Levitis assignata.

REMMON Phares, ubi filii Israel castrametati sunt.

RESSA, castra filiorum Israel.

ROBOOTH, civitas Assyriorum, quam ædificavit Assur egrediens de terra Sennaar.

ROGEL, nomen fontis in tribu Benjamin.

ROGELIM, unde fuit Berzellai Galaadites, amicus David.

ROMA, civitas Italiæ, Romanorum Imperatorum, nunc vero summorum Pontificum sedes, & totius Orbis Christiani caput.

ROOB, in tribu Aser, civitas separata Levitis.

RUBEN, tribus, a Ruben filio Jacob primogenito ex Lia uxore sic appellata, trans Jordanem, in terra Moab sita.

RUMA, civitas in tribu Ephraim, non longe ab urbe Sichem.

S

SAALIM, villa, quam pertransiit Saul in finibus Eleutheropoleos contra Occidentem, septem ab ea milliaribus distans.

SAARA, vicus in finibus Eleutheropoleos contra Septentrionem pergentibus Nicopolim, quasi in decimo milliario, in tribu Dan, sive Juda.

SABA, civitas regalis Æthiopiæ, quam Josephus a Cambyse rege Meroen cognominatam ex sororis vocabulo, refert.

SABAMA, civitas Moab, in terra Galaad: quæ cecidit in sortem tribus Ruben.

SABARIM, civitas in tribu Nephthali, inter Damascum & Æmath.

SABEE, civitas in tribu Simeon.

SADEMOTH, ubi Josias rex Idolorum signa combussit.
SAFARVAIM, de quibus locis Assyrii transmigrantes: habitaverunt in Samaria; & ab ipsis Samaritanorum gens sumpsit exordium.
SALEM, civitas Sichimorum, in terra Chanaan, in dimidia tribu Manasse, quæ cis Jordanem erat: in ea regnavit Melchisedech.
SAMARIA, regio media Judæam inter & Galilæam, tribum Ephraim & dimidiam partem tribus Manasse, cis Jordanem complectens.
SAMARIA, civitas regia munitissima, in tribu Ephraim, post Thersam sedes regum Israel, qui eam tractu temporum multis magnificisque ædificiis ornavere.
SAMES, fons in tribu Benjamin.
SAORTH, in tribu Ruben, super Jordanem.
SAPHIR, villa in montanis sita, inter Eleutheropolim & Aschalonem, in tribu Juda.
SAPHON, in tribu Gad, super Jordanem.
SAREPTHA, oppidum Sidoniorum, in via publica situm: ubi mansit quondam Elias cum muliere vidua, quæ eum pane subcinericio & parvulo pavit, ipseque vicissim a Domino obtinuit, ut hujus viduæ hydria farinæ non deficeret, nec lecythus olei minueretur, ad diem in qua Dominus daturus esset pluviam super faciem terræ.
SARON, urbs in tribu Gad, ultra Jordanem.
SARON, regio juxta Joppen & Liddam, in confiniis tribuum Dan & Ephraim.
SATTIM, ubi populus pollutus est fornicatione filiarum Moab, juxta montem Phogor: unde & Josue exploratores ad investigandam & noscendam misit Jericho.
SAVE, civitas antiqua, in qua habitaverunt Ommei gens valida super regionem Sodomæ, quam excidit Chodorlahomor; hanc postea percussit Abram nocte cum trecentis decem & octo viris vernaculis suis.
SEBOIM, una e quinque urbibus igne cælesti consumptis, antea autem erat Regia.
SECHEM, in tribu Manasse, civitas sacerdotalis, & fugitivorum, in monte Ephraim.
SEGOR, quæ & Bala, Soora, & Zoara, una de quinque civitatibus Sodomorum ad preces Lot de incendio reservatis.
SEIR, mons inter Idumæam & terram Juda, in quo habitavit Esau: in iis locis antea habitavit Chorræus, quem interfecit Chodorlahomor.
SEIR, mons alter in limite tribuum Juda, Dan, & Benjamin.
SELA, civitas in tribu Benjamin.
SELCHA, eadem ac Salecha, civitas regis Og, in finibus tribus Gad, & dimidiæ tribus Manasse.
SELMON, mons quem conscendit Abimelech adversus Sichimam dimicans.
SELMONA, castra filiorum Israel in deserto.
SELO, in tribu Ephraim, in quo loco arca testamenti mansit, & tabernaculum Domini usque ad tempora Samuelis.
SEMERON & Semron, urbs olim Regia, postea fuit in tribu Zabulon. Hanc cepit Josue, rege illius interfecto.
SEMRON, vide supra Semeron.
SENNA, terminus Judææ ad Austrum.
SENNAAR, campus Babylonis, in quo turris extructa est. Unde egressus Assur ædificavit Niniven. Terra Sennaar est ipsamet Chaldæa, quæ & Assyriæ pars est.
SEON, sive Soen, civitas in tribu Issachar; S. Hieronymi tempore erat villa juxta montem Thabor.
SEPHAMA, terminus Judææ ad Solis ortum.
SEPHELA, regio juxta Eleutheropolim campestris & plana.
SEPHETH, civitas in tribu Nephthali, & superioribus Galilææ partibus.
SICELEG, civitas in tribu Simeonis, quam Achis rex alienigenarum dedit ad habitandum David.
SICHAR, Sichem, Sichima, & Sichimis, ejusdem urbis diversa nomina, tribus Ephraim, in qua Simon Jonathæ frater urbem Adida ædificavit & munit: juxta agrum, quem dedit Jacob filio suo Joseph, in quo Dominus noster atque Salvator, Samaritanæ mulieri ad puteum locutus est: in monte sita, facta refugii, & Levitis data, ab Abimelech subversa, posteaque a Jeroboam rege Israel ædificata, & munita.
SICHEN, vide, Sichar.
SIMEON, una ex tribubus Israel, tota ex tribu Juda excerpta, Philisthæis vicina, a Simeone secundo filio Jacob ex Lia, nomen habet.
SIDON, urbs Phœnices insignis, olim terminus Chananæorum ad Aquilonem respiciens, & postea regionis Judææ. Cecidit autem in sortem tribui Aser, sed non eam possedit, quia hostes nequaquam valuit expellere.
SIHOR, civitas in tribu Aser.
SIN, desertum inter mare Rubrum & solitudinem Sina. De hoc deserto filii Israel venerunt in Raphidim, & a Raphidim in desertum Sina, juxta montem Sina, ubi Moyses tabulas legis accepit. Desertum autem Sin idem dicit esse Scriptura quod & Cades.
SINAI, aliquando Sina, mons Sanctus dictus, super quem descendit Dominus, duasque testimonii tabulas lapideas digito scriptas Moysi dedit. Sinai aliquando vocatur & mons & desertum.
SION, mons cum arce, civitas David dicta, in Australi parte urbis Jerusalem.
SIOR, civitas tribus Juda.
SIS, clivus seu ascensio, contra solitudinem Jeruel, in tribu Juda.
SOCCHO, vide Adullam Soccho.
SOCCHOTH, prima mansio filiorum Israel in deserto, postquam de Ægypto sunt profecti, antequam mare transierunt Rubrum.
SOCHOTH, in tribu Gad, super Jordanem.
SODOMA, civitas Pentapoleos prima, igne de cælo descendente consumpta, in mare mortuo.
SOORA, urbs juxta Sodomam, vide Segor.
SOPHERA, quæ & Sophir, mons Orientis in India, juxta quem habitaverunt filii Jectan, filii Heber. Quos Josephus refert a Cophene flumine, & Indiæ regionibus usque ad id locorum pervenisse, ubi appellatur regio Hiria: sed & classis Salomonis per triennium hinc quædam commercia deportabat.
SOPHIN, mons inter tribus Benjamin & Ephraim.
SORECH, vallis & torrens, inter tribus Dan & Simeon, de quo loco fuit Dalila illa Samsonis, quæ Philisthinorum principibus impulsa, blanditiis & molestiis causa ejusdem fortitudinis cognita, detonsum in manus Philisthinorum tradidit.
SUNEM & SUNAM, civitas in tribu Issachar: ætate S. Hieronymi, vicus Salem, in quinto milliario montis Thabor contra australem plagam.
SUR, desertum quod ad mare rubrum, & ad Ægypti confinia extenditur, ubi invenit Angelus ancillam Saræ Agar, inter Cades & Barad.

T

TABERNACULUM Cedar, vide Cedar.
TALEM, civitas in tribu Juda, inter Jethnam ziph, & Baloch-Asor.
TANIS, aliquando Taphnis & Taphnæ, civitas inferioris Ægypti. Regia Pharaonis, ubi Moyses multa signa edidit.
TAPHNAS, civitas Ægypti, in hac habitaverunt Judæi, qui ob metum Babyloniorum, cum Jeremia fugerunt.
THEREBINTHUS, in Sichimis, sub qua Jacob suorum abscondit idola, juxta Neapolim.
THAAD, juxta Galaad.
THANACH, Thenac, & Tanach, & Aner, civitas juxta quam Debbora adversum Sisaram dimicavit in tribu Manasse, separata Levitis, quam tenere non potuit, pristinis cultoribus nequaquam ejectis.
THABOR, mons in tribu Zabulon, in medio Galilææ campo, mira rotunditate sublimis; constans est traditio Jesu Christi transfigurationem factam fuisse in monte Thabor.
THAFFU, in tribu Juda, civitas, quam expugnavit Josue, rege illius interfecto.
THALASSAR, regio; sed ubinam fuerit illa regio, difficile est asserere; creditur tamen regio Mesopotamiæ.
THAMAR, quæ & Asason Thamar, vide Engaddi.
THAMNA, Thamna, & Thamnas, civitas primum tribui Juda, postea tribui Dan concessa.
THAPHOL, locus in deserto trans Jordanem contra Jericho, in quo Deuteronomium scripsit Moyses.
THARE, castra filiorum Israel in deserto, inter Thaath & Methca.
THARSIS, unde aurum Salomoni deferebatur; de hoc loco varii varia.
THARTAC, civitas in terra Judæa ab Evæis condita.
THEBES, urbs in dimidia tribu Manasse cis Jordanem, quam cum oppugnaret Abimelech, fragmine molæ ictus interiit: S. Hieronymi tempore, vicus ostendebatur in finibus Neapoleos pergentibus Scytopolim, quasi in tertiodecimo ejus lapide.
THEMAN, regio principum Edom in terra Gebalitica, a Theman filio Eliphaz filii Esau sortita vocabulum.
THERMOTH, civitas, quam ædificavit Salomon in deserto.

THER-

THERSA, civitas regia, in dimidia parte tribus Manasse, cis Jordanem.

THESBA, civitas Galaaditidis regionis, in tribu Gad, unde ortus est Elias Propheta Thesbites.

THOLAD, eadem ac Eltholad, civitas primum in tribu Juda, postea tribui Simeon concessa.

TIGRIS, fluvius, qui de paradiso voluptatis exiens, juxta Scripturæ fidem, pergensque contra Assyrios, post multos circuitus, ut vult Josephus, in mare Rubrum, seu sinum Arabicum influit.

TOB, terra in tribu Gad, in qua habitavit Jephte.

TOPHETH, in valle filiorum Ennon, vicina civitati Jerusalem.

TRACONITIS, regio trans Jordanem, montibus aspera, cujus tetrarcha fuit Philippus, juxta Evangelium Lucæ.

TYRUS, ipsa est Tyrus antiqua, ab Israelitis capta & deleta, sed postea a Sidoniis in rupe peninsulari juxta litus ædificata, antiqua multo firmior, ob magnitudinem, & opum abundantiam illustrissima.

U

UR CHALDÆORUM, urbs Abrahæ natalitiis nota, in Mesopotamia, sub ditione Chaldæorum, ubi mortuus est Aran, frater Abrahæ.

Z

ZABULON, una e tribubus filiorum Israel, a Zabulone decimo filiorum Jacob, sexto & ultimo ex Lia, sic vocata, in Galilæa inferiori sita, a mari Magno ad mare Galilææ extensa.

ZARED, vallis & torrens in tribu Ruben; vocatur etiam & Zared.

ZEPHRONA, terminus Judæ ad Septentrionem.

ZIB, in octavo milliario Chebron contra Orientem; tempore sancti Hieronymi vicus ostendebatur, ubi absconditus fuit David. Fuit autem tribus Juda in Daroma in finibus Eleuteropoleos.

ZIPH, in tribu Juda, mons squalidus, vel caligans, sive nebulosus, juxta Ziph, in quo sedit David prope Chermelam, quæ in Scripturis sanctis Carmelus appellatur.

ZOHELETH, nomen lapidis, ubi Adonias immolavit victimas juxta fontem Rogel, qui est in horto regio prope Jerusalem, ad Orientem.

ZOOB, civitas Amorrhæorum sita in Arnone; de qua scriptum est: *Propterea dicitur in libro Bellorum Domini: Zoob inflammavit & torrentes Arnon.*

CUM hæ tabulæ typis mandarentur, prodiit in lucem pererudita Abbatis Pezronii dissertatio de antiquis terræ promissæ finibus, Trivolii diarii mensis Junii anni 1705. inserta. Ac primum quidem in ea est sententia vir doctus terram Israelitis promissam, ab ea, quam possederunt, distingui oportere. Quæ ab iis possessa fuit, monte Libano, & Idumæa, & mari continetur: quæ autem promissa est Patriarchis, longius ad Septentrionem patet: sed ob crebras Israelitarum prævaricationes & idololatrias, has regiones ex parte tantummodo occuparunt. Genesis cap. 15. 18. *Pepigit Deus fœdus cum Abraham, dicens: Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphraten, Cinæos, &c.* Deuteronomii cap. 1. idipsum Deus Israelitis repromittit: *Venite ad montem Amorrhæorum ...... terram Chananæorum & Libani usque ad flumen magnum Euphraten.* Item cap. 11. & 22. *Si enim custodieritis mandata quæ ego præcipio vobis .... omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit, a Deserto, a Libano, a flumine magno Euphrate usque ad mare Occidentale erunt termini vestri.* Mare illud est Mare Mediterraneum ad Euphratis Occidentem.

Fines quidem terræ promissæ a Chananæis tum occupatæ versus Septentrionem, ad Euphraten usque porrecti erant: sed quousque regio illa pateret, explicatu difficile est. Et quidem terræ promissionis Israelitis destinatæ limites, num. 37. & seqq. a quatuor mundi plagis sic definiuntur, ut qui ab Austro, ab Occasu, & ab Ortu sunt præscripti, vix ullum ambiguitati locum relinquant; qui vero sint ad Septentrionem positi, designari ægre possint. *Porro*, inquit Sacer Textus, *ad Septentrionalem plagam a mari Magno termini incipient, pervenientes usque ad montem altissimum;* & quæ sequuntur. Ita quidem Vulgata, in Hebræo, *Usque ad montem Hor, a quo venient in Emath, usque ad terminos Sedada:* Hieronymus scribens in caput 47. Ezechielis, montem illum altissimum, vel Taurum montem, vel Amanum, ex Hebræorum mente interpretatur. Idem inquit: Hebræi autumant vel Amanum montem significari, vel Taurum; quod nobis videtur verius; neque id persuasum fuit Hebræis montem Hor fuisse Libanum, ex quo Jordanis profluit.

Ubi ergo, inquies, mons ille altissimus situs est? & quidem non procul ab illo monte positæ sunt urbes Emath & Sedada, quæ posterior hæc civitas penitus est incognita. Missis cum Hieronymi, tum aliorum de urbe Emath conjecturis, an fuerit Antiochia, an Epiphania, an Emesa, in Theodoreti sententia acquiescit Pezronius: ille Cyri Episcopus non procul ab iis locis, omnem eam regionem melius perspectam habuit, quam quivis alius. In suis ad Jeremiam commentariis magnam Emath Emesam esse identidem docet, ut minorem Emath Epiphaniam: utraque ad fluvium Orontem sita erat. Quæ fuerit Reblata in Scripturis identidem memorata, simul aperit: hanc fuisse in territorio urbis Emath ostendit scribens in caput 4. Jeremiæ: *Pagus est ejus quæ nunc dicitur Emesa.*

Jam ut ad montem illum altissimum, seu ad montem Hor terræ promissæ Israelitis veniamus, non alium esse quam montem Libanum Syriæ, admodum est probabile, qui ita appellatur, ut ab Antilibano distinguatur. Hic incipit non procul Tripoli prope ostium fluminis Eleutherii: hinc versus Orientem longe porrigitur, ac versus Orontis fontes desinit: nam ex eo monte manat Orontes. Cum autem hic fluvius non procul Emesa suum ducat initium, Syriæ Libanum a mari Mediterraneo versus Emath, seu Emesam porrigi

Sacer

Sacer Textus insinuat Numer. cap. 34. Montem igitur Hor esse Libanum Syriæ videtur manifestum. Hunc Syri dixere Hor, seu album, quod sit opacus nivibus vertente pene anno: ob eamdem prorsus rationem Chananæi hunc Libanum dixere: isque ab Antilibano in Palæstina diversus est: cavendum porro ne hunc montem Hor cum alio cognomine in Arabia posito cum Oleastro confundamus, in quo quidem Aaron diem suum obiit.

Ex iis palam fit terræ promissæ limites Septentrionem versus non procul ab Euphrate sitos esse. Has quidem regiones possederunt Chananæi a Jordanis fontibus ad Orontis usque fontes: a Libano Palæstinæ, seu ab Antilibano ad Libanum Syriæ, & Emesam usque Chananæorum, populi e Chanaan oriundi undecim vel duodecim Geneseos cap. 10. & aliis in Scripturæ locis numerantur: ex iis septem Palæstinam ab Idumæa Sidonem usque & ad Jordanis fontes insederunt: alii ad Orontis originem & Emesam usque interjectas regiones occuparunt, Cinæi nempe, Adriani, Samaræi, & Amorrhæi una cum Sidoniis & Tyriis Syriam invasere, qui proprie Phœnices sunt appellati. Id præter cetera observandum, hos terræ promissionis limites Numer. cap. 34. vers. 7. & sequentibus assignari, mare Magnum, seu Mediterraneum prope ostium fluminis Eleutherii, tum montem Hor, seu Libanum Syriæ, qui ab ostio prædicti fluminis ad fontes usque Orontis versus Palmyrenam protenditur: Urbem quoque Emath designat Moses, quæ est ipsa Emesus, ex Theodoreto, ad Orontem posita non procul a Libano Syriæ; Moses deinde Sedada, Zephrona, & Enan appellat loca prorsus incognita, nisi forte Enan sit Epiphania, aut Larissa ad Orontis occasum: sic Siphama ex Hieronymo & Hebræis erit Apamæa.

Cur autem hæ regiones Israelitis promissæ fuerint, non traditæ, rationem attulimus ex Hieronymo, Epistola ad Dardanum: *Et ego*, inquit, *fatebor tibi repromissa, non tradita: si observasses mandata Dei, & in præceptis illius ambulasses; si & pro Omnipotente Deo non coluisses Beelphegor & Baalim, Beelzebub & Chamos, quos pratulisti Deo. Omnia quæ tibi promissa sunt, perdidisti*. Concludit demum: *Et mihi in Evangelio promittuntur regna cælorum, quæ instrumentum vetus non nominat: Sed si non fecero quæ præcepta sunt, nequaquam erit culpa in promittente, sed in me qui promissum accipere non merui. Ubi enim optio proponitur ad eligendum, qui operari renuis, frustra cupias quod promissum est*. Quod argumentum fuse prosequitur idem Doctor.

TA-

TABULÆ
CHRONOLOGIÆ SACRÆ
VETERIS AC NOVI TESTAMENTI,
AUCTORE R. P. *****

OMISSA Periodo Juliana, ingenioso sane Scaligeri commento, sed nimis intricato & minus utili, æram Christianam, cujus annus M.D.CC.XXXI. currit, chronologiæ nostræ regulam statuimus, arbitratis sic expeditam lectoribus futuram nostræ in quæstionibus chronologicis sententiæ cum diversis a nostra sententiis collationem. Quippe per annorum retro ante hanc æram lapsorum veluti gradus ascendentes, annos habemus in infinitum proprio quemlibet charactere, id est, nota sua numerali sic distinctos, nullus ut cum altero confundi possit. Nequit etenim v. g. annus ante æram Christianam decimus cum duodecimo confundi, & sic deinceps.

Hæc prima dos methodi nostræ, habet illa ex se & nullo negotio, quod tot cyclorum impedita coagmentatione Periodi Julianæ annis conferre Scaliger laboravit.

Altera methodi nostræ dos est, quod epochæ historicis familiares ad illam sua sponte referantur. In exemplum eligimus tres, quarum usus frequentior, Olympiadas, annos urbis Romæ, annos Nabonasaris. Per Olympiadas, aut per annos ab Urbe condita annos definiunt, non modo Græci Romanique scriptores Christo antiquiores, sed & Christiani scriptores plerique. Vis discere eorum aliquis nobiscum sentiat an non? Sic calculos institue, si per Olympiadas numeras.

1. Quatuor pro unaquaque Olympiade annos computa. 2. Suppone primam Olympiadem anno ante Christum septingentesimo septuagesimo sexto incepisse. 3. Subduc rationes, & sic conclude annum v. g. quinquagesimæ quartæ Olympiadis tertium, esse annum ante Christum quingentesimum sexagesimum secundum.

Annis ab Urbe condita utitur scriptor, distingue primo an communem, id est, Varronianam supputandi rationem, aut Dionysianam anno uno posteriorem sequatur; si Varroni adhæret, ut vulgo factum est, suppone annum Urbis conditæ primum, esse annum ante æram Christianam septingentesimum quinquagesimum tertium, si quid igitur dicitur anno Urbis v. g. ducentesimo septimo evenisse, idem est ac si diceretur anno ante æram Christianam quingentesimo quadragesimo septimo evenisse.

Non difficilius annos Nabonasaris ad nostros numeros reduces, quod operæ pretium est, cum ab illa epocha incipiat celebris ille canon regum Babylonis, regum Ægypti, & Cæsarum usque ad Antoninum; monumentum quantivis pretii, quo veluti filo veteris historiæ labyrinthus tuto percurri, & sacra cum profana antiquitas conciliari possit. Hæc epocha anno ante Christum aperitur septingentesimo quadragesimo septimo, ideoque annus v. g. Nabonasareus centesimus septimus, annus est ante Christum sexcentesimus quadragesimus primus.

Superest difficultatis aliquid exhauriendam chronologo Nabonasareos annos cum Julianis conferenti; hujus enim forma ab illius constitutione multum discrepat: Nabonasareus annus utpote Ægyptiacæ formæ duodecim mensibus tricenariis & diebus quinque adjectitiis constat. Nomina & ordinem mensium habes in laterculo sequenti.

THOTH.	PHAMENOTH.
PAOPHI.	PHARMUTHI.
ATHYR.	PACHON.
CHOJAC.	PAUNI.
TYBI.	EPIPHI.
MECHEIR.	MESORI.

Dies quinque semper Mesori ultimo die superadditi.

Cum singuli menses trigesimo die finiantur, ex his simul sumptis summa dierum 360. efficitur, quibus si subjunxeris dies quinque, numerus exurget dierum 365.

Itaque si Nabonasareos annos cum Julianis annis comparare cupias, hac regula utere. *Proposito quolibet anno Nabonasaris, initium ejus in Juliano huic respondente si quæras: annum datum per quatuor divide, quorum e 57. subtrahe: si minor sit quam 57. sin major,*

major, ex 422. & numerus residuus erit dies Julianus a Cal. Januarii, cui diei assignanda erit neomenia Thoth & Nabonasarei anni initium.

Quin & Periodum Julianam & aliam quamlibet chonologicam supputationem ad nostram facile conformabis.

Periodus Juliana iniit annis ante æram christianam quater mille septingentis tredecim, si quis ergo eventum alligat anno Periodi Julianæ quingentesimo secundo post bis mille, id anno ante æram nostram ducentesimo duodecimo post bis mille alligasse demonstratur. Cave ne annos Julianos cum Periodo Juliana confundas; illi ineunt anno ante æram Christi 45.

Jam quæcumque sit chronologi, quem præ manibus habes, methodus, an nostræ concordet, aut repugnet, sic dignosces. Vide quoto serie quam instituit anno æram Christianam incipiat, hinc regressus vide quo anno factum aliquid definiat, simul intelliges an nos eodem factum concedamus.

Antequam seriem temporum juxta nostram opinionem proponamus, præmittendas censuimus tabulas aliquot, quarum prima varias chronologorum sententias de annis mundi usque ad Christum eo fine exhibet, ut facilius secundum expositam superius methodum nostra chronologia cum illorum diversis systematibus conferatur.

Secunda Patriarcharum annos ante diluvium juxta triplicem editionem.

Tertia, Quarta, & Quinta annos Patriarcharum post diluvium juxta triplicem editionem.

TABULA PRIMA.

Opiniones Celebriorum Chronologorum de anno Mundi, quo incipit Æra Christiana.

3730	R. Nahesson.
3754	R. Gerleson, R. Ben Levi, & R. Abraham.
3758	Judæi in Seder Olam.
3760	Hieronymus a S. Fide. Paulus a S. Maria. Lyranus. Georgius Venetus, Galatinus, & alii qui sequuntur Chronica vulgata.
3780	R. Levi.
3784	Aliqui Thalmudici.
3834	S. Julianus ex Hebraica editione.
3849	Benedictus Arias Montanus.
3928	Gerardus Mercator Lighfoot.
3932	Matthæus Beroaldus.
3941	S. Hieronymus in suis quæstion. Hebr.
3944	Joannes Carion.
3949	Origanus, Argolus, Bullialdus.
3950	Scaliger. Ubbo Emmius. Fabricius Vecchiettus Calvisius, Helvicus, Alstedius, Micrelius, Strauchius.
3952	Hermannus.
3953	Vincentius Bellovacensis, Cornelius a Lapide.
3955	Joannes Georgius Herwart.
3956	Horatius Tursellinus
3958	Lanspergius, qui debuerat juxta propria principia numerare 3972.
3961	F. Mathias Chesneux Augustinianus, Salmeron.
3962	Sixtus Senensis, Lucidus Picus Mirand. & alii quamplurimi Mathematici.
3963	Tostatus, Melanchton, Buxtorfius.
3964	Petrus Ballisardus, Christianus Severt, Daniel Angelocrator.
3966	Petrus Opmeer.
3968	Hieronymus Bardius.
3969	Funcius. Bullingerus, Henricus Butingus,
3970	Bukolcerus, Pantaleon. Jansenius.
3971	Lombardus. Krentshelmius.
3977	Theodorus Bibliander.
3982	Bellarminus. Petavius.
3989	Carolus Bovillus.
3993	Joannes Kepplerus.
4000	Natalis Alexander.
4004	Usserius, ut falso Lancellotus asserit.
4005	Mar. Ant. Cappellus, Tirinus. Jac. Gordon. Usserius,
4022	Peterius, Conradus, Pauvellus.
4032	Thomas Lydiat.
4020	Guil. Langius, Henricus Philippi.
4049	Joannes Jacobus Hofmannus.
4051	Xantes Pagninus.
4053	Nicolaus Mullerus.
4054	Brietius. Labbe, Henricus Samerius, Tornicllus, Spondanus.
4055	Horatius Scoglius, Salianus. Bassetes.
4058	R. Moses Bar Maymon, Josephus Blancanus.
4072	Jo: de Roa, Davila.
4088	Arnaldus Pontacus.
4090	Genebrardus.
4095	Ribera.
4105	Ludovicus Cappellus.
4121	Brentius.
4133	Malvenda.
4141	Laurentius Codomanus.
4182	Ricciolus juxta Vulgat. & Hebr. Edit.
4193	Marianus Scotus.
4270	Ado.
4320	Odiaton, seu Eduvicon Astrologus.
4697	Cassiodorus.
4830	Origenes in Matthæum.
4852	Adon Archiepiscopus Viennensis.
4891	Auctor hujus Chronologiæ.
5000	Metrodorus.
5001	Epiphanius in secunda Nicæna Synodo.
5185	Arabes aliqui apud Genebrardum.
5195	Sigebertus. Isidorus Hispalensis.
5198	Philippus Pergomensis.
5199	Martyrologium Romanum, Beda, Eusebius Cæsariensis.
5201	Paulus Orosius. Baronius, Paulus Forosempronien. Jo: Naucletus.
5220	Isidorus in Originibus.
5296	Rabanus Maurus.
5328	Albumasar Astronomus.
5335	S. Isidorus Pelusiota, Lucas Tudensis,
5351	S. Augustinus apud Genebrardum.
5492	Panodorus. Pagius.
5497	Q. Julius Hilarion.
5500	Theophanes, Jornandus, Nicephorus C. P.
5504	Alexandrina Ecclesia.
5505	Nicephorus Calistus.
5506	Cedrenus
5508	Theophilus Antioch. Chronicon Alexandrin,
5509	Epiphanius Cyprius.
5510	Ecclesia C. P.
5624	Clemens Alexandrinus.
5634	Ricciolus juxta LXX. Edit.
5800	Lactantius.
5801	Philastrius.
5972	R. P. Pezron.
5982	Tabulæ Alphonsinæ in codice Riccioli.
6000	S. Cyprianus. Suidas.
6002	Isaac Vossius
6011	S. Julianus Archiepiscopus Toletanus.
6311	Onuphrius Panvinius.
6984	Joannes Regiomontanus, & Alfonsus Rex in Tabulis Malleri.

TABULA SECUNDA

Decem primorum Patriarcharum Stemma & annorum vitæ summam complectens ad Diluvium usque, idque juxta triplicem, Judæorum, Græcorum & Samaritanorum calculum.

	Secundum Textum Hebr.						Secundum LXX. Interpr.					Secundum Samaritanos.				
	Genuit anno vitæ suæ	Vixit postquam genuit	Vixit in universum	Anno Mundi natus est	Anno Mundi obiit		Genuit anno vitæ suæ	Vixit postquam genuit	Vixit in universum	Anno Mundi natus est	Anno Mundi obiit	Genuit anno vitæ suæ	Vixit postquam genuit	Vixit in universum	Anno Mundi natus est	Anno Mundi obiit
1 Adam.	130	800	930	1	930		230	700	930	1	930	130	800	930	1	930
2 Seth.	105	807	912	130	1042		205	707	912	230	1142	105	807	912	130	1042
3 Enos.	90	815	905	235	1140		190	715	905	435	1340	90	815	905	235	1140
4 Cainan.	70	840	910	325	1235		170	740	910	625	1535	70	840	910	325	1235
5 Malaleel.	65	830	895	395	1290		165	730	895	795	1690	65	830	895	395	1290
6 Iared.	162	800	962	460	1422		162	800	962	960	1922	62	785	847	460	1307
7 Henoch.	65	300	365	622	987		165	200	365	1122	1487	65	300	365	522	887
8 Macusala.	187	782	969	687	1656	a Ed. Gr comment. b Hieron Euseb. & August.	a187 b167	782 802	969	1287	2256	67	653	720	587	1307
9 Lamech.	182	595	777	874	1651		188	(565 (535	753 723	(1474 (1454	2227 2207	53	600	653	654	1307
10 Noe.	500	450	950	1056	2006		500	450	950	(1662 (1642	2612 2592				707	
Diluvium.			duravit	cœpit	desiit				duravit	cœpit	desiit			duravit	cœpit	desiit
			1	1656	1657					(2262 (2242	2263 2245			1	1307	1308

TABULA TERTIA

Complectens Patriarchas post Diluvium usque ad Abrahamum juxta textum Hebræum. Gen. 11. 10.

	Genuit anno vitæ suæ	Vixit postquam genuit	Vixit in universum	Anno Mundi natus est	Anno Mundi obiit
1 Sem.	100	500	600	1558	2158
2 Arphaxad.	35	403	438	1658	2096
3 Selah.	30	403	433	1693	2126
4 Heber.	34	430	464	1723	2187
5 Phaleg.	30	209	239	1757	1996
6 Reu.	32	207	239	1787	2026
7 Sarug.	30	200	230	1819	2049
8 Nachor.	29	119	148	1849	1997
9 Thare.	130	75	205	1878	2083
10 Abraham.				2008	

TABULA QUARTA

Complectens Patriarchas post Diluvium usque ad Abraham, idque juxta Samaritanorum Codicem ex Eusebii Chronico Græco.

	Genuit anno vitæ suæ	Vixit postquam genuit	Vixit in universum	Anno Mundi natus est	Anno Mundi obiit
1 Sem.	100	500	600	1209	1809
2 Arphaxad.	a 135	303	438	1309	1742
3 Selah.	130	303	433	1439	1872
4 Heber.	134	270	404	1569	1973
5 Phaleg.	130	109	239	1703	1942
6 Reu.	132	207	339	1833	2172
7 Sarug.	130	100	230	1965	2195
8 Nachor.	79	69	148	2095	2243
9 Thare.	70	75	145	2174	2319
10 Abraham					

TABULA

TABULA QUINTA

Complectens Patriarchas post Diluvium usque ad Abrahamum, idque secundum LXX. translationem.

	Juxta Sixtinianam editionem.					Juxta Basiliensem & Vvechelianam editionem.				
	Genuit annos natus	Vixit postquam genuit	Vixit in universum	Anno Mundi natus est	Anno Mundi mortuus est	Genuit annos natus	Vixit postquam genuit	Vixit in universum	Anno Mundi natus est	Anno Mundi obiit
1 Sem.	100	500	600	2165	2765	100	335	435	2165	2600
2 Arphaxad.	135	403 Euf. 400 430 Plant.	538 535 565	2265	2803 Euf. 2800 2830 Plant.	135	330	465	2265	2730
3 Cainan.	130	330	460	2400	2860	130	330	460	2300	2860
4 Selah.	130	406 Euf. 335	530 465	2530	3066 Euf. 2995	130	330	460	2530	2990
5 Heber.	134	135 Euf. 270	269 404	2660	2929 Euf. 3064	134	370	504	2660	3164
6 Phaleg.	134 Plant. 150	209	339	2794	3133	130	209	339	2794	3133
7 Reu.	132	207	339	2924	3163	132	207	339	2924	3263
8 Sarug.	130	200	330	3056	3386	130	200	330	3056	3286
9 Nachor.	79 Af.Ev. 179	119 135	195 204	3186	3384 Eus. & Afr.3409	79	† 129	208	3186	3394
10 Thare.	70	135	205	3262 Euf. & Afr.3365	3570	70	135	205	3265	3570
11 Abraham.										

Anno Mundi	MUNDUS AUTUMNO CREATUS.	Anno ante æram Christi.
Adam.	Vixit Adam centum triginta annis, & genuit ad imaginem & similitudinem suam,	
1		4890
131	& vocavit nomen ejus Seth. *Gen.* 5. v. 3.	4760
Seth.	Vixit quoque Seth 105. annis, & genuit Enos. *Ibid.* v. 6.	4656
235		
Enos.	Vixit quoque Enos 90. annis, & genuit Cainan, v. 9.	4566
325		
Cainā.	Vixit quoque Cainam 70. annis, & genuit Malaleel, v. 12.	4496
395		
Malal.	Vixit quoque Malaleel 65. annis, & genuit Jared, v. 15.	4431
460		
Jared.	Vixit Jared 162. annis, & genuit Henoch, v. 18.	4269
622		
Henoch. 687	Porro Henoch vixit 65. annis, & genuit Mathusalam, v. 21.	4204
Math.	Vixit quoque Mathusala 187. annis, & genuit Lamech, v. 25.	4017
874		
930	Adamus moritur.	3961
988	Henoch raptus.	3903
1042	Seth moritur.	3849
Lamec.	Vixit autem Lamech 182. annis, & genuit Noe, v. 28.	3835
1056		

Anno Mundi		An. ante ær. Ch.
1140	Enos moritur.	3751
1235	Cainan moritur.	3656
1290	Malaleel moritur.	3601
1422	Jared moritur.	3469
1536	Noe prædicit diluvium post annos 120. futurum, *Gen.* 6. v. 3.	3355
1558	Noe genuit Sem, *Gen.* 13. v. 5.	3333
1655	Mathusala moritur.	3236
Noe. 1656	Anno sexcentesimo vitæ Noe mense secundo, septimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt, &c. *Gen.* 7. v. 11.	3235
	A Mundo condito ad diluvium, incipiens anno 1656. duravit anno integro.	
	Noe erat sexcentorum annorum, quando diluvii aquæ inundaverunt super terram, *Gen.* 7. v. 7.	
1657	Sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis, imminutæ sunt aquæ &c. *Gen.* 8. v. 3.	3234
1659	Cum esset centum annorum, Sem genuit Arphaxad	3232

Anno Mundi		An. ant. ær. Ch.
	phaxad biennio post diluvium, *Genes.* 11. v. 10.	
1794	Arphaxad genuit Sale 135. annos natus, *Gen.* 11. *ex Septuag.*	3097
1924	Sale quoque vixit 130. annis, & genuit Heber, v. 14.	2967
2006	Noe moritur æt. 950.	2885
2058	Vixit autem Heber. 134. annis, & genuit Phaleg, v. 16.	2833
2153	Sem moritur.	2738
2185	Vixit quoque Phaleg 130. annis, & genuit Reu. v. 18. tunc divisa est terra, id est, paulatim incolere campos mos cœpit.	2706
2320	Vixit autem Reu 132. annis, & genuit Sarug, v. 20.	2571
2450	Vixit quoque Sarug 130. annis, & genuit Nachor, v. 22.	2441
2529	Vixit autem Nachor 79. annis, & genuit Thare, v. 24.	2362
2659	Vixit Thare 130. annis, & genuit Abraham, Nachor & Haran.	2232
2734	Septuaginta quinque annorum erat Abram cum exiret de Haran, *Gen.* 12. v. 4. hoc anno moritur Thare, Abram Charis migrat, & usque in Sichem pertransit, ubi audit a Deo, Semini tuo dabo terram hanc, *Gen.* 12. v. 7. hoc eodem & sequentibus annis novem Abram venit in Bethel versus meridiem; fame compulsus in Ægyptum migrat. Inde in terram Chanaan regreditur. Lot ab eo separatur, confirmantur promissiones a Deo factæ, venit in Hebron: quatuor Reges superat, a Melchisedech benedicitur, Deo rursus promissiones confirmante; & fœdus cum Deo, præscripto ab ipso Numine sacrificio, sancit, futuramque suæ posteritatis 400. annorum peregrinationem, servitutem, afflictionem edocetur &c. *Genes. cap.* 12. *& tribus sequentibus.*	2157
2744	Sara tulit Agar Ægyptiam ancillam suam post annos 10. quam habitare cœperat in terra Chanaan: & dedit eam viro suo in uxorem, *Gen.* 16. v. 3.	2147
2745	Anno undecimo ineunte, Agar nubit Abrahæ, concipit Ismaelem, dominam suam Saram despicit, ab ea dure habita fugit, ab Angelo ad heram redire, eique obtemperare jubetur, *Gen. cap.* 16.	2146
2758	Nascitur Ismael: octoginta & sex annorum erat Abram, quando peperit ei Agar Ismaelem, *Ibidem* v. 16.	2133
	Abraham nonaginta novem erat annorum quando circumcidit carnem præputii sui, & Ismael filius tredecim annos impleverat tempore circumcisionis suæ. Eadem die circumcisus est Abraham & Ismael filius ejus, & omnes viri domus illius tam vernaculi quam emptitii, & alienigenæ pariter circumcisi sunt, *Gen.* 17. v. 24.	
2759	Postquam nonaginta & novem annorum (scil. exactorum) esse cœperat, (Abrahamus) apparuit ei Dominus &c. *Gen.* 17. v. 1. Quem ad annum spectat etiam illud v. 21. Pactum vero meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto, in anno altero, id est, sequenti. Hoc anno Abrahæ centesimo currente gesta sunt quæ traduntur *cap.* 17. *Genes. & tribus sequentibus*. Deus rursum apparens Abrahæ renovat promissiones. Abram & Sarai nomina in Abraham & Saram immutat, præcipit circumcisionem, Isaac ex Sara anno sequenti nasciturum prædicit, Ismaelis successum pollicetur; Abraham cum suis circumciditur, Angelos hospitio suscipit, qui Saræ partum & Sodomorum interitum prænuntiant. Angeli apud Lot Sodomæ hospitantur, eumque, uxorem & filias imminenti incendio eripiunt; Sara Geraris soror Abrahami putata periculum subit, & evadit non sine miraculo in familia Abimelech divinitus edito.	2132
2760	Nascitur & octavo die circumciditur Isaac, cum Abrahamus 100. esset annorum: hac quippe ætate patris natus est Isaac, *Gen.* 21. *vers.* 5.	2131

Anno Mundi		An. ant. ær. Ch.
	Crevit puer, & ablactatus est anno juxta Hieronymum quinto, *Gen.* 25. v. 8.	
2765	Ejice ancillam hanc, & filium ejus, *Ibid.* v. 10. *& infr.* v. 14. Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem & utrem aquæ imposuit scapulæ ejus, tradiditque puerum & dimisit eam.	2126
2785	Isaac cum 25. annorum esset juxta Josephum, Deo a patre in sacrificium offertur, sed a Deo neci subtrahitur.	2106
2797	Vixit Sara centum vigintiseptem annis, & mortua est in civitate Arbe, quæ est Hebron, *Gen.* 23. v. 1.	2094
2800	Isaac cum esset quadraginta annorum, duxit uxorem Rebeccam, *Gen.* 25. v. 20.	2091
	Abraham aliam duxit uxorem nomine Ceturam, 25. 1.	
	Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis; qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ, *Gen.* 25. *vers.* 21.	
2820	Sexagenarius erat Isaac, quando nati sunt ei parvuli, nempe Jacob & Esau.	2071
2835	Fuerunt dies vitæ Abrahæ centum septuagintaquinque anni, & deficiens mortuus est in senectute bona &c. *Gen.* 25. v. 7. Tunc Isaac erat 75. annorum: Jacob vero & Esau 15.	2056
2860	Esau quadragenarius duxit uxores, *Genes.* 26. *vers.* 34.	2031
2883	Facti sunt anni vitæ Ismael centum triginta-septem, deficiensque mortuus est. *Genes.* 18. *vers.* 17.	2008
2896	Jacob matre suadente benedictionem paternam præripit; tum eadem suadente in Mesopotamiam Syriæ proficiscitur, quo in itinere vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, *Gen.* 28. v. 12. Erat tum Jacob annorum circiter 77.	1995
	Et postquam impleti sunt dies mensis unius, dixit ei: Num quia frater meus es, gratis servies mihi? &c. *Gen.* 29. v. 15.	
	Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis, *Ibid.* v. 20.	
2904	Expleto primo servitutis septennio, Lia nubit Jacobo: ac post septem dies Rachel eidem fit conjux, *Gen.* 19. v. 28.	1987
2905	Anno 8. servitutis nascitur Ruben, ex Lia.	1986
2906	Anno 9. servitutis Lia parit Simeonem.	1985
2907	Anno 10. Lia parit Levi.	1984
2908	Anno 11. ex Lia nascitur Juda: ex Bala, Dan.	1983
2909	Anno 12. ex eadem Bala natus est Nephthali, ex Zelpha Gad.	1982
2910	Anno 13. ex Zelpha nascitur Aser, ex Lia Issachar.	1981
2911	Anno 14. ineunte, ex Lia Zabulon, exeunte Dina nascitur. Ex Rachele Joseph, dixitque Jacob socero suo: *Dimitte me ut revertar in patriam, & ad terram meam: da mihi uxores & liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam*. *Gen.* 30. 25. *&* 26.	1980
2918	*Per viginti annos in domo tua servivi tibi, quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis*, inquit Jacobus ad Laban, *Gen.* 31. v. 41. Absoluto isto anno vigesimo Jacobus in terram Chanaan revertitur, cum esset circiter 97. annorum: Joseph autem annum ætatis suæ septimum ingressus. Tunc fœdus pepigerunt Jacob & Laban in monte Galaad, ut late refertur *Gen.* 31. tunc facti sunt Jacobo obviam Angeli Dei, *Gen.* 32. v. 1. Luctatus est cum Angelo, *Ibid.* v. 24. Muneribus & officiis fratrem suum Esau placat. *cap.* 33.	1973
	Jacob post suum e Mesopotamia reditum, partim in Sochoth, partim ad Sichem mansit annis decem.	
	Dinam, quando violata est, fuisse annorum sexdecim & quatuor mensium, auctor est Demetrius apud Eusebium.	
	Post casum Dinæ ante abductionem Josephi venit Jacob in Bethel, aliquandiu ibidem habitavit, mox in Hebron migravit, tum Joseph venditus. Anno decimosexto completo incipiunt	

Anno Mundi		An. ant. Ch.
1927	piunt anni 430. moræ filiorum Israel in Ægypto: agebat enim annum ætatis suæ decimumseptimum, ut habet translatio septuaginta Interpretum; tunc Jacob erat 107. annorum, cui eodem anno Deus apparuit. Genes. 25. v. 7. confirmavitque Testamentum cum Abraham initum de Messia ex Jacob orituro, cui Gentes congreget, consule V. Gr. Ab hac Testamenti confirmatione ad legem datam numerat Paulus ad Galat. 3. vers. 11. annos 430.	1964
2928	Anno 18. Josephi videtur natus Her primogenitus Juda, anno sequenti Onan, sequenti Sela.	1963
2919		1962
2930		1961
	Joseph ab uxore Putipharis frustra tentatus, & calumniam passus.	
	Completi sunt dies Isaac centumoctoginta annorum, consumptusque ætate mortuus est, & appositus est populo suo & senex & plenus dierum, & sepelierunt eum Esau & Jacob filii sui, Gen. 35. v. 28. Tunc Jacob & Esau erant 120. annorum, quia nati cum Isaac esset sexagenarius, Gen. 25. v. 26.	
2941	Post duos annos vidit Pharao somnium, Genes. 41. v. 1. nempe ex eo tempore, quo pincerna Regis officio suo restitutus fuerat: jam autem antea in carcere aliquandiu manserat Josephus.	1950
	Ecce septem anni venient fertilitatis magnæ in universa terra Ægypti, quos sequentur septem anni famæ sterilitatis, ut oblivioni tradatur cuncta retro abundantia, Genes. 41. v. 29. & 30.	
	Annos fertiles sanctus Augustin. quæst. 128. in Genes. anno 30. Josephi subjungit. Triginta annorum erat Joseph quando stetit in conspectu Pharaonis, Gen. 41. v. 46.	
2942	Thamar ex incestu peperit geminos, Phares & Zaram.	1949
2950	Biennium est enim quod cœpit fames esse in terra, & adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti, Gen. 45. v. 6.	1941
	Jacob ut venit in Ægyptum, de ætate sua interrogatus; Dies, inquit, peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt pauci & mali, & non pervenerunt usque ad dies Patrum meorum, quibus peregrinati sunt, Genes. 47. v. 9. Tunc Josephus erat 39. annorum, teste sancto Augustino, quæst. 47. in Exodum.	
2967	Habitavit ergo Israel in Ægypto, id est, in terra Gessen, & possedit eam, auctusque est, & multiplicatus nimis, & vixit in ea decem & septem annis, factique sunt omnes dies vitæ illius centum quadragintaseptem annorum, Genes. 47. vers. 28.	1924
3021	Joseph mortuus est expletis 110. vitæ suæ annis, Gen. 50. v. 25.	1870
3044	Anni vitæ Levi fuerunt centum trigintaseptem, Exod. 6. v. 16.	1847
3230	Pharao Sesostris regnare incipit in Thebaide, Ægyptum, Lybiam, Æthiopiam, Asiam universam Imperio suo subjicit annis mille quadringentis post Menem.	1661
3258	Anno regni vigesimo octavo de opprimendis Hebræis cogitat.	1633
3260	Nascitur Maria soror Mosis, fratre natu major annis sexdecim.	1631
3273	Nascitur Aaron Mose natu major triennio.	1618
3276	Moses nascitur anno Sesostris quadragesimosexto, Exod. 11.	1615
3290	Sesostris moritur anno regni 59. Mosis 14. Pharao Ramesses regnat.	1601
3316	Anno Ramessis vigesimosexto Moses quadragenarius negat se filium filiæ Pharaonis, Ægyptium interficit. Fugit in Madianitidem, Exod. 21. vers. 11. Act. 7. vers. 53. Paul. ad Hebr. 11.	1575
3356	Post multum vero temporis moritur Ramesses rex Ægypti, anno regni 66. expleto, succedit Amenophis, Mosi apparet Deus. Exod. 11. plagæ Ægypti incipiunt.	1535
3357	Primum Pascha. Exodus anno a Josephi captivitate quadringentesimo trigesimo, ut pro-	1534

Anno Mundi		An. ant. Ch.
	bant, Exod. 12. v. 40. Judith cap. 5. v. 9. Joseph. lib. 2. antiq. cap. 5. Theophil. Antioch. lib. 3. ad Autolycum sub finem.	
	Nobiscum sentiunt Eugubinus, Genebrardus, Stapletonus, Marsus, Abramus e Societate Jesu in Pharo veteris testamenti, lib. 9 Catholici, Hæretici, Thaddæus Dunus, Vossius Pater in Chronologiæ sacræ Isagoge. Vulgarem chronologorum errorem novis argumentis refellemus in chronologia nostra fusius exposita. Ostendemus quoque sententiam nostram juvari testimonio Pauli ad Galatas, cap. 3. nec infirmari textu Samaritano, aut versione Græca; hanc & illum Hebraico fonti conformes olim fuisse, tum lectionis varietas, tum Theophilus Antiochenus ostendit.	
	Anno primo peregrinationis transitus maris Rubri, Manna pluit, aquæ fluunt e saxo, lex data die quinquagesima ab altera Azymorum, vitulus confractus, Moses quadraginta diebus orat pro populo, redit, jubet ornatum deponi a populo, iterum ascendit in montem, orat quadraginta dies, redit cum secundis tabulis. Jethro venit ad Mosem.	
3358	Tabernaculum erectum mense primo Nisan, prima die mensis, Aaron consecratur.	1533
3396	Anno peregrinationis trigesimo nono moriuntur Maria & Aaron, Num. 20. & 21.	1495
	Anno quadragesimo peregrinationis Moses moritur, Deut. v. 11. Hebræi Jordanem transeunt. lib. Josue cap. 1.	
3402	Anno sexto post ingressum divisio terræ peracta, annis post descensum Jacob in Ægyptum quadringentis quinquaginta tribus, ut intellige, Act. 13.	1489
3410	Josue moritur anno regiminis post sortitionem 8.	1481
	Seniores qui Josue diutius supervixerunt, moriuntur post decem annos, quo tempore gesta, quæ leguntur libro Judicum, c. 17. ad libri finem.	
3420	Servitus sub Chusane annis 8.	1471
3428	Othoniel populum a se liberatum judicat annis 40	1463
3468	Servitus sub Eglone annis 18.	1423
3486	Aod populum liberat, & judicat annis 80. Samgar feliciter pugnat anno Aod ultimo, mortuo Aod.	1405
3556	Servitus sub Jabine annis 20.	1315
3586	Debora & Barac populum liberant. Terra quievit annis 40.	1305
3626	Servitus sub Madianitis annis 7.	1265
3633	Gedeo liberat populum, & judicat annis 40.	1258
3673	Servitus sub Abimelech annis 3.	1218
3676	Thola judicat annis 23. sub eo historia Ruth.	1215
3699	Jair judicat annis 4. Ammonitæ sub Jaire annis 18. Israelem opprimunt.	1192
3721	Jephte judicat annis 6. Tunc anni supra trecentos 26. ab anno Exodi, quo portio terræ ablata Ammonitis, Judic. cap. 11. v. 26.	1170
3727	Abesan solus annis 5.	1164
3732	Abesan cum Heli 2.	1159
3734	Ahialon cum Heli 10.	1157
3744	Abdon cum Heli 8.	1147
3772	Heli solus 20. annis tempore servitutis Philisthinæ.	1152
3772	Samson 20. annis tempore servitutis Philisthinæ.	1119
3792	Samuel annis 20.	1099
3812	Saul rex annis 20.	1079
3814	Saul filius unius anni erat, id est, morbus innocuis, candido & simplici ingenio, cum regnare cœpisset: duobus annis regnavit, & elegit tria millia de Israel.	1077
3817	Amalecitæ deleti, reprobatus Saul, David unctus annos natus sexdecim.	1074
3818	Pugna Davidis cum Goliath.	1073
3830	Samuel moritur.	1061
3832	Saul moritur. David 30. annos natus regnat super Juda in Hebron, annos 7. menses 6. Isboseth natus annos 11. regnat super Israel.	1059
3834	Postquam Isboseth regnasset duobus annis, pugna fortium 2. Reg. cap. 2. v. 10. seq.	1057

Mori-

Anno Mundi		An. an. ær. Ch.
3839	Moritur Isboseth ; David regnat super omnes tribus.	1052
3843	David transfert Arcam in monte Sion, anno regni undecimo.	1048
3847	Adulterium Davidis.	1044
3848	Ammon peccat. Salomon nascitur.	1043
3850	Absalom fratrem interimit.	1041
3853	Absalom redit postquam triennio exulasset.	1038
3855	Absalom post biennium redit in gratiam cum Patre.	1036
3857	Anno Davidis quadragesimo primo a prima unctione, Absalom in patrem rebellat, & perit.	1034

Anno Mundi		An. an. ær. Ch.
3872	David moritur, anno ætatis 70. regni 40. expleto.	1019
3876	Salomon templum ædificat, anno regni quarto, post completum terræ sanctæ ingressu egressionem ex Ægypto 480.	1013
3883	Salomonis undecimo perfecta est domus Domini, & dedicata mense septimo.	1008
3911	Salomon moritur anno regni quadragesimi inchoante, ætatis sexagesimo secundo, succedit Roboam; Jeroboam decem tribus sibi adjungit.	980

Anno Mundi	REGES JUDA.	REGES ISRAEL.	An. ar. ær. Ch.
3911	Roboam anno ætatis quadragesimo primo adhuc juvenis stylo non Scripturæ tantum, sed etiam Varronis, regnat super Judam annos 17. & menses plures.	Jeroboam regnat super Israel annos viginti duos non completos.	980
3914		Initium schismatis anno Jeroboam quarto, *in 2. Paralip.*	977
3915	Sesac expugnat Jerusalem anno Roboam quinto.	*cap.* 11. 7. Incipiunt anni 390. *Ezech.* 10. 24. 56.	976
3928	Aoias regnat super Judam annos tres.	Anno Jeroboam decimo octavo ineunte.	963
3931	Asa regnat annos 14.	Anno Jeroboam 20.	960
3932	Anno ejus secundo ineunte.	Nadab filius Jeroboam regnat duobus annis, id est, anno integro, & mensibus duobus.	959
3933	Anno ejus tertio.	Baasa Nadabum interimit, & regnum usurpat, & regnas viginti quatuor annos non completos.	958
3941	Huc usque pax ; incipit bellum cum Baasa. Asa urbes montis Ephraim capit anno regni undecimo.	Baasæ nono.	950
3945	Anno regni decimoquinto Zare Æthiops victus ; idola ablata ex urbibus quas acceperas.		946
	Iterum decem annis Juda quiescit nullo hoste invadente, quamquam cum Baasa pax non esset, in cujus regnum excurrebant subditi Asæ.		
3956	Anno Asæ vigesimo sexto Baasa ut a Judæis tutus esset, munire Rama incipit ; sed Syrorum adventu cogitur ab incepto desistere, *ex libro Regum 3. cap.* 15. *v.* 33. corrigendusque error qui in Paralipomena irrepsit, *Lib.* 2. *cap.* 22.	Baasa moritur post viginti tres annos, mensem unum. Ela filius ejus succedit, qui regnat annos duos non completos.	935
3957	Anno vigesimo septimo Asæ.	Ela occiditur, regnat Zambri diebus septem, Thebni & Amri quatuor annis de regno contendunt.	934
3961	Trigesimo primo Asæ, mense secundo.	Amri prævalet, & regnat annos octo.	930
3968	Trigesimo octavo, mense tertio.	Achab regnat annis viginti duobus.	913
3971	Asa rex quadragesimo primo regni sui moritur. Succedit Josaphat, & regnat annos 25.		920
3980	Josaphat nono.	Elias prophetat.	911
3988	Anno decimo septimo Josaphat.	Ochozias regnat cum patre, Elias in cælum rapitur.	903
3989	Anno Josaphat decimo octavo finiente.	Achab moritur. Ochozias secundo regni sui anno ægrotat, & Joram regnat cum fratre. Elisæus prophetat.	902
3994	Vigesimo tertio Josaphat, Joram filius ejus regnat cum patre.	Joram cum fratre regnantis anno quinto finiente.	897
3995	Josaphat moritur anno regni vigesimo quinto expleto, regnat Joram solus.	Joram cum fratre regnantis septimo.	895
3998	Joram solus secundo.	Moritur Ochozias. Regnat Joram filius Achab solus.	893
4001	Joram moritur regni sui a primo initio octavo anno, a morte patris quinto. Succedit Ochozias natus annos vigintiduo. Hic iterum *ex libro Regum*, *Lib.* 4. *cap.* 8. corrigendus error, qui irrepsit in Paralipomena, *Lib.* II. *cap.* 22. post confectam versionem quæ LXX. dicitur : natu minimus Joram, qui anno quadragesimo decessit, quomodo patre moriente numerasset annos quadraginta duos?	Joram filii Achab anno a primo initio undecimo completo, duodecimo ineunte.	890
	Ochozias moritur eodem anno.	Joram moritur eodem anno.	889
4002	Athalia regnum usurpat sex annis.	Jehu regnat 28. annos.	883
4008	Joas filius Ochozias ad annos quadraginta.	Jehu septimo.	860
4031	Joæ vigesimo tertio ineunte.	Joachaz filius Jehu annos septemdecim non integros.	846
4045	Joæ anno trigesimo septimo ineunte.	Joas filius Joachaz cum patre triennium.	845
4046	Anno trigesimo octavo Amasias cum patre.	Joæ cum patre regnantis secundo.	844
4047	Joæ anno trigesimo nono finiente.	Joachaz moritur.	
		Joas filius Joachaz regnat solus annos sexdecim non integros.	843
4048	Joas moritur. Succedit Amasias, regnat annos viginti.	Joæ secundo.	831
4050	Amasiæ decimo quinto, a morte patris duodecimo.	Joas moritur anno regni decimo sexto, a morte patris decimo tertio.	
			816
4075	Anno vigesimo nono a morte patris fugit in Lachis.		
	Ozias in regem eligitur a conjuratis. 4. *Reg. cap.* 14. *Paralip. cap.* 26.		805
4086	Amasias anno post fugam undecimo occiditur a conjuratis.		
4087	Oziæ legitime regnantis postquam rex est mortuus, primus	Jeroboam vigesimo septimo.	804

Anno Mundi	REGES JUDA.	REGES ISRAEL.	Anno ante Ch.
	nitt anno. Eo regnante prophetant Ozee, Joel, Amos, Isaias, Abdias, Jonas, Michæas.		
4101	Oziæ decimo quinto.	Jeroboam moritur, Zacharias succedit quidem, sed rebellionibus vexatus Samariam regni sedem non obtinet nisi anno regni sui vigesimo tertio.	79[illegible]
4114	Oziæ vigesimo octavo.	Prima Olympias.	777
4124	Oziæ trigesimo octavo.	Zacharias post menses sex regni pacifici occiditur a Sellum.	767
4125	Oziæ trigesimo nono.	Sellum regnat mense uno. Manahem regnat. Assyrii Medorum & Babyloniorum defectione debilitati annos re[illegible] sub Phacee.	766
4136	Oziæ anno quinquagesimo.	Manahem moritur. Phacee filius Manahem regnat.	755
4137	Oziæ quinquagesimo primo.	Roma condita.	754
4138	Oziæ quinquagesimo secundo a morte Amasiæ moritur.	Phacee filius Romeliæ regnat.	753
4139	Joatham regnat.	Phacee anno secundo. Sub hoc rege Theglath Phalassaris expeditio in Israelem.	752
4143	Joatham quinto.	Phacee sexto æra Nabonassaris.	748
4154	Joatham decimo sexto Achaz cum patre regnat.	Phacee decimo septimo.	737
4158	Joathami vigesimo, Achaz quarto.	Osee regnum Israel invadit: verum nec Samaria potitur nec rex ab omnibus agnoscitur, nisi anno abhinc nono	733
4166	Achaz anno duodecimo exeunte.		725
4168	Ezechias cum patre regnat.	Osee Samaria potitur.	723
4169	Ezechias regnat solus.	Osee tertio.	722
4173	Ezechiæ sexto prophetat Nahum.	Osee nono Samariam expugnat Salmanasar rex Assyriorum; finit regnum Israelis.	718
4181	Ezechiæ decimo quarto ineunte Nisan venit Sennacheribus. Ezechias ægrotans convalescit. Veniunt legati regis Babylonis: circa hoc tempus contigit historia Tobiæ.	Anno Nabonassaris 38. Merodach [illegible].	710
4182	Ezechiæ decimo quinto deletur exercitus Sennacheribi, occiditur, succedit Assaradon.		709
4196	Moritur Ezechias anno regni 29. Manasses regnare incipit, regnat annos quinquagintaquinque.		695
4212	Anno Manassis decimo septimo ineunte.	Assaradon Babyloniam imperio adjungit anno Nabonasaris 68. incipiente mense Februarii.	679
4217	Anno vigesimo secundo Manassis; Manassis captivitas.	Assaradonis imperii Babylonici septimo.	674
	Manassis 25. Assaradon deducit colonias in Samariam, &	Assaradonis decimo.	
4220	tunc juxta Isaiæ Prophetiam post annos sexagintaquinque Ephraim non fuit populus; quippe Isaias hæc prædixit	Assaradon anno duodecimo vincit Phraortem Medorum regem.	671
4222	secundo Achaz. Vide *Is. 7. 5. 8.*		669
4223	Manassis vigesimo octavo.	Anno Nabonasaris 80. Assaradonis decimo tertio contigit historia Judith.	668
4229		Semiramis annis quinque.	662
4230		Cyaxares, qui Assuerus, regnum patris recipere tenuit natus annos viginti; obstant Scythæ, & annis 28. Asiam vastant.	661
	Manasses moritur anno regni quinquagesimo quinto.		
4250	Amon regnat annum unum aliquot menses. Habacuc prophetat.		641
4251	Josias regnat annos triginta unum. Incipit mense Tisri Prophetat Sophonias.		640
4256	Josiæ sexto.	Cyaxares expulsis Scythis regnum orditur.	635
4263	Josiæ decimo Jeremias prophetat.		628
4265	Josiæ decimo quinto.	Anno 123. Nabonasaris Nabopolassar regnare incipit Cyaxaris anno octavo.	626
4272	Josiæ vigesimo secundo.	Anno Nabonasaris 129. Cyaxares & Nabuchodonosor, qui Nabocolasar & Bel-Aziz dictus, filius Nabopolasaris, paternas copias ducens, Niniven diruunt non ante dirutam. Sardanapalus seipsum comburit Cyaxaris anno decimo septimo, Napobolasaris octavo.	619
4273	Josiæ vigesimo tertio moritur Tobias junior anno ætatis 99. audita prius Ninives ruina.		618
4274	Josiæ vigesimo quarto regnat Pharao Nechan.		617
4282	Josias regni trigesimo secundo inchoato occidit castris æstivis. Joachaz succedit, & regnat tres menses: post hunc Joachim initio Augusti.		609
4285	Joachim tertio venit Nabuchodonosor, expugnat Jerusalem; Rex captus & vinctus paciscitur de obsequio regi Babylonis præstando. Tunc plurimi abducti in Babylonem, quos inter Daniel & alii de semine regio. Hinc initium septuaginta annorum Babylonicæ captivitatis; discimus ex Alexandro Polyhistore, quem citat *Eusebius præpar. Ev. Lib. 9.* Cyaxarem fuisse hujus expeditionis participem.		606
4286	Joachim quarto Nechao rex Ægypti vincitur, de Syria & Palæstina pellitur.	Moritur Nabopolasar sub finem Junii, regnat Nabuchodonosor magnus annos 43. anno Cyaxaris trigesimo primo.	605
4289	Joachim anno septimo rebellat in Nabuchodonosorem bellis, ut verisimile est, impeditum. Interim Chaldæi, Moabitæ & Syri excursionibus Judæam infestant.		602
4290	Joachim octavo Nechao rex Ægypti moritur. Succedit Psammis.		601
4293	Joachim anno undecimo occiditur; captivi aliquot abducti; Jechonias regnat tres menses, dies decem. Autumno Jerusalem obsidetur, rex seipsum tradit hosti & Babylonem abducitur. Tunc translati Mardochæus & Esther in partem prædæ dati Medis Nabuchodonosori militantibus,	Ecclipsis annularis ad fluvium Halym 9. Julii, hora sexta matutina; hac territi Cyaxares & Aliattes rex Lydorum pacem ineunt mediatoribus Nabuchodonosore, qui Cyaxari suppetias ferebat, & Syennensi principe Ciliciæ, qui partes Aliattis fovebat. Bellum sex annis duraverat.	598

Cya-

Anno Mundi	REGES JUDA.	REGES ISRAEL.	An. ante Ch.
	tibue, ut docet *Jeremias cap.* 25. Medis credibile est præfuisse Astyagem.		
4295	Sedeciæ secundo currente.	Cyaxares moritur anno post expulsos Scytas quadragesimo; hic Assuerus Tobiæ.	596
4296	Sedeciæ tertio.	Primus Vaphree (Apries) Regis Ægypti, primus etiam Astyagis, qui Assuerus Estheris, & Darius Medus.	595
4297	Sedeciæ quarto.	Assueri secundo Mardochæus detegit conjurationem in regem.	594
4298	Sedeciæ quinto Ezechiel prophetare incipit annos triginta natus; numerat annos a sua & Jeconiæ deportatione.	Assueri convivium.	593
4302	Sedeciæ nono Nabuchodonosor Jerusalem obsidet.	Assueri septimo Esther nubit Assuero.	589
4303	Sedeciæ decimo Vaphree (Apries Herodoto) rex Ægypti Sedeciæ opem ferens a Chaldæis vincitur.		588
4304	Sedeciæ undecimo Jerusalem expugnatur, templum incensum, anno Nabuchodonosoris decimo nono: Ezechiel Tyriis de Jerusalem obsidione lætantibus prædicit urbis suæ cladem: idem sub anni finem incipiente anno duodecimo a deportatione Jechoniæ nuntium de capta Jerusalem accipit. Jeremiæ Epistola tunc scripta.		587
4305	Nabuchodonosoris regni Babylonici vigesimo, Judaici primo. Tyrus ab illo obsessa, durat obsessio in annum decimum tertium; Non prius obsessam docet *Ezechiel cap.* 26.		585
4306	Nabuchodonosoris regni Babylonici vigesimo primo, Judaici secundo, somnium de quo *Daniel cap.* 2. prius contigerat historia Susannæ.		585
4307	Nabuchodonosori regni Babylonici vigesimo secundo, regni Judaici tertio.	Assueri duodecimo Esther populum suum liberat.	584
4309	Nabuchodonosoris regni Babylonici vigesimo quarto, regni Judaici quinto Moabitas, Ammonitas, Palæstinos, Damascenos, Idumæos, Cedarenos, Asoræos, Arabes subigit juxta Prophetias Isaias, Jeremiæ, Ezechielis; eodem anno Baruch prophetat; septem ætates quibus captivitatis tempus definit, continent septuaginta annos, decem unamque generatio; hoc sensu veteres Medici & Suidas usurpant; eodem anno ultima deportatio per Nabuzardan.		582
4317	Nabuchodonosoris anno regni Babylonici trigesimo primo, Judaici decimotertio, Tyrus capta & expilata; Phœnicia subacta: coloniæ Tyriorum in Africa & Hispania hoc & sequentibus annis perdomitæ; Turduli in Hispaniam translati; Elimanis & Susæ ereptæ Medis; Persæ inde pulsi: Hyrcani, Armeni, Mosci & Tibareni debellati; Coloniæ in Pontum & Thraciam deductæ.		574
4321	Nabuchodonosoris anno regni Babylonici trigesimo quinto, Judaici decimo septimo, Ægyptum vastat juxta Prophetiam *Ezechielis cap.* 29. 30. & 32.	Ultimus Apries Amasidis primus regum Ægypti.	570
4322	Nabuchodonosoris anno regni Babylonici trigesimo sexto, regni Judaici decimo octavo, statua erecta, missi in fornacem Misach, Sidrach & Abdenago. Somnium *Danielis cap.* 4. *relatum*.		569
4323	Nabuchodonosoris anno regni Babylonici trigesimo sexto desinente, Judaici decimo nono inchoato, in dementiam incidit divinitus prænuntiatam; perseveravit ad annum septimum. Regnum interim administravit ejus uxor Nitocris, filia Cyaxaris.		568
4329	Nabuchodonosor post annos quadraginta tres anno præcedente expleto convalescit anni initio. Deum verum publico edicto agnoscit. Paullo post moritur. Succedit Evilmerodach filius ejus, qui statim Jechoniam vinculis eximit ante annos 37. deportatum, *libri Regum quarti cap. ultimo*.		562
4330	Evilmerodach occiditur anno regni a Neriglissore sororis marito. Regnum hic administrat pro rege annis minore Laborosorchud, qui Baltassar Danielis.		561
4331	Baltassaris anno primo Astyages asciscit in regni collegam Cyrum ex sorore nepotem natum annos quadraginta, cum Astyages annos octo supra quadraginta natus esset, *Danielis cap.* 5. *vers. ultimo, cap.* 13. *v. ultimo*. Porro hac conditione ascitus Cyrus, ut Persarum rex appellaretur, Astyages Medorum; hinc Persici regni initium, ejus Epocha omnium historicorum consensu certa nexus est sacræ prophanæque historiæ; eodem anno vidit *Daniel quæ capite 7. libri sui describuntur*.		560
4333	Baltassaris anno tertio vidit Daniel quæ *capite* 7. describuntur.		558
4334	Baltassaris anno quarto Cyrus Babylonem expugnat. Baltassar postquam sacra vasa ad prophanos usus adhibuisset in convivio, eadem nocte occiditur, qua urbs capta.		557
4335	Darius Medus, qui Astyages, imperium Babylonicum obtinet: anno primo regni ejus Prophetia de septuaginta hebdomadibus Danielis capite nono relata. Danielis leonibus exponitur hoc anno, vel sequenti.	Nabonedus prorex Babylonis ad annos septemdecim.	546

d 2 Cyrus

Anno Mundi		An. an. æ. Ch.
4351	Cyrus Asiæ Imperio Medico adjuncto in rebellem Nabonedum movet. Ille primo Balthasarem fugit; tum aspirio diffisus, Cyro se dedit, a quo habetur peramaniter.	540
4353	Moritur Astyages anno ætatis uno supra octoginta; hunc annum & præcedentem Cyro tribuit canon Ptolemaicus; at Cyrus protextant in Babylonis fuit quamdiu vixit Astyages.	538
4354	Cyri imperantis anno primo soluta captivitas, anno a prima deportatione septuagesimo; tunc evenere quæ Danielis capite 14. leguntur. Mardochæus aliquot annos supra nonaginta natus redit Jerusalem.	537
4354	Cyri anno tertio videt Daniel quæ leguntur, *cap.* 21.	537
4360	Cyrus anno Monarchiæ septimo moritur Susis verno tempore in lecto decumbens: testis luculentus Xenophon, cui cum Scriptura optime convenit; hoc anno desinit quadragenaria Ægypti desolatio prædicta ab *Ezechiele cap.* 29.	531
4368	Cambyses moritur anno regni octavo.	523
	Smerdis magus regnum usurpat, & appellari vult Artaxerxes; hic Assuerus Esdræ capite quarto, versu sexto, non diversus ab Artaxerxe, de quo versu septimo, qui primus domum Domini ædificari prohibuit.	
4369	Darius Hystaspis filius regnare incipit.	522
4370	Darii anno secundo edictum de templo ædificando, Xerxe, qui Artaxerxes dicitur, jam cum patre regnante.	521
4384	Darii anno sexto completa est domus Domini.	517
4404	Dario anno regni trigesimo sexto Xerxes succedit mense Majo.	487
4410	Xerxes anno regni sui septimo, ineunte vere, trajicit in Græciam, cum antea Artaxerxem filium regem declarasset.	481
4424	Xerxes moritur mense Julio, anno regni vigesimo primo inchoato; succedit Artaxerxes, qui Longimanus.	467
4430	Artaxerxis ab eo tempore, quo primum Rex declaratus est anno vigesimo, mense Casleu, id est Novembri, Neemias cogitat de muro Jerusalem reficiendo.	461
4431	Anno sequente, mense Nisan, id est Martio, Artaxerxis a prima coronatione anno vigesimo currente, eodemque a morte patris septimo, Esdras & Nehemias veniunt Jerusalem; eodem anno diebus quinquaginta duobus refectus est murus in angustia temporum, & completus die vigesimo quinto Elul, a quo die currunt septuaginta hebdomades Danielis.	460
4433	Artaxerxis anno trigesimo secundo redit Nehemias ad Artaxersem, id est, anno post mortem Xerxis decimo octavo.	448
4465	Artaxerxes moritur anno a morte patris quadragesimo primo.	424
	Xerxes secundus mensibus duobus, Sogdianus mensibus septem.	
4466	Darius Nothus regnare incipit.	425
4486	Darius Nothus moritur post annos regni novemdecim, succedit Artaxerxes Memoriosus.	405
4531	Artaxerxes Memoriosus moritur post annos regni quadraginta sex; succedit Ochus.	360
4552	Ochus moritur post annos regni unum supra viginti; succedit Arses.	339
4554	Arses moritur post annos duos; succedit Darius Arsami filius.	337
4558	Jaddua excipit Alexandrum.	333
4559	Darius vincitur ad Arbela ab Alexandro; finis regni Persici.	332
4560	Darius necatur.	331
4566	Alexander moritur decima nona Julii, postquam regnasset supra Macedones annos duodecim, menses septem, a pugna Issiaca annos octo, a morte Darii annos sex; succedit Aridæus.	325
4572	Aridæus moritur anno regni septimo, post quem Ptolemaicus canon in regum Babylonis serie Alexandrum Ægum Alexandri filium collocat.	319

Anno Mundi		An. an. æ. Ch.
4580	Seleucus Babyloniam, Mediam, Susianam ditioni suæ subjicit, & Syriæ regno dat initium; inde Æra Græcorum, qua utuntur scriptores utriusque libri Machabæorum; prior annos a Nisan inchoat, posterior a Tisri, quæ observatione facile conciliantur.	311
4587	Simeon Justus Oniæ Filius ab Ecclesiastico laudatus Pontificatum init.	304
	Circa illud tempus vixit Jesus filius Sirach auctor Ecclesiastici.	
4606	Ptolæmeus Lagi post annos regni quadraginta moritur ætatis anno octogesimo quarto; succedit Ptolemæus Philadelphus.	285
4609	Seleucus Nicator moritur anno regni 31. Regnat Antiochus Soter ejus filius, quo regnant sex Judæorum millia soli peremerunt centum viginti millia Galatarum propter auxilium illis datum de cælo, incertum quo Soteris anno, *Machab. lib.* 2. *cap.* 8. *vers.* 20.	282
4625	Arius Spartanorum Rex moritur, qui ad Oniam summum Pontificem hujus nominis primum scripsit, *Machab.* 1. *cap.* 12.	266
4628	Antiochus cognomine Deus patri succedit.	263
4642	Ptolemæus Philadelphus & Antiochus Deus pacem & nuptias pacis obsides ineunt. Antiochus rejecta Laodice Berenicem ducit Philadelphi sororem. Hieronymus *in Dan.* 11.	249
4643	Philadelpho in regno Ægypti succedit Ptolomæus Evergetes.	248
	Antiochus Rex Syriæ Berenicem Philadelphi filiam expellit, Laodicem revocat: hæc veneno maritum necat, Berenicem ejusque filium occidit.	
	Seleucus cognomento Callinicus succedit Antiocho.	
4663	Seleucus Ceraunus Rex Syriæ quintus succedit Callinico.	228
4666	Antiochus magnus Rex Syriæ post Ceraunum.	225
4669	Ptolemæus Philopator succedit Ptolomæo Evergeti.	222
4673	Antiochus a Ptolemæo Philopatore vincitur ad Raphiam, induciæ inter eos annuæ. Ptolemæus venit Jerusalem, & cum in sanctum ingredi vellet, mirabiliter coercetur, *Machab. lib.* 3.	218
4674	Ptolemæus Philopator Judæus ad idololatriam compellens divinitus immutatur, *Machab. lib.* 3.	217
4679	Antiochus magnus debellato Philopatore Judæos sibi adjungit.	212
4686	Ptolemæus Epiphanes quadrimus Philopatori succedit in regnum Ægypti. Hieronymus *in cap.* 11. *Dan.*	205
4687	Antiochus cum Philippo fœdus init adversus Ptolemæum.	204
4688	Legati Romani ad Antiochum missi ut pacem cum Ægypti Rege suaderent, ab eo contemnuntur. Hieronymus *in cap.* 11. *Dan.*	203
4692	Antiochus filiam Cleopatram Ptolemæo despondet, Hieron. *in Dan. cap.* 11.	199
4694	Antiochus Syriam Judæamque recipit victo Scopa Ptolemæi duce, cæsis Judæorum pluribus Scopæ militantibus, deinceps erga populum Judæorum clemens.	197
4699	Antiochus filiam suam tradit Ptolemæo, bellum contra Romanos movet, insulas Romanis fœderatas aggreditur.	192
4700	Antiochus victus ad Thermopylas in Asiam fugit: classis Antiochi infeliciter pugnat.	191
4701	Antiochus a Scipionibus vincitur, & captus emittitur, quod filium Scipionis captivum patri remisisset; legatos de pace ad Scipiones, deinde Romam mittit.	190
4702	Pax Antiocho data ea lege ut Asiæ locis cederet, & Provinciis quæ ultra Taurum sunt, quæ Eumenis Pergamenorum Regis essent in posterum, *Appianus, & Machab. lib.* 1. *cap.* 8.	189
4703	Antiochus magnus occiditur, cum Beli templum in Elymaide deprædari tentaret; & succedit Seleucus Philopator.	188
4705	Seleucus Heliodorum mittit ad templum expilan-	186

Anno Mundi		An. an. ær. Ch.
	pilandum, Heliodorus cælestibus ostentis a sacrilegio deterretur.	
4710	Ptolomæo Epiphani succedit Ptolemæus Philometor.	181
4713	Philometoris anno quarto Dositheus Epistolam Purim attulit Jerusalem, *Esther cap.* 11.	178
4715	Seleuco Philopatori succedit Antiochus Epiphanes.	176
4716	Jason Oniam hujus nominis tertium virum sanctissimum Pontificatu per fraudem spoliat.	175
4719	Menelaus Jasonem eadem fraude sacerdotio exuit, ut Jason fratrem Oniam.	172
4720	Antiochi prima in Ægyptum profectio, vincit Ægyptios inter Pelusium & Casium montem, se pueri Regis tutorem profitetur. Ptolemæus Cypri præfectus insulam illi tradit. Lysimachus fratri Menelao substituitur. Menelaus Oniam per Andronicum occidi curat: criminis pœnas luit Andronicus.	171
4721	Lysimachus multa conscio Menelao sacrilegia patrans occiditur a populo. Secunda Antiochi expeditio adversus Ægyptum. Jerusalem capitur & diripitur anno Græcorum quadragesimo tertio post centesimum.	170
4722	Antiochus tertia expeditione Ægyptum suæ ditioni subjicit præter Alexandriam. Philometori ab Alexandrinis sufficitur frater, qui Physcon & Evergetes dictus; ad eum veniens Philometor regni particeps fit: deinde pellitur. Antiochus fratrum discordiam fovet, & frustra tentat Alexandriam.	169
4723	Ptolemæi in gratiam redeunt, Antiochus ab Alexandriæ obsidione desistit deterritus a Legatis Romanis. Interim Apollonius Antiochi jussu Jerusalem iterum diripit, sævitque in Judæos. Antiochus redux furorem in Judæorum legem vertit. Martyrium Eleazari, & septem fratrum cum matre. Mathathias cum filiis religionis & patriæ defensionem suscipit.	168
4724	Mathathias moritur.	167
4725	Judas Apollonium, Nicanorem, Timotheum & Bacchidem vincit.	166
4726	Judas Lysiam vincit. Templum repurgatur 25. mensis Casleu.	165
4727	Lysias iterum vincitur. Antiochi mors; succedit Antiochus Eupator filius Antiochi. Lysias pacem offert Judæis; sed perfidi Syri Judæos vexare non desinunt.	164
4728	Judas arcem obsidet. Antiochus Eupator vincitur. Pax confecta. Menelaus pœnas criminum luit, cui succedit in Pontificatum Alcimus æque sceleratus.	163
4729	Antiochus Eupator occiditur: regnat Demetrius filius Seleuci Philopatoris.	162
4730	Alcimus Demetrium contra Judæos incendit. Vincitur Nicanor. Judas fœdere cum Romanis initio infeliciter pugnat cum Bacchide, & occiditur; cui succedit Jonathas frater ejus.	161
4731	Alcimus misere perit. Vacat Pontificatus in septennium. Judæa duobus annis quiescit.	160
4733	Jonathas, Bacchide debellato, pacem cum Syris componit.	158
4738	Alexander Antiochi Epiphanis filius Demetrium aggreditur. Jonathas partes Alexandri sequitur, a quo creatur Pontifex Maximus.	153
4741	Demetrius Soter pugnans fortiter occumbit. regnat Alexander, ducitque Cleopatram Ptolemæi Philometoris filiam. Jonatham magno habet in pretio. Onias in Ægypto templum ædificat, abusus Prophetia Isaiæ *cap.* 19.	150
4743	Demetrius Demetrii Soteris filius Alexandrum Balam aggreditur: Jonathas Apollonium Demetrii ducem fugat.	148
4745	Alexander a suis desertus, & ab ipso socero Philometore oppugnatus, perit. Philometor eodem tempore moritur; cui succedit Ptolemæus frater.	146
4746	Jonathas Demetrium placat, hic a Judæis defenditur contra subditos rebelles, quorum ad	145

Anno Mundi		An. an. ær. Ch.
	centum millia occiderunt, Demetrius beneficii immemor Judæos infectatur.	
4747	Tryphon Antiochum Alexandri filium regem appellat, & cum Jonatha fœdus init. Jonathas adversus Demetrianos bellum prospero eventu gerit. Cum Romanis & Spartiatis amicitiam renovat, dein Tryphonis fraude conjicitur in vincula, & necatur. Hoc anno Græcorum sexagesimo nono post centesimum scripta est prima Epistola, quæ legitur initio secundi libri Machabæorum.	144
4748	Simon Machabæus fratri succedit, & ad Demetrium transit, postquam Tryphon Antiocho Alexandri filio interfecto tyrannidem usurpasset; tunc ablatum est ob Israel jugum gentium: ab hoc anno numerandi anni qui in siclis Samaritanis occurrunt: fuit hic annus Græcorum septuagesimus post centesimum.	143
4749	Simon arcem Jerosolymitanam expugnat.	142
4750	Demetrius a Parthis capitur cæso exercitu.	141
4752	Cleopatra nubit fratri prioris mariti Demetrii Antiocho, qui Soter Pius & Sidetes dicitur, ad eos deficiunt Tryphonis Milites.	139
4753	Tryphon interficitur.	138
4756	Simon a Ptolomæo genero perfidiose necatur.	135
	Joannes Hyrcanus, Simonis filius & successor, ab Antiocho Sotere in urbem Jerosolymitanam compulsus obsidetur; pax certis conditionibus sancita.	
4759	Anno Ptolomæi Evergetæ sive Physconis trigesimo octavo, ex quo cum fratre regnavit; Jesus avi sui Jesu Siracidæ librum interpretatur.	132
4761	Antiochus Sidetes Parthos bello aggressus victor primo, postea victus in templo Nanez percutitur, & membratim scinditur, cujus morte Judæa prorsus libera remansit.	130
4762	Joannes Hyrcanus Idumæam subjicit, Idumæos ad Circumcisionem compellit.	129
4766	Anno Græcorum centesimo octogesimo octavo scripta est secunda Epistola, quæ legitur initio libri secundi Machabæorum.	125
4784	Joannes Hyrcanus moritur anno sui Pontificatus vigesimo nono, cui succedit Aristobulus ejus filius, & diadema regium assumit.	107
4785	Aristobulo succedit Alexander Jannæus.	106
4812	Alexander Jannæus post annos viginti septem fortunati principatus moritur: hic finis mensis Prophetici annorum triginta, quo durante tres pastores populi Judaici auferendos prædixit Zacharias capite undecimo: succedit Alexandro Hyrcanus, cujus loco mater regnum per annos novem administrat.	79
4824	Hyrcanus anno regni tertio ab Aristobulo fratre spoliatur.	67
4827	Pompejus expugnata Jerusalem Hyrcano regium nomen restituit, Judæam Romanis subjicit.	64
4844	Antigonus Aristobuli filius frustra ad Julium Cæsarem recurrit. Herodes annos natus quinque & viginti Galilææ præficitur.	47
4851	Antigonus Parthorum auxilio Hircanum regno pulsum in vincula conjicit. Herodes procelloso tempore navigat in Italiam, ac rex Judææ declaratur a Triumviris & Senatu.	40
4854	Jerusalem a Sosio expugnata. Antigonus securi percussus. Herodes regno potitur.	37
4860	Pugna Actiaca.	31
4861	Herodes Hyrcanum Asmonæorum ultimum interficit.	30
4884	Anno urbis conditæ 747. Tiberio Claudio & Calphurnio Pisone consulibus, Augustus Censor perpetuus renuntiatus: censendi tempus currebat a prima die hujus anni usque ad ultimam anni U. C. 751.	7
4885	Hoc anno U. C. 748. Christum natum affirmant M. A. Capellus, Keplerus, Henschenius, Pagius.	6
4886	Hoc anno natum Christum asserunt Dekerus, Petavius, Pezron. & alii plures, quo anno Quintilium Varum usque ad Octobrem Syriæ	5

Anno Mundi		An. ante Ch.
	riæ præfuisse nummi probant: nos Sulpitium Quirinum Consulatem Varo successisse probabimus aliquando.	
4887	Hoc anno Verbum caro factum est 25. Martii. Joannes natus 24. Junii. JESUS CHRISTUS NATUS die 25. Decembris, secundum Sulpitium Severum, Patresque alios numero plures, quo anno Herodes Judæos Augusto obligavit, sacramento a Pharisæis sex mille recusato, tunc census actus in Judæa Præside Syriæ Quirino.	4
4888	Hoc anno natum Christum sexta Januarii Patres multi, alia die Baronius, Scaliger, putavere. Jesus Christus circumcisus, adoratus a Magis, Nazareth profectus, inde in Ægyptum post mortem Herodis reversus. Mortuus Herodes circa Pascha regni trigesimo septimo a prima institutione, trigesimo quarto a capta Jerusalem, nondum expletis. Succedit Archelaus.	3
4892	Anno urbis conditæ septingentesimo quinquagesimotertio, hoc anno natum Christum ignorantiæ seculis creditum est, a qua opinione docti recesserunt superiori seculo.	2
4891	ÆRA CHRISTIANA anno urbis conditæ septingentesimo quinquagesimoquarto.	1
4900	Christus anno duodecimo ætatis expleto, cum Jerusalem venisset ad Pascha, non rediit cum parentibus, inventus post triduum in templo.	10
	Anno Imperii Tiberii quinto & decimo ineunte, Joannes præcursoris ministerium exorsus, circa festum expiationis prædicat pœnitentiam.	
4918	Christus octava Novembris baptizatus secedit in desertum. Tentatur decima nona Decembris.	28
	Vigesima redit ad ripas Jordanis.	
	Vigesimaprima Joannes respondet legatis Judæorum se non esse Christum.	
	Vigesimasecunda, altera die post legationem, Jesus a Joanne declaratur AGNUS DEI.	
	Vigesimatertia, secundum Joannis testimonium, Petrus & Andreas Dominum sequuntur.	
	Vigesimaquarta, tertia die post legationem Joannes Pontificum jussu in vincula conjicitur. Jesus Philippum & Nathanael vocat: abit in Galilæam.	
	Sexta die Januarii Christus ad nuptias vocatus aquam mutat in vinum: postea relicta Nazareth descendit cum matre & discipulis Capharnaum, ubi mansit non multis diebus.	
	Jesus ascendit in naviculam Petri. Petrus laxans in verbo ejus rete concludit multitudinem piscium copiosam; vocatur a Christo cum fratre Andrea, & relictis omnibus uterque Dominum sequntur.	
	Jesus reversus Capharnaum sabbato ejicit dæmonium; inde circuiens Galilæam docet in Synagogis, sanans omnem languorem.	
	Eligit Apostolos, & concionem habet, quæ dicitur sermo Domini in monte; hac finita leprosum mundat. Capharnaum ingressus sanat puerum Centurionis.	
	Synagoga egressus venit in domum Petri, & socrum ejus febribus liberat; vespere omnes male habentes curat; facta autem die abit in desertum locum.	
	Matthæus vocatus: gesta deinde quæ apud Matthæum referuntur cap. nono.	
	Missi Apostoli duodecim ad prædicandum: gesta quæ leguntur capite decimo. Missi paullo post septuaginta discipuli.	
	Filius viduæ Naim suscitatus.	
	Discipuli Joannis missi a Joanne, nondum vinculis soluto, veniunt ad Jesum. Gesta quæ leguntur Matthæi cap. undecimo.	
	Mulier peccatrix lacrymis pedes Christi rigat, et remittuntur peccata.	
	Instante Pascha Judæorum, ascendit Jesus Jerosolymam, ejicit e templo vendentes & ementes. Gesta quæ leguntur Joannis capite secundo, a versu 13. ad tertii 21. Joannes vinculis solvitur. Pascha contigit Aprilis 16. sabbato.	
	Sabbato secundo primo, id est, sabbato sequente di em primum post Pascha, quo manipulus spicarum offerebatur, hoc sabbato inquam discipuli per sata transeuntes reprehensi quod spicas vellerent, a Domino defenduntur.	
	Altero sabbato manus arida sanata.	
	Tunc mulieres Jesum sequebantur, quas inter Maria Magdalena.	
	Martha excipit Dominum.	
	Dominus docet discipulos modum orandi. Dominus baptizabat in Judæa, Joannes Baptista in Ænnon.	
	Jesus ut cognovit quia audierunt Pharisæi, quod Joannes baptizaret, reliquit Judæam, & abiit iterum in Galilæam: oportebat autem transire per Samariam; transeundo cum Samaritana colloquitur.	
	Jesus venit iterum in Cana, & sanat reguli filium. Joannes ab Herode vinctus. Jesus Pharisæos insectatur.	
	Pharisæi cum Herodianis conspirant adversus Jesum. Jesus secedit ad mare Tiberiadis. Gesta quæ *Matth. cap.* 12. *a v.* 14. *& Marcus cap.* 3. *a v.* 6. referunt; ea etiam quæ *Matth. cap.* 13. *& Marc. cap.* 4.	
	Jesus venit Nazareth in patriam suam; ibi contemnitur.	
	Joannes decollatur vigesima nona Augusti.	
	Jesus redit ad festum tabernaculorum, & Sabbato languidum sanat juxta Piscinam.	
4920	Reverso in Galilæam Domino, Herodes audita ejus fama Joannem putat surrexisse a mortuis.	30
	Jesus abit in locum desertum, qui est Bethsaidæ, trans mare Galilææ: erat proximum Paschæ, & sequebatur eum multitudo magna, quam Dominus pavit quinque panibus & duobus piscibus: ac ne facerent eum regem, fugit. Gesta quæ Joannes capite sexto refert, & Matthæus 14. a v. 13.	
	Jesus ascendit ad Pascha celebratum hoc anno 5. Aprilis feria tertia, & statim redit in Galilæam: gesta quæ Lucas refert *cap.* 3. 14.	
	Accedunt ad Jesum Scribæ & Pharisæi ab Jerosolymis, Jesus secedit in partes Tyri & Sidonis: redit ad mare Galilææ: pascit quatuor millia hominum septem panibus & pisciculis paucis, venit in fines Maggedan: iterum trans fretum in desertum abit.	
	Gesta quæ Lucas refert, *cap.* 15. *&* 16. venit Bethsaidam, & cæcum sanat.	
	Inde Cæsaream Philippi venit: Petri fidem laudat, & præmio afficit, post dies sex, nempe die octava post Confessionem Petri.	
	Sexta Augusti transfiguratur.	
	Postridie dæmonem ejicit, quem discipuli ejicere non potuerant: cum venisset Capharnaum jubet Petrum statere invento in ore piscis solvere tributum pro se & Petro. Apostolos compescit de primatu contendentes, Gesta quæ Matthæus narrat *cap.* 18. clam venit ad Scenopegia.	
	Ingreditur Jerusalem festo mediante.	
	Cæco nato visum restituit.	
	In Galilæam proficiscitur.	
	Redit Jerusalem ad Encænia.	
4921	Moratur circa Jordanem, ubi Joannes Baptizaverat. Gesta quæ Matthæus narrat *cap.* 19. *&* 20. usque ad v. 17.	31
	Jesus faciem suam firmat, ut eat in Jerusalem; non recipitur a Samaritanis. Jacobum & Joannem docet quis zelus Christianum deceat, decem leprosos curat, prædicit Apostolis quæ passurus erat Jerusalem, nuntium accipit de morbo Lazari subsistit duobus diebus, quibus elapsis iter prosequitur; cæcum sanat prope Jericho.	
	Ingressus Jericho divertit ad Zachæum, egrediens Jericho cæcis duobus visum reddit. Venit Bethaniam, & Lazarum suscitat.	
	Concilium Pontificum adversus Jesum.	
Martii 17.	Jesus moratur cum discipulis in deserto Ephrem.	
Martii 18.	Jesus Bethaniam redit: Maria pedes illius ungit. Judas dolet sublatam furandi occasionem.	
Martii 19.	Feria Prima. Jesus ingreditur Jerusalem triumphans, vespere redit Bethaniam.	

Feria

Anno Mundi		An. ab. Ch.
	Feria secunda, redit Jerusalem, & ficum maledicit.	Martii
	Feria tertia, vident discipuli ficum exaruisse.	2[illegible]
	Feria quarta, Judas Dominum vendit triginta argenteis.	Martii 21
	Feria quinta, sub vesperam, incipiente prima die Azymorum, Jesus discipulis ait: Pascha nobis Paratur ut manducemus; manducantibus illis dat sub specie panis corpus, sub specie vini sanguinem suum.	Martii 22
	Feria sexta, Jesus hora tertia judicatus, & hora sexta crucifixus, moritur ona hora necesse erat occidi Pascha, sepelitur vespere.	Martii 23
	Sabbato decimaquinta Azymorum, ejus corpus in sepulcro, anima cum Patrum animabus manet.	Martii 24
	Feria prima, oblatio manipuli, Christus resurgit.	Martii 25
	Apparet primo Mariæ Magdalenæ.	
	Secundo Mulieribus piis, quæ ad monumentum venerant.	
	Tertio Petro.	
	Quarto discipulis euntibus in Emmaus.	
	Quinto Apostolis absente Thoma.	
	Sexto post dies octo apparet Apostolis Thoma præsente.	1. Apr.
	Septimo apparet in monte Galilææ plusquam quingentis fratribus.	
	Octavo deinde visus est Jacobo.	
	Nono visus est Apostolis ad mare Tiberiadis piscantibus, ac sæpius per quadraginta dies, conveſcens & loquens de regno Dei.	
	Denique feria quinta, die quadragesima a Resurrectione, Jesus ascendit in cælum, & sedet a dextris Dei.	3. Maji
	Die Maii decimatertia, quæ Dominica, & in quam hoc anno Pentecostes Judæorum incidit, Spiritus sanctus descendit hora tertia, quinquagesima die post resurrectionem Domini: eadem Petrus prima concione tria hominum millia convertit.	
	Sanatur claudus a Petro & Joanne, & secunda Petri concione convertuntur quinque millia. Petrus & Joannes in carcerem missi cito remittuntur.	
	Petrus Ananiam & Saphiram verbo interficit.	
	Apostoli in carcerem missi liberantur ab Angelo.	
	Rursus in judicium adducti virgis cæduntur.	
	Creantur septem Diaconi.	
	Die vigesimasexta Decembris lapidatur Stephanus Diaconorum primus, disperguntur fideles.	
4922	Philippus Diaconus convertit Samaritanos. Petrus & Joannes illos Confirmationis Sacramento muniunt. Philippus Diaconus Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum baptizat.	32
4923	Die Januarii vigesimaquinta Paulus convertitur.	33
	Paulus Damasco discedit in Arabiam: mox Damascum revertitur, a Christo ipso per revelationem edoctus fidei mysteria.	
4926	Pilatus exauctoratus, & in exilium missus Viennam, ubi se ipsum interimit. Caiphas quoque hoc anno in ordinem redactus, postmodum misere perit. Judæi in Paulum conspirant, & præfectum Arabem Damasci in eum incendunt: Paulus per murum demissus in sporta evadit, venit Jerusalem, tribus annis elapsis a conversione: Barnabas illum ducit ad Petrum & Jacobum fratrem Domini. Permanet apud Petrum dies quindecim. Postea deducitur Cæsaream, & inde Tharsum dimittitur.	36
	Petrus Lyddæ paralyticum sanat, Joppe, Dorcam suscitat.	
4927	Saulus in Cilicia prædicat: Tiberius moritur: Cajus succedit.	37
4928	Saulus in Syria prædicat. Petrus Cornelium baptizat.	38
4929	Matthæus Evangelium scribit. Herodes Antipas regno exuitur; extat nummus illius Herodis, qui Caji nomen habet inscriptum, & annum quadragesimumtertium: incipit hæc Epocha ab eo tempore, quo Herodes Ascalonita paullo ante mortem Judæos coegit Sacramento se obstringere Cæsari. Vide Josephum. Barnabas Antiochiam mittitur, Saulus Tarsum redit.	39
4930	Barnabas Saulum ducit Antiochiam. Agabus famem prædicit sub Claudio futuram.	40
4931	Cajus occiditur: Succedit Claudius. Saulus & Barnabas annum totum Antiochiæ laborant: Discipuli cognominantur Christiani.	41
4932	Herodes Agrippa, Herodis Ascalonitæ nepos, ut placeret Judæis, Jacobum Joannis fratrem gladio occidit, Petrum carceri mancipat: Petrus ab Angelo liberatur.	42
	Judæam premit fames. Saulus & Barnabas eleemosynas Christianorum Antiochenorum deferunt Jerusalem. Joannes Marcus illis jungitur.	
	Paulus & Barnabas segregati a Spiritu Sancto, ut gentibus prædicarent, Seleuciam veniunt, ac deinde in Cyprum navigant: Saulus priusquam Antiochia excederet, raptus fuit ad tertium cælum.	
4933	Sergius Paulus proconsul Cypri fit Christianus: Paulus & Barnabas Pergen Pamphiliæ veniunt.	43
4934	Paulus & Barnabas in Pisidiam perveniunt, & Antiochiæ Pisidiæ plurimum laborant. Pisidia pulsi in Lycaoniam proficiscuntur. Iconii, Lystris, Derbæ multa patiuntur. Herodes Agrippa divinitus percussus moritur.	44
4935	Iterum Lystram veniunt Saulus & Barnabas. Inde Antiochiam Pisidiæ, & constituunt per singulas Ecclesias Presbyteros. Pergem ac inde Antiochiam Syriæ repetunt.	45
4936	Orta quæstio de legalibus retinendis.	46
4937	Concilium Apostolorum anno post Conversionem Pauli decimoquinto: decretum Concilii, Paulus, Barnabas, Judas & Silas perferunt Antiochiam; quam in urbem venit etiam Petrus.	47
4938	Petrus a Paulo reprehenditur, Paulus & Barnabas dissident de Joanne Marco, Paulus assumpto in socium Sila perambulat Syriam & Ciliciam; pervenit Derben, & inde Lystram, ubi Timotheum circumcidit, & secum abducit.	48
4939	Paulus per Phrygiam, Galatiam, Mysiam excurrit; Troadem venit, ubi Lucas ei adjungitur. Troade in Macedoniam transit; Philippis moratur, ac postea per Amphipolim & Apolloniam Thessalonicam pervenit, ubi diu prædicat.	49
4941	Paulus Berœam petit; inde pulsus Athenas venit, Timotheum mittit Thessalonicam.	51
4942	Judæi Italia pelluntur. Paulus Corinthum venit; inde scribit utramque Epistolam ad Thessalonicenses.	52
4943	Paulus sistitur coram Gallione Achajæ proconsule: liber dimittitur. Abiturus in Syriam, comam sibi ex voto attondet in Cenchris Corinthi portu. Ephesum appellit, & relictis ibi Aquila & Priscilla Cæsaream profectus ascendit Jerusalem quarto, & inde Antiochiam descendit. Interim Apollo venit Ephesum, & ab Aquilla ac Priscilla melius edoctus, Corinthum profectus est.	53
4944	Paulus per Phrygiam & Galatiam Ephesum venit: prædicat in Synagoga tres menses.	54
	Claudius moritur. Succedit Nero.	
4945	Petrus Corinthum, inde Romam primo venit, & ibi sedem figit Antiochia relicta Evodio.	55
	Paulus disserit in schola Tyranni Ephesi.	
	Apollo Corintho ad Paulum venit. Scribit Paulus primam ad Corinthios; præmittit Timotheum cum Erasto in Macedoniam.	
4946	Excitata seditione contra se, abit in Macedoniam: unde secundam ad Corinthios Epistolam scribit, post annos quatuordecim, ex quo raptus fuerat in tertium cælum. Scribit quoque ad Galatas e Macedonia. In Græciam venit.	56
4947	Marcus Evangelium scribit Romæ. Petrus Roma discedens alias Europæ partes lustrat, Paulus Corintho scribit ad Romanos.	57
	Jacobus frater Domini Epistolam suam scribit: Lucas Evangelium.	

Paulus

Anno Mundi		An. an. ær. Ch.
4948	Paulus ex Græcia in Macedoniam reversus Philippis manet per dies Azymorum. Venit Jerusalem quinto; circa Pentecosten coram Felice accusatur: Cæsareæ in vinculis retinetur; coram Drusilla iterum auditur.	58
4949	Paulus Cæsareæ manet in libera custodia. Petrus Romam reversus, inde primam Epistolam scribit.	59
4950	Felici biennio expleto, ex quo Paulus accusatus est, successor datus, Paulus sistitur Festo, Cæsarem appellat, producitur coram Agrippa, Romam navigat. Jacobus frater Domini interficitur.	60
4951	Paulus Romam pervenit anno Neronis septimo, mense Februario.	61
4952	Paulus in vinculis scribit ad Philippenses, ad Ephesios, ad Colossenses, ad Philemonem.	62
4953	Paulus Roma discedere permittitur: Italiam prædicando lustrat: scribit ad Hebræos, Lucas Acta conscribit.	63
4954	Paulus in Cretam navigat, & ibi Titum Episcopum relinquit; e Creta in Judæam sexto cum Timotheo venit, e Judæa in Asiam, Colossenses visitat; Ephesi Timotheum relinquit Episcopum.	64
	Nero Christianos prosequitur. Joanni exuli in Pathmo revelatur clades Jerusalem Deicidæ & Romæ idololatræ, quæ Apocalypsi exprimitur.	
4955	Paulus Philippis moratur, scribit ad Timotheum & ad Titum, hiemat Nicopoli.	65
4956	Paulus Corinthum petit, & ibi Erastum relinquit. Venit Troadem, ubi penulam relinquit, libros & membranas apud Carpum. E Troade Miletum venit, ibi hæret. Trophimus æger. Bellum contra Judæos incipit. Petrus cruci affigitur vigesima nona Junii: paulo ante secundam Epistolam scripserat. Linus Petro succedit.	66
4957	Paulus Romam accedens conjicitur in vincula; defendit se coram Helio, cui Nero absens vices suas tradiderat; nemo illi adest, tamen ereptus ex ore Leonis scribit secundam ad Timotheum Epistolam. Inde in Galliam & Hispaniam peregrinatur. Romam redux, cervicibus abscissis cælo transmittitur vigesima nona Junii, anno a morte Petri revoluto: ita Prudentius, Augustinus, Arator.	67
4958	Nero se ipsum interimit nona Junii.	68
4960	Titus Jerusalem expugnat & diruit die Augusti XXXI. Hic finis quadraginta annorum peccati Juda, nempe Deicidii, de quibus Ezechiel.	70
4968	Joannes Evangelium scribit, & postea Epistolas, quarum prima ad Parthos.	96
4988	Judas frater Jacobi Epistolam scribit.	98
	Joannes ultimus Apostolorum moritur.	

F I N I S.

ROMANÆ CORRECTIONIS

IN LATINIS BIBLIIS

EDITIONIS VULGATÆ,

JUSSU

SIXTI V. PONTIFICIS MAXIMI

Recognitis,

LOCA INSIGNIORA;

OBSERVATA

A FRANCISCO LUCA BRUGENSE,

Ecclesiæ Cathedralis Audomaropolitanæ Theologo
& Decano.

R.^{MO} IN CHRISTO PATRI
JACOBO BLASÆO,
EPISCOPO AUDOMAROPOLITANO,

Domino ſuo cum primis colendo,

FRANCISCUS LUCAS.

UT inde ab ineunte ætate, Sacræ Scripturæ lectione plurimum ſum delectatus, R.me Præſul idemque Ampliſſime Domine: ita magnam mihi attulit voluptatem, quod vidi ſuperioribus annis, in lucem prodeuntia, Latina veteris Vulgatæque verſionis Biblia, auctoritate Summorum Pontificum, nominatim Sixti V. &, qui hodie feliciſſime ſedet, Clementis VIII. a Notariorum mendis vitiiſque diligentiſſime expurgata. Verum quantam hæc res voluptatem, tantam e diverſo triſtitiam animo meo attulit metus, ne, dum variis poſthac locis hæc Biblia typis cudi recudique contingeret, foret, ut brevi in ſublata jam vitia recideretur. Quamvis enim, ad hoc periculum evitandum, prudentiſſime caverit ſummus Pontifex, ne quivis Typographus ea poſſet excudere: ea tamen eſt plerorumque, qui Typographiis præſunt, vel inſcitia, ut non agnoſcant, vel incuria, ut negligant, quod verum eſt, & inolitis vitiis poſtponant. Tale quid videmus in Romanis Miſſalibus & Breviariis accidiſſe, iis præſertim quæ extra hoc Belgium impreſſa ſunt: ſimile quibuſdam locis fieri cœptum eſt in his ipſis Bibliis. Dum igitur diſpicio, quodnam efficaciſſimum remedium huic malo queat adhiberi, ne amplius ea loca corrumpantur, quæ jam dexterrime correcta ſunt: viſum eſt mihi, ſuffragante Moreto exactiſſimæ diligentiæ Typographo (quemadmodum Plantini hæredem decet) expediens fore, ut adhibito auctographo Romano, quod ille ad me miſit, colligerem præcipua atque inſigniora, quæ in hac Bibliorum editione, a Romanis Patribus reſtituta ſunt, loca: & indicata ea quæ rejecta eſt lectione, ita clare diſtinguerem unam ab altera, ut deinceps nemo non clare intelligere poſſet, quæ proba ſit lectio, quæ

reproba; quæ textu expulsa, quæ in textum, summi Pontificis Ecclesiæ totius capitis auctoritate, recepta. Nam quamvis, nec hoc quidem modo effici poterit, ne Typographi amplius errent: id tamen fiat, ut non errent si velint; si velint inquam Correctorium hoc a nobis collectum consulere: quod si nolint, nec vereantur negligentes relabi in vetera vitia; ut minimum poterunt ex hoc libello negligentiæ argui, & quæ admiserint menda dignosci atque auferri. Sic enim concinnatum a nobis est hoc Correctorium, indicato ad singula loca modo ipso difficultatis, adeoque puncto, in quo varietas consistit, ut etiamsi contingeret typographicum vitium in hoc ipsum irrepere, facile esset ex circumstantiis deprehendere. Quocirca fiet hac ratione, ut non pereat Romanorum Patrum labor, quin Biblia veteris ac Vulgatæ editionis Latinæ ab ipsis emendata, in suo nitore permanere ac perseverare queant, & sarta tecta perpetuo conservari. Quamobrem, uti spero hanc operam meam ipsis gratam fore: ita gratiorem etiam fore confido, si R:me Paternitatis Tuæ, quam illi nobis summo cum præconio Episcopum non ita pridem magno nostro bono præfecerunt, subjectis calculis approbetur. Quod ut impetrare me posse sperem, facit eruditissima simul & sacrarum litterarum studiosissima R:me P:tis Tuæ humanitas: quam ut Dominus Deus mihi & Ecclesiæ Audomaropolitanæ multis annis servet incolumem, continuis precibus obtinere contendo. Audomaropoli, anno secundo a sexcentesimo & millesimo, III. Nonas Aprilis.

Omnia Catholicæ Ecclesiæ, ejusque in terra conspicui capitis, Romani Pontificis judicio, submissa sunto.

Franciscus Lucas.

Æc loca Romanæ & Apostolicæ recognitionis & restitutionis vulgatæ Latinæ sacrorum Bibliorum editionis, a R:do Domino Francisco Luca *Brugense, Theologo & Ecclesiæ Cathedralis Audomarensis Decano, ex ipso auctographo Romano (quod vidimus) observata & collecta utiliter imprimentur, tum ad retinendam deinceps legitimam lectionem, eamque a Chalcotypes mendis revindicandam, tum etiam ut ii, qui jam Biblia veteris editionis habent, eadem facillimo negotio ex hac observatione corrigere & restituere possint.*

Fr. Jac. Episcopus Audomarensis.

ROMÆ

ROMANÆ CORRECTIONIS
IN LATINIS BIBLIIS
EDITIONIS VULGATÆ,
JUSSU SIXTI V. PONTIFICIS MAXIMI
Recognitis,
LOCA INSIGNIORA;

Observata a FRANCISCO LUCA Brugense, Ecclesiæ Cathedralis Audomaropolitanæ Theologo & Decano.

GENESIS.

CAPITIS *primi Versu secundo*. Et spiritus Dei ferebatur super aquas. *Non sine caussa, Romani Correctores* Domini, *id est*, τοῦ Κυρίου, *quod est in multis libris, mutarunt cum* Dei, *id est*, τοῦ Θεοῦ *quod est in aliis*.

Vers. 26. Et bestiis. *Recte hic omiserunt vocem terræ, quam quidam libri addunt in hunc modum*. Et bestiis terræ.

Sequitur: Universæque terræ. *Non est scribendum* creaturæ, *pro eo quod est in Sixtinis Bibliis* terræ.

Vers. 27. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam. *Merito hic omissum est*, & similitudinem. *quod multi libri superflue interponunt, acceptum ex versu superiori aliisque similibus*.

CAP. II. *vers* 4. Quando creata sunt. *Feminino genere* creatæ, *quod exstat in aliis exemplaribus, præferendum est neutrum* creata.

Vers. 16. Præcepitque ei dicens. *Non est mutandum præteritum* præcepit, *cum præsenti* præcipit.

CAP. III. *vers.* 10. Vocem tuam audivi. *Non est addendum* Domine, *ut nec versu proximo* Dominus *primo casu, ubi legis*: Cui dixit: Quis enim *&c.*

Vers. 19. In sudore vultus tui vesceris pane. *Sequitur in quibusdam libris adjunctumque pronomen* tuo, *sed quod merito omissum est*.

Vers 23. Et emisit eum Dominus Deus. *Non est auferenda conjunctio* &.

CAP. IV. *vers.* 7. Statim in foribus peccatum aderit. *Huc non est adjiciendum pronomen* tuum.

Vers. 15. Posuitque Dominus Cain signum. *Romani Patres omiserunt eam, quæ nomini* Cain *præponi solet in præpositionem: nam & antiqui nostri codices hic variant (alii enim scribunt* in Cain signum, *alii* signum in Cain, *alii denique* Cain in signum) *& LXX. similiter sine præpositione verterunt* τῷ Κάϊν, *tertio casu*.

CAP. V. *vers.* 3. Et genuit ad imaginem. *Consulto omissa est, quam quidam interponunt. vox* filium.

Vers. 22. Et vixit postquam. *Nomen* Henoch *hic non repetitur, sed subaudiendum relinquitur e proximo*.

CAP. VI. *vers.* 6. Et tactus dolore cordis intrinsecus. *Prudenter sublatum est quod plerique, vel præponunt vel postponunt*, & præcavens in futurum.

Vers. 27. Universa quæ in terra sunt consumentur. *Deleta est conjunctio* &, *quæ a quibusdam libris huic pericopæ præponebatur*.

Vers. 21. Et erunt tam tibi quam illis in cibum. *Non scribas* escam, *pro eo quod in antiquis libris est* cibum.

CAP. VII. *vers.* 2. Tolle septena & septena. *Non mutes imperativum præsens* tolle, *cum futuro indicativi* tolles.

Vers. 13. Uxor illius, & tres uxores filiorum ejus cum eis. *Ut non est præponenda conjunctio* & *ante vocem* uxor *ejus, non est delendus numerus* tres *ante vocem* uxores.

Vers. 17. Quadraginta diebus. *Omittendum est quod sequitur in quibusdam codicibus* & quadraginta noctibus.

Vers 23. Et delevit omnem substantiam. *Superfluit quod quibusdam exemplaribus additur* Deus.

CAP. VIII. *vers.* 7. Qui egrediebatur & non revertebatur. *Non judicarunt Romani Correctores omittendam negationem*.

Vers. 21. Et ait: Nequaquam. *Non interponas* ad eum.

Ibidem. Omnem animam viventem. *Non deleas* τὸ viventem.

CAP. IX. *vers.* 5. De manu viri & fratris ejus. *Quidam codices repetunt* τὸ de manu, *hoc modo*: De manu viri & de manu fratris ejus: *superflue*.

Vers. 16. Eritque arcus in nubibus. *Sixtina Biblia non addunt nomini* arcus *pronomen* meus.

Vers. 21. Inebriatus est & nudatus. *Superfluit quod in quibusdam libris sequitur* jacuit.

Vers. 25. Maledictus Chanaan. *Redundat vox* puer, *quam interponunt quidam*.

CAP. X *vers.* 1. Hæ sunt generationes filiorum Noe. *Injuria delent quidam vocem* filiorum.

Vers. 9. Ob hoc exivit proverbium. *Cave mutes* ob, *quod est*, propter, *cum* ab, *id est, vocalem quartam cum prima*.

Vers. 18. Et post hæc disseminati sunt. *Legendum est* post hæc, *non* per hos.

CAP. XII. *vers.* 6. Usque ad convallem. *Merito hic omissa est* & *conjunctio, quæ præponebatur*.

Vers. 7 Qui apparuerat ei. *Quod sequitur in quibusdam libris* & invocavit ibi nomen ejus, *consulto transfossum est*.

Vers. 16. Et famulæ & asinæ. *Non est scribendum* familiæ, *pro* famulæ, *quod est* ancillæ: *nec omittendum* asinæ *femininum, licet præcesserit masculinum* asini.

Vers. 18. Quare non indicasti? *Non addas pronomen* mihi, *sed subaudias*.

CAP. XIII. *v.* 14. Leva oculos tuos. *Non subjicias* in directum, *quod alii*.

Vers. 17. Surge & perambula. *Conjunctio ergo superflue interponitur a quibusdam*.

CAP. XIV. *v.* 5. In Astarothcarnaim. *Male quidam, interjecta conjunctione, scribunt* in Astaroth & Carnaim.

Vers 7. Et venerunt ad fontem Misphat. *Merito hic omissum est adverbium* usque.

Vers. 15. Usque Hoba, quæ est ad lævam Damasci. *Et hic merito omittitur, quod alii addunt*, & Phœnicem: Usque Hoba & Phœnicem, quæ est.

CAP. XVI. *v.* 1. Non genuerat liberos. *Tertio hic recte omittitur pronomen* sibi, *quamquam subaudiendum sit ei ex Hebræo*.

Vers. 7. Qui est in via Sur. *Alii legunt relativum femininum* quæ. *relatum ad solitudinem: sed Sixtina Biblia restituit masculinum* qui, *ita ut ad fontem referatur, quod Hebræa exigunt*.

Vers. 13. Vocavit autem. *Non addas* Agar, *sed intelligas*.

CAP. XVII. *vers* 4. Et pactum meum secum. *Superfluit verbum* ponam, *quod adjiciunt quidam*.

Vers. 17. Et risit dicens in corde suo. *Hic verborum ordo, ut est certior altero* In corde suo dicens, *ita antiquis Latinis atque Hebraicis libris congruentior*.

CAP. XVIII. *v.* 4. Et lavate pedes vestros. *In aliis antigraphis passive legitur*: Et laventur pedes vestri: *verum illud Hebræo consonat*.

Vers. 5. Et confortate cor vestrum. *Similis est hujus loci ratio, ubi alii codices legunt* & confortetur cor vestrum.

Vers. 6. Tria sata similæ commisce. *Non est omittenda vox* similæ.

Vers. 25. Nequaquam facies judicium hoc. *Nec hic omittendum pronomen* hoc.

CAP. XIX. *vers.* 1. Et sedente Lot. *Neque conjunctio* & *hinc auferenda est*.

Vers. 14. Surgite, egredimini. *Hic non est interponenda, aut addenda conjunctio* &.

Vers. 29. Recordatus Abrahæ liberavit Lot. *Alii* Recordatus est Abrahæ & liberavit Lot.

V. 35. Dederunt etiam & illa nocte. *Quidam etiam gravant verbum* dederunt *particula enclitica* dederuntque.

CAP. XX. *v.* 7. Nunc ergo redde viro suo uxorem; quia propheta est: & orabit pro te, & vives. *Hic est ordo, non tantum Sixtinorum, verum etiam nostrorum antiquorum codicum, Hebraicæ veritati consonantium. In aliis multis libris. illud* quia propheta est, *postponitur huic* & orabit pro te.

V. 16.

Verſ. 16. Mementoque te deprehenſam. *Non deleas encliticam conjunctionem* que.

CAP. XXI. *v.* 7. Quis auditurum crederet Abraham. *Ita legendum eſt, participium futuri temporis, quarto caſu,* auditurum, *non primo:* auditurus; *multo minus ſecundo* auditorum, *a nomine* auditor.

Verſ. 15. Subter unam arborum quæ ibi erant. *Lege pluraliter* arborum quæ ibi erant, *non ſingulariter* arborem quæ ibi erat.

V. 20. Et fuit cum eo. *Non addas, ſed ſubaudias* Deus.

CAP. XXII. *v.* 20. His ita geſtis. *Non mutes adverbium* ita *cum conjunctione* itaque.

CAP. XXIII. *verſ.* 13. Circumſtante plebe. *Non eſt addendum pronomen* ejus.

Ibidem. Et ſic ſepeliam mortuum meum in eo. *Non ſcribas antecedens* agro *pro relativo* eo.

V. 19. In ſpelunca agri duplici. *Pro ſexto caſu* duplici, *quidam ſcribunt ſecundum* duplicis.

CAP. XXIV. *v.* 12. Dixit: Domine Deus. *Non ſcribas* oravit Dominum dicens: Domine Deus.

V. 14. Cum domino meo. *Non legendum, ſed intelligendum eſt, nomen* Abraham.

V. 24. Filia ſum Bathuelis, filii Melchæ, quem peperit ipſi Nachor. *Alii inverterunt verborum ordinem, hoc modo.* Filia ſum Bathuelis, filii Nachor, quem peperit ei Melcha: *& quamquam hæc lectio clarior ſit, non tamen eſt hujus verſus, ſed quadrageſimi ſeptimi ſubſequentis.*

V. 32. Ad lavandos pedes ejus. *Cave mutes pronomen ſingulare* ejus, *cum nomine plurali* camelorum, *quod eſt in pleriſque libris.*

V. 41. Cum veneris ad propinquos meos. *Ita rectius legitur,* propinquos *ex antiquis libris, quam* proximos.

V. 54. Dimittite me. *Plurale legendum eſt, non ſingulare* dimitte.

V. 59. Et nutricem illius. *Non addas* Deboram, *proprium nutricis nomen.*

V. 65. At illa tollens cito pallium. *Non ſubjicias pronomen* ſuum.

V. 66. Narravit Iſaac. *Redundat quod quidam hic interponunt, adduntque* domino ſuo.

CAP. XXV. *verſ.* 2. Quæ peperit ei Zamran. *Ita ſcribendum eſt* Zamran, *ultima littera exiſtente tertia ex liquidis* n, *non ſecunda* m.

V. 10. Quem emerat a filiis Heth. *Non eſt mutandum relativum maſculinum* quem, *quod agrum refert, cum feminino* quam, *quod referat ſpeluncam.*

V. 15. Hadar, & Thema. *Prioris nominis ultima littera eſt* r, *id eſt* res, *non* d, *quod eſt* daleth: Hadar, *non* Haded.

V. 25 Qui prior egreſſus eſt. *Sic legunt Sixtina Biblia cum antiquis exemplaribus, comparativum* prior *pro ſuperlativo* primus.

CAP. XXVI. *v.* 31. In locum ſuum. *Hujus loco non ſcribas* in domum ſuam.

V. 30. Duxit uxores. *Non addas* duas.

CAP. XXVII. *v.* 12. Et inducam ſuper me maledictionem. *Non eſt mutanda prima perſona* inducam *cum tertia* inducat.

V. 21. Accede huc ut tangam te. *Pro adverbio* huc, *alii libri habent* ad me, *minus recte.*

V. 28. Frumenti & vini. *Omitte quod ſequitur in quibuſdam libris* & olei. *Idem uſu veniat infra, v.* 37.

CAP. XXVIII. *v.* 5. Profectus venit. *Ne mutes ſimplex* venit *cum compoſito* pervenit.

CAP. XXIX. *v.* 13. Cucurrit obviam ei. *Pro ſimplici* cucurrit, *quidam legunt compoſitum* occurrit.

V. 25. Quare impoſuiſti mihi? *Nequaquam addendum eſt nomen,* Liam.

CAP. XXX. *v.* 16. Et ad me, inquit, intrabis. *Confodiendum eſt verbum* ait, *quod quidam addunt:* Et ait, ad me, inquit, intrabis.

V. 18. Appellavitque nomen ejus Iſſachar. *Omittitur quod ſequitur in quibuſdam libris* quod eſt merces.

V. 26. Tu noſti ſervitutem. *Non addas conjunctionem* vero.

V. 30. Ut aliquando provideam etiam domui meæ. *Non eſt omittenda particula* etiam.

V. 33. Furti me arguent. *Cave mutes verbum plurale tertiæ perſonæ* arguent, *cum ſingulari ſecundæ perſonæ* argues.

CAP. XXXI. *v.* 29. Sed Deus Patris veſtri. *Pronomen* tui *conſulto mutatum eſt cum* veſtri, *ne quis errorem eſſe putet.*

V. 32. Et aufer. *Non omittatur conjunctio* &.

V. 39 Quidquid furto peribat. *Præferendum eſt nomen* furto *adverbio* furtim.

V. 49. Intueatur & judicet. *Non præponas* & adjecit Laban.

CAP. XXXII. *v.* 1. Jacob quoque abiit itinere quo cœperat. *Alii legunt,* Jacob autem abiit in itinere quod cœperat, *conjunctionem* quoque *mutant cum* autem, *addunt præpoſitionem* in, *denique pro ablativo* quo *ſcribunt accuſativum* quod.

V. 4. Præcepitque eis. *Servandum eſt præteritum* præcepit, *non ſubſtituendum præſens* præcipit.

V. 18. Domino meo Eſau. *Pronomen primæ perſonæ* meo, *non eſt mutandum cum pronomine tertiæ perſonæ* ſuo.

V. 29 Cur quæris nomen meum? *Sequitur in quibuſdam libris* quod eſt mirabile, *ſed non eſt illud hujus loci, verum Jud.* 13. *v.* 18.

CAP. XXXIV. *v.* 15. Omne maſculini ſexus. *Interpres dedit neutrum* omne, *non maſculinum* omnis.

V. 23. Unum efficiemus populum. *Futurum indicativi* efficiemus, *non eſt mutandum cum præſenti imperativi* efficiamus.

CAP. XXXV. *v.* 4. At ille infodit ea. *Retinendum eſt neutrum* ea, *non mutandum cum feminino* eas.

V. 8. Ad radices Bethel, ſubter quercum. *Legendum eſt* ſubter, *quod locum inferiorem ſignificat, non* ſuper *contrarium, tametſi hoc ſit in Romana anni* 1593. *editione; error eſt enim typographicus.*

CAP. XXXVI. *v.* 11. Et Cenez. *Sequitur in quibuſdam libris* Et Core; *ſed ſuperflue.*

V. 14. Filiæ Annæ, filiæ Sebeon. *Cave ſcribas maſculinum* filii, *pro feminino* filiæ, *priori præſertim loco.*

V. 17. Iſti filii Paſemath uxoris Eſau. *Minime redundant hæc verba.*

V. 24 Cum paſceret aſinos. *Pro maſculino* aſinos, *non eſt ſubſtituendum femininum* aſinas.

CAP. XXXVII. *v.* 22. Non interficiatis animam ejus, nec effundatis ſanguinem. *Utrumque verbum ſecundæ perſonæ legitur,* interficiatis, effundatis; *neutrum primæ,* interficiamus, effundamus.

Ibidem. In ciſternam hanc. *Pronomen* hanc *non eſt commutandum cum nomine* veterem.

V. 28. Et prætereuntibus Madianitis. *Nec hic nomen* Madianitis, *cum altero* Iſmaelitis.

Ibidem. Viginti argenteis. *Denique neque hic numerus minor* viginti, *mutandus eſt cum majore* triginta.

CAP. XXXVIII. *v.* 2. vocabulo Sue. *Pro* e *ſecunda, alii ſcribunt* a *primam vocalem, in nomine* Sua.

V. 12. Mortua eſt filia Sue. *Quidam libri omittunt nomen* filia; *male.*

CAP. XXXIX. *v.* 2. Princeps exercitus. *Non addas pronomen* ſui.

V. 9. Et peccare in Deum meum. *Non ſubſtituas* Dominum *τὸν κύριον, pro* Deum *τὸν θεόν.*

V. 10. Per ſingulos dies. *Transfodiendum eſt quod ſequitur in quibuſdam libris, verbum* loquebatur.

V. 21. Et miſertus illius dedit ei. *Non augeas orationem, quemodo alii libri;* Et miſertus eſt illius & dedit ei.

CAP. XL. *v.* 1. His ita geſtis. *Non eſt mutandum adverbium* ita *cum conjunctione* itaque.

V. 15. Quia furto ſublatus ſum. *Spurium eſt adverbium* furtim, *poſitum loco nominis* furto.

V. 17. Portare me omnes cibos. *Superfluum eſt verbum* putabam, *quod quidam interponunt.*

CAP. XLI. *v.* 21. Vidimus ſomnium præſagum futurorum. *Non eſt mutandum nomen adjectivum* præſagum, *cum ſubſtantivo* præſagium.

V. 20. Et conſumptis prioribus. *Cave legas nomen ſubſtantivum* pecoribus, *pro adjectivo numeri* prioribus.

V. 43. Super currum ſuum ſecundum. *Spurium eſt pronomen* ſecum, *poſitum pro nomine numerali* ſecundum.

V. 44. Dixit quoque rex. *Superfluit, quod ſubjungitur a quibuſdam codicibus, nomen* Ægypti.

V. 45. Filiam Putiphare. *Ita rectius ſcribitur tum hic, tum infra, verſ.* 50. *&* 46. *verſ.* 20. Putiphare, *quam* Putipharis: *quo certius diſtinguatur, nomen hoc ſacerdotis* Putiphare, *quadriſſyllabum, a triſſyllabo nomine eunuchi* Putiphar, *de quo ſupra* 39 *verſ.* 1.

Verſ. 54. In cuncta autem terra Ægypti panis erat. *Quidam libri, pro* panis, *ſcribunt* fames, *quæ eſt inopia panis.*

CAP. XLII. *v.* 13. At illi: Duodecim, inquiunt. *Redundat verbum* dixerunt, *nam quidam addunt:* At illi dixerunt.

V. 25. Datis ſupra cibariis in viam. *Non mutes quartum caſum* viam *cum ſexto* via.

V. 38. Si quid ei adverſi acciderit. *Præferendum eſt nomen adjectivum* adverſi, *ſubſtantivo* adverſitatis.

CAP. XLIII. *v.* 11. Sumite de optimis terræ fructibus. *Melius eſt* fructibus *quam* frugibus.

V. 21. Quem tenet. *Non eſt hujus loci, quod quædam exemplaria ſubjiciunt,* in vinculis.

V. 17. Fecit ille quod ſibi fuerat imperatum. *In quibuſdam libris, pro* quod ſibi fuerat, *minus recte legitur* ſicut ei erat.

V. 19. Ad diſpenſatorem domus. *Non omittas* domus.

V. 27. Salvus ne eſt pater veſter. *Melius eſt* ſalvus *quam* ſanus.

CAP. XLIV. *verſ.* 4. Surge, inquit. *Superfluit, quod quidam præponunt,* ait.

CAP. XLV. *v.* 23. Addens & aſinos decem. *Pro* & *conjunctione, alii ſcribunt pronomen, quidam ſingulare* ei, *quidam, quod diſſimilius eſt vero, plurale* eis.

CAP. XLVI. *v.* 10. Jamuel & Jamin. *Non addas* & Jami.

V. 16. Filii Gad: Sephion & Haggi & Suni & Eſebon. *Pro* Sephion *non eſt legendum, omiſſa media* i *conſonante,* Sephon: *nec præponendus eſt* Eſebon *ipſi* Suni.

CAP. XLVII. *v.* 4. Ad peregrinandum in terra tua venimus. *Melior eſt ſextus caſus* terra tua, *quam quartus* terram tuam.

Verſ. 9 Dies peregrinationis meæ. *Superfluit, quod quidam addunt, nomen* vitæ.

V. 18. Non celabimus dominum noſtrum. *Alii minus recte* non celabimus domino noſtro.

CAP. XLVIII. *v.* 1. His ita tranſactis. *Non eſt mutandum adverbium* ita, *cum conjunctione* itaque.

V. 15. Benedixitque Jacob filiis Joſeph. *In multis libris eſt.* Benedixitque Joſeph filio ſuo; *in quibuſdam* Benedixitque Jacob Joſeph.

V. 20. Benedixitque eis. *Non mutes plurale* eis *cum ſingulari* ei.

CAP. L.

CAP. L. v. 10. Ad aream Atad, Adulterinum est quod quidam scribunt Arad, ita ut media littera sit postrema liquidarum r, pro muta t.

V. 17. Ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Non est mutandus numerus pluralis servis, cum singulari servo; nec secundus casus patris tui, cum tertio patri tuo, sic enim legunt plerique, Ut servo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc.

E X O D U S.

CAP. I. v. 6. Omnique cognatione illa. Cave mutes pronomen demonstrativum illa, cum possessivo sua.

V. 13. Illudentes eis. Quod subjungitur a quibusdam libris & invidentes, superfluit.

CAP. II. vers. 18. Ad Raguel patrem suum. Non est mutandum nomen Raguel cum nomine Jethro.

V. 22. Eripuit me. Non praeponas & conjunctionem.

V. 25. Et cognovit eos. Romani Correctores merito scripserunt cognovit, pro eo quod in aliis libris est liberavit.

CAP. III. v. 1. Jethro socerisui. Non judicarunt Romani Patres, pro soceri, substituendum esse cognati, quod est in multis libris. Idem occurrit infra 4. vers. 18.

V. 6. Deus Isaac. Merito omissa est conjunctio &, quae ab aliis praeponitur. Idem locum habet infra, v. 15. 16. & 4. vers. 5.

V. 8. Et Hevaei & Jebusaei. Non interponas & Gergesaei, quod quidam.

V. 14. Dixit Deus ad Moysen. Consulto mutatum est nomen Dominus; quod est in multis libris, cum nomine Deus.

V. 15. In generationem & generationem. Uno eodemque casu accusandi, legunt Sixtina Biblia, nomen generationis repetitum, cum alia exemplaria, priori loco fere scribant sextum casum.

CAP. IV. v. 5. Dominus Deus patrum suorum. Pro pronomine secundae personae tuorum, recte substitutum est pronomen tertiae personae suorum.

V. 14. Ecce ipse egreditur in occursum tuum. Et hic in locum futuri egredietur, recte surrogatum est praesens egreditur.

Vers. 16. Ipse loquetur pro te. Hic omissa est conjunctio &, quae a quibusdam praeponebatur.

V. 26. Postquam dixerat, Sponsus sanguinum. Quod subjicitur in nonnullis exemplaribus tu mihi es, non est hujus versiculi, sed praecedentis.

V. 28. Verba Domini quibus miserat eum. Alii codices addunt praepositionem (pro quibus) quae consulto omissa est.

CAP. V. v. 14. Quare non implestis mensuram laterum. Praesens impletis, est in melioribus manuscriptis, pro praeterito implestis.

V. 19. Videbantque se praepositi filiorum Israel in malo. Alii libri minus recte legunt quartum casum malum, pro sexto malo.

V. 20. Egredientibus a Pharaone. Non mutes tertium casum egredientibus, cum primo egredientes.

CAP. VI. v. 20 Quae peperit ei Aaron & Moysen. Non subjungas & Mariam, quod non est hujus loci.

CAP. VII. v. 9. Ac vertetur in colubrum. Alii codices, pro futuro indicativi vertetur, habent praesens imperativi vertatur; minus bene.

CAP. VIII. v. 9. Et a servis tuis & a populo tuo. Hoc non omittitur a Sixtinis Bibliis, ut ab aliis quibusdam.

V. 26. Abominationes enim Aegyptiorum, immolabimus Domino Deo nostro. Prudenter omissa est nota interrogationis, quae est in aliis libris.

CAP. IX. v. 9. Ulcera & vesicae. Judicarunt Romani Patres, legendum potius ulcera, idest, ἕλκη, quam vulnera, quod est in multis manuscriptis, tam hic quam duobus versiculis proxime sequentibus.

V. 27. Dominus justus: ego & populus meus impii. Merito deleta est conjunctio & ante pronomen ego.

CAP. X. v. 3. Ut sacrificet mihi. Hoc loco non addas in deserto.

V. 12. Ut ascendat super eam. Alii legunt antecedens terram, loco relativi eam.

Vers. 15. Nihilque omnino virens relictum est. Male quidam pro que, legunt quoque: Nihil quoque omnino.

V. 18. Egressusque Moyses de conspectu Pharaonis oravit Dominum. Alii libri intersecant hanc sententiam, additis, verbo substantivo est, & conjunctione copulativa &.

CAP. XI. v. 2. Vasa argentea & aurea. Non addas & vestem.

V. 4. Media nocte egrediar in Aegyptum. Pro egrediar, quod est exibo, alii minus recte scribunt ingrediar, quod est intrabo.

V. 7. Aegyptiis & Israel. Non est addenda vox filios nomini Israel.

V. 8. Et adorabunt me. Non mutes compositum verbum adorabunt, cum simplici orabunt.

V. 10. Omnia ostenta quae scripta sunt. Quod quidam libri addunt signa & (omnia signa & ostenta) superfluum est.

CAP. XII. v. 15. Quicumque comederit fermentatum. Legendum est participium fermentatum, non nomen fermentum.

V. 19. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris. Hic contra, legendum est nomen fermentum, non participium fermentatum.

V. 31. Ite, immolate. Non est interjicienda conjunctio &.

V. 35. Sicut praeceperat Moyses. Male alii plerique libri, pro uno nomine Moyses, scribunt duo Dominus Moysi.

V. 37. Absque parvulis. Merito confoditur ut superfluum, quod in quibusdam antigraphis sequitur, & mulieribus.

V. 39. Neque enim poterant fermentari, s. panes. Alii scribunt numero singulari poterat s. farina.

Ibidem. Nec pulmenti quidquam occurrerat praeparare. Pro occurrerat, quidam expositionis gratia scribunt curaverant.

CAP. XIII. v. 5. Cumque introduxerit te Dominus in terram &c. celebrabis hunc morem sacrorum mense isto. Non mutes numerum singularem te celebrabis, cum plurali vos celebrabitis.

V. 16. Inter oculos tuos. Non substituatur praepositio, ante, pro ea quae significantior est, inter, q. d. inter utrumque oculum.

CAP. XIV. v. 19. Tollensque se Angelus Dei. Non est auferendum pronomen se nec mutandum Dei cum Domini.

CAP. XV. v. 7. Deposuisti adversarios tuos. Pronomen secundae personae tuos servandum est, pro eo quod alii codices habent, pronomine primae personae meos.

V. 11. Faciens mirabilia. Non praeponas & conjunctionem.

Vers. 26. Ego enim Dominus sanator tuus. Non augeas orationem, ut alii, hoc modo. Ego enim sum Dominus Deus sanator tuus.

CAP. XVI. v. 3. Cur eduxistis nos in desertum istud. Non recte quidam mutarunt eduxistis cum induxistis.

V. 7. Audivit enim murmur vestrum. Tertia personae audivit, non est mutanda cum prima audivi.

V. 8. Quibus murmurati estis contra eum: nos enim quid sumus? Nec hic mutandum est pronomen tertiae personae eum cum primae nos, neque conjunctio enim cum autem.

V. 23. In generationes vestras. Merito deletum est futuras tertio, quod a quibusdam exemplaribus additur.

Sequitur: Sicut praecepit Dominus Moysi. In aliis libris, pro perfecto, est plusquam perfectum praeceperat.

CAP. XVII. v. 8. Venit autem Amalec. Non addas ad pugnam.

V. 16. Quia manus solii Domini. Cave mutes solii, quod est, throni, cum solium.

CAP. XVIII. v. 19. Et erit Deus tecum. Non surroges Dominus, in locum nominis Deus.

Vers. 21. Viros potentes & timentes Deum. Prudenter Correctores Romani, textu expulerunt sapientes, & admiserunt potentes, quod est, fortes, strenuos, constantes.

CAP. XIX. vers. 3. Moyses autem ascendit ad Deum. Non addas in montem.

V. 13. Manus non tanget eum. Non est mutandus numerus singularis tanget, in pluralem tangent.

CAP. XX. v. 18. Videbat voces & lampades. Non substituas audiebat, pro videbat.

V. 23. Non facietis deos argenteos. Non judicarunt Romani addendum mecum, tametsi legatur Hebraice.

V. 25. Si enim levaveris cultrum super eos, s. altari. Quare non est legendum eum, multoque minus illos, quod ad lapides alii referunt.

CAP. XXI. vers. 15. Qui percusserit patrem &c. vers. 16. Qui furatus fuerit hominem &c. vers. 17. Qui maledixerit patri &c. Hic est ordo versuum in Sixtinis Bibliis, Hebraeo consentaneus: nam in aliis plerisque codicibus, conjunguntur eae leges, quae in eos feruntur, qui parentes injuria afficiunt, estque decimusextus versus, qui decimusseptimus.

CAP. XXII. v. 6 Si ingressus ignis invenerit spinas. Egregia correctio, pro spicas, quibus frumenti grana continentur, scripsisse spinas, quod est, vepres.

V. 9. Et quidquid damnum inferre potest. Non mutes accusativum damnum, cum genitivo damni.

CAP. XXIII. v. 3. Pauperis quoque non misereberis in judicio. Non est visum Correctoribus, judicio mutare cum negotio, quamvis hoc a multis legatur, non sine similitudine veri.

V. 6. Non declinabis in judicium pauperis. Alii scribunt sextum casum judicio, pro quarto judicium.

V. 15. Septem diebus comedes azyma. Non corrigas singulare comedes, per plurale comederis.

V. 16. Et solemnitatem messis primitivorum. Cave ne legas mensis pro messis. quod est. θερισμοῦ.

V. 18. Non immolabis super fermento sanguinem victimae meae. Non commutet pronomen primae personae meae, cum secunda tuae.

V. 26. Non erit infoecunda, nec sterilis in terra tua. Perperam omittunt quidam praepositionem in.

CAP. XXIV. vers. 5. Vitulos. Merito omissus est numerus duodecim, qui in multis libris sequebatur.

V. 11. Nec super eos qui procul recesserant. Non addas alteram negationem: Necnon super eos, neque legas propius accesserant, pro eo quod contrarium est procul recesserant.

CAP. XXV. v. 5. Pellesque janthinas. Pro janthinas, alii legunt hyacinthinas: & quamquam idem fortasse utraque vocabulo significetur, illud tamen potius ab interprete datum, alias docuimus. Haec annotatio pluribus aliis subsequentibus locis servit.

V. 33. Sphaerulaque simul & lilium. Hoc bis lectum isto versu, minus recte alii libri pluraliter scribunt, Sphaerulaque simul & lilia.

V. 38. Fiant de auro purissimo. Non omittatur praepositio de.

CAP. XXVI. v. 34. In sancto sanctorum. Non mutes singulare sancto in plurale sancta.

CAP. XXVII.

CAP. XXVII. v. 21. A filiis Israel. Non est mutanda præpositio a præpositione coram.

CAP. XXVIII. v. 14 Et duas catenulas ex auro purissimo. Alii, omissa præpositione, scribunt secundo casu, auri purissimi.

V. 33. Et cocco bis tincto. Quod sequitur in quibusdam antigraphis & bysso retorta, merito hic omittitur.

CAP. XXX. v. 13 Omnis qui transit ad nomen. Pro nomen, quidam legunt numerum: sed prior est germana versio veteris Interpretis.

V. 18. Facies & labium æneum. Præstat labrum scribere dissyllabum, r media littera, quam labium trissyllabum, i media, hoc & aliis similibus locis.

CAP. XXXI. v. 15. Sex diebus facietis opus. Non mutes numerum pluralem in singularem facies.

V. 17. Et in septimo ab opere cessavit. Non addas omni.

CAP. XXXII. v. 28. Cecideruntque in die illa, quasi viginti tria millia hominum. Pro viginti tria, quod est in quibusdam libris, in quibusdam legitur amplius, nempe triginta tria, in quibusdam minus, nempe tria, his postremis favent Hebræa, Græca, & Chaldæa.

CAP. XXXIII. vers 3. Quia populus duræ cervicis es. Non commutes personam secundam es cum tertia est.

Vers. 9. Et stabat ad ostium. Non est addenda vox tabernaculi (tametsi Hebraice exprimatur) ut neque vox Dominus, ubi sequitur, loquebaturque cum Moyse.

Vers. 13. Ostende mihi faciem tuam. Non judicarunt Romani Correctores, pro faciem, substituendum viam.

V. 19. Et vocabo in nomine Domini coram te. Cave ne scribas passivum vocabor, pro activo vocabo.

CAP. XXXIV. vers 4. Portans secum tabulas. Non addas duas, reliquit enim Interpres e superioribus intelligendum.

Vers. 11. Quæ hodie mando tibi. Non substituendum præteritum mandavi, pro præsenti mando.

Ibidem. Et Hevæum & Jebusæum. Non oportet addere & Gergesæum.

V 25. De victima solemnitatis Phase. In loco numeri singularis victima, non est surrogandus pluralis victimis.

V. 34. Quod ingressus. Nonnulli libri habent qui, masculinum, pro neutro quod.

V. 35. Sed operiebat ille rursus. Sequitur in quibusdam codicibus velamine, sed facile intelligitur etiam non additum.

CAP. XXXV. v. 16. Labrum & basim ejus. Retinendus est singularis numerus basim, pro plurali bases.

V. 24. Argenti æris que metalla. Merito deletum est quod quidam addunt & auri.

Vers. 34. Dedit in corde ejus. Et hic merito omissa est vox Dominus.

CAP. XXXVII. v 29 Et thymiama. Servandus est numerus singularis thymiama.

CAP. XXXVIII. v. 12. Unum tenebat latus. Et hic servandus est numerus singularis tenebat; nam alii legunt pluralem tenebant.

V. 15. Quia inter utraque introitum tabernaculi fecit. Non omittas præpositionem inter, nec mutes præteritum fecit in præsens facit.

V. 28 Et septuaginta quinque. Non addas siclis, quod subditur in quibusdam exemplaribus.

CAP. XXXIX. v. 6. Nominibus filiorum Israel. Sequitur in quibusdam manuscriptis: Sex nomina in lapide uno, & sex in altero, juxta ordinem nativitatis eorum: sed non est hujus loci, verum capitis 28. superioris, v. 10.

V. 28. Ac vermiculo bis tincto, arte plumaria. Insignis locus, quo pro una voce distinctum, quæ a plerisque legitur, & refertur ad cingulum, prudenter substitutæ sunt duæ bis tincto, jungendæ cum vermiculo, Hebræo suffragante.

CAP. XL. v. 3. Dimittesque ante eam velum. In Romana anni 1593. editione est dimittes, quod est, relinques pro demittes, quod est expandes: sed lapsus est Typographus Romanus, dans illud pro hoc, vocalem tertiam pro secunda.

Vers. 5. Tentorium in introitu tabernaculi pones. Non est hic addenda vox testimonii, voci tabernaculi, ut nec infra, vers. 9.

LEVITICUS.

CAP. I. v. 4. Ponetque manum super caput hostiæ. Non scribas plurale manus, pro singulari manum. Idem infra 4. v. 29.

V. 5. Et offerent filii Aaron sacerdotes. Nominativus pluralis sacerdotes, non est commutandus cum genitivo singulari sacerdotis.

V. 10. Masculum absque macula offeret. Locus unius vocis masculum, alii legunt tres agnum anniculum &c; male.

Vers. 14. Aut pullis columbæ. Non mutes disjunctivam aut cum copulativa &.

CAP. II. Vers. 8. Ac deferet ad filios Aaron sacerdotes. Idem judicium quod supra 1. v. 5.

V. 11. Nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino. Non est mutandus tertius casus Domino, secundo Domini.

V. 13 In omni oblatione tua offeres sal. Non omittas pronomen tua.

V. 14. Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum. Plerique, pro nomine adjectivo primarum, scribunt substantivum primitiarum.

V. 15. Fundens supra oleum. Non sunt scribendæ dictiunculæ duæ super ea, loco unius supra.

CAP. III. v. 2 Fundentque filii Aaron sacerdotes. Nominativus sacerdotes constanter servatur, exploso genitivo sacerdotis, ut supra 1. v. 5. & 2. v. 2.

CAP. IV. v. 2. Anima quæ peccaverit. Pro quæ, in aliis est cum.

Vers. 6. Cumque intinxerit digitum in sanguine, adsperget eo species. Alii pro vocabulis ablativi casus, sanguine & eo, scribunt vocabula accusativi casus sanguinem & eum. Nam plurale eos spurium est prorsus.

V. 8. Et adipem vituli auferet. Cave mutes auferet, quod est tollet, cum offeret, quod est sacrificabit, ut plerique faciunt.

V. 10. Sicut aufertur de vitulo. Idem est hic cavendum, videlicet, ne pro aufertur, substituatur offertur.

V. 25. Et reliquum fundens ad basim ejus. Non opus est addere sanguinem, tametsi legatur Hebraice: facile enim intelligitur.

V. 26. Adipem vero adolebit supra. Similiter nec hic opus est addere, altare, quod subditur a quibusdam manuscriptis, Hebræo conformiter.

V. 35. In incensum Domini. Non est omittenda præpositio in.

CAP. V. vers. 19. Quia per errorem deliquit in Dominum. Retinendus est accusativus Dominum, rejectio ablativo.

CAP. VI. v. 9. Ignis ex eodem altari erit. Plerique legunt in pro ex.

Vers. 16. Et comedet in loco sancto atrii tabernaculi. Pro duabus vocibus, quas habent Sixtina Biblia quam optime, sancto atrii, seu tribus, quas alia quædam, sancto in atrio; vulgaria legunt unam, sanctuarii; male.

CAP. VII. v 14. Offeretur Domino. Non mutes futurum offeretur præsenti offertur.

CAP. VIII. vers. 3. Ad ostium tabernaculi. Non omittas vocem tabernaculi.

V 22. In consecratione sacerdotum; Non est mutandus sextus casus quarto, consecrationem.

Vers. 24. Et pollices manus ac pedis dextri. Nec hic mutandus est numerus pluralis singulari pollicem.

V. 28. In odorem suavitatis sacrificii Domino. Pro genitivo Domini, qui a plerisque legitur, Correctores recte substituerunt dativum Domino.

CAP. IX. vers. 3. Et vitulum atque agnum anniculos. Et hic recte dederunt pluralem numerum anniculos, pro singulari anniculum.

V. 22. Et extendens manus ad populum. In aliis libris est manum, numero singulari.

CAP. X. v. 18 Non sit illatum intra sancta. Non addas sanctorum.

CAP. XI. vers. 2. Dicite filiis Israel. Quod sequitur in quibusdam exemplaribus. Custodite omnia quæ scripsi vobis, ut sim Deus vester; superfluit.

V. 26. Et qui tetigerit illud, contaminabitur. Pro masculino qui, minus recte scribitur a libris quibusdam neutrum quidquid.

CAP. XIII. v. 12. Et operuit omnem cutem. Quod alii libri scribunt carnem, hic emendatum est cutem, quod est pellem consentante Hebræo.

V. 31. Recludet eum septem diebus. Non mutes numerum singularem eum plurali eos.

CAP. XIV. v. 43. Et pulvis erasus. Notariorum temeritas fuit, quod pro erasus seu abrasus, plerique libri habeant elatus, quod est, exportatus.

Vers. 49. Et in purificationem ejus. Quartus casus purificationem, non est commutandus cum sexto purificatione, qui in multis est libris.

CAP. XV. v. 21. Et in quo dormierit, vel sederit. Non addas nomen locus: Et locus in quo &c.

V. 27. Quicumque tetigerit ea, lavabit vestimenta sua. Consulto substitutum est neutrum plurale ea, in locum feminini singularis eam, quod est in plerisque libris.

V. 31. Ut caveant immunditiam. Interpres dedit singulare immunditiam, si optimis libris habetur fides, non plurale immunditias.

CAP. XVII. v. 8. Homo de domo Israel. Quidam libri pro domo scribunt filiis; male.

V. 9. Ut offeratur Domino. Passivum offeratur dedit interpres, non activum offerat.

Vers. 10. Qui peregrinatur inter eos. Sic & Hebraice legitur, pronomen tertiæ personæ eos, pro pronomine secundæ personæ vos, quod est in plerisque latinis libris, hic ut supra, v. 8.

Vers. 11. Ut super altare in eo expietis. Pro duabus vocibus in eo, quidam libri habent unicam meum: neutrum Hebraice legitur, prius autem est congruentius.

V. 16. Quod si non laverit vestimenta sua & corpus. Non mutes conjunctivam & cum disjunctiva vel corpus.

CAP. XVIII. vers. 16. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis. His verbis non est præmittendum & uxorem fratris sui nullus accipiat, utpote illorum interlinearis expositio.

CAP. XIX. v. 8. Et peribit anima illa de populo suo. Non mutes populo suo, cum medio populi sui.

Vers. 9. Cum messueris segetes terræ tuæ. Interpres non addidit copulativam cumque.

Vers. 19. Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. Alii scribunt numero plurali jumenta tua.

V. 20. Quæ sit ancilla, etiam nubilis. Insignis loci restitutio, qua pro nobilis, hoc est, genere clara, quod prius fere legebatur; repositum est, nubilis, quod est, apta viro, seu potius promissa nuptui.

Nam

Nam alii ex Hebræo vertunt desponsata viro. LXX. servata homini.

V. 26. 5. Non comedetis cum sanguine. *Merito ablata est vox* carnem, *quæ a quibusdam additur*.

V. 28. Non incidetis carnem vestram. *Non est commutandus numerus singularis cum plurali* carnes vestras.

CAP. XX. *v.* 5. Ut fornicarentur cum Moloch. *Alii boni libri scribunt numerum pluralem* fornicarentur.

V. 7. Quia ego sum Dominus Deus vester. *Non est addenda vox* sanctus; Quia ego sanctus sum *&c.*

V 9. Patri matrique maledixit, sanguis ejus sit super eum. *Ita legendum est* maledixit, *non* qui maledixerit.

CAP. XXI. *v.* 2. Super patre & matre, & filio & filia, fratre quoque & sorore virgine. *Sextum casum ubique dedit Interpres, si antiquis libris creditur, non quartum.*

V. 7. 8. Scortum & vile prostibulum non ducent uxorem (*&c.*) quia consecrati sunt Deo suo, & panes propositionis offerunt. Sint ergo sancti. *Alii libri, numero singulari habent*, ducet, consecratus est, offert. sit ergo sanctus. *Hebræum quidam plurali, quidam singulari numero legit.*

V. 8. Qui sanctifico eos. *Hæc lectio respondet Græcæ interpretationi LXX. duorum virorum alteri, quæ est plerorumque Latinorum librorum, pro tertiæ personæ pronomine* eos, *scribentium secundæ* vos, *respondet Hebræo.*

V. 23. Quia maculam habet. *Retinenda est conjunctio* quia, *non vertenda in pronomen* qui.

CAP. XXII. *v.* 6. Sed cum laverit carnem suam aqua. *Alii pro* carnem suam *substituunt* corpus suum, *minus recte*.

V. 23. Voluntarie offerre potes. *Non mutes activum cum passivo, nec secundam personam cum tertia*, offerri potest.

V. 24. Quod vel contritis vel tusis. *Male scribunt plerique* tonsis, *quod est a* tondeo, *secundæ conjugationis: scribendum est enim* tusis, *vel certe* tunsis, *a* tundo, *tertiæ conjugationis*.

CAP. XXIII. *v.* 11. Ut acceptabile sit. *Neutrum* acceptabile, *cum masculino* acceptabilis, *nec commutetur*.

V. 14. Usque ad diem, qua offeretis ex ea Deo vestro. *Futurum indicativi* offeretis, *non est corrigendum, per præsens conjunctivi* offeratis.

CAP. XXIV. *v.* 11. Cumque blasphemasset nomen. *Cave addas* Domini *aut* Dei, *quod consulto omissum a Mose est*.

V. 16. Lapidibus obruet eum omnis multitudo. *Non est addenda vox* populi.

CAP. XXV. *v.* 2. Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, sabbatizes sabbatum Domino. *Pro secunda persona* sabbatizes, *in aliis libris est tertia* sabbatizet: *cui ut darent suppositum, addiderunt quidam* populus. *Si addidissent* terra, *fuisset verisimilius; id enim addunt similiter Hebræa, Chaldæa & Græca. Sed videtur Latinus Interpres τὸ* terra *Hebraice non legisse, itaque dedisse secundam personam* sabbatizes, *pro quo quidam scripserunt plurali numero* sabbatizate, *ut evitarent duram illam numeri mutationem. Quocumque modo legas, sermo de terra est: nam quomodo implendum sit, quod Latine jubetur Israel* sabbatizare sabbatum, *explicant versus proxime sequentes:* Sex annis seres agrum tuum *&c. Jam tertius casus* Domino, *quem multi vertunt in secundum* Domini, *omnino retinendus est*.

V. 6. Qui peregrinantur apud te. *Quidam mutarunt pluralem numerum* peregrinantur, *cum singulari* peregrinatur, *persuasi, hoc verbi, non nisi ad* proximum advenam *referendum esse; male*.

V. 11. Non seretis, neque metetis. *Miror quo consilio quidam mutaverint* neque *in* atque.

CAP. XXVI. *v.* 40. Donec confiteantur iniquitates suas & majorum suorum. *Falsi quidam, pro* majorum *seu* patrum suorum, *scripserant* malorum suorum secordentur.

V. 45. Ego Dominus. *Non est adjicienda vox* Deus.

V. 46. Inter te & filios Israel. *Non repetas præpositionem* inter.

CAP. XXVII. *vers.* 13. Addet super æstimationem quintam partem. *Melius est* supra *quam* super: *genitivus autem* æstimationis, *positus a quibusdam loco accusativi* æstimationem *non est sequendus*.

V. 26. Primogenita quæ ad Dominum pertinent. *Non mutes* Dominum *cum* Deum.

V. 27. Redimet qui obtulit juxta æstimationem tuam. *Cave, ne in locum pronominis secundæ personæ* tuam, *surroges pronomen tertiæ* suam.

Ibidem. Vendetur alteri quantocumque a te fuerit æstimatum. *Recte Correctores Romani, unam voculam* ante, *quæ a plerisque legebatur, distraxerunt in duas* a te, *repetitur enim Hebraice* juxta æstimationem tuam.

V. 28. Non vendetur, nec redimi poterit. *Sic scribunt antiqui codices* vendetur, *non* veniet.

V. 33. Et quod mutatum est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino. *Antiqui libri omittunt* & pro quo mutatum est, *tamquam, inquit, Epanorthotes, quod satis intelligatur, vel ex addita conjunctione* &. *Sed Correctoribus visum est relinquere illud majoris claritatis gratia, quemadmodum supra, v.* 10. *utrumque exprimitur*.

NUMERI.

CAP. I. *v.* 51. Cum castrametandum. *Alii* cum castra metanda, *duabus vocibus numeroque plurali, minus recte*.

CAP. II. *v.* 2. Castrametabuntur filii Israel. *Alii scribunt genitivo casu* filiorum; *minus apte*.

V. 4. Septuaginta quatuor millia sexcenti. *Non scribas secundo casu* sexcentorum.

V. 24. Centum octo millia centum. *Non est omittendum posterius* centum.

CAP. III. *v.* 22. Septem millia quingenti. *Non scribas* quingentorum *gignendi casu*.

V. 49. Et quos redemerant a Levitis. *Cave, ne pluralem numerum* redemerant, *corrigas per singularem* redemerat.

CAP. IV. *v.* 6. Et operient rursum velamine janthinarum pellium. *Sextum casum* velamine, *quidam commutant cum quarto* velamen, *male. Porro pro* janthinarum, *quidam dant* hyacinthinarum, *tum hoc versu, tum pluribus sequentibus, eo judicio quo supra*. Exod. 25. *v.* 5.

V. 19. Ipsique disponent opera singulorum. *Quia de portando hic agitur, putarunt quidam* onera *potius legendum esse, quam* opera; *falsi*.

V. 46. Et quos recenseri fecit ad nomen Moses. *Non est omittenda vox* recenseri.

CAP. V. *v.* 3. Cum habitaverim vobiscum. *Cave ne primam personam singularem* habitaverim, *commutes cum tertia plurali* habitaverint.

V. 29. Si declinaverit mulier a viro suo. *Quidam libri confodiunt vocem* mulier, *sed immerito*.

CAP. VI. *v.* 5. Novacula non transibit per caput ejus. *Alii scribunt* non ascendet super caput ejus; *minus recte*.

V. 14. Et ovem anniculam immaculatam pro peccato. *Nequaquam omittendum est* pro peccato.

CAP. VII. *v.* 2. Præfectique eorum qui numerati fuerant. *Non omittatur enclitica particula* que.

V. 84. Hæc in dedicatione altaris oblata sunt. *Non est surrogandus quartus casus* dedicationem, *in locum sexti. Idem commoneo infra* 88.

CAP. IX. *v.* 14. Juxta cæremonias & justificationes ejus. *Omnino retinendum est* ejus, *non mutandum cum reciproco* suas.

V. 23. Quot diebus. *Alii habent* quotquot diebus.

CAP. X. *v.* 8. Filii autem Aaron sacerdotes clangent tubis. *Nominativus pluralis* sacerdotes, *non cedat genitivo singulari* sacerdotis.

V. 13. Juxta imperium Domini in manu Moysi. *Quidam scribunt* in manum, *quidam* per manum: *sed primum* in manu, *Hebræo consonat*.

CAP. XI. *v.* 3. Eo quod incensus fuisset. *Non mutes* incensus *cum* succensus.

V. 4. Flagravit desiderio. *Non addas* carnium, *aut* carnis.

V. 17. De spiritu tuo. *Nec hic addas* sancto.

V. 21. Et ait Moyses. *Denique nec hic addas* ad Dominum.

V. 31. Arreptans trans mare coturnices. *In locum participii passivi* arreptas, *quod est in aliis libris, substitutum est activum* arreptans.

Ibidem. Et dimisit in castra. *Non mutes* demisit, *quod est* dejecit, *cum* dimisit.

V. 32. Congregavit coturnicum, qui parum decem coros. *Merito hic omissa est vox* multitudinem, *quam quidam adjecerant, non animadvertentes genitivum* coturnicum *regi a* coros.

V. 34. Populum qui desideraverat. *Non addas* carnes, *multoque minus scribas* Populum quem percussit Dominus quia desideraverat carnes.

CAP. XII. *v.* 2. Quod cum audisset Dominus. *Sequitur in plerisque libris* iratus est, *quod redundare merito censuerunt* Correctores, *perficiendamque sententiam esse illis verbis quarti versus* statim locutus est ad eum, *inclusis parentesi verbis intermediis:* Erat enim Moses *&c. Certe etiam libri nostri antiqui omittunt* Dominus, *quod alii addunt verbo* locutus est.

CAP. XIV. *v.* 2. Et in hac vasta solitudine utinam pereamus. *Locus insigniter restitutus, ablata negatione quæ est in plerisque codicibus* (& non in hac vasta solitudine) *& verbis subsequentibus* utinam pereamus, *junctis iis quæ præcedunt, non, ut multi faciunt, iis quæ consequuntur*.

V. 10. Cunctis filiis Israel. *Superfluit participium* videntibus, *quod addunt alii*.

V. 19. Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus. *Merito expunctum est pronomen* tui, *quod multi legunt*, populi tui hujus.

CAP. XV. *v.* 3. In holocaustum, aut victimam, vota solventes. *Nomini substantivo* victimam, *non est addendum adjectivum* pacificam, *quod faciunt libri plerique*.

V. 4. Conspersæ oleo. *Alii habent quartum casum* conspersam, *relatum ad illud quod præcedit* decimam partem: *Correctores elegerunt secundum casum* conspersæ, *relatum ad nomen* similæ.

V. 20. Sicut de areis primitias separatis. *Præsens* separatis *non est commutandum cum futuro* separabitis.

CAP. XVI. *v.* 11. Quid est enim Aaron. *Retinendum est neutrum* quid: *non substituendum masculinum* quis.

V. 34. Fugit ad clamorem pereuntium. *Legendum est* ad clamorem, *non* a clamore, *multoque minus* a timore.

V. 40. Et omnis congregatio ejus. *Male quidam scribunt* cognatio *pro* congregatio *sive* cœtus.

V. 43. Operuit nubes. *Non addas* tabernaculum, *sed subaudias*.

CAP. XVII. *v.* 3. Et una virga cunctas seorsum familias continebit. *Sic legunt antiqui codices, adverbium* seorsum *loco pronominis* eorum.

V. 12. Ecce consumpti sumus, omnes peri-

perivimus. *Præteritum* perivimus, *non est commutandum cum futuro* peribimus.

CAP. XVIII. v. 9. Et cedit in sancta sanctorum. *Nec hic præsens* cedit, *mutandum est in futurum* cedet.

V. 10. Quia consecratum est tibi. *Retinendum est pronomen* tibi, *non substituenda vox* Domino.

V. 13. Universa frugum initia quas gignit humus. *Antiqui libri habent femininum* quas, *repudiato neutro* quæ.

V. 15. Quidquid primum erumpit. *Non scribas futurum* erumpet, *pro præsenti*.

V. 19. Pactum salis est. *Cave scribas* pacis *pro* salis. *Sal servit durationi*.

CAP. XIX. *vers.* 3. Tradetisque eam Eleazaro. *Quidam pro plurali* tradetisque, *scribunt singulare* tradetque, *minus recte*.

CAP. XX. v. 20. Non transibis. *Servandus est numerus singularis* transibis.

CAP. XXI. v. 15. Ut requiescerent in At. *Non est scribendum* Atnon *dissyllabum, pro monosyllabo* At, *ut certe locorum prorsus diversorum sunt nomina*.

V. 18. Et in baculis suis. De solitudine, Mathana. *Non addas* profectique sunt *ante* de solitudine, *nec* in *ante* Mathana: *subaudienda enim hæc sunt, non exprimenda*.

V. 20. De Bamoth vallis est. *Non est omittenda præpositio* de, *quod & alias docuimus in Notationibus nostris*.

CAP. XXII. v. 20. Si vocare te venerunt homines illi. *Præteritum indicativi* venerunt, *præstat conjunctivo* venerint.

V. 37. Misi nuncios ut vocarem te. *In aliis libris, pro prima persona singulari, est tertia pluralis* vocarent.

CAP. XXIII. v. 14. Impositis supra vitulo atque ariete. *Alii legunt numero plurali* vitulis atque arietibus.

CAP. XXIV. *vers.* 7. Et semen illius erit in aquas multas. *Quidam pro* aquas *scripserunt* gentes, *commentarium vertentes in textum*.

V. 22. Et fueris electus de stirpe Cin. *Cave ne pro* Cin, *scribas* Cham *nomen filii Noe; quod quidam*.

CAP. XXVI. v. 12. Jamin, ab hoc familia. *Non præponas* & *conjunctionem ante* Jamin.

V. 14. Viginti duo millia ducenti. *Non mutes nominativum* ducenti *in genitivum* ducentorum.

V. 18. Quadraginta millia quingenti. *Nec hic nominativus cum genitivo* quingentorum *commutandus: similisque ratio observanda est infra, v.* 22. 25. 27. 34. 37. 41. 43. 47. 50.

V. 38. Ahiram, a quo familia Ahiramitarum. *Quidam addito* c *scribunt* Achiram, Achiramitarum; *utroque modo exprimitur littera Hebraica* heth *seu* cheth.

V. 62. Quia non sunt recensiti. *Praferenda est conjunctio* quia, *pronomini* qui.

CAP. XXVII. v. 14. In Cades deserti Sin. *Rectius legitur secunda casu* deserti, *quam sexto* deserto, *aut* in deserto.

V. 18. Virum in quo est spiritus. *Non addas vocem* Dei.

CAP. XXVIII. v. 11. In calendis autem offeretis. *Multa exemplaria post* autem, *addunt* Id est, in mensium exordiis: *id quod, tamquam commentarium textui mistum, omiserunt Romani Patres*.

V. 13. Similæ ex oleo. *Non addas participium* conspersæ. *quod satis intelligendum dat præpositio* ex.

CAP. XXIX. v. 11. Cum sacrificiis & libaminibus eorum. *Non mutes præpositionem* cum, *in præpositionem* in, *aut conjunctionem* &.

CAP. XXX. v. 14. In arbitrio viri erit ut faciat. *Scribendum est ex antiquis codicibus*, ut, *non* sive, *tametsi sequatur* sive non faciat.

CAP. XXXI. v. 30. Cunctorum animantium. *Alii claritatis caussa addunt conjunctionem encliticam* cunctorumque.

V. 52. Pondo sedecim millia. *Non est surrogandum* pondere sanctuarii *in locum vocis* pondo.

CAP. XXXII. v. 4. Regio uberrima est. *Alii minus recte, mutatis nominativis in genitivis, scribunt* regionis uberrimæ est.

V. 17. Erunt in urbibus muratis. *Ita vertit Interpres hoc loco*, muratis, *quod est*, muro cinctis, *pro quo alias* munitis.

V. 28. Et principibus familiarum per tribus Israel. *Non omittas præpositionem* per.

V. 35. Et Ethroth & Sophan. *Male quidam scribunt monosyllabum* Roth *pro dissyllabo* Ethroth.

CAP. XXXIII. v. 3. Quintadecima die mensis primi altera die Phase. *Superfluis obestque sensui verbum* fecerunt, *quod multi adduut;* Fecerunt altera die Phase. *Præpositio autem* post, *quam alii præponunt voci* Phase, *intelligenda est, non legenda. Consulat qui volet Notationes nostras in hunc locum*.

V. 38. Ascenditque Aaron sacerdos in montem Hor. *Non est omittenda vox* sacerdos.

V. 44. 45. Et de Oboth, venerunt in Jeabarim (&c.) Profectique de Jieabarim. *Alii pro* Jie-abarim, *omissa priore* i *vocali, scribunt* Jeabarim; *minus recte*.

V. 54. Et paucis angustiorem. *Antiqui libri habent positivum* paucis, *pro eo qui in aliis codicibus est, comparativo* paucioribus.

CAP. XXXIV. v. 4. A meridie usque ad Cadesbarne. *Pro* a meridie, *alii libri scribunt* in meridiem, *alii* ad meridiem, *male*.

V. 8. A quo venient in Emath. *Non est mutandus numerus pluralis in singularem* veniet.

V. 11. Descendent termini in Rebla. *Pro* Rebla, *codices minus accurati scribunt addita tertia syllaba* Reblatha, *quod non est hujus loci*.

V. 29. Hi sunt quibus præcepit Dominus. *Non mutes præteritum perfectum* præcepit, *in plusquam perfectum* præceperat.

CAP. XXXV. v. 19. Statim ut apprehenderit eum, interficiet. *Pro* interficiet, *invento in libris antiquis* percutiet, *quod idem unum est: sed passivum* interficietur, *quod est in aliis exemplaribus, spurium est*.

DEUTERONOMIUM.

CAP. I. v. 4. Qui habitabat in Hesebon. *Quidam codices omittunt pericopen hanc, sed immerito*.

V. 19. Per eremum terribilem & maximam. *Sequitur* solitudinem *in aliis libris, sed quod merito judicatum est superfluere*.

V. 28. Et ad cælum usque munitæ. *Hæc videtur hoc loco Latini interpretis esse scriptura*, munitæ, *pro qua alias vertit* muratæ.

V. 31. Et in solitudine (ipse vidisti) portavit te Dominus. *Hæc est genuina loci interpunctio, qua periodus hæc incipit ab his verbis:* Et in solitudine, *relatis ad sequentia, parenthesi inclusit his* ipse vidisti: *quæ qui pluraliter legunt* ipsi vidistis, *minus sinceram sequuntur lectionem*.

CAP. II. v. 12. In Seir autem prius habitaverunt Horræi. *Alii libri servant terminationem Hebræam, scribentes* Horrim.

V. 19. Et accedens in vicina filiorum Ammon. *Non mutes* accedens *in* ascendens.

V. 20. Gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim. *Trissyllabum est* Zomzommim, *repetendum est enim* zom, *contra quosdam qui legunt* Zommim.

V. 21. Populus magnus & multus, & proceræ longitudinis. *Nullo modo omittendum est medium illud* & multus.

V. 27. 28. 29. Transibimus per terram tuam, publica gradiemur via &c. *Non sunt nomina verbaque pluralis numeri, quæ his tribus versibus continentur, mutanda in singularia, ad hoc ut Hebræo respondeant, quod quidam faciunt*.

CAP. III. v. 13. Vocatur terra gigantum. *Alii pro præsenti scribunt præteritum imperfectum* vocabatur.

CAP. IV. v. 6. Ut audientes universa præcepta hæc. *Alii pro neutro* universa, *legunt masculinum* universi, *minus sincere*.

V. 10. A die in quo stetisti coram Domino. *Pro duabus voculis* a die, *plerique unam legunt*, diem. *Præpositio Hebraice, etsi non exprimatur, subaudienda est tamen*.

V. 22. Ecce morior in hac humo. *Nequaquam mutandum est præsens* morior *in futurum* moriar.

V. 30. Novissimo tempore reverteris ad Dominum. *Non est addenda conjunctio* autem.

V. 33. Sicut tu audisti & vixisti. *Spurium est quod quidam substituunt* vidisti, *quod est* aspexisti, *pro* vixisti, *quod est*, in mortem non incurristi.

V. 34. Quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester. *Non sunt commutanda pronomina secunda personæ cum primæ*, nobis, noster.

V. 35. Et non est alius præter eum. *Non est surrogandum nomen* unum, *in locum pro nominis* eum, *quod multi faciunt*.

CAP. V. v. 24. Vocem ejus audivimus. *Sic omittunt antiqui libri conjunctionem* enim, *quam alii addunt*.

CAP. VI. v. 4. Dominus Deus noster Dominus unus est. *Posterius* Dominus *quidam mutant in* Deus, *immerito*.

V. 7. Et meditaberis in eis sedens in domo tua. *Non sunt omittendæ mediæ illæ voculæ* in eis.

V. 13. Et illi soli servies. *Interpres hic expressit vocem* soli, *quæ Hebraice relinquitur subaudienda*.

CAP. VIII. v. 13. Armenta boum & ovium greges. *Non facile omittenda est vox* boum.

CAP. IX. v. 5. Ingredieris ut possideas. *In aliis pro futuro* ingredieris, *est præsens* ingrederis.

V. 9. Ut acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti quod pepigit vobiscum Dominus. *Ita repetenda est vox* tabulas *(quam multi codices posteriori loco omittunt) & scribendum* Dominus *pro* Deus, *tam juxta Latinos codices antiquos, quam juxta Hebræos*.

CAP. X. v. 3. De lignis Settim. *Sic scribunt Hebræi*, Settim *duplici* t: *alii simplici* Setim.

CAP. XI. v. 10. Ad quam ingrederis possidendam. *Non mutes præsens* ingrederis *cum futuro* ingredieris.

CAP. XII. v. 3. Dissipate aras eorum. *Interpres vertit masculinum* eorum, *non femininum* earum. *Similiter ubi sequitur:* Disperdite nomina eorum de locis illis. *Hebræa ambigua permittunt utrumque, ut vel ad gentes referas, vel ad Deos*.

V. 11. Quæ vovebitis Domino. *Non est mutandum futurum* vovebitis *in præteritum* vovistis.

V. 12. Qui in urbibus vestris commoratur. *Nequaquam scribendum est plurale* commorantur, *pro singulari* commoratur.

V. 29. Ad quas ingredieris possidendas. *Correctores hic futurum prætulerunt præsenti* ingrederis.

CAP. XIII. v. 9. Et postea omnis populus mittat manum. *Unicam voculam* postea, *ne distrahas in duas* post ea, *ut quidam faciunt*.

CAP. XIV. v. 7. Comedere non debetis, ut camelum. *Correctores, ut omiserunt pronomen* hæc, *quod alii libri præponunt verbo* comedere, *ita addiderunt adverbium* ut *ante vocem* camelum; *sensu clarissimo. Porro* hæc *pronomen præposuerunt*

et quod

ei quod mox sequitur : Hæc quia ruminare.

V. 12. Et hallæerum. *Non est omittenda vocalis secunda e sequens diphongum æ : sicut non omittitur. Levit.* 11. *vers.* 13.

V. 13. Ixion & vulturem. *Alii codices legunt dissyllabum* Ixon.

V. 22. De cunctis fructibus tuis qui nascuntur in terra. *Alii minus recte legunt genere feminino* frugibus tuis quæ

V. 23. De armentis & ovibus tuis. *Neutiquam addendum est verbum* offeres.

CAP. XV. *v.* 7. Ad paupertatem venerit. *Pro simplici* venerit, *non substituas compositum* devenerit.

V. 10. In omni tempore. *Quidam ex Hebræo correxerunt* opere, *pro* tempore.

V. 21. Vel claudum fuerit. *Alii præponunt conjunctionem* & : Et vel claudum fuerit.

CAP. XVI. *v.* 4. Non apparebit fermentum. *Retinendum est substantivum, pro adjectivo* fermentatum.

V. 22. Quæ odit Dominus Deus tuus. *Non commutes neutrum,* quæ, *cum feminino* quam, *tametsi Hebræa ambigua sint.*

CAP. XVII. *v.* 8. Judicium esse perspexeris. *Non scribas* prospexeris, *quod est, præviderts, pro* perspexeris, *quod est videris.*

Ibidem. Lepram & lepram. *Nequaquam addenda est negatio posteriori voci,* & non lepram.

Ibidem. Intra portas tuas. *Non scribas* inter, *pro* intra, *quod est* in.

V. 12 Et decreto judicis. *Legenda est conjunctio* &, *non præpositio* ex.

V. 20. Ipse & filii ejus. *Retinendum est plurale* filii, *non substituendum singulare* filius.

CAP. XIX. *v.* 13. Et auferes innoxium sanguinem. *Quidam non intelligentes,* innoxium sanguinem *positum esse pro effusore innoxii sanguinis, loco vocis* innoxium, *scripserunt contrarium* noxium.

CAP. XXI. *v.* 5. Et ad verbum eorum omne negotium. *Nequaquam addas verbum* pendet, *quod quidam libri subjiciunt.*

V. 6. Et venient majores natu. *Non oportet omittere futurum* venient, *nec commutare cum imperativo* veniant, *denique non necesse est addere* omnes.

V. 15. Genueritque ex eo liberos. *Alii scribunt* Genueritque ex eis. *Sententia eadem unus est, sed prior lectio præfertur.*

V. 18. Qui non audiat patris, aut matris imperium. *Non mutes* audiat, *cum* audierit, *nec conjunctionem disjunctivam* aut *cum copulativa* ac.

CAP. XXII. *vers.* Quo operieris. *In aliis est præsent* operiris : *futurum respondet Hebræo.*

CAP. XXIII. *v.* 18. Quidquid illud est quod voveris. *Servanda est secunda persona singularis* voveris, *rejicienda tertia pluralis* voverint.

CAP. XXIV. *v.* 5. Sed vacabit absque culpa domi suæ. *Cave ne scribas, ut quidam, tertium casum* domui, *pro secundo* domi.

V. 6 Quia animam suam opposuit tibi. *Non est legendum relativum* qui, *loco conjunctionis* quia. *Porro* opposuit, *quod est obligavit, seu oppignoravit, eleganter emendatum est ex* apposuit, *quod est in aliis exemplaribus, id est, vocalis quarta ex prima.*

CAP. XXV. *v.* 7. Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel. *Alii pro* nomen, *quod est* ὄνομα, *scribunt* semen, *quod est,* τὸ σπέρμα ; *male.*

Sequitur : Nec me in conjugem sumere. *Non commutes vocem* conjugem, *cum voce* conjugium.

V. 12 Misericque manum. *Quidam antiqui libri tollunt enclyticam conjunctionem* que.

V. 22. Abscides manum illius. *Ita legunt antiqui libri* abscides, *ex* abs *&* cædo, *pro* abscindes, *ex* ab *&* scindo. *Simile Matth.* 5. *v.* 30. *& alibi.*

CAP. XXVI. *v.* 4. Suscipiensque sacerdos cartallum de manu tua. *Non mutes pronomen secundæ personæ* tua *in tertiam* ejus.

V. 11. Et epulaberis in omnibus bonis. *Non est omittenda* ea, *quæ præmittitur conjunctio* &.

V. 13. Abstuli quod sanctificatum est de domo mea. *Adulterinum est quod alii legunt* attuli, *quasi dicat, se hue e domo sua adferre ; cum e contrario, negant se domi suæ retinuisse, profiteatur se distribuisse egenis. Genuina igitur lectio est* abstuli, *quia & Hebræo, Chaldæo, Græcoque consentanea est.*

V. 16. Et custodias & impleas. *Peius & non est mutandum in* ut.

V. 17 Et custodias ceremonias illius. *Nec istud & vertendum in* ut *est.*

V. 18. Et Dominus elegit te hodie. *Istam conjunctionem* &, *quidam vertunt in adverbium demonstrandi* En, *sed pessime.*

CAP. XXVII. *v.* 12. Hi stabunt ad benedicendum populo. *Cavendus est vetus error eorum qui legunt* Domino, *id est,* τῷ κυρίῳ, *pro* populo, *quod est* τῷ λαῷ, *sive plebi.*

V 25. *præponunt quidam codices hanc maledictionem :* Maledictus qui dormit cum uxore proximi sui : & dicet omnis populus, Amen : *verum illa adjectitia & superflua est.*

CAP. XXVIII. *v.* 20. Et perdat velociter. *Non addas* de sub cælo.

V. 36. Et regem tuum quem constitueris super te. *Alii minus apte legunt.* Et regem quem constitues super te ; *omisso pronomine* tuum, *& conjunctivo verso in indicativum.*

V. 40. Quia defluent & peribunt. *Sic legunt etiam antiqui codices, simplex verbum* peribunt, *pro composito* deperibunt.

V. 48. Quem immittet tibi Dominus. *Non mutes* immittet *cum* emittet, *vocalem tertiam cum secunda.*

V. 57. Et illuvie secundarum. *Pro* secundarum, *multi scribunt* secundinarum, *quæ non est vox Latina, quod sciam.*

CAP. XXIX. *v.* 6. Quia ego sum Dominus Deus vester. *Non substituas personam tertiam* ipse est, *pro prima* ego sum.

V. 11. Et advena qui tecum moratur. *Retinendus est numerus singularis, quamvis positus pro eo quem alii legunt plurali* & advenæ qui tecum morantur.

V. 19. Et absumat ebria sitientem. *Pro* absumat *sive* consumat, *multi libri legunt* assumat, *quod est, addat, seu adjungat sibi. Utrumque ex Hebræo verti potest, prius prætulerunt Romani Patres.*

V. 23. Sulphure & salis ardore comburens. *Vocum affinitate decepti quidam supposuerant nomen* solis *planetæ, in locum nominis* salis, *qui ex igne & aqua concretus, habet & ipse ardorem suum : mutarunt inquam vocalem primam* a *in quartam* o.

V. 29. Ut faciamus universa verba legis hujus. *Non omittas* ro verba.

CAP. XXX. *v.* 3. Reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam. *Alii scribunt :* Reducet te Dominus Deus tuus de captivitate tua ; *qui sensus est prioris lectionis.*

V. 12. Et audiamus. *Non mutes* & *in* ut.

V. 19. Quod proposuerim vobis vitam & mortem. *Pro voce* mortem, *quidam substituerant vocem* bonum, *male imitati locum supra, v.* 15.

CAP. XXXI. *v.* 4. Delebitque eos. *Alii scribunt præteritum* Delevitque, *quod Hebræo conforme est.*

V. 21. Et ore seminis sui. *Non mutes tertiæ personæ pronomen* sui, *cum secunda* tui.

V. 23. Præcepitque Dominus Josue filio Nun. *Non judicarunt Romani Patres omittendam vocem* Dominus, *tametsi a multis libris Hebræo consentaneis omittatur.*

CAP. XXXII. *v.* 2. Concrescat ut pluvia doctrina mea. *Ita scribendum est,* ut pluvia, *non* in pluvia *aut* pluviam.

V. 26. Dixi : Ubinam sunt ? *Non præponas & conjunctionem :* Et dixi.

V. 30. Quomodo persequatur unus mille, & duo fugient decem millia ? *Non sunt, modi potentiales* persequatur, *&* fugient, *commutandi, cum indicativo præterito imperfecto* persequebatur, *& præsenti optativo* fugerent.

V. 35. Mea est ultio, & ego retribuam in tempore. *Non addas pronomen :* Retribuam eis in tempore.

V. 37. Et dicet : Ubi sunt. *Præferendum est singulare* dicet *plurali* dicent.

V 46. Et implete universa quæ scripta sunt legis hujus. *Non addas* in volumine, *ante* legis hujus.

CAP. XXXIII. *v.* 9. Et fratribus suis : Ignoro vos. *Non mutes secundæ personæ pronomen* vos, *cum tertia* illos.

V. 26. Non est Deus alius ut Deus rectissimi. *Quidam tollunt prius* Deus, *alii vertunt secundum casum* rectissimi *in primum* rectissimus : *utrumque primæ lectioni non absque caussa postposuerunt Correctores Romani.*

V. 27. Diceteque : Conterere. *Nec hic sine caussa prætulere passivum, activo* Contere.

CAP. XXXIV. *v.* 2. Et omnem terram Juda. *Nequaquam omittenda est vox* Juda, *quod quidam faciunt.*

JOSUE.

CAP. I. *v.* 6. Pro qua juravi patribus suis. *Servandum est tertiæ personæ pronomen* suis, *non mutandum in secundæ* tuis.

V. 15. Et sic revertimini. *Futurum* revertimini *multis nominibus præferendum est præsenti* revertimini.

CAP. II. *v.* 18. Signum fuerit funiculus iste coccineus. *Nequaquam addenda negatio est* Signum non fuerit.

V. 19. Sanguis ipsius erit in caput ejus. *Addunt quidam* Reus sibi erit, *quæ LXXII. senum interpretatio est, nostræ conjuncta.*

Sequitur : Et nos erimus alieni. *Alii pro* alieni *scribunt* innoxii, *explicandi caussa.*

CAP. III. *v.* 12. Parate duodecim viros de tribubus Israel. *Non est repetenda vox* duodecim.

V. 13. Qui portant arcam Domini Dei. *Non addas* fœderis.

V. 16. Ab urbe quæ vocatur Adom. *Ita scribendum est juxta antiquos libros, vocalibus prima & quarta,* Adom, *non* Adam, *aut* Edom.

V. 17. Populus autem incedebat contra Jericho. *Non est mutandum nomen urbis* Jericho *in nomen fluvii* Jordanem.

CAP. IV. *v.* 9. Arcam fœderis. *Non adjicias* Domini.

V. 11. Sacerdotesque pergebant. *Antiqui libri habent* sacerdotesque, *non* sacerdotes quoque.

V. 12. Armati præcedebant filios Israel. *Non est hujus loci quod alii adjiciunt,* fratres suos.

V. 14. Dum adviveret. *Ita legunt Sixtina Biblia ex antiquis codicibus, unam vocem* adviveret, *pro duabus* adhuc viveret.

V. 23. Siccante Domino Deo vestro aquas ejus in conspectu vestro, donec transiretis. *Secundæ personæ non sunt mutandæ in primas,* nostro, nostro, transiremus.

CAP. V. *v.* 3. Fecit quod jusserat Dominus. *Non addas conjunctionem* fecitque, *aut* fecit quoque.

V. 6. Ut non ostenderet eis terram. *Non est omittenda negatio.*

CAP. VI. *vers.* 2. Ecce dedi in manu tua Jericho. *Antiqui libri legunt sextum casum, non quartum* manus tuas.

V. 24. Et omnia quæ erant in ea. Pro erant, alii habent fuerunt, alii inventa sunt: nam hujusmodi aliquid Hebraice subaudiendum relinquitur.

CAP. VIII. v. 5. Accedemus ex adverso: Non est mutandum accedemus compositum a cedo, in ascendemus compositum a scando.

V. 12. Inter Bethel & Hai. Scribendum est Bethel, quod significat domum Dei, non Bethaven, quod domum idoli, seu iniquitatis.

CAP. IX. v. 8. Et unde venistis? Non est mutanda copulativa & in disjunctivam aut.

V. 10. Qui erat in Astaroth. Nec hic numerus singularis erat in pluralem erant.

CAP. X. v. 14. Non fuit antea, nec postea tam longa dies. Retinendum est nec, pro eo quod plerique habent &.

V. 23. Et eduxerunt ad eum quinque reges. Legendum est eduxerunt, non adduxerunt, quemadmodum & proximo versu eduxisti non adduxisti; vocalis inquam secunda, non prima.

V. 41. Omnem terram Gosen usque Gabaon. Cave legas Gessen, quæ est terra Ægypti, pro Gosen, quæ est urbs Chananææ. Idem usuvenit infra 11. v. 16.

CAP. XI. v. 8. Ita percussit omnes. Ita non itaque legunt codices antiqui.

V. 19. Non fuit civitas quæ se traderet filiis Israel. Alii inferunt negationem quæ non se traderet; minus integre.

CAP. XII. v. 2. Usque ad torrentem Jaboc. Non mutes Jabec, cum Jeboc, vocalem primam cum secunda. Simile Judicum 11. v. 13. 22.

V. 3. Ad Orientalem plagam. Nequaquam scribendum est occidentalem; pro orientalem, id est, deorsum pro sursum.

V. 7. Usque ad montem, cujus pars ascendit in Seir. Non addas vel Libani, vel Hermon, quod multi codices (Usque ad montem Libani) corrupte.

V. 8. In Asedoth & in solitudine. Cave ne Asedoth mutes in Aseroth, id est, d in r, mutam in liquidam.

V. 15. Rex Odullam unus, Scribendum est vocali quarta Odullam vel Odollam, juxta antiquos codices, non Adullam prima vocali, quamvis Hebræi & illud pronuntiant.

V. 22. Rex Cades unus. Alii legunt Cedes: utrumque permittunt Hebræi.

CAP. XIII. v. 2. Et dimidiæ tribui. Non addas Manasse.

V. 9. Quia secutus sum Dominum Deum meum. Non mutes primæ pronomen personæ meum cum secundæ tuum.

CAP. XV. v. 1. A termino Edom, desertum Sin. Sic ommittere oportet usque ad, quod alii addunt Usque ad desertum Sin.

V. 18. Quæ, cum pergerent simul suasa est a viro suo. Legendum est femininum quæ, juxta veteres codices, non masculinum qui.

V. 23. Et Cades & Asor. Alii & Cedes, ut supra 12. v. 22.

V. 62. Civitates sex & villæ earum. Quod sequitur in quibusdam libris fiunt simul centum quindecim, superfluum est.

CAP. XVI. v. 2. Et egreditur de Bethel Luza. Vocem Luza servant vetera manuscripta ἄκλιτον: alii declinantes scribunt Luzam.

CAP. XVII. v. 4. Deditque eis juxta. Non est omittendum pronomen eis.

V. 12. Sed cœpit Chananæus habitare in terra sua. Pro sua reciproco, quod est in vetustis libris, in aliis est ipsa, in aliis illa.

V. 14. Quare dedisti mihi possessionem. Non est addendum terram in; hoc modo mihi terram in possessionem.

V. 17. Ad domum Joseph, Ephraim & Manasse. Non præponas & ante Ephraim.

CAP. XVIII. v. 2. Remanserant autem. Non mutes præteritum plusquam perfectum in perfectum remanserunt.

V. 4. Juxta numerum uniuscujusque multitudinis. Alii pro numerum, scribunt terminum, minus recte.

V. 28. Civitates quatuordecim & villæ earum. Sequitur in quibusdam libris fueruntque omnes civitates viginti sex, sed jugulandum.

CAP. XIX. v. 8. Contra australem plagam. Quod sequitur in quibusdam exemplaribus, fueruntque omnes civitates decem & septem, superfluit.

V. 11. Ascenditque de mari & Merala. Cave ne vitiose scribas Medalaa pro Merala.

V. 12. In fines Ceseleththabor. Vetera manuscripta habent plurale fines, pro singulari finem.

V. 15. Et Jedala & Bethlehem. Scribendum est Jedala, per d mutam in secunda syllaba, & l liquidam in tertia; non Jerala, per r liquidam in secunda, aut Jedaba per b mutam in tertia.

V. 19. Et Seon & Anaharath. Pro Seon quadrilitero, non scribas Seons, neque Seron, quinque litterarum.

V. 46. Et Mejarcon & Arecon. In quibusdam veteribus manuscriptis, pro Mejarcon legitur Aque Iherecon, quæ interpretatio est primæ syllabæ Me.

CAP. XX. v. 4. Stabit ante portam. Non est addenda conjunctio stabitque; tametsi Hebraice legatur.

CAP. XXI. v. 4. De tribubus Juda & Simeon. Legendum est plurale tribubus, non singulare tribu.

V. 21. Urbes confugii Sichem. Alias annotavimus, in multis manuscriptis inveniri numerum singularem urbs, pro plurali urbes: similiter quoque infra, v. 27. 32. 36. & 37. pro plurali civitates, legi singulare civitatem, aut civitas, quemadmodum supra, v. 13. ab omnibus constanter legitur.

V. 36. De tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho civitates, refugii Bosor in solitudine Misor, & Jaser, & Jethson, & Mephaath. civitates quatuor cum suburbanis suis. De toto hujus versus situ, lectione, interpunctione, omissione denique, late egimus olim in Notationibus nostris. Romani Patres secuti sunt quod maxime vulgatum est, nisi quod præposuerunt tribuum Ruben tribui Gadis.

CAP. XXII. v. 7. Ad occidentalem plagam. Non est addendum pronomen ejus.

V. 13. Phinees filium Eleazari sacerdotis. Secundum casum sacerdotis, non vertas in quartum sacerdotem.

V. 17. Macula hujus sceleris in nobis permanet. Nequaquam commutandum est pronomen primæ personæ nobis, cum secundæ vobis.

V. 22. Fortissimus Deus Dominus, fortissimus Deus Dominus. Hoc iterum geminandum est, minimeque alterum omittendum.

CAP. XXIV. v. 27. Quod audierit omnia verba Domini. Retinendum est singulare audierit, non mutandum in plurale audieritis.

JUDICES.

CAP. I. v. 30. Cetron & Naalol. Pro Cetron male scribunt quidam Thetron, t injuum pro e; rursus pro Naalol, Naalon, id est, n pro l.

V. 35. Quod interpretatur testaceo. Cave legas testatio, nomen verbale a testator, pro testaceo nomine adjectivo a testa.

CAP. II. v. 2. Sed aras eorum subverteretis. Non mutes conjunctionem adversativam sed in copulativam &.

V. 19. Et multo faciebant pejora. Non commutes pejora cum majora.

CAP. III. v. 3. Atque Hevæum qui habitabat in monte Libano. Servandus est numerus singularis habitabat, loco pluralis habitabant, qui in aliis est libris.

V. 4. Utrum audiret mandata Domini. In aliis est plurale audirent.

V. 24. In æstivo cubiculo. Etiam in nostris antiquis manuscriptis invenio cubiculo pro cœnaculo.

V. 30. Et quievit terra octoginta annis. Non addas a præliis.

CAP. IV. Debbora, scribunt Sixtina Biblia; duplici b. alii simplici Debora, quidam male Delbora.

V. 17. Erat enim pax. Retinenda est conjunctio rationalis enim, non mutanda in autem.

V. 21. Qui soporem morti consocians. In aliis est verbum simplex socians.

CAP. V. v. 11. Et clementiæ in fortes Israel. Spurium est quod quidam habent in portis pro in fortes; sed genitivum fortis, quem alii quidam legunt absque præpositione, possit habere similitudinem veri.

V. 19. Reges Chanaan in Tanach. Non scribas Tane pro Tanach.

CAP. VI. v. 32. Qui suffodit aram ejus. Antiqui libri scribunt compositum suffodit, pro eo quod alii simplici fodit.

CAP. VII. v. 3. Et reversi sunt de populo viginti duo millia. Quidam bonæ libri habent neutrum reversa, pro masculino reversi: porro de præscindendum est ipsi ex.

V. 5. Qui lingua lambuerint aquas. Non addas qui manu & lingua.

V. 23. Fugientes usque ad Bethsetta. Non mutes Bethsetta in Bethsecca, id est, duplex t in c.

Ibidem. Persequebantur Madian, Sequitur in quibusdam libris; Et dedit Dominus victoriam populo Israel in die illa, sed redundat.

CAP. VIII. v. 7. Cum ergo tradiderit Dominus Zebee & Salmana in manus meas. Sequitur in multis libris & cum reversus fuero victor in pace, sed non est hujus loci, at versus noni subsequentis.

V. 9. Dixit itaque & eis. Non omittas & pro etiam positum.

V. 10. Bellatorum educentium gladium. Non interponas & conjunctionem.

CAP. IX. v. 4. Dederuntque illi septuaginta pondo argenti. Scribendum est pondo indeclinabile, non pondera.

V. 7. Audite me viri Sichem, ita audiat vos Deus. Non est addenda vocula ut: Ita ut audiat.

V. 20. Egrediatur ignis ex eo. Non est auferendum ex eo.

V. 39. Spectante Sichimorum populo. Pro spectante, quod est aspiciente, non substituas expectante.

V. 48. Quod me videtis facere, cito facite. Non est commutandum præsens videtis, cum præterito vidistis.

V. 49. Ut fumo & igne mille homines necarentur. Non mutes nominativum homines in genitivum hominum.

CAP. X. v. 1. In Samir montis Ephraim. Neque hic mutes genitivum montis in ablativum monte.

V. 8. In terra Amorrhæi; qui est in Galaad. Pro qui, quod refert Amorrhæum, alii legunt, quæ, quod terram.

CAP. XI. vers. 1. Fuit illo tempore Jephte. Quidam addunt; Fuit itaque illo in tempore.

V. 17. Dimitte me ut transeam per terram tuam. Non est omittendum pronomen me: nec præpositio per.

V. 24. Nonne ea quæ possidet Chamos. Non commutes præsens possidet, cum præterito possedit.

V. 39. Exinde mos increbuit in Israel. Scribendum est increbuit, non increvit.

CAP. XII. v. 5. Obsecro ut me transire permittatis. Præferendum est plurale singulari permittas.

V. 13. Filius Illel. Alii minus recte filius Helel.

CAP. XIII. vers. 7. Ex utero matris suæ. Non præponas conjunctionem &.

CAP. XIV.

CAP. XIV. *vers.* 3. Et in omni populo meo. *Non est substituendum pronomen secundæ personæ* tuo, *pro primæ* meo.

Vers. 6. Quasi hœdum in frusta discerpens. *Lege* discerpens, *non* decerpens *aut* decerperet.

Vers. 9. Quod mel de corpore leonis assumpserat. *Hoc versu Interpres vertit* corpore, *non* ore; *versu proxime præcedenti*, ore *non* corpore.

CAP. XV. *v.* 9. Ubi eorum effusus est exercitus. *Alii pro composito* effusus, *scribunt simplex* fusus.

V. 14. Et sicut solent ad odorem ignis lina consumi. *Legendum potius est* odorem, *quod est*, odorante igne, *seu simul atque ignem olfecerint, quam* ardorem, *quod est*, ardente *seu* comburente igne. *Porro* ligna *scriptum ab aliis pro* lina, *nullius est auctoritatis: non enim ita facile* ligna *ab igne consummuntur, ut stuppea* lina.

CAP. XVI. *v.* 9. Qui rupit vincula, quo modo si rumpat quis filum de stuppæ tortum putamine, cum odorem ignis acceperit. *Pro genitivo* stuppæ, *alii scribunt ablativum* stuppa, *&* *pro* putamine, *quod est* cortice, *legunt* sputamine, *acceptum pro* sputo, *quasi dicatur*, filum sputo adhibito de stuppa tortum. *Atque verisimilius est, Interpretem dicere voluisse*, filum de vili stuppa (*est enim* stuppa, *quasi* putamen, cortex *&* reticulum lini) *nam Hebraice non aliud legitur, quam* filum stuppæ. *Jam vero* odorem *quod sequitur, nullo modo hic cum* ardorem *mutandum est, id est, quarta vocalis cum prima.*

V. 13. Cui respondit Samson: Si septem. *Quidam addunt* inquit, Si inquit, septem; *sed superflue.*

CAP. XVII. *v.* 9. Et utile mihi esse perspexero. *Pro* perspexero, *quod est* videro, *non legas* prospexero, *id est*, prævidero.

CAP. XVIII. *v.* 5. Ite in pace. *Non scribas* cum *pro* in.

CAP. XIX. *v.* 5. Gusta prius pausillum panis. *Non substituas* pusillum *pro* pausillum.

V. 8. Oro te, inquit. *Quidam scribunt* obsecro, *pro* oro te.

V. 11. Jamque erant juxta Jebus. *Non substituas verbum compositum* aderant, *pro simplici* erant.

CAP. XX. *v.* 40. Et viderent quasi columnam fumi. *Optativus præsens* viderent, *legendum est, non indicativi præteritum* viderunt.

CAP. XXI. *v.* 13. Ut eos susciperent in pace. *Non mutes masculinum* eos *cum feminino* eas.

V. 19. Et ad orientalem plagam. *Alii omittunt* &.

R U T H.

CAP. I. *v.* 11. Non ultra habeo filios. *Non mutes præsens* habeo, *cum futuro* habebo.

CAP. IV. *vers.* 3. Quibus sedentibus. *Alii minus apte*, quibus residentibus.

V. 15. De nuru enim tua natus est, quæ te diligit. *Noli substituere masculinum* qui, *pro feminæ* quæ, *aut futurum* diliget, *pro præsenti* diligit.

Vers. 22. Isai genuit David. *Non addas* regem.

LIBER REGUM

P R I M U S.

CAP. I. *v.* 9. Ante postes templi Domini. *Retinendum est* templi, *non mutandum cum* domus.

V. 18. Et illa dixit. *Non scribas* at *adversativum, pro* & *copulativo.*

V. 19. Et venerunt in domum suam Ramatha. *Non repetitur* in *ante* Ramatha, *sed subauditur. Simile infra* 2. *v.* 11.

V. 24. Et tribus modiis farinæ. *Non scribas* uno modio, *pro* tribus modiis, *juxta ea quæ alias annotavimus.*

V. 28. Quibus fuerit commodatus Domino. *Alii legunt verbum compositum* accommodatus, *sed simplex* commodatus *est præferendum.*

CAP. II. *vers.* 17. Quia retrahebant homines a sacrificio Domini. *Alii legunt*, Quia detrahentes sacrificio Domini.

V. 19. Ut immolaret hostiam solemnem. *Quod sequitur in quibusdam libris*, & votum suum, *superfluit.*

Vers. 30. Sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum. *Non scribas* honorificaverit, *pro* glorificaverit: *nam & Hebraice vox eadem repetitur.*

V. 34. Duobus filiis suis. *Non omittas pronomen* suis.

CAP. III. *v.* 2. Heli jacebat in loco suo. *Non est mutandum cum* lecto, lectulo, *vel* domo.

Sequitur. Et oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei. *Hæc genuina est vulgatæ editionis & lectio & distinctio, de qua olim nos late in Notationibus nostris. Non itaque substituendus est quartus casus* lucernam, *pro primo* lucerna, *nec voci* Samuel *addenda conjunctio* autem.

V. 17. Quis est sermo quem locutus est Dominus ad te. *Non est omittendum* quem locutus est Dominus.

CAP. IV. *vers.* 1. Et factum est in diebus illis, convenerunt Philisthiim in pugnam. *Quamvis hæc verba a multis omittantur, quod olim docuimus; non tamen visum est Romanis Patribus illa e medio tollere, eo quod Græce legantur. Quocirca etiam consequenter scribunt*, Et egressus est Israel, *conjunctione copulativa, quæ est in Græcis libris, loco rationalis namque, quæ est in plerisque Latinis.*

Vers. 9. Sicut & illi servierunt vobis. *Non est mutandum secundæ personæ pronomen* vobis, *cum primæ* nobis.

Vers. 13. Heli sedebat super sellam contra viam spectans. *Pro simplici* spectans *non substituas compositum* expectans.

V. 20. Dixerunt ei quæ stabant circa eam. *Cave mutes* quæ *femininum, cum masculino* qui.

V. 21. Translata est gloria de Israel. *Non addas* Domini.

Vers. 22. Et ait: Translata est. *Non omittas conjunctionem præpositam.*

CAP. V. *vers.* 6. Et ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magnæ in civitate. *De his verbis, tale fuit judicium Romanorum Correctorum, quale supra* 4. *vers.* 1. *Porro pro secundo casu* magnæ, *in aliis libris est primus* magna, *ut etiam Græce.*

Vers. 19. Inieruntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas. *Et hæc verba, quamvis a quibusdam Latinis libris Hebræo consentaneis omittantur, tamen quia reperiuntur in quibusdam Græcis, non judicarunt Romani expungenda. Similis ratio inferius occurrit plurium aliorum locorum, quæ non putavimus singula annotanda. Consilium quo illi moti fuerint, licet ex ea quam his Bibliis præmiserunt præfatione intelligere.*

V. 11. Dimittite arcam Dei Israel. *Non est mutandum plurale* dimittite *cum singulari* dimitte.

CAP. VI. *v.* 5. Et similitudines anorum. *Retinendus & hic est numerus pluralis* similitudines, *non vertendus in singularem* similitudinem.

V. 19. Percussit autem de viris Bethsamitibus. *Non addas* Dominus.

CAP. VII. *vers.* 1. In domum Abinadab. *Non mutes* Abinadab, *cujus secunda littera est* b *muta, cum* Aminadab, *cujus secunda littera est* m *liquida.*

V. 10. Et cæsi sunt a facie Israel. *Legendum est* facie, *quod est* conspectu, *non* filiis.

V. 11. Egressique viri Israel. *Non est mutandum* viri *in* filii.

CAP. VIII. *v.* 1. Posuit filios suos judices Israel. *Non addas* in *præpositionem, ante vocem* judices, *sed intelligas* Israel *esse dativi casus.*

CAP. IX. *v.* 1. Filius Abiel, filii Seror. *Pro* Seror, *in quo littera* r *repetitur, non est legendum* Seor.

Ibidem. Filii Seror, filii Bechorath. *Non addas, quod in quibusdam libris sequitur*, filii Sareth.

Vers. 5. Cum autem venissent in terram Suph. *Nec hic addas, quod sequitur in quibusdam libris*, & non invenissent.

V. 7. Panis defecit in sitarciis nostris. *Alii pro* sitarciis *legunt*, citarciis, *vocem non intellectam quasi a* cista *derivantes, quæ componitur ex* σῖτος *quod frumentum Græce, &* ἀρκεῖν *arcein quod sufficere est: unde nomen femininum* σιταρκία *sitarcia, quod commeatum, & neutrum* sitarcium, *quod peram significat, saccum, aut vas in quo ab itinerantibus reponitur commeatus, nam & Hebraice* in verbum *legitur* in vasis nostris.

V. 13. Quia ipse benedicit hostiæ, & deinceps comedunt qui vocati sunt. *Præsentia* benedicit *&* comedunt, *præferuntur futuris*, benedicet, comedent.

Vers. 19. Ut comedatis mecum hodie. *Non est permutandum plurale* comedatis, *cum singulari* comedas.

CAP. X. *v.* 2. In finibus Beniamin in meridie. *Quod sequitur in quibusdam libris* salientes magnas foveas, *omittendum est.*

V. 5. Post hæc venies in collem Dei. *Non mutes verbum* venies, *in participium* veniens.

V. 12. Et quis pater eorum. *Duplex hic a quibusdam committitur vitium; Unum, quod pro interrogativo* quis, *scribant nomen proprium patris Saul*, Cis; *Alterum, quod pro plurali* eorum, *supponant singulare* ejus.

CAP. XII. *v.* 6. Et eduxit patres nostros de terra Ægypti. *Sequitur in quibusdam exemplaribus* adest, *sed superflue.*

V. 9. Magistri militiæ Hasor. *Non addas* regis *ante* Hasor.

Vers. 11. Et misit Dominus Jerobaal, & Badan, & Jephte. *Inter Badan & Jephte, multi libri interponunt*, & Samson & Barac, *sed obelo transfodiendum.*

V. 23. Absit autem a me hoc peccatum in Dominum. *Servandus est quartus casus* Dominum, *loco sexti* Domino, *qui est in aliis libris.*

CAP. XIII. *v.* 7. In terram Gad & Galaad. *Non omittas præpositionem* in.

V. 8. Juxta placitum Samuelis. *Quidam libri, pro* placitum, *scribunt* pactum.

V. 17. Et egressi sunt ad prædandum. *Non substituas* prœliandum, *quod est* bellandum, *pro* prædandum, *quod est*, prædas agendum.

Ibidem. Contra viam Ephra ad terram Saul. *Nonnulli pro* Ephra, *supponunt* Ephraim, *nomen unius ex duodecim tribubus, &* Saul *nomen primi Regis Israel, pro* Saul, *utrumque vitiose.*

Vers. 18. Ad iter termini imminentis valli Seboim. *Non interponas* in terra Sabaa, *quod quidam superflue.*

V. 20. Et securim & sarculum. *Nec hic interponas* & tridentem, *redundat enim, sumptum ex versu proximo.*

CAP. XIV. *v.* 2. Quæ erat in Magron. *Unam vocem* Magron, *quidam in duas distraxerunt*, agro Gabaa; *male.*

V. 13. Itaque alii cadebant ante Jonatham. *Post* itaque, *non addas* cum vidissent

dissent

differet faciem Jonathæ, *quod quidam*.

V. 15. Et factum est miraculum in castris, per agros. *Confodienda est* & *conjunctio quam nonnulli interjiciunt ante*, per agros.

Ibidem. Et conturbata est terra. *Quidam pro terra castimarunt substituendum* castra: Et conturbata sunt castra, *male*.

V. 21. Ut essent cum Israel, qui erant cum Saul & Jonatha. *Nonnulli libri addunt* & iis qui erant; *alii mutant numerum pluralem* erant *in singularem* erat; *non animadvertentes, Israel positum esse numero plurali, pro Israelitis*.

V. 41. Da indicium. *Quidam pro* indicium, *quod est signum, scribunt* judicium, *minus recte*.

CAP. XV. v. 6. Abite, recedite, atque descendite ab Amalec. *Non est scribendum* discedite, *quod idem unum cum eo est quod praecedit* recedite, *sed* descendite, *compositum a scando*.

V. 32. Pinguissimus & tremens. *Non omittes posterius* & tremens.

V. 35. Quod constituisset eum regem super Israel. *Pro pronomine* eum *non supponas nomen* Saul.

CAP. XVII. v. 1. Convenerunt in Socho Judæ. *Non est scribendum* Sochot, *sed* Socho, *vocali* o, *non* t *consonante, terminante vocem*.

V. 5. Et lorica squamata induebatur. *Magis proprium est* squamata *a squamis deductum, quam* hamata *ab hamis, quod est in aliis libris*.

V. 52. Et usque ad Geth. *Non est omittenda conjunctio* &.

V. 55. De qua stirpe descendit hic adolescens Abner? *Nec hic omittendum est nomen* Abner.

CAP. XVIII. v. 6. Porro cum reverteretur percusso Philisthæo David. *Quod sequitur in multis libris* & ferret caput ejus in Jerusalem, *merito judicatum est supervacuum*.

V. 20. Dilexit autem David Michol filia Saul altera. *Legendum est primo casu* filia Saul altera, *non quarto* filiam Saul alteram: *ne proinde intelligendum*, David, *quarti esse casus, non primi*.

V. 27. Abiit cum viris qui sub eo erant. *Non addas* in Accaron.

V. 30. Et egressi sunt principes Philisthinorum. *Non omittas verbum substantivum* sunt.

Ibidem. Quam omnes servi Saul. *Non mutes* servi *in* viri.

CAP. XIX. v. 3. Ego autem egrediens stabo juxta patrem meum, in agro ubicumque fueris. *Legendum est* fueris *secunda persona, non tertia* fuerit.

V. 5. Et posuit animam suam in manu sua. *Non est mutandum pronomen tertiæ personæ* sua, *cum secundæ* tua.

V. 11. Misit ergo Saul satellites suos. *Non addas* nocte, *quod quidam*.

V. 16. Et pellis caprarum ad caput ejus. *Retinendum est nomen singulare* pellis *pro plurali* pelles.

V. 24. Et cecidit nudus tota die illa & nocte. *Cave scribas* cecinit, *quod est* cantavit, *pro* cecidit, *quod est* jacuit.

CAP. XX. v. 6. Si respiciens requisierit me pater tuus. *Non omittas* respiciens.

V. 9. Absit hoc a te. *Legendum est pronomen secundæ personæ* te, *non primæ* me.

V. 19. In die qua operari licet. *In quibusdam, pro pronomine* qua, *est adverbium* quando.

V. 29. In civitate. *Non addas pronomen* mea.

CAP. XXI. v. 4. Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus. *Quod sequitur in quibusdam libris* manducent, *merito transfoditur obelisco*.

V. 5. Equidem si de mulieribus agitur. *Non distrahas voculam* equidem, *in duas* e, & quidem.

Vers. 7. Potentissimus pastorum Saul. *Quod subdunt quidam libri* hic pascebat mulas Saul, *quam justis de caussis sublatum sit, alias ostendimus*.

V. 8. Si habes hic ad manum hastam, aut gladium? *Non subjicias* da mihi, *ut nonnulli*.

V. 15. Hiccine ingredietur domum meam. *Hujus loco ne scribas* dimitte illum hinc, ne ingrediatur domum meam.

CAP. XXII. v. 7. Audite nunc filii Jemini. *Non est addendum pronomen* me.

V. 22. Sciebam in die illa. *Nec hic addenda conjunctio* enim.

CAP. XXIII. v. 22. Et considerate locum ubi sit pes ejus. *Neque hic adverbium* velociter.

Sequitur: Vel quis viderit eum ibi. *Quod hic subdunt quidam libri*, ubi dixistis, *nec hoc addendum est*.

Vers. 23. Quod si etiam in terram se abstruserit: perscrutabor eum. *Legendum est* abstruserit, *compositum ex abs & trudo, non* obstruxerit, *compositum ab ob & struo. Hebraice ad verbum*. Quod si etiam in terra fuerit.

V. 26. Et ibat Saul. *Non addas* & viri ejus.

CAP. XXIV. v. 7. Quia Christus Domini est. *Subsequitur in multis libris*: Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut descendens in prælium perierit, propitius mihi sit Dominus, ut non mittam manum meam in Christum Domini: *verum hæc non sunt hujus loci, sed ejus qui infra 26. vers. 10. 11.*

V. 8. Et confregit David viros suos sermonibus. *Non addas* istis.

V. 9. Surrexit autem & David post eum. *Non omittas* &.

CAP. XXV. v. 6. Et omnibus quæcumque habes sit pax. *Subjiciunt multi libri*: Et multis annis salvos faciens tuos & omnia tua: *sed redundat, meritoque sublatum est*.

V. 7. Audivi quod tonderent pastores tui. *Non est addendum* greges tuos.

V. 31. Recordaberis ancillæ tuæ. *Superfluit quod subdunt quidam codices* & tu benefacies ei.

CAP. XXVII. *vers.* 3. Ipse & viri ejus, vir & domus ejus. *Non oportet omittere nomen* vir *numero singulari repetitum*.

V. 8. Hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus. *Non est mutandum* pagi, *in* vagi, *quod est vagabundi: nec passivum* habitabantur *in activum* habitabant: *quamvis activum Hebraice legatur, ubi non additur* pagi.

V. 9. Et percutiebat David omnem terram. *Non addas* illorum.

CAP. XXVIII. *vers.* 3. Et Saul abstulit magos & ariolos de terra. *Subjiciunt multi codices*: Et interfecit eos qui pythones habebant in ventre; *verum illud juste confossum obelisco, omissum est*.

CAP. XXX. v. 3. Cum ergo venissent David & viri ejus. *Correctio ei merito prætulerunt plurale singulari* venisset.

V. 10. Ipse & quadringenti viri. *Non addas* cum eo.

V. 12. Quæ cum comedisset. *Non commutes neutrum* quæ *plurale cum masculino singulari* qui.

V. 19. Nec defuit quidquam a parvo usque ad magnum. *Correctores prætulerunt neutrum* quidquam *masculino* quisquam.

V. 27. Et qui in Jether. *Hujus proprii nominis prima littera est* I, *non* G, Gether.

V. 31. David ipse & viri ejus. *Non omittas pronomen* ipse.

CAP. XXXI. v. 4. Arripuit itaque Saul gladium. *Non addas* suum.

V. 7. Videntes autem viri Israel. *Non est mutandum* viri *cum* filii.

V. 12. Venerunt usque Jabes Galaad, & combusserunt ea ibi. *Ut verbo* venerunt *non est addendum nomen* viri; *ita omittendum est nomen* igni; *quod quidam apponunt adverbio* ibi.

LIBER REGUM SECUNDUS.

CAP. II. v. 13. Hi ex una parte piscinæ, & illi ex altera. *Prius* ex *non est commutandum cum* in.

V. 24. Itineris deserti in Gabaon. *Non præponas* & *conjunctionem*.

CAP. III. v. 1. Inter domum Saul & inter domum David. *Non anteponas* David, *quod alii*.

V. 7. Respha, filia Aja. *Quod sequitur in quibusdam libris*, ingressusque est ad eam Abner, *obelisco jugulandum est*.

V. 12. Misit ergo Abner nuncios ad David. *Non addas* in Hebron, *quod quidam*.

V. 23. Et Joab & omnis exercitus qui erat cum eo, postea venerunt. *Non mutes* erat *singulare, in plurale* erant, *nec præteritum perfectum* venerunt, *in plusquam perfectum* venerant.

CAP. IV. v. 6. Ingressi sunt autem domum latenter. *Nec vox* domum, *nec vox* latenter *omittendæ sunt*.

CAP. V. v. 9. Habitavit autem David in arce. *Non adjicias* Sion.

CAP. VI. v. 6. Postquam autem venerunt ad eam Nachon. *Nullo modo scribendum est* Nachor, *ultima littera existente, ultima liquidarum; pro* Nachon, *hujus ultima littera est* n, *penultima liquidarum*.

V. 12. Et omnia ejus propter arcam Dei. *Subjiciunt plerique codices*: Dixitque David: Ibo, & reducam arcam cum benedictione in domum meam, *sed merito censuerunt Romani Patres, hæc omittenda, quemadmodum clarum fieri potest ex Notationibus nostris*.

Vers. 13. Immolabat bovem & arietem. *Singulare* immolabat, *non est commutandum cum plurali* immolabant, *nec post* bovem *addendum est*, & ovem.

V. 14. Et David saltabat totis viribus ante Dominum. *Quod interjiciunt quidam* percutiebat in organis armigatis, & *inter* David & saltabat, *superest, jureque confossum*.

Vers. 19. Et assaturam bubulæ carnis unam. *Scribendum est* bubulæ, *quod est* bovinæ; *non* bubalæ, *quod inusitatum est, dicendumque foret* bubalinæ, *si a* bubalo *formaretur*.

Vers. 21. Dixitque David ad Michol: Ante Dominum. *His verbis* Ante Dominum, *non præponas* Vivit Dominus quia ludam; *redundat enim, nec est de textu*.

Ibidem. Et ludam & vilior fiam. *Cave scribas pro verbo* ludam, *nomen proprium* Judam.

CAP. VII. v. 10. Et habitabit sub eo. *Noli hæc commutare cum*. Et habitabo cum eo.

V. 23. Quem redemisti tibi ex Ægypto gentem & Deum ejus. *Accusativi singulares* gentem & deum, *non sunt vertendi in ablativos, sive singulares* gente & deo: *sive plurales* gentibus & diis: *multoque minus pro* deum, *scribendum est* domum, *id est, tabernacula, aut pro singulari* ejus *plurale* eorum.

V. 29. Et benedictione tua benedicetur. *Non omittas conjunctionem* &.

CAP. VIII. v. 8. Tulit rex David æs multum nimis. *Subjiciunt multi codices*: De quo fecit Salomon omnia vasa ærea in templo, & in mare æneum, & columnas, & altare: *verum non est hujus loci, sed* 1. *Paral.* 18. v. 8.

V. 13. Cæsis decem & octo millibus. *Erroneum est, quod quidam libri legunt* duodecim millibus *pro numero lectionis alterius*, decem & octo millibus. *Porro quod hic subjungunt multi codices*. Et in Jebelem

ad

ad viginti tria millia, adulterinum ac superfluum est: quod unde fuerit natum, Notationes nostræ in varias Bibliorum lectiones docent.

CAP. X. v. 6. Et ab Istob duodecim millia virorum. Vitiose quidam decem scribunt, pro duodecim, majore numero.

V. 15. Videntes igitur Syri, quoniam corruissent coram Israel. Alii, quibusdam additis, habent: Videntes igitur filii Ammon, quoniam Syrus expavit, & quoniam corruissent coram Israel; sed minus sincere.

Vers. 19. Timueruntque Syri auxilium præbere ultra filiis Ammon. Non omittas ultra.

CAP. XI. v. 2. Accidit ut surgeret David de strato suo. Non addas quadam die post accidit, nec mutes stratu ablativum neutrum secundæ declinationis, cum stratu ablativo masculino quartæ declinationis, qui non est Latinus.

CAP. XII. v. 1. Duo viri erant in civitate una. Quidam libri his verbis præponunt: Responde mihi judicium: sed non est illud Latinæ editionis.

V. 7. Tu es ille vir. Non subjicias qui fecisti hanc rem.

V. 14. Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini. Non addas nomen ante Domini.

V. 19. Cum ergo David vidisset servos suos mussitantes. Legendum est vidisset, quod est oculorum, non audisset, quod aurium.

V. 23. Nunc autem quia mortuus est, quare jejunem? Non est substituendum præsens indicativi jejuno, pro præsenti subjunctivi jejunem.

V. 25. Misitque in manu Nathan prophetæ. Nullo modo addas pronomen cum verbo misitque.

CAP. XIII. v. 2. Et deperiret eam valde. Ut non est præponenda præpositio in pronomini eam, ita non est omittendum adverbium valde.

V. 6. Et cibum capiam de manu ejus. Non addas paratum post cibum.

V. 10. In conclave bis hoc versu positum casu quarto, non est corrigendum casu sexto, in conclavi.

V. 37. Luxit ergo David filium suum cunctis diebus. Ad filium suum non addas Amon; nec mutes cunctis cum multis.

CAP. XIV. v. 6. Et audivit rex. Non est addendum verba.

V. 22. Fecisti enim sermonem servi tui. Non addas Domine mi rex:

CAP. XV. v. 2. Stabat juxta introitum portæ. Non subjicias in via.

V. 7. Post quadraginta autem annos. Non est quadraginta mutandum cum quinque, nec cum sex, ac ne cum quatuor quidem: quamquam quatuor non careat sua probabilitate.

V. 10. Regnavit Absalom in Hebron. Legendum est præteritum regnavit, non futurum regnabit.

Vers. 14. Et impellat super nos ruinam. Retinendum est impellat, compositum a pello; non substituendum impleat.

V. 23. Contra viam quæ respicit ad desertum. Non addas olivæ post viam, quod nonnulli.

Vers. 24. Et deposuerunt arcam Dei. Non est repetendum fœderis post arcam.

V. 34. Servus tuus sum, rex. Quod sequitur in aliis libris patere me vivere, superfluit.

CAP. XVI. vers. 1. Et utre vini. Pro utre non scribas duobus utribus, ut multi.

V. 2. Responditque Siba. Non subjiciat Domine mi rex.

Vers. 9. Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? Retinendum est participium præteritum mortuus, non substituendum futurum moriturus.

V. 11. Quanto magis nunc filius Jemini? Ut non est commutandum adverbium nunc cum pronomine hic: ita non est supplenda sententia additis his verbis maledicet mihi.

V. 12. Et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. Non est addendum nomen die: Die hodierna.

CAP. XVII. v. 22. Donec dilucesceret. Quod subjiciunt quidam, antequam denudaretur verbum, spurium est.

Vers. 28. Et frixum cicer. Non addas oleo.

CAP. XVIII. v. 3. Quia tu unus. Non addas solus, sed intelligas unus positum esse pro solus.

V. 22. Quid vis currere fili mi? Quod sequitur in aliis libris veni huc, redundat.

V. 29. Vidi tumultum magnum. Cave mutes tumultum, quod est turbam, cum tumulum, omissa littera t.

CAP. XIX. v. 4. Fili mi Absalom, Absalom fili mi, fili mi. Non omittas postremum fili mi, tertio repetitum.

V. 10. Usquequo siletis & non reducitis regem? Subdunt quidam libri: Et consilium totius Israel venit ad regem, sed merito omissum est.

V. 11. Ad regem in domo ejus. Quod sequitur in aliis libris quia dixerat rex, Hæc dicetis ad populum Juda, superfluit, ac proinde merito & ipsum est omissum.

V. 31. Berzellai quoque Galaadites. Non addas Senex valde.

V. 39. Cumque transisset universus populus & rex Iordanem, osculatus est rex Berzellai. Non interponas restitit & ante osculatus est.

V. 43. Decem partibus major ego sum apud regem. Redundat quod quidam libri subjiciunt & primogenitus ego sum.

CAP. XX. v. 1. Revertere in tabernacula tua Israel. Non est omittenda vox revertere, quam interpres explicationis caussa addidit: qua ratione & pronomen tertiæ personæ mutavit in secundæ tua.

V. 10. Nec secundum vulnus apposuit, & mortuus est. Ut non est his verbis præponendum & mortuus est, ita postpositum non est omittendum.

V. 14. In Abelam. Non præponas adverbium usque.

V. 18. Qui interrogant, interrogent in Abela. Et sic perficiebant. Quidam scribunt proficiebant, tamquam diceretur illos sapientia profecisse, qui Abelam consuluissent: verum non proficiebant legendum est, sed perficiebant, quod est finiebant, absolvebant, negotium coeptum scilicet.

CAP. XXII. vers. 7. Et exaudiet de templo suo vocem meam. Nomini templo non addas epitheton sancto.

V. 15. Misit sagittas & dissipavit eos. Non addas pronomen suas, nomini sagittas.

V. 36. Et mansuetudo tua multiplicavit me. Non est supponendum, pronomen primæ personæ mea, pro secundæ tua.

CAP. XXIII. v. 1. Hæc autem sunt verba David novissima. Dixit David filius Isai. Hæc germana est & lectio & interpunctio: quare non est auferendum nomen David priori loco, nec addendum relativum quæ ante dixit.

V. 8. Hæc sunt nomina fortium David. Sedens in cathedra sapientissimus. Non repetas nomen David ante participium sedens.

V. 12. Et tuitus est eum. Melius est tuitus, quam tutus, si grammaticos sequaris.

V. 15. Desideravit ergo David, & ait. Non interjicias aquam de lacu, quod quidam.

V. 33. Semma de Orori. Scribendum est Orori, non Orodi, r liquida, non muta d.

CAP. XXV. v. 1. Commovitque David in eis dicentem. Non subjungas ad Joab.

V. 18. Venit autem Gad ad David in die illa. Non addas propheta ad nomen Gad.

V. 23. Omnia dedit Areuna rex regi. Non est omittendum vocabulum rex positum ante regi.

LIBER REGUM

TERTIUS.

CAP. I. v. 8. Et Semei, & Rei, & robur exercitus David. Pro Rei non est substituendum Cerethi & Phelethi: quod alii male: nec addendum omne ante robur, quod quidam superflue.

Vers. 13. Salomon filius tuus regnabit post me. Non præponas quod.

V. 34. In regem super Israel. Non addas & Judam.

V. 35. Et veniet, & sedebit super solium meum. Pro veniet singulari tertiæ personæ, non est substituendum venietis, plurale secundæ personæ; denique nec addendum in Jerusalem.

V. 50. Et abiit, tenuitque cornu altaris. Post abiit, non addas in tabernaculum Domini.

CAP. II. v. 2. Confortare & esto vir. Non subjicias fortis, quod quidam.

V. 3. Et observa custodias Domini Dei tui. Qui existimarunt custodias verbum esse, ei & præposuerunt ut conjunctionem, & postposuerunt nomen mandata; falsi: nomen est enim.

V. 4. Si custodierint filii tui vias suas. Non est mutandum pronomen tertiæ personæ suas in primæ meas.

V. 28. Venit autem nuncius ad Joab. Retinendum est nomen Joab, non substituendum Salomonem, nec subdendum participium dicens. Lege Notationes nostras.

V. 42. Quacumque die egressus jeris huc & illuc. Legendum est ieris ab eo, non fueris a sum.

V. 46. Qui egressus percussit eum. Pro egressus, quod est, postquam exiisset, non est supponendum aggressus.

CAP. IV. v. 2. Azarias filius Sadoc sacerdotis. Non mutes genitivum sacerdotis, in nominativum.

V. 10. Ben-hesed in Aruboth. Non mutes Ben, quod significat filium, in Beth domum.

V. 19. In terra Seon regis Amorrhæi. Non præponas & conjunctionem.

V. 21. Habens omnia regna. Redundat quod sequitur in quibusdam libris secum.

V. 24. A Tapsa usque ad Gazam. Non præponas his verbis adverbium quasi.

V. 32. Et fuerunt carmina ejus quinque & mille. Cave legas, sublata conjunctione, ut plerique, quinque millia, pro quinque & mille, quod est, quinque supra mille.

CAP. V. v. 1. Quod ipsum unxissent regem. Non addas super Israel.

V. 4. Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi. Non omittas Dominus.

V. 11. Coros tritici, viginti millia. Alii minus congrue invertunt ordinem viginti millia coros tritici.

CAP. VI. v. 1. Ædificari cœpit domus Domino. Alii negant aliud ædificare cœpit domum Domino.

V. 8. Ostium lateris medii in parte erat domus dextræ. Non commutes parte, quod est latere, cum pariete seu muro.

V. 15. Operuit lignis cedrinis intrinsecus. Non præponas his verbis & conjunctionem.

V. 17. Alæ autem alteræ. Non omittas alteræ.

V. 31. Et in ingressu oraculi fecit ostiola. Ut non est omittenda præpositio, in, ita non addendus numerus duo ante ostiola.

CAP. VII. vers. 6. Et epistylia super columnas. Non addas tecit, sed subaudias e proximo

V. 9. Et extrinsecus usque ad atrium majus. Pro extrinsecus, non est scribendum contrarium intrinsecus.

V. 23. Et testicula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum. Non est

mutan-

mutandum singulare cingebat] *cum plurali* cingebant.

V. 24. Duo ordines sculpturarum striatarum erant fusiles. *Romani Patres recte censuerunt legendum* striatarum, *quod est, striis ornatarum: non* histriatarum *aut* listriatarum, *præposita una syllaba, qua de re nos alias latius scripsimus.*

V. 25. Et stabat super duodecim boves. *Legendum est numero singulari* stabat *s. mare, non plurali* stabant.

V. 26 Duo millia batos capiebat. Non *addas* & tria millia metretas, *quod* 2. *Paral.* 4. *v.* 5. *legitur, pro eo quod hic dicitur:* duo millia batos. *Lege, si placet notationes nostras in hunc locum.*

V. 35. In summitate autem basis erat quædam rotunditas dimidii cubiti. *Legendum est.* dimidii cubiti, *non adjiciendum, quod plerique,* unius & dimidii cubiti.

V. 47. Et posuit Salmon omnia vasa. Non *subjungas* in domo Domini, *quod quidam.*

CAP. VIII. *v.* 1. In mense Ethanim. *Non scribas, præposita littera B,* Bethanim, *pro* Ethanim.

V. 23. Qui ambulabant coram te in corde suo. *In aliis libris est præsens* ambulant, *pro præterito imperfecto* ambulabant.

V. 58. Cuncta devotatio & imprecatio. *Spurium est, quod quidam scribunt, t liquida,* devotatio, *quod est consumptio, pro t muta* devotatio, *quod est votum sive oratio.*

V. 60. Ut sciant omnes populi terræ. *Non mutes ut conjunctionem causativam cum copulativa &.*

CAP. X. *v.* 14. Quod afferebatur Salomoni. Non *scribas* offerebatur *pro* afferebatur, *vocalem inquam quartam pro prima.*

CAP. XI. *v.* 2. Et Sidonias & Hethæas. *Scribendum est* Hethæas, *littera initiali* H, *&* duplicato e (*prout plerumque consuevit hæc vox Latine exprimi*) *potius quam* Cetheas, *quamquam ita scribatur Ezech.* 16. *v.* 3.

V. 5. Sed colebat Salomon Astarthen deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum. *Non interponas* & Chamos deum Moabitarum, *redundat enim.*

CAP. XII *v.* 21. Electorum virorum bellatorum. *Non addas conjunctionem &* ante bellatorum.

CAP. XIII. *v.* 11. Narraverunt patri suo. *Non præponas his verbis & conjunctionem.*

V. 23. Stravit asinum suum propheta quem reduxerat. *Non est mutandus dativus* prophetæ, *cum nominativo* Propheta.

V. 28. Et divulgaverunt in civitate. *Non est scribendus quartus casus* civitatem *pro sexto.*

V. 29. Ut plangeret eum. *Præferendus est numerus singularis plurali* plangerent.

CAP XV. *v* 18. Dedit illud in manus. *Non est præponenda conjunctio &.*

CAP. XVI. *v.* 24. Et vocavit nomen civitatis quam extruxerat, nomine Semer Domini montis, Samariam. *Et hic præferendus est casus accusativus* Samariam, *rectus a verbo* vocavit, *genitivo* Samariæ, *recto ab altero nominum substantivorum proximorum.*

CAP. XVII. *v.* 12. Et faciam illum mihi & filio meo. *Correctores merito mutarunt neutrum* illud *in masculinum* illum, *ita ut referatur ad panem.*

CAP. XVIII. *v* 9. Vade & dic domino tuo. *Non præponas* & dixit.

V. 22. Prophetæ autem Baal quadringenti & quinquaginta viri sunt. *Non addas* prophetæque lucorum quadringenti, *quod quidam.*

V. 24. Optima propositio. *Non subjungas,* quam locutus est Elias, *tametsi Græce legatur.*

CAP. XIX. *v.* 1. Et quomodo occidisset universos prophetas gladio. *Ad vocem* propheta, *non est addendum* Baal.

V. 10. Quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel. *Pronomen* tuum *non est mutandum cum nomine* Domini.

V. 18. Osculans manus. *Pro plurali* manus, *alii habent singulare* manum.

V. 19. Et ipse in duodecim jugis boum arantibus unus erat. *Correctores non judicarunt omittendas has duas voculas* jugis boum.

CAP. XX. *v.* 33. Frater tuus Benadad *Non est addendum* vivit.

CAP. XXI. *v.* 1. Vinea erat Naboth Jezrahelitæ, qui erat in Jezrahel. *Alii libri habent relativum femininum* quæ, *referens* vineam: *Correctores prætulerunt masculinum* qui, *referens* Naboth.

V. 2. Argenti pretium, quanto digna est. *Non mutes ablativum* quanto *cum accusativo* quantum.

V. 20. Et ait Achab ad Eliam: Num invenisti me inimicum tibi? *Vetus interpres vertit* inimicum tibi, *accusativo casu: alii verterunt vocativo* inimice mi?

V. 21. Ecce ego inducam super te malum. *Non præponas:* Hæc dicit Dominus.

CAP. XXII. *v.* 15. Et tradet eam Dominus in manus regis. *Non est omittendum pronomen* eam.

V. 39. Et domus eburnea quam ædificavit. *Quidam pro casu primo* eburnea, *scribunt secundum* eburneæ.

LIBER REGUM

QUARTUS.

CAP. I. *v.* 17. Mortuus est ergo. *Non mutes* ergo, *in* autem.

CAP. IV. *v.* 42. Panes primitiarum viginti panes hordeaceos. *Redundat & conjunctio, quæ a quibusdam interponitur.*

V. 43. Quantum est hoc, ut apponam centum viris? *Non addas* coram, *quod quidam libri præponunt voci* centum.

CAP. VI. *v.* 13. Ecce in Dothan. *Scribendum est* Dothan *dissyllabum, non trisyllabum* Dothain, *quod legitur Gen.* 37. *v.* 17.

V. 15. Egressus vidit exercitum in circuitu civitatis. *Alii scribunt* egressus est, viditque.

V. 27. Non te salvat Dominus: unde te possum salvare? *Alii, hypostigmate postposito adverbio* non, *scribunt præsens imperativi* salvet, *pro præsenti indicativi* salvat: *forte quia non intellexerunt prioris lectionis sensum, qui est: Dominus non salvat te, unde salvem te ego? Si Dominus non salvat te, unde ego?*

CAP. VII. *v* 6. Siquidem Dominus sonitum audiri fecerat. *Non est mutandus infinitivus passivus* audiri *cum activo* audire.

V. 17. In cujus manu incumbebat. *Alii pro præterito imperfecto, scribunt plusquam perfectum* incubuerat.

Ibidem. Juxta quod locutus fuerat vir Dei. *Non addas verbum præpositioni* juxta.

CAP. IX. *v.* 27. In ascensu Gaver. *Non mutes* Gaver *cum* Gaber, *id est,* v *cum* b.

V. 29. Anno undecimo Joram filii Achab, regnavit Ochozias super Judam, venitque Jehu in Jezrahel. *Pro numero* undecimo, *non est scribendus major* duodecimo: *nec addendum est* regis Israel *post* Achab: *denique nec mutandum quidquam judicarunt Correctores in iis quæ consequuntur, tametsi in multis codicibus sit varietas, de qua nostræ Notationes.*

V. 32. Et inclinaverunt se ad eum duo, vel tres eunuchi. *Quod sequitur in quibusdam libris &* dixerunt, hæc est illa Jezabel, *spurium est.*

CAP. X. *v.* 16. Numquid est cor tuum rectum. *Non addas* cum corde meo, *quod quidam: superfluit enim.*

CAP. XI. *v.* 3. Porro Athalia regnavit super terram. *Redundat quod additur a quibusdam libris* septem annis.

V. 6. Tertia autem pars sit ad portam Sur. *Non mutes* Sur: *quod est nomen portæ templi, cum* Seir, *quod est nomen montis Idumæorum.*

V. 9. Qui ingrediebantur sabbatum, cum his qui egrediebantur sabbato. *Pro quarto casu* sabbatum, *quidam scribunt sextum* sabbato. *Sententia eadem una est: sed posteriori* sabbato *addita a nonnullis libris præpositio* e, *obscurat sententiam.*

V. 14. Et cantores & tubas prope eum. *Cave ne scribas* turbas, *quod est, Multitudines pro* tubas, *id est, buccinas.*

V. 17. Inter Dominum & inter regem & inter populum. *Tertio repetenda est præpositio* inter.

CAP. XII. *v.* 8. Et instaurare sartatecta domus. *Non est mutanda vox* domus *cum* templi.

CAP. XIII. *v.* 19. Percussisses Syriam usque ad consumptionem. *Legendum est* consumptionem, *quod est deletionem, potius quam* consummationem, *quod est, finem.*

CAP. XIV. *v.* 2. Nomen matris ejus Joadan. *Penultima littera hujus nominis proprii, quibusdam libris est vocalis prima* a, *quibusdam secunda* e. *Sed perperam scribunt illi libri, qui medio hujus nominis interserunt* i. Jojadam *aut* Jojadem.

V. 17. Vixit autem Amasias, filius Joas, rex Juda, postquam &c. quindecim annis. *Non scribas, addito denario,* viginti quinque *pro* quindecim.

V. 22. Ipse ædificavit Aelath. *Non est mutandum* Aelath *cum* Ailam.

V. 25. Jonam filium Amathi prophetam. *Præferendus est casus quartus secundo* prophetæ.

CAP. XV. *v.* 12 Sedebunt super throno Israel. *Omittendum est* de te, *quod multi adjiciunt verbo* sedebunt.

V. 18. Qui peccare fecit Israel cunctis diebus ejus. *Non est hoc* cunctis diebus ejus, *addendum sequentibus.* Veniebat Phul.

V. 19. Veniebat Phul Rex Assyriorum in terram. *Cave ne scribas nomen proprium* Thersam, *pro appellativo* terram.

V. 20. Et non est moratus in terra. *Idem hoc loco cavendum est.*

CAP. XVI. *v* 6. Et Idumæi venerunt in Ailam: *Quidam, pro* Idumæi, *scribunt* Syri, *quidam utrosque conjungunt:* Et Idumæi & Syri venerunt in Ailam (*qua de re in Notationibus nostris*) *Correctores eam lectionem prætulerunt, quæ soles nominat Idumæos.*

V. 29 Reliqua autem verborum Achaz quæ fecit. *Non adjicias* & omnia ante quæ fecit.

CAP. XVII. *v.* 9. Et offenderant filii Israel verbis non rectis Dominum Deum suum. *Non judicarunt Romani Patres,* offenderunt, *mutandum cum* operuerunt, *aut* irritaverunt.

V. 19. Verum ambulavit in erroribus Israel. *Recte emendatum est, posito simplici* verum, *pro composito* verumtamen.

V. 24. Adduxit autem Rex Assyriorum de Babylone. *Non addas nomen* viros *ante* de Babylone.

CAP. XIX. *v.* 15. Eruntque in ruinam collium pugnantium. *Alii, pro simplici* pugnantium, *scribunt compositum* compugnantium.

CAP. XX. *v.* 19. Sit pax & veritas in diebus meis. *Non adjicias verbo* sit *adverbium* tantum.

CAP XXII. *vers.* 3. Misit Rex Saphan filium Aslia. *Non est scribendum* Assia *pro* Aslia, *id est, duplex* ss *pro* sl.

V. 9 Ut distribueretur fabris a præfectis. *Præpositio* a *non est commutanda cum conjunctione* ac.

V. 20. Omnia mala, quæ inducturus sum

super

super locum istum. Non mutes inductutus num introducturus.

CAP. XXIII. v. 15. Et altare illud & excelsum destruxit. Non omittas posterius & positum ante excelsum.

V. 33. Vinxitque eum Pharao Nechao in Rebla. Non augeas vocem Rebla una syllaba, Reblatha: quamquam utroque nomine eadem una civitas significetur.

V. 34. Et duxit in Ægyptum, & mortuus est ibi. Multi libri omittunt & mortuus est ibi; sed immerito.

CAP. XXIV. v. 14. Et omnem artificem & clusorem. Pro simplici clusorem, alii compositum scribunt inclusorem. Idem occurrit infra, v. 16.

CAP. XXV. v. 19. Et sexaginta viros e vulgo. Male scribunt alii libri sex, pro sexaginta, quod dicitur six.

LIBER PARALIPOMENON PRIOR.

CAP. I. v. 31. Jetur, Naphis, Cedma. Quidam male scribunt, Jachur pro Jetur.

V. 32. Filii autem Dadan, Assurim, & Latussim, & Laomim. Censuerant Romani Patres, versiculum hunc non esse omittendum, tametsi a multis omittatur: qua de re agunt nostræ Notationes.

V. 38. Seleon, Ana, Dison. Corrupte a quibusdam scribitur Ava pro Ana, id est, u pro n.

CAP. II. v. 3. Hi tres nati sunt ei de filia Sue Chananitide. Scribendus est sextus casus Chananitide, non secundus Chananitidis.

V. 6. Chalchal quoque & Dara. Vocem quadrilitteram Dara, non augeas d quinta littera, Darda.

V. 13. Secundum Abinadab. Non scribas Aminadab, pro Abinadab, id est, m liquidam pro b muta.

CAP. III. v. 5. Quatuor de Bethsabee. Non scribas Bersabee, quod nomen est puteì, Gen. 21. v. 31. pro Bethsabee, quod est nomen uxoris Uriæ.

V. 22. Et Naaria & Saphat, sex numero. Quidam addiderunt & sexa ante sex, male, nomen Hebræum appellativum, quod sex significat, accipientes pro proprio.

CAP. IV. vers. 7. Sereth, Isaar, & Ethnan. Non est scribendum, omissa littera initiali i, Sahar pro Isaar.

V. 20. Filii quoque Simon, Amnon & Rinna. Pro Amnon non scribas Ammon, duplici m.

V. 22. Et Securus & Incendens. Cave scribas incedens, quod est ambulans, pro incendens, quod inflammans.

Ibidem. Et qui reversi sunt in Lahem. Pro masculinis qui reversi, non sunt substituenda feminina quæ reversæ: nec omittendum relativum qui vel quæ; denique nec mutandum Lahem, cum Lehem, aut Bethlehem, tametsi idem forte locus his tribus nominibus significetur.

CAP. V. v. 10. Præliati sunt contra Agaræos. Alii contra Agarenos. Prior scriptura Hebraice propius respondet. Eadem varietas occurrit infra vers. 19. & 20.

V. 15. Fratres quoque filii Abdiel, filii Guni, princeps domus. Non facile mutandus est numerus singularis in pluralem principes.

CAP. VI. v. 28. Filius Samuel, primogenitus Vasseni, & Abia: Non est scribendum Abia, pro Abia, id est, adspirato h, pro muta h.

V. 61. Urbes tredecim. Pro tredecim non scribas quatuordecim, adaucto numero.

Vers. 75. Hucac quoque & suburbana ejus. Male a quibusdam legitur Asach pro Hucac.

CAP. VII. v. 15. Machir autem accepit uxores filiis suis. Non est mutandum plurale uxores cum singulari uxorem, tametsi hoc Hebraice legatur.

CAP. VIII. v. 40. Usque ad centum quinquaginta. Non subjungas millia, quod prodigi quidam.

CAP. IX. v. 4. Othei filius Ammiud, filii Amri. Non mutes genitivum filii cum altero nominativo filius.

V. 28. De horum genere erant. Nec hic mutes genere cum grege.

CAP. XI. v. 14. Hi steterunt in medio agri, & defenderunt eum, cumque percussissent Philisthæos. Numero plurali non est præferendus singularis hic stetit in medio agri, & defendit eum, cumque percussisset Philisthæos.

V. 17. Desideravit igitur David. Non addas aquam.

V. 21. Et inter tres secundos inclytus. Casus quartus numeri pluralis secundos, non est vertendus in primum casum numeri singularis secundus.

V. 22. Banajas filius Jojadæ viri robustissimi. Nec hic vertendus est secundus casus viri robustissimi, in primum vir robustissimus.

CAP. XII. v. 20. Principes millium in Manasse. Cave ne scribas militum, pro millium, quod est, chiliadum.

CAP. XIV. v. 2. Cognovitque David quod confirmasset eum Dominus in regem. Non est addendum eo (eo quod confirmasset) tamquam caussa detur.

V. 5. Jebahar & Elifus. Non addas & Eli.

CAP. XV. v. 5. Et fratres ejus centum viginti. Non augeas numero centenario, scribens ducenti, prout scribitur proximo versu, pro centum.

V. 6. Et fratres ejus ducenti viginti. Nec hic augeas numero denario, scribens triginta, prout scribitur proximo versu, pro viginti.

V. 7. Et fratres ejus centum triginta. Hic non minuas numerum denarium, scribens viginti, prout scribitur versibus superioribus, pro triginta.

V. 24. Et Obededom & Jehias erant janitores arcæ. Pro Jehias non scribas Achimias.

V. 26. Arcam fœderis Domini. Non omittas fœderis.

CAP. XVI. v. 29. Date Domino gloriam nominis ejus. Nec hic omittas Domino.

V. 37. Reliquit itaque ibi. Hic non est scribendum dereliquit decompositum, pro composito reliquit.

CAP. XVII. v. 5. Ex eo tempore quo eduxi Israel. Non est addendum de terra Ægypti, sed subaudiendum.

CAP. XVIII. v. 5. Syrus Damascenus, & v. 6. Et posuit milites in Damasco. Quidam addita una littera r, scribunt Darmascenus & Darmasco, ut est Hebraice, sed quia eadem urbs significatur, cujus nomen absque littera r celebrius est, præstat retinere quod est notissimum.

CAP. XX. vers. 5. In quo percussit Adeodatus filius Saltus Bethlehemites fratrem Goliath Gethæi. Multæ sunt hic varietates. In primis omittitur a quibusdam nomen saltus, sed immerito. Deinde pro Bethlehemites, quidam scribunt Lehemites, ut nec Hebraice additur beth: verum illud hujus expositio est. Ad hæc alii, nominativum Bethlehemites, mutant in genitivum Bethlehemitis aut Lehemitis; quo modo liceat ex Hebræo vertere. Insuper sunt qui mutent in accusativum Bethlehemitem aut Lethemitem, quæ est interpretatio LXX. duorum. Sed inepte egerunt, qui transpositis syllabis scripserunt Helemitis, aut Hehemitis. Porro qui scripserunt Lahami, vocem Hebræam, ita ut Hebraice legitur, supponere studuerunt. Postremo, secundum casum Gethæi, alii commutarunt cum quarto Gethæum, quod Hebræa utrumque patiatur. Legat qui volet nostras in varias Bibliorum lectiones notationes.

CAP. XXI. v. 5. De Juda autem quadringenta. Non supponas minorem numerum trecenta, pro majori quadringenta, ut quidem.

V. 12. Elige quod volueris, aut tribus annis famem, aut tribus mensibus te fugere hostes tuos. Pro famem, quidam scribunt pestilentiam famis, minus recte: plerique vero pestilentiam tantummodo, nulla addita mentione famis, idque pessime.

Ibidem. Aut tribus diebus gladium Domini, & pestilentiam versari in terra. Non mutes nomen pestilentiam, cum nomine mortem, quod illi faciunt qui mox supra pestilentiam male scripserant.

V. 30. Nimio enim fuerat timore perterritus. Non præponas nomini timore, præpositionem in.

CAP. XXII. vers. 5. Domus autem, quam ædificari volo Domino. Non mutes passivum ædificari in activum ædificare.

CAP. XXIII. v. 3. Numeratique sunt Levitæ a triginta annis & supra. Non diminuas numerum decade una, scribens viginti pro triginta, ut multi.

V. 5. Et totidem psaltæ canentes Domino in organis. Grammatica exigit ut psaltæ legatur non psaltes, plurale, inquam, non singulare.

V. 29. Et ad lagana azyma & sartaginem, & ad torrendum. Non interponas conjunctionem & ante azyma, quod plerique. Denique non judicarunt Correctores, ad torrendum, mutandum eum ad ferventem similam, vel ad ferventem tantummodo, multo minus utramque lectionem copulandam, ut illi faciunt, de quibus nostræ Notationes.

CAP. XXIV. vers. 21. Filiisque ejus Ierias primus, Amatias secundus. Non omittas vocem primus, ut ab Interprete datam, quamvis Hebraice non legatur.

CAP. XXV. v. 2. Sub manu Asaph prophetantis juxta regem. Non mutes genitivum singulare prophetantis, in nominativum plurale prophetantes, quod multi.

V. 5. Omnes isti filii Heman Videntis Regis. Nec hic mutes Videntis, in Videntes, quod similiter multi.

CAP. XXVI. v. 7. Fratres ejus viri fortissimi. Non præponas his verbis conjunctionem copulativam.

V. 22. Et Joel fratres ejus. Non judicarunt Correctores, numerum pluralem fratres, commutandum cum singulari frater, ut nec v. 25. subsequenti: Fratres quoque ejus Eliezer.

V. 28. Omnes, qui sanctificaverant ea. Non est mutandum relativum qui, in conjunctionem copulativam encliticam que.

V. 29. Chonenias & filii ejus. Non est substituendum tertio casu filiis, pro filii primo casu.

CAP. XXVII. v. 5. Banajas filius Jojadæ sacerdos. Nec hic, secundo casu sacerdotis, pro primo sacerdos.

V. 16. Porro tribubus præerant Israel. Non addas, in præpositionem ante Israel.

V. 31. Jaziz Agareus. Alii Agarenus, ut supra 5. v. 10.

CAP. XXVIII. v. 6. Domum meam & atria mea. Cave ne scribas altaria, quod est aras, pro atria.

V. 16. Aurum quoque dedit in mensas propositionis pro diversitate mensarum. Plurale mensas, non est mutandum cum singulari mensam, nec pro voce mensarum, substituenda est vox mensuræ a metiendo dicta.

CAP. XXIX. v. 6. Et principes possessionum regis. Nominativo principes, non est addendus genitivus principum.

LIBER PARALIPOMENON POSTERIOR.

CAP. I. vers. 1. Et Dominus Deus ejus erat cum eo. Non omittas Deus ejus.

V. 17. Similiter de universis regnis Hethæorum. Alii codices scribunt Cethæorum. Vide 3. Reg. 11. v. 2.

CAP. II. v. 10. Et hordei coros totidem, & vini viginti millia metretas. Mirum est omissa a plerisque libris illud & vini viginti millia metretas, contra Hebraici fontis & Græcæ interpretationis fidem.

V. 14. Qui novit operari in auro &c. & qui scit cœlare omnem sculpturam &c. Præferendi sunt indicativi novit & scit, conjunctivis, noverit, sciat.

V. 18. Qui lapides in montibus cæderent. Præferenda est præpositio in præpositioni de.

CAP. IV. vers. 7. Secundum speciem quæ jussa erant fieri. Non mutes duas voculas plurales jussa erant, cum una singulari jusserat.

V. 13. Malogranata quoque quadringenta. Quidam male mutatis centenariis in denarios, scribunt quadraginta pro quadringenta.

CAP. V. v. 14. Nec possent stare sacerdotes. Non est mutandum nec negantis, cum ne prohibentis.

CAP. VI. v. 9. Sed tu non ædificabis domum, verum filius tuus. Male quidam legunt compositum verumtamen, pro simplici verum.

V. 16. Ita tamen si custodierint filii tui vias suas. Retinendum est pronomen tertiæ personæ suas, non substituendum pronomen primæ meas.

V. 19. Et audias preces, quas fundit famulus tuus coram te. Præsens fundit, non est mutandus cum præterito fudit.

V. 42. Ne averteris faciem Christi tui. Alii scribunt aversetis ab aversor, pro averteris ab averto.

CAP. VII. v. 18. Non auferetur de stirpe tua vir, qui sit princeps in Israel. Non est repetenda negatio ante verbum sit: Qui non sit.

V. 20. Quam sanctificavi nomini meo. Non scribas ædificavi, pro sanctificavi, quod est, dedicavi.

CAP. IX. v. 29. Reliqua vero operum Salomonis priorum & novissimorum. Non potest scribi opera nominativo casu, absque offensa grammatices.

CAP. X. v. 10. At illi responderunt ut juvenes. Interpres addidit ut, tametsi Hebraice non legatur.

CAP. XI. v. 4. Revertatur unusquisque in domum suam, quia mea hoc gestum est voluntate. Immerito versiculus iste a quibusdam omittitur.

V. 12. Sed & in singulis urbibus fecit armamentarium scutorum & hastarum. Non est mutandum singulare armamentarium, cum plurali armamentaria.

CAP. XII. v. 12. Siquidem & in Juda inventa sunt opera bona. Non est omittendum & pro etiam positum.

CAP. XIII. v. 3. Electorum quadringenta millia: Jeroboam instruxit e contra aciem, octingenta millia virorum. Quidam, pro centenariis denarios numerantes, scribunt quadraginta & octoginta millia, absterriti multitudine.

Vers. 17. Et corruerunt vulnerati ex Israel, quingenta millia virorum fortium. Ut non superiori loco, ita nec hoc, mutandus est numerus major quingenta, in minorem quinquaginta.

CAP. XIV. v. 8. Ducenta octoginta millia. Non minuas numerum denario, pro octoginta scribens septuaginta, ut quidam.

CAP. XV. v. 1. Azarias autem filius Oded. Quia nomen Obed, scriptum quatuor litteris a se mutuo diversis, longe celebrius est in veteris Testamenti libris, quam nomen Oded, quod constat d littera repetita, ideirco quidam hic Oded, commutarunt cum Obed. Idem accidit infra v. 8.

V. 4. Cumque reversi fuerint in angustia sua. Quod subjiciunt quidam & clamaverint, superfluum est.

V. 19. Bellum vero non fuit usque ad trigesimum quintum annum regni Asa. Non est omittendus minor numerus quintum.

CAP. XVI. v. 2. Qui habitabat in Damasco. Alii, addita una littera, Dumasco scribunt, ut supra 1. Paralip. 18. vers. 5.

V. 8. Quos, cum Domino credidisses, tradidit in manu tua. Non addas in præpositionem ante Domino, ut alii.

V. 13. Et mortuus est anno quadragesimo primo regni sui. Non est auferendus minor numerus primo, quod quidam faciunt.

CAP. XVII. v. 14. In Juda principes exercitus. Non est mutandus principes numeri pluralis: cum princeps singulari.

CAP. XVIII. v. 2. Et populo, qui venerat cum eo. Non scribas plurali numero venerant.

V. 4. Dixitque Josaphat. Non omittas conjunctionem que.

CAP. XX. v. 15. Et qui habitatis Jerusalem. Non addas præpositionem in ante Jerusalem.

V. 16. Cras descendetis contra eos. Retinendum est descendetis, deorsum inquam: non supponendum adscendetis sursum.

V. 24. Porro Juda cum venisset ad speculam. Pro speculam, quod significat locum unde licebat speculari, alii inepte correxerunt speluncam, quod est cavernam.

V. 36. Et particeps fuit ut facerent naves. Non mutes plurale cum singulari faceret.

CAP. XXI. v. 3. Multa munera argenti & auri & pensitationes. Alii detracta una syllaba scribunt, pensationes, significatur id, quod, & detracta & altera syllaba, vulgo dicitur pensiones.

V. 4. Surrexit ergo Joram. Non mutes ergo cum autem.

CAP. XXIII. vers. 8. Cum his qui impleverant sabbatum & egressuri erant. Non est mutandum participium futurum egressuri, in participium præteritum egressi.

V. 11. Et imposuerunt ei diadema & testimonium, dederuntque in manu ejus tenendam legem. Tametsi multi Latinorum codicum omittant illud & testimonium, quidam vero ejus loco omittant id quod sequitur dederuntque in manu ejus tenendam legem: neutrum tamen omittendum censuerunt Correctores, ut unum alterius, id est, posterius prioris, expositionem.

V. 18. Sicut scriptum est in lege Moysi. Non est scribendum libro pro lege.

CAP. XXIV. v. 5. Ad sartatecta templi Dei vestri. Non est mutandum pronomen secundæ personæ in primæ nostri.

V. 8. Juxta portam domus Domini. Non oportet omittere nomen domus.

V. 14. Et ad holocausta. Non auferas conjunctionem & præpositam.

V. 23. Miserunt regi in Damascum. Alii Damascum, ut supra 16. v. 2. & ubique in his Paralipomenon libris.

CAP. XXV. v. 1. Nomen matris ejus Joadan. Non scribas Jojadan, addita altera j.

V. 5. Inveneitque trecenta millia juvenum. Non diminuas numerum, decades pro centuriis numerando, triginta pro trecenti.

CAP. XXVI. v. 17. Et cum eo sacerdotes Domini octoginta. Nec hic minuas numerum denario, scribens septuaginta pro octoginta.

CAP. XXVIII. v. 9. Propheta Domini nomine Oded. Et hic scribendum est Oded, repetit, d, non Obed, quemadmodum supra 15. v. 1.

V. 12. Et Amasa filius Adali. Nomen Amasa non augeas quarta syllaba Amasias.

CAP. XXIX. v. 3. Ipse anno & mense primo regni sui. Non mutes nominativum ipse in ablativum ipso.

V. 4. Et congregavit eos in plateam Orientalem. Nomen plateam non mutes in partem, seu latus.

V. 24. Et asperserunt sanguinem eorum coram altari. Non facile omittendum est coram.

V. 25. Secundum dispositionem David Regis & Gad Videntis. Non transponas nomen Regis, e suo loco in ultimum, tametsi ultimo loco legatur Hebraice.

V. 27. Quæ David rex Israel præparaverat. Alii pro præparaverat, legunt reperat: nam Hebraice nihil aliud est, quam Davidis regis Israel.

V. 30. Qui laudaverunt eum. Nec omittas pronomen eum, nec ejus loco scribas Deum.

CAP. XXX. v. 3. Non enim potuerant facere in tempore suo. Non mutes potuerant in occurrerant, ut multi.

V. 7. Qui tradidit eos. Non est mutandum qui relativum, cum & conjunctione.

V. 24. Ezechias enim Rex Juda. Conjunctio enim rationalis, non est mutanda in continuativam autem.

CAP. XXXII. v. 15. Cunctarum gentium atque regnorum. Scribendum est regnorum, non regionum, quod est provinciarum.

V. 19. Locutusque est contra Deum Jerusalem. Non mutes nomen urbis Jerusalem, cum nomine gentis Israel.

V. 29. Et urbes ædificavit sibi. Non addas certum urbium numerum sex.

CAP. XXXIII. v. 8. Et moveri non faciam pedem Israel de terra. Pro passivo moveri, non supponat activum movere.

Ibidem. Atque judicia, per manum Moysi. Non interponas quæ mandavi, sed subaudias.

CAP. XXXIV. v. 3. Et duodecimo anno postquam regnare cœperat. Non omittas infinitivum regnare, quem interpres cum LXX. addidit claritatis causa.

V. 4. Et super tumulos eorum. Cave ne scribas cumulos seu acervos, pro tumulos, quod est sepulcra.

CAP. XXXV. v. 8. Sponte quod voverant obtulerunt. Quidam pro voverant, scribunt volebant.

V. 9. Et Semeias, etiam Nathanael. Alii: Et Semeias etiam & Nathanael.

V. 15. Prophetarum regis. Retinendus est numerus pluralis prophetarum, non mutandus cum singulari prophetæ: nec addendum David nomini regis.

CAP. XXXVI. v. 8. Et quæ inventa sunt in eo. Participium neutrum inventa, non est commutandum cum feminino inventæ.

V. 10. Qui adduxerunt eum in Babylonem. Non interponas &: Qui & adduxerunt.

Ibidem. Regem vero constituit Sedeciam patruum ejus. Retinendum est nomen patruum, quod est, patris fratrem: sic enim recte exposuit Interpres quod Hebraice legitur fratrem.

Vers. 17. In domo sanctuarii sui. Non omittas pronomen sui.

LIBER ESDRÆ I.

CAP. I. v. 5. Ut ascenderent ad ædificandum. Retinendum est plurale ascenderent, non mutandum in singulare ascenderet.

CAP. II. v. 2. Qui venerunt cum Zorobabel, Josue, Nehemia. Pro Josue alii libri habent Jesua, quomodo Hebræi hic legunt.

V. 6. Duo millia octingenti duodecim. *Non augeas numerum centuria una, scribens nongenti, pro octingenti.*

V. 16. Qui erant ex Ezechia, nonaginta octo. *Non sunt scribendæ centuriæ loco decadum, nongenti octo pro nonaginta octo.*

V. 36. In domo Josue. *Alii Jesue, mutata vocali quarta in secundam. Item infra, v. 40.*

V. 67. Equi eorum septingenti triginta sex. *Non minuas numerum uno centenario, scribendo sexcenti pro septingenti.*

V. 69. Auri solidos sexaginta millia & mille. *Multis nos egimus in Notationibus nostris de geminatione hujus loci lectione: sed Romani Patres, eam quæ majorem numerum, sexaginta inquam, scribit, prætulerunt ei, quæ nonnisi quadraginta recenset.*

CAP. III. v. 7. Ad mare Joppe. *Legendum est Joppe accepto secundo casu, potius quam quarto casu Joppen.*

CAP. IV. v. 21. Coram Deum Beelteem. *Non judicarunt Correctores omittendum* Beelteem.

CAP. V. v. 13. Ut domus Dei hæc ædificaretur. *Non omittas pronomen hæc.*

CAP. VI. v. 15. Qui est annus sextus regni Darii regis. *Nequaquam auferenda est vox regni.*

V. 17. In dedicationem domus Dei. *Alii, pro quarto casu legunt sextum* dedicatione.

CAP. VIII. v. 3. De filiis Secheniæ, filiis Pharos. *Non interponas & conjunctionem.*

CAP. IX. v. 1. Et abominationibus eorum: *Non addas præpositionem de.*

V. 8. Et daretur nobis paxillus. *Loco unius vocis paxillus, quæ idem est quod palus, non sunt scribendæ duæ pax illius.*

V. 9. Sed inclinavit super nos misericordiam. *Non mutes adversativum sed, cum copulativo &.*

Ibidem. Et daret nobis septem. *Non est mutandum & copulativum cum ut caussativo: sed plurimum falsi fuerunt, qui septem, quod est maceriam, seu murum, extracta una littera mutarunt in spem, quod est, fiduciam.*

V. 11. In coinquinatione sua. *Non omittas præpositionem in.*

CAP. X. v. 1. Sic ergo orante Esdra & implorante eo. *Pronomen sexti casus eo, ut non est vertendum in quartum casum eum, ita nec in nomen Deum.*

V. 3. Et eorum qui timent præceptum Domini. *Verbum timent, quod est metuunt, non debes mutare in tenent, quod est, custodiunt.*

V. 31. Eliezer, Josue. *Pro Josue, in aliis est Jesue, quemadmodum supra 2. v. 36. quamquam voces, quæ nunc Hebraice utroque loco leguntur, plurimum differant.*

E S D R Æ II.

CAP. I. v. 2. Ipse & viri ex Juda. *Non est omittenda præpositio ex.*

CAP. II. v. 8. Ut tegere possim portas turris domus. *Non est addendum templi, nec mutandum turris singulare cum plurali turres, hoc modo:* Portas templi, turres domus.

CAP. III. v. 6. Ipsi texerunt eam. *Pro texerunt, quod est præteritum a tego, non scribas texuerunt, præteritum a texo.*

V. 25. Phalel filius Ozi. *Non præponas post cum ædificaverunt.*

V. 28. Sursum autem a porta equorum ædificaverunt sacerdotes. *Pro a porta sexto casu, non est substituendum ad portam, quarto.*

V. 30. Et scruta vendentium. *Scribendum est scruta, quod est vestimenta omnifaria: non omissa r littera, scuta, id est, arma quibus corpus pugnantes tegunt.*

V. 31. Et inter cœnaculum anguli. *Præpositio inter non est commutanda cum usque ad.*

Ibidem. Ædificaverunt aurifices & negotiatores. *Retinenda est vox aurifices ab auro deducta, non supponenda artifices ab arte.*

CAP. IV. v. 4. Audi Deus noster. *Non præponas & dixit Nehemias, quod quidam.*

V. 22. Et sint nobis vices per noctem. *In locum nobis primæ personæ, non est surrogandum pronomen secundæ vobis.*

CAP. VI. v. 2. In viculis, in campo Ono. *Cave ne scribas vitulis, ut plerique, pro viculis, diminutivo a vicus.*

CAP. VII. v. 7. Qui venerunt cum Zorobabel. *Non mutes perfectum in plusquam perfectum venerant.*

V. 12. Filii Aelam, mille ducenti quinquaginta quatuor. *Non augeas numerum sexcentis, scribendo octingenti pro ducenti.*

V. 21. Filii Ater, filii Hezeciæ, nonaginta octo. *Alii pro decadibus centurias numerant, dum male scribunt nongenti octo pro nonaginta octo.*

V. 39. Filii Idaia in domo Josue. *Alii pro Josue legunt Jesua. Similis 1. Esdræ 2. v. 36.*

V. 66. Quadraginta duo millia trecenti sexaginta. *Non duplices numerum trecenti scribendo sexcenti, ut multi.*

V. 69. Huc usque refertur quid &c. *Hæc verba, Correctorum judicio, non sunt omittenda, quippe ab Interprete addita: de quibus nos copiose in Notationibus.*

CAP. VIII. v. 1. Et venerat mensis septimus. *Quod subjecerunt quidam libri,* scenopegiæ sub Esdra & Nehemia, *adulterinum est.*

V. 6. Et benedixit Ezras Domino Deo magno. *Pro epitheto Dei* magno, *non sunt reponendæ dictiunculæ* voce magna.

CAP. IX. v. 5. Benedicite Domino Deo vestro. *Non mutes pronomen secundæ personæ* vestro, *cum primæ* nostro.

V. 7. Hethæi & Amorrhæi. *Non interponas*, & Hevæi, *quod multi.*

V. 32. Et prophetas nostros, & patres nostros. *Non est omittendum prophetas* & patres nostros, *quod quidam faciunt.*

V. 35. Et ipsi in regnis suis. *Superfluit quod in quibusdam libris sequitur, in conditionem bonis.*

CAP. X. v. 24. Rehum, Hasebna, Maasia. *Non oportet auferre medium nomen* Hasebna, *quod multi libri immerito.*

V. 29. Omnes qui poterant sapere. *Nullo modo præmittenda est conjunctio &.*

V. 38. Ad gazophylacium, in domum thesauri. *Pro quarto casu, alii scribunt sextum* domo.

CAP. XI. v. 6. Sexaginta octo viri fortes. *Quidam minus fideliter, addita unitate, legunt novem pro octo.*

V. 35. Lod & Ono. *Non omittas prius nomen* Lod, *quod multi.*

CAP. XII. v. 24. Et Josue filius Cedmihel. *Pro Josue, alii Jesue, ut supra 1. Esdræ 2. v. 36.*

CAP. XIII. v. 9. Et emundaverunt gazophylacia. *Præferendus est numerus pluralis singulari* gazophylacium.

V. 16. Et vendebant in sabbatis filiis Juda in Jerusalem. *Non mutandum est posterius in cum &*: Et Jerusalem.

V. 31. Et in primitivis. *Alii pro adjectivo* primitivis, *scribunt substantivum* primitiis.

T O B I A S.

CAP. I. v. 19. Tobias quotidie pergebat. *Non oportet omittere vocem* quotidie.

CAP. III. v. 6. Et nunc Domine secundum voluntatem tuam fac mecum. *Non est addenda vox* misericordiam.

V. 19. Aut illi forsitan me non fuerunt digni. *Non mutes sextum casum* me *in tertium* mihi.

CAP. V. v. 4. Ut, dum adhuc vivo, recipias eam. *Non est transferendum* ut *e primo loco in antepenultimum.*

V. 15. Ego ducam & reducam eum ad te. *Non addas* sanum *ante* ad te.

CAP. VI. v. 9. Et fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur. *Injuria hæc a quibusdam jugulantur & prætereuntur.*

CAP. VIII. v. 10. Dixit quoque Sara. *Non mutes* quoque *cum* itaque.

V. 24. Et fecit scripturam. *Non addas pronomen demonstrativum* hanc.

CAP. X. v. 5. Te non debuimus dimittere a nobis. *Nec hic addas alterum infinitivum* ire *ante* a nobis.

CAP. XI. v. 18. Et omnis familia sana & pecora. *Non transferas adjectivum* sana *in locum ultimum, post* pecora.

CAP. XIV. v. 5. Tobiam filium suum, & septem juvenes filios ejus nepotes suos. *Male quidam, etiam nomini* filios, *addunt pronomen reciprocum* suos, *cum* ejus *non reciprocum loco judicet.*

J U D I T H.

CAP. I. v. 2. Fecit muros ejus in latitudinem cubitorum septuaginta, & in altitudinem cubitorum triginta. *Cum alii plerique libri, murorum altitudini, sive sublimitati tribuant cubitos septuaginta, latitudini vero, sive spatiositati triginta, minori numero. Sixtina Biblia e diverso, huic septuaginta, illi triginta adscribunt.*

V. 12. Adversus omnem terram illam. *Non scribas* ad *loco* adversus.

CAP. III. v. 1. Syriæ scilicet Mesopotamiæ. *Non interjicias conjunctionem* & *ante* Mesopotamiæ.

V. 9. Exierunt obviam venienti. *Non addas* in *præpositionem ante* obviam. *Idem infra 5. v. 4.*

CAP. V. v. 24. Ascendamus ad illos. *Non est præponenda his verbis conjunctio* &.

CAP. VI. v. 9. Et sic vinctum testibus. *Non est addenda præpositio* de *ante* testibus.

CAP. VII. v. 12. Juvenes & parvuli. *Non interponas* senesque, *quod quidam.*

CAP. VIII. v. 17. Sic faciat nobiscum misericordiam suam. *Superfluit quod quidam addunt adverbium* cito.

CAP. X. v. 3. Et unxit se myro optimo. *Locus egregie correctus, myro quod est unguento, pro myrto, quod vulgo legitur addita una littera & arboris, seu plantæ genus est. Hanc emendationem præterieram, nisi Reverendissimus Episcopus noster Alanus suggessisset: ut & quædam alia a quibusdam aliis viris doctis suggesta sunt.*

V. 5. Imposuit itaque abræ suæ ascoperam vini. *Male plerique libri scribunt* ascopam: *quod nihil significat:* ascoperam *recte emendarunt Correctores, quod, penultima longa, compositum ex ἀσκὸς uter & πήρα pera, significat peram utri persimilem, aut utrem loco servientem, qua nimirum vinum de colo gestatur.*

Ibidem. Et vas olei, & polentam, & palathas. *Pro* palathas, *quod massam ficuum significat, id est, ficus invicem connexas: quidam inepte, inversis syllabis, scripserant* lapathas.

CAP. XI. v. 18. Et mirabantur sapientiam ejus. *Voci* sapientiam *non est præponenda præpositio* ad.

CAP. XIII. v. 13. Qui fecit virtutem in Israel. *Non addas* magnam.

V. 15. Et concurrerunt ad eam omnes. *Ita rectius, quam ut in aliis libris est* occurrerant, *quod est* obviam cucurrerant.

CAP. XV. v. 2. Quos armatos super se venire audiebant. *Non mutes imperfectum* audiebant, *cum plusquam perfecto* audierant.

V. 8. Omnia quæ erant illorum, attule-

runt secum. Non est mutandum attulerunt in abstulerunt, id est, ad in abs.

CAP. XVI. v. 2. Exaltate & invocate nomen ejus. Verbum exaltate derivatum a nomine altus, hoc loco convenit, non exultate, compositum a salio.

V. 7. Et confodit eum. Melius est confodit, quod est, jugulavit, quam contudit, turbavit.

V. 8. Nec excelsi gigantes opposuerunt se illi. Legendum est opposuerunt, quod est reluctati sunt, non imposuerunt.

V. 23. Quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivionis. Quidam libri omittunt hæc verba de cubili ipsius, obtulit; minus recte.

E S T H E R.

CAP. I. v. 6. Tentoria aerii coloris. Scribendum est aerii quadrisyllabum derivatum ab aere, non trissyllabum ærei, ab ære.

CAP. II. v. 12. Oleo ungerentur myrrhyno; Germana lectio est myrrhino, adjectivum a myrrha deductum, non myrtino, a myrto.

V. 14. Atque inde in secundas ædes deducebatur. Servandum est singulare deducebatur, non mutandum plurali deducebantur.

V. 23. Et appensus est uterque eorum in patibulo. Quod subjiciunt exemplaria quædam. Et jussit rex ut in libro memoriali scriberentur, ut pro vita sua aliquid repensaret ei, superfluum est.

CAP. III. v. 3. Qui ad fores palatii præsidebant. Pro præsidebant, alii scribant residebant: nam hujusmodi aliquid Hebraice supplere oportet.

CAP. IV. v. 3. Sacco & cinere multis pro strato utentibus. Intorquent quidam, quarta declinatione, scribunt stratu. Idem usu venit infra 11. v. 12. Job 7. v. 13. & alibi.

V. 4. Ut ablato sacco induerent eum. s. Mardochæum vestem. Præferendus est pluralis numerus induerent cum pronomine masculino eum, singulari indueret cum pronomine feminino, eam, subaudito, Mardochæus vellem.

CAP. VIII. v. 4. At ille ex more sceptrum aureum protendit manu. Non mutes protendit, cum prætendit, id est, pro cum præ, vocalem quartam cum diphtongo prima.

V. 11. Interficerent atque delerent, & spolia eorum diriperent. Non omittas postremam & spolia eorum diriperent.

V. 15. Hyacinthinis videlicet & aeriis. Quadrisyllabum est aeriis, ut supra 1. v. 6. nec commutandum cum æreis.

CAP. IX. v. 2. Eo quod omnes populos magnitudinis eorum formido penetrarat. Retinendum præteritum plusquamperfectum indicativi penetrarat, non substituendum optativi præsens penetraret.

V. 10. Prædas de substantiis eorum tangere noluerunt. Germana lectio est tangere, non, omissis duabus litteris, agere.

V. 17. Primus apud omnes. Pro primus ordinali numero, alii scribunt unus cardinalem.

V. 22. Et luctus atque tristitia, in hilaritatem gaudiumque conversa sunt. Pro neutro conversa, non est scribendum masculinum conversi.

V. 27. Et certa expetunt tempora. Cave ne scribas cetera, id est, reliqua, pro certa, quod est definita.

CAP. XIV. v. 14. Nos autem libera manu tua. Non addas præpositionem in ante manu.

CAP. XV. v. 1. Haud dubium quin Esther Mardochæus. Nomen proprium Esther, cave mutes in verbum substantivum esset.

J O B.

CAP. I. vers. 5. Offerebat holocausta pro singulis. Melius clariusque est pro singulis, sexto casu, eo quod in aliis libris est per singulos quarto.

V. 20. Et scidit vestimenta sua. Alii libri scribunt tunicam suam.

CAP. II. v. 10. Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Non omittas mulieribus.

CAP. III. vers. 4. Non requirat eum Deus desuper. Redundat quod subjicitur a quibusdam libris non sit in recordatione.

Ibidem. Et non illustretur lumine. Pro passivo illustretur, alii libri scribunt activum illustret.

V. 9. Expectet lucem & non videat. Non est mutandum singulare expectet in plurale expectent.

V. 18. Et quondam vincti. Non est omittendum quondam ab interprete datum.

CAP. V. v. 2. Vere stultum interficit iracundia. Male quidam pro adverbio vere supposuerunt nomen virum.

V. 6. Nihil in terra sine caussa fit, & de humo non oritur dolor. Præferendum est præsens oritur futuro orietur.

V. 26. Ingredieris in abundantia sepulchrum: Cave ne scribas contrarium, egredieris seu exibis, pro ingredieris.

CAP. VI. v. 5. Numquid rugiet onager cum habuerit herbam? Cave ne scribas fugiet pro rugiet seu rudet.

V. 6. Aut potest aliquis gustare quod gustatum affert mortem? Quod subjiciunt libri quidam, Animæ enim esurienti, etiam amara dulcia esse videntur, non est hujus loci, sed Prov. 27. v. 7.

V. 17. Et ut incaluerit, solventur de loco suo. Non mutes singulare incaluerit, in plurale incaluerint.

CAP. VIII. v. 2. Et spiritus multiplex sermones oris tui. Retinendus est nominativus pluralis sermones, non substituendus genitivus singularis sermonis.

V. 7. In tantum ut si priora tua fuerint parva. Correctores addiderunt conjunctionem si.

CAP. X. v. 3. Si calumnieris me & opprimas me opus manuum tuarum. Neutro loco judicarunt Correctores omittendum pronomen me.

V. 16. Et propter superbiam quasi leænam capies me. Accusativum leænam prætulerunt Patres nominativo leæna.

V. 22. Sed sempiternus horror inhabitat. Alii scribunt participium inhabitans loco verbi inhabitat.

CAP. XI. v. 10. Quis contradicet ei? Superfluit quod quidam codices subjiciunt, vel quis potest dicere, Cur ita facis: quod non est hujus loci, sed supra 9. v. 12.

CAP. XII. vers. 21. Eos qui oppressi fuerant relevans. Non præponas his verbis conjunctionem &.

CAP. XIII. v. 6. Audite ergo correptionem meam. Non mutes singularia in pluralia correptiones meas.

CAP. XIV. v. 6. Recede paullulum ab eo. Non adjicias ergo.

V. 14. Putasne mortuus homo rursum vivat? Alii scribunt futurum indicativi vivet.

V. 16. Sed parce peccatis meis. Interpres transtulit imperativum parce, haud dubium non parces, aut parcis.

V. 19. Et hominem ergo similiter perdes. Non mutes singulare hominem in plurale homines.

CAP. XVII. v. 2. Et in amaritudinibus moratur oculus meus. Nec hic mutes præsens moratur in futurum morabitur.

V. 4. Cur eorum longe fecisti a disciplina, propterea non exaltabuntur. Non interponas conjunctionem &.

CAP. XVIII. v. 3. Et sorduimus coram vobis. Retinendum est plurale vobis, non surrogandum singulare te.

V. 11. Undique terrebunt eum formidines, & involvent pedes ejus. Cave ne repetas pronomen eum post verbum involvent.

CAP. XIX. v. 23. Vel celte sculpantur in silice. Romani Patres prætulerunt nomen celte sive cælo, adverbio certe, de quo nos late in nostris Notationibus.

V. 26. Et in carne mea videbo Deum meum. Non addas salvatorem.

CAP. XX. v. 25. Eductus & egrediens de vagina sua. Non addas gladius, quod quidam.

CAP. XXI. v. 3. Sustinete me, & ego loquar. Nec hic addas conjunctionem ut ante & ego.

CAP. XXII. v. 12. An non cogitas quod Deus excelsior cælo sit? Non est legendum, An absque negatione, pro An non.

CAP. XXIV. v. 21. Pavit enim sterilem quæ non parit. Non interponas & conjunctionem.

CAP. XXV. v. 3. Et super quem non surget lumen illius. Non substituas fulget, quod est splendet, pro surget, quod est orietur.

CAP. XXVII. v. 22. Et mittet super eum. Non scribas unicam vocem emittet, pro duabus & mittet.

CAP. XXVIII. v. 7. Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis. Errant qui pro primo casu singulari numeri oculus, legunt quartum pluralem oculos, omisso pronomine eam.

CAP. XXX. vers. 12. Ad dexteram orientis calamitates meæ illico surrexerunt. Quidam legunt duplicem genitivum orientis calamitatis: Correctores, non sine caussa, prætulerunt eam lectionem, quæ constat genitivo & nominativo orientis calamitates, de quo lege Notationes nostras.

Vers. 15. Abstulisti quasi ventus desiderium meum. Non est commutanda secunda persona abstulisti cum tertia abstulit.

V. 24. Verumtamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam. Non scribas pronomen primæ personæ meam, pro tertiæ eorum.

V. 28. Consurgens in turba clamabam. Pro turba, quod non est multitudine, quidam omissa una littera scripserunt tuba, quod est buccina, quidam terra, quidam tenebris; omnes vitiose.

CAP. XXXI. v. 7. Et si secutum est oculos meos cor meum. Retinendi sunt accusativi plurales oculos meos, non supponendi nominativi singulares oculus meus.

Sequitur. Et si manibus meis adhæsit macula. Non præponas in præpositionem voci manibus.

V. 19. Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum. Germana lectio est pereuntem, frigore scilicet, non prætereuntem, quod est, prætergredientem.

V. 35. Quis mihi tribuat auditorem. Vocum affinitas fecit, ut pro auditorem, ab audiendo dictum, quidam erronee legerent adjutorem, seu auxiliatorem, ab adjuvando.

CAP. XXXII. v. 22. Et si post modicum tollat me factor meus. Duæ sunt dictiones & si, non unica etsi.

CAP. XXXIII. v. 2. Loquatur lingua mea in faucibus meis. Pro loquatur, non scribas, aut præsens loquitur, aut futurum loquetur.

V. 3. Et sententiam puram labia mea loquentur. Non ejus est mutare sententiam cum scientiam, quamquam hæc vox legatur Hebraice.

V. 7. Et eloquentia mea non sit tibi gravis. Non scribas neutra pro femininis, & eloquium meum non sit tibi grave.

V. 17. Ut avertat hominem ab iis quæ facit. Præsens facit præferendum est præterito fecit.

V. 23. Si fuerit pro eo Angelus loquens unus de millibus. *Neque masculinum unus mutandum est cum neutro unum: neque pro millibus posito pro pluribus, substituendum est similibus, quod est talibus.*

CAP. XXXIV. *v.* 24. Conteret multos & innumerabiles. *Non omittas & conjunctionem; tametsi Hebraice non addatur.*

V. 37. Qui addit super peccata sua blasphemiam. *Non mutes conjunctionem quia in relativum qui.*

CAP. XXXVI. *v.* 7. Et reges in solio collocat in perpetuum, & illi eriguntur. *Non commutes pronomen, illi cum adverbio illic.*

V. 27. Qui aufert stillas pluviæ. *Similitudo vocum quosdam errare fecit, ita ut pro stillas, quod est guttas, legerunt stellas, quod est, sidera.*

V. 28. Qui de nubibus fluunt. *Non scribas pluunt pro fluunt, id est, p pro f, tenuem pro adspirata.*

CAP. XXXVII. *v.* 15. Quando præceperit Deus pluviis. *Non mutes conjunctivum præceperit cum indicativo* præcepit.

CAP. XXXVIII. *v.* 13. Et excussisti impios ex ea. *Alii minus recte habent* exclusisti, *ab* excludo, *pro excussisti ab* excutio.

CAP. XLI. *v.* 14. Mittet contra eum fulmina. *Non mutes fulmina, quod est fulgura, in flumina, quod est, fluvios.*

Sequitur: Et ad locum alium non ferentur. *Pro futuro plurali ferentur, alii scribunt præsens, nonnulli quidem plurale feruntur, nonnulli singulare fertur.*

CAP. XLII. *v.* 4. Interrogabo te, & responde mihi. *Alii pro responde scribunt* ostende, *minus recte.*

P S A L M I.

PSALM. I. *v.* 5. Ideo non resurgent impii in judicio. *Servandum est futurum resurgent, non substituendum præsens resurgunt.*

Sequitur: Neque peccatores in concilio justorum. *Concilio hic acceptum pro cœtu, per c potius est scribendum quam per s.*

PSALM. II. *v.* 6. Prædicans præceptum ejus. *Non est mutandum pronomen ejus cum nomine* Domini.

PSALM. IV. *v.* 5. Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. *Non interponas conjunctionem* &.

PSALM. VII. *v.* 13. Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit. *Non mutes futurum* vibrabit, *cum præterito* vibravit.

V. 15. Ecce parturiit injustitiam. *Hic non mutes præteritum* parturiit *in præsens* parturit.

PSALM. IX. *v.* 22. Despicis in opportunitatibus. *Nec hic præsens* despicis *in futurum* despicies.

V. 10. In laqueo suo humiliabit eum. *Hoc loco servandum est futurum, non substituendum præteritum* humiliavit.

V. 12. Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua. *Non interponas conjunctionem* &.

PSALM. X. *v.* 1. Transmigra in montem sicut passer. *Alii legunt plurali numero* montes.

PSALM. XII. *v.* 5. Ne umquam obdormiam in morte. *Alii pro sexto legunt quartum casum* mortem.

PSALM. XIV. *v.* 5. Et munera super innocentem non accepit. *Plurale* innocentes *quod alii scribunt, expositio est singularis* innocentem.

PSALM. XV. *v.* 3. Sanctis qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis. *In primis non est hic omittendum pronomen* ejus: *deinde non est substituendum futurum* mirificabit *pro præterito: adhuc præteriti servanda est tertia persona* mirificavit, *non supponenda prima* mirificavi: *insuper pronomen primæ personæ* meas, *non est variandum in suas tertiæ; denique non est commutandum* in eis *cum* inter illos. *Hæc enim sunt varia codicum errata.*

PSALM. XVI. *v.* 3. Et non est inventa in me iniquitas. *Non omittas medium illud* in me.

V. 14. Saturati sunt filiis. *Non mutes* filiis *casu sexto, in* filii *casu primo; multoque minus pro* filiis *substituas* porcina, *qua de re, lege, si placet, Notationes nostras.*

PSALM. XVII. *v.* 18. Eripuit me de inimicis meis fortissimis. *Quidam libri scribunt futurum* eripiet: *sed retinendum videtur præteritum, ut ab Interprete datum, qui futurum præteriti loco accepit.*

V. 20. Salvum me fecit quoniam voluit me. *Idem judico de futuro* faciet, *quod quidam hic substituunt pro præterito* fecit.

V. 33. Deus qui præcinxit me virtute. *Non est mutandus casus sextus in quartum* virtutem, *sive hoc versu, sive infra, v.* 40. Et præcinxisti me virtute ad bellum.

PSALM. XVIII. *v.* 14. Si mei non fuerint dominati. *Masculino genere scribendum est* dominati: *nam* dominata *neutro genere est alterius editionis.*

PSALM. XXI. *v.* 1. In finem pro susceptione matutina. *Pro* susceptione: *alii legunt* assumptione.

V. 2. Deus Deus meus respice in me. *Complures libri omittunt præpositionem* in.

V. 17. Consilium malignantium obsedit me. *Non magis hic scribas* consilium *per* f, *quam supra* 1. *v.* 5.

PSALM. XXIV. *v.* 12. Legem statuit ei in via quam elegit. *Præterito* statuit *Interpres exposuit futurum* statuet.

PSALM. XXVI. *v.* 4. Ut videam voluptatem Domini. *Cavendum est ne recidatur in vetus mendum eorum, qui hactenus scripserunt* voluntatem, *quod est* beneplacitum, *mutata una littera pro* voluptatem, *quod est* delectationem, *sive* jucunditatem, *quo modo Romani Patres correxerunt.*

PSALM. XXVII. *v.* 1. Psalmus ipsi David. *Præferendum est pronomen* ipsi *pronomini* huic.

V. 3. Ne simul trahas me cum peccatoribus. *Egregie Correctores Romani, sublato veteri errato scribentium* tradas, *quarta alphabeti littera media, quod est* παραδῷς, *restituerunt* trahas, *media adspirationis nota, quod est* ἑλκύσῃς.

V. 7. In ipso speravit cor meum & adjutus sum. *Non præponas his verbis* & *conjunctionem.*

PSALM. XXX. *v.* 12. Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis valde. *Non hic omittas* & *conjunctionem præpositam nomini* vicinis.

PSALM. XXXII. *v.* 1. Psalmus David. *Non addas* in finem, *quod quidam libri.*

PSALM. XXXIV. *v.* 1. Ipsi David. *Non addas* psalmus, *quod alii.*

Ibidem. Expugna impugnantes me. *Non mutes* impugnantes *cum* expugnantes.

V. 8. Et in laqueum cadat in ipsum. *Cave legas* in idipsum, *pro* in ipsum.

V. 11. Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me. *Non est mutanda prima persona singularis in tertiam pluralem* ignorabant.

V. 14. Quasi proximum & quasi fratrem nostrum sic complacebam. *Non omittas conjunctionem* & *ante posterius* quasi.

V. 25. Nec dicant: Devoravimus eum. *Cave ne præteritum* devoravimus, *pro insolito scribentium vitio, cum futuro* devorabimus *commutes.*

V. 26. Induantur confusione & reverentia qui magna loquuntur super me. *Et hic cavendum est, ne τὸ* magna, *quod est* grandia, *iterum corrumpatur, addita una syllaba,* maligna, *quod est* perversa.

PSALM. XXXVI. *v.* 6. Et judicium tuum tamquam meridiem. *Præferendus est quartus casus sexto* meridie.

V. 14. Ut dejiciant pauperem & inopem. *Romanæ correctionis est* dejiciant, *compositum a* jacio, *pro eo quod vulgo minus recte legitur* decipiant, *quod est* fallant *composito ex* capio.

V. 21. Mutuabitur peccator, & non solvet, justus autem miseretur, & tribuet. *Non mutes futura in præsentia,* mutuatur, solvit, tribuit, *nullo vero modo, pro simplici* tribuet, *scribas compositum* retribuet *aut* retribuit.

V. 23. Apud Dominum gressus hominis dirigentur. *Servandum est plurale* dirigentur, *præ singulari* dirigetur.

PSALM. XXXVII. *v.* 1. In rememorationem de sabbato. *Ut est præferendus quartus casus sexto* rememoratione: *ita non est commutanda præpositio* de *cum nomine* die, *vel ablativus* sabbato *cum genitivo.*

V. 11. Cor meum conturbatum est. *Non addas* in me.

PSALM. XXXVIII. *v.* 1. Ipsi Idithun. *Alii pro pronomine* ipsi *legunt præpositionem* pro.

PSALM. XXXIX. *v.* 6. Multiplicati sunt super numerum. *Nonnulli libri genere feminino, habent* multiplicatæ; *nonnulli neutro* multiplicata: *sed masculinus* multiplicati, *nostræ editionis esse videtur.*

V. 9. Et legem tuam in medio cordis mei. *Hæc vulgatæ nostræ editionis est lectio altera, qua pro* cordis, *quidam scribunt* ventris, *alterius est translationis.*

V. 13. Multiplicatæ sunt super capilles capitis mei. *Non mutes femininum* multiplicatæ *in masculinum* multiplicati.

PSALM. XL. *v.* 2. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. *Non apponas adjectivo* beatus *substantivum* vir, *hoc quidem loco.*

V. 7. Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor ejus congregavit iniquitatem sibi: egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum. *Numeri singulares nequaquam mutandi hic sunt in plurales,* ingrediebantur, viderent, eorum, congregaverunt, egrediebantur, loquebantur, *quod quidam faciunt. Pro nomine* vana, *nonnulli scribunt adverbium* vane: *tametsi utrumque eodem redeat. Alii ita distinguunt, ut* cor ejus *jungatur verbo præcedenti* loquebatur. *Alii denique, præteritum* congregavit, *mutant in futurum* congregabit. *Sed prima tum lectio, tum distinctio, merito probata est a Romanis Patribus.*

PSALM. XLI. *v.* 2. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum. *Constanter retinenda est vox* fortem, *quæ est* robustum, *pro ea quæ in plerisque hactenus vitiose inoleverat libris* fontem, *quarto casu a nominativo* fons: *in quam eo facilior lapsus fuit, quod & præcedat* sitiendi *verbum, & subsequatur epitheton* vivi.

V. 6. Salutare vultus mei & Deus meus. *Non temere omittenda est* & *conjunctio.*

PSALM. XLIII. *v.* 1. In finem, filiis Core. *Non præponas præpositionem* pro *nomini* filiis.

V. 6. Et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. *Pro* in nobis, *quidam libri scribunt* in nos, *alii* nobis *omissa præpositione.*

PSALM. XLIV. *v.* 1. Canticum pro dilecto. *Cave legas* delicto, *quod est* peccato *pro* dilecto, *quod est* amato.

V. 5. Intende, prospere procede, & regna. *Cave ne ita distinguas, ut adverbium* prospere *jungatur verbo præcedenti* intende, *cum cohærere debeat verbo subsequenti* procede.

V. 13. Et filiæ Tyri in muneribus. *Non omittas primum* &.

V. 14. Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.

in ue. Ut non est omittendum pronomen ejus, ita non scribendum, filii nominativo casu, nec tertium numero plurali.

V. 18. Memores erunt nominis tui. Non est addendum, quod quidam libri subdunt, Domine.

PSALM. XLVI. v. 5. Speciem Jacob quam dilexit. Femininum quam non est mutandum in masculinum quem.

PSALM. XLVII. v. 1. Filiis Core secunda sabbati. Non est omittendum illud secunda sabbati.

V. 3. Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion. Pro nominativo singulari, mons, non est scribendum aut genitivus montis, aut pluralis numerus montes.

PSALM. XLVIII. v. 8. Non dabit Deo placationem suam. His verbis non est præponendum &.

V. 9. Et laborabit in æternum. Non mutes futurum laborabit in præteritum laboravit, multoque minus in liberavit.

V. 10. Et vivet adhuc in finem. Non omittas adverbium adhuc.

V. 13. Et homo cum in honore esset, non intellexit. Non est hic omittenda conjunctio, &, ut nec infra, v. 21. est addenda: Homo cum in honore esset, non intellexit.

PSALM. XLIX. v. 4. Advocabit cœlum desursum. Retinendum est futurum advocabit, non substituendum præteritum, advocavit.

V. 15. Eruam te & honorificabis me. Non præponas verbo eruam alterum &.

PSALM. L. v. 1. Quando intravit ad Bethsabee. Cave scribas Bersabee, littera r, quod est nomen loci Genes. 21. v. 31. pro Bethsabee littera th, quod feminæ nomen est, uxoris Uriæ.

V. 9. Asperges me hyssopo & mundabor. Non interponas Domine.

V. 19. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Non est commutanda secunda persona cum tertia despiciet.

V. 20. Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion. Non est omittendum Domine.

PSALM. LI. vers. 1. Et nunciavit Sauli: Venit David in domum Achimelech. Frustra addunt quidam. Et annunciavit Sauli & dixit: errore autem, Achimelech, quod est frater meus rex, mutant alii cum Abimelech, quod est pater meus rex: qua de re lege Notationes nostras.

PSALM. LII. v. 1. Pro Maeleth intelligentiæ David. Cave ne pro Maeleth, scribas, transpositis primis litteris, Ameleth, aut, quod pejus est, Amalech. Denique non mutes genitivum intelligentiæ cum nominativo intelligentia aut intellectus.

PSALM. LIII. v. 7. Et in veritate tua disperde illos. Quidam virtute, quod est, fortitudine, legunt pro veritate, quæ opponitur falsitati, male: nec minus male alii, dispergere, quod est dissipa, pro disperde, quod est, perde.

PSALM. LIV. v. 10 Præcipita Domine, divide linguas eorum. Non interjicias conjunctionem &.

PSALM. LV. v. 1. In tituli inscriptionem. Non mutes quartum casum in sextum inscriptione. Simile infra 56. v. 1. 57. v. 1. 58. v. 1. 59. v. 1.

V. 4. Ab altitudine diei timebo. Cave interponas non negationem ante timebo.

V. 12. In me sunt Deus vota tua, quæ reddam, laudationes tibi. Ut non est omittendum pronomen tua, ita non est facile mutandus nominativus pluralis laudationes, in genitivum singularem laudationis.

PSALM. LVI. v. 8. Cantabo & psalmum dicam. Non subnectas sicut Domino, sive tibi, quod quidam libri, multoque minus in gloria mea, quod est Psalmi 107. vers. 2.

PSALM. LVII. v. 2. Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate filii hominum. Retinendum est nomen recta, non supponendum adverbium recte.

V. 10. Sicut viventes, sic in ira absorbet eos. Pro sic, alii repetunt sicut.

PSALM. LVIII. v. 12. Deus ostendet mihi super inimicos meos. Futurum ostendet mutandum non est præsens, vel præteritum ostendit.

V. 17. Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exultabo mane misericordiam tuam. Legendum est exultabo vocali quinta, non exaltabo vocali prima: quod si scriberetur, exsultabo addita littera s, cessaret erroris causa.

PSALM. LXI. v. 9. Deus adjutor noster in æternum. Non omittas postremum in æternum.

V. 13. Quia tu reddes unicuique juxta opera sua. Cave legas tua secundæ personæ pronomen, pro sua tertiæ.

PSALM. LXII. vers. 7. Si memor fui tui super stratum meum. Pro si, adverbio similitudinis, Romani Patres correxerunt si, quæ est conditionalis conjunctio.

Ibidem. In matutinis meditabor in te. Non substituas præteritum imperfectum meditabar, pro futuro meditabor.

PSALM. LXIII. vers. 7. Defecerunt scrutantes scrutinio. Non est opus sextum casum numeri singularis scrutinio, vertere in quartum pluralis scrutinia.

Vers. 8. Accedet homo ad cor altum. Non judicarunt Romani Correctores, præpositionem ad commutandam cum conjunctione &, quod alii multi judicant.

PSALM. LXIV. v. 1. Canticum Hieremiæ & Ezechielis. Ut non oportet addere Aggæi, Zachariæ, aut Ezechiæ: ita non oportet omittere Hieremiæ & Ezechielis, qui duo prophetæ, incipientis transmigrationis tempore vixerunt.

Ibidem. Populo transmigrationis, cum inciperent exire. Non præponas ablativo populo præpositionem de: nec scribas mutatis casibus de populi transmigratione: multoque minus vel substituas, vel addas de verba peregrinationis, quæ altera translatio est. Ad hæc exire melius est quam proficisci. Denique non est pars ista tituli Hieremiæ & Ezechielis, populo transmigrationis cum inciperent exire, facile omittenda, quamvis Hebraice non exstet.

Vers. 11. Rivos ejus inebria. Noli mutare verbum inebria, in participium inebrians.

PSALM. LXV. vers. 17. Ad ipsum ore meo clamavi, & exaltavi sub lingua mea. Hinc contra quam superius Psalm. 58. vers. 17. legendum est exaltavi vocali prima, verbum scilicet deductum a nomine altus, non exultavi vocali quinta, verbum deductum a talio.

PSALM. LXVI. v. 5. Quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis. Quidam legunt futuro tempore diriges: sed verisimile est, Interpretem duplici præsenti usum voluisse judicas, dirigis.

PSALM. LXVII. v. 5. Turbabuntur a facie ejus. Neququam omittenda sunt hæc verba.

V. 23. Convertam in profundum maris. Quidam pro quarto casu legunt sextum profundo, vel profundis.

PSALM. LXIX. v. 1. In rememorationem, quod salvum fecerit eum Dominus. Retinendus est casus quartus rememorationem, nec facile mutandum pronomen tertiæ personæ eum, cum primæ me, quamquam hoc Græce legatur.

PSALM. LXX. v. 16. Introibo in potentias Domini. Alii scribunt numero singulari potentiam.

V. 20. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas. Non scribas neutrum quanta, pro feminino quantas.

PSALM. LXXI. v. 15. Et adorabunt de ipso semper. Quidam libri, pro composito adorabunt, scribunt simplex orabunt: compositum enim est loco simplicis, quemadmodum de est loco pro.

V. 16. Et erit firmamentum in terra in summis montium. Non est scribendum frumentum, quod est triticum, pro firmamentum: quamquam frumentum fortasse firmamenti nomine sit intelligendum.

Sequitur: Superextolletur super Libanum fructus ejus. Cave legas fluctus, pro fructus, id est l pro r, liquidam primam pro quarta.

PSALM. LXXIII. v. 19. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi. Non mutes accusativum confitentes, in genitivum confitentium.

PSALM. LXXIV. v. 1. In finem, ne corrumpas. Quidam libri pro corrumpas, habent disperdas, quod idem unum est.

PSALM. LXXV. vers. 4. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum. Retinendus est genitivus pluralis arcuum, non surrogandus accusativus singularis arcum.

V. 12. Omnes qui in circuitu ejus affertis munera. Legendum est affertis prima vocalis, potius quam quarta offertis.

PSALM. LXXVI. v. 11. Et dixi, Nunc cœpi. Non mutes primam personam cœpi, in tertiam cœpit.

PSALM. LXXVII. vers. 16. Et eduxit aquam de petra, & deduxit tamquam flumina aquas. Non est posteriori loco ut priori legendum eduxit.

V. 38. Et abundavit ut averteret iram suam. Pro abundavit, alii verterunt multiplicavit, quod proinde non est nostræ editionis.

V. 45. Misit in eos cœnomyiam, & comedit eos. Scribendum est, etiam Divo Hieronymo docente cœnomyiam, quod interpreteris muscam communem, non cynomyiam, quod muscam caninam, id est, consonanti primæ danda est diphthongus, non y Græcum, quod ypsilon dicitur.

V. 50. Non pepercit a morte animabus eorum. Non præponas & conjunctionem.

V. 53. Et deduxit eos in spe, & non timuerunt. Non scribas, pro deduxit, ablata d littera, eduxit.

V. 69. Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra. Quidam libri genitivum pluralem unicornium, mutant cum genitivo singulari unicornis.

PSALM. LXXX. vers. 1. Psalmus ipsi Asaph. Non addas quod sequitur in quibusdam libris quinta sabbati.

PSALM. LXXXVIII. v. 2. & 5. In generationem & generationem. Servandus est duplex accusativus, non mutandus prior in ablativum.

V. 27. Ipse invocabit me: Pater meus es tu. Non mutes futurum invocabit in præteritum invocavit, quod libri multi.

V. 34. Neque nocebo in veritate mea. Non scribas decipiam pro nocebo.

V. 40. Evertisti testamentum servi tui. Vulgare hactenus vitium notariorum fuit, ut prima vocali scriberent avertisti, quod fit, in aliam partem transtulisti, pro evertisti, secunda vocali, quod est, subvertisti, abolevisti.

V. 42. Exaltasti dexteram deprimentium eum. Non legas inimicorum ejus, pro deprimentium eum.

V. 45. Destruxisti eum ab emundatione, & sedem ejus in terram collisisti. Quidam pro ab emundatione legunt a mundatione, id est, simplex pro composito: porro omnino accusativus terram præferendus est ablativo terra, quem multi habent.

PSALM. LXXXIX. v. 1. Domine refugium factus es nobis a generatione in generationem. Non est scribendum duplici ablativo, hoc modo in generatione, & generatione, quod Interpres clarius vertit cum duplici præpositione a generatione in generationem.

V. 14. Et delectati sumus omnibus diebus nostris. Non addas in præpositionem.

PSALM. XC. v. 15. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum. Futurum clamabit

ble *præferendum est præterito* clamavit.

PSALM. XCI. *vers.* 4. In decacordo, psalterio. *Credideram, comma medium, positum a Correctoribus, loco conjunctionis, & quæ Hebraice inseritur.*

V. 12. Et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea. *Non omittas alteram præpositionem* in, *præpositam participio* insurgentibus.

V. 13. Sicut cedrus Libani multiplicabitur. *Non est præponenda conjunctio* &.

PSALM. XCII. *v.* 5. Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum. *Non mutes quartum casum in sextum* longitudine.

PSALM. XCIII. *vers.* 15. Quoadusque justitia convertatur in judicium. *Non legas, transposita in præpositione:* Quoadusque in justitiam convertatur judicium.

Sequitur: Et qui juxta illam, omnes qui recto sunt corde. *Non mutes singulare* illam *cum plurali* illa.

V. 20. Qui fingis laborem in præcepto. *Interpres noster, ex Græco atque Hebræo ambiguo, transtulit personam, non tertiam* fingit, *sed secundam* fingis: *pro qua depravate alicubi legitur, omissa media littera* n, figis. *Porro an* laborem, *an vero* dolorem, *transtulerit Interpres, non satis liquet, cum & Hebræa & Græca similiter ambigua sint, & Latina exemplaria admodum varient.* Ceterum laborem, *quod vulgatius est, retinuerunt Romani Correctores.*

PSALM. XCIV. *vers* 9. Probaverunt me & viderunt opera mea. *Non omittas pronomen* me *additum verbo* probaverunt.

PSALM. XCVI. *vers.* 1. Huic David, quando terra ejus restituta est. *Non subjicias, vel pronomen* ei, *vel nomen* Psalmus.

V. 4. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ. *Primæ dictionis initialis littera, sit vocalis tertia, non prima.*

PSALM. XCVII. *vers.* 1. Salvavit sibi dextera ejus. *Non est mutandum præteritum* salvavit *in futurum* salvabit.

PSALM. XCVIII. *v.* 1. Qui sedet super Cherubim, moveatur terra. *Cave, ne pro tertia persona* sedet, *scribas secundam* sedes, *ut multi hactenus vitiose.*

PSALM. CI. *v.* 10. Et potum meum cum fletu miscebam. *Alii libri* poculum *habent, eodem sensu.*

Vers. 11. A facie iræ & indignationis tuæ. *Non omittas mediam conjunctionem* &.

V. 13. Et memoriale tuum in generationem & generationem. *Non mutes priorem accusativum* generationem *in ablativum, ut multi. Idem infra, v.* 25. *& Psalm.* 105. *v.* 31. *atque alibi.*

V. 14. Tu exurgens misereberis Sion. *Non addas* Domine.

V. 19. Scribantur hæc in generatione altera. *Quidam obscurius scribunt numerum singularem* scribatur: *quidam clarius accusativos* generationem alteram.

PSALM. CII. *v.* 22. In omni loco dominationis ejus. *Non mutes genitivum singularem* dominationis, *in nominativum pluralem* dominationes.

PSALM. CIII. *v.* 13. Rigans montes de superioribus suis. *Corrupte quidam legunt secundæ personæ pronomen* tuis, *pro tertiæ* suis.

Vers. 15. Ut educas panem de terra. *Non est secunda persona vertenda in tertiam* educat.

V. 25. Hoc mare magnum & spatiosum manibus. *Non est omittenda vox* manibus, *multoque minus mutanda cum* navibus.

PSALM. CIV. *v.* 30. Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum. *Unam vocem* edidit, *quæ est* produxit, *non distrahas in duas* & dedit, *multoque minus legas* terram *quarto casu.*

V. 31. Dixit & venit cœnomyia. *Romani Patres, ex D. Hieronymo, correxerunt* cœnomyia, *pro eo quod plerique libri habent* cynomya, *quemadmodum & supra, Psalm.* 77. *v.* 45.

PSALM. CV. *vers.* 12. Et crediderunt verbis ejus. *Non addas* in *præpositionem.*

V. 15. Et dedit eis petitionem ipsorum. *Non omittas conjunctionem* &.

V. 38. Et infecta est terra in sanguinibus. *Romani Patres prætulerunt* infecta, *quod est* polluta, *voci* interfecta, *quam alii legunt cum D. Augustino.*

PSALM. CVI. *v.* 2. Et de regionibus congregavit eos. *Non omittenda est* & *conjunctio.*

V. 8. 15. 21. 31. Confiteantur Domino misericordiæ ejus. *Nec facile mutandus est, numeri pluralis nominativus* misericordiæ, *in nominativum, vel ablativum singularem* misericordia.

Ibidem. Et mirabilia ejus filiis hominum. *Cave ne pro dativo* filiis, *scribas nominativum* filii.

Vers. 40. Effusa est contemptio super principes. *Insignis correctio, qua* contemptio, *quod est* despectio, *sive* contemptus, *restitutum est, pro eo quod vulgo legitur* contentio, *quod est,* litigatio. *Erroris occasio fuit ex similitudine litterarum* m *&* n, *id est, secundæ liquidæ & tertiæ: nam* contentio *a doctis scribitur absque* p.

PSALM. CVII. *vers.* 2. 3. Cantabo & psallam in gloria mea. Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara. *Correctores addiderunt* exurge gloria mea, *prout Græce legitur; licet Hebraice* gloria mea, *&* exurge *non nisi semel scribantur, quemadmodum & in plerisque Latinis libris.*

PSALM. CVIII. *v.* 19. Fiat ei sicut vestimentum quo operitur, & sicut zona qua semper præcingitur. *Non sunt mutanda præsentia in futura,* operietur, præcingetur.

V. 27. Et sciant quia manus tua hæc, & tu Domine fecisti eam. *Quidam, pro feminino* eam, *legunt neutrum* ea, *expositionis forsitan caussa.*

V. 31. Quia adstitit a dextris pauperis. *Non mutes conjunctionem* quia *cum relativo* qui.

PSALM. CIX. *v.* 7. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. *Non mutes futura in præterita,* bibit, exaltavit.

PSALM. CX. *v.* 1. Alleluja. *Non addas* Reversio *vel* Reversionis Aggæi & Zachariæ.

V. 9. Redemptionem misit populo suo. *Non addas* Dominus *ex officio ecclesiastico.*

PSALM. CXVII. *v.* 3. Dicat nunc domus Aaron, quoniam in sæculum misericordia ejus. *Non interponas* quoniam bonus, *quod est duorum versuum præcedentium, non hujus & subsequentis.*

V. 4. Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in sæculum misericordia ejus. *Non addas* omnes *ante relativum* qui, *nec* quoniam bonus *ante* quoniam in sæculum.

V. 10. 11. 12. Et in nomine Domini quia ultus sum in eos. *Non est omittenda conjunctio* quia, *nec subsequens præpositio* in.

Vers. 23. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. *Alii mutant conjunctionem* & *cum pronomine* hoc.

V. 25. Benedictus qui venit in nomine Domini. *Non scribas* venturus es *pro* venit, *id est, personam secundam pro tertia.*

PSALM. CXVIII. *v.* 28. Dormitavit anima mea præ tædio. *Noster Interpres vertit* dormitavit, *non* stillavit, *ut alii.*

V. 35. Deduc me in semitam mandatorum tuorum. *Non mutes quartum casum in sextum* semita.

V. 41. Et veniat super me misericordia tua, Domine. *Non mutes præsens imperativi* veniat *cum futuro indicativi* veniet.

V. 46. Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum. *Non scribas* de *loco prioris* in.

V. 48. Et levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi, & exercebar in justificationibus tuis. *Correctores prætulerunt præteritum imperfectum* exercebar *futuro* exercebor.

V. 53. Pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. *Non mutes* pro *quod est* propter, *cum* præ *vel* a.

Vers. 59. Cogitavi vias meas; & converti pedes meos in testimonia tua. *Videtur* converti *esse nostræ editionis, potius quam* averti: *sed error est, quod quidam, pro prima persona, legant secundam* convertisti, *vel* avertisti.

Vers. 73. Da mihi intellectum, & discam mandata tua. *Non mutes conjunctionem copulativam* & *in causativam* ut.

V. 81. Defecit in salutare tuum anima mea. *Nec hic mutes præteritum* defecit *in præsens* deficit.

V. 86. Omnia mandata tua veritas: inique persecuti sunt me, adjuva me. *Retinendum est adverbium* inique, *non surrogandum nomen* iniqui.

Vers. 90. In generationem & generationem veritas tua. *Non est mutandus prior accusativus in ablativum* generatione.

Vers. 95. Testimonia tua intellexi. *Corrupte in quibusdam libris scribitur* dilexi, *quod est* amavi, *pro* intellexi.

PSALM. CXX. *v.* 5. Dominus custodit te, Dominus protectio tua. *Non mutes verbum præsens* custodit *in futurum* custodiet.

Vers. 8. Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum. *Præsens imperativi* custodiat *servandum hic est, nec supponendum futurum indicativi* custodiet.

PSALM. CXXIV. *vers.* 5. Declinantes autem in obligationes. *Ut non est mutandus numerus pluralis in singularem* obligationem: *ita pro* obligationes *non est scribendum* obliquationes, *potius pro* obliquitates; *quod quidam conjiciunt.*

PSALM. CXXVIII. *v.* 4. Dominus justus concidit cervices peccatorum. *Correctores scripserunt præteritum* concidit, *pro futuro* concidet.

Vers. 7. De quo non implevit manum suam qui metit. *Idem observarunt hoc loco, dum* implevit *surrogarunt pro* implebit.

PSALM. CXXX. *v.* 4. Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea. *Quidam libri, pro masculino* ablactatus, *scribunt neutrum* ablactatum; *pro quo vitiose nonnulli supponunt* ablatus, *seu* ablatum. *Complures libri omittent verbum substantivum* est. *Denique alii legunt quarto casu* matrem suam, animam meam, *pro sexto,* matre sua, anima mea.

PSALM. CXXXI. *v.* 9. Sacerdotes tui induantur justitiam. *Quartus casus præferendus est sexto* justitia.

V. 11. Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam. *Servandum est pronomen femininum* eam, *quod referat* veritatem, *non substituendum masculinum* eum, *quod referat* David.

V. 16. Sacerdotes ejus induam salutari: & Sancti ejus exultatione exultabunt. *Pronomen tertiæ personæ* ejus, *quod est in posteriori hujus versiculi membro, multi mutant cum pronomine secundæ personæ* tui; *sed male.*

PSALM. CXXXIV. *v.* 9. Et misit signa & prodigia in medio tui, Ægypte. *Alii libri, pro duabus voculis* & misit, *unicam habent* emisit.

PSALM. CXXXVI. *v.* 1. Psalmus David, Hieremiæ. *Loco dativi* Hieremiæ, *non scribas* propter Hieremiam; *multoque minus interponas* & *conjunctionem inter* David *&* Hieremiæ.

Ibidem. Super flumina Babylonis illic

sedi-

sedimus & flevimus; cum recordaremur Sion. Non addas pronomen tui ante Sion.

V. 9. Beatus qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram. Cave ne relabaris in veterum mendum eorum, qui nomini parvulos addiderant pronomen tertiæ personæ suos, pro secundæ tuos.

PSALM. CXXXVII. v. 1. In conspectu Angelorum psallam tibi. Non præponas conjunctionem &.

PSALM. CXXXVIII. v. 14. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis. Non mutes verbum præsens cognoscit in futurum cognoscet.

V. 16. Dies formabuntur. Quidam libri, pro dies, clarius legunt sexto casu die: sed vitiose scribunt, qui habent dii, ut & illi qui dicunt firmabuntur, quod est stabilientur, pro formabuntur, quod est fingentur.

V. 20. Quia dicitis in cogitatione, accipient in vanitate civitates tuas. Egregie correctus est locus, reposito pronomine secundæ personæ tuas, pro eo quod irrepserat tertiæ suas.

PSALM. CXXXIX. vers. 4. Acuerunt linguas suas sicut serpentis. Genitivus singularis serpentis, merito prælatus est nominativo plurali serpentes.

PSALM. CXLII. v. 12. Et in misericordia tua disperdes inimicos meos. Non addas omnes.

PSALM. CXLIII. v. 2. Qui subdit populum meum sub me. Præferenda est tertia persona subdit secundæ subdis.

V. 10. Qui das salutem regibus, qui redemisti David servum tuum. Hic contra præferendæ videntur secundæ personæ tertiis, dat, redemit, suum.

PSALM. CXLIV. vers. 7. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, & justitia tua exultabunt. Legendum est justitia tua sexto casu, subaudita præpositione in, potius quam justitiam tuam quarto casu. Certo mendum est quod quidam habent judicia tua; ut & illud, quod pro exultabunt, nonnulli scribant exaltabunt prima vocali, nonnulli eructabunt, repetito verbo proxime antecedenti.

PSALM. CXLV. v. 8. Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos. Cave pro diligit, quod est amat, legas dirigit, quod est gubernat.

V. 10. Regnabit Dominus in secula, Deus tuus Sion in generationem & generationem. Non mutes priorem accusativum generationem, in ablativum generatione, ut multi.

PSALM. CXLVI. v. 4. Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Non est mutandum verbum vocat in participium vocans.

PSALM. CXLIX. v. 2. Lætetur Israel in eo qui fecit eum, & filii Sion exultent in rege suo. Recte Romani Patres, femininam filiæ quod vulgo legitur, emendarunt reposito masculino filii.

Vers. 4. Et exaltabit mansuetos in salutem. Et hic recte, præteritum exaltavit, correxerunt substituto futuro exaltabit.

V. 6. Exultationes Dei in gutture eorum. Hic denique infeliciter restituerunt vocem exaltationes, deductam ab altus, pro ea quæ vitiose legi consueverat exultationes, deducta a salto. illa cujus tertia littera est vocalis prima, significat laudes: hæc, cujus tertia littera est vocalis quinta, significat exultantias animi præ lætitia salitus.

V. 4. Ut faciant in eis judicium conscriptum. Quidam commutant numerum pluralem faciant, cum singulari faciat; minus recte.

PROVERBIA.

CAP. III. v. 9. Et de primitiis omnium frugum tuarum da ei. Non mutes pronomen ei cum nomine pauperibus.

Vers. 13. Beatus homo qui invenit sapientiam, & qui affluit prudentia. Non facile mutandum est affluit in effluit, vocalis prima in secundam; nec prudentia sextus casus, in quartum prudentiam.

V. 14. Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, & auri primi & purissimi fructus ejus. Male plerique, auri ponunt ante argenti; & epitheta primi & purissimi jungunt cum fructu, quæ ad auri pertinent. Legantur Notationes nostræ in varias Bibliorum lectiones.

V. 18. Et qui tenuerit eam, beatus. Non mutes singularia in pluralia. Et qui tenuerint eam, beati.

V. 25. Ne paveas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum. Non scribas timore pro terrore, nec mutes ablativos in accusativos repentinum terrorem vel repentinos terrores. Similiter in posteriori sententiæ membro, retine irruentes, nec corrigas irrumpentes, multoque minus intuentes: denique pro potentias non substituas ruinas, quod est alterius versionis.

V. 28. Ne dicas amico tuo: Vade, & revertere, cras dabo tibi. Melius est ne in initio sententiæ, quam nec: & omissio conjunctionis & ante cras, cum gratia conjuncta est.

V. 35. Gloriam sapientes possidebunt: stultorum exaltatio, ignominia. Legendum est hic exaltatio vocali prima, non exultatio vocali quinta, quemadmodum Psalm. 149. vers. 6. sæpius enim varietatem parit affinitas vocalium istarum duarum.

CAP. IV. v. 11. Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis. Non mutes futura cum præteritis, monstravi, duxi.

V. 13. Tene disciplinam, ne dimittas eam: custodi illam, quia ipsa est vita tua. Erronee plerique hactenus in posteriore hujus proverbii membro, scripserunt via, quod est, semita. pro vita, posito pro vitæ caussa.

V. 16. Et rapitur somnus ab eis, nisi supplantaverint. Non est præponenda negatio verbo rapitur, prout legunt codices alii quidam & non rapitur, quidam nec rapitur, multoque minus rapitur, cujus littera initialis est r ultima liquidarum, mutandum est in capitur, cujus littera initialis est c tertia alphabeti.

V. 27. Vias enim quæ a dextris sunt, novit Dominus, perversæ vero sunt, quæ a sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet. Non sunt hic omittenda, tametsi Hebraice non exstent.

CAP. V. vers. 22. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Non mutes verba præsentia in futura, capient, constringetur.

CAP. VI. v. 5. Et quasi avis de manu aucupis. Quod quidam libri, pro manu tribuunt insidiis, aut laqueo, expositio est.

V. 11. Si vero impiger fueris, veniet ut fons messis tua, & egestas longe fugiet a te. Latini libri manuscripti sententiam hanc minime omittunt, tametsi Hebraice non legatur.

V. 31. Et omnem substantiam domus suæ tradet. Non subjicias, quod quidam, & liberabit se, quippe superfluum.

CAP. VII. vers. 2. Fili serva mandata mea, & vives. Inter nomen fili, & verbum serva, multi libri interjiciunt hæc: Honora Dominum & valebis: præter eum vero ne timueris alienum: quæ ut superflua a Correctoribus sunt prætermissa.

Vers. 8. Qui transit per plateam juxta angulum. Non mutes numerum singularem plateam in pluralem plateas.

V. 10. Præparata ad capiendas animas. Non commutes simplex capiendas, cum composito decipiendas.

V. 14. Victimas pro salute vovi. Neque hic scribas compositum devovi loco simplicis vovi.

V. 27. Penetrantes in interiora mortis. Non omittas præpositionem in, nec substituas inferiora per f digamma, pro interiora per t mutam.

CAP. VIII. v. 11. Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis. Superfluit quod quidam addunt opibus.

V. 20. In viis justitiæ ambulo. Non scribas futurum ambulabo, loco præsentis ambulo.

V. 25. Ante colles ego parturiebar. Non addas omnes.

CAP. IX. vers. 15. Qui est parvulus; declinet ad me. Alii pro relativo qui legunt interrogativum quis.

V. 18. Et in profundis inferni convivæ ejus. Quod sequitur in multis libris. Qui enim applicabitur illi, descendet ad inferos: nam qui abscesserit ab ea, salvabitur; merito a Correctoribus est sublatum.

CAP. X. vers. 4. Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos: idem autem ipse sequitur aves volantes. Multi etiam Latini libri omittunt hunc versum: a quibus autem legitur, non est scribendum spargit, quod est dispergit, sed pascit, nec id est, sed idem autem ipse.

V. 8. Sapiens corde præcepta suscipit. Non mutes præsens suscipit in futurum suscipiet.

V. 10. Et stultus labiis verberabitur; Quod sequitur in quibusdam exemplaribus qui palam arguit, pacificat, superfluum est, quippe ex Græca Latinæ editioni assumptum.

V. 26. Sic piger his qui miserunt eum. Non addas in via.

CAP. XI. vers. 10. In bonis justorum exultabit civitas. Pro neutro exultabit deducto a salto, male quidam scribunt passivum exaltabitur, deductum ab altus.

Vers. 13. Qui autem fidelis est animi, celat amici commissum. Latinorum librorum, quidam legunt animi, quidam amici, quidam jungunt utrumque: quod postremum Romani Patres consulto secuti sunt.

CAP. XII. v. 2. Qui bonus est, hauriet gratiam a Domino. Verbo hauriet non addas pronomen sibi.

V. 8. Doctrina sua noscetur vir. Futurum noscetur præferendum est præsenti noscitur.

V. 11. Qui suavis est in vini demorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam. Hanc sententiam Correctores judicarunt esse non omittendam, sed ita emendandam, ut nos annotaverimus in Notationibus nostris, in vini pro vivis in demorationibus pro moderationibus; munitionibus pro monitionibus.

V. 12. Desiderium impii munimentum est pessimorum. Cave legas monimentum vel monumentum a monendo deductum, pro munimentum a muniendo, quomodo Romani Patres docte correxerunt.

V. 13. Effugiet autem justus de angustia. Non commutes futurum effugiet cum præsenti effugit.

V. 17. Qui quod novit loquitur, index justitiæ est. Cave ne recidas in inclytum vitium eorum, qui scripserant judex pro index, vocale inquam u, pro consonante n.

CAP. XIV. v. 16. Stultus transilit & confidit. Non mutes transilit, compositum ex salio, cum transit, transivit, aut transibit, compositis ex eo.

Vers. 17. Et vir versutus, odiosus est. Vitiose quidam legunt verbosus pro versutus.

Vers. 20. Etiam proximo suo pauper odiosus erit. Non est mutandum futurum erit in præsens est.

V. 23. In omni opere erit abundantia. Non addas adjectivum bono ad substantivum opere.

V. 27. Ti-

V. 27. Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis. *Pro singulari declinet, quod est in plerisque libris, Correctores scripserunt plurale* declinent. *s. homines.*

V. 33. Et indoctos quosque erudiet. *Nomen* quosque *non est mutandum in conjunctionem* quoque.

CAP. XV. v. 10. Doctrina mala deserenti viam vitæ. *Dativus singularis* deserenti, *non est mutandus in genitivum pluralem* deserentium.

V. 17. Melius est vocari ad olera cum charitate. *Neque hic facile mutandus est infinitivus passivus* vocari *in activum* vocare.

V. 19. Iter pigrorum quasi sepes spinarum. *Non est scribendum* impiorum, *quod est, iniquorum, loco* pigrorum, *quod est desidiosorum.*

V. 28. Mens justi meditatur obedientiam. *Retinendum est præsens* meditatur, *non substituendum futurum* meditabitur: *ut & vox* obedientiam *servanda est, minimeque mutanda cum* sapientiam, *aut* justitiam.

CAP. XVI. v. 2. Omnes viæ hominis patent oculis ejus. *Non scribas plurale* hominum *pro singulari* hominis.

V. 11. Et opera ejus omnes lapides sacculi. *Egregie hic restitutus est locus, reposita voce* sacculi, *quæ est diminutivum a* saccus, *loco* sæculi.

V. 13. Qui recta loquitur, diligetur. *Et hæc egregia emendatio est, qua* diligetur *scribis, quod est, amabitur pro* dirigetur, *quod est, gubernabitur.*

V. 21. Et qui dulcis eloquio, majora percipiet. *Alii pro* percipiet *legunt* reperiet, *minus recte.*

V. 24. Dulcedo animæ, sanitas ossium. *Non præponas* & *conjunctionem voci* dulcedo, *nec verbum* est *voci* sanitas.

V. 27. Vir impius fodit malum. *Pro* impius *non scribas* insipiens.

V. 30. Mordens labia sua perficit malum. *Præsens* perficit *non est mutandum in futurum* perficiet.

CAP. XVII. v. 12. Quam fatuo confidenti in stultitia sua. *Non addas pronomen* sibi *participio* confidenti.

V. 16. Et qui evitat discere, incidet in mala. *Pro verbo* discere, *cave substituas, aut nomen* ducem, *aut verbum* discedere.

V. 19. Et qui exaltat ostium, quærit ruinam. *Spurium est, quod multi libri, pro una voce* ostium, *quæ januam significat, legunt duas* os suum.

CAP. XVIII. v. 5. Accipere personam impii non est bonum. *Non subdas* in judicio, *post vocem* impii.

V. 10. Ad ipsum currit justus. *Correctores prætulerunt masculinum* ipsum *feminino* ipsam.

V. 21. Mors & vita in manu linguæ. *Non scribas plurale* manibus *pro singulari.*

V. 22. Qui autem tenet adulteram stultus est & impius. *Legendum est potius* impius, *quod est* iniquus, *quam* insipiens, *quod idem est cum eo quod præcedit* stultus.

V. 23. Cum obsecrationibus loquetur pauper. *Præferendum est futurum* loquetur *præsenti* loquitur.

V. 24. Vir amabilis ad societatem. *Non augeas vocem* amabilis *una syllaba, ita ut fit* amicabilis.

CAP. XIX. v. 19. Qui impatiens est, sustinebit damnum. *Non est addenda conjunctio* enim.

V. 21. Voluntas autem Domini permanebit. *Nec hic addendum est* in æternum.

V. 22. Et melior est pauper quam vir mendax. *Denique neque hic addenda est vox* justus *post vocem* pauper.

V. 23. Absque visitatione pessima. *Præferendus est casus sextus generis feminini* pessima, *secundo casui generis, sive masculini, sive neutri* pessimi.

V. 26. Qui affligit patrem & fugat matrem, ignominiosus est & infelix. *Recte Romani Patres,* fugit *tertiæ conjugationis, quod a plerisque legitur, correxerunt consulto* fugat *primæ conjugationis, quod est in fugam vertit.*

CAP. XX. v. 15. Et vas pretiosum labia scientiæ. *Quidam pro* & vas *scribunt* vas autem.

V. 22. Ne dicas: Reddam malum. *Non subjicias quod quidam,* pro malo, *sed subaudias.*

V. 25. Ruina est homini devorare sanctos. *Nequaquam legendum est, aut* devocare, *aut* denotare, *aut* devotare, *vel* devovere, *sed* devorare, *quod est, deglutire, seu absorbere, quod in Notationibus nostris ostendimus. Postremo masculinum* sanctos *dedit Interpres noster, non neutrum* sancta.

Sequitur. Et post vota retractare. *Alii pro composito* retractare *legunt simplex* tractare.

CAP. XXI. v. 18. Pro justo datur impius. *Quidam libri, pro præsenti* datur, *habent futurum* dabitur.

V. 22. Et destruxit robur fiduciæ ejus. *Non facile scribas* detraxitque, *pro* destruxitque, *vel &* destruxit.

V. 27. Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere. *Non mutes conjunctionem* quia *in relativum* quæ.

CAP. XXII. v. 1. Super argentum & aurum gratia bona. *Non addas conjunctionem caussalem* enim.

V. 3. Callidus vidit malum & abscondit se. *Servandum est præteritum* vidit, *non commutandum cum præsenti* videt.

V. 5. Arma & gladii in via perversi. *Non scribas* superbi *pro* perversi.

V. 17. Inclina aurem tuam. *Superfluum est quod quidam præponunt* fili mi.

CAP. XXIII. v. 16. Cum locuta fuerint rectum labia tua. *Singulare* rectum *non est mutandum cum plurali* recta.

V. 29. Cui suffosio oculorum? *Germanam hanc esse lectionem, ut legatur* suffusio, *nomen derivatum a verbo* suffundo, *non* suffosio *a* suffodio, *aut* confusio *a* confundo, *multoque minus* confessio, *a* confiteor, *jam olim docuimus.*

V. 33. Oculi tui videbunt extraneas. *Præferendum est femininum genus* extraneas, *neutro* extranea: *nam masculinum* extraneos, *spurium est prorsus.*

CAP. XXIV. v. 10. Si desperaveris lassus in die angustiæ, imminuetur fortitudo tua. *Insignis correctio, qua restitutum est* lassus, *quod est, fatigatus, pro* lapsus *labi, cadere.*

V. 16. Septies enim cadet justus & resurget. *Non addas* in die.

V. 27. Ut postea ædifices domum tuam. *Non mutes* ut *accusativum cum & copulativo.*

V. 32. Et exemplo didici disciplinam. Parum inquam dormies. *Quod interponunt alii:* Usquequo piger dormies, usquequo de somno consurges? *redundat.*

V. 34. Et veniet tibi quasi cursor egestas. *Non temere addendum est pronomen* tua.

CAP. XXV. v. 20. Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo. *Nec hic temere interjicienda est conjunctio* &, *ut minime mutandus dativus* cordi *in ablativum.*

Sequitur; Sicut tinea vestimento, & vermis ligno; ita tristitia viri nocet cordi. *Versiculum hunc non facile esse omittendum, tametsi a multis omittitur, docent nostræ Notationes.*

CAP. XXVI. v. 2. Sicut avis ad alia transvolans. *Non præponas conjunctionem* nam: *nec mutes vocem* alia *trissyllabam, cum dissyllaba* alta, *quæ excelsa significat: nam* ad alia, *idem est quod* quolibet, *quod mox sequitur;* Et passer quolibet volans.

V. 15. Abscondit piger manum sub ascella sua, & laborat si ad os suum eam converterit. *Retinendus est numerus singularis* manum, eam.

V. 20. Et susurrone subtracto, jurgia conquiescent. *Præferendum est futurum præsenti* conquiescunt.

V. 26. Revelabitur malitia ejus in concilio. *Vox* concilio, *accepta pro* cœtu, *per c potius scribitur, quam per s.*

CAP. XXVII. v. 4. Et impetum concitati ferre quis poterit? *Superfluum, quod quidam codices addunt,* substantivum spiritus, *participio* concitati.

V. 11. Ut possis exprobranti respondere sermonem. *Alii libri, pro secunda persona* possis, *scribunt primam* possim: *hæc Hebræo consonat, illa Græco.*

V. 15. Tecta perstillantia. *Cave* perstillantia, *quod est* perfluentia, *mutes in* pestilentia, *id est, pestem adferentia.*

V. 16. Et oleum dexteræ suæ vocabit. *Pro futuro indicativi* vocabit, *quidam libri scribunt conjunctivum* vocet, *aut* evocet: *sed nullo modo ferendum est quod est in nonnullis,* evacuet, *id est: exhauriet.*

V. 24. Sed corona tribuetur in generationem & generationem. *Non addas pronomen* tibi *verbo* tribuetur, *nec mutes priorem accusativum in ablativum* generatione.

V. 26. Agni ad vestimentum tuum, & hædi ad agri pretium. *Ut priori membro non est addendum verbum* sunt, *ita posteriori non est auferenda præpositio* ad.

CAP. XXVIII. v. 8. Qui coacervat divitias usuris & fœnore, liberali in pauperes congregat eas. *Cave, ne transposito commate, conjungas adjectivum* liberali, *cum eo quod præcedit substantivo* fœnore.

V. 10. Et simplices possidebunt bona ejus. *Non temere omittendum est pronomen* ejus.

V. 26. Qui autem graditur sapienter, ipse salvabitur. *Male alii, pro* salvabitur, *quod est, fiet salvus, scribunt* laudabitur, *laudibus celebrabitur.*

CAP. XXIX. v. 5. Rete expandit gressibus ejus. *Præferendum est* ejus, *ei quod alii libri habent reciproco* suis.

V. 15. Virga atque correptio tribuit sapientiam. *Præfertur vox* correptio *derivata a* corripio, *voci* correctio *a* corrigo.

V. 20. Stultitia magis speranda est, quam illius correptio. *Idem hoc loco observatur.*

CAP. XXX. v. 3. Non didici sapientiam, & non novi scientiam sanctorum. *Quidam libri posterius membrum legunt absque negatione, sicut Hebræa & Græco: Correctores maluerunt negationem ex aliis libris regerere.*

V. 19. Viam colubri super petram. *Servanda est vox* petram, *quæ rupem: non substituenda* terram, *quæ humum significat.*

Ibidem. Et viam viri in adolescentia. *Non facile pro* adolescentia, *quod juventutem, scribas* adolescentula, *quod juvenculam declarat.*

V. 31. Nec est rex qui resistat ei. *Cave omittas aliquod trium primorum verborum* nec est rex: *aut* rex *quod est* ἀνθίστατε, *corrigas* res, *id est* πράγματα: *aut denique pronomen singulare* ei *scribas pluraliter* eis: *hæc enim sunt codicum quorumdam vitia. Lege, si placet, nostras in varias Bibliorum lectiones Notationes.*

V. 32. Est qui stultus apparuit, postquam elevatus est in sublime. *Egregie emendatus est locus, restituto verbo substantivo* est, *pro ea quæ in plerisque est libris conjunctione copulativa* &. *Porro sive legas* apparuit, *sive* apparuerit, *sive* elevatus, *sive* elatus, *nihil refert.*

CAP. XXXI. vers. 9. Et judica inopem & pauperem. *Non mutes* judica *in* vindica, *quamquam hoc illius expositio sit.*

ECCLESIASTES.

CAP. II. *vers.* 1. Dixi ego in corde meo. *Non mutes pronomen ego in conjunctionem ergo.*

CAP. VII. *v.* 22. Ne forte audias servum tuum maledicentem tibi. *Non omittas pronomen possessivum tuum.*

CAP. VIII. *v.* 16. Et intelligerem distentionem. *Cave ne scribas dissensionem, quod est, discordiam, a dissentio, pro distentionem, quod est, occupationem, a distendo.*

CAP. X. *v.* 1. Pretiosior est sapientia & gloria, parva, & ad tempus stultitia. *Hic locus, quia obscurus, multis modis fuit adulteratus, quod docent nostræ notationes. Quidam addiderunt autem post pretiosior est: quidam vocem gloria postposuerunt voci parva: quidam substantivo gloria adjunxerunt adjectivum parva, quod est substantivo stultitia: quidam omiserunt & medium inter parva & ad tempus (quod tamen non vitiat sensum, cum non sit nisi exegeticum, positum loco id est) denique quidam scripserunt secundum casum stultitiæ pro primo stultitia.*

V. 19. In risum faciunt panem, & vinum, ut epulentur viventes. *Vulgo legitur bibentes, quod est potantes: correctio est viventes, quod est, vivi, sive mortales.*

CAP. XI. *v.* 2. Da partem septem, necnon & octo. *Non est mutandum singulare partem in plurale partes.*

V. 8. Vanitatis arguentur præterita. *Ita potius scribendum est, quam vanitates arguentur.*

CAP. XII. *v.* 2. Antequam tenebrescat sol, & lumen, & luna, & stella. *Alii scribunt plurale tenebrescant: sed singulare genuinum est.*

V. 14. Pro omni errato. *Quidam antiqui libri legunt erratu: sed spurium est, quod nonnulli, transpositis primis litteris, scribunt reatu. Porro absconditio, quod habent alii, altera interpretatio est.*

CANTICUM CANTICORUM.

Germanus libri titulus est canticum *numero singulari, non plurali* cantica.

CAP. I. *v.* 1. Osculetur me osculo oris sui. *Non scribas osculis pro osculo.*

V. 3. In odorem unguentorum tuorum. *Non sunt omittenda hæc verba, licet Hebraice non extent.*

V. 5. Posuerunt me custodem in vineis. *Non est auferenda præpositio in.*

V. 7. Et abi post vestigia gregum. *Non subjicias pronomen tuorum.*

CAP. II. *v.* 4. Introduxit me in cellam vinariam. *Non addas rex.*

V. 10. En dilectus meus loquitur mihi. *Alii, pro adverbio demonstrandi en, scribunt conjunctionem copulativam &.*

Sequitur: Surge, propera, amica mea, columba mea. *Non facile omittas columba mea, tametsi absit ab Hebræo.*

V. 13. Surge, amica mea, speciosa mea, & veni. *Non est hoc loco addendum verbum propera, multoque minus prospera, verbo surge. Rursus speciosa, quod est pulcra, non est corrigendum sponsa. Postremo non est columba mea, e proximo versu transferendum in hunc, ante & veni.*

V. 17. Similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum, super montes Bether. *Quia obscurum est nomen Bether, quod significat concavitatem, seu divisionem, notissimum autem e contra est nomen Bethel, quod domum Dei significat: hinc factum est, ut notarii plerique, pro Bether (quæ est Romanorum Patrum docta correctio) scripserint Bethel, id est, l pro r, primam liquidarum pro ultima.*

CAP. V. *v.* 6. Anima mea liquefacta est ut locutus est. *Non addas dilectus.*

CAP. VI. *v.* 10. Descendi in hortum nucum. *Cave supponas pronomen meum pro nomine nucum, quod quidam.*

Sequitur: Ut viderem poma convallium. *Alii libri scribunt numero singulari convallis.*

V. 12. Revertere, revertere Sulamitis. *Idem accidit hoc loco, quod supra 2. v. 17. Sulamitis, quod est nomen femininum, deductum a masculino Salomon, quia alibi non legitur, corruptum fuit, supposito nomine Sunamitis, celeberrimo in tertio & quarto libris Regum, utpote una sola littera differente. Legenda itaque hic est littera l, id est, prima liquidarum, prout habet Romana correctio, non n tertia.*

CAP. VII. *v.* 1. Quid videbis in Sulamite? *Eadem est hujus loci ratio, quæ præcedentis.*

Ibidem. Juncturæ femorum tuorum. *Alii scribunt femininum.*

V. 5. Sicut purpura regis vincta canalibus. *Pro vincta, quod est participium a vincio, non scribas juncta a jungo, multoque minus tincta a tingo.*

V. 8. Et odor oris tui sicut malorum. *Non repetas vocem odor ante malorum.*

CAP. VIII. *v.* 2. Et ducam in domum matris meæ. *Non subjicias, ut multi,* & in cubiculum genitricis meæ, *quod est capitis 3. v. 4.*

V. 5. Quæ est ista quæ ascendit de deserto. *Cave mutes de cum in.*

V. 7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. *Alii, pro præterito potuerunt, scribunt futurum poterunt.*

V. 12. Mille tui pacifici. *Non est æquum genitivum pacifici, commutare cum vocativo pacifice, præsertim cum non suppetant exemplaria.*

SAPIENTIA.

CAP. I. *v.* 6. Et non liberabit maledicum a labiis suis. *Male habetur, pro maledicum, quod significat proclivem ad maledicendum, scriptum fuit in plerisque libris, addita una littera, maledictum, quod est, execratum.*

V. 15. Justitia enim perpetua est & immortalis. *Superfluit quod sequitur in plerisque libris:* Injustitia autem mortis est acquisitio.

V. 16. Impii autem manibus & verbis accersierunt illam. *Notum est, quod quidam libri habent,* pedibus, *pro verbis, quod est, sermonibus.*

Ibidem. Quoniam digni sunt qui sint ex parte illius. *Cave ne vel addas vocem morte (morte digni sunt) vel mutes conjunctivum sint cum indicativo sunt.*

CAP. II. *v.* 2. Quoniam fumus flatus est in naribus nostris. *Nequaquam interjicienda est conjunctio &, inter nomen fumus & nomen flatus, seu, quod alias legitur, & idem unum est, afflatus.*

Ibidem. Et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum. *Probus est casus primus scintilla, reprobus secundus, qui est in aliis libris, scintillæ.*

V. 3. Quia extincta cinis erit corpus nostrum. *Misere depravatus erat hic locus, cum legeretur quia extinctus aut extinctum, pro ablativo absoluto positus, qua extincta, sc. scintilla.*

V. 9. Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ. *Non mutes pronomen primæ personæ nostrum, in secundæ vestrum.*

Ibidem. Quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors. *Non rejicias pronomen nostra ad nomen sors.*

V. 10. Et non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis. *Quidam pro secundo casu legunt tertium veterano, & repetunt negationem nec ante revereamur; sed male.*

V. 11. Sit autem fortitudo nostra lex justitiæ. *Temeritas scribarum multis modis hic grassata, pro justitiæ, id est, τῷ δικαιοσύνης, fere scripsit contrarium, injustitiæ, iniquitatis.*

CAP. III. *v.* 2. Et æstimata est afflictio exitus illorum. *Sequitur v. 3.* Et quod a nobis est iter, exterminium, *sc. æstimatum est, id est: Illorum ex hominis discessus habitus est pro exterminio, seu exitio. Hos alii libri multis modis corrumpunt, dum non solum pro nominativo exterminium legunt genitivum exterminii, verum etiam duas ejusdem hujus loci corruptiones copulantes scribunt.* Et ab itinere justo abierunt in exterminium, & quod a nobis est iter exterminii.

V. 15. Et quæ non concidat radix sapientiæ. *Præferendus est conjunctivus concidat indicativo concidit.*

V. 16. Filii autem adulterorum in inconsummatione erunt. *Ubi voces inconsummatione, compositæ ex præpositione in & nomine* consummatione, *præponenda est præpositio in, ita ut sit in inconsummatione: pro quo quidam codices, eodem sensu, legunt participium inconsummati. Nam vitanda est lectio, quæ contenta unico in, offert voces duas in consummatione.*

V. 19. Nationis enim iniquæ, diræ sunt consummationes. *Ut genitivum nationis non est mutandus in nominativum nationes: ita nec nominativus consummationes in genitivum consummationis.*

CAP. IV. *v.* 3. Et spuria vitulamina non dabunt radices altas. *Pro* spuria vitulamina, *quod alii libri legunt adulterinæ plantationes, altera interpretatio est, caput clarior, teste D. Augustino, lib. 2. de doctr. Christ. cap. 12.*

V. 6. Ex iniquis enim somnis, filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes. *Ut plurima hujus libri loca Romani Patres felicissime restituerunt, quod videre licet, ita inter cætera hunc, ubi pro omnes nota universitatis, qui error plerosque omnes codices invasit, reposuerunt, quod rectum est, & Græco consentaneum, somnis, id est, ὕπνων, positum pro concubitu, quemadmodum infra 7. v. 2. idem Sapiens, ex delectamento somni conceptum se dicit.*

V. 12. Et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia. *Non facile mutes vocem inconstantia, quæ significat instabilitatem, in eam, quæ, dempta una syllaba, sollicitudinem declarat, instantia.*

V. 15. Quoniam gratia Dei & misericordia est in sanctos ejus. *Alii libri subaudiunt verbum substantivum est.*

V. 18. Videbunt & contemnent eum. *Non est hic repetenda conjunctio enim.*

CAP. V. *v.* 9. Et tamquam nuncius percurrens. *Legendum est percurrens, quod est transcurrens, non præcurrens; quod est, ante currens.*

V. 11. Aut tamquam avis. *Non omittas adverbium tamquam.*

Ibidem. Argumentum itineris. *Non subjicias pronomen illius; quod alii codices.*

V. 17. Et brachio sancto suo defendet illos. *Non præponas præpositionem in nomini brachio; ut nec conjunctionem et quod sequitur:* Accipiet armaturam zelus illius.

V. 21. Acuet autem duram iram in lanceam. *Etiam nostra antiqua manuscripta legunt duram, quod est rigidam, pro eo quod alii libri diram, quod est, crudelem, id est, scribunt u vocalem quintam pro i tertia.*

V. 22. Et tamquam a bene curvato arcu. *Duæ dictiunculæ sunt, a præpositio, & adverbium bene, non unum nomen habene.*

V. 23. Et a petrosa ira plene mittentur grandines. *Scribenda est diphthonga*

syllaba

syllaba ultima, ita ut sit nomen plenæ, non adverbium plene.

V. 24. Et ad eremum perducent omnem terram iniquitas illorum. *Nominativus iniquitas, non est commutandus cum genitivo iniquitatis.*

CAP. VI. v. 6. Quoniam judicium durissimum his qui præsunt fiet. *Non est præponenda præpositio in pronomini his.*

V. 8. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus. *Pro Deus, multi boni codices legunt Dominus: porro qui est omnium dominator, quod subjiciunt non pauci libri optimi quique omittunt. Legantur Notationes nostræ.*

V. 11. Qui enim custodierint justa juste, justificabuntur. *Quadruplex fuit hoc loco multorum codicum error; unus, quod pro adjectivo neutro justa, scriberent substantivum femininum justitiam (quamquam hic minutus) Alter, quod nomini justa, sive justitiam, superflue adjungerent pronomen ejus; Tertius, quod præposito commate seu inciso, adverbium juste jungerent verbo sequenti, non, ut oportet, præcedenti. Postremus, quod justificabuntur, verbum compositum ex justus & facio, commutarent cum verbo simplici judicabuntur.*

Sequitur: Et qui didicerint ista, invenient quid respondeant. *Cave ne pronomen ista corrigas supposito nomine justa.*

V. 17. Et in viis ostendit se illis hilariter, & in omni providentia occurrit illis. *Nomini viis non est addendum pronomen suis: nec præsentia ostendit, occurrit, mutanda sunt in futura, ostendet, occurret.*

V. 22. Si ergo delectamini sedibus. *Ut nomini sedibus non est præponenda præpositio in; ita non est postponendum nomina perpetuis.*

CAP. VII. v. 1. Et ex genere terreni illius qui prior factus est. *Servandus est genitivus terreni, non substituendus ablativus terreno.*

V. 15. Et operum scientia & disciplina. *Male multi libri, sublato posteriori &, scribunt casum secundum disciplinæ, pro primo.*

V. 17. Ut sciam dispositionem orbis terrarum. *Non mutes singulare in plurale dispositiones.*

V. 18. Vicissitudinum permutationes & commutationes temporum. *Legendum est potius commutationes temporum, quod est varietates, quam consummationes, quod est, fines. Porro quod subjiciunt plerique libri, morum mutationes & divisiones temporum, spurium esse, & ex altera versione nostræ adjectum, multis aliis præterea mendis admistis, docuimus in Notationibus.*

V. 23. Quem nihil vetat, benefaciens. *Alii libri ita scribunt, ut unica hic proprietas sancti Spiritus declaretur, mutato quarto casu relativi quem in primum qui, & participio benefaciens in infinitum benefacere. Qui nihil vetat benefacere. Sed Romana correctio, quæ duas proprietates dat intelligendas, unam quem nihil vetat, quod est, expeditum; qui prohibeat non habet; alteram benefacientem, quod est, beneficum, præferenda est loci scripturæ.*

CAP. VIII. v. 2. Hanc amavi & exquisivi a juventute mea. *Non addas pronomen eam verbo exquisivi.*

V. 12. Tacentem me sustinebunt. *Non mutes accusativum tacentem in ablativum.*

V. 17. Quoniam immortalitas est in cognatione sapientiæ. *Triplex mendum ex his verbis a Romanis Correctoribus est sublatum; Unum quod adjectivum immortalis, quod est in plerisque libris, commutaverint cum substantivo immortalitas; Alterum quod pro cogitatione, quod est meditatione, scripserint cognatione, id est, affinitate; Tertium quod rejecto nominativo sapientia, receperint genitivum sapientiæ.*

V. 21. Et hoc ipsum erat sapientiæ, scire. *Secundus casus sapientiæ, non est mutandus in primum sapientia, multoque minus addendum est adjectivum summæ.*

CAP. IX. v. 6. Nam & si quis erit consummatus. *Non est omittenda conjunctio &.*

V. 18. Et sic correctæ sint semitæ eorum. *Retinendum est adverbium similitudinis sic, non mutandum in conjunctionem conditionalem si.*

CAP. X. v. 1. Hæc illum qui primus formatus est a Deo patre orbis terrarum. *Pro formatus, quidam codices habent factus, quidam fictus: sed adulterinum est prorsus quod in nonnullis est, formaverat. Rursus nominativum pater, quidam libri vertunt in ablativum patre, quasi ad Deum referatur, sed male.*

V. 2. Et eduxit illum a delicto suo. *Quod subjiciunt multi libri & eduxit illum de limo terræ, spurium est, & omnino jugulandum: lege Notationes nostras.*

V. 3. Ab hac ut recessit injustus in ira sua. *Ab, non ad, hac femininum, non hoc. ut vel cum, non negatio, non, recessit, quod est, defecit, non processit, quod est antecessit, legendum est; sunt enim hæ librorum quorumdam corruptelæ.*

Sequitur: Per iram homicidii fraterni deperiit. *Insignis correptio qua fraterni genitivus adjectivi nominis, restitutus est, pro substantivo, sive nominativo fraternitas, sive genitivo fraternitatis, qui plerosque omnes codices invaserant.*

V. 4. Propter quem cum aqua deleret terram. *Non mutes masculinum quem in neutrum quod: nec pro nominativo aqua scribas accusativum, quomodo quidam: Cum aquam deleret de terra.*

Ibidem. Per contemptibile lignum justum gubernans. *Quidam codex, omissa præpositione, & mutato quarto casu in primum scribit: Et contemptibile lignum justos gubernans, sed prave.*

V. 5. Hæc & in consensu nequitiæ, cum se nationes contulissent. *Servandæ sunt voces, nequitiæ, quod est malitiæ; & contulissent, quod est congregassent: non substituendæ, superbiæ, quod est, arrogantiæ, & exultassent, seu elevassent.*

Ibidem. Et in filii misericordia fortem custodivit. *Duplex scripturæ vitium, utrumque insolitum, hinc abstulerunt Correctores. Ablativum plurale filiis, suppositum in locum genitivi singularis filii, & accusativum misericordiam, surrogatum pro ablativo misericordia.*

V. 6. Hæc justum a pereuntibus impiis liberavit. *Cave scribas nomen parentibus, pro participio pereuntibus, aut filiis pro impiis.*

V. 7. Fumigabunda constat deserta terra. *Non omittas vocem deserta.*

Sequitur: Et incerto tempore fructus habentes arbores. *Vox una est incerto, non distrahenda in duas in certo.*

Ibidem. Et incredibilis animæ memoria stans figmentum salis. *Non est scribendum incredibiles primo casu numeri pluralis, sed incredibilis secundo numeri singularis: nec est omittenda vox animæ: denique numerus singularis figmentum, non est vertendus in pluralem figmenta: sunt enim hæc codicum quorumdam vitia.*

V. 10. Hæc profugum iræ fratris. *Non addas conjunctionem aut in.*

V. 12. Et fuit illis in velamento diei. *Pro secundo casu diei, non legas sextum die, sed intellige.*

V. 18. Transtulit illos per mare rubrum. *Non præponas & conjunctionem.*

CAP. XI. v. 2. Et in locis desertis fixerunt casas. *Cave ne legas, aut fecerunt præteritum a facio, pro fixerunt a figo: aut castra, quod est exercitum, pro casas, tabernacula.*

V. 5. Et in eis cum abundarent. *Correctores e suis libris addiderunt tres istas voculas & in eis.*

V. 15. Non similiter justis sitientes. *Cave ne relabare in vetera vitia, eorum qui scripserant, aut injustis, quod est impiis, pro justis, piis: aut faciens, participium numeri singularis a facio, pro sitientes participio numeri pluralis a sitio, quod est, sitim patior.*

V. 16. Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum, quod quidam errantes &c. *Recte ab his verbis Correctores inchoarunt periodum ac sententiam novam: & substituerunt genitivum singularem iniquitatis, pro nominativo plurali iniquitates, qui plerosque libros injuste occupaverat.*

V. 16. Mutos serpentes. *Cave legas multos, pro mutos, quod est, irrationales.*

V. 19. Aut novi generis ira plenas ignotas bestias. *Plerique libri præponunt conjunctionem aut, vel & nomini ignotas, sed absque conjunctione, sunt etiam Græca.*

CAP. XII. v. 2. Ideoque eos qui exerrant, partibus corripis. *Merito ita distinxerunt Romani Patres, ut partibus jungatur verbo subsequenti, non præcedenti. Nam & nostra scriptura est, quæ ut clarius jungat præcedenti, vel transponit præpositionem, hoc modo, exerrant ex partibus, vel addit pronomen tuis, aut suis.*

V. 5. Et devoratores sanguinis a medio sacramento tuo. *Verba illa a medio sacramento tuo, hoc loco retinenda sunt, non transferenda in versum sextum proxime sequentem post perdere voluisti, quod faciunt multi.*

V. 20. Cum tanta cruciasti attentione. *Quod sequitur in plerisque omnibus libris & liberasti, Correctores supervacuum judicarunt.*

V. 26. Qui autem ludibriis & increpationibus non sunt correcti. *Non mutes correcti a corrigo, cum correpti a corripio.*

V. 27. In quibus enim patientes indignabantur. *Hæc verbis præponunt plerique libri alia idem significantia: In his enim quæ patiebantur, moleste ferebant: quæ quidem, ut aliorum versionem, Romani Correctores consulto sustulerunt.*

Ibidem. Propter quod & finis condemnationis eorum venit super illos. *Non est mutandum præteritum venit cum futuro veniet.*

CAP. XIII. v. 11. Vas utile in conversationem vitæ. *Cave errorem plerorumque codicum, pro utile, quod est aptum, idoneum, scribentium contrarium, inutile, ineptum.*

V. 12. Reliquiis autem ejus operis. *Non mutes sextum casum reliquiis cum quarto reliquias.*

V. 13. Et reliquum horum quod ad nullos usus facit. *Verbum indicativum facit, nullo modo vertendum est in subjunctivum faciat, addito verbo substantivo est, quod utique superfluit: Quod ad nullos est usus faciat.*

Sequitur: Lignum curvum & verticibus plenum. *Sive verticibus vocalis quarta, sive secunda verrucibus legas, significatur lignum verticosum, sive nodosum.*

V. 14. Et omnem maculam quæ in illo est perliniens. *Non subjicias terra, quod quidam libri.*

V. 17. Cum illo qui sine anima est. *Non commutes genus masculinum cum neutro, nec hac parte, nec sequentibus omnibus usque ad finem capitis.*

CAP. XIV. v. 3. Tua autem pater providentia gubernat. *Spurium est quod addunt libri quidam ab initio cuncta: adeoque obest sensui, neque enim hoc subaudire oportet. Porro gubernat persona tertia, non est cum gubernas mutanda, persona secunda.*

V. 4. Ostendens quoniam potens es ex

omnibus salvare. *Retinendum est salvare, quod est servare, non supponendum sanare.*

Sequitur: Etiamsi sine arte aliquis adeat mare. *Legendum est arte, qua humana significatur industria; non, transpositis primis duabus litteris, rate, quod est, navi.*

V. 11. Propter hoc & in idolis nationum non erit respectus. *Non est omittenda præpositio in.*

V. 14. Supervacuitas enim hominum advenit in orbem terrarum. *Quidam libri, verbo advenit præponunt pronomen hæc, sed male prorsus illi, qui corrigunt adinvenit, quod est reperit, pro trissyllabo advenit, quod transitive acceptum, tamquam sit quintæ conjugationis Hebræorum, positum est pro adduxit, advexit.*

V. 30. Utraque ergo illis evenient digne. *Non scribas quoque pro ergo.*

V 31. Non enim juratorum virtus. *Egregia loci emendatio, qua & omissum est verbum substantivum est, & pro jurantium participio activo, positum est juratorum, participium passivum, quod est, eorum per quos juratur.*

Ibidem. Perambulat semper injustorum prævaricationem. *Cave ne adverbium semper mutes in præpositionem super, vel unum vocabulum injustorum distrahas in duo.*

CAP. XV. *v.* 6. Malorum amatores, digni sunt qui spem habeant in talibus. *Cavendum hic est triplex vitium, unum, ne post digni sunt, addatur morte, alterum ne scribatur habent modo indicativo, pro habeant conjunctivo, tertium ne talibus, quod est hujusmodi, transpositis litteris mutetur in tabulis, imaginibus.*

V. 8. Et post pusillum reducit se unde acceptus est. *Præferendum est reducit se, quod est, revertitur, eis quæ in aliis libris leguntur, se ducit, & ducit se.*

V. 12. Sed & æstimaverunt lusum esse vitam nostram. *Alii libri scribunt ludum; id est, d pro s, quod fere æquivalet: sed lutum, id est, cœnum, quod est in nonnullis, spurium omnino est.*

V. 14. Supra modum animæ superbi. *Non addas nomini animæ pronomen suæ.*

Ibidem. Et imperantes illi. *Legendum est imperantes, quod est, dominantes, non improperantes, quod est, exprobrantes.*

V. 15. Quibus neque oculorum usus est ad videndum. *Cavendum hic est ne recidatur in vitium vitium, eorum qui scripserunt, addita vocali tertia; visus a video, pro usus ab utor.*

V. 18. Sed & animalia miserrima colunt. *Male quidam hic legunt alia pro animalia, bruta nimirum, & miserrimi genere masculino, pro neutro miserrima.*

V. 19. Sed nec ad spectum aliquis. *Non est mutandum masculinum aliquis cum neutro sive aliquod, sive aliquid.*

CAP. XVI. *v.* 1. Propter hæc & per his similia passi sunt digne tormenta. *Quidam libri, pro plurali hæc, scribunt singulare hoc, & omittunt conjunctionem & subsequentem, conformiter Græco: quidam omittunt præpositionem per male.*

V. 11. In memoria enim sermonum tuorum examinabantur, & velociter salvabantur. *Duæ dictiones in memoria, non sunt contrahendæ in unam immemoria: nec pro sermonum, quod est, verborum, substituendum est servorum sive famulorum: ad hæc examinabantur non est mutandum cum exterminabantur, quod est, delebantur: insuper nec adverbium velociter est omittendum: postremo neque pro salvabantur legendum est sanabantur, sed intelligendum.*

V. 14. Homo autem occidit quidem per malitiam. *Quod subdunt plerique libri animam suam, Correctores non inconsulto judicarunt superfluere.*

V. 16. Et per ignem consumpti. *Pro consumpti, quod est deleti, non scribas consummati, finiti.*

V. 19. Exardescebat undique. *Quidam alii libri legunt exardebat, quidam ardebat.*

Sequitur: Ut iniquæ terræ nationem exterminaret. *Legendum est iniquæ secundo casu, non iniquam quarto: & exterminaret tertia persona, non secunda exterminares.*

V. 21. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat. *Multi codices nominativos substantia tua, mutatos in accusativos substantiam tuam, media conjunctione &, jungunt cum accusativo dulcedinem tuam, & tertiam personam ostendebat vertunt in secundam ostendebas: sed male omnia.*

V. 23. Hic autem iterum ut nutrirentur justi, etiam suæ virtutis oblitus est. *Legendum est pronomen, non neutrum hoc, sed masculinum hic: & subaudiendum nomen ignis, non addendum.*

V. 25. Propter hoc & tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat. *Ut non est omittenda in præpositio præposita nomini omnia: ita non est vertendus numerus singularis deserviebat, in pluralem deserviebant.*

Sequitur: Ad voluntatem eorum qui a te desiderabant. *Servandum est a te, casu sexto, non surrogandum ad te, casu quarto: denique activum desiderabant, quod est, rogabant, poscebant, non est depravandum, reposito passivo desiderati sunt, quod est in plerisque libris.*

V. 28. Et ad ortum lucis te adorare. *Merito Correctores, pro orientem, quod est in plerisque omnibus codicibus, emendarunt ortum: nec aut omittendum judicarunt pronomen te, aut addendum adverbium ibi, aut denique activum adorare mutandum in passivum adorari: quæ sunt quorumdam codicum vitia.*

V. 29. Ingrati enim spes tamquam hybernalis glacies tabescet. *Alii libri, pro spes quæ est ἐλπὶς, habent fides, ἐπί..., male, & Græco dissentanee.*

CAP. XVII. *v.* 2. Fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt. *Cave legas placuerunt, aut latuerunt, pro jacuerunt.*

Vers. 7. Et sapientiæ gloriæ correptio cum contumelia. *Genitivum gloriæ non est commutandus cum nominativo gloria.*

V. 10. Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis. *Pro genitivo condemnationis, quidam codices habent dativum condemnationi, quidam participium condemnata: sed quod in nonnullis legitur data est in omnium condemnationem, adulterinum est. Huic porro sententiæ præponunt multi libri aliam his verbis: Sæpe enim præoccupant pessima, redarguente conscientia. Verum, non multi, sed omnes, postponunt eamdem, aliis licet verbis: Semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia. Quare Romani Patres, priorem illam quæ præponitur Frequenter enim &c. merito e textu sustulerunt ut superfluam.*

V. 11. Nihil enim est timor, nisi proditio cogitationis auxiliorum. *Plerique libri, inter nisi & proditio, interjiciunt hæc duo verba præsumptionis adjutorium: verum illa redundare, confodiendaque esse, censuerunt Romani Patres non inconsulto.*

Vers. 12. Et dum ab intus minor est expectatio. *Non subjicias pronomen ejus.*

Sequitur: Majorem computat inscientiam. *Correctores emendarunt inscientiam, quod est, ignorantiam, quomodo est, Græce, pro eo quod legunt, alii scientiam, alii sententiam, alii conscientiam, alii potentiam, alii audaciam, alii denique pœnam. Porro sive legatur computat compositum, sive simplex putat, res eadem una est.*

Sequitur: Ejus causæ de qua tormentum præstat. *Genitivus causæ non est commutandus cum ablativo.*

V. 14. Illi autem qui impotentem vere noctem. *Multæ reperiuntur notariorum circa hæc verba corruptelæ, sed præcipuæ duæ; una, qua vox una impotentem, distrahitur in duas in potentem, vel in potenti; altera, qua adverbium vere convertitur in verbum venere.*

Sequitur: Et ab infimis & ab altissimis inferis supervenientem. *Nequaquam omittenda est vox inferis, cui dantur epitheta duo, infimis & altissimis: idem significantia, profundissimas inquam.*

Sequitur: Eumdem somnum dormientes. *Quædam manuscripta, pro participio dormientes, scribunt verbum dormiebant: sed non opus erat hac mutatione, cum participio subaudire liceat verbum substantivum erant.*

CAP. XVIII. *vers.* 1. Et horum quidem vocem audiebant. *Non addas inimici.*

Ibidem. Et quia non & ipsi eadem passi erant: *Non præponas præpositionem per voci eadem.*

V. 2. Quia non lædebantur, gratias agebant. *Non subjicias pronomen vel tibi, vel cuique.*

Sequitur: Et ut esset differentia, donum petebant. *Retinendum est donum, quod est munus, non substituendum te Deum, aut Dominum.*

V. 9. Et justitiæ legem in concordia disposuerunt. *Non mutandus ablativus in accusativum concordiam.*

Ibidem. Patrum jam decantantes laudes. *Pro genitivo plurali patrum, substituunt quidam dativum singularem patri, & pro adverbio jam nomen omnium, sed male. Quidam unicam vocem scribunt patrias: sed prima scriptura, patrum jam, ut Græco consentanea, ita germana Interpretis est.*

V. 11. Simili autem pœna servus cum domino afflictus est. *Non mutes ablativum simili in nominativum similis.*

V. 13. De omnibus vero non credentes propter veneficia. *Sic legendum est, veneficia, quod significat incantationes, a veneno deductum; non beneficia, quod dona, sive munera denotat: denique nec addendum est sua.*

Sequitur: Tunc vero primum cum fuit exterminium primogenitorum: *Non est invertendus ordo, ita ut cum ponatur ante primum, quod postponendum est.*

Sequitur: Spoponderunt populum Dei esse. *Merito omiserunt Correctores pronomen se, quod plerique præponunt verbo esse.*

V. 15. Omnipotens sermo tuus de cælo. *Superflua exiliens, quod quidam interjiciunt, ante de cælo.*

V. 17. Et timores supervenerunt insperati. *Nominativus insperati, non est mutandus in dativum insperatis.*

V. 22. Non in virtute corporis, nec armaturæ potentia. *Genitivus armaturæ & ablativus potentia retinendi sunt, non convertendi, ita ut ablativus armatura, genitivus potentiæ sit, prout plerique omnes libri habent.*

V. 24. Et magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat. *Pro sculpta, a sculpo, quod est in plerisque exemplaribus, Correctores reposuerunt verbum scripta, a scribo.*

CAP. XIX. *v.* 2. Quoniam ipsi cum permisissent. *Quidam libri, pro permisissent, scribunt, reversi essent: plures utrumque scribunt, reversi essent & permisissent. Ceterum scribendum esse permisissent, & quidem solum, documus ex Notationibus nostris.*

Sequitur: Ut se educerent. *Servandæ sunt duæ dictiones se educerent, positæ pro exirent, non contrahendæ in unam seducerent.*

Sequitur. Et cum magna sollicitudine

præ-

permisissent illos. Nequaquam est hoc omittendum.

Sequitur: Consequebantur illos pœnitentia acti. Legendum est plurale, consequebantur, non singulare consequeratur; ablativus pœnitentia, non genitivus pœnitentiæ: denique participium plurale acti, non nomen actus; sive pluraliter, sive singulariter accipiatur, hæc enim sunt plerorumque codicum vitia.

V. 8. Quæ tegebatur tua manu. Cave legas tegebitur, quod est gubernabatur, pro tegebatur, quod est, protegebatur.

V. 12. Per vim fulminum. Cavendum est vetus mendum fluminum, quod est fluviorum, pro germana scriptura fulminum, quod est fulgurum.

Vers 14. Sed & alius quidam respectus illorum erat. Correctores scripserunt nomen quidam, pro eo quod vulgo legitur adverbio quidem.

ECCLESIASTICUS.

IN prologo. Et dicentes & scribentes doctissimos fieri. Pro dicentes, quod est loquentes, plerumque legitur discentes, una littera addita; sed male.

Et illorum periti facti. Non mutes participium facti in verbum infinitum fieri.

Deficere in verborum compositione. Correctores sustulerunt conjunctionem &, qua a plerisque libris præponitur his verbis.

Nam deficiunt verba Hebraica. Et hinc sustulerunt & conjunctionem, quæ interponebatur ante verba.

CAP. I. v 8. Unus est altissimus creator omnipotens. Non addas omnium nomini creator.

V. 12. Et longitudinem dierum. Servanda est conjunctio &, non mutanda cum præpositione in.

V. 16. Cum electis feminis graditur. Non præponas his verbis conjunctionem &.

V. 18 Religiositas custodiet & justificabit cor. Quidam libri habent vivificabit, quidam, ut corrupti, justificabit.

V. 25. Et rami illius longævi. Non est mutanda copulativa & in caussalem enim.

CAP. II. v. 17. Et quid facient. Non est mutanda tertia persona in secundam facietis.

CAP. III v. 10. Ut superveniat sibi benedictio ab eo. Romani Correctores, pro eo quod vulgo legitur Deo, reposuerunt pronomen eo, referendum ad patrem tuum.

V. 12. Non enim est tibi gloria, ejus confusio. Et hic, pro conjunctione adversativa sed, reposuerunt pronomen ejus.

V. 16. Nam pro peccato matris, restituetur tibi bonum. Cave commutes peccatu, quod est delicto, cum eo quod contrarium est, bono facto, ut quidam.

Vers 26 Multos quoque supplantavit suspicio illorum. Non scribas enim pro quoque.

V. 28 Cor ingrediens duas vias, non habebit successus. Pro successus quidam legunt requiem.

V. 30. Frutex enim peccati radicabitur in illis. Insignis correctio, qua pro verbo composito eradicabitur, quod est radicitus evelletur, emendatum est scriptumque verbum simplex contrariæ significationis, radicabitur, quod est, radices aget.

V. 34. Et Deus prospector est ejus qui reddit gratiam. Non mutes prospector, quod est retributor, cum conspector, aut protector.

Sequitur: Meminit ejus in posterum. Correctores addiderunt pronomen ejus.

CAP. IV. v. 8. Et responde illi pacifica in mansuetudine. Nomen pacifica non est mutandum in adverbium pacifice.

V 13. Complectentur placorem ejus. Quidam pro placorem, quod est, suavitatem, non intellecto, absurde placatorem scripserunt.

V. 17. Et erunt in confirmatione creaturæ illius. Singulare illius non est vertendum in plurale illorum.

V. 32. Nec coneris contra ictum fluvii. Cave scribas fulminis, quod est fulguris, pro fluvii, sive fluminis.

CAP. V. v. 4. Altissimus enim est patiens redditor. Non interponas & ante redditor.

V. 13 Esto mansuetus ad audiendum verbum. Non subjicias quod multi codices, Dei: superfluit enim.

V. 17. Et denotatio pessima super bilinguem. Cave scribas devoratio aut devoratio, pro denotatio, quod est vituperatio

CAP. VI. vers. 12. Si humiliaverit se contra te. Non mutes contra in coram.

V 19. Quasi is qui arat & seminat. Non repetas qui ante seminat.

V. 31. Et vincula illius alligatura salutaris. Quidam libri interjiciunt fila hyacinthina ante alligatura salutaris: verum alterum solum est nostræ editionis. Græce ad verbum fere legitur, fila hyacinthina: verum id videtur interpres juxta sensum vertisse alligatura salutaris.

V 32. Stolam gloriæ indues eam. Nequaquam mutandus est accusativus stolam in ablativum stola.

V 33. Fili, si attenderis mihi, disces. Quod sequitur in quibusdam libris pronomen eam, superfluit.

CAP. VII. v. 4. Noli quærere a Domino ducatum. Romani Patres correxerunt a Domino, Deo scilicet, quod vulgo legitur ab homine.

V. 6 Et ponas scandalum in æquitate tua. Et hic, pro eo quod vulgo legitur agilitate, id est, alacritate, emendando substituerunt æquitate, quod est, rectitudine.

V. 7. Non pecces in multitudinem civitatis. Accusativus multitudinem a Correctoribus repositus, nequaquam mutandus est in ablativum multitudine.

V. 13. Noli arare mendacium adversus fratrem tuum. Cavendum hic est, ut recidatur in vetus mendum Romana correctione sublatum, quo amare quod est diligere, scriptum fuit, pro arare, quod moliri, fabricare, phrasi Hebraica denotat. Differentia unius litterulæ ansam præbuit indoctis scribis, mutandi quod non intelligebant, ut plerumque alias.

V. 29. In toto corde tuo honora patrem tuum. Recte Correctores periodum inchoarunt ab his verbis in toto corde tuo, quæ alii jungunt periodo præcedenti.

V. 33 Et propurga te cum brachiis. Hanc lectionem prætulerunt Correctores, ei, quæ est in aliis libris & propugnato cum brachiis.

V. 37. Gratia dati in conspectu omnis viventis. Pro dati, alii legunt datus, genitivum quartæ declinationis inusitatum: porro datur verbum & participium data, quæ in quibusdam reperiuntur libris, vitiosa sunt.

CAP. VIII. v. 6. Memento quoniam omnes in correptione sumus. Cave pro correptione, quod est reprehensione, scribas corruptione, id est, pro e secunda vocali u quintam.

V. 8. Et in gaudium nolumus venire. Et hic cavendum ne pro nolumus negativo, substituamus volumus affirmativum.

V. 12. Et in tempore necessitatis dare responsum. Infinitivus dare non est mutandus in futurum indicativum dabis.

CAP. IX v. 2. Non ingrediatur in virtutem tuam. Non mutes quartos casus in sextos virtute tua.

V 4. Ne forte pereas in efficacia illius. Male quidam substituerunt effigie: id est, specie, pro efficacia, virtute.

V. 10. Quasi stercus in via conculcabitur. Non addas ab omnibus prætereuntibus

CAP. X. v. 3. Et civitates inhabitabuntur per sensum potentium. Noli scribere prudentium, quod est, sensatorum, pro potentium, quod est, principum.

Vers. 4. In manu Dei potestas terræ. Quod sequitur in plerisque omnibus libris & execrabilis omnis iniquitas gentium. Correctores judicarunt superfluere hoc loco, esse vero versus septimi subsequentis.

V. 5. In manu Dei prosperitas hominis. Prolata Correctoribus lectio est prosperitas; quod est, felicitas; reprobata potestas.

V. 26. Noli despicere hominem justum pauperem, & noli magnificare virum peccatorem divitem. Servandum est verbum negativi modi repetitum noli, non commutandum cum adverbio negandi non

V. 27. Magnus & judex & potens est in honore, & non est major illo qui timet Deum. Plerique codices conjunctionem &, quæ præponitur nomini judex, vertunt in verbum substantivum est (magnus est judex) aut non pauci adjungunt nomen dives, hoc modo: Magnus est dives judex: sed male hæc. Tria enim hominum genera hic recensentur, quæ sunt in honore, magnus sive magnas, judex, & potens, sive quod Græce est, dynasta.

CAP. XI. v. 8. Et in medio sermonum ne adjicias loqui. Egregia correctio, quæ restituit vocem sermonum, pro ea quæ corrupte a plerisque legitur seniorum, quod est presbyterorum.

V. 9. De ea re quæ te non molestat, ne certeris. Interpres, vocabulo certandi, ejus generedeponentis, dixit certeris, pro certes, aut certaveris.

V. 20. Et nescit quod tempus prætereat. Ut vocula quod, non pro conjunctione, sed pro nomine adjectivo est accipienda: ita futurum indicativus prætereat, non est mutandum cum præsenti conjunctivi prætereat. Porro pronomen ipsum, quod adjungunt quidam verbo prætereat, redundat.

V. 24. Et in hora veloci processus illius fructificat. Correctores emendarunt hora, quod est, tempore, pro eo quod vulgo legitur, & quidem vitiose, honore.

V. 32. Sicut enim eructant præcordia fœtentium. Alii libri scribunt prima conjugatione foetantium, quod est, pariturarum.

Ibidem. Et sicut prospector. Quidam libri habent prosperitatos.

V. 34. A scintilla una augetur ignis. Non addas conjunctionem enim.

V. 36. Et abalienabit te a tuis propriis. Retinendum est pronomen tuis, non surrogandum nomen viis, quod est, semitis.

CAP. XII. vers. 4. Et impiis & peccatoribus reddet vindictam. Cave scribas imperativum secundæ personæ redde, pro tertia persona futuri indicativi reddet.

V. 6 Prohibe panes illi dari. Non mutes passivum dari in activum dare.

V. 12 Nec sedeat ad dexteram tuam, ne forte conversus in locum tuum, inquirat cathedram tuam. Plerique libri, ante hæc verba ne forte conversus in locum tuum, interjiciunt alia prorsus similia, ne conversus stet in loco tuo, sed quia judicata sunt superfluere.

V. 13. Et sic qui comitatur cum viro iniquo. Non omittas adverbium sic, nec præponas conjunctionem &.

V. 18. Et quasi adjuvans suffodiet plantas tuas. Cave mutes pronomen secundæ personæ tuas in tertiæ suas.

CAP. XIII v. 10. Attende, ne seductus in stultitiam humilieris. Casus quartus stultitiam, præferendus est sexto, tum hoc, tum proximo versu.

V. 14. 15. Et subridens interrogabit te de absconditis tuis. Immitis animus

ildus

illius conservabit verba tua. *Hanc germanam esse tum lectionem, tum distinctionem, docuimus olim in notationibus nostris. Quidam enim libri proximam sententiam auspicantur ab illis verbis* de absconditis tuis: *quidam, pro nomine* immitis, *habent verbum* immitte, *&* pro nominativo animus, *dativum* animo: *quidam denique unicum verbum* conservabit, *dividunt in duo* non servabit. *Nam hæ corruptelæ huc occurrunt.*

V. 17. Audiens vero illa, quasi in somnis vide. *Nec addas nomen* verbi, *nec scribas loco conjunctionis* vero:

V. 21. Si communicabit lupus agno aliquando. *Conjunctio* si *non est mutanda in adverbium* sicut.

V. 22. Quæ communicatio sancto homini ad canem: *Pro* sancto homini, *quidam legunt* sancti.

Sequitur: Aut quæ pars diviti ad pauperem? *Nomini* pars, *non addas epitheton* bona.

CAP. XIV. v. 10. Oculus malus ad mala. *Subjiciunt quidam libri* exigit, *aut* extruitur, *sed superflue.*

Sequitur: Et non satiabitur pane, sed indigens & in tristitia erit super mensam suam. *Correctores addiderunt conjunctionem adversativam* sed.

V. 12. Memor esto quoniam mors non tardat. *Non mutes præsens* tardat *in futurum* tardabit.

Sequitur: Et testamentum inferorum quia demonstratum est tibi. *Pro conjunctione* quia, *non scribas nomen* quod, *aut adverbium* jam.

Sequitur: Testamentum enim hujus mundi morte morietur. *Quidam libri, pro futuro indicativi* morietur, *habent imperativum* moriatur: *sed spurium est, quod legitur in nonnullis,* mortem operatur.

CAP. XV. v. 9. Non est speciosa laus in ore peccatoris. *Quod subjiciunt quidam libri;* quia non est a Domino missa, *merito Correctores judicarunt superfluere.*

V. 16. Si volueris mandata servare, conservabunt te. *Multi codices scribunt compositum* conservare: *sed & quod subjiciunt nonnulli,* redundat.

Sequitur: Et in perpetuum fidem placitam facere. *Pro* facere *non substituas* servare, *multoque minus futurum indicativi* facies, *aut* faciens.

V. 17. Apposuit tibi aquam & ignem. *Tertia persona* apposuit *non est mutanda in primam* apposui.

CAP. XVI. v. 5. Ab uno sensato inhabitabitur patria, tribus impiorum deseretur. *Persuasi Latini, uni sensato opponi tres impios, scripserunt plerique* & a tribus impiis, *pro genuina scriptura* tribus impiorum, *quia* tribus *substantivum est pro familia acceptum: quam Romani Patres restituerunt.*

V. 9. Et non pepercit peregrinationi Loth. *Et hic restituerunt nomen proprium* Loth, *pro pronomine* illorum, *quod alios plerosque omnes libros occupat.*

V. 14. Et non retardabit sufferentia misericordiam facientis. *Pro primo casu* sufferentia, *non scribas quartum* sufferentiam.

V. 19. Cum conspexerit illa Deus. *Non præponas conjunctionem* &.

Vers. 22. Et interrogatio omnium in consummatione est. *Vocalo* omnium, *id est,* cunctorum, *non est mutanda in* hominum.

V. 30. Anima omnis vitalis denunciavit ante faciem ipsius. *Correctores sustulerunt conjunctionem* autem, *quæ post ponebatur voci* anima; *& futurum* denuntiabit, *quod antea legebatur a plerisque, commutarunt cum præterito* denuntiavit, *quam optime.*

Sequitur: Et in ipsam iterum reversio illorum. *Et hic rectissime, in locum sexti casus* ipsa, *surrogarunt quartum* ipsam.

CAP. XVII. vers. 7. Posuit oculum suum super corda illorum. *Retinendum est pronomen reciprocum* suum, *non substituendum* ipsorum, *quod est in aliis multis.*

V. 18. Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso. *Cave ne recidas in veterum mendum, eorum qui scripserunt* sacculus, *diminutivum a* saccus, *pro* signaculum, *quod est* sigillum.

V. 19. Et convertet in interiores partes terræ. *Præferendum est* convertet, *ei quod quidam libri habent* conteret: *&* interiores *per t mutam probatur præ* inferiores *per f semivocalem.*

Vers. 26. A mortuo quasi nihil, perit confessio. *Non judicarunt Romani Patres omittendam vocem* confessio, *tametsi a non paucis manuscriptis omittatur. Caussam intelligere poteris ex Notationibus nostris.*

V. 30. Aut quid nequius quam quod excogitavit caro & sanguis? *Nec hic omittendum judicarunt* quam quod.

CAP. XVIII. v. 6. Et cum quieverit, aporiabitur. *Vulgo legitur* operabitur, *quod est,* laborabit, *videbis illi de integro esse laborandum: sed Patres senserunt, vocem Græcam ab Interprete fuisse retentam, ut alibi, & scriptum fuisse* aporiabitur, *quod est,* perplexus erit.

V. 8. Quasi gutta aquæ maris deputati sunt. *Scribendum est* gutta *numero singulari, non plurali* guttæ.

Vers. 14. Miseretur excipientis doctrinam miserationis. *Ut præsens indicativi* miseretur, *non est mutandum in præsens imperativi* misereatur: *ita neque genitivus* excipientis, *in nominativum* excipiens.

Sequitur: Et qui festinat in judiciis ejus. *Consequenter nec hic mutandum singulare* festinat *in plurale.*

V. 22. Et ne verearis usque ad mortem justificari. *Multi codices legunt* vereris: *Patres prætulerunt* verearis.

Vers. 24. Et tempus retributionis in conversione faciei. *Cave ne genitivum* faciei, *mutes sive in nominativum, sive in verbum* facies, *aut participium* faciens.

V. 25. Et necessitatum paupertatis in die divitiarum. *Neque hic, genitivum pluralem* necessitatum, *mutes in accusativum singularem* necessitatem.

V. 27. Homo sapiens in omnibus metuet. *Præferendum est futurum præsenti* metuit.

V. 29. Et impluerunt proverbia & judicia. *Correctio est* impluerunt, *compositum ab* in *&* pluo, *quod est,* instillaverunt: *pro vulgari lectione* imploraverunt, *ab* in *&* ploro.

Vers. 33. Et est tibi nihil in sacculo: *Duo vitia ex hoc versiculo sublata sunt: Unum, quod omissa est negatio* non, *quæ interponebatur media inter* & *, &* est: *alterum, quod pro* sæculo, *quod est* ævo, *restitutum est* sacculo, *quod est* marsupio.

Sequitur: Eris enim invidus vitæ tuæ. *Non substituas* animæ *pro* vitæ.

CAP. XIX. v. 12. Sagitta infixa femori carnis. *Cave legas* canis, *omissa littera* r, *pro* carnis, *quod est,* corporis.

Vers. 21. Et est qui se nimium submittit. *Merito omissa est vox* justus, *quæ interponebatur media inter* est *&* qui: *nec solum in hac pericope, sed & in subsequente:* Et est qui inclinat faciem suam.

Sequitur: Et fingit se non videre quod ignoratum est. *Cave omittas negationem* non.

CAP. XX. v. 6. Et est tacens, non habens sensum loquelæ. *Non addas conjunctionem* autem.

Sequitur: Et est tacens, sciens tempus aptum. *Adjectivo* aptum, *e quarto casu mutato in secundum* apti, *multa exemplaria adjunxerunt substantivum* temporis: *sed illud cum minus congruere videretur, alii adjunxerunt* sermonis.

V. 16. Odibilis est homo hujusmodi. *Non præponas & conjunctionem.*

V. 20. Sic casus malorum festinanter veniet. *Numerus singularis* veniet, *non est mutandus in pluralem* venient.

V. 21. Homo acharis quasi fabula vana. *Pro* acharis, *quidam substituerunt* ingratus, *volentes interpretari Græcam vocem, quam interpres reliquerat.*

V. 31. Xenia & dona excæcant oculos judicum. *Pro* xenia *quidam scripserant* munera, *explicandi caussa.*

CAP. XXI. v. 5. Objurgatio & injuriæ annullabunt substantiam. *Pro* objurgatio, *quidam scribunt* cataplectatio, *quam vocem a Græca formatam, putant ab Interprete fuisse datam, eique loco tandem substitutam interpretationem* objurgatio.

V. 6. Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures ejus perveniet. *Non mutes pronomen* ejus, *in nomen* Dei, *sed ita intelligas.*

V. 11. Via peccantium complanata lapidibus. *Spurium est quod quidam scribunt* complantata *a* planto, *pro* complanata, *a* plano.

Sequitur: Et in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ. *Casus sextus* fine, *non est mutandus in quartum* finem.

V. 5. Est autem sapientia quæ abundat in malo. *Pro* sapientia, *quidam contrarium putaverunt esse corrigendum,* insipientia, *sed male.*

Sequitur: Et non est sensus, ubi est amaritudo. *Posterius est quidam mutant cum* abundat.

V. 18. Verbum sapiens quodcumque audierit sciens laudabit, & ad se adjiciet. *Non omittas voculas illas duas* ad se.

V. 31. Et qui cum eo manserit, odiosus erit. *Nec hinc auferas voculas* cum eo.

CAP. XXII. v. 3. Filia autem in deminoratione fiet. *Nomini* filia, *nec præponas* in *præpositionem, nec postponas adjectivum* fatua.

V. 8. Qui narrat verbum non audienti. *Alii* non attendenti: *quæ expositio est.*

V. 10. Supra mortuum plora, defecit enim lux ejus: & supra fatuum plora, defecit enim sensus. *Pro nominativo* sensus, *quidam ablativum legunt,* sensu: *sed nominativus est & in priori membro, ex quo non est posteriori addendum pronomen* ejus (sensus ejus) *sed subaudiendum.*

V. 11. Modicum plora supra mortuum, quoniam requievit. *Quod sequitur in quibusdam libris:* Plurimum vero super vitam fatui, *superfluit.*

V. 19. Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificii non dissolvetur: *His verbis non est præponendum adverbium* sicut, *etsi subaudiendum: porro* loramentum, *quod est,* ligamentum, *deductum a* lorum, *inepte quidam mutant in* ornamentum: *ad hæc* in *præpositio non facile est omittenda: denique futurum* dissolvetur, *verti non debet in præsens* dissolvitur.

V. 20. Metu non depravabitur. *Vocabulo* metu *non præponitur conjunctio* vel.

V. 21. Sicut pali in excelsis, & cæmenta sine impensa. *Nec huic versui præponendum est:* Sicut ornatus arenosus in pariete limpido, & c. *nec versui* 23. (*quidam enim libri uni, quidam alteri versui præponunt*) *omnino enim superfluit, videturque altera esse interpretatio ejus, quod noster reddidit* cæmenta sine impensa, *quod docuimus in Notationibus. Porro hoc versu* 21. *recte Correctores scripserunt* pali, *quod significat stipites, aut arundines, pro eo quod alii plerique corrupte legunt* paleæ; *ubi & consequenter, inepte quidam omiserunt præpositionem* sine, *quidam etiam* impensa, *quod est* expensa, *mutarunt in* immensa, *quod est* magna.

Sequitur: Palea contra faciem venti non permanebunt. *Quod subjiciunt quidam*

dam

dam codices. Et cor confirmatum in cogitationibus sensus non turbabitur, *non est hujus loci, sed altera est ejus quod præcessit versio*.

Vers. 22. Sic & cor timidum, in cogitatione stulti, contra impetum timoris non resistet. *Non subnectas quod quidam.* in omni tempore. *De hoc autem, & tum præcedenti, tum subsequente versu, lege Notationes.*

V. 27. Ad amicum si aperueris os triste, non timeas: *τὸ ad amicum, quod alii finem faciunt præcedentis versus, Correctores initium hujus: deinde pro tertia persona aperuerit, restituerunt aperueris persona secunda.*

V. 31. Amicum salutare non confundar. *Et hic emendarunt confundar, prima persona, quod alii plerique scribunt secunda persona confunderis.*

CAP. XXIII. *v.* 1. Nec sinas me cadere in illis. *Legendum est in illis, non, ut multi, in illa exprobratione, aut in illam exprobrationem.*

V. 2. Qui superponet in cogitatu meo flagella. *Futurum superponet non est mutandum in præsens superponit.*

Vers. 3. Et gaudeat super me inimicus meus. *Non est omittendum tandem illud super me.*

V. 14. Replebitur enim conturbatione domus illius. *Non addas nomini conturbatione, epitheton pessima, quod quidam.*

V. 24. Non fatigabitur, transgrediens usque ad finem. *Non commutes verbum fatigabitur cum verbo cessabit.*

V. 33. Secundo in virum suum deliquit. *Cave vetus notariorum vitium, qui scripserunt dereliquit, quod est, deseruit, pro deliquit, quod est, peccavit.*

V. 36. Derelinquet in maledictum memoriam ejus. *Futurum singulare derelinquet, non est vertendum, vel in plurale derelinquent, vel in passivum relinquetur: ut nec accusativus memoriam, in nominativum.*

CAP. XXIV. *v.* 16. Et in parte Dei mei hereditas illius. *Non est mutandus ablativus singularis parte, in accusativum pluralem partes.*

V. 25. In me gratia omnis viæ & veritatis. *Correctores emendarunt viæ, quod est semitæ, pro vitæ, quod multi habent.*

V. 39. A mari enim abundavit cogitatio ejus. *Retinendum hic est, ex Patrum sententia, præteritum abundavit, non substituendum futurum abundabit.*

Sequitur: Et consilium illius ab abysso multa. *Cave committas præpositionem ab cum in.*

V. 41. Ego quasi fluvii dioryx. *Nobilis hujus loci emendatio, qua fluvii scriptum sit casu genitivo, pro eo quod vulgo legitur nominativo fluvius, & dioryx trisyllabum pro dissyllabo doryx, quod quidam pejus legunt dorax, alii pessime vorax. Prima erroris occasio ex eo sumpta est, quod existimatum sit, dioryx esse nomen proprium, quod est appellativum, significans Græce alveum.*

V. 42. Et inebriabo prati mei fructum. *Cave mutes prati, quod quidam legunt pratus, & significat pascuum, in partus, derivatum a pario.*

CAP. XXV. *v.* 4. Divitem mendacem, senem fatuum. *Non interponas conjunctionem, &, ut quidam.*

V. 7. Quam speciosa veteranis sapientia, & gloriosis intellectus & consilium. *Servandus est tertius casus pluralis numeri gloriosis, non supponendus primus numeri singularis gloriosus.*

V. 24. Et obcæcat vultum suum tamquam ursus. *Legendum est præsenti tempore obcæcat, potius quam futuro obcæcabit, quemadmodum & ostendit præsens, potius quam futurum ostendet, in eo quod sequitur, Et quasi saccum ostendit. Porro quod proximum est, in medio proximorum ejus. Correctores fecerunt initium versu 25. quod alii faciunt finem hujus.*

Vers. 31. Et plaga cordis, mulier nequam. *Pro cordis, quod est καρδίας, alii vitiose scribunt mortis, quod est θανάτου.*

V. 35. Confundet te. *Non præponas conjunctionem &.*

CAP. XXVI. *v.* 1. Numerus enim annorum illius duplex. *Vulgo scribitur plurale illorum, Correctio est, singulare illius.*

Vers. 3. In parte timentium Deum. *Substantivo parte non adjicias adjectivum bona.*

V. 9. In muliere zelotypa, *Correctores prætulerunt vocem zelotypa, ei quam alii legunt voci infideli.*

V. 12. Ab omni irreverentia oculorum ejus cave. *Non mutes genitivum oculorum, in dativum oculis, nec omittas pronomen ejus.*

CAP. XXVII. *v.* 2. Et emptionis angustabitur peccatum. *Retinendus est nominativus singularis peccatum, non mutandus in ablativum pluralem peccatis.*

V. 5. Sicut in percussura cribri remanebit pulvis. *Correctores prætulerunt pulvis, ei quod alii legunt stercus.*

Vers. 7. Sic verbum ex cogitatu cordis hominis. *Genitivus cordis non temere vertendus est in accusativum cor.*

Vers. 9. Si sequaris justitiam, apprehendes illam. *Verbum apprehendes, non est mutandum in participium apprehendens.*

Vers. 13. In medio insensatorum serva verbum tempori. *Vitiose quidam, pro imperativo secundæ personæ serva, scripserunt indicativum tertiæ personæ servat.*

V. 14. Et risus illorum in deliciis peccati. *Patres emendarunt deliciis, quod est delectationibus, pro eo quod vulgo legitur delictis, id est offensionibus.*

V. 26. Condulcabit os suum. *Cave, pro condulcabit, deducto a dulcis, scribas conculcabit, a calco.*

V. 27. Multa odivi. *Correctio est odivi, quod est, odi; reprobata lectio audivi, ab audio.*

CAP. XXVIII. *v.* 7. Tabitudo enim & mors. *Cave legas Beatitudo, quod est felicitas, pro tabitudo, corruptio.*

V. 14. Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit. *Correctores illic addi[de]runt in scintillam, quod plerique libri omittunt.*

Sequitur: Et si exspueris super illam extinguetur. *Retinendum est pronomen feminini generis illam, non substituendum masculinum illum.*

V. 15. Multos enim turbabit pacem habentes. *Alii pro futuro scribunt præteritum turbavit.*

V. 19. Lingua tertia mulieres viratas ejecit. *Quod quidam legunt fortes, pro viratas, seu virtutes, expositio est.*

Vers. 25. Et utilis potius infernus, quam illa. *Alii, pro infernus, scribunt infernis: sed vitiose quidam tertio casu inferis.*

V. 28. Linguam nequam noli audire. *Non præponas his verbis & conjunctionem.*

Sequitur: Et ori tuo facito ostia & seras. *Quod sequitur in plerisque codicibus auribus tuis, Patres supersedere censuerunt.*

CAP. XXIX. *v.* 6. Et loquetur verba tædii. *Non scribas Græcam vocem acediæ, pro Latina tædii.*

Vers. 7. Si autem potuerit reddere, adversabitur, solidi vix reddet dimidium. *Pro adversabitur, quidam legunt aversabitur, quidam adversarius, quidam aversarius: inter quæ parva differentia est rerum, non minor quam vocum; sed nomen solidi retinendum est, nequaquam mutandum in adverbium solide.*

V. 10. Multi non caussa nequitiæ non fœnerati sunt. *Non omittas alterum non, sive prius, sive posterius.*

V. 15. Conclude eleemosynam in corde pauperis. *Pro corde non scribas sinu.*

V. 16. Super scutum potentis. *Quæ hic verbis proponunt plerique omnes libri* Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conservabit, & postea exsurget, & retribuet illis retributionem, unicuique in caput illorum. *Correctores judicarunt redundare, omninoque esse auferenda, ut quæ non hujus sint loci, sed illius qui supra, cap. 17. vers. 18. 19.*

V. 19. Vir bonus fidem facit pro proximo suo. *Non est omittenda præpositio pro.*

V. 24. Repromissio nequissima, multos perdidit dirigentes. *Cave, pro dirigentes, quod est, feliciter agentes, legas aut diligentes aut delinquentes.*

V. 34. Hospitio mihi factus est frater. *Non mutes personam tertiam est in secundam es.*

CAP. XXX. *v.* 15. Salus animæ in sanctitate justitiæ, melior est omni auro & argento. *Non interjicias conjunctionem & ante comparativum melior.*

Sequitur; Et corpus validum, quam census immensus. *Scribendum est census per c tertiam alphabeti litteram, non sensus per s.*

V. 20. Perfecit mercedes iniquitatis. *Non præponas his verbis & conjunctionem, sicut nec his v. 24. Congrega cor tuum in sanctitate ejus.*

V. 25. Splendidum cor & bonum in epulis est. *Hic non auferas & conjunctionem mediam.*

CAP. XXXI. *v.* 1. Vigilia honestatis tabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet somnum. *Duplex futurum quidam mutant cum duplici præsenti, tabefacit, aufert.*

V. 10. Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna. *Alii pro relativo qui, scribunt interrogativum quis, & futuro erit præponunt conjunctionem &. Porro participium inventus, quod quidam addunt participio perfectus, superfluit.*

Sequitur: Qui potuit transgredi, & non est transgressus. *Pro qui, non facile hic substituendum est interrogativum quis.*

Vers. 13. Non dicas sic: Multa sunt quæ super illam sunt. *Multi libri adverbium similitudinis sic, jungunt iis quæ præcedunt, mutant in conjunctionem conditionalem si, jungunt iis quæ sequuntur; male, sed pejus illi, qui duas voces simul, contrahunt in unam simulata.*

Vers. 16. Cum viderit, ne extendas manum tuam prior. *Alii præcedenti versui, Correctores huic, distinguendo jungunt τὸ cum viderit.*

Vers. 19. Ne, cum manducas multum, odio habearis. *Pro ne alii initio clare & non.*

Vers. 25. Surge e medio, evome. *Unicam vocem evome ne distrahas in duas & vome.*

V. 29. Nequissimo in pane murmurabit civitas. *Dictæ Correctores præpositionem in, collocarunt mediam inter nequissimo & pane, quam alii incommode collocant ante nequissimo.*

V. 32. Quæ vita est ei qui minuitur vino. *Plerique libri habent quæ, pro eo quod Correctores dexterrime emendarunt ei qui.*

CAP. XXXII. *v.* 2. Curam illorum habe & sic conside. *Cave τὸ conside, quod est sede auctum una syllaba, mutes in confide, quod est, animadverte.*

V. 5. Loquere major natu, decet enim te primum verbum, diligenti scientia. *Nominativus major non est mutandus in dativum majori: ut nec ablativus diligenti scientia, mutandi sunt in alios casus.*

V. 13. In medio magnatorum ne præsumas. *Non addas loqui.*

V. 15. Et illic avocare. *Pro avocare, non scribas addita d littera, advocare, vel*

vel una voce in duas distracta advocate.

V. 19. Scandalizabitur in ea. Non est mutandum in cum ab.

CAP. XXXIII. v. 2. Et non illidetur. Cave scribas illudetur, quod est, risui exponetur, pro illidetur, quod est, impinget, vocalem inquam quintam pro tertia.

V. 11. In multitudine disciplinæ Dominus separavit eos. Nominativus Dominus nequaquam mutandus est in genitivum Domini.

V. 15. Duo & duo, & unum contra unum. Male alii plerique libri, pro priori conjunctione &, repetunt conjunctionem contra: Duo contra duo.

V. 24. Ne dederis maculam in gloria tua. Retinendus est sextus casus gloria tua, non mutandus in quartum.

V. 31. Si est tibi servus fidelis. Pro fidelis, in quibusdam libris est bonus, in quibusdam sensatus: in quibusdam nihil est horum, sed subauditur hujusmodi aliquid.

CAP. XXXIV. v. 3. Hoc secundum hoc, visio somniorum. Non est omittendum prius hoc, sed utrumque legendum.

Sequitur: Ante faciem hominis similitudo hominis. Non addas alterius posteriori voci hominis.

Vers. 8. Et sapientia in ore fidelis complanabitur. Pro complanabitur, a planus quidam minus recte addita una littera, scribunt complantabitur, a planto.

V. 10. Qui non est repertus, pauca recognoscit. Retinendum est præsens recognoscit, non substituendum futurum.

Sequitur: Qui autem in multis factus est, multiplicat malitiam. Non est legendum nomen fatuus pro participio factus: nec futurum multiplicabit, pro præsenti multiplicat.

V. 11. Qui implanatus est, abundabit nequitia. Cave pro implanatus, quæ est vox ficta a Græca πλανηθεὶς vagari scribas, addita t littera, implantatus, a planto, aut futurum abundabit, mutes in præteritum abundavit.

V. 12. Multa vidi errando. Correctores, errando emendarunt, quod est, vagando, pro eo plerique libri habent enarrando, quod est, explanando.

V. 14. Et in respectu illius benedicetur. Non mutes respectu in conspectu.

V. 25. Panis egentium, vita pauperum est. Non mutes plurale pauperum, in singulare pauperis.

Vers. 30. Et iterum tangit eum. Pro eum non legat mortuum, sed subaudias: nullo vero modo omittas hæc verba.

CAP. XXXV. v. 1. Qui conservat legem, multiplicat oblationem. Tametsi forte interpres reddiderit verbum, Correctores tamen retinuerunt id quod clarius est legem: qui & pro orationem, quid est, preces, ex suis codicibus reposuerunt oblationem, quod est, sacrificium. Nam & ita est Græce: Qui conservat legem, multiplicat oblationes.

V. 3. Et propitiationem litare sacrificii. Alii pro genitivo singulari, legunt dativum pluralem sacrificiis.

V. 12. Ad inventionem facito manuum tuarum. Non est unica dictio adinventionem, sed duæ, ad quod est secundum, inventionem.

V. 17. Non despiciet preces pupilli. Cave scribas populi, quod est plebis, pro pupilli, quod est orphani.

V. 19. Et Dominus exauditor non delectabitur in illis. Non est omittenda negatio.

CAP. XXXVI. v. 9. Tolle adversarium & affige inimicum. Recte Patres tolle scripserunt, quod est, aufer e medio, pro eo quod plerique legunt, & contrarium est extolle.

V. 13. Ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnalia tua. Alii libri, contrario ordine, prius scribunt &, posterius ut: male.

V. 17. Da testimonium his, qui ab initio creaturæ tuæ sunt. Multi libri, pro nomine his qui, mutant in conjunctionem quia: male itidem.

Sequitur: Et suscita prædicationes. Legendum est prædicationes, positum pro prophetias, non precationes, quod est, orationes.

V. 19. Secundum benedictionem Aaron de populo tuo. Præpositio de non est commutanda cum verbo da, ac proinde non inchoanda ab his verbis nova periodus, sed præcedentibus jungenda sunt, prout Correctores junxerunt.

V. 21. Fauces contingunt cibum feræ, & cor sensatum verba mendacia. Pro sensatum, quod est, prudens, intelligens, cave scribas contrarium insensatum.

V. 28. Quis credit ei qui non habet nidum. Interrogativum quis, non est mutandum in relativum qui, nec nominativus quis in dativum cui, ablato subsequente dativo ei: Cui credit qui, corrupta enim hæc lectio est, a Correctoribus restituta integritati.

CAP. XXXVII. v. 6. Et non immemor sis illius in opibus tuis. Correctores emendarunt opibus, quod est, divitiis, pro eo quod vulgo legitur operibus, quod est, actis, sive gestis.

V. 7. Noli consiliari cum eo qui tibi insidiatur, & a zelantibus te absconde consilium. Et hic, pro eo quod plerique libri habent cum socero tuo, emendarunt cum eo qui tibi insidiatur: neque hunc versum paullo post repetendum judicarunt, ut quidam libri, his verbis: Noli consiliari cum eo qui suspectum te habet, & ab æmulantibus tibi absconde consilium.

V. 9. Et ipse enim animo suo cogitabit. Pro & ipse enim, quidam legunt & quid ipse: pro suo tertiæ personæ pronomine, nonnulli tuo secundæ scribunt, denique pro cogitabit futuro indicativi: alii habent præsens subjunctivi cogitet; sed minus recte hæc omnia.

V. 12. Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum injusto de justitia. Quidam libri pro irreligioso, quod est, impio, scribunt contrarium religioso, quod est, pio. & justo, pro injusto: alii quidam ad finem sententiæ adjiciunt noli consiliari: verum hæc Correctores sequenda non esse censuerunt.

Sequitur: Et cum muliere de ea quæ æmulatur. Ablativum singularem generis feminini ea, non mutes in pluralem his.

V. 16. Et qui, cum titubaverit in tenebris, condolebit tibi. Male alii plerique codices, vocalis qui cum contraliis in unam quicumque, & secunda titubaveris versa in tertiam titubaverit, denique addita non negatione ante condolebit, scribunt: Et quicumque titubaverit in tenebris, non condolebit tibi.

V. 17. Cor boni consilii statue tecum. Non præponas his verbis conjunctionem &.

V. 22. Et vir astutus, multorum eruditor, & animæ suæ inutilis est. Vir peritus multos erudivit, & animæ suæ suavis est. Harum duarum sententiarum, sola prior legitur a libris Græcis; sola posterior a plerisque Latinis: Patres utramque receperunt & junxerunt.

V. 33. Et aviditas appropinquabit usque ad choleram. Pro aviditas Græce est aplestia, ut & proximo versu pro crapulam, ubi dicitur: Propter crapulam multi obierunt: quam Græcam vocem, quæ proprie significat insatiabilitatem, alii Latini libri retinent his duobus locis.

CAP. XXXVIII. vers. 4. Altissimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Alii libri minus recte, pro nomine medicamenta & pronomine illa neutris, legunt nomen medicinam & pronomen illam feminina.

V. 6. Ad agnitionem hominum. Non præponas his verbis conjunctionem &.

V. 20. In abductione permanet tristitia. Correctores censuerunt abductione non esse mutandum in obductione, id est, vocalem primam in quartam.

Vers. 25. Sapientia scribæ in tempore vacuitatis. Vulgaris lectio est, Sapientiam scribe, qua verbum scribe regit accusativum sapientiam: sed germana lectio est, qua nominativus sapientia regit genitivum nominis scribæ. Porro spuria sunt, nativitatis & vanitatis, quæ quidam scribunt pro vacuitatis, quod est, otii.

V. 26. Qua sapientia replebitur qui tenet aratrum? Cave ne ablativum qua, mutes in conjunctionem quia, ut plerique hactenus, ac proinde præcedentibus jungas illud quia sapientia replebitur.

V. 28. Qui sculpit signacula sculptilia. Non mutes accusativum pluralem, signacula in ablativum singularem signaculo.

V. 31. Et vigilia sua ornabit in perfectionem. Duæ sunt voces in perfectionem, non unica imperfectionem, ut plerique scribunt.

V. 32. Et in numero est omnis operatio ejus. Et hic duæ sunt dictiones in numero, quod est, certo numero, non una innumera, quam alii habent, & contrarium significat, absque numero.

V. 39. Accommodantes animam suam & conquirentes in lege Altissimi. Quidam libri, pro participiis pluralibus accommodantes & conquirentes, legunt genitivos singulares accommodantis & conquirentis, qua de re Notationes nostræ. Porro animam suam numero singulari, non est mutandum in pluralia animas suas.

CAP. XXXIX. vers. 5. Bona enim & mala in hominibus tentabit. Legendum est hominibus, quod est, ἀνθρώποις, non omnibus, quod est, πᾶσι.

V. 15. Si permanserit, nomen derelinquet plusquam mille. Non addas pronomen ejus voci nomen.

V. 17. In voce dicit. Non præmittas & conjunctionem. Porro præsens dicit, quidam mutant cum præterito dixit, quidam cum futuro dicam, quidam cum participio dicens. Nam imperativus dicito, & futurum tertiæ personæ dicet, non videntur alicujus esse auctoritatis.

V. 23. Quoniam in præcepto ipsius placor fit. Non legas placatio, sed per placor intellige beneplacitum.

V. 27. Benedictio illius quasi fluvius inundavit. Non mutes præteritum inundavit in futurum inundabit.

V. 31. Sal, lac, & panis similagineus. Non omittas sal.

V. 34. Et furorem ejus qui fecit illos placabunt. Legendum est placabunt, potius quam id quod in plerisque est libris confundent.

V. 37. Et super terram in necessitatem præparabuntur. Non mutes accusativum necessitatem in ablativum.

V. 39. Et omne opus hora sua subministrabit. Servandum est futurum subministrabit, non substituendum præteritum subministravit.

CAP. XL. v. 3. A residente super sedem gloriosam. Ablativus singularis residente, nequaquam mutandus est in nominativum pluralem residentes, omissa præpositione a.

Vers. 5. Somnus noctis. Cave scribas mortis, quod est θανάτου, pro noctis.

V. 11. Omnia quæ de terra sunt, in terram convertentur. Non addas conjunctionem enim.

Sequitur: Et omnes aquæ in mare revertentur. Præferendus est revertentur, et quod alii legunt convertentur.

V. 13. Substantiæ injustorum sicut fluvius siccabuntur, & sicut tonitruum magnum in pluvia personabunt. Præstat retinere pluralia siccabuntur & personabunt,

quam,

quam substitutum singularia, siccabitur *&* personabit.

V. 15. Super cacumen petræ sonant. *Non mutes præsens* sonant *in futurum* sonabunt.

V. 17. Et misericordia in sæculum permanet. *Neque hic mutes accusativum* sæculum *in ablativum* sæculo.

V. 18. Et in ea invenies thesaurum, *Alii, pro secunda persona, scribunt tertiam* inveniet.

V. 19. Filii & ædificatio civitatis confirmabit nomen. *Nec omittas conjunctionem* &, *nec vertas futurum in præteritum* confirmavit.

Sequitur: Et super hæc mulier immaculata computabitur. *Neutrum plurale* hæc *servandum est, non substituendum femininum singulare* hanc.

V. 22. Et super hæc, virides sationes. *Neque hic, pro plurali* hæc, *substituas singulare* hoc.

V. 25. Aurum & argentum est constitutio pedum. *Correctores prætulerunt* est constitutio pedum, *et quod quidam libri habent* constituit *vel* constituet pedem.

V. 26. Facultates & virtutes exaltant cor, *cave legas* victus, *quod est, sumptus*, *pro* virtutes, *quod significat vires*.

V. 32. In ore imprudentis condulcabitur inopia. *Quidam, pro* imprudentis, *legunt* impudentis, *quod est inverecundi: sed pro* condulcabitur, *quod est dulcescet, nullo modo legendum est* conculcabitur, *id est, tertia alphabeti littera, pro quarta*.

CAP. XLI. *v.* 4. Et incredibili qui perdit patientiam. *Correctio Patrum est* patientiam, *quod est tolerantiam: reproba lectio* sapientiam.

V. 6. Et quid superveniet tibi. *Quidam libri legunt numero plurali* & qui *vel* quæ supervenient tibi.

V. 17. Sapientia enim abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? Non *commutes* invisus *cum* occultus.

V. 19. Verumtamen reveremini in his quæ procedunt de ore meo. *Legendum est* reveremini, *quod est, pudorem habete*; *non* revertimini, *quod est, redite*.

V. 20. Non est enim bonum omnem reverentiam observare. *Male & hoc loco, plerique, pro* reverentiam, *quod est, verecundiam, sive pudorem, scribunt contrarium* irreverentiam.

V. 28. Ab amicis, de sermonibus improperii. *Non præponas verbum* cave.

CAP. XLII. *v.* 5. De corruptione emptionis. *Correctores prætulerunt* corruptione, *quod est, vitiatione, et quod alii legunt* correptione, *quod est, admonitione*.

V. 8. Et probabilis in conspectu omnium vivorum. *Insignis correctio, quæ repositum est* vivorum, *quod est viventium, pro eo quod plerique omnes libri habent*, virorum.

V. 9. Ne forte in adolescentia sua adulta efficiatur. *Et hic egregie restituerunt* adulta, *quod est, florem ætatis pertransiens, pro* adultera *quod est, fornicaria*.

V. 17. Stabiliri in gloria sua. *Non mutes passivum in activum* stabilire.

V. 21. Et tamquam scintilla. *Nec hic nominativum in accusativum* scintillam.

CAP. XLIII. *v.* 8. Crescens mirabiliter in consummatione. *Alii libri, pro ablativo, habent accusativum* consummationem.

V. 9. In firmamento cæli resplendens gloriose. *Non scribas nomen femininum* gloriosa, *pro adverbio* gloriose.

V. 11. In verbis Sancti stabunt ad judicium. *Non mutes genitivum singularem* Sancti, *in ablativum pluralem* sanctis.

Sequitur: Et non deficient in vigiliis suis. *Non supponas* exardescent *pro* deficient.

V. 17. Et in voluntate ejus aspirabit Notus. *Correctores prætulerunt futurum præterito* aspiravit.

V. 18. Vox tonitrui ejus verberabit terram. *Alia est versio, quæ habet* exprobrabit, *pro eo quod nostra* verberabit: *ubi & futurum servandum Correctores judicarunt*.

V. 21. Et dum gelaverit, fiet tamquam cacumina tribuli. *Non mutes* gelaverit *cum* flaverit, *nec* cacumina, *omissa prima littera* c, *cum* acumina.

V. 23. Et extinguit viride, sicut igne. *Non substituas accusativum* ignem *pro ablativo*.

V. 24. Et ros obvians ab ardore venienti. *Non scribas, omissa præpositione, dativum* ardori *pro ablativo*.

V. 25. Et plantavit in illa Dominus insulas. *Observatu digna correctio, qua scriptum est pronomen femininum* in illa, *pro masculino* illum, *& nomen appellativum* insulas, *pro nomine proprio* Jesus: *sic enim habent plerique omnes Latini libri*. Et plantavit illum Dominus Jesus.

V. 34. Non enim comprehendetis. *Quidam codices scribunt* non enim pervenietis; *quidam* non enim habebitis: *primum est omnium optimum*.

CAP. XLIV. *v.* 5. In peritia sua requirentes modos musicos. *Correctores prætulerunt* peritia, *et quod alii libri habent* pueritia, *quod est adolescentia*.

V. 10. Quorum pietates non defuerunt. *Præferendus est numerus pluralis, et quem alii legunt singulari*.

V. 11. Cum semine eorum. *Non præponas* & *conjunctionem*.

V. 12. Et in testamentis stetit. *Non mutes plurale* testamentis *in singulare*.

V. 13. Et filii eorum propter illos. *Non mutes nominativum* filii *in genitivum* filiorum, *addito nominativo* semen, *aut* hæreditas.

Sequitur: Usque in æternum manent. *Nec hic mutes plurale* manent *in singulare* manet.

V. 22. Dedit illi gloriam in gente sua. *Pro* gloriam *non substituas* semen.

V. 25. Et testamentum confirmavit super caput Jacob. *Nec nomini* testamentum *addas pronomen* suum, *nec substituas pronomen* ejus *loco nominis* Jacob.

CAP. XLV. *v.* 6. Et dedit illi coram præcepta. *Cave ne vocem unam* coram, *quæ idem est quod præsens, separes in duas* cor ad, *quasi dicatur, animum ad* præcepta.

V. 9. Et circumcinxit eum zona gloriæ. *Non scribas* justitiæ *pro* gloriæ.

V. 12. Stolam sanctam. *Retinendi sunt hi accusativi, non mutandi in alios casus*.

V. 14. Et gloria honoris. *Pro* gloria, *non scribas accusativum* gloriam.

Sequitur: Opus virtutis & desideria oculorum ornata. *Conjunctio* &, *ut non est præponenda nomini* opus, *ita non supponenda nomini* desideria: *quod quidem legendum non est sexto casu numeri singularis* desiderio.

V. 15. Usque ad originem. *Pro* originem, *quod est, principium, ne scribas* orientem.

V. 17. Sacrificia ipsius consumpta sunt igni quotidie. *Pro* consumpta, *alii libri habent* consummata.

V. 19. In nomine ejus. *Non mutes* ejus *in reciprocum* suo.

V. 21. Et dedit illi in præceptis suis potestatem. *Servandum est pronomen singulare* illi, *non substituendum plurale* illis.

V. 27. Cæterum in terra gentes non hæreditabit. *Non est mutandum plurale* gentes *in singulare* gens.

V. 29. Placuit Deo pro Israel. *Non est omittenda præpositio* pro, *quam Correctores consultissime addiderunt*.

CAP. XLVI. *v.* 4. Nam hostes ipse Dominus perduxit. *Non legas* percussit *a* percutio, *pro* perduxit *a* perduco.

V. 5. An non in iracundia ejus. *Non scribas conjunctionem* aut, *loco adverbii* an.

V. 8. Et sequutus est a tergo potentis. *Servandus est genitivus singularis* potentis, *non mutandus in accusativum pluralem* potentes.

V. 9. Et perstringere murmur malitiæ. *Non scribas* perstringere *a* stringo, *pro* perfringere, *aut* confringere *a* frango.

V. 17. Et vidit Deus Jacob. *Legendus est casus nominativus* Deus, *non accusativus* Deum.

V. 19. In oblatione agni inviolati. *Romani Patres emendarunt* agni, *pro eo quod plerique omnes legunt*, viri, *quod est, masculi, & retinuerunt* inviolati, *id est*, *immaculati*, *pro eo quod quidam scribunt* immolati, *quod est, sacrificati*.

V. 23. Et exaltavit vocem suam. *Et hic correxerunt* suam, *pro eo quod multi legunt pro reciproco* ejus.

CAP. XLVII. *v.* 5. In tollendo manum saxo fundæ dejecit. *Non addas positionem* in *ante* saxo.

V. 6. Nam invocavit Dominum omnipotentem. *Non scribas adverbium* ubi, *pro conjunctione* nam; *nec* potentem *pro* omnipotentem.

V. 13. Dominus purgavit peccata ipsius. *Non est legendum* Christus, *neque* spiritus, *sed* Dominus.

Ibidem. Et dedit illi testamentum regni. *Non mutes nomen abstractum* regni *in concretum* regum.

V. 14. Et propter illum dejecit omnem potentiam inimicorum. *Alia versio habet*: Et propter illum requievit in latitudine.

V. 15. 16. Quemadmodum eruditus es in juventute tua, & impletus es, quasi flumen, sapientia, & terram retexit anima tua. *Retinenda sunt secundæ personæ cum verba, tum pronomina, non mutanda in personam tertiam*.

V. 22. Et incitari stultitiam tuam. *Quidam non intelligentes quid sibi vellet infinitivus passivus* incitari, *mutarunt illum cum aliis vocibus; præsertim vero cum in ceteris, id est, in reliquis, quod plerosque omnes malos occupat libros*.

CAP. XLVIII. *v.* 2. Et irritantes illum invidia sua, pauci facti sunt: *Correctores scripserunt* irritantes, *quod est, exacerbantes*, *pro eo quod alii* imitantes, *aut æmulantes*.

V. 3. Et dejecit de cælo ignem ter. *Insignis loci restitutio, qua* de cælo *scriptum est, quod vulgo legitur* a se; *&* ter, *idest, tribus vicibus, quod* terræ, *sic enim vulgo legitur*: Et dejecit a se ignem terræ; *mendosissime*.

V. 6. Et gloriosos de lecto suo. *Cave ne* delicto, *quod est peccato, scribas pro* de lecto, *quod est, de strato*.

V. 10. Qui scriptus es in judiciis temporum. *Alii libri, pro simplici* scriptus, *legunt compositum* inscriptus, *&* pro judiciis, indiciis, *id est*, *n consonantem pro u vocali*.

V. 12. Elias quidem in turbine tectus est. *Non mutes conjunctionem* quidem *in relativum* qui.

CAP. XLIX. *v.* 1. Memoria Josiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii. *Correctores prætulerunt quartum casum, sexto* compositione: *& sublato verbo substantivo* est, *nominativum femininum* facta, *reliquis quæ passim leguntur*, factam, factum, facti.

V. 3. Ipse est directus divinitus in pœnitentiam gentis. *Non est mutandus accusativus* pœnitentiam *in ablativum*.

Sequitur: Et tulit abominationes impietatis. *Cave legas* ab hominibus *pro* abominationes, *duas voces pro una*.

V. 7. Dederunt enim regnum suum aliis. *Non omittas conjunctionem* enim.

V. 11. Benefacere illis. *Non præponas conjunctionem*, &.

V. 13. Nam & ipse quasi signum in

dextera manu. *Superfluit quod multi codices subjiciunt* Israel.

V. 14. Sic & Jesum filium Josedec. *Correctores præmiserunt adverbium similitudinis* sic.

V. 17. Neque ut Ioseph, qui natus est homo. *Non mutes duas dictiunculas* neque ut, *cum una* &.

CAP. L. v. 11. Et vestivi eam in consummationem virtutis. *Ut non est omittenda præpositio* in, *ita non est substituendus ablativus pro accusativo* consummationem.

V. 15. Et consummatione fungens in ara. *Hic servandus est ablativus* consummatione.

V. 24. Et nunc orate Deum omnium. *Multi codices, pro* nunc *habent* plus, *& pro imperativo* orate, *indicativum* oravit: *quidam etiam addunt* rursum post; Et rursum post plus oravit; *sed hæc omnia repugnant genuinæ lectioni*.

V. 30. Qui ponit illa in corde suo. *Non est commutandum præsens* ponit *cum futuro* ponet.

CAP. LI. v. 12. Et operationis tuæ. *Pro nomine simplici* operationis, *non scribas compositum* cooperationis.

Sequitur: Quæ a sæculo sunt. *Retinendum est plurale* sunt, *non substituendum singulare* est.

V. 16. Cum adhuc junior essem. *Et hic retinendus est optativus* essem, *non surrogandus indicativus* sum.

V. 19. Ante templum postulabam pro illa. *Correctores prudenter observarunt scribendum esse* templum, *quod est, ædem sacram, pro eo quod vulgo legitur* tempus, *id est*, *horam*.

Ibidem. Et effloruit tamquam præcox uva. *Pro* effloruit, *non supponat* defluxit, *defluebit*, *aut* florebit.

V. 25. 27. Et insipientiam ejus luxi. Animam meam direxi ad illam. *Hæc est germana hujus loci lectio, a multis vindicata mendis Romanorum Patrum industria. Quidam enim codices addunt alterum* in, *& pro accusativo* insipientiam, *scribunt ablativum: quod tamen non recedit a vero. Alii vocem unam* insipientia *sive* insipientiam, *dividunt in duas*, in sapientia *aut* sapientiam; *male. Complures primam personam* luxi *mutant in tertiam* luxit, *eique adduntt suppositi loco* anima mea; *non sincere. Nonnulli, verbum simplex* luxit, *vertunt in compositum* eluxit, *tamquam a luceo deductum sit, quod est a lugeo, deploro. Multi subjiciunt* & ignorantias meas illuminavit, *superflue. Denique nonnulli omittunt* animam meam, *nisi quod mutatum in nominativum jungunt verbo præcedenti* luxit.

V. 30. Dedit mihi Dominus linguam. *Non est addenda conjunctio* enim.

V. 33. Comparate vobis sine argento. *Quidam libri subjiciunt* sapientiam: *verum illud redundat Correctorum judicio*.

ISAIAS.

CAP. I. v. 11. Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui. *Per se legendum est* plenus sum: *non vero illi jungendum id quod sequitur, sive* intrare, *sive ex parte, mutatis accusativis in ablativos, ut quidam codices faciunt*.

V. 12. Cum veniretis ante conspectum meum. *Non adjiciat hæc versus præcedentis, nec præsens* veniretis *mutes in futurum* venietis.

V. 13. Ne offeratis ultra sacrificium frustra. *Alii scribunt* afferatis, *id est, vocalem primam loco quartæ*.

V. 18. Velut lana alba erunt. *Non omittas* alba, *quod Interpres explicandi caussa addidit, sequutus LXX*.

V. 23. Principes tui infideles. *Quidam libri, pro* infideles, *scribunt* inobedientes.

CAP. III. v. 6. Vestimentum tibi est. *Non præponas his verbis participium* dicens.

V. 16. Ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant. *Alii collocant conjunctionem copulativam ante* pedibus suis.

CAP. V. v. 6. Et ascendent vepres & spinæ. *Non addas* super eam, *sed intelligas*.

CAP. VI. v. 1. Super solium excelsum & elevatum. *Quod sequitur in multis libris* & plena erat domus, *sive* terra, a majestate ejus, *superfluit omnium judicio. Lege Notationes nostras*.

V. 7. Ecce tetigit hoc labia tua. *Non est mutanda tertia persona* tetigit *in primam* tetigi.

CAP. VIII. v. 19. Numquid non populus a Deo suo requiret pro vivis a mortuis? *Non est addenda vox* visionem, *quam plerique libri adjiciunt verbo* requiret: *nec mutanda posterior præpositio* a *in conjunctionem* ac.

CAP. IX. v. 1. Galilææ gentium. Populus qui ambulabat. *Non connectas vocem* gentium *periodo subsequenti, hoc modo*: Gentium populus.

V. 3. Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam. *Non interponas conjunctionem* &.

V. 14. Incurvantem & refrænantem. *Pro* refrænantem, *multi legunt* depravantem, *ex Commentario haud dubium D. Hieronymi in capita Isaiæ 9. & 19. præferente* depravantem.

CAP. X. v. 21. Reliquiæ convertentur. *Quod præcedit* in veritate, *permaneat finis versus periodique præcedentis, non adjungatur huic*.

CAP. XIII. v. 4. Vox sonitus regum, gentium congregatarum. *Non interponat conjunctionem* & *ante* gentium.

CAP. XIV. v. 32. Et in ipso sperabant pauperes populi ejus. *Correctores prætulerunt masculinum* ipso, *feminino* ipsa, *quod in aliis est libris*.

CAP. XV. v. 5. Vectes ejus usque ad Segor vitulam conternantem. *Legendum est* conternantem, *quod est, agentem annum tertium, non addita* s *littera* consternantem, *quod est, perturbantem*.

V. 8. Quoniam circuivit clamor terminum Moab. *Non mutes præteritum* circuivit *in futurum*.

CAP. XVI. v. 5. Et sedebit super illud in veritate. *Nec hic mutes neutrum* illud *in masculinum* eum.

V. 14. Et relinquetur parvus & modicus. *Non addas verbo* relinquetur: *id quod quidam libri* in eo sicut racemus: *est enim alterius loci*.

CAP. XVII. v. 10. Propterea plantabis plantationem fidelem. *Pro* fidelem *non scribas contrarium* infidelem, *quod quidam*.

V. 11. In die plantationis tuæ labrusca. *Nominativus singularis præferendus est ei, quem alii legunt, accusativo plurali* labruscas.

V. 12. Væ multitudini populorum multorum. *Non mutes dativum in nominativum* multitudo.

CAP. XVIII. v. 2. Cujus diripuerunt flumina terram ejus. *Quod sequitur in quibusdam libris* ad montem nominis Domini exercituum, montem Sion, *non est hujus versus, sed septimi, finientis hoc caput*.

V. 5. Ante messem enim totus effloruit. *Non est mutandum præteritum* effloruit *in futurum* efflorebit.

Sequitur: Et immatura perfectio germinabit. *Hic servandum est futurum* germinabit, *non vertendum in præteritum*.

V. 7. A gente exspectante, exspectante, & conculcata. *Rejicienda est vox* exspectante.

CAP. XIX. v. 9. Confundentur qui operabantur linum pectentes. *Legendum est* pectentes, *quod est pectinantes, non addita* l *littera* plectentes, *quod est percutientes*.

V. 11. Quomodo dicetis Pharaoni. *Non mutes futurum* dicetis *in præsens* dicitis.

CAP. XX. v. 4. Et transmigrationem Æthiopiæ, juvenum & senum, nudam & discalceatam. *Retinendi sunt genitivi plurales* juvenum & senum, *non mutandi in accusativos singulares* juvenem & senem: *& consequenter neque adjectiva feminina* nuda & discalceata *vertenda sunt in masculina* nudum & discalceatum.

V. 6. Ecce hæc erat spes nostra. *Ita rectius legitur, quam* hæccine erat.

Ibidem. Ut liberarent nos. *Quidam libri numero singulari scribunt* liberaret.

CAP. XXI. v. 10. Tritura mea & filii areæ meæ. *Romani Patres, pro eo quod vulgo legitur feminino singulari* filia, *prudenter emendarunt* filii, *masculino plurali*.

V. 11. Ad me clamat ex Seir. *Cave ne pro præpositione* ex *addita una littera scribas nomen* rex.

CAP. XXII. v. 2. Nec mortui in bello. *Non est iteranda vox* mortui, *hoc modo*: Nec mortui tui, mortui in bello.

V. 8. Et videbis in die illa. *Non mutes singulare* videbis *in plurale*.

V. 11. Ad aquam piscinæ veteris. *Retinenda est præpositio* ad, *non substituenda conjunctio* &.

V. 23. Domui patris ejus. *Alii scribunt reciprocum* sui.

CAP. XXIII. v. 2. Negotiatores Sidonis. *Correctio est* negotiatores, *quod est mercatores; rejecta scriptura* negotiatio, *quod est mercatus*.

CAP. XXVI. v. 18. Et peperimus spiritum: salutes non fecimus in terra. *Accusativus pluralis* salutes, *non est mutandus in genitivum singularem* salutis, *& jungendus ei quod præcedit, quod quidam libri faciunt*.

CAP. XXVII. v. 8. Judicabis eam. *Secunda persona* judicabis, *non est mutanda in tertiam sive singularis numeri, sive pluralis*.

Sequitur: Meditatus est in spiritu suo duro. *Retinendum est genus masculinum, non supponendum femininum* meditata.

V. 11. Mulieres venientes & docentes eam. *Et hic retinendus numerus singularis* eam, *non surrogandus pluralis* eas.

V. 13. Et qui ejecti erant in Terra Ægypti. *Non mutes* in *præpositionem, potissimum pro* ad, *cum* de, *sive* ex.

CAP. XXIX. v. 6. Et flammæ ignis devorantis. *Alii pro secundo casu* flammæ *scribunt sextum* flamma.

CAP. XXX. v. 4. Erant enim in Tani. *Non est mutandum* erant *a* sum, *in* ierant *ab* eo.

V. 15. Quia hæc dicit Dominus Deus Sanctus Israel. *Non omittas nomen* Sanctus.

V. 29. Canticum erit vobis, sicut nox sanctificatæ solemnitatis. *Egregie Correctores scripserunt* nox, *quæ est altera pars diei, pro eo quod plerique vitiose legunt* vox, *id est, clamor*.

CAP. XXXI. v. 4. Et cum occurrerit ei multitudo pastorum. *Non omittas conjunctionem* &.

CAP. XXXII. v. 7. In sermone mendaci. *Alii pro adjectivo* mendaci *scribunt substantivum* mendacii.

CAP. XXXIII. v. 9. Confusus est Libanus & obsorduit. *Scribendum est* obsorduit *vocali quarta, derivatum a* sordes, *non quinta* obsurduit, *a* surdus.

V. 19. Populum impudentem non videbit. *Merito correxerunt Patres* impudentem, *quod est inverecundum, pro eo quod complures legunt* imprudentem, *id est, insipientem*.

Vers. 23.

V. 23. Et non prævalebunt. *Alii scribunt sed pro &.*

CAP. XXXIV. v. 7. Inebriabitur terra eorum sanguine. Non *mutes futurum in præsens* inebriatur.

V. 14. Et occurrent dæmonia onocentauris. *Patres emendarunt* onocentauris, *scripto casu tertio numeri pluralis, pro nominativo singulari* onocentaurus, *quem plerique alii scribunt, & et quod sequitur jungunt.*

V. 17. In generationem & generationem habitabunt in ea. *Prior accusativus non est mutandus in ablativum generatione, ut plerique faciunt.*

CAP. XXXV. v. 4. Dicite pusillanimis. *Servandus est dativus pluralis* pusillanimis, *quod est meticulosis; non surrogandus nominativus pluralis* pusillanimes.

Ibidem. Ecce Deus vester *&c.* & salvabit vos. Non *sunt mutanda secundæ personæ pronomina in primæ*, noster, nos.

CAP. XXXVI. *Vers.* 21. Mandaverat enim rex. Non *addas pronomen* eis.

CAP. XXXVIII. v. 14. Responde pro me. Non *facile scribas simplex* sponde *pro composito* responde.

V. 15. Quid dicam, aut quid respondebit mihi cum ipse fecerit? *Nec omittas posterius* quid, *nec vertas in masculinum* quis. *Ad hæc ut primæ personæ pronomen* mihi, *non est commutandum cum secundæ* tibi; *ita nec tertiæ personæ verbum* fecerit, *cum primæ* fecerim. *Hæc enim menda sunt in quibusdam codicibus.*

CAP. XL. v. 2. Quoniam completa est malitia ejus. Non *judicarunt Correctores, pro* malitia, *corrigendum esse* militia, *id est, pro vocali prima scribendam esse tertiam.*

V. 24. Et quidem, neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum. Non *facile mutandi sunt nominativi isti casus numeri singularis, in alios.*

CAP. XLI. v. 2. Sicut stipulam vento raptam. Non *præponas conjunctionem* &.

V. 12. Et veluti consumptio homines bellantes adversum te. *Nequaquam sunt nominativi plurales* homines bellantes, *commutandi cum genitivis singularibus* hominis bellantis.

V. 18. Aperiam in supinis collibus flumina. Non *facile scribendum est* supremis, *quod est summis, pro* supinis, *quod opponitur pronis.*

V. 27. Primus ad Sion dicet. Ecce adsunt. *Mendose plerique omnes libri scribunt* adsum, *prima persona singulari, pro* adsunt *tertia plurali.*

CAP. XLIII. v. 14. Propter vos misi in Babylonem. Non *mutes verbum simplex* misi, *in compositum* emisi.

CAP. XLIV. *vers.* 16. Et de medio ejus carnes comedit. *Quod multi codices addunt* coxit & *ante* comedit, *superfluum est.*

CAP. XLV. v. 9. Væ qui contradicit fictori suo. Non *scribas* factori *a facio, pro* fictori *a fingo.*

CAP. XLVI. v. 11. Vocans ab oriente avem. *Quidam, interpretandi caussa, pro* avem, *id est, volucrem, scripserunt* justum; *male.*

CAP. XLIX. v. 21. Ego destituta & sola; & isti ubi erant? *Minime interjiciendum est adverbium* hic *inter* ubi & erant.

V. 23. Vultu in terram demisso adorabunt te. Non *mutes accusativum* terram *cum ablativo* terra.

CAP. L. *vers.* 5. Retrorsum non abii. *Subest hic mendum in autographo Romano, ubi excusum est tertia persona* abiit *pro prima* abii.

Vers. 6. Et conspuentibus in me. Non *judicarunt Patres omittendum* τὸ in me.

CAP. LIII. v. 11. In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos. *Nec futurum* justificabit *vertendum est in præteritum, nec nominativi singulares* justus servus meus *in accusativos plurales* justos servos meos.

CAP. LIV. *vers.* 1. Lauda sterilis quæ non paris. *Pro* lauda *est in multis libris* lætare, *sed a LXX. & Apostolo Gal. 4. vers. 27. acceptum.*

V. 9. Cui juravi, ne inducerem aquas Noe ultra supra terram. *Nomen proprium* Noe *retinendum est, nec in ejus locum surrogandum appellativum* diluvii.

CAP. LVII. v. 9. Et ornasti te regi unguento. *Qui vulgo legitur casus ablativus nominis adjectivi* regio, *a Patribus mutatus est in dativum nominis substantivi* regi.

CAP. LIX. v. 4. Sed confidunt in nihilo. *Pro ablativo* nihilo, *alii scribunt* nihil *indeclinabile.*

V. 9. Propter hoc elongatum est judicium a nobis, & non apprehendit nos justitia. *Pronomina primæ personæ* nobis & nos, *mutanda non sunt in secundæ personæ pronomina* vobis & vos.

CAP. LX. *vers.* 5. Et mirabitur & dilatabitur cor tuum. Non *est omittendum prius* &.

Vers. 20. Et complebuntur dies luctus tui. *Cave scribas* luminis *sive* lucis, *pro* luctus, *quod est mœroris.*

CAP. LXI. v. 7. Laudabunt partem suam. *Correctores dederunt pronomen reciprocum* suam, *pro eo quod alii legunt* eorum.

CAP. LXII. v. 2. Quod os Domini nominabit. Non *mutes futurum* nominabit *in præteritum* nominavit.

V. 4. Sed vocaberis Voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata. *Cave scribas verbum* inhabitabitur *pro participio* inhabitata: *participium enim est hujus loci, verbum vero ejus loci, ubi sequitur hoc ipso versu:* Quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur.

V. 9. Quia qui congregant illud, comedent. Non *mutes præsens* congregant *in futurum* congregabunt.

V. 10. Eligite lapides. Non *præponas his verbis* & *conjunctionem.*

CAP. LXIII. v. 4. Annus redemptionis meæ venit. *Retinenda est vox* redemptionis *a* redimo, *non substituenda* retributionis *a* retribuo.

V. 10. Et afflixerunt Spiritum Sancti ejus. Non *mutes genitivum* Sancti *in accusativum* sanctum.

CAP. LXIV. v. 6. Et facti sumus ut immundus omnes nos. *Nec hic mutes numerum singularem* immundus *in pluralem* immundi.

CAP. LXV. v. 6. Et retribuam in sinum eorum. *Pro* sinum, *cave scribas, addita g littera,* signum.

V. 16. Et quia abscondita sunt ab oculis meis. Non *est mutandum pronomen* meis *in* nostris.

V. 22. Electi mei non laborabunt frustra. *Alii sic distinguunt, ut* electi mei, *non inchoet hanc periodum, sed finiat præcedentem.*

V. 25. Leo & bos comedent paleas. Non *præponas conjunctionem* & *voci* leo.

CAP. LXVI. v. 6. Vox populi de civitate. Non *substituas* fremitus *pro* populi.

V. 17. Post januam intrinsecus. Non *facile corrigas* unam *pro* januam, *quod multi faciunt: qua de re Notationes nostræ legi possunt.*

V. 19. In Africam & Lydiam, tendentes sagittam. *Insignis correctio, qua scriptum est* tendentes *a* tendo *tertiæ conjugationis, pro* tenentes *a* teneo *secundæ.*

JEREMIAS.

CAP. I. *vers.* 14. Ab Aquilone pandetur malum. *Voci* malum *non addas* omne.

V. 18. Et sacerdotibus & populo terræ. *Nec hic omni voci* populo.

CAP. II. v. 37. Et nihil habebis prosperum in ea. *Correctores merito addiderunt,* in ea, *quod alii omittunt.*

CAP. III. v. 1. Tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. *Addiderunt Correctores* τὸ & ego suscipiam te, *ex plurimis libris manuscriptis, quanquam Hebraice non legatur.*

CAP. IV. v. 1. Si reverteris Israel. *Præferendum est,* reverteris, *ei quod in aliis libris est,* converteris.

V. 3. Dominus viro Juda, & Jerusalem. Non *addas* habitatori *ante* Jerusalem, *hoc quidem loco.*

V. 8. Quia non est aversa ira furoris Domini a nobis. *Retinendum est pronomen primæ personæ* nobis, *non substituendum secundæ* vobis.

Vers. 12. Et nunc ego loquar judicia mea cum eis. *Correctores judicarunt omittendam conjunctionem* sed, *quam plerique omnes libri collocant inter* ego & loquar.

V. 16. Dicite gentibus: Ecce auditum est. *Pro* dicite gentibus, *pleraque omnia manuscripta legunt* concitate gentes.

Vers. 31. Vox filiæ Sion intermorientis expandentisque manus suas. *Retinendi sunt genitivi singulares* intermorientis expandentisque, *non supponendi accusativi plurales, distracto prius vocabulo in duo,* inter morientes expandentesque.

CAP. V. v. 8. Equi amatores. *Quod sequitur in multis libris* in feminas, *Patres censuerunt superfluere.*

V. 25. Iniquitates vestræ declinaverunt hæc, & peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis. *Pronomina secundæ personæ non sunt mutanda in personam primam.*

CAP. VI. v. 26. Quia repente veniet vastator super nos. *Hic e contrario non est pronomen primæ personæ* nos, *convertendum in secundæ* vos.

V. 28. Æs & ferrum. Non *est præponendum adverbium similitudinis* ut.

CAP. VII. v. 5. Quoniam si bene direxeritis vias vestras. Non *scribas unicam vocem* benedixeritis, *pro duabus* bene direxeritis.

V. 7. A sæculo & usque in sæculum. Non *auferas conjunctionem* &.

Vers. 24. Sed abierunt in voluntatibus. *Retinenda est vox* voluntatibus, *id est, desideriis, non substituenda* voluptatibus, *mutata liquida* n *in mutam* p.

Vers. 34. In desolationem enim erit terra. *Accusativus* desolationem *non est commutandus cum ablativo.*

CAP. VIII. v. 1. Ejicient ossa regum Juda. *Legendum est numero plurali* regum, *non singulari* regis.

CAP. IX. v. 2. Quia omnes adulteri sunt, cœtus prævaricatorum: *Non interponas conjunctionem* &.

Vers. 17. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel. *Alii libri omittunt* Deus Israel.

Ibidem. Et vocate lamentatrices & veniant. *Non mutes posterius* & *in* ut.

V. 19. Quoniam dejecta sunt tabernacula nostra. *Legendum est* dejecta, *quod est, diruta, potius quam* derelicta, *quod est* derelicta.

Vers. 25. Ecce dies venient. *Præsens præferendum est futuro* venient.

CAP. X. v. 18. Et tribulabo eos ita ut inveniantur. *Plerique libri interjiciunt* non *inter* ut & inveniantur, *sed temere.*

CAP. XI. *vers.* 12. Et clamabunt ad deos quibus libant. *Male plerique libri, pro* deos *nomine scribunt* eos *pronomen.*

V. 13. Et secundum numerum viarum Jerusalem. Non *addas pronomen* tuarum *nomini* viarum.

V. 18. Tunc ostendisti mihi studia eorum. *Cave commutes adverbium* tunc *cum pronomine* tu.

CAP. XIV. v. 14. Et divinationem & fraudulentiam. *Non est mutandum substantivum* fraudulentiam, *in adjectivum* fraudulentam, *omissa conjunctione, hoc modo:* & divinationem fraudulentam.

V. 18. Propheta quoque & sacerdos. *Correctores emendarunt* quoque *pro* namque.

CAP. XVII. *vers.* 9. Pravum est cor omnium & inscrutabile. *Insignis correctio, qua vox* omnium, *posito pro super omnia, restituta est in locum vocis* hominis, *quæ vulgo legitur.*

CAP. XX. v. 17. Qui non me interfecit a vulva. *Non commutes relativum* qui *cum conjunctione* quia.

CAP. XXIII. v. 10. Quia adulteris repleta est terra. *Non mutes adjectivum* adulteris *in substantivum* adulteriis.

V. 13. Prophetabant in Baal. *Non præponas* & *conjunctionem.*

Vers. 14. Vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacii. *Pro genitivo participii* adulterantium, *quidam codices scribunt nominativum nominis* adulterium.

Vers. 19. Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur. *Non est mutandum futurum in præsens* egreditur.

Vers. 33. Dices ad eos: Vos estis onus. *Correctores clare emendarunt* Vos estis onus *(nam & LXX. ad hunc modum verterunt) pro eo quod multi codices legunt.* Ut quid vobis onus.

CAP. XXV. *vers.* 20. Et Ascaloni & Gazæ, *Retinendum est dativum* Ascaloni, *non mutandum in genitivum.*

CAP. XXVI. *vers.* 18. Et mons domus in excelsa silvarum. *Voci* domus *non addas* Domini.

V. 19. Itaque nos facimus malum grande contra animas nostras. *Pro* nos facimus, *alii scribunt* non faciamus; *sed minus recte.*

CAP. XXIX. v. 1. Et hæc sunt verba libri quem misit Jeremias. *Patres correxerunt,* quem *scilicet librum, pro eo quod alii minus sincere legunt* quæ *s.* verba.

V. 15. Suscitavit nobis Dominus prophetas in Babylone: *Et hic correxerunt* suscitavit *præterito tempore, pro futuro* suscitabit.

CAP. XXX. v. 7. Et ex ipso salvabitur. *Præstat legere neutro genere* ipso *s.* tempore *quod proxime præcedit, quam feminino genere* ipsa *s.* die.

CAP XXXI *vers* 6. Custodes in monte Ephraim. *Quod quidam adjiciunt* in monte Samariæ, *superfluum est.*

Vers. 8. Prægnans & pariens. *Non præponas* & *voci* prægnans.

V. 9. Et in misericordia reducam eos. *Quidam libri, pro* misericordia, *legunt* precibus.

V. 32. Quod pepigi cum patribus eorum. *Non mutes pronomen tertiæ personæ* eorum *in secundæ* vestris.

V. 39. Et exibit ultra norma mensuræ. *Nominativus* norma *non est mutandus in accusativum* normam.

V. 40. Et omnem vallem cadaverum & cineris. *Patres optime emendarunt* cineris *casu genitivo numeri singularis, pro eo quod alii scribunt numero plurali* cineres.

Ibidem. Usque ad torrentem Cedron, & usque ad angulum portæ equorum Orientalis. *Nequaquam postponendus est* torrens Cedron portæ equorum, *quod faciunt quidam libri.*

CAP. XXXII. *vers* 12. In oculis testium. *Hic non est præponenda conjunctio,* &, *ut mox non est omittenda, ubi dicitur:* Et in oculis omnium Judæorum.

V. 24. Et urbs data est in manus Chaldæorum. *Redundat quod quidam libri subjiciunt,* & in manus regis Babylonis.

V. 36. De qua vos dicitis quod tradetur. *Melius est futurum indicativi* tradetur, *præsenti conjunctivi* tradatur.

CAP. XXXIII. *vers.* 14. Ecce dies veniunt. *Hoc loco melius est præsens* veniunt, *quam futurum* venient.

V. 16. Et Jerusalem habitabit confidenter. *Cave ne pro nomine civitatis* Jerusalem *supponas nomen decem tribuum* Israel, *quod non est hujus loci, sed supra* 23. v. 6.

CAP. XXXVI. v. 13. Quæ audivit legente Baruch. *Pro* legente *ablativo absolute posito, non est substituendus accusativus* legentem.

CAP. XXXVIII. v. 6. Et submiserunt Jeremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua. *Non præponas præpositionem* in *nomini* funibus, *nec conjunctionem* & *nomini* lacum, *accusativo mutato in ablativum, sublatoque eo quod sequitur* in quo. Et in lacu non erat aqua. *Prior enim lectio & certior & clarior est.*

V. 11. Et antiqua, quæ computruerant. *Adjectivo* antiqua *non addas substantivum* vestimenta.

CAP. XXXIX. *vers.* 13. Et Nabusezban & Rabsares. *Prius nomen non est distrahendum in duo* Nabu & Sezban, *quod quidam faciunt; nec ultima illius littera est zeta: sed n liquida.*

CAP. XL. v. 11. Et in filiis Ammon. *Non scribas* finibus *quod est terminis, pro* filiis.

CAP. XLI. v. 7. Ipse & viri qui erant cum eo. *Non mutes singulare* ipse *in plurale* ipsi.

CAP. XLII. v. 1. Et Jezonias filius Osaiæ. *Non est scribendum* Osiæ, *vel* Josiæ *pro* Osaiæ: *sicut nec infra* XLIII. *vers.* 2. *ubi legitur:* Dixit Azarias filius Osaiæ.

CAP. XLIV. v. 1. Verbum quod factum est per Jeremiam ad omnes Judæos. *Plerique libri habent duplex* ad, *Correctores prius mutarunt in* per.

V. 4. Abominationis hujuscemodi quam odivi. *Non omittas postrema hæc verba* quam odivi.

V. 9 Et mala uxorem ejus. *Non mutes singulare* ejus *in plurale* eorum.

V. 13. Et visitabo super habitatores Terræ Ægypti. *Non omittas præpositionem* super.

CAP. XLVI. v. 6. Non fugiat velox. *Alii libri habent futurum indicativi* fugiet.

CAP. XLVIII. v. 15. Et civitates ejus succiderunt. *Correctores emendarunt* succiderunt, *quod est,* exciderunt, *subverterunt, pro eo quod quidam legunt* succenderunt, *quidam* ascenderunt.

V. 18. Quoniam vastator Moab ascendit ad te, dissipavit munitiones tuas. *Præterita non sunt in futura mutanda,* ascendet, dissipabit

V. 34. A Segor usque ad Oronaim vitula conternante. *Casus sexti* vitula conternante, *haudquaquam mutandi sunt in quartos* vitulam conternantem, *sicut nec* conternante, *quod est tertium annum agente, depravandum est, addita s littera* consternante. *Simile Isa.* 15. *Vers.* 5.

V. 36. Propterea cor meum ad Moab quasi tibiæ resonabit. *Retinendus est numerus pluralis* tibiæ; *non substituendus singularis* tibia, *nec addendum nomen* æris.

V. 45. Et flamma de medio Seon. *Cave ne scribas* Sion *arcem Jerosolymitanam, pro* Seon *rege Amorrhæorum.*

Sequitur: Et devorabit partem Moab. *Non mutes futurum in præteritum* devoravit.

CAP. XLIX. v. 2. Et erit in tumulum dissipata. *Patres correxerunt* tumulum, *quod est,* colliculum, *pro eo quod vulgo legitur, addita t littera,* tumultum, *id est,* turbam.

V. 6. Et post hæc reverti faciam captivos. *Voci* captivos *non præponas* fugientes &.

V. 29. Formidinem in circuitu. *Non subjicias pronomen* ejus.

V. 35. Et summam fortitudinem eorum. *Legendum est* summa *summam constans duplici m medio, non* verbum *sumam, futurum a* sumo.

CAP. L. *vers.* 12. Deserta, invia, & arens. *Non præponas* & *conjunctionem voci* deserta.

V. 19. Et pascetur Carmelum & Basan. *Scribendum est accusativo casu* Carmelum, *non nominativo* Carmelus.

V. 39. Propterea habitabunt dracones cum faunis ficariis. *Duplex mendum hinc sublatum est felicissima Romanorum Patrum diligentia: Unum, quo pro* faunis *(quod nomen est dæmonum silvestrium, apud Ethnicos, affinium Satyris) scribebatur* fatuis, *id est,* stultis: *alterum, quo legebatur* sicariis, *a* sica *quod genus est gladii, pro* ficariis *a* ficu *arbore, Faunis, credo, ut aliās Mercurio, amata.*

V. 42. Crudeles sunt & immisericordes. *Cave scribas contrarium* misericordes.

CAP. LI. v. 6. Quoniam tempus ultionis est a Domino. *Nomini* ultionis *non addas pronomen* ejus.

V. 15. Præparavit orbem in sapientia sua. *Non præponas his verbis* & *conjunctionem.*

V. 27. Clangite buccina in gentibus. *Pro* gentibus, *quod est,* nationibus, *nequaquam scribendum est* montibus.

V. 52. Et visitabo super sculptilia ejus. *Pronomen* ejus *non est commutandum cum nomine* Babylonis.

V. 58. Murus Babylonis ille latissimus. *Non est* latissimus, *quod est spatiosissimus, transpositis primis duabus litteris, commutandum cum* altissimus, *quod est, excellentissimus.*

CAP LII v. 20. Et vitulos duodecim æreos. *Non est omittenda conjunctio* &.

V. 22. Et capitella super utramque ærea. *Non facile mutandus est accusativus* utramque *in ablativum* utraque.

Ibidem. Similiter columnæ secundæ & malogranata. *Hæc verba Romani Correctores post alios addiderunt, quæ a multis libris omittuntur, de quibus legere licet Notationes nostras.*

T H R E N I.

ET factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel *&c. Hanc præfatiunculam Patres judicarunt non esse omittendam; tametsi a quibusdam libris omittatur.*

CAP. III. v. 17. Et repulsa est a pace anima mea. *Non omittas illud* a pace.

V. 21. Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo. *Conjunctionem* ideo *male quidam dividunt in duas dictiuncula* in Deo.

V. 23. Novi diluculo. *Pro masculino* novi, *quidam legunt femininum* novæ: *sed spurium est, quod a quibusdam legitur* novæ es.

Vers. 28. Sedebit solitarius & tacebit, quia levavit super se. *Non addas alteram* se, *quod multi:* Levavit se super se.

CAP. IV. v. 14. Cumque non possent, tenuerunt lacinias suas. *Non addas verbo* possent *infinitivum* intrare.

V. 17. Quæ salvare non poterat. *Neque hic addas pronomen* nos.

B A R U C H.

CAP. I v. 8. Cum acciperet vasa templi Domini: *Non mutes singulare* acciperet *in plurale* acciperent.

V. 9. Et vinctos potentes. *Correctores prætulerunt hanc lectionem ei, quæ habet* & vinctos & potentes, *quamvis Græco consentanea.*

Ibidem. Et duxit eos vinctos in Babylonem. *Similiter hic addiderunt* vinctos, *quamvis illud alii libri Græco conformiter omittant.*

Vers. 21. Quos misit ad nos. *Quod sequi-*

sequitur in quibusdam libris & ad judicea nostros *superfluit*.

CAP. II. *vers.* 1. Qui judicaverint Israel. *Non praeponas praepositionem in nomini Israel*.

V. 4. In omnibus populis. *Non praeponas his verbis conjunctionem* &.

Vers. 22. Quid si non audieritis. *Non interponas feceritis nec, inter non & audieritis*.

V. 33 Et denominabitur ejus. *Vitium typographicum est hic in autographo Romano, dativus pluralis eis pro genitivo singulari ejus f. terra*.

CAP. III. *v.* 9. Ut scias prudentiam. *Non mutes singulare* scias *in plurale* sciatis.

V. 13. Habitasses utique in pace sempiterna. *Unam vocem* sempiterna, *male quidam distrahunt in duas* super terram.

Vers 23. Negotiatores Metthae & Theman. *Egregia correctio, qua restitutum est nomen proprium* Metthae, *pro appellativo* terrae.

CAP. IV. *v.* 6. Sed propter quod in ira ad iracundiam provocastis Deum. *Nomini* ira *non est addenda vox* Dei.

Vers. 9. Audite confines Sion. *Cave pro* confines *scribas* civitates.

V. 16. Et abduxerunt dilectos viduae. *Legendum est* abduxerunt, *quod est separarant*, non adduxerunt, *quod est contrarium, accedere fecerant*.

V. 20. Exul me stola pacis. *Nequaquam scribendum est* te *pronomen secundae personae, pro* me *prima*.

Vers. 25. Sed cito videbis perditionem ipsius. *Non mutes singulare* videbis *in plurale* videbitis.

CAP. V. *v.* 1. Ejus quae a Deo tibi est sempiternae gloriae. *Nec hic mutes genitivos* sempiternae gloriae *in nominativos*.

Vers 3. Splendorem suum in te, omni qui sub caelo est. *Non est omittenda vox* omni.

Vers. 6. Portatos in honore. *Praeferendus est ablativus accusativo* honorem.

Vers. 8. Ex mandato Dei. *Alii libri omittunt* ex.

CAP. VI. *v.* 2. Ad abducendos captivos in Babyloniam. *Participium futurum* abducendos, *non est mutandum in participium praeteritum* abductos.

Vers. 9. Et erogant illud in semetipsos. *Neque hic accusativus* semetipsos *mutandus est in ablativum* semetipsis.

Vers. 15. Non ergo timueritis eos. *Non scribas* veneremini *pro* timueritis.

V. 26. Sed sicut mortuis munera eorum illis apponentur. *Cave pro* munera, *quod est dona, scribas* humeri.

V. 46. Artifices etiam ipsi. *Praeferendum est* artifices, *ab arte dictum, ei quod alii legunt* aurifices, *ab auro*.

Vers. 48. Cogitant sacerdotes apud se ubi se abscondant cum illis. *Nec omittas* apud se, *nec commutes cum* post se.

V. 56. Quibus hi qui fortiores sunt, aurum, & argentum, & vestimentum, quo operti sunt, auferent illis. *Egregia correctio, qua nomen* iniqui, *quod vulgo scribitur, distractum est in dictiunculas duas* hi qui, *& id quod sequitur additur ad perficiendam sententiam praecedentem; male enim quidam exordiuntur periodum novam ab his verbis* aurum & argentum *&c*.

V. 58. Vel ostium in domo, quod custodit quae in ipsa sunt. *Multi libri, pro pronomine* ipsa, *scribunt nomen* pace; *pessime*.

V. 61. Perambulare universum orbem. *Non addas praepositionem* in *ante* universum.

V. 71. A purpura quoque & marice, quae supra illos tineant, scietis itaque quia non sunt dii. *Pro* marice, *alii legunt* marmore. *Patres praetulerunt* marice, *quod ejusdem generis* murex *cum purpura sit*, marmor *vero longe alterius generis*. *Pro* tineant, *plerique habent* teneant, *male*; *Patres emendarunt* tineant, *quo verbo a tinea derivato. Interpres significare voluit, tineis arentibus corrumpuntur: nam & quae Graece legitur vox* ... , *quae putrescere denotat, proxime ad rem, quodest, tinea, accedit, est enim tinea causa putrefactionis corruptionisque. Videtur igitur loci census esse: Scietis quoque non esse deos (nam itaque ut Graece non legitur, ita videri possit superfluere) vel a vestibus purpura murriceque similiter, quas induunt & gestant: quibus etsi splendidissime sint ornati, non valent tamen eas, etiam dum suo corpori sunt impositae, servare integras, quin tineis occupantibus marcescant ac putrescant. Est vero observatu dignissima hujus loci restitutio*.

EZECHIEL.

CAP. I. *v.* 5. Et in medio ejus similitudo. *Patres praetulerunt* in ei *quod in aliis libris legitur* ex.

V. 23. Et similitudo animalium, adspectus eorum. *Non interponas conjunctionem* & *ante* adspectus.

CAP. II. *v.* 3. Ipsi & patres eorum praevaricati sunt. *Nec omittas pronomen* ipsi.

CAP. V. *v.* 7. Et juxta judicia gentium, quae in circuitu vestro sunt, non estis operati. *Non est omittenda negatio* non *praeposita verbo* estis.

CAP. VI *v.* 9. Super malis quae fecerunt. *Patres praetulerunt perfectum plusquam perfecto* fecerant.

Vers. 11. Quia gladio, fame & peste ruituri sunt. *Hoc loco conjunctionem* quia *praetulerunt relativo* qui.

CAP. VII. *v.* 7. Venit contritio super te. *Hic similiter praetulerant* contritio, *eis quae leguntur in quibusdam libris* confractio & contractio; *ut & infra vers.* 10 egressa est contritio.

V. 18. Et accingent se ciliciis. *Error hic est typographicus in exemplari Romano, ubi singulare* accinget *excusum est pro plurali* accingent.

CAP. IX. *v.* 6. Parvulum & mulieres. *Alii legunt numero plurali* parvulos, *sed singularis est merito praeferendus*.

CAP. XI. *v.* 15. Filiis hominis, fratres tui, fratres tui. *Non est omittendum alterum, sed repetendum est* fratres tui.

Vers. 21. Quorum eos post offendicula. *Non addas conjunctionem* autem.

CAP. XII. *vers.* 4. & 7. Quasi vasa transmigrantis. *Participium potius dedisse videtur Interpres, quam nomen* transmigrationis. *Vide Notationes*.

V. 13. Et extendam rete meum super eum. *Non omittas conjunctionem* &.

V. 25. Et quodcumque loquutus fuero verbum, fiet, & non prolongabitur amplius. *Conjunctio copulativa* &, *quae postponitur verbo* fiet, *nequaquam praeponenda est*.

CAP. XIII. *v.* 18. Vae quae consuunt pulvillos sub omni cubito manus. *Retinendum est femininum* quae, *non substituendum masculinum* qui.

CAP. XVI. *vers.* 10. Et calceavi te janthino. *Pro* janthino, *alii legunt* hyacinthо, *alii* hyacinthino. *Vide Exod.* 25. *vers.* 5.

V. 13. Et polymito & multicoloribus. *Vox una* multicoloribus, *non est dividenda in duas* multis coloribus.

Vers. 18. Et operuisti illas. *Correctores hanc lectionem praetulerunt alteri*, quae habes & vestita es eis.

Vers. 27. Et auferam justificationem tuam. *Quidam libri, explicationis ergo, ut arbitror, pro* justificationem tuam, *scribunt* jus tuum.

CAP. XVII. *v.* 8. In terra bona super aquas multas plantata est. *Non praeponas his verbis relativum* quae.

CAP. XVIII. *v.* 2. Et dentes filiorum obstupescunt. *Quidam libri, pro praesenti, scribunt praeteritum* obstupuerunt.

V. 19. Et dicitis, Quare non portavit filius iniquitatem patris? *Non mutes praeteritum* portavit *in futurum* portabit.

CAP. XIX. *v.* 1. Et tu assume planctum. *Non addas* fili hominis.

CAP. XX. *v.* 20. Et sciatis quia ego sum Dominus Deus vester. *Pro* ut sciatis, *Correctores scripserunt* & sciatis.

V. 36. Sic judicabo vos, dicit Dominus Deus. *Non omittas nomen* Deus.

CAP. XXI. *v.* 19. De terra una egredientur ambae. *Legendus est* ambae *genere feminino, non* ambo *masculino*.

Vers. 22. Ut elevet vocem in ululatu. *Non mutes* ut *causativum in* & *copulativum*.

Vers. 30. In loco in quo creatus es. *Nec hic mutes sextum casum* loco *in quartum* locum.

CAP. XXII. *v.* 27. Et avare adsectanda lucra. *Alii pro verbo composito* adsectanda *scribunt simplex* sectanda.

V. 28. Et divinantes eis mendacium. *Pronomen plurale* eis, *nec omittendum est, nec vertendum in singulare* ei.

V. 29. Populi terrae calumniabantur calumniam. *Nominativus pluralis* populi *non est mutandus in singularem, sive accusativum* populum, *sive dativum* populo. *Denique accusativus* calumniam *non est vertendus in ablativum* calumnia.

CAP. XXIII. *v.* 9. Super quorum insanivit libidine. *Retinendus est ablativus* libidine, *non substituendus accusativus*.

Vers. 15. Et tiaras tinctas in capitibus eorum. *Cave pro* tinctas, *legas* vinctas, *quod est ligatas, aut* cinctas, *quod circumdatas*.

V. 24. Multitudo populorum. *Non praeponas conjunctionem* &.

V. 33. Calice maeroris & tristitiae, calice sororis tuae Samariae. *Correctores retinuerunt ablativum, pro eo quem alii legunt accusativo* calicem.

V. 34. Et ubera tua lacerabis. *Non omittas copulativum* &.

V. 45. Et sanguis in manibus eorum. *Quod subjiciunt quaedam exemplaria* & cum idolis suis fornicatae sunt, *non est hujus versus, sed solummodo versus 37. superioris*

CAP. XXV. *vers.* 7. Et scies quia ego Dominus. *Non mutes singulare* scies *in plurale* scietis.

V. 10. Filiis Orientis cum filiis Ammon. *Retinendus est dativus* filiis, *non mutandus vel in accusativum* filios, *vel in genitivum* filiorum, *vel denique in nominativum* filii, *haec enim sunt variorum codicum vitia*.

CAP. XXVI. *vers.* 10. Cum ingressus fuerit portas tuas. *Pro* ingressus, *quod est, intraverit, cave scribas contrarium*, egressus, *exierit*.

CAP. XXVII. *v.* 13. Mancipia & vasa aerea advexerunt populo tuo. *Melius est* advexerunt, *quam quod alii legunt* adduxerunt.

V. 14. De domo Thogorma. *Alii declinantes vocem scribunt* Thogormae.

CAP. XXIX. *vers.* 1. In anno decimo, decimo mense, undecima die mensis. *Pro* decimo mense, *non scribas, numero ampliato*, duodecimo mense; *ut nec pro* undecima die, *numero diminuto* una, *seu* prima die. *Lege Notationes Nostras, si places*

V. 20. Pro eo quod laboraverit mihi. *Pro numero singulari* laboraverit, *alii codices scribunt pluralem* laboraverunt.

CAP. XXXI. *vers.* 7. In medio civitatum desertarum. *Non mutes* desertarum *cum* desolatarum.

V. 12. Manu alienorum. *Retinendus est sextus casus numeri singularis* manu, *non substituendus quartus pluralis, addita propositione*, in manus.

Vers. 17. Juvenes Heliopoleos & Bubasti.

basti. *Codices impressi fere scribunt* Pubasti, *prima littera existente* p *muta tenui, prout scribitur Hebraice: sed manuscripti legunt* Bubasti. *Græci enim Latinique, mutata tenui* p *in mediam* b, *vocarunt illam Ægypti civitatem* Bubastus, *nominatim Herodotus post Lxx*.

Vers. 21. Et fasciaretur linteolis. *Legendum est* fasciaretur *prima conjugatione, non* fascicetur *quarta, quod in usu non est*.

Sequitur: Ut recepto robore possit tenere gladium. *Non mutes* ut *causativum in* & *copulativum*.

CAP. XXXII. v. 8. Cum ceciderint vulnerati tui in medio terræ, ait Dominus Deus. *Hæc verba* Correctores *huic versui ex manuscriptis exemplaribus addenda judicarunt, tametsi Hebraice non legantur. De his legere licet* Notationes *nostras*.

Vers. 10. Horrore nimio formidabunt super te. *Quod subjiciunt multi codices* propter universas iniquitates, quas operatus es, *Correctores prætereundum censuerunt*.

Ibidem. In die ruinæ tuæ. *Servandum est pronomen secundæ personæ* tuæ, *non substituendum tertiæ* suæ.

Vers. 23. In novissimis laci. *Non mutes genitivum singularem* laci, *in dativum pluralem* lacis.

Vers. 29 Et cum his qui descendunt in lacum. *Neque hic mutes præsens* descendunt, *cum præterito* descenderunt.

Vers 32. Quia dedi terrorem meum in terra viventium. *Sic emendarunt hunc locum Correctores, verbum* dedi *&* *pronomen* meum, *utrumque scripserunt persona prima: quamvis complures libri scribant, vel utrumque persona tertia*, dedit, suum, *vel solummodo pronomen* ejus: *qua de re nos latius in Notationibus*.

CAP. XXXIII. *vers.* 11. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis. *Iterandum est verbum* convertimini.

CAP. XXXIV. *vers.* 10. Ut ultra non pascant gregem. *Non addas pronomen* meum.

Vers. 26. Pluviæ benedictionis erunt. *Non præponas conjunctionem* &.

CAP. XXXVI. v. 4. Et desertis parietinis. *Conjunctio* & *præponenda est potius his verbis, quam interponenda, prout docent vetera manuscripta*.

CAP. XXXVII. *vers.* 16. Joseph ligno Ephraim & cunctæ domui Israel. *Correctores scripserunt* ligno *pro* lignum, *&* *dativum* domui *pro* domus.

CAP. XXXVIII. v. 2. Contra Gog, terram Magog. *Non interjicias conjunctionem copulativam* & *ante* terram.

CAP. XXXIX. *vers.* 2. Et educam te. *Correctores emendarunt* educam, *quod est, exire faciam, pro eo quod est in libris, quibusdam* seducam, *quibusdam* reducam.

Vers 9. Et baculos manuum & contos. *Clarior est genitivus pluralis* manuum, *quam singularis* manus.

CAP. XL. v. 16. Et ante frontes pictura palmarum. *Non subjicias* cælata.

Vers. 42. Super quas ponant vasa. *Pro futuro indicativi* ponent, *correctum est* ponant *præsens subjunctivi*.

Vers. 49 Et octo gradibus ascendebatur ad eam. *Non mutes pronomen femininum* eam *in masculinum* eum.

CAP. XLI. v. 25. Et sculpturæ palmarum. *Non mutes plurale* sculpturæ *in singulare* sculptura.

Sequitur: Sicut in parietibus quoque expressæ erant. *Servandum est femininum plurale* expressæ, *non substituendum neutrum* expressa.

CAP. XLIII. *vers.* 6. Et vir qui stabat juxta me, dixit ad me. *Non omittas relativum* qui, *nec addas* & *conjunctionem ante* dixit.

CAP. XLIV. *vers.* 12. Et portabunt iniquitatem suam. *Non mutes futurum* portabunt *in præteritum* portaverunt.

Vers. 30. Ut reponat benedictionem domui tuæ. *Nec hic mutes pronomen* tuæ *secundæ personæ, in* suæ *tertiæ*.

CAP. XLV. v. 7. Longitudinis autem juxta unamquamque partem. *Pro genitivo* longitudinis, *quidam scribunt accusativum, quidam ablativum*.

Vers. 20. Et expiabis pro domo. *Non facile mutes singulare* expiabis *in plurale* expiabitis.

V. 23. Et pro peccato hircum caprarum quotidie. *Non omittas τὸ* quotidie.

CAP. XLVI. *vers.* 21. Agnis autem. *Nomini* agnis *ne præponas præpositionem* de: *quæ & supra v. 7. simili prorsus loco a nostris manuscriptis unanimiter omittitur, adstipulante vetere Epanorthote manuscripto, quem habemus*.

V. 16. Si dederit princeps donum alicui de filiis suis. *Cave scribas* domum, *quod est, ædes, pro* donum, *munus*.

V. 20. Ut non efferant in atrium exterius. *Legendum est* efferant *vocali secunda, non* offerant *quarta; & casu accusandi* atrium exterius, *potius quam auferendi*, atrio exteriori.

CAP. XLVII. *vers.* 10. Et stabunt super illas piscatores. *Retinendum est femininum* illas *s. aquas, non substituendum neutrum* illa.

Vers. 12. Omne lignum pomiferum. *Alii libri habent* fructiferum.

CAP. XLVIII. v. 2. Et super terminum Dan. *Non mutes* super *in* ad.

Vers. 12. Et erunt eis primitiæ de primitiis terræ. *Pro* primitiis, *non est scribendum* primitivis, *sed eadem vox repetenda est*.

V. 17. Et ad orientem ducenta quinquaginta. *Adulterinum est quod quidam addunt* millia.

Vers 22. Erit inter terminum Juda & inter terminum Benjamin. *Præpositionem* inter *dissyllabam nequaquam commutare oportet cum monosyllaba* in, *neutro loco*.

V. 28. Ad plagam Austri in meridie. *Retinendus est sextus casus* meridie, *non mutandus in quartum* meridiem.

V. 31. Et portæ civitatis ex nominibus tribuum Israel. *Male scribunt quidam* omnibus tribubus, *pro* ex nominibus tribuum, *quod est, sortita nomina a nominibus tribuum*.

Vers. 33. Et portæ tres, porta Simeonis una. *Nequaquam omittendum illud* & portæ tres.

D A N I E L.

CAP. II. v. 23. Tibi Deus patrum nostrorum confiteor. *Alii pro* nostrorum *scribunt* meorum.

V. 27. Sapientes, magi, arioli, & aruspices. *Non præponas* & *voci* arioli.

Vers. 29. In strato tuo. *Non scribas* stratu *quarta declinatione*.

Vers. 39. Et post te consurget regnum aliud minus te, argenteum. *Non facile omittas τὸ* argenteum.

Vers. 42. Partem testæ figuli. *Pro substantivo* testæ *non substituas adjectivum* testeam.

CAP. III. v. 7. Et symphoniæ & omnis generis musicorum. *Non omittas prius* &.

V. 12. Super opera regionis Babylonis. *Alii libri habent* Babyloniæ.

Vers. 14. Et statuam auream, quam constitui. *Quidam libri legunt* erexi *pro* constitui.

Vers. 31. In vero judicio fecisti. *Non omittas præpositionem* in.

Vers. 44. Confundantur in omni potentia tua. *Etiam prototypon Græcum duas habet dictiones*, omni potentia, *& quamvis non addat pronomen* tua, *visum est tamen Correctoribus addendum esse*.

V. 52. Et laudabilis & gloriosus & superexaltatus in secula. *Non putarunt Correctores omittendum esse* & gloriosus; *quamvis Græce non addatur*.

Vers. 67. Benedicite frigus & æstus Domino. *Legendum est* æstus, *oppositum frigoris; non* æstas, *oppositum hyemis*.

V. 92. Respondit & ait. *Non addas* rex, *sed subaudias*.

V. 100. Et regnum ejus regnum sempiternum. *Non omittas* regnum *secundo loco repetitum*.

Sequitur: Et potestas ejus in generationem & generationem. *Non mutes priorem accusativum in ablativum* generatione.

CAP. IV. v. 2. Et cogitationes meæ in strato meo. *Non scribas* stratu *quarta declinatione, sed* strato *secunda*.

V. 6 Quoniam ego scio. *Quidam libri mutant conjunctionem* quoniam *in relativum* quem.

V. 25. Omnia hæc venerunt. *Non omittas pronomen* hæc.

V. 27 Nonne hæc est Babylon magna. *Non addas* civitas.

Vers. 31. Et regnum ejus in generationem & generationem. *Non mutes accusativos in ablativos* generatione & generatione.

CAP. V. *vers.* 1. Baltassar rex. *Codices manuscripti scribunt hoc modo, secuti Interpretes Lxx. codices impressi, mutato* t *aut* th *in* s, *fere habent* Balsasar, *sequuti textum Chaldæum*.

Vers. 3. Tunc allata sunt vasa aurea & argentea. *Non facile omittas* & argentea.

V. 23. Qui habet flatum tuum in manu sua. *Cave pro* flatum, *quod est, spiritum, scribas* flatum.

Vers. 24. Articulus manus quæ scripsit hoc. *Alii scribunt masculinum* qui *pro feminino* quæ.

CAP. VI. v. 4. Quærebant occasionem ut invenirent Danieli ex latere regis. *Triplex est hoc loco variorum codicum error. Quidam collocant vocem* occasionem *post verbum* invenirent: *quidam pro dativo* Danieli, *scribunt accusativum* Danielem, *proque* invenirent, *fere auferrent vel evellerent: denique quidam pro* regis *legunt* regni. *Et quamquam Chaldaice sit* regni, *exemplaria tamen manuscripta loquuntur, ab Interprete versum esse* regis.

Vers 24. Qui accusaverant Danielem. *Præteritum plusquam perfectum præferendum est perfecto*.

CAP. VII. v. 22. Et judicium dedit sanctis Excelsi. *Manuscripti libri scribunt genitivum singularem* excelsi, *qui non est mutandus in dativum pluralem* excelsis, *quod faciunt impressi quidam codices*.

CAP. VIII. v. 2 Cum essem in Susis. *Alii libri, præsertim typis excusi, servata terminatione Chaldaica, scribunt* Susan.

Ibidem. Quod est in Ælam regione. *Pro* regione *non substituas* civitate.

V. 4. Cornibus ventilantem contra occidentem. *Non interjicias* contra orientem &, *post* ventilantem.

Vers. 22 Robur autem datum est ei. *Non temere omittas pronomen* ei.

Vers. 14. Usque ad Vesperam & mane, dies duo millia trecenti. *Correctores judicarunt addendam vocem* dies, *vel claritatis causa*.

CAP. IX. v. 23. Tu ergo animadverte sermonem. *Melius est* ergo *quam* autem.

CAP. X v. 1. Anno tertio Cyri. *Non facile interponas vocem* regni *post* tertio.

Ver. 17. Nihil enim in me remansit virium. *Non omittas conjunctionem* enim.

V. 20 Cum ego egrederer. *Legendum est pronomen* ego, *pro conjunctione* ergo, *quæ in plerisque est libris*.

CAP. XI. *vers.* 41. Et multæ corruent. *Femininum* multæ *non est commutandum cum masculino* multi.

CAP XII. v. 6. Et dixi viro, qui erat indutus lineis. *Pro prima persona* dixi *non temere substituenda est tertia* dixit.

CAP.

CAP. XIII. v. 5. Et constituti sunt de populo duo senes Judices. *Non omittas* τὸ de populo.

CAP. XIV. v. 9. 10. In templum Bel. Et dixerunt sacerdotes Bel. *Alii declinantes scribunt* Belis.

V. 12. Contemnebant autem quia fecerant. *Legendum est* contemnebant *potius quam* confidebant.

V. 13. Rex posuit cibos ante Bel. *Correctores, claritatis caussa, omiserunt* &, *quod multi libri præponunt voci* Rex.

V. 24. Ille autem non est Deus vivens. *Non censuerunt Patres omittenda hæc verba, quamvis ab aliis exemplaribus Græco conformiter omittantur.*

V. 36. Daniel serve Dei, tolle prandium. *Idem judicium est de hoc* serve Dei.

V. 37. Et non dereliquisti diligentes te. *Præferendum est* diligentes, *et quod quidam legunt* quærentes, *aliunde verisimile est, accepto.*

V. 39. Et ecce Daniel sedens in medio leonum. *Eadem ratio habenda est hujus* in medio leonum, *quæ illius de quo supra v. 24.*

V. 40. Et extraxit eum de lacu leonum. *Similiter & hujus* de lacu leonum.

V. 42. Tunc rex ait: Paveant omnes habitantes in universa terra Deum Danielis: quia ipse est salvator, faciens signa & mirabilia in terra, qui liberavit Danielem de lacu leonum. *Denique & hujus 42. versus eadem est ratio, qui respondet iis quæ leguntur supra v. 26. 27.*

OSEE.

CAP. I. v. 9. Et ego non ero vester. *Quidam libri addunt* Deus, *aut* Dominus; *sed superflue.*

CAP. II. v. 16. Et non vocavit me ultra Baali. *Alii scribunt* Baalim, *quod est plurale absolutum citra pronomen, & significat* domini. *Patres recte, ablata postrema littera* m, *correxerunt* Baali, *quod est singulare cum pronomine primæ personæ, & vertas* Dominus meus, *sed exosum Deo nomen, quod idolis vulgo attribueretur.*

V. 23. Et seminabo eam mihi in terra. *Non est mutandus ablativus* terra *cum accusativo* terram.

CAP. V. v. 1. Et rete expansum super Thabor. *Non addas* sicut *ante* rete, *sed subaudias.*

V. 7. Nunc devorabit eos mensis cum partibus suis. *Cave legas, transpositis literis, masculinum* partibus, *quod est* genitoribus, *pro feminino* partibus.

CAP. VI. v. 5. Occidi eos in verbo oris mei. *Non præponas* & *conjunctionem.*

CAP. VII. v. 5. Dies regis nostri. *Non est mutandus nominativus* dies *in ablativum* die.

CAP. VIII. v. 2. Me invocabunt, Deus meus. *Retinendum est futurum, non substituendum præteritum imperfectum* invocabant.

CAP. IX. v. 7. Propter multitudinem iniquitatis tuæ & multitudinem amentiæ. *Tam posteriore loco, quam priore, scribendus est accusandi casus* multitudinem (*quidam enim libri posteriore loco habent casum nominandi* multitudo) *sed pronomen* tuæ: *non perinde addendum est nomini* amentiæ, *ut nomini* iniquitatis.

CAP. X. v. 12. Seminate vobis in justitia. *Nonnulli codices, obscuræ phrasis sensum explicare volentes, pro ablativo cum præpositione* in, *scribunt nudum accusativum* justitiam; *alii complures, retentis accusativo & in præpositione, addunt* veritate: In veritate justitiam; *sed prima lectio germana est.*

V. 14. Qui judicavit Baal in die prælii. *Pro* judicavit, *quod est* damnavit, *non esse substituendum* vindicavit, *quod est*, ultus est, *docuimus in Notationibus.*

CAP. XI. v. 12. Circumdedit me in negatione Ephraim. *Cave scribas* negotiatione, *id est*, mercatu, *pro* negatione, *quod est*, abnegatione.

Ibidem. Judas autem testis descendit cum Deo, & cum sanctis fidelis. *Nominativus singularis* fidelis, *haudquaquam mutandus est in ablativum pluralem* fidelibus.

CAP. XII. v. 11. Si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal bobus immolantes. *Quadruplex hoc loco variorum codicum vitium vitandum est. Primum est eorum qui inter* si *&* Galaad *interponunt præpositionem* in, *quæ subaudiri potest, addi non debet. Alterum est eorum qui pro* Galaad *repetunt* Galgal, *quod est in posteriori parte sententiæ; Galaad ultra, Galgal citra Jordanem sita erat. Tertium, quo pro* ergo *conjunctione illativa, scribitur* tamen *adversativa. Quartum est, quo verbum substantivum* erant, *mutatur cum* errant, *errore non modico.*

V. 12. Et servivit Israel in uxorem, & in uxorem servavit. *Multi codices legunt* servivit, *quod est*, ministravit, *in fine ut in principio hujus pericopes: verum, in principio quidem* servivit, *in fine autem* servavit: *quod est*, custodivit, *scribendum esse, extra controversiam esse debet.*

CAP. XIII. v. 6. Et levaverunt cor suum. *Duas voces* & levaverunt, *non contrahas in unam*, elevaverunt.

V. 10. Da mihi regem & principes. *Servandus est singularis numerus* regem, *non substituendus pluralis* reges.

V. 15. Adducet urentem ventum Dominus. *Non præponas conjunctionem* &.

CAP. XIV. v. 6. Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium. *Non est interjicienda* & *conjunctio inter* ros *&* Israel, *eo minus quod* Israel *conjungi possit cum* ros.

JOEL.

CAP. II. v. 14. Quis scit si convertatur & ignoscat? *Non addas* Deus.

Ibidem. Sacrificium & libamen Domino Deo vestro. *Retinendum est pronomen secundæ personæ* vestro: *non supponendum primæ* nostro.

CAP. III. v. 3. Et posuerunt puerum in prostibulo. *Præferendus est casus sextus quarto* prostibulum.

V. 17. Habitans in Sion monte sancto meo. *Non est repetenda præpositio* in *ante* monte.

AMOS.

CAP. I. v. 1. Verba Amos qui fuit in pastoribus de Thecue. *Correctores dederunt nomen substantivum* pastoribus, *pro eo quod alii legunt adjectivo* pastoralibus: *denique addiderunt* de *præpositionem ante* Thecue.

V. 8. & 9. Et super quatuor non convertam eum. *Masculinum pronomen* eum *non esse commutandum cum feminino* eam *docuimus in Notationibus.*

CAP. II. v. 3. Ecce ego stridebo subter vos. *Non mutes* subter, *quod est* sub, *in præpositionem contrariam* super.

CAP. III. v. 12. Et in Damasci grabato. *Hanc lectionem, quæ habet genitivum* Damasci, *& ablativum* grabato, *Patres non sine caussa prætulerunt ei, quæ contra habet ablativum* Damasco, *& genitivum* grabati, *hoc modo:* Et in Damasco grabati: *quam licet ex Notationibus nostris intelligere.*

CAP. IV. v. 4. Et afferte mane victimas vestras. *Non mutes* afferte *in* offerte, *id est, vocalem primam* a *in quartam* o.

CAP. V. v. 17. Et in omnibus vineis erit planctus. *Cave scribas* viis, *quod est*, itineribus, *pro* vineis, *quod est*, vinetis.

V. 26. Et portastis tabernaculum Moloch vestro. *Non interponas* deo *aut* idolo *inter* Moloch *&* vestro.

CAP. VI. v. 14. Qui lætamini in nihilo. *Alii, pro ablativo* nihilo, *scribunt* nihil *indeclinatum.*

CAP. VII. v. 1. Et ecce serotinus post tonsionem regis. *Nomen verbale femininum* tonsionem, *Patres consulto prætulerunt masculino* tonsorem: *ut &* nomen gregis, *necessario commutarunt, dempta prima littera, cum* regis. *Legat qui velit Notationes nostras.*

V. 3. Non erit, dixit Dominus. *Non est mutandum præteritum* dixit, *in præsente* dicit. *Idem observandum infra v. 6.*

V. 7. Hæc ostendit mihi Dominus. *Non addas* Deus.

CAP. VIII. v. 5. Quando transibit mensis. *Legendum est* mensis, *cujus initium Kalendæ, non* messis *opposita sementi.*

V. 7. Juravit Dominus in superbiam Jacob. *Correctores prætulerunt quartum casum sexto* superbia.

V. 9. Et erit in die illa, dicit Dominus Deus. *Non omittas vocem* Deus.

CAP. IX. v. 1. Non erit fuga eis: fugient, & non salvabitur ex eis qui fugerit. *Futurum plurale* fugient, *multi libri vertunt in singulare* fugiet: *ceterum, nullo modo est omittendum, nec est præcedentibus jungendum, interposito relativo* qui: Non erit fuga eis qui fugient.

V. 11. Et reædificabo illud. *Retinendum est neutrum* illud *s.* tabernaculum, *non supponendum masculinum* eum.

ABDIAS.

VERS. 11. In die cum stares adversus eum. *Non est omittendum pronomen* eum.

V. 16. Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum. *Non est mutandum verbum plurale* bibistis, *in singulare* bibisti.

V. 20. Omnia loca Chananæorum. *Patres addiderunt vocem* loca.

JONAS.

CAP. I. v. 11. Quia mare ibat & intumescebat. *Quod subjiciunt quidam libri* super eos, *non est hujus versiculi, sed decimitertii.*

V. 12. Tempestas hæc grandis venit super vos. *Patres addendum censuerunt verbum* venit: *pro quo quidam libri verbum substantivum* est *legunt: nam alii neutrum habent.*

MICHÆAS.

CAP. I. v. 11. Planctum domus vicina accipiet ex vobis. *Non mutes nominativum* vicina *in genitivum* vicinæ.

V. 14. Domus mendacii in deceptionem regibus Israel. *Nominativus pluralis* domus, *non est vertendus in accusativum* domos.

CAP. II. v. 5. In cœtu Domini. *Non subjicias* o Israel.

CAP. IV. v. 6. Et quam afflixeram. *Non addes* consolabor.

V. 8. Et tu turris gregis nebulosa filiæ Sion. *Non mutes genitivum* filiæ *in nominativum* filia.

CAP. V. v. 3. Et reliquiæ fratrum ejus. *Non omittas conjunctionem* &.

V. 5. Et erit iste pax: cum venerit Assyrius. *Quidam libri, inverso verborum ordine legunt, pro nominativo* Assyrius, *dativum* Assyriis, *quem præcedentibus jungunt hoc modo:* Et erit pax Assyriis, cum venerit: *sed male.*

Vers. 9. Exaltabitur manus tua super hostes tuos. *Non præponas conjunctionem* &.

CAP. VI. v. 9. Et salus erit timentibus nomen tuum. *Non est mutandum pronomen*

nomen

nomen secundæ personæ tum in tertiæ suum, vel ejus.

V. 16. Et ambulasti in voluntatibus eorum. Legendum est voluntatibus, quod est, desideriis, non voluptatibus, quod est deliciamentis.

CAP. VII. v. 17. Velut reptilia perturbabuntur in ædibus suis. Ita emendarunt Correctores, sequuti LXX. tametsi altera lectio, proturbabuntur de, quod est, ejicientur ex ædibus suis. Hebræo similior sit.

Sequitur: Dominum Deum nostrum formidabunt. Pro formidabunt, quod est pavebunt, non scribas desiderabunt, quod est, cupient.

NAHUM.

CAP. I. v. 12. Sic quoque attondentur & pertransibit. Non est mutandum singulare pertransibit, in plurale pertransibunt.

CAP. II. v. 4 In itineribus conturbati sunt, quadrigæ collisæ sunt in plateis. Masculinum conturbati, non est vertendum in femininum conturbatæ, jungendumque cum quadrigæ.

V. 13. Et succendam usque ad fumum quadrigas tuas. Non facile substituendum est pronomen tertiæ personæ ejus, pro secundæ tuas.

CAP. III. v. 2. 3. Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ ferventis, & equitis ascendentis, & micantis gladii, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ, & gravis ruinæ. Quidam libri magnam horum nominum partem scribunt primo casu numeri pluralis, & quadrigæ ferventes, & equites ascendentes, & micantes gladii, & fulgurantes hastæ, & multitudines interfectæ, & graves ruinæ; sed retinendus est ubique secundus casus numeri singularis.

V. 8. Numquid melior es Alexandria populorum. Non præponas præpositionem ab nomini Alexandria.

V. 13. Inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ. Una vox ablativi casus adapertione, non est distrahenda in duas ad apertionem; nam adapertione pandentur, hoc est, aperiendo aperientur.

HABACUC.

CAP. I. v. 3. Videre prædam & injustitiam contra me? & factum est judicium & contradictio potentior. Ea quæ hic inferuntur a multis exemplaribus: Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio justiorem se? & facies homines quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem? Patres superfluere judicarunt: aut certe non sunt hujus loci, sed infra v. 13. & 14. quod alias docuimus.

V. 17. Et semper interficere gentes non parcet. Alii libri, pro parcet, legunt cessat.

CAP. III. v. 3. Operuit cælos gloria ejus. Quidam libri his verbis præponunt Semper, positum pro Hebraico Sela & Græco diapsalma: quod non magis hic sententiam ingreditur, quam faciat in Psalmis, ubi est frequentissimum. Idem accidit infra, v. 9. ante ea verba fluvios scindes terræ: & v. 14. ante illa: Maledixisti sceptris ejus.

V. 8. Qui ascendens super equos tuos. Non mutes futurum ascendens in præsens ascendis.

V. 12. In fremitu obstupefacies gentes. Non præponas his verbis conjunctionem &.

SOPHONIAS.

CAP. III. v. 17. Silebit in dilectione sua. Retinendum est pronomen tertiæ personæ sua, non substituendum secundæ tua.

Sequitur: Exultabit super te in laude. Non præponas his verbis & conjunctionem.

AGGÆUS.

CAP. I. v. 12. Vocem Domini Dei sui. Non omittas Domini.

ZACHARIAS.

CAP. I. v. 9. Et dixit ad me Angelus. Non addas Domini.

V. 12. Iste jam septuagesimus annus est. Non omittas adverbium jam.

CAP. II. v 8. Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Non facile mutandum est pronomen primæ personæ mei, in tertiæ sui, aut ejus: qua de re lege Notationes.

CAP. IV. v. 14. Isti sunt duo filii olei. Sequitur in multis libris splendoris, sed superflue: id unde irrepserit, docent nostræ Notationes.

CAP. V. v. 2. Ego video volumen volans. Non præponas adverbium ecce pronomini ego.

V. 4. Et consumet eam. Non mutes pronomen femininum eam in masculinum eum.

V. 6. Hæc est oculus eorum. Nec hic, femininum hæc, in masculinum hic.

CAP. VII. v. 11. Et averterunt scapulam recedentem. Retinendus est accusativus singularis recedentem, non substituendus nominativus pluralis recedentes.

V. 12. Verba quæ misit Dominus exercituum. Pro Dominus non scribas Deus.

V. 13. Sicut locutus est & non audierunt. Non repetas adverbium sicut ante non.

CAP. VIII. v. 4. Et viri baculus in manu ejus. Non omittas nomen viri.

CAP. IX. v. 9. Et ascendens super asinam. Correctores prætulerunt femininum asinam masculino asinum.

V. 10. Et disperdam quadrigam regis Ephraim. Cave legas dispergam a spargo, pro disperdam, quod est, destruam, a perdo.

CAP. X. v. 4. Ex ipso angulus. Cave pro angulus scribas angelus, id est, vocalem secundam pro quinta.

CAP. XII. v. 3. Omnes qui levabunt eam. Pro feminino eam, quod ad Jerusalem refertur, alii libri scribunt masculinum eum, quod ad lapidem.

V. 6. Et sicut facem ignis in fœno. Mendum hic est typographicum in exemplari Romano, ubi faciem trisyllabum nomen, legitur pro dissyllabo facem, quod est, faculam, lampadem. Porro ut mendose quidam habent faciem, ita alii falcem, quod est, fasciculum.

V. 8. Sicut angelus Domini in conspectu eorum. Non mutes plurale eorum in singulare ejus.

CAP. XIV. v. 4. Prærupto grandi valde. Non scribas quarta declinatione præruptu, id est, vocalem u quintam pro o quarta.

V. 10. Et habitabit in loco suo. Alii legunt passive habitabitur, sed minus recte.

MALACHIAS.

CAP. I. v. 2. In manu Malachiæ. Non subjicias prophetæ.

V. 3. Et posui montes ejus in solitudinem. Non addas Seir ante montes.

CAP. II. v. 10. Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum. Pronomina primæ personæ nostrum & nostrorum, non sunt mutanda in secundæ vestrum & vestrorum.

V. 12. De tabernaculis Jacob. Pro plurali tabernaculis, non supponas singulare tabernaculo.

CAP. III v. 5. Et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum. Quidam ante viduas præponunt & humiliant, ex Græco acceptum, sed minus recte: sicut & illi non recte, qui omittunt & ante opprimunt.

V. 18. Et convertimini & videbitis. Retinendum est futurum indicativi convertimini.

LIBER MACHABÆORUM PRIOR.

CAP. I. v. 11. Et exiit ex eis radix peccatrix. Nominativus femininus peccatrix, non est commutandus cum genitivo neutro peccati.

V. 27. Virgines & juvenes infirmati sunt. Non sunt præponendi juvenes virginibus.

V. 38. Et factum est hoc ad insidias sanctificationi. Dativus casus sanctificationi, non est mutandus cum genitivo.

V. 51. In omnibus immundis. Pro adjectivo immundis, non scribas substantivum immunditiis.

V. 57. Quinto & quadragesimo & centesimo anno. Non omittas & centesimo.

CAP. II. v. 1. Sacerdos ex filiis Joarib ab Jerusalem. Scribendum est Joarib, ultima littera existente b secunda alphabeti; non Joarim, ultima littera existente m secunda liquidarum.

V. 30. Et sederunt ibi ipsi & filii eorum. Non mutes plurale eorum in singulare ejus.

Ibidem. Quoniam inundaverunt super eos mala. Alii libri scribunt induraverunt, minus verisimiliter.

V. 31. Qui erat in Jerusalem. Retinendus est numerus singularis erat.

V. 42. Tunc congregata est ad eos synagoga Assidæorum. Cave reponas nomen generale Judæorum, pro particulari Assidæorum, quod alias dicitur Asseneorum.

V. 47. Quotquot invenerunt in finibus Israel. Nomen Israel non est mutandum in pronomen eorum.

V. 64. Quia in ipsa gloriosi eritis. Quod quidam libri adjiciunt post conjunctionem, quia, cum feceritis quæ vobis præcepta sunt in lege a Domino Deo vestro, merito ut superfluum missum est.

CAP. III. v. 8 Et perambulavit civitates Juda. Non mutes præteritum perfectum in imperfectum perambulabat.

CAP. IV. v. 20. Et vidit Gorgias quod in fugam conversi sunt sui. Correctores putarunt non omittendas voces Gorgias & sui, quas multi omittunt.

Sequitur: Et succenderunt castra. Non mutes succenderunt cum succensa sunt.

V. 32. Et confundantur in exercitu suo. Servandus est numerus pluralis confundantur, non surrogandus singularis confundatur.

CAP. V. v. 3. Et eos, qui erant in Acrabathane. Plerique libri vocem Acrabathane, male scribunt omissa littera c, quæ tertia quidem est alphabeti, hujus autem dictionis secunda.

V. 30. Et expugnarent eos. Alii legunt expugnabant.

V. 35. Et sumpsit spolia ejus. Non supponas verbum compositum assumpsit, pro simplici sumpsit.

V. 44. Cum omnibus, qui erant in

ipso. Pro masculino, qui, multi libri habent neutrum quæ. Græcum ambiguum est.

V. 56. Et Azarias princeps virtutis. Correctores prætulerant singulare princeps plurali principes.

V. 60. Et facta est fuga magna in populo. Correctores recte emendarunt fuga, pro eo quod vulgo legitur plaga, quod amplius est.

CAP. VI. v. 7. Quem ædificaverat super altare. Retinendum est singulare ædificaverat, non mutandum in plurale ædificaverant.

V. 17. Et vocavit nomen ejus Eupator. Alii, pro nominativo, scribunt accusativum Eupatorem.

Vers. 26. Ad arcem Jerusalem. Non interjicias præpositionem in ante Jerusalem.

Ibidem. Et munitionem Bethsuram munierunt. Neque hic ante Bethsuram.

V. 37. Et Indus magister bestiæ. Insignis correctio, qua nomen Indus repositum est, pro eo quod vulgo scribitur adverbio intus. Significatur super singulos elephantes præter viros bellatores, fuisse Indum magistrum elephantis.

V. 57. Festinavit ire. Alii præponunt conjunctionem &.

CAP. VII. v. 6. Et nos dispersit de terra nostra. Pro dispersit, quod est, ejecit, non scribas dispendidit.

V. 7. Quod fecit nobis & regionibus regis. Conjunctio & mutanda non est cum præpositione in.

V. 9. Et misit eum, ut videret exterminium quod fecit Judas: sed & Alcimum. Alii omittunt hæc verba, ut videret exterminium quod fecit Judas: sed; quæ omnes legunt supra, v. 7. unde & facile hic subaudiuntur.

Vers. 19. Et comprehendit multos ex eis qui a se effugerant. Ita est in quibusdam veteribus manuscriptis, in aliis legitur contrarium qui ad se refugerant.

CAP. IX. v. 1. Apposuit Bacchidem. Non interponas &c.

V. 57. Et siluit terra annis duobus. Non facile addas voci terra nomen Juda, etiamsi Græce addatur.

V. 61. Qui principes erant malitiæ. Legendum est malitiæ, quod est, insidiarum, non militiæ, quod est exercitus, id est, legenda est a prima vocalis, non i tertia.

CAP. X. vers. 13. Et reliquit unusquisque locum suum. Non civitas pronomen suum.

Vers. 20. Et ut amicus vocetis regis. Nec hic omittenda est conjunctio &.

V. 38. Et non obediant alii potestati. Non commutes alii cum alienæ.

V. 45. Et ad extruendos muros Jerusalem. Non præponas nomini Jerusalem præpositionem in.

V. 53. Et sedimus in sede regni ejus. Non est mutandum præteritum sedimus in præsens sedemus.

V. 54. Et dabo tibi dona & ipsi digna te. Duæ voces digna te, quod est decentia te, non sunt contrahendæ in unam, quod vulgo fit, dignitatem.

CAP. XI. v. 7. Qui vocatur Eleutherus. Non surrores imperfectum vocabatur in locum præsentis.

Vers. 37. In monte sancto, in loco celebri. Non interjicias conjunctionem &.

V. 38. Quem contraxit ab insulis gentium. Verbum compositum contraxit, non est mutandum in simplex traxit.

V. 39. Quoniam omnis exercitus murmurabat contra Demetrium. Præteritum imperfectum non mutetur cum perfecto murmuravit.

V. 61. Et prædatus est ea. Neutrum plurale ea non est vertendum in femininum singulare eam.

CAP. XII. vers. 1. Et elegit viros. Non est omittenda conjunctio.

Vers. 7. Ab Ario qui regnabat apud vos. Patres legendum censuerunt Ario, prima littera alphabeti existente primæ vocis, non Dario, præposita D, quarta alphabeti.

Ibidem. Sicut rescriptum continet quod subjectum est. Pro nomine composito rescriptum, non est substituendum simplex scriptum.

V. 9. Nos cum nullo horum indigeremus. Non est addenda conjunctio enim.

V. 16. Numenium Antiochi filium & Antipatrem Jasonis filium. Non omittas vocem filium repetitam.

V. 19. Et hoc est rescriptum epistolarum quod miserat Oniæ. Præteritum plusquam perfectum miserat, non est mutandum in perfectum misit: multoque minus dativus Oniæ in nominativum Onias.

Sequitur v. 20. Arius rex Spartiatarum Oniæ sacerdoti magno salutem. Triplex correctio est hic observanda, ut in vetera vitia recidatur. Prima, nomen Arius, nec omittendum esse, nec augendum, sive littera una Darius, sive syllaba Oniares. Altera, nomen Oniæ legendum esse casu tertio, non primo Onias. Tertia, nullo modo hic addendum esse nomen Ionathæ.

V. 31. Ad Arabas, qui vocantur Zabadæi. Præsens vocantur, non est mutandum cum imperfecto vocabantur.

V. 36. Et exaltare altitudinem magnam. Accusativus altitudinem magnam, nullo modo vertendi sunt in ablativos.

Vers. 42. Ut extenderet in eum manus timuit. Non est addenda conjunctio & ante timuit.

V. 52. Et eos qui cum ipso fuerant. Retinendum est plusquam perfectum fuerant, non substituendum imperfectum erant.

CAP. XIII. v. 6. Natos quoque nostros. Non scribas pronomen secunda persona vestros, pro prima nostros.

V. 11. Et ejectis his qui erant in ea, remansit illic ipse. Pronomen ea nequaquam commutandum est cum nomine arce.

Vers. 15. Propter negotia quæ habuit. Non sunt hæc verba e textu auferenda judicio Correctorum.

V. 46. Sed secundum misericordias tuas. Non subjungas & servivimus tibi.

V. 50. Et clamaverunt ad Simonem ut ad dextras acciperent. Non mutes pluralem numerum in singularem acciperet.

V. 51. Et cinyris & cymbalis. Scribendum est cinyris vel cinnyris, vocali media ypsilo, non alpha.

Vers. 54. Quod fortis prælii vir esset. Latinorum librorum quos vidi, quidam illud solum legunt quod vir esset, Græco consentanee; quidam addunt quod vir fortis esset, quidam quod vir prælii esset: Correctores omnia copulanda judicarunt.

CAP. XIV. v. 2. Et adduceret eum ad se. Correctores hæc verba ex veteribus manuscriptis addiderunt.

V. 27. Et hoc est exemplum scripturæ. Nequaquam omittenda sunt hæc verba.

CAP. XV. v. 4. Volo autem procedere per regionem. Non mutes numerum singularem in pluralem regiones.

V. 21. Si qui ergo pestilentes refugerunt. Non commutes verbum compositum refugerunt cum simplici fugerunt.

V. 22. Et Attalo, & Ariarathi, & Arsaci. Media vox quinquesyllaba est, aut certe quadrisyllaba, Ariarathi, a nominativo Ariarathes: pro qua Græce legitur trisyllaba Arathæ; Latine a plerisque mendose Arabæ.

Vers. 23. Et Lampsaco, & Spartiatis. Pro Lampsaco, alii Latini libri, Græco conformiter, habent Sampsamæ.

Sequitur: Et in Delum, & Myndum, & in Sicyonem, & in Cariam, & in Samum, & in Pamphyliam, & in Lyciam, & in Alicarnassum, & in Coo, & in Sidem, & in Aradon, & in Rhodum, & in Phaselidem, & in Gortynam & Gnidum. Prima aliquot horum nominum propriorum, multi Latini libri legunt tertio casu, omissa præpositione. Et Delo & Mydo &c. Ceterum Myndum scribendum est & Aradon; non Mydum & Arado, omissa littera n; Rursus Gortynam, non Cortynam G septima, non tertia alphabeti littera C.

V. 24. Simoni principi sacerdotum & populo Judæorum. Vetera manuscripta addunt illud & populo Judæorum.

V. 39. Et mandavit ei ædificare Gedorem. Pro eo quod Latini fere libri, Græcis conformiter, legunt Cedronem, Romani Patres emendarunt Gedorem, tum hoc, tum proximo versu 40.

LIBER
MACHABÆORUM
POSTERIOR.

CAP. I. v. 1. Et qui in regione Judææ. Non mutes numerum singularem in pluralem regionibus, nec genitivum Judææ in ablativum Judæa.

V. 14. Et ut acciperet pecunias multas. Alii scribunt plurali numero acciperent.

V. 18. Ut & vos quoque agatis diem Scenopegiæ. Non addes festum.

V. 22. Sed ex lumine, quod refulsit ab altari, consumpta est. Non interponas & inter sed & ex.

V. 35. Atque alia munera &. Quatuor harum vocum loco, nequaquam scribas unam vocem innumera.

CAP. II. v. 10. Sic & Salomon oravit, & descendit ignis de cælo, & consumpsit holocaustum. Nequaquam omittenda est pericope ista, tametsi multi libri id faciant.

Vers. 11. Eo quod non sit comestum, quod erat pro peccato consumptum est. Pro comestum; in libris manuscriptis fere est manducatum aut mandatum, sed male, loco manducatum. Jam, quod quidam hic addunt verba Levitici, ad quæ locus iste respicit. Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, superfluum est. Denique conjunctio &, quam præponunt multi libri verbo consumptum est, est omittenda.

V. 13. Et ut construens bibliothecam congregavit de regionibus libros, & prophetarum & David. Pro ut, multi libri habent qualiter, & pro construens, constituens; minus recte. Pro regionibus impressi libri, ut Græce, fere legunt regibus: sed Patres prætulerunt regionibus, quod est in libris manuscriptis. Postremo & ante prophetarum, multi tollunt: Patres Græco conformiter retinuerunt. Legat Lector Notationes nostras, si placet ipsi.

Vers. 14. Et quæ deciderant per bellum. Legendum est deciderant, quod est, dilapsa fuerant, non didicerant, a disco.

Vers. 23. Et leges quæ abolitæ erant, restituerentur. Præteritum abolitæ, alii libri mutant in futurum abolendæ, consentiente Græco.

CAP. III. v. 1. Propter Oniæ Pontificis pietatem. Non interponas dispositionem & ante pietatem.

V. 7. Quæ delatæ erant. Non mutes femininum delatæ in neutrum delata.

CAP. IV. v. 11. Per Joannem patrem Eupolemi. Non præponas his verbis conjunctionem &.

V. 19. Sed in alios sumptus eas deputari. Retinendum est femininum eas, non substituendum masculinum eos: quemadmodum & versu proximo, feminina non sunt commutanda cum neutris, ubi sequitur: Sed hæ ablatæ sunt quidem &c. propter præsentes autem datæ sunt: sermo est de drachmis.

Vers. 30. Eo quod Antiochidi regis concubinæ dono essent dati. Quod vulgo legitur Antiochi, secundo casu generis mascu-

masculini, Patres vestis emendarunt Antiochidi, tertio casu generis feminini.

V. 35. Sed aliæ quoque nationes. Non addas etiam vocula sed.

CAP. V. v. 1. Et hastis, quasi cohortes, armatos. Multi pro ablativo hastis, legunt accusativum hastas, & pro masculino armatos, femininum armata; sed male: retinenda est etiam Patrum correctio.

CAP. VII. v. 1. Contigit autem & septem fratres. Non est omittendum &.

V. 18. Non enim propter nosmet ipsos hæc patimur. Non est mutandum plurale hæc in singulare.

V. 28. Peto nate. Non interponas pronomen te, nec quidem addita præpositione a te.

CAP. VIII. v. 1. Cognatos & amicos. Correctores judicarunt non esse omittendum & amicos, tametsi Græce omittatur.

V. 33. Et cum epinicia agerent Ierosolymis. Non præponas voci Jerosolymis præpositionem in.

CAP. IV. v. 2. Et tentavit exspoliare templum. Alii scribunt numero plurali templa.

V. 9. Ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent. Servandus est genitivus singularis viventis, non mutandus in nominativum pluralem viventes.

CAP. X. v. 7. Qui prosperavit mundari locum suum. Passivum mundari non est vertendum in activum mundare.

V. 17. Et omnis simul non minus viginti millibus trucidaverunt. Non addas quinque ad viginti.

V. 24. At Timotheus. Non mutes conjunctionem adversativam at in copulativam &.

Ibidem. Et congregato equitatu Asiano. Pro equitatu non scribas exercitu.

CAP. XI. v. 16. A Lysia quidem. Vocula quidem non est augenda una syllaba, ita ut sit siquidem.

V. 18. Et quæ res permittebat concessit. Quidam libri legunt pluralem numerum permittebant: sed prima persona concessi, nullo est modo admittenda.

Vers. 25. Per singula verbo mandavi. Pro ablativo singulari verbo, non est scribendus accusativus pluralis verba.

V. 31. Ut Judæi utantur cibis & legibus suis. Retinendus est nominativus pluralis Judæi, non substituendus ablativus Judæis.

V. 36. De quibus autem ad regem judicavit, referendum. Legendum est indicavit, secunda vocis littera existente vocali quinta u, non tertia liquidarum n. indicavit.

CAP. XII. v. 16. Sanguine interfectorum fluere videretur. Correctores egregie emendarunt vocem infectum, id est contaminatum, quæ vulgo legitur, interfectorum, quod est, occisorum.

V. 30. Quod modeste secum egerint. Cave, pro modeste, quod est, humaniter, legas contrarium moleste.

Vers. 43. Offerri pro peccatis mortuorum sacrificium. Alii libri solummodo legunt pro peccatis, non addunt mortuorum, sed relinquunt subaudiendum.

CAP. XIII. v. 3. Non pro patria salute. Genitivus substantivi patriæ, non est mutandus in ablativum adjectivi patria.

Vers. 15. Interfecit viros quatuor millia. Numerus, quatuor minime augendus est denario, ita ut sit quatuordecim.

V. 23. Mente consternatus, Judæos deprecans. Nominativus singularis consternatus, neque enim commutandus est cum accusativo plurali consternatos.

CAP. XIV. v. 4. Super hæc & thallos. Scribendum est thallos, thita in principio & duplici l in medio, quod est ramos; non talos qui sunt ossa.

Vers. 9. Secundum humanitatem tuam pervulgatam omnibus. Non mutes pervulgatam in promulgatam n, id est, u vocalem in m consonantem.

V. 14. Gregatim se Nicanori miscebant. Vox gregatim non est augenda una syllaba congregatim.

V. 15. Qui populum suum constituit, ut in æternum custodiret. Plerique libri omittunt ut, sed melius vetera manuscripta, quæ omittunt non tantum conjunctionem ut, sed etiam verbum custodiret, consentanee Græco.

V. 21. Et singulis sellæ prolatæ sunt & positæ. Non addas præpositionem a ante singulis.

Vers. 25. Quiete egit, communiterque vivebant. Legendum est communiter, quod est, in commune, non comiter, quod est, blande.

CAP. XV. vers. 32. Quam extendens contra domum sanctam. Servandum est participium extendens, non substituendum verbum extenderat.

Vers. 37. Quod dicitur voce Syriaca. Non legas femininum quæ, pro neutro quod: non enim refertur ad diem, sed ad Adar.

MATTHÆUS.

CAP. I. v. 2. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Male a libris quibusdam additur autem post Abraham, & ab aliis tollitur post Isaac.

Vers. 18. Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph. Retinendum est pronomen ejus, non substituendum antecedens Jesu.

V. 23. Et vocabunt nomen ejus Emmanuel. Germana lectio habet futurum plurale personæ tertiæ vocabunt; non singulare, personæ, aut secundæ vocabis, aut tertiæ vocabitur.

CAP. II. v. 5. In Bethlehem Juda. Legendum est Juda, vel Judæ, non, addita una syllaba, Judææ.

V. 23. Ut adimpleretur quod dictum est per prophetas. Non est commutandus numerus pluralis prophetas cum singulari prophetam.

CAP. III. v. 2. Appropinquavit enim regnum cælorum. Cave ne scribas futurum appropinquabit, loco præteriti. Item observandum infra 4. v. 17.

V. 3. Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam. Noli scribere de quo dictum est, pro qui dictus est.

V. 7. Quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? Servandum est præteritum, non vertendum in futurum demonstrabit.

V. 12. Et congregabit triticum suum in horreum. Ut non est omittendum pronomen suum, ita addendum nomini triticum, non nomini horreum.

Vers. 15. Tunc dimisit eum. Injuria omittuntur a quibusdam libris hæc verba.

V. 16. Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua. Non sunt auferenda nomen Jesus & adverbium confestim.

Ibidem. Et venientem super se. Interpres vertit se reciprocum, non ipsum.

CAP. IV. v. 4. Non in solo pane vivit homo. Non mutes præsens vivit, cum futuro vivet.

V. 7. Rursum scriptum est. Non jungas adverbium rursum verbo præcedenti ait.

V. 10. Tunc dicit ei Jesus: Vade Satana. Ut non est omittendum adverbium tunc, ita non addendum retro, aut post me, quod quidam aliunde adscripserant.

V. 13. In Capharnaum maritima. Non addas civitate.

V. 15. Galilæa gentium. Non mutes primum casum Galilæa cum secundo Galilææ.

V. 16. Populus qui sedebat in tenebris. Germana hujus loci scriptura est sedebat, non ambulabat.

V. 24. Et abiit opinio ejus. Non scribas fama pro opinio.

CAP. V. v. 1. Videns autem Jesus turbas. Romani Correctores non judicarunt omittendum nomen Jesus.

Vers. 11. Beati estis cum maledixerint vobis. Non addas homines, quod non est hujus loci, sed Lucæ 6. v. 22.

V. 20. Dico enim vobis. Non mutes enim conjunctionem caussalem cum adversativa autem.

V. 22. Omnis qui irascitur fratri suo. Non est addendum sine caussa.

V. 30. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam. Sic est in Sixtinis Bibliis, ex veteribus manuscriptis, abscide, voce deducta a cædo, pro eo quod alia habent abscinde, a scindo. Idem usu venit infra 18. v. 8. & Marc. 9. v. 43.

V. 32. Et qui dimissam duxerit, adulterat. Cave ne omittas hanc pericopen, ut olim quidam.

Vers. 39. Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam. Nec hic omittas adjectivum dexteram.

V. 41. Vade cum illo & alia duo. Nec hinc denique auferas vocem alia.

V. 48. Sicut & pater vester cœlestis perfectus est. Vox cœlestis non est commutanda cum qui in cœlis est.

CAP. VI. v. 4. Reddet tibi. Non est addendum in palam, quod olim fecerunt quidam.

V. 7. Nolite multum loqui, sicut ethnici. Redundat quod sequitur in quibusdam libris, verbum faciunt.

V. 11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Non mutes supersubstantialem cum quotidianum.

Vers. 13. Sed libera nos a malo. Amen. Ut non est omittendum Amen, ita non addendum: Quia tuum est regnum & potentia & gloria in sæcula sæculorum.

V. 16. Ut appareant hominibus jejunantes. Non supponas simplex pareant, pro composito appareant.

V. 25. Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis. Superfluum fuit quod olim quidam addiderant, neque quid bibatis.

V. 34. Sufficit diei malitia sua. Non est addendum enim.

CAP. VII. v. 1. Nolite judicare, ut non judicemini. Quod sequitur in quibusdam libris: Nolite condemnare, ut non condemnemini, non est hujus Evangelii, sed Luc. 6. v. 37.

V. 6. Et conversi dirumpant vos. Non addas & canes conversi.

V. 11. Nobis bona data dare. Non est omittendum data.

V. 12. Ut faciant vobis homines. Non est addendum bona.

V. 14. Quam angusta porta & arcta via est. Non est legendum quoniam vel & pro quam.

V. 23. Discedite a me qui operamini iniquitatem. Superfluit quod quidam addunt omnes.

V. 25. 27. Et descendit pluvia. Conjunctio auferenda non est.

CAP. VIII. vers. 1. Cum autem descendisset de monte. Non addas nomen Jesus.

V. 10. Audiens autem Jesus. Nec hic addas pronomen hæc.

V. 13. Et sanatus est puer in illa hora. Legendum est in non ex.

Vers. 15. Et ministrabat eis. Correctores prætulerunt plurale eis singulari ei.

V. 18. Jussit ire trans fretum. Non interponas discipulos.

V. 20. Ubi caput reclinet. Non addas pronomen suum.

V. 25. Et accesserunt ad eum discipuli ejus. Non omittas discipuli ejus.

V. 28. Et cum venisset trans fretum. Ut non est addendum nomen Jesus, ita non mutandum singulare venisset cum plurali venissent.

Vers. 29.

V. 29. Venisti huc ante tempus torquere nos? *Non est præponendum adverbium cur.*

V. 32. Et ecce impetu abiit. *Vox magno, quam interjiciunt quidam, non hic, sed Marc. 5. v. 13. ab Interprete data est.*

V. 33. Nuntiaverunt omnia. *Superfluit hæc, quod addunt quidam.*

V. 34. Rogabant ut transiret. *Similiter redundat hic eum.*

CAP. IX. v. 1. Et ascendens in naviculam transfretavit. *Omittendum est nomen Jesus.*

V. 5. Dimittuntur tibi peccata tua. *Non auferas pronomen possessivum tua.*

V. 13. Non veni vocare justos, sed peccatores. *Quod in nonnullis codicibus sequitur* ad pœnitentiam, *non est hujus loci, sed Luc. 5. v. 32.*

V. 18. Accessit & adorabat. *Si legendum adorabat imperfectum, potius quam perfectum adoravit.*

Ibidem. Impone manum tuam super eam. *Non omittas pronomen tuam.*

V. 25. Et tenuit manum ejus. *Quod sequitur in multis libris:* Et dixit: Puella surge, *non est hujus loci, sed Luc. 8. v. 54.*

V. 38. Ut mittat operarios in messem suam. *Alii libri, pro* mittat *scribunt* ejiciat.

CAP. X. v. 2. Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. *Non est legendum hoc loco* discipulorum, *pro* Apostolorum.

V. 3. Jacobus Alphæi. *Non præponas & conjunctionem.*

Ibidem. Et Thaddæus. *Harum duarum vocum loco, quidam legunt sex* Et Labbeus qui cognominatus est Thaddæus, *sed non sunt Latinæ editionis.*

V. 4. Et Judas Iscariotes. *Non scribas* Scariotes, *omissa I littera initiali, tametsi ita sit in antiquis libris, & hoc & aliis Evangeliorum locis.*

V. 7. Quia appropinquavit regnum cœlorum. *Cave ne mutes præteritum in futurum* appropinquabit.

V. 8. Infirmos curate, mortuos suscitate. *Non temere omittendum est posterius illud* mortuos suscitate.

V. 10. Dignus est enim operarius cibo suo. *Pro* cibo suo, *quod scribunt quidam* mercede sua, *Lucæ est cap. 10. v. 7.*

V. 13. Veniet pax vestra. Pax vestra revertetur. *Non mutes futura indicativi,* veniet, revertetur, *cum imperativis,* veniat, revertatur.

V. 22. Et eritis odio omnibus. *Non addas* hominibus.

V. 23. Fugite in aliam. *Quod sequitur in nonnullis libris,* Et cum in aliam persequentur vos, fugite in tertiam, *superfluit.*

V. 26. Nihil enim est opertum, quod non revelabitur, & occultum, quod non scietur. *Conjunctiva,* reveletur, sciatur, *sunt Lucæ cap. 12. v. 2.*

V. 28. Qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. *Non est omittenda conjunctio & vel priori loco.*

V. 39. Qui invenit animam suam perdet illam. *Non mutes futurum indicativi* perdet, *cum præsenti imperativi* perdit.

CAP. XI. v. 17. Cecinimus vobis. *Interpres addidit* tibiis, *non hic, sed Luc. 7. v. 32.*

CAP. XII. v. 2. Quod non licet facere sabbatis. *Non addas pronomen eis verbo licet.*

V. 18. Ecce puer meus quem elegi. *Male interponunt quidam nomen* electus.

V. 20. Arundinem quassatam non confringet. *Ex propheta sumptum est quod quidam legunt,* conteret.

V. 31. Spiritus autem blasphemia non remittetur. *Cave ne nominativum* blasphemia *commutes cum genitivo* blasphemiæ.

V. 32. Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum. *Non repetas vocem* verbum, *sed subaudias e proximo.*

V. 47. Foris stant quærentes te. *Pro* quærentes te, *non scribas* quærentes loqui tecum, *aut* quærentes te alloqui, *sed ita intelligas.*

CAP. XIII. v. 3. Ecce exiit qui seminat seminare. *Nec est hic addendum* semen suum, *quod Lucæ proprium est.*

V. 8. Aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum. *Non mutes numerum ordinalem cum cardinali:* Aliud centum, aliud sexaginta, aliud triginta.

V. 11. Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum. *Plurale* mysteria, *Matthæi est: singulare, posteriorum Evangelistarum.*

V. 12. Qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. *Pro* & quod habet, *infra 25. v. 29. legitur,* & quod videtur habere.

V. 14. Et adimpletur in eis. *Retinendum est cum conjunctione copulativa, præsens indicativi* adimpletur: *non substituendum, cum conjunctione caussali* adimpleretur, *vel* adimpleatur.

V. 16. Vestri autem beati oculi quia vident, & aures vestræ quia audiunt. *Non est mutanda conjunctio* quia *cum relativo* qui *vel* quæ.

V. 20. Qui autem super petrosa. *Non legas* petram *pro* petrosa, *substantivum pro adjectivo.*

V. 28. Vis imus & colligimus ea? *Non addas igitur verbo* vis.

V. 33. In farinæ satis tribus. *Luc. 13. v. 21. legitur quarto casu* sata tria.

Vers. 43. Qui habet aures audiendi, audiat. *Non omittas gerundium* audiendi.

V. 47. Et ex omni genere piscium congreganti. *Interpres addidit* piscium, *tametsi Græce non legatur.*

V. 48. Elegerunt bonos in vasa: *Non addas pronomen* sua, *quod quidam.*

V. 51. Dicunt ei: Etiam. *Nec hic addas* Domine.

CAP XIV. v. 2. Hic est Joannes Baptista. *Superfluit* quem ego decollavi, *quod sequitur in quibusdam libris.*

V. 3. Propter Herodiadem uxorem fratris sui. *Non est Latinæ editionis, quod additur a quibusdam libris, nomen* Philippi.

V. 6. Saltavit filia Herodiadis in medio. *Quidam addunt* triclinio, *quæ glossa est, non textus.*

V. 19. Discipuli autem turbis. *Superfluit quod quidam libri addunt* dederunt: *relinquitur enim intelligendum e proximo.*

V. 22. Et statim compulit. *Scribendum est* compulit, *quod est coegit: non supponendum* jussit, *quod est præcepit.*

V. 32. Et cum ascendissent. *Quidam numero singulari scribunt* ascendisset; *male.*

CAP. XV. v. 2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? *Non est commutandus numerus singularis* traditionem *cum plurali.*

V. 31. Mutos loquentes. *Quod subjiciunt quidam libri* debiles sanos, *ex Græco additum est.*

V. 38. Erant autem qui manducaverunt. *Quidam libri præterito plusquamperfecto legunt* manducaverant.

CAP. XVI. v. 2. 3. 4. Facto vespere dicitis & cætera usque ad finem quarti versiculi, *immerito olim a quibusdam omissa fuere.*

Vers. 4. Faciem ergo cœli dijudicare nostis. *Non præponas nomen* hypocritæ.

Ibidem. Nisi signum Jonæ prophetæ. *Non omittas nomen* prophetæ.

V. 13. Quem dicunt homines esse filium hominis? *Non est addendum pronomen* me, *tametsi Græce legatur.*

V. 23. Vade post me Satana. *Non scribas tertio loco* post me.

CAP. XVII. v. 1. Et post dies sex assumit Jesus Petrum. *Non mutes præsens* assumit *cum præterito* assumpsit, *ut neque mox* ducit *cum* duxit.

V. 11. Elias quidem venturus est. *Subjiciunt quidam libri* primum, *ex Græco non dubium emendati.*

V. 24. Didrachma. *Legendum est, neutro genere, numero plurali non* didrachmam, *numero singulari generis fœminini.*

CAP. XVIII. v. 8. Abscide eum. *Similis locus supra 5. v. 30.*

V. 9. Bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare. *Non scribas* unum oculum habentem *pro* cum uno oculo.

V. 12. Nonne relinquit. *Præferendum est præsens* relinquit *futuro* relinquet.

Ibidem. In montibus. *Non scribas* in deserto, *ex Luc. 15. v. 4.*

V. 16. Adhibe tecum adhuc unum, vel duos. *Non omittas adverbium* adhuc.

CAP. XIX. v. 5. Propter hoc dimittet homo patrem & matrem. *Non mutes* dimittet *cum* relinquet, *quod alterius est loci.*

V. 12. Qui seipsos castraverunt. *Quidam scribunt* eunuchizaverunt.

V. 14. Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire. *Marci est & Lucæ, quod transpositis verbis quidam habent.* Sinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere eos.

Sequitur: Talium est enim regnum cœlorum. *Non est omittenda conjunctio* enim.

Vers. 18. Dicit illi: Quæ? *Non est legendum nominativo casu* ille, *sed dativo* illi.

Vers. 19. Et diliges proximum sicut teipsum. *Non est omittenda conjunctio* &.

V. 20. Omnia hæc custodivi a juventute mea. *Romani Patres censuerunt non esse omittendum illud* a juventute mea, *tametsi vetusta manuscripta omittant.*

V. 22. Vade, vende quæ habes; *Noli legere:* Vade & vende omnia quæ habes, *additis vocibus* & *&* omnia.

CAP. XX. v. 7. Ite & vos in vineam meam. *Non subjicias:* Et quod justum fuerit accipietis: *est enim superior versus quarti, non hujus septimi.*

V. 15. Aut non licet mihi quod volo facere? *Interpres noster non addidit* in meis, *quod alii.*

V. 17. Duodecim discipulos. *Non addas pronomen* suos.

V. 21. Et unus ad sinistram in regno tuo. *Non mutes* unus *cum* alius, *quod Marci est.*

V. 25. Potestatem exercent in eos. *Non est legendum* inter eos, *ut quidam male, pro* in eos.

V. 28. Et dare animam suam redemptionem pro multis. *Non est præponenda præpositio* in *nomini* redemptionem.

CAP. XXI. v. 1. Et cum appropinquassent Jerosolymis, & venissent Bethphage. *Non mutes numeros plurales in singulares,* appropinquasset, venisset.

Ibidem. Misit duos discipulos. *Non addas* suos, *quod ex Luca quidam.*

V. 3. Et confestim dimittet eos. *Sic legendum est, futuro tempore* dimittet, *non præsenti* dimittit.

V. 4. Hoc autem totum factum est. *Correctores non judicarunt omittendum* totum.

V. 7. Et imposuerunt super eos vestimenta sua. *Non mutes pronomen plurale* eos *cum singulari* eum.

V. 9. Hosanna filio David. *Cave legas, quinto casu* o fili, *ut quidam, loco tertii* filio.

V. 17. Ibique mansit. *Superfluit quod subjiciunt quidam libri* & docebat eos de regno Dei.

V. 27. Ait illis & ipse. *Non est omittendum medium illud* &, *quod etiam Græce legitur.*

Ibidem. Nec ego dico vobis. *Non est*

legendum futurum dicam, sed præsens dico.

Vers. 28. Fili, vade, hodie operare in vinea mea. Non mutes imperativum operare, cum infinitivo operari, nec sextum casum cum quarto vineam meam.

Vers. 31. Dicunt ei: Primus. Non omittas pronomen ei, multoque minus, pro primus, substituas contrarium novissimus, quod olim quidam.

Ibidem. Præcedent vos in regnum Dei. Præferendus est quartus casus regnum, sexto regno.

V. 32. Venit enim ad vos. Non legas autem pro enim.

V. 33. Et ædificavit turrim: Non addas in medio ejus, quod quidam ex Isa. 5. v. 2.

Vers. 37. Verebuntur filium meum. Quod quidam adjiciunt adverbium forsitan, Lucæ est cap. 20. v. 13.

V. 41. Qui reddant ei fructum. Non mutes præsens conjunctivi reddant, cum futuro indicativi reddent.

CAP. XXII. v. 1. Dixit iterum in parabolis eis, dicens. Non postponas pronomen eis participio dicens.

V. 3. Et misit servos suos. Non commutes numerum pluralem cum singulari servum suum, qui est Evangelii secundum Lucam. c. 14. v. 17.

Vers. 4. Tauri mei & altilia occisa sunt. Non omittas verbum substantivum sunt.

Vers. 13. Ligatis manibus & pedibus ejus. Non præponas pedes manibus, quod quidam.

V. 14. Multi enim sunt vocati. Non est legendum autem adversativum, pro enim rationali.

V. 15. Ut caperent eum in sermone. Non est substituendum antecedens Jesum, loco pronominis eum.

V. 17. Licet censum dare Cæsari, an non? Non est mutandum activum dare cum passivo dari.

V. 30. Sed erunt sicut angeli Dei in cælo. Correctores prætulerunt futurum erunt, quod respondet præcedentibus, præsenti sunt.

CAP. XXIII. v. 13. Væ autem vobis. Non est omittenda conjunctio autem.

Ibidem. Quia clauditis regnum cælorum ante homines. Non substituas pronomen qui pro conjunctione quia.

V. 14. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis judicium. Etsi hic versiculus videatur Marco & Lucæ proprius esse: non tamen judicarunt Correctores hic expungendum esse.

V. 16. Quicumque juraverit per templum. Non addas Dei.

V. 19. Cæci, quid enim majus est. Non proponas hic stulti & quemadmodum supra, v. 17.

V. 21. Jurat in illo, & in eo qui habitat in ipso. Non est legendum antecedens templo pro relativo ipso.

Vers. 25. & 26. Calicis & paropsidis. Alio loco vocalis quarta sequitur primam paropsidis: utroque enim modo vox effertur. Simile infra 26. v. 25.

V. 29. Qui ædificatis sepulcra. Hic qui legitur Latine, tametsi Græce sit conjunctio quia.

V. 34. Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas. Non adjicias dico vobis post ideo.

V. 37. Quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas. Non addas pronomen suas.

CAP. XXIV. v. 12. Et quoniam abundavit iniquitas. Præteritum abundavit præferendum est futuro abundabit.

V. 23. Ecce hic est Christus, aut illic. Non repetas ecce ante illic.

V. 30. Cum virtute multa & majestate. Non est commutandum multa cum magna, quod Lucæ est.

Vers. 33. Scitote quia prope est in januis. Non est interjiciendum & ante in januis.

V. 34. Non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. Non est omittendum, vel posteriori loco, pronomen hæc.

V. 36. Neque angeli cælorum, nisi solus Pater. Non interponas neque Filius, quod Marco primum est.

V. 41. Duabus molentibus subjiciunt multi Latini codices Duo in lecto, unus assumetur, & unus relinquetur, sed non est Matthæi, verum Lucæ, quemadmodum clare docuimus in Notationibus nostris in varias Bibliorum lectiones.

V. 43. Qua hora fur venturus esset. Non mutes optativum esset cum indicativo est.

V. 44. Quia qua nescitis hora, filius hominis venturus est. Quidam scribunt quia qua hora non putatis; sed illud Lucæ est, c. 12. v. 40.

V. 47. Super omnia bona sua constituet eum. Non omittas nomen bona.

CAP. XXV. v. 13. Vigilate itaque. Quod quidam libri adjungunt & orate, non est hujus loci.

V. 22. Ecce alia duo lucratus sum. Sic legendum est hoc loco: Nam vigesimi versus est verbum, non simplex, sed compositum, superlucratus.

V. 27. Oportuit ergo te. Non interponas & ante te.

V. 31. Et omnes angeli cum eo. Non addas pronomen ejus nomini angeli.

V. 40. Tunc dicet & his. Omittenda est vox rex, quam quidam interjiciunt.

CAP. XXVI. vers. 2. Et filius hominis tradetur ut crucifigatur. Non est hic subjungenda interrogationis nota.

V. 11. Me autem non semper habetis. In aliis libris est futurum habebitis.

V. 23. At ipse respondens ait. Legenda est adversativa at, non copulativa &.

V. 25. Respondens autem Judas qui tradidit eum, dixit. Non est interponenda conjunctio & ante dixit.

V. 28. Hic est enim sanguis meus. Nequaquam commutes pronomen masculinum hic cum neutro hoc.

Ibidem. Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Male quidam legunt vobis pro multis: nam vobis Lucæ est cap. 22. v. 20. Porro etsi Græce sit præsens effunditur: Latinus tamen Interpres futurum dedit: nec simplex fundetur, sed compositum effundetur, quale est Græce.

V. 29. Sed sicut tu. Non est addendum verbum vis.

Vers. 40. Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Quidam libri collocant interrogationis notam post adverbium sic: nonnulli pro plurali potuistis, habent singulare potuisti, sed hoc quidem male.

V. 45. 46. Ecce appropinquavit. Neutro horum locorum commutandum est præteritum appropinquavit cum futuro appropinquabit.

V. 50. Amice, ad quid venisti? Retinendum est quid interrogativum, non substituendum quod relativum.

Vers. 53. An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo. Hic postremo loco legendum est adverbium modo, non rejiciendum in anteriora.

V. 59. Principes autem sacerdotum. Non commutes plurale principes, cum singulari princeps.

V. 61. Et post triduum reædificare illud. Nec hic commutes verbum compositum reædificare cum simplici ædificare.

V. 63. Si tu es Christus filius Dei. Non addas vivi, quod est alterius loci, supra 16. v. 16.

V. 67. Alii autem palmas in faciem ejus dederunt. Non substituas alapas pro palmas.

Vers. 71. Vidit eum alia ancilla. Non est omittenda vox ancilla, utpote ab Interprete data.

V. 72. Quia non novi hominem.

V. 74. legitur, quia non novisset hominem.

V. 73. Et post pusillum accesserunt. Non addas ad eum.

V. 75. Verbi Jesu quod dixerat. Non est legendum verbi quod dixerat ei Jesus, quod est Evangelii secundum Marcum.

CAP. XXVII. vers. 3. Principibus sacerdotum & senioribus. Merito hic omissa est vox populi, ut & infra, v. 12.

V. 15. Unum vinctum quem voluissent. Sic legendum est numero plurali, non singulari voluisset.

Vers. 17. Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus. Quidam olim adscripserunt Jesum etiam ante Barabbam: sed male.

V. 32. Exeuntes autem. Ita legendum est verbum compositum exeuntes, non simplex euntes.

Ibidem. Hominem Cyrenæum. Non addas venientem obviam sibi, aut venientem de villa, quod quidam ex Marco & Luca huc transtulerunt.

Vers. 33. Qui dicitur Golgotha. Quarta vocali, non prima, legunt secundam syllabam voci Golgotha, libri meliores.

V. 37. Hic est Jesus. Non addas Nazarenus, hoc enim Joannis proprium est, c. 19. v. 19.

V. 40. Vah qui destruis. Non est omittenda interjectio vah.

V. 42. Descendat nunc de cruce, & credimus ei. Non mutes præsens credimus in futurum credemus.

Vers. 43. Confidit in Deo: liberet nunc si vult eum. Pronomen eum adjunctum verbo vult, ex insigni Romanorum Patrum correctione, non est rejiciendum in anteriora, ita ut adjungatur verbo liberet, quod faciunt plerique libri.

V. 46. Eli, Eli. Non legas addita o vocali, Eloi, Eloi, hoc enim est Marci, illud Matthæi.

V. 61. Erat autem ibi. Non mutes singulare erat in plurale erant.

CAP. XXVIII. vers. 3. Et vestimentum ejus sicut nix. Singulare vestimentum, non vertas in plurale vestimenta, multoque minus addas facta sunt alba, quod non est hujus loci, sed supra 17. v. 2.

V. 7. Et ecce præcedit vos in Galilæam. Non est mutandum præsens præcedit cum futuro præcedet.

Ibidem. Ecce prædixi vobis. Non legas tertia persona sicut dixit vobis, quod Marci est cap. 16. v. 7.

Vers. 17. Quidam autem dubitaverunt. Non addas pronomen eorum.

V. 19. Euntes ergo docete. Non mutes ergo cum autem.

M A R C U S.

CAP. I. v. 6. Et erat Joannes vestitus pilis cameli. Legendum est numero singulari cameli, non plurali camelorum.

V. 7. Venit fortior me post me. Cave legas futurum veniet, pro præsenti venit.

V. 10. Et spiritum. Non addas sanctum, quod frustra quidam.

V. 15. Et appropinquavit regnum Dei. Non est legendum futurum apud plerosque, sed præteritum, ut secundum Matthæum.

V. 24. Venisti perdere nos? Non est addendum ante tempus, quod quidam hic adscripserunt ex Matth. 8. v. 29.

V. 27. Etiam spiritibus immundis imperat. Pro etiam, quidam manuscripta legunt &, quod est æquivalens: quidam neutrum legunt, male.

CAP. II.

CAP. II. v. 1. Et iterum intravit Capharnaum post dies. *Spurium est quod additur in quibusdam libris, octo.*

V. 2. Et convenerunt multi. *Non addas* confestim.

Ibidem. Ita ut non caperet neque ad januam. *Singulare caperet præferendum est plurali caperent.*

V. 8. Jesus spiritu suo. *Non legas* sancto *pro* suo.

V. 16. Manducat & bibit magister vester; *Non facile omittas* τὸ magister vester, *etsi Græce non legatur.*

Vers. 22. Alioquin dirumpet vinum utres, & vinum effundetur, & utres peribunt. *Non sunt mutanda futura,* dirumpet, effundetur, *cum præsentibus, tametsi Græce lectis.*

Sequitur: Sed vinum novum in utres novos mitti debet. *Quod sequitur in quibusdam libris,* & ambo conservantur, *est Evangelii secundum Matthæum.*

V. 24. Ecce quid faciunt. *Non addas* discipuli tui.

V. 26. Nisi sacerdotibus. *Nec hic addas* solis, *quod non est hujus Evangelistæ.*

Sequitur: Et dedit eis qui cum eo erant. *Denique nec hic addas alterum* & *ante* qui.

CAP. III. v. 6. Exeuntes autem Pharisæi statim. *Non est præponendum adverbium* statim *nomini* Pharisæi.

V. 8. Et trans-Jordanem. *Non interjicias præpositionem* de.

V. 9. Ut navicula sibi deserviret. *Male legitur in quibusdam libris* ut in navicula sibi deservirent, *addita præpositione, mutatoque numero singulari cum plurali.*

V. 14. Et ut mitteret eos prædicare. *Non addas* Evangelium, *quod quidam.*

V. 21. Et cum audissent sui. *Nequaquam addas* discipuli, *quod inepte quidam.*

CAP. IV. v. 2. Et iterum cœpit docere. *Non interponas nomen* Jesus.

V. 8. 20. Unum triginta, unum sexaginta, & unum centum. *Interpres secundum Marcum usus est numero cardinali, secundum Matthæum ordinali.*

V. 10. Parabolam. *Non mutes singulare cum plurali* parabolas, *nec addas* exponere.

V. 19. Et sine fructu efficitur. *Non est legendum numero plurali* efficiuntur.

V. 20. Et unum centum. *Non addas* qui habet aures audiendi, audiat.

V. 22. Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur. *Non mutes* manifestetur *cum* reveletur.

Sequitur: Nec factum est occultum, sed ut in palam veniat. *Ex Matthæo, & præsertim Luca, correxerant quidam,* quod non in palam.

V. 24. Et adjicietur vobis. *Immerito omittuntur a quibusdam hæc verba.*

V. 28. Deinde plenum frumentum in spica. *Pro* frumentum *non est scribendum* fructum, *nomen generale.*

V. 29. Et cum produxerit fructus. *Plerique omnes libri addunt pronomen* se *ante* fructus.

Vers. 32. Et cum seminatum fuerit, ascendit. *Male legitur in quibusdam libris* natum *pro* seminatum, *quod est,* satum: *nec minus male additur* in arborem, *quod ex Matthæo; aut potius Luca huc esse adscriptum, indubium est.*

V. 36. Assumunt eum ita ut erat in navi. *Quidam codices Latini legunt* erant *numero plurium, sed male.*

CAP. V. v. 8. Dicebat enim illi. *Non est addendum* Jesus, *sed subaudiendum.*

V. 11. Grex porcorum magnus, pascens. *Quod subsequitur in quibusdam libris* in agris, *transfodiendum est.*

V. 13. Grex præcipitatus est in mare ad duo millia. *Non addas* erant autem quasi, *ante* ad duo millia.

V. 15. Et veniunt ad Jesum. *Non mutes præsens* veniunt *cum præterito* venerunt.

Ibidem. Vestitum & sanæ mentis. *Non addas* eum qui habuerat legionem, *tametsi Græce legatur.*

V. 19. Et non admisit eum. *Quidam, loco* &, *scribunt* Jesus autem; *quidam* permisit *loco* admisit, *verum hic minus recte.*

V. 21. Et cum transcendisset. *Non scribas* ascendisset *pro* transcendisset.

V. 30. Ille autem dixit ei. *Non est legendum nomen* Jesus *loco pronominis* ille.

V. 35. Veniunt ab archisynagogo. *Sic legendum est sexto casu, ex correctione Sixtina: non est addendum* nuntii, *nec scribendum quarto casu, mutata præpositione,* ad archisynagogum.

V. 40. Et ingreditur ubi puella erat jacens. *Præferendum est singulare* ingreditur *plurali* ingrediuntur.

V. 41. Talitha cumi. *Multi libri erronee, pro* talitha, tabitha *scribunt, id est,* b *pro* l, *mutam pro liquida; sumpta erroris occasione ex simili historia, Act. 9. v. 40. Atqui voces diversæ sunt: nam* tabitha *quod est Lucæ, capream:* talitha, *quod Marci, puellam significat, ipsis Evangelistis Interpretibus.*

V. 42. Et obstupuerunt stupore magno. *Non interponas* omnes.

V. 43. Et dixit dari illi manducare. *Ut non est mutandum* dixit *cum* jussit, *ita non infinitivus* dari *cum imperativo* date.

CAP. VI. v. 3. Nonne hic est faber. *Non est legendus genitivus* fabri, *pro nominativo* faber.

Vers. 5. Et non poterat ibi virtutem ullam facere. *Marci est* virtutem ullam; *Matthæi* virtutes multas, *cap.* 13. *vers.* 58.

V. 11. Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos. *Injuria omittunt libri quidam hæc verba* vos, nec audierint vos.

Vers. 13. Et ungebant oleo multos ægros, & sanabant. *Pro activo plurali* sanabant, *non est substituendum, vel passivum* sanabantur, *vel singulare* sanabat.

V. 21. Herodes natalis sui cœnam fecit. *Pro* natalis sui, *non supponas* in natali suo.

V. 25. Petivit, dicens: *Non mutes præteritum* petivit *in præsens* petit.

V. 27. Sed misso speculatore. *Non addas* contestim.

V. 28. Et decollavit eum in carcere, & attulit caput ejus in disco. *Nequaquam omittenda hæc verba sunt.*

V. 37. Date illis vos manducare. *Non est negligendum pronomen* vos.

V. 48. Et videns eos laborantes in remigando. *Non mutes participium* videns *cum præterito* vidit.

CAP. VII. v. 3. Tenentes traditionem seniorum. *Non mutes singulare cum plurali* traditiones.

V. 4. Et a foro, nisi baptizentur. *Non est adjiciendum participium* venientes *vocis* foro.

V. 5. Pharisæi & Scribæ. *Superfluit participium* dicentes, *quod quidam subjungunt.*

V. 8. Tenetis traditionem hominum. *Præferendum est singulare plurali* traditiones.

V. 9. Bene irritum facitis præceptum Dei. *Non est mutandum præsens* facitis *cum præterito* fecistis.

V. 19. Quia non intrat in cor ejus. *Neque hic mutes præsens* intrat *in præteritum* intravit.

V. 31. Ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos. *Non interponas* quæ, *aut* quod est inter.

V. 37. Et surdos fecit audire, & mutos loqui. *Non est omittenda conjunctio* & *vel priori loco.*

CAP. VIII. v. 1. Cum turba multa esset. *Non addas* cum Jesu.

Vers. 10. Venit in partes Dalmanutha. *Pro* Dalmanutha, *non supponas* Magedan, *quod Matthæi est cap.* 15. *v.* 39.

V. 12. Si dabitur generationi isti signum. *Non est surrogandum adverbium* non *in locum conjunctionis* si.

V. 19. Quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? *Non est his verbis præponenda conjunctio* &, *ex aliis plerisque libris.*

V. 20. Quando & septem panes. *Hic plures codices omittunt mediam conjunctionem* &, *male.*

V. 28. Joannem Baptistam. *Superfluit nomen* alii, *quod quidam præponunt.*

V. 32. Cœpit increpare eum. *Quod subjiciunt quidam libri:* Dicens, Domine propitius esto tibi, nam hoc non erit tibi, *redundat: Matthæi enim proprium est.*

V. 37. Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua. *Hæc secundum Marcum germana scriptura est; secundum Matthæum autem ista:* Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? *cap.* 16. *v.* 26.

V. 38. Qui enim me confusus fuerit *&c.* & filius hominis confundetur eum. *Pro* confusus fuerit *&* confundetur, *verbis a confusione pro pudore accepta deductis, quidam vitiose scribunt,* confessus fuerit, confitebitur, *verba deducta a confessione, accepta pro agnitione. Erroris caussam dedere, tum insolens Interpretis phrasis, tum loca Matth.* 10. *v.* 32. *& Luc.* 12. *v.* 8.

Ibidem. Cum angelis sanctis. *Spurium est pronomen* suis, *quod quidam adjiciunt, quidam pro* sanctis *substituunt.*

V. 39. Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus *&c. Recte Correctores Romani versiculum hunc adjunxerunt octavo capiti, a quo plerique codices inchoant caput nonum, minus congrue.*

CAP. IX. v. 1. Et post dies sex assumit. *Non mutes præsens cum præterito* assumpsit.

Ibidem. Et ducit illos in montem excelsum seorsum solos. *Male est in quibusdam codicibus primus casus* solus *pro quarto* solos.

Vers. 4. Et, faciamus tria tabernacula. *Quidam omittunt* & *conjunctionem, male.*

V. 14. Et accurrentes salutabant eum. *Sic legendum est prima vocali, non quarta* occurrentes, *quod est, currentes obviam.*

V. 18. Qui respondens eis dixit. *Non mutes plurale* eis *cum singulari* ei.

V. 32. Qui cum domi essent. *Neque hic mutes plurale* essent *cum singulari* esset.

V. 34. Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus. *Non addas* quasi *ante* omnium.

V. 36. Non me suscipit, sed eum qui misit me. *Redundat* solum, *quod quidam addunt ante* suscipit.

V. 39. Qui enim non est adversus vos, pro vobis est. *Non sunt substituenda pronomina primæ personæ,* nos, nobis, *pro secundæ,* vos, vobis.

V. 40. Calicem aquæ. *Non addas* frigidæ, *quod Matthæi est cap.* 10. *v.* 42.

V. 43. Abscide illam. *Non corrigas, addita* n *littera* abscinde, *vide Matth.* 5. *v.* 30.

V. 48. Omnis enim igne salietur. *Non est interponenda vox* homo.

CAP. X. v. 5. Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis. *Non addas* Moyses.

Vers. 7. Propter hoc relinquet homo patrem suum. *Non præponas his verbis* & dixit, *Matthæi est capit.* 19. *vers.* 5.

V. 11. Adulterium committit super eam. *Cave ne pronomen* eam *commutes cum nomine* alteram.

V. 15. Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus. *Quidam male pro*

regnum

regnum *substituunt* verbum, *sive sermonem*.

V. 17. Et cum egressus esset in viam: Non *mutes casum quartum cum sexto* via.

Ibidem. Rogabat eum: Magister bone. Non *interjicias participium* dicens.

V. 20. Magister hæc omnia observavi. Non *hic addas* epitheton bone.

V. 28. Et cœpit et Petrus dicere. *Superfluum adverbium* posthæc, *quod additur a quibusdam*.

V. 32. Et sequentes timebant. Non *addas pronomen* eum, *multoque minus supponas* dicebant *pro* timebant.

V. 35. Ut quodcumque petierimus. *Merito omissum est a te, quod subjungunt quidam*.

V. 38. 39. Baptismo quo ego baptizor. Non *mutes* baptismo *casum sextum, in quartum* baptismum, *aut* baptisma, *quod multi*.

V. 40. Non est meum dare vobis. *Romani Patres non judicarunt auferendum pronomen* vobis.

CAP. XI. v. 1. Et cum appropinquarent Jerosolymæ. *Retinendus est numerus pluralis, non substituendus singularis* appropinquaret.

Ibidem. Mittit duos ex discipulis suis. Non *mutes præsens* mittit *cum præterito* misit.

V. 2. Invenietis pullum ligatum. Voci pullum *non addas* asinæ, *ex Luca*.

V. 3. *Et si quis vobis dixerit. Superfluis* aliquid, *quod quidam addunt*.

Vers. 5. Et quidam de illic stantibus dicebant illis. *Legendum est* dicebant, *numero plurali, non* dicebat *singulari*.

V. 6. Et dimiserunt eis. *Alii pro tertio casu* eis *legunt quartum* eos.

V. 18. Timebant enim eum. Non *mutes conjunctionem causalem* enim, *cum adversativa* vero.

V. 22. Habete fidem Dei. *Male a quibusdam libris omittitur vox* Dei.

V. 23. Tollere & mittere in mare. *Nequaquam mutanda sunt imperativa passiva cum activis* tolle & mitte.

V. 33. Et respondens Jesus, ait illis. Non *omittas conjunctionem & præpositam*.

CAP. XII. *vers*. 1. Et circumdedit sepem. Non *addas pronomen* et.

V. 14. Nec enim vides in faciem hominum. *Ut non est omittenda præpositio* in, *ita non mutandus numerus pluralis* hominum *in singularem* hominis.

V. 15. Qui sciens versutiam illorum. *Quidam libri, pro* versutiam *legunt* simulationem, *ex alia versione*.

V. 16. At illi attulerunt ei. *Hic legitur* attulerunt, *secundum Matthæum* obtulerunt.

Ibidem. Cujus est imago hæc & inscriptio? *Secundum Matthæum vetus* superscriptio, *hic* inscriptio.

V. 25. Sed sunt sicut angeli in cælis. *Non est hic addenda vox* Dei, *quæ Matthæi est*, cap. 22. v. 30.

V. 34. Et nemo jam audebat eum interrogare. Non *addas* amplius.

CAP. XIII. v. 19. Erunt enim dies illi tribulationes tales. *Legendus est nominativus pluralis* tribulationes, *non genitivus singularis* tribulationis.

V. 20. Breviavit dies. *Præteritum præferendum est futuro* breviabit.

Vers. 22. Et dabunt signa & portenta. *Hic* portenta, *secundum Matthæum* prodigia *legit Latina editio incorrupta*.

Vers. 26. Venientem in nubibus. Non *addas* cæli.

V. 28. Cognoscitis quia in proximo sit æstas. Non *mutes indicativum* cognoscitis *cum imperativo* cognoscite.

CAP. XIV. *vers*. 2. Dicebant autem: Non in die festo. *Præferenda est conjunctio* autem *conjunctioni causali* enim.

V. 3. Et cum esset Bethaniæ. *Ut non est addendum nomen* Jesus, *ita non omittendum* Bethaniæ.

Ibidem. Unguenti nardi spicati pretiosi. *Retinendum est* spicati *a* spica *deductum, non mutandum cum* pistici, *a* pistis.

V. 4. Et dicentes: Ut quid perditio ista? Non *est omittenda copulativa* &.

V. 7. Semper enim pauperes habetis vobiscum. *Præsens* habetis *non est hic mutandum in futurum* habebitis. *ut nec in verbis sequentibus* Me autem non semper habetis.

V. 8. Quod habuit hæc, fecit. *Cave ne scribas neutrum* hoc *pro feminino* hæc.

Sequitur: Prævenit ungere corpus meum in sepulturam. *Servandus est quartus casus* sepulturam, *non variandus in sextum*.

V. 14. Ubi est refectio mea? *A quibusdam libris additur* & diversorium meum: *quod ex Luca huc transcripsit scriolus, ignorans ejusdem rei alteram esse interpretationem*.

V. 21. Si non esset natus. *Sic lege secundum Marcum; secundum Matthæum autem*, si natus non fuisset.

Vers. 25. De hoc genimine vitis. *Multi antiqui codices omittunt pronomen* hoc.

V. 27. Omnes scandalizabimini in me in nocte ista. Non *auferas* in me.

Ibidem. Et dispergentur oves. Non *est addendum* gregis, *quod Matthæi est*, cap. 26. v. 31.

V. 29. Etsi omnes scandalizati fuerint in te. Non *est omittendum postremum* in te.

V. 34. Sustinete hic & vigilate. *Non addas* mecum, *quod non est hujus loci, sed* Matth. 26. v. 38.

V. 37. Non potuistis una hora vigilare? *Nec hujus loci est* mecum, *sed* Matth. 26. v. 40.

V. 43. A summis sacerdotibus & Scribis. Non *est præponendum, vel addendum participium* missi.

Vers. 47. Unus autem quidam de circumstantibus. Non *omittas pronomen* quidam.

Vers. 52. At ille rejecta sindone: Non *mutes* rejecta *cum* relicta.

V. 53. Et convenerunt omnes. Non *interponas* in unum.

V. 55. Quærebant adversus Jesum testimonium. Non *addas* falsum *quod potius Matthæi est*, cap. 26. v. 59.

V. 58. Ego dissolvam templum hoc. Non *commutes futurum cum præsenti* dissolvo.

Ibidem. Et per triduum. *Quidam legunt* & post triduum: *sed Matthæi est* post cap. 26. v. 61. *Marci* per.

V. 68. Et gallus cantavit. Non *est addenda vox* statim, *quæ est alterius loci*.

V. 69. Rursus autem cum vidisset illum ancilla. *Vox* alia, *quam hic addunt quidam codices, ex Matthæo accepta est*. cap. 26. v. 70.

CAP. XV. v. 6. Unum ex vinctis. *Hæc est lectio editionis nostræ secundum Marcum: nam secundum Matthæum est* unum vinctum.

V. 8. Sicut semper faciebat illis. *Male supplerius hic locus in quodam manuscripto* per diem solemnem, ut dimitteret unum vinctum.

V. 15. Et tradidit Jesum. Non *hic addas pronomen* eis.

V. 20. Ut crucifigerent eum. *Non hic omittas pronomen* eum, *quamvis minus necessarium*.

V. 25. Erat autem hora tertia. *Cave scribas* sexta *pro* tertia.

V. 29. Et in tribus diebus reædificas. Non *addas pronomen* illud, *sed subaudias*.

V. 40. Erant autem & mulieres. *Nec addendum est adverbium* ibi, *nec legendum ist* ibi *pro* &.

V. 44. Interrogavit eum. *Non est legendum præteritum imperfectum* interrogabat *pro perfecto*.

CAP. XVI. v. 7. Quia præcedit vos in Galilæam. *Non magis hic quam secundum Matthæum, mutandum est præsens* præcedit, *cum futuro* præcedet.

Ibidem. Sicut dixit vobis. *Cave legas primam personam* dixi *pro tertia* dixit, *tametsi Matthæus scribat*, Ecce prædixi vobis.

V. 9. Surgens autem mane. Non *addas* Jesus.

Vers. 14. Novissime recumbentibus illis undecim apparuit. *Nec hic addas pronomen* Jesus; *ut nec paulo post a* mortuis, *ubi dicitur* qui viderant eum resurrexisse.

L U C A S.

CAP. I. v. 8. Cum sacerdotio fungeretur. Non *addas* Zacharias.

V. 28. Ave gratia plena. *Non est interponendum nomen* Maria.

V. 30. Invenisti enim gratiam apud Deum. *Non est omittenda conjunctio* enim, *nec mutandum* Deum *cum* Dominum.

V. 35. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum. *Non est auferendum medium* illud ex te.

V. 45. Recordatus misericordiæ suæ. *Non mutes participium* recordatus, *cum verbo* memorari.

V. 66. Quis putas puer iste erit? Non *mutes masculinum* quis *cum neutro* quid.

CAP. II. v. 4. In civitatem David. Non *omittas præpositionem* in.

Vers. 7. Quia non erat eis locus in diversorio. *Retinendum est pronomen plurale* eis, *non mutandum cum singulari* ei.

V. 11. Quia natus est vobis hodie salvator. *Nec omittendum est secundæ personæ pronomen* vobis, *nec mutandum cum primæ* nobis.

Vers. 13. Multitudo militiæ cælestis. *Pro* militiæ *non substituas* exercitus, *nec conjungas utrumque* militiæ cælestis exercitus.

V. 14. Gloria in altissimis Deo. Non *mutes* altissimis *cum* excelsis.

V. 15. Quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. *Nequaquam legendum est, quibusdam additis*. Quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis.

V. 21. Ut circumcideretur puer. Non *mittas* τὸ puer.

V. 26. Nisi prius videret. *Neque hic omittas adverbium* prius.

V. 33. Et erat pater ejus & mater mirantes. *Interpres dedit singulare* erat, *non plurale* erant: *dixitque* pater ejus & mater, *non, ut quidam corrigunt*, Joseph & mater ejus.

Vers. 37. Et hæc vidua usque ad. *Non est addendum verbum substantivum* erat.

V. 38. Qui expectabant redemptionem Israel. *Pro feminino* redemptionem, *nullo modo legendum est masculinum* redemptorem.

V. 40. Et confortabatur. Non *addas* spiritu.

Ibidem. Et gratia Dei erat in illo. *Non substituas* eum *pro* in.

Vers. 50. Et ipsi non intellexerunt verbum. *Non est omittendum* τὸ verbum.

V. 51. In corde suo. *Non præponas participium* conferens, *quod quidam, acceptum ex versu superiori* 19.

CAP. III. v. 9. Jam securis ad radicem arborum posita est. *Non mutes singulare* radicem, *cum plurali* radices; *multoque minus plurale* arborum, *cum singulari* arboris.

V. 16. Veniet autem fortior me. Non *addas*, post me, *quod Marci est* cap. 1. *vers*. 7.

V. 19. De Herodiade uxore fratris sui. Non *addas Latine* Philippi.

V 22.

V. 22. In te complacui mihi. *Pro prima persona complacui, est in aliis plerisque libris tertia complacuit.*

V. 36. Qui fuit Melca. *Non scribas* Melcha, *ne in vocali e mutata in consonantem, mutam inquam adspirantem* c h.

CAP. IV. v. 1. Regressus est a Jordane. *Non est mutandum* regressus est, *quod est* reversus, *cum* egressus est *sive* exiit.

Ibidem. Et agebatur a spiritu in desertum. *Non mutes* a *cum* in, *neque quartum casum* desertum *in sextum* deserto.

V. 2. Et consummatis illis esuriit. *Non addas* postea.

V. 7. Tu ergo si adoraveris. *Non hic addas* procidens, *quod ex Matthæo quidam*

V. 9. Super pinnam templi. *Matthæi est* pinnaculum, *Lucæ* pinnam.

Vers. 14. Et regressus est Jesus. *Ita legendum est* regressus, *quod est* reversus, *non* egressus, *aut* ingressus. *Simile supra v.* 1.

Vers. 23. Quanta audivimus. *Non est præmittendum:* Dixerunt Pharisæi ad Jesum.

Vers. 27. Et nemo eorum mundatus est. *Non addas* a lepra.

Vers. 28. Et repleti sunt omnes in synagoga ira. *Non est omittendum illud* in synagoga.

Vers. 34. Scio te quis sis, sanctus Dei. *Non est mutandum relativum* quis *in conjunctionem* quia.

V. 36. Imperat immundis spiritibus. *Non est auferendum epitheton* immundis.

CAP. V. v. 17. Et virtus Domini erat ad sanandum eos. *Male quidam libri pro* eos *pronomine, legunt nomen* infirmos.

V. 20. Quorum fidem ut vidit. *Non addas nomen* Jesus, *tametsi Syriace legatur.*

V. 22. Quid cogitatis in cordibus vestris. *Quidam libri addunt* mala *male: nam Matthæi illud, non Lucæ est*

V. 26. Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. *Nullo modo omittenda hæc sunt.*

V. 32. Non veni vocare justos. *Non addas conjunctionem* enim, *quam quidam.*

Vers. 35. Cum ablatus fuerit ab illis sponsus. *Nec hic præponas conjunctionem* &.

CAP. VI. v. 4. Quos non licet manducare. *Præferendum est præsens* licet, *præterito imperfecto* licebat.

V. 10. Et restituta est manus ejus. *Non addas* sanitati.

V. 11. Quidnam facerent Jesu. *Non præponas præpositionem* de *ante nomen* Jesu.

V. 17. Et descendens cum illis. *Hujus loco quidam legunt.* Et descendens Jesus de monte, *quod ex officio ecclesiastico acceptum esse clarum est.*

V. 24. Quia habetis consolationem vestram. *Præferenda est conjunctio* quia *relativo* qui.

Vers. 26. Væ cum benedixerint vobis homines. *Nec post* væ *adjicias alterum* vobis; *nec ante* homines *præponas* omnes.

Ibidem. Secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum. *Ut non est omittenda conjunctio* enim: *ita nec vox* prophetis *substituenda est, pro contraria* pseudoprophetis, *id est, falsis prophetis, quod quidam hic faciunt, ex loco simili supra v.* 23.

V. 33. His qui vobis benefaciunt. *Sic legendum est; non ut quidam,* his qui vos diligunt.

V. 38. Eadem quippe mensura. *Non legas* vero *pro* quippe.

V. 42. Ipse in oculo suo trabem non videns. *Noli mutare participium* videns, *cum verbo* vides.

V. 45. De malo thesauro. *Non repetas* cordis sui.

V. 46. Quid autem vocatis me. *Non legas* enim *pro* autem.

V. 48. Fundata enim erat supra petram. *Non addas* firmam.

CAP. VII. *vers.* 3. Et salvaret servum ejus. *Multi codices legunt* sanaret.

V. 27. Hic est, de quo scriptum est. *Non addas* enim, *quod quidam ex Matthæo.*

V. 28. Qui autem minor est in regno Dei. *Secundum Matthæum est* in regno cælorum.

V. 32. Cantavimus vobis tibiis. *Non est hic omittenda vox* tibiis; *ut secundum Matthæum.*

V. 33. Venit enim Joannes. *Non mutes* enim *cum* autem.

V. 37. Quod accubuisset in domo Pharisæi. *Non addenda vox* Jesus.

V. 44. Et capillis suis tersit. *Pro* suis, *Non scribas* capitis sui, *tametsi ita sit Græce.*

V. 45. Hæc autem ex quo intravit. *Retinenda est persona tertia* intravit, *ex correctione Romana, nequaquam admittenda prima* intravi.

CAP. VIII. v. 3. Quæ ministrabant ei. *Singulare* ei *præfertur plurali* eis, *quod ab aliis legitur.*

Vers. 4. Cum turba plurima convenirent. *Alii legunt numero singulari* conveniret.

V. 12. Nam qui supra petram, qui cum audierint. *Non interponas* hi sunt.

Ibidem. Qui ad tempus credunt. *Præferendum est relativum* qui *conjunctioni* quia.

Vers. 18. Videte ergo quomodo audiatis. *Non est mutandum* quomodo *cum* quid: *hoc enim Marci, illud Lucæ est.*

V. 19. Et non poterant adire eum præ turba. *Cave pro* adire, *quod est* accedere, *scribas* audire, *quod est* ἀκούειν.

V. 23. Et complebantur. *Spurium est quod quidam codices legunt* compellebantur, *seu* cogebantur, *pro* complebantur, *quod est*, *implebantur.*

V. 29. Agebatur a dæmonio in deserta. *Non mutes plurale* deserta *cum singulari* deserto.

Vers. 40. Erant enim omnes expectantes eum. *Conjunctio ætiologica* enim *non est mutanda cum adversativa* autem.

V. 46. Nam ego novi virtutem de me exiisse. *Non addas* & *ante* ego.

V. 49. Noli vexare illum. *Non substituas* magistrum *pro* illum.

Vers. 55. Et jussit illi dari manducare. *Non mutes passivum* dari *in activum* dare.

CAP. IX. v. 3. Nihil tuleritis in via. *Non mutes casum sextum* via *in quartum* viam.

V. 6. Circuibant per castella. *Non est omittenda præpositio* per.

Vers. 15. Et discumbere fecerunt omnes. *Quidam legunt* & distribuerunt omnes.

Vers. 19. Et dixerunt: Joannem Baptistam. *Non est interponenda vox* alii, *quæ Evangelii secundum Matthæum est.*

V. 49. Quia non sequitur nobiscum. *Non est addendum pronomen* te *verbo* sequitur.

V. 50. Et ait ad illum Jesus. *Non est mutandum singulare* illum *cum plurali* illos.

Sequitur: Nolite prohibere: *Non est præponendum* Sinite illos &c. *id quod aliunde quidam huc adscivêrunt.*

Sequitur: Qui enim non est adversum vos, pro vobis est. *Non mutes pronomina secundæ personæ,* vos, vobis, *in primam* nos, nobis.

V. 54. Et consumat illos? *Quod sequitur in quibusdam libris* sicut & Elias fecit, *non est Latinæ editionis.*

V. 56. Filius hominis non venit animas perdere. *Non addas voci* animas *genitivum* hominum.

V. 57. Sequar te quocumque ieris. *Non subdas* Domine.

V. 58. Ubi caput reclinet. *Non addas pronomen* suum.

V. 61. Renunciare his quæ domi sunt. *Alii libri, masculino genere legunt* his qui domi sunt.

CAP. X. v. 1. Et alios septuaginta duos. *Et infra vers.* 17. Reversi sunt autem septuaginta duo. *Ut Græce non est addendum, ita Latine non est omittendum,* duos *aut mutandum cum* viros.

V. 4. Nolite portare sacculum. *Non est addenda conjunctio* ergo.

V. 9 *&* 11. Appropinquavit. *Præteritum servandum est utroque loco, non mutandum cum futuro.*

Vers. 10. In quamcumque autem civitatem. *Non videtur omittendum* autem, *quod etiam Græce & Syriace legitur.*

V. 13. Væ tibi Corozain. *Non est mutandum extremum elementum hujus nominis proprii* n *in* m, *id est tertia liquidarum in secundam.*

Vers. 21. In ipsa hora exultavit Spiritu Sancto. *Non omittas epitheton* sancto.

V. 30. Suscipiens autem Jesus. *Cave ne pro* suscipiens, *quod est respondendi partes accipiens, scribas* suspiciens, *quod est*, *sursum adspiciens.*

CAP. XI. v. 2. Pater sanctificetur nomen tuum. *Quod quidam, nomini* pater, *addunt* noster qui es in cælis, *non est hujus loci.*

Sequitur: Adveniat regnum tuum. *Similiter non est hujus Evangelii, quod subjiciunt multi* Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra: *prout discere licet ex nostris in varias Bibliorum lectiones* Notationibus.

V. 4. Et ne nos inducas in tentationem. *Denique nec hoc, quod in quibusdam exemplaribus sequitur.* Sed libera nos a malo, Amen, *a Luca fuit additum.*

V. 13. Quanto magis Pater vester. *Non addas* cælestis.

V. 24. Ambulat per loca inaquosa. *Non est legendum* per loca arida. *Est enim Evangelii secundum Matthæum.*

V. 36. Si ergo totum corpus tuum. *Non est omittenda vox* totum.

V. 42. Sed væ vobis Pharisæis. *Non est mutandus dativus* Pharisæis *cum vocativo* Pharisæi.

Sequitur: Quia decimatis mentham. *Præferenda est conjunctio* quia *relativo* qui.

V. 46. Quia oneratis homines. *Idem est de hoc loco judicium.*

V. 51. A sanguine Abel. *Non addas* justi, *quod Matthæi est cap.* 23. v. 35.

V. 53. Cum autem hæc ad illos diceret. *Non omittas conjunctionem* autem.

CAP. XII. v. 1. Multis autem turbis circumstantibus. *Non legas* concurrentibus.

V. 2. Nihil autem opertum est. *Non est præferenda conjunctio caussalis* enim *continuativæ* autem.

V. 27. Considerate lilia. *Non addas* agri, *quod quidam ex Matth.* 6. v. 28.

V. 30. Hæc enim omnia gentes mundi inquirunt. *Non est legendum* autem *pro* enim.

Ibidem. Quoniam his indigetis. *Superflua vox* omnibus, *quam quidam interjiciunt.*

Vers. 35. Et lucernæ ardentes in manibus vestris. *Non judicarunt Romani Patres hoc omittendum* in manibus vestris.

V. 41. Ait autem ei Petrus. *Non omittas pronomen* ei.

V. 43. Quem cum venerit Dominus. *Interpres non addidit pronomen* ejus, *tametsi legatur Græce, & Syriace.*

V. 44. Vere dico vobis. *Non est hic legendum*

ſcendum amen pro vere, *ſed ſecundum* Matthæum.

V. 47. Et non præparavit. Non *eſt addendum pronomen ſe, licet forte ſubaudiendum*.

V. 49. Et quid volo niſi ut accendatur? Non *eſt hic omittenda conjunctio* ut.

V. 51. Dicebat autem & ad turbas. Non *auferas medium* & *pro etiam poſitum*.

V. 58. Ne forte trahat te ad Judicem. Non *hic legendum eſt* tradat, *pro* trahat, *ſed mox* tradat te exactori.

CAP. XIII. v. 4. Sicut illi decem & octo. *Nec præponas, nec poſtponas conjunctionem* & *adverbio* ſicut.

V. 5. Sed ſi pœnitentiam non egeritis. *Hic* egeritis, *ſupra, verſ.* 3. habueritis, *dixit Interpres*.

V. 15. Hypocritæ, unuſquiſque veſtrum. *Præferendum eſt plurale* hypocritæ, *ſingulari* hypocrita.

V. 18. Et cui ſimile æſtimabo illud. *Pro ſimplici* æſtimabo, *non legas compoſitum* exiſtimabo.

V. 24. Quærent intrare & non poterunt. Non *eſt mutandum futurum* quærent *cum præſenti* quærunt.

V. 25. Incipietis foris ſtare. Non *eſt præponenda conjunctio* & *verbo* incipietis.

V. 27. Omnes operarii iniquitatis. *Hujus loco non eſt ſcribendum* maledicti in ignem æternum.

V. 30. Et ecce ſunt noviſſimi, qui erunt primi, & ſunt primi, qui erunt noviſſimi. Non *mutes futurum* erunt *hic repetitum, in præteritum imperfectum* erant.

V. 34. Et lapidas eos qui mittuntur ad te. Non *varies præſens* mittuntur *in præteritum* miſſi ſunt: *hoc enim Matthæi, illud Lucæ eſt*.

V. 35. Ecce relinquetur vobis. Non *omittas pronomen* vobis.

CAP. XIV. v. 12. Neque vicinos divites. Non *eſt interjiciendum alterum* neque, *ante* divites.

V. 14. In reſurrectione juſtorum. Non *ſcribas* retributione *pro* reſurrectione.

V. 15. Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Non *mutes futurum* manducabit *cum præſenti* manducat.

V. 27. Et qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. *Nequaquam omittendus eſt iſte verſiculus, prout a quibuſdam omittitur*.

V. 28. & 31. Non prius ſedens. *Præferendum eſt* non, *ipſi* nonne *quod quidam habent*.

V. 34. Si autem ſal evanuerit. Non *addas* quoque.

CAP. XV. v. 8. Si perdiderit drachmam unam. Non *eſt præmittenda* & *conjunctio*.

Ibidem. Et evertit domum. *Ita recte emendarunt Romani Correctores*, evertit, *quod eſt* . *ſcopis mundat* (*quo modo Interpres eamdem ipſam vocem Græcam vertit ſupra* 11. *v.* 25.) *pro eo quod pleriq;ue omnes libri habent* evertit, *quod eſt*, ſubvertit. *Vocum ſimilitudo depravandi occaſionem dedit præbuit*.

Ibidem. Donec inveniat. Non *addas* eam.

Ver. 14. Et poſtquam omnia conſummaſſet. Non *ſcribas* conſumpſiſſet *tertiæ conjugationis, pro* conſummaſſet *primæ, quamquam hoc per illud recte explicetur*.

V. 19. Jam non ſum dignus. Non *præponas* & *conjunctionem*.

V. 24. Et cœperunt epulari. Non *eſt addendum* omnes.

V. 28. Pater ergo illius. Non *mutes* ergo *cum* autem.

V. 31. At ipſe dixit illi; Non *eſt legenda conjunctio copulativa* & *loco adverſativæ* at.

CAP. XVI. v. 1. Et ad diſcipulos. Non *omittas* & *pro* etiam *poſitum*.

Verſ. 6. At ille dixit. Non *eſt mutandum præteritum* dixit *cum præſenti* dicit.

V. 11. Quod verum eſt quis credet vobis? *Noli ſcribere* credat, *pro futuro* credet; *multoque minus* veſtrum, *pro* verum, *quod opponitur iniquo, quemadmodum verſu proximo* veſtrum *alieno opponitur*.

V. 18. Omnis qui dimittit uxorem ſuam. Non *præponas conjunctionem* &.

V. 21. Et lingebant ulcera ejus. *Servandum eſt* ulcera, *quod eſt* ἕλκη, *non ſubſtituendum* vulnera?

CAP. XVII. v. 3. Si peccaverit in te frater tuus. Non *auferas medium illud* in te.

V. 7. Servum arantem, aut paſcentem. *Quod ſequitur, in quibuſdam libris* oves, *in quibuſdam* boves, *ſupervacuum utrumque, quamquam prius melius ſit*.

V. 28. Similiter ſicut factum eſt. Non *eſt omittendum adverbium* ſicut.

V. 31. In illa hora, qui fuerit in tecto. Non *commutes* hora *cum* die.

CAP. XVIII. v. 9. Parabolam iſtam. Non *ſubdas* dicens.

V. 13. Deus propitius eſto mihi peccatori. *Minime addendum eſt* Amen.

V. 15. Quod cum viderent diſcipuli. Non *eſt mutandum neutrum* quod *cum maſculino* quos.

V. 28. Ait autem Petrus. Non *addas pronomen* ei.

V. 31. Aſſumpſit autem Jeſus duodecim. *Nec hic addas* diſcipulos ſuos, *quod quidam ex Matthæo*.

V. 35. Cum appropinquaret Jericho. *Poſtremo nec hic interjicias nomen* Jeſus.

CAP. XIX. v. 8. Dixit ad Dominum. Non *ſubſtituas* Jeſum *pro* Dominum.

V. 9. Eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ. Non *eſt omittendum* &.

V. 23. Cum uſuris utique exegiſſem illam. Non *mutes femininum* illam *cum neutro* illud.

V. 29. Et factum eſt cum appropinquaſſet. Non *ſubjicias nomen* Jeſus.

V. 30. Ite in caſtellum quod contra eſt. *Voci* contra *non eſt addendum pronomen* vos, *quod ea prioribus Evangeliſtis quidam hic adſcripſerunt*.

V. 37. Cœperunt omnes turbæ diſcipulorum. *Inſignis correctio*, diſcipulorum, *quod eſt* diſcentium, (*ut & in quibuſdam libris* diſcentium *legitur*) *pro* deſcendentium, *quod eſt in pleriſque*.

V. 46. Quia domus mea domus orationis eſt. *Hic legitur* eſt; *ſecundum Matthæum & Marcum* vocabitur.

CAP. XX. v. 3. Interrogabo vos & ego. Non *legas præſens* interrogo *loco futuri*.

V. 9. Homo plantavit vineam. *Raro libri omittunt* quidam.

V. 10. Et in tempore. *Quidam addunt* vindemiæ *aut* fructuum: *verum hæc ex commentario in textum irrepſerunt*.

V. 21. Et non accipis perſonam. Non *eſt addenda vox* hominis.

V. 26. Et mirati in reſponſo ejus. Non *legas numero plurali* reſponſis.

V. 30. Et ipſe mortuus eſt ſine filio. Non *mutes numerum ſingularem in pluralem* filiis.

V. 32. Noviſſime omnium. Non *commutes adverbium cum nomine* noviſſima.

V. 35. Neque nubent, neque ducent uxores. *Pro futuris non ſubſtituas præſentia*, nubunt, ducunt.

V. 36. Neque enim ultra mori poterunt. Non *eſt omittenda conjunctio* enim.

CAP. XXI. v. 8. Et tempus appropinquavit. *Futurum* appropinquabit *nequaquam ſurrogandum eſt in locum præteriti*.

V. 11. Et ſigna magna erunt. Non *addas* & tempeſtates *ſive* hyemes, *quod quidam olim ſubjunxerunt*.

V. 17. Et eritis odio omnibus. *Supervacuum eſt, quod in quibuſdam libris ſequitur*, hominibus.

V. 20. Tunc ſcitote quia appropinquavit deſolatio ejus. Non *eſt legendum numero ſingulari* ſcito, *nec futuro tempore* appropinquabit.

V. 26. Fugere iſta omnia quæ futura ſunt. Non *legas* ventura *pro* futura.

V. 38. Et omnis populus manicabat ad eum. *Quia inſolens eſt vox* manicabat, *quidam eam mutarunt cum* mane ibat, *quidam cum* mane accelerabat, *quidam denique cum* diluculo veniebat, *his enim modis exponenda eſt ea vox*.

CAP. XXII. v. 13. Sicut dixit illis. Non *eſt addendum nomen* Jeſus.

V. 19. Quod pro vobis datur. Non *eſt ſcribendum* traditur *pro* datur: *nam* traditur *ex Apoſtolo* 1. *Corinth.* 11. *v.* 24. *acceptum eſt*.

V. 20. Hic eſt calix novum teſtamentum. *Male legunt quidam ſecundo caſu* novi teſtamenti.

V. 31. Ait autem Dominus: Simon, Simon. Non *mutes priorem vocativum* Simon *cum dativo* Simoni.

V. 34. At ille dixit. Non *eſt mutanda conjunctio adverſativa* at *cum copulativa* &.

V. 36. Sed nunc qui habet ſacculum, tollat. Non *ſubſtituas, pro imperativo* tollat, *futurum indicativi* tollet.

V. 37. Dico enim vobis. *Quidam pro* enim *ſcribunt* autem, *male*.

Verſ. 43. Apparuit autem illi angelus de cælo, confortans eum: & factus in agonia, prolixius orabat. 44. Et factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. *Hi duo verſiculi temere olim a quibuſdam omiſſi fuere*.

V. 63. Et viri qui tenebant illum. Non *mutes pronomen* illum, *cum nomine* Jeſum.

V. 64. Et percutiebant faciem ejus. Non *legas* caput *pro* faciem.

Ibidem. Propheriza, quis eſt. Non *interponas* nobis Chriſte, *quod Matthæi eſt, cap.* 26. *v.* 78. *non Lucæ*.

CAP. XXIII. v. 5. Commovet populum. Non *mutes præſens in præteritum* commovit.

Ibidem. Incipiens a Galilæa uſque huc. Non *præponas conjunctionem copulativam* &.

V. 9. At ipſe nihil illi reſpondebat. *Ut non eſt mutandum adverſativum* at *cum copulativo* &, *ita non omittendum pronomen* illi: *ſed neque* autem *vertendum in* etiam, *aut participium* accuſantes *in verbum* accuſabant, *ubi ſequitur*: Stabant autem principes ſacerdotum & Scribæ conſtanter accuſantes eum.

V. 15. Nam remiſi vos ad illum. *Nequaquam ſurrogandum eſt, verbum tertiæ perſonæ* remiſit, *in locum primæ* remiſi, *neque pronomen primæ perſonæ* nos, *in locum ſecundæ* vos, *inverſo verborum ordine, ad hunc modum*: Nam remiſit illum ad nos, *quomodo in quibuſdam codicibus legitur*.

Verſ. 16. Emendatum ergo illum dimittam. *Vitio librariis, quidam libri habent pronomen* ego, *pro conjunctione* ergo.

V. 35. Et ſtabat populus ſpectans. *Retinendum eſt verbum ſimplex* ſpectans, *quod eſt* adſpiciens, *non* contemplans, *non ſubſtituendum compoſitum* exſpectans.

Ibidem. Si hic eſt Chriſtus Dei electus. Non *legas verbum unicum* dilectus, *pro duobus* Dei electus, *ut quidam*.

V. 36. Offerentes ei & dicentes. Non *omittas* & *conjunctionem*.

V. 40. Quod in eadem damnatione es. *Quia obſcurius dixerat Interpres* quod *ex* ὅτι, *quidam mutarunt cum* quia, *alii cum* qui.

V. 41. Nam digne factis recepimus. Non

Non mutes præsens recipimus cum præterito recepimus.

V. 45. Et obscuratus est sol. Loco horum verborum, quidam olim scripserunt sole deficiente; audaciter nimis.

CAP. XXIV. v. 12. Linteamina sola posita. Non est omittendum sola.

V. 39. Videte manus meas & pedes. Non rejicias pronomen meos.

Vers. 44. Quoniam necesse est impleri omnia. Passivum impleri, male quidam in activum vertunt, implere.

V. 49. Et ego mitto promissum Patris mei in vos. Non mutes præsens mitto, cum futuro mittam.

V. 53. Amen in fine hujus Evangelii delendum non est.

JOANNES.

CAP. I. v. 3. Et sine ipso factum est nihil; quod factum est, in ipso vita erat. Consulto illud quod factum est, ita est interpunctum, ut & præcedentibus jungi possit, & subsequentibus.

V. 9. Venientem in hunc mundum. Non omittas pronomen hunc.

Vers. 15. Hic erat quem dixi. Non mutes imperfectum erat cum præsenti est.

V. 18. Ipse enarravit. Non est mutandum verbum compositum cum simplici narravit.

V. 29. Altera die vidit Joannes. Retinendum est præteritum vidit, non vertendum in præsens videt.

Ibidem. Ecce qui tollit peccatum mundi. Singulare peccatum non est commutandum cum plurali peccata.

V. 42. Filius Jona. Non scribas Joanna aut Joannis trysillabum, pro Juna dissyllabo, hoc quidem loco.

V. 45. Quem scripsit Moyses in lege, & prophetæ. Cave legas & prophetis sexto casu.

CAP. II. v. 2. Vocatus est autem & Jesus. Non omittas medium &.

V. 3. Dicit mater Jesu ad eum. Præsens dicit tenendum est, non præteritum dixit, cum hoc versu, tum sequentibus omnibus de nuptiis.

V. 9. Ministri autem sciebant qui hauserant aquam. Cave ne scribas conjunctionem quod pro relativo qui.

V. 21. Quia hoc dicebat. Non addas de corpore suo.

CAP. III. v. 2. Hic venit ad Jesum nocte. Non scribas pronomen eum loco nominis Jesum.

V. 17. Filium suum in mundum. Non omittas in mundum.

Vers. 20. Omnis enim qui male agit, odit lucem. Non mutes adverbium male cum nomine mala.

Vers. 22. In terram Judæam. Alii converso ordine, scribunt in Judæam terram.

V. 31. Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Non est omittendum medium illud de terra est, sive integre, sive quoad præpositionem de.

V. 33. Qui accepit ejus testimonium. Non addas conjunctionem autem, nec mutes præteritum accepit in præsens accipit.

V. 36. Non videbit vitam. Non addas æternam.

CAP. IV. vers. 4. Per Samariam. Superflua quod quidam libri addunt mediam.

V. 6. Hora erat quasi sexta. Merito omissa est conjunctio autem.

V. 18. Et nunc quem habes. Male quidam adverbium nunc mutarunt cum pronomine hunc.

V. 30. Exierunt ergo de civitate. Non est omittenda ergo conjunctio.

V. 33. Dicebant ergo discipuli ad invicem. Hic non est adjiciendum pronomen ejus.

V. 34. Et faciam voluntatem ejus qui misit me. Non est supponendum nomen patris mei, pro pronomine ejus.

V. 36. Et congregat fructum in vitam æternam. Non est addendum relativum qui.

Vers. 37. In hoc enim est verbum verum. Non recudenda conjunctio enim.

V. 41. Et multo plures crediderunt in eum. Non omittas τὸ in eum.

V. 51. Et nuntiaverunt dicentes. Non addas pronomen ei.

CAP. V. v. 2. Est autem Jerosolymis probatica piscina. Non judicarunt Romani Correctores præponendam præpositionem super, vel in voci probatica, quod multi faciunt.

Sequitur. Quæ cognominatur. Non scribas præteritum imperfectum cognominabatur, pro præsenti.

Ibidem. Bethsaida. Quidam libri impressi habent Bethsda, sed ex Græco, non dubium, consulto mutati. Lege Notationes nostras in varias Bibliorum lectiones.

Vers. 9. Et statim sanus factus est homo ille. Non omittas vocem homo.

Vers. 10. Qui sanatus fuerat. Participium sanatus non est commutandum cum nomine sanus.

Vers. 24. Et in judicium non venit. Non scribas futurum veniet pro præsenti venit.

Sequitur: Sed transiit a morte in vitam. Pro præterito transiit, quidam habent præsens transit, quidam futurum transiet: sed futurum omnino rejiciendum est.

Vers. 27. Et potestatem dedit ei judicium facere. Non addas &, aut etiam ante judicium.

Vers. 30. Non possum ego a meipso facere quidquam. Pro ego pronomine, male a quibusdam substituitur conjunctio ergo, quin etiam male mox præponitur conjunctio sed ante Sicut audio judico: ut & in fine versus, superflue additur nomen patris.

Vers. 36. Quæ dedit mihi pater. Non omittas pronomen mihi.

V. 43. Et non accipitis me. Non commutes præsens accipitis, cum præterito accepistis.

CAP. VI. vers. 3. Subiit ergo in montem. Non est legendum abiit pro subiit.

Vers. 10. Dixit ergo Jesus: Facite. Non mutes præteritum dixit in præsens dicit.

V. 13. Ex quinque panibus ordaceis. Non addas & duobus piscibus, quod quidam.

Vers. 21. Ad terram in quam ibant. Non omittas in, nec mutes cum ad.

Vers. 23. Gratias agente Domino. Insignis emendatio, qua ablativus agente & vox Domino, restituta sunt, in locum nominativi agentes & vocis Deo, quæ a plerisque vitiose leguntur.

V. 28. Ut operemur opera Dei. Non addas bona.

Vers. 33. Panis enim Dei est. Non est mutanda vox Dei cum voce verus.

V. 36. Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis. Ut non est scribendum præsens videtis pro præterito vidistis: ita nec præteritum credidistis, pro præsenti creditis.

V. 37. Omne quod dat mihi pater ad me veniet. Non legas præsens venit pro futuro veniet.

V. 39. Hæc est autem voluntas ejus. Conjunctio autem non est mutanda cum enim, hoc certe loco.

Ibidem. Non perdam ex eo. Non addas quidquam.

V. 43. Nolite murmurare in invicem. Non est omittenda præpositio in.

V. 45. Est scriptum in prophetis. Non legas proverbiis pro prophetis.

V. 65. Qui essent non credentes. Non auferas negationem mediam.

V. 70. Et nos credidimus & cognovimus. Non est mutandum præteritum credidimus cum præsenti credimus.

Sequitur: Quia tu es Christus filius Dei. Non addas epitheton vivi.

Vers. 71. Respondit eis Jesus. Nec hic addas conjunctionem ergo, aut verbum & dixit.

CAP. VII. v. 4. Si hæc facis, manifesta teipsum mundo. Pro imperativo manifesta, cave legas præsens indicativi manifestas.

Vers. 8. Ego autem non ascendo ad diem festum istum. Adverbium neganti non, haud commutandum est cum adverbio temporis nondum, ut neque præsens ascendo cum futuro ascendam.

Vers. 25. Nonne hic est quem quærunt interficere? Non addas Judæi.

V. 26. Et ecce palam loquitur. Non est omittendum &, nec mutandum cum atqui, sed ita exponendum.

Vers. 29. Ego scio eum, quia ab ipso sum. Quæ his verbis præmittunt complures libri Ego autem scio eum, & si dixero quia nescio eum, ero similis vobis mendax, &, obelisco jugulanda sunt, ut quæ non hujus sint loci, sed sequentis capitis 8 v. 55.

V. 32. Et miserunt principes. Non addas sacerdotum ex Græco.

Ibidem. Ut apprehenderent eum. Non substituas nomen Jesum pro pronomine eum.

V. 33. Et vado ad eum, qui me misit. Non mutes pronomen eum cum nomine patrem.

V. 34. & 36. Quæretis me. Non videtur scribendum præsens quæritis, pro futuro quæretis.

V. 39. Nondum enim erat spiritus datus. Participium datus, nec omittendum Latine est, nec mutandum cum nomine sanctus.

Vers. 46. Sicut hic homo. Non addas loquitur, sed subaudias e proximo.

Vers. 52. A Galilæa propheta non surgit. Retinendum Latine est præsens surgit, non commutandum, vel cum præterito surrexit, vel cum futuro surget.

CAP. VIII. vers. 6. Hoc autem dicebant tentantes. Singulare hoc præferendum est plurali hæc, quod est in multis libris.

V. 9. Audientes autem. Non subjicias pronomen hæc.

Ibidem. Et remansit solus Jesus. Non omittas nomen Jesus.

Vers. 11. Vade, & jam amplius noli peccare. Nec hic omittas adverbium jam.

V. 24. Moriemini in peccatis vestris. Bis hoc legitur isto versu, semel plurali numero in peccatis vestris, iterum singulari in peccato vestro.

V. 25. Principium qui & loquor vobis. Non facile mutandum est relativum masculinum qui, in neutrum quod, aut in conjunctionem quia, vel quod. Consulantur Notationes nostræ in varias Bibliorum lectiones.

Vers. 27. Quia patrem eius dicebat Deum. Nec hic facile omittenda est vox Deum.

Vers. 29. Et non reliquit me solum. Retinendum est præteritum reliquit, pro præsenti relinquit, quod est in quibusdam libris.

Vers. 33. Responderunt ei. Non addas ergo.

Vers. 38. Ego quod vidi apud patrem meum. Non facile omittendum est pronomen meum.

Vers. 42. Ego enim ex Deo processi. Non scribas pronomen eo loco nominis Deo.

V. 54. Quia Deus vester est. In aliis codicibus est prima persona pronominis noster.

CAP. IX. v. 4. Venit nox. Non mutes præsens venit cum futuro veniet.

V. 8. Itaque vicini. Non addas pronomen ejus.

V. 11. Vade ad natatoria Siloe. Ple-

rique libri, *pro neutro plurali* notatoria, *scribunt femininum singulare* notatoriam.

V. 30 In hoc enim mirabile est. Non *est omittenda conjunctio* enim.

CAP. X. *v.* 8. Omnes quotquot venerunt. *Non est addendum ante me*, *quod quidam addiderant ex quibusdam libris Græcis*.

Vers. 9. Ego sum ostium. *Non addas* ovium, *quod non est hujus versus*, *sed septimi superioris*.

V. 24. Et cognosco meas. *Non interjicias nomen* oves, *quod quidam*.

V. 17. Ut iterum sumam eam. Non *mutes conjunctionem caussalem ut cum copulativa* &.

V. 26. Quia non estis ex ovibus meis. Non *subjicias* sicut dixi vobis, *quamvis Græce & Syriace addatur*.

Vers. 29. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est. *Quidam libri mutant neutrum genus cum masculino*, qui dedit mihi, major omnibus est, *sed ex Græco variati*.

Sequitur: Et nemo potest. Non *est addenda conjunctio* ideo.

Vers. 31. Sustulerunt ergo lapides Judæi. *Ut non est omittenda conjunctio* ergo, *ita nec addendum adverbium* iterum.

V. 36. Vos dicitis, quia blasphemas. *Sic legendum est*, *secunda persona*, blasphemas.

CAP. XI. *v.* 1. De castello Mariæ & Marthæ sororis ejus. *Retinendus est numerus singularis* sororis, *non substituendus pluralis* sororum.

Vers. 8. Nunc quærebant te Judæi lapidare. Non *mutes* lapidare cum interficere.

Vers. 13. Quia de dormitione somni diceret. Non *scribas duplici* i, somnii.

Vers. 15. Et gaudeo propter vos. Non *est mutandum & copulativum cum adversativo* sed.

Vers. 16. Eamus & nos, ut moriamur cum eo. *Nec hic mutanda est ut caussativa*, *cum & copulativa conjunctione*.

V. 20. Martha ergo ut audivit. *Rursus quidam libri commutant* ergo *cum* autem, *male*.

V. 29. Surgit cito. *Pro præsenti* surgit *non est substituendum præteritum* surrexit.

V. 32. Non esset mortuus frater meus. *Supra vers.* 21. *est hic verborum ordo*: Frater meus non fuisset mortuus.

Vers. 45. Et viderant quæ fecit Jesus. Non *facile omittendum est nomen* Jesus.

V. 47. Concilium, dicebant. *Non interponas* adversus Jesum.

Sequitur: Quid facimus. *Non est mutandum præsens* facimus *cum futuro* faciemus.

Vers. 48. Et tollent nostrum locum & gentem. *Quidam libri*, *geminata conjunctione* &, *legunt* & locum & gentem: *sed errant qui illam collocant ante pronomen* nostrum.

CAP. XII. *v.* 3. Nardi pistici. *Recentiores quidam libri*, *qui pro neutro* pistici, *legunt femininum* pisticæ, *ex Græco variati sunt*.

V. 6. Et quæ mittebantur portabat. *Male quidam*, *simplex verbum* portabat, *mutarunt cum composito* exportabat.

Vers. 7. Ut in diem sepulturæ meæ servet illud. *Recentiores quidam libri*, *omissa* ut *conjunctione*, *scribunt præteritum* servavit, *pro præsenti subjunctivo* servet, *ut Græcæ editioni respondeant*. *Nostræ enim editionis germana lectio*, *prima illa est*, *in qua nec mutandus est quartus casus* diem *cum sexto* die.

V. 19. Ecce mundus totus post eum abiit. *Legendum est præterito tempore* abiit, *non præsenti* abit.

V. 28. Venit ergo vox de cælo. *Non subdas* dicens.

V. 42. Verumtamen & ex principibus. Non *est omittendum medium* &.

CAP. XIII. *v.* 2. Jam misisset in cor. Non *addas* Judæ.

Ibidem. Judas Simonis Iscariotæ. *Non mutes genitivum* Iscariotæ *cum nominativo* Iscariotes.

V. 5. Deinde mittit aquam in pelvim. *Nec hic mutes præsens* mittit *cum præterito* misit.

Vers. 7. Scies autem postea. Non *est omittenda conjunctio* autem.

V. 8. Si non lavero te, non habebis partem mecum. *Non commutes futurum* habebis, *cum præsenti* habes, *tametsi præsens legatur Græce*.

V. 12. Et accepit vestimenta sua: cum recubuisset. *Prima conjunctio* &, *non est transferenda in medium sententiæ*, *ante* cum recubuisset.

V. 18. Qui manducat mecum panem. *Cave legas* meum pro mecum.

V. 38. Animam tuam pro me pones? *Non legas præsens* ponis, *pro futuro* pones: *nec affirmando*, *quod interrogando legendum est*.

CAP. XIV. *v.* 1. Non turbetur cor vestrum. *Ut his verbis non est præponendum* & ait discipulis suis, *ita non est postponendum* neque formidet, *quod est*, *non hujus loci*, *sed versus* 27. *subsequentis*.

V. 6. Ego sum via & veritas & vita. *Non omittas priorem conjunctionem* &.

V. 9. Philippe, qui videt me, videt & Patrem. *In quibusdam libris legitur præterito tempore*, Qui vidit me, vidit & Patrem, *quemadmodum Græce*.

V. 17. Quia non videt eum. *Hic neutiquam mutandum est præsens* videt *in præteritum* vidit.

Ibidem. Quia apud vos manebit. *Neque hic mutes futurum* manebit *in præsens* manet.

V. 19. Vos autem videtis me. *Tertio nec hic facile mutes oportet præsens* videtis *in futurum* videbitis.

CAP. XV. *v.* 2. Tollet eum. *Hoc loco retinendum est futurum* tollet, *non substituendum præsens* tollit.

Vers. 6. Et arescet, & colligent eum, & in ignem mittent. *Similiter hic*, *futura servanda sunt*, *non substituenda præsentia*. *Porro singulare pronomen* eum, *quidam variant in plurale* eos. *Singulare pronomen*, *respondet verbo singulari*, *quod sequitur in Sixtinis & aliis multis libris*, & ardet; *plurale plurali*, *quod similiter in multis est libris*, & ardent. *Lege Notas nostras in variantes lectiones quatuor Evangeliorum Latinas*.

V. 21. Sed hæc omnia facient vobis. *Non omittas* omnia.

Vers. 26. Spiritum veritatis. *Interpres dedit quartum casum*, *quem Græca patiuntur*, *non primum* spiritus.

V. 27. Et vos testimonium perhibebitis. *Non mutes futurum cum præsenti* perhibetis: *nam præsens Græce*, *futuri loco est*.

CAP. XVI. *vers.* 7. Expedit vobis ut ego vadam. *Non est interponendum* & *ante* ego.

Vers. 9. Quia non crediderunt in me. *Pro præterito* crediderunt, *quidam legunt præsens* credunt.

V. 13. Docebit vos omnem veritatem. *Fuit olim quorumdam librorum lectio*, Deducet vos in omni veritate; *sed ex alia versione sumpta*.

Vers. 16. Modicum & jam non videbitis me. *Interpres intellexit*, *præsens* videtis, *quod est Græce*, *futuri loco positum*.

Vers. 19. Cognovit autem Jesus. *In quibusdam libris pro* autem, *legitur* ergo.

Ibidem. Quia dixi. *Non addas* vobis.

V. 22. Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. *Non est mutandum futurum* tollet *cum præsenti* tollit, *tametsi Græce sit præsens*.

Vers. 13. Et in illo die me non rogabitis quidquam. *Pro simplici* rogabitis, *non scribas compositum* interrogabitis.

Vers. 27. Quia vos me amastis. *In aliis libris*, *pro præterito*, *est præsens* amatis.

V. 32. Et non sum solus. *Non addas* tamen.

CAP. XVII. *v.* 1. Ut filius tuus clarificet te. *Quidam libri interponunt* & *ante* filius.

Vers. 20. Sed & pro eis. *Hic non omittas* &.

V. 21. Sicut tu pater in me. *Hic non addas* & *ante* tu.

CAP. XVIII. *v.* 11. Non bibam illum? *Transfodiendum est*, *quod quidam libri addunt*, vis ut? Non vis ut bibam illum?

V. 13. Erat enim socer Caiphæ. *Non legas* autem *pro* enim.

V. 20. Ego palam locutus sum mundo. *Non addas* in *præpositionem*.

Vers. 22. Unus assistens ministrorum. *Non est mutandus nominativus* assistens *cum genitivo* assistentium.

V. 28. Adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium. *Cave mutata præpositione*, *scribas quarto casu* ad Caipham, *pro sexto* a Caipha.

CAP. XIX. *v.* 3. Et dabant ei alapas. *Quidam pro* alapas *legunt* palmas, *quomodo vertit Interpres Matthæi cap.* 26. *vers.* 67.

V. 4. Exivit ergo iterum Pilatus. *Non omittas* ergo.

V. 12. Et exinde quærebat. *Nec hic omittas* & *conjunctionem*.

Ibidem. Omnis enim qui se regem facit. *Denique nec hic omittas* enim.

V. 13. Lithostrotos. *Cave legas* Lichostrotos, *tertia alphabeti littera*.

V. 16. Et eduxerunt. *Non addas pronomen* eum, *quod quidam libri*.

V. 25. Stabant autem juxta crucem Jesu. *Non legas singulare* stabat, *pro plurali* stabant.

Vers. 26. Et discipulum stantem. *Non omittas participium* stantem, *sed neque mutes cum composito* adstantem.

Vers. 27. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. *Legendum esse neutrum plurale* sua, *prout Romani Correctores judicarunt* non *femininum singulare* suam, *ut olim fuse docuimus in Notationibus nostris*.

V. 30. Et inclinato capite tradidit spiritum. *Quod sequitur in quibusdam exemplaribus*. Cum autem expirasset, velum templi scissum est a summo usque deorsum, *superfluit*, *ex prioribus Evangeliis huc adjectum*.

V. 40. Et ligaverunt illud linteis. *Neutrum* illud *probatum est Romanis Patribus*, *præ masculino* eum.

Vers. 42. Posuerunt Jesum. *Non mutes antecedens* Jesum *cum pronomine* eum.

CAP. XX. *v.* 1. Et vidit lapidem sublatum a monumento. *Pro* sublatum *non legas* revolutum; *hoc enim est priorum Evangeliorum*.

Vers. 2. Tulerunt Dominum. *Non addas pronomen* meum, *quod huic loco non quadrat*, *sicut quadrat infra*, *vers.* 13.

V. 19. Et stetit in medio. *Non addas* discipulorum.

Vers. 31. Quia Jesus est Christus filius Dei. *Cave omittas nomen* Christus.

Ibidem. Vitam habeatis. *Non addas* æternam.

CAP. XXI. *v.* 1. Postea manifestavit se iterum Jesus discipulis. *Non est omittenda vox* discipulis.

V. 4. Quia Jesus est. *Non mutes nomen* Jesus *cum pronomine* ipse.

V. 6. Mittite in dexteram. *Non addas* ergo.

Ibidem. Miserunt ergo. *Nec hic addas nomen* rete, *sed subaudias*.

V. 8. Non enim longe erant a terra.

Non

Non est mutandus numerus pluralis erant cum singulari erat.

Vers. 13. Et accipit panem & dat eis. Non sunt scribenda præterita accepit, dabat, pro præsentibus, accipit, dat.

Vers. 14. Manifestatus est Jesus discipulis suis. Non omittas pronomen suis.

Vers. 15. 16. 17. Simon Joannis. Non commutes Joannis trissyllabum cum dissyllabo Jona hoc loco.

V. 18. Extendes manus tuas. Non mutes futurum indicativi, cum præsenti conjunctivi extendas.

Vers. 23. Et non dixit ei Jesus: Non moritur. Non addas quia ante non moritur.

ACTUS APOSTOLORUM.

CAP. I. v. 4. Et convescens præcepit eis. Cave legas conversans pro convescens.

V. 15. Erat autem turba hominum simul. Correctores non probarunt illam quorumdam emendationem, qui pro hominum scripserunt nominum, tametsi nominum sit Græce.

CAP. II. v. 4. Et cœperunt loqui variis linguis. Non scribas aliis pro variis.

Vers. 22. Sicut & vos scitis. Non est omittendum medium &.

Vers. 23. Per manus iniquorum affigentes interemistis. Pro affigentes, quod est, crucifigentes, errore excusum est in exemplari Romano, addita una littera, affligentes, quod est, tribulantes.

V. 33. Effudit hunc quem vos videtis. Non scribas neutro genere hoc donum quod, pro masculino hunc quem.

CAP. III. vers. 11. Cum teneret autem Petrum. Cave legas videret, aut plurali tenerent, pro singulari teneret.

V. 12. Quasi nostra virtute, aut potestate. In multis libris est pietate, pro potestate.

Vers. 18. Deus autem quæ prænuntiavit. Retinendum est neutrum plurale quæ, non substituendum masculinum singulare qui.

CAP. IV. v. 2. Et annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis. Non mutes ablativum Jesu in accusativum.

Vers. 8. Principes populi & seniores audite. Non facile omittendum est verbum audite.

V. 24. Tu es qui fecisti. Nec hic verbum substantivum es.

V. 36. Qui cognominatus est Barnabas. Cave pro Barnabas, legas Barsabas, id est, s semivocalem pro n liquida.

CAP. V. v. 3. Dixit autem Petrus. Non addas ad Ananiam aut ad eum.

V. 15. Et liberarentur ab infirmitatibus suis. Verbo liberarentur non est adjiciendum nomen omnes.

V. 36. Et redacti ad nihilum. Potius scribendum est plurale redacti, quam singulare redactus est.

V. 39. Si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud. Neutrum illud, non est mutandum in masculinum eos.

V. 40. Ne omnino loquerentur. Correctores addiderunt omnino.

CAP. VI. v. 5. Et Nicanorem & Timonem. Pro Timonem non scribas Timotheum, nomen discipuli Pauli.

CAP. VII. vers. 5. Sed repromisit. Græcum & positum est loco sed, more Hebraico.

V. 14. Et omnem cognationem suam. Non est omittendum pronomen suam.

V. 35. Quis te constituit principem & judicem. Loco nominis trissyllabi judicem, non oportet scribere dissyllabum ducem.

Vers. 44. Tabernaculum testimonii fuit cum patribus nostris in deserto. Non est omittenda præpositio cum.

V. 48. Sicut propheta dicit. Pro propheta non scribas per prophetam.

V. 51. Vos semper Spiritui sancto restitistis. Non mutes præsens resistitis in præteritum restitistis.

Vers. 55. Et filium hominis stantem a dextris Dei. Non addas virtutis ante Dei.

V. 60. Obdormivit in Domino. Patres non judicarunt prætermittendum illud in Domino.

CAP. VIII. v. 11. Propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos. Pro substantivo magiis, non est legendum adjectivum magicis, nec addendum artibus.

Vers. 12. De regno Dei in nomine Jesu Christi. Præpositionem in alii mutant in conjunctionem &.

V. 36. Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Neutrum quid commutandum haud est cum masculino quis.

CAP. IX. vers. 7. Et ibi dicitur tibi. Correctores addiderunt adverbium ibi, tum hic versu, tum 9. proximo: Et erat ibi tribus diebus.

V. 20. Et continuo in synagogis prædicabat Jesum. Adverbio continuo non subjiciat ingressus, nec mutes ablativum synagogis in accusativum.

V. 23. Consilium fecerunt in unum Judæi. Non facile omittas in unum.

V. 25. Accipientes autem eum discipuli nocte. Non addas pronomen ejus nomini discipuli.

Vers. 32. Dum pertransiret universos. Non est auferenda præpositio per, ex verbo pertransiret.

Vers. 34. Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus. Præsens indicativi sanat non est vertendum in præsens imperativi sanet.

Vers. 38. Cum autem prope esset Lydda ad Joppen. Alii, mutata præpositione, scribunt ablativum a Joppe; parvo discrimine.

CAP. X. vers. 4. Quid est Domine. Multi, mutato genere neutro in masculinum; & persona tertia in secundam, legunt. Quis es Domine, minus recte.

V. 15. Quod Deus purificavit. Non mutes singulare quod in quæ plurale.

V. 25. Et procidens ad pedes ejus adoravit. Non subjicias pronomen eum.

V. 41. Postquam resurrexit a mortuis. Quod sequitur in quibusdam libris per dies quadraginta, superfluit.

CAP. XI. v. 23. In proposito cordis. Alii libri omittunt propositionem.

Vers. 25. Profectus est autem Barnabas Tarsum. Non auferas nomen Barnabas.

CAP. XII. vers. 4. Tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum. Nec priori principio addas conjunctionem tradensque: nec posteriori præpositionem cum pronomine ad custodiendum eum.

V. 13. Processit puella ad audiendum. Pro audiendum non substituas videndum, quod est, aspiciendum.

V. 16. Cum autem aperuissent. Non addas ostium.

CAP. XIII. vers. 7. Cui nomen erat Barjesu. Legendum est Barjesu, non dempta semivocali s, Bariesu.

V. 21. Et dedit illis Deus Saul. Non est omittendum nomen Deus.

V. 33. Quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris. Pro nostris primæ personæ, non scribas vestris secundæ, nec suis tertiæ, nec denique Israel.

Ibidem. Sicut & in Psalmo secundo scriptum est. Non facile, vel omittas secundo, vel mutes cum primo: qua de re legere licet Notationes nostras.

Vers. 37. Quem vero Deus suscitavit a mortuis. Patres non judicarunt auferendum illud a mortuis.

V. 38. Et ab omnibus, quibus non potuistis. Non est præmittenda præpositis his verbis conjunctio &.

Vers. 43. Et colentium advenarum. Non addas participio colentium nomen Deum.

CAP. XIV. v. 2. Adversus fratres. Non subjicias Deus autem pacem fecit.

V. 6. Et ibi evangelizantes erant. Non facile addenda sunt subsequentia in quibusdam codicibus verba: Et commota est omnis multitudo in doctrina eorum: Paulus autem & Barnabas morabantur Lystris.

V. 9. Surge super pedes tuos rectus. Nec his verbis facile præponenda sunt hæc. Tibi dico, in nomine Domini nostri Jesu Christi.

V. 16. Implens cibo & lætitia corda nostra. Non mutes nostra primæ personæ in vestra secunda.

V. 18. Lapidantesque Paulum. In quibusdam libris legitur & lapidato Paulo. Explicationis gratia.

V. 24. Et loquentes verbum Domini in Perge. Non est mutandus ablativus in accusativum Pergem.

CAP. XV. v. 23. Scribentes per manus eorum. Non subjicias, quod quidem, epistolam continentem hæc, superfluit enim.

V. 38. Et non isset cum eis in opus. Non hic addendum est quo missi fuerant.

Vers. 41. Præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum. Hæc verba a veteribus manuscriptis minime prætermittuntur, quamvis Græce absint.

CAP. XVI. vers. 1. Pervenit autem Derben. Non interjicias præpositionem in.

Ibidem. Filius mulieris Judææ fidelis. Observatu digna correctio, qua pro nomine appellativo viduæ, repositum est nomen proprium Judææ.

V. 12. Eramus autem in hac urbe diebus aliquot conferentes. Alii boni libri legunt consistentes.

V. 22. Et magistratus, scissis tunicis eorum. Non est præponenda conjunctio & participio scissis, nec eorum mutandum cum suis.

Vers. 29. Procidit Paulo & Silæ ad pedes. Legendum est præteritum procidit, a cado, non præsens procedit, a cedo.

CAP. XVII. vers. 4. Et de colentibus gentilibusque. Correctores addiderunt conjunctionem encliticam voci gentilibus.

Vers. 17. Ad eos qui aderant. Pro aderant, ab adsum, non scribas adierant ab adeo, multoque minus audierant ab audio.

V. 18. Quid vult seminiverbius hic dicere? Vox una seminiverbius, formata ad similitudinem Græcæ σπερμολόγος, non est circumscribenda duabus seminator verborum.

V. 22. Per omnia quasi superstitiosiores vos video. Comparativus superstitiosiores, non est mutandus in positivum superstitiosos.

CAP. XVIII. v. 4. Et disputabat in synagoga per omne sabbatum, interponens nomen Domini Jesu, suadebatque Judæis & Græcis. Nequaquam omittendus est versus iste.

V. 10. Et nemo apponetur tibi ut noceat te. Hoc alii exposuerunt, scribentes hunc in modum: Et nullus nocere poterit tibi.

Vers. 11. Sedit autem ibi. Non omittas ibi.

V. 15. De verbo & nominibus & lege vestra. Ablativus lege vestra, non sunt mutandi in genitivos legis vestræ.

Vers. 18. Navigavit in Syriam. Non omittas in præpositionem.

V. 24. Alexandrinus genere. Alii exponentes quid sit genere, scripserunt natione.

CAP. XIX. v. 9. Maledicentes viam Domini. Non omittas Domini.

Verf. 12. Sudaria & femicinctia. Alii pro copulativa &, fcribunt disjunctivam vel.

Verf. 14. Erant autem quidam Judæi Scevæ principis facerdotum feptem filii. Alii libri præponunt Scevæ, poftponunt Judæi.

Verf. 16. Et infiliens in eos homo. Congruentior eft hic verborum ordo, illo quo homo ponitur ante in eos.

Verf. 20. Et confirmabatur, id eft, confortabatur, ut quidam legunt.

Verf. 21. Dicens, quoniam poftquam fuero ibi. Non oportet omittere quoniam. tametfi fenfui fuperfluat.

CAP. XX. v. 4. Comitatus eft autem eum Sopater Pyrrhi Berœenfis. Legendum eft Sopater triffyllabum, non addita una fyllaba, Sofipater quadriffyllabum.

Verf. 14. Cum autem convenifffet nos in Affon. Scribendum eft convenifffet, potius quam invenifffet.

Verf. 16. Ut diem Pentecoftes faceret Jerofolymis. Genitivus Pentecoftes non eft mutandus in accufativum Pentecoften.

CAP. XXI. verf. 7. Nos vero navigatione expleta. Pro expleta non fcribas explicita.

Verf. 16. Mnafonem quemdam Cyprium. Non mutes Mnafonem in Jafonem, id eft, liquidas duas in unam i confonantem.

V. 39. Non ignotæ civitatis municeps. Quidam legunt civis, explicare volentes quid fit municeps.

CAP. XXII. v. 3. Natus in Tharfo Ciliciæ. Non eft omittenda præpofitio in.

Verf. 12. Ab omnibus cohabitantibus Judæis. Compofitum cohabitantibus non eft mutandum cum fimplici habitantibus.

V. 28. Ego multa fumma civilitatem hanc confecutus fum. Non civitatem, fed civilitatem, legendum eft, quinque fyllabis.

CAP. XXIII. v. 23. Et vocatis duobus Centurionibus. Pro verbo fimplici vocatis, non fcribas compofitum convocatis.

V. 24. Ut imponentes Paulum, falvum perducerent. Non interponas pronomen eum ante falvum.

V. 29. Nihil vero dignum morte, aut vinculis habentem criminis. Genitivus criminis non eft mutandus in accufativum crimen.

Verf 30. Mifi eum ad te, denuntians & accufatoribus. Ita interpungendum eft, ut participium denuntians, jungatur fequentibus, non præcedentibus.

V. 31. Milites ergo. Non mutes ergo cum vero.

CAP. XXIV. v. 6. 7. Quem & apprehenfum voluimus fecundum legem noftram judicare: fupervenientem autem tribunus Lyfias, cum vi magna eripuit eum de manibus noftris, jubens accufatores ejus ad te venire. Non funt hæc omittenda judicio Patrum, prout a quibufdam omittuntur omnia, exceptis primis duobus verbis, iftius hac ratione: Quem apprehendimus.

V. 18. Neque cum tumultu. Quæ fubjiciuntur in quibufdam exemplaribus: Et apprehenderunt me, clamantes & dicentes; Tolle inimicum noftrum; ut fuperflua auferenda Patres cenfuerunt.

CAP. XXV. verf. 16. Quia non eft Romanis confuetudo damnare aliquem hominem, priufquam. Alii libri fcribunt donare, quod eft, largiri, quo modo & Græce legitur Χαρίζεσθαι: fed quia Græce additur εἰς ἀπώλειαν in interitum, five perditionem, Interpres, donare ad perditionem, intelligitur interpretatus, damnare, feu condemnare; proinde Patres correxerunt.

CAP. XXVI. verf. 3. Maxime te fciente omnia, & quæ apud Judæos funt confuetudines, & quæftiones. Nihil opus eft mutare neutrum omnia in femininum omnes, modo non omittatur conjunctio & fubfequens, prout omitti non debet.

Verf. 7. In quam duodecim tribus noftræ. Non mutes accufativum quam in ablativum qua.

Verf. 17. Eripiens te de populo & gentibus. Singularem numerum populo, non commutes cum plurali populis.

V. 21. Comprehenfum tentabant interficere. Non addas volentes me ante interficere.

CAP. XXVII. v. 2. Afcendentes navem Adrumetinam. Non augeas vocem Adrumetinam littera n medio adjecta.

Sequitur; Incipientes navigare. Plurale primi cafus incipientes, non mutes in fingulare quarti cafus incipientem.

V. 9. Eo quod & jejunium jam præteriiffet. Non eft omittendum medium illud &.

Sequitur: Confolabatur eos Paulus. Neque hic omittendum pronomen eos.

V. 18. Valida autem nobis tempeftate jactatis. Alii pro nomine valida fcribunt adverbium valide.

CAP. XXVIII. v. 1. Quia Melita infula vocabatur. Non fcribas Mitylene quadriffyllabum, pro triffyllabo Melita.

Verf. 6. Illi autem illis expectantibus, Non mutes exfpectantibus in fperantibus.

V. 17. Nihil adverfus plebem faciens. Cave fcribas legem, pro plebem, quod eft populum.

EPISTOLA

AD

ROMANOS.

CAP. I. v. 27. Exarferunt in defideriis fuis in invicem, Non omittas in ante invicem.

V. 28. Ut faciant ea quæ non conveniunt. Plurale conveniunt præferendum eft fingulari convenit.

V. 32. Et non folum qui ea faciunt, fed etiam qui confentiunt facientibus. Non mutes omittas primum &, quam duplex qui fubfequens.

CAP. II. v. 1. Eadem enim agis quæ judicas. Non facile mutes neutrum quæ in mafculinum qui.

V. 4. Ignoras quoniam benignitas Dei, ad pœnitentiam te adducit? Correctores prætulerunt verbum ignoras participio ignorans.

V. 7. Gloriam & honorem & incorruptionem quærunt. Et hic Correctores prætulerunt verbum quærunt participio quærentibus.

V. 15. Et inter fe invicem cogitationibus accufantibus, aut etiam defendentibus. Correctores, pro more fermonis Latini, receperant ablativos, quorum loco alii legunt genitivos, more Græco.

CAP. III. v. 3. Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Non mutes futurum evacuabit in præteritum evacuavit.

Verf. 25. Quem propofuit Deus propitiationem. Nec hic mutes femininum propitiationem in mafculinum propitiatorem.

CAP. IV. v. 2. Si enim Abraham ex operibus juftificatus eft. Nomini operibus non addas legis.

Verf. 9. Beatitudo ergo hæc in circumcifione tantum manet. Non augeas, vel adverbium tantum, vel verbum manet.

V. 17. Ante Deum cui credidit. Non mutes perfonam tertiam in fecundam credidifti.

V. 18. Sic erit femen tuum. Quod fequitur in multis libris ficut ftellæ cœli & arena maris, fuperfluit.

V. 19. Cum jam fere centum effet annorum. Non omittas adverbium jam.

CAP. V. verf. 8. Quoniam cum adhuc peccatores effemus. Non interponas conjunctionem ut inter quoniam & cum.

Sequitur: Secundum tempus Chriftus pro nobis mortuus eft. Correctores judicarunt non effe prætermittendum illud fecundum tempus.

CAP. VI. v. 3. An ignoratis. Non eft addendum fratres.

V. 6. Et ultra non ferviamus peccato. Non eft mutandum & copulativum cum ut caufativo.

V. 17. In quam traditi eftis. Nec hic mutandus eft accufativus quam in ablativum qua.

CAP. VII. verf. 15. Non enim quod volo bonum ago, fed quod odi malum illud facio. Romani Patres cenfuerunt non effe auferendas voces bonum & malum, quæ in plerifque Latinis libris leguntur.

V. 25. Gratia Dei. Non interponas conjunctionem autem, multoque minus vertas genitivum Dei, in dativum Deo.

CAP. VIII. v. 7. Quoniam fapientia carnis inimica eft Deo. Non fcribas inimicitia eft in Deum.

Verf 38. Neque principatus, neque virtutes. Nec addas neque poteftates, nec fubftituas loco hujus neque virtutes.

Ibidem. Neque fortitudo. Correctores non judicarunt hoc prætereundum, de quo legi poffunt noftræ Notationes.

CAP. IX. verf. 1. Veritatem dico in Chrifto, Non addas Jefu.

V. 10. Non folum autem illa. Non eft mutandum illa femininum in mafculinum illi.

V. 15. Et mifericordiam præftabo cujus miferebor. Non mutes genitivum cujus in dativum.

CAP. X. v. 21. Ad populum non credentem & contradicentem. Non fubjicias pronomen mihi, quod multi.

CAP. XI. v. 4. Qui non curvaverunt genua ante Baal. Non omittas has duas voculas ante Baal.

V. 6. Secundum electionem gratiæ. Non fubtexas Dei.

V. 9. Fiat menfa eorum in laqueum. Non eft hic inferendum coram ipfis.

V. 19. Dices ergo: fracti funt rami. Retinendum eft futurum dices, non fubftituendum præfens dicis.

V. 32. Conclufit enim Deus omnia in incredulitate. Correctores prætulerunt ablativum incredulitate, et quem alii libri legunt accufativo incredulitatem.

CAP. XII. v. 3. Et unicuique ficut divifit Deus menfuram fidei. Non eft auferenda conjunctio &, quam Correctores addiderunt.

Verf. 10. Caritate fraternitatis invicem diligentes. Retinendus eft ablativus caritate, non furrogandus accufativus caritatem, quod docuimus & nos in Notationibus.

Verf. 11. Domino fervientes. Olim, ante Hieronymianam correctionem, Latini libri fere fcribebant Tempori fervientes, quemadmodum & verfu 13. fubfequentes. Memoriis, pro Neceffitatibus, fanctorum communicantes.

Verf. 19. Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus. Ut feruandus eft nominativus vindicta, loco accufativi quæ vulgo legitur: ita non eft præponenda conjunctio & ante pronomen ego.

CAP. XIII. verf. 1. Quæ autem funt, a Deo ordinatæ funt. Femininum ordinatæ non eft commutandum cum neutro ordinata.

V. 5. Ideo neceffitate fubditi eftote. Præferendus eft ablativus neceffitate dativo neceffitati.

V. 10. Dilectio proximi malum non operatur. Et hic præfer edus genitivus dativo proximo.

Verf. 12.

Vers. 12. Nox præcessit. Non mutes præcessit in processit, id est diphtongum æ in vocalem quartam.

CAP. XIV. v. 9. Ut & mortuorum & vivorum dominetur. Non præponas vivos mortuis, hoc quidem loco.

V. 19. Et quæ ædificationis sunt in invicem custodiamus. Non omittas, vel in præpositionem ante invicem, vel verbum custodiamus.

CAP. XV. v. 22. Et prohibitus sum usque adhuc. Non putarunt Patres hæc verba sibi omittenda esse, quamquam a multis libris omittantur.

Vers. 29. In abundantia benedictionis Evangelii Christi veniam. Hic addiderunt vocem Evangelii, quæ & Græce additur.

V. 30. Ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. Non auferas cas vestris, aut pro me.

V. 32. Et refrigerer vobiscum. Retinendum est & copulativum, non substituendum ut caussativum.

CAP. XVI. v. 5. Qui est primitivus Asiæ in Christo. Cave mutes Asiæ in Achajæ, sigma in chi.

V. 6. Salutate Mariam quæ multum laboravit in vobis. Pronomen secundæ personæ vobis, non est mutandum in primam nobis.

V. 7. Salutate Andronicum & Juniam. Legendum est Juniam, ita ut tertia diserentis littera sit, tertia liquidarum, non prima, Juliam.

V. 11. Salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo. Alii libri non addunt, sed subaudiunt domo.

V. 27. Cui honor & gloria. Non omittas τὸ cui.

EPISTOLA

AD

CORINTHIOS.

PRIOR.

CAP. I. vers. 10. Sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Romani Patres, emendando scripserunt, sententia, deductum a sentio, pro eo quod vulgo legitur, scientia a scio.

V. 14. Gratias ago Deo. Non addas pronomen meo.

V. 16. Ceterum nescio si quem alium baptizaverim. Non addas pronomen vestrum post alium.

CAP. II. vers. 14. Quia spiritualiter examinatur. Nonnulli codices, pro quia, scribunt ea quæ; vel quæ, & pro singulari examinatur plurale examinantur: sed priorem lectionem prætulerunt Patres.

Vers. 16. Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum? Quidam libri, sed minus emendati, pro qui instruat eum, habent aut quis instruxit eum?

CAP. III. v. 11. Quod est Christus Jesus. Non facile mutes neutrum quod in masculinum qui.

CAP. IV. v. 16. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Non auferas e textu hæc sicut & ego Christi.

CAP. V. vers. 7. Expurgate vetus fermentum. Non addas conjunctionem igitur.

CAP. VI. v. 11. Et hæc quidam fuistis. Nomen quidam nequaquam mutandum est in conjunctionem quidem.

V. 18. Omne peccatum. Non interponas conjunctionem caussalem enim.

CAP. VII. v. 7. Volo enim omnes vos esse sicut meipsum. Correctores mutarunt conjunctionem adversativam autem in caussalem enim, & nomen homines in pronomen vos: vulgo enim legitur: Volo autem omnes homines.

V. 13. Et si qua mulier fidelis. Hic noluerunt omitti τὸ fidelis.

Vers. 24. Unusquisque in quo vocatus est, fratres. Servandum est plurale fratres, non substituendum est singulare frater.

Sequitur: In hoc permaneat apud Deum. Pro composito quidem licet simplex maneat, sed plurale maneant non est admittendum.

V. 26. Existimo ergo hoc bonum. Pro ergo, quidam enim, quidam autem scribunt.

Vers. 33. Et divisus est: & mulier innupta & virgo cogitat. Olim, ante Hieronymianam correctionem, fere legebant Latini codices: Divisa est mulier & virgo. Quæ innupta est, cogitat.

Vers. 35. Et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. Correctores prætulerunt τὸ obsecrandi, quod est, orandi, ei quod multi legunt observandi, quod est, colendi.

V. 39. Quod si dormierit vir ejus, liberata est. Non addas a lege, sed intelligat.

CAP. VIII. v. 7. Ex quo omnia & nos in illum. Alii libri mutant accusativum in ablativum illo.

V. 7. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli. Clarius additur quam omittitur præpositio cum.

CAP. IX. v. 10. An propter nos utique hoc dicit? Non omittas pronomen hoc.

V. 16. Nam si evangelizavero. Non interponas & inter nam & si.

CAP. X. v. 17. Omnes qui de uno pane participamus. Non addas & de uno calice.

V. 27. Si quis vocat vos infidelium. Nec hic addas ad cœnam.

Vers. 28. Hoc immolatum est idolis. Non mutes participium immolatum in nomen immolatitium.

CAP. XI. v. 10. Ideo debet mulier potestatem habere supra caput, propter angelos. Pro potestatem non scribas velamen, nec addas pronomen suum nomini caput.

CAP. XII. v. 13. Omnes nos in unum corpus baptizati sumus. Non omittas nomen corpus, quod multi.

V. 28. Genera linguarum, interpretationes sermonum. Correctoribus visum non est omittere interpretationes sermonum, quamvis Græco consentaneæ ab aliis libris omittatur.

CAP. XIII. v. 13. Nunc autem manent. Non scribas singulare manet.

CAP. XIV. v. 2. Spiritu autem loquitur mysteria. Non mutes ablativum spiritu in genitivum.

V. 16. Qui supplet locum idiotæ. Non scribas interrogativum quis loco relativi qui.

V. 21. In lege scriptum est. Non addas enim.

V. 23. Nonne dicent quod insanitis. Conjunctio quod mutanda non est in pronomen interrogativum quid.

V. 32. Et spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt. Retinendus est numerus pluralis subjecti sunt, non subrogandus singularis subjectus est.

V. 33. Sicut & in omnibus ecclesiis sanctorum doceo. Non est omittendum verbum doceo.

V. 40. Omnia autem honeste & secundum ordinem fiant. Superfluit quod multi codices subjiciunt in vobis.

CAP. XV. v. 23. Deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt. Correctores prætulerant ejusdem sextum ad ventu, et qui est in pluribus libris, quarto adventum.

Vers. 26. Novissima autem inimica destruetur mors. Non scribas adverbium novissime, loco nominis novissima.

V. 31. Quotidie morior per vestram gloriam. Romani Patres prætulerunt monosyllabam per dissyllabo propter.

V. 35. Sed dicet aliquis. Retinendum est futurum dicet, non substituendum præsens dicit.

Ibidem. Qualive corpore venient? Loco dictionis unius qualive, non sunt scribenda duo qualia autem.

Vers. 39. Sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. Non sunt omittendæ conjunctiones, quidem, vero, autem.

Vers. 51. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Olim quidam Latini codices, pro resurgemus, legebant dormiemus; sed minus recte.

V. 52. Canet enim tuba. Si non addas vocem tuba, vel subaudias oportet.

CAP. XVI. v. 12. Et utique non fuit voluntas ut nunc veniret. Non addas nomini voluntas pronomen ejus.

V. 15. Nostis domum Stephani & Fortunati & Achaici. Patres non putarunt omittendum & Achaici.

V. 19. Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Substantivo Ecclesiæ non adjicias adjectivum omnes.

Ibidem. Apud quos & hospitor. Neque hæc voluerunt Patres e textu auferri.

EPISTOLA

AD

CORINTHIOS

POSTERIOR.

CAP. I. v. 6. Sive exhortamur pro vestra exhortatione & salute. Non omittas τὸ & salute.

Sequitur: Quæ operatur tolerantiam. Non interponas in vocis, multoque minus in nobis, tertiam personam.

V. 7. Et spes nostra firma sit pro vobis. Alii legunt modo indicativo & spes nostra firma est pro vobis.

V. 11. Ut ex multorum personis. Insignis correctio, qua multorum personis restitutum est, loco ejus, quod vulgo legitur, multarum personis facierum, conjunctis interpretationibus duabus vocis προσώπων.

Ibidem. Per multos gratiæ agantur pro nobis. Non substituas vobis secunda persona, pro nobis prima.

V. 12. Quod in simplicitate cordis. Non est omittendum cordis, quod Patres addiderunt.

Vers. 18. Quia sermo noster, qui fuit apud vos. Pro præterito fuit, non scribas præsens sit.

V. 21. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo. Non præponas secundæ personæ pronomen, inverso ordine legens vos nobiscum.

CAP. III. vers. 9. Nam si ministratio damnationis gloria est. Non addas præpositionem in ante gloria.

Vers. 12. Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur. Non est mutandus indicativus utimur in imperativum utamur.

CAP. IV. v. 1. Ideo habentes administrationem. Vertunt autem administrationem, non mutes in duo hanc ministrationem.

V. 4. Ut non fulgeat illis illuminatio. Non auferas pronomen illis.

Vers. 6. Ipse illuxit in cordibus nostris. Nec omittas ipse, nec mutes cum qui.

Vers. 9. Persecutionem patimur, sed non derelinquimur. Quod subjiciunt quidam libri, humiliamur, sed non confundimur, Correctores græcanicum censuerunt.

CAP. V.

CAP. V. v. 13. Sive enim mente excedimus, Deo. *In quibusdam libris, pro excedimus, a cedo, est excidimus, a cado, id est, vocalis tertia pro secunda.*

CAP. VI. vers. 16. Et inambulabo inter eos. *Correctores addiderant* inter eos.

CAP. VII. v. 3. Non ad condemnationem vestram dico. Non *facile omittas pronomen* vestram.

V. 7. Ita ut magis gauderem. Non *præponas adverbium* magis *conjunctioni* ut.

CAP. VIII. v. 15. Qui multum, non abundavit. *Nomini* multum *non addas verbum* habuit.

V. 23. Et in vos adjutor. *Retinendus est accusativus* vos, *non substituendus ablativus* vobis.

Ibidem. Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi. *Hic retinendus est nominativus* gloria, *non surrogandus, qui vulgo legitur, genitivus* gloriæ.

V. 24. In faciem Ecclesiarum. Non *mutes accusativum in ablativum* facie.

CAP. IX. v. 5. Ut præveniant ad vos. Non *scribas* perveniant *pro* præveniant, *quod est*, ante veniant.

V. 9. Justitia ejus manet in sæculum sæculi. *Alii scribunt* in æternum *pro* in sæculum sæculi.

CAP. XI. v. 23. Ministri Christi sunt. Non *subjicias, quod in aliis est libris*, & ego.

V. 25. Nocte & die in profundo maris fui. Non *mutes ablativum in accusativum* profundum.

CAP. XII. v. 11. Nihil enim minus fui. Non *est scribendum* feci *a facio, pro* fui *a sum*.

CAP. XIII. v. 4. Sed vivemus cum eo. Non *est mutandum futurum in præsens* vivimus.

Vers. 6. Spero autem quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi. *Nec hic futurum* cognoscetis *in præsens* cognoscitis.

EPISTOLA
AD
GALATAS.

CAP. II. v. 2. Seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse. *Nec omittas* aliquid esse, *nec pro eo scribas* majores esse.

V. 4. Sed propter subintroductos. Non *auferas conjunctionem* sed.

V. 5. Quibus neque ad horam cessimus subjectione. *Triplex vitium hic vitandum est, unum ne omittatur prima vox* quibus, *alterum ne omittatur subsequens negatio* neque, *quæ a multis olim libris solebat omitti, tertium ne scribatur dativus pro ablativo* subjectione.

CAP. III. v. 1. Quis vos fascinavit non obedire veritati? *Multi libri, pro* obedire *legunt* credere: *quidam olim omiserunt totum hoc* Non obedire veritati: *quæ tamen legere licet Exercitationes nostras.*

Ibidem. Ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est. *Legendum est* præscriptus, *quod est, ante scriptus, non* proscriptus, *id est, diphthongus prima* æ, *non vocalis quarta* o.

V. 7. Cognoscite ergo. *Imperativus* cognoscite *non est mutandus in indicativum* cognoscitis.

V. 19. Propter transgressiones posita est. Non *mutes plurale in singulare* transgressionem.

CAP. IV. v. 6. Quoniam autem estis filii. Non *addas* Dei.

V. 14. Et tentationem vestram in carne mea non sprevistis. Non *facile mutandum est pronomen secundæ personæ* vestram *in primæ* meam.

V. 24. Unum quidem in monte Sina. *Alii libri pro* in *legunt* a.

CAP. V. v. 7. Quis vos impedivit veritati non obedire? *Quod sequitur in quibusdam exemplaribus* Nemini consenseritis, *omnium Correctorum judicio superfluit.*

V. 8. Persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos. Non *est omittendum pronomen* hæc, *nec ejus loco scribendum* vestra.

CAP. VI. v. 12. Quicumque enim volunt placere in carne. *Multi libri omittunt* enim.

EPISTOLA
AD
EPHESIOS.

CAP. I. v. 6. In dilecto filio suo. Non *omittat* filio suo.

V. 17. In agnitione ejus. *Quidam libri, pro sexta casu, scribunt quartum* agnitionem.

V. 23. Et plenitudo ejus. Non *est omittenda conjunctio* &.

CAP. II. v. 1. Et vos cum essetis mortui. Non *est addendum verbum* convivificavit.

V. 11. Quod aliquando vos gentes in carne. *Nec hic addendum est, vel pronomen* qui, *vel verbum* eratis *ante* gentes.

Sequitur: Qui dicimini præputium. Non *est mutandum præsens* dicimini, *in imperfectum* dicebamini.

V. 12. Quia eratis illo in tempore. *Conjunctio* quia *seu* quod *non est vertenda in pronomen* qui.

Vers. 16. Et reconciliet ambos. *Præferendum est* & *copulativum* ut *causativo*.

V. 22. In habitaculum Dei in spiritu. Non *addas* sancto.

CAP. III. v. 10. Ut innotescat principibus & potestatibus. Non *legas* principibus *pro* principatibus, *id est, quatuor syllabas pro quinque.*

Vers. 16. Virtute corroborari per spiritum ejus. *Retinendus est ablativus* virtute, *non supponendus accusativus* virtutem.

Sequitur: In interiorem hominem. *Hic contra, retinendi sunt accusativi non supponendi ablativi* in interiore homine.

CAP. IV. v. 22. Deponere vos secundum pristinam conversationem. *Legendum est* deponere, *modo infinitivo, non imperativo* deponite.

V. 29. Ad ædificationem fidei. Non *legas* opportunitatis *pro* fidei.

V. 30. In quo signati estis in diem redemptionis. Non *mutes quartum casum in sextum* die.

CAP. V. v. 5. Aut avarus, quod est idolorum servitus. *Alterius versionis est ea lectio, quæ habet* qui est idolorum servus.

Vers. 13. Omne enim quod manifestatur, lumen est. *Retinendum est passivum* manifestatur, *non mutandum in activum* manifestat, *quod quidam volunt.*

Vers 18. Sed implemini Spiritu sancto. *Alii libri omittunt adjectivum* sancto.

V. 26. Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ. *Correctores, ut judicarunt non addendum participio* mundans *pronomen* eam, *ita non auferendum in fine nomen* vitæ.

V. 27. Ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam. Non *facile mutes nominativum masculinum*, ipse, *in accusativum femininum* ipsam.

CAP. IV. v. 13. Et in omnibus perfecti stare. Non *facile scribas, sublata præpositione in ablativos absolute positos* omnibus perfectis, *ut nonnulli libri.*

V. 15. In præparatione Evangelii pacis. *Servandus est ablativus* præparatione, *non substituendus accusativus.*

V. 23. A Deo Patre. Non *addas pronomen* nostro.

EPISTOLA
AD
PHILIPPENSES.

CAP. I. v. 14. Et plures e fratribus in Domino, confidentes vinculis meis. *Primum* & *copulativum non oportet mutare in* ut, *nec præponere in præpositionem nemini* vinculis.

CAP. III. v. 4. Quamquam ego habeam confidentiam & in carne. Non *est transferenda conjunctio* & *ex fine in principium.*

V. 10. Et societatem passionum ejus. *Pro plurali* passionum, *non scribas singulare* passionis.

Vers. 15. Et hoc vobis Deus revelabit. Non *mutes futurum* revelabit *in præteritum.*

V. 16. Verumtamen ad quod pervenimus ut idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula. *Nec mutes* quod *in* quid, *vocalem quartam in tertiam, nec omittat conjunctionem* &.

CAP. IV. v. 2. Evodiam rogo. Non *scribas* Euchodiam, *addito* ch.

EPISTOLA
AD
COLOSSENSES.

CAP. I. v. 12. Gratias agentes Deo patri. Non *est interjicienda conjunctio* & *inter* Deo & patri.

V. 14. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. *Ut non oportet omittere* per sanguinem ejus: *ita non oportet addere* & *ante* remissionem.

Vers. 25. Quæ data est mihi in vos. Non *mutes accusativum in ablativum* vobis.

CAP. II. v. 2. In agnitionem mysterii Dei patris & Christi Jesu. Non *est auferenda conjunctio* &.

V. 7. Abundantes in illo, in gratiarum actione. *Quidam libri, pro* in illo *masculino, scribunt femininum* in ea, *sed nequaquam est omittendum* in illo, *quod multi faciunt.*

V. 11. Circumcisione non manufacta. *Cave legas* manifesta, *pro* manufacta, *quæ manu fit.*

Sequitur: In exspoliatione corporis carnis. *Nec addas* peccatorum *post* corporis, *nec mutes* corporis *in* cutis, *quod est* pellis.

Vers. 16. Aut in parte diei festi. Non *omittas* festi.

CAP. III. v. 4. Cum Christus apparuerit vita vestra. Non *est addenda conjunctio sive* autem *sive* enim.

V. 11. Ubi non est Gentilis & Judæus. Non *interjicias* masculus & femina, *superfluit enim hoc loco.*

Vers. 16. Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus. Non *est præponenda his ablativis præpositio* in.

V. 17. Omnia in nomine Domini Jesu Christi. Non *addendum est* facite, *sed subaudiendum.*

Vers. 20. Hoc enim placitum est in Domino. Non *est omittenda præpositio* in.

CAP. IV. v. 9. Omnia quæ hic aguntur. Non *præponat his verbis* qui.

Vers. 16. Et cum lecta fuerit apud vos epi-

epistola hæc. *Non omittas pronomen* hæc.

Ibidem. Et eam quæ Laodicensium est, vos legatis. *Alii passive legunt* & ea quæ Laodicensium est vobis legatur.

V. 18. Gratia vobiscum. *Non interponas* Domini nostri Jesu Christi.

EPISTOLA
AD
THESSALONICENSES
PRIOR.

CAP. I. v. 1. Gratia vobis & pax. *Non addas* a Deo patre nostro & Domino Jesu Christo.

V. 5. Sed & in virtute. *Non omittas medium* & , *sicut nec ubi sequitur* v. 8. *Sed & in omni loco.*

CAP. II. *vers.* 7. Cum possemus vobis oneri esse. *Nec auferendum est pronomen* vobis: *nec neutrum nomen oneri facile commutandum cum masculino* honori.

Ibidem. Sed facti sumus parvuli. *Interpres vertit* parvuli, *quod alii* lenes.

V. 16. Pervenit enim ita Dei super illos usque in finem. *Correctores prætulerunt* pervenit, *τῷ* pervenit, *quod est, ante venit.*

CAP. III. *v.* 12. Et abundare faciat charitatem vestram in invicem. *Non omittas pronomen* vestram.

CAP. IV. *v.* 1. Sic & ambuletis. *Alii scribunt* sicut & ambulatis.

V. 8. Itaque qui hæc spernit. *Non est omittendum pronomen* hæc.

V. 14. Qui residui sumus in adventum Domini. *Non est mutandus accusativus in ablativum* adventu.

CAP. V. *v.* 3. Sicut dolor in utero habenti. *Dativus non est mutandus in genitivum* habentis.

V. 15. Sed semper quod bonum est sectamini in invicem & in omnes. *Non omittendum prius* in.

EPISTOLA
AD
THESSALONICENSES
POSTERIOR.

CAP. I. *v.* 6. Retribuere tribulationem. *Non est mutanda vox* tribulationem, *quæ pœnam significat, in* retributionem, *quæ mercedem.*

V. 11. Omnem voluntatem bonitatis. *Non addas pronomen* suæ.

CAP. II. *vers.* 12. Quod elegerit vos Deus. *Non mutes pronomen secundæ personæ* vos *in primæ* nos.

V. 13. In qua & vocavit vos. *Quidam legunt* in quam, *quidam* ad quod. *Sed male omnino illi, qui scribunt pronomen primæ personæ* nos.

CAP. III. *v.* 4. Quoniam quæ præcipimus. *Retinendum est præsens* præcipimus, *non surrogandum præteritum* præcepimus.

V. 11. Ambulare inquiete. *Non mutes infinitivum* ambulare *in participium* ambulantes.

EPISTOLA
AD
TIMOTHEUM
PRIOR.

CAP. I. *vers.* 9. Sciens hoc. *Non scribas plurale* scientes, *pro singulari* sciens.

Vers. 12. Christo Jesu Domino nostro. *Non præponas præpositionem* in.

V. 16 Ad informationem eorum. *Cave scribas contrarium* deformationem, *ut quidam.*

CAP. II. *v.* 6. Testimonium temporibus suis. *His verbis, nec præponendum est* cujus, *nec postponendum* confirmatum est: *hæc enim consulto a Patribus omissa sunt.*

V. 15. Si permanserit in fide. *Alii legunt plurale* permanserint.

CAP. III. *v.* 2. Oportet ergo episcopum. *Non commutes* ergo *cum* enim.

Ibidem. Prudentem, ornatum, pudicum. *Non omittas τὸ* pudicum.

V. 14. Hæc tibi scribo. *Non subjicias* fili Timothee.

CAP. IV. *v.* 7. Exerce autem teipsum ad pietatem. *Nec hic omittas conjunctionem* autem.

CAP. V. *v.* 15. Retro Satanam. *Non interjicias præpositionem* post.

V. 16. Et non gravetur ecclesia. *Non est mutandum* & *in* ut *caussativum.*

Vers. 18. Non alligabis os bovi trituranti. *Non scribas* infrænabis *pro* alligabis.

V. 20. Quosdam autem & subsequuntur. *Non omittas medium* &.

CAP. VI. *v.* 8. His contenti sumus. *Præsens indicativi* sumus, *mutatur ab aliis in præsens imperativi* simus.

V. 9. Inutilia & nociva. *Non præponas* & *voci* inutilia.

Vers. 16. Et imperium sempiternum. *Non interjicias præpositionem* in *ante* sempiternum.

EPISTOLA
AD
TIMOTHEUM
POSTERIOR.

CAP. I. *v.* 2. Gratia, misericordia, pax. *Non est præponenda conjunctio* & *voci* pax.

V. 3. Gratias ago Deo, cui servio a progenitoribus. *Nec hic addenda sunt pronomina* meo *&* meis.

Vers. 15. Scis hoc. *Non interponas* enim.

Ibidem. Ex quibus est Phigellus. *Alii scribunt unico* l, Phigelus: *sed male illi qui habent* Philetus, *quod nomen occurrit infra* 2. *v.* 17.

Ver. 18 Et quanta Ephesi ministravit mihi. *Correctores e libris suis adiderunt pronomen* mihi.

CAP. II. *v.* 5. Non coronatur nisi qui legitime certaverit. *Non mutes præsens* coronatur *in futurum.*

V. 22 Fidem, charitatem, & pacem. *Non interponas* spem *inter* fidem *&* charitatem.

V. 26. A quo captivi tenentur. *Non scribas participium* capti *pro nomine* captivi.

CAP. IV. *v.* 11 Est enim mihi utilis in ministerium. *Non mutes accusativum in ablativo* ministerio.

V. 14. Reddet illi Dominus secundum opera ejus. *Futurum indicativi* reddet, *non vertas in præsens imperativi* reddat.

V. 17. Ut per me prædicatio impleatur. *Non scribas* impleretur.

V. 19. Saluta Priscam. *Quidam codices scribunt* Priscillam: *sed male illi, qui masculino genere* Priscum.

EPISTOLA
AD
TITUM.

CAP. I. *v.* 8. Sed hospitalem, benignum, sobrium. *Non addas* prudentem: *caussa explicatur in Notationibus nostris.*

V. 10. Sunt enim multi etiam inobedientes. *Non omittas* etiam.

CAP. II. *v.* 11. Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri. *Non scribas femininum* salutaris, *pro masculino* Salvatoris nostri.

EPISTOLA
AD
PHILEMONEM.

VErs. 6. In agnitione omnis operis boni. *Correctio et judicarunt non esse omittendum* operis.

Sequitur: Quod est in vobis in Christo Jesu. *Nec hic omittendum censuerunt* quod est in vobis: *immo quod est neutrum, prætulerunt* quæ est *feminino, & secundam personam* in vobis, *primæ* in nobis.

EPISTOLA
AD
HEBRÆOS.

CAP. I. *v.* 14. Propter eos qui hæreditatem capient salutis. *Retinendum est futurum* capient, *non substituendum præsens* capiunt, *multoque minus* cupiunt, *quod est:* desiderant.

CAP. II. *v.* 3. Quæ cum initium accepisset. *Numerus singularis* accepisset, *non est mutandus in pluralem* accepissent.

V. 10 Per Passionem consummare. *Nec hic mutandum est activum* consummare *in passivum* consummari.

CAP. III. *v.* 11. Sicut juravi in ira mea. *Pro adverbio* sicut, *non scribas nomen* quibus.

V. 19. Et videmus quia non potuerunt introire. *Redundat quod quidam libri subjiciunt in requiem ipsius.*

CAP. IV *v.* 4. Dixit enim in quodam loco. *Non omittas præpositionem* in.

Vers. 10. Sicut a suis Deus. *Non addas conjunctionem* & *ante præpositionem* a.

V. 14. Teneamus confessionem. *Non interponas*, spei nostræ.

V. 16. Adeamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ. *Non subjicias pronomen* ejus.

CAP. V. *v.* 8. Et quidem cum esset filius Dei. *Correctoribus visum est non esse omittendum genitivum* Dei.

V. 11. De quo nobis grandis sermo & interpretabilis ad dicendum. *Servanda est syllaba* in *duplicata in voce* ininterpretabilis.

CAP. VI. *v.* 1. Ad perfectiora feramur. *Non est scribendum nomen substantivum* perfectionem, *loco adjectivi* perfectiora.

CAP. VII. *v.* 13. De qua nullus altari præsto fuit. *Pro* altari, *non substituas* altario, *vocem barbaram.*

V. 25. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum. *Legendum est numero plurali* accedentes, *non singulari* accedens; quæ

qua de re legere licet nostras Notationes.

CAP. IX. v. 14. Emundabit conscientiam nostram. Loco futuri emundabit, non est scribendum præteritum emundavit; nec vestram secunda personæ pronomen, loco primæ nostram.

Vers. 26. Nunc autem semel in consummatione sæculorum. Non mutes ablativum in accusativum consummationem.

Sequitur: ad destitutionem peccati. Alii libri habent destructionem, eodem sensu.

CAP. X. v. 6. 8. Holocautomata pro peccato. Alii libri ante præpositionem pro, Græco consentanee, interponunt conjunctionem &: quam Syrus cum Correctoribus omittit.

V. 16. Dando leges meas. Non mutes gerundium dando in futurum indicativi dabo.

V. 30. Mihi vindicta, & ego retribuam. Neque hic mutes nominativum vindicta in accusativum.

CAP. XI. v. 6. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Nec omittas Deo, nec addas quemquam.

Vers. 11. Virtutem in conceptionem seminis accepit. Servandus est accusativus conceptionem, non vertendus in ablativum.

V. 17. Qui susceperat repromissiones. Non scribas in quo, pro qui.

Vers. 34. Effugerunt aciem gladii. Pro effugerunt, a fugio, tertiæ conjugationis, non corrigas effugaverunt, quod est, in fugam verterunt, a fugo primæ.

CAP. XII. vers. 18. Et accensibilem ignem. Legendum est accensibilem, quod est, qui accendi, qui inflammari potest, non dempta littera n, accessibilem, qui accedi, cui appropinquari potest.

CAP. XIII. vers. 2. Per hanc enim latuerunt quidam, angelis hospitio acceptis. Locus egregie emendatus, ubi latuerunt scriptum est; præteritum a lateo, quod est occultum, inscium esse, pro eo quod vulgo legitur placuerunt, præteritum a placeo, quod est, gratum esse.

V. 9. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis. Correctores prætulerunt activum stabilire, passivo stabiliri.

EPISTOLA JACOBI

CATHOLICA.

CAP. I. vers. 18. Voluntarie enim genuit nos. Non omittas conjunctionem enim.

Vers. 25. Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis. Accusativi legem perfectam, non sunt mutandi, prior in ablativum lege: posterior in genitivum perfectæ, quemadmodum plerique legunt: In lege perfectæ libertatis.

CAP. II. v. 18. Sed dicet quis: Tu fidem habes. Non mutes futurum dicet in præsens dicit.

V. 20. Quia fides sine operibus mortua est. Non scribas otiosa pro mortua.

CAP. III. v. 3. Si autem equis frena in ora mittimus. Conjunctio conditionalis si, non est commutanda cum adverbio similitudinis sicut.

Ibidem. Et omne corpus illorum circumferimus. Nec omittendum est pronomen &, nec mutandum in etiam.

V. 4. Ecce naves, cum magnæ sint. Non est præponenda conjunctio & adverbio ecce (Et ecce naves) sed postponenda.

Ibidem. Circumferuntur a modico gubernaculo. Verbo circumferuntur, non est addendum, sive autem, sive tamen.

Vers. 12. Sic neque salsa dulcem potest facere aquam. Nominativum salsa, non esse mutandum in accusativum, quod quidam faciunt, ut docuimus in Notationibus.

CAP. IV. v. 5. Concupiscit spiritus. Cave præponas non negationem verbo concupiscit.

Sequitur: Qui habitat in vobis. Non mutes vobis secundæ pronomen, in nobis primæ.

Vers. 11. Nolite detrahere alterutrum fratres. Non subjicias pronomen mei.

V. 12. Unus est legislator & judex. Non addas conjunctionem enim.

CAP. V. vers. 3. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. Non temere omittendum esse illud vobis iram, ut nostræ Notationes.

Vers. 5. Et in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis. In die occisionis, non est separandum ab hoc versu, & constituendum initium sexti.

Vers. 16. Addixistis & occidistis justum. Cavendum est, ne recidatur in vetus vitium, quo scribebatur adduxistis, quod est, adducere fecistis, pro eo quod jam Romanorum Patrum opere restitutum est, addixistis, quod est, condemnastis, vocali quinta u commutata cum tertia i.

V. 8. Quoniam adventus Domini appropinquavit. Servandum est præteritum appropinquavit, non mutandum in futurum appropinquabit.

Vers. 10. Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ. Correctores addendum judicarunt illud exitus mali, quod est in quibusdam libris, quamquam videri possit ejusdem Græcæ vocis versionem esse, cujus est laboris, quod sequitur.

V. 13. Tristatur aliquis vestrum? Non addatur conjunctio autem.

V. 15. Et alleviabit eum Dominus. Alii libri, omissa e medio vocali tertia i, scribunt allevabit, eodem sensu, eriget, reddet melius.

V. 20. Salvabit animam ejus a morte. Non commutes ejus cum reciproco suam.

Sequitur: Et operiet multitudinem peccatorum. Retinendum est futurum operiet, non supponendum præsens operit.

EPISTOLA PETRI

PRIOR.

CAP. I. vers. 7. In revelatione Jesu Christi. Ablativus revelatione, non est mutandus in accusativum revelationem.

V. 9. Salutem animarum. Non addas vestrarum.

Vers. 13. Perfecte sperate. Non substituas nomen perfecti, pro adverbio perfecte.

Vers. 15. Et ipsi in omni conversatione sancti sitis. Non præponatur his verbis ut.

Vers. 25. Quod evangelizatum est in vos. Non mutetur accusativus vos in ablativum.

CAP. II. v. 2. Rationabile, sine dolo, lac concupiscite. Retinendum est neutrum singulare rationabile, non supponendum masculinum plurale rationabiles.

Vers. 5. Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis. Insignis correctio, qua restitutus est nominativus singularis numeri domus spiritualis, pro pluralibus, sive nominativis, sive accusativis domus, vel domos spirituales, qui regi solent, nunc addita, nunc dempta, in præpositione.

V. 10. Quæ est enim gloria. Non mutes gloria, positum pro gloriandi materia, cum gratia.

Vers. 21. Quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum. Quidam boni libri legunt duplex vobis, secundæ personæ: sed male illi qui duplex nobis, primæ personæ, sequitur enim secundæ personæ: Ut sequamini vestigia ejus: tametsi veteres quidam, docendi causa, citant prima persona sequamur. Legat, cui placet, Notationes nostras.

Vers. 23. Tradebat autem judicanti se injuste. In quibusdam codicibus hæc reperiuntur vitia: ut pro autem legant enim: addant alterum se, præpositum participio judicanti; participium illud singulare dativi casus mutent nonnulli in accusativum pluralem judicantes, nonnulli in verbum infinitum judicari. De reliquo lege Notationes.

CAP. III. vers. 2. Castam conversationem vestram. Correctores prætulerunt castam, ei quod alii legunt sanctam.

V. 4. Qui est in conspectu Dei locuples. Non mutes masculinum qui in neutrum quod.

V. 8. In fine autem omnes unanimes. Legendum est in fine, positum pro demum, sive postremo, non in fide, tamquam Christiana. Nec voci unanimes, adjiciendum est in oratione estote, quamquam id habeat epistola Dominicæ quintæ post Pentecosten. De his latius nostræ Notationes.

Vers. 11. Declinet a malo. Non addas autem.

V. 14. Et non conturbemini. Non scribas ut pro &, id est, vocalem quintam pro secunda.

Vers. 15. De ea quæ in vobis est spe. Supersedeas quod alii libri subjiciunt, & fide.

V. 17. Melius est enim benefacientes. Non addas conjunctionem ut ante benefacientes.

V. 18. Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. Egregia emendatio, qua restituti sunt nominativi singulares, mortificatus & vivificatus, pro iis qui vulgo scribuntur accusativis pluralibus, mortificatos & vivificatos.

Vers. 19. In quo & his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit. Pro carcere, quod est custodia, male quidam legunt carne, quod est, corpore. Deinde verbo erant, superflue adjiciunt alii participium conclusi. Denique dativus pluralis spiritibus, ex Patrum correctione servandus est, pro eo qui a plerisque legitur ablativo singulari spiritu.

V. 21. Quod & vos nunc. Non facile mutandum est pronomen secundæ personæ vos in primæ nos.

CAP. IV. v. 4. In quo admirantur. Ut non scribendum plurale quibus, pro singulari quo: ita non est mutandum verbum admirantur, in peregrinantur, aut obstupescunt, quæ sunt Græcæ dictionis aliæ versiones.

V. 7. Omnium autem finis appropinquavit. Retinendum est præteritum appropinquavit, non reponendum futurum appropinquabit.

V. 12. Carissimi, nolite peregrinari. Pro peregrinari, quidam libri legunt mirari, quemadmodum e contrario, supra v. 4. pro admirantur, quidam legunt peregrinantur: nam cum Græca ξενίζονται ad verbum quidem transferatur peregrinari, ad sensum autem mirari seu admirari.

V. 14. Super vos requiescit, Non est mutandum præsens requiescit in futurum.

V. 17. Qui non credunt Dei Evangelio. Non est omittendum Dei.

V. 18. Et si justus vix salvabitur. Non addas quidem.

CAP. V. vers. 3. Sed forma facti gregis ex animo. Correctores prætulerunt, singularem numerum forma, plurali formæ: & genitivum gregis, dativo.

Vers. 13.

V. 13. Quæ est in Babylone coelesta. *Pro quadrisyllaba voce coelesta, cave legas trisyllabam collecta, mutata vocali e in consonantem i.*

EPISTOLA PETRI POSTERIOR.

CAP. I. *vers.* 3. Quæ ad vitam & pietatem donata sunt. *Correctores prætulerant plurale tunt singulari est.*

Vers. 4. Per quem maxima. *In hic prætulerant masculinum quem, fœminino quam & neutro quæ.*

Vers. 8. Hæc enim si vobiscum adsint. *Alii libri legunt:* Hæc enim vobis cum adsint.

Vers. 16. Non enim doctas fabulas secuti. *Egregie Correctores, indoctas, quod vulgo legitur, emendarunt scribendo contrarium doctas, quod est, eruditas, seu artificiose concinnatas.*

Ibidem. Virtutem & præsentiam. *Et hic recte emendarunt præsentiam, quod est, adventum, a præsens, pro præscientiam, quod est, providentiam, a præscio.*

CAP. II. *vers.* 13. Coinquinationis & maculæ. *Legendum est coinquinationes, primo casu numeri pluralis, non coinquinationis, secundo casu numeri singularis.*

Vers. 18. Superba enim vanitatis loquentes. *Pro superba adjectivo, non scribas, addita vocali tertia i, superbia substantivum.*

CAP. III. v. 13. Secundum promissa ipsius. *Præpositionem secundum non vertas in conjunctionem &.*

Vers. 15. Et Domini nostri. *Non addas* Jesu Christi.

EPISTOLA JOANNIS PRIMA.

CAP. I. v. 9. Ab omni iniquitate. *Non omittas præpositionem* ab.

CAP. II. *vers.* 4. Qui dicit se nosse eum. *Non mutes pronomen eum in nomen* Deum.

Vers. 14. Scribo vobis infantes, quoniam cognovistis patrem. *Quod sequitur in manuscriptis codicibus:* Scribo vobis patres, quia cognovistis eum qui ab initio est, *& totidem verbis præcessit supra, v. 13. Sixtina Biblia omittunt. Lege Notationes nostras.*

Ibidem. Scribo vobis juvenes. *Alii libri pro juvenes scribunt adolescentes, ut supra v. 13. Nam & Græce eadem vox repetitur νεανίσκοι.*

Vers. 17. Et mundus transit & concupiscentia ejus. *Non est mutandum præsens transit in futurum transibit.*

Vers. 18. Et nunc antichristi multi facti sunt. *Non est omittendum primum* &.

Vers. 22. Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Jesus est Christus? *Patres omiserant negationem non, quam alii præponunt verbo est postea.*

CAP. III. v. 17. Et viderit fratrem suum necessitatem habere. *Rectius legitur necessitatem quam necesse.*

CAP. V. *vers.* 7. Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt: & tres sunt qui testimonium dant in terra. *Sunt libri, qui hoc solum legant:* Quoniam tres sunt qui testimonium dant in terra, *intermedia autem omnia omittant. Sed conqueritur, præfatione in Catholicas Epistolas, Divus Hieronymus ab infidelibus translatoribus, Patris Verbique ac Spiritus testimonium omissum.*

Vers. 12. Qui habet filium, habet vitam: qui non habet filium, vitam non habet. *Voci filium non addas* Dei.

Vers. 13. Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum. *Non scribas nomen* Deum, *loco pronominis* eum.

EPISTOLA JOANNIS SECUNDA.

VErs. 11. Communicat operibus ejus malignis. *Quod subjiciunt quidam libri,* Ecce prædixi vobis, ut in die Domini non confundamini, *Patres, ut supervacuum, præterierant.*

EPISTOLA JOANNIS TERTIA.

VErs. 4. Majorem horum non habeo gratiam. *Non mutes majorem gratiam cum majus gaudium, quod quidam faciunt.*

Vers. 6. Qui testimonium reddiderunt caritati tuæ. *Non omittas primum* qui.

Ibidem. Quos, benefaciens, deduces digne Deo. *Non pauci boni libri, Græco consentanee, benefacies verbum, deduces participium legunt, contra ac Romana Biblia.*

Vers. 9. Sed is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes. *Nominis hujus propter antepenultima littera est φ phi adspirata, non π pi tenuis.*

Vers. 10. Commonebo ejus opera. *Non scribas* cummonitam.

Vers. 11. Qui male facit, non vidit Deum. *Non mutes nomen Deum in pronomen* eum.

EPISTOLA JUDÆ CATHOLICA.

VErs. 3. Deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei. *Nihil opus est alia forma scribere supercertare: Interpres enim usus est verbo supercertari, ut deponenti, quemadmodum alias.*

Vers. 11. Væ illis quia in via Cain abierunt. *Non mutes conjunctionem quia in pronomen* qui.

Vers. 12. Nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur. *Nec hic mutandum verbum circumferuntur in conteruntur.*

Vers 14. Prophetavit autem & de his. *Non omittas medium* &.

Vers. 15. Quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii. *Correctores maluerant nomen Deum, quam pronomen* eum.

Vers. 16. Et os eorum loquitur superba. *Servandum est adjectivum superba, non substituendum substantivum* superbiam.

Vers. 20. Superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei. *Patres prætulerant pronomen secundæ personæ vestræ, pronomini primæ personæ* nostræ.

Vers. 24. Immaculatos in exultatione. *Cave omittas illud* in exultatione.

APOCALYPSIS.

CAP. II. v. 1. Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe. *Non præponas his verbis conjunctionem* &.

Vers. 4. Sed habeo adversum te. *Non hic addas* pauca.

Vers. 23. Et filios ejus interficiam in morte. *Non mutes casum sextum in quartum* mortem.

Vers. 24. Vobis autem dico & ceteris qui Thyatiræ estis. *Correctores judicarunt non omittendum medium* &.

Ibidem. Et qui non cognoverunt altitudines satanæ. *Primum & a Patribus additum est, & tamen altitudines scriptum ab eis est numero plurali, pro eo quod a plerisque minus recte legitur singulari altitudinem.*

CAP. IV. v. 1 & 2. Et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc. Et statim fui in spiritu. *Nec addas cito ante post hæc, nec constituas post hæc initium proximi versus, nec denique omittas & ante* statim.

CAP. V. v. 10. Et regnabimus super terram. *Non facile mutes personam primam in tertiam* regnabunt.

CAP. VIII. *vers.* 3. Ut daret de orationibus Sanctorum omnium. *Non omittas præpositionem* de.

V. 5. Et accepit Angelus thuribulum. *Non addas* aureum.

V. 12. Et noctis similiter. *Non mutes genitivum in dativum nocti, multoque minus in nominativum, vel ablativum.*

CAP. IX. v. 5. Et datum est illis ne occiderent eos. *Cave, pro datum a do, legas dictum a dico.*

Sequitur: Sed ut cruciarent mensibus quinque. *Activum cruciarent non est mutandum cum passivo* cruciarentur.

Vers. 18. De igne & de fumo & sulphure. *Non legas ex loco posteriore* de.

CAP. X. *vers.* 1. Et pedes ejus tamquam columnæ ignis. *Non mutes plurale columnæ in singulare* columna.

CAP. XII. *vers.* 2. Et in utero habens clamabat parturiens. *Non præponas conjunctionem & verbo clamabat, nec præteritum imperfectum clamabat vertas in præsens* clamat.

V. 3. Et in capitibus ejus. *Non scribas* suis *pro* ejus.

V. 6. Ut ibi pascant eam. *Legendum est pascant numero plurali, non pascat singulari.*

CAP. XIII. v. 10. Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet. *Correctores prætulerant futurum vadet præsenti* vadit.

V. 15. Et faciat ut quicumque. *Nihil opus est faciat mutare, aut in præsens facit, aut in futurum* faciet.

CAP. XIV. v. 5. Sine macula enim sunt ante thronum Dei. *Non facile omittendum est illud* ante thronum Dei.

V. 7. Qui fecit cælum & terram, mare & fontes aquarum. *Non interponas* & omnia quæ in eis sunt, *inter mare ac & fontes aquarum.*

CAP. XV. *vers.* 3. Justæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum. *Non addas Domine ante Rex. Pro sæculorum, quidam libri scribunt* sanctorum, *sicut est Græce.*

V. 6. Vestiti lino mundo & candido. *Legendum est, lino, ex quo fiunt vestes linæ, non lapide, ex quo vestes fieri nequeunt.*

CAP. XVI. v. 2. Et abiit primus. *Non addas Angelus, sed subaudias.*

V. 5. Et audivi Angelum aquarum dicentem. *Cave loco aquarum legas numerum* quartum.

V. 7. Et audivi alterum ab altari dicentem. *Non est omittendum ab altari, quod Romani Patres restituerant ex veteribus manuscriptis.*

V. 13. Spiritus tres immundos. *Non addas verbum* exire.

CAP. XVII. *vers.* 4. Et inaurata auro. *Est hic vitium typographicum in Romanis Bibliis, ubi scriptum est allaturatus inaurato, pro nominativo feminino inaurata, vocali inquam quarta pro prima.*

Ibidem. Plenum abominatione & immunditia. *Non scribas secundum casum pluralem abominationum, pro sexto singulari* abominatione.

CAP. XVIII. v. 13. Et cinnamomum. *Non addas & amomum.*

V. 15. Mercatores horum qui divites facti sunt. *Pronomen horum non mutes in nomen hominum*

CAP. XIX. v. 1. Post hæc audivi quasi vocem turbarum multarum. *Cave scribas tubarum, quod est buccinarum, pro turbarum, quod est populorum.*

Ibidem. Salus & gloria & virtus Deo nostro est. *Romani Correctores merito scripserunt salus, quod est prosperitas, pro eo quod vulgo legitur laus.*

V. 6. Et audivi quasi vocem turbæ magnæ. *Legendum est turbæ, non tubæ, quod est buccinæ.*

V. 15. Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus. *Non est omittendum ex utraque parte, quod Correctores consulto addendum censuerunt.*

V. 20. In stagnum ignis ardentis sulphure. *Non interjicias conjunctionem & ante sulphure.*

CAP. XX. v. 11. Et locus non est inventus eis. *Non præponas præpositionem ab dictioni eis.*

CAP. XXI. v. 4. Quia prima abierunt. *Non est commutanda conjunctio quia cum relativo quæ.*

V. 12. Et in portis angelos duodecim. *Cave pro angelos, quod significat cælestes nuncios, legas angulos, id est vocalem quintam u pro e secunda.*

V. 23. Nam claritas Dei illuminavit eam. *Non est mutandum præteritum illuminavit in futurum.*

CAP. XXII. v. 1. Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ. *Nomen substantivum vitæ, non est commutandum cum adjectivo vivæ.*

V. 5. Quoniam Dominus Deus illuminabit illos. *Retinendum est futurum illuminabit, non facile substituendum præsens illuminat.*

V. 9. Et eorum qui servant verba prophetiæ libri hujus. *Correctoribus visum est, non omittendum nomen prophetiæ, quod a multis libris additur.*

Vers. 11. Et qui justus est, justificetur adhuc. *Non pauci libri habent justitiam faciat adhuc. Græca similiter variant.*

FINIS.

LI-

LIBELLUS ALTER
CONTINENS
Alias lectionum Varietates in eisdem
BIBLIIS LATINIS
EX VETUSTIS MANUSCRIPTIS
Exemplaribus collectas,

QUIBUS

POSSIT PERFECTIOR REDDI
feliciter cœpta CORRECTIO, si accedat SUMMI
PONTIFICIS Auctoritas,

Observatore & Collectore eodem

FRANCISCO LUCA BRUGENSE,
Ecclesiæ Cathedralis Audomaropolitanæ
Theologo & Decano.

SUBMISSIO.

Omnia Catholicæ Ecclesiæ, ejusque in terra conspicui Capitis, Romani Pontificis judicio, submissa sunto.

Franciscus Lucas.

APPROBATIO.

UT priorem, ita & posteriorem hunc libellum, approbo tamquam utilem ad ea, quæ inscripta mihi dedicatoria præfatione explicantur. Actum Audomaropoli 12. Junii 1617.

Fr. Jac. Episcopus Audomarensis.

INfrascriptus adhibita cura perlegi libellos hos duos ab eximio pietatis & doctrinæ viro D. Francisco Luca, Ecclesiæ Cathedralis S. Audomari Theologo, & Decano, magna cura, maturoque judicio elaboratos: quorum prior destinatur ad conservandam Sacrorum Bibliorum Latinorum a mendis scribarum correctionem, quæ sub Sixto V. & Clemente VIII. Pontificibus Maximis, singulari Dei beneficio, inchoata, provecta, & publicata fuit; posterior vero, ad subsidium aliquod præstandum residuo correctionis, suo tempore, per supremam itidem in Ecclesia auctoritatem, paullatim conficiendo: eosque non uno nomine dignos censui qui imprimantur.

Duaci 27. Maji 1617.

Bartholomæus Petrus S. Th. D. & in Univers. Duac. Prof.

R.me

R:mo IN CHRISTO PATRI
JACOBO BLASEO,
EPISCOPO AUDOMAROPOLITANO,
Domino ſuo cum primis colendo,

FRANCISCUS LUCAS.

UNT anni circiter quindecim, quod Reverendiſſimæ Paternitati Veſtræ inſcripſerim, & probandum obtulerim libellum, in quem congeſſeram loca inſigniora, a Romanis Patribus, Summorum Pontificum Sixti V. & Clementis VIII. auctoritate delegatis, correcta in Bibliis latinis editionis vulgatæ. Qui libellus, ut avide fuit a pleriſque expetitus, ita variis locis excuſus hactenus, apud viros doctos, & Sacræ Scripturæ ſtudioſos: virtute atque auſpicio veſtro tenet locum ſuum. Jam offero alterum libellum, in quem, Doctorum Theologorum hortatu, congeſſi alio loco notatu digna, ex veteribus editionis Vulgatæ manuſcriptis libris collecta, quæ hactenus non correcta, merito fortaſſis pleraque corrigi poſſent, Summo Pontifice ſimiliter committente. Quamvis enim priores illi Patres feliciſſime laborarint, & plura Vulgatæ editionis loca dexterrime reſtituerint, ita ut omnino fatendum ſit, editionem eorum ceteris omnibus, quæ ad hunc uſque diem prodierunt, emendatiorem, purioremque eſſe, quod non temere habet præfatio, & ex priore illo noſtro libello manifeſtum evadit: Tamen, quod etiam præfatio admittit, difficile ſit affirmare, numeris omnibus eſſe abſolutam. Ea eſt enim humana imbecillitas, ut non ſemel obſervet omnia, prætereat facile hæc illa, nec ita rem conficiat, quin poſterorum diligentiæ, ad curæ aliquid relinquat. Nihil in hac vita extat omni ex parte perfectum; Etiam in Vaticana eaque prima horum Bibliorum editione, impreſſores non pauca errata admiſerunt: quæ paſſim in priore libello notavimus. Scio quod Patres illi Correctores nonnulla, quæ emendare potuiſſent, conſulto qualia erant, reliquerint, ad offenſionem Populorum vitandam, veteri D. Hieronymi exemplo, in libris Regum præſertim & Proverbiorum, e quibus multa fuerant auferenda, juxta fidem conſpirantium manuſcriptorum editionis Vulgatæ: ſed tamen & illa adnotaſſe, & ne memoria eorum pereat, hoc libello indicaſſe expedit. Ut omittam quod de illis celebris quidam ſacræ Theologiæ Profeſſor aliquando ad me ſcripſit in hæc verba: *Et vero quod de vitanda eorum, qui ſecus aſſueti ſint, offenſione, allatum eſt, idque exemplo B. Hieronymi; non quidem plane negligendum eſt: in dies tamen minus minuſque retinet virium: Quoniam per notationes variarum lectionum hactenus a Catholicis & eruditis Viris editas jam præluſum eſt caſtigationi, ita ut novitate jam antea magnam partem detrita vix quidquam offenſionis pariat, quæ deinde ſubſequitur Bibliorum legitima auctoritate facta emendatio,*

datio, sed reverentiam potius, & animi gratitudinem. Nam &, ut idem alias me monuit, Hieronymus versabatur in corrigendis erratis Interpretum, quorum versiones in usum plurium Ecclesiarum receptæ jam fuerant: Hic laboratur, non in corrigendo Interprete, sed in versione Interpretis emendanda ex ejusdem versionis exemplaribus, hoc est in Notariorum erratis auferendis. Qua re minus facile quis potest offendi. Sive autem consulto, sive fortuito sint omissa hujuscemodi loca, quæ in melius forte mutari potuerant. Utile tamen est, quod dicebam, ea annotasse, & scripto tradidisse, ne memoria notitiaque Doctorum hominum, qui Sacræ Scripturæ evolvendæ diligentius incumbunt, elabantur. Sed accusent me forte multi temeritatis, & arrogantiæ, quod post præclaros illos viros, a sede Apostolica delegatos, ausim mutare aliquid in Bibliis, & judicium meum illorum judicio præferre. Respondeo, quod mea mens non sit mutare aliquid, aut præferre: sed, quod eas varias lectiones, quas in latinis vulgatæ editionis codicibus, & tractatoribus inveni, & verisimilitudinem habere videntur, in medium proferam, judicio Suæ Sanctitatis iisque quos illa iterum committere possit relicto, an sint præferendæ aliisque surrogandæ. Non facile quidem ineuntur, & resumuntur hujusmodi examina (scio) sed si instituantur aliquando, serviet libellus iste noster ad sublevandos deputatorum labores; sin minus, ad lucem multorum Sacræ Scripturæ locorum. In quam sententiam respondit mihi Illustrissimus Cardinalis Bellarminus, litteris datis Romæ, die primo Novembris 1605. postquam acceperat libellum Notarum ad varias lectiones græcas, & latinas in quatuor Evangeliis occurrentes, quem ipsi dedicaram: *Si videro textum ipsum certo in melius alicubi posse mutari, significabo id Summo Pontifici, & Cardinalibus deputatis: Sed tu ipse plane vides non facile hujusmodi mutationes in Sacro Textu esse faciendas: Quamvis utilissimum sit, ut viri docti, tum de variis lectionibus, tum de judicio peritorum hominum tui similium admoneantur.* Qui & aliis litteris Capuæ datis die 6. Decembris 1603. postquam accepisset libellum illum Correctionum Romanarum, scripsit ad me quod huc apprime facit: *De libello ad me misso gratias ago: sed scias velim, Biblia vulgata non esse a nobis accuratissime castigata, multa enim de industria justis de caussis pertransivimus, quæ correctione indigere videbantur. Variæ lectiones, quæ in Bibliis Lovaniensibus habentur, & in quas tu librum utilissimum scripsisti, mihi videbantur omnino addendæ: quippe quæ instar Bibliothecæ mihi esse videntur. Sed non placuit aliis, ut in prima editione apponerentur.* Hæc ille, quibus significat, & se unum fuisse e numero Correctorum (qua re multum utilitatis dignitatisque operi accessit) & posse aliquando fieri, ut accuratior castigatio adhibeatur. Similia scripsit Joannes Baptista Bandinus Præfectus Typographiæ Vaticanæ litteris jussu Illustrissimi Cardinalis Baronii ad Moretum Romæ datis pridie Kalendas Augusti anno 1604. *In Bibliorum editione*, inquit, *laudo diligentiam vestrorum Theologorum, qui accurate multa adnotarunt. Ea D. Card. Baronius mihi tradidit ut inspicerem, & de iis responderem, ut feci semel, & iterum. Fateor in Bibliis nonnulla adhuc superesse, quæ in melius mutari possent; quædam etiam nescio quo pacto sic impressa reperiuntur, ut exempli gratia 1. Reg. cap. 2. vers. 17. retrahebant homines a sacrificio, cum libri omnes, & impressi, & manuscripti habeant, detrahebant homines sacrificio*, & cetera plura in hanc rem. Priori itaque libello meo, recensui loca præcipua jam correcta: posteriori hoc loca præcipua, quæ adhuc corrigi possent, meo, aliorumque judicio. Hunc non minus quam priorem Romanis Patribus, aliisque viris doctis gratum fore confido, si ut prior vestræ approbationis calculum mereatur, Reverendissime & Amplissime Domine, quem ut Deus O. M. nobis, & Ecclesiæ pergat servare diu incolumem, precibus impetrare obnixe contendo.

LIBELLUS ALTER

Continens alias lectionum Varietates in eisdem

BIBLIIS LATINIS

EX VETUSTIS MANUSCRIPTIS

Exemplaribus collectas.

GENESIS.

CAPITIS XI. v. 13. Vixitque Arphaxad postquam genuit Sale, trecentis tribus annis. *Alii libri consentanei Hebraeo & Chaldaeo, scribunt quadringentis pro trecentis, hoc est auctum numerum uno centenario.*

CAP. XVIII. v. 28 Delebis propter quadraginta quinque universam Urbem? *Quaedam manuscripta cum antiquis libris veteris nostri Epanorthotae, omittunt majorem numerum, nempe quadraginta, conformiter Hebraeis & Chaldaeis, quin etiam Graecis quibusdam codicibus nominatim Sixtinae editionis.*

CAP. XXIV. v. 52. Procidens adoravit: *Complura manuscripta cum fide digna omittunt procidens.*

CAP. XXX. vers. 40. Et posuit virgas in canalibus. *Alia manuscripta fide digna omittunt hic illud in canalibus, quod legitur supra, vers. 38. & infra, vers. 41.*

CAP. XXXII. v. 17. Ait quo vadis? aut cujus sunt ista? *Quaedam libri loco duplicis ac d ignoscitivae, legunt duplicem & copulativam.*

CAP. XXXVI. v. 2. Et Oolibama filiam Anae filiae Sebeon: *Pro genitivo feminino filiae, alii legunt accusativum filiam, alii genitivum masculinum filii. Legantur notationes nostrae in varias bibliorum lectiones.*

CAP. XXXVII. vers. 24. In cisternam veterem, quae non habebat aquam. *Non absque caussa omittitur ab aliis manuscriptis nomen adjectivum veterem.*

CAP XXXIX. v. 14. Vocavit ad se. *Alii codices omittunt ad se.*

CAP. XL. v. 13 Recordabitur Pharao ministerii tui. *Quaedam manuscripta habent magisterii.*

CAP. XLI. v. 23. Narravi conjectoribus somnium. *Quidam codices pro accusativo singulari, legunt genitivum pluralem somniorum.*

CAP. XLIV. v. 27. Ad quae ille respondit. *Quidam codices, pro praepositione ad quae ille, scribunt conjunctionem at ille.*

CAP. XLV. v. 23. Triticum in itinere, panesque portantes. *Quidam conjiciunt legendum in iter.*

V. 26. Joseph filius tuus vivit. *Multa exemplaria omittunt filius tuus.*

CAP. XLVII. v. 11. In optimo terrae loco. *In aliis egregiis libris pro loco legitur solo.*

EXODUS.

CAP. XI. vers. 16. Greges Patris sui. *Videtur praferri posse singulare gregem plurali greges.*

Vers. 21. Alterum vero peperit, quem vocavit Eliezer, dicens: Deus enim Patris mei adjutor meus, eripuit me de manu Pharaonis. *Hunc versiculum quamvis absit a quibusdam latinis manuscriptis ab Hebraeis & Chaldaeis libris, quin etiam a graeca editione, adeoque repetatur ab omnibus infra 18. vers. 4 Non tamen omiserunt hoc loco correctores, forte quod in nonnullis graecis libris legatur.*

CAP. XII. v. 23. Transcendet ostium domus. *Manuscripta quaedam omittunt vocabulum domus.*

CAP. XV. v. 19. Ingressus est enim eques Pharao. *Alii legere malunt equus secundae declinationis pro equitatus, quam eques tertiae. Vide notationes nostras.*

V. 27. Venerunt autem in Elim filii Israel *Non temere libri quidam omittunt filii Israel.*

CAP. XXI vers. 14. Ab altari meo evelles eum. *Alii boni libri legunt avelles, primam nempe vocalem loco secundae.*

CAP. XXIII. v. 20. Ecce ego mittam Angelum meum. *Multa bona manuscripta omittunt pronomen meum.*

CAP. XXIX. v. 2. Quae conspersa sit oleo. *Quidam libri legunt plurali numero sint.*

V. 18 Odor suavissimus victimae Domini. *Quaedam bona manuscripta pro genitivo* victimae *habent nominativum* victima.

CAP. XXXII. vers. 28. Cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum. *Pro viginti tria, quod est in quibusdam libris, in quibusdam legitur amplius, nempe triginta tria, in quibusdam minus, nempe tria. His posterioribus favent Hebraea, Graeca, & Chaldaea; & inter auctores, Rabanus diserte, ubi enarrat hunc locum. Ambrosius Epistol. 56. Thomas in summa 2. 2. quaest 13. art. 3. & quaest. 97. a. 4. praeter alios.*

CAP. XXXVI. vers. 29 Et in unam compaginem. *Alii latine scribunt compagem.*

V. 34. Fusis basibus earum argenteis. *Haec pericope ut non legitur Hebraice, ita nec latine, ab antiquis bonis libris manuscriptis.*

LEVITICUS.

CAP. XX. vers. 5. Ut fornicaretur cum Moloch. *Alii boni libri scribunt numerum pluralem fornicarentur.*

CAP. XXV. v. 12. Sed statim oblata comedetis. *Alii libri legunt ablata, idest primam vocalem pro quarta.*

NUMERI.

CAP. VIII. v. 2. Cum posueris septem lucernas, candelabrum in australi parte erigatur. Hoc igitur praecipe ut lucernae contra boream e regione respiciant ad mensam panum propositionis: contra eam partem, quam Candelabrum respicit, lucere debebunt. *Magna pars horum verborum, haec, inquam,* candelabrum in australi parte erigatur. Hoc igitur praecipe, ut lucernae contra boream, e regione respiciant ad mensam panum propositionis, *omittitur ab Hebraeis & Graecis codicibus, quin etiam a quibusdam latinis manuscriptis Videtur postea additum fuisse explicationis caussa ex Exod 40 v. 22.*

CAP. XVIII. v. 28. Ex universis quorum accipitis, primitias offerte Domino. *Sic moneri quidam censent legendum, ut primitias referantur ad offerte, & quartum subaudiatur decimas.*

CAP. XX v. 6. Clamaveruntque ad Dominum atque dixerunt: Domine Deus audi clamorem hujus populi, & aperi eis Thesaurum tuum, fontem aquae vivae, ut satiati cesset murmuratio eorum. *Versiculum hunc, tum Hebraicis, Graecis, & Chaldaicis libris, omittunt textus latinus Regis operae, & textus Rabani commentar. adjunctus. Quidam putant acceptum fuisse ex epistola feriae sextae post Dominicam tertiam Quadragesimae: ut collector Epistolarum aliquando omittit, aliquando addit aliunde quaedam.*

CAP. XXV. vers. 12. Idcirco loquere ad eum. *Alii libri supplent plurale ad eos loco singularis: mutuum in Hebraico legitur.*

DEUTERONOMIUM.

CAP. XII. v. 21. Locus autem (&c.) si procul fuerit. *Clarior esset oratio, omissa conjunctione si.*

CAP XXV. vers. 3 Ne foede laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus. *Unum manuscriptum pro abeat, legit habeatur, alterum monstrat signum varietatis: Verisimilis est conjectura legendum jaceat.*

CAP. XXVI. v. 10. Et adorato Domino tuo. *Bini libri omittunt copulativam &, hoc loco, ut initio proximi versus addunt,* & epulaberis &c.

CAP. XXVIII. vers. 27. Et partem corporis per quam stercora egeruntur. *Pro quarto casu partem, quaedam ex nostris insignibus manuscriptis habent sextum casum parte; &* parte *supple percutiat te: & percutiat te ea parte corporis, per quam stercora egeruntur, mariscis, scilicet haemorrhoidibus, ficis.*

V. 48 Et omni penuria *Verisimiliter conjiciunt quidam pro ablativo singulari omni legendum esse genitivum pluralem omnium: quo facit quod in insigni manuscripto Claromarisci, sit & omnium rerum penuria, in alio quodam* omnium penuriarum.

JOSUE.

CAP. V. v. 1. Qui propinqua possidebant magni maris loca, *si non est legendus dandi casus magno mari, at est intelligendus.*

CAP. VII. v. 17. Illam quoque per domos offerent. *Multa bona manuscripta, pro domos scribunt viros, consentanee hebraeo.*

CAP. X. v. 17. In spelunca Urbis Macedo. *Multi boni latini libri cum hebraicis omit.*

omittunt vocabulum Urbis : *quam tamen superiore versu 16. interpres expresserat.*

CAP. XV. *vers.* 18 Suasa est a viro suo. *Quidam boni libri scribunt* suasit viro suo ; *alii*, suasit ei vir suus, *aut ejus. Vid. Jud.* 1. *v.* 14.

CAP. XXI. *vers.* 21. Urbes confugii Sichem : *Alias adnotavimus, in pluribus manuscriptis inveniri numerum singularem* Urbs : *pro plurali* Urbes, *similiter quoque infra, vers.* 27. 32. 36. *&* 37. *pro plurali* civitates *legi singulare* Civitatem, *aut* civitas, *quemadmodum supra, v.* 13. *ab omnibus constanter legitur.*

Vers. 37. De Tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho, civitates refugii Bosor in solitudine. Misor, & Jasar; & Jetson, & Mephaath, civitates quatuor cum suburbanis suis. *De vario hujus versus situ, lectione, interpunctione, omissione denique late egimus olim in Notationibus nostris. Romani Patres secuti sunt quod maxime vulgatum est, nisi quod præposuerint textum Ruben tribui Gadis.*

CAP. XXII. *v.* 20. In terram Chanaan. *Quædam manuscripta rectius legere videntur* sexto in terra.

JUDICES.

CAP. VI. *v.* 18. Nec recedas hinc : *Manuscripta nostra rectius scribere videntur.* Ne *absque conjunctione, quam nec includit.*

CAP. XVI. *v.* 27. Spectantes ludentem Samson. *Manuscripta nostra pro participio* spectantes, *legunt præteritum imperfectum* spectabant.

LIBER REGUM I.

CAP. II. *v.* 17. Quia retrahebant homines a sacrificio Domini : *Alii legunt :* quia detrahebant homines sacrificio Domini.

CAP. IV. *v.* 1. Et factum est, in diebus illis convenerunt Philisthiim in pugnam. *Ita si græce hæc verba leguntur : tamen si bene ponderentur quæ scripsimus in Notationibus, videntur non fuisse addita a vulgato Interprete. sed illis omissis deinceps scriptum :* & egressus est namque &c.

CAP. V. *v.* 6. Et ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius. & nati sunt mures ; & facta est confusio mortis magna in civitate. *Non aliud quicquam, & ad hæc verba adnotare, quam non videri addita ab Interprete, ob rationes in Notationibus expositas, sicut nec ad illa, quæ sequuntur vers.* 9. Inieruntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas, *quæ nec in omnibus græcis inveniuntur.*

CAP. VII. *v.* 3. A ferte Deos alienos de medio vestri. Baalim & Astaroth. *Multa bona manuscripta omittunt* Baalim ; *nec tamen delent conjunctionem subsequentem, & consentanee hebræo & græco. Additum fuit* Baalim *ex v.* 4.

V. 12. Et vocavit nomen loci illius Lapis adjutorii. *Quod quædam bona scripta omittunt* nomen loci, *scribuntque solummodo pronomen* ejus, *vel* illius, *hebræo & græco apprime congruit.*

CAP. VIII. *v.* 18. Quia petistis vobis Regem. *Hæc verba omittuntur ab antiquis quibusdam manuscriptis, nominatim uno hujus Ecclesiæ, consentanee hebraicis libris & græcis quibusdam. Nam in aliis Græcis exstant, signanter in Sixtino.*

CAP IX. *v.* 25. Stravitque Saul in solario, & dormivit. *Hæc videtur interpretatio esse græcorum, ejus loco quam dedit latinus Interpres.* Et locutus est cum Saule in solario : *quod docemus in Notationibus nostris.*

CAP. X. *v.* 1. Et liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt ; Et hoc tibi signum quia unxit te Deus in principem. *Hæc confodienda censet Epanorthotes : quamquam enim in græcis plerisque libris legantur, tamen ab antiquis latinis, & hebraicis absunt.*

V. 19. Per tribus vestras, & per familias. *Quidam putant pro* familias *legendum esse* millia, *quod hebraicæ litteræ consonat, sed exemplaria, quæ sic legant ego non vidi.*

CAP. XI. *v.* 1. Factum est quasi post mensem. *Hæc verba Epanorthotes, juxta antiquos, & hebræos codices judicat omittenda, ut ex græcis accepta. Certe absunt antiquis Bibliis Claromariscl, aliisque in margine Bibliorum Lovaniensium adnotatis, quin etiam a græco Bibliorum Regiorum textu.*

CAP. XIII. *v.* 15. Et reliqui populi ascenderunt post Saul obviam populo qui expugnabant eos venientes de Galgalis, in Gabaa, in colle Benjamin. *Præter vetera manuscripta hactenus indicata unum etiam hujus nostræ Ecclesiæ, omittit hæc verba, consentanee hebræo : & quamvis in Græcis quibusdam legantur, non tamen omni ex parte consonant.*

CAP. XIV. *v.* 23. Et erant cum Saul quasi decem millia virorum. *Multa scripta libri omittunt hæc verba, conformiter hebræo : quamquam græce paullo post legantur.*

Vers. 41. Domine Deus Israel da indicium : quid est quod non responderis servo tuo hodie ? Si in me, aut in Jonatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem, aut si hæc iniquitas est in Populo tuo, da sanctitatem. *Sunt latini libri, qui horum loco nihil aliud legant, quam* da indicium, *quod est signum (nec enim legendum est judicium) reliqua omnia omittunt hebræa consentanee, quæ ex græco emanasse, docuimus in Notationibus.*

CAP. XV. *v.* 3. Et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid. *Multa bona exemplaria latina manuscripta confodiunt hæc verba, quamquam similia quædam græcis libris addatur.*

Vers. 12 Venit ergo Samuel ad Saul & Saul offerebat holocaustum Domino, de initiis prædarum, quæ attulerat ex Amalec, & cum venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul. *Manuscripta latina integerrimæ fidei, hoc solum legunt ;* Venit ergo Samuel ad Saul. & dixit ei Saul, *quæ intermedia sunt, in græcis fere libris leguntur.*

CAP. XVII. *vers.* 36. Erit igitur & Philisthæus hic incircumcisus, quasi unus ex eis. Nunc vadam & auferam opprobrium populi. Quoniam quis est iste Philisthæus incircumcisus, qui ausus est. *Sunt plurima, & optima exemplaria latina, quæ hoc solum legunt :* erit igitur & Philisthæus hic incircumcisus, quasi unus ex eis, qui ausus est. *Media non leguntur nisi in libris quibusdam græcis.*

Vers. 49. Et circumducens percussit Philisthæum in fronte. *Participium* circumducens *confoditur a pluribus bonis libris.*

CAP. XIX. *vers.* 22. Et iratus iracundia Saul abiit etiam ipse. *Sunt libri manuscripti, qui hoc solum legunt,* & abiit etiam ipse. *Illud enim* iratus iracundia Saul, *græcæ editionis est.*

CAP. XX. *v.* 15. Auferatur Jonathan de domo sua, & requirat Dominus, de manu inimicorum David. LXX. *Ad hunc fere modum interpretati sunt quod latinus interpres, ut sequens habet versus in codicibus latinis, transtulit :* Pepigit ergo Jonatha fœdus cum domo David, & requisivit Dominus de manu inimicorum David.

CAP. XXI. *v.* 11. Cum vidissent David, *Videtur hoc superfluere : quippe quod abest a bonis libris consonantibus hebræo, græco, &c.*

CAP. XXIII. *v.* 21. Et salvus esset ; *A bonis libris latinis omittuntur hæc verba : nam quod latinus interpres verterat,* quod fugisset David (*seu quod alii* evasisset) *græci verterunt* & salvatus esset.

Vers. 24. In monte solitudinis Ziph. *Quod sequitur* in monte Opaco, *multi libri omittunt. Ceterum græci libri præter Regium addunt, sed varie legunt, alii* in monte Opaco, *alii* in terra Opaca, *alii utrumque.*

CAP. XXV. *v.* 13. Tunc ait David pueris suis. *Videtur potius* viris *legendum, quam* pueris.

CAP. XXIX. *v.* 3. Dixeruntque Principes Philisthiim. *Quod sequitur* ad Achis, *videri posset merito omittendum.*

Ibidem. Et non inveni in eo quidquam. *Non suppleas* mali.

CAP. XXX. *v.* 15. Et juravit ei David. *Hoc omittitur, ut a multis latinis libris, ita & ab hebræis, & quibusdam græcis.*

LIBER REGUM II.

CAP. I. *v.* 18. Et ait : considera Israel pro his, qui mortui sunt, super excelsa tua vulnerati. *Versiculus iste ex græcis libris haustus, omittitur a multis latinis. Sequens vero :* inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt, *ex hebræo proxime versus omittitur a Græcis. Videtur idem unus esse versiculus ex uno Hebraico, aliter a latino Interprete, aliter a Græcis translatus.*

Vers. 26. Sicut mater unicum amat filium, ita ego te diligebam. *Nescio unde irrepserit versiculus iste in editionem latinam, cum neque græce legatur.*

CAP. II. *vers.* 27 Vivit Dominus, si locutus fuisses. *Quidam ex hebræo, & græco conjiciunt legendum esse* nisi *exceptivum, pro* si *conditionali : eo quod respiciatur ad illud quod dictum est supra, vers.* 14. Surgant pueri & ludant.

CAP. IV. *v.* 5. Et ostiaria Domus purgans triticum obdormivit. *An versiculus iste nunquam græcæ editionis non latinæ sit omittendus, disputavimus olim in Notationibus nostris.*

CAP. V. *v.* 23. Si ascendam contra Philisthæos, & trades eos in manus meas ? *Quamquam exstet hic versiculus in quibusdam græcis Codicibus : Vix tamen est dubium quin hic superfluat ab aliquibus sit repetitus ex vers.* 19. *superiore.*

Ibidem. Non ascendas contra eos. *Multi latini libri omittunt* illud contra eos. *Hebræo conformiter.*

CAP. VI. *v.* 6. Et declinaverunt eam. *Correctores non judicarunt hoc omittendum. Legantur Notationes nostræ.*

Vers. 12. Et erant cum David septem Chori, & victima vituli. *Videtur hæc altera esse interpretatio ejus quod sequitur.* Cumque transcendissent qui &c.

CAP. VII. *vers.* 15. Quem amovi a facie mea. *Multi libri loco pronominis primæ personæ* mea *scribunt pronomen secundæ personæ* tua, *Hebræo consentanee.*

CAP. X. *v.* 19. Expaverunt & fugerunt quinquaginta & octo coram Israel. Et. *Hæc omittuntur a multis libris consentanee Hebræo, & Græco.*

CAP. XI. *v.* 21. Quæ percussit Abimelech filium Jerobaal. *Alii libri scribunt* Jeroboseth. *Conformiter Hebræo, alii* Jerobaal *Græco.*

CAP. XIII. *v.* 21. Et noluit contristare Spiritum Amnon filii sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei. *Versiculum hunc, qui in Græcis plerisque legitur, quidam latini libri auferunt consentanee Hebræo.*

V. 27 Fecerat que Absalon convivium, quasi convivium regis. *Multa latina manu-*

nuscripta confodiunt versiculum hunc, sicut Hebræa: quamquam Græca exemplaria præter Regium addant.

CAP. XIV. *vers.* 30. Et venientes servi Joab, scissis vestibus suis dixerunt: Succenderunt servi Abfalom partem agri igni. *Multa Latina manuscripta, & hunc versiculum jugulant, sicut Hebræa; quamquam Græca exemplaria omnia, quæ vidimus, præter Regium addant.*

V. 33. Nuntiavit ei omnia. *Merito omittendum videtur* omnia.

CAP. XV. *v.* 12. Cumque immolaret victimas, facta est conjuratio. *Alii libri jungunt præcedentibus τὸ* cum immolaret victimas: *Deinde novam inchoant periodum,* & facta est conjuratio.

Vers. 18. Et omnes Gethæi pugnatores validi. Non *Latinis tantum, sed & hebraicis ac græcis libris respondet.*

Vers. 20 Et Dominus faciet tecum misericordiam, & veritatem, quia ostendisti gratiam, & fidem. *Duas unius Hebraicæ pericopes versiones hic mixtas esse olim in Notationibus nostris docere conati sumus. Unam græcorum Interpretum* tecum Misericordia & veritas; *Alteram latini* tecum gratia & fides.

CAP. XVI *v.* 15 Et omnis populus ejus. *Alii libri consulto scribunt nomine Israel loco pronominis* ejus.

CAP. XVII. *vers.* 3. Quomodo unus homo reverti solet. *Quid sibi velit* omnis, *quod multi libri legunt loco* unus homo, *in Notationibus nostris docuimus.*

CAP. XXI. *v* 18. De Stirpe Arapha, de genere gigantum. *Videtur duplex versio esse unius pericopes Hebraicæ: nec male omissa posterior, ut alterius interpretis. Antiqua Claromarisci Biblia legunt* de origine Arapha, *omisso isto* de genere gigantum.

CAP. XXII. *v.* 8. Quoniam iratus est eis. *Non est omittendum pronomen* eis

V. 13. Præ fulgore in conspectu ejus. *Non subdas* nubes.

LIBER REGUM III.

CAP. II. *v.* 15. Et me præposuerat omnis Israel sibi in Regem. *Quidam legendum ex aliis manuscriptis putant* proposuerat, *vocali quinta loco diphthongi.*

CAP. III. *v.* 23. Et ita respondit. *Videtur præsens* respondit *præferendum præterito: nam & in Missali Romano legitur præsens Feria 2. post Dominic. IV Quadrages.*

CAP V. *v.* 6. Præcipe igitur ut præcidant mihi servi tui. *Non inconsulto videtur a multi omissus* servi tui.

Ibidem. Quamcumque petieris: scis enim quomodo. *Quidam boni libri habent* præceptis *pro* petieris, *&* quoniam *pro* quomodo.

CAP VI. *v.* 8. In parte erat domus dexteræ. *Ablativum* dextera, *qui ad* parte *referatur, præferunt quidam genitivo* dexteræ, *qui ad* domus.

CAP. VIII. *v.* 15. Et in manibus ejus perfecit. *Quidam libri habent,* & in manu sua perfecit, *vel* manibus suis perfecit, *quod videtur esse congruentius, quia de manibus Dei sermo est, ut constat infra, v* 24.

CAP. XI. *vers* 41. In libro verborum dierum Salomonis. *Multi Codices omittunt vocem* dierum *consentanee Hebræo.*

CAP. XII *v.* 16 Vade in tabernacula tua Israel. *Quamquam supplendum sit* vade, *vel quod alii libri habent* revertere: *majori tamen cum gratia, in quibusdam Codicibus Hebræo consentientibus videtur subaudiri quam exprimi, ita ut sit* ... *tentorum.*

CAP. XIV. *v.* 3. Decem panes & crustulam. *Conjiciunt quidam legendum* crustula, *neutro genere pluralis numeri, nam & Hebræum plurale quidam genus vertunt.* Crusta, *seu* crustula *genere feminino longe aliud significat.*

CAP. XVI *vers* 7 Hoc est Jehu filium Hanani Prophetam. *Hæc pericope potest ab interprete esse addita explicationis causa, quamquam abest a quibusdam libris, similiter Hebræo & Græco.*

CAP. XVIII *v.* 45. Cumque se verteret huc, atque illuc. *Alii libri legunt* verterent *numero plurali.*

CAP. XIX. *v* 18. Septem millia virorum. *Quidam libri pro* virorum, *legunt* universorum, *qua de re Notationes nostra.*

CAP. XX. *v.* 12. Factum est autem cum audisset Benadab verbum istud. *Alii libri cum Hebraicis & Græcis, relinquunt subaudiendum* Benadab.

Vers. 38. Et mutavit aspersione pulveris os & oculos suos. *Quidam libri omittunt* os &, *consentanee Hebræo & Græco*

CAP. XXI. *v.* 1. Post hæc autem verba tempore illo. *Multi latini libri omittunt* tempore illo, *suffragantibus Hebræis & Græcis.*

V. 6. Dabo tibi vineam meliorem pro ea. *Vox* meliorem *ignoratur a multis latinis libris; quibus Hebræa consentiant. Græca ejus loco legunt* aliam.

LIBER REGUM IV.

CAP. IV. *v* 23. Quæ respondit: Vadam. *Alii pro* vadam *legunt* vale, *quod Hebraice est* pax.

Vers 41 Cumque tulissent, misit. *Alii libri hoc solum habent* & misit.

CAP. VI *v.* 32. Et antequam veniret nuntius, ille dixit ad senes. *Hæc legitima videtur esse interpunctio, ut pronomen* ille *conjungatur verbo* dixit.

CAP. IV *v.* 27. Et percusserunt eum in ascensu Gaver. *Antiqui libri tum nostri, tum Epanorthotæ, confirmant illa verba,* & percusserunt eum, *Hebræo adstipulante.*

Vers. 19. Regnavit Ochozias. *Pro his verbis alii scribunt* regnavit Ochozias, *seu* Achasias; *alii* & Regis Ochosiæ, *alii* & Regis Ochosiæ primo: *de quibus varietatibus legi possunt nostræ Notationes. Vetus noster Epanorthotes præfert hanc lectionem:* Anno undecimo Joram filii Achab, & Regis Achasia super Judam venit Jehu in Jezrael, *nullo expresso numero anni Ochosiæ.*

CAP. XVI. *v.* 8. Et cum collegisset. *Quidam libri subdunt* Achaz, *alii subaudiunt.*

CAP. XXIII. *v.* 4. Quæ facta fuerant Baal, & in luco, & universæ militiæ cæli. *Quidam libri auferunt,* in *præposito* luco, *consentanee Hebræo & Græco.*

CAP. XXV. *v.* 17. Et retiaculum & malogranata. *In aliis est* reticulum, *omissa vocali prima, quod latinius est.*

LIBER PARALIPOM. I.

CAP. I. *v.* 32. Filii autem Dadan Assurim, Latussim, & Laomim. *Hic versiculus omittitur a multis Latinis manuscriptis, conformiter Hebræo & Græco Regiorum Bibliorum textui, prout ex Notationibus nostris constat.*

CAP XIV *v.* 8 Audientes autem Philisthiim, eo quod unctus esset David in Regem. *Videtur hic superfluere* eo, *quemadmodum supra, v.* 2.

CAP. XVI. *v.* 1. Et partem assæ carnis bubalæ. *Scribendum videtur* bubulæ, *mutata vocali prima in quintam ut 2. Reg 6. v.* 19.

CAP. XVIII. *v.* 16 Et Achimelech filius Abiathar. *Quidam libri consentanee Hebræo scribunt* Abimelech *mutata littera* Heth *in* Beth. *Vide Notationes nostras, Psal.* 51. *v.* 2.

LIBER PARALIPOM. II.

CAP. XVII. *v.* 13. Et multa opera paravit in Urbibus Juda. *Quidam conjiciunt legendum esse* patravit, *quod est,* confecit.

CAP. XIX. *v.* 11. Et erit Dominus vobiscum in bonis. *Vetera manuscripta, etiam Epanorthotæ legunt* & erit Dominus cum bonis, *Hebræo & Græco consentanee.*

CAP. XXII. *v.* 7. Et cum venisset, & egrederetur. *Clarius quidam libri omittunt posterius* Et.

LIBER ESDRÆ II.

CAP. VII. *v* 69. Huc usque refertur quid &c. *Hæc verba correctorum judicio non sunt omittenda, quippe ab Interprete addita, sed collocanda fortasse non hoc loco, at cap* 8. *v.* 1 *immediate post ea verba,* Filii autem Israel erant in civitatibus suis, *& ante hæc* congregatusque est omnis populus, *qua de re aliàs copiose in Notationibus.*

CAP. X. *v.* 1. Nehemias Athersata filius Hachelai. *Non est interponendum comma inter* Nehemias & Athersatha: *Nehemias enim ipse est Athersata, quod dicitur supra* 8 *v.* 9.

LIBER JUDITH.

CAP. V. *v.* 28. Ut ergo cognoscat Achior quoniam fallit nos. *Alii legunt* quia non fallit nos.

CAP. VII. *v* 6. Quia influebat aquæductum illorum. *Quidam libri præponunt* in *nomini* aquæductum.

CAP. VIII. *v.* 13. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei? *Quidam libri loco genitivi scribunt dativum* Domino. *& loco præpositionis* in *legunt* ad.

V. 21. Ad eloquium vestrum corda eorum erigite. *Loco trium vocum* ad eloquium vestrum, *quidam scribunt duas dumtaxat & ablativo casu:* eloquio vestro corda eorum erigite.

CAP. V. *v.* 7. Et onustati sunt valde. *Verisimile est legendum esse* honestati, *pro eo quod est* ditati: *sic enim legitur Græce* ... *ac solent Interpretes uti voce* honesti *pro* divitis *Sap. c.* 10. *v.* 11. Honestum fecit eum, *ibidem v.* 11. Honestavit illum in laboribus. *Eccles.* 11. *v.* 14. Paupertas, & honestas a Deo sunt, & 13. *v.* 1. Pondus super se tollit, qui honestiori se communicat.

LIBER ESTHER.

CAP. I. *v.* 6. Et Carbasini, & Hiacinthini. *Plura manuscripta, etiam unius Ecclesiæ, cum aliis Epanorthotæ nostri scribunt* Carpassini, *non* Carbasini, *sicut Hebraice est* Carpas. *Ac monet Epanorthotes per p mutuam tenuem scribendum esse, non per b mediam.*

CAP. III. *v.* 15 Et cunctis Judæis qui in urbe erant flentibus. *Cum plura manuscripta omittant* Judæis *consentanee Hebræo & Græco.*

CAP. XII. *v.* 6. Ubi scriptum est in volumine & diripuerunt bona, vel substantias eorum. *Interpres hic respiciens ad locum supra 3. v. 13. Vix dubium quin repererit eadem, quibus eo loco usus fuerat verba,* & diriperent bona, *potius quam mutaret* diriperent *in præteritum* diripuerunt.

CAP. XV *v.* 4 Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui & circumdata est gloria sua. *Sententia se ipsam evertere videtur, nisi pro* ornatus *abjecta n liquida, legatur* oratus *(quod conjiciunt quidam) quod est orationis, qua voce utitur inter alios Hieronymus præfatione in Lib. Dydimi de Spiritu Sancto a se versus. Vestimenta autem orationis, sint vestimenta lugubria, qualia decent orantem, ac supplicem, de quibus dictum fuerat supra* 14. *v.* 2. cumque deposuisset vestes

regias fletibus, & luctui apta indumenta suscepit. Hæc illic suscepisse Esther, hic deposuisse narratur. Nam & Græca hic habent, ut cessavit orans, deposuit vestimenta. τὸ πένθος, luctus, seu (ut quædam exemplaria) τὸ θεραπείας, servitutis, seu cultus, quemadmodum Baruch 4. v. 20. legimus saccum obsecrationis.

LIBER JOB.

CAP. I. v. 22. In omnibus his non peccavit Job labiis suis. A pluribus libris Hebræo consentaneis, omittitur τὸ labiis suis, quippe quod proprium esse videatur loci infra 2. v. 10.

CAP. V. v. 15. Porro salvum faciet egenum. Multi libri Hebræo, & Græco consentanee omittunt egenum, quippe quod idem unum sit cum eo quod sequitur pauperem.

CAP. VII. v. 16. Et in ortu suo germen ejus egredietur. Quidam legunt horto, quemadmodum hebræa pro verbali ortu.

CAP. XV. v. 22. Non credit, quod reverti possit de tenebris ad lucem. To ad lucem abest a multis Latinis manuscriptis consentanee hebræo, & græco, facile est autem subaudire.

CAP. XVI. v. 16. Et operui cinere carnem meam. Quidam pro carnem meam legunt cornu meum, suffragante Hebræo.

CAP. XVII. v. 9. Et mundis manibus addet fortitudinem. Alii legunt nominativum singularem Mundus pro ablativo plurali Mundis.

PSALMI.

PSALM. II. v. 12. Ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa. Cum exarserit in brevi ira ejus, beati &c. Alii sic distinguunt: Ne quando irascatur Dominus & pereatis de via justa, cum exarserit in brevi ira ejus. Beati &c.

PSALM. IV. v. 6. Quis ostendit nobis bona? Alii legunt futurum ostendet, Græco, & Hebræo consentanee.

PSALM. V. v. 9. Dirige in conspectu tuo viam meam. Alia lectio est dirige in conspectu meo viam tuam, transmutatis pronominibus. Disceptatio est, utra præferenda. De quo nostræ Notationes.

V. 13. Ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Complura veterum manuscripta omittunt tuæ pronomen secundæ personæ Hebræo, & Græco consentanee.

PSALM. IX. v. 7. Et civitates eorum destruxisti. Multi latini libri omittunt pronomen eorum, suffragantibus Græcis, & Hebraicis: subaudiunt enim genitivum tantum, ex membro præcedente.

V. 14. Orphano tu eris adjutor. Loco futuri eris, in aliis libris est præteritum eras, consonantibus Hebræo, & Græco.

PSALM. X. v. 8. Justus Dominus, & justitias dilexit. Multa latina exemplaria omittunt conjunctionem & consentanee Hebræo.

PSALM. XI. v. 4. Universa labia dolosa, & linguam magniloquam. Multi latini libri transfodiunt conjunctionem & Hebræo conformiter.

PSAL. XVI. v. 13. Frameam tuam. Alii probati libri legunt frameæ tuæ sexto casu.

PSALM. XVII. v. 49. Et ab insurgentibus in me, exaltabis me. Conjunctio videtur merito posse omitti.

PSALM. XXI. v. 20. Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum a me. Multi libri transfodiunt illud a me, tantummodo scribunt tuum, quod tamen Hebræi mutant in meum.

V. 31. Et annuntiaverunt cæli justitiam ejus. Vox cæli merito supersedere judicari possit, ut hic addita ex alio Ps. Lege Notationes.

PSAL. XXIV. v. 4. Et semitas tuas edoce me. Antiqui fere legunt simplex doce.

PSAL. XXVI. v. 8. Exquisivit te facies mea. Sunt manuscripta, quæ omittunt pronomen te, Hieronymo ad Suniam suffragante.

PS. XXVIII. v. 9. Et revelabit condensa. Sunt antiqui libri, qui pro futuro revelabit, quod græco conformiter est, legunt præteritum revelavit, Hebræo consentaneum.

PSALM. XXX. v. 6. In manus tuas commendo spiritum meum. In aliis libris est futurum commendabo, suffragante Hebræo, & Græco.

Vers. 21. Proteges eos in tabernaculo tuo. Pronomen tuo transfigitur a plerisque latinis, Græce & Hebraice.

V. 24. Quoniam veritatem requiret Dominus. Plurale veritates in aliis legitur, adstipulantibus textibus Græco & Hebræo.

PSALM. XXXII. v. 18. Et in eis qui sperant super misericordia ejus. Optimi libri tollunt tres illas voculas, & in eis, Græco consentanee, & Hebræo.

PSAL. XXXVII. v. 16. Tu exaudies me Domine Deus meus. Boni libri latini auferunt pronomen me sicut Hebræi & Græci.

V. 23. Mi Domine Deus salutis meæ. Idem hic judicium de nomine Deus.

PSAL. XLIII. v. 2. In diebus eorum & in diebus antiquis. Multi libri merito omittunt & conjunctionem mediam.

PSALM. XLIV. v. 6. In corda inimicorum Regis. Alii libri legunt casum sextum numeri singularis in corde, conformiter Græco. Lege Notationes.

Vers. 11. Quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Videtur merito ab aliis omitti nomen Deus; si expenduntur notationes in hunc locum.

Vers. 13. Omnes divites plebis. Boni libri auferunt omnes, Hebræo & Græco consentanee.

Vers. 18. Memores erunt nominis tui. Alii libri scribunt singulare memor ero, Hebræo & Græco consentientibus. Legantur Notationes nostræ. Numerus pluralis putatur acceptus ex officio Ecclesiastico de Apostolis.

PSALM. XLVI. v. 9. Regnabit Deus super gentes. In antiquis manuscriptis pro futuro regnabit, legitur præteritum regnavit, sicut Hebraice & Græce.

Vers. 10. Quoniam Dii fortes terræ. Quod multi conjiciunt pro nominativo plurali Dii scribendum Dei, quod est vel nominativus pluralis, vel (qui ex Græco) genitivus singularis, non caret similitudine veri. Qua de re legi possunt Notationes nostræ.

PSALM. XLVII. v. 6. Quoniam ecce Reges terræ congregati sunt. Optimi quique libri latini, & græci, conformiter hebraicis omittunt illud terræ: quod & Hieronymus a se sublatum fatetur.

PSALM. XLVIII. v. 3. Simul in unum dives, & pauper. Multa vetera manuscripta omittunt simul, quia idem unum est cum eo quod sequitur in unum seu in idipsum.

PSALM. LI. v. 6. Verba præcipitationis, lingua dolosa. In aliis libris est ut græce quarto casu linguam dolosam.

PSALM. LIII. v. 7. Avertet mala inimicis meis. Quod in aliis libris est futurum tertiæ personæ avertet, præferendum videtur si expenduntur notationes.

PSALM. LIV. v. 4. Quoniam declinaverunt in me iniquitates. Alii legunt numero singulari iniquitatem.

Vers. 17. Ego autem ad Deum clamavi, & Dominus salvabit me. In aliis est præteritum salvavit.

PSALM. LVII. v. 7. Molas leonum confringet Dominus. In aliis libris est præteritum confregit, ut græce.

PSALM. LIX. v. 13. Quia vana salus hominis. Loco quia alii legunt & Hebræo, & Græco conformiter: Illud hujus expositio est.

PSALM. LX. v. 10. Ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Pronomen ipsi non esse jungendum cum verbo decipiunt, Græca, & Hebræa ostendunt.

Vers. 12. Quia potestas Dei est. Antiqui Latini libri omittunt est non minus quam Græci & Hebræi.

PSALM. LXII. vers. 12. Laudabuntur omnes qui jurant in eo. Antiqui libri etiam Epanorthotæ, legunt numero singulari laudabitur omnis qui jurat in eo, consentanee Hebræo, & Græco.

PSALM. LXIII. v. 8. Accedet homo ad cor altum. Multi libri, pro ad propositione habent conjunctionem, &, quemadmodum Græca, & Hebræa. Qua de re lege nostras Notationes.

PSALM. LXIV. vers. 9. Exitus matutini & vespere delectabis. Vesperæ scribitur a quibusdam ut nomen genitivi casus, non minus quam matutini; non absque caussa.

PSALM. LXXI. v. 11. Et adorabunt eum omnes Reges terræ. Quidam libri omittunt terræ, consentanee Hebræo, & (quod Sixti Papæ jussu editum est) Græco, Hieronymo quoque superfluum est.

PSALM. LXXV. v. 9. Terra tremuit, & quievit. In aliis libris est timuit pro tremuit.

PSALM. LXXXVI. v. 4. Memor ero Rahab, & Babylonis scientium me. In aliis libris est dativus scientibus conformiter græco.

Vers. 6. Dominus narrabit in scripturis populorum. In antiquis libris extat scriptura, numero singulari Hebræo, & Græco similiter.

Vers. 7. Sicut lætantium omnium habitatio est in te. Abonis omittitur verbum substantivum est, consentanee Græco.

PSALM. LXXXVIII. v. 7. Similis erit Deo in filiis Dei. Meliores libri e nostris pro Deo scribunt Domino, Hebræo & Græco consentanee.

PSALM. LXXXIX. v. 2. Aut formaretur terra, & orbis. Complures libri legunt conjunctivam, & loco disjunctivæ aut cum hebraicis, & græcis.

Vers. 9. Anni nostri sicut aranea meditabuntur. Pro futuro meditabuntur legunt præteritum imperfectum meditabantur, non Græci solum libri, sed etiam multi Latini.

PSALM. XC. v. 11. Quoniam angelis suis mandavit de te. Futurum mandabit præferendum videtur præterito.

PSALM. CI. v. 7. Similis factus sum pellicano. Videtur scribendum pelicano, unica l prout quidam Latini cum Græcis scribunt.

Vers. 16. Et timebunt gentes nomen tuum, Domine. Pro nomen tuum Domine, alii libri legunt nomen Domini. Græco, & Hebræo consentanee.

V. 19. Scribantur hæc in generatione altera. Quidam obscurius scribunt numerum singularem scribatur, hæc pro hoc accepto more hebræo. Quidam clarius legunt accusativos generationem alteram.

Vers. 22. Ut annuntient in Sion nomen Domini, & laudem ejus in Jerusalem. Antiqui libri Epanorthotæ; aliique legunt numero singulari annuntiet; & pronomen reciprocum suam loco ejus.

PSALM. CII. v. 22. Benedicite Domino omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus: benedic anima mea Domino. Sic videtur sidentandus hic Versiculus ita ut terminet Psalmum David per idem illud breve, sed maxima Emphaseos epiphonema. Benedic anima mea Domino a quo cœperat; quod & facit Psalm. sequente CIII.

PSALM. CIII. v. 12. De medio petrarum dabunt voces. Notat Epanorthotes: Hebræus & antiqui & Græcus, & Hieronymus habent vocem in singulari: quod & nos ita esse comperimus.

Vers. 15. Et vinum lætificet cor hominis. In aliis bonis libris est indicativum præsens lætificat.

Vers. 35. Deficiant peccatores a terra. Alii libri scribunt futurum deficient.

PSALM. CIV. v. 18. Ferrum pertransiit animam ejus. Pro quarto casu in optimis libris est primus anima, qua de re lege Notationes.

PSALM. CVII.

PSALM. CVII. v. 2. 3. Cantabo & psallam in gloria mea, exurge gloria mea, exurge Psalterium & Cithara. Correctores addiderunt exurge gloria mea prout græce legitur: licet Hebraice, gloria mea, & exurge nonnisi semel scribantur, quemadmodum & in plerisque latinis libris.

PSAL. CXIII. v. 15. Benedicti vos a Domino. Præpositio a plerisque omittitur.

PSALM. CXVII. v. 20. Justi intrabunt in eam. Loco accusativi non scribas ablativum ea.

Vers. 25. O Domine salvum me fac. Multi docti judicant pronomen me superfluere. Lege Notationes.

Ibidem. O Domine bene prosperare. Multi libri omittunt adverbium bene.

PSALM. CXVIII. v. 9. In quo corrigit adolescentior viam suam. Alii libri scribunt futurum corriget, pro præsenti corrigit.

Vers. 29. Et de lege tua miserere mei. Ab aliis omittitur præpositio de.

Vers. 75. Et in veritate tua humiliasti me. Antiqui Epanorthotæ aliique præter conjunctionem &, omittunt etiam pronomen tua, cum similitudine veri.

V. 118. Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis. In aliis libris, pro judiciis melius esse videtur justitiis. Lege Notationes.

Vers. 126. Tempus faciendi Domine, Hebræus, & antiqui, & Græcus: ait Epanorthotes Domino, non habent Domine, vocandi casu.

V. 147. Præveni in maturitate, & clamavi. Quidam libri habent immaturitate, quidam in immaturitate. Legantur Notationes.

Ibidem. Quia in verba tua supersperavi. Multi libri omittunt quia, Hebræo & Græco consentanee.

PSALM. CXXIV. v. 5. Adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Quidam scribunt, abducet ex Græco ἀπάξει.

PSALM. CXXV. v. 6. Mittentes semina sua. Alii pro mittentes dicunt portantes, quamquam sensu parum diverso.

PSALM. CXXVI. v. 2. Vanum est vobis ante lucem surgere: Surgite postquam sederitis. Multi antiqui libri pro imperativo surgite; repetunt infinitivum surgere. Qua de re Notationes nostræ in Biblia.

V. 5. Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta. Epanorthotes annotat, Item Hebræus, & Hieronymus & antiqui & Græcus, non confundentur cum loquentur. Non est in singulari.

PSALM. CXXXI. v. 7. Introibimus in tabernaculum ejus. Alii libri scribunt plurale Tabernacula, Græco, & Hebræo consentanee.

V. 17. Illuc producam cornu David: Videtur præferendum adverbium, quo significatur motus in loco, illic.

PSAL. CXXXVIII. v. 11. Et nox illuminatio mea in deliciis meis. Antiqua exemplaria manuscripta omittunt pronomen mea, conformiter Græco & Hebræo.

V. 17. Nimis confortatus est principatus eorum. Antiqui Epanorthotæ, aliique libri, scribunt numero plurali confortati sunt, consentanee Græco & Hebræo.

PSAL. CXLV. v. 3. In filiis hominum in quibus non est salus. Posterius in præteritum ab aliis libris latinis, non minus quam a Græcis & Hebræis.

V. 9. Et vias peccatorum disperdet. Lectio singularis numeri viam, non parvæ est auctoritatis.

PROVERBIA.

CAP. V. v. 3. Ne intenderis fallaciæ mulieris. Vetus Epanorthotes: Nec Hebræus, nec antiqui habent, ait: Id quod & nos ita invenimus.

CAP. X. v. 4. Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos: idem autem ipse sequitur aves volantes. Plurimi libri antiqui etiam Epanorthotæ omittunt hunc versum, cum Hebræo, Chaldæo, & Græco.

CAP. XII. v. 11. Qui suavis est in vini demorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam. Hanc sententiam meliores nostri manuscripti latini libri confodiunt suffragante Hebræo, quamquam Græce additur. Legantur nostræ Notationes.

CAP. XIII. v. 13. Animæ dolosæ errant in peccatis: Justi autem misericordes sunt, & miserantur. Plerique omnes Latini Codices manuscripti omittunt hunc versiculum, consentanee Hebræo: nisi quod quidam collocent ipsum versum hujus capitis nonum cum quibusdam Græcis.

Vers. 23. Et aliis congregantur absque judicio. Non pauci libri scribunt nominativum alii loco dativi aliis.

CAP. XIV. v. 7. Vade contra virum stultum, & nescit labia prudentiæ. Quædam manuscripta pro indicativo, nescit, legunt imperativum Nescito, consentanee Hebræo.

V. 15. Filio doloso nihil erit boni: servo autem sapienti prosperi erunt actus & dirigetur via ejus. Hunc versiculum plerique omnes Latini libri omittunt, quemadmodum hebræus, & græcus, & Chaldæus. Sed quia quidam latini libri, cum quibusdam græcis ipsum legunt, proxime post 11. superioris capitis versum, ideirco (arbitror) Romani Patres relinquunt omittere, quamquam nec illis cum Latinis antiquis libris agnoscant, quod notat Epanorthotes noster.

V. 21. Qui credit in Domino, misericordiam diligit. Quædam latina manuscripta prætereunt hanc pericopen; sicut hebræa; sed Patres prætereundam non judicarunt (ni fallor) præsertim cum apud græcos simile quid sequatur post versum proximum: Non sciunt misericordiam, & fidem fabricatores malorum; misericordia autem & fides apud fabricatores bonorum.

CAP. XV. v. 5. In abundanti justitia virtus maxima est: cogitationes autem impiorum evacuabuntur: Vetus Epanorthotes annotat in hæc verba. Quod interponitur sic. In abundanti justitia virtus maxima est: cogitationes autem impiorum eradicabuntur. Nec Hebræus, nec antiqui habent, habent tamen in græco puto de LXX interpretibus.

V. 10. Doctrina mala deserenti viam vitæ. Vox vitæ abest a multis libris conformiter Hebræis, & Græcis. Unde vetus Epanorthotes annotat: Deserenti viam vitæ non est subjungendum quod dicitur vitæ.

V. 27. Per misericordiam & fidem purgantur peccata: per timorem autem Domini declinat omnis a malo. Hic versiculus a Græcis quibusdam libris hic legitur, sed ab omnibus quibusque Latinis Hebræis, & Chaldæis deinceps infra 16. v. 6. quod etiam Epanorthotes annotat.

CAP. XVI. v. 5. Initium viæ bonæ facere justitiam: accepta est autem apud Deum magis; quam immolare hostias. Plurima Latina manuscripta, etiam antiqua Epanorthotæ omittunt hanc sententiam, consentanee Hebræo quamquam Græce legatur.

CAP. XVII. v. 16. Qui altum facit domum suam, quærit ruinam. Hanc sententiam ut complures Latini libri hic omittunt conformiter Hebræo: ita legunt mox infra vers. 19.

Sequitur: Et qui evitat discere, incidet in mala. Et hæc posterior superioris sententiæ pars a plurimis Latinis libris pugulatur, conformiter Hebræo, & Chaldæo. Cæterum tota sententia ex Græcis exemplaribus sumpta est, quod habent nostræ Notationes.

CAP. XVIII. v. 8. Pigrum dejicit timor: animæ autem effeminatorum esurient. Hæc & plures hujusmodi sententiæ quia Græce leguntur, relictæ sunt a Romanis Correctoribus, quamquam ex copia veterum Codicum Latinorum satis constet Interpretem non dedisse, quas in Hebræo non invenit. Simile judicium est de ea, quæ mox sequitur v. 22. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum, qui autem tenet adulteram, stultus est, & impius. Cuius posterior pars citatur a D. Hieronymo enarrante cap. 19. Matthæi ex Græca editione haud dubium.

CAP. XXI. v. 4. Exaltatio oculorum est dilatatio cordis. Multi antiqui libri Latini loco verbi substantivi legunt conjunctionem copulativam & Hebræo consentanee.

Vers. 12. Detrahat impios a malo. Quidam antiqui codices legunt in malum.

CAP. XXII. v. 9. Victoriam, & honorem acquiret qui dat munera: animam autem aufert accipientium. Similis est hæc sententia superioribus: de qua sic annotat vetus Epanorthotes: quod de LXX. ante sic ponitur: Victoriam & honorem acquiret qui dat munera, animam autem aufert accipientium nec Hebræus habet, nec antiqui.

CAP. XXV. v. 10. Gratia, & amicitia liberant, quas tibi serva, ne exprobrabilis fias. Etiam hæc sententia ex Græco adjecta est: nec enim Interpres eam dedit si consulas Latinos libros, sicut nec sequentem mox infra, v. 20. sicut tinea vestimento, & vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi: quamquam hanc non facile omitterdam decerni nostræ Notationes.

CAP. XXVII. v. 21. Cor iniqui inquirit mala; cor autem rectum inquirit scientiam: Nec Hebræus, nec antiqui habent inquit Epanorthotes. Sed LXX.

CAP. XXIX. v. 27. Verbum custodiens filium extra perditionem erit. Nec in antiquis plerisque latinis, nec in hebraicis, aut græcis libris legitur; Invenitur tamen in quibusdam Græcis sub finem cap. XXIV.

ECCLESIASTES.

CAP. VIII. v. 14. Sunt justi in quibus mala proveniunt. Pro mala multis boni libri scribunt multa, quod est plurima.

SAPIENTIA.

CAP. V. v. 19. Accipiet pro galea judicium certum. Alii libri scribunt secum, transpositis litteris, & solet sæpius judicio attribui.

CAP. VIII. v. 11. Et facies Principum mirabuntur me. Hoc quidam credunt omittendum Græco consentanee: id enim idem unum cum eo quod præcedit: & in conspectu potentium admirabilis ero.

CAP. XII. v. 17. Et horum, qui te nesciunt, audaciam traducis. Quidam legunt affirmativum qui sciunt, loco negativi qui te nesciunt, conformiter Græco, Vide Notationes.

V. 19. Quoniam judicans das locum in peccatis pœnitentiæ. Nonnulli libri omittunt judicans cum textu Græco.

V. 26. Qui autem ludibriis, & increpationibus non sunt correcti. Sunt exemplaria, quæ scribant genitivum increpationis loco ablativi increpationibus, suffragante Græco, qui autem ludibriis increpationis.

CAP. XIV. v. 11. Propter hoc & in idolis nationum, non erit respectus. Adverbium non omittitur a recto textu & alio quodam conspirantibus libris Græcis.

Vers. 20. Abducta per speciem operis. Multi libri loco abducta habent adducta, quod est Græce ἐφελκόμενον attracta.

V. 25. Dei immemoratio. Nostra conjectura fuit in Notationibus pro Dei sive Domini, ut alii legunt, scribendum esse Doni, ex Græco χάριτος sicut infra c. XVIII. vers. 3.

V. 26. Inordinatio mœchiæ, & impudicitiæ. Quædam antigrapha hoc solum legunt Mœchia & impudicitia, omittunt id quod præcedit inordinatio, quippe quod idem unum sit cum eo quod antecedit inconstantia. Græce ἀταξία.

CAP. XV. v. 19. Ex natura potest conspicere. Pro conspicere græce est ἐπιποθῆσαι, quod potius est concupiscere, quemadmodum legit liber quidam.

CAP. XVI. v. 1. Propter hæc & per his similia passi sunt digne tormenta. Quidam libri, pro plurali hæc, scribunt singulare, hoc, & omittunt conjunctionem & subsequentem conformiter Græco.

CAP. XVIII. v. 11. Illum qui secum ...

bat. Nonnulli codices *legunt* vexatorem, unus omittit ie; *Græce est* τὸ κολάζοντα. Vexantem, *sicut infra*, v. 25. ὁ ὀλοθρεύων, *qui exterminabat*.

CAP. XIX. v. 9. Tamquam enim qui depaverunt escam. *Quidam boni libri auferant escam. Græco consentanee.*

ECCLESIASTICUS.

CAP. I v. 16. Cum electis feminis graditur. *Feminarum græce nulla est mentio, sed* τῶν ἐκλεκτῶν, Seminum. *Unde conjiciunt quidam cum electis seminis legendum esse, quod sit, cum iis qui ex semine eorum electi sunt. Denique pro* graditur, *quædam insignia manuscripta legunt* creditur, *quod respondet Græce* ἐμπιστευθήσεται, *fidelis erit, credet, se adhærebit illis: qua ratione legitur Psalm.* 77. v. 8. & non est creditus cum Deo spiritus ejus.

CAP. VII. v. 20. Noli prævaricari in amicum pecuniam differentem. *Multi boni libri scribunt casu ablativo* pecunia differenti. *Græce est in quibusdam exemplaribus* ἕνεκεν διαφόρου. *Ob rem differentem: in aliis nominatim Sixtinis,* ἕνεκεν ἀδιαφόρου, *ob rem indifferentem.*

CAP. VIII. v. 10. Ab ipsis sapientiam & doctrinam intellectus. *Multa manuscripta conformiter Græco omittunt* me *dia illa verba* sapientiam &.

CAP. XI. v. 5. Multi Tyranni sederunt in Throno. *Quidam conjiciunt, pro* in Throno *legendum esse* in terra, *eo quod græce sit* ἐπ' ἐδάφους, in pavimento.

V. 15. Sapientia & disciplina, & scientia legis apud Deum dilectio, & viæ bonorum apud ipsum. Error, & tenebræ peccatoribus concreatæ sunt: qui autem exultant in malis, consenescunt in malo. *Hæc omittuntur a plerisque omnibus latinis manuscriptis, eodo miser plerisque libris græcis etiam Sixtinis: quamquam in Græcis Regiæ editionis extent. Vide annotationes.*

V. 20. Et mors appropinquet. *Multi libri hoc omittunt, Græco consentanee.*

V. 32. Sicut enim eructant præcordia fœtentium. *Alii libri scribunt ex prima conjugatione* sic aurium, *quod est* fœtentium.

Ibidem. Et sicut prospector. *Quidam libri habent* prospectator.

CAP. XIII. v. 22. Aut quæ pars diviti ad pauperem. *Sunt libri, qui pro* pars *legunt* pax: *idest* εἰρήνη, *quod est græce.*

CAP. XXIV. v. 11. Et omnium excellentium, & humilium corda, virtute calcavi. *Quod quidam libri habent* sublimium *id quod est magnificorum pro* humilium *quod est abjectorum suam habet verisimilitudinem. Quamquam ex græco judicium non posset ferri, quod versiculum istum illic non legant.*

CAP. XXVI. v. 17. & 18. Et ossa illius impinguabit. Disciplina illius datum Dei est. Mulier sensata &c. *Quidam libri sic distinguunt, conformiter græcis etiam Sixtinis.* Et ossa illius impinguabit disciplina illius. Datum Dei est mulier sensata &c.

CAP. XXXI. v. 10. Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna. *Multi insignes libri pro* qui *relativo, scribunt interrogativum* quis, & *futuro* erit, *præponunt conjunctionem* &, *suffragante græco, sed eadem utriusque lectionis sententia est.*

CAP. XXXVIII. v. 39. Accommodantes animum suum, & conquirentes in lege Altissimi. *Quidam libri pro nominativis pluralibus* accommodantes, & conquirentes *legunt genitivos singulos* accommodantis, & conquirentis. *Qua de re Notationes nostræ.*

CAP. XXXIX. v. 17. In voce dicite. *Manuscriptum Monasterii Lombiensis omittit hoc totum consentanee græco: lege Notationes.*

V. 26. Non est dicere, quid est hoc, aut quid est istud? *Conjiciunt quidam pro conjunctione disjunctiva* aut, *legendum esse præpositionem* ad quid est hoc, ad quid est istud? *Sic enim est græce*, τί τοῦτο, εἰς τί τοῦτο.

CAP. XL. v. 32. In ore imprudentis conculcabitur inopia. *Quidam legunt* impudentis, *quod est inverecundi, nominatim Rabanus & Græca.*

CAP. XLIII. v. 24. Humilem efficiet eum. *Non sine similitudine veri, putant quidam legendum esse* Hilarem, *quod est* latum, *est enim Græce* ἱλαρόν.

CAP. XLIV. v. 3. Nuntiantes in prophetis dignitatem Prophetarum. *Antiqua manuscripta hujus Ecclesiæ nostræ Audomarensis cum quibusdam aliis hoc solum legunt:* nuntiantes dignitatem Prophetarum, *alterum* in prophetis *omittunt. Videtur enim alterum superfluere, quod docuimus olim in Notationibus nostris in varias Bibliorum lectiones.*

CAP. XLV. v. 27. Cæterum in terra gentes non hereditabit. *Non est mutandum plurale* gentes *in singulare* gens. *Sed si substituatur genitivus singularis* gentis, *qui est græce, clarior fit sententia.*

ISAIAS.

CAP. III v. 17 Et Dominus crinem eorum nudabit: *pro* crinem *quidam conjiciunt legendum esse* clunem; *in quem sensum Pagninus vertit* nates. *Nam de crine quod plus erat, jam dixerat:* Decalvabit Dominus &c. *De natibus vero disco opertis commutatio est infra* 22. v. 4.

CAP. VI. v. 3. Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus exercituum. *Vetus noster Correctior annotat juxta antiquos & hebræum non interponi ibi* Deus: *Quod nec Græcus habet, vel in Sixtina editione.*

CAP. VII. v. 14. Et vocabitur nomen ejus Emmanuel. *Si Hieronymi commentarium, & libros antiquos sequi oportet: hic legendum est* vocabis *secunda persona singulari.*

CAP. XVIII. v. 2. Ad gentem expectantem. *Repetenda videtur vox* expectantem *non minus hic, quam infra v.* 7. *qua de re Notationes.*

CAP. XIX. v. 25. Et opus manuum mearum Assyrio. *Quidam libri pro dativo legunt nominativum* Assyrius: *Hebræum ambiguum est* Assur.

CAP. XXVI. v. 1. Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator. *Vetus Epanorthotes noster annotat in hæc verba:* Urbs fortitudinis nostræ Salvator. *Hebræus & antiqui non interponunt* Sion, *sed nec Græcus, inter alios.*

CAP. XXXVIII. v. 16. Domine, si sic vivitur. *Multi codices omittunt conjunctionem conditionalem* si, *non absque verisimilitudine, quod docent Notationes nostræ.*

CAP. XL. v. 9. Tu, qui evangelizas Sion, qui evangelizas Jerusalem. *In aliis libris scribitur utroque loco femininum* quæ, *consentanee Hebræo. Nunc masculinum qui Græca probent. Vide Notationes.*

CAP. XLI. v. 10. Et suscepit te dextera justi mei. *Pro tertia persona* suscepit *est qui scribat primam* suscepi: *Quod si verum est (ut est hebræo & græco consentanee) id quod sequitur* dextera, *accipiendum est efferentis casu, prout etiam hebraice præponitur præpositio, & græce legitur casu dandi.*

V. 19. Ponam in solitudinem Cedrum. *Plures antiqui libri legunt ablativum* solitudine, *sicut mox sequitur* ponam in deserto abietem.

CAP. XLIV. v. 23. Laudate cæli quoniam misericordiam fecit Dominus. *Multi antiqui libri hebræo similiter, omittunt* Misericordiam *quod tamen supplent Græcus & Chaldæus.*

CAP. XLIX. v. 10. Et ad fontes aquarum potabit. *Plura vetera manuscripta, et iam Missale Romanum Sabb. post Dom.* 4. *Quadragesimæ, loco* potabit, *quod est*, potum dabit, *scribunt* portabit, *quod est*, feret, ducet *non sine similitudine veri, quod docent Notationes nostræ.*

V. 20. Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ. *Vix dubito quin sit hic error Typographicus in editione Romana, quod dativus* filiis *positus sit loco Nominativi* filii.

CAP. LII. v. 7. Dicentis Sion, regnabit Deus tuus. *Alii libri scribunt pro futuro præteritum* regnavit, *consentanee Hebræo quamquam futurum sit græce.*

CAP. LX. v. 1. Surge, illuminare Jerusalem, quia venit. *Vetus Correctior annotat, Hebræus & Antiqui & Hieronymus non interponunt* Jerusalem: *sed suppletur a Græcis & Chaldæo.*

JEREMIAS.

CAP. V. v. 13. Prophetæ fuerunt in ventum locuti. *Quædam manuscripta omittunt participium* locuti, *consentanee Hebræo & Græco.*

CAP. XXII. v. 10. Neque lugeatis super eum fletu: plangite. *Videtur potius ita interpungendum ut vox* fletu *conjungatur cum* plangite.

CAP. XXXIII. v. 16. Et hoc est nomen quod vocabunt eum. *Non pauca manuscripta legunt* & hoc est quod vocabit eam, *omissa voce* nomen, *dato verbo singularis* vocabit, & *pro nomine feminino* eam, *similiter hebræo. Lege Notationes si placet.*

EZECHIEL.

CAP. I. v. 10. Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. *Multi libri Latini omittunt* τὸ desuper *conformiter Hebræis & Græcis: de quo vetus noster Correctior annotat.* Item B. & Facies aquilæ ipsorum quatuor, nec Hebræa, nec antiqui habent desuper, faciei enim hominis hic respondet aquilæ, situs dexteræ Leonis, respondet sinistra bovis: Unde cum nihil de situ humanæ determinatur, nec de aquilinæ faciei situ. Quod si propter ordinis numerum anterior intelligitur humana, posterior, non superior intelligitur aquila; tamen propter significationem Theologiæ Joannis congrui ministerio (*Ecclesiastico*) quia superior accipitur, non tamen virtute literæ. *Hæc ille satis ample præter morem; Loci sensus omnium consensu est: unicuique quatuor animalium fuisse in capite quatuor facies, a dextris faciem hominis, & faciem Leonis; a sinistris faciem bovis, & faciem aquilæ. Quod si ergo in nostra versione, omisso desuper legatur,* & facies aquilæ ipsorum quatuor, *intelligendum est, repetito a communi sensu ex pericope præcedenti,* a sinistris.

CAP. XXI. v. 28. Mucro mucro evagina te ad occidendum, lima te, ut interficias & fulgeas. *Quædam manuscripta sic scribunt ut unica sit dictio* evaginate, & *altera una* limate. *Unde Epanorthotes, quo, inquit, sunt participia passiva.*

CAP. XLIV. v. 20. Sed tondendo attondent capita sua. *Latine dicatur* attondebunt *prout etiam reperitur duobus manuscriptis Lobiensi & Clarimarisci.*

V. 28. Non erit eis hæreditas. *Alii libri omittunt præpositam negationem Hebræo consentanee, de quo Epanorthotes:* Item G. Hebræus, & antiqui: erit autem eis hæreditas, & determinat quæ subjungens. Ego hæreditas eorum.

CAP. XLVI. v. 7. De agnis autem. *Manuscripta nostra unanimiter tollunt præpositionem* de *adstipulante veteri Epanorthote nostro, sicut infra, v.* 11. *loco simili, a Patribus omissa est.*

DANIEL.

CAP. IV. v. 28. Regnum tuum transibit a te. *Pro futuro* transibit, *complura insignia manuscripta legunt præteritum* transiit, *quod respondet Chaldæo prototypo & Græco.*

CAP. IX. v. 24. Et impleatur visio, & prophetia. *Alii libri, pro* prophetia, *habent* prophetes *seu* propheta, *sicut est hebraice & græce, sed idem utriusque est sensus.*

O S E E.

CAP. I. v. 2. Et fac tibi filios fornicationum. *Illud* fac tibi *omittitur a multis libris etiam antiqui Epanorthotes, conformiter Hebræo & Græco; quin etiam Hieronymi commentario, scribentis* ἀπὸ κοινοῦ *Subaudiendum esse sume, ex pericope præcedente; Sumi autem filios posse dupliciter vel generando vel adoptando.*

CAP. VII. v. 2. Et fur ingressus est spolians, latrunculus foris. *Recta interpretatio esse videtur*, & fur ingressus est, spolians latrunculus foris.

A M O S.

CAP. III. v. 14. Cum visitare cœpero prævaricationes Israel super eum, visitabo & altaria Bethel. *Genuina distinctio esse videtur, qua* τὸ super eum *jungitur præcedentibus.*

H A B A C U C.

CAP. III. v. 19. Deducet me victor in psalmis canentem. *Pro nominativo* victor, *Hebraice legitur vox illa prorsus eadem, quæ a D. Hieron. (qui est proprius interpres Prophetarum, ut in vulgata a nobis Latine leguntur) vertitur Psalmos ex Hebræo in titulis frequenter occurrens semper vertitur* victori *a LXX.* in finem. *Quare conjectura est valde probabilis doctorum quorumdam Italiatorum, hic quoque scribendum esse dativo casu* victori.

A G G Æ U S.

CAP. II. v. 1. In die vigesima & quarta Mensis, in secundo mense in anno secundo Darii Regis: *Hæc verba plerique libri faciunt initium capit. 2. Sed antiqua manuscripta, quæ vidimus nos, aliaque quæ non habent eam capitum distinctionem, quam nos, sic scribunt ut liceat ea jacere, vel finem prioris, vel principium 2. capitis. Immo indicant esse potius finem periodi, quam principium, quando verba sequentia in septimo mense incipiunt a littera Capitali. Revera enim pertinent ad finem capitis præcedentis. Simile occurrit v. 27. ait Vir doctissimus Franciscus Ribera, quod verum est.*

Z A C H A R I A S.

CAp. IV. vers. 2. Et septem infusoria lucernis. *Multa manuscripta repetunt numerum septem:* & septem & septem infusoria; *consentanee Hebræo.*

CAP XIII. v. 8 Partes duæ in eo dispergentur & deficient. *Videtur legendum esse* disperdentur, *quod est* succidentur, peribunt, *non* dispergentur, *quod est* dissipabantur. *Non enim est hic ea vox quæ supra v. 7.* Et dispergentur oves.

CAP. XIV. v. 5. Et fugietis ad vallem montium eorum. *Conjiciunt probabiliter quidam pro pronomine tertiæ personæ* eorum *scribendum esse primæ* meorum, *ut est Hebraice & Græce.*

MACHABÆOR. LIBER I.

CAP. VII. v. 9. Et misit eum ut videret exterminium quod fecit Judas: sed & Alcimum. *Alii omittunt hæc verba* ut videret exterminium quod fecit Judas: *Sed: Græco consentanee, quæ ab omnibus leguntur supra, v. 7. Vide & facile hic subaudiuntur.*

Vers. 19. Et comprehendit multos ex eis qui a se effugerant. *Ita est in quibusdam veteribus manuscriptis: in aliis legitur contrarium,* qui ad se refugerant.

CAP. XIII. v. 54. Quod fortis prælii vir esset. *Latinorum librorum quos vidi, quidam illud solum legunt,* quod vir esset, *consentanee græco; Quidam addunt* quod vis fortis esset; *Quidam* quod vir prælii esset. *Hæc omnia copulantur.*

CAP. XV. v. 23. Et Lampsaco & Spartiatis. *Pro* Lampsaco *alii latini libri Græco conformiter habent* Samsame.

MACHABÆOR. LIBER II.

CAP. I. v. 34. 35. Ut probaret quod factum erat, & cum probasset. *Hæc verba a multis bonis manuscriptis omittuntur, Græce consentanee docent Notationes nostræ.*

CAP. II. v. 23. Et leges quæ abolitæ erant, restituerentur. *Prætentam* abolitæ, *alii libri mutant in futurum* abolendæ, *consentanee Græco*

CAP. IV. v. 19 Viros peccatores. *Pro* peccatores, *quidam conjiciunt legendum esse* spectatores, *quidam* precatores, *quidam denique* vectores *sacrorum procuratores. In antiquis Bibliis manuscriptis uno Brugensi, altero Audomarensi, discrete legitur,* speculatores. *Græca vox* θεωρούς *deducta est a* θεωρεῖν *quæ proprie speculari, contemplari, spectare significat.*

V. 21. Propter primates Ptolemæi Philometoris regis. *Quædam insignia manuscripta pro* primates, *tertiæ declinationis legunt* primatus *quartæ declinationis, ut est Græce* τὰ πρωτοκλίσια, *vel* πρωτοκλήσια.

CAP. XII v. 43. Offerri pro peccatis mortuorum sacrificium. *Alii libri solummodo legunt* pro peccatis, *non addunt* mortuorum, *sed subaudiunt.*

CAP. XIV. v. 15. Qui populum suum constituit, ut in æternum custodiret. *Plerique libri omittunt* ut, *sed melius vetera manuscripta quæ omittunt non tantum conjunctionem* ut, *sed etiam verbum* custodiret, *consentanee græco.*

QUATUOR EVANGELIA.

EX quatuor Evangelistis nihil est hic conferendum, quod non sit annotatum in libello ad varias lectiones in latina quatuor Evangeliorum editione occurrentes, quem inscripsimus Illustr. Bellarmino Cardinali. Certum ut quæ ejusdem sunt generis, simul omnia hic collecta mox oculis appareant, Statuimus illa, in compendium redacta, hic repetere.

M A T T H Æ U S.

CAP. III. v. 10. Excidetur, & in ignem mittetur. *Quædam Hentenii exemplaria legunt præsenti tempore;* exciditur, & in ignem mittitur, *conformiter Græco & Syro.*

CAP. IV. v. 6. Quia angelis suis mandavit de te. *Complura manuscripta pro præterito* mandavit, *scribunt futurum* mandabit, *adstipulantibus codicibus Græcis ac Syriacis, nec non Hebræo & LXX.*

Vers. 16. In regione umbræ mortis. *Quidam insignes libri interponunt conjunctionem* in regione & umbra mortis, *Græco Syroque conformiter*

CAP. V. v. 24. Et vade prius reconciliari fratri tuo. *Pro modo infinito* reconciliari, *in aliis bonis libris est imperativus* reconciliare, *consentanee Græco & Syro.*

Ibidem Offeres munus tuum. *Similiter hic pro indicativo* offeres, *quidam codices legunt imperativum* offer, *juxta Græca, & Syra.*

CAP. VI. v. 22. Lucerna corporis tui est oculus tuus. *Quidam omissis pronominibus, legunt* lucerna corporis est oculus, *suffragante Græco, & Syro.*

Vers. 33 Quærite ergo. *Antiqui codices pro* ergo *scribunt* autem, *quod est Græce & Syriace.*

CAP. VIII. v. 9. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus. *Multi antiqui libri, consentanee Græco ac Syro, omittunt vocem* constitutus, *quæ & ex Luc. 7 v 8. huc adscripta creditur.*

CAP. X. v. 12. Dicentes, Pax huic domui. *Hæc verba a multis confodiuntur tamquam eadem cum iis quæ præcedunt,* salutate eam.

CAP. XV. v. 5 Quodcumque est ex me. *Videtur auferendum verbum substantivum* est.

Vers. 14. Cæci sunt & duces cæcorum. *Media conjunctio* & *tollitur a multis manuscriptis, consentanee Græco & Syro.*

V. 38. Quatuor millia hominum. *Bergense manuscriptum pro* hominum *legit* virorum, *quemadmodum est, & Græce & Syriace.*

CAP. XVI. v. 10. Quinque panum in quinque millia. *Quædam manuscripta loco præpositionis* in, *scribunt conjunctionem* &.

CAP. XVII v 2. Facta sunt alba sicut nix. *Non dissimilis vero fit conjectura latine non minus quam Græce & Syriace scriptum fuisse* lux, *quod est* ὡς τὸ φῶς *Græce loco ejus quod nunc legitur* nix, *quod est* χιών.

CAP. XX. v. 1. Simile est regnum. *Quidam libri interjiciunt conjunctionem* enim *Græco Syroque conformiter.*

CAP. XXI v. 21. Tolle, & jacta te in mare. *Verisimile est scribendum esse* tollere, & jactare in mare.

Vers. 26. Omnes enim habebant. *Alii libri cum græcis legunt præsens* habent.

V 31. Præcedent vos in regnum Dei. *Pro futuro* præcedent: *in aliis libris est præsens* præcedunt, *consentanee Græco & Syro.*

CAP. XXII v. 24. Intus autem pleni estis rapina. *Valde fit verisimile, pro secunda persona* estis *legendum esse, ut habent alii libri, tertiam* sunt, *suffragantibus Græcis & Syris.*

Vers. 25. Ut fiat id quod de foris est mundum. *Alii libri interponunt conjunctionem* &, *consentanee Græco & Syro.*

Vers. 36. Et noluisti. *Quædam manuscripta conformiter Græco & Syro legunt numero plurali* noluistis.

CAP. XXIV. v. 64 Sedentem a dextris virtutis Dei. *Multi boni libri consentanee Græco & Syro, omittunt vocem* Dei, *ut ex aliis locis huc adscriptam.*

CAP. XXVII. v. 8. Propter hoc vocatus est ager ille Haceldama, hoc est ager sanguinis. *Existimant quidam, has tres voculas* Haceldama, hoc est, *hic superfluere, ut ex Actor. v 19. huc additas.*

Vers. 9. Quod dictum est per Jeremiam Prophetam. *Sunt qui hic omittendum doceant nomen* Jeremiam, *nec tamen substituendum* Zachariam

V 35. Sortem mittentes. *Quod sequitur* ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem; diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem, *videtur non esse hujus loci.*

Vers. 40. Qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas. *Alii præferunt personam tertiam*, destruit, reædificat.

CAP XXVIII. v. 15. Sicut erant edocti. *Videtur præferendum simplex* docti.

Vers. 20. Usque ad consummationem sæculi. *Quædam insignia manuscripta addunt* Amen, *quemadmodum additur Græce & Syriace.*

M A R C U S.

CAP II. vers. 15. Qui & sequebantur eum. *Plerique libri addunt* &, *quidam demunt:* Qui *Græce & Syriace non legitur. Credimus interpretem mutasse* & *cum* qui.

Vers. 23. Et discipuli ejus cœperunt. *Quædam manuscripta, quemadmodum & Syrus omittunt* & *sensu clariore.*

CAP. III. vers 14. Et fecit ut essent duodecim cum illo. *Videtur legendum hoc verborum ordine:* & fecit duodecim ut essent cum illo

Vers. 26. Et non poterit stare. *Quidam boni libri Græco, ac Syro similiter habent præsens* potest, *pro futuro* poterit.

Vers 27. Ingressus in domum. *Quidam libri addunt* ejus, *quod quidem Græco consonat, nec dissonat a Syro.*

Vers 29. Non habet remissionem in æternum, sed reus erit. *Quædam exemplaria conformiter Græco scribunt præteri tempus* habet *pro futuro* habebit. *Unde colligunt proxime legendum similiter cum Græcis præsenti tempore,* sed reus est, *quem admodum scriptum invenitur in codice Leodiensi.*

CAP. IV. v. 4. Et venerunt volucres

Cœli,

Cœli. *Antiqua manuscripta omittunt Cœli, quemadmodum etiam Syrus, & quidam græci libri.*

Vers. 29. Et cum produxerit fructus. *Plerique omnes libri addunt pronomen se ante fructus.*

CAP. VI. v. 4. Nisi in Patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua. *Antiqui libri legunt hoc ordine*, nisi in Patria sua & in cognatione sua, & in domo sua, *consentanee Græco, & Syro*

V. 14. Et dicebat: quia Joannes. *DD. Augustin. Bed. & Thom. legunt numero plurali*, dicebant.

V. 27. Sed misso spiculatore. *Quidam libri scribunt* speculatore, *prima syllaba imbuta vocali secunda non tertia.*

CAP. VII. v. 19. Sed in ventrem vadit. *Videtur* vadit *huc adscriptum esse ex Matthæo.*

V. 26. Erat enim mulier. *Pro* enim *optima manuscripta legunt* autem *Græco, & Syro consentientibus.*

CAP. X. v. 40. Non est meum dare vobis. *Quidam libri omittunt pronomen* vobis *conformiter Græco, & Syro.*

CAP. XI. v. 32. Timemus populum. *Multi boni libri scribunt* timebant *tertiam personam præteriti imperfecti similiter græco.*

CAP. XII. v. 29. Dominus Deus tuus. *Alii libri certius scribunt pronomen primæ personæ* noster.

Ibidem. Deus unus est. *& hic certius videtur vox* Dominus *quam vox* Deus.

CAP. XIII. v. 8. Gens contra gentem, & regnum super regnum. *Pro* contra *legendum esse* super *priori hujus sententiæ membro ut posteriori, intelligere videmur ex antiquis nostris manuscriptis.*

CAP. XIV. v. 45. Ave Rabbi. *Multi boni libri omittunt* Ave *ut Matthæo proprium.*

Vers. 54. Et sedebat cum ministris ad ignem, & calefaciebat se. *Alius est ordo verborum in aliis libris latinis, ut etiam in Græcis, & Syriacis*, & sedebat cum ministris & calefaciebat se ad ignem.

V. 61. Et dixit ei: *Pro præterito* dixit *legitur ab optimis manuscriptis, Græco consonantibus, præsens* dicit.

Ibidem. Tu es Christus filius Dei benedicti. *Vox* Dei *non immerito omittatur.*

V. 62. A dextris virtutis Dei. *Simile hic judicium occurrit.*

CAP. XV. v. 7. Qui cum seditiosis erat vinctus. *Quoddam Ecclesiæ Audomarensis manuscriptum, legit* cum seditiosis vinctus, *omisso* qui, *&* erat.

V. 16. Duxerunt eum in atrium. *Antiqui libri addunt adverbium* intro *consentanee Græco, & Syro* Duxerunt eum intro.

V. 31. Summi Sacerdotes illudentes: *Multi antiqui libri legunt simplex* ludentes *pro composito* illudentes.

V. 36. Dicens, Sinite. Videamus. *Sunt quidam libri tam Græci, quam Latini, qui aliter nominativum, qui singulare sine scribant. Reliqua lege in Notationibus*

V. 41. Et cum esset in Galilæa. *Latinus textus Regiorum Bibliorum præponit relativum* quæ (quæ & cum esset) *consentanee Græcæ editioni.*

CAP. XVI. v. 19. Et sedet a dextris Dei. *Optima manuscripta nostra fere legunt præteritum* sedit, *conformiter Græco, & Syro pro præsenti* sedet.

LUCAS.

CAP. I. v. 29. Quæ cum audisset. *In aliis bonis libris pro* audisset, *quod ad aures, est* vidisset, *quod ad oculos spectat Græco, & Syro consentanee.*

V. 45. Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino. *Multi insignes libri scribunt personam tertiam* credidit ei.

CAP. II. v. 13. Mirati sunt. & de his. *Non inmerito forte omittatur media conjunctio.*

V. 38. Qui expectabat redemptionem Israel. *Non pauca manuscripta* Jerusalem *scribunt pro* Israel.

CAP. III. v. 9. Excidetur, & in ignem mittetur. *Contendunt quidam legenda præsentia.* Exciditur, & in ignem mittitur. *Simile & Matth.* 3. *v.* 10.

V. 16. Veniet autem fortior me. *Quidam libri legunt tempus præsens* venit *pro futuro* veniet.

CAP. IV. v. 5. In montem excelsum. *Hæc verba omittuntur a quibusdam veteribus codicibus, tamquam ex Matthæo huc transumpta.*

V. 10. Mandavit de te. *Alii scribunt futurum* mandabit, *adstipulantibus Græco, & Syro.*

V. 18. Sanare contritos corde. *Hæc clausula prætermittitur a multis tum libris tum auctoribus tamquam eadem cum hac* Dimittere confractos in remissionem, *ut ex eodem uno hebræo versu.*

CAP. V. v. 25. Tulit lectum, in quo jacebat. *Antiqui nostri libri tollunt vocem* lectum *conformiter græcis.*

CAP. VI. v. 17. Et maritima, & Tyri. *Quidam libri conjunctionem* &, *interpositionem ante vocem* Tyri, *omittunt, consentanee Græco, & Syro.*

CAP. VII. v. 22. Quæ audistis, & vidistis. *Ordo verborum in vetustis codicibus, conformis Græcis, & Syris, est* quæ vidistis & audistis.

Vers. 24. Arundinem vento agitatam? *Pleraque manuscripta legunt* moveri *relicto participio* agitatam *Matthæo.*

V. 31. Ait autem Dominus: Cui ergo. *Multi boni libri latini, & græci, confodiunt illud* ait autem Dominus, *suffragantibus Syriacis.*

CAP. VIII. v. 1. Per Civitates, & Castella. *Alii numero singulari* per civitatem, & Castellum, *græco consentante.*

V. 26. Et navigaverunt ad. *Manuscripti codices optimi legunt* enavigaverunt autem ad. *Græco, & Syro adstipulante.*

V. 43. Mulier quædam erat. *Verisimile est, interpretem scripsisse, ita ut Græce est* mulier quæ erat.

V. 49. Venit quidam ad Principem Synagogæ. *Unum ex manuscriptis Ecclesiæ nostræ legit* a Principe, *casu sexto consentanee Græco, & Syro. Simile Marc.* 5. *v.* 35.

V. 52. Non est mortua puella, sed dormit. *Quædam vetera manuscripta, cum Græcis, & Syriacis libris, tollunt vocem* puella *tamquam propriam Matth & Marc.*

CAP. IX. v. 4. Et inde ne exeatis. *Unus codex omittit negationem, conformiter Græco, & Syro:* & inde exeatis.

V. 37. Occurrit illis turba multa. *Alii libri boni legunt singulare* illi *consentante græco.*

CAP. X. v. 6. Requiescet super illum. *Antiqua nostra manuscripta, pro masculino* illum *legunt femininum* illam, *adstipulante Beza.*

CAP. XI. v. 3. Da nobis hodie. *Alii codices scribunt* quotidie. *Hoc verisimiliter Lucæ, illud Matthæi indubitato est.*

V. 17. Desolabitur, & domus supra domum cadet. *Plures boni libri legunt præsentis tempore* desolatur, cadit, *Græco consentanee. Quin & verisimile sit, prout supra interpretem dedisse* super.

V. 20. Profecto pervenit in vos. *In duobus manuscriptis est* prævenit, *utrumque admittente voce græca* ἔφθασεν.

V. 22 Auferet (&c.) & spolia ejus distribuet. *Multi boni libri habent* aufert, *distribuit præsenti tempore, Græco Syroque conformiter, pro futuris* auferet, distribuet.

V. 25. Scopis mundatam, & ornatam. *Insignia quædam manuscripta cum V. Beda omittunt duo hæc verba* & ornatam *tamquam Matthæo propria.*

CAP. XII. v. 31. Verumtamen quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia. *Videri possunt adjectitia esse* primum, *&* justitiam ejus *ex Matthæo huc adscripta.*

V. 35. Et lucernæ ardentes in manibus vestris. *An addendum sit* τὶ *in manibus vestris; an omittendum, variæ sunt opiniones.*

V. 53. Dividentur pater in filium &c. *Quidam conjiciunt legendum esse numero singulari* dividetur, *quomodo est Græce, & Syriace.*

CAP. XIII. v. 33. Et sequenti die ambulare. *Manuscripta antiqua tum nostra tum Epanorthotæ omittunt* die, *V. Beda suffragante.*

V. 35. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. *Vox* deserta *omittitur ab insignibus manuscriptis, tamquam ex Matthæo huc adscripta.*

CAP. XV. v. 17. Quanti mercenarii in domo patris mei. *Antiquorum codicum alii omittunt* in domo, *alii addunt:* illis *volunt Græca, hic Syra.*

CAP. XVI. v. 21. Et nemo illi dabat. *Hæc verba a quibusdam antiquis libris leguntur, a pluribus, quibus præter Græca, & Syra Beda suffragatur, ignorantur. Videntur huc translata ex cap. 15. vers.* 16.

V. 23 Elevans autem oculos. *Quædam manuscripta omittunt conjunctionem* autem.

CAP. XVII. v. 7. Dicat illi: statim transit. *Quidam libri ita distinguunt, ut* statim *adjungatur iis quæ præcedunt.* Dicat illi statim: Transi.

V. 35 Duo in agro, unus assumetur, & alter relinquetur. *Quidam Latini, quidam Græci codices hinc auferunt hunc versiculum. Verisimile est, Lucæ ex Matthæo fuisse adscriptum, quemadmodum Matthæo ex Luca similem versiculum de duobus in lecto.*

CAP. XIX. v. 26. Quia omni habenti dabitur, & abundabit. *Complura exemplaria antiqua omittunt* τὸ & abundabit, *tamquam Matthæo proprium, Syriacis, & plerisque omnibus Græcis consonantibus.*

CAP. XX. v. 5. Cogitabant intra se. Inter *non* intra *invenio in melioribus libris nostris, quod & melius esse videtur.*

CAP. XXII. v. 26. Fiat sicut minor. *Complura insignia manuscripta pro* minor *scribunt* junior. *Quomodo ad verbum vertas ex græca voce* νεώτερος.

JOANNES.

CAP. I. v. 31. Sed ut manifestetur in Israel. *Antiqui Codices fere omittunt præpositionem* in *conformiter textui Græco.*

CAP. III. v. 3. Nisi quis renatus fuerit denuo. *Antiqui libri nostri pro composito* renatus *scribunt hoc loco verbum simplex* natus *consentanee Græco, simile infra v.* 4.

V. 5. Ex aqua, & Spiritu Sancto. *Antiqui codices fere omittunt* Sancto *consentientibus cattionibus Græca, & Syriaca, necnon D. Augustino in hunc locum, & Ambrosio lib.* 3 *de Spiritu sancto, cap.* 11.

V. 18. Quia non credit in nomine. *Pro præsenti* credit *vetusta manuscripta habent præteritum* credidit *conformiter Græco, & Syro.*

CAP. V. v. 28. Audient vocem Filii Dei. *Antiqui libri cum nostri, tum Epanorthotæ consentanee Græcis, ac Syriacis pro* Filii Dei *scribunt pronomen* ejus.

CAP. VI. v. 41. Ego sum panis vivus *Vox* vivus *omittitur a plerisque omnibus manuscriptis conformiter Græco, ac Syro; Utcumque non hujus esse loci, sed infra v.* 51.

V. 61. Et quis potest eum audire. *Insignia exemplaria latina auferunt conjunctionem* &, *suffragantibus Græcis, & Syris.*

CAP. VII. v. 52. Scrutare Scripturas. *Multi boni libri omittunt* Scripturas, *consentientibus Græcis & Syris.*

CAP. VIII v. 12. Non ambulat in tenebris. *Quidam boni libri pro præsenti* ambulat, *scribunt futurum* ambulabit, *suffragantibus D. Augustino & cattionibus Græca, & Syra.*

V. 45.

V. 45. Ego autem si veritatem dico, non. *Pro si in antiquis tum nostris tum Epanorthotæ pluribusque aliis legitur quia conformiter Græco, ac Syro.*

Vers. 56 Vidit, & gavisus est. *Manuscripta nostra antiqua & non pauci alii latini libri præponunt & conjunctionem etiam ipsi vocabulo vidit, quemadmodum Græca, & Syra.*

CAP. IX. *v.* 11. Et abii, lavi, & video. *Alii codices præponunt conjunctionem etiam verbo lavi (& lavi) nec non præsens video mutant cum præterito vidi, quod legitur Græce.*

CAP. XI. *vers.* 27. Filius Dei vivi. *Multi antiqui codices omittunt vivi consentanee Græco, ac Syro tamquam aliunde acceptum.*

V. 37. Oculos cæci nati. *Antiqua manuscripta omittunt nati, quod neque Græce, aut Syriace additur.*

Ibidem. Ut hic non moreretur. *Manuscripta nostra interponunt & conjunctionem conformiter Græco, ac Syro.*

V. 45. Ad Mariam, & Martham, *Manuscripta vetera cum D. Augustino omittunt, & Martham, conspirantibus Græcis, & Syris codicibus.*

V. 49. Caiphas nomine. *Complures libri auferunt nomine, conformiter Græco quod alii addunt consonanter Syro.*

V. 50 Quia expedit vobis. *Multi boni libri habent pronomen primæ personæ nobis ut etiam Græca, ac Syra.*

V. 52. Sed ut filios Dei. *Quidam libri latini, cum Græcis, ac Syris interjiciunt conjunctionem.* Sed ut & filios Dei.

CAP. XII *v.* 7. Sinite illam. *Antiqua manuscripta legunt non plurale Sinite, sed singulare sine, conformiter Græco, ac Syro.*

V. 40. Ut non intelligant corde. *Manuscripta nostra non legunt, sed e proximo subaudiendum relinquunt non, conspirantibus D. Augustini Tractatu, & libris Græcis, cum Syris.*

CAP. XIII. *v.* 18. Levabit contra me. *Quædam exemplaria pro futuro levabit habent præteritum levavit, conformiter Græco, ac Syro.*

Vers. 27. Introivit in eum. *Complura manuscripta præponunt adverbium tunc, suffragantibus Græco, ac Syro.*

CAP. XIV. *v.* 7. Et amodo cognoscetis eum. *Duo manuscripta pro futuro cognoscetis legunt præsens* cognoscitis, *conformiter Græco, ac Syro, nec non tractatu D. Augustini.*

V. 9. Et non cognovistis me. *Unum manuscriptum legit numero singulari cognovisti, cui præter Græca, & Syra, & Græcorum commentaria, favet D. Augustini tractatio.*

Ibidem. Qui videt me, videt & Patrem. *In quibusdam libris legitur præterito tempore,* qui vidit me, vidit & Patrem, *quemadmodum Græce.*

Ibidem. Quomodo tu dicis, *Rursus quidam libri præponunt & conjunctionem quemadmodum Græci & Syri.*

V 10. Non creditis quia ego in Patre. *Pro plurali creditis complura manuscripta legunt singulare credis, adstipulantibus non solum Græcis, & Syriacis libris atque auctoribus, verum etiam D. Augustino dissertis verbis. Porro infra vers. 11. citra controversiam plurale legendum est.*

V. 13. Et quodcumque petieritis Patrem. *Complura manuscripta omittunt* Patrem, *consentanee Græco, ac Syro, & faventibus tractationibus veteribus.*

V. 14. Si quid petieritis me. *Eisdem fundamentis nixa, hic omittunt pronomen me, quemadmodum mox Patrem.*

V. 17. Vos autem cognoscetis eum. *In aliis libris est præsens cognoscitis, consentanee libris Græcis, ac Syris pro futuro cognoscetis.*

CAP. XVI. *v.* 5. Et nunc vado. *Manuscripta nostra pro copulativa & legunt adversativam at, conformiter Græco, ac Syro.*

V. 11. Jam judicatus est. *Manuscripta nostra jugulant adverbium jam suffragantibus Græcis ac Syriacis libris, nec non D. Augustini tractatu.*

CAP. XVII. *v.* 3. Solum Deum verum. *Multi antiqui libri legunt hoc verborum ordine* Solum verum Deum. *Quod etiam D. Augustinus, & Græca editio.*

V. 20. Non pro eis autem rogo tantum. *Manuscripta nostra pronomen relativum eis mutant cum demonstrativo his, suffragantibus D. Augustini lectione, & græca editione* αὐτῶν.

V. 25. Mundus te non cognovit. *Exemplaria plura scripta, cum textu D. Augustini præponunt & conjunctionem, consentanee Græco, ac Syro.*

CAP. XVIII. *v.* 24. Et misit eum Annas ligatum. *Quidam libri pro duabus voculis & misit legunt unam* misit, *nam græce nihil aliud legitur quam* ἀπέστειλεν, *quemquam sint Græci libri qui pro & substituant ergo. Ut Syrus autem, quæ non sunt negligenda*

CAP. XIX *v.* 13. Pilatus autem. *Optima manuscripta consentanee Græco legunt* ergo *pro* autem.

V 28. Quia omnia. *Plerique latini libri interponunt adverbium jam, quemadmodum & Græci.*

V. 41. In quo nondum quisquam positus fuerat. *Plusquamperfectum fuerat est in optimis manuscriptis, pro imperfecto erat.*

CAP. XX. *v.* 25. Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum. *Insignia quædam manuscripta legunt figuram, quod est græce* τὸν τύπον *vestigium.*

CAP. XXI. *v.* 12. Et nemo audebat discumbentium. *Pro discumbentium legitur alicubi* discentium. *quod est discipulorum. Græco, & Syro conformiter.*

V 22. 23. Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? *Jam frequenter varietatem hic latentem tractavimus, restat pro coronide ut legatur commentarius noster.*

V. 25. Mundum capere posse eos. *Manuscripta antiqua omittunt posse consentanee Græco.*

ACTUS APOSTOLORUM.

CAP. I. *v.* 20. Fiat commoratio eorum deserta. *Alii libri cum Missali Romano in festo S. Mathiæ, conformiter Græco, & Syro legunt singulari numero,* ejus: *Pluralis numerus est in Psalmis.*

CAP XV. *v.* 34. Judas autem solus abiit Jerusalem. *Si non alia videtur vel vox Jerusalem ex hac pericope omittenda.*

CAP. XVI. *v.* 12 Eramus autem in hac urbe diebus aliquot conferentes. *Alii boni libri legunt* consistentes.

CAP. XVII. *v.* 6. Quoniam hi, qui urbem concitant, & huc venerunt. *Alii boni libri legunt orbem, quod est mundum, consentanee Græco, & Syro pro* urbem, *quod est civitatem.*

CAP. XXIII. *v.* 18. Vinctus Paulus rogavit me. *Plures libri interponunt* vocans (vocans rogavit me) *Græco, & Syro conformiter.*

V. 25. Timuit enim ne forte raperent, enim Judæi, & occiderent, & ipse postea calumniam sustineret tamquam accepturus pecuniam. *Duo ex libris nostris manuscriptis scribunt* nummos *pro pecuniam. Alius omittit* tamquam accepturus pecuniam. *Plures totum dictum versiculum omittunt Græco, & Syro consentanee.*

EPIST. AD ROMANOS.

CAP. V. *v.* 16. Et non sicut per unum peccatum. *Plura manuscripta latina, nominatim Bergense, & Audomarense legunt pro nomine peccatum participium* peccantem, *Græco conformiter.*

CAP. VIII. *v.* 38. Neque fortitudo. *Videntur hæ duæ voculæ superfluere ob plures rationes in nostris Notationibus declaratas etiam doctissimo Estio probatas scribenti in hunc locum.*

CAP. IX. *v.* 25. Et non dilectam, dilectam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam: *Jamdiu annotavimus, aliæque ante, & post nos dupli esse hic esse versionem ejusdem pericopes, & illam quidem,* & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam, *videri genuinam nostræ editionis scripturam.*

CAP. XI *v.* 5. Reliquiæ salvæ factæ sunt. *Quidam libri, & auctores omittunt* salvæ, *conformiter Græco, & Syro, quasi dicatur,* aliqui facti sunt reliqui: *qua de re nostræ Notationes, supra 9. v. 27. memoraverat Apostolus reliquias salvas fallas.*

CAP. XV. *v.* 22. Et prohibitus sum usque adhuc. *Multi boni libri omittunt hæc verba Græco, & Syro consentanee, quæ & lecta fuerunt supra 1. v. 13.*

E P I S T O L A
AD CORINTHIOS PRIOR.

CAP. XII. *v.* 28. Genera linguarum, interpretationes sermonum. *Multi veteres libri omittunt* τὸ interpretationes sermonum, *Græco suffragante.*

CAP. XVI. *v.* 16. Nostis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici. *Tollunt complures latini libri postremum nomen, & Achaici cum Græcis, & Syriacis, hic additum fortassis ex v. 17. subsequente.*

V. 19. Apud quos & hospitor. *Et hæc verba confodiuntur a Latinis, Græcis, & Syriacis libris.*

E P I S T O L A
AD CORINTHIOS POSTERIOR.

CAP. I. *v.* 6. Sive consolamur pro vestra consolatione. *Multa manuscripta nominatim etiam quæ jam vidimus, unum S. Audomari, duo Clari Mariscii omittunt hæc verba tamquam alteram interpretationem ejus quod sequitur, sive exhortamur pro vestra exhortatione ex eodem uno Græco* εἴτε παρακαλούμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως.

CAP. XII. *v.* 12. Signa tamen Apostolatus mei. *Alii libri scribunt* signa tamen Apostoli *ut est Græce & Syriace.*

CAP. XIII. *v.* 2. Ut præsens, & nunc absens. *Non pauci libri addunt* bis (ut præsens bis) *consentanee Græco, & Syro, cujus loco quidam legunt* vobis, *sed male.*

EPIST. AD GALATAS.

CAP. III. *v.* 1. Quis vos fascinavit non obedire veritati? *Multi libri, & auctores pro obedire legunt* credere, *nec pauci tum libri tum auctores totum illud omittunt* non obedire, seu credere veritati, *ut hic additum ex cap. 5. v. 7. Qua de re licet legere Notationes nostras.*

CAP. IV. *v.* 7. Itaque non est servus. *In duobus insignibus manuscriptis pro est tertiæ personæ, legitur* es *secunda Græco, & Syro consentanee.*

CAP. V. *vers.* 13. Sed per Caritatem spiritus servite invicem. *Vox* Spiritus *omittitur a multis manuscriptis latinis libris, sicut & Græcis, ac Syriacis.*

CAP VI. *v.* 6. Communicet autem is, qui catechizatur verbo. *Pro ablativo verbo clarius est in aliis libris accusativus* verbum, *Græco conformiter.*

EPISTOLA

AD EPHESIOS.

CAP. I. v. 22. Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam. *Quadam manuscripta habent super omnia ipsi Ecclesiæ, consentanee Græco, & Syro.*

EPISTOLA

AD COLOSSENSES.

CAP. II. v. 4. Ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum. *Quidam conjiciunt legendum subtilitate, ut legit Ambrosiaster; quidam suasibilitate, quod est Græce πιθανολογίᾳ.*

V. 12. Delens quod adversus nos erat chirographum decreti. *Pro genitivo decreti, Quidam libri legunt dativum decretis, qui est Græce & Syriace.*

EPISTOLA

AD THESSALONICENSES POSTERIOR.

CAP. I. v. 5. Ut digni habeamini in regno Dei. *Plurimi libri omittunt propositionem in, Græco consentanee.*

EPISTOLA

AD TIMOTHEUM PRIOR.

CAP. V. v. 5. Speret in Deum & instet obsecrationibus. *Multi libri latini scribunt præsens indicativi sperat, instat. Græco consentanee.*

CAP. VI. v. 9. Et laqueum diaboli. *Quidam omittunt τὸ diaboli cum Græcis & Syris. Supra 3. v. 7. Apostolus memoraverat laqueum diaboli.*

EPISTOLA

AD TIMOTHEUM POSTERIOR.

CAP. II. v. 14. Noli contendere verbis: Ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem. *Si presse legantur ea quæ scripsimus in Notationibus: videri potest probabile Interpretem vertisse ut est Græce:* Non contendere verbis (ad nihil utile) ad subversionem.

V. 25. Eos qui resistunt veritati. *Omittitur a multis latinis libris conformiter Græco & Syro.*

CAP. III. v. 16. Ad arguendum, ad castigandum. *Alii libri legunt* ad corrigendum, *quod est Græce.*

CAP. IV. v. 5. Sobrius esto. *Quidam libri non temere videntur omittere, est enim altera versio ejus quod præcedit.* Tu vero vigila, *ex eodem uno Græco* εἰ δὲ νῆφε, *quod docuimus in Notationibus.*

V. 18. Liberavit me Dominus ab omni opere malo. *Alii libri legunt futurum* liberabit, *consentanee Græco & Syro.*

EPISTOLA

AD TITUM.

CAP. II. v. 5. Prudentes, Castas, Sobrias. *Sunt libri & Auctores, qui omittunt τὸ Sobrias eo quod altera sit versio ex Græca voce σώφρονας. Interpres jam reddiderat* Prudentes.

EPISTOLA

AD HEBRÆOS.

CAP. VII. v. 25. Semper vivens ad interpellandum pro nobis. *Multi libri pro nobis primæ personæ, habent tertiæ personæ pronomen eis ut Græca & Syra.*

CAP. X. v. 9. Nos autem non sumus subtractionis filii. *Vocem filii omittunt latini quidam libri, nominatim Biblia S. Audomari, cum Græcis & Syris.*

CAP. XII. v. 1. Curramus ad propositum nobis certamen. *Multi libri videntur non immerito omittere propositionem ad sicut Græca & Syra.*

CAP. XIII. v. 1. Caritas fraternitatis maneat in vobis. *Quidam libri auferunt τὸ in vobis, Græco consentanee.*

EPISTOLA JACOBI.

CAP. III. v. 17. Suadibilis bonis consentiens. *Quædam latina manuscripta nominatim Biblia S. Audomari Ecclesiæ tollunt illud* bonis consentiens: *ac videtur quibusdam idem unum esse quod suadibilis ex Græco εὐπειθής.*

EPISTOLA PETRI I.

CAP. I. v. 6. In quo exultabitis. *Alii libri legunt præsens* exultatis *sicut omnes infra, v. 8 suffragante textu Græco.*

CAP. II. v. 8. In quo, & positi sunt. *Quidam libri pro ablativo* quo *legunt accusativum* quod, *Græco similiter. Vide Notationes.*

V. 23. Tradebant autem judicanti se injuste: *Ex Notationibus nostris augurari liceat legendum esse.* Tradebat autem judicanti juste.

EPISTOLA PETRI II.

CAP. II. v. 10. Sectas non metuunt introducere blasphemantes. *Quidam manuscripti libri pro* introducere *habent facere, nominatim Bruge sii, & Lobiensis de qualibus Epanorthotes. Item non* metuunt introducere: *Antiqui habent;* alii antiqui facere blasphemantes. *In Bibliorum Lovaniensium margine annotantur sex manuscripta, quæ omittunt τὸ* introducere, *quibus nostra S. Audomari Ecclesiæ Biblia suff agantur, non habentia illud, nisi posteriori manu adscriptum, Græce omnino non legitur. Correctores videntur arbitrati fuisse ab Interprete additum.*

V. 10. Subjugale mutum animal. *Nonnulli codices omittunt vocem* animal, *ut quæ contineatur voce* subjugalis, *conformiter Græco.*

EPISTOLA JOANNIS I.

CAP. I. v. 4. Ut gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum. *Nonnulla manuscripta nominatim unum Ecclesiæ hujus S. Audomari omittunt τὸ* gaudeatis, *& similiter Græcis, & Syriacis libris.*

CAP. IV. vers. 10. Sed quoniam ipse prior dilexit nos. *Quidam latini libri cum Græcis & Syriacis hic omittunt vocem* prior, *quæ ab omnibus legitur infra, v. 19.*

V. 17. In hoc perfecta est Caritas Dei nobiscum. *Vocem* Dei *plerique codices auferunt Græco consentanee.*

EPISTOLA JOANNIS III.

VErs. 6. Quos benefaciens deduces digne Deo. *Non pauci boni libri conformiter Græco e converso* benefacies *verbum* deducens *participium legunt.*

EPISTOLA JUDÆ.

VErs. 24. In adventu Domini nostri Jesu Christi. *Hæc verba omittuntur a nonnullis manuscriptis, & uno quidem hujus Ecclesiæ, suffragante Græca.*

APOCALYPSIS.

CAP. XI. v. 15. Et regnabit in sæcula sæculorum, Amen. *Non agnoscitur hoc loco* Amen *a veteribus manuscriptis, sicut nec a Græco.*

CAP. XIV. v. 3. Et nemo poterat dicere canticum. *Pro* dicere *quod est λέγειν quidam conjiciunt legendum esse* discere *ex Græco μαθεῖν.*

CAP. XXI. v. 15. Habebat mensuram arundineam auream. *Quidam codices loco nominis adjectivi* arundineam, *legunt substantivum* arundinem *Græco consentanee.*

CAP. XXII. v. 9. Et eorum qui servant verba prophetiæ libri hujus. *Multa bona manuscripta latina cum Græcis libris omittunt vocem* prophetiæ.

V. 14. Beati qui lavant stolas suas in sanguine agni. *Pleraque omnia manuscripta omittunt* in sanguine agni, *Græco conformiter, viderique posse hoc additum ex Apoc. 7. v. 14.*

F I N I S.